Zur
R. Stift Irrseischen
Biblioteck.
Const.
Compact.

2°Th S
216
-2-

DOGMATUM THEOLOGICORUM DE DEO, DEIQUE PROPRIETATIBUS.

TOMUS SECUNDUS.

AUTHORE

LUDOVICO THOMASSINO
Congregationis Oratorii Presbytero.

EDITIO VENETA, CUI ACCEDUNT in calce Tomi Tertii DISSERTATIONES IN CONCILIA *tum Generalia, tum Particularia ejusdem Authoris.*



KÖNIGL. KREISBIBLIOTHEK IN AUGSBURG

VENETIIS, MDCCXXX.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

PRÆFATIO.

I. Quo authore & tempore his primùm Dogmatibus Theologicis cudendis manum admovere cæperimus. II. Tractatuum De Deo, Deique Proprietatibus, *&* De Incarnatione, *initia, vicesque. III. Quo excitatore & tempore ad excutiendas* De Gratiæ divinæ auxiliis *Quæstiones deventum sit. Breviusculorum de Gratia Commentariorum occasio & origo. IV. Diutissimè hæc omnia elaborata & concocta sunt, nec enim cruda Lectori objici, & in lucem extrudi oportuit. V. Cur tam multa serò & simul penè effundantur. VI. Grandia hæc volumina expoliri tam accuratè non possunt, quàm breviores Libelli. Sua tamen utrisque gloria, sua utilitas constat. VII. Excusat styli inæqualitatem temporis prolixitas & ipsius infinita varietas operis. VIII. Ex Cicerone non sola styli elegantia, sed Dogmatum maximè de Deo & Anima Theologicorum, seu Platonicorum sublimitas aucupanda nobis pro virili fuit. IX. Quanta styli difficultas in rebus nostris Theologicis, quibus nunquam Ciceroniana, nunquam Latina olim assuevit elegantia. X. Cur in priore hujus Tomi Parte Platonicos adhibuerimus Philosophos. XI. Quæ in posteriorem ejus partem seposita sint. XII. Duplicis status, & duplicis Adjutorii à nobis jam olim ex Græcis Patribus exsculpta distinctio, quam alii ex Augustino approbarunt. Quanti ad totam rem Theologicam intersit hanc distinctionem retineri. XIII. Hinc apta & connexa pendet tota de voluntate, de providentia, de decretis Dei sana doctrina, itemque de præscientia. Quàm pridem nobis illa de bicipiti voluntate & providentia Dei sententia insederit. XIV. Quantum hinc lucis in omnes Theologicas quæstiones refundatur, maximè ad explicandam commodissimè & ad Augustini mentem, voluntatis & providentiæ divinæ vim omnipotentem. XV. Item ad Gratiæ efficacissimæ elucidationem, ex congruitate & conspiratione plurium intus forisque auxiliorum efflorescentis. Priscæ Theologicæ Scholæ ea fuit pervagatissima, ea sancti Thomæ constantissima doctrina. XVI. Secessio hinc in duas sectas, quando & quibus ducibus facta, fide & pace incolumi. XVII. De necessaria Græcorum omnium Patrum cum Augustino concordia, necnon & Latinorum ipso anteriorum, quàm necessariò pertractandum hìc fuerit. XVIII. Sectatores Gratiæ victricis, ejus efficaciam in dilectione & delectatione justitiæ collocantes, ut nobis consentire & consensisse intellexerimus, quàm serò, tam gratè. XIX. Oratorii Gallicani propositum, & certa lex, nulli opinionum sectæ addici, soli fidei & Ecclesiæ Catholicæ astringi: cum ea quamlibet doctrinam probare, improbare, tolerare.*

rare. XX. Quàm id ad pacem, & charitatem alendam appositum. Ingenii sinum quantum dilatet ad veritatem latiùs capiendam charitatis amplitudo. XXI. Exerentes se in disputationis æstu aculeos obtundit & excusat charitas.

I. TRIGESIMUS jam hic annus evolvitur, ex quo, qui tum præerat Religioso nostro Sodalitio Præpositus Generalis Franciscus Bourgoin, hanc mihi cudendorum ex Scripturis, ex Conciliis, ex sanctis Patribus, & ex Historia omni Ecclesiastica Theologicorum Dogmatum Provinciam demandavit. Hac sibi ille, hac mihi spe blandiebatur, fore, ut tertio, aut quarto post anno exiret in lucem aliquis saltem conatus, ex quo futuri operis gustus præsumeretur. Nec enim illum fallebat plusculos jam annos à me non in regenda tantùm Theologica Schola consumptos, sed & operæ studiique plurimum in pervolutandis Conciliorum Patrumque Monumentis positum fuisse. Nec mihi sanè optatius quidquam, aut conducibilius fuisset, quàm ut Parentis optimi vota ne frustrarem; & mei ipse periculum facerem, an sola otii abundantia & studiorum copia ac contentio non pœnitenda, cum ingenii vi mediocri, sustinendæ tam immensi Operis moli ac dignitati par esse posset.

II. Incunctanter ergo manum admovi operi, & congerere atque illinere cœpi chartis, quidquid ex sanctis Patribus & Conciliis hactenus excerpsissem *de Deo Deique Proprietatibus*, quæ prima non immerito solet esse Theologicæ Palæstræ excursio. Hujus opellæ meæ specimen continuò edidi, in Archiepiscopali Lutetiæ Seminario inter commentandos sanctorum Patrum Tractatus, dictato rudimento veluti aliquo de *Attributis divinis*, excipientibus Clericis compluribus, nec paucis Theologico in Scholis studio jam perfunctis. Verum ubi altero post anno prælegenda illis fuere Conciliorum maximè Generalium Acta, quorum pars longè maxima in Oeconomiæ, seu Incarnationis Dominicæ illuminatione versatur, huc animum quoque & calamum penè necessariò traduxi, ne in plura distraherer, quorum singula totum desiderarent. Doluit mihi vehementer, quæ occœperam de Deo opera interrupta relinquere, ut ad alia pergerem molienda. Sed serviendum erat tempori & officio. At ubi tertio demum anno ad illustrandos Canones Conciliorum, maximè Particularium, & ad eorum in Historia Ecclesiastica fontes retegendos me contuli: quod id longè expeditius mihi videretur, nec de Disciplina Ecclesiastica quidquam lucubrari tum quidem mens esset, ab Incarnationis incœpto Tractatu manum non subduxi, donec quarto demum circiter post anno ad umbilicum perduceretur. Is ille Tractatus est de Incarnatione, quem non novem, sed penè ter novem annos pressi, antequam prodire sinerem, Cleri Gallicani auspiciis tutum, nomini & majestati dicatum, non audacter & inconsideratè meo ausu, sed illustrissimi & mihi semper colendissimi Archiepiscopi Parisiensis hortatu jussuque, qui Mecænatis mihi vicem præstare voluit ille quidem, sed cum universo Clero Gallicano.

III. Ad intermissum mox *de Deo Deique Proprietatibus* opus stylum revocavi, longum interim otium agente, & in litterario penu delitescente, & paulatim maturescente Tractatu illo *De Incarnatione*. Plures hìc mihi contriti sunt anni, donec prioris Præpositi successor Joannes Franciscus Senault, etiam atque etiam me cohortaretur, quando non alio poteram quàm studendi scriptitandique labore, de Oratoriano nostro Grege & de Ecclesia benemereri (si studendi tamen labor & non magis voluptas est) ut incumberem etiam in elucidandas *de divinæ Gratiæ auxiliis* quæstiones, quibus abstinere velle præ me ferebam. Nempe in iis ante rudis adhuc graviter impegeram; non studio partium, cujus, ut mihi quidem videor, purus semper fui; sed quadam penè necessaria temeritate docendi, quæ nondum satis tota animi contentione, tota priscæ Patrum Theologiæ meditatione invadere & penetrare potuissem. Quo ego avocabar, hoc optimus Parens incitabat me stimulo, ut dediscerem & dedocerem, quæ male didiceram, male docueram. Ante sexdecim ergo circiter annos in id me totum contuli, & litteris mandare cœpi, quæ aliquamdiu ante suspicabar, quæ olfaciebam, quæ tractando ac commentando illustriora mihi in dies & certiora fiebant. Dum interim in eodem Sam-Maglotiano Seminario publicè libros Augustini interpretarer, multa ex eo de divinæ gratiæ auxiliis subinde delibanda erant; quæ ne Auditoribus prorsus exciderent, ne in alios & alios sensus, ut solet, traherentur, jussus sum ab eo, cui id juris erat & Præposito & Consiliario, ut in breviusculos Commentarios conjicerem, quæ viva voce, quæ operosiùs & prolixiùs de Gratia Christi edisserueram. Parui, dictati exceptique sunt Commentarioli tres, nec enim plures passa est temporis brevitas; mox etiam typis editi injussu meo, curantibus amicis Theologis Sorbonicis. Hujus opellulæ meæ eam fuisse antequam ederetur sortem, fidem facit in permissione ad alteram ejus non paulò auctioris nuperam editionem concessa, qui nunc nostræ Congregationis Præpositus & Moderator sedet Sam-Marthanus.

IV. Quorsum aies hæc præfari? Permagni mea, nonnihil & tua, benevole Lector, interesse putavi, ut rescires, quàm non injussus, non præceps crudas tibi obtrudam scri-

ſcriptiones meas. Perſuaſiſſimum enim mihi ſemper fuit, ea reverentia & verecundia, eo honore & religioſo tremore coli à nobis debere Lectores, Theologos, Eccleſiam, Deum; nam ut de Deo, ita & Deo potiſſimum ſcribimus: ut ne incoctas nænias, aut præcoces partus ingeramus; ſed quod labore, quod induſtria, quod temporis diuturnitate perfici poteſt, id præſtemus quod noſtrarum virium eſt; nam tenuitatem ingenii præſtare nemo poteſt, tenetur nemo. Et ad hæc alioqui quis idoneus? Si magna tentaſſe, aliis, non mihi, magnum eſt: juſſum tentaſſe, & otioſi ſervi, inutiliſque otii pœnas reformidantem, ut inglorium ſit, tutum erit, veniale certè mihi, atque ita abundè erit.

V. Si cui autem moleſtum ſit, quòd tam brevi tempore tam multa publicis auribus ingeram; reputet ille ſecum hæc nemini ingeri invito, multis volentibus & urgentibus donari. Nec brevi effunduntur, aut temerè, quæ diutiſſimè lectitata, ſcriptitata, commentata, pronunciata ante ſunt, quàm in publicum effunderentur. Qui quæ juvenis recondidit, tandiu expolivit, devexa ætate promere incipit, etſi multa ſimul promat, is in culpa non eſt, quòd vitæ diuturnitati, ætati ingraveſcenti diffidat. Adde quòd non omnia omnibus, niſi pauciſſimis, ſed alia aliis ſcribam. Nec enim omnia omnibus ſapiunt. Paucioribus, iiſque divinioris ſapientiæ ſcrutatoribus, Theologica dogmata, è ſanctorum Patrum maximè fontibus hauſta, cordi & amori ſunt. Delectantur alii magis popularibus de Eccleſiaſtica Diſciplina Diſſertationibus. Hæc in communi omnibus proſtant, nemini obſtrepunt. Itaque hæc operum publicatio non præceps, ſed tarda fuit: utinam quo tardior, hoc diligentior. Id me voluiſſe profiteor, quo ſucceſſu, meum non eſt dicere.

VI. Certè meum non eſt ea de re magnoperè anxiari. Rurſum enim ego, Ad hæc quis idoneus? quis par? Facile & expeditum eſt, breve aliquod opuſculum ita fingere, ac refingere, ita elaborare, ac perpolire, ut numeris omnibus abſolutum prodeat, laudem & admirationem extorqueat. At in ingenti hoc genus farragine, in tot ſæculorum hiſtoria, in tot Conciliorum Canonumque congerie, tot ſanctorum Patrum, ſeu editorum ab eis Monumentorum conſarcinatione, ſive quoad Dogmata, ſive quoad Diſciplinam, quis tam iniquus rerum æſtimator, parem diligentiam, parem dedolandi, ac poliendi, diffingendi & refingendi laborem, parem ſucceſſum efflagitet? quis tentet? Ad ingenii gloriam ſcio illa breviora feliciùs procedere. At Eccleſiæ utilitati, at publicæ ædificationi, at Chriſtianæ multitudinis pietati, at poſterioris ætatis uſui & commodo, utra accommodatiora ſint, ſuo quiſque fruetur judicio. Diligentia illic in tenui major eſt; at vel ipſam ſui forſan ſuppudebit, ſi veniat in mentem ejus diligentiæ, qua tantæ antiquorum Monumentorum moles emoliendæ, congerendæ, utcumque digerendæ fuere, in eam fabricam excitandæ, quæ ſin minus delicatis artis minutiis, certè magnitudine, nec pœnitenda utilitate ſua oculos ad ſe convertat. Utrique labori ſua laus, ſua commendatio, ſua in Eccleſia utilitas, ſua apud Deum merces, ſi in illis emineat non tam mentis & artis, quàm charitatis ingenium, qua invitamur nos nihili, noſtra quantacumque & qualiacumque minoris facere, alios & aliena multo pluris.

VII. Non omnia poſſumus omnes, nec ego potui in hoc potiſſimum Tomo, eam Styli tueri æqualitatem, qua uno & continuato labore ſi elucubratus fuiſſet. At tanto annorum interſtitio non potuit non ſui diſſimilis eſſe, qui mecum ipſe penè ſeneſcebat. Styli ut ſpero inæqualitatem excuſabit, & Lectorum mentem aliò rapiet, rerum dignitas gravitaſque, à ſummis Philoſophis olim, à ſanctis poſtea Eccleſiæ Patribus expromptarum. Nemo facilè poteſt conſueſcere, nedum conſeneſcere cum Platonicis olim Philoſophis, cum ſanctis Eccleſiæ Patribus, Græcis & Latinis, in tam varias ætates orbiſque regiones ſparſis, & non aliquo aſpergi tingique eorum ſcriptionis diverſiſſimæ colore. Inopinis & invitis affricant ſe cum rebus verba, ut prorſus non poſſit quantacumque ſibi conſtare, & ſuum ſaporem ſemper eundem retinere ſermonis elegantia.

VIII. Volui & ipſe Lectorum faſtidio ſervire in hac parte, & Ciceronis opera eo conſilio contrivi. Nec religio mihi fuit prophanæ eloquentiæ Principem in Chriſtianæ Theologiæ ſacrarium inducere. Vel ex hoc ipſo enim Opere noſtro liquebit, quàm totus ille fuerit in Platonica Philoſophia, vel potius Theologia imbibenda, latinis litteris illuſtranda, inſpergenda ſuis operibus. Quid autem de Deo & Dei proprietatibus, vel Platonem fefellit, vel antiquiſſimos Platonis diſcipulos, vel Ciceronem, quem Platonis interpretem, & Latinum Platonem non immerito dixeris? Hæc ſanè potiſſima mihi fuit cauſa, Tullii nocturna diurnaque manu verſandi. Fuit & hæc altera, eſtque etiamnunc, latinè ſcribendi ejus elegantia, cui nulla uſquam alibi par, aut ſecunda; maximè poſtquam ingreſſus ſum ad tres illos craſſiores Tomos de Eccleſiaſtica Beneficiariorum Diſciplina, Gallicè primum editos, Latinæ linguæ conſuetudine donandos. Nec is ego ſum qui Ciceronianæ elegantiæ nomine me venditem; ejus certè ſtudium præ me fero, conatum & amorem; ut & in hac parte à Lectoribus aliquid gratiæ ineam.

IX. Ne mihi tamen omnino deſim, illud obiter monebo, longè aliter ſcripſiſſe Ciceronem, cum Epiſtolas ſcriptitaret, cum tonaret in foro, cum in Senatu oraret, cum res Philoſophicas & Platonicum plerumque dogma pertractaret. Quid ſi illi non tantùm Platonica, ſed Chriſtiana etiam Theologia, ſed Verbi Divini in carne noſtra Oeconomia, ſi tota hæc noſtra Latinis litteris conſignanda fuiſſet, ſeu Dogmatum, ſeu Diſciplinæ doctrina, cujus ne guſtu quidem ullo Romana hactenus lingua imbuta

fuerat? Ex Ciceronianis ergo lucubrationibus venanda, metendaque nobis illa elegantia est, quam eis ille nunquam inseminavit. Video quàm multi de Ciceroniana quadam facundia sibi assentari soleant; hos ego rogatos velim, ut sui periculum faciant in his Theologicis arcanis latinè, politè & Ciceronianè dicendis: non dubito, quin illos deinceps habiturus sim magis propitios. Mihi certè longè majori & admirationi sunt & voluptati in Cicerone res quàm verba, doctrinæ incomparabilis præstantia quædam, quam sermonis splendor & copia. Nec hìc pigebit commemorasse, quod olim vir ingenio, sanctimonia & doctrinæ sacræ cœlitus haustæ copia præstantissimus, Gondrenus, Gregis & ipse olim nostri Præpositus, dignus planè qui Berullio succederet: quod vir inquam ille mihi, dum humaniorum litterarum scholæ præessem, insusurravit, nulli non jucundissimam & familiarem esse debere, nulli non fructuosissimam esse Ciceronis lectionem. Addidit porro, & eam se spem clam in sinu alere, perlegendi adhuc antequam vita abiret, quidquid ille scripsisset. Erat autem tum Gondrenus cœlo maturus, ut qui altero post anno vivere desierit. Erat illi citra dubium persuasum, mihique volebat esse, tanto plus, aut minus profecisse viros litteratos, quanto plus, aut minus illis sapuerit, illos delectaverit Cicero: sed & summum apicem naturalis de Deo Theologiæ lectitandis ejus operibus adiri posse. Id equidem non despero à me demonstratum iri prolixiùs, si quod de Poetis feci, hoc de Philosophis ethnicis propalare vacet, Totam eam Philosophiam à Mosaicis & Scripturæ nostræ fontibus derivatam esse.

X. Hinc verò facilè intelliges, cur in priore hujus Tomi parte, Platonem, alumnosque ejus antiquioris Scholæ omnes hìc contexuerim, cum sanctissimis Ecclesiæ Patribus Græcis & Latinis, Nempe ut in Aristotelis Schola tyrocinium ponunt Doctores quique celeberrimi ab annis plus minus quingentis; ita in Academia Platonis instituti primùm fuerant sancti Patres, ut quæ Ecclesiæ Christianæ veluti vestibulum fuisse non injuria dicatur à Baronio. Denique locupletissimus author Augustinus, non patritia tantùm illa, ut à Cicerone vocatur, imbutus fuerat Platonis Philosophia; sed & *paucis mutatis verbis atque sententiis* ex Platonicis Christianos fieri declaravit. Id nos quidem mordicus retinuimus, ut Platonicorum non placita tantùm, sed & verba ad Scripturarum & sanctorum Patrum normam trutinaremus, & sicubi dissonarent, castigaremus.

XI. Jam de posteriore etiam hujus Tomi parte ut aliquid dicam, tota ea dicata est à me, elucidandis quæstionibus de scientia & voluntate Dei, de prædestinatione & reprobatione, de concordia Latinorum antiquiorum, Græcorumque omnium Patrum cum Augustino in hujusmodi quæstionibus; de Gratiæ denique invictissima efficacia, ad conversionem & perseverantiam eorum, quos Deus gratis prædestinavit ad gloriam. Non hæc jam ad Theologiam naturalem pertinent, nec in iis tractandis ullæ potuerunt esse Philosophorum, ne Platonicorum quidem partes. Christiani dogmatis hæc propria sunt lumina, cujus illi hospites & expertes prorsus fuere.

XII. Regnat autem in his omnibus famosissima illa distinctio tum hominis stantis & post lapsum reparati, tum Adjutorii *sine quo non* & *quo*, geminæ illi Naturæ conditæ & reparatæ stationi consentanei. Hanc ego exculpseram, & ut spero invictissimè comprobaveram distinctionem ex Græcis Patribus, Athanasio maximè, & prolixissimè ex Cyrillo, cùm grandem illum de Verbi Incarnatione Tomum ante annos viginti quinque cuderem, & cùm ante tres typis excusum publicarem. Hinc apta & religata sunt omnia, de scientia & voluntate Dei, de prædestinatione, & de gratia per eam efficacissima, quæcumque vigent purioris & sanioris Theologiæ placita. Hinc maximè perspicua Græcorum cum Augustino & Latinis concordia. Nam Augustinus etiam eam duplicis status & duplicis adjutorii distinctionem disertissimè in libro de Correptione & Gratia prosecutus est. Hinc Græci Patres minimè alieni fuisse comperiuntur, ut falsò suspicabantur aliqui, à prædestinatione gratiæ Augustiniana, & ab invictissima Christi gratiæ efficacia. Quin & ante Augustinum, ante Latinos, tota Alexandrina Schola, Athanasius aliique, utrumque id dogma ex ipsissimo Incarnati Verbi mysterio expresserant. Non perseverante enim Adamo in ea quam acceperat gratia, & totam in se ac secum naturam pessundante, & alio reparati generis nostri Principe opus fuit, qui collabi ut Adamus non posset, & alio ac validiore gratiæ adjutorio, quo qui donarentur, invictissimè perseverarent; atque ita non frustraretur Dei à diabolo consilium. Ita olim Augustini Schola, ita priùs Alexandrina cum Athanasio, hinc apta & nexa sunt omnia; qui hinc aberrant, in ipsum impingunt Theologiæ limen. Nisi si dicatur non aberrare nunc Theologica Schola, cùm alii præclarè & prædestinationem ex meritis, & gratias illi consentaneas tueantur, cujusmodi fuere ante lapsum: & alii præclarissimè prædestinationem gratiæ, & accommodata ei efficacissimæ gratiæ, ut nunc se res habent, auxilia propugnent; longè præclariùs certè, si utrique utrumque dogma amplexarentur, & aliquo concordiæ nexu inter se devincirentur.

XIII. Eo autem & Naturæ duplicis, Stantis & Reparatæ, & Adjutorii duplicis, *sine quo non* & *quo*, discrimine constituto, jam perplexa & quæ difficillimos haberet exitus, quæstio incurrebat de providentia & voluntate divina: de Decretis inquam divinis & de divina præscientia in rebus liberis & contingentibus. Illa enim celeberrimæ Scholæ Decreta divina, universim & indiscriminatim prædeterminantia, invecto adju-

torii duplicis, & duplicis stationis nostræ ante & post lapsum discrimine penitus dissari & evanescere videbantur, nec locum habere posse, nisi ex præstructa post communem omnium lapsum gratuita quorundam prædestinatione. Cæteris ergo rebus in omnibus liberis & à creata voluntate pendentibus, ecquæ voluntatis divinæ omnipotentia, ecquod Providentiæ cœlestis imperium, unde liberorum & contingentium præscientia eventuum? Ea me gravis sanè exercuit difficultas, ante etiam aliquamdiu, quàm de conscribendis Dogmatibus Theologicis cogitarem; nec alio magis quàm Augustino ipso duce usus & magistro, ea me tandem extricavi. Comperta videlicet apud eum bicorni illa providentia & bicipiti voluntate, qua vult Deus liberas nostras Angelorumque voluntates, aut æternis suis obsequi legibus, & præmiis affici sempiternis: aut si contumaciter renuant, sempiternis ordinari in pœnis: idque eo omnipotenter & invictissimè vult, quia alterutrum constantissimè semper accidit. Postquam Augustini unius vestigiis insistenti exploratum id mihi fuit, tum verò cæteros Patres omnes eadem de re percunctatus, omnes prorsus consentaneos comperi, nec aliter eos divinæ voluntatis arcana sacramenta omnibus retro sæculis interpretatos esse, quàm bicipiti providentiæ ordine, quorum ab alterutro nemo nisi ad alterum desciscere posset, atque ita sua semper Deo constaret victoria. In præscientia verò divina non magnoperè laborandum mihi fuit, ut quam non Platonici olim Philosophi, non prisci Ecclesiæ Patres, qui maximè Augustini sequaces fuere, non denique Thomæ Aquinatis fidi sectatores superstruant, nisi infinitæ, eidemque in unum veluti punctum collectæ æternitati, quæ omnia omnino tempora sibi sistat, sibi præsentia semper habeat & intueatur. Non Thomas, non prisci unquam Theologi, non sancti Patres præscientiæ divinæ universim Decreta ulla absoluta & prædeterminantia substravere, sed solam rerum ipsarum in æternitate præsentiam, omnia tempora complectente, omnia in unum individuum sibi punctum recolligente, ac sistente.

XIV. Hinc verò quanta se postea infuderit lux, ne longior sim ubi minimè opus est, hìc persequi supersedeo. Unum silere non possum, hinc perspicuè diluxisse mihi, esse extra prædeterminationem physicam, præter scientiam quoque mediam & conditionalem, in quas se illustrissimæ Scholæ duæ Catholicorum Theologorum sciderunt, esse inquam rationem aliam expeditiorem, antiquiorem, sanctis Patribus tritiorem, Augustino imprimis, tuendæ omnipotentis & victricis providentiæ, ut voluntates creatas, quo ipsa cumque vult contorqueat, bonas malasve; & de volentibus quod sibi lubet, faciat ipse quod sibi collibitum est. Quippe dum vigeret primigenia recens conditi hominis innocentia, nec prædeterminatio physica usui erat, nec adjutorium ullum gratiæ, *quo* res fieret invictissimè: & tamen dominabatur omnipotens & victrix Dei providentia & voluntas. Adde quòd ex Augustino & aliis Patribus malorum voluntates in Dei potestate sunt, æquè ut bonorum: & eas torquet ac detorquet ad nutum suum quo ipsa cumque vult providentia. Nec Decreta tamen prædeterminantia, aut ineluctabiles præmotiones hìc comminisci fas est. Quantò faciliùs ergo ab ea ad bonum & in bono flectentur creatæ voluntates ad ipsius arbitrium, ea occasionum, objectorum, circumstantiarum varietate, opportunitate, importunitate, qua etiam nequam homines quocumque inflectuntur? cùm vel maximè piæ voluntatis, timoris, spei, charitatis initia quædam inspiret & exaggeret Deus in bonum, cujusmodi nihil fas est in malum, vel illi facere, vel nobis fingere.

XV. Ita tandem patuit mihi invictissimam gratiæ efficaciam, qua gratis à Deo prædestinati ad gloriam propelluntur, non in alio magis sitam esse, quàm in illa inspiratione divina charitatis, timoris, spei, pudoris, consimiliumque aliorum affectuum, simul autem in congruitate & contemperatione rerum, locorum, temporum, prosperorum & adversorum, blanditiarum & minarum, in ea inquam collectione, consonantia, conspiratione tot auxiliorum, quorum etsi singula frustrabilia sint, & persæpè frustrentur, unde tot lapsus etiam electorum, ipsa tamen multitudo, inculcatio, conspiratio frangat tandem quantamcumque voluntatis creatæ contumaciam. Ubi id ex sanctis Patribus perspicuè diluxit, cùm obgannirent aliqui arbitratu me meo Augustinum interpretari: cœpi Scholæ Theologicæ Proceres omnes revolvere jam inde à temporibus Anselmi, & ab ipso Anselmo. Permirum mihi accidit, quòd ita consentientes omnes uno aut altero dempto invenirem, omnes enim prorsus excussi mihi sunt. In ea omnes illi ab Anselmo ad Concilii usque Tridentini tempora, victricis gratiæ certissimam efficaciam, qua gratuita prædestinatio executioni mandaretur; in ea inquam collocavere auxiliorum intus & foris multitudine, collectione & convenientia, quorum singula possint, universa non possint à quoquam frustrari. Attonitum me habebat rei insperatæ novitas, donec ipsius Thomæ Aquinatis opera omnia perlustrare adgressus, & ipsas maximè *Quæstiones disputatas*, quo non aliud luculentius, diffusius, solidiusque Angelici Doctoris opus: in illam incidi Quæstionem VI. *de Veritate*, ubi docet *ex concursu causarum multarum contingentium & deficere possibilium, perveniri ad unum effectum: quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus, loco ejus, quæ deficit, vel ne altera deficiat: sicut videmus, quod omnia singularia unius speciei sunt corruptibilia, & tamen per successionem unius ad alterum potest in eis secundum numerum salvari perpetuitas speciei: divina providentia taliter gubernante, quod non omnia deficiant uno deficiente. Et hoc*

modo est in prædestinatione. Liberum enim arbitrium deficere potest à salute. Tamen in eo quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat, vel si cadat, quod resurgat: sicut exhortationes, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia hujusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem. Si ergo consideremus salutem respectu causæ proximæ, scilicet liberi arbitrii, non habet certitudinem, sed contingentiam. Respectu autem causæ primæ, quæ est prædestinatio, habet certitudinem.

XVI. Exinde nihil caliginis, nihil hæsitationis residere potuit in animo meo, cùm vel maximè viderem, quàm huic Thomæ doctrinæ concinerent cætera opera ejus omnia; quàm omnia cœlestis ejus doctrinæ principia consentirent. Mirari tum desii, cur Thomisticæ Scholæ Theologi omnes, in eandem de gratia efficacissima sententiam descendissent; nec inde desciverint donec ex occasione Molinam & scientiam mediam recens ab eo fabricatam concerpendi, in contrariam & ipsi doctrinam discesserunt, & prædeterminationis physicæ dogma, primò pauci, duce, ut ajunt, Bannesio, post plures, denique penè universi amplexati sunt. Non aliter & priores ante Molinam Societatis Jesu Theologi in eadem hactenus quam hìc nos tuemur Augustini & Thomæ doctrina versati, post ad scientiæ mediæ defensionem deflexere. Apertior res fiet ab exemplo Lovaniensium Doctorum, qui cùm omnes ad unum, hanc eandem nobiscum sententiam, mordicus retinuissent; ubi primùm Lessius cœpit in Belgio Molinæ placita disseminare, Estius & Sylvius, quo vehementiùs ei adversarentur, Lovaniensis Scholæ suæ immemores, in longè diversissima & durissima placita se conjecere; cùm interim Lovanienses cæteri, ut fide dignissimis à testibus accepi, eandem nobiscum, hoc est antiquissimam suam de gratia efficacissima ex plurium frustrabilium gratiarum non frustrabili multitudine & consensione doctrinam, tueantur etiamnunc.

Rei huic ex Augustino & aliis Patribus Ecclesiæ utriusque fulciendæ, decimum & ultimum dicavi hujus Operis librum, veluti necessariam gratuitæ prædestinationis, nec non & supra explanatæ de Decretis divinis doctrinæ appendicem. Appendix altera accessisset ex omnibus Scholæ Theologicæ Scriptoribus ab annis abhinc amplius quingentis, qui in eandem nobis certissimè præiverunt sententiam, excepto uno & altero; sed deterruit me voluminis enormitas hinc emersura. In Tomum ergo tertium, si Deus annuerit, ea Appendix conferetur, ut & complusculæ aliæ de Gratia, de Incarnatione, de Trinitate, & de Methodo lectitandi, excerpendi, digerendi, & in Sermones Tractatusque Theologicos contexendi, sive de Dogmate, sive de Disciplina, sive de Moribus, sanctorum Patrum, Conciliorum & Historiæ Ecclesiasticæ monumenta.

XVII. Rejici & in Appendices ac Paralipomena potuerat Liber qui hìc IX. numero censetur, de necessaria Græcorum omnium cum Augustino concordia, atque Latinorum ipso anteriorum circa prædestinationem gratuitam & efficacissima gratiæ ad eam exequendam auxilia. Sed tanti ea mihi res visa est ad ista omnia momenti, ut ne differri quidem illam passus sim. Est enim prorsus commentitia illa discordia, cujus opinione occupatæ sunt complurium etiam nobilium Theologorum mentes. Non ita Augustinus, qui Græcorum Patrum quasi Synodos quasdam sibi in opusculis suis congregavit suffragatrices. Non ita Thomas, qui suum ubique Dionysium in ore & in oculis habet, in quæstionibus etiam huc spectantibus, & in statuendis principiis, ex quibus Theologicæ plures conclusiones derivantur. Non ita Græci omnes Patres, Græcæque Synodi, quæ Augustino gratiam Christi illustranti, Pelagium debellanti commilitones se adjunxere. Enimverò cùm præjudicatum id semper fuerit, ex consensu utriusque Ecclesiæ Patrum dirimendas esse controversias omnes, sive de fide, sive de rebus fidei quodammodo conjunctis: ecquid causæ esse poterat, ut illos sibi minùs consentire in hac parte, & discordiæ permolestissimæ duces nobis esse opinaremur? Consentiunt ergo procul dubio, & hinc nova nobis ingeritur necessitas ita temperandæ nostræ de divinis auxiliis sententiæ, ut ne Augustinus à Græcis, ut ne Græci ab Augustino discrepent: ut ne Latinos sibi ipsos, anteriores posterioribus Augustino committamus: ut ne ipsam sibi Ecclesiam Catholicam collidamus, istos omnes Patres filiosque uno charitatis & veritatis sinu amplexantem, omnes sibi uni, omnes sibi ipsis mutuò conglutinantem.

XVIII. Unum restat, quod hìc eadem ipsa de re præmoneam, ut olim in Commentariolis de Gratia, ita & hìc conjunctos à me fuisse prædeterminationis physicæ defensoribus, eos etiam qui gratiam propugnarent ex victrici justitiæ dilectione & delectatione prædeterminantem; quòd undecumque ea physica oriretur prædeterminatio, mihi perinde esse videretur. Ex memetipso, dum ita quondam sensi, de cæteris etiam judicabam. Intellexi postea me aberrasse, & ex gratiæ delectantis, ac delectando vincentis authoribus, viros præstantissimos & ipsos vertices, in ea fuisse sententia, ad quam ego quoque resipiscens memet revocavi, victricem illam efficaciam non ex sola scaturire delectatione & dilectione justitiæ, sed ex metu etiam gehennæ, ex spei, ex casti pudoris, ex compluribus aliis piis affectibus à Deo inspiratis, ex objectis & circumstantiis, ex prosperis & adversis, ex minis & blandimentis, ex horum omnium intus forisque multitudine, & consonantia, & contemperatione, quæ proposito Dei vocantis & prædestinantis respondeat; ita ut infallibilitas hinc moralis magis emergat, quàm physica, quamquam nihilo minùs certa & invictissima. Quæ cùm ita habeant, jam non possum non illis & mihi gratulari; ut in me unum, vel in me maximè

reci-

recidant qualis olim fui, ea quæ mordaciùs aliquando & aculeatiùs ſcripſi in defenſores gratiæ non aliter quàm delectando prædeterminantis. Non quo mens mihi unquam aut voluntas fuerit pungendi, ac remordendi: ſed in ipſo diſputationis æſtu erumpunt & exerunt ſeſe illi aculei, in opiniones videlicet ipſas, non in authores earum, quos & Catholicos & nobis chariſſimos profitemur. Suavius tamen eſt & ipſos etiam habere in his conſentaneos. Quid enim vel dulcius poteſt vel optatius obtingere, quàm ut unum ſimus, & unum dicamus omnes in Chriſto? Eò ſanè totus noſter collimat labor.

XIX. Unus ſupereſt eximendus nobis ſcrupulus, ne quis ſuſpicetur, ubi Sodalitii noſtri Præpoſitos ſupra memoravi, aut illis me, aut Gregalibus meis opiniones has, vel qualeſcumque meas appingere voluiſſe. Nihil à vero, nihil à propoſito meo alienius, nihil quod ab Inſtituto noſtro magis abhorreat. Qui primus nobis author & inſtitutor præivit Berullius, qui illi merito ſucceſſit Gondrenus, qui duo primi ſub hoc Præpoſito generali coaluere Generales Conventus, illi nos ſolemniter ſanxere abſolutos eſſe debere hujuſmodi ſive ſervitute, ſive opinionum neceſſitate: id nuperrimi quoque duo Generales confirmavere Conventus: quidquid in Eccleſia Catholica liberum & arbitrarium, idipſum & apud nos fore: nos Cleri alumnos, nos Sorbonicæ maximè ſcholæ admiratores, eadem opinandi & ſentiendi libertate, eadem uſuros modeſtia, nulli aſtrictos parti, nullius in verba juratos; Auguſtino & Thomæ nos potiſſimum aſſurgere, ſed eo maximè nomine, quòd nemo Catholicus, nemo inter Catholicos ſobrius ſit, qui non ſe illorum doctrinam ſectari præ ſe ferat. Quod autem inter ſe quandoque diſſentiant, qui Auguſtino, & Thomæ ſe aſſentiri venditant, id modicè ferendum, cùm & ipſa Scriptura à Catholicis etiam ſectatoribus ſuis in varios ſenſus trahatur, colatur tamen ab omnibus.

XX. Hac opinionum libera & verſatili licentia, quæ uni ſe Eccleſiæ Catholicæ, uni fidei Orthodoxæ regulæ aſtringi ſinit, nihil ad pacem, nihil ad animorum concordiam alendam, nihil ad veritatem ubi latet adhuc explorandam, ubi caligat elucidandam accommodatius eſt. Multa ad eum modum in dies è latebris in lucem eruuntur, magno ſacræ etiam eruditionis & divinarum litterarum incremento. Inexhauſtum eſt penu Theologiæ Patrum. Hinc nova in dies effodiuntur abſtruſarum rerum elucidamenta, *nova, & vetera*. Pauca ad fidei regulam pertinent, plurima ad ejus illuſtrationem. In illa conſentimus omnes, in his non rarò diſſonamus, aut diſſonare nobis videmur. Verborum magis nonnunquam, quàm rerum diſſonantia eſt. Aut ſi rerum eſt diſcrepantia; non tam adverſa ſæpe, quàm diverſa ſunt quæ dicuntur. Fruſtula ſunt unius & ejuſdem veritatis, ſibi unius & ſimpliciſſimæ, nobis multiplicis & opulentiſſimæ. Diſſentire nobis videbamur in prædeſtinatione gratiæ, vel ex meritis, in auxiliis item utrique conſentientibus: & ecce non ita pridem utrique dogmati ſuam conſtare fidem diluceſcere rurſum cœpit, alteri ad ſtantis & ſani, alteri ad lapſi & reparati hominis ſtationem aptando. Congruæ & prædeterminantis gratiæ authores capitales inter ſe inimicitias videbantur exercere, in ſcholis certè ſuis, non extra. Atqui confeſſus & ipſe ſum, non aſpernandis ducibus obſecundans, poſſe aliquando ad congruas gratias accedere etiam prædeterminantem. Congruæ gratiæ defenſoribus non ſatis convenire videbatur, aliis gratiarum multitudini, aliis uni gratiæ, unique impulſui totam eam adſcribentibus efficaciam. Rurſus non defuere vel authores, vel rationes, quibus aſſentirer, aliquando uni, ſæpiùs multiplici gratiæ adjutorio totam illam à Deo committi vim victricem. Ita differenabuntur non tam diſſenſiones, quàm diſſenſionum forſan plures ſuſpiciones, ſi veritatis ſtudio accedat & charitatis atque unitatis amor. Latitudine charitatis, ut loquitur Auguſtinus, dilatabuntur & ingenii ſinus. Veritatis enim infinitæ magnitudini capiendæ ſola par eſt charitatis amplitudo.

XXI. Non immerito igitur & Præpoſiti & Conventus Generales noſtri, nulli nos voluere addictos, niſi Catholicæ fidei, & Eccleſiæ, cujus in ſinu nulla non veritas, aut patet, aut deliteſcit; quæ delituit autem aliquandiu, ſubinde pateſcere rurſus incipit, dum avitarum traditionum, Conciliorum, Patrum monumenta excutiuntur, non ad fidem tantum, ſed & ad ea quæ fidei utcumque conjuncta videntur, illuminanda. His præſtructis facilè ut ſpero condonabitur, ſi quid in ipſo æſtu argumentandi, & noſtras declarandi, alienas infirmandi opiniones, amarius aliquando dictum eſt. Non alio noſtra hæc omnia ſpectant, quàm ut rebus hinc & inde ventilatis & omni ſtudio illuſtratis, ita veritas magis magiſque pateat, ut inter Catholicos Magiſtros & Scriptores nec vel tantillum charitas deferveſcat.

INDEX CAPITUM HUJUS TOMI.

LIBER PRIMUS.

CATUT I. De notitia Dei innata vel agnata, quid senserint Philosophi sæculares. Pag. 1

CAP. II. Alia eorundem Philosophorum argumenta ad idem asserendum. 3

CAP. III. Notitia Dei innata vel agnata omnium hominum mentibus probatur sanctorum Patrum suffragatione. Ac primò ex reliquiis primigeniæ felicitatis. 5

CAP. IV. Idem sancti Patres probant ex humani generis ad unius Dei confessionem consonantissima conspiratione. 7

CAP. V. Idem iidem probant ex innato appetitu summi boni. 10

CAP. VI. Eandem notitiam colligunt ex judicio & lumine, quo naturaliter justa ab injustis discriminamus. 11

CAP. VII. Idem declarant ex inscripta cordibus lege naturali. 12

CAP. VIII. Idem colligunt ex cognatione mentis cum Deo. 13

CAP. IX. De ingenita vel obversante animæ, sui suæque immortalitatis & immaterialitatis notitia, quid Philosophi decreverint, ex Tullio primùm. 15

CAP. X. De eadem ex Plotino innata animæ suimet notitia. 17

CAP. XI. De eadem ex Tertulliano innata animæ suimet, suæque immortalitatis notitia. 19

CAP. XII. De eadem ex Augustino innata animæ, sui suæque immortalitatis notitia. 20

CAP. XIII. De eadem rursus ingenita animæ notitia sui, ex eodem Augustino & aliis Patribus. 21

CAP. XIV. Superioris doctrinæ elucidamenta quædam & corollaria. Ac primò quòd multa intelligamus nullo corporis sensu hausta, ex sanctis Patribus. 23

CAP. XV. Quæ mens per sese intelligit, multò clariora & evidentioria esse, quàm quæ per sensus. 26

CAP. XVI. Multa clariùs à nobis de Deo & anima nostra sciri, quàm de rebus corporeis. 27

CAP. XVII. Anima ex seipsa, quàm ex orbe toto Deum clariùs & certiùs intelligit. 28

CAP. XVIII. Ita per se nobis notum est Deum esse, sed magis quòd sit, quàm quid sit. 30

CAP. XIX. Supra vim intelligendi est sensus quidam arcanus, quo Deus tangitur magis quàm cernitur aut intelligitur. ibid.

CAP. XX. Alia corollaria supra positæ doctrinæ. 31

CAP. XXI. Existentia Dei ex operibus creatis demonstratur. 32

CAP. XXII. Existentia Dei demonstratur ex mentis progressu per sensibilia supra sensibilia. 35

CAP. XXIII. Existentia Dei demonstratur ex immutabilibus sapientiæ, numerorum, figurarumque regulis, animæ rationali semper conspicuis & jugiter obversantibus. Primùm ex Augustino. 38

CAP. XXIV. De eodem ex aliis Patribus. Ut ex immutabilibus sapientiæ, numerorum, figurarumque regulis, animæ rationali semper conspicuis & jugiter obversantibus, existentia Dei demonstretur. 41

CAP. XXV. De eodem ex antiquis Philosophis, ut per Arithmeticas & Geometricas disciplinas, ut insitis animæ cognitionibus affectibusque pulcri bonique, ut entium gradatione, existentia tandem divina demonstretur. 44

CAP. XXVI. Quid ex suprà relatis tum Philosophorum tum sanctorum Patrum placitis pro animæ immortalitate colligi possit. 46

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. Deum unum esse demonstratur, tum ex innata notitia, tum aliis argumentis. 49

CAP. II. Deus est ipsa unitas, ipsum unum, ente & mente superius, ex antiquorum Philosophorum placitis, ad veri trutinam posteà expendendis. 51

CAP. III. Quòd Deus sit ipsa unitas, ex sanctis Patribus ostenditur; ad eorumque trutinam expenduntur placita Philosophorum superiori capite explanata, de uno, de ente, de mente. 54

CAP. IV. Quæ de ipso uno supra ens & supra mentem evecto dicta sunt, accommodatè ad personam Patris dicta esse; quæ de ente & mente ab ipso uno manante, ad personam Verbi. Ut divina Trinitas ipsamet sit unitas. 58

CAP. V. An verè existimaverint sancti Patres consubstantialem personarum divinarum unitatem agnovisse Philosophos Platonicos. 61

CAP. VI. Deus est ipsum unum & supra unum, à quo fluunt, ad quod refluunt omnia. 64

CAP. VII. Deus est ipsum bonum, summum bonum. Ipsum unum est ipsum bonum. Sententiæ Philosophorum, ad limam sanctorum Patrum postea exigendæ. 66

CAP. VIII. Quæ capite superiori prælibata sunt de summo bono ex Philosophis, hìc expenduntur ad trutinam sanctorum Patrum. 68

CAP. IX. Continuatur eadem censura placitorum Philosophicorum ex eadem sanctorum Patrum norma circa ipsum bonum. 71

CAP. X. De malo, Philosophorum placita obiter recensentur. 73

CAP. XI. De malo, sanctorum Patrum doctrina explanatur. Ac primùm de malo extra naturas rationales & liberas. 77

CAP. XII. De malo, sanctorum Patrum doctrina explanatur, eo nimirum quod naturas rationales & liberas afficit. 82

LIBER TERTIUS.

CAPUT I. DE Ente primo & de Mente prima quid senserint antiquissimi Philosophi; quid sensisse adhibita ex ipsismet censura existimandi sunt. 87

CAP. II. De ente primo primaque mente antiquorum Patrum sententiæ, ubi alludant Philosophicis placitis, ubi advertentur. 91

CAP. III. Ex sanctis Patribus Græcis Latinisque Deus est ipsum esse. 94

CAP. IV. Ipsum esse quandoque Patri, quandoque Verbo specialiter attributum. Comparatione Dei non est, quidquid Deus non est. Amando & videndo ipsum esse, esse incipimus. 97

CAP. V. De Veritate. Inesse naturaliter omnibus aliquam ejus sitim ac notitiam. Superesse ejus aliquam intuitionem, hoc est, intelligentiam, in primis principiis & regulis incommutabilibus, quæ in ipso æternæ veritatis lumine videntur. 103

CAP. VI. Rursum de Veritate. Quòd sola sit omnium vera intelligentium Magistra; Magistri autem qui dicuntur, monitores sint. Quòd eam suis mentibus præsidentem omnes consulant pro intelligendis veris, pro dirimendis litibus, pro moribus regendis, pro componenda vita. 107

CAP. VII. Rursum de Veritate. Quanta sit ejus cum mentibus nostris cognatio. Quàm certa sint quæ per eam intelligimus. Veritatem magis propriè esse in intelligibilibus, verisimilitudinem in sensibilibus. Superesse post lapsum repentina aliqua Veritatis coruscamina. 111

CAP. VIII. Quomodo Veritas alloquatur Angelos animasque rationales, corporibus absolutas, vel innexas per sese, vel per creaturæ ministerium multiplex. De symbolis Veritatis per Angelos fabricatis. Ut Angeli alloquantur Deum. 115

CAP. IX. Continuatio ejusdem argumenti, ut Deus animas alloquatur, tanquam Veritas sempiterna & incommutabilis; sive per se, sive per Angelos, sive per creaturas alias eas alloquatur. 119

CAP. X. Quomodo æterna Veritas Deus dæmones & malos homines alloquatur. 122

CAP. XI. De ideis in summa veritate Verbo divino radiantibus. Quid Plato primùm, quid Platonici de illis senserint. 124

CAP. XII. Ideas in mente divina collocandas, nec alibi vel à Platone vel à Platonicis collocatas esse, consentiunt sancti Patres. 129

CAP. XIII. Sententia Platonis refertur & refellitur rerum omnium species & ideas nascentibus infundi nobis, vel potiùs ex anteacta vita residuas superesse, & per reminiscentiam renovari. 132

CAP. XIV. Eadem Platonicorum doctrina de reminiscentia ex sanctis Patribus refellitur 135

CAP. XV. Explosa reminiscentia Platonis, panditur via, qua intelligibilis veritas idearum ab humana nunc mente intelligitur. Primùm ex Augustino, id fieri immediata & jugi præsentia veritatis & mentis. 138

CAP. XVI. De eodem ex eodem Augustino & aliis Patribus: ex immediata præsentia intelligibilium regularum veritatis seu idearum & mentis nostræ, respondere & judicare nos de justis & injustis, veris & falsis. 141

CAP. XVII. Veritatis, sapientiæ, justitiæ, virtutumque omnium ideas, seu formas incommutabiles imprimi mentibus moribusque nostris. 144

CAP. XVIII. Ideas in Deo esse, in Verbo esse, ipsum Verbum esse, ex sanctis Patribus; sacram omnem æquè ut humanam sapientiam, Philosophiam, Theologiam, ex idearum contemplatione pendere. Quid sint ideæ. 147

CAP. XIX. De pulcro & pulcritudine quid Plato senserit, quid cæteri Platonici. 153

CAP. XX. De pulcritudine Dei & Deo quid Ecclesiæ Patres senserint. Item de pulcritudine à Deo in animas effluente. 158

CAP. XXI. De pulcritudine à Deo per mentem in animam, per animam in corpora defluente, sive naturalia, sive artefacta. 161

CAP. XXII. De amore quid antiquissimi Philosophi scripserint. 164

CAP. XXIII. De amore Dei & Deo amore quid Patres Latini senserint. 166

CAP. XXIV. De amore Dei & amore Deo quid Græci Patres senserint. 168

CAP. XXV. De vita Dei ex Græcis Patribus, & antiquis Philosophis. 169

CAP. XXVI. De vita Dei ex Latinæ Ecclesiæ Patribus. 173

LIBER QUARTUS.

CAPUT I. NEc corpus, nec corporeus est Deus, ex sanctis Patribus. Qui divinæ simplicitatis fuerint adversarii. 179

CAP. II. De divina incorporeitate & simplicitate quid senserint prisci Philosophi. 183

CAP. III. Rursus ex sanctis Patribus demonstratur Deum incorporeum esse, ex eo quòd nec anima corpus sit. Item quòd solus omnino incorporeus sit Deus. Denique ex eo quòd veritas sapientia & justitia sit. 186

CAP. IV. Simplicitas Dei elimatiùs tractatur, & multa compositionum genera minuscula ab eo abstergentur. Quæ maculæ compositionem quamcumque dehonestent. 191

CAP. V. Radices divinæ simplicitatis vestigantur, & ex illis compositionis rursus omnia genera à Deo depelluntur. 195

CAP. VI. An ultra promoveri possit divina simplicitas? An de Deo demonstrativè aliquid & propriè, vel impropriè tantùm & symbolicè dici possit aut cogitari? Ex antiquis Philosophis. 198

CAP. VII. De eodem, an propriè & demonstrativè, vel impropriè tantùm & symbolicè dici quidpiam & cogitari possit de Deo: cùm sancti Patres censeant Deum non posse meliùs sciri quàm nesciendo; & sciri tantùm de eo posse quòd sit, non quid sit. 201

CAP.

CAP. VIII. Rursum sciri & intelligi posse quòd sit Deus, non verò quid sit, ex Basilio, Gregorio Nysseno, Chrysostomo. 205
CAP. IX. Ex aliis Patribus Græcis & Latinis, de eodem, sciri posse quòd Deus sit, non quid sit. Nihil de Deo propriè dici posse. 210
CAP. X. Nihil propriè de Deo dici posse, omnia superlatè de eo dici, omnia de eo ut omnium causa & authore dici. 213
CAP. XI. Indigna de Deo dici in Scripturis, ut & quæ digna videntur, æquè removeantur. Deus nec justitia nec sapientia est, ut à nobis capitur & dicitur; sed silentium ineffabili cordis voce laudandum. 215
CAP. XII. Summatim perstringuntur rationes doctrinæ suprapositæ de summa & incomprehensibili Dei simplicitate. Solvuntur objectiones. 223

LIBER QUINTUS.

CAPUT I. De immensitate Dei quid senserint exteri Philosophi, & quæ illi fundamenta adsignaverint. 229
CAP. II. Ut immensitatem Dei imitentur naturæ creatæ, juxta eosdem Philosophos. 231
CAP. III. Ut immensitatem Dei exponant Ecclesiæ Doctores. 233
CAP. IV. Etsi ubique substantialiter adsit Deus, operatione tamen sola præsentem sisti, juxta eosdem sanctos Doctores. 238
CAP. V. Ut immensitatem Dei æmulentur creaturæ potissimum intellectuales juxta sanctos Patres, utque in loco sint. 244
CAP. VI. De immutabilitate Dei doctrina Platonicorum explanatur, & quinque ejus fontibus indigitantur, unum, bonum, ens, mens, pulcrum. 247
CAP. VII. Immutabilitatis divinæ sparsa per naturas creatas vestigia explorantur, ex eorundem Philosophorum placito, & primò ut corporum motus & quies ad animæ & Dei stabilitatem imitandam aspiret. 251
CAP. VIII. Immutabilitas Dei declaratur ex sanctis Patribus. Et primò quòd ejus notitia omnium mentibus sit anticipata. 255
CAP. IX. Deus nec cùm creare incipit, mutatur; nec cùm humanos affectus induit. 261
CAP. X. Ut creatæ naturæ Creatoris incommutabilitatem adumbrent juxta sanctos Patres, non assequantur. 264
CAP. XI. De æternitate quid decreverit antiqua Philosophia. 271
CAP. XII. De æternitate Dei sanctorum Patrum doctrina, ac primò ejus definitio. 275
CAP. XIII. Æternitas soli Deo competit; Deus omnia tempora non tempore, sed æternitate antecedit; æternitati divinæ omnia tempora, etiam præterita & futura, coram astant, & præsentia sunt. 279
CAP. XIV. De tempore & ævo sanctorum Patrum sententiæ. 285
CAP. XV. Ut tempus & ævum creaturæ Creatoris æternitatem imitentur ex sanctis Patribus. 291

LIBER SEXTUS.

CAPUT I. De intuitu & fruitione primæ mentis seu Verbi divini, quid decreverit Philosophia sæcularis. 296
CAP. II. Visio, seu potiùs contemplatio æternæ veritatis mentibus creatis & animabus rationabilibus quasi connaturalis est. 300
CAP. III. An omni, an corruptibili tantùm corpore Philosophi sæculares senserint exuendas esse animas ad perspicuam Dei visionem. 305
CAP. IV. A beatis mentibus Verbum videri senserunt hi Philosophi, non alia specie quàm ipso Verbo: omnia videri, non tamen æqualiter ab omnibus. 309
CAP. V. De contactu magis quàm contuitu summi boni & unius, beatis mentibus & animabus competente ultra contuitum Verbi, Philosophorum placita exprompuntur. 311
CAP. VI. De visione Dei, seu intelligentia juxta sanctos Patres Angelo hominique in ipso eorum conditu indulta & quasi congenita. 319
CAP. VII. Variæ ex sanctorum Patrum testimoniis exprimuntur rationes, ad eandem Dei claram contemplationem seu intelligentiam Angelo hominique dum conderentur vendicandam. 324
CAP. VIII. Aliæ rursum rationes ad eandem intelligentiæ divinorum claritatem adserendam Angelis hominibusque in primo sui ortu. 328
CAP. IX. Aliæ ad hoc ipsum rationes; ut clara æternorum intelligentia conditis statim Angelis hominibusque concedatur. 331
CAP. X. De visione Dei juxta sanctos Patres mortalibus post peccatum hominibus, vel instar crepusculi ex priori die residua, vel instar diluculi ex futuro anticipata. Et primò etiamnunc multa à nobis intelligi sine phantasmate, sine sensuum ope. 337
CAP. XI. Ejusdem argumenti continuatio de reliquiis primigeniæ in Paradiso contemplationis divinæ. Nempe de raptibus piarum mentium in Deum. 343
CAP. XII. Rapida tantùm & momentanea futuræ visionis Dei nunc coruscamina concedi, argumentis compluribus evincitur. 346
CAP. XIII. Visio illa quæ raptim fit, non fit nisi immediatè, hoc est sine specie creata impressa. 350
CAP. XIV. De visione Dei, Angelis post perseverantiam, & animabus sanctis hac mortalitate defunctis competente; & primò quòd Dei visio sit una & tota beatitas naturæ rationalis. 355
CAP. XV. De gradibus divinæ visionis. De cumulo gloriæ ultra merita. De siti in fonte ipso beatitudinis. 360
CAP. XVI. Non alia intelligibili specie, quàm Verbo ipso, Deus videtur à Beatis. De lumine gloriæ. 365
CAP. XVII. Beati in Deo omnia vident, an res creatas in seipsis, an nostras ærumnas, an damnatorum pœnas. 368
CAP. XVIII. An res sensibiles videant Beati ante resurrectionem. An Deum videant ante resurrectionem, an æquè perfectè. 372
CAP. XIX. De invisibilitate & incomprehensibilitate Dei. 375
CAP. XX. Incomprehensibilitas Dei novis argumentis astruitur. 379
CAP. XXI. Objectiones nonnullæ solvuntur. 383

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT I. AN in Deo sit scientia. Ut sciat omnia, qua summa veritas, qua prima mens, qua ipsum esse. 389
CAP. II. Ut naturas omnes, naturalia omnia & necessaria sciat & intueatur Deus in seipso, ut in causa prima & universali omnium & naturarum & motionum. 392
CAP. III. Eventa libera & futura contingentia quomodo sciat aut præsciat Deus. Multa ab eo sciri & præsciri, quorum causa & author non est; sciri, quia sunt; non esse, quia sciuntur. 396
CAP. IV. Multa à Deo sciri & præsciri, quæ ab eo nec fiunt, nec prædestinantur. 399
CAP. V. Prædestinat Deus ad supplicia, non ad peccata. Ultor peccatorum est, quia non est author. Multa scit, præscitque, non ut causa, non ut author. Nullo Dei decreto præfiniuntur actiones malæ. 403
CAP. VI. Creat Deus mala, non aliter quàm pœnas irrogandas malis. Mala pœnæ facit, non culpæ. Effatum illud, Quidquid est, in quantum est, bonum est, & proinde à Deo est; ad naturas pertinet, non ad actiones, apud sanctos Patres. 405
CAP. VII. Rursum idem demonstratur ex Augustino & aliis Patribus; nempe axioma illud, Quæcumque sunt, in quantum sunt, bona sunt & à Deo sunt; &, Entia omnia à Deo sunt, ad naturas & substantias, non ad actiones quaslibet motionesve distortas pertinere. 408
CAP. VIII. Ex Anselmo & Augustino demonstratur, ut ad actiones quoque pertineat illud, Quæcumque sunt, quà sunt, bona sunt, & à Deo sunt; utque voluntas creata à Deo simul mota, hinc ut creaturis utatur, hinc ut Deo fruatur, eò peccet, quòd motiones has frustretur, illis obsequatur. Ita peccatum nihil est, peccati causa deficiens est. 411
CAP. IX. Non prædeterminari voluntates creatas ad consensionem mali à Deo, nec inde peccatorum futurorum præscientiam illi tribui posse, probatur ex bipartita secundùm sanctos Patres Dei providentia, in ea quæ ipse facit, & ea quæ fieri permittit. 414
CAP. X. Prima Angeli hominisque antè innocentis voluntas mala non potuit à Deo esse, nisi permittente. Ex quo uno efficitur, non prædeterminatione, non decreto ullo Dei efficacissimo, actiones malas aut ab voluntate creata fieri, aut à Deo præsciri. 418
CAP. XI. Non omnis voluntas, sed omnis potestas etiam mali à Deo. Ideo Deus author peccati non est. Ideo omnipotens est, quia omnium potestatum dator est, non voluntatum. 422
CAP. XII. Deus usque adeo voluntates peccandi non decernit, non facit; ut nec excæcare, nec indurare existimandus sit, nisi vel permittendo, vel occasiones excitando ob peccata præcedentia. Ex Augustino. 425
CAP. XIII. De eodem ex aliis Patribus Latinis, Deum excæcare & indurare, non inspirando malitiam, non instigando, non decretis, non motionibus suis: sed deserendo, & occasiones excitando, quibus voluntates jam olim malæ & criminosæ huc vel illuc ferantur. Item ex antiquis Scholæ Theologicæ Proceribus. 428
CAP. XIV. De eodem ex Patribus Græcis, Deum excæcare & indurare, non decretis, non motionibus suis, sed deserendo, &, ut summum, occasiones excitando, quæ cùm in bonum per sese inducant, in malum mala voluntas iis abutitur. 432
CAP. XV. Deus voluntates malas non creat, sed ordinat; naturas omnes creat, voluntates ordinat, bonas in præmiis, malas in suppliciis. Ita Omnipotentis voluntas invicta semper est. Primùm ex Augustino. 434
CAP. XVI. De eodem ex aliis Patribus. Deus omnes naturas creat, voluntates omnes non creat, sed ordinat, vel in præmiis, vel in suppliciis; & ita invicta & omnipotens semper est Dei voluntas. 437
CAP. XVII. Quæ Deus mala facturus non est, sed tantùm permissurus, bona item quæ facturus est, non tamen indeclinabili adjutorio: ea ille non præscivit aut prævidit futura in decretis suis; sed præsentia scivit viditque in æternitate sua. 441
CAP. XVIII. Etiam præscire dici potest Deus ea quæ non videt nisi præsentia in æternitate sua; horum etiam causa dici potest ejus scientia. 444
CAP. XIX. Ut sine decretis, & sine motionibus prædeterminantibus omnipotentem & invictissimam Dei voluntatem tuiti sint sancti Patres, & ante alios Augustinus, in eventis contingentibus & liberis voluntatis creatæ. 447
CAP. XX. Ex eodem rursus Augustino, Ut invicta semper victrixque sit Dei voluntas, bipartito providentiæ opere, bonos juvans & remunerans, malos plectens, nullis universim decretis aut motionibus prædeterminantibus, nisi eo qui hìc exponitur modo. 451
CAP. XXI. Ex aliis sanctis Patribus Latinis eadem firmatur doctrina de decretis divinis bicorni providentia invictis, juvando & præmiando bonos, malos plectendo vel reparando. 455
CAP. XXII. Ex Patribus Græcis de eodem, ut Dei invicta sit voluntas, & invicta decreta, per bicipitem providentiam, omnia vel faciendo, vel permittendo, & mala bene vertendo dispensantem. 458
CAP. XXIII. Futura conditionata libera, quæ nunquam futura sunt, an decretis suis præfiniat Deus, an præscientia sua complectatur. 460

LIBER OCTAVUS.

CAPUT I. QUid & quotuplex sit prædestinatio. Est & in malum, pœnæ, non culpæ. Quid electio gratiæ; ejus varia nomina, dubia, hostes. Quid præscientia prædestinationi conserta. Electio ad gloriam & ad merita. Utra prior. De discretione à massa perditionis. 464
CAP. II. De prædestinatione Angelorum. Meritorum illa, non gratiæ prædestinatio fuit. De duplici adjutorio, *quo*, & *sine quo non* agitur bonum. Discrimina utriusque prædestinationis, Angelorum & hominis lapsi. 467
CAP. III. Rursus de prædestinatione Angelorum ex prævisis meritis, nova Augustini argumentatio.

tio. Cæterorum Latinorum Patrum consentanea illi suffragia. Solutiones objectionum ex Augustino, ex Fulgentio, ex Bullis Pontificum petitarum. 471
CAP. IV. Prædestinatio hominum post lapsum Adæ antevenit & dat omnia merita. Varia ad id argumenta ex Augustino. Et primùm tria ex comparatione cum prædestinatione Angelorum petita. 475
CAP. V. Alia tria argumenta ad gratuitam hominum prædestinationem post lapsum. Invictissimæ Dei voluntati & omnipotentiæ imputatur salus Electorum. Justificatio & perseverantia, omnia denique salutis indubiæ munimenta, his conceduntur, qui à perditionis massa secreti sunt; aliis non conceduntur, quia ab eadem secreti non sunt. 477
CAP. VI. Alia rursus argumenta ad eandem gratuitam hominum post lapsum prædestinationem, ducta à vocatione Dei secundùm propositum; à prædestinatione parvulorum, & eorum qui præripiuntur incertis vitæ periculis; denique à prædestinatione Christi. 480
CAP. VII. Alia rursus argumenta ad gratuitam Dei post lapsum prædestinationem. Querelæ Massiliensium. Præfinitus Electorum numerus. Inscrutabile arcanum, cur hic, non ille tingatur, vocetur, perseveret. Oracula Scripturarum huic sententiæ consonant, quæ in fidei tamen decretum recepta non est. 483
CAP. VIII. Cæterorum post Augustinum sanctorum Patrum Latinorum consensio in eandem gratuitæ prædestinationis sententiam. 487
CAP. IX. De reprobatione Angelorum atque hominum; eam nec negativam esse potuisse ante præscita peccata; post ea præscita etiam positivam esse potuisse. 492
CAP. X. Respondetur objectioni, quæ illos attingit, qui justificati, nec tamen à massa damnationis discreti esse dicuntur. 494
CAP. XI. Solvuntur aliæ adversùs ea quæ de prædestinatione & reprobatione disputata sunt. Massiliensium placita & querelæ. Responsa Prosperi & Augustini. Cautiones & monita ad doctrinam de prædestinatione gratiæ. 497
CAP. XII. Observantur aliqua circa suprapositas objectiones, objectionumque solutiones. De gratia quæ non subtrahitur justis cadentibus. Nil Deo futurum, ideo nec præscientia propriè, nec prædestinatio. De ordine decretorum Dei. Quid de fide sanxerint Concilia & Pontifices. 500

LIBER NONUS.

CAPUT I. Quod præfationis instar habet in hunc librum. 504
CAP. II. Fidei sanctiones & disceptationes Theologicas unanimi Patrum consensu finiendas: nec inter eos ulla sententiarum dissidia fingi debere. 506
CAP. III. Pelagiani & Semipelagiani incunctanter & constantissimè in Oriente damnati sunt à Græcis, æquè ut in Occidente à Latinis. 508
CAP. IV. Augustinus sua omnia ex antiquis Patribus & Græcis & Latinis mendicata esse professus est. 510
CAP. V. Idem concentus utriusque Ecclesiæ Patrum in hac materia ex Prospero & Fulgentio, ex Synodis generalibus: aliqua sigillatim de Hieronymi & Chrysostomi consensu cum Augustino. 515
CAP. VI. Idem necessarius Patrum Græcorum Latinorumque consensus declaratur ex Concilio Florentino, ubi non aliter utriusque Ecclesiæ concordia sancita est. 518
CAP. VII. Prævenientis gratiæ necessitas, prædestinatio gratiæ, gratiæ efficacia tum quoad conversionem, tum quoad perseverantiam, ex æterno Dei proposito deprompta, ostenditur ex Græcis Patribus, Clemente Romano, Ignatio, Justino Martyre, Irenæo. 522
CAP. VIII. Eadem gratiæ prævenientis necessitas, electio gratiæ, gratia ex Dei beneplacito invicta, & ad exordia & ad exitum salutis, demonstratur ex Clemente Alexandrino & Origene. 527
CAP. IX. Eadem electio gratiæ, eadem gratia tum præveniens, tum conversionis & perseverantiæ efficax, declaratur ex Eusebio pluribusque apud ipsum Scriptoribus. 531
CAP. X. Tria eadem conserta sibi capita probantur ex Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nysseno, Basilio, Ephremo. 533
CAP. XI. Eadem gratia meritum omne anteveniens efficiensque, & ab æterno gratis præparata probatur ex Athanasio & Cyrillo Alexandrinis Episcopis. 538
CAP. XII. Gratia præveniens, gratia conversionis & perseverantiæ effectrix, gratis ab æterno prædestinata, ex Chrysostomo demonstratur. 545
CAP. XIII. Ex eodem Chrysostomo, demonstratur gratia præveniens, conversionis & perseverantiæ effectrix, gratis ab æterno prædestinata. 550
CAP. XIV. Aliorum conglobantur Græcorum Patrum suffragia, pro gratiæ prævenientis & efficacis ad conversionem & perseverantiam necessitate, item pro electione gratiæ. 555
CAP. XV. Sententia Græcorum monasticæ vitæ Antistitum, de gratia & prædestinatione, & ipsa veritati atque Augustino consona. 559
CAP. XVI. Latinos Patres Augustino antiquiores in eadem cum ipso sententia fuisse monstratur, de efficaci ad conversionem & perseverantiam gratia, item de gratuita prædestinatione. 564
CAP. XVII. Hieronymi doctrina Augustino consentanea, in gratiæ & gratuitæ prædestinationis dogmatibus. 570
CAP. XVIII. Ex Augustino, ipsiusque testimoniis, ubi eadem verba eademque sensa usurpantur, evincitur Græcos Latinosque ante ipsum Patres idem cum ipso sensisse, de gratia conversionis & perseverantiæ donatrice, itemque de electione gratiæ. 574
CAP. XIX. Reliqui Patres Latini qui ante Augustinum, ejus de gratia & prædestinatione absoluta sententiam amplexi sunt. 577

LIBER DECIMUS.

PRÆFATIO.

IN qua libri hujus tertii scopus declaratur: tres de invictissima gratiæ efficacia sententiæ Catholicorum Theologorum proponuntur, tertia eligitur, citra aliarum vel invidiam vel præjudicium. 580

CAPUT I. Gratiæ invictissimæ efficaciam in complurium intus & foris auxiliorum collectione, varietate, congruitate, conspiratione, in prosperorum & adversorum, in amoris & timoris congrua dispensatione sitam esse, probatur primò ex Dei apud Oseam verbis. Ubi Deus homines ad se revocat objecta impossibilitate & desperatione deliciarum, honorum, opum, & quantulæcumque felicitatis, nisi ad ipsum revocatur; horum autem quæ non possumus non concupiscere, copia & facilitate, si nos ad eum conferamus. 581

CAP. II. Idem demonstratur ex verbis Moysis, Isaiæ, Danielis, Ezechielis, sed ex Jonæ potissimùm & Jeremiæ exemplo, quorum ille cùm restitaret divinæ voluntati, tempestate & naufragio; hic ne restitaret, blandimentis & pia salubrique obreptione ad obsequium perductus est. 583

CAP. III. Genus humanum & quilibet homo singularis per quatuor spiritales ætates circumagitur; ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Duæ priores nihil aliud quàm longis & permultis primùm ignorantiæ, deinde infirmitatis nostræ experimentis, elidunt superbiam, cœlestem medicinam optare, suspirare, implorare suadent, & ita præparant aptantque ut Christus cum gratia adventans hominemque justificans suscipiatur. Invicta efficacia hujus gratiæ non in unius motionis abrupto impulsu tota est, sed in illa dispensatione plurium omnis generis auxiliorum diuturnæque curationis. 585

CAP. IV. De eodem prolixiùs, Christus non statim ab exordio illuxit orbi, charitas non statim, sed post diutina ignorantiæ & infirmitatis experimenta infunditur, quia alioqui ab homine suis viribus præfidente repudiaretur. Hac ergo mora, hac malorum experientia fit, ut homo gratiæ, gratia homini congruat, & ex hac congruitate existit gratiæ efficacia, hominis obsequium. Quod de Israelitis dictum, id ad Gentiles quoque utcumque pertinet. Et hi ante legem & sub lege fuerunt ante Christi adventum, utraque statione hac dedolati aptatique sunt, ut illis gratia, ut Christus congrueret. 586

CAP. V. Christus incarnatione, nativitate, passione, morte, resurrectione sua visa congrua exhibuit, ad consensum & amorem nostrum captandum vi etiam tam efficacis objecti. Potentissimè enim amorem provocat amor antè impensus, & à Deo hominem amare occupante, & hominem peccatis ærumnisque immersum, & tam impensè denique amante. Sive physicè, sive moraliter moveatur ab objectis voluntas, minùs laborandum, dum moveatur validissimè, quod experimentis constat quotidianis. 588

CAP. VI. Per peccatum in sensibilia delapsi, jam sensuum servituti, consuetudini, & voluptati ita eramus mancipati, ut assurgere ad spiritalem justitiæ amorem non possemus. Ideo se justitia & sapientia sempiterna Deus Verbum sensibili vestivit natura, & ea cujus amore potissimùm ardebamus, nostra videlicet, ut carnali sapientiæ & justitiæ amori assentiremur priùs, ita affectus cæteros paulatim edomaremus huic repugnantes, ita demum locus fieret spiritali charitati justitiæ. Qui circuitus frustra esset, si una prædeterminans motio æquè ab exordio consensionem nostram exprimeret in spiritalem amorem. 589

CAP. VII. Continuatur idem argumentum, & exporrigitur ad alium carnalem Dei amorem, quo anima suæ utilitatis gratia Deum amat, & ita gradatim crescit, ut Deum propter seipsum aliquando castè possit diligere. Qui anfractus rursum supervacaneus foret, si consensum in amorem castum unus extorqueret impulsus motionis unius vel delectationis victricis & omnipotentis. Eodem pertinet distributio in servos, mercenarios, & liberos, à sanctis Patribus celebratissima. 591

CAP. VIII. Parabola filii paterna bona obligurientis docet nos Christus, peccatores omnes ærumnis, infortuniis, ignominia compelli, ut ad Deum se recipiant. Exordia hæc pœnitentiæ parum casta illa quidem sunt, servorum videlicet, aut mercenariorum ingenium redolentia, sed accommodata præsentibus animi affectibus, eòque efficacia. His autem semel avulsi à peccandi consuetudine, assuescunt paulatim degustare justitiæ suavitatem, eaque una deinceps delectari, à qua priùs abhorrebant. 593

CAP. IX. Antedicta firmantur exemplo Pauli, quem Christus coegit, cui vim fecit, quem cæcitate compulit ad Ecclesiam. Hæc enim omnia frequens inculcavit Augustinus ad efficaciam gratiæ demonstrandam. In ejusmodi exemplis affectus alii aliis perfringuntur, & ita vim sibi affert homo ipse. 594

CAP. X. Israelitas temporalium bonorum cupidissimos hoc ipso carnali amore Deus sibi devinxit, ut hæc donans quæ amarant, amaretur. Id enim non ægrè persuadebatur. Sed gradatim fiebat, ut ista ubertim & sæpiùs dans & reddens, propter seipsum etiam amaretur. Amatur enim primò beneficium, inde & ipse beneficus. Denique eò res perducebatur, ut Deus amaretur, etsi temporalia non daret, imò ut impensiùs amaretur donans æterna. Idem amoris progressus & in singulis sub novo Testamento agentibus. 596

CAP. XI. Teresiæ errata ulciscebatur Deus tantò uberiore contemplationis & cœlestium deliciarum copia. Hæc beneficentia ultrix illam cruciabat, urebat, immutabat, emendabat efficacissimè. Carolus Borromæus opum dignitatumque terrenarum contemptum hausit ex ipsa earum undique affluentium ubertate. Utriusque ea erat natura, indoles, generositas, ut huic divinæ providentiæ & dispensationi congrueret. Alii aliter comparati rebus iisdem sequiùs & præpostere afficerentur. 597

CAP. XII. Universim omnes homines ab amore temporalium avocantur ad charitatem æternorum, amaritudinibus & ærumnis, quibus cœlestis gratiæ medicinale consilium aspergit terrena omnia delectamenta. Perdiu enim experti persuasique tandem dura hìc & amara esse omnia, aspiranti interiores delicias charitati lubentes consentiunt. Ex Augustino primùm. 598

CAP. XIII. Idem ex Gregorio efficitur. Impossibilitate

tate explendæ voluntatis malæ, malè & facere & velle cessant complures. Mutatio voluntatis sequitur, dum perfectio denegatur. Asperitas correptionis origo fit luminis. Pressuris & doloribus ad cœlestia impellimur, flagellis revocamur. 599

CAP. XIV. Idem ex aliis Patribus Latinis & Græcis. Natura ipsa nostra per peccatum ita elanguit, ut nisi asperitate tribulationum stimuletur & exacuatur, torpeat, & veterno quodam in voluptatum suarum luto consenescat. Rursum Ecclesia ipsa Christi virtutum splendore & laude longè florentissima fuit, quamdiu illam exagitarunt persecutiones, paci ejus & otio obrepserunt statim vitia & corruptelæ morum. 602

CAP. XV. Morbis & vulneribus perdomatur contumacia illa animi, quæ gratiæ cœlestis inspirationibus obluctabatur. Cùm enim vehementiùs anima morbos & dolores acerbissimos detestetur, quàm nugas illas amet, quæ à gratiæ obedientia illam alienant, ut illis sese expediat, has abjicit, & ita gratiæ & delectationi cœlesti consentit. Varia ejus rei exempla. 603

CAP. XVI. Alia accumulantur ejusdem rei exempla, ut morbis corporis animæ vitia expurgentur. 605

CAP. XVII. Gratia quæ ex Evangelicis verbis trahit, compellit, cogit, hoc est, gratia sive ad conversionem, sive ad perseverantiam efficacissima, constat etiam tribulationibus, & hæ vim habent perquam ingentem compellendi, trahendi, cogendi. Probatur ex Augustino, Gregorio, Bernardo. 606

CAP. XVIII. Gratia illa efficacissima qua Pater cœlestis trahit ad Filium, ut Filius ipse author est, Augustino & Bernardo interprete, per tribulationes & calamitates trahit, & ita ex invitis volentes facit. 608

CAP. XIX. Eandem gratiæ efficaciam demonstratur ex Gregorio Magno sitam esse in dispensatione misericordiæ, qua ita temperantur blanda & prospera, externa internaque visa, ut vocati consentiant, perseverent, salventur. 609

CAP. XX. In eadem prosperorum & adversorum dispensatione pia & misericordi efficaciam gratiæ invictam consistere, ex aliis Patribus ostenditur. 612

CAP. XXI. Illam lætorum & tristium dispensationem misericordiæ, & congruam alternationem significasse videtur Augustinus illis quos identidem admiratur, *miris & occultis & innumerabilibus modis*, quibus nos ad se Deus trahit. Item Prosper cùm *inscrutabilem unius gratiæ varietatem* prædicat. Nemo venit nisi trahatur, contra Collatorem, cujus doctrina ab Augustini & Gregorii sensu longè abest. 615

CAP. XXII. Timor pœnarum etiam temporalium valet quamplurimum ad carnalium animos movendos & excitandos, & plusculum etiam quàm charitas justitiæ, cujus rudes & impatientes tunc quidem sunt, utpote immersi carni & sensibus. At doloris & pœnarum seu metu seu sensu vehementer commoventur, & hac affectione dolorum pœnarumque aversatrice reliquas affectiones peccato implicatas & inimicas charitati profligant, & ita adducuntur, ut charitati consentiant. 616

CAP. XXIII. Timor pœnarum æternarum longè efficacior est ex Augustino. Is non manum tantùm, sed & consensum abstinet à peccato, & ipsa peccandi desideria excindit. Multis id argumentis demonstratur. Voluptas quæ ad peccandum illicit, inest operi, non desiderio peccati. Qui ne in æternum pereat, valedicit deliciis peccati, is & earum desideria sterilia & eidem pœnæ obnoxia ablegat utique. Ipsa per sese justitia amatur ab omnibus: resecatis peccati deliciis, nemo non consentit justitiæ. 618

CAP. XXIV. Non solùm peccatores ad conversionem, sed etiam justos ad bona opera, atque ad perseverantiam adjuvat plurimum, roboratque timor gehennæ. Itaque mortales omnes quantalibet sanctitate floreant, hujus timoris præsidio egent, quandiu nec cupiditas funditus extincta, nec charitas ad summum usque cumulum evecta est. Perfecta enim dumtaxat charitas foras mittit hunc timorem. 619

CAP. XXV. Quæ tribus superioribus capitibus uno ferè ex Augustino constituta sunt, ex Latinis aliis Patribus eadem approbantur. 620

CAP. XXVI. Item ex Patribus Græcis eadem timoris gehennæ vis & efficacia ad conversionem, ad bona opera, ad perseverantiam. 621

CAP. XXVII. Ex Augustino Martyres ipsi adminiculo timoris gehennæ persæpè egebant, ut lacerationem & carnificinam constanter ferrent. 622

CAP. XXVIII. Ex aliis Patribus idem argumentum pertractatur, sanctis Martyribus ad superanda tormenta charitati accessisse ad societatem certaminis & victoriæ timorem gehennarum. Ideoque non uni justitiæ delectationi semper, sed & timori pœnarum æternarum efficaciam ex parte aliqua tribui debere. 623

CAP. XXIX. Ex Augustino & aliis Patribus non amore æternorum bonorum, sed & timore sempiterni supplicii aguntur & incitantur tum pœnitentes, tum justi. Amor & timor Dei amorem & timorem sæculi superant consociatis viribus. Hi sunt enim affectuum omnium cardines. 624

CAP. XXX. A timore ad delectationem justitiæ venitur. Delectatio justitiæ non suis semper viribus victrix est, sed accessione timoris gehennæ. Nempe ubi delectatio cœlestis, delectatioque terrena exæquantur, in quodam velut æquipondio alternantes: tunc enim si charitati timor gehennæ accedat, conciliat illi victoriam. 626

CAP. XXXI. Exemplo Adami demonstratur non semper victricem & consensus voluntatis effectricem arbitramve esse delectationem justitiæ, etiam copiosiorem delectatione carnali. Nec enim in illo, vel in Angelis qui ceciderunt, infallibiliter efficax fuit gratia inspiratæ cœlestis delectationis. Quæ tamen plus valebat in anima quam nulla adhuc vitiasset labes carnalis concupiscentiæ. ibid.

CAP. XXXII. Cùm ait Augustinus, secundùm id nos operari necesse esse, quod magis delectat, 1. de habitu sive de affectu delectationis & amoris, non de actu intelligi se jubet. 2. Non de singulis omnino operationibus, sed de plerisque, quæ utplurimum scilicet, non semper, habitui animum occupanti consentiunt. 3. Augustinus generali huic regulæ exceptiones ipsemet non paucas commemorat. 628

CAP. XXXIII. Inter exceptiones generali illi regulæ adhibendas primaria est, quæ ad gratiam Angelorum & hominis innocentis spectat. Hæc enim ex Augustino ipso erat gratia incredibilis cujusdam delectationis, nec tamen secundùm eam operati sunt. Frivola cavillatio ajentium, peccato effectum esse, ut delectatione traheremur quovis & determinaremur. Multis argumentis id convellitur. Quàm ineptum sit, ut peccato majorem efficaciam consecuta sit cœlestis delectatio. 629

CAP. XXXIV. Altiùs & ab ipsa usque prima origine repe-

repetitur fons illius potestatis, qua delectatio voluntatem plerumque huc illucque torquet & retorquet. Id autem eò fit, quòd naturaliter insitum sit omni creaturæ rationali amare beatam vitam, amare felicitatem, amare gaudium de veritate, quæ Deus est. Nec enim terrenis voluptatibus inhæret anima, nisi quòd hæ illudant umbra quadam & fucata specie illius felicitatis. Ubi hæc ludibria excussa sunt, reddit se sibi anima, & castas justitiæ delicias velut ex impetu quodam naturalis appetitus felicitatis amplexatur. 631

CAP. XXXV. Efficacia delectationis non uni interiori & inspiratæ delectationi vendicanda est, sed communicanda etiam est rei seu illecebræ occurrenti exteriùs, aptæque & congruæ ad delectandum. In hac enim plurimum momenti posuit Augustinus ad animos excitandos, & ad emerendum consensum voluntatis. 633

CAP. XXXVI. Multa fiunt, ex Augustino, non delectationis illecebra, sed metu & formidine, quæ dicuntur etiam fieri ab invitis & necessitate quodammodo. Quàm frustrà quidam cavillentur, huic timori inesse quandam delectationem. Ea delectatio aut nulla est, aut tam frigida, ut animum excitare nequeat, nedum infallibiliter determinare. 635

CAP. XXXVII. Non semper delectatione determinari voluntates liberas, cùm viri persæpè sanctissimi exarescere & doceant & experiantur cœlestis hujus mellis fontem, mera autem amaritudine & mœstitia tunc totam animam demergi. Si qua vel tunc delectationis particula dicatur in summo mentis apice delitescere, non tamen ea tantarum esse virium potest, ut plus delectet, quàm terrena omnia oblectamenta. Alii ergo tunc affectus animam in officio continent. ibid.

CAP. XXXVIII. Exemplo humanarum delectationum quo frequens utitur & Augustinus, ostenditur cœlesti delectatione inclinari, non infallibiliter prædeterminari voluntatem, & ad aliqua, non ad omnia, aliquando, non semper propelli. Quòd videlicet ea delectatio affectus magis sit animi constans, in modum habituum operosus, quàm actus. 638

CAP. XXXIX. Inconstantia eorum qui delectationem nunc volunt infallibiliter efficacem, in Angelo & homine primo non efficacem, cùm hîc quàm illic quò uberior, eò efficacior esse debeat. Rursum eorundem in seipsos pugna, cùm delectatione justitiæ inspirata, qualis Adamo & Angelis erat concessa, nolunt nunc quidquam boni operis elici posse, & tamen sola delectatione justitiæ statuunt voluntatem infallibiliter ad bonum agi. Ex Augustino & aliis Patribus, justis quandoque mira pax & quies affulget, silentibus & compressis cupiditatibus, ut vel tunc constet boni aliquid peragi posse ab illis, quibus primigenia illa justitiæ delectatio fuerit aspirata. 639

CAP. XL. Descenditur ad tentationes, lapsus, difficultatem perseverandi, incertum perseverantiæ & salutis. Et primò ex Gregorio ostenditur, tentationes saluberrimè & immitti ad refringendam superbiam, & temperari, ne ultra virium patientiam & modum sæviant. Ita ergo efficacissima est gratia, ut ejus efficaciæ portio aliqua dispensationi vendicetur illi, quæ tentationes & immittit & temperat, ne vel ex securitate superbia & torpor, vel ex nimia difficultate desperatio & casus oriatur. 641

CAP. XLI. Ex eodem Gregorio ostenditur virtutibus ipsis quæ donantur à Deo, modum & metas statui, ne sui copia humilitatem obruant & extinguant. Non omnes ergo omnibus etiam sanctissimis viris vel virtutes vel virtutum numeri & gradus conceduntur, ut ex egestate in tædium sui adducantur, & inspiratæ humilitatis gratiæ ita consentiant, aliàs dissensuri. Et hujus ergo efficacia gratiæ ab hac dispensatione religata pendet. 643

CAP. XLII. Ex eodem Gregorio, retundit superbiam, alit humilitatem, gratiæ inspirationi obsequentiores facit frequens justorum in culpam lapsus, recordatio etiam priorum peccatorum: operum bonorum & ipsarum virtutum obscuritas & labes præ æternæ legis & veritatis incommutabilis luce; ignoratio præsentis justitiæ, timor de futura perseverantia, incertum de æterna salute. 645

CAP. XLIII. Quod tribus superioribus capitibus ex Gregorio, idem nunc ex Augustino probatur, gratiæ illi invictissimæ, quæ superbiam frangit, quæ inserit humilitatem, quæ voluntatem vel à malo abducit, vel sistit in bono, huic inquam gratiæ efficaciam invictissimam non à sola vel motione vel delectatione interiore totam conciliari; sed partim etiam ex tentationibus, ex lapsibus, ex peccatis, ex diuturno denique propriæ infirmitatis experimento, sine quo inefficax & irrita caderet illa eadem gratia. 648

CAP. XLIV. De eodem rursus ex eodem Augustino, efficacissimam esse gratiam, sed eo modo qui Medico consultissimus est visus, ut peccatis quotidianis, ut curationis difficultate & mora, ut incertitudine & præsentis justitiæ & finalis perseverantiæ in bono superbia frangatur. 650

CAP. XLV. Idem ipsum ex aliis Patribus Latinis declaratur, Ambrosio, Leone Magno, Fulgentio, Bernardo, Isaaco Stella, Isidoro Hispalensi. 651

CAP. XLVI. Idem ex Patribus Græcis, Chrysostomo, Theodoreto, Climaco. 654

CAP. XLVII. Perseverant justi, si tentationes arceantur, brevientur, mitigentur, vel tentationibus si ipsi præripiantur, denique si non sinantur supra vires tentari, ex Paulo & Augustino. Id verò totum frustra est, si gratia physicè prædeterminans voluntatem affigit bono. Affiget enim peræquè, sive sileat, sive fremat tentatio. 655

CAP. XLVIII. Id ipsum ex Gregorio & aliis Patribus, Ambrosio, Hilario, Bernardo, Climaco, Chrysostomo. 657

CAP. XLIX. Ex negligentia sancti Patres derivant omnium peccatorum labem, nempe ex lassitudine animi, nunquam omnino & diu connitentis, nunquam vires omnes exhaurientis. Multa hujus doctrinæ documenta mendicantur ex Hieronymo, cui adversùs Pelagium certanti applausit Prosper. 659

CAP. L. Idem probatur ex aliis Patribus, Gregorio, Bernardo, Paulino, Augustino, Ephremo, Nilo. 661

CAP. LI. Idem probatur ex sanctis Patribus, ubi docent initiis obsistendum; & quòd minima negligentes, paulatim in graviora proruant. Argumenta & testimonia Hilarii & Augustini. 662

CAP. LII. De eodem ex aliis Patribus, Gregorio Magno, Bernardo, Ruffino, Nilo, Cyrillo Alexandrino, Chrysostomo, Climaco, Dorotheo. 664

CAP. LIII. Posse singula, non posse universa vitari peccata venialia à justis, mortalia ab impiis, pro-

probatur ex Augustino & aliis Patribus. Id verò cum gratia seu physicè prædeterminante, sive delectando infallibiliter torquente voluntates, consistere non potest. Hac enim gratia peræquè omnia, atque singula vitia superarentur; sine illa gratia perinde singulis atque omnibus concupiscentiæ congressibus prosterneremur. 666

CAP. LIV. Infallibilitates quædam sunt morales, quæ nihilo minus habeant certitudinis, quàm quæ à prædeterminatione physica proficiscuntur. Ejusmodi sunt istæ: justum venialiter quandoque peccare, impium criminosè; qui innumeris ab hostibus telisque impetitur, aliquando sauciatum, vel certè perstrictum iri. Ita & gratiæ divinæ adjutoria plurima, varia, diutina, congrua, conspirantia si quem oppugnent, expugnabunt tandem infallibiliter, quia etsi singulis possit quis, non potest omnibus simul & diu oppugnationibus seu gratiæ seu concupiscentiæ reluctari. Hæ porrò infallibilitates facillimè cum voluntatis humanæ libertate conciliantur. 670

CAP. LV. Transitur ad visa congrua, & primò id expenditur quod docet Augustinus, *Visorum suasionibus* voluntates nostras à Deo omnipotenter ad quidlibet agi. Eæ visorum suasiones complectuntur non sola rerum objecta, sed etiam interiores luminis & affectuum inspirationes. Etiam ante lapsum Angeli hominesque per visa agebantur, sed non uti nunc incommutabili Dei prædestinantis proposito agimur vel inhibemur infallibiliter & invictissimè hac visorum & suasionum opportunitate, multitudine, conspiratione. 671

CAP. LVI. Ut claritas divinæ visionis, ut charitas patriæ consummata impeccantiam confert cœlitibus, ita eadem hìc initiata & ad momentum irrorata, vel per sui deinceps memoriam plurimum virium addit animæ ad peccandi vincendas cupiditates. Quocirca si frequenter id contingat, si lux, si flamma illa conflagret, si occasiones interim peccandi arceantur, si tentationes temperentur, existet ex hac auxiliorum conspiratione vis efficacissima, quæ voluntatem bono affigat. Ex Augustino & Gregorio, Leone Magno, Auctore operis de cardinalibus Christi virtutibus. 673

CAP. LVII. De eodem ex Bernardo & aliis Patribus, Anselmo, Clemente Alexandrino, Origene, Climaco. 674

CAP. LVIII. Trahit Pater ad Christum efficacissimè, ostensa veritate, æternitate, beatitudine, quæ omnium validissimè anima cupit. Sicut sua quisque voluptate trahitur, sicut oves gramine, sicut pomo ostenso pueri trahuntur. Quæ omnia à prædestinatione physica abhorrent, & à gratia delectando prædeterminante. 676

CAP. LIX. Gratia Christi efficacissima illa est, quæ persuadet, ex Augustino, tum per apposita foris argumenta, tum lumen intellectui, pios affectus voluntati inspirando. Si homo enim homini multa persuadet, quid Deus? Solus enim & scit & potest quidquid foris intusve ostensum vel inspiratum persuadere aptum est. 677

CAP. LX. Conspectis Christi miraculis non credebant Judæi, credidissent Tyrii, ita Christus, ita Augustinus. Id non constat, si gratia non sit nisi vis physicè prædeterminans. Ea enim peræquè ubique valet, etiam sine miraculis, & sine ea nec Tyrii credidissent, perinde ut Judæi ea destituti non crediderunt. At collectio auxiliorum intus & foris, congrua & efficax quæ erit ad Tyrios minùs obduratos, non erit ad Judæos obduratissimos. 678

CAP. LXI. Ex Scripturis & Augustino illa gratia est efficacissima, quæ congruit, quæ contemperatur, quæ vocat ut aptum est, quæ consentit affectibus animi. Hæc congruitas non inspiratorum tantùm affectuum est, sed ut exemplis pluribus declarat Augustinus, rerum, factorum, dictorum, visorum. Hæc doctrina nec prædeterminationi physicæ, nec delectationi victrici, nec præscientiæ mediæ conciliari potest. Circa istiusmodi quæstiones, Cur huic gratia efficax sit, illi non sit, quàm immaniter discrepent responsa Augustini & quorundam recentiorum. 679

CAP. LXII. Ex Augustino gratia victrix ita hominem domat, ut homo feras animantes, nempe sapientia & ratione magis quàm potestate, captando affectus animæ omnes, quæ appetat, quæ fugiat, hæc incutiendo vel amovendo, denique blanditiarum & flagellorum apta dispensatione. 681

CAP. LXIII. Ex eodem Augustino diabolus *operatur ad arbitrium suum mala opera* in reprobis, tanquam in mancipiis suis, velut homo in pecoribus suis: ad omnia prorsus illos sequaces habet. Justos etiam omnes dejiceret, si quantum potest grassari tentator sineretur. Idque totum sine prædeterminante physicè vel motione qualibet vel delectatione. Multò magis ergo Deus voluntates nostras torquebit quò volet, cùm non suggerere modò, & occasiones objicere possit affectibus excitandis congruas, sed affectus etiam novos creare, & inflammare. 683

CAP. LXIV. Etiam impiorum voluntates cùm scelera sceleribus cumulant, in manu Dei sunt, nec aguntur nisi quò sinit & vult Deus. Atqui non prædeterminando physicè horum voluntatem ad malum incitat Deus, sed occasiones dumtaxat objicit. Ergo multò magis voluntates nostras in bonum quodlibet omnipotenter agere poterit Deus sine physica prædeterminatione, cùm hic non occasiones tantùm suggerere possit, sed cogitatus etiam & affectus pios inspirare. 684

CAP. LXV. Cùm malorum hominum voluntates inclinat Deus quo vult cumque, per potentiam id facit, etsi occasionum tantùm irritamentis id faciat. Usque adeo verò non physicè prædeterminat ad malum, ut author sit Augustinus occasiones tantùm foris à Deo suggeri, easque occasiones, quæ sua sponte ad bonum inclinent, etsi humana pravitate ad malum detorqueantur, idque nonnisi in pœnam præcedentium peccatorum. 685

CAP. LXVI. Quæ duobus superioribus capitibus uno ex Augustino demonstrata sunt, eadem cæterorum Ecclesiæ Doctorum suffragatione confirmantur, atque in primis Prosperi, & sancti Thomæ. 687

CAP. LXVII. A capite LV. huc usque prosecuti eas probationes, quæ vim gratiæ in persuadendo, quæ persuadendi machinas & modos, quæ consimilium persuasionum exempla continebant: nunc ad illud Augustini *adjutorium quo* descendimus, quod omnium efficacissimum esse omnibus convenit, eoque distingui ab *adjutorio sine quo non*. Atqui illud *adjutorium quo* non requirit hìc Augustinus nisi ad perseverantiam usque in finem vitæ, nequaquam verò ad actus singulos justorum bonos. Probatur id multis ex Augustino argumentis. 688

CAP. LXVIII. Aliis argumentis idem ab eodem Augustino rursum demonstratur, *adjutorium quo* invi-

invictissimum & efficacissimum ad solam perseverantiam usque in finem hic desiderari. 790

CAP. LXIX. Idem colligitur ex Hilario, Prospero, Hieronymo, Gregorio, Thoma Aquinate, illud adjutorium *quo* non ad singulos actus bonos, sed ad finalem perseverantiam ab Augustino invectum esse. Calvini hic error à Ruardo Tappero detegitur refelliturque. 692

CAP. LXX. Illud Augustini *adjutorium quo* ostenditur ex eodem situm esse, non in una aliqua singulari motione seu delectatione victrici & prædeterminante, sed in coacervatione plurium intus forisque auxiliorum, quorum singula non habeant, universa habeant infallibilem efficaciam, idque ex ipsa maximè dispensatione & providentia Dei, omnia ad commodum electorum convertentis. 694

CAP. LXXI. Illud ipsum adjutorium *quo* ab Augustino non ad solam perseverantiam usque in finem vitæ, sed etiam ad conversionem à peccato, & ad actus quosdam virtutis heroicos flagitari, ex eodem probatur, utpote cùm in his omnibus par difficultas & labor incumbat. 695

CAP. LXXII. Adjutorii *quo* invictissima efficacia scatet ex eo maximè quòd Deus *dirigit*, *protegit*, *custodit*, *conservat*, quæ omnia multifariam fiunt, & maximè tempus mortis accelerando vel protrahendo, tentationes leniendo, attemperando, aut amoliendo. 696

CAP. LXXIII. Ex eo fit ut efficacia gratiæ insuperabilis jure merito vendicetur à Paulo & Augustino, *voluntati*, *consilio*, *proposito*, *intentioni* Dei. Quando enim singula quæ adhibentur auxilia, frustrabilia sunt, & tamen certus & ineffabilis ex eorum multitudine & conspiratione effectus extunditur, totum debetur voluntati & intentioni irrevocabili perficiendi quod propositum erat. 698

CAP. LXXIV. Ad singulos nunc actus libertate & indifferentia sua uti & abuti possunt electi, summam ipsam vitæ, & sortem totam, maximèque exitum reservat sibi Deus: non ita in statu innocentiæ primævæ, ubi & singulos & universos actus, summam ipsam vitæ & perseverantiæ atque exitum tandem permittebat Deus libero arbitrio. 699

CAP. LXXV. Ideo tunc salus & perseverantia & prædestinatio innitebatur meritis liberæ voluntatis per gratiæ adjutorium *sine quo non* adjutæ. At nunc omnia ista debentur uni gratiæ, merita istiusmodi evanuerunt in Adam, prædestinatio nunc & perseverantia usque in finem soli per Christum gratiæ imputantur. 700

CAP. LXXVI. Qui ad actus nunc singulos adjutorium *quo* victricis delectationis requirunt, adversantur Augustino, & meritum omne à justis nunc expungunt. Non enim meriti in meris creaturis capax est ex Augustino, nisi ea libertas, quæ sibi permittitur, quæ indifferentiæ suæ usu vel abusu, proprio arbitrio pœnas vel præmia sibi accersit. Varia ad id ex Augustino argumenta. 702

CAP. LXXVII. Idem probatur ex aliis Patribus Augustino addictioribus, Prospero, Fulgentio, Gregorio, meritis non esse locum, ubi voluntas meræ creaturæ ita determinatur indeclinabiliter ad bonum, ut non ei permittatur quam se in partem volet, inclinare. 704

CAP. LXXVIII. Idem evincitur ex Bernardo, Hugone Victorino, Anselmo, libertatis & meriti rationem nunc post hominem à Christo reparatum in eo esse, quòd voluntas faciat bene, vel malè, cùm possit utroque abstinere. Ex quo liquet perseverantiæ gratiam à gratia singulorum actuum esse secernendam. Christi libertas & meritum non humano modo pensitari debet; sed consentaneo, hoc est divino, ex Anselmo; quomodo ille & impeccantiam habeat & merita. 705

CAP. LXXIX. Ex Augustino probatur fontem & caput meritorum in meris quibuscumque creaturis esse libertatem ita gratiæ auxiliis instructam, ut possit cùm non peccat peccare, & cùm bene agit non agere: illam verò libertatem quæ infallibiliter non peccat, non meritis comparandis esse accommodatam, sed ipsummet esse præmium meritorum. 707

CAP. LXXX. Gratia vitæ & meritoriæ stationis propria illa est, cui dissentire & repugnare potest voluntas. At verò seu prædeterminatio physica, seu delectatio prædeterminans non est ejusmodi, nec aliter sociam patitur peccandi potentiam, quàm gratia beatorum, nempe ineluctabiliter ligatam & constrictam. 709

CAP. LXXXI. Gratia efficacissima etiam illa est, cui cooperamur, cui connitimur. At de prædeterminante auxilio & infallibiliter applicante vix potest intelligi, ut cum eo agamus, conemur, operemur. Non adjuvatur, nisi qui & ipse aliquid agit. Gratia est lumen. Gratia dat potestatem. In his conatus noster patet. 711

CAP. LXXXII. Gratia Dei interior & actualis est inspiratio fidei, timoris, charitatis, aliarumque id genus affectionum piarum, quæ consensum nostrum antevertunt, nec tempore unquam consociantur cum illo; ex quo fit ut physicè & infallibiliter non possit consensus ab illis produci, cùm nisi illis cessantibus non existat, sed moraliter tantùm, quatenus sic illis affectionibus indeliberatis afficitur & inclinatur voluntas, ut tota ad actum propendeat. 712

CAP. LXXXIII. A capite LXVII. ad LXXXII. ea argumenta contexuimus quæ promuntur à doctrina Augustini de *adjutorio quo*, & *sine quo non*; à discrepantia gratiæ in natura stante, & reparata; à ratione merendi diversa in utroque statu; à gratiæ natura, quæ libertati merenti, nondum fruenti sit accommodata: à connisu & cooperatione libertatis cum gratia ad merendum; ab inspirationum denique quibus gratia constat, natura per se frustrabili sigillatim, & prævenitione ante consensum, ex quo fit ut consensum non possint physicè & infallibiliter operari. Nunc ad scientiam & voluntatem Dei efficacissimam progressus fit. Et primò ostenditur præscientiam & prædestinationem non tempore, sed æternitate præcedere res ipsas, atque ita nullam necessitatem antecedentem illis imponere. Ita primùm ex Augustino. 715

CAP. LXXXIV. Idem confirmatur ex Gregorio Papa, Boethio, Authore librorum si *de Vocatione Gentium*, Beda, Prudentio, res à Deo non tam præsciri aut prævideri, aut prædestinari futuras, quàm præsentes videri, sciri, fieri. Ita nullam eventis liberis infligi necessitatem. 717

CAP. LXXXV. Idem ex Anselmo, Honorio, Tostato, Contareno. 719

CAP. LXXXVI. Voluntas Dei ex Augustino invictissimè efficax & victrix semper est, non quòd voluntates creatas ad opera singula prædeterminet, sed quòd nihil usquam fiat, quod non ipse vel permittat fieri, vel faciat: item quòd voluntas ejus quasi biceps sit, ut aut faciat quisque quod debet, aut patiatur quod debet. Id verò semper impletur, nec bonum enim

infructuosè, nec malum impunè fit. Tertiò denique quòd ea ipsa quibus voluntati ejus renititur & repugnat creata voluntas, in usum & in obsequium voluntatis suæ ipsæ retorquet. 721

CAP. LXXXVII. Eos qui prædeterminantem ad actus singulos bonos delectationem justitiæ desiderant, æquè discedere ab Augustini doctrina, nec assequi modum omnipotentis & invictissimæ efficaciæ, quam ille tribuit voluntati divinæ. De modo enim hìc quæritur, convenit autem de ipsa efficacia. 723

CAP. LXXVIII. Idem modus expediendæ efficaciæ omnipotentis, quam voluntati divinæ tribuit Augustinus, ex aliis quoque Patribus exculpitur. Omnia à Deo fieri, vel faciente vel permittente. Secundò voluntates creatas in bonum ab eo sic inclinari, ut nec obsequium sine præmio, nec prævaricatio sine pœna fit. Tertiò per ea ipsa voluntatem ejus impleri, quibus connitimur ne impleatur. 724

CAP. LXXXIX. Objectio solvitur, deprompta ex subitis & repentinis conversionibus voluntatis ad Deum. Plura istiusmodi exempla proferuntur. Ubique demonstratur moræ & spatii aliquantum intercessisse, quod satis esset & super ad explicandam illam auxiliorum omnis generis multiplicem varietatem & conspirationem, ex qua gratiæ existit efficacia invicta. 725

CAP. XC. Inter subitas & repentinas conversiones objicitur specialiter Augustini conversio. Ostenditur ergo Augustinum à perfidia & improbitate ad fidem & pietatem perductum esse multiplici & diuturna oppugnatione auxiliorum gratiæ omnis generis. Ex ejus maximè libris Confessionum. Ut experiretur ipsemet, quod postea scriberet, non de efficacia tantùm gratiæ, sed de hujus efficaciæ modo ac dispensatione. 728

CAP. XCI. Altera elucidatur Augustini conversio, non jam à scelere ad pietatem, sed à spe conjugii ad arctiorem religiosæ vitæ institutionem. Hæc quoque lentè & diuturno conflictu inspiratorum cœlitus affectuum adversùs inolitarum animo ejus cupiditatum reliquias peracta est. 729

THEO-

THEOLOGICORUM DOGMATUM
DE DEO, DEIQUE PROPRIETATIBUS,
Liber Primus.
DE EXISTENTIA DEI.

CAPUT PRIMUM,

De notitia Dei innata vel agnata, quid ſenſerint Philoſophi ſæculares.

I. Notitiam Dei omnibus naturaliter inſitam colligebant, ex reliquiis beatæ contemplationis, qua olim ante corpora fruebantur animæ; veſtigia veri, recti, pulchrique illinc reſidua, per Philoſophiam hìc excitari.

II. Platonis ſuffragium.

III. Et Plotini.

IV. Hinc illa omnium gentium conſenſio ad unius Dei confeſſionem, cùm tam ſtupenda ſit circa res omnes alias ſententiarum pugna.

V. Suffragia Platonis, Plotini, Maximi Tyrii, Simplicii, Ciceronis, Salluſtii.

VI. Hinc rurſus appetitus naturaliter inſitus boni, cui boni notitia certè aliqua præit.

VII. Quin imo nec appetitur quidquam à quoquam niſi boni ſpecie ac lumine quodam veſtitum, velut veſtigium, atque umbra ſummi boni, quo beabantur olim, quo beari ſe cupiunt adhuc animæ rationales.

I. ANTE omne vel ſenſuum experimentum, vel magiſtrorum documentum, anticipatam quandam Dei ſcientiam vel conſcientiam ineſſe omnium hominum mentibus, vel Dei ipſius & naturæ manu naſcentibus inſcriptam, vel ſaltem ex actæ ante corpora vitæ naufragio ſuperſtitem, vel denique jugi objecti præſentia ſemper occurſantem & vel invitis ſeſe inſinuantem, pleriſque ſæcularis Philoſophiæ proceribus perſuaſum fuit. Idque

Declarabant, 1. Quia animæ olim in ſummi Boni ſinu & contemplatione beatiſſimam vixerunt vitam, rerumque omnium ubertima intelligentia illuminatam. Ubi refrixerunt, & in corpora vel ultro delapſæ ſunt, vel pœnas luituræ, tanquam in tenebroſa ergaſtula compactæ, non totius tamen prioris opulentiæ ſuæ fecere jacturam. Ipſius boni & pulchri & totius intelligibilium veritatis ſublnſtria quædam adhuc lineamenta, intimis medullis inhærentia ſervatunt; quæ corporei carceris tenebtæ, ſenſuum præſtigiæ, & morum corruptelæ obſcurare poſſunt, abolere omnino non poſſunt. Hinc docet Plato animas quæ veritatem ipſam nunquam viderint, in corpora humana nunquam deſcendere, ſed in aliarum, ſi fors tulerit, animantium. Docet 2. Animas viſa hìc bonitate, pulchritudine &c. quaſi ſtimulo quodam excitari, & reminiſci ipſius boni & pulchri; hac enim tantum ſenſibilium quaſi veſtigiorum excitatione, deliteſcentes & veluti ſopitas intelligibilium ideas exſuſcitari & reſplendeſcere. Docet 3. ad conſpectum boni pulchrique creati recaleſcere reſiduos quoſdam primigenii circa increatum bonum pulchrumque amoris igniculos; adeo ut imam pulchritudinem nec intellectus admiretur, nec amor amplexetur noſter, niſi quatenus priſtini circa ſummum pulchrum ſtuporis & furoris reliquiæ quædam exſuſcitantur & exardeſcunt. Docet 4. Non aliud eſſe Philoſophiæ munus, quàm latitantes in anima rationes per reminiſcentiam excitare, & geminas illas alas animæ, admirationem & amorem, in ſummi pulchri bonique complexum ſponte prorumpentes, à ſenſibilium glutine explicare. Docet 5. Senſibilia non aliter vel admirando vel amando conſectari & exoſculari animas, quàm ut veſtigia & ſimulacra pulchritudinis divinæ, cujus olim conſpectæ amantem adhuc ſervant memoriam, & quam adhuc quaſi de longe olfaciunt. Ex quibus omnibus pronum eſt conjectari, quàm longè Dei notitia inſita, ſenſibilium omnium imagines & magiſtrorum voces antecedat.

II. Plato in Phædro: *Nam quæ anima veritatem nunquam inſpexerit, in hanc figuram venire non poterit. Oportet vero hominem intelligere ſecundum ſpeciem, ex multis procedentem ſenſibus, in unum ratiocinatione conceptum. Hæc autem eſt recordatio illorum quæ olim vidit anima noſtra, cum Deo profecta, & illa deſpiciens quæ nunc eſſe dicimus, & ad id quod verè eſt, ſurſum reflexa. Quapropter ſola Philoſophi cogitatio meritò recuperat alas, &c. Quando quis viſa hic pulchritudine veræ illius reminiſcitur, alas recipit,*

reciptisque avolare nititur, &c. Ut enim dictum est, omnis anima hominis, ea quæ verè sunt, intuita est: alioquin in hoc animal non venisset. Ex his verò quæ hic sunt, recordari illorum, non facile est omnibus &c. Paucæ restant quibus satis memoriæ supersit. Hæ verò quando hic similitudinem aliquam eorum quæ illic inspexerant, intuentur, obstupescunt, & quasi extra se ponuntur; quæ tamen sit hæc affectio, ignorant, quia non satis omnino persentiunt, &c. Qui nuper expiatus est sacris, quique aliquando est plurima contemplatus, quando vultum divina forma decorum videt, aptè ipsam pulchritudinem imitatum; vel aliquam incorpoream speciem, primo quidem horret, metusque vetus aliquis in eum revolvitur; deinde inspiciens, tanquam Deum colit, &c. Ubi præter illa quinque supra animadversa, ait Plato non omnium esse, ita ex his imis summorum recordari: & eos qui recordantur, non satis intelligere quid in se transigatur; nonnullorum enim animos vitiorum cœno ita oblimatos esse, ut in eis cœlestia illa lineamenta penitus obducta sint, etsi non erasa. Alios autem qui ex superiorum reminiscentia ad ima pulchra stupent & effervescunt, non satis ipsos statim intelligere, unde tanta eos incesserit animi effervescentia, cum ima pulchritudo nihil ferè sit, donec maturiùs rem pensitent, & ad primum pulchritudinis fontem & exemplar recurrant.

III. Eadem est Plotini sententia, qui cum amatores pulchri alios temperatos, alios intemperantes esse dixisset, ita subdit: *At unde affectus uterque proveniat, deinceps Philosophicè contemplari debemus. Si quis igitur ipsius principium ponat, antiquam ipsius pulchri insitam animabus appetitionem, cognitionem, cognationem, & quandam, sine rationis actu cognationis perceptionem, is à veritate causæ, ut arbitror, minimè aberrabit. Nempe quod turpe est, id naturæ est Deoque contrarium. Natura enim pulchrum spectans agit, &c. Proinde penes illos qui ab hoc pulchro in superni pulchri reminiscentiam revocantur, pulchrum hoc velut imago diligitur; at penes illos qui minimè recordantur ob ignorantiam passionis, nostra hæc pulchritudo vera censetur.* Ubi paucis multa complectitur; notat enim summi pulchri seu Dei insitam esse omnibus notionem, & hinc eos stimulari ad amanda pulchra, & cordatos quosque ab his ad supremi pulchri reminiscentiam reflecti, & illos his pulchris ut illius simulacris inhærere: brutos verò amatores sola pruriginis suæ impotentia hebetari, ne superiorum recordentur. Et ipsos tamen ad amandum non urgeri, nisi intima & omnem rationis usum antecedente summi pulchri cognitione, & cognatione, & cognationis perceptione.

Ennead. 3. L. 5. c. 1.

IV. Declarabant 2. ex totius humani generis suffragatione. Omnes enim planè omnium ætatum, omnium gentium homines in supremi Numinis agnitionem & cultum consenserunt, ergo naturæ magisterio ad hoc deducti sunt. Nam quæcumque vel ratio, vel consuetudo, vel disciplina quævis excogitavit humana, ea uni genti persuasa, alteri explosa fuere; una ætate viguere, alia intercidere; & sæpè eidem alicui homini nunc constare, nunc labare visa sunt. Notarunt ergo omnium gentium suffragium, esse naturæ ipsius oraculum, 2. Præsertim in tanta circa res alias omnes dissentiendi libidine. 3. Ideo neminem unquam in eo errore consenuisse, quòd Deus non sit. Tametsi enim pertinacissimum, tamen aliquando naturæ vi expugnatum esse. 4. Ad Dei confessionem etiam invitos & rebellantes compelli; nam quod alii providentiam, alii bonitatem, alii alia Deo sustulere, quibus sublatis tota labefactatur interitque divinitas, id argumento est conspirasse quidem ipsos ad expungendam penitus Dei fidem, sed conscientiæ invicta vi victos, Deum tamen aliquem professos esse. 5. Si qui autem paucissimi Deos penitus inficiati sunt, eos portentorum non hominum instar habendos esse, sicque illos naturali animæ dote truncatos nasci, ut quidam jecore, manibus, aliisve ejusmodi corporis partibus orbati monstroso partu ejiciuntur. Denique nec de brutis animantibus omnino desperandum, quin aliqua supernè scintilla sublucente, divini Numinis lumen internoscant, & in ejus venerationem prona procumbant.

V. Sed hìc jam adglomeranda sunt loca ipsa unde hæc constent. Plato: *Nullus ab adolescentia usque ad senectam in ea opinione, quod dii non sint, perseveravit.* Plotinus: *Unum quiddam idemque numero, esse simul ubique totum, communis indicat mentis humanæ conceptio; quando omnes naturali quodam instinctu clamant in unoquoque nostrum esse Deum: adeo ut unus in omnibus, idemque sit Deus.* Et infra: *Jam verò principium ejusmodi omnium est firmissimum, quod animæ nostræ quasi resonant, &c.* Maximus Tyrius: *In aliis videbis alia, nec unquam eadem statuere homines, &c. ut non modo gens cum gente, sed nec urbs cum urbe, nec familia cum familia, nec homo cum homine, nec unus aliquis interdum secum ipse consentiat, &c. In hac tanta pugna & opinionum varietate, in eo leges & opiniones ubique terrarum convenire videbis, Deum esse unum, Regem omnium & Patrem, &c. In eo Græcus cum Barbaro, Mediterraneus cum Insulano, sapiens consentit cum stulto, &c. Quod si ab omni ævo duo tresve extiterint, sine Deo, & abjectum & impudens genus, &c. irrationale, sterile & infrugiferum genus, ut si leonem sine stomacho, bovem sine cornibus, avem sine alis dicas; ex his nihilominus hominibus aliquid de natura divina intelliges. Nam & inviti hoc dicunt, & inviti sciunt, quamvis cum Leucippo sentias, & bonum illi demas; quamvis cum Democrito & affectibus humanis subjicias, &c.* Ubi rectè advertit, Dei notitia carere hominem tam insolens, tamque portentosum esse, quàm orbari alis volucrem, cornibus bovem, & principe sui parte quamlibet animantem. Item eorum suffragia pro Dei fide statuenda, plus habere momenti, qui in Dei inficiationem conjuraverant, & divinis illum jam dotibus spoliaverant; & tamen illum ut confiterentur, naturæ intimæ imperio compulsi sunt. Simplicius: *Natura non homines modo, sed & brutæ animantes & stirpes & lapides, ea denique omnia quæ sunt, pro sua quodque virili ad Numen respiciunt. Homines verò præter id, à parentibus etiam statim à puero ad pietatem assuefiunt, & communes hominum sequuntur notiones. Omnes enim homines tam Barbari quàm Græci, tum infinito superiori tempore, tum nunc, quamvis aliis rationibus, Deum esse censent.* Cicero denique, Epicurum vehementer commendat, quòd *Solus viderit primum esse Deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Quæ enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum?* Et idem alibi: *Quod si omnium consensus naturæ vox est, &c. Ut Deos esse, natura opinamur; qualesque sint, ratione cognoscimus; sic permanere animos arbitramur, consensu nationum omnium.* Sallustius: *Communes notiones sunt quas omnes homines interrogati confitebuntur, quemlibet scilicet Deum bonum esse, nihil pati, immutabilem esse, &c.*

Plato l. 10. Leg.
Plotin. l. 5. c. 1. Enn. 6.
Max. Tyr. dissert. 1.
Simp'. in c. 28. Epicteti.
Cicero l. 1. de nat. Deorum.
Idem Tusc. quæst. l. 1.
Sallust. c. 1.

VI. Declarabant 3. ex insito naturaliter appetitu boni. Nam 1. Bonum omnes homines natura sola duce & magistra appetunt, ergo & eadem duce & magistra bonum esse didicerunt. 2. Antè bonum expetunt, quàm vel sensu, vel doctrina notitiam rei ullius hauserint; ideo enim vel sensui vel docto-

ri operam dant, quia bonum aucupantur & augurantur. 3. Nec hoc vel illud bonum appetunt, nam hoc & illud indicio sensuum dignoscunt; sed bonum tantummodo, & semper bonum, sine fine, sine limite. 4. Et majora semper bona minoribus anteponunt, quia summi & inexhausti boni ingenita appetitio, illis quàm istis magis sedatur, nec ullis tamen penitus exsaturatur. 5. Nec ullo particulari bono ita satiantur, ut acquiescant, sed illius statim fastidio nauseantes, aliis & aliis inhiant; quæ experti suæ appetitioni imparia, jactari non desistunt, donec in summo bono, vel spe, vel re, conquiescant. Plato: *Bonum omnis anima expetit, ejusque gratia agit omnia, augurans esse aliquid; dubitat tamen, neque sufficienter, quid sit, comprehendere potest.* Plotinus autem cum unum Deum ubique esse, ex omnium hominum naturali præjudicio probasset, ait principium illud *esse ante principium hoc, quo traditur omnia bonum appetere. Sic enim principium hoc verum est, si omnia ad unum naturaliter properent, unumque quodammodo sit, atque unum ipsum exstet, ad ipsumque appetitu dirigantur.* Ubi rectè philosophatur, ante intellectui insigendum fuisse hoc præjudicium quod unum summum bonum sit, quàm imprimendum voluntati aculeum quo ad boni prosecutionem stimuletur.

Plato l. 6. De Rep.

Plotin. Enn. 6. l. 5. c. 1.

VII. Quin imo quidquid amant animæ, seu mentem, seu sapientiam, &c. ut bona amant, hoc est, ut superno summi boni splendore superfusa, eoque amorem ebblandientia. Ut enim quæcumque videntur, non suo tantùm nativo colore aut lumine, sed superaffulgente solari luce collustrari opus est; ita quæcumque amantur, infuso supernè summi boni fulgore vestiri & venustari necesse est, ut non tam ipsa, quàm emicans in ipsis summum bonum ametur; anima autem summi olim boni deliciis inebriata, veterisque nunc subobscurè memor & cupidissima voluptatis, arcano instinctu venatur ejusdem boni sublucentes in rebus imis radios, & ubicunque invenit, allambit & osculatur. Plotinus: *Atque hæc (intellectum, vitam, sapientiam, &c.) splendore quodam desuper circumfundi, animamque hæc ideo prosequi, quoniam inde proficiscantur, &c. Incitatur autem vehemens ad hæc amor, non quando id solum quod sunt, existunt, sed quando jam ad ipsum quod sunt existentia, aliud quiddam ex alto suscipiunt. Sicut enim in corporibus, quamvis mixtum naturaliter sit intus lumen, alio tamen opus est lumine, ut palam appareat color eis infusus, id est lumen naturaliter insitum; sic supernis quoque rebus, quamvis lumen habeant plurimum, præstantiore quodam opus est lumine, ut & à seipsis & à quovis alio videantur. Quoties igitur animus lumen hoc inspicit, toties ad res divinas hoc circumfusas lumine incitatur, & congratulatur. Sicut & qui corpora videntur amare, non subjecta quidem amant, sed pulchritudinem palam in corporibus effulgentem. Existit enim quodlibet hoc ipsum quod est in seipso; evadit autem optabile, cum hoc bonum ipsum quasi colorat; dum videlicet rebus quidem expetendis gratias abundè largitur, appetentibus verò infundit amores, &c. Ac dum ad id quod proximum est, vehementer afficitur, ad aliud interim excellentius quasi evolans reminiscentia quadam elevatur.* Omnis igitur boni cujuscumque amor, non tam amor novus est, quam vetustissimi circa summum bonum amoris exufflatis desidiæ cineribus recalescentia; non tantùm hortatio & prolectatio est ad summum bonum amandum, sed ejusdem summè quondam amati vestigium & veluti superstes extincto incendio scintilla.

Plot. Enn. 6. l. 7. c. 21. 22.

CAPUT II.

Alia eorumdem Philosophorum argumenta ad idem astruendum.

I. Notitia eadem Dei innata liquet ex naturaliter insita facultate judicandi de justis & injustis, certis & incertis, æqualibus & inæqualibus. Ad id necessum est inesse, vel obversari regulas incommutabiles, quibus intelligat mens, quid sit justitia, quid æqualitas, quid certitudo, quid cætera hujusmodi.

II. Suffragatio Platonis, Alcinoi, Jamblici, Simplicii.

III. Liquet rursus ex cognatione mentis cum veritate, cujus lumina, regulæ, ideæ, vel insunt, vel semper obversantur animæ ratione utenti.

IV. Suffragia Platonis, Simplicii, Procli.

V. Liquet denique ex majestate summi Numinis, cujus è dignitate est, ut non alio quàm se magistro intelligatur, & ex ipso atque in ipso intelligatur penetrali mentis: nec tam intelligentia, quàm unitate, quiete, silentio intelligatur. Suffragia Procli & Plotini.

VI. Et Jamblici.

VII. In quo multa memoratu digna adnotantur.

VIII. Ex eodem rursus Jamblico antedicta omnia confirmantur.

IX. Levi flexu horum pleraque ad veri tramitem revocantur, loco fabulosæ ante corpora animarum vitæ, subrogato dogmate de omnium nostrum in prima olim parente fœlicitate & lapsu.

I. DEclarabant 4. ex judicio certo & inconcusso, quo hoc bonum, illud malum, hoc justum, illud injustum, hoc magis, illud minùs bonum vel justum esse, & ita de aliis pronunciamus, idque solius naturæ magisterio; non sensuum, non magistrorum beneficio. Nam 1. Summam æqualitatem nunquam sensibus usurpavimus, & tamen ex naturaliter insita mentibus nostris ejus idea, de rebus æqualibus vel inæqualibus judicamus, & summè æqualia à perfecta tamen æqualitate nonnihil deficere asseverantissimè affirmamus. 2. Nec justi, nec honesti, nec veri, nec certi per sensus ullos corporeos, atque adeo nec per magistros sensibus insonantes, ulla unquam in mentes nostras influxit imago. Et tamen de justis & honestis, de veris & certis fidenter judicamus, hæc esse, illa non esse, hæc plus, illa minus esse, & hæc & illa amplius posse esse; ergo ex comparatione id fit ad innatam mentibus notitiam summæ justitiæ & honestatis, certitudinis & veritatis, quæ Deus est. 3. Ubique & semper eodem modo omnes judicant de justis & injustis, ergo communi ad hoc magistra, videlicet natura, utuntur. 4. Non hoc aut illud justum, non hoc aut illud bonum, sed ipsum per se justum menti occurrit, & ipsum per se bonum, ut regula universalis ad quam omnia justa, omnia pulchra admetienda sunt. 5. Hinc rixæ inter homines de singularibus rebus efferbuerunt, justæ an injustæ essent; nam de ipsa in universum justitia nunquam digladiatum est, ut quæ omnibus in propatulo objecta sit & videnda & fruenda; tam fulgida ut non videri non possit, tam ampla ut omnium æquè ac singulorum desiderio & avaritiæ explendæ par sit.

II. Plato in Phædone cum demonstrasset inter res sensibiles duo perfectè æqualia nunquam reperiri, ideoque summæ æqualitatis notitiam qua id dijudicamus, non à corporeis sensibus nos hausisse, sed à supernis idearum fontibus derivasse; idem de aliis justitiæ, bonitatis &c. formis pari jure argumentatur. *Non enim de æquali magis nunc nobis est, sermo, quàm de ipso pulchro, ipso bono, ipso justo &*

sancto, &c. ut necessarium sit, nos antequam nasceremur, horum omnium scientiam habuisse. Alcinous: *Ex eo enim quod insitam pulchri nobis bonique notionem habemus, ratione utendo, eamque ad naturales illas notiones, veluti ad definitas quasdam normas referendo, bonane an mala sint singula, dijudicamus.* Jamblicus: *Hoc autem maxime conspicuum erit ab formarum seu idearum contemplatione. Ipsum enim justum & pulchrum & bonum, atque omnia quibus ceu sigillis confirmamus id quod est, nunquam quisquam oculis vidit, neque alio aliquo corporis sensu illa attigit. Ille omnium purissimè hoc fecerit, qui mentis cogitatione unumquodque accedat, neque visum admovens, &c.* Simplicius: *Itaque in quolibet homine ratio instrumentum est & regula dijudicandi boni & mali, veri & falsi; formarumque incorporearum, & indivisibilium, & semper eodem modo consimiliterque se habentium, appetuntur rationes, veluti modestiæ, justitiæ, sapientiæ, quarum totarum quælibet est particeps, illa non imminuta per participationem.* Deinde cum docuisset circa particularia bona rixas pugnasque concitari; *Philosophus autem relictis externarum rerum & concretarum cupiditatibus, easque prorsus alienas judicans, ut jam à simulacris repurgatus, & ab umbra rerum ad semetipsum, & ad id quod verè est, conversus, communes rationis formas seu ideas quæ in ipso insunt, amplectitur, & in seipso bonum deprehendit.* Ubi declarat Philosophiæ partes non esse in externa hominem effundere, & ab his ad superna reflectere; sed eum ab externis in se ipsum avocare, ut in mentis suæ sinu ipsum summum bonum & fulgurantes divinæ mentis ideas contempletur.

Alcin. De Doctor. Pla. c. 4.

Jamb. in Protrept. c. 11.

Simpl. in Epict. c. 71.

III. Declarabant 5. ex cognatione mentis humanæ cum Deo. 1. Natura enim cognata cognatam ultro auguratur; agnus ovem, natus parentem naturaliter quæritat & dignoscit. 3. Mens omnis rationes sempiternas rerum & ideas divinas, observantes sibi semper, semper præsto sibi & ob oculos positas habet, & quoties & quandiulibet contuetur, ut oculus corporis colores rerum, radiosque lucis, velut res naturæ suæ agnatas & familiares, semper occursantes, & ultro sese ingerentes ubique invenit. 3. Anima rationes rerum & veritatem menti suæ quasi coessentiatam habet; utque Deum & divina omnia intelligat, opus habet tantùm fibras, quibus veluti compacta est, explicare, & latitantes in se rationes evolvere. 4. Mens omnia est mentaliter, ratio rationaliter; suum ergo sinum ubi mens excutit, & abstrusas ibi divitias expromit, & Deum & divina omnia ibi invenit, mentali modo. 5. In anima aliquid est ipsa mente superius, nempe Unum, quod mentis ipsius apex & fastigium est; quo ante omnem mentis intellectionem ipsum bonum appetitur; quo intellectio ipsa ideo erumpere jubetur, quia boni splendore perfusa est; quo præsagimus magis quàm intelligimus; tangimus magis quã cognoscimus. Hoc igitur uno mentis, ipsum unum & ipsum bonum seu Deum auguramur, vel illi potius arcano quodam contactu coaptamur & copulamur.

IV. Plato: *Quando Deos esse asseris, cognatio quædam forte divina ad rem tibi conjunctam affirmandam colendamque ducit.* Simplicius: *Est autem observatione dignum, Cur Epictetus deinceps crebro utatur verbo Memento, quo rationis compotem animum compellat; qui rationes Entium semper coessentiatas habet, & implantatam sibi eorum veritatem; sed aliquando deficiente acie, ob distractionem natalitiæ facultatis, in oblivionem ruit, quæ illi malorum omnium causa est; ideoque flagitat ut Memento crebrò illi inculcetur.* Proclus: *Unde puto animæ intellectualem facultatem vim habere comprehendendi formas intellectuales, & differentiam quæ est inter ipsas; ipsum verò mentis fastigium & florem & substantiam copulari cum unitatibus ipsorum entium, & per has cum ipsa divinarum omnium unitatum occulta unione. Ubique enim similia simili cognosci dicimus, sensu sensibile, opinione opinabile, cogitatione cogitabile, mente intelligibile. Igitur ipso uno cognoscitur id quod est maximè unum, & arcano arcanum. Rectè enim in Alcibiade dicebat Socrates, Animam ingressam in seipsam, & cætera omnia contemplaturam esse, & Deum, &c. Si enim anima in ea quæ post ipsam sunt, intueatur, umbras & simulacra entium videbit; si verò in seipsam revertetur, essentiam suam suasque rationes evolvet, Ac primùm quidem quasi seipsam tantùm conspiciet; quum verò in sua notitia profundius penetrat, & ipsam mentem inveniet, & entium ordines. Quum verò progreditur in sui ipsius interiores recessus & quasi in quoddam animæ adytum, & Deorum genus, & unitates entium, quasi clausis oculis contemplatur. Omnia enim sunt in nobis animaliter, & propterea naturaliter insitum id nobis est, ut omnia cognoscamus, excitando eas quæ in nobis sunt facultates, & imagines omnium.*

Plato l. 1. De legibus.

Simpl. in Epict. c. 4.

Proclus Theologiæ Platon. l. 1. c. 3.

V. Declarabant 6. ex dignitate summi Numinis. 1. Decuit enim ut majestatis suæ symbolum aliquod rebus omnibus insereret, ut in suo quæque gremio summi Parentis testimonium loquacissimum & ineluctabile gestaret audiretque. 2. Decuit non ab alio quàm ab ipso potissimùm Deo cognitionem Dei commendari; doctrinam enim de Deo tantæ dignitatis est percipere, tantæ molis est tradere, ut à solo Deo percipere illam homo, & solus Deus homini tradere possit. 3. Decuit Deum cognosci non ea ratione qua cætera. Cætera intelliguntur demonstratione, demonstrantur intellectione; Deus anteriore aliquo & penitiore modo. 4. Reliqua mobili & variabili cogitatione, Deus immutabili, ut ipse est, & invariabili perceptione attingitur. 5. Reliqua actione & motu animæ, Deus quiete, silentio, & ipsius substantiæ apice, ipso uno, ante cognitionem omnem præsagitur & persentiscitur; *Omnibus ille rerum author perfectæ suæ excellentiæ signa inspersit, & per hæc circa seipsum collocat omnia; & omnibus ineffabiliter adest, ex universis exemptus. Unumquodque igitur in suæ naturæ arcanum ingrediens, invenit symbolum illius omnium Patris; & omnia secundum suam naturam illum venerantur, & per convenientem ipsi mysticam tesseram illi uniuntur, suam naturam exuentia, & solum esse illius signum studentia, illumque solum participare, desiderio ignotæ naturæ & fontis boni.* Sic ergo omnia Deus suo quasi sigillo munivit & contesseravit, nempe unamquamque naturam suo modulo, inanimam inanimo, intelligentem intellectuali sigillo. Plotinus autem: *Noli, quæso, Deum per alia intueri; alioquin scito te non Deum, sed ejus vestigium inventurum. Sed ipse tecum reputa quodnam sit hoc potissimum, quod fas est percipere tantum in seipso consistens, purum, nulli permixtum, &c.* Ubi rectè monet, reliqua omnia Deo commonstrando imparia esse, Deum demonstrare Dei solius propriè esse, ideo ipsum sei pso menti ultrò occurrere, & tanti magisterii dignitatem à quoquam sibi præripi non permittere.

Procl. Theolog. Platon. l. 2. c. 4.

Plotin. Enn. 5. l. 5. c. 10.

VI. Sed omnium luculentissimè Jamblicus: *Inquis igitur, primum Deos esse, dare necesse est. Sed neque is rectus est dicendi modus. Cohæret enim nostræ ipsi substantiæ de Diis innata cognitio. Est nempe judicio omni & consilio melior, necnon ratione ac demonstratione prior; una quin etiam à principio propria cum causa est, & simul cum nativo ipsius animi erga bonum amore subsistit. Imò si verum fari liceat, ne cognitio quidem est, ipse divinorum contactus. Coercetur enim cognitio ipsa quodammodo diversitate & varietate. Sed & ante eam quæ ut altera alterum noscit, cognitionem, naturalis est & indifferens cum Diis connexio, unicuique complexus. Non ergo concedendum arbitror Deos dare oportere, quasi & non dare possimus, in dubiumque id vocare.* Et infrà: *Quemadmodum ipsi eodem modo semper habent esse; ita & humana anima immutabili cognitione ipsos attingat. Humanus siquidem animus conjectura, aut opinione, aut syllogismo quopiam temporaneis rebus accommodato, minimè divinorum essentiam tempore superiorem asse-*

Jamblic. de Myst. segm. 1. c. 3.

assequitur. Sed puris & incorruptis intelligentiis, quas hausit ab æterno divinitus, per has notiones divinas, divinis copulatur. Tu verò videris arbitrari eandem esse divinorum & aliorum quorumvis cognitionem, darique ad oppposita alteram partem, ut assolet in his quæ in disputatione proponuntur. Atqui ab eis hæc prorsus abhorrent. Namque divina hæc scientia alterius omnino generis censetur, utpote ab omni oppositorum contrarietate disjuncta. Nec concedendo aut gignendo subsistit. Sed erat ab æterno unicolor in animo, animique collactanea. Quibus verbis, si quæ ex gentilitii erroris fuligine inhæserunt, exterseris, nihil magnificentius fingi potest, nihil uberius.

VI. Observat enim 1. cognitionem Dei non tam intellectui quàm ipsi substantiæ animæ inesse. 2. Collactaneam esse ipsius animi, semperque cum eo fuisse. 3. Omni intellectione priorem, omni demonstratione certiorem esse. 4. Simul in animo esse cum innato boni appetitu. 5. Non tam cognitionem esse, quàm contactum & complexum. 6. Cognoscens & cognitum aliud & aliud esse, at animos Deum contingere unitate & copula cum Deo. 7. Reliquas cognitiones post ignorationem, dubitationem, disputationem, affirmationem in animo exoriri & illucescere; at quod Deus sit, cum ipsius animæ medullis implexum sit, & intimæ essentiæ incisum, nec ignorari unquam potuisse, nec dubitari; ideoque nec in alterutram unquam partem disputari potuisse, & ita affirmari. 8. Ideoque longè amandandos esse, qui Deum existere concludunt, quasi in controversiam vocari id potuisset. Quis enim unquam disputandum proposuit, an totum sit majus parte, vel an binarius sit par? cùm tamen horum notitia nec tantæ dignitatis sit, nec tam splendidæ veritatis, nec tantæ utilitatis, nec tam arctæ necessitatis, nec tantæ cum animorum genere consanguinitatis, atque notitia Dei. Quamobrem si illam ita persuasit animus natura, ut nec obscurari possit, nec controverti; multò vehementiùs istam ita infixit, ut altercari de ea possit nemo sobrius composque mentis. Ubi enim notitia Dei, anticipatio ab Epicuro aliisque vocata est, anticipatio intelligebatur quodlibet ex primis principiis, ut appellare solent, de quibus dubitare aut disputare nemo deberet, nemo posset. Unde Cicero: *Quæ est*

Cicero l. 1. de Naturæ Deorum. *enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum, quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est, anteceptam animo quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari possita?*

VIII. Antedicta omnia unò eoque peregregio loco complexus est Jamblicus, in ipso statim exordio libri de Mysteriis, quem licèt paulò prolixiorem, non pigebit hìc adscribere. *Ante omnem rationis usum inest naturaliter insita Deorum cognitio.* Hæc est notitia Dei innata, quæ omnem rationis operam antevenit, & cui plerumque ratiocinatio ipsa innititur, ut mox liquebit. *Imò tactus quidam divinitatis melior quàm notitia.* Dei enim non tam notitia aliqua explicata, quàm contactus veluti quidam obtingit; minus lucis, plusculum certitudinis concilians; nec tam intelligere donans, quid sit Deus, quàm sentire quod sit. *Ex quo incitatur naturalis appetitus boni, & ratiocinatio, atque judicium.* Inest enim naturaliter omni naturæ rationali atque intelligenti appetitus boni, nec potest nisi ex anteriore boni notitia qualicumque, sive contactu, existere boni appetitus. Porro ut appetitiones boni omnes ex hoc primævo & insito boni appetitu manant; ita ratiocinationes omnes regulis quibusdam veri æternis & immutabilibus innituntur, quæ & ipsæ insitæ mentibus nostris ac naturaliter anticipatæ sunt. Nec enim verum à falso, certum à dubio, justa ab injustis, à turpibus honesta, nisi lumine quodam supernè effuso, & regulis incommutabilibus, quibus menti intus nostræ affulgeat, quid justum, quid honestum, quid certum, quid huic contrarium sit, dijudicare possumus. Regulæ porro illæ incommutabiles nonnisi in æterna & incommutabili veritate, quæ Deus est, radiant: nec lumen quo videntur, aliud quàm ipsum æternæ Veritatis lumen est. Ita omnis ratiocinatio ex insito Dei contactu nascitur. *Essentialis cognitio divinorum, quæ in anima est perpetua. Ac revera non est cognitio hæc, qua Deo fruimur. In cognitione enim alteritas; sed contactus quidam essentialis & simplex.* Ut in anima rationalis vita, motio, cogitatio & ratiocinatio jugis, irrequieta & infatigabilis quædam est, juxta Philosophorum istorum placita: ita jugis est circa Deum & incommutabilem veritatem discursatio. Non ea tamen Dei cognitione fit, ut Deo fruantur animæ. Illa enim cognitio in motione quadam & in venatione boni verique versatur; quæ alteritas quædam est. Alterum enim est quod movetur ad aliud, illudque inquirit: alterum id quod inquiritur, & quo fertur motio. Felicitas porro in quiete potiùs est quàm in motione, & in unitate potiùs cum summo bono, quàm in alteritate. *Non enim possumus attingere unitatem ipsam, nisi unitissimo quodam & unitate mentis, quæ super anima mentisque proprietatem extat. Unitas ipsa Deorum unit sibi animas ab æterno per unitates earum, secundùm contiguitatem tam propriam & efficacem, ut esse continuitas videatur.* Hæc eò spectant ut mentes nostræ beentur, non tam cognitione summi boni quàm ejusdem arcano contactu, quo ei adunantur, & in unum cum eo conglutinantur. *Intellectus divinus dat esse animæ per intelligere suum essentiale. Ergo esse animæ est quoddam intelligere, scilicet Deum ex quo dependet. Esse nostrum est Deum cognoscere: quia præcipuum esse animæ est intellectus suus, in quo idem est esse, quod intelligere divina actu perpetuo.* Cùm esse animæ sit vivere, cùm vivere animæ rationalis sit intelligere & ratiocinari, cùm intelligere & ratiocinari nefas sit, nisi affulgente supernè lumine veritatis, & incommutabilium ejus regularum, quibus ratiocinatio omnis regitur, hinc colligit Jamblicus, esse animæ esse quoddam intelligere Deum.

IX. Hactenus decreta horum Philosophorum prompsimus, finitima illa quidem non rarò nostris placitis, sed & quandoque devia, ut constabit ex iis quæ mox ex sanctorum Patrum castigatiore & ad normam veritatis accuratiore Theologia proferemus. Id unum hìc monemus, magno compendio & levi flexu ad veri orbitam reflecti ac revocari posse complurima Platonicorum istiusmodi placitorum, si explosa fabula vitæ ante corpora actæ, ejus loco constituatur omnium prorsus hominum in primo parente, ut in generis totius radice, præexistentia. In eo enim omnes eramus, in eo fruebamur summa & incommutabili veritate Deo, in eo à beata Dei contemplatione refriximus: exinde ægris & mortalibus corporibus illigati, non pœnitenda gerimus primævæ fœlicitatis vestigia, memoriam veluti quandam & cupiditatem primigenii boni, cognationem cum æterna & intelligibili veritate, & id genus alia, quæ ex superiùs dictis facilè colligi possunt. Etiam reminiscentiæ vocem usurparunt quandoque sancti Patres, quia ut ait Augustinus, omnes ille unus fuimus, omnes in illo eam fœlicitatem gustavimus, eam amisimus, quam nunc recordamur, cui suspiramus, velut ex residua ejus memoria.

CAPUT III.

Notitia Dei innata vel agnata omnium hominum mentibus probatur sanctorum Patrum suffragatione. Ac primò ex reliquiis primigeniæ fœlicitatis.

I. Hæc quasi reminiscentia, vel memoria superest Dei contemplationis, qua primus parens ante lapsum fruebatur, ex Boethio.

II. Hæc sunt quasi residua lineamenta divinæ imaginis, mentibus nostris inscripta. Ex Cassiodoro.

III. Ex Gregorio Magno, & ex Augustino, eadem confirmantur.

IV. Amor in sensibilia bona effusus, nonnisi ea ibi quærit, quæ in Deo quærenda, quæ in Deo primigenia fœlicitas possidebat ex Dionysio.

V. Et ex Augustino. Quo authore cupiditates ipsæ vitiosissimæ, Deum tamen utcumque somniant, Deum perversè quærunt, Deum distortè imitantur.

I. E Dignitate Theologiæ est, ut reliquarum scientiarum objectum sciri queat, hujus nesciri nequeat; reliquarum initiatio humanæ industriæ, hujus magistræ naturæ debeatur; primamque Theologicæ quæstionis diffinitionem suo ore pronunciaverit, sua manu insculpserit tabulis ære perennioribus, videlicet immortalibus omnium hominum mentibus summus dictator veræ Theologiæ & Verbi Dei parens. Ut autem eadem ferè relegamus vestigia, ante rudimenta magistrorum, ante experimenta sensuum, anticipatam inesse omnium mentibus Dei notitiam sancti Ecclesiæ Patres unanimi suffragatione consentientes, id

Declararunt 1. Quod paternæ hæreditatis per peccatum dilapidatæ hæc saltem tenuissima portio ad nos transmissa sit; ejusque beatissimæ contemplationis qua primus parens ante transgressionem & nos in ipso potiebamur, hæ tantùm nobis reliquiæ superstites obvenerint. Ac 1. quidem audaciùs Platoni assentitur Boethius, crudumque ejus de reminiscentia commentum amplectitur; unde si cæterorum omnium, quanto penitiùs Dei notitia menti inscripta supererit! *Non omne namque mente depulit lumen, obliviosam corpus invehens molem, hæret profectò semen introrsum veri, quod excitatur ventilante doctrina. Nam cur rogati, sponte rectà censetis, ni mersus alto viveret fomes corde? Quod si Platonis musa personas verum, quod quisque discit, immemor recordatur. Tum ego, Platoni, inquam, vehementer assentior, nam me horum jam secundo commemoras; primum quod memoriam corporea contagione, dehinc cum mœroris mole pressus amisi.* Stabunt hæc Boethii utcumque, si ita veri semina animis inesse Platoni consentiat, ut ullam eos ante corpora vitam egisse neget, atque ita corporis mole oblivionem invehi sentiat, non eorum quæ aliquando scissent, sed quæ alioqui sciturі fuissent. Sine hac cautela periclitaretur tanti viri fides.

(Boeth. l. 3. Consol Phil. les. metro. 11.)

II. Imago Dei primo homini olim impressa, in his tribus potissimum dotibus refulgebat, memoria Dei, ejusdemque notitia, & amore, ut æternitatem Patris memoria, sapientiam Filii notitia, charitatem Spiritus sancti amore æmularetur. At imago per peccatum obscurata quidem est, non tamen abolita, ut omnibus exploratissimum est Catholicis; ergo Dei notitia non excisa penitus est, sed obnubilata sensibilium imaginum procellis; & si mavis, in penitius aliquod mentis latibulum abdita, in oblivionis antrum abstrusius abacta, & per quandam veluti reminiscentiam revocanda, non tamen extincta; sopita, non emortua est. Cassiodorus: *Primus homo Deum in memoria tenebat sine oblivione, scientia cognoscebat sine errore, amore affectabat sine alterius rei cupiditate.* Et infrà: *Imago creatoris licèt in homine sit corrupta, non est prorsus abolita; propterea memoriam habet, sed oblivioni obnoxiam; scientiam, sed errori subjectam; amorem quoque, sed pronum ad cupiditatem.* Quæ Cassiodori verba exscribens & suo more illustrans Ælredus, hæc habet: *Æternitatis capax est memoria, sapientiæ scientia, dulcedinis amor. In his tribus ad imaginem Trinitatis conditus homo, Deum quem memoria retinebat sine oblivione, scientia agnoscebat sine errore, amore amplectabatur sine alterius rei cupiditate, hinc beatus.* Et infrà: *Corrupta est in homine Dei imago, non abolita penitus; proinde habet memoriam, sed obnoxiam oblivioni, &c.* Et rursum: *Impleatur quæso Domine illud propheticum, Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ. Reminiscentur, inquit; absconditam ergo, non sepultam omnino in mente rationali, Dei intellexit memoriam, ut non tam novum aliquid insertum, quàm illud antiquum sentias reparatum. Nisi enim naturaliter quodammodo in ipsam Dei memoriam, vel modicum ratio scintillaret humana, puto non esset unde vel insipiens diceret in corde suo, Non est Deus.* Et tandem prolixam illius insipientis objurgationem ita concludit, *Ne dicas in corde tuo, Non est Deus; sed potius reminiscens, convertere ad Dominum Deum tuum cum omni fine terræ.* Quibus in verbis adverte, vim divinæ imaginis homini inscriptæ, in memoria & scientia & amore ita sitam esse, ut Deum jugi adhæsione complectantur, quod & aliis Patribus animadversum est. Adverte item imaginem peccato obtenebratam esse, non deletam. Item memoriam ergo Dei aliquam in omnium mentibus superesse, & ex imaginis residua pictura effulgescere. Item eam Dei memoriam in ipsius insipientis corde scintillare nonnunquam, ejusque facinora illuminare, sed confestim ab eo comprimi. Item hanc dici posse reminiscentiam sacri Vatis authoritate, ubi memoria Dei in mente hominum abscondita, non omnino sepulta, renovatur & reviviscit.

(Cassiod. l. de amicitia.)

(Ælredus l. 1. Speculi Charit. c. 8. & 1. 6.)

III. Similiter Gregorius Magnus in illa verba, *Quia oblitus sum comedere panem meum: Panis ejus (Adami) fuit visionis divinæ delectatio, Verbi Dei satietas, internæ quietis gaudium, lucis inaccessibilis splendor, sapientiæ refectio, Angelorum societas, amor Dei, jubilum spiritus, contemplationis suavitas, collocutionis desiderium, securitas mentis, præsentia creatoris. Quem panem profectò tunc perdidit, cum serpentis suggestioni consensit.* Et paulò post: *Quicumque ergo illius portat imaginem, factus est de terra terrenus, panem suum comedere obliviscitur, quia terrenæ voluptatis captus illecebris in Verbo Dei non delectatur. Panis enim noster Verbum Dei est.* Ubi observa, Dei nunc ignorantiam, verè oblivionem dici; ideoque ejus notitiam, dici posse reminiscentiam. Observa item more Patrum, sic de Adamo & nobis Gregorium verba facere, quasi universum genus humanum unus homo esset; ideoque nos quodammodo visione & charitate Dei plenissima in illo potitos esse, inde lapsos esse, in oblivionem decidisse: memoriam tamen subobscuram retinere, & per reminiscentiam reparare eorum, quæ nunquam nisi in illo cognovimus. Observa denique quia Adami portamus imaginem; & tales nascimur, qualis ille post peccatum fuit, quando nos genuit; ut ille Dei claram visionem amiserat, memoriam retinebat: ita & nos claræ visionis inopes, solius Dei memoriæ compotes sumus. Et hoc perspicuè tradit Augustinus, ubi rationem vestigans cur anima naturaliter concupiscat seipsam nosse, ait: *An aliquem finem optimum, id est securitatem & beatitudinem suam videt, per quandam occultam memoriam, quæ in longinqua eam progressam non deseruit, &c. Sed cur memoria beatitudinis suæ potuit, & memoria sui cum ea perdurare non potuit, ut tam se nosset quæ vult pervenire, quàm novit illud quo vult pervenire?* Ubi beatitudinis summæ occultam memoriam subesse in anima, quæ eam in longinqua peccato progressam non deseruerit, manifestè declarat.

(Greg. Mag. in Psal. 4. Pœnit.)

(Aug. l. 10. De Trinit. c. 5.)

IV. Omnis amor sensibilium simulacrum est amoris divini, sed distortum; ejus imitatio, sed perversa; particula, sed obnubilata cupiditatum pestiferis afflatibus. Subrutilat adhuc in ipsis perditissimorum hominum affectibus imago Deitatis; ea affectant, quæ in solo Deo reperire est; sublimitatem, veritatem, voluptatem quærunt, nullo limite circumscriptam, nullo fine interruptam, nullo nubilo inquinatam; & quoniam nihil hujusmodi inter res creatas occurrit, eas simul ac degustarunt, fastidiunt; ab aliis in alia rapiuntur, experiuntur omnia, nec unquam exsaturantur; quia æterna, vera,

vera, & doloris expertia esurientem animum, exasperant magis quàm exsatiant, quæ fugacia, fallacia, & multis amaritudinibus delibuta sunt bona. Excitat ergo creaturarum fastidium, insitum Creatoris desiderium; prædicat esse aliquid ultra & supra temporalia, æternorum innata sitis; capacitas animi ambitiosior, & ultra caduca omnia patens, & semper hians & inexsaturabilis, esse aliquod incorruptibile & inexhaustum bonum, quærendo contestatur. Quid enim quæreret, nisi quod esse suspicaretur, & quasi de longè olfaceret? Illa ergo triplex & capitalis cupiditatum vitiositas, esse aliquam æternam sublimitatem, incommutabilem veritatem, imperturbabilem voluptatem subodoratur & testificatur, & ad illam infatigabiliter enitendo, & ad alia omnia nauseando. Dionysius: *Qui (amor sensibilium) non est verus amor, sed imago, vel potius lapsus à vero amore.* Nisus enim animi ultro ad æterna, quæ de longè odoratur, contendit; sed visco cupiditatum eò evolare prohibitus, ad sensibilia delabitur. Et in eum locum Pachymeres: *Amor corporeus simulacrum est amoris divini, cùm hic etiam animam accendat, sed ad nihil diligibile & stabile; quin potius amoris lapsus est. Unde etiam anima naturaliter & secundùm gratiam ita comparata ut veram concupiscat pulchritudinem, & ad illius fervorem incalescat, talis calor & motus innascitur. Sed mens à vero judicio aberrat, & per concupiscentiam avertitur, & id quod secundùm naturam odio habendum est, existimat desiderandum esse; & tanquam quid permanens, id quod transitorium est, amplectitur; & hic est divini amoris lapsus, ex impassibili in passibilia, ex divino in corporeum, &c.* Et Maximus Martyr in idem caput Dionysii, de amore disserens: *Quæ etsi perniciosa esse videatur amicitia, tamen est obscura divini amoris portiuncula.* Superest ergo post peccatum in omnium animis memor aliqua Dei notitia, sed abstrusior; & innatus quidam in illum quærendum & amandum impetus, sed lentior; cùm vehementissimæ autem per peccatum excitæ sint phantasmatum & cupiditatum tempestates, hæ nimirum totum hominem abripiunt, & in sensibilia penitus demergunt.

Dionys. de div. nom. c.4. nu. 12.

V. Augustinus: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Ergo cordis irrequieta jactatio, & terrenorum omnium nausea, & ulterioris semper boni fames, clamat nos à summo bono & ad summum bonum factos esse, & hoc in corde sentiunt, etiam qui ore dissentiunt. Et infra ibidem: *Meam incolumitatem, vestigium secretissimæ unitatis ex qua eram, curæ habebam.* Et ibidem: *Fugiebam dolorem, abjectionem, ignorantiam. Quid in tali animante non mirabile atque laudabile?* Et paulò pòst: *Hoc enim peccabam, quod non in ipso, sed in creaturis ejus, me atque cæteris, voluptates, sublimitates, veritates quærebam, atque ita irruebam in dolores, confusiones, errores.* Et rursum: *Quo vobis adhuc & adhuc ambulare vias difficiles & laboriosas? non est requies ubi quæritis eam. Quærite quod quæritis, sed ibi non est, ubi quæritis.* Ubi advertis impetus illos innatos fugiendi dolorem, ignorantiam, abjectionem; ambiendi voluptatem, veritatem, sublimitatem, laudabiles esse; illa verè fugienda, hæc verè ambienda esse; sed eos affectus ideo vitiosos, ideo inquietos esse, quòd in creatura quærant id quod in Creatore solo & quærere & invenire licet. Et rursum: *Est defectiva quædam species & umbratica vitiis fallentibus. Nam & superbia celsitudinem imitatur, cùm tu sis unus super omnia Deus excelsus; & ambitio quid nisi honores quærit & gloriam, cùm tu sis præ cunctis honorandus unus & gloriosus in æternum?* Et post enumerationem prolixam vitiorum divinas dotes imitantium: *Ita fornicatur anima, cùm avertitur abs te; & extra te quærit ea, quæ pura & liquida non invenit, nisi cum redit ad te. Perversè te imitantur omnes qui longè se faciunt à te, & extollunt se adversùm te. Sed etiam sic te imitando, indicant te creatorem esse omnis naturæ, ideo non esse quò à te omnino recedatur. Quid ergo in illo furto ego dilexi? & in quo Dominum meum vel vitiosè atque perversè imitatus sum? An libuit facere contra legem saltem fallacia, quia potentatu non poteram; ut mancam libertatem captivus imitarer, faciendo impune quod non liceret, tenebrosa omnipotentiæ similitudine?* Ex quibus Augustini verbis perspicuum fit omnia vitia esse imitationes Dei, & divinum aliquid augurari & aucupari. Item, vitiosas tamen & præposteras esse imitationes, quia Deum extra Deum & divina in creaturis quærunt. Item hanc esse vim veræ Divinitatis, quòd eam ipsa cæcitas videat, ipsa vitiositas imitetur; sicut ea vis est luminis solaris, ut illud effossi etiam oculi internoscant. Denique hoc esse intestinum & invictissimum Divinitatis testimonium, quod ea etiam vitia, quibus, quantum fieri potest, deseritur Deus, quibus ejuratur, illum utcumque imitando, illum existere, & imperare testificantur; Creatoris porro agnitioni & imitationi arctè adeo illigatas esse creaturas, ut inde ne discedendo quidem discedant.

August. l. 1. Confess. c. 1.

Ibid. c. ult.

Ibid. l. 4. c. 12.

Ibidem. L. 2. c. 6.

CAPUT IV.

Idem sancti Patres probant ex humani generis ad unius Dei confessionem consonantissima conspiratione.

I. Omnes omnium Gentium homines in tantis circa res omnes alias dissentionibus in unius summi Numinis confessionem consentiunt; ex Græcis Patribus.

II. Rursum ex Græcis Patribus.

III. Ex Augustino & aliis Latinis.

IV. Ex Tertulliano, testimonium animæ omnium prorsus hominum naturaliter Christianæ prolixiùs expendente.

V. Multa adnotantur in illo naturali animæ testimonio de Deo.

VI. De eodem animæ testimonio, ex aliis Latinis Patribus.

VII. Et idololatræ ipsi unum summum Deum esse sentiebant.

VIII. Id rursus confirmatur.

IX. Quid de Atheis sentiendum.

I. Declararunt 2. ex humani generis ad unius Dei confessionem consonantissima conspiratione. Ac 1. quidem omnes planè omnium gentium, omnium ætatum homines ex innata notitia in hoc consensisse, consentiunt Patres omnes. Philo in libro de Gigantibus: *Quis est adeo rationis expers, aut animæ, ut nulla unquam de Optimo illo Maximoque eum volentem nolentemve subierit cogitatio? Imò vel sceleratissimis obversatur nonnunquam repentina honestatis imaginatio, quam tamen apprehendere, & apud se retinere nequeunt.* Clemens Alexandrinus: *Erat quædam antiqua naturaliter hominibus ingenerata, cum cœlo societas; ignoratione quidem obscurata, sed quæ tamen repentè ex tenebris exilit & emicat, &c.* Et aliquantò pòst: *Omnibus enim simpliciter hominibus, maximè autem iis qui versantur in doctrina & litteris, instillatus est quidam divinus influxus. Qua de causa vel inviti quidem fatentur unum esse Deum incorruptibilem & ingenitum.* Et alibi idem: *Nullum usquam genus neque agricolarum, neque pastorum, neque eorum qui versantur in civitatibus, potest vivere, nisi ejus quod est præstantius, fide præoccupatum, præventumque fuerit. Quamobrem universa gens Orientalium & Occidentalium, quæque ad Septentrionem & Austrum, unam habet & eandem anticipatam notionem de eo qui constituit principatum.* Denique in Admonitione ad Gentes paulò post initium, de Diagora, Theodoro, aliisque paucissimis agens, qui olim ut Athei infa-

Philo de Gigant pag. 286.

Clem. Alex. in Admon. ad Gentes.

Idem l. 5. Strom.

infamati sunt, existimat eos adversatos esse non Deo, sed Diis, quos vel ipsa numerositas Deitate exauthorabat. *Etiamsi*, inquit, *veritatem ipsam non consideraverint, sed errorem certè suspicati sunt; quod quidem non parvum exoritur semen ad excitandam scintillam intelligentiæ veritatis*. Ubi ingenitam esse hujusmodi notitiam arguit ex cognatione antiqua hominis cum cœlo, ex necessitate qua superioris naturæ metu regi, ideoque fide præmuniri humanum genus opus est, ex testimonio quod vel invitis extorquet naturæ vis; ex eo quod qui ut Athei traducti sunt, non tam Deum illi, quàm Deos negarint; atque ita ipsos non tam veritas latuit, quàm error non latuit, & errorem labefactando veritati utcumque consenserunt. Origenes contra Celsum: *Dicendum insitum esse hominibus ejus sensum* (*quod statuæ Dii non sint*) *quemadmodum moralis disciplinæ reliquiæ, &c. Liquet igitur quod de hac quoque opinione, divinis litteris inscriptum sit hominum cordibus quid sequendum sit*. Celsus porrò tametsi Gentilis, adeo non dissentiebat ab unius Dei veritate, ut & bruta aliquo ejus sensu donaret. Qua etiam de causa & ab Origene refellitur. Eusebius Cæsariensis Episcopus: *Eximium illud esse ac salutare in primis, quod Dei nomen essentiamque significat, ipsius naturæ ductu, & notionibus ultro innatis, vel potiùs à Deo inspiratis*, αὐτοδιδάκτοις, μᾶλλον δὲ θεοδιδάκτοις. *nemo non intelligit. Hoc enim omnes populi communi quodam rationis sensu percepere; cùm id omni animo ratione & intelligentia prædito, omnium conditor naturalibus notionibus inseverit*.

Orig. l. 1. cont. Celsum. Et l. 4.

Euseb. Præpar. Ev. l. 2.

Naz. Orat. 34. II. Gregorius Nazianzenus: *Ac de patre quidem quid dicere necesse est, cui omnes uno consensu, naturalibus notionibus anticipati, parcunt?* Gregorius Nyssenus: *Quemadmodum enim opinio de Numine divino naturaliter quidem insita est omnibus hominibus, sed ignoratione veri Dei peccatorcirca id quod colitur*. Et rursus idem Nyssenus: *Si illud, ad imaginem, piè considerasset Macedonius, nunquam Spiritum sanctum creaturam esse dixisset; sed excæcati non aliter sunt affecti, atque illi qui in sinu margaritum habent, ipsum autem non noverunt, & in profundo mari vagando perquirunt*. Apposita sanè comparatione, declarans eos qui cùm notitiam Dei in animi sui medullis inscriptam gerant, gerere se ignorant & alibi quærunt, similes esse eorum qui longè quæritant, quod in sinu gestant. Chrysostomus: *Non est Deus. Et quomodo omnis lingua hominis Deum nominat? Falluntur ergo omnes hominum myriades, quæ Deum esse dicunt, & solus insipiens se putat verum dicere, qui solus ita mentitur. Et qui quinque vel septem testimonia vult in testamentis evertere, per consensum reprobatur ac rejicitur, ubi judicat veritas; publicam autem totius orbis & universam mundi linguam solus vult insipiens evertere. Et quomodo non est verè reprobus insipiens, & seipso insipientior. Insipiens per ignorantiam, insipientior per impudentiam*. Author operis imperfecti in Matthæum: *Sicut omnes homines naturaliter cognoscunt Deum, non autem videntur verè cognoscere, quia non dignè colunt, &c.* Joannes Damascenus: *Cognitio quod Deus sit, naturaliter nobis insita est*. Et ante hos omnes Justinus Martyr: *Dei appellatio, nomen non est, sed rei inenarrabilis insita naturæ hominum opinio*. Librum de Monarchia idem Justinus eo uno consilio se scripsisse profitetur, ut *insitam à natura, sed à prava consuetudine oblitteratam de uno Deo sententiam resuscitet ex Poetarum scriptis*.

Nyssenus. Orat. 5. De beatitu.

Idem Tract. de eo quid sit ad imag. & simil.

Chrysost. In Psal. 13.

Damascen. L. 1. c. 1. & 3.

Justin. Apol. 2.

Augustinus Tract. 106. In Joan. III. Augustinus autem illa Christi verba ad Patrem, *Manifestavi nomen tuum hominibus*, de nomine Patris per Christum manifestato interpretatur; nomen quippe Dei jam olim innotuisse naturaliter. *Hæc est enim vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur authorem*. Author Carminis de Providentia apud Prosperum,

Seu nostros annos, seu tempora prisca revolvas,
Esse omnes sensere Deum; nec defuit ulli
Authorem natura docens; & si impius error
Amisit, multis tribuens, quod debuit uni.
Innatum est cunctis, genitorem agnoscere verum.

Hieronymus in illud Job, *Omnes homines vident eum. Per naturæ bonum notitia creatoris inest cordibus hominum, & quamvis aliquis tam parvus sit & frigidus, ut alienus esse studeat à creatore suo, nullus tamen est qui se abscondat à calore ejus*. Et in Commentariis Epistolæ ad Galatas: In illud, *Cùm autem placuit ei: Ex quo perspicuum est, natura omnibus inesse Dei notitiam*.

IV. Innatæ hujus Dei notitiæ testificatrices erant voces illæ, quæ Gentilibus ipsis profanæ superstitioni innutritis erumpebant interdum, Deus videt, si Deus voluerit, Deus reddet, Deo commendo, &c. Tertullianus: *Adeo non ignorat* (*anima seipsam*) *ut authorem & arbitrum & statum suum norit. Nihil adhuc de Deo discens, Deum nominat. Nihil adhuc de judicio ejus admittens, Deo commendare se dicit*. Et rursus alibi: *Nec enim si aliquanto posterior Moyses, primus videtur in templo litterarum suarum Deum mundi dedicasse, idcirco à Pentateucho natales cognitionis supputabuntur, &c. Antè anima quàm prophetia: Anima enim à primordio, conscientia Dei, dos est*. Et in Apologetico: *Hæc summa delicti est, nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt, &c. Quæ* (*anima*) *licèt carcere corporis pressa, licèt institutionibus pravis circumscripta, licèt libidinibus & concupiscentiis evigorata, licèt falsis Diis exancillata; cùm tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, & Deum nominat, hoc solo, quia propriè verus hic unus Deus, bonus & magnus; &, Quod Deus dederit, omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum, Deus videt; &, Deo commendo; &, Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ! Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit. Novit enim sedem Dei vivi; ab illo & inde descendit*. Sed specialem & luculentissimum is ipse conscripsit libellum de Testimonio animæ, ubi prolixè hoc argumentum tractat; pauca hinc decerpam: *Novum testimonium advoco, imo omni litteratura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine majus, id est totum quod est hominis. Consiste in medio anima, &c. Sed non eam te advoco, quæ scholis formata, bibliothecis exercitata, &c. te simplicem & rudem & impolitam & idioticam compello, qualem habent qui te solam habent, illam ipsam de compito, de trivio, de textrino totam. Imperitia tua mihi opus, quando aliquantulæ peritiæ tuæ nemo credit. Ea ex postulo quæ tecum in hominem infers, quæ aut ex temetipsa, aut ex quocumque authore tuo sentire didicisti, &c. Dic testimonium, si ita scis. Nam te quoque palam & tota libertate qua non licet nobis, domi aut foris audimus ita pronuntiare, Quod Deus dederit; &, Si Deus voluerit. Ea voce & aliquem esse significas, & omnem illi confiteris potestatem, ad cujus spectas voluntatem; simul & cæteros negas Deos esse, dum suis vocabulis nuncupas Saturnum, Jovem, Martem, Minervam. Nam solum Deum confirmas, quem tantum Deum nominas. De natura quoque Dei quem prædicamus nec te latet. Deus bonus est, Deus benefacit, tua vox est, &c. Hinc ergo tibi anima de conscientia suppetit, domi ac foris, nullo irridente vel prohibente, prædicare, Deus videt omnia; &, Deo commendo; &, Deus reddet; &, Deus inter nos judicabit, &c. In ipsis denique templis Deum judicem imploras, &c. neminem de præsentibus Deis contestaris, in tuo foro aliunde judicem appellas, in tuis templis alium judicem pateris. O testimonium veritatis, quæ apud ipsa dæmonia testem efficit Christianorum!* Et infrà: *Hæc testimonia animæ, &c. quantò communia, tantò naturalia; quantò naturalia, tantò divina. Non putem cuiquam frivolum & frigidum videri posse, si recogitet*

Tertull. L. de Carne Chr.

Idem l. 1. cont. Marc.

gitet naturæ majestatem, ex qua censetur authoritas animæ. Quantum dederis magistræ, tantum adjudicabis discipulæ. Magistra natura, anima discipula. Quidquid aut illa edocuit, aut ista prodidit, a Deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistræ.

V. Multa hic expendes quæ magni planè sunt ponderis ad hujus animæ de Deo testimonii authoritatem: 1. quòd illa accersitur de compito, de fæce vulgi, ut quò rudior & impolitior est, eò fingendi imperitior. 2. Illiterata, ut quod promet, de naturæ, non de ascititiæ alicujus disciplinæ penu promi constet, ut ignorantiæ ejus tantò plus fidei habeatur. 3. Idolorum superstitionibus à teneris unguiculis innutrita, ut Veritatis innatæ lux tantam præjudiciorum caliginem dispellere mirabiliùs possit. 4. Concupiscentiis evigorata, ut liqueat tantam vim esse insiti veri, ut nec tota vitiorum colluvies illam scintillam extinguere potuerit. 5. Inter ipsas Deorum aras & simulacra, invicta ingenitæ veritatis & intimas animæ medullas occupantis potestate, totam illam simulacrorum fidem & reverentiam, tanquam foris tantùm appictam & simulatam subitò excutiente. 6. Oculis manibusque interim non in Capitolium, aut aliud quodvis impietatis templum, sed in cœlum contortis. 7. Falsos Deos suis quosque privatis nominibus, at verum Deum, Deum tantum appellitando, illos exauthorabat, huic uni totam Divinitatis fidem & venerationem adrogabat. 8. Nec Deum tantùm, sed palmaria Dei attributa resonabat, sapientiam, providentiam, bonitatem, unitatem, justitiam, &c.

Lactant. l. 1 Div. instit. c. 1. VI. Denique rectè advertit Lactantius hic subnectendus; has voces Gentilibus erumpere tum maximè solitas fuisse, cum repentino aliquo infortunio percellebantur, cùm scilicet non erat fingendi tempus, cum deliberandi & adventitia erroris præjudicia consulendi non erat otium, sed subita vi inopinantibus emicabat, quod in intimo animæ sinu latebat. *Cùm verò ipsos Deorum cultores sæpè videamus Deum summum & prædicare & confiteri, quam sibi veniam sperare possint impietatis, suæ qui non agnoscunt cultum ejus quem prorsus ignorari ab homine fas non est. Nam & quum jurant & quum optant, & cùm gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant. Adeo ipsa veritas cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit. Quod quidem non faciunt in prosperis rebus; nam tum maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cùm beneficiis ejus fruentes, honorem dare divinæ indulgentiæ deberent. At verò si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur; si belli terror infremuit, &c. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi* Cyprian. de idol. vanit. *dum in malis sunt.* Item Cyprianus: *Nam & vulgus Deum in multis naturaliter confitetur; cùm mens & anima sui authoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus, ò Deus! Deus videt, Deo com-* Minut. Fel. in Octavio. *mendo, Deus mihi reddet; &, Quod vult Deus; &, Si Deus dederit. Atque hæc est summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis.* Minutius: *Audio vulgus, cùm ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt; &, Deus magnus est; &, Deus verus est; &, Si Deus dederit. Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio?* Arnobius: Arnob. l. 1. adv. Gent. *Quem esse omnes naturaliter scimus, sive cum exclamamus, ò Deus, sive cum illum testem constituimus improborum, & quasi nos cernat, faciem sublevamus in cœlum.*

VII. Insitæ hujus notitiæ splendor densissimas idololatriæ & impietatis tenebras perrupit. Nam Idololatræ primùm quidem de Deitate ipsa non ambigebant; una an multiplex esset, cæcutiebant. Deinde ideo in multa & falsa luxuriabant Numina, quia cùm mens ex intestino oraculo ominaretur esse Deitatem, anima autem & originali malo, & perversæ consuetudinis vitio laborans, sola sensibilia amaret, & ita amaret, ut ea sola cogitare posset; hinc veluti ex infando conjugio adulterinorum Deorum oriebatur colluvies. Denique inter ipsos idolorum cultores, longè plurimi supra sensibiles & minores Deos Deum summum unumque, sed Deorum mediorum interventu adeundum profitebantur. Impii autem, sicut Athei, qui siqui fuere, paucissimi sanè fuere, primùm quidem non tales nati sunt, sed vitiorum exundante colluvione naturales illas quas menti Deus inscripserat litteras penitùs obduxere. Deinde insipientes hujusmodi, quod Deus non esset, in corde dixerunt, non cogitaverunt; nam verba quidem ipsa imaginati sunt, ut licentius in libidines suas lascivirent; sed sensum verborum vix ac nec vix capere aut sibi persuadere potuerunt. Denique id dixerunt in corde suo, ore effari exhorrescentes, seu sua ipsos conscientia absterreret, seu aliorum terror perterrefaceret; sicque Deum negando, illum tamen vel suæ vel publicæ conscientiæ inscriptum testabantur. Eusebius: *Alii* Euseb. Prep Eva. l. 1. c. 5. *inditis à natura notionibus tantillum excitati, Deum quidem & Dei potestatem, salutaris & boni quidpiam esse cogitabant; sed cum ad ejus cognitionem aspirarent, sublatis in cœlum animis, aciem mentis ibi defixere, astrorumque toto cœlo micantium sensusque ferientium pulchritudinem admirati, Deorum iis nomen honoremque tribuere; alii in terram sese animosque devolventes, &c.* Ubi apertè ex admiratione rerum corporearum, & ex ingenito augurio Deitatis, sensibilium Deorum errorem & cultum germinasse docet.

VIII. Ex Epistolis autem multis apud Augustinum, planum fit persuasum fuisse pluribus Gentilium Deum unum esse, Deos autem qui vulgo colerentur, esse, vel virtutes illius per orbem universum sparsas, & quasi beneficiorum fontes; vel Deos minusculos viam nobis ad summi Dei benevolentiam complanantes. Maximus Gentilis: *Equidem* Aug. Epist. 21. 22. 43. *unum esse Deum summum, sine initio, sine prole, Naturæ ceu magnum Patrem atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus neget esse certissimum? Hujus nos virtutes per mundanum opus diffusas, multis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus cuncti proprium videlicet ignoramus. Nam Deus omnibus religionibus commune nomen est. Ita fit ut dum ejus quasi quædam membra carptim variis supplicationibus prosequimur, totum colere profectò videamur.* Ne penes Gentiles quidem ergo hoc ingenitum de Deo testimonium penitùs conticuerat.

IX. Quoad Atheos autem paucissimos eos fuisse author est Augustinus: *Rarum hominum genus est* Aug. in Psal. 52. *qui dicant in corde suo, Non est Deus.* Eam autem impietatem proserpsisse ex morum desperatissima improbitate, nativum animæ lumen omnino contenebrante, idem affirmat: *Dixit imprudens in cor-* Idem in Ps. 13. *de suo, Non est Deus. Nec ipsi enim sacrilegi & detestandi quidam Philosophi, qui perversa & falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere, Non est Deus. Ideo ergo dixit, In corde suo, quia hoc nemo audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in affectionibus suis, id est, dum amant hoc sæculum, & non amant Deum. Ipsæ sunt affectiones quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, ut possit etiam dicere imprudens in corde suo, Non est Deus.* Ubi vides non ausos hoc pronuntiare, Idem in Ps. 74. ausos cogitare; plus publicam quàm suam reformidantes conscientiam. Idem Augustinus alibi: *De nullo loco non judicat, qui ubique secretus est, ubique publicus; quem nulli licet, ut est cognoscere, & nemo permittitur ignorare.* Primasius Augustino assentitur, in illud Pauli, *Qui cùm Deum cognovissent.* Ansel. Prologii c. 4. *Quomodo cognoverunt? sive ex conscientia, per insitam sibi rationem, sive ex mundi facturà.* Denique Anselmus: *Non uno tantum modo dicitur aliquid in corde, vel cogitatur. Aliter enim cogitatur res, cum vox eam significans, cogitatur; aliter cum idipsum quod res est, intelligitur. Illo itaque modo potest cogitari Deus non esse, isto verò minimè. Nullus enim intelligens id quod Deus est, potest cogitare quia Deus non est, licèt hæc verba dicat in corde; aut sine ulla,*

aut

aut cum aliqua extranea significatione. Ergo & illi paucissimi naturalis scintillæ expugnatores, illam verbo tenus tantùm expugnarunt, non intellectu; mendacium tam insolens vocibus concinnarunt, non sensibus persuaserunt; falli voluerunt, non potuerunt; tam invicta enim omnipotentia est lucis divinæ, ut nec ejus scintillam animæ ingenitam tota superstitionum & vitiorum colluvies extinguere potuerit.

CAPUT V.

Idem iidem probant ex innato appetitu summi boni.

I. Amissæ per peccatum Adæ beatitudinis memoriam quamdam superesse aliqui dixere, & hunc esse summi & universalis boni appetitum.

II. Omnes homines naturaliter appetunt beatitudinem, sapientiam, veritatem; quod totum Deus est, quod unus Deus est.

III. Amant & omnes naturaliter justitiam, unde ad insignem alicujus justi piique viri sanctimoniam ob oculos positam, exardescunt ejus amore.

IV. Cur hic amor insitus justitiæ justitiam non conciliet.

I. Declararunt 3. ex innato amore & appetitu boni, beatitudinis, sapientiæ, veritatis, id est Dei. Ac primùm amissæ per peccatum beatitudinis memoriam, & mœrorem, ejusque recuperandæ cupiditatem superstitem in omnibus esse, nonnullis visum est: ut hæc veluti priscæ damnationis exprobratio sit, & tantæ resarciendæ jacturæ extimulatio. Prudentius Tricassinus Episcopus, nisi hæc sit additio marginalis: *Et quidem juxta id quod homini libertas addicta atque servilis remansit, dicitur ei ad testimonium suæ damnationis relictus beatitudinis appetitus. Ut hoc audito vocabulo, ejus dulcedine illectus, appetat beatitudinem, ad cujus perceptionem bene, rectè, pieque vivendo pervenire non vult. Et quia talis appetitus ex testimonio, ut ita dixerim, servilis libertatis, non ex dono gratiæ procedit, in sese relisus atque communitus, emarcescit continuo & evanescit.*

Prudent. l. de Prædest. contra Scot. c. 5.

II. Omnes naturaliter & ante omnia sensuum & magistrorum tyrocinia appetunt bonum, beatitudinem, sapientiam, veritatem; ergo anticipatam habent quandam horum notitiam; at hæc omnia non aliud sunt quàm Deus ipse. Nam bonum appetitur non hoc aut illud, sed planè omne, & summum; in hoc autem vel illud particulare bonum mens rapitur, consuetudinis vitiosæ & sensuum præstigiis excantata; quocirca quasi se sibi reddens, illud ut impar protinus fastidit, altiùs suspirat; & quamvis millies vitiorum pondere deprimatur, & ad sensibilia bona retorqueatur, amplitudinem suæ sitis nunquam obliviscitur, ad altiora anhelat, nec conquiescit unquam. Mens ergo Deum esurit fame inextincta; sed quia cupiditas multò impotentiùs bona esurit temporalia, hæc illi fucum facit, suadet in temporalibus bonis Deum esse, & volentem nolentemque abripit. Augustinus: *Num aliam putas esse sapientiam, nisi veritatem, in qua cernitur & tenetur summum bonum? &c. Ut ergo constat nos beatos esse velle, ita nos constat velle esse sapientes, quia nemo sine sapientia beatus est. Nemo enim beatus est nisi summo bono, quod in ea veritate quam sapientiam vocamus, cernitur & tenetur. Sicut ergo antequam beati simus, mentibus tamen nostris impressa est notio beatitatis; per hanc enim scimus, fidenterque & sine ulla dubitatione dicimus beatos nos esse velle: ita etiam priusquam sapientes simus, sapientiæ notionem in mente habemus impressam.* Et boni ergo & sapientiæ & veritatis, sicut & beatitatis, quæ omnia Deus est, ut appetitio, ita & prænotio naturaliter insita est. Rursus idem alibi: *Quoniam exulavimus ab incommutabili gaudio, nec tamen inde præcisi atque abrupti sumus, ut non etiam in istis mutabilibus & temporalibus æternitatem, veritatem, beatitudinem quæreremus: missa sunt nobis divinitus visa congrua peregrinationi nostræ, quibus admoneremur, non hic esse quod quærimus, sed illuc ad ipsa esse redeundum, unde nisi penderemus, hic ea non quæreremus.* Et lib. 1. Retract. c. 1. *Sine controversia quædam originalis regio beatitudinis animi Deus ipse est.* Et Confess. l. 1. c. ult. *Bonus est, qui fecit me, & ipse est bonum meum, &c. Hoc peccabam, quod non in ipso, sed in creaturis ejus, me atque cæteris voluptates, sublimitates, veritates quærebam.* Et rursum alibi idem Augustinus: *Quo vobis adhuc & adhuc ambulare vias difficiles & laboriosas? Non est requies, ubi quæritis eam. Quærite, quod quæritis. Sed non est, ubi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis; non est illic.* Et infrà: *Amans beatam vitam, timebam illam in sede sua, & ab ea fugiens, quærebam eam.* Et manifestiùs alibi docet & beatam vitam nonnisi Deum esse, & eam ab omnibus appeti, proinde ab omnibus cognosci, utpote qua in primo parente potiti simus omnes, cujus etiamnunc in nobis superstes hæc memoria est: *Cum enim te Deum meum quæro, beatam vitam quæro, &c. Nonne ipsa est beata vita, quam omnes volunt; & omnino qui eam nolit, nemo est? Ubi noverunt eam, qui sic volunt eam? Ubi viderunt, ut amarent eam? &c. Utrum sigillatim omnes, an in illo homine qui primus peccavit, &c. Neque enim amaremus eam, nisi nossemus.* Et infrà: *Beata vita est, gaudium de veritate. Hoc est enim gaudium de te, qui veritas es, Deus illuminatio mea. Hanc beatam vitam omnes volunt, gaudium de veritate omnes volunt. Ubi ergo noverunt hanc beatam vitam, nisi ubi noverunt etiam veritatem? Et cum amant beatam vitam, quod non est aliud quàm de veritate gaudium, utique amant etiam veritatem. Nec amarent, nisi esset aliqua notitia ejus in memoria eorum.* His omnino consentaneus est auctor libelli *de natura & dignitate Amoris* apud Bernardum. Sed mirum in modum illustrabit rem totam alio loco Augustinus: *Quoniam fames mihi erat intus ab interiori cibo, te ipso Deus meus, & ea fame non esuriebam; sed eram sine desiderio alimentorum incorruptibilium; non quia plenus eis eram, sed quò inanior, eo fastidiosior; & ideo non bene valebat anima mea, & ulcerosa projiciebat se foras, miserabiliter scalpi avida contactu sensibilium.* Quæ verba inter se non mediocriter confligtari videntur. Quomodo enim ab interiori cibo, nimirum Deo, fames erat, & ea fame non esuriebat? An aliud est fames, aliud esuries? sedabitur autem illa conflictatio, si dicatur famem quidem de Deo in ipsis visceribus mentis naturaliter flagrasse; sed alia sensibilium deliciarum fame longè æstuantiore, & per peccatum originis primò accensa, & per vitium consuetudinis vehementiùs postea inflammata, totam animam usque adeo correptam fuisse, ut priorem illam & meliorem vix sentiret, aut sentire se vix cogitaret. His consonat Boetius, lib. 3. Prosa 2. Consolationis Philosophicæ: *Liquet igitur esse beatitudinem statum bonorum omnium aggregatione perfectum. Hunc diverso tramite mortales omnes conantur adipisci. Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas; sed ad falsa devius error abducit.*

August. l. 2. de lib. arb. c. 9.

Idem l. 4. de Trin. c. 1.

Confess. l. 4. c. 12.

L. 6. c. 11.

Ib. l. 10. c. 20

Ibid. c. 21.

Cap. 1.

Idem lib. 3. Confess. c. 1

III. Amor etiam quidam justitiæ insidet naturaliter pectoribus injustorum. Injusti enim plerumque justos amant & admirantur; non amant autem justos homines nisi quà justos, id est, propter formam justitiæ, quam in eorum moribus fulgescentem conspicantur. Ergo ipsam justitiæ formam naturaliter & intelligunt & diligunt; neque enim justos propter justitiæ formam diligerent, nisi ipsam justitiæ formam præcipuè diligerent; neque justitiæ formam naturaliter diligerent, nisi intelligerent.

rent. At illa justitiæ forma quam admirantur & osculantur, & propter quam justos homines amplexantur etiam injusti, non aliud quàm Deus est; neque enim inane animi somnium est, nec nihilum est, nec creatura ulla est, ut omnibus est perspicuum. Amor autem iste justitiæ etsi injustis inest, justos tamen non facit, vel quia justitiam amant in aliis, non in seipsis; vel quia justitiam tepidiùs, injustitiam vehementiùs amant & frequentant; vel quia justitiam non ut Divinitatis ornamentum, sed ut animæ suæ honestamentum suspiciunt; vel denique quia justitiæ amorem cupiditati suæ mancipant, & justos esse alios approbant, ne quid ab ipsis detrimenti percipiant. Hoc argumentum latè persequitur Augustinus: *Cur ergo alium diligimus, quem credimus justum, & non diligimus ipsam formam, ubi videmus quid sit justus animus, ut & nos justi esse possimus? An vero nisi & istam diligeremus, nullo modo eum diligeremus, quem diligimus ex ista? Sed dum justi non sumus, minus eam diligimus, quàm ut justi esse valeamus. Homo ergo qui creditur justus, ex ea forma & veritate diligitur, quam cernit & intelligit apud se ille qui diligit; ipsa verò forma & veritas non est quomodo aliunde diligatur.* Et infrà cùm nonnulla inseruisset ex Epistolis Pauli, quibus ob stupendum virtutis exemplum & invictum animi robur, in admirationem & amorem Pauli omnes rapiuntur: *Quid est quod accendimur in dilectionem Pauli Apostoli cum ista legimus, nisi quod credimus eum ita vixisse? Vivendum tamen sic esse Dei ministris, non de aliquibus auditum credimus, sed intus apud nos, vel potius supra nos in ipsa veritate conspicimus. Illum ergo quem sic vixisse credimus, ex hoc quod videmus, diligimus. Et nisi hanc formam quam semper stabilem atque incommutabilem cernimus, præcipuè diligeremus, non ideo diligeremus illum, quia ejus vitam cum in carne viveret, huic formæ coaptatam & congruentem fuisse, fide retinemus.* Summi ergo boni, & beatitudinis, & sapientiæ, & veritatis, & justitiæ amor quidam obscurus, quasi de incendio igniculus superest; sed quem flagrantissima cupiditatum terrenarum obruit & absorbet flamma, sicut innatam residuæ Dei notitiæ scintillam sensibilium phantasmatum atra nox offuscat.

August. l. 8. de Trin. c. 7. & c. ult.

IV. Cæterùm quod hic amor non ex eo tantùm capite nullius meriti sit, quòd naturalis est; sed eo præsertim quòd distortus sit, & à creatore ad creaturam contortus, & cum vitioso sui ipsius amore consertus & complicatus, docet Augustinus: *Videt enim quædam intrinsecus pulchra, in præstantiore natura quæ Deus est. Et cum instare debeat, ut eis fruatur, volens ea sibi tribuere, & non ex illo similis illius, sed ex seipsa esse quod ille est, avertitur ab eo, moveturque & labitur in minus & minus, &c.* Ubi vides hunc quandoque amorem non infrugiferum tantùm, sed vitiosum esse; vitiosum autem esse, quòd mens peccato dementata putet divina illa pulcra sibi inesse, & seipsum esse, & sui ipsius tantùm amore quærenda esse, & sui unius viribus comparanda denique esse.

Lib. 10. de Trin. c. 5.

CAPUT VI.

Eandem notitiam colligunt ex judicio & lumine, quo naturaliter justa ab injustis discriminamus.

I. Justa ab injustis discernunt omnes, nec id possunt, nisi regulam justitiæ incommutabilem intueantur, vel animæ insitam, vel obversantem.

II. Alia aliis meliora non judicarent, nisi comparatione ad summi boni ideam, à qua absunt alia aliis propius.

III. Omnes de rebus maximè moralibus ratiocinationes, regulis quibusdam incommutabilibus reguntur, quæ ex æterna veritatis superno lumine affulgescunt.

I. Declararunt 4. ex judicio quo naturaliter justa ab injustis, meliora à deterioribus discriminant omnes, & incommutabiles quasdam sapientiæ & justitiæ regulas in ore passim habent, & ob oculos mentis positas sic vident, ut de iis dubitare nullatenus possint. Ac 1. bona à malis, justa ab injustis discernere omnes possunt, nec sensuum aut magistrorum beneficio id possunt; at id non possent, nisi formam aliquam boni & justi menti obversantem, vel inhærentem haberent. Sanctus Remigius & Ecclesia Lugdunensis: *Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. Lux illa præsentia majestatis suæ in tenebris lucens, id est in infidelium cordibus, majestate conditoris suam præsentiam exhibens, operatur aliquid in eis, et si non ut videant ipsam, tamen ut videant aliquid per ipsam, id est, ut intelligant inter justa & injusta, inter bonum & malum, inter agendum & non agendum, ut sint inexcusabiles in die quo judicabit Deus occulta hominum. Quæ tamen lux non à facie illis resplendet, quia non ad eam attendunt; sed velut à tergo eis elucet, qui sicut Propheta dicit, Verterunt ad eam tergum & non faciem.* Quo nihil plenius dici potest. Hinc enim palam fit, & lucem illam qua justa ab injustis dispescuntur, Deum ipsum esse; & illam naturaliter in infidelium cordibus radiare; & ab ipsis tamen terga illi obverti, ut per ipsam magis quàm illam videant, eamque lucem suæ mentis esse non Dei credant, atque ita legem ad eam non advertendo evertant.

S. Remig. l. de Trib. Epist. c. 37.

II. Cùm alia aliis meliora naturaliter homines & invariabiliter judicant, hoc utique non possent, nisi summi boni præsumptam quandam haberent naturaliter notionem. Ex comparatione enim ad insitam summi boni ideam, minùs vel magis bonas, sive angelicas sive humanas mentes & quascumque demum creaturas pronunciare licet, prout minùs vel magis illi consenserint. Augustinus: *Bonum hoc & illud bonum. Tolle hoc & illud, & vide ipsum bonum si potes, & ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis, vel quæ commemoravi, vel quæ alia cernuntur, sive cogitantur, diceremus aliud alio melius, cum verè judicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod & probaremus aliquid, & aliud alii præponeremus. Sic amandus est Deus, non hoc & illud bonum, sed ipsum bonum. Quærendum est enim bonum animæ, non cui supervolitet judicando, sed cui hæreat amando.* Ubi vides & Deum esse bonum illud universale, & ex norma boni universalis de gradu & pretio bonorum particularium judicari, & hanc esse Dei prærogativam ut de illo nemo judicet; secundùm illum uti regulam nemo non judicet, qui rectè judicet; & illius denique universalis boni notitiam vel innasci vel obversari omnibus mentibus.

L. 8. de Trin. c. 3.

III. Omnium animis insunt vel præsto semper adsunt immutabiles quædam regulæ & veluti prima principia, secundùm quæ regitur mens in judicando ut quod virtus vitio præhabenda, illi præmia, huic supplicia decernenda; suum cuique jus tribuendum, &c. at hæ regulæ legesque portio quædam sunt veritatis summæ quæ Deus est. Author libri de vita Solitaria ad fratres de Monte Dei apud sanctum Bernardum: *Quidquid aliunde discitur, scilicet per sensus corporis, quasi alienum & adventitium menti ingeritur. Quod vero sponte venit in mentem, sive ex ipsa vi rationis, sive incommutabilium legum incommutabilis veritatis naturali intelligentia, ex qua etiam impiissimi homines nonnunquam rectissimè judicare inveniuntur: hoc sic ipsi inest rationi, ut hoc ipsum ipsa ratio sit; nec tam commendatur ei per doctrinam aliquam, ut scientia sit, quàm vel alio commonente, vel ipsa commemorante, hoc ipsum sibi inesse,* natu-

naturaliter intellectus ei fiat. In quo hoc potissimum est, cum quod notum est Dei, Deo naturaliter revelante, manifestum fit homini etiam impio. Ubi vides Deum hominibus etiam impiis revelari, idque naturaliter, dum ex incommutabilibus regulis de re omni rectissimè judicant, suo ipsi marte, & intelligentia naturali. Sed de his uberiùs suo infra loco.

CAPUT VII.

Idem declarant ex inscripta cordibus lege naturali.

I. Legis naturaliter omnium hominum mentibus inscriptæ, illud primarium caput est, Legislatorem Deum revereri. Cur Legis hujus author Deus esse voluerit.

II. De eodem ex authore carminis de Providentia apud Prosperum.

III. Item ex Augustino, & Facundo Hermianensi.

IV. Luculentè ex Cicerone, ut legis hujus intimæ authoritas, Legislatoris Dei fidem & reverentiam primum constituat.

V. Suffragia Chrysostomi, Philonis, Origenis.

VI. Tertulliani.

I. DEclararunt 5. ex legis naturalis in cordibus hominum exaratione; lex enim ista cùm ipsa lex æterna sit, cùm justitia ipsa sit, Deus ipsemet est. Deinde id primùm commendat naturæ lex, ut Deus diligatur. Non mandaret autem diligi, nisi quem daret intelligi. Denique nihil lex mandat nisi ex authoritate legislatoris, ergo priùs insigenda menti est existentia & authoritas summa summi Dei, quàm ei morem geri præcipiatur. Legem autem naturalem inscriptam esse hominum mentibus multis argumentis stabilitur. 1. Quod duo prima præcepta quibus innexa tota lex naturæ est, suo Deus ore ad universum populum promulgarit, reliqua per Moysen ad eumdem populum transmiserit, quo mysticè innuitur duo illa legis divinæ capitalia mandata à Deo ipso omnium mentibus insusurrata & inscripta fuisse citra ullam mediatoris vel præceptoris operam. 2. Præceptis naturalibus nullam legislator causam subjicit, aliis verò subjicit, quod videlicet illa jam persuasissima essent, nullaque ratione muniri illa & approbari ulteriùs opus esset. 3. Tot ante legem datam viri pii sanctique floruere, ex innatæ nimirum legis conscientia vitam componentes. 4. Nullus tam excors, tam vitiis suis dementatus est, qui non eadem quæ in se fovet vitia, in aliis detestetur; qui fraudem sibi fieri, thorum suum contaminari, res suas expilari non vetet, & execretur. Legem ergo naturalem non ignorat, quia etsi illam ipse conculcat, ab aliis conculcari vetat. 5. Tot in republica humana legislatores quo ex fonte suas leges derivassent, nisi ex illo naturali æquitatis oraculo quod in suo cuique pectore jus fasque resonat? nam etsi leges alii ab aliis mendicare potuerint, ad aliquem tandem primum devenietur, qui leges non ex alia quàm ex pectoris schola, id est ex naturæ magistræ officina deprompserit. 6. Æquum erat ne tergiversarentur homines, & ignorantiæ obtentû ne flagitia sua obumbrarent, ut legem in corde gestarent, hortatricem ad bonum, testem & ultricem in malum.

II. Author carminis de Providentia apud Prosperum:

Ite ipsi in vestra penetralia mentis, & intus
Incisos apices, ac scripta volumina cordis
Inspicite, & genitam vobiscum agnoscite legem.
Nam quis erit (modo non pecus agri aut bellua ponti)
Qui vitiis adeo stolidè oblectetur apertis,
Ut quod agit, velit ipse pati? Mendacia fallax;
Furta rapax, violentum atrox, homicida cruentum
Damnat, & in mœchum gladios distringit adulter.
Unus enim Pater est cunctorum, & semine recti
Nemo caret, similisque omnes produxit origo.
Unde etenim nondum descripta lege fuerunt,
Qui placidum sanctis agerent in moribus ævum,
Nec summi Patris ignari, nec juris egeni.
Ergo omnes una in vitam cum lege creati
Venimus, & fibris gerimus, quæ condita libris.

Ubi semine recti nullum carere, eandemque legem priùs fibris geris quàm libris, evincit, tum ex rigida censura quam unusquisque in aliorum vitia distringit; tum ex ingenti eorum numero qui ante Mosaicam & ante ullas ab hominibus scriptas publicè leges, solius naturæ auspiciis, & Deum esse intelligebant, & ex juris norma vitam degebant.

III. Augustinus similiter: *Cui iniquo nondum facile est loqui justitiam? aut quis de justitia interrogatus, quando non habet causam, non facilè respondeat, quid sit justum? Quandoquidem manu formatoris nostri, in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur, & quibus lex non esset data. Quis te docuit, nolle accedi ab altero ad uxorem tuam? Quis te docuit, nolle tibi furtum fieri? &c.* Qui ergo connivent ad legem naturæ, ut sibi indulgeant, iidem oculatissimi sunt ad illam videndam, inclamandamque, ne damni quid accipiant. Quod autem lex Dei ipsemet Deus sit, docet idem: *Et lex tua veritas, & veritas tu.* Et rursus alibi: *Lex verò æterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Et alibi rursum: *Si Dei providentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin verò & species rerum omnium, quam profectò ex aliquo verissimæ pulchritudinis fonte manare credendum est; & interior nescio quæ conscientia Deum quærendum Deoque serviendum, meliores quosque animos quasi publicè privatimque hortatur, &c.* Ubi interiori conscientia hanc legem advertit circumgestari, ut colatur Deus: præterquam quod idipsum tota suadet exterior creatura.

In Psal. 57. | Confess. l. 4. c. 9. | L. 22. cont. Faust. c. 27. | L. de util. cred. c. 16.

His addendus Facundi Hermianensis Episcopi locus egregius, ubi non solùm derivatos testificatur à legis naturaliter insitæ fontibus omnes legum scriptarum veluti rivulos, sed ultra patere innatæ legis opes, nec exhauriri unquam posse. *Sicut ergo lex naturalis una & tota in hominis mente defixa, cujus Dominus meminit in Evangelio dicens, Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite eis: hæc est enim lex & Prophetæ: multo fortior invenitur, quàm ea quæ foris habetur in litteris. Ab illa quippe interiore regula descenderunt, & in illius partes sunt singula quæque nobis forinsecus in scripto data pro lege: nec omnia collecta simul, vel etiam multiplicata, possunt mensuram illius interioris excedere.* Et sanè nec legi nec legislatori cuiquam foris obtemperamus, nisi urgente conscientia, vel urgente conscientiam lege & legislatore interiori, cujus vim & authoritatem ineluctabilem tantò vehementiùs, quantò interiùs sentimus. L. 8.

IV. Hanc legis innatæ summique & æterni Legislatoris majestatem atque vim indeclinabilem luculentè declaravit Lactantius, testimonio prolato Ciceronis ex libris ejus de Republica. Hæc Tullii aurea prorsus sunt verba: *Est quidem vera lex recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, &c. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari, &c. Neque est quærendus explanator aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis: alia nunc, & alia posthac; sed & omnes gentes, & omni tempore una lex & sempiterna & immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister & Imperator omnium Deus, ille legis hujus inventor,*

ventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet: ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas pœnas: etiamsi cætera supplicia, quæ putantur, effugerit. Non potuit apriùs declarari innatæ omnibus legis, & summi Legislatoris Dei una atque individua vis & authoritas.

V. Chrysostomus autem ad populum Antiochenus: *Ab initio Deus hominem formans, legem ipsi naturalem indidit. Et quid tandem est lex naturalis? Conscientiam nobis expressit, & à natura inditam esse voluit, bonorum & contrariorum scientiam. Non enim opus habemus discere quod malum est fornicatio, & bonum continentia, sed ab initio hoc scimus. Et ut discas quod ab initio hoc scimus, legislator leges postea ferens, & dicens, Non occides, non intulit, malum enim est cædes: sed simpliciter, Non occides, inquit; prohibuit enim peccatum duntaxat, non docuit. Quare igitur qui dixit, Non occides, non addidit, quod malum est cædes? Quoniam præveniens conscientia nos hoc docuit, & tanquam scientibus & intelligentibus ita loquitur. Cum igitur loquitur de alio mandato non nobis innotescente per conscientiam, non tantùm improbat, sed causam apponit. De Sabbatho legem ferens, subjunxit causam cessationis, quod in die septima requievit Deus.* Præceptis naturalibus suadendis nulla ratio adjungitur, quia jam exploratissima sunt: positivis adjungitur, quia ad ea nihil pertinebat interior conscientia. Et ibidem paulò pòst: *Quid est tandem quod dicunt, Non est nobis per se aperta lex in conscientia posita, nec eam naturæ Deus inseruit? Unde igitur, unde inquam de nuptiis, de cædibus, de testamentis, de depositis, de proximis non opprimendis, de infinitis aliis leges apud eos scripserunt legislatores? hi quippe præsentes fortè à majoribus natu didicerunt, & illi à prioribus & rursum à superioribus isti. Qui vero ab initio & primi apud eos leges tulerunt, à quo didicerunt? non patet quod à conscientia? &c.* Tam diversi Legislatores tam diversis gentibus sæculisque leges adeo æquas & consonantes utique non sanxissent, nisi illas ab intimo aliquo conscientiæ fonte hausissent. Nam ut alii ab aliis & antiquioribus didicerint quæ docerent, ad primos aliquos devenietur, qui ab aliis non doceri, & alios docere potuerint. Rabbi Moyses in More Nevochim: *Verba hæc, Ego sum Dominus Deus tuus; item, Non habebis Deos alienos, audiverunt ex ore Dei omnipotentis. Quo dicto, judicare voluerunt (Rabbini) quod ista verba (præceptum primum & secundum decalogi) eodem modo ad Israelitas pervenerint, & ab ipsis percepta fuerint, quo percepta fuerunt à Moyse doctore nostro piæ memoriæ, & quod Moyses ea non detulerit ad ipsos, idque ob eam causam, quia duo ista religionis capita, existentia videlicet Dei, & unitas ejusdem, intellectu humano apprehendi queant, &c.* Etsi ergo sileat Moyses, etsi conticescant præceptores, Dei fidem, & legis naturalis tenorem suo Deus ore in aurem interiorem tam doctis quàm indoctis intonat. Philo autem in libro de Confusione linguarum, non tantùm legem, sed legem scelerum ultricem, atque ita Orbi universo dominantem & providentem, præsto intus esse omnium hominum mentibus & conscientiæ imminere demonstrat. *Profectò conscientia redarguit in pectore, & quanquam contemptores Dei stimulat, ut vel inviti cogantur intelligere humanas res administrari à natura præstantiore, & esse justitiam, quæ implacabiliter scelera vindicet.* Postremò Origenes: *Quis autem scripsit in cordibus eorum, nisi Deus digito suo? Legem utique naturalem quam dedit Deus humano generi, & in cunctorum mentibus scripsit, unde & initia sumimus, ac semina quædam ad perscrutandam capimus veritatem.*

Chrys. hom. 12. ad pop. Antioc.

Cap. 31.

Orig. hom. 10. in Num.

VI. Tertullianus lib. de Anima: *Propterea nulla anima sine crimine, quia nulla sine boni semine. Proinde cum ad fidem pervenit, reformata per secundam nativitatem ex aqua & superna virtute, detracto corruptionis pristinæ aulæo, totam suam lucem conspicit.* Propterea enim verè inexcusabilis est quisquis præter fas agit, quia semine boni & recti nemo caret; unde rectè ille ait,

Prima est hæc ultio, quod se
Judice, nemo nocens absolvitur.

Item rectè ille ingentium facinorum conscientiam non ferens testem, judicem, & ultricem, *Me fugio, fugio conscium scelerum omnium.* Illud præterea obiter notat Tertullianus, sed otiosiùs alibi examinandum, ubi mens per baptismum purgata, à tenebris in admirabile lumen transfertur, non nova luce vestiri, sed detracto peccati quasi aulæo, innata luce resplendere.

CAPUT VIII.

Idem colligunt ex cognatione mentis cum Deo.

I. Eadem innata Dei notitia colligitur ex cognatione mentis cum Deo; ut enim mentis natura proxima Deo est, nihilque medium interjacet: ita æquum est, ut ne ad Deum per naturas inferiores adire cogatur.

II. Hinc in omni anima rationali existit naturaliter idea entis infiniti, immensi, æterni, & summopere perfecti. Cui proinde deesse non potest existentia. Circa hanc ideam multa animadvertuntur.

III. Ex Augustino, omnibus persuasissimum est Deum esse id, quo nil melius cogitari potest; quod eodem recidit, atque idea entis summè perfecti.

IV. Anselmus idem argumentum premit.

V. Anima rationalis cum finitima Deo natura sit, hoc est cum nullam intermediam naturam aliam patiatur: æternis rationibus connexa est, easque contemplatur, cum ad eas se convertit.

VI. Antedicta omnia ex Marsilio Ficino confirmantur.

I. Declarabant 6. ex cognatione mentis cum Deo, geminoque ejus consanguinitatis privilegio, ideis nempe quibusdam & simulacris divinitatis menti cuilibet innatis, atque immediatis cum Deo mentis congressibus. Ac primò quidem cognatio mentis cum Deo, hoc illi suo quasi jure præstat, ut Deum agnitura, extra seipsam ne necessariò digrediatur, ad sensus & sensibilia ne delabatur; tanto peritior Dei fit, quanto propior; Deum quærens, ne in extremam regionem dissimilitudinis peregrinetur; Dei peritiam vel à Deo vel à seipsa colligat, non à sensibilibus tantùm, utpote dissimilioribus & remotioribus. Gregorius Nyssenus: *Regnum Dei intra vos est, &c. O vos homines, quibus inest aliqua cupiditas contemplandi id quod verè bonum est cum audieritis divinam majestatem supra cælos exaltatam, & gloriam ejus inexplicabilem, pulchritudinem ineffabilem, naturam incomprehensibilem; ne delabamini in desperationem, quasi non possitis intueri quod desideratis. Nam quantus à te capi potest divinæ contemplationis modus, in te est. Quippe cum is qui te formavit, tale bonum statim tuæ naturæ quasi inessentiaverit. Tui enim fabricationi Deus suæ naturæ bonorum simulacra & imitamenta insculpsit, veluti ceram quandam sculptili figura præformans. Sed vitiositas divinam imaginem referenti signo circumfusa, bonum turpibus velamentis occultatum, inutile tibi fecit. Si igitur accuratè sordes illitas ablueris, resplendebit in te pulchritudo divina.* Ubi dilucidè vides lucem qua videtur Deus, animæ ipsi inessentiatam esse; non igitur necessariò adeundæ sunt ipsi naturæ corporum tenebricosiores, sed se sibi tantùm reddat, se intueatur, & Deum videbit. Et Cyrillus Alexandrinus: *Dei Verbum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non docendo, ut Angeli, verbi gratia, vel homines; sed potiùs ut Deus, creando. Unicuique rei in ortum eductæ, sapientiæ sive cognitionis divinæ semen indit, & intelligen-*

Nyss. Orat. 6. de beat.

Ciril. Alex. L. 1. in Ev. Io. To. 4. p. 71.

ligentiæ radicem inserit; atque ita rationale animal efficit, naturæ illud suæ particeps reddens, & ineffabilis sui splendoris lucidos veluti quosdam vapores ejus animo immittens, eo modo quo ipse novit. Quocirca author ille nostri generis Adam, non in tempore sicuti nos, sapientiam videtur consecutus, sed à primo statim ortus sui initio perfecta intelligentia præditus cernitur, dum acceptam divinitus illuminationem illibatam in seipso conservaret, & integram naturæ suæ retineret dignitatem. Illuminat igitur Filius creativè, &c. Quod Verbum animas illuminet non διδασκαλικῶς, sed δημιουργικῶς, non magistraliter, sed creativè, nascentibusque Dei cognitionis radices inserat, hoc est quod Nyssenus vocaverat divinam lucem animæ inessentiatam; ex qua utpote adhuc illibata Adamus & Deum & omnia statim intellexit, ut sano corporis oculo totum uno momento orbem perlustravit.

II. Hinc fit ut in anima nostra naturaliter insitas & germinantes nonnullas comperiamus ideas supremi Numinis. Ut exempli causa nullo sensu influxit, à nullo magistro insonuit, sed ultro succrevit in mente cogitatio & idea entis summè intelligentis, summè potentis, summè perfecti, infiniti, immensi, æterni, cui nihil addi, nihil detrahi possit perfectionis, quo nihil melius cogitari possit. At Deus solus ejusmodi est, ergo cognitio & idea Dei non sensuum, non magistrorum, sed solius naturæ magistræ beneficio animis nostris insedit. Adverte autem 1. hanc entis absolutissimi & incircumscripti ideam non adventitiam esse, quales ex rebus corporeis per sensus illabuntur; nec fictitiam, quales ex rerum sensibus perceptarum interpolationibus anima ipsa architectatur; sed ingenitam. Nam etsi anima de sensibilibus omnibus dubitare se fingeret, etiam de suo corpore, & corporis sensibus; essent illa verè, an per somnum, vel insaniam esse viderentur; non dubitaret tamen unquam quin ipsa esset, viveret, cogitaret; nam ipsum somniare & insanire, nonnisi ejus est qui cogitet, vivat, & sit. Non dubitaret rursus quin tales ideas complures suo in sinu gestaret, figuræ triangularis, lineæ circularis, &c. tria & septem esse decem, binarium esse parem, ternarium imparem, &c. æqualia uni tertio æqualia inter se esse, &c. meliora deterioribus anteferenda, &c. idem non posse simul esse & non esse, &c. Ens summè perfectum & quo majus cogitari nequeat, non esse nihilum & chimæricum, nec carere posse existentia, &c. Igitur de his suis ideis certior est anima, quam de rebus ullis corporeis. Adverte 2. naturaliter animæ persuasum esse, de veritate harum suarum anticipationum, seu insitarum idearum, seu ut vocant, primorum principiorum, dubitari omnino non posse. Conscia enim sibi est, eas se evidentissimè intueri, & in summa luce positas coram intelligere. Quid autem certum & indubitatum usquam erit, nisi sit quod ejusmodi est? Adverte 3. Si ergo posteriùs importata per sensus præjudicia sequestrentur, tam non dubitabit anima, ens perfectissimum & quo nihil majus cogitari potest, & cui nulla desit cogitabilis perfectio, habere existentiam, quàm non dubitat lineam circularem æquidistare centro, triangulum tribus lineis & tribus angulis constare, binarium esse parem, &c. Nam in eodem agro enatas, & eadem luce fulgurantes has omnes ideas intuetur. Adverte 4. in nullius alterius ideæ complexu existentiam comprehendi, præterquam in hac sola entis perfectissimi & cogitatu summi. Nam & binarius etsi non existat, erit tamen par; & circulus etsi non existat, æquidistabit centro; at ens istud nisi existat, nec summum erit cogitatu, nec perfectissimum. Sic ergo entis istius idea existentiam complectitur, ut circuli idea æquidistantiam, binarii paritatem, &c. tam ergo dubitari non poterit de entis hujus maximi existentia, quàm dubitari non potest de circuli æquidistantia à centro, & binarii paritate. Adverte 5. Siqua hæsitatio hujus ideæ certitudinem constantiamque concutiat, eam ex præjudiciis cæterarumque rerum comparatione pullulare. Quia enim cæterarum rerum nulla existentiam in essentiali suo complexu claudit, idipsum de hac suspicati sumus entium summitate; sed id perperam. Etenim idea rerum aliarum innata nobis nulla est, quæ existentiam complectatur, præter hanc unam. Adverte 6. Nisi existeret hujus singularis ideæ objectum, esset planè nihilum, & fictitium, imo esset impossibile; at pugnat summoperè cum perspicacia nativa & conscientia mentis nostræ, ut tanta claritas, tanta perfectionum omnium opulentia competat ideæ rei fictitiæ & impossibilis; nihilo enim & impossibili nulla, nedum omnis perfectio competit. Adverte 7. consciam sibi intus esse animam se has ideas sua sponte fingendique libidine fabricatam non esse, sed secum natas, & sibi innatas semper suo in gremio vidisse, nec suo nutu variabiles illas esse, ideoque supernè alicunde illas sibi affluxisse. Sed illam imprimis entis perfectissimi & cogitatu maximi ideam, cum omnium absolutissima sit, animæq; perfectionem tanto exuperet intervallo, animæ ipsius opificium esse non posse, sed ab illo ipso entium omnium fastigio in se dimanasse. Nulla enim unquam mens ideam coagmentabit aliquam, nisi ex accumulatione perfectionum, vel quas in aliis vel quas in seipsa advertetit.

III. Augustinus: *Cum aures sonus iste (Deus) tetigerit, movet ad cogitandum excellentissimam quandam immortalemque naturam. Nam cum ille unus cogitatur Deorum Deus, ab his etiam qui alios & suspicantur & vocant & colunt Deos, sive in cœlo, sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid quo nihil melius sit atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere, &c. Omnes tamen pro excellentia Dei certatim dimicant. Nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt.* Docet hìc Augustinus omnes planè ad unum in id consentire, quod Deus sit, quo melius nil cogitari potest; de eo nullum unquam dubitasse, ideoque hoc esse unum ex naturalibus præjudiciis & primis principiis in animo nostro anticipatis. Docet item hinc varias & pugnantes de Deo sententias excitas esse, quod omnes quidem consentirent Deum esse ens perfectissimum & quo nil melius, sed alii auro, alii luce, alii homine, alii mente nil melius ex amoris quisque sui varietate opinarentur. Docet denique haudquaquam dubitari potuisse, an Deus existeret, cùm exploratissimum sit melius esse existere, quàm non existere; ideoque perinde naturali anticipatione, & lumine primorum principiorum claret Deum existere, quàm Deum id esse, quo nil melius; & melius esse existere, quàm non existere.

August. de doct. Christ. L. 1. c. 6. & 7.

IV. Prolixè Anselmus argumentationem istam pertractat in Prosologio. Et primùm vel insipiens ipse declinare non potest, quin cogitet aliquid, quo nihil majus cogitari queat; ergo illud saltem est in ejus intellectu; at id quo majus nil cogitari potest, non potest esse in solo intellectu; majus enim est existere etiam in re, quàm in intellectu solo. *Credimus te Deum esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit. An ergo non est aliqua talis natura, quia dixit insipiens in corde suo, Non est Deus? Sed certè idem ipse insipiens, cum audit hoc ipsum quod dico, aliquid quo nihil majus cogitari potest, intelligit quod audit; & quod intelligit, in intellectu ejus est, &c. Et certè id quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo; si enim in solo intellectu est, potest cogitari esse & in re, quod majus est.* Rursus Deus est quo nil melius cogitari potest, ergo non potest cogitari non esse; nam melius est id quod cogitari non potest non esse, quàm quod est quidem, sed cogitari tamen potest non esse. Ibidem: *Quod utique sic verè est, ut nec cogitari possit non esse. Nam potest cogitari esse aliquid, quod non possit cogitari non esse, quod majus est, quàm quod non esse cogitari potest.*

Anselm. Prosologii. c. 2.

Ibid. c. 3.

Deni-

Denique hinc docet insipientem hæc quidem verba Deus non est, copulare potuisse, non autem eorum sensa; quod nimirum tam pugnet maximum cogitatu esse & non existere, quàm binarium esse & non esse parem. Eadem disputat Anselmus libello quem inscripsit contra insipientem.

V. Quamvis nihil implicatum, nihil inesentiatum esset animæ de Deo, ut cum Nysseno jam loquamur: quamvis nullas summi entium principis ideas sibi congenitas gestaret anima; at sua tamen cum ipso cognatione, & inde manante familiaritatis jure, cum illo congredi, coramque & fidenter versari possit. Ut enim corporis oculus dum sanus est, sui generis luce palam fruitur, suoque quasi jure quantum & quandiulibet, pari voluptate & facilitate, solari radio inebriatur; dum lippus est, luce offenditur, non tamen illa carere omnino potest: Ita mentis oculus quandiu puritatis suæ tenax fuit, intelligibili luce veritatisque incommutabilis radio sese undique circumfundente & insinuante ad satietatem recreabatur; ubi peccati sordibus & terrenarum cupiditatum pulvere sordidatus est, intolerabilem vim divinæ lucis declinavit, nec tamen usquequaque aufugere potuit. Ea enim undique se circumfundit, & inopinantis ac reluctantis oculos improvisa nonnunquam illabitur, vel irrumpit. Augustinus cùm reminiscentiam Platonis ex anteactæ vitæ reliquiis existentem validè confutasset, veram subjungit causam, cur tam multa videat & aptè percunctantibus respondeat mens nostra, nullis etiam priùs disciplinis imbuta, de rebus sempiternis & intelligibilibus. *Potius credendum est mentis* [Auguft. de Trin. l. 12. c. 15.] *intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine, disponente conditore subjuncta, sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt quæ in corporea luce circumadjacent, cujus lucis capax, eique congruens est creatus.* Et rursus: *Illud quod dixi* [Idem lib. 1. Retract. c. 8.] *omnes artes animam secum attulisse mihi videri; nec aliud quidquam esse id quod dicitur discere, quàm reminisci ac recordari: non sic accipiendum est, quasi ex hoc approbetur anima vel hic in alio corpore, vel alibi sive in corpore sive extra corpus aliquando vixisse, & ea quæ interrogata respondet, cum hîc non didicerit, in alia vita antè didicisse. Fieri enim potest, sicut jam in hoc opere suprà diximus, ut hoc ideo possit, quia natura intelligibilis est, & connectitur non solum intelligibilibus, verùm etiam immutabilibus rebus. Eo ordine facta est, ut cum se ad eas res movet, quibus connexa est, vel ad seipsam, in quantum eas videt, in tantum de his vera respondeat.* Et ibidem: [id. c. 4.] *Item dixi quod in disciplinis liberalibus eruditi, sine dubio in se illas oblivione obrutas eruunt discendo, & quodammodo refodiunt. Sed hoc improbo. Credibilius est enim propterea verè respondere de quibusdam disciplinis etiam imperitos earum, quando bene interrogantur, quia præsens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt; non quia ea noverant aliquando & obliti sunt quod Platoni vel talibus visum est.* Lumen ergo veritatis æternæ, Deum, sine sensus, sine magistri opera, per seipsam videt animæ oculus, mens; ut lumen Solis corporeus oculus intuetur: quia ita natura mentis comparata est, quia & intelligibilis ipsa est, & eo ordine, eo ingenio est, ut ubi ad illud veritatis lumen se convertit, illud conspiciat.

VI. Illustravit hæc omnia & emergentibus inde scrupulis obviavit Marsilius Ficinus: *Docent hoc* [Theolog. Platon. lib. 12. c. 7.] *(Deum esse) communes quoque bonitatis veritatisque ipsius intelligentiæ, quas in superioribus probavimus inesse mentibus omnium, ex eo quod vera & bona assiduè comparant. Quod si veritas ipsa & bonitas Deus est, sequitur ut Deus toties hominum mentibus illucescat, quoties per Deum tanquam normam, vera & bona dijudicamus. Docet idem etiam ipsius esse notio omnibus insita; nam omnes homines judicant illud quidem nullo modo esse, istud verò esse, sed imperfecto modo; hoc esse modo perfectiori. Talis autem in essendo gradatio neque fit, neque cognoscitur, nisi per accessum ad esse summum, qui Deus est, atque inde recessum. Accessum verò ad ipsum, vel recessum ab ipso videre non potest, nisi qui ipsum videt, &c. Accedit ac hæc quod ipsum esse usque adeo perspicuè fulget, ut nequeat cogitari non esse. Sicut enim ipsum quod dicitur nihil, occurrit nobis ut expers omnino essendi, ita esse occurrit ut expers omnino non essendi, &c. Hac ratione esse occurrit nobis evidentissimè; & rectè animadvertentibus occurrit ut Deus. Quod duabus præterea rationibus confirmatur. Prima quia esse usque adeo manifestum est, ut singulis quæ cognoscuntur, semper cognoscatur & ipsum. Qui enim vocat hominem & album, esse in hominis specie ait & albi. Secunda quia per ipsum esse cætera cognoscuntur, ipsum verò per semetipsum, &c. Ipsum ergo esse absolutum qui Deus est, primum est, quod mentibus miro quodam pacto se offert, quod illabitur, quod effulget, quod cætera omnia patefacit. Cujus formam & notionem quamvis perpetuam in nobis quodammodo possideamus, perque illam, & in illa reliqua cognoscamus, non tamen istud animadvertimus. Sicut neque oculus considerat se videre Solis lumen continuè, cæteraque per ipsum atque in ipso; neque ratio advertit se continuè ratiocinari, cum semper fermè ratiocinetur; nam diutius consueta animadvertere non solemus.* Et rursus idem: [L. 2. c. 5. 6. ibid.] *Cogitationem illam tam communem, tam crebram durationis ante & post infinitæ, quæ ante omne initium & ultra omnem finem protendatur, vestigium aliquod auguratur esse & quasi fugientes notas inscriptæ animis notitiæ æternitatis divinæ, quas irruens imaginatio turbet & confundat, simplicem æternitatis statum in fluentis temporis intervalla distrahendo. Scaturientem quoque naturaliter cogitationem capacitatis cujusdam per immensum sine fine exspatiantis, conjectat residuum quendam esse ductum depicta in mentibus immensitatis divinæ, sed similibus phantasiæ præstigiis illusum.*

CAPUT IX.

De ingenita vel obversante animæ, sui suæque immortalitatis & immaterialitatis notitia, quid Philosophi decreverint, ex Tullio primùm.

I. Cur, & ex quibus authoribus hic sermo faciendus sit de innata animæ suimet notitia.

II. Quanti intersit, ut anima sui cognitione non careat.

III. Ex Tullio nobilissimorum olim Philosophorum placita corradente, animus omnium hominum semper novit, etsi forsan non semper cogitet, se esse, se vivere, se cogitare, se moveri, se à seipso moveri, se esse vim cogitandi, memorandi, judicandi, volendi; non aereum, non corporeum, non dissipabile quidquam se esse.

IV. Suæ quoque immortalitatis conscius sibi est omnium hominum animus. Hinc mœror de morte charorum; hinc de inferis & elysiis præjudicia; hinc curæ ultra mortem, de liberis, de testamentis, de sepulchris, de elogiis & fama. Hinc laudum cupido immensa. In his secernendum, quid superstitio, quid natura moliatur.

V. Cur immortalitati animarum aliqui obstrepant.

I. NE in immensum se fundat hujus argumenti ubertas, operæ pretium est terminos illi præfigere; Authores videlicet paucos, sed fama celebres, ex quibus liceat de aliorum sententia conjectare. Ii autem erunt è prophanis Tullius & Plotinus, è nostris Tertullianus & Augustinus, quos & popularis eloquentiæ & reconditioris Philosophiæ palmam cæteris præripuisse omnibus jam constat, & in hac quam tractamus materia plurimùm inter se consensisse constabit. Nemini porro obscurum

rum esse potest, quomodo hæc pertineant ad divinæ existentiæ demonstrationem. Pronior enim erit fides ad animæ de Deo testimonia, cum constabit & de ejus peritia mirabili de seipsa, hoc est de natura quæ Deo proxima & conjunctissima est.

II. Observant itaque primò Tullius & Plotinus, Animæ ipsius contemplationem reliquis omnibus magnoperè anteponendam. 1. Ut morem geramus decantatissimo illi olim monito, Nosce teipsum, quod tanti semper fecit genus humanum, ut illud cœlo descendisse, & à Deorum sapientissimo & Oraculorum parente manasse jactarint. 2. Quia cùm anima & superiorum imago sit, & inferiorum exemplar, ejus contemplatio ad rerum planè universarum intelligentiam tutissimum compendium est. 3. Æquum est ut omnium contemplatrix se quoque ipsam contempletur aliquando; ne se ipsam lateat, quæ ne quid se lateat, tantoperè satagit; ne domi cæcutiat quæ foris splendet; imò ne semper peregrinetur, sed domum se tandem recipiat, & domesticis innatisque opibus abundè oblectari & deliciari se posse, & discat & doceat. Tullius: *Est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre. Et nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, Ut se quisque noscat, &c. Hunc igitur nosse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi præceptum, sic ut tributum Deo sit.* Plotinus autem: *Nulla res est, de qua diutiùs investigare debeamus, quàm de anima, tum ob alia multa, tum quia ad utraque cognoscenda conducit, tam ad ea quorum est ipsa principium, quàm ad illa ex quibus efficitur. Sic ergo parebimus Deo præcipienti, Cognosce teipsum. Præterea cùm cætera omnia perscrutari studeamus, meritò quidnam sit hic in nobis scrutator, scrutabimur, &c.*

Tull. Tusc. qu. l. 1.

Plotin. Enne. 4. L. 3. c. 1.

III. Observat 2. Tullius, Naturæ suæ cognitione nunquam animum destitui. Nam 1. se esse, se vivere, se moveri & à seipso moveri, novit semper, etsi non semper cogitet; & sæpissimè cogitat, etsi rariùs cogitet se cogitare. 2. Novit omnis animus & sentit & videt suum acumen, memoriam, judicium, impetum viresque multiplices; in his autem tota est ejus natura, suam ergo videt naturam. Nam quod faciem suam non videat, aut formam, id argumentum est non imperitiæ, sed peritiæ suæ; caret enim forma & specie quacumque corporea; & hoc unum est animus, quod se esse sibi conscius est, vis nempe pervigil & infatigata acuminis, memoriæ, judicii, impetusque spontaneus volendi, respuendi &c. Ut autem hæc se esse videt, quia hæc est; ita siquam speciem formamque haberet, & hanc videret. 3. Novit animus ex innatæ conscientiæ oraculo se, id est, vim cogitandi, memorandi, judicandi, nutum volendi, nolendi, &c. non esse terram, non aquam, non aerem, non naturam ullam ex materia & elementis corporeis & dissipabilibus coalitam, sed singularem quandam vim, ab his corruptibilibus sejunctam, & divinam, & imperatoriam. Hoc in se, de se sentit omnis animus, etsi sentire se aut dissimulat, aut non advertit, sensuum præstigiis quasi excantatus, vel præjudiciis è Philosophia adventitiis. Hinc enim fit ut ex atomis, vel aere, vel sanguine, vel corporeo aliquo temperamento se constare quandoque dubitet, etsi nunquam certò credat. Verùm ubi segregabit extrinsecus importatas opiniones ab intestinis conscientiæ oraculis, & de se sibi tantùm auscultabit, & de animo non corpora, sed animum consulet audietque: tum verò atomorum, aeris, sanguinisque phantasmata longè amandabit, ut peregrina & aliunde intrusa; se autem non aliter sibi repræsentabit, quàm ut vim singularem, divinam, imperatricem volendi & nolendi, assentiendi & dissentiendi, memorandi & judicandi, &c. Cicero; *Si qualis sit animus, ipse animus nesciat, dic quæso, ne esse quidem se sciet? Ne moveri quidem se? Sentit igitur animus se moveri; quod cùm sentit, illud unà sentit, se vi sua, non aliena moveri; nec accidere posse, ut ipse unquam à se deseratur; ex quo efficitur æternitas.* Et paulò infrà ex suo de Consolatione libro hæc exscribit: *Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mistum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur. Nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat; quod & præterita teneat, & futura provideat, & complecti possit præsentia, quæ sola divina sunt; nec invenietur unquam unde ad animum venire possint, nisi à Deo. Singularis est igitur quædam natura atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Itaque quidquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cœleste & divinum est; ob eamque rem æternum sit, necesse est.* Et paulò infrà: *Non videt animus, quod minimum est, formam suam fortasse; quanquam id quoque: sed relinquamus: vim certè, sagacitatem, memoriam, motum, celeritatem videt. Hæc magna, hæc divina, hæc sempiterna sunt. Qua facie quidem sit, aut ubi habitet, ne quærendum quidem est. Ut cum videmus speciem primum candoremque cœli, deinde conversionis celeritatem tantam, &c. Hæc & alia innumerabilia cum cernimus, possumusne dubitare quin his præsit aliquis vel effector, si hæc nata sunt, ut Platoni videtur; vel si semper fuerint, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis & muneris? Sic mentem hominis quamvis eam non videas, ut Deum non vides, tamen ut Deum agnoscis ex operibus ejus: sic ex memoria rerum & inventione, & celeritate motus, omnique pulcritudine virtutis, vim divinam mentis agnoscito.* Animus igitur nullius magistri opera indiget ut sciat, quod natura duce & conscientia magistra scit, se esse, se vivere & moveri, & à seipso moveri, se esse vim quandam celerrimam & sagacissimam inventionis, judicii, imperii, cogitationisque & providentiæ, futurorum, præsentium, ac præteritorum; & ad hanc vim nihil pertinere naturas elementorum corporumque & materialium omnium; & si quid aliud ipse sit præter hanc vim, sibi abundè esse, quod ut Deus ipsi, ita ipse sibi ex suis operationibus, ut divinum & sempiternum quid innotescat.

Cicero Tuscul. qu. l. 1.

IV. Observat 3. idem Tullius ex innata præsumptione suæ sibi immortalitatis conscium esse animum; idque declarat ex generis humani consensu, id est, ex naturæ ipsius sensu. 1. enim luctus, lamenta, lacrymæque quibus functos hac vita prosequimur, ex hac naturaliter informata omnium animis persuasione proficiscuntur, quod superstites sint qui hinc emigrarunt, sentiantque; unde quia nos hujus vitæ lucisque usuram magnifacimus, ejusque jacturam dolemus, ipsis quoque quasi dolentibus condolemus. Segregandum ergo hìc est quod à naturæ magisterio, & quod à cupiditatis præjudicio manavit. Quæ de inferis quoque, quæque de Elysiis mira varietate, & Poetæ fabulati sunt, & è vulgo quisque commenti, à duplici similiter fonte fluxerunt, ab anticipata hac informatione, sospites superesse post corporis dissipationem animos, pœnis premiisque pro anteactę vitę merito excipiendos: & ab infinita quadã implacata fingendi garriendique libidine. 2. Curæ ultra mortem effusę de liberis, de testamentis, de sepulcris, dę elogiis, abundè produnt ingenitam immortalitatis fiduciam. Quis enim hæc vivens satageret, nisi aliquem horum sensum sibi post mortem superfore confideret? 3. Immensa laudum cupido gloriæque in omnia sæcula propagandæ prurigo, omnibus congenita, majorque nobilioribus ingeniis inserta, augurium quoddam est vitæ post mortem immortaliter superstitis. Tullius: *Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio; multi de Diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet: omnes tamen esse vim & naturam divinam arbitrantur. Nec verò id collocutio hominum aut consensus efficit; non institutis opinio est* confir-

Tusculan. qu. l. 1.

confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est. Quis est igitur qui suorum mortem primum non eò lugeat, quòd eos orbatos vitæ commodis arbitretur, &c. Illa lugubris lamentatio fletusque mœrens ex eo est, quòd eum quem dileximus, vitæ commodis privatum arbitremur, idque sentire. Atque hæc ita sentimus, natura duce, nulla ratione, nullaque doctrina. Maximum verò argumentum est naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curæ sunt, & maximæ quidem, quæ post mortem futura sunt, &c. Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentiæ, quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare, &c. Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem, &c. Nescio quomodo inhæret in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum; idque in maximis ingeniis, altissimisque animis, & existit maximè, & apparet facillimè, &c. Quod si omnium consensus, naturæ vox est; omnesque qui ubique sunt, consentiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat qui è vita cesserunt: nobis quoque idem existimandum est. Et si quorum aut ingenio aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sint, cernere naturæ vim maximè: verisimile est, cùm optimus quisque maximè posteritati serviat, esse aliquid, cujus is post mortem sensum sit habiturus. Sed ut Deos esse natura opinamur, qualesque sint ratione cognoscimus: sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium: quâ in sede maneant, qualesque sint, ratione discendum est, cujus ignoratio finxit inferos, easque formidines, &c. Ita ille inhærens omnium animis immortalitatis augurium colligit ex mortuorum tanquam vitæ dispendium sentientium luctu, ex curis ultra vitam patentibus, ex gloriæ nunquam intermoriturae cupidine, altiùs iis infixa qui cùm natura optima sint, naturæ arcanorum peritiores videntur esse.

V. Observat 4. idem cur multi naturæ præjudiciis, & conscientiæ intimis oraculis reluctantes, animos immortalitate spoliaverint, in causa esse, 1. vel quod corporeis sensibus mancipati, nil nisi corporeum & sensibile intelligerent aut cogitarent. 2. Vel quod qualis è corpore segregatus per se existeret animus, imaginari non possent: nec interim adverterent, animi in corpore religati, quàm soluti naturam difficiliùs intelligi. 3. Vel denique quod animæ divinitate & splendore lippientes ipsorum oculi veluti præstricti obtunderentur & hebescerent. Idem Tullius ibidem: *Animos per seipsos viventes non poterant mente complecti, formam aliquam figuramque quærebant, &c. Nihil animo videre poterant, ad oculos omnia referebant. Magni autem est ingenii revocare mentem à sensibus, & cogitationem à consuetudine abducere.* Et infrà: *Plurimi contrà nituntur, animosque quasi capite damnatos morte mulctans. Neque aliud est quidquam, cur incredibilis his animorum videatur æternitas, nisi quod nequeunt qualis animus sit vacans corpore, intelligere. Quasi vero intelligant, qualis sit in ipso corpore, &c. Mihi quidem naturam animi intuenti, multò difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tanquam aliena domi, quàm qualis dum exierit, & in liberum cœlum, quasi in domum suam venerit.* Et aliquantò pòst: *Nec vero de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret, diligenter de animo cogitantibus, quod iis sæpè usuvenit, qui acriter oculis Solem deficientem intuerentur, ut aspectum omnino amitterent; sic mentis acies seipsam intuens, nonnunquam hebescit; ob eamque causam contemplandi diligentiam amittimus.*

CAPUT X.

De eadem ex Plotino innata animæ suimet notitia.

I. Existimat Plotinus non totum hominis animum huc descendisse, sed mente adhuc interesse connectique æternis in Deo rerum rationibus, ratione temporalibus administrandis vacare.

II. Cum igitur æternas & incommutabiles ideas ac regulas sequatur mens in judicando, utique illis se conjungi, earumque naturæ suam consentire intelligit.

III. Ratio non posset temporalia & mutabilia administrare, nisi menti æternorum & immutabilium contemplatrici, ceu cardini, innecteretur.

IV. Mens in sese collecta, & quodammodo separata, ex eodem Plotino, semper sibi vacat.

V. Ex eodem mens seipsam semper videt, intelligitque, etiam dum quiescit. Pluribus id conjecturis fulcire nititur Plotinus.

VI. Cur tam multi negent se intelligere, quid sua sit mens, quid ratio, quid anima; cum nescire non possint, eam esse vim judicandi, memorandi, volendi, &c.

I. OBservat 4. Plotinus animum hominis ab intelligibili mundo non totum descendisse, sed quasi tantus pateat, ut vertice cœlum tangat, terram pedibus terat; ita ipsum mente sempiternis ideis contemplandis affixum adhuc vacare, infimo verò sui corpus vegetare. Hinc enim 1. animum Plato ex dividuo & individuo coagmentat, ut individuo suique quasi fastigio superis intersit, dividuo inferiora regat, corpusque administret. Ex quo fit ut pars inferior quasi totius æmula, in corpore administrando dividuam & individuam se præstet; in illius partes omnes se spargendo, nec in ullas tamen partes se dispergendo. *Non illinc tota descendit anima, sed etiam superest ipsius aliquid quod ad inferiora non venit, cujus natura nullam subire potest partitionem. Quod igitur in Timæo dicitur, animam essentia quadam individua, & quadam circa corpora divisibili esse compositam, idem est atque si diceretur, animam essentia quadam constare, partim quidem apud superos permanente, partim vero ad inferiora vergente; quæ quidem simul & inde pendeat, & se interim ad hæc usque propaget, non aliter quàm ex centro linea protenditur. Ad hæc vero profecta, hac insuper parte evidenter totius servat naturam; nam & hic non solùm partibilis est, sed etiam impartibilis; quod enim ejus dividitur, indivisibiliter dividitur, &c.* Vis igitur illa animæ inferioris, qua corpus divisibile indivisibiliter implet, ejusque partes in omnes ita se distendit, ut unitatem suam invictissimè retineat; vim illam æmulatur totius animæ, qua unitati intelligibilium simul connectitur, simul corporalium multitudini dispensandæ alligatur. Idem alibi: *Anima nostra non universa corpus ingreditur, sed est ipsius aliquid in mundo intelligibili semper, aliquid autem in mundo sensibili.* Ploti. Enn. 4. l. 1. Enn. 4. l. 8. c. ult.

II. Hinc 2. animus noster de bonis, de justis, de pulcris, de veris semper ratiocinatur, nec posset tamen, nisi horum ideas, quæ æternæ haud dubiè & immutabiles sunt, semper sibi obversantes contemplaretur, ex eisque tanquam regulis de singularibus judicando definiret. Sic ergo dum singularia & mutabilia judicat & dispensat, universales & immutabiles regulas ac ideas in intelligibili mundo regnantes contuetur; sic non tota illinc abest, nec tota hìc adest; sic non tota illinc huc descendit. *Cùm igitur animus de justis pulcrisque consultet, inquiratque num hoc sit pulcrum, numquid hoc sit justum; necessarium est stabile quiddam justum esse, similiterque pulcrum, unde ratiocinatio in animo ducat exordium; alioquin discurrere nunquam posset, &c.* Enn. 4. L. 1. c. 11.

&c. Tali enim quodam eorum quæ nobis insunt, nos quoque divinum tangimus, congredimur, copulamur; eatenus illic innitimur atque figimur, quatenus nos illuc intentione conferimus. Perinde acsi dicat, Motus omnis ab aliquo immobili ordiendus est, discursus omnis ab aliquo stabili auspicandus; ergo ratiocinatio cùm discursus sit quidam circa singularia, ab immutabili aliqua stabilique regula derivari debet.

IIII. Hinc aliud est mens, aliud ratio; mens in intelligibili cœlo adhuc moratur, ratio ad sensibilia descendit; illa formas sempiternas speculatur, hæc res temporales moderatur; illa huic leges agendi præscribit, hæc illam in agendo effingit; illa stat, hæc discurrit; illa à contemplando nunquam quiescit, quia stat & stantia videt; hæc in agendo
Enn. 5. l. 3. c. 3. fatigatur, quia discurrit & fugientia tenet & non tenet. *Regulam κανόνα sanè boni penes se possidet, &c. mente sibi desuper rutilante. Ipsum namque*
Enn. 5. l. 1. c. 11. *animæ purum hoc existit, accipitque impressa à mente vestigia, &c.* Et rursus: *Cùm animus de justis pulcrisque consultet, inquiratque num hoc sit justum, numquid hoc sit pulcrum: necessarium est, stabile quiddam esse justum, similiterque pulcrum, unde ratiocinatio in animo ducat exordium, alioquin discurrere nunquam posset. At si animus interdum circa hæc ratiocinatur, aliàs vero minimè, oportet non naturam quidem hanc discurrentem, sed mentem in nobis esse, quæ justum pulcrumque semper habeat.*

IV. Hinc mens quasi separata à Plotino describitur. Tota enim sibi & intelligibilibus vacat, à reliquis omnibus feriata, rationem rerum gubernatricem irradians, sed à beato contemplandi otio nec ad punctum quidem temporis deficiens. *Sen-*
Enn. 5. l. 3. c. 3. *sum quidem concedere videmur semper esse nostrum; semper namque sentimus: de intellectu vero id est ambiguum; & quia non semper hoc utimur, & quia est separatus. Separatus inquam propterea quod ipse non annuit ad nos, sed potiùs nos ad ipsum supernè aspicientes. Sensus denique nobis est nuntius: rex verò noster est intellectus.* Hinc quia anima menti, seu ratio intellectui semper religata adhærescit, ejusque formarum radiis imbuitur, quidquid in temporalibus agit, utcumque æterna contemplando agit. Agit enim discurrendo, nec nisi à mentis immutabilibus regulis exorsa & manuducta rectè discurrit. Quæcumque ergo agit, etsi ipsa se in seipsam retorquendo minùs advertat, ea sempiternarum idearum con-
Ibid. c. 7. templamina quædam sunt & imitamenta. *Jam verò intellectus quidem actus est in seipso; anima verò quatenus ad intellectum vergit, quasi habitat intus; quatenus vero mente egreditur; ad externa porrigitur. Hinc ergo evadit illi similis unde venit: hinc rursus quamvis dissimilis quodammodo prodeat, tamen ibi quoque similitudinem quandam retinere videtur, sive agat, sive faciat. Nempe etiam dum agit, interea contemplatur; & cum facit, tunc species efficit, velut intelligentias quasdam à primis intelligentis longo ordine ductas. Adeo ut omnia intelligentiæ & intellectus vestigia sint, secundùm exemplar primum gradibus prodeuntia, illudque pro viribus imitantia, propinquiora quidem magis, postrema verò imaginem quandam exiguam præseferentia.*

V. Observat rursum idem Plotinus, animum hominis seipsum semper intelligere; etsi raro se in seipsum revolvendo id advertat. Nam primò qui judicat, utique se judicare novit; qui meminit, se meminisse scit; qui vult, se velle vult & videt; intelligit ergo semper animus se esse vim volendi, judicandi, memorandi, &c. 2. Qui certò & immutabiliter judicat, ex certa & immutabili aliqua regula se judicare novit. Cùm ergo nulla propè judicia eliciamus, quin pendeamus ex aliqua sempiterna formula, qua naturaliter novimus quid justum, verum, pulcrum, bonum, certum, æquale sit, &c. vel ex immutabili aliqua regula: idem non posse esse & non esse, totum parte majus esse, justum injusto, melius deteriori anteponendum esse, suum cuique jus tribuendum esse, &c. Cùm hæc ita sint, novit utique animus, etsi se in semetipsum non replicet, intelligibilibus & æternis ideis se connexum esse. 3. Intellectus si sua ipse intellectio est, si ipsa intelligibilia est, quia ideæ ipsi inessentiatæ sunt, intelligere utique non potest, nisi se intelligat. 4. Mens semper se videt, ne mens amens sit, & à seipsa distet; extra se mens nunquam progreditur, sed ratione ad agendum peregrinante, ipsa sibi immanet, se ergo semper videt. 5. An quiescet mens? esto, sed ne sit amens. Quies mentis est, ab aliis vacare, sibi vacare. Seipsam contemplari, feriatio mentis est. Laborat & fatigatur, qui ad externa proficiscitur; qui suus sibi est, seque in se totum recolligit, is otiatur semper & conquiescit. Priùs in se consistat animus necesse est, & inde velut ex quiete in motum ad exteriora prorumpat. Postremò tandem si Deum intelligit mens ut datorem omnium, seipsam quoque intelligit ut primum tanti largitoris munus.
Numquid ipsa vis cogitandi non novit se esse cogitan- Enn. 5. l. 3. c. 4.
di vim, externorumque intelligentiam comparare? item se judicare quæ judicat? judicare inquam ex regulis sibi ab intellectu descriptis? Et rursus: *Si igitur*
intelligentia ejus est ipsum intelligibile, atque ipse in- Ibid. c. 5.
tellectus est intelligibile ipsum, nimirum ipse intelliget semetipsum. Intelliget enim per ipsam intelligentiam, quod quidem existit ipse, & intelliget intelligibile, quod est & ipse similiter. Utrimque igitur se prorsus intelliget, tum quatenus ipse intelligentia est, tum quatenus est ipse rursus intelligibile, quod
per seipsum ut intelligentiam intelligit. Et infrà: *Si-* Ibid. c. 6.
quidem in seipso & cum seipso est, idque ipsum quod est, intellectus existit. Mens namque esse amens nunquam potest; meritò necessarium est sui ipsius notitiam huic inesse, præsertim cùm in seipso permaneat; neque aliud ipsius opus atque essentia sit, quàm ut solùm sit intellectus. Non enim intellectus hic in actio-
ne versatur, &c. Et denuo: *Mentis quies non est à* Ibid. c. 7.
mente alienatio; imo quies mentis est sua ipsius actio, ab aliis undique vacans. Quandoquidem cæteris quoque omnibus, quibus quies & ab aliis vacatio datur, reliqua est actio propria, præsertim quibus esse ipsum non in potentia quadam est, sed in actu. Et paulò pòst: *Oportet priùs apud se consistere, deinde in aliud insuper agere, vel aliud inde procedere, ei simile factum. Sicut igni convenit, ut priùs in semetipso sit ignis, atque ita demum vestigium suum in aliud possit imprimere.* Et initio capitis ejusdem: *Si quis intellectum tunc intelligere Deum confiteatur, seipsum quoque cognoscere concedet. Quæcumque enim habet à Deo agnoscet, & quæ ille tradidit, & quæ tradere potest. Hæc autem cognoscens, se quoque cognoscet; nam & ipse unum aliquid eorum quæ data sunt; imò ipse omnia est, quæ data sunt.* Attingit in his Plotinus rationes illas omnes quas suprà indigitavimus, addiditque etsi intellectus Deum non omnino cognoscat, quòd Deo inferior, Deusque non sit, & intelligere sit quoddam esse; futurum tamen ut se intelligat naturaliter. *Sin illum clarè perspicere nequeat, quia fortè ipsum videre, est ipsum visibile; hac maximè ratione videbit seipsum & sciet, si idem sit videre & visibile esse.*

VI. Observat denique idem Plotinus, etsi omnes Deum, & æterna, & intelligibilia spectamina, & seipsos æternis consertos & immortales intelligãt aliquatenus, & subobscurè saltem; plerosque tamen id inficiari, vel ignorantes, vel dissimulantes, ob sensibilium amorem, ob incogitantiam, ob familiaritatem. Nam amore tanquam visco sic rebus infimis, sic externis adglutinatur animus, ut inde revellere se non possit ad intima sua & summa, id est, ad seipsum & Deum accuratiùs considerandum. Rursus multa novit animus quæ non advertit se nosse, multa novit, etsi non cogitet; se esse, se vivere & moveri, semper intelligit, etsi non semper cogitet; ita æternis se formis regulisque irradiari in judicando, regi in agendo intelligit, etsi non cogitet; iis se connexum esse, & consanguineum, ac proinde

de

de æternorum & immortalium genere se esse, intelligit, etsi non cogitet: incogitantia ergo hæc est, non ignorantia. Denique complura quia exploratissima sunt, & familiarissima, non advertuntur; quòd natura animi sit vis cogitandi, memorandi, judicandi, volendi, &c. omnibus ita obvium, ita familiare est, ut pauci se hoc scire, eoque se totam animæ naturam scire advertant. *Anima nostra non universa corpus ingreditur, sed est ipsius aliquid in mundo intelligibili semper, aliquid autem in mundo sensibili; quod quidem si superet, imo vero si superetur, atque perturbetur, non permittit nos interim sentire ea quæ summus animæ apex contemplatur.* Et ibidem rursus: *Omnis anima habet aliquid, & inferius erga corpus, & superius erga mentem, &c. Animæ particulares atque partis habent ipsæ quoque aliquid supereminens, occupatæ vero sunt nimium ipso sensu, multorumque perceptione incidentium contra naturam, affligentiumque & undique perturbantium. Quippe cum id quod ab eis curatur, pars quædam sit, & indigens atque deficiens. Affectat quoque multa, illecebrisque irretitur, & ipsa voluptate decipitur, &c.* A cogitatione itaque sui & divinorum avocatur animus non solo amore infimorum, sed ægritudine multiplici, & curarum æstu, & adversorum tumultuatione, &c. Et denique: *Multas reperiet quis etiam vigilantium speculationes actionesque honestas, in quibus constituti, speculari nos & agere non advertimus. Non enim necesse est, legentem quod legat agnoscere, præsertim quando attentione maxima legit; neque qui fortiter agit, necessario cognoscit se fortiter agere, aliaque permulta similiter. Adeo ut animadversiones videantur debiliores reddere actiones quas comitantur; ipsæ vero cum solæ sunt, tunc puræ sunt, plusque actionis & vitæ habere videntur.* Multa igitur facimus, multa scimus, ad quæ non advertimus; imo quo minùs advertimus, eo vehementior est & actio & cognitio.

Enn. 4. l. &c. ult.

Enn. 1. l. 4. c. 10.

CAPUT XI.

De eadem ex Tertulliano innata animæ suimet, suæque immortalitatis notitia.

I. Amens esset mens, si omnia sciret reliqua, se nesciret.

II. Inter abrupta discrimina etiam Gentiles ad Deum, & in cœlum oculos intendebant, inde auxilium, ibi animæ suæ originem augurantes.

III. Cum corpus animæ maritavit Deus, hac dote eam insignivit, conscientia Dei ac sui.

IV. Lacrimæ cæteraque in mortuos officia, vivere eos ac sentire testificantur.

V. Metus ipse mortis innatus, timendas post mortem delictorum pœnas ominatur.

VI. Perennis post mortem famæ cupido, de quadam æternitatis conscientia prodit.

VII. Insitum omnibus naturaliter præjudicium est, de judicio post mortem subeundo.

I. Observat primò Tertullianus citra doctrinam, ex naturæ quasi dote, inesse cuicumque animæ tacitam sui ipsius notionem. Ac 1. quidem amens est, si se ignorat mens; irrationalis est ratio, si se nescit; quàm insulsa enim curiositas foret, omnia scire esurientis, & se nescientis! quàm bruta ratio omnia judicantis, & se judicare non judicantis! *Porro quomodo rationalis (anima,) quæ efficit hominem rationale animal, si ipsa rationem suam nescit, ignorans semetipsam? sed adeo non ignorat, ut authorem, & arbitrum, & statum suum norit. Nihil adhuc de Deo discens, Deum nominat. Nihil adhuc de judicio ejus admittens, Deo commendare se dicit. Nihil magis audiens quàm spem nullam esse post mortem, & bene & male defuncto cuique imprecatur.* Antequam ergo quidquam discat anima, non ignorat se tamen, sed & Deum scit, & ab illo se esse scit, & immortalem se, ejusque judicio sistendam non nescit; & hæc tenacissimè scit, & fidentissimè clamat, etsi contraria obstrepant Gentilitii erroris præjudicia.

L. de Carne Christi.

II. Ubi in præcipiti constituta periculo, judicem Deum & ultorem invocat, in cœlum torquet oculos manusque, gnara ibi & sedem Dei esse, & suam fore ac fuisse: *Judicem quoque contestatur illum, Deus videt; & Deo commendo; & Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ! Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit. Novit enim sedem Dei vivi; ab illo & inde descendit.* In Apolog.

III. Non indotatam tam magnificus conditor effundit in corpus animam, non inopem omnium & nudam suo ex sinu ejicit, sed sui, & authoris saltem notitia donat. Quòd autem à Deo est, obumbrari potest, extingui non potest. *Ea expostulo quæ tecum in hominem infers, quæ aut ea temetipsa, aut ex quocumque authore tuo sentire didicisti.* Et rursus alibi: *Natura pleraque suggeruntur, quasi de publico censu, quo animam Deus dotare dignatus est. Hunc nacta Philosophia, ad gloriam propriæ artis inflavit, &c.* Et denique: *Anima à primordio, conscientia Dei dos est.* Ubi vides, quando animam corpori maritavit Deus, dotem assignasse; & adeo non à Philosophia animam de seipsa, & de Deo doceri cœpisse, ut quidquid Philosophia facundiore jactantia effudit, id omne mendicaverit ex congenitæ in anima eruditionis opulento penu. Unde libro de Testimonio animæ: *Sed qui ejusmodi eruptiones animæ non putavit doctrinam esse naturæ, & congenitæ & ingenitæ conscientiæ tanta commissa, dicet potius de ventilatis in vulgus opinionibus publicatarum litterarum, usum jam, & quasi vitium corroboratum taliter sermocinandi. Certè prior anima, quàm littera; & prior sermo, quàm liber; & prior sensus, quàm stylus; & prior homo ipse, quàm Philosophus & Poeta.* Denique obscurari posse, non autem extingui, quæcumque Deus irradiavit naturæ: *Quod à Deo est, non tam extinguitur, quàm obumbratur; potest enim obumbrari, quia non est Deus; extingui non potest, quia à Deo est.*

L. de Test. animæ. Initio libri de anima. L. 1. cont. Marcion. L. de anima.

IV. Observat rursum idem Tertullianus, suam in primis immortalitatem naturaliter animæ ita exploratam esse, ut quamvis superstitionis vel sequioris Philosophiæ corruptela illam imbuerit, & mortalitatem inculcarit, subinde tamen emicet innata veritas, & in voces erumpat immortalitatis testes. Hinc ait Socratem, ubi tam disertè, tamque invictè immortalitatem animæ in carcere vindicavit, id fecisse *animæ necessaria præsumptione.* Sed potissima ad hoc argumenta ille conglobat libro toto de Testimonio animæ. Ac primò quidem ex eo quòd nemo est qui mortuis non illacrymetur, benè vel malè imprecetur; at insania ea foret non mediocris, nisi superstites præsagirentur. *Primo cum alicujus defuncti recordaris, misellum vocas eum, non utique quod de bono vitæ ereptum, sed ut pœnæ & judicio jam ascriptum, &c. Misellum ergo vocas, qui nihil sentit? Quid quod ut sentienti maledicis, cujus memoriam cum alicujus offensæ morsu facis? Terram gravem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum. Æquè ex bona parte, cui gratiam debes, ossibus & cineribus ejus refrigerium comprecaris, & ut bene requiescat apud inferos cupis. Si nihil passionis est tibi post mortem, si nulla sensus perseverantia, si denique nihil es ipsa, ubi corpus reliquisti, cur mentiris in te, quasi aliquid ultra pati possis?*

L. de anima.

V. 2. Ex innato mortis metu, quæ tot vitæ tamen calamitatibus non rarò anteponeretur, nisi naturali præsagio subeunda post mortem judicii divini discrimina formidarentur. *Imo cur in totum times mortem, si nihil est tibi timendum post mortem, quam nec experiundum post mortem? Nam etsi dicere potes, ideo mortem timeri, non ut aliquid minantem, sed ut commodum vitæ amputantem; atqui cum & incommoda*

moda longè plura vitæ pariter excedas; & lucratione gravioris partis, metum diluis, non est timendum quod nos liberat ab omni timendo.

VI. 3. Ex gloriæ post mortem diuturnæ aut sempiternæ cupidine, quam nemo ita impotenter affectaret, nisi aliquem ejus tunc fore sensum naturali vaticinio ominaretur. *Ex altera parte congredior lætioris spei post mortem. Nam omnibus fere ingenita est famæ post mortem cupido. Longum est retexere Curios, vel Regulos, vel Græcos viros, quorum innumera elogia sunt contemptæ mortis propter posthumam famam. Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, ut vel litteraturæ operibus, vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulcrorum ambitione nomen suum servet? Unde anima hodie affectaret aliquid, quod velit post mortem, & tantopere præpararet, quo sit usura post obitum, si nihil de postero sciret?*

VII, 4. Denique ex insita fiducia subeundi omnibus post mortem judicii divini; quod quisquis læditur, lædenti ut inevitabilem vindictam intentat, eoque injuriam mitigat solatio. *Meritò omnis anima rea & testis est; in tantum rea erroris, in quantum testis veritatis. Et stabit ante aulas Dei die judicii, nihil habens dicere. Deum prædicabas & non requirebas. Dæmonia abominabaris, & illa adorabas. Judicium Dei appellabas, nec esse credebas. Inferna supplicia præsumebas, & non præcavebas. Christianum nomen sapiebas, & Christianum persequebaris.*

CAPUT XII.

De eadem ex Augustino innata animæ, sui suæque immortalitatis notitia.

I. Ex Augustino, rationibus æternis, regulis immutabilis veritatis, quæ nunc prima disciplinarum principia appellitantur, naturaliter connexa est anima rationalis.

II. Hinc quoque fit, ut nosse se exardescat.

III. Retentat quoque memoriam primigeniæ beatitudinis, qua in Adam potiebatur, ex quo fit ut nec seipsam possit ignorare.

IV. Anima seipsam intelligit accuratissimè, si seipsam dumtaxat audiat, se solam introspiciat. Videt enim intus se esse, vivere, intelligere, velle, nolle, amare, &c. Quæ tota ejus vis & natura est.

V. Assignantur varia discrimina, inter hæc quæ anima intus de seipsa & ex seipsa sola novit; & ea quæ per sensus hausta sibi appingit, utpote esse aerea, æthereave, aut corporea substantiæ. De his incerta semper, de illis certissima est semper.

VI. Tota hæc argumentatio luculento Augustini contextu declaratur.

I. OBservat Augustinus rationibus æternis connexum naturaliter esse animum; & quamvis hæc copula per peccatum nonnihil relaxata sit, non abruptam tamen penitus esse, sed superesse adhuc tametsi breves, beatos tamen & frequentes congressus. Ex eo autem fit 1. ut animus familiariter & frequenter inter res incorporeas, intelligibiles, immortales suo quasi jure & distinctu naturæ versetur; & se quoque ejusdem ordinis esse & supra omnia corpora incomparabiliter eminere tacito sensu, & intimo plausu intelligat. Rationes enim illas æternas intelligit, cùm se ad eas, vel ad seipsum eas intelligentem convertit. *Natura intelligibilis est, & connectitur non solùm intelligibilibus, verùm etiam incommutabilibus rebus, Eo ordine facta est, ut cum se ad eas res movet, quibus connexa est, vel ad seipsam, in quantum eas videt, in tantum de his vera respondeat.* L. 1. Retra. c. 10.

II. Ex eo fit ut mens seipsam nosse exardescat; in rationibus enim veritatis æternæ videt, quàm speciosum sit se nosse, quàm indecorum se nescire. At non adeo exambiret seipsam scire, nisi amplissimum & pulcherrimum aliquid se esse præsagiret. *An in ratione æternæ veritatis videt quàm speciosum sit nosse semetipsam: & hoc amat, quod videt, studetque in se fieri? Quia quamvis sibi nota non sit, notum tamen ei est, quàm bonum sit, ut sibi nota sit. Et hoc quidem permirabile est, nondum se nosse, & quàm pulcrum sit, se nosse, jam nosse.* L. 10. de Trin. c. 5.

III. Ex eo fit ut occultam retentans memoriam summę beatitudinis per primi parentis culpam amissæ, & nondum tamen sibi desperandæ, nisi seipsam cognoverit, eam consequi desperet; vix potest autem beatitudinis memoria sine sui ipsius memoria perennasse apud ipsam; comperto enim quo beata fiat mens, compertum protinus est quid sit ipsa mens, Ibidem: *An aliquem finem optimum, id est securitatem & beatitudinem suam videt, per quandam occultam memoriam, quæ in longinqua eam progressam non deseruit; & credit ad eundem finem, nisi seipsam cognoverit, se pervenire non posse? ita dum illud amat, hoc quærit; & notum hoc amat, propter quod illud quærit ignotum. Sed cur memoria beatitudinis suæ potuit, & memoria sui cum ea perdurare non potuit; ut tam se nosse, quæ vult pervenire, quàm novit illud, vult pervenire?*

IV. Observat denuò Augustinus animam hominis seipsam semper intelligere, seipsa tantùm, vel natura potiùs duce & magistra. 1. Novit se, qua præsto sibi semper est, & nihil tam novit quàm seipsam, quia nihil tam sibi præsto habet quàm seipsam. *Diximus hominis mentem nosse semetipsam. Nihil enim tam novit mens, quam id quod sibi præsto est; nec menti magis quidquam præsto est, quàm ipsa sibi.* L. 14. de Trinit. c. 4. 2. Semper amat se mens, at non amatur nisi quod cognoscitur: *Ecce mens semetipsam quærit ut noverit, & inflammatur hoc studio, Amat igitur. Sed quid amat? Seipsam. Quomodo cum se nondum noverit, nec quisquam possit amare, quod nescit?* L. 10. de Trinit. c. 3. 3. Cùm mens quasi seipsam nesciat, se scire quærit, se esse novit, & se quærere, & se nescire, & se velle & posse scire. Novit ergo jam se magna ex parte saltem, cùm noscat se esse, se capacem esse sciendi & nesciendi, quæ tota ferè natura mentis creatæ est. Ibidem: *Cùm se quærit, ut noverit, quærentem se jam novit; jam se ergo novit, Quapropter non potest omnino nescire se, quæ dum se nescientem scit, se utique scit.* 4. Imò totam se novit, idque ex eo evincitur saltem, quod quasi se non noscat, quærit se. Cùm enim se quærat, cùm se nesciat, idque se quærere & nescire intelligat, intelligit ergo se esse, vivere, se intelligere, se scire & nescire aliquid posse, se velle scientiam & nolle nescientiam posse; at hæc tota mens est totam ergo se novit. Ibidem: *Sicut ergo mens tota mens est, sic tota vivit. Novit autem vivere se. Totam se igitur novit. Postremò cùm se nosse mens quærit, mentem se esse jam novit; alioquin utrum se quærat, ignorat, & aliud pro alio forsitan quærit, &c.* Ibid. c. 4.

V. Observat iterum Augustinus, accuratam spiritalitatis & immortalitatis suę notitiam, naturaliter omnibus informatam esse; quam sensus & magistri adeo non inseruerunt nec roboraverunt, ut infirmaverint potiùs, & qua fieri potuit, labefactaverint. Alia sunt, quæ anima de seipsa constantissimè intelligit; alia quæ vacillanter opinatur, Se esse, vivere, intelligere, meminisse, judicare, affirmare, negare, velle, nolle, amare, odisse, hæc inquam de seipsa in semetipsa evidentissimè videt, scit, intelligit. An autem aerei sit generis an sanguis, an atomorum cogeries, an quinti elementi delibatio, an temperies corporis, hæc de se in semetipsa non videt, non scit, non intelligit. Unde priora nulli unquam dubia, ab omnibus intellecta; posteriora hæc omnibus dubia, à nullo demonstrata; priora illa in se, à se fluere sentit: posteriora hæc per sensus extrinsecus advenisse meminit. 1. Ergo æquum est ut mens totam se in se solam contrahat, ut totam se & solam cognoscat,

ca. In seipsam contracta, videbit se esse vim vivendi, intelligendi, volendi, &c. Et nihil videbit aliud; nec enim anima in se recepta, aliud sibi de se nunciat. 2. Æquum est, ut in dijudicationem sui anima sensus non adhibeat, nec eorum quidquam quæ per sensus advenerunt. Mentis enim est de sensibus judicare, non à sensibus judicari. Mentis non est cum sensibus de re ulla judicare, nedum de seipsa. Ubi igitur de mente judicandum est à mente, facessant sensus corporei cum tota quam secum intulerunt supellectile; facessant imagines aeris, sanguinis, atomorum, quinti elementi & cujuscumque corporis; & mens sola ex sua conscientia de mente judicet. Judicabit illam esse vim perennem & substantivam vivendi, intelligendi, amandi, &c. nec quidquam aliud. 3. Æquum est, ut cum tota sibi mens præsto sit, totam ex æquo se videat; igitur quàm perspicuè videt se esse, vivere, intelligere, velle, quia verè est, vivit, intelligit, vult; tam perspicuè videret se sanguineam, aeream, ætheream esse, siquid ejusmodi esset. 4. Æquum est, ut si anima aere, sanguine, atomis, æthere constaret, harum rerum ideas non exterius sentiendo perciperet, sed interius seipsam introspiciendo; sicut qua intelligit, vult, meminit, horum ideas in seipsa invenit, non aliunde acquirit. 5. Æquum est ut de se non credat anima, nisi ea quæ sibi inesse per claras & distinctas ideas exploratum habet; at hoc pacto exploratum habet, se intelligere, velle, &c. non autem se aerem vel quodcumque corpus divisibile & corruptibile esse. Denique æquum est ut claras & distinctas ideas habeat anima eorum quæ est, ut habet vitæ intelligentiæ, voluntatis, amoris, &c. quia hæc est; at non habet aeris, sanguinis, &c. De his enim si quis accuratiùs scrutetur seipsum, comperiet se nihil clarè & districtè comperisse.

L. 10. de Trin. c. 9. 10 VI. Sed hæc in unum congesta argumenta jam æquum est ab Augustino audire: *Non itaque velut absentem se quærat cernere, sed præsentem se curet discernere; nec se quasi non norit, cognoscat: sed ab eo quod alterum novit, dignoscat.* Et infrà: *Cum ergo, verbi gratia, aerem mens se putat, aerem intelligere putat, se tamen intelligere scit; aerem autem se esse, non scit, sed putat. Secernat quod se putat, cernat quod scit; hoc ei remaneat, unde ne illi quidem dubitaverunt, qui aliud atque aliud corpus mentem esse putaverunt. Neque enim omnis mens aerem se esse existimat, sed alia ignem, alia cerebrum, & alia aliud; omnes tamen se intelligere noverunt, & esse, & vivere, &c. Quoniam de mentis natura agitur, removeamus à consideratione nostra omnes naturas, quæ capiuntur extrinsecus per sensum corporis; & ea quæ posuimus mentes omnes de seipsis nosse, certasque esse, diligentius attendamus. Utrum enim aeris sit vis vivendi, reminiscendi, intelligendi, volendi, cogitandi, an ignis, an cerebri, an atomorum, an præter usitata quatuor elementa quinti nescio cujus corporis; an ipsius corporis nostri compago, vel temperamentum hæc efficere valeat, dubitaverunt homines, & alius hoc, alius aliud affirmare conatus est. Vivere se tamen & intelligere, & meminisse, & velle, & cogitare, & scire, & judicare quis dubitet? Quandoquidem etiam si dubitat, vivit; si dubitat, unde dubitet, meminit; si dubitat, dubitare se intelligit; si dubitat, certus esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit se nescire; si dubitat, judicat se non temerè consentire debere. Quisquis igitur aliunde dubitat, de his omnibus dubitare non debet; quæ si non essent, de ulla re dubitare non posset. Hæc omnia qui vel corpus, vel compositionem, vel temperationem corporis mentem esse putant, in subjecto esse volunt videri; ut substantia sit aer, vel ignis, sive aliquod aliud corpus, quod mentem putant; intelligentia verò ita insit huic corpori, sicut qualitas ejus, ut illud subjectum sit, hæc in subjecto. Qui omnes non advertunt mentem nosse se, etiam cum quærit se, sicut jam ostendimus; nullo modo autem rectè dicitur sciri aliqua res, dum ejus ignoratur substantia. Quapropter cum se mens novit, substantiam suam novit, & cum de se certa est, de substantia sua certa est. Certa est autem de se, sicut convincunt ea quæ supradicta sunt, nec omnino certa est, utrum aer, an ignis sit, an aliquod corpus, vel aliquid corporis: non est igitur aliquid eorum. Totumque illud quod se jubetur, ut noverit, ad hoc pertinet ut certa sit, se non esse aliquid eorum de quibus incerta est; idque solum esse se certa sit, quod solum esse se certa est. Nullo enim modo fieri posset, ut ita cogitaret id quod ipsa est, quemadmodum cogitat id quod ipsa non est. Per phantasiam quippe imaginariam cogitat hæc omnia, sive ignem, sive aerem, &c. Siquid autem horum esset, aliter id quàm cætera cogitaret; non scilicet per imaginale figmentum, sicut cogitantur absentia, quæ sensu corporis tacta sunt; sed quadam interiore, non simulata, sed vera præsentia, non enim illi quiquam est seipsa præsentius; sicut cogitat vivere se, & intelligere, & meminisse, & velle. Novit enim hæc in se, non imaginatur, quasi extra se illa sensu tetigerit, sicut corporalia quæque tanguntur. Ex quorum cogitationibus si nihil sibi affingat, ut tale aliquid esse se putet; quidquid ei de se remanet, hoc solum ipsa est.* Diligenter ergo cum Augustino discriminandum nobis est; quid de anima omnes consentiant, quid de ea alii aliter sentiant: quid de se certa ipsa sit, quid incerta, quid à sensibus hauserit, quid à seipsa didicerit; quid per phantasiam tanquam absentis vicariis imaginibus sibi fingat, quid per seipsam de seipsa ut præsens de præsenti sentiat. Quod enim omnium gentium suffragio, quod propriæ certitudinis testimonio, quod naturæ magisterio, quod præsentiæ tactu, & conscientiæ calculo roboratum fuerit, id demum ratum habeatur, reliqua omnia ut subreptitia procul amandentur. Eandem idem alibi demonstrationem paucis attigit: *Desinat nunc interim suspicari se esse corpus, quia si aliquid tale esset, talem se nosset, quæ magis se novit, quàm cœlum & terram, quæ per sui corporis oculos novit.*

CAPUT XIII.

De eadem rursus ingenita animæ notitia sui, ex eodem Augustino & aliis Patribus.

I. Aliud est nosse, aliud cogitare. Multa scit anima, quæ non cogitat.

II. Anima corpori illapsa et si se sciat, se tamen non cogitat, ob cupiditates, voluptatesque sensuum, tanto acriores, quanto noviores.

III. Rursus se non cogitat anima qualis est, quia amore coaluit cum corporibus, & ita confluxit, ut vix jam possit sese ab eis secernere.

IV. Recentes parvulorum animæ norunt & ipsæ seipsas, sed non cogitant, nova corporis mole sensuumque molestiis occupatæ.

V. In his Augustino suffragantur Gregorius Magnus & Bernardus. Item Claudianus Mamertus.

VI. Paulinus Nolanus Episcopus & Cassiodorus.

VII. Hilarius & Claudianus Mamertus denuo.

VIII. E Græcis vehementer his assentitur Athanasius.

IX. Idem declarat ad divinorum cognitionem primò per animam, deinde per rerum naturam iter tentandum esse.

I. Observat rursum Augustinus, aliud esse nosse aliquid, aliud cogitare. Multa enim sciuntur, tametsi non cogitantur. Omnis ergo animus semper novit se, sed non semper cogitat se; quando autem philosophando invenit quid sit, non invenit quod nesciebat, sed unde non cogitabat. *Cum aliud sit non se nosse, aliud non se cogitare; neque enim multarum doctrinarum peritum, ignorare grammaticam dicimus, cum eam non cogitat, quia de medi-* August. de Trinit. L. 10. c. 5.

medicinæ arte tunc cogitat, &c. Et rursum: *Hinc* Ib. l. 13. c. 1. *tantum certos nos esse suffecerit, quod cum homo de animi sui natura cogitare [illegible]uerit, atque invenire quod verum est, ali[illegible]niet quàm penes seipsum. Inveniet aute[illegible]uod nesciebat, sed unde non cogitabat. Quid enim scimus, si quod est in mente nostra nescimus; cùm omnia quæ scimus, nonnisi mente scire possimus?*

II. Ratio autem cur etsi intelligat se mens, non tamen cogitet se, hæc imprimis est, quod rerum sensibilium cupiditate & voluptate ita illaqueatur, ut iis expedire se vix possit; seque sibi vindicare. Et quoniam illæ fugaces sunt, & evanescunt, nisi interim dum fugiunt, teneantur; ipsa de se secura, certaque quod se non possit amittere, illis interim fugientibus raptim fruitur. L. 10. de Trinit. c. 5. *Labitur in minus & minus, quod putatur amplius & amplius; quia nec ipsa sibi, nec ei quidquam sufficit, recedenti ab illo qui solus sufficit. Ideoque per egestatem & difficultatem fit nimis intenta in actiones suas, & inquietas delectationes, quas per eas colligit. Atque ita cupiditate acquirendi notitias ex iis quæ foris sunt, quorum cognitum genus amat, & sentit amitti posse, nisi impensa cura teneatur; perditque securitatem, tantoque seipsam minus cogitat, quanto magis secura est, quod se non possit amittere.*

III. Altera item ratio cur se mens non cogitet, etsi se noscat; imo cur etsi se noscat, existimet tamen se sibi incognitam, se sui nescientem esse; hæc est: quod amoris insania ita corporibus adglutinetur, ut sua existimatione in corpus quodammodo transformetur: ita sensibilibus adhærescat, & eorum imaginibus ita impleatur, ut nihil jam nisi corpora cogitare possit, seque jam corpoream putet, quia nec seipsam sine corporum imaginibus cogitare potest. Opinatur enim talem esse animam in natura, qualis in cogitatione sua est; & ita esse non posse si-
Ibidem. ne corpore, ut nec cogitatur sine corpore: *Cùm aliud sit, non se cogitare, aliud non se nosse; tanta vis est amoris, ut ea quæ cum amore diu cogitaverit, eisque* Ibid. c. 8. *cura glutino inhæserit, attrahat secum, etiam cum ad se cogitandam quodammodo redit.* Et infrà: *Quid tam in mente quàm mens est? sed quia in iis est, quæ cum amore cogitat; sensibilibus autem, id est corporalibus, cum amore assuefacta est, non valet sine imaginibus eorum esse in semetipsa. Hinc ei oboritur erroris dedecus, dum rerum sensarum imagines secernere à se non potest, ut se solam videat. Cohæserunt enim ei mirabiliter glutino amoris, & hæc est immunditia; quoniam dum se solam nititur cogitare, hoc se putat esse, sine quo se non potest cogitare. Cùm igitur ei præcipitur, ut seipsam cognoscat, non se, tanquam sibi detracta sit, quærat: sed id quod sibi addidit, detrahat. Cognoscat ergo semetipsam, nec quasi absentem se quærat, sed intentionem voluntatis qua per alia vagabatur, statuat in semetipsam, & se cogitet. Ita videbit quod nunquam se non amaverit, nunquam nescierit; sed aliud secum amando, cum eo se confudit, & concrevit quodammodo; atque ita dum sicut unum diversa complectitur, unum putavit esse, quæ diversa sunt.*

IV. Ratio denique cur mens etiam in parvulis ab utero recentioribus, etsi se sciat, se tamen non cogitet, hæc est forsan, quod corporis voluptatibus tanto majoribus quanto novioribus & hactenus inexpertis, doloribus item curisque catervatim se offundentibus ita inundatur, ut demergatur penè, nec ad seipsam, vel ad superiora unquam arrigere se pos-
De Trinit. L. 14. c. 5. sit. *Quid itaque dicendum est de infantis mente, ita adhuc parvuli & in tam magna demersi rerum ignorantia, ut illius mentis tenebras, mens hominis quæ aliquid novit, exhorreat? An etiam ipsa se nosse credenda est, sed intenta nimis in eas res quas per corporis sensus, tanto majore, quanto noviore cœpit delectatione sentire, non ignorare se potest, sed cogitare se non potest? Quanta porro intentione, in ista quæ foris sunt sensibilia feratur, vel hinc solum conjici potest, quod lucis hujus hauriendæ sic avida est, &c.* Pergit narrare, ut parvuli nonnunquam ex nimis contento lucis amore & intuitu fiant strabones; aliis ergo sensibus similiter affixa eorum mens, sibi & superioribus adesse & cogitatione vacare non potest.

V. Consentiunt mirum in modum Tertulliano & Augustino alii quoque sancti Patres, quos quia catervatim hìc aggerare nec otium, nec animus est, specimen tantùm dabo in Gregorio Magno & Bernardo. Ille enim sic habet: *Mens nostra si in carnalibus imaginibus fuerit sparsa, nequaquam vel se, vel* Greg. Mag. hom. 17. in Ezech. *animæ naturam considerare sufficit; quia per quot cogitationes ducitur, quasi per tot obstacula cæcatur. Primus ergo gradus est ut se ad se colligat. Secundus ut videat qualis est collecta. Tertius ut super semetipsam surgat, ac se contemplationi authoris invisibilis intendendo subjiciat. Sed se ad se nullatenus colligit, nisi prius didicerit terrenarum atque cælestium imaginum phantasmata ab oculo mentis compescere; quidquid de visu, quidquid de auditu, quidquid de odoratu, quidquid de tactu & gustu corporeo, cogitationi ejus occurrerit, respuere atque calcare; quatenus talem se quærat intus, qualis sine istis est. Nam hæc quando cogitat, quasi quasdam umbras corporum introrsus versat.* Ubi vides animam ad sui ipsius cognitionem seipsa uti magistra debere; & quidquid per sensus corporeos irrepsit, simul & semel ablegare. Bernardus autem ita ratiocinatur: *Ex affectione car-* Bernardus serm. 51. Inter serm. parv. *nali & consuetudine corporum sic errat anima, ut seipsam nesciat nisi corpoream cogitare. Ubi est enim thesaurus ejus, ibi est cor. Hoc sapit, quod diligit. Affectionibus siquidem obligata & illaqueata terrenis, suam ipsius faciem considerare non potest. Infixa est in limo profundi, & seipsam non videt, sed putat formam suam esse luteam illam, quam portat imaginem. Sed omnino aliter est. Substantia animæ in ratione, in memoria, in consilio, in judicio, cæterisque similibus est.* Quod ergo anima corpoream se imaginetur, id efficit non naturæ necessitas, sed amoris vitiositas; quòd seipsam non videat, in causa est, non corporis colligatio, sed vitiorum limus. Imò cum anima se vim rationis, memoriæ, judicii, consiliique esse advertit, ipsam suam substantiam advertit. Istæ enim vires ipsamet ejus substantia sunt.

Omnium proximè ad Augustinum accessit Claudianus Mamertus Sancti Mamerti Viennensis Episcopi germanus, luculento Tractatu *de Statu Animæ*. Pauca inde excerpam: *Per sensus corporis falla-* Bibl. PP. To 4. pag. 620. & seq. *ciarum affecta ludibriis anima, eatenus implicatur errore, ut tanquam absens sibi, se quærat, cùm ipsa sit quærens se. Non enim illud est anima quod quæritur, sed quo quæritur. Quidquid enim quærit, extra se est. Non quærere illi opus est, nisi quod secum non est. Ipsa autem secum est, quia sine se nihil est, &c. Certum est imaginari illam intra quendam ventrem memoriæ nequaquam posse, nisi ea quæ per corpus accepit. Et hæc illi non naturalia, sed pœnalia sunt. Ut quoniam à summo bono, quod ei Deus est, illecebris pellecta corporeis defluxit in corpus; persuasa patiatur illud intra semetipsam justè, quod extra se dilexit injustè, &c. Hinc est ille præ oculis ejus imaginum corporearum tumultus, se semper objectans, ut si quando vel ad se, vel ad Deum suum ratiocinando nititur, semper ad corporea phantasiis corporeis avocetur. Tu enim cum dicis aliud esse animam, aliud animæ cogitationem, melius fortasse dixisses, illa de quibus cogitat, cùm de se cogitat, non esse animam: ipsam verò cogitationem non esse nisi animam: quia illud quod dixisti, Animam solere requiescere, ut prorsus cogitet nihil, caret vero. Anima nempe variare cogitata potest, non cogitare non potest. Verùm tu idcirco vel maximè de animæ statu falleris, quia aliud animam, aliud animæ potentias credis. Quod enim cogitat, accidens ejus est; substantia vero, quæ cogitat. Hoc equidem de voluntate oportet agnoscas. Nam sicut tota anima cogitatio est, ita tota voluntas est; & quæ perfectè vult, tota vult.* Pluribus supersedeo. Abundè hæc sunt, ut intelligas quàm totus Augustinum sapiat hic scriptor.

VI. Paulinus Nolanus Episcopus legebat & ipse vestigia Augustini, cum in epistola ad Jovium hæc scribebat de animæ intentione ad superiora, qua fit ut ei statim se aperiat veritas, & notitia Dei, & notitia sui, notitiæ Dei conserta: atque hinc existit certissima persuasio, naturam animæ rationalem naturæ divinæ sine medio subesse, omnibusque corporeis naturis antecellere: *Illico ut ad superna penetralia aciem mentis intenderis, aperiet ad te faciem suam veritas, teque ipsum reserabit tibi. Nam divinæ veritatis agnitu id quoque ut nosmetipsos noverimus, assequimur, &c. Cæcari merentur, ut quia Deum verum intelligere nolunt, etiam sui ignoratione feriantur. Qua liberatur homo, illuminatus fide, ut ordinem atque mensuram sui generis intelligens, Deo tantùm se esse subjectum; cæteris verò omnibus creaturis, si rationabiles sint, parem: sin verò corporeæ, superiorem esse cognoscat. Qua mediocritate fit homo conscius veritatis, compos sapientiæ, &c.*

Cassiodorus similiter illam animæ germanam & consentaneam veritati confitetur esse notitiam, quam ipsa ex seipsa haurit, ut quæ sibi præsens semper & intima sit: *Nulla enim peregrina res est, de sensu propria loqui. Quando sibi natura interrogata respondet; nec longè tendit, ut se invenire prævaleat. Nobiscum semper est ipsa quam quærimus; adest, tractat, loquitur; & si fas est, inter ista nescitur. Proinde nota esse debet, quæ sibi præsto est.* (Initio libri de anima.)

VII. Nec ab his abludit rursus Claudianus Mamertus, ad calcem libri tertii de Animæ Statu: *Immortalis est anima, & id quod vivit, scit semper & cernit. Sed non semper hoc cogitat; quia cùm sit secura de se, quod non amittat se, in multis cogitationibus distendit se.* Quæ ex Augustino prompta esse perspicuum est.

Hilarius cœlestis originis suæ conscientiam naturaliter omnium mentibus insitam esse palam profitetur his verbis: *Deus Deus meus ad te diluculo vigilo. A Deo penes quem fons vitæ est, anima ipsius sitit desiderio intenta potandi. Et quidem uniuscujusque mens ad cognitionem æternitatis naturali quodam fertur instinctu: Quia velut insitum impressumque omnibus sit, divinam inesse nobis animarum originem opinari; cùm non exiguam cœlestis in se generis cognitionem mens ipsa cognoscat.* (In Psal. 62.) Author Elucidarii apud Anselmum hanc sententiam non abjecit: *Opinantur quidam animas quidem parvulorum scientia non carere; sed præ debilitate corpusculi non posse exercere.*

VIII. Ne illaudatos prætereamus Græcos in re tanti sanè momenti, omnium vices sustinebit, omnium instar erit unus Athanasius. Hoc ergo ille statim præfatur in Oratione contra Gentes, non longè accersendam esse Dei notitiam, non foris mendicandam: Regnum Dei intra nos esse, ex ipsis animæ rationalis penetralibus elimatissimam Dei cognitionem exculpendam esse. At quoniam rationalem & cœlestis originis animam nobis inesse aliqui negant, nec eam nisi corporeum quid esse suspicantur, in id primò incumbendum esse, ut semetipsa noscat & intelligat anima. Pronum id autem & expeditum esse. Sentit enim omnino anima, se & corporibus antecellere, & corporeis sensibus dominari, cùm de iis judicet, cùm eorum testimonia excutiat & perpendat; alia probet, alia refellat; cùm corporeos sensus corpusque ipsum æternorum amore contemnat quandoque & abjiciat. *Neque enim ut est Deus super omnia, ita quoque & via quæ ad illum tendit, procul aut foris extraque nos consistit; sed in nobis sita est, & initium ejus à nobis investigari potest, quemadmodum & Moyses docuit his verbis, Verbum fidei intra cor tuum est. Quod & Salvator noster confirmavit, dicens, Regnum Dei intra vos est. Si percuncteris quænam illa sit via, dico eam uniuscujusque animam esse, & in anima ipsam mentem. Per eam enim solum Deus spectari & intelligi potest, &c. Quod autem unusquisque hominum mentem possideat, id necessum est paucis ostendi, cum non desint ex hæreticis potissimum, qui hoc inficientur, &c. Sentit quisque aliud esse mentem, ac planè diversum quiddam existere à corporalibus sensibus. Propterea ut aliud existens, sensuum judex est; & quæ illi apprehenderint, ea mens discriminat, memoria repetit, illisque quid melius sit, ostendit, &c. Quomodo corpus æterna meditetur, & contemptis quæ ante pedes sunt, ad æterna desiderium suum intendat, &c. Corpus certè nihil de se tale cogitaverit: Necessum est autem diversum id esse à corpore, quod contraria corpori, ejusque naturam excedentia meditetur.* Sic ille demonstrat fore, ut se facilè intelligat anima, si se solam consulat, se solam audiat, abstergat etiam à se quidquid per corporeos sensus affrictum sibi extrinsecus est. Quin imò addit, cùm abstersa fuerint ab animæ quasi facie, quæcumque aliunde inhæserant, hausta per corporeos sensus; tunc in ea fore ut perluceat & conspiciatur æterna Verbi Dei sapientia.

IX. Denique si quorum mens ita emaculari non potuit, ut in ea resplendeat vera Deitas, his per sensibilia moliendum esse iter, ut ad Deum pertingant. *Quòd si animæ magisterium non sufficit, ob ea quæ aliunde mentem obscurant, impediuntque quo minus meliora conspiciat; est tamen illi facultas ex iis quæ apparent Dei cognitionem addiscere, rerum natura indicante, &c.* Hac sanè nos via & ratione ad mentem Athanasii, Augustini, aliorumque Patrum ingressi sumus in hunc de divina existentia tractatum; hac deinceps & in reliquis tractatibus ferè progrediemur, ut primùm ex anima, deinde ex tota rerum natura probationes & argumenta exculpamus. Hanc de rebus divinis tractandi methodum, ut à summo rerum opifice præscriptam, commendat rursum Athanasius libro de Incarnatione Verbi Dei: *Gratia imaginis ad similitudinem Dei animæ impressa, idonea satis fuit, quæ Verbi notitiam faceret, atque per Verbum Patrem. At tamen cum sciret Deus hominum imbecillitatem, etiam huic negligentiæ remedium prævidit; ut si quando negligerent ex suiipsorum intuitu Deum agnoscere, possent saltem ex naturæ operibus opificem intelligere.*

CAPUT XIV.

Superioris doctrinæ Elucidamenta quædam & Corollaria. Ac primò quòd multa intelligamus nullo corporis sensu hausta, ex sanctis Patribus.

I. Evincitur primo ex innata Dei notitia, multa ab anima rationali intelligi, nullo corporis sensu hausta.

II. Idem evincitur ex ingenita animæ sui notitia.

III. Item ex Principiis primis omnium scientiarum, quæ nullo corporis sensu attinguntur.

IV. Horum Principiorum, seu Regularum veritatis infallibilitas, immutabilitas, æternitas, nullo corporis sensu, solo mentis contuitu cognoscitur.

V. Numerorum innumerabiles multitudines, partitiones, proprietates, solo mentis oculo, nullo corporis sensu conspiciuntur.

VI. Lumen quo mens seipsam à sensibus, sensusque corporeos inter se discriminat, nullo corporeo sensu, aut phantasmate videtur.

VII. Formas incommutabiles veritatis, sapientiæ, justitiæ, sola mens intus videt, nulla ope sensuum. Suffragia ex Augustino, quibus hæc confirmentur.

VIII. Non natura hominis, sed pœna peccati hæc est, quod rarò sine phantasmatum strepitu videat aliquid mens. Videt enim adhuc aliqua, sed rarò, & brevi.

IX. Testimonia sanctorum Patrum, qui id confirmant.

I. Liquet I. ex iis quæ hactenus disseruimus, multa nos sola mente intelligere, quæ nec corpa-

corporis sensu ullo hausimus, nec ullius phantasmatis vehiculo à sensu ad mentem trajecimus. Ideoque exuendum penitus esse & ejiciendum ex animis Christianorum Theologorum illud vulgare præjudicium, nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Contra enim 1. notitia Dei ante omnia sensuum corporeorum experimenta, inest omnium mentibus, sive ex intelligentiæ ante corpora juxta Platonicos, ante peccata juxta Christianos animabus concessæ superstite reminiscentia; sive ex naturali Dei creantis seque inscribentis litteratura; sive ex Deitatis coram obversantis & affulgentis præsentia. Utcumque se res habeat, est tamen in intellectu, quod non fuit in sensu; idque ita definiunt Patritii Philosophi & Patres Christiani, quos pro anticipata Dei cognitione catervatim conspirantes supra allegavimus.

II. Notitia sui pollet mens omnis, qua se esse, se vivere, se intelligere, velle, nolle, &c. sentit: nulla sensuum rima in eam illapsa est, sed abdicatione potius omnium sensuum, avocatione sui ab omnibus corporeis imaginibus, suique in seipsam recollectione comparata est. Se esse, se vivere, se intelligere, mens non per oculos vidit, quasi coloratum quid, nec per aures audivit, quasi sonorum, &c. Ita senserunt Patres & Philosophi, quorum ratio & authoritas supra relata est.

III. Prima principia omnium scientiarum, ut quod idem non possit esse & non esse, quod totum sit majus parte, quod si æqualibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia, quod suum cuique tribuendum sit, quod de re qualibet tria quæri possint, an sit, quid sit, quale sit, &c. Hæc inquam prima principia nec visu, nec auditu, nec ullo corporis sensu usurpavimus; nec enim color aliquis eorum est, vel sonus, vel odor, &c. vel figura, vel motus, vel magnitudo, &c. splendidissimam ergo horum veritatem sola mens suo jure contuetur.

IV. Hujus veritatis primorum principiorum infallibilitas, immutabilitas, æternitas nullo corporis sensu attingi potest, mente igitur sola conspicitur. Sensus enim corporis nonnisi temporalia, mutabilia, umbratilia capiunt.

V. Numeri innumerabiles mente conspiciuntur, sensu pauci; rursus numerorum copulationes, comparationes, proportiones & proprietates, quarum incredibilis est & multitudo & admirabilitas, ut norunt qui mathematicas disciplinas vel à limine salutarunt, solo intellectu, nullo sensu conspici potuere.

VI. Discrimen ipsum quo seipsam mens à sensibus discriminat, quo sensus ipsos externos dispescit, quibus singuli finibus claudantur advertit, ab internis secernit, hos præesse, illos subesse dignoscit, se utrisque imperatricem judicemque præsidere intelligit, hæc omnia mens nisi sola discriminare & dijudicare non valet. Neque enim ad discrimina hæc internoscenda vel oculus, vel olfactus quidquam confert, &c.

VII. Intuetur mens formas veritatis, sapientiæ, justitiæ, &c. at eas nullo externo vel interno sensu corporeo animadvertit; nec enim sapientiæ vel color ullus est, vel sonus, vel figura, vel situs, &c. Augustinus: *Quid ipsa ratio qua ministros suos, & ea quæ suggerunt, discernit ab invicem, & item quid inter hæc & seipsam distet, agnoscit, seque illis præpotentiorem esse confirmat; num alia re seipsam, nisi seipsa, id est, ratione comprehendit? An aliter scires te habere rationem, nisi id ratione perciperes?* Intellectus ergo cognitionem sui, suæque supra corporeos sensus præcellentiæ, & dominationis, & ipsorum inter se disterminationis, sibi uni habet, & sibi uni debet. Et infrà: *Non enim si sensu corporis percepi numeros, idcirco etiam rationem partitionis numerorum, vel copulationis sensu corporis percipere potui. Hac enim luce mentis refello eum, quisquis vel in addendo, vel in detrahendo, dum computat, falsam summam renunciaverit. Et quidquid sensu corporis tango, veluti est hoc cælum & hæc terra, &*

De lib. arb. L. 2. c. 3. 8.

quæcumque in eis alia corpora sentio, quandiu futura sint, nescio. Septem autem & tria decem sunt, & non solum nunc, sed etiam semper. Neque ullo modo aliquando septem & tria non fuerunt decem, aut aliquando septem & tria non erunt decem. Hanc ergo incorruptibilem numeri veritatem dixi mihi & cuilibet ratiocinanti esse communem. Et aliquantò pòst: *Hoc ergo quod per omnes numeros esse immobile, firmum incorruptumque conspicimus, unde conspicimus? Non enim ullus ullo sensu corporis omnes numeros attingit, innumerabiles enim sunt: unde ergo novimus per omnes hoc esse, aut qua phantasia, vel phantasmate, tanquam certa veritas numeri per innumerabilia tam fidenter, nisi in luce interiore conspicitur, quam corporalis sensus ignorat? His & talibus argumentis coguntur fateri, rationem veritatemque numerorum, & ad sensus corporis non pertinere, & inconvertibilem sinceramque consistere.* Ubi perspicuè demonstrat sanctus Pater proprietates numerorum sola mente, nullo autem sensu conspici; item eorum veritatis æternitatem & immutabilitatem solo intellectu attingi; item innumerabilium numerorum quos nullo sensu unquam experti sumus, proprietates fidenter describi sola mente. Denique ibidem demonstrat adeo numeros sola mente intelligi, ut unum, quo sæpiùs replicato constant omnes numeri, nonnisi intellectu conspiciatur. Omne enim unum sensibile multis constat, ideoque non tam unum, quàm unitum quid & multitudo est. Sola igitur mente unum verè unum apprehenditur, id est, simplex & impartile. Ibidem: *Unum quisquis verissimè cogitat, profectò invenit corporis sensibus non posse sentiri. Quidquid enim tali sensu attingitur, jam non unum, sed multa esse convincitur; corpus enim est, & ideo habet innumerabiles partes, &c. Porro si unum non percipimus corporis sensu, nullum numerum eo sensu percipimus, eorum dumtaxat numerorum quos intelligentia cernimus. Nullus enim est ex iis qui non tot vocetur, quoties habet unum, cujus perceptio corporis sensu non fit.* In Psalm. 41. *Qui fecit hæc quæ oculis video, non istis oculis est inquirendus. Aliquid etiam per seipsum animus conspicit, &c. quem colorem habet sapientia, &c. quid videbat Tobias quando videnti filio cæcus consilium vitæ dabat? Est ergo aliquid quod animus ipse corporis dominator, rector, habitator videt, quod non per oculos corporis, &c. Et utique melius est, quod per seipsum, quàm quod per servum suum videt. Seipsum enim per seipsum videt; & animus ipse ut norit se, videt se. Nec utique ut videat se, corporalium oculorum quærit auxilium. Imò verò ab omnibus corporis sensibus tanquam impedientibus & perstrepentibus abstrahit se à se, ut videat se in se, ut noverit se apud se. Non quidem videri Deus nisi animo potest, &c.* Ubi vides quæ & quanta conglobet argumenta; sapientiam solo animo videri posse; animum solo animo videri posse; sensus servos esse animi domini, utique oculati, non cæci, &c. Et alibi: *Nullam aliam causam cujuslibet cogitationis nostræ opinantur aliqui, nisi cum ab his corporibus quæ cogitamus, veniunt atque intrant imagines in animos nostros; quasi non multa ac propè innumerabilia cogitentur incorporaliter atque intelligibiliter ab eis qui talia cogitare noverunt, sicut ipsa sapientia & veritas. Quam si isti non cogitant, miror quomodo de illa utcumque disputent: si autem cogitant, vellem mihi dicerent vel de quo corpore, vel qualis in eorum animos veniat imago veritatis.* Et denuo: *Est ergo aliquid quod animus ipse corporis dominator, rector, habitator videt; quod non per oculos corporis sentit, non per aures, non per nares, non per palatum, non per corporis tactum, sed per seipsum; quod neque color sit, neque sonus, neque odor, neque sapor, neque calor, aut frigus, aut duritia, aut mollitudo. Dicatur mihi quem colorem habeat sapientia? cum cogitamus justitiam, quid tanquam sonus ad aures? quid tanquam vaporeum surgit ad nares? quid odori infertur? quid manu tractatur & delectat?* Ubi advertis inter ratiocinandū singulis momentis multa ho-

Idem Aug. in Psal. 41.

Idem Ep. 56.

Idem in Ps. 41.

ta homines cogitare, quæ nullo corporeo sensu contigerunt. Omnis enim fermè ratiocinatio versatur in dignoscendis rebus veris & falsis, certis & incertis, bonis & malis, honestis & turpibus, &c. At formulæ universales veritatis, certitudinis, bonitatis, honestatis, &c. ad quas expendimus & trutinamur res singulares, cùm nec coloratæ, nec sonoræ sint, nec odoratæ, nec quantæ, nec figuratæ, nullo sensu in animam influxerunt. Rursum Augustinus: *Ipsum lumen quo cuncta ista discernimus, in quo nobis satis apparet, quid credamus incognitum, quid cognitum teneamus, quam formam sensu corporis recordemur, quam cogitatione fingamus, quid corporis sensus attingat, quid imaginetur animus simile corporis, quid certum & omnium corporum dissimile intelligentia contempletur. Hoc ergo lumen ubi hæc cuncta dijudicantur, &c. invisibiliter, ineffabiliter, & tamen intelligibiliter lucet.* Nunquam sanè fuit in sensu, quod tamen in intellectu est lumen illud intelligibile, quo sensum à phantasia & utrumque à mente, corporalia ab imaginariis & utraque ab intelligibilibus secernimus, & ineluctabili necessitate secerni debere intelligimus.

Epist. 85. Adde ex Aug. Conf. L. 10. c. 10. De Gen. con. Manich. c. 5. 6. Civit. l. 11. c. 26. De Gen. ad litt. l. 12. c. 36.

VIII. In hac autem fuisse sententia Patres Ecclesiæ constat, quòd statuerint 1. hanc esse peccati pœnam, quòd phantasmatum ludibriis jugiter ferè exagitetur anima; rarò possit illa penitùs compescere, & brevi hac silentii usura intelligibili veritati vacare. Quia enim amore intempestivo intelligibilium veritati sensibilium vanitatem anteposuit, tempestivo admodum supplicio illinc ejecta, huic subjecta est, ut nihil distet pœna à culpa, sed statim succedat pœna in ipsa culpa. 2. Nec exprimi tantùm parentis peccato amoris insaniam ita justè retaliatam fuisse, sed in unoquoque etiam nostrum ita contingere, ut colluvies phantasmatum in mentem jugiter impingentium non ex corporeæ copulæ naturali necessitate, sed ex amoris sensibilium perversitate ebulliat. Nonnisi sensibilia cogitat, qui nonnisi sensibilia amat; ubi thesaurus, ibi cor; ubi voluntas, ibi mens; ubi cupiditas, ibi cogitatio; ubi culpa, ibi pœna; jussit enim lex æterna, & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus. 3. Et illæ tenebræ quibus insepulta est parvulorum mens, in illa ætatis teneritudine, nec sibi nec Deo vacandi compos, ex parentalis peccati in ipsos propagati pœnalitate offusæ sunt. 4. Ut ergo à servitute phantasmatum exoluta mens in intelligibilis veritatis auram respiret, opus est non quidem solvi à corpore, sed solvi ab amore corporum, opus est purgari affectum, mundari cor, oculum mentis mundari à terrenis sordibus. 5. Et in hac tamen caliginosa bullientis imaginationis nocte, dilucida quædam adhuc intermicant coruscamina, breviaque, sed beata momenta, quibus sine ullo phantasmate mens strictim & obiter intervidet aliquid sincerum, intelligibile, putà sapientiam, veritatem, justitiam, numerorum incorruptibilitatem, primorum principiorum immutabilitatem, &c. Sed hæc fulgura tantùm sunt, quæ luxisse magis quàm lucere dixeris; adeo repentina irruit phantasiæ caligo. 6. Sola Deus veritate mentes quandoque alloquitur, sine ullo medio corpore vel phantasmate. 7. Hinc solemne Augustino tripartitum genus visionum; corporeum per sensus externos corporis; spiritale vel imaginarium per internos; intelligibile per mentem nudam & simplicem.

Greg. Mag. Moral. l. 5. c. 25.

IX. Gregorius Magnus: *Homo qui si præceptum servare voluisset, etiam carne spiritualis futurus erat; peccando factus est etiam mente carnalis, ut sola cogitet quæ ad animam per imagines corporum trahit. Cùm vero miris conatibus ab his exurgere nititur, magnum valdè est si ad cognitionem suam, repressa corporali specie, anima perducatur, ut semetipsam sine corporea imagine cogitet, & cogitando se, viam sibi usque ad considerandam æternitatis substantiam paret.* Apertè docet, quòd anima non cogitet, nisi quæ per imagines corporum trahit, id ex peccato exortum esse, quo evasit mente corporalis. Augustinus: *Tali amore (sensibilium) plerumque decipitur (anima), ut aut nihil putet esse nisi corpus; aut etiamsi authoritate commota, fateatur aliquid esse incorporeum, de illo tamen nisi per imagines corporeas cogitare non possit.* Non solùm ergo in primo parente, sed in nobis etiam singulis, non naturalis copula corporis cum anima, sed turpis conglutinatio animæ cum corporibus per amorem, id efficit, ut nihil propemodum sit in intellectu, quod non fuerit prius in sensu. Idem Augustinus: *In illas ignorantiæ densissimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero, utique anima hominis, utique anima rationalis, non solum indocta, verum etiam indocilis jacet, quare, aut quando, aut unde contrusa est? si naturæ est hominis sic incipere, & non jam vitiosa est ista natura, cur non talis creatus est Adam? cur ille capax præcepti, & valens uxori, & omnibus animalibus nomen imponere? iste autem nesciens ubi sit, quid sit, à quo creatus, à quibus genitus sit; jam reus delicti, necdum capax præcepti; tam profunda ignorantiæ caligine involutus & pressus, ut neque tanquam de somno excitari possit? ut hac saltem demonstrata cognoscat: sed expectetur tempus, quo hanc nescio quam, velut ebrietatem, non per unam noctem, sicut qualibet gravissima solet, sed per aliquot menses atque annos paulatim digerat. Hoc tam magnum ignorantiæ atque infirmitatis malum si in hac vita jam nati parvuli contraxerunt, ubi, quando, quomodo, magna aliqua impietate commissa, repente tantis tenebris involuti sunt?* Ubi clarissimè audis illam quam in parvulis experimur, Dei, suique ignorantiam, seu mavis incogitantiam, non naturalem homini, sed pœnalem esse; naturæ enim rationali, & seipsam, & rationis principem ac largitorem Deum ignorare, utique non natura, sed pœna & ingens calamitas est. Quocirca primus homo ante peccatum nullo momento fuit sine Deo, aut sine sui splendidissima intelligentia. Et alibi: *Sed illi parvuli nec flerent in paradiso, nec muti essent, nec aliquando ratione uti non possent, nec ulli eorum tam vano & obtuso nascerentur ingenio, &c. sed excepta propter incapaces uteros matrum sui corporis quantitate, tales omnino, qualis Adam factus est, gignerentur.* Idem rursus: *Quia ad æterna capessenda idonei non eramus, sordesque peccatorum nostrorum nos prægravabant, temporalium rerum amore contractæ, & de propagine mortalitatis tanquam naturaliter inolitæ, purgandi eramus. Purgari autem ut contemperaremur æternis, nonnisi per temporalia possemus, &c.* Et rursum idem alibi: *Quia in temporalia devenimus, & eorum amori ab æternis impedimur, quædam temporalis medicina, quæ non scientes, sed credentes ad salutem vocat, non naturæ & excellentiæ, sed ipsius temporis ordine prior est.* Et alibi rursum: *Festinemus itaque ad illud bonum, &c. ad quod videndum mundemus cor per fidem Christi, qui ait, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Verum illum aspectum aciemque purgemus, quo cernitur, quantum in hac vita licet, quid sit justum, quæ sit sapientiæ pulcritudo; quæ quisquis cernit, præponit longè omnium spatiorum pulcritudini, & sentit, ut ista cernat, non per locorum spatia diffundi aciem mentis suæ, sed incorporea potentia stabiliri.* Quibus ex tribus locis constat oculum mentis amore sensibilium per originis nostræ vitium inolito obnubilatum, & terrenorum phantasmatum pulvere sordidatum, ut mera intelligibilia videre possit, purgandum & serenandum esse, nimirum per fidem temporalium Verbi incarnati mysteriorum; ut per quæ ægrescimus, sanemur; & per sensibilia sacramenta à sensibilium amore expediti, ad intelligibilia capienda roboremur. Et alibi denuo: *Ecce vide si potes, ò anima prægravata corpore quod corrumpitur, & onusta terrenis cogitationibus multis & variis, ecce vide, si potes, Deus veritas est. Noli quærere quid sit veritas, statim enim se opponunt caligines imaginum corporalium & nubila phantasmatum, & perturbant serenitatem quæ primo ictu diluxit tibi, cùm diceretur veritas.*

August. de morib. Eccl Cath. c. 21.

Idem l. 1. d pecc. mor. & remiss. c. 36.

l. 3. operis ult. contra Julian. nu. 199.

L. 4. de Trin. c. 18.

L. de vera Relig. c. 14.

L. contr. Ep. Fundam. c. 42.

L. 8. de Trin. c. 2.

veritas. Ecce in ipso primo ictu, quo velut coruscatione perstringeris, cum dicitur, veritas, mane, si potes, sed non potes. Relaberis in ista solita atque terrena. Quo tandem pondere, quæso, relaberis, nisi sordium contractarum cupiditatis visco, & peregrinationis erroribus? Ubi vides ad momentum quandoque serenari mentem ab omni phantasmatum nubilo, & tunc rapida coruscatione emicare aliquid merè intelligibile; sed sisti non posse hoc fulgur; irrumpere statim caliginosas corporum imagines; non quòd ea sit natura hominis anima & corpore constantis: sed quòd ea sit pœna animæ corruptibili corpore prægravatæ, & cupiditatum pondere depressæ. Idem rursus: (Civit. l. 11. c. 2.) *Loquitur (Deus cum homine) ipsa veritate, si quis sit idoneus ad audiendum mente, non corpore. Ad illud enim hominis ita loquitur, quod in homine cæteris quibus homo constat, est melius, & quo ipse Deus solus est melior.* Ubi ait sanctus Pater Deum quandoque sine ulla exteriori specie, sine ulla phantastica imagine, intelligibili tantùm veritate convenire & alloqui ipsum hominis intellectum. Denique alibi: (Epist. 85.) *Tria sunt rerum genera quæ videntur; unum corporalium, sicut hoc cœlum & terra, & quidquid in eis corporeus sensus cernit & tangit. Alterum simile corporalibus, sicut sunt ea quæ spiritu cogitata imaginamur, &c. Tertium ab utroque discretum, quod neque sit corpus, neque habeat ullam similitudinem corporis, sicut est sapientia, quæ mente intellecta conspicitur, & in cujus luce de his omnibus veraciter judicatur.* Idem prolixè habet in libris de Genesi ad litteram, ubi & (De Genes. ad lit. l. 12. c. 7.) primum genus vocat corporale, secundùm spiritale, tertium intellectuale. Atque ad hunc modum septem illa quæ præmiseram corollaria, suis quæque authoritatibus munita sint, sed dabit se suo posteà ordine tempus locusque uberiùs ea expendendi; hìc delibasse tantùm animus fuit, quòd & ex supradictis pendeant, & infrà dicendis lucis plurimum infundant.

CAPUT XV.

Quæ mens per sese intelligit, multò clariora & evidentiora esse, quàm quæ per sensus.

I. Quæ mens silere jussis sensibus per sese intelligit, multò certiora & evidentiora esse, liquet primò, quod illæ ibi timendæ non sint fallaciæ quæ sensibus insidiantur. Imo quidquid clarè intelligitur, id indubiè verum est.

II. Cuique certo constat, certius esse quod tria & septem sint decem, quàm quod sol luceat. Illa enim necessaria & æterna veritas est, non ista. Id genus exemplorum latissimè patet.

III. Æquum est ut præstet contuitus mentis oculo carnis.

IV. Sensibilia minus sunt, ideo & minus vera sunt. Intelligibilia magis sunt, ideo veriora & certiora sunt.

V. Intelligibilia præsentiora sunt intellectui, quàm sensibilia sensui.

VI. Longo anfractu sensibilia ad sensum perveniunt: intelligibilia mens suo in gremio conspicit.

VII. Communes illas ideas de beatitudine universali, de bonitate, de justitia, de sapientia & veritate, & ceteras ejusmodi, non inania & ludificatoria esse figmenta, sed verissimas rerum verissimarum ideas atque imagines, multis argumentis evincitur.

I. Liquet porrò ex superioribus capitibus, ea quæ mens per seipsam intelligit, corporeis sensibus aut præventis, aut abdicatis & silere jussis, multò certiora & evidentiora ipsi esse, quàm quæ sensibus iisdem internunciis apprehendit. Nam 1. In utroque genere sentiendi sive externo, sive interno, plurimæ insidiantur, plurimæ inferuntur fallaciæ: sive cum in corporibus objectis fieri putatur, quod fit in corporis sensibus, ut cum baculus aquæ eminens fractus apparet, vel littus vectoribus moveri videtur; sive cum ut in imaginatione imagines rerum, ita res ipsæ in natura se habere existimantur. At tertium genus seu intellectus nunquam fallitur; aut enim intelligit quis, & non fallitur; aut si fallitur, non intelligit. Quod enim verè falsum seu impossibile & chimericum est, id nec intelligibile est; quod vicissim intelligibile est, id & verum est. Item habitus principiorum ideo nulli obnoxius est errori, quia intellectus & est & vocatur. Item cur intellectus castigandis & emendandis sensuum & phantasiæ erroribus præstitueretur, si in eandem errorum fœditatem impingere & ipse posset? Denique cur prima principia, verbi gratia, idem non potest esse & non esse, totum est majus parte, &c. æternæ & inconcussæ veritatis penes omnes sunt, nisi quia clarè & distinctè intelliguntur? Ergo similiter quidquid clarè & distinctè intelligetur, id verum & indubium erit. Certius ergo & indubitatius est quidquid inconsultis sensibus citra erroris periculum intelligimus, quàm quidquid vel sensibus vel imaginatione non sine hallucinationis discrimine sentimus. Augustinus cum triplex illud genus visorum & visionum distinxisset; (De Gen. ad lit. l. 12. c. 14. 25.) *Et per corporalem visionem, & per imagines corporalium quæ demonstrantur in spiritu, & boni instruunt & mali fallunt; intellectualis autem visio non fallitur; aut enim non intelligit, qui aliud opinatur quam est;* (Epist. 112.) *aut si intelligit, continuò verum est.* Et infrà: *Fallitur, inquit, in visione corporali anima, cum in ipsis corporibus fieri putat, quod fit in corporis sensibus, sicut navigantibus videntur in terra moveri quæ stant, &c. In visione spirituali fallitur, cum ea quæ sic videt, ipsa corpora esse arbitratur; vel quod sibi suspicione, falsaque conjectura finxerit, hoc etiam in corporibus putat, quæ non visa conjectat. At verò in illis intellectualibus visis non fallitur: aut enim intelligit, & verum est; aut verum non est, & non intelligit. Unde aliud est, in his errare quæ videt, aliud ideo errare quia non videt.* Idem habet & alibi sæpè.

II. Ut alia desint argumenta, cui non ipsa experientia persuasit, quàm certius sit & evidentius, circulum à centro undique æquidistare, tria & septem esse decem, suum cuique tribuendum esse, de eodem idem affirmari & negari non posse; quàm vel solem lucere, vel ignem ardere? Hæc enim ita esse sentio, sed an ita semper fuerint, an ita semper futura sint, an necesse sit ita esse, an aliter se habere possint, vel nescio vel ambigo; illorum autem veritatem tam altè introspicio, ut illam æternam & invariabilem & incorruptibilem videam, ita semper fuisse & fore, nec aliter se habere posse indubitanter asseverem. Augustinus: (August. l. 2. de lib. arb. c. 8.) *Quidquid sensu corporis tango, veluti est hoc cœlum & hæc terra, & quæcumque in eis alia corpora sentio, quandiu futura sint, nescio. Septem autem & tria, decem sunt; & non solum nunc, sed etiam semper. Neque ullo modo aliquando septem & tria non fuerunt decem, aut aliquando septem & tria non erunt decem. Hanc ergo incorruptibilem numeri veritatem, dixi mihi & cuilibet ratiocinanti esse communem.*

III. Quanto anima corpori, & mens oculo carnis præstat, tanto mentis quàm carnis contuitus sensusque omnis firmior sit, necesse est. Item cum cognoscere tam proprium sit animæ, quàm alienum corporeæ naturæ, cui dubium esse potest quin in cognoscendo, certitudinis & evidentiæ palma animæ soli deferenda sit? Denique cum oculi interiores exteriorum sint judices, penes illos sanè veritatis examen & judicium certius esse debet. Augustinus: (Epist. ... c. 17.) *Num ergo iis oculis cordis tui, quibus hæc omnia vera & certa esse contueris, tibique præsentia invisibiliter cernis atque discernis, ullo modo corporeos oculos comparabis? Cùm etiam de ipsis rebus visibilibus, & de ipsis corporeis oculis, quantum distent ab invisibilibus,*

tibus, quæ non credis absentia, sed præsentia mente contueris, non carnis oculis, sed illis interioribus judices. Cum ergo interiores oculi sint judices exteriorum, &c.

IV. Sensibilia ut minus sunt, ita minus vera & minus cognoscibilia sunt. Intelligibilia, ut magis sunt, & verè sunt, ita veriora & cognitu uberiora sunt. Illa videntur esse magis quam sunt; nec sunt aut stant, sed fiunt & fluunt, & fugiunt falluntque contuentis oculum & prehensantis manum. Hæc sunt, stant, seque præstant, nec firma tantùm sunt, sed & aciem contemplantis firmant roborantque. Augustinus: *Ego existimo quòd tanta ibi & talia, tam vera, tam clara, tam certa videri sine luce non possunt. Ipsam igitur lucem, in qua cuncta illa perspicis, intuere, & vide utrum ad eam possit accedere ullus corporeorum radius oculorum.* Et alibi: *Mentis oculos levat notissima illa ratiuncula, mentem atque intelligentiam mentis, oculis atque hoc vulgari conspectu esse meliorem. Quod non ita esset, nisi magis essent illa quæ intelligimus, quam ista quæ cernimus.*

Ibidem.

Idem Epist. 117.

V. Intelligibilia præsentiora sunt menti quàm sensibilia sensui. Nam hæc non semper, illa semper adsunt intueri volentibus; non semper adest lux, semper adest veritas. Item hæc extrinsecus tantùm, & summa tenus superficie delibantur à sensu, vix in medulla penetrantur, lege corporeæ naturæ, quæ sensibili sensu, id est corpore corpus non admittit, sed excludit. At intelligibilia intellectui intima sunt; intimè vel medullitus sibi adsunt, imo insunt, lege spiritalis substantiæ quæ quamcumque distantiam ut corporum propriam ablegat. Augustinus: *Cum etiam de ipsis rebus visibilibus & de ipsis corporeis oculis, quantum distent ab invisibilibus, quæ non credis absentia, sed præsentia mente contueris, non carnis oculis, sed illis interioribus judices.*

Epist. 112. c. 17.

VI. Sensibilia longo anfractu ad mentem perveniunt, ab objecto ad medium, à medio ad sensum, à sensu externo ad internum, inde ad mentem; tam longum autem & tam flexuosum iter, imminentium undique deceptionum insidiis oppidò quàm opportunum est. At intelligibilia mens in suo ipsius sinu fulgescere conspicit; quid sit intelligentia, quid sapientia, quid charitas, intelligendo, sapiendo, amando sentit; quid justitia, quid veritas, suo in gremio invenit, & sic de aliis.

VII. Liquet etiam, non ut vulgo existimari & errari solet, inania esse ludibria & quasi chimæricas ludificationes, communes illas de beatitudine, de veritate, de bonitate, justitia, sapientia, &c. cogitationes, quas omnibus innasci inde auguramur, quod omnes naturaliter ad hæc anhelant. Hæc inquam non sunt insomnia animæ dormitantis, sed imaginis divinæ lineamenta, paulò quidem decoloratiora, non usquequaque tamen obsolefacta. 1. Universalis illa beatitas, bonitas, justitia, &c. cogitatur clarè, & intelligitur, ergo est. 2. An nugatrix quædam est natura, quæ vacuas istas & nihil significantes ideas, quasi inanes umbras exhibuerit? 3. Ergone realia erunt quæ sensui, non erunt quæ intellectui tanto nobiliori potentiæ objiciuntur? 4. Ergone appetitus sensibilis dum particulare bonum expetit, non frustratur; appetitus intellectualis dum totum bonum, totum verum concupiscit, aerem verberat, nec nisi umbra pascitur & vento? 5. Ergone intellectus regendis emendandisque sensibus præpositus, errabit ipse statim, & in primo limine impinget? An alios reget, qui se non potest; in aliis oculatus, in suis cæcutiens? 6. Ergone voluntas inferiorum appetituum moderatrix, sine modo ipsa insaniet, universalia quædam bona, figmenta quasi poetica consectans? 7. Ergone in entium postremis atque vilissimis, nempe corporibus, nulla erit linea, nulla qualitas, quæ non summi opificis vestigium sit? at in anima, in imagine Dei tot lineæ, tot innati colores, tot ideæ inscriptæ, non erunt nisi tumultuariæ notæ, adumbratæ præstigiæ, & meri nihili commenta? Avertat Deus hæc errorum portenta, saltem à Theologis. Sunt enimverò, sunt, quæ intelliguntur; & magis sunt, quàm quæ videntur oculo, quàm quæ manu tractantur. Est veritas multo veriùs quæ intellectui, quàm lux quæ oculo affulget; citiùsque cum Augustino dubitaverim esse me, quàm non esse veritatem. Possem enim ego non esse, etsi veritas esset; at esse non possem, nisi veritas esset, qua saltem verum esset me esse. Cæterum hæc ut vides non longè petita, sed in promptu sunt; & nihil persuasius hominum vulgo illiterato, id est, humanitati, quàm esse alicubi, quod quærunt ubique, esse alicubi beatam vitam, esse veritatem, esse bonitatem quam quærunt, & sic quærunt ut non quærere non possint. Et hoc quod quærunt, si quærendum esse, & Deum esse moneantur, quàm beato compendio res peragitur! Et ita perageretur nisi sensuum & cupiditatum lascivia, nisi humanæ & profanæ curiositatis certa omnia controversantis, incerta omnia præsumentis licentia, turbaret omnia & naturæ simplicitatem circumveniret.

CAPUT XVI.

Multa clariùs à nobis de Deo & anima nostra sciri, quàm de rebus corporeis.

I. An Ens summè perfectum, & quo nihil melius cogitari potest, existat, multò minus dubitari potest, quam an Sol luceat.

II. Hinc Patres affirmant, Deum non posse nesciri.

III. Augustinus tam certò & evidenter scire quòd Deus sit, expetiit, speravit, assecutus est, ut ex variis ejus contextibus declaratur.

IV. Quid sit Veritas, Justitia, Sapientia, multò evidentiùs omnes scimus, quàm quid sit lux, color, calor.

V. Dei natura charitas est & dilectio, quam notiorem habemus, quàm fratrem quem diligimus; ex Augustino.

VI. Deum & animam anima intelligit tertio visionum genere, quod intelligibile vocat Augustinus, quodque multò certius est duobus aliis, nempe corporali, seu sensibili; & spiritali, seu imaginario. His enim subest error, non illi.

I. Liquet rursum plura nos de Deo & ejus attributis, plura item de anima nostra & ejus immortalitate scire, certiùsque & evidentiùs scire, quam de re ulla corporea. Novum id & insolens plerisque videbitur, non obscurè tamen elicitur ex jactis suprà fundamentis. Nam existentiam Dei invenimus inter illas notiones ingenitas, clarissimas & distinctissimas, ut nihilo plus dubitari possit, an Ens summum sit ens seu existat, an id quo nil melius cogitari possit, existat, quàm an circulus æquidistet totus à centro, an tria & septem sint decem, an suum cuique tribuendum sit, quæ omnia certiora sunt, ut ostendimus, quàm Solem lucere, ignem ardere, &c. Et quod de existentia, idem de sapientia, veritate, potentia, æternitate, immensitate & aliis Dei attributis pari jure sentiendum est; ea nempe intellectui certiora esse, notioraque quibuslibet rebus corporeis. Nam & horum ideas non extra venamur, sed intra nos contingimus; ea non quasi absentia recolimus, sed semper præsentia conspicimus; non vacillanter ut mutabilia tenemus, sed constantissimè ut immutabilia contuemur. Similiter mens nostra se esse, vivere, intelligere, meminisse, velle, nolle, hanc esse suam vim & naturam, reliqua omnia per sensus corporeos sibi irrepsisse ut peregrina & adventitia, certiùs & evidentiùs novit, quàm Solem lucere, vel ignem ardere.

II. Hinc suprà audivimus Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, aliosque Patres asserentes Deum non posse ignorari; & hanc esse summam deli-

delicti, eum velle nescire, qui non possit nesciri. Anselmum item demonstrantem, quòd Deus non sit, ne cogitari quidem posse, & ubi insipiens in corde suo dicit, Non est Deus, id verbo tenus, non re cogitare, id est verba illa, non autem eorum sensa connectere, sicut qui cogitaverit, tria & septem non esse decem, aut totum non esse majus parte.

III. Hinc Augustinus quòd Deus sit, intelligere tam perspicuè, quàm intelligebat tria & septem esse decem, optavit, speravit, &, si digna fides, consecutus est. (Confess. l. 6. c. 4.) *Volebam eorum quæ non viderem ita me certum fieri, ut certus essem quod tria & septem decem sint*. In Soliloquiis sanè à capite tertio usque ad nonum roganti an contentus esset ita Deum scire, ut Lunam cras orituram sciret, negat; quòd non esset certus an vis aliqua Lunæ exortum esset prohibitura. An ut Plato & Plotinus scierunt? negat. An ut sciret definitionem circuli vel sphæræ? acquiescit. Vides quid optarit. Quid sperarit autem, alibi docet: (L. de Ordine c. 7.) *Ista alta quædam & à multitudinis vel suspicione remotissima disciplina, se ita studiosis, atque Deum & animos tantum amantibus manifestaturam esse promittit, ut non nobis summæ numerorum possint esse notiores*. (L. 2. cont. Acad. c. 3.) Et rursum alibi: *Caveto ne quid vos nosse arbitremini, nisi quod ita didiceritis saltem, ut nostis, unum, duo, tria, quatuor simul collecta, in summa fieri decem. Sed jam cavete, ne vos in Philosophia veritatem aut non cognituros, aut nullo modo ita posse cognosci, arbitremini. Nam mihi, vel potius illi credite; Quærite & invenietis, nec cognitionem desperandam esse, manifestiorem futuram quàm sint illi numeri*. Denique quod consecutus sit, utque nec voto nec spe sua frustratus sit, declarat alibi: (Confess. l. 7. c. 4.) *Sic enim nitebar cætera invenire, ut jam inveneram melius esse incorruptibile quàm corruptibile, & ideo te quidquid esses, incorruptibilem confitebar. Neque enim ulla anima unquam potuit poteritve cogitare aliquid quod sit melius, qui summum & optimum bonum es. Cùm autem verissimè atque certissimè incorruptibile corruptibili præponatur, poteram jam cogitatione aliquid attingere quod esset melius Deo meo, nisi tu esses incorruptibilis. Ubi igitur videbam incorruptibile corruptibili esse præferendum, ibi te quærere debebam*. Ubi ut advertis, sanctus Pater monet incorruptibilitatem similiterque & alia Dei attributa, existentiam, veritatem, sapientiam, &c. inter illas lucidissimas & ingenitas ideas & debere quæri & posse inveniri. (Confess. l. 7. c. 10.) Denique alio loco: *Intravi & vidi qualicumque oculo animæ meæ supra eundem oculum animæ meæ, supra mentem meam, lucem Domini incommutabilem, &c. Qui novit veritatem, novit eam, &c. O æterna veritas! &c. Cum te primum cognovi, tu assumpsisti me, ut viderem esse quod viderem, & nondum me esse qui viderem, &c. Et dixi, Numquid nihil est veritas, quoniam neque per finita neque per infinita locorum spatia diffusa est? Et clamasti de longinquo, Imò verò ego sum qui sum. Et audivi sicut auditur in corde, & non erat prorsus unde dubitarem; faciliusque dubitarem vivere me, quàm non esse veritatem, quæ per ea quæ facta sunt, intellecta conspicitur*. Ubi vides quòd Deus sit, quòd summa veritas sit, hoc indubitatiùs & evidentiùs intellexisse Augustinum, quàm quòd ipsemet esse, viveretque. Cùm tamen cuicumque menti, quòd sit, & vivat, & intelligat, exploratius sit, quàm vel Solem lucere vel ignem ardere.

IV. Quis non facilè in seipso experitur, se longè clariùs & incunctantiùs scire quid sit veritas, sapientia, intelligentia, omnipotentia, aliaque vel Dei vel animæ attributa, quàm quid sit color, calor, frigus, lux, &c. Quippe hæc alii accidentia, alii substantias, alii motus locales, alii figuratas atomos, alii modos esse definierunt; & erudita hæc, sed implacata sententiarum compugnantia communem imperitiam patefecit. At quid sit veritas, quid sapientia, quid intelligentia, &c. vix unquam à quoquam hæsitatum est. Si quando autem in iis definiendis & explicandis laboratur, id exoritur ex fæculentia verborum sensibilium, à verbis seu sensis intellectus longè deficientium, & à caterva phantasmatum statim ingruentium, & momentaneam illam, sed beatam obnubilantium serenitatem, qua abundè diluxerat quid esset veritas, statim atque insonuit hæc vox, veritas. Augustinus: (L. 8. de Trin. c. 2.) *Ecce vide, si potes, ò anima, prægravata corpore quod corrumpitur, & onusta terrenis cogitationibus multis & variis, ecce vide, si potes, Deus veritas est, &c. Noli quærere quid sit veritas; statim enim se opponunt caligines imaginum corporalium & nubila phantasmatum, & perturbant serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cùm diceretur, veritas. Ecce in ipso primo ictu, quo velut coruscatione perstringeris, cum dicitur veritas, mane si potes, sed non potes, &c.*

V. Idipsum expressissimè affirmat & probat Augustinus: (L. 8. de Trin. c. 7.) *Ecce Deus dilectio est. Ut quid imus & currimus in sublimia cœlorum & ima terrarum, quærentes eum qui est apud nos, si nos velimus esse apud eum? Nemo dicat, Non novi quid diligam. Diligat fratrem, & diliget eandem dilectionem. Magis enim novit dilectionem qua diligit, quàm fratrem diligit. Ecce potest notiorem jam habere Deum quàm fratrem? planè notiorem, quia præsentiorem; notiorem, quia interiorem; notiorem, quia certiorem*. Et paulò pòst: *At enim charitatem video, & quantum possum eam mente conspicio, & credo scripturæ dicenti, Quoniam Deus charitas est*. Deus ergo notior est nobis quàm frater, quàm quælibet res sensibilis; notior autem quia præsentior, quia intimior, quia certior. Deus enim est justitia, charitas, sapientia, &c. hæc autem intus in mente mea video, tango, complector, certiùs utique & arctiùs quàm rem ullam corpoream.

VI. Deum & seipsam anima intelligit tertio illo visionum genere seu intelligibili, cui imponi & fucus fieri non potest. At sensibilia omnia intelligit primo & secundo genere, seu corporali & spiritali, quod utrumque ab innumeris errorum insidiis identidem periclitatur. Illa ergo, quàm hæc, certiùs intelligit. Consule quæ ex Augustino retulimus suprà, ubi exponebamus notitiam sui, quam habet anima.

CAPUT XVII.

Anima ex seipsa, quàm ex orbe toto, Deum clariùs & certiùs intelligit.

I. Cùm creatura reliqua omnis vestigium Dei sit, anima autem rationalis imago Dei: utique ex imagine, quàm ex vestigio, colligetur Dei cognitio uberior, clarior, certiorque.

II. Deo propior anima cum sit, præposterum id esset, si semper adigeretur ad ima descendere, ut ad Deum conscenderet.

III. Rem tanti momenti, quanti est Dei notitia, ab inferioribus mendicare anima ubi cogitur, pœna illa est, non est natura.

IV. Sensibilia sic animam ad Deum deducunt, quia ipsam in seipsam reducunt, contemplantem non oblectari se pulcritudine corporea, nisi quatenus incorporeæ & incorruptibili sursum pulcritudini consentit.

V. Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intelliguntur, cum anima mutabilibus pulcris pulcritudinem incommutabilem, quam sursum videt, præponit.

VI. Sicubi Deus ignoratur, id eo fit, quod anima foris sit.

VII. Nulli non perspicuum est, sapientiam, justitiam, veritatem, quæ intus videt anima, splendidius de Deo testimonium dicere, quam lucem, calorem, &c.

VIII. Longè certior veritas enitescit ex intelligentia, quàm ex corporali, vel imaginario visionum genere.

Liquet

I. Liquet rursùm animam ex sui ipsius quàm ex universi corporei orbis contemplatione uberiorem, lucidiorem, certiorem Dei cognitionem colligere. 1. Cùm omnis natura corporea vestigium Dei sit, anima autem imago; cùm illa velut umbra sit, hæc speculum; quis ambigat Deitatem splendidiùs fulgescere in speculo & imagine sua, quàm in vestigio & umbra? Bernardus lib. de Domo interiori: *Præcipuum & principale speculum ad videndum Deum est animus rationalis inveniens seipsum. Si enim invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; ubi quæso quàm in ejus imagine, cognitionis ejus vestigia expressiùs impressa reperiuntur? Tergat ergo speculum suum, mundet spiritum suum, quisquis sitit videre Deum suum.* Cap. 11.

II. Præposterum valdè esset, si anima omnem veritatis seu Dei notitiam à sensibus mendicare adigeretur. An enim ipsa medium limitem insidens intelligibilis & sensibilis mundi, ut superiora videat, oculos ad inferiora declinabit? ut proxima videat, longinqua consulet? ut lucem videat, tenebrarum sedem adibit? Non igitur anima sensus & sensibilia necessariò semper adibit, ut de Deo consulat; sed ab iis quibus jam flagitioso amore devincta est, revellet se, ut se in seipsam recolligat, à seipsa autem ad Deum exurgat. Ad hunc modum scala sibi ipsa erit, non ut descendat priùs ad corporalia, & inde ad Deum eluctetur; intempestivum enim esset descendere, ut ascenderet: sed ut sensibilibus in quæ turpiter prolapsa est, innitens, & ad seipsam enitens, à se tandem ad Deum gradum moliatur. Gregorius Magnus: *Sæpe volumus omnipotentis Dei naturam invisibilem considerare, sed nequaquam valemus; atque ipsis difficultatibus fatigata anima, ad semetipsam redit, sibique de seipsa gradus ascensionum facit; ut primùm semetipsam, si valet, consideret; & tunc illam naturam quæ super ipsam est, in quantum potuerit, investiget. Sed mens nostra si in carnalibus imaginibus fuerit sparsa, nequaquam vel se, vel animæ naturam considerare sufficit: quia per quot cogitationes ducitur, quasi per tot obstacula cæcatur. Primus ergo gradus est, ut se ad se colligat. Secundus, ut videat qualis est collecta. Tertius, ut super semetipsam surgat, ac se contemplationi authoris invisibilis intendendo subjiciat.* Anima igitur ut ad Deum conscendat, non opus est, ut ad visibilia descendat, sed ab iis potiùs se abscindat, se sibi reddat, sicque ad Deum gratis redeat. Augustinus: *Propinquior nobis est qui fecit, quàm multa quæ fecit. In illo enim vivimus, movemur & sumus; istorum autem pleraque remota sunt à mente nostra, propter dissimilitudinem sui generis, quoniam corporalia sunt, remota sunt à sensibus corporis, quoniam longè sunt. Ex quo fit ut major ad illa invenienda sit labor, quàm ad illum à quo facta sunt. Unde rectè culpantur in libro Sapientiæ inquisitores sæculi: Si enim, inquit, tantum potuerant valere, ut possent æstimare sæculum, quomodo ejus Dominum non faciliùs invenerunt? Ignota sunt enim fundamenta terræ oculis nostris, & qui fundavit terram, propinquat mentibus nostris.*

Greg. Mag. hom. 17. in Ezech.

De Gen. ad litt. l. 5. c. 16

III. Anima non potest sine ingenti dispendio suæ dignitatis compelli ad emendicandum quidpiam à natura corporea tantò deteriore, nedum ad emendicandum rem tanti pretii, seu cognitionem Dei. Bernardus: *Si tamen ita versatur in his, ut per hæc illa (id est per temporalia æterna) requirat, haud protinus exulat. Sic considerare, appropiare & repatriare est. Sublimior iste præsentium ac dignior usus rerum, cum juxta sapientiam Pauli, Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sanè hac scala cives non egent, sed exules. Quod vidit ipse hujus sententiæ author, qui cùm diceret invisibilia per visibilia conspici, signanter posuit à creatura mundi.* Et paulò pòst: *Optimum videndi genus si nullius egueris, ad omne quod nosse libuerit, te contentus. Alioquin juvari aliunde, obnoxium fieri est, minusque à perfecto istud, minusque liberum. Quid quod & inferioribus eges? nonne præposterum hoc & indignum? planè superiorum quædam injuria est, inferiorum operam desiderare. A qua injuria nemo hominum perfectè vindicabitur, nisi cùm quisque evaserit in libertatem filiorum Dei.* Quòd igitur per sensibilia ad Deum vestigandum necessitas urgeat progredi, agnoscit Bernardus hanc esse pœnam exilii nostri, hoc esse dedecus creaturæ mundi, hanc esse injuriam naturæ superioris, quòd inferiori indigeat, & ab ea injuria non usquequaque liberandos nos esse nisi alterius vitæ beatitudine.

Bern. l. 1. de Consid. c. 1.

IV. Sensibilia ad Deum sic maximè deducunt animam, quia ipsam ad se primò reducunt. Animam enim cum pulcritudine, æqualitate, suavitate sua oblectant, ipsam sibi recolligi clam suadent, ut videat se nequaquam hæc ima judicaturam & approbaturam fuisse, nisi leges quasdam pulcritudinis, & æqualitatis, & beatitatis apud se habuisset, aut supra se easdem leges incommutabiles conspexisset. Augustinus: *Quoquo te verteris, vestigiis quibusdam quæ operibus suis impressit, loquitur tibi, & te in exteriora relabentem, ipsis exteriorum formis intro revocat. Ut quidquid te delectat in corpore, & per corporeos illicit sensus, videas esse numerosum, & quæras unde sit, & in teipsum redeas, atque intelligas, te id, quod attingis sensibus corporis, probare aut improbare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulcritudinis leges, ad quas referas, quæque pulcra sentis exterius.* Sic ergo ima pulcra ad Deum vocant, quia animam ad seipsam revocant, ut intelligat ideo se imas pulcritudines approbare, quia legibus pulcritudinis sibi insitis, & supremæ pulcritudini supra se resplendenti consentaneæ sunt. De lib. arb. l. 2. c. 16.

V. Illud etiam quod ait Apostolus, Invisibilia Dei per visibilia mundi intelligi conspicique, sic commentatur Augustinus, quod à pulcritudine corporea & mutabili gradus fit ad leges in anima & supra animam pulcritudinis incorporeæ & immutabilis: item quod ubi mutabili pulcritudini immutabilem præponimus, immutabile ergo aliquid animo nostro perspectum est. Item quod gradatim à corporibus ad animam, ab anima mutabili ad immutabilem sapientiam progrediamur. Atque in hunc modum Deus ex anima immediatius cognoscitur, & anima sibi semper scala est, qua ab imis ad Deum per seipsam gradum molitur. *Quærens unde approbarem pulcritudinem corporum, sive cœlestium, sive terrestrium, & quid mihi præsto esset, integrè de mutabilibus judicanti, & dicenti: Hoc ita esse debet, illud non ita: Hoc ergo quærens unde judicarem cùm ita judicarem, inveneram incommutabilem & veram veritatis æternitatem, supra mentem meam commutabilem. Atque ita gradatim à corporibus ad sentientem per corpus animam, atque inde ad ejus interiorem vim, &c. inde rursus ad ratiocinantem potentiam, &c. Quæ se quoque in me comperiens mutabilem, erexit se ad intelligentiam suam, &c. ut inveniret quo lumine aspergeretur cùm sine ulla dubitatione clamaret, incommutabile præferendum esse mutabili; unde nosset ipsum incommutabile; quod nisi aliquo modo nosset; nullo modo illud mutabili certò præponeret, &c. tum verò invisibilia tua, per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi; sed aciem figere non valui.* Confess. l. 7. c. 17.

VI. Ideo Deus ignoratur, ubi ignoratur, quia anima foris est, & Deus intus; foris quæritur, qui intus est; discessit anima à se, quantò magis à Deo. Eo spectant illa verba sacræ paginæ: Regnum Dei intra vos est. Redite prævaricatores ad cor. Augustinus: *Sero te amavi pulcritudo tam antiqua & tam nova, sero te amavi. Et ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum eras & tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ si in te non essent, non essent.* Et ibidem: *Hunc amemus, hunc amemus; ipse fecit hæc, & non est longe. Non enim fecit atque abiit, sed ex illo in illo sunt. Ecce ubi est, ubi sapit veritas. Intimus cordi est, sed cor erravit ab eo, redite prævaricatores ad cor, & inhærete illi qui fecit vos.* Confess. l. 10. c. 27. Ib. l. 4. c. 12.

VII. Cui

VII. Cui non planissimum est, intelligentiam, sapientiam, veritatem, quæ sunt nativa animarum lineamenta, Deum non modò propiùs imitari, sed etiam disertiùs testificari, quàm calorem, frigus vel ullas corporum formas? Item cui non perspicuum est, has ideas naturaliter efflorescentes in anima, ens absolutissimum & interminatum, id quo nihil majus est, quo nil melius cogitari potest, veritas æterna & incommutabilis, has inquam ideas præconium divinæ existentiæ luculentius proferre quàm rem ullam corpoream? Hinc sunt illa Tertulliani libro de Testimonio animæ: *Ut & naturæ & Deo credas, crede animæ.* Item: *Non multum refert, an à Deo formata sit animæ conscientia, an litteris Dei.* Item, *Sic nec mirum si à Deo data, eadem canit, quæ Deus suis dedit nosse.* Etenim cum perinde animæ atque sacræ literæ à Deo informatæ & inspiratæ sint, nihil mirum est, si eadem ab utrisque divinitatis testimonia promantur.

VIII. Denique cum ex triplici illo visionum genere quod sæpè jam memoravimus, duo priora & erroribus & dubitationibus plurimis implicata sint, veritatis summæ indaginem & cujus cognitio tota salutis summa est, illis solis committere periculosæ plenum opus aleæ est. At cum tertium genus quod anima suum in sinum recepta totum defungitur, nulli hæsitationi, nulli hallucinationi pateat, confultius videtur tantæ molis, tanteque utilitatis cognitionem illi demandare. Augustinus: *Non est igitur expe-* L.83.qq.q.9. *ctanda sinceritas veritatis à sensibus corporis. Quamobrem saluberrime admonemur averti ab hoc mundo, qui corporeus & sensibilis est; & ad Deum, id est, veritatem, quæ intellectu capitur, quæ semper manet, & ejusdem modi est, quæ non habet imaginem falsi, à qua discerni non possit, tota alacritate converti.*

CAPUT XVIII.

Ita per se nobis notum est Deum esse, sed magis quòd sit, quam quid sit.

I. Bifariam intelligi potest, Notum per se nobis esse, quod Deus sit. Aut quod res indigeat sola verborum explicatione, & eo modo per se notum est ens quo nil melius esse, aut cogitari potest, existere. Aut quod statim pateat ipsamet rei essentia. Et ita non est per se notum Deum esse.

II. Quæ hactenus dicta sunt de ingenita Dei notitia, ea omnia spectant ad notitiam Dei quod est, non quid est.

I. IN ea quæstione quam vulgo ventilant, an Deum esse sit nobis per se notum, tametsi dissentiant nonnulli recentiorum, assensisse tamen certum est antiquos Patres ad unum fermè omnes. Nonnihil elucidari posse videtur tota hæc ambiguitas, si distinguatur duplex sensus propositionis notæ secundùm nos. Si enim propositio per se nota secundùm nos ea dicatur quæ sola indigeat terminorum explicatione, & statim intellectum rapiat in sui assensum, ejusmodi est ista, Deus est, sicut & ista, binarius numerus par. Nam ens summum & cui entis nihil deest, existere; eum quo nihil majus est, cogitari potest, existere, tam perspicuum est, quàm binarium esse parem, nec ulla probatione ad id opus est. Si autem propositio per se nota secundùm nos, ea dicatur, ubi rei essentia ipsa per se cernitur, nec velo aut symbolo aliquo vestita exhibetur, tum sanè hæc propositio, Deus est, non erit per se nota: neque enim dum hanc mortalem vitam agimus, ipsam per se Dei essentiam intuemur. Notum est ergo naturaliter quod Deus sit; sed quid sit essentialiter & quidditativè, id penitus ignotum est. Notum est naturaliter esse aliquid ignotum, incomprehensibile, inenarrabile.

II. Liquet autem ex ingenita notitia Dei elucescere magis quòd sit, quàm quid sit. Tametsi enim Deum intelligamus per informatas naturaliter ideas justitiæ, veritatis, sapientiæ, bonitatis, beatitatis summæ, æternæ, immutabilis; hæc tamen nonnisi symbola quædam sunt, à natura intellectuali ad Deum translata. Anima enim hæc omnia in se videt, sed finita, & minùs perfecta; ideo cum illa ad Deum transfert, his maculis exuit, & immutabilitate, infinitate vestit. Symbola igitur ista sunt quibus describitur Deus, propter reconditiorem aliquam conscientiam qua naturaliter sentimus esse Deum, id est, summum quid, incogitabile, inenarrabile, quo nihil majus cogitari possit, & quo nihil dignum cogitari possit; cui propterea omnes quidem quæ in mentem venire possint perfectiones assignandæ sint, sed cui eædem omnes ut impares & indecores, propter inenarrabilem ejus exuperantiã statim abdicandæ sint.

CAPUT XIX.

Supra vim intelligendi est sensus quidam arcanus, quo Deus tangitur magis, quàm cernitur aut intelligitur.

I. Supra intelligentiam est apex mentis, arcanus sensus, contactus quidam obscurus, augurium, unum, silentium mentis, quo sentitur magis Deus, quàm intelligitur, tangitur potiùs quàm videtur.

II. Probatur id primò ex antiquis Philosophis.

III. Ex Dionysio & ejus interpretibus.

IV. Ex Gregorio Nysseno.

V. Coacervantur rationes complures, quibus hic arcanus contactus Deitatis, omni intellectione anterior constituitur.

I. LIquet etiam ante & supra vim intelligendi esse in ipso mentis apice quendam sensum arcanum, tactumque, quo res sentimus magis quàm cognoscimus; tangimus magis, quàm intelligimus. Hoc est summum mentis fastigium, & unum mentis, quo ipsum incomprehensibile utcumque apprehendimus; sentimus quòd sit, nec intelligimus quid sit: sentimus quid non sit, nec intelligimus quid sit. Hæc alioquin conflictarentur; nam si nescias penitus quid sit, quomodo scies quòd sit? Non potest sciri quòd sit, nisi aliquatenus sciatur quid sit illud quod est. Item si nescias quid sit, quomodo scies quid non sit? Nam ideo aliqua ab eo summoves ut indigna, quia de ejus dignitate magnificè sentis. Sed hæc alioqui pugnantia, ita concordabunt, si uno, si apice mentis, si augurio quodam innato sentiatur inenarrabile & incogitabile aliquid esse; quid verò illud sit, mens ipsa non intelligat.

II. Ita decreverunt antiqui Philosophi. Plato: Plato l. 1. de legib. *Quando Deos esse asseris, cognatio quædam fortè divina ad rem tibi conjunctam affirmandam colendamque ducit.* Idem alibi rursus: *Bonum omnis anima expetit,* Idem lib. 6. de Repub. *ejusque gratia agit omnia; augurans esse aliquid, dubitat tamen, neque sufficienter quid sit, comprehendere potest.* Ubi non tam intellectione quàm augurio & cognatione Deum apprehendi notat. Plotinus: *Si quis ipsius (amoris) principium ponat antiquam* Enn. 3. l. 5. c. 1. *ipsius pulcri insitam animabus appetitionem, cognitionem, cognationem, & quandam sine rationis actu cognationis perceptionem, is à veritate non abhorrebit.* Summum pulcrum vult percipi cognatione mentis cum ipso, & hujus cognationis clanculario sensu omnem rationem & cognitionem antecedente. Proclus: *Unde puto animæ intellectualem* Procl. Theo. Plat. l. 1. c. 3 *facilitatem vim habere comprehendendi formas intellectuales, & differentiam quæ est inter ipsas. Ipsum verò mentis fastigium, & florem, & substantiam copulari cum unitatibus ipsorum entium, & per has cum ipsa divinarum omnium unitatum oc-*

culta

culta unione (id est cum Deo.) Ubique enim similia simili cognosci dicimus, sensu sensibile, opinione opinabile, cogitatione cogitabile, mente intelligibile. Igitur ipso uno agnoscitur id quod est maximè unum & arcano arcanum. Intelligibilia igitur intellectu attinguntur, at Deus cùm superintelligibilis sit, vi aliqua intellectum superante attingetur. Jamblicus: *Cohæret nostræ ipsi substantiæ de Diis innata cognitio. Est nempe judicio omni & consilio melior, necnon ratione & demonstratione prior, &c. Imò si verum fari licet, ne cognitio quidem est, ipse divinorum contactus.* Cognitio igitur Dei omnem cognitionem antecedit, & nec cognitio est, sed potiùs contactus.

De myst. Serm. I. c. 3.

III. Ita etiam decreverunt Patres Ecclesiæ. Dionysius: *Rebus ineffabilibus & ignotis, modo ineffabili ignotoque conjungimur, secundum eam unionem quæ vim omnem ac potentiam nostræ aut rationis, aut intellectionis excedit.* Et infrà: *Est divinissima Dei notitia, quæ per nescientiam accipitur, secundum illam quæ supra mentem est, unionem, quando mens à rebus omnibus recedens, ac demum semetipsam deserens, desuper fulgentibus radiis unitur, quibus in illo inscrutabili sapientiæ profundo collustratur.* Et rursus alibi: *In caliginem verè mysticam ignoscibilitatis ingreditur, in qua omnes scientificas apprehensiones excludit; penitus incognoscibili per omnem cognitionis vacationem, secundum meliorem partem copulatus; & eo ipso quo nihil cognoscit, supra mentem cognoscens.* Ubi vides cognosci Deum sine cognitione, attingi unione intellectionem omnem antecedente, sciri nesciendo, mentis unitate, non intellectione: palpari magis quàm videri. Sanctus Maximus: *Ignoratione Deus cognoscitur, per quam in simplicitatem redigimur, supra cognitiones; hæ enim multiplicatione dividuntur, iterumque conjunguntur, cum non sint unitas. Idcirco omnem de Deo intellectionem transcendendo, simplices efficimur, ignorantes deinde & non discernentes, propter unitatis statum permanentes, & firmiter in unitate consistentes, &c.* Omnis ergo intellectio transcendenda est, & summa mentis simplicitas, summa unitas adhibenda ad Deum attingendum. Pachymeres in idem caput Dionysii: *Sacri doctores divinas uniones vocant, notiones illas divinæ & incomprehensibilis essentiæ.*

Dion. de div. Nom. c. 1. 7.

Myst. Theo. c. 1.

Max. in c. 1. de div. Nom.

IV. Gregorius Nyssenus: *Cum reliquerit mens hominis non solum omnia quæ sensu percipiuntur, verùm etiam cuncta quæ mente inspiciuntur, ac semper ad interiora progrediatur, subit tandem multa jactatione mentis ad ipsum invisibile & incomprehensibile, & ibi Deum videt. In hoc enim c nsistit Dei visio, in non videndo; omnem enim cognitionem excedit, incomprehensibilitate sua quasi caligine quadam circumamictus.* Ubi audis Deum non videri, non cognosci; à mente ultra omnem intellectionem enitente utcumque comprehendi, ut summum incomprehensibile, ut quo nihil melius, ut quo nihil dignius cogitari potest, ut quo nihil dignum cogitari potest.

Nyssen. To. 1. lib. de vita moysis.

V. Rationes autem propter quas tum Patres, tum Philosophi hunc mentis apicem, intellectione priorem & superiorem Deo cognoscendo consecraverint, hæ ex eorum contextibus observari potuere. 1. Quòd sensu sensibilia, intellectu intelligibilia percipiantur; cùm supra hæc Deus sit, & non paulò majore intervallo superet intelligibilia, quàm ab his superentur sensibilia, facultate aliqua intellectum utcumque exuperante saltem attingendus erit. 2. Intellectus affirmando negandoque multiplicat & dividit; & ita intelligibilibus coaptatur quæ simplicissima non sunt. At Deus cùm ipsa simplicitas sit, & ipsum unum, multiplicitatis omnis & divisionis impatiens, ideoque supra omnem affirmationem & negationem secretus, simpliciore aliqua vi, nempe summo mentis acumine, & apice & uno dignoscetur. 3. Veritati & charitati Deo respondent intellectus & voluntas hominis. At unitati quæ à nobis intelligitur quodammodo prior quàm veritas charitasque, respondebit in homine unitas mentis, & ejus quasi summus vertex. 4. Bonitas, sapientia, veritas, & cætera hujusmodi naturæ spiritalis & animarum intellectualium ornamenta quædam sunt, ab eaque transportantur in Deum tanquam symbola quædam, & vela intelligibilia, quibus ut intelligatur Deus, amiciendus est. Igitur necesse est sensum aliquem anteriorem & occultiorem nobis inesse Deitatis ejusque magnificentiæ inæstimabilis & incomprehensibilis summitatis, quam his symbolis vestiendam esse auguramur, quia nihil melius intelligimus; sed supra hæc symbola longè eminere conjectamur, quia de ea nihil dignum intelligimus. 5. Cùm reliqua omnia cognoscendi genera creaturis etiam vestigandis intelligendisq; inserviant, æquum est ut Deo intelligendo speciale aliquod genus intelligendi dedicetur, quod nullius creaturæ contubernio vel conspectu profanetur; æquum est esse aliquod adytum mentis, penitiusque sacrarium quod soli Deo pervium sit. 6. Inenarrabilis, inexcogitabilis, incomprehensibilis sentitur Deus, nec tamen intelligitur; pugnat enim intelligi quod inintelligibile est, aut videri invisibile, aut cogitari inexcogitabile. Sentitur ergo potiùs, & præsagitur, & quasi clausis oculis palpatur; non cognoscitur, non intelligitur, non cogitatur. Utque Dei maximè propria est hæc ejus incomprehensibilitas, ita arcanus ille sensus illi uni consecratus est. 7. Ut suprà prælibatum est, non constabunt hęc adeo decantata de Deo, scire quòd sit, non quid sit; sciri quid non sit, non quid sit; nisi augurium quoddam & æstimatio & contactus quidam Dei ut incomprehensibilis cujusdam magnitudinis anticipetur in animo, unde fiat ut etsi nesciamus quid sit, quia tamen sentimus inæstimabile aliquid esse, & affirmemus quòd sit, & dijudicemus quid non sit. 8. Ideæ illæ innatæ de quibus tam sæpè & tam prolixè Augustinus, Anselmus, aliique, Quo nihil melius, quo nihil majus cogitari potest, & cæteræ id genus hujusmodi sunt: nihil explicatè de Deo docent, nihil evolutè intelligi dant, sed interminatam tantùm quandam magnitudinem æstimari magis faciunt, quàm intelligi, sentiri quàm cognosci. 9. Denique innata boni appetitio augurium quoddam boni anteisse in mente demonstrat, sed augurium magis & veluti surdum præsagium, & obscurum olfactum, & contactum arcanum, quàm explicatum intellectum. Justinus in Apologia: *Dei appellatio nomen non est, sed rei inenarrabilis insita naturæ hominum opinio.*

CAPUT XX.

Alia Corollaria suprapositæ doctrinæ.

I. Multifariam exponi potest ingenita naturaliter Dei notitia, vel per reminiscentiam Platonicam, vel per innatas species, vel per lumina veritatis, quæ præsto semper sint & obversentur. Sola hic reminiscentia exploditur.

II. Quid veri interluxerit Platonicæ reminiscentiæ authoribus.

III. Quanti intersit tueri, quod non ope sensuum omnia intelligamus, & ex anima meliusculè quàm ex orbe reliquò Deus intelligatur, & denique de Deo sciri potius possit, quod sit, aut quid non sit, quàm quid sit.

I. Liquet rursum, quadrifariam exponi posse notitiam Dei naturaliter mentibus hominum informatam. 1. ex reminiscentia anteactæ vitæ & primævæ fœlicitatis. 2. ex ideis quibusdam quæ nascentibus & è manu Dei creantis in corpus migrantibus inscribatur. 3. ex ideis coessentiatis, id est ex ipsa animæ substantia, quæ essentialiter suo quodam modo omnia est; atque ita seipsam explicando, fibrasque quibus complexa est, excutiendo, intelligibilia omnia intelligit. 4. ex cognatione sua & con-

nexione cum intelligibilibus, & ex intelligibilium ei semper obversantium præsentia & adsplendescentia. Etsi enim nullas ideas vel accidentaliter impressas, vel substantialiter implexas & inessentiatas mens adepta sit, quia tamen oculus est intellectualis, aperire tantùm se & attendere ad intelligibilia semper præsentia & affulgentia opus habet, ut illa intueatur. Ut corporeus oculus sui generis corpora seu lucentia seu relucentia, simul panditur, simul intuetur. 5. Posset adjungi modus ex contactu arcano quo unum & apex mentis Deum incorporeo quodam tactu contrectat, sentitque magis quàm intelligit. Sed hic quarti modi appendix tantùm est, ut pensanti planum erit. Ex quatuor autem his rationibus enucleandæ naturalis de Deo anticipationis, prima tantùm in præsentiarum repudianda est, tres reliquæ in promiscuo habendæ, donec quæstionem hanc totam exagitare ac diffinire accuratiùs suo loco possimus.

II. Liquet etiam Platonicorum sententiam de reminiscentia, locum habuisse tantùm, si ad rigidam veritatis amussim illam expendere aggrediamur, in primo parente, qui ubi à visione & fruitione Dei refrixit, non in corpus, sed in tunicas pelliceas, id est, in corpus corruptibile & obliviosum præcipitatus est, sola deinceps prioris contemplationis memoria seu reminiscentia fruiturus. Interluxit ergo illis quasi sub nubilo rei totius veritas; sed nonnullo mendacii fuco obumbrata. Beatam vitam olim egit homo, sed protoplastus tantùm, non omnis. 2. Beatam vitam egere animæ primorum parentum, non omnino tamen corpore nudæ, sed immortali & quodammodo spiritali corpore succinctæ; ut homo tum ferè totus esset anima & mens, quia & corpus in naturam animæ trahebatur. 3. Amore sensibilium defecere, & pœnas soluturæ detrusæ sunt in corpora, sed corruptibilia & animas degravantia, cùm & priùs corpora gestarent incorrupta. 4. Corporis contagione oblivio obrepsit intelligibilium, sed corporis ægri & mortalis. Nam ante peccatum corpus sarcina non erat gravis, nec deponebat animum à contemplatione divinorum. Ablusere ergo nonnihil à veritate, sed & ad eam proximè allusere. Quapropter quia & nos omnes in primo parente viximus, unumque & unus homo cum illo fuimus, in illo & cum illo & Deo fruiti sumus, & peccavimus, & in pœnalia corporum corruptibilium vincula compacti sumus, & longam pristinæ fœlicitatis oblivionem potavimus, & nonnullam adhuc ejus memoriam seu reminiscentiam retinuimus: hinc sancti Ecclesiæ Patres proximè nonnunquam accessere ad verba Platonicorum, etsi à sensis & erratis penitus abscesserint.

III. Liquet rursus hoc primum esse & capitale divortii caput, tum inter antiquos Philosophos, tum inter Christianæ Scholæ Theologos, quòd beneficio tantùm sensuum, ductoque inde exordio nos omnia intelligere hi sentiant, illi dissentiant. 2. Quòd Deum ex sensibilium inspectione, quàm ex animæ contemplatione, vel suæ ipsius præsentiæ illustratione meliùs intelligi hi sentiant, illi dissentiant. 3. Quòd de Deo nos aliquid propriè & non symbolicè aut metaphoricè effari & intelligere posse hi sentiant, illi dissentiant. Hanc fuisse totius reapse divortii occasionem, & ex hoc capite quàm latè illud serpat, & in totum se diffundat Theologicæ disciplinæ corpus, ex totius operis contextu abundè testatum fiet. Hìc obiter admoneo ideo nos huic de anticipatione divinæ cognitionis tractationi prolixiùs & fortasse tædiosiùs immorari compulsos fuisse, quod inde apta nexaque sint tria illa capitalis divortii fastigia. Ex supra disputatis enim perspicuum fuit & citra operam sensuum multa à nobis intelligi, & ex animæ suæque ipsius præsentiæ inspectione Deum lucidiùs quàm ex sensibilibus intelligi, & nil de eo nisi symbolicè & metaphoricè intelligi.

IV. Liquet denique, multa esse naturaliter nobis compertissima & illustrissima, quæ tamen ubi verbis exprimenda sunt, titubamus, æstuamus, & nihil aliud quandoque quàm balbutimus. Ejus autem rei ratio multiplex est; vel quia non modicæ exercitationis est, quæ mente cogitaveris, rectè eloqui; & incorporeus hic partus corporeo prope ærumnosior est. Augustinus: *Cujus enim verbi in animis nostris apertiorem notitiam natura esse voluit quàm sapientiæ? Sed nescio quomodo cum mentis nostræ veluti portum notio ipsa reliquerit, & verborum sibi quasi vela tetenderit, occurrant statim calumniarum mille naufragia. Vel quia tametsi exercitatissimus quis sit in sensis suis aptè enunciandis, verba ipsa non æquant nec assequuntur mentem, præsertim in hujusmodi extra usum vulgi, id est, extra officinam verborum positis.* Idem alibi: *Pauca sunt quæ propriè loquimur, plura non propriè; sed intelligitur quid velimus.* Et sanè quis non intelligit satis perspicuè quid sit circulus, tametsi Geometriæ rudissimus; & tamen quotusquisque suis verbis id poterit definire?

L. 1. cont. Acad. c. 5.

Idem l. 11. Conf. c. 20.

CAPUT XXI.

Existentia Dei ex operibus creatis demonstratur.

I. Post peccatum anima peregrinatur, & seipsam fugit; unde ex orbe corporeo penè jam faciliùs Deum intelligit quàm ex seipsa. Tertulliani suffragium.

II. Et Minutii Felicis.

III. Et Lactantii.

IV. Non ex innata tantum notitia, sed ex orbis etiam tam pulcri primo conspectu, ita perspicuum est esse summam quandam sapientiam ejus opificem & administratricem, ut in assensum vel invitus rapiatur, quisquis ratione utitur.

V. Pulcritudo & ars & admirabilitas tanta inseri corporeis rebus non potuit, quantam nec humana mens atque industria vestigare tot jam elapsa sæculis valuit, nisi à summa quadam sapientia.

VI. Præmonstrat Hilarius hanc viam demonstrandæ summæ sapientiæ, ex eo quod nostra sapientia quanta quanta est, orbis pulcritudinem satis necdum potuit vestigare.

VII. Pulcritudo, consonantia, constantia, ordo, quibus mirabilis est hic orbis, dotes animæ sunt, & mentis, quæ has vel corporibus indit, vel in corporibus contemplatur. Hilarius, Augustinus, Leo.

VIII. Pax, concordia, constantia & ordo corporibus non potest perfectè constare, nisi à natura aliqua intelligente & sapientissima. Boethius.

IX. Paulinus Nolanus Episcopus. Ex quo claret ex primo orbis prospectu statim Deum innotescere, propter intimam animæ conscientiam, quod anima, quod mens non possit non præsidere corporibus, & his constantiam, consonantiam & pacem aspirare.

X. Suffragia Græcorum Patrum.

I. Quia post lapsum hominis ita jam ferè nobiscum comparatum est, ut peregrinari, quàm secum habitare & in sese recolligi malit anima: hinc non volupe tantum est, ut ante peccatum, sed & necesse plerumque est, ex rebus creatis Creatorem intelligere; ut qui conscientiam suam non audiunt, orbem audiant universum. Nam teste Tertulliano, *Habet Deus testimonia totum hoc, quod sumus, & in quo sumus, &c. Quale est ut Creator tantis operibus notitiam sui armaverit?* Latere certè non voluit, latere non potuit, qui tam immensam molem ita mirabilibus inseruit operibus, & vel horum minutissima quæque de industria ingeniis & artibus ampliavit. *Unus opinor de sepibus flosculus, non dico de pratis: una cujuslibet maris conchula, non dico de Rubro; una Tetraonis pennula, taceo de Pavo, sordi-*

L. 1. adv. Marc.

Ibidem

sordidum artificem pronunciabit tibi Creatorem? At cum & animalia irrides minutiora, quæ maximus artifex de industria ingeniis aut viribus ampliavit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens, quemadmodum virtutem in infirmitate secundum Apostolum: imitare, si potes, apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina. Sustine si potes illas ipsas lectuli & tegetis tuæ bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis & tubam & lanceam. Maximus omnino opifex, qui in minimis maximum se prodit. In hæc minima, eaque plerumque noxia animalcula sæviebat præpostera quorundam censura, qui non poterant tamen non admirari, & eorum stupendum opificium, & ingenium ac solertiam, & vim mirabilem, qua omnipotens Conditor & homines multa addocuit, & impiorum exercitus nonnunquam debellavit. L. de Anima. *At quin & pergunt, quo volunt, culices, formicæ & tineæ, & vident, & appetunt, quæ videndo sciunt: designa oculos, denota pupillas. Sed & exedunt tineæ, demonstra mandibulas, deprome genuinos. Sed & personant culices, ne in tenebris quidem aurium cæci: tubam pariter & hiantiam oris illius ostende. Quodvis animal unius licet puncti, aliquo alatur necesse est. Exhibeas pabuli transmittendi, decoquendi, defæcandique membra, &c. Si Deum recognoscis tantum artificem in modicis, quantum & in maximis.* Denique in Apologetico adversus Gentes, ex orbis pulcritudine usqueadeo explendescere Dei majestatem testatur idem Tertullianus, ut hæc summa delicti sit Deum scire nolentium, quem nescire non possint. *Quod colimus, Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo jussit, ratione; qua disposuit; virtute, qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum majestatis suæ; unde & Græci nomen mundo* κόσμον *accommodaverunt, &c. Et hæc summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.* Nec semel id à Tertulliano pronunciatum, non tantùm ex intima animæ rationalis conscientia, sed & ex mundi fabrica Deum ita perspicuè intelligi, L. 1. c. 2. ut ignorari non possit. *Quia Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet.*

II. Luculentè & Minutius in Octavio, orbis universi, partiumque ejus, animantium & hominis maximè pulcherrimam fabricam prosecutus est, ut summi Opificis pulcritudinem, sapientiam, potentiam nemo possit non & agnoscere & admirari: *Quod si ingressus aliquam domum, omnia exculta, disposita, ornata vidisses; utique præesse ei crederes dominum, & illis bonis rebus multo esse meliorem. Ita in hac mundi domo, cum cœlum, terramque perspicias, providentiam, ordinem, legem: crede esse universitatis Dominum parentemque, ipsis sideribus & totius mundi partibus pulchriorem.*

III. Lactantius omnium Gentium testimonio utitur, quibus cœlorum species, ordo, concentus, utilitas, temperatio, unius summi architecti majestatem primo statim contuitu persuasit. *Nec difficile sanè fuit, paucorum hominum pravè sentientium redarguere mendacia, testimonio populorum ac Gentium, in hac una re non dissidentium. Nemo est enim tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat cujus Dei providentia regatur hoc omne quod cernitur: aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione; nec posse fieri, quin id quod mirabili ratione constat, consilio majori aliquo sit instructum.* Ad Poetas & ad Philosophos descendit postea Lactantius, ut eorum quoque eliciat suffragia, maximè Aristotelis, *qui unam mentem mundo præesse testatur:* Platonis, *qui omnium sapientissimus judicatur, Monarchiamque plenè aperteque defendit:* & Ciceronis, *qui Platonem* Ibid. c. 5. *secutus atque imitatus in plurimis, Deum frequenter confitetur.* Nec eò laudantur horum testimonia, quòd enucleatam rerum divinarum veritatem attigerint, sed quòd tanta sit vis ingerentis se undique divinæ lucis, ut nec cæcos latere omnino possit. *Non quòd illi habuerint cognitam veritatem, sed quòd veritatis ipsius tanta vis est, ut nemo possit esse tam cæcus, qui non videat ingerentem se oculis divinam claritatem.*

IV. Duo hic mihi obiter advertenda occurrunt. Primum est, quòd ab iis omnibus qui rationis compotes sunt, ignorari omninò non possit Deus: id non ad solam pertinere innatam omnium conscientiæ, notitiam Dei. Spectat id etiam ad eam naturæ doctrinam, qua fit ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, conspiciantur, ita ut sint inexcusabiles, qui in meridiana hac luce cæcutiunt. Alterum est, si contentionis amor, si præjudicia tantisper seponantur, non posse quenquam ratione utentem non statim assentiri, ad primum orbis universi prospectum, summa aliqua, sapientissima, ac omnipotentissima Numinis ratione hæc omnia & primùm condita esse, & deinceps administrari. Si nec minimam enim hujus universitatis portionem hactenus per tot sæculorum volumina perscrutari, & ad liquidum pernoscere potuimus: quanta rationis & sapientiæ vi ac majestate opus fuit, ut hæc omnia & aliquando concinnarentur, & postea eodem semper ordine, concentu, temperamento constarent? Quam enim machinam tot hominum millia, nec minima ex parte hactenus rimari potuimus, quantocunque rationis acumine, ac sapientiæ vi atque conatu, illam infinita quædam sapientia & ratio primùm fabricaverit necesse est. Nec casus nec fortuitus atomorum concursus tam stupendum artis ac sapientiæ specimen edere & in sæcula infatigabili constantia perpetuare potuisset: cùm id nec tota humani generis industria atque sagacitas, non dico utcumque imitari, sed nec vestigare atque aliqua ex parte rimari potuerit.

V. Ita & si quid capimus ex Orbis universi miraculis, inde ad venerandum opificem assurgimus: & si quid non capimus, hinc etiam authorem mirificum cogimur revereri; cujus vel extrema & fugientia vestigia tantum artis sapientiæque præ se ferunt, ut ne vestigare quidem illa satis potuerit hactenus tota humani generis sapientia. Quàm incredibile est autem, ut naturæ corporeæ & brutæ huic elementorum compagini tantum insit artis, ingeniique & sapientiæ, quantum nec naturæ rationali tanto temporum lapsu patere potuerit? Quantum enim vivens & rationalis natura mentium in anima & rudi corporum naturæ antecellit, tantò plus illi quàm huic & artis, & industriæ, & ingenii inesse æquum est. Superaret autem, quod dictu nefas, natura corporea spiritalem, inanima viventem, bruta & iners rationalem & intelligentem; si tantam illa artem, pulchritudinem, admirabilitatem consecuta esset, quantam nec ista intelligendo assequi posset. Potuit summa mens rerum omnium architectatrix, tantum artis atque miraculi inserere vel minimis corpusculis, extremisque opificii sui particulis, ut ad ea hebescat humana solertia, miraturque magis illa possit quàm rimari. Ita enim non corporea machina rationali naturæ antestat; sed summa & omnipotens Creatoris Ratio ac Sapientia rationales corporalesque naturas suo ex sinu fundit; pro suæ artis legibus & pro ipsarum modulo utramque temperat, atque ornat; si quid alteri indit alteri impervium & inaccessum, si quid minori inserit, quod nec superiori pateat, non ea est opificii, sed opificis admiratio & incomprehensibilitas. Si ergo vel in minimis maximus est, & ininvestigabilem sapientiam suam in extremis etiam sui vestigiis ostentat Creator, ut eam nec mens ulla ad plenum perscrutari queat, nihil est quod præter æquum, aut præter naturarum legem atque ordinem fiat. At si semota increatæ & creatricis mentis contemplatione, tanta prædicaretur orbis corporei, & complusculorum ejus partium magnitudo, ars, pulchritudo, ingenium, admirabilitas, quantam nec omnium ratione utentium sagacitas assequi cogitando ac scrutando posset: duo inde emergerent, quibus æquitatis lex atque ordo rerum ac na-

ac naturarum everteretur. Corporea enim & bruta natura anteponeretur animatæ atque intelligenti; nempe plus artis & sapientiæ adepta esset. Deinde quorsum hæc pulcritudo, ars & magnificentia corporum pertineret, si nulli menti, nulli naturæ rationali esset comperta? Quò pulcritudo corporum, si nemo videat, nemo advertat? Quò ars, quò admirabilitas corporum, si nemo unquam spectet, nemo miretur? Nec enim sibi pulcra aut mirabilia sunt corpora, ut quæ sensu carent. Pulcra sunt ei naturæ, quæ pulcritudinem dignoscere & dijudicare possit. Cum ergo immensa & infinita quodammodo hujus orbis corporei magnitudo, pulcritudo, majestas & ars, nec minima ex parte ab humano genere intelligi possit; otiosa prorsus, & nihili illa erit, & nec pulcritudo erit, sed bruta, stupida & indigesta moles, nisi menti superiori & summæ subjiciatur, à qua venustata fuerit, à qua venustas ejus concinnetur, temperetur, declareturque naturis rationalibus, quantùm earum aut utilitas aut necessitas poscet.

VI. Hanc iniit & prævivit nobis viam Hilarius, ad Dei cognitionem assurgendi, ex ipsa creaturæ cognoscendæ difficultate. Sic enim ille de æstu maris, cujus causam latere Deus voluit, ut tantò minùs ipse lateat, quò incomprehensibilia sunt ejus opera. *Cùm verò mirabiles elationes maris tui vidi, non solum aquarum originem, sed nec motum dimensæ hujus vicissitudinis assecutus, fidem tamen rationis mihi imperspicabilis licèt apprehendens, in his te quoque, quæ ignoro, non nescio.* Inde ad terras earumque miras, sed & inaccessas rationi vires atque opes gradum facit, ut hæc quoque ignoratio Deum ignorari vetet. *Jam verò cum in terram mente convertor, quæ occultarum virtute causarum sata omnia suscepta dissolvit, dissoluta vivificat, vivificata multiplicat, multiplicata confirmat: nihil in his reperi, quæ intelligere sensu meo possem; sed ignorationis meæ hebetudo ad intelligendum te projecit, dum famulantis mihi naturæ imperitus, usu te tantum meæ utilitatis intelligo.* Famulantur enimverò homini corporeæ naturæ. Qui possent autem illi & famulitio esse & miraculo? Nam subest quod famulatur; eminet verò nobis, quod admiramur. Non potest hinc se extricare quisquam, nisi summam mentem in vertice rerum constituat, cui debeant corpora omnia, quòd pulchra, quòd mirabilia sint, cujus pulchritudinem ad corpora usque defluentem admirentur vel rationales naturæ, quibus indecorum esset ipsa per sese corpora admirari. Pergit porrò Hilarius ad animam, quæ ex sui quoque nescientia, Dei suique scientiam uberiorem colligit. Nam cum sui nescientiæ nescia non est, hinc apertè intelligit ejus se naturæ esse, cui proprium est scire, ac proinde vivere, intelligere, velle; & à summo aliquo se profectam esse opifice, qui sciat, & scire aliquando det, quod ipsa nunc nesciat. Nam quæ se nescit anima, non utique sui opifex ipsa est: nec natura corporum naturæ mentium artifex est, cùm quid sint mentes non tantùm nesciat, sed nec scire possit. Nec in summo culmine mentium aut entium se esse mens sui nescia satis intelligit, cùm sibi tantò eminere advertat mentem, quæ & se & omnia sciat, ita ut nec se, nec rem prorsus ullam nescire queat. *Ipsum me quoque nesciens ita sentio, ut te magis, eò quòd mei sum ignarus, admirer. Nam hunc dijudicantis mentis meæ, aut motum, aut rationem, aut vitam, & non intelligens sentio, & sentiens tibi debeo, &c. Cum te, me ignorans, intelligam, & intelligens venerer, &c.*

De Trinit. L. 12.

VII. Adnotat & alibi idem Hilarius, non tam cœli, syderumque, aut terrarum curiosa pervestigatione, quàm primo contuitu, & repentino tantæ pulcritudinis stupore Deum intelligi. Illi enim pauci vacant, hoc omnes statim percelluntur. Est autem anticipatum omnium mentibus hoc præjudicium, etsi pauci id advertunt, etiam qui ex eo judicant, merè corporea hæc omnia spectacula esse, quæ oculis sensibusque nostris obiiciuntur; & horum pulchritudinem, consonantiam, constantiam, non corporeæ, sed intelligentis naturæ rem esse, quæ corporibus has dotes imprimat, quæ in corporibus has contempletur. Pulchritudo enim, constantia, consonantia, etiam corporum, ad animam rationalem & mentem referuntur, quæ hæc dignoscat. *Quia nemo cœlum contuens, Deum esse non sentiat.* Ita Hilarius. Augustinus in minimis plus admirationis esse advertit, ut non operi, sed opifici admiratio nostra adhærescere intelligatur. Alioqui præposterum id totum foret, si minima corpuscula & vilissima animalia animantium regi & principi, naturæque rationali tantò supra corpora excellenti invia & inaccessa essent. Non potest homo ordinem ac dignitatem suam tueri, nisi opifici summo adhærescat, nisi illum miretur unum in opificio quocumque, sive illud intelligat, sive non intelligat. *Attendat charitas vestra. Quis disposuit membra pulicis & culicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum, &c. Pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, devitat molestias, exerit sensus diversos, viget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat? Quis disposuit ista? quis fecit ista? Expavescis in minimis, lauda magnum.* Id planè unum solatio, id levamento nobis est, cum *expavescere* cogimur *in minimis*, quòd hinc excitemur ad laudandum Magnum, quem unum reapse vel in minimis sui umbris expavescimus. Idem alibi: *Si expavesceres in te, quia non totum capis te, agnosceres Deum qui fecit te.* Leo Magnus: *Unicuique fidelium ad colendum Deum ipsa rerum natura doctrina est; dum cœlum & terra, mare & omnia quæ in eis sunt, bonitatem & omnipotentiam sui protestantur authoris: & famulantium elementorum mirabilis pulchritudo justam ab intellectuali creatura gratiarum exigit actionem.* Non suam, sed opificis Dei bonitatem, potentiam, pulcritudinem prædicant universæ creaturæ, animæ rationali, cui famulantur; eoque ejus non in se, id enim intempestivum & præter ordinem foret, sed in communem authorem admirationem & amorem eliciunt.

In Psal. 65.

August. in Psal. 149.

Augustinus L. 1. de Sym. ad Catech. Leo M. ser. 6. de quad.

VIII. His succinit Boethius: *Mundus hic ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minimè convenisset, nisi unus esset, qui tam diversa conjungeret: conjuncta verò naturarum ipsa diversitas invicem discors, dissociaret atque divelleret, nisi esset unus, qui quod nexuit, contineret. Non tam verò certus naturæ ordo procederet, nec tam dispositos motus locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset, qui has mutationum varietates manens ipse disponeret.* Errant immane quantum, qui pacem, concordiam, constantiam & æqualitatem indeflexam malunt naturæ corporum arrogare, quàm animarum aut mentium. Præstantissimæ dotes istæ sunt, & præstantiori potissimum naturæ vendicari debent, ut inde & in inferiores effluant. Corporum propria magis est discordia, conflictatio, irrequieta motio & collisio. Insitum ergo & quasi naturaliter omnibus persuasum est, non posse tam dissimiles, ac discordes & inumerabiles naturas in unam universitatis pacem conspirare, nisi summæ mentis omnium moderatricis nutu & imperio. Quod enim ratio, quod mens, quod sapientia & ratio semel statuerit, id stabile, id inconcussum & immutabile in sempiternum perstat. Sed illud plerosque in varios errores præcipitat, quòd nunquam satis animæ rationalis à corpore discrepantiam, animæ supra corpora præstantiam intelligere potuerunt. Ideo & nos in hanc maximè partem incumbemus, & quantum fas erit inculcabimus, quid distet anima à corpore; quid præstet anima corpori; quì anima ut ad Deum surgamus, excitet vehementiùs, quàm corporea universitas.

De consol. Phil. lib. 3. Prosa 12.

IX. Paulinus Nolanus Episcopus: *Gentes etiam sine lege viventes, naturali sensu unicum summæ potestatis Dominum confitentur, &c. Cum cœli enarrent gloriam Dei, &c. Quod Deus est, hoc omnis anima videt.*

Epist. 2.

videt. Ad hoc mens nulla caligat: hoc etiam infidelium fides recipit. Quòd cœli enarrent gloriam Dei, & ita anima quælibet *naturali sensu* Deum confiteatur; id eo fit, quòd non longo anfractu argumentationum, sed primo cœli Solisque conspectu ultro erumpat anima rationis consors, in summæ mentis omnium architectæ confessionem; gnara videlicet & intus sibi conscia, etsi in sese non reflectatur, principatum supra corpora penes mentem esse, non posse in summo apice & fastigio naturarum locari corpora, hanc præcellentiam ad naturam mentis pertinere, dominari non corpora mentibus, sed mentes corporibus, ideo necessario supra omnem Solis syderumque pulcritudinem regnare & dominari mentem ac rationem summam, quæ hæc omnia condat, regat, perpetuet. Unde idem rursus: *Quis* (Epist. 37.) *enim non videt mundum istum corporeum vi incorporea gubernari, totamque molem infusam atque permixtam magno universitatis corpori, divini Spiritus mente, qua facta est, agitari ad vitam, temperari ad usum, contineri ad statum, ordinari ad diuturnitatem? &c. Neque regi continerique paterentur substantiæ naturarum omnium, in tanta discordia sui, nisi ab ea tantum natura atque virtute, hoc est, Deo uno omnium conditore, à quo uno fieri, ordinarique potuerunt, & cujus leges nisi servarent, statum suum non obtinerent.* Vides ut status, constantia, concordia, pax, perpetuitas naturarum corporearum non à vinculis & machinamentis corporeis accersatur, ea enim brevi dissilirent; sed à rationis & mentis summæ lege & vita incommutabili, quo velut cardine immobili rotantur mutabilia omnia.

X. Patribus Græcis hìc obiter delibandis præibit Philo, qui libro de Monarchia ita philosophatur; neminem sobrium, si videat statuam, tabulam, navim, vestem, domum, urbem, dubitare posse, quin hæc ab opifice & administratore aliquo ortum habeant; multò minùs verò de universo hoc orbe ambigi posse, cujus tantò præcellentior ars & pulcritudo radiat. (Orat. 14.) *Nullum enim artificiosum opus sponte provenit. Mundus autem arte summa factus est, dubio procul à conditore optimo & perfectissimo.* Athanasius oratione contra Gentes omnia penè complexus est, quæ superiùs delibata à nobis sunt argumenta; sed illud maximè, pugnantes naturas in unius orbis pacem vocari non potuisse, nisi ab omnipotente artifice. Nazianzenus autem ita argumentatur, nec tantæ artis ac solertiæ machinam à casu oriri potuisse: & ut id largiremur, hujus tam multiplicis machinæ pacem, constantiam ac perpetuitatem casui adscribi citra summam dementiam non posse; usque adeo menti nostræ persuasum est, hanc vim mentis & rationis propriam esse. *Ad hunc modum ratio illa divinitus omnibus insita, & prima in pectoribus nostris condita lex, cunctisque mortalibus innexa, nos ab iis rebus, quæ oculis cernuntur, ad Deum subvexit.*

CAPUT XXII.

Existentia Dei demonstratur ex mentis progressu per sensibilia supra sensibilia.

I. Non prospectu hic solo, sed diiudicatione opus est, ut per gradus facta progressio ad Deum pertingat.

II. Exemplum hujus progressionis apud Augustinum. Clamat natura corporum se mutabilem & sapientiæ inanem esse: non est ergo Deus; ascenditur ergo ad animas & mentes, quæ clamant & ipsæ se mutationi, & quandoque etiam insipientiæ obnoxias esse. Ascenditur ergo ad ipsam sapientiam & veritatem, quæ mutari, quæ utique desipere ipsa non potest.

III. Augustinus ipse hac progressione Dei intelligentiam primum assecutus est.

IV. Comparata mentis & sapientiæ seu veritatis natura, non potest non statim dilucere, eminere naturam sapientiæ, & in summo naturarum omnium intellectualium fastigio radiare.

V. Et corpora & mentes mutabilitate sua clamant peræque se non esse Deum.

VI. Alia progressio Augustini, cum ab oculis corporeis scanditur ad intellectuales, & ab his ad lucem incommutabilis veritatis, qua necessariò aspergendi sunt, ut ratiocinentur & intelligant.

VII. Utramque hanc progressionem uno complexus est loco Augustinus.

VIII. Non dispar illa progressio Augustini à particularibus & commutabilibus bonis ad bonum ipsum summum & incommutabile, cujus participatione reliqua bona sunt; cujus comparatione majora minorave judicantur; de quo nemo judicat, quòd eo superius nil sit; ad quod redeunt reliqua bona quæ inde exierunt: ut sicubi deficiant, reficiantur.

IX. Ita & à corporum pulchritudine ad pulchritudinem animæ conscenditur, ab hac ad pulchritudinem sapientiæ, quæ nec mutari jam, nec marcescere potest.

X. Eodem spectat illud ejusdem Augustini: Eminet supra animas veritas, vita mentium; supra veritatem nihil.

XI. Fæcem ipsam Christianæ plebis ad has argumentationes manuducebat Augustinus. Est enim Christianus omnis, Theologus.

XII. Quanti intersit ut Theologi insuescant, & Christianos omnes insuefaciant, à corporibus in animas regredi cogitando, & ab his ad Deum, ad veritatem, ad sapientiam & justitiam eniti. Gregorius Magnus plebem ipsam Ecclesiæ hac informabat doctrina.

XIII. Suffragia Bernardi, Anselmi, Philonis.

I. PAulò operosior hæc est divinæ existentiæ demonstrandæ ratio. Hic enim non ea tantùm attenditur cognitio, quæ primo statim tantæ naturarum pulchritudinis prospectu existit, & quasi sponte erumpit. Dijudicatio jam spectatur eorum quæ per sensus menti renunciantur, ut ex illis supra illa assurgamus. Ita Augustinus cum sigillatim naturas omnes percunctatus esset, illæque respondissent, se non Deum, sed Dei opificia esse: *Interrogavi cœlum, Solem, Lunam, stellas; Neque nos sumus Deus,* (Confess. L. 10. c. 6.) *quem quæris, inquiunt, &c. Et exclamaverunt voce magna, Ipse fecit nos.* Ubi non aliud erat interrogatio, quàm mentis intentio; non aliud responsio, quàm creaturæ species & pulchritudo: *Interrogatio mea, intentio mea; & responsio eorum, species eorum.* Pergit deinde sanctus Doctor ad solvendum hunc nodum, quare hanc naturę creatæ responsionem non omnes exaudiant. Nimirum in causa id est, quod non omnes de creaturis visibilibus judicant, non omnes earum voces per sensus acceptas conferunt intus cum veritate. *Homines possunt interrogare, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciantur. Sed amore subduntur eis, & subditi judicare non possunt, &c. Creaturæ species omnibus loquitur, sed illi intelligunt, qui ejus vocem acceptam foris, intus cum veritate conferunt.*

II. Hujus autem progressionis per sensibilia ad intelligibilia Dei exemplum ac specimen exhibet idem Augustinus, in eo colloquio quod cum matre paulò ante ipsius mortem instituit de beata vita. *Erigentes nos ardentiore affectu in idipsum, perambulavi-* (Confess. L. 9. c. 10.) *mus gradatim cuncta corporalia, & ipsum cœlum, unde Sol & Luna & stellæ lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interius cogitando, & loquendo te, & mirando opera tua, & venimus in mentes nostras, & transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in æternum veritatis pabulo, & ubi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, &c. Si quis audiat, dicunt hæc omnia, Non ipsa nos facimus, sed nos fecit qui*

manet in æternum. His dictis si jam taceant, & ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attigimus æternam sapientiam super omnia manentem, si continuetur hoc, nonne hoc est. Intra in gaudium Domini tui? Hæc est prorsus structura graduum quibus ad Deum conscenditur. Clamat natura croporea se non esse Deum, cum & mutabilia, & sensus ac sapientiæ inania, & tantopere infra naturam animarum & mentium depressa abjectaque sint corpora omnia. Hinc ergo ascenditur ad naturam animarum & mentium. Sed & ipsa exertè vociferatur se non esse Deum, cum & ipsa mutabilis sit, possitque sapientiæ & justitiæ ut consors, ita exors esse. Ad ipsam ergo sapientiæ & veritatis & justitiæ naturam gradus promovendus est, quæ nulli obnoxia mutationi est, nec potest unquam sui ipsius vacua aut inanis fingi. Nec enim vel fingendo in mentem venire potest, quod aut sapientia desipiat, aut mentiatur veritas, aut justitia injustè quid sanciat.

III. Quin & ipsum se hac progressione ad Dei veri intelligentiam primùm venisse alibi testatur idem Augustinus, atque ita emersisse tandem ex Manichæorum deliramentis: *Et inde admonitus redire ad memetipsum, intravi in intima mea, duce te, & potui, quoniam factus es adjutor meus. Intravi & vidi qualicumque oculo animæ meæ supra mentem meam lucem Domini incommutabilem, non hanc vulgarem & conspicuam omni carni, nec quasi ex eodem genere grandior erat, tanquam si ista multo multoque clarius claresceret, totumque occuparet magnitudine; non hoc illa erat, sed aliud, aliud valdè ab istis omnibus. Nec ita erat supra mentem meam, sicut oleum super aquam, nec sicut cœlum super terram: sed superior, quia ipsa fecit me: & ego inferior, quia factus sum ab ea. Qui novit veritatem, novit eam; & qui novit eam, novit æternitatem. Charitas novit eam. O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas! Tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte. Et cum te primum cognovi, tu assumpsisti me, ut viderem esse quod viderem, & nondum me esse qui viderem, &c. Et dixi, Numquid nihil est veritas, quoniam neque per finita, neque per infinita locorum spatia diffusa est? Et clamasti de longinquo, Imò verò ego sum, qui sum. Et audivi sicut auditur in corde, & non erat prorsus unde dubitarem. Faciliùsque dubitarem vivere me, quam non esse veritatem, quæ per ea quæ facta sunt, intellecta conspicitur.* Plana sunt hic omnia & dilucida. Liquet enim à natura corporum mutabili, inanimi, bruta, ad naturam animarum rationalium scandendum esse, si ad summam perfectissimamque substantiam molimur iter. Liquet naturam animarum rationalium suæ sibi mutabilitatis consciam & ipsam esse, sive accessu ad incommutabilem sapientiam proficiat, sive deficiat recessu. Liquet supra naturam animarum rationalium esse naturam summam & incommutabilem sapientiæ & veritatis. Nec enim nihil est veritas & sapientia, cùm animarum forma, vita, perfectio & beatitas ipsa sit. Incommutabilis est sapientia & veritas, cùm nec sapientia desipere, nec veritas mentiri possit. Supra mentes & animas omnes est sapientia & veritas, cùm tota mentium & animarum mutabilitas ad incommutabilem sapientiam & veritatem assequendam enitatur.

Confess. L. 7. c. 10.

IV. Quandiu hæsitat circa divinam existentiam dubia & incerta mens, est veritas quæ videatur, non est mens quæ videat; quia non potest non esse veritas, potest cæcutire & aberrare à vero mens. Ubi semel menti carnalibus præjudiciis exutæ diluxit veritas, faciliùs dubitaverit mens de sua, quàm de veritatis existentia. Ipsa enim cùm tandiu non fuerit, tandiu forsan desipuerit, potest utique & desipere & non esse. At veritas ipsa non potest non semper esse: tum quod etsi veritas non esset, verum saltem esset eam non nosse, atque ita veritas esset; tum quod natura veritatis & sapientiæ ipsa statim intelligatur esse summa natura, cujus definitio perfectiones plane universas, atque adeo ipsam maximè existentiam complectitur: tum denique quia sicut suæ nobilitatis gnara mens, facilè intelligit in naturis corporeis quærendum non esse Deum, quæ tanto post naturas rationales relinquantur intervallo; ita suæ ipsa sibi infirmitatis & mutabilitatis conscia, non gravatè assentitur, supra naturas rationales mutabiles eminere summam & incommutabilem naturam sapientiæ & veritatis, à qua mentes ita perficiantur, sicut ab animabus corpora. Tametsi enim certissimum sit menti nostræ, quod ipsa vivat; peræquè certum ipsi est, quod in summo naturarum vertice, in summo perfectionis apice locari non potest mens mutabilis, & à sapientia desciscere, à veritate aberrare capax; sed in eo naturarum & perfectionum summo fastigio sedere veritatem & sapientiam, summam & perfectissimam; cujus accessu vel recessu sapiant vel desipiant animæ, sicut animarum afflatu vel fuga vivunt vel intereunt corpora. Authore denique Augustino, hac etiam gradatione fit, ut juxta Apostolum, invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur.

V. Itaque & natura mentium & natura corporum ipsa suæ mutabilitatis evidentia clamat, se factam esse; si facta enim non esset, immutabilis utique foret. Id de corporibus tradit Augustinus, quod & ad animas ac mentes trahi debet: *Ecce sunt cœlum & terra, clamant quod facta sunt. Mutantur enim atque variantur. Quidquid autem factum non est, & tamen est, non est in eo quidquam quod antè non erat; quod est mutari atque variari. Clamant etiam quòd seipsa non fecerint; ideo sumus, quia facta sumus; non ergo eramus antequam essemus, ut fieri possemus à nobis. Et vox dicentium est ipsa evidentia. Tu ergo Domine fecisti ea, &c.* Confess. l. 11. c. 4.

VI. Paulò aliter hunc progressum alibi instituit idem Augustinus, cum oculos exteriores mentis oculis sensibusque omnibus corporeis incomparabiliter precellere demonstrat, utpote horum judices arbitrosque & censores. Nec ibi tamen sistendum est, sed ad lucem illam progrediendum, qua supernè aspergunt oculi mentis interiores, ut per incommutabiles regulas veritatis de ipsis exterioribus sensibus, eorumque lapsibus judicent. Excellunt enim & præponuntur menti incommutabilia illa veritatis lumina, secundùm quæ mens de seipsa & de subjectis sibi sensibus judicat. Quippe non pro libitu aut arbitrio suo judicat de his mens, sed ne aberret, dum errores sensuum redarguit, incommutabiles veritatis regulas supra se positas consulere & sequi tenetur, non paulò plus sibi eminentes, quàm ipsa corporeis sensibus emineat. *Cùm ergo interiores oculi judices sint oculorum exteriorum: isti autem illis quodam officio nunciandi & ministerio famulentur; multaque illi videant, quæ isti non vident: nihil isti videant, unde illi non tanquam præsides judicent: quis non illos istis incomparabili æstimatione præponat? Quæ cum ita sint, obsecro te, cum agitur in teipso hoc tam grande negotium, cum ab exterioribus interiora distinguis, atque ista illis ineffabiliter anteponis; cùmque istis foris relictis, in illis intrinsecus demoraris, & ea suis quibusdam incorporalibus finibus metiendo judicas; in nulla te putas, an in aliqua luce versari? Ego enim existimo, quod tanta ibi & talia, tam vera, tam clara, tam certa videri sine luce non possunt. Ipsam igitur lucem, in qua cuncta illa perspicis, intuere, & vide utrum ad eam possit accedere ullus corporeorum radius oculorum. Profectò non potest, &c.* Nisi suprema autem & incommutabilis lux lexque veritatis præsideret mentibus omnibus, easque cogeret ita judicare, ita pronuntiare, cum de exterioribus sive sensibus, sive sensuum objectis judicant; non ita omnes in eandem sententiam, in easdemque regulas consentirent; sed aliò aliæ suo quæque nutu diverterent. Epist. 112. c. 17.

VII. Utramque hanc progrediendi rationem & viam uno contexuit loco idem Augustinus in hæc verba, quæ nullo indigent interprete, adeo dilucida sunt, vel ex antedictis elucidata: *Et quoniam omnes*

qui

De Doctrin. Christ. l. 1. c. 8. 9. *qui de Deo cogitant, vivum aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda & indigna de Deo existimare, qui vitam ipsam cogitant, & quæcumque illis forma occurrerit corporis, eam vita vivere, vel non vivere statuunt; & viventem non viventi anteponunt; eamque ipsam viventem corporis formam quantalibet magnitudine præemineat, quantalibet pulchritudine ornetur, aliud esse ipsam, aliud vitam, qua vegetatur, intelligunt: eamque illi moli, quæ ab ea vegetatur & animatur, dignitate incomparabili præferunt. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere, & si eam sine sensu vegetantem invenerint, qualis est arborum, præponunt ei sentientem, qualis est pecorum: & huic rursus intelligentem, qualis est hominum. Quam cum adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem coguntur præponere, illam scilicet vitam, quæ non aliquando desipit, aliquando sapit, sed est potiùs ipsa sapientia. Sapiens enim mens, id est, adepta sapientiam, antequam adipisceretur, non erat sapiens. At verò ipsa sapientia nec fuit unquam insipiens, nec esse unquam potest. Quam si non viderent, nullo modo plena fiducia vitam incommutabiliter sapientem commutabili vitæ anteponerent. Ipsam quoque regulam veritatis, qua illam clamant esse meliorem, incommutabilem vident: nec uspiam nisi supra suam naturam vident, quandoquidem se vident mutabiles. Nemo est enim tam imprudenter insulsus, qui dicat: Unde scis incommutabiliter sapientem vitam mutabili esse præferendam? Idipsum enim quod interrogat, unde sciam, omnibus ad contemplandum communiter atque incommutabiliter præsto est. Et hoc qui non videt, ita est, quasi cæcus in Sole.*

VIII. Nec dissimile illud est quod alibi idem Augustinus ratiocinatur, cùm omnia bonorum creatorum genera pernumerasset, utique particularia & participata. Eluctandum enim ab his esse ad intelligentiam & amorem boni, quod non hoc aut illud bonum sit, sed omne bonum: nec mutabile, defectus profectusve vicibus obnoxium, sed incommutabile; cujus participatione reliqua omnia bona sunt, cujus comparatione alia aliis majora minorave bona sunt; cujus inscripta mentibus naturaliter notitia, veluti boni regula & judicandi de bonis cæteris lege, de malis & bonis omnibus, majoribus minoribusve judicamus: de quo non judicamus, cùm nullum superius bonum sit, cujus ex norma & lege de ipso judicemus; ad quod denique se recolligant mutabilia bona, ut si quando eo desciverint, bona rursus efficiantur. Hinc enim prorsus fit, ut nisi imparticipatum & incommutabile bonum sit, nulla

De Trinit. 8. c. 3. possint esse mutabilia bona. *Non amas certè nisi bonum, quia bona est terra, bonum est prædium, &c. bona valetudo, &c. bonum carmen, &c. Quid plura & plura? Bonum hoc & bonum illud? Tolle hoc & illud, & vide ipsum bonum, si potes; ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis, vel quæ commemoravi, vel quæ alia cernuntur, sive cogitantur, diceremus aliud alio melius, cum verè judicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundùm quod & probaremus aliquid, & aliud alii præponeremus. Sic amandus est Deus, non hoc & illud bonum, sed ipsum bonum. Quærendum enim bonum animæ, non cui supervolitet judicando, sed cui inhæreat amando. Et quid hoc nisi Deus, &c. Studio fit bonus animus, & nisi se ad aliquid convertat, quod ipse non est, non potest hoc assequi. Quo se autem convertit, ut fiat bonus animus, nisi ad bonum, cum hoc amat, & appetit, & adipiscitur? Unde si rursus se avertat, fiatque non bonus, hoc ipso quod se avertit à bono: nisi maneat in se illud bonum, unde se avertit, non est, quo se iterum, si voluerit emendare, convertat. Quapropter nulla essent mutabilia bona, nisi esset incommutabile locum.* Ita prorsus habet. Cùm natura animarum & bona ac sapiens, & mala ac insipiens esse possit: est indubitatissimè ipsum supernè per sese bonum, ipsa per sese sapientia; cujus participatione animæ fiunt bonæ & sapientes, cujus aversione malæ fiunt & insipientes, cujus iterum reversione iterum bonæ ac sapientes fiant.

IX. Ita & à pulcris inferioribus ad superiorem & anteriorem animæ pulcritudinem eniti fas est; quæ & ista mutabilis cùm sit; est enim pulcritudo animæ non alia, quàm sapientia, quæ in homine mortali incerta & fluitans ipsa quoque est; ad incommutabilem pulcritudinem conscendendum est, quæ priùs in animas, per easque ad corpora usque derivetur. *Rectissimè dicitur in Scripturis, Si tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum: quomodo hujus Dominum non faciliùs invenerunt? Mens enim humana de visibilibus judicans, potest agnoscere omnibus visibilibus seipsam esse meliorem. Quæ tamen cum etiam se propter defectum profectumque in sapientia fatetur esse mutabilem, invenit supra se incommutabilem veritatem; atque ita adhærens post ipsam, sicut dictum est, Adhæsit anima mea post te, beata efficitur; intrinsecus inveniens etiam visibilium omnium creatorem atque Dominum, non quærens extrinsecus visibilia, quamvis cælestia; quæ aut non inveniuntur, aut cum magno labore frustra inveniuntur; nisi ex eorum quæ foris sunt pulchritudine, inveniatur artifex, qui intus est; & prius in anima superiores, deinde in corpore inferiores pulchritudines operatur.* L. 83. qq. q. 45.

X. Breviùs idem alibi colligit Augustinus, ex eo quod nulla inferior corporibus natura sit, nulla inter corpora & animas media sit; meliores sint animæ, quæ corporibus vitam largiuntur, quàm corpora; supra animas utpote mutabiles emineat natura veritatis, quam animæ ipsæ intelligunt incommutabiliter eodem semper modo se habere; denique inter naturas rationales & naturam incommutabilis veritatis nullam intermediam naturam vel cogitari posse. *Deterius omni corpore nihil est, &c. Inter corpus & animam, quod melius sit corpore, deterius anima non invenitur. Quo vivificatur corpus, anima est, &c. Quod semper eodem modo est, melius profectò est, quàm id quod ita non est. Nec quidquam est melius rationali anima, nisi Deus. Cùm igitur intelligit aliquid anima, quod semper eodem modo se habet, ipsum sine dubio intelligit. Hæc est autem ipsa veritas, cui quia intelligendo rationalis anima jungitur, & hoc bonum est animæ, rectè accipitur id esse, quod dictum est, Mihi autem adhærere Deo bonum est.* L. 83. qq. q. 54.

XI. Luculentè idem Augustinus alibi vel plebem ipsam Christianam philosophari docebat. Perlustratis enim corporibus omnibus, quorum mira ac stupenda prorsus pulcritudo renidet, sive in cælis, sive in terra; inde ad seipsum talium scrutatorem ingreditur; cumque animo constet & corpore, non corpore, sed animo corporis dominatore hanc inquisitionem à se fieri advertit. Corpori utique præstat anima, cui dominatur: corpora per corporeos sensus pernoscit, sed seipsam utique corporibus meliorem, non per corporeos sensus, sed per seipsam noscit. Deus ergo inquirendus, non per eos sensus, quibus nec anima percipitur; sed eo sensu, quo seipsam sentit anima. Intus enim multa sentit anima, citra ullam sensuum operam; utpote quæ nec sensibili ulla qualitate vestiantur. Istiusmodi est anima ipsa, sapientia, justitia, & id genus alia, quorum nec color ullus est, nec odor, nec sapor, nec sonus, nec asperitas lenitasque. *Dicatur mihi, quem colorem habeat sapientia. Cùm cogitamus justitiam, qua ejus intus in ipsa cogitatione pulchritudine fruimur, quid tanquam sonus ad aures, quid tanquam vaporeum surgit ad nares? Quid ori infertur, quid manu tractatur & delectat? Et intus est, & pulchra est, & laudatur, & videtur; & si in tenebris sint oculi isti, animus illius luce perfruitur. Quid est illud quod Tobias videbat, quando videnti filio cæcus consilium vitæ dabat? Est ergo aliquid, quod animus ipse corporis dominator, rector, habitator videt, quod non per oculos corporis sentit, non per aures, non per nares, non per palatum, non per corporis tactum,* In Psal. 41.

 sed

sed per seipsum. Et utique melius, quod per seipsum, quam quod per servum suum, est prorsus. Seipsum enim per seipsum videt. Sed numquid aliquid tale Deus ipsius est, qualis est animus? Non quidem videri Deus, nisi animo potest: nec tamen ita ut animus videri potest. Aliquid enim quærit animus iste, quod Deus est. Aliquam quærit incommutabilem veritatem, sine defectu substantiam. Non est talis ipse animus. Deficit, proficit; novit, ignorat; meminit, obliviscitur; modo illud vult, modo non vult. Ista mutabilitas non cadit in Deum, &c. Ecce jam quadam interiore dulcedine lætati sumus, ecce acie mentis aliquid incommutabile, etsi perstrictim & raptim perspicere potuimus.

XII. Tædio non erit hæc prolixitas, si seriò perpendatur, quanti intersit viros Theologos huic tractandi & argumentandi rationi insuescere ipsos primùm, ut & plebem Christianam ipsam possint aliquando insuefacere. Pauci sunt enim qui aciem mentis purgare laborent à rerum corporearum imaginibus, & ab his ad animam rationalem & intellectualem intus spectandam scandant aliquando. Pauciores qui mentis intus suæ innatas opes & naturam, & pulchritudinem per otium contemplentur. Paucissimi denique qui ab anima ad Deum quasi de proximo pergant. Et tamen hac triplici naturarum distinctione, corporum, mentium, veritatis; hac à corporibus ad mentem, à mente ad veritatem progressione nihil apud sanctos Patres tritius, nihil inculcatius, nihil in eorum ad plebem tractatibus frequentius. Unde Gregorius Magnus moralia tantùm Christianæ plebis auribus, & ad æternam salutem frugifera propinare solitus, non semel tamen lucubrationibus suis aspersit istiusmodi Augustini argumentationes. *Homo qui si præceptum servare voluisset, etiam carne spiritalis futurus erat, peccando factus est etiam mente carnalis, ut sola cogitet, quæ ad animum per imagines corporum trahit. Cùm vero magnis conatibus ab his exurgere nititur, magnum est, si ad cognitionem suam, repressa corporali specie, anima perducatur; ut semetipsam sine corporea imagine cogitet, cogitando se, viam sibi usque ad considerandam æternitatis substantiam paret. Hoc autem modo quasi quandam sibi scalam exhibet semetipsam, per quam ab exterioribus ascendendo, in se transeat, & à se in authorem tendat. Cùm enim corporeas imagines deserit, in semetipsam mens veniens, non modicum ascendit. Sed quamvis incorporea sit anima, quia tamen corpori inhæret, ex ipsa sui qualitate localis cognoscitur, quæ carnali loco detinetur. Quæ dum obliviscitur scita, cognoscit incognita, meminit oblivioni mandata, hilarescit post tristia, affligitur post læta; ipsa sui diversitate indicat, quantum à substantia æternæ incommutabilitatis natura distet; quæ semper ut est, idem est; ubique præsens, ubique invisibilis, ubique tota, ubique incomprehensibilis, &c.* (Moral. in Job l. 5. c. 25.) Qui rursus infra: *Vestigia Creatoris nostri sunt mira opera visibilis creaturæ, &c. Quocumque se verterit anima, si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Deum invenit, per quæ reliquit; ejusque potentiam ex eorum rursus consideratione cognoscit, quorum amore deseruit; & per quæ perversè cecidit, per hæc conversa revocatur. Ubi enim lapsi sumus, ibi incumbimus, ut surgamus; & quasi ibi manum considerationis figimus, ubi pede amoris lubrici corruentes negligendo jacebamus. Quia enim ab invisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est, ut ad invisibilia ipsis rursus visibilibus innitamur: ut quo casu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa, atque eisdem quibus corruit, passibus surgat.* (Moral. L. 26. c. 8.) Porrò à Deo in seipsam, à seipsa in infimorum amorem cecidit anima; unde æquum est, ut iisdem vestigiis idem iter remetiatur.

XIII. Bernardus eandem commonstrat viam: *Est velut communis quidam liber, & catena alligatus, ut assolet, sensibilis mundus iste, in eo sapientiam Dei legat quicumque voluerit, &c. Quæramus igitur saltem per ea quæ facta sunt, intellectum invisibilium Dei, quæ si in cæteris creaturis intellecta conspicit anima, necesse est, ut longè ampliùs conspiciat & intelligat multo subtiliùs in ea creatura, quæ facta est ad imaginem Dei, hoc est in seipsa. Nullus Deo vicinior gradus inter omnes quæ sub cœlo habitant creaturas, quàm anima humana, &c.* (Serm. in verba Psalmi, Audiam quid loquatur in me, &c.)

Nec discedit ab his Anselmus, dum quæcumque bona, quæcumque justa, quæcumque magna sunt, & minùs magisve sunt, atque aliàs aliter sunt, ratiocinatur necessariò pendere formarique ab incommutabili aliquo & summo summæ bonitatis, justitiæ & magnitudinis fonte. (Monologii. C. 1. 2. 3. 4. 5.) Quæ minuta enim & trunca & mutabilia sunt, nequaquam in summo entium fastigio esse possunt.

Suffragatur & Philo huic gradariæ progressioni: *Sublimis à terra evolans anima, & aerem ejusque mutationes contemplata, profert se ad summum æthera, vagataque juxta stellarum tam fixarum quàm erraticarum cursus ac choreas juxta musicæ præcepta absolutissimas, trahitur amore sapientiæ se deducentis; atque ita emergens supra omnem sensibilem essentiam, demum intelligibilis desiderio corripitur; illic conspicata exemplaria, ideasque rerum quas hic vidit sensibilium, eximias illas pulchritudines ebrietate quadam sobria capta, tanquam Corybantes limphatur, alio plena amore longè meliore, à quo ad summum fastigium adducta rerum intelligibilium, ad ipsum magnum Regem videtur tendere. Tum verò in videndi cupidam purissimus divinæ lucis radius more torrentis effunditur.* (L. de Mundi Opif. p. 15.)

CAPUT XXIII.

Existentia Dei demonstratur ex immutabilibus sapientiæ numerorum figurarumque regulis animæ rationali semper conspicuis & jugiter obversantibus. Primùm ex Augustino.

I. A superiori dispescitur nova hæc divinæ existentiæ demonstratio. Quanti momenti sit animam & mentem à sensibus corporeis abstrahi, & rebus immaterialibus ac divinis insuefieri.

II. Quinque numerorum species, quorum summi sunt judiciales, secundùm quos judicamus de cæteris, qui sunt vel in corpore sonante, vel in aure audiente, vel in arte moderante, vel in memoria intus recondente, vel in mente de his omnibus judicante.

III. Supra judiciales, ex quibus nascitur delectatio, sunt alii superiores secundùm quos, ceu regulas, de hac ipsa delectatione judicatur.

IV. Æqualitas elimatissima, quæ regula est numerorum omnium, & totius consonantiæ, non à re corporea, non sensu corporeo, sed sola mente attingi potest; quæ eam videt, & in incommutabili veritate, non alibi videt.

V. Rebus etiam in aliis numerosa placet æqualitas, quæ perfecta tamen prorsus nusquam reperitur, nisi in divina sursum pulchritudine, præ qua vilescunt æqualitates & pulchritudines aliæ.

VI. Qui de numeris interrogati, vera respondent certissima & incommutabilia, etsi ea nunquam didicissent, aut vel cogitassent: ad Deum se convertunt, qui solus est omne verum, incommutabile & sempiternum.

VII. Quæ vocantur principia omnium scientiarum, regulæ sunt & veritates, certissimæ, immutabiles, æternæ, secundùm quas de rebus omnibus, & de ipsis animabus nostris judicamus, cum de ipsis non judicemus. Unde necesse est eas esse nostris animabus longè præstantiores, nec aliud quàm Deum ipsum.

VIII. Quoties opera artium omnia aliquantum deficere intelligimus ab elimatissima & perfectissima norma æqualitatis, consonantiæ & pulchritudinis, hanc

hanc normam non aliud quàm Deum ipsum esse facilè intelligimus.

IX. Ratiocinandi, argumentandi, definiendi, dividendi etiam leges & regulæ sunt certæ, conspicuæ, æternæ, immutabiles; ideoque à Sole veritatis æternæ Deo adsplendescunt.

X. De figuris Geometricis dici potest, quod de numeris dictum est; eas ut in corporibus sunt, à vero semper deficere.

XI. Animæ, seu mentis natura avida & siticulosa est veritatis & sapientiæ, non ipsa veritas, non sapientia; se non semper fuisse sentit, posse & rursum non esse: at veritatem non esse, ne cogitare quidem potest; & si posset, id certè verum esset eam cogitare posse, ita veritas esset. Hanc rerum certitudinem interiore oculo, & superno affuso lumine cernit & discernit mens.

XII. Æterna & incommutabilis est, tum regula, tum lux, qua certum ab incerto secernimus. Divinum ergo illud lumen est.

I. PAulò abstrusior hæc est ac defæcatior divinæ existentiæ declarandæ ratio; ut quæ nihil mendicet à sensibus, & lumina tantùm illa contempletur æternæ veritatis, quæ animæ semper obversantur. Potest tamen gradus promoveri à sensibilibus numeris ad intelligibiles, & via hæc prolixior si ineatur, confluet hæc argumentatio cum superiori. Nobis non tam curæ fuit, argumenta hæc ab aliis dispescere, quanquam & id quoque curavimus, quàm diutiùs Lectorem in his morari atque insuefacere & obfirmare, ut res divinas meditari, cogitare, intelligere, gustare discat, eadem ipsa ratione & via, qua sancti olim Patres, qua Augustinus maximè, qua cæteri denique antiquæ Theologiæ conditores institerunt. Illa certè vel maxima hinc existet utilitas, quod à sensuum consuetudine mens expedietur, purgabitur ab imaginibus corporum, & intelligibili veritati contemplandæ magis magisque aptabitur, quod viro Theologo non potest non optatissimum esse.

De Music. l. 6. c. 4. II. Initium ergo ducamus ab Augustino & ab aureolo ejus libello sexto de Musica. Sonoros ibi ille numeros in quinque species partitur; alii sunt enim in corpore quod sonat; alii in aure quæ audit; alii in arte quæ operatur numeros, breviores alios, alios productiores; alii in memoria quæ auditos conservat; alii denique in mente quæ de his numeris judicat, alios probat, alios refellit. Quintum istud genus cæteris utique præcellit: *non enim de illis posset, nisi excelleret, judicare*. Ideo nec à sensibus isti numeri hauriuntur, sensibilium numerorum judices & censores. Ab illis enim si fluerent, ab illis penderent, nec de illis judicare possent. Supernè ergo ab æternæ sapientiæ fonte manant judiciales illi numeri, & inde derivantur in animas. Sapientiæ enim Dei non est numerus, & numerosa tamen illa est quæ in numero fecit omnia. *Ita quippe in Scripturis sanctis dicitur, Circuivi ego, ut scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam & numerum. Quod nullo modo arbitrandum est de his numeris dictum, quibus etiam flagitiosa theatra personant. Sed de illis credo, quos non à corpore accipit anima; sed acceptos etiam à summo Deo ipsa potius imprimit corpori.* Perspicuitatis ergo has quinque numerorum classes suis quamque Ibid. c. 6. 7. nominibus designat Augustinus: *Vocentur ergo primi judiciales, secundi progressores, tertii occursores, quarti recordabiles, quinti sonantes.* Soli judiciales perennes sunt & immortales; non sunt enim cæteri, nisi cum fiunt, vel si in memoria hæreant, facili oblivione delentur. *Judiciales solos immortales puto. Cæteros video vel transire cum fiunt, vel de memoria oblivione deleri.*

III. Sed & his judicialibus numeris alii supereminent, sextumque numerorum genus constituunt. Ibid. c. 9. Exempli gratia, dum carmen istud canitur, *Deus creator omnium*, sonantes numeri sunt in versu qui canitur; occursores, in aure quæ audit; recordabiles in memoria, progressores in eo qui versum pronuntiat, judiciales in delectatione qua numerorum concinnitas approbatur. Sed & de his judicialibus judicat rursum mens, an æqua & congrua sit hæc delectatio. *Sed ego puto, cum ille à nobis propositus versus canitur, Deus creator omnium, nos eum & occursoribus illis numeris audire, & recordabilibus recognoscere, & progressoribus pronuntiare, & his judicialibus delectari, & nescio quibus aliis æstimare, & de ista delectatione, quæ quasi sententia est judicialium istorum, aliam secundum hos latentiorem, sed certiorem ferre sententiam.* Aliud est enim delectari numeris, vel offendi; aliud de ista seu delectatione, vel offensione judicare, & sententiam ferre: *Aliud est annuere, vel renuere his motibus, quod fit in delectatione convenientiæ & offensione absurditatis talium motionum sive affectionum: & aliud est æstimare, utrum rectè an secus ista delectent, quod fit ratiocinando, &c. Rectè etiam videri potest ratio, quæ huic delectationi superimponitur, nullo modo sine quibusdam numeris vivacioribus de numeris quos infra se habet posse judicare.* Quod ita demonstratur, nempè vivacioribus & superioribus quibusdam numeris rationem judicare de numeris judicialibus, & delectatione per eos excitata. Non delectamur enim nisi parilitate quadam numerorum, & æqualiter dimensis intervallis. Ibid. c. 9. 10. Longis enim brevibusque constat totum carmen, & horum intervallorum concinnitate vel inconcinnitate creatur delectatio vel offensio. *Quid est quod in sensibili numerositate diligimus? Num aliquid præter parilitatem quandam & æqualiter dimensa intervalla?*

IV. At verò æqualitatem in numeris, sonisque, seu longis, seu brevibus, quanta ad consonantiam & delectationem opus est, tantam inveniri posse quis sperabit? quis corporeo sensu percipiet? Obtusi sunt enim sensus, nec de minima inæqualitate certi, quidquam nuntiare possunt. Longæ syllabæ duo tempora implent, unum breves. Si paululum ultra vel citra implean, turpis erit inæqualitas, quæ sensum, quæ judiciales numeros fallet, quæ delectationi imponet. Sola ratio summam & elimatissimam æqualitatem intelligit, quam videt in numeris corporalibus reperiri non posse. *Quærit ergo ratio, & carnalem animæ delectationem, quæ judiciales partes sibi vindicabat, interrogat, cùm eam spatiorum temporalium numeris æqualitas mulceat, utrum duæ syllabæ breves, quascumque audierit, verè sint æquales? An fieri possit ut una earum edatur productius, non usque ad longæ syllabæ modum, sed infra quantumlibet, quo tamen excedat sociam suam? Num negari potest fieri posse, cùm hoc delectatio ista non sentiat, & inæqualibus velut æqualibus gaudeat: quo errore & inæqualitate quid turpius? Ex quo admonemur ab his avertere gaudium, quæ imitantur æqualitatem, & utrum impleant comprehendere non possumus; imò quod non impleant, fortasse comprehendimus; & tamen in quantum imitantur, pulchra esse in suo genere & ordine suo negare non possumus.* Ibid. c. 10. Illam porrò æqualitatem accuratissimam, ad quam enim, à qua deficere corpora & corporea omnia, vel videmus, vel suspicamur, ubinam quæso videmus, nisi in summæ veritatis sacrario? *Æqualitatem illam quam in sensibilibus numeris non reperiebamus certam & manentem, sed tamen adumbratam & prætereuntem agnoscebamus, nusquam profectò appeteret animus, nisi alicubi nota esset. Illam æqualitatem quæro ubi esse arbitreris, quam intuentes cupimus æqualia esse quædam corpora, vel corporum motus, & diligentiùs considerantes, eis fidere non audemus?* Ibid. c. 11.

V. Nec in sonoris tantùm numeris, sed in omni pulcritudine placet æqualitas, appetitur æqualitas; nec elimata & certa in corporibus pulchris dignosci tamen illa usquam potest; adeo ut reflectendi necessariò sint sursum mentis oculi, ut ibi ea æqualitatis & pulcritudinis regula splendere intelligatur, ad quam hæc inferiora æqualia & pulchra exigimus, & frustra exigimus, cum eam sequi & utcumque imitari possint, assequi & implere non possint. *Non enim hoc tantum*

tantum in ea pulcritudine, quæ ad aures pertinet, atque in motu corporum est, invenitur; sed in ipsis etiam visibilibus formis, in quibus jam usitatius dicitur pulchritudo. An aliud quàm æqualitatem numerosam arbitraris, cum paria paribus bina membra respondent; quæ autem singula sunt, medium locum tenent, ut ad ea de utraque parte media intervalla serventur? At nec in his perfectam æqualitatem certò reperire est. Ibid. c. 11.

VI. At numeri si spectentur ipsi, à materia & corporibus secreti, in his summa æqualitas, indubitata, æterna & incommutabilis veritas statim comperietur, nec alibi comperietur, quàm in mente nostra, sese in seipsam, vel supra seipsam colligente. Has numerorum veritates statim vident, dum interrogantur, etiam qui nunquam didicerunt: earum constantiam, necessitatem, æternitatem, incommutabilitatem vident; nec nisi ab æterno & incommutabili Deo hæc tribui sibi posse intelligunt. *Ut unum & duo non sint tria, & ut duo uni non duplo respondeant, nullus mortuorum potuit, nullus vivorum potest, nullus posterorum poterit facere. Quid si isto modo, quo de uno & duobus apertissimè quæsivimus, cætera omnia, quæ ad istos numeros pertinent, & ille interrogetur, qui non obliviscendo, sed quia nunquam didicit, imperitus est, nonne eum censes similiter hanc artem posse cognoscere? Quis dubitaverit? Quo igitur se etiam istum motum putas, ut menti ejus imprimantur hi numeri? Eo modo etiam istum arbitror apud semetipsum agere, ut ea quæ interrogantur, vera esse intelligat, atque respondeat. Age nunc dic mihi, utrum hi numeri, de quibus sic quæritur, commutabiles tibi esse videantur? Nullo modo. Ergo æternos esse non negas? Imo fateor. Quid metus ille non suberit, ne aliqua in eis nos æqualitas fallat? Nihil me omninò de istorum æqualitate securius. Unde ergo credendum est, animæ tribui, quod æternum est, & incommutabile, nisi ab uno æterno & incommutabili Deo? Non video quid aliud credi oporteat.* Sic ille concludit, eos qui de numeris, numerorumque proprietatibus interrogantur, & vera respondent, etsi de his nec cogitassent unquam, movere se ad Deum, ut verum incommutabile ab eo ediscant. *Qui alio interrogante sese intus ad Deum movet, ut verum incommutabile intelligat.*

De Ord. L. 2. c. 19. Edisserit & alibi Augustinus necessitatem, æternitatem, incommutabilitatem veritatis numerorum, quam & esse, & ita semper esse absolutissimè, & evidentissimè necesse sit; etsi & Sol & orbis universus possit uno temporis puncto evanescere. *Unum ad duo, ut duo ad quatuor verissima ratio est. Nec magis fuit heri vera ista ratio, quàm hodie, nec magis cras, aut post annum erit vera. Nec si omnis iste mundus concidat, poterit ista ratio non esse. Ista enim semper talis est, mundus autem iste nec heri habuit, nec cras habebit, quod habet hodie, &c. Igitur si immortalis est ratio, & ego qui ista omnia vel discerno, vel connecto, ratio sum, illud quo mortale appellor, non est meum.* Et alibi: *Quidquid sensu corporis tango, veluti est hoc cœlum, & hæc terra, & quæcumque in eis alia corpora sentio, quandiu futura sint nescio. Septem autem & tria decem sunt, non solùm nunc, sed etiam semper; neque ullo modo aliquando septem & tria non fuerunt decem, aut aliquando septem & tria non erunt decem. Hanc ergo incorruptibilem numeri veritatem dixi mihi, & cuilibet ratiocinanti esse communem.* De lib. arb. L. 2. c. 8.

VII. Nec minùs aut perspicua, aut necessaria, aut æterna & incommutabilia sunt illa lumina, seu prima principia virtutum, aut scientiarum, quæ omnibus contemplari volentibus præsto & aperta semper sunt, omnibus ratiocinantibus præsunt & supernè allucent, denique ex illorum regulis de cæteris omnibus judicamus, de his omnino non judicamus. Quin & de ipsis animis nostris secundùm has incommutabiles regulas judicamus, ut eas necesse sit confiteri, ipsis animis nostris multò præcellentiores esse. *Item justè esse vivendum, & deteriora melioribus esse subdenda, & paria paribus comparanda, & propria suis quibusque tribuenda; nonne fateberis esse verissimum, & tam mihi, quàm tibi, atque omnibus id videntibus præsto esse communiter?* Ibid. c. 10. *Quid incorruptum melius esse corrupto, æternum temporali, inviolabile violabili poteris negare? &c. Jam hujusmodi plura non quæram. Satis est enim quoad istas tanquam regulas & quædam lumina virtutum, & vera, & incommutabilia, & sive singula, sive omnia communiter adesse ad contemplandum eis, qui hæc valent sua quisque mente ac ratione conspicere.* Porrò ad sapientiam pertinent hæc lumina ac regulæ virtutum, nec minùs conspicua aut incommutabilia sunt, quàm veritates numerorum. *Quàm ergo veræ atque incommutabiles sunt regulæ numerorum, quorum rationem atque veritatem incommutabiliter atque communiter omnibus eam cernentibus præsto esse dixisti: tam sunt veræ atque incommutabiles regulæ sapientiæ, &c. Manifestissimum est omnes has, quas regulas diximus & lumina virtutum, ad sapientiam pertinere, &c.* Denique mentibus nostris mutabilibus utique antecellunt hæ veritatis regulæ incommutabiles: unde etiam fit ut non de eis, sed secundùm eas de rebus omnibus & de nobis ipsis judicemus, hoc est ipsarum judicio & censuræ necessariò subscribamus. *Hanc ergo veritatem, de qua jamdiu loquimur, & in qua una tam multa conspicimus, excellentiorem putas esse, quàm mens nostra est, an æqualem mentibus nostris, an etiam inferiorem? Sed si esset inferior, non secundùm illam, sed de illa judicaremus, sicut judicamus de corporibus, cum dicimus, minus candidum esse quàm debuit, aut minus quadrum, & multa similiter. De animis verò, minus aptus est quàm debeat, aut minus lætus, aut minus lenis, aut minus vehemens, sicut nostrorum morum ratio tulerit. Et judicamus hæc secundùm illas interiores regulas veritatis, quas communiter cernimus. De ipsis verò nullo modo quis judicat. Cùm enim quis dixerit æterna temporalibus esse potiora, aut septem & tria decem esse; nemo dicit ita esse debuisse; sed tantum ita esse cognoscens, non examinator corrigit, sed tantum lætatur inventor. Si autem esset æqualis mentibus nostris hæc veritas, mutabilis etiam ipsa esset. Quare si nec inferior, nec æqualis est, restat, ut sit superior atque excellentior.* Ibid. c. 12. Cùm ergo jam perventum sit ad aliquid æternum & incommutabile, quod mentibus nostris superius sit; dubium jam esse non potest, quin ad Deum attigerimus. *Promiseram me tibi demonstraturum esse aliquid, quod sit mente nostra atque ratione sublimius. Ecce tibi est ipsa veritas. Amplectere illam si potes, & fruere illa, & delectare in Domino.* Ibid. c. 13.

VIII. Luculentissimè rursum idem Augustinus, ex consonantiæ & æqualitatis perfectissimæ legibus æternis & immutabilibus, à quibus & naturas corporeas omnes, & artis quælibet operę pretia aliquantum deficere sentimus, & secundùm quas de his omnibus judicamus, cùm de illis judicari non posse certò videamus: ex his, inquam, sanctus Pater sapientiam & artem incommutabilem, hoc est, Deum à nobis conspici argumentatur: *Sed cùm in omnibus artibus convenientia placeat, qua una salva & pulchra sunt omnia; ipsa verò convenientia æqualitatem unitatemque appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium: quis est qui summam æqualitatem vel similitudinem in corporibus inveniat? Porrò ipsa vera æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera & prima unitas, non oculis carneis, neque ullo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Unde enim in corporibus quibuscumque appeteretur æqualitas, aut unde convinceretur longè plurimum differre à perfecta, nisi ea quæ perfecta est, mente videretur? Et cum omnia quæ sensibiliter pulchra sunt, sive natura edita, sive artibus elaborata locis & temporibus sint pulchra: illa æqualitas & unitas menti tantummodo cognita, secundum quam de corporea pulchritudine sensu internuntio judicatur, nec loco tumida est, nec mutabilis tempore, &c. Nec jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit,* De vera relig. c. 30. 31.

Deum

Deum esse: & ibi esse primam vitam & primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium recte dicitur, & ars omnipotentis artificis. Itaque cum se anima sentiat, nec corporum speciem morumque judicare secundum seipsam, simul oportet agnoscat præstare suam naturam ei naturæ de qua judicat; præstare autem sibi eam naturam, secundum quam judicat, & de qua judicare nullo modo potest.

IX. Advertit & alibi Augustinus incommutabiles & æternas quoque esse regulas ratiocinandi, argumentandi, definiendi, dividendi, si quæ fixæ & inconcussæ sunt, & ab hominibus non institutas, sed animadversas esse, perinde ut regulas & leges numerorum: *Ipsa tamen veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus, & notata, ut eam possint vel discere, vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua & divinitus instituta, &c. Item scientia definiendi, dividendi atque partiendi, quanquam etiam rebus falsis plerumque adhibeatur, ipsa tamen falsa non est, neque ab hominibus instituta, sed in rerum ratione comperta.* Quod eò redit, ut & Logicæ, sicut & aliarum scientiarum atque artium prima summaque principia, ex quibus reliqua pendent omnia, conspicuæ, æternæ & incommutabiles sint regulæ ac leges, quæ non possint, nisi ex sempiternæ veritatis Sole nobis affulgescere. Cur autem hic dicatur ab Augustino veritas connexionum esse *divinitus instituta*, quod de rebus æternis & incommutabilibus non facilè capitur, inferiùs suo loco aperiemus.

De Doctr. Christi l. 2. c. 32.

Ibid. c. 35.

X. Ad figuras geometricas trahi possunt, quæcumque de numeris dicta sunt. In ipsis enim eadem quæ in numeris, & ratio, & æqualitas, & consonantia, & unitas, deficiens & fallax in sensibilibus figuris; elimata & accuratissima, ut à materia sejunctæ intelliguntur, & videntur interiori oculo in incommutabilis veritatis penetralibus. Unde Augustinus: *Sive ergo in seipsis considerentur, sive ad figurarum, aut sonorum, aliorumve motionum leges numeri adhibeantur, incommutabiles regulas habent, neque ullo modo ab hominibus institutas, sed ingeniosorum sagacitate compertas.*

Ibid. c. 38.

XI. Postremò denique in eo maximè defigi mentis oculum, intendique voluit Augustinus, quòd Deus veritas est, mentium autem natura tantoperè supra substantias corporeas sublimata, non aliud sit quàm egena, venatrix & indagatrix veritatis. Tota quippè eò collimat, eò suspirat mentium natura & contentio, ut veritatem quærat & inveniat. At veritas sui utique inops non est, nec seipsam venatur, sed ipsamet est sapientiæ & verorum omnium opulentia & beatitudo. *Quo pervenit omnis bonus ratiocinator, nisi ad veritatem? Cum ad seipsam veritas non utique ratiocinando perveniat, sed quod ratiocinantes appetunt, ipsa sit. Confitere te non esse, quod ipsa est; siquidem se ipsa non quærit, tu autem ad ipsam quærendo venisti.* Si quis de his dubitet, certus est saltem se dubitare, nec de eo dubitat. Lumen ergo expendat, quo certum à dubio discernit, & illud nullo corporis sensu percipi, nullo tempore variari intelliget. *Aut si non cernis quæ dico, & an vera sint dubitas; cerne saltem, utrum te de iis dubitare non dubites; & si certum est te esse dubitantem, quære unde sit certum. Non illic tibi omninò Solis hujus lumen occurret, sed lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Itaque qui de veritate dubitat, se dubitare certus est, idque certum esse intelligit. De hac ergo saltem indubia veritate non dubitat. *Deinde regulam ipsam quam vides, concipe hoc modo. Omnis qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, & de hac re quam intelligit certus est. De vero igitur certus est. Omnis igitur, qui utrum sit veritas dubitat, in seipso habet verum unde non dubitet; nec ullum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubitare.*

L. de vera Relig. c. 39.

XII. Duo hic sunt, quæ pensiculari acuratiùs intersit. Primum est hoc exemplo dubitantis de veritate, nec dubitantis tamen se dubitare, constare evidentissimè certa à dubiis distare, & hanc esse regulam veritatis inconcussam, æternam, incommutabilem, earum simillimam de quibus suprà hoc capite, quòd certa à dubiis immane quantum distent. Alterum est, non corporeo sensu, sed incorporeo aliquo & superno lumine percipi à nobis hoc discrimen certi veri & dubii; & illud lumen æternum & incorruptibile esse. Itaque bifariam ex ipsa dubitatione de veritate, indubitata veritatis intelligentia constituitur. Unde ibidem mox: *Ubi videntur hæc, ibi est lumen sine spatio locorum & temporum, & sine spatiorum talium phantasmate. Numquid ista ex aliqua parte corrumpi possunt, etiamsi omnis ratiocinator intereat, aut potiùs apud carnales inferos veterascat? Non enim ratiocinatio talia facit, sed invenit. Ergo antequam inveniantur, in se manent; & cum inveniuntur, nos innovant.*

CAPUT XXIV.

De eodem ex aliis Patribus. Ut ex immutabilibus sapientiæ, numerorum, figurarumque regulis, animæ rationali semper conspicuis & jugiter obversantibus, existentia Dei demonstretur.

I. Tertulliani suffragatio.

II. Et Cassiodori, qui Arithmeticæ, Musicæ, Geometriæ, Astronomiæ studiis censet abstrahi animam à sensibus, mentem acui, æternis, immutabilibus, divinis consuescere.

III. Claudianus Mamertus ex Geometricis figuris venatur & ipse divinæ existentiæ & veritatis lumina.

IV. Idem de numeris corporalibus, intellectualibus, divinis.

V. Rursus idem ut ex Arithmeticis, Geometrisque studiis convalescat animus ad æterna, incommutabilia, divina.

VI. Animæ quoque immortalitatem hinc ille colligit, quod in ea insideat hæc incommutabilium regularum veritas.

VII. Ex Pothone Prumiensi Presbytero.

VIII. Ex Hugone Etheriano.

IX. Complusculα ex Anselmo coacervantur argumenta de veritate, quæ adprimè consentiunt supraposita Augustini doctrinæ.

X. Assentitur & ex Græcis Cyrillus Alexandrinus, ut per figuras & numeros ad Dei contemplationem enitamur.

XI. Assentitur & Photius.

I. Etsi omnium copiosissimè Augustinus in hoc argumento versatus est, delibatum est tamen & ab aliis antiquæ Theologiæ proceribus, Tertullianus quidem cùm de Socrate & Platonica Philosophia disputaret, non tantùm casu quandoque in verum incurrisse Philosophos docet, sed & de animæ & naturæ ipsius opulentia multa hausisse, & quasi de publico veritatis censu, quo animam Deus dotavit. *Nonnumquam & in procella confusis vestigiis cœli & freti, aliquis portus offenditur prospero errore nonnumquam, & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenduntur cæca fœlicitate; sed & natura pleraque suggeruntur, quasi de publico censu, quo animam Deus dotare dignatus est.* L. de Anim.

II. Cassiodorus certè totum illud studium, quod Arithmeticæ, Musicæ, Geometriæ, Astronomiæ ediscendæ Christiani à teneris unguiculis, vel provectiori etiam ætate impendunt, non aliò collimare existimat, quàm ut his disciplinis ad summi Numinis contemplationem & exacuatur mens,

& pur-

& purgetur, & roboretur. Habent enim hæ disciplinæ regulas certas, invariabiles, incommutabiles, atque ita nullo corporis sensu, sed sola mentis acie attingendas. Sic dum illis vacat, consuescit anima abdicare sensus, corpora fugere, incorruptibilia & æterna meditari, cùm Deo versari. Inde est, quòd numerorum scientiam ab Abrahamo primùm Ægyptiis traditam existiment, ut à consuetudine sensuum abducerentur animi, & divinis rebus, intelligibilique veritati assuescerent, *Disciplinæ sunt, quæ nunquam opinionibus deceptæ fallunt, & ideo tali nomine nuncupantur, quia necessario suas regulas servant. Hæ nec intentione crescunt, nec subductione minuuntur, nec aliis varietatibus permutantur; sed in vi propria permanentes, regulas suas inconvertibili firmitate custodiunt. Has dum frequenti meditatione revolvimus, sensum nostrum acuunt, limumque ignorantiæ detergunt, & ad illam inspectivam contemplationem, si tamen sanitas mentis arrideat, Domino largiente perducunt. Scire autem debemus Josephum Hebræorum doctissimum, in primo libro Antiquitatum, titulo nono, dicere, Arithmeticam & Astronomiam Abraham primum Ægyptiis tradidisse; unde semina suscipientes, ut sunt homines acerrimi ingenii, excoluisse sibi reliquas latiùs disciplinas, quas meritò sancti Patres nostri legendas studiosissimis persuadent. Quoniam ex magna parte per eas à carnalibus rebus appetitus noster abstrahitur, & faciunt desiderare, quæ præstante Domino, solo possumus corde conspicere.*

Cassiod. l. de Arithm.

III. Claudianus Mamertus Presbyter, Mamerto Viennensi Episcopo fratri suo in administrando Episcopatu penè Collega, cæteroqui in Augustini doctrina versatissimus, æternam & incommutabilem numerorum & figurarum geometricarum veritatem ita præclarè exequitur, à triangulo exorsus, qui non potest non esse prima figurarum omnium, cum tribus saltem lineis rectis opus sit, ut spatii aliquid claudatur; nec potest non esse æquiangulus, si tribus æqualibus lineis compingatur. *Tribus verò æqualibus lineis figura fit trigona, & hæc æterna & incommutabilis ratio est, humanæ menti vel non admonitæ clarens liquidò. Numquid ergo tribus lineis paribus, quæ semet mutuò capitibus tangunt, fieri unquam nisi trigona poterit? Aut istud magis nunc verum est, quàm fuit, aut esse hoc verum aliquando cœpit, aut aliquando desinet? Aut non faciliùs corporeum interire mundum, cujus utique tumidæ localesque formæ istarum illocalium incorporaliumque sunt imago formarum: quàm ut aliquid ex his vel variari specie, vel transmoveri loco, vel senio veterascere, vel quoquo pacto mutari queat?* Excurrit deinde Claudianus ad varias proprietates circuli, quas & ipsas æterna & incorruptibili veritate constare concludit. *Videtur mihi, sicut superius de trigono patuit, istic quoque circuli ratio insolubilibus atque æternis manere legibus stabilis.* Has figurarum leges nobis eas tam in Oriente quàm in Occidente describentibus præsto esse liquet; atque ita claret etiam intelligibilem veritatem intelligenti animæ præsentem semper esse. *Videsne vel de iis quæ conspicatur anima, quid sit visus animi? Intelligisne intelligibile & intelligens nequaquam posse sejungi?* Figuris formisque corporeis quas oculo corporis cernimus, constat corporeus hic mundus: incorporeis, quas sola mente intuemur, constat sempiternus mundus. *Animadvertisne quid intersit inter illas formas, quas corpore cernimus, & istas quas mente conspicimus? Istas esse sempiternum mundum, cujus hic mundus imago sit; unde divinitus dictum est, Præterit enim figura hujus mundi.*

L. 3. de statu animæ. Bibl. PP. To. 4. p. 622. & seq.

IV. Numerorum eadem est, & æquè incommutabilis atque æterna veritas, quam sola etiam mente conspicamur. Quis enim numeros ullo corporis sensu attigit, quoscumque in infinitum mente sua videt innumerabiles? *Vim quoque ac superemi-nentiam conspice numerorum, & intellige universum corporeum numerabile per numeros fieri, ipsos verò numeros non posse numerari.* Et infrà, animæ rationalis judicandi de numeris vim ac solertiam inde proficisci auguratur, quòd ut in orbe corporeo corporaliter, sic in anima intellectuali intellectualiter sint omnes numeri. *Sed illud in anima numerosum potius arbitror, quo eadem scientialiter compos est numeri; ut non partibus sicut corpus numerosa sit, sed ipsum dignoscat, & secundum eundem judicet numerum. Nam tria & quatuor septem fore; & hæc & tria, decem; nulla præter humanam animam vel potest scire, vel poterit. Sicut igitur de mensura claruit, ita & de numeris satis apparet, esse hos in corpore visibiliter, in anima intellectualiter.*

Ibidem. L. 1. c. 5.

V. Quod de æqualitate ac parilitate partium ad convenientiam & concentum pulchritudinis pernecessaria superiori capite philosophatus est Augustinus, id hoc loco contexit Claudianus, ut incommutabiles regulas doceat in mente & supra mentem nostram regnare, quas sequatur, quas non assequatur corporea quæcumque convenientia & pulchritudo. Parcò operæ & tempori, & unum illud ex eodem addo, quo Cassiodoro consentit, & ex Varronis Romanorum olim doctissimi libris demonstrat, numerorum ac figurarum disciplinam, sive in Arithmeticis, sive in Geometricis, sive denique in Musicis, hunc habere finem, hunc fructum luculentum & uberrimum, ut visibilibus ad invisibilia, à temporalibus ad æterna, mira sapientiæ arte mens humana consurgat. *Marcus Varro sui sæculi peritissimus, & teste Tullio omnium sine dubitatione doctissimus, quid in Musicis, quid in Arithmeticis, quid in Geometricis, quid in φιλοσοφουμένων libris divina quadam disputatione contendit, nisi ut à visibilibus ad invisibilia, à localibus ad illocalia, à corporeis ad incorporea, miris æternæ artis modis abstrahat animam?* L. 2. c. 9.

VI. Postremò denique has incommutabiles numerorum rationes idem advertit, & in anima rationali esse, & extra eam non esse. Ex quo animæ immortalitas colligitur, cùm nihil immortale & incorruptibile possit esse in subjecto mortali. *Verè enim ratio numeri disciplina est. Nunquam enim erit, ut quatuor & duo septem faciant, aut septem & tres undecim. Similiter & figura circuli non recipit contrarietatem. Nunquam erit ut figura circuli ex duabus aut tribus lineis fiat, aut quadrigona ex tribus, aut trigona ex quatuor. Si enim addideris vel minueris aliquid, jam nec trigona nec quadrigona erit. Manet enim æterna & incommutabilis. Harum rationes disciplinarum, & in subjecto sunt animo, & sine eo esse non possunt. Colligitur æternum esse illud in quo est, sicut illud quod in eo est. Ergo immortalis est anima.* Non is scopus erat Claudiani, ut Deum existere demonstraret; sed ut substantiam animæ, & corporis expertem & immortalem revinceret. Sed cùm ad id tamen demonstret æternas & incommutabiles esse numerorum rationes; palam est, quid ex his effici possit pro divina existentia. Ex regulis sapientiæ, quæ & ipsæ in anima sunt, idem priùs elicuerat Claudianus. Nempè sapientiam in anima esse, & sine mole, sine loco corporeo esse. *Spatiumve loci fore judicas, an illocale aliquid quo capitur sapientia? Ego sic sentio, quod si secundùm spatium sapientis anima sapientiæ capax est, ergo secundùm molem magna est sapientia. Quod quia non finit dici veritas, illocale est quod capit, ut illocale possit esse quod capitur. En tibi humani animi sine mole magnitudinem.*

Ibid. l. 3. c. ult. L. 2. c. 6.

VII. Potho Prumiensis Presbyter, qui de *Statu Domus Dei* anno 1152. scripsit, Augustini vestigia & ipse lambit. Triplicem cognitionis gradum primò statuit, sensibilium sensuum, si adsint: imaginationem eorundem, etiamsi absint; denique intelligentiam rerum divinarum & invisibilium. Animam in sensibilia peccato lapsam, monet ab his emergere ad intelligibilem divinorum veritatem, cujus

Bibl. PP. lib. Tom. 9. p. 175.

cujus in numeris multiplex specimen confestim subiicit. *Sic ergo rationalis anima proficere debet, ut rebus sensibilibus, ad quas à sua simplici puritate degenerans per instrumenta sensuum descendit, non inhæreat, & ita earum similitudinem per imaginationem ad se trahat, ut intelligibilem vim de rerum similitudinibus capiat, ac doctrinam in his inveniat, ut tandem invisibilia Dei, quæ supra omnem sensum sunt, quæ omnem transcendunt imaginationem, purissimo mentis intuitu speculetur.* Pergit inde ad observandas in numeris regulas, quæ ad animæ virtutumque informationem revocari possint.

VIII. Scripsit non multò pòst tempore Hugo Etherianus libellum peregregium *de animarum regressu ab inferis*, ex quo pauca hæc libet excerpere:
Ibid. p. 395. *Non procul est à vero, quod quidam Philosophorum inquiunt, Mens cujusque is est quisque. Ipsa enim est, quæ meminit, audit & intelligit. Quid referam Geometricos excursus, qui per sensibiles figuras ad ea nos elevant, quæ omnes sensus exuperant? Hæc quidem & omnia his similia rationalis anima, quæ penitus versa est à natura corporis, percipit, intelligit & comprehendit.* Nec præteriri potest quod idem mox subiicit, ex ipsa animæ siti, qua ardet ad divinorum, ad intelligibilium, ad æternorum & cognitionem & assecutionem, manifeste clarere ejus generis ac ordinis eam esse, ut ad hæc contingere, hisque accenseri possit. Nec enim bruta ea siti accenduntur, vel quidquam appetunt, ultra limites ac patientiam suæ naturæ; & iniquum fuisset ea fame inflammari animam rationalem, si de tanti boni adeptione conclamatum esset. *Ut enim quæ ratione carent animalia, humano more fari non appetunt; jocia & quam secundum naturam habent, voce utentia; neque detrimentum putant absque ratione degere, ac ventri tantum obedire: sic anima si esset expers naturæ superioris, nunquam in desiderium accenderetur virtutis.*

IX. Aliquantò antè tempore Anselmus Monologio suo multa asperserat placita Theologiæ, maximè Augustinianæ. Illud in primis, quòd ut sola mens Deum contemplari idonea est, & eò proxima ac præ cæteris naturis Deo simillima est; ita ex mentis cognitione facillimè & quasi de proximo in Dei cognitionem assurgimus. Ex quo fit ut divinarum perfectionum speculatoribus, necessaria cum primis sit suæ ipsorum mentis accuratissima investigatio.
Cap. 64. *Proculdubio tantò altiùs creatrix essentia cognoscitur, quantò per propinquiorem sibi creaturam indagatur. Nam quod omnis essentia in quantum est, in tantum sit similis divinæ essentiæ, ratio dubitare non permittit. Patet itaque quia sicut sola est mens rationalis inter omnes creaturas, quæ ad ejus investigationem assurgere valeat: ita nihilominus eadem sola est, per quam maximè ipsamet ad ejusdem inventionem assurgere queat. Nam jam cognitum est, quia hæc illi maximè per naturalis essentiæ propinquat similitudinem.* Et illud rursus, naturam animæ rationalis eam esse, quæ discernit justum à non justo, bonum à non bono, verum à non vero: nimirum ut justa, bona, vera studio impenso prosequatur; justius, melius, verius studio impensiore: & gradatim summum bonum, summè verum & summè bonum, quod Deus est, studio & amore impensissimo. Hæc planè natura hæc vis est animæ rationalis. *Rationali naturæ non est aliud esse rationalem,*
Cap. 65. 66. *quàm posse discernere justum à non justo, verum à non vero, bonum à non bono, majus bonum à minus bono. Hoc autem posse omnino inutile est illi & supervacuum, nisi quod discernit, amet, vel reprobet secundum veræ discretionis judicium. Hinc satis patenter videtur omne rationale ad hoc existere, ut si-*
Cap. 2. 3. *cut ratione discretionis aliquid majus vel minus bonum judicat, ita magis, aut minus id amet, aut respuat. Nihil enim aptius quàm rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut summam essentiam amet super omnia bona, sicut ipsa est summum bonum.* Et illud rursus in Prosologio, non posse vel cogitari Deum non esse, cùm anima rationalis in semetipsa illam quasi ingenitam habeat ideam & cognitionem Entis perfectissimi, quo nil melius cogitari possit. *Certè id quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse & in re, quod majus est, &c. Existit ergo proculdubio aliquid quo majus cogitari non valet, & in intellectu, & in re. Quod utique sic verè est, ut nec cogitari possit non esse. Nam potest cogitari esse aliquid, quod non possit cogitari non esse; quod majus est, quàm quod non esse cogitari potest.* Denique in Dialogo de Veritate idem Anselmus advertit semper quidem verum fuisse, quòd futurum esset aliquid, sed eo tantum sensu, quia si illa fuisset oratio, utique vera fuisset. Nam si illa non fuisset oratio, utique nec vera fuisset. Advertit rursum inde tamen rectè colligi Deum esse, hoc est, summam veritatem; quia si fuisset illa oratio, vera fuisset, nec vera esse potuisset, nisi præstante summa causa, ut vera esset. Nec enim futuræ fuissent res ullæ, nisi à prima causa manarent. *Cùm dixi in Monologio, Quando non fuit verum, quia futurum erat aliquid; non ita dixi, ac si absque principio oratio ista fuisset, quæ assereret futurum aliquid esse, aut ista veritas esset Deus. Sed quoniam non potest intelligi, quod quando oratio ista esset, veritas illi deesset; ut per hoc quia non intelligitur, quando ista veritas esse non potuit, si esset oratio in qua esse posset, intelligatur illa veritas sine principio fuisse, quæ prima causa est hujus veritatis.* Cap. 11. Quam sanè Anselmi semet interpretantis sententiam eo maximè consilio hìc adscripsi, ut liqueat quo temperamento moderandæ sint illæ propositiones, Duo & tria sunt quinque, ea ratio & veritas numeri æterna & incommutabilis est, ergo Deus est. Cùm enim istiusmodi ratio & veritas etsi hinc æterna & incommutabilis videatur esse, aliunde non potest non æquè dilucidè videri complexa & composita ex multis partibus, quod divinæ unitati ac simplicitati cum primis inimicum est: hinc non modica emergit difficultas. Sed hac de re copiosiùs infrà, sufficiat hìc adnotasse ex Anselmo istiusmodi propositionibus modum aliquem ponendum esse, ne divinæ simplicitati fiat injuria. Porrò illo Monologii loco Anselmus convenienter Augustini doctrinæ philosophatur, veritatis nec principium esse posse ullum, nec finem: quandoquidem eo etiam dato, ante principium illud quodcumque verum erat principium aliquando veritatis fore, atque ita veritas erat ante principium veritatis: & post finem quemcumque semper fuerit verum finem extitisse aliquem veritatis, atque ita superstes sibi ipsi fuerit veritas. *Denique si veritas habuit principium vel habebit finem; antequam ipsa inciperet, verum* Cap. 17. *erat tunc, quia non erat veritas; & postquam finita erit, verum erit, quia non erit veritas. At quia verum non potest esse sine veritate, erat igitur veritas, antequam esset veritas, & erit veritas, postquam finita erit veritas, quod inconvenientissimum est. Sive igitur dicatur veritas habere, sive intelligatur non habere principium vel finem, nullo potest claudi veritas principio vel fine.*

X. Ne Græcos etiam Patres illaudatos prætereamus, Cyrillum Alexandrinum Archiepiscopum proferemus, qui ea ratione tuetur figuras & typos, quibus se obvelavit Divinitas in Christianis litteris ac Sacramentis, quòd & ipsi Gentiles Philosophi consenserint inaccessa hominibus summæ Deitatis arcana, non posse nisi per figuras & imagines declarari. Eo enim consilio demum & Platonici & Pythagorici numeros & figuras geometricas ad rerum divinarum elucidationem adhibuerunt: ut ex his intelligibilium simulacris ad ipsa æterna & intelligibilia assuesceremus. *Ne sapientes quidem Græcorum eam rem ignoraverunt. Porphyrius sanè gloriam haud contemnendam humanioribus disciplinis* Contr. Jul. l. 1. pag. 19. Tom. 6. *apud eos consecutus, in primo de Philosophorum historia tractatu, tale quiddam de famosis sapientibus, sive*

sive eam opinionem ex propria persuasione ac vanitate indeptis, ait; Cùm non possent primas species & prima principia sermone tradere, propter difficultatem concipiendi ea, atque exponendi, progressi sunt ad numeros, perspicuæ doctrinæ gratia, imitati Geometras. Geometræ cùm non valeant incorporeas species oratione demonstrare, ad descriptiones figurarum veniunt, dicentes, hoc esse triangulum, cum non velint quidem esse triangulum id quod sub aspectum cadit; sed tale quid, per quod notionem trianguli exhibeant. Et de primis quidem rationibus ac speciebus idem fecerunt Pythagorici: cùm nequirent oratione tradere incorporeas species, atque adeò prima principia, ad declarationem per numeros processerunt, & ita rationem unitatis, atque identitatis, ac æqualitatis, causamque conspirationis, & consensus, conservationisque universorum, dum se eodem modo & similiter habet, unum appellarunt. Quandoquidem igitur ipsa Divinitatis proprietas & differentia est quid vix enarrabile, difficileque prorsus ad introspiciendum; & quæcumque de illa habeatur oratio, exilis admodum & infra dignitatem deprehendatur, eam per figuras & typos efficaciores, veluti per speculum aut ænigma edocemur.

Cod. 187. XI. Meminit Photius in Bibliotheca *Nicolai Gerasени Arithmeticorum Theologicorum*. Quæ quidem, ut ait ipse, *inscriptio magnam admirationem vehementemque amorem concitare queat*. At author Ethnica superstitione implicatus, Gentilitiis deliramentis & nugis omnia inferserat. Non latebat ergo Photium posse per numerorum contemplationem Theologica dogmata illustrari; sed tam præclaro instituto par author atque indagator opus erat.

CAPUT XXV.

De eodem ex antiquis Philosophis, ut per Arithmeticas & Geometricas disciplinas, ut ex insitis animæ cognitionibus affectibusque pulchri bonique, ut entium gradatione, existentia tandem divina demonstretur.

I. Plato ex pulchritudine corporum ad eam quæ in animabus fulget, ab hac ad officiorum, legum, scientiarum pulchritudinem enixus gradum fecit, & ab hac demum ad ipsam per sese pulchritudinem, ex qua reliqua facta sunt omnia.

II. Ut nostræ de pulchris omnibus ratiocinationes, & animi affectiones proficiscantur ex summæ cujusdam pulchritudinis olfactu innato & arcano desiderio.

III. Idipsum philosophatur Plato de sapientia, de justitia, de veritate, de æqualitate, de similitudine; hæc à mente nostra intelligi, & perfectissima intelligi, qualia nisi in Deo non sunt: cui ideo suspirant tum cogitationes, tum affectiones de his nostræ omnes.

IV. Ut numeris geometricisque figuris ex Platone mens assurgat ad Deum, quòd in his nusquam accuratissima veritas sit inter res corporeas, ideoque enitendum sit ad ipsum cubile sempiternæ & incommutabilis veritatis.

V. Plotini suffragatio.

VI. Cur magis sentiant homines, summi cujusdam pulchri innatam sibi esse appetitionem, quàm notitiam.

VII. Luculentè cur Philosophi iter ad Deum tentarint affectibus & amoribus potiùs quàm contemplatione.

VIII. Ex Plotino alatus est Philosophus, & per mathematica maximè ad Deum evolat.

IX. Suffragatio Procli.

X. Et Jamblici.

I. Illud in primis enixus est Plato, ut à pulchritudine corporum, tanquam ab extremo pulchritudinis vestigio, ad animarum pulchritudinem gradatim ascenderetur; inde rursus ad officiorum legumque venustatem, atque inde infatigato progrediendi studio ad pulchritudinem scientiarum veniretur, ut corporeæ pulchritudinis jam prorsus immemor animus, in ipsum incircumscriptæ pulchritudinis pelagus se demergeret, ejusque castis & inenarrabilibus deliciis perfrueretur. *Post hæc pulchritudinem quæ animis inest, illa quæ in corpore est, præstantiorem existimet.* In Convir. *Hinc ad pulchritudinem, quæ in officiis ac legibus reperitur, inspiciendam ducatur; intelligatque illam omnem sibi ipsi uniformem cognatamque existere, ut eam quæ circa corpus est pulchritudinem parvifaciat. Post officia legesque ad scientias transeat, ut scientiarum pulchritudinem contempletur, &c. Demum in profundum pulchritudinis pelagus se, ubi ipso intuitu multas præclaras atque magnificas rationes intelligentiasque abundè in Philosophia pariat, &c. Aciem verò mihi nunc mentis pro viribus adhibe. Quicumque hucusque per amatoria gradatim deducitur, recto ordine pulchra intuitus, ad finem jam amatorii affectus perveniens, subitò quandam natura mirabilem inspiciet pulchritudinem. Hoc illud cujus gratia labores omnes præcedentes subivimus, principio quidem semper est, nec fit, nec interit, neque crescit unquam, neque decrescit: præterea non hac parte pulchrum, ex illa turpe: vel tum pulchrum, tum minimè. Neque ad hoc quidem pulchrum, turpe vero ad illud. Vel hic pulchrum, ibi turpe. Neque rursus imaginatione quadam ipsum pulchrum ita fingetur, quasi vultus pulcher, neque ut oratio quædam, neque ut scientia quædam; neque in alio jacere putabitur, velut in animali, vel terra, vel cœlo, vel alio quopiam; sed idipsum, seipsum, cum semetipso uniforme semper existens. Cætera verò omnia quæ pulchra sunt, illius participatione pulchra; ea scilicet conditione, ut nascentibus & intereuntibus aliis, nihil subtrahatur illi, aut addatur, neque passionem ullam incurrat.* Et paulò pòst: *Hoc est profectò ad amatoria rectè pergere, vel ab alio duci, quando videlicet quis ab his pulchris gratia Pulchri illius ascendere incipit, quasi quibusdam gradibus utens, atque ab uno primùm in duo transiens, & à duobus in omnia quæ pulchra sunt corpora, ab his in omnia officia pulchra, à pulchris officiis ad doctrinas pulchras conversus, à doctrinis denique multis in illam doctrinam perveniens, quæ non alterius est quàm illius ipsius Pulchri doctrina; atque ita demum quid ipsum Pulchrum sit contemplatur, &c. Quàm fœlix illud spectaculum fore putamus, sicui contigerit, ut ipsum Pulchrum intueatur, sincerum, purum, ipsum secundùm se pulchrum divinum!*

II. Hac per gradus provectione animæ ad summum Pulchrum, nihil Philosophia parere, nihil optare potuit præstantius. Adverte autem necesse esse ut *quis ab his pulchris gratia Pulchi illius ascendere incipiat*. Quia nimirùm nec ipsam corporum pulchritudinem primùm, aut mirari, aut amare adducimur, nisi ex innato pulchritudinis desiderio & amore, aut si mavis ex superstite quadam memoria summæ illius pulchritudinis, qua olim in primo generis nostri parente & duce ante lapsum fruebamur. Inde fit enim, ut pulchritudo corporum spem votumque nostrum non impleat, aut diù non impleat, ac brevi fastidiatur. Hic proniores evadimus ad animarum, virtutum, legum, ac scientiarum pulchritudines, alias aliis superiores gradatim vestigandas amplexandasque, donec attingimus ad ipsum fontem & verticem totius pulchritudinis; cujus arcano quodam sensu animæ nostræ penetralibus insito, pulchra alia aliis comparabamus, & alia aliis anteponebamus. Cùm enim hæc illis pulchriora judicamus; cùm hæc pulchra, illa turpia; cùm hæc nunc pulchra, mox turpia, eoque minùs pulchra: cùm hæc ex hac parte pulchra, ex alia turpia;

cùm

cùm hæc ita pulchra, ut crescere tamen possint pulchritudine, & decrescere; cùm hæc pulchra, sed appicta tantùm alicui subjecto pulchritudine, & in cortice tantùm elucente: cùm hæc inquam omnia judicamus, & his nævis scatere pulchra hic omnia advertimus: obversatur utique & subobscurè videtur pulchritudo quædam ab his omnibus maculis remotissima, summa, æterna, infinita, incommutabilis: cujus olfactu velut aliquo occupati, pulchra alia omnia hactenus miramur, ut eorum adminiculo supra ipsa ad summum ipsum per sese pulchrum provehamur.

III. Quæ de pulchritudine, eadem de sapientia, de justitia, de veritate, & aliis id genus perfectionibus colligi possunt, ab horum fugientibus penè vestigiis, quæ in infimis sublucent naturis, gradum fieri debere ad earundem imagines splendidiùs in naturis superioribus radiantes, donec ad summum sapientiæ & justitiæ & veritatis fastigium perveniatur, cujus gustu aliquo naturaliter initiati sumus, nec acquiescimus, donec à minoribus & participatis ad summum ipsum & imparticipatum bonum appellamus. Nec aliter se res habet in similitudine & æqualitate rerum examinanda. Constat enim maximè pulchritudo, sive corporum, sive animarum, sive virtutum æqualitate quadam; & inter vulgatissimos sive oris sermones, sive mentis discursus, nihil recurrit frequentiùs, quàm rerum quarumlibet inter sese vel similitudo & dissimilitudo, vel æqualitas & inæqualitas. At quod ad sensus corporeos attinet, certissimum nobis est per eos percipi nequaquam posse absolutissimam perfectionem, & extremam, ut ita dicam, lineam similitudinis & æqualitatis; & quæ similia ac æqualia appellamus, procul esse ab illa accuratissima similitudinis & æqualitatis regula, quam sola mente intuemur. Ubinam autem illam omnibus numeris absolutissimam similitudinem & ęqualitatem cernimus, nisi in ipsa incommutabilis veritatis arce, cùm ea sit veritatis regula, quam sequuntur, sed quam non omninò assequuntur, quæcumque hìc similia & æqualia dicuntur, etsi aliquot lineis à verissima similitudine & æqualitate distare non ignorentur? Hæc idem Plato philosophatur in Phædone: *Videnturne ita æqualia esse hæc ligna, sicut ipsum quod est æquale? an deesse potiùs aliquid, quominus talia sint, quale est æquale ipsum? Permultum sanè deest. Nonne confitemur, quando quis aliquid intuens, animadvertat appetere quidem hoc quod in præsentia videt, esse tale, quiddam aliud ex his quæ sunt, verùm deficere, neque posse tale esse æquale, quale sit illud, sed deterius esse: necesse esse eum qui animadvertit, antè cognovisse illud, cui dicit hoc quodammodo simile fieri, sed ad plenam similitudinem non accedere? Necesse est. Necesse est ergo nos æqualis ipsius scientiam ante illud tempus habuisse, in quo primum videntes æqualia, agnovimus appetere quidem hæc omnia talia evadere, quale est ipsum, attamen à perfectione ipsius abesse.* Quod argumentandi genus latissimè funditur, & in omnes propemodum serpit ratiocinationes, aut cogitationes etiam nostras. *Non enim de æquali magis nunc nobis est sermo, quàm de ipso pulchro, de ipso bono, de ipso justo atque sancto, &c. ut necessarium sit nos antequam nasceremur, horum omnium scientiam habuisse.* Platonica illa fabula copiosiùs infrà refelletur de animarum reminiscentia, pœnalique lapsu in corpora, ob culpas priùs contractas. Sed semoto nunc illo commento, & vendicata ab illis præstigiis veritate, veri illud certique elicitur ex his Philosophorum argumentationibus, quòd etsi non reminiscatur, videat certè intus quodam in veritatis penetrali anima rationalis formas quasdam regulasque perfectissimas summæ æqualitatis, similitudinis, pulchritudinis, bonitatis, justitiæ, quæ ubique & semper ei præluceant quibuscumque de rebus rectè cogitanti aut etiam differenti.

IV. Nec de numeris ac geometricis figuris siluit Plato, sed & his velut adminiculis ad intelligibilia consurgi debere demonstravit: imò jam tum censuit nostram mentem ad intelligibiles figuras & regulas intendere, cùm sensibilibus & corporeis trianguli, quadranguli, circulique figuris per corporeos sensus vacat. Nec enim sensibilis ille circulus nihil deficit ab essentia circuli, quam mens in seipsa vel supra seipsam contuetur absolutissimam, indefectibilem, crementi vel decrementi nesciam. Porro regio illa perfectissimarum & incorporearum figurarum, aut emicantium ex figuris proprietatum & veritatum, non alia sanè cogitari potest, quàm sinus ipse summæ & incommutabilis veritatis. *Arbitror te non latere, quod qui circa geometriam & arithmeticam, & cætera generis ejus versantur, formis quæ in aspectum cadunt utuntur, deque iis verba faciunt, quanquam non ad eas mentem dirigunt, sed ad illa potiùs, quorum ista simulacra sunt, ad quadrangulum ipsum videlicet, ipsumque diametrum, non ad ea quæ scribunt.* De Republ. Lib. 6. 7. Quinimo cum demonstrationes omnes sint de punctis, sive indivisibilibus, & de lineis longis sine latitudine, & de superficiebus longis & latis sine quavis crassitudine: certum indubiumque est puncta istiusmodi, & lineas, & superficies ita præcisè nusquam existere in mundo sensibili, ubi & puncta secabilia sunt, & lineæ aliquantulum dilatantur, & superficies nonnihil habent spissitudinis. Nec in numeris unum usquam corporeum reperire est, cùm corpus omne multis constet. Numeri autem, qui uno multiplicato constant, utique uno sublato, nusquam veri & sinceri sunt, quandiù sensibiles sunt. De uno tamen & numeris multa necessariò & incommutabiliter vera demonstrant Arithmetici. Ad insensensibiles ergo & intelligibiles numeros mens eorum attollitur; atque ita numerorum *& unius disciplina & cognitio ex eorum numero erit, quæ attollunt animum, convertuntque ad ejus quod verè est contemplationem.* Necnon & *Geometria ejus quod semper est cognitio est.* Itaque his disciplinis à sensibilibus ad intelligibilia sustollentibus animam, *expurgatur & reviviscit instrumentum animi, &c. potiùs servandum, quàm oculorum corporis decem millia. Hoc enim sola inspicitur veritas.* Sensu quidem corporis sensibilibus magis magisque immergimur. At disciplinarum, quæ à sensibus & sensibilibus abducunt, studium *deducit animum per umbras non simulacrorum, sed eorum quæ verè sunt; & dijudicare eas facit ad aliud quoddam lumen, tanquam ad Solem; habetque vim quandam extollendi id quod est in animo præstantissimum, ad contemplationem ejus, quod in ordine rerum est optimum.*

V. Sentio me nimis multum in his jam fuisse. Sed tanti fuit semel indigitare fontes ipsos istiusmodi argumentationum, quæ in omnes Theologicæ hujus de Deo tractationis partes manarunt, & quibus non rarò sancti Patres suas de rebus divinis lucubrationes irrigarunt. Platonis vestigia premebat Plotinus, cùm & ipse pulchritudinis & Musicæ & Philosophiæ amatores gradatim provehere laborabat ad ipsius per sese sapientiæ & pulchritudinis intelligentiam & amorem. *Sonis ille harmonicis concitetur, pronusque sit ad pulchrum quod apparet in sonis, & fugiat ubique dissonantiam, quodve unum non est in cantibus atque numeris; numerosum verò concinnumque sequatur. Quamobrem post sensibiles hujusmodi sonos, & numeros, & figuras, sic ducere hinc oportet, videlicet separando materiam, in qua proportiones earumque comparationes sunt, atque ad pulchritudinem quæ in his est reducendo. Præterea docendo, illa ad quæ velut admirabundus vehementer afficitur, non hæc esse, sed intelligibilem potius harmoniam, & quod in ea pulchrum est, & omnino ipsum pulchrum, non aliquid pulchrum tantùm.* Enn. 1. l. 3. c. 1. 2. Ita ibi de amatore Musicæ. Nunc de corporearum pulchritudinum amatoribus sic ille: *Amatorius memor est quodammodo pulchritudinis; sed quia seorsum est ab ipsa, non potest perdiscere. Perculsus autem*

à pul-

à pulchris quæ aspectui patent, circa ipsa vehementer concitatur. Docere itaque hunc oportet, ne circa corpus unum quasi cadens pronior revolvatur; sed ad omnia ratione persuasus ritè se conferat corpora, considerans quod in cunctis est idem, & animadvertens ipsum à corporibus esse diversum, & aliunde procedere, aliisque magis inesse, qualia sunt pulchra studia legesque pulchræ. Circa enim hæc amatoris studium ad res incorporeas amandas jam assuescit, Ostendendum præterea in artibus etiam, & scientiis & virtutibus pulchritudinem esse, & pulchritudinem in cunctis unam, quoque modo adveniat. Denique à virtutibus ad intellectum atque ad ipsum ens perveniendum est, ibique iter ad sublimia peragendum.

VI. Non possum non hîc obiter monere duo quædam, quæ magni mihi quidem videntur omninò ponderis. Primum est, non tam semina cognitionum innatarum de pulchris, quàm initia quædam affectuum omnibus ingenita, captari ab his Philosophis, ut hinc ad superiora progrediendi occasio arripiatur. In causa esse potuit, quòd etsi affectus isti non possint non superstrui notitiæ cuidam rudi: quandoquidem ignoti nulla cupido; certiores penè sunt tamen omnes homines, amari à se naturali instinctu pulchritudinem, beatitatem, & alia id genus, quàm eorum inesse sibi notitiam a natura inscriptam. Eccur autem ita affecti & comparati sint homines, ea forsan ratio promi poterit: quòd notitiæ in mente naturaliter inscriptæ, sponte sua otiosæ quodammodo sint, nec sentiantur, nisi in seipsam reflectatur mens. At affectus exerciti & tumultuosi ferè sunt, ideoque neminem quantumvis rudem latere possunt.

VII. Alterum est, illud etiam fortasse his Philosophis conducibilius visum esse ab affectibus & amoribus insitis initium ducere, & ad divina sursum æternaque gradatim protrudere amorem, quàm per ingenita tantùm veri semina idem tentare. Idque multis de causis. Affectibus enim magis dicuntur & persuadentur homines, quàm spinosis argumentationibus. Deinde interest amore magis quàm speculatione iter ad divina tentari, quòd amatorio magis contactu complexuque sentiatur & degustetur Deus, quàm intellectu. Adde quòd affectu & amore divinorum magis magisque purgetur mentis acies, & ad divina contemplanda convalescat. Hinc est quòd illi Philosophiam, hoc est, amorem sapientiæ profitebantur, seque Philosophos, quasi sapientiæ amatores potiùs quàm rimatores appellitabant. Eo fortassis quoque factum est, ut hos Philosophos sæpiùs laudaret Augustinus, cujus ea quoque laus præcipua est, quòd Theologicas disciplinas multo æternorum amore, multa divinorum suavitate condire studuerint.

VIII. Hinc est quod subiicit ibidem Plotinus Philosophum sponte sua promptum & *alatum* esse, ut ad superna evolet: ideoque *adhibenda illi statim* Ibid. §. 1. 4. *esse mathematica, quibus incorporea cogitare & credere consuescat. Postea dialecticas illi disciplinas tradere oportet*, ut de bonis disputans, à particularibus & infimis bonis ascendat ad universale & ipsum per sese bonum, cujus sensu & comparatione reliqua fastidit bona, cujus luce de reliquis judicat bonis, *atque ita nutriat animam in ipso veritatis campo.*

IX. Ex Proclo illud unum attexam, ubi ex animæ ipsius penetralibus docet veniri posse in omnium Platon. Theol. c. 3. l. 1. rerum, etiam divinarum cognitionem: *Nam si anima in ea quæ post ipsam sunt intueatur, umbras & simulacra ipsorum entium eam videre constabit. Si vero in seipsam revertatur, suam essentiam & suas rationes evolvet. At primum quidem quasi seipsam tantum conspiciet: cum vero in sui notitiam profundiùs penetrabit, ipsam mentem inveniet in se, & ipsos entium ordines. Cùm vero progreditur in sui ipsius interiores recessus, & quasi in quoddam animæ adytum, hoc verò modo eam & ipsum Deorum genus & veritates ipsorum entium, quasi clausis oculis contemplari constabit. Omnia enim etiam in nobis sunt animaliter. Et ideò illud à natura insitum habemus, ut omnia cognoscamus, excitantes insitas in nobis facultates, & rerum universarum imagines.* Amat hic Philosophus nescio quam verborum caliginem. Omnia tamen in idem recidunt, cum iis quæ ex Platone & Plotino excripsimus. Omnia omninò insunt in anima *animaliter*, hoc est in modum animæ, & pro ordine ejus naturæ, quia vires insitas habet, quas si exerat, & infimas res per sensus corporeos, & intelligibiles per mentem, & Deum ipsum assequeretur apice quodam sui, & uno, quia & Deus apex entium est, & ipsum unum.

X. Jamblicus libro de vita Pythagoræ, horum omnium placitorum, quæ Platonici postea evulgarunt, fundamenta jam olim à Pythagora jacta fuisse non dissimulat. Sic enim ille statuebat, Philosophi scopum esse, ut cœli, syderumque & orbis universi pulchritudinem & concentum contempletur, & ad hujus causam gradum promoveat, sive ad *primum & intelligibile* principium. *Primum autem illud est numerorum ac sermonum per universa discurrens natura, quibus omnia hæc numerosè sciteque constituta ac decenter ornata sunt.* Jambl. de vita Pyth. c. 12. Quod quid aliud est quàm sempiterna Dei sapientia & Verbum? Sapientia enim omnia condidit in numero, & ipsamet præcellentissimo quodam modo numerus est. Unde Ibid. c. 18. ibidem infra: *Quid sapientissimum? Numerus.* Geometriam idem Pythagoras *hystoriam* vocabat, propterea fortasse, quod cum vera illa circa numeros & figuras sempiterna sint suo quodam modo, non tam excogitentur ab hominibus, quàm enarrentur, ut jamdiù, ut semper se habuerunt.

CAPUT XXVI.

Quid ex supra relatis tum Philosophorum, tum sanctorum Patrum placitis, pro animæ immortalitate colligi possit.

I. Reiicienda omninò est animarum præexistentia ante corpora.

II. Animæ immortalitatem colligit Plato, ex eo quod illa cum æternis & immutabilibus veritatis regulis & luminibus, ut cognatis congrediatur; quod non corporis, sed mentis oculo anima videatur, quo & æterna & divina videntur. Anima dominari apta nataque est, corpus famulari. Animæ cura de fama & nomine post mortem, ex conscientia immortalitatis.

III. Illuminat hæc omnia, & ultra provehit Augustinus, edocetque, has sempiternas veritates, hinc incommutabiles & simplicissimas esse, atque ita in Deo, & Deum ipsum esse: inde rursus complexas & compositas esse, atque ita in anima, & animam ipsam esse immortalem.

IV. Rursus ex eodem, ut veritates istæ Arithmeticæ, Geometricæque, quæ complexæ multisque partibus quasi compactæ sunt, nonnisi in anima sint: cùmque semper eædem & invariabiles sint, in anima immortali sunt.

V. Immortalis est anima, quæ immortalibus & incommutabilibus naturaliter est connexa.

VI. Quomodo dicat Augustinus, regulas connexionum, seu ratiocinationum ab hominibus velut historicè animadversas & adnotatas esse, à Deo autem institutas. Institutæ sunt, quæ composita & complexa, quando instituta & creata à Deo est anima ratiocinatrix.

VII. Quomodo hæ veritatis regulæ, quæ compositæ, in anima, & ipsa anima sint: quæ simplices, & æternæ, & immutabiles, in Deo & Deus ipse sint.

VIII. Antedictæ ratiocinationes ex Claudiano Mamerto confirmantur.

IX. Rursus illæ connexionum regulæ, quæ complexæ,

plexa, & composita, à Deo instituta, non æternæ, non immutabiles sunt: qua incomplexæ & simplicissimæ in Deo, æternæ, increatæ, & immutabiles sunt.

I. Danda utique venia est Philosophis, si quando cæspitaverint, & à veri tramite deviaverint nonnihil, illa veri luce destituti, quam fides nobis & divina oracula commodarunt. Itaque pro immortalitate animæ obtrudunt nobis præexistentiam ejus ante corpora, & vitam beatè priùs actam, quasi per insomnium viderint aliquid de nostrum omnium in primo parente insitione & lapsu, & ante lapsum beatitate. Exploso ergo illo commento, rationes ipsorum & argumentationes pro immortalitate animæ superiùs sparsas, hìc colligere & refricare non pigebit.

II. Illud in primis Plato argumentum inculcat in Phædone, cùm anima nostra nativo instinctu feratur ad veri, bonique & pulchri regulas sursum adsplendescentes, & incommutabiles; iisque ita familiariter congrediatur & assuescat, ut in omni propè ratiocinatione, earum luce perfundatur, & secundùm illarum leges invariabiles judicet de rebus hìc mutabilibus: necesse est eam ejusdem illis esse quodammodo generis & cognationis. *Siquidem sunt ea quæ quotidie prædicamus, pulchrum scilicet quiddam, atque bonum, atque omnis hujusmodi essentia, ad quam omnia sensibus percepta referimus, quam & prius nostram invenimus, & hæc ad ipsius exemplar referimus; necesse est ita, ut ipsa sunt, nostram quoque animam priusquam nasceremur extitisse.* Corruptibilia omnia aliàs aliter se habent, & sensu corporeo attinguntur. Incorruptibilia, ipsum per se pulchrum, ipsum bonum, ipsum ens eodem semper modo se habent, nec videntur nisi occulto & interiori mentis oculo. At anima ejus generis est rerum, quæ interiori tantùm oculo videntur. *Vis ergo duas rerum species ponamus, alteram visibilium, invisibilium alteram? Ponamus. Et invisibile quidem semper eodem modo esse, visibile verò nunquam eodem? Et hoc ponamus. Quid anima, an visibile aliquid est, &c.* Quid quòd anima, ubi ad corpus defluit, erroribus & perturbationibus inexplicabilibus implicatur? Ubi verò se sibi reddit, evolat prorsus tanquam in originalem patriam, in summi boni, veri, pulchrique consuetudinem, ibique beatissimè conquiescit. Hinc ergo liquet ad utrum genus accedat natura animæ. *Ut cum anima ad aliquid considerandum socium sibi corpus assumit, tunc à corpore trahatur ad ea quæ nunquam eodem modo sunt, atque ipsa aberret, perturbeturque, & quasi ebria vacillet, utpote quæ talia attigerit. At vero quoties animus per seipsum excogitat, illuc se confert ad purum, sempiternum, immortale semper eodem modo se habens: & tanquam ejus cognatus, semper inhæret illi, quoties ipse redierit in seipsum, eique liceat, cessetque ab errore; & circa illa semper secundum eadem eodem modo se habet, utpotè qui talia jam attigerit.* Ideo & corpus servire natum aptumque est, anima dominari, utpotè divini generis; dominantur enim quæ divina & sempiterna sunt. Liquet ergo *ipsi divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo & secundum eadem seipsum habenti animam esse simillimam; humano autem mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili, nunquam eodem modo se habenti simillimum esse corpus.* Denique idem Plato ex famæ & nominis etiam post mortem cura, qua cordati quique maximè afficiuntur, conjicit sensum aliquem animæ superstitem esse, postquam à corpore migravit. Nimirum hæc illa animæ conscientia est, immortalitatem suam non nescientis. *Quam ego conjecturam facio esse aliquem sensum iis qui mortui sunt, rerum quæ in vita geruntur.* Epist. 2.

III. Longè præclariùs hæc omnia Augustinus. Ac primò quòd rationes & veritates numerorum, atque aliæ idem genus immortales sunt, & in anima rationali sunt, quæ & ipsa etiam ratio est, hinc astruit ille animæ immortalitatem. *An ratio non est immortalis? Sed unum ad duo, ut duo ad quatuor, verissima ratio est. Nec si omnis iste mundus concidat, poterit ista ratio non esse. Igitur si immortalis est ratio, & ego qui ista omnia vel discerno vel connecto, ratio sum; illud quo mortale appellor non est meum.* Illa ratio & regula veritatis, Ut unum ad duo, ita duo ad quatuor, est omnino invariabilis & incorruptibilis. Nec extra animam est, prout ita multiformis & variis ex partibus composita est ratio; tametsi ut simplicissima veritas, & compositionis impatientissima has omnes rationes & veritates complectitur, verissimè dici possit, quòd ea ratio est supra animam. Duplicem illum rationum hujusmodi & veritatum modum videtur mihi quidem insinuasse Augustinus, cùm dixit, *Ego qui ista omnia vel discerno vel connecto.* Connectit enim anima & componit omnes istiusmodi propositiones, & ex multis vocibus sententiisque coagmentat. Nec tamen arbitrio suo hæc connectit, sed regulas incommutabiles sursum intuetur, quas omne hominum genus, orbe universo, omnique tempore in ratiocinando sequi tenetur. Hæ supernæ regulæ, æternæ, incommutabilesque & simplicissimæ sunt; utpotè cùm sint ipsamet sempiterna incommutabilis veritas Deus, sinu suo simplicissimè & incomplexè præcontinens quidquid veri & indubitati inest usquam in propositionibus & rationibus complexis, sive numerorum, sive figurarum, sive primorum cujusvis disciplinæ principiorum. Aspergitur anima rationalis aliquo lumine incommutabilis & simplicissimæ increatæque veritatis, eoque regitur in connectendis vel discernendis propositionibus & rationibus numerorum, & ejusdem generis verorum. Porrò hæ rationes numerorum, etiam ut compositæ complexæque, & à divina simplicitate remotissimæ sunt, immortales tamen & necessariæ sunt, & suo quodam modo incommutabiles. Etsi enim collabatur orbis, & corruptibilia omnia intereant, ratio ista semper vera erit. Ut unum ad duo, ita duo ad quatuor. Cùm igitur immortales sint rationes istæ & veritatis regulæ, etiam qua complexæ & compositæ sunt, immortalis est & anima, extra quam esse non possunt.

IV. Advertit idem sanctus Pater alibi veritates numerorum, linearum, figurarum, quæ tam certæ atque invariabiles esse intelliguntur, nusquam extra animam existere, nempè ut multis quibusdam ex membris compositæ & coagmentatæ sunt, aut quatenùs in eo spectantur statu, qui extra animam existere non potest. Nusquam enim extra animam existit longitudo sine latitudine, nusquam latitudo & longitudo sine crassitie: nusquam extra animam existit triangulus vel circulus, qui definitioni suæ absolutissimè respondeat. Et tamen de his innumeræ veritates à Geometris & Arithmeticis demonstrantur. Cùm ergo extra animam non sint, qua compositæ sunt, & invariabiles atque immortales tamen sint, utique & immortalis est & ipsa anima. *Sive figuræ geometricæ in veritate, sive in eis veritas sit, anima nostra, id est, intelligentia nostra contineri nemo ambigit, ac per hoc in nostro animo etiam veritas esse cogitur. Quod si qualibet disciplina ita est in anima, ut in subjecto inseparabiliter, nec interire veritas potest: quid quæso de animi perpetua vita, nescio qua mortis familiaritate dubitamus?* Soliloq. l. 2. c. 19. Et alibi: *Semper eodem modo est quod est, quod quatuor habent duo & duo, hoc autem non habent duo. Duo igitur quatuor non sunt. Est autem ista ratio immutabilis. Nullo modo autem potest mutato subjecto id quod in eo est inseparabiliter non mutari. Non est igitur harmonia corporis animus, nec mors potest accidere immutabilibus rebus. Semper ergo animus vivit, sive ipsa ratio sit, sive in eo ratio inseparabiliter.* L. de immor. animæ. c. 2. Necessitas & incommuta-

mutabilitas illius circa numeros vel figuras veritatis, vel in animo est, vel animus ipse est. Est enim ea veritas non simplex, sed complexa, multisque seu vocibus, seu cogitationibus, affirmationibus, negationibusque compacta. At quod ejusmodi est, vel in animo est inseparabiliter, vel animus ipse est. Cùm ergo ea veritas tametsi complexa, sit tamen semper eadem, invariabilis & immortalis, non potest esse nisi in anima immortali.

V. Et hanc quoque infrà idem Augustinus rationem depromit. Si sunt quæ oculo corporis, sunt multò magis quæ oculo mentis cernimus. At quæ oculo mentis cernimus, incommutabilia sunt, afflatu ergo quodam immutabilitatis donatur & nostra mens, immutabilibus ita familiaris & agnata. *Nam nihil absurdius dici potest, quam esse ea, quæ oculis videmus, ea non esse quæ intelligentia cernimus, cum dubitare dementis sit, intelligentiam incomparabiliter oculis anteferri. Hæc autem quæ intelliguntur, eodem modo esse habentia, cum ea intuetur animus, satis ostendit se illis esse conjunctum, miro quodam eodemque incorporali modo, scilicet non localiter.* (De immort. anim. c. 10.)

VI. Unum restat, ut nodum illum extricemus, aliquot suprà capitibus indigitatum, nec frustra huc dilatum; cùm jam non dubitemus, quin ex antedictis solutio facillima futura sit. Docet Augustinus veritatem connexionum, seu regulas ratiocinandi, quæ & ipsæ, perinde ut regulæ numerorum & figurarum, semper eodem modo se habent, & invariabiles sunt, ab hominibus notatas esse, non institutas, sed à Deo institutas esse. *Ipsa autem veritas connexionum non constituta, sed animadversa est ab hominibus & notata, ut eam possint vel discere vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua, & divinitus instituta. Sicut enim qui narrat ordinem temporum, non eum ipse componit; & locorum situs ac naturas hominum qui ostendit, non res ostendit ab hominibus institutas, &c.* (De Doctr. Christ. l. 2. c. 32.) Vides istiusmodi rerum disciplinam, ut suprà à Pythagora, ita hìc ab Augustino historiæ comparari: quod utrobique nemini liceat quidquam suo marte fingere, aut comminisci; sed res ut se habent, ut olim, ut semper se habuerunt, narrare. Si ergo disciplina logicæ, perinde ut numerorum & figurarum, *incommutabiles regulas habet, neque ullo modo ab hominibus institutas, sed ingeniosorum sagacitate compertas*, (Ibid. c. 38.) ut infrà testatur denuò Augustinus, quomodo illæ sunt à Deo regulæ & rationes institutæ? Respondeo regulas istas, ut quadam multiplicitate constant vocum & propositionum, affirmationum & negationum, extra animam non esse; sed vel ipsam esse animam, vel in anima inseparabiliter inhærere, ut suprà semel & iterum docuit Augustinus. Tunc ergo institutæ sunt à Deo illæ disciplinæ & rationes, quando creata est anima rationalis, & iis viribus fibrisque contexta, ut non posset simplicia nisi complexè, divina animaliter cogitare, & cogitando sibi depingere. Est ergo sursum in increatæ sapientiæ sacrario veritas una & simplicissima omnium hoc genus regularum, sive Logicæ, sive Arithmeticæ, Geometriæ, Ethnicæque: sed cum ad eam se convertit anima rationalis, & ejus luce perfunditur, nec intueri, nec cogitare, nec eloqui illam potest, nisi pro suo modo, ejus unitate & simplicitate mirum quantum deficiendo, & quod in se incomplexum & simplicissimum est, sinuoso vocum, propositionum, affirmationum negationumque amictu vestiendo.

VII. Ita duo illa constant consentiuntque, quæ dissonare in speciem videbantur. Regulas illas incommutabiles obversari semper animæ rationali, & ab ea videri in æternæ veritatis sinu. Et tamen has regulas extra animam non esse, sed aut ejus substantiæ esse concretas, aut inseparabiliter ei inhærere. Horum primum constat in simplicissimo illo lumine, quo hæ regulæ radiant in increatæ veritatis unitate, vera omnia ineffabiliter & incomplexè complectente. Postremum hoc stat in contextione multiplici harum regularum ex propositionibus negantibus & affirmantibus. Quidquid sanè veri in his est videt Deus, vident Angeli, non componendo vel dividendo, non affirmando vel negando, non addendo vel detrahendo, non numerando, non alia ex aliis concludendo; sed simplicissimo contuitu hæc simul omnia pervidendo. Aut si mavis essendo potiùs hæc videt & intelligit Deus, sed complexa incomplexè, composita simplicissimè est & intelligit. Ab essentia & unitate illa simplicissima fluxit anima rationalis; sed dum defluit, à fontis sui puritate & simplicitate deficit. Ita & circa intelligentiam & veritatem Dei simplicissimam versatur anima rationalis: sed ejus lumina pro suo gradu ac modo temperata recipit.

VIII. Nec hìc ab Augustino descivit Claudianus Mamertus. Ac primò animam ille colligit similem iis esse quæ per sese intelligit, nempè divinis & intelligibilibus, non iis quæ per corpus sentit. Si corporea enim esset, corporeo sensu semet potiùs sentiret, nec per seipsam sentire atque intelligere posset incorporea. *Igitur cum rationalis anima per se incorporeum atque illocalem conspiciat; & veritatem quæ Deus est, à falsitate longè incorporea visione discernat; & nisi per corpus localia corporeaque non videat; quænam ratio est, illis eandem credi similem, ad quæ conspicienda interprete corpore utitur, & illis quæ per se contemplatur, judicari dissimilem?* (L. 2. de Stat. anim. c. 11.)

Et rursum idem Claudianus rationes numerorum æternas & immutabiles esse, & in anima esse, ac proinde animam immortalem esse ita colligit: *Colligitur subjectum semper esse animum aut vitiis, aut virtutibus & disciplinis, quæ sine eo esse non possunt. Ratio numeri disciplina est. Nunquam erit, ut quatuor & duo septem faciant, aut septem & tres undecim. Similiter & figura circuli non recipit contrarietatem. Nunquam erit, ut figura circuli ex duabus aut tribus lineis fiat, aut quadrigona ex tribus, aut trigona ex quatuor. Si enim addideris vel minueris aliquid, jam nec trigona nec quadrigona erit. Manet enim æterna & incommutabilis. Harum rationes disciplinarum & in subjecto sunt animo, & sine eo esse non possunt. Colligitur æternum esse illud in quo est, sicut illud quod in eo est. Ergo immortalis est anima.* (L. 3. c. ult.) Nec Augustinus, nec Claudianus dixere horum veritatem non esse nisi in anima: sed horum *rationes* non esse nisi in anima. Meritò ergo suspicamur rationem ab eis vocari illam veritatem, ut animæ rationalis ingenio & viribus attemperata est & multiplicitati implicata.

IX. Sed ille superest nodus extricandus, quomodo dicantur illæ rationes & æternæ & immutabiles esse, & tamen nisi in anima rationali non esse. Nec enim æterna aut incommutabilis est anima rationalis. Denique ex immutabilitate harum regularum, quæ extra animam non sunt, æquè immutabilitas exsculperetur animæ, atque immortalitas. Eadem nimirum recurrit distinctio. Hæ rationes ut complexæ & compositæ sunt, quo sensu non sunt nisi in anima, nec æternæ nec immutabiles sunt, sed à Deo institutæ sunt. Et tamen invariabile quid habent & necessarium, & eodem semper modo se habent, etiam ut complexæ sunt. Ex quo meritò colligitur & animam rationalem immortalem esse, cujus intimis fibris & penetralibus implicantur. At verò ut simplicissimæ in summa veritate regnant hæ rationes, æternæ revera & incommutabiles sunt. Ex quo fit ut ex hac earum superna immutabilitate, nonnunquam immutabiles & æternæ dicantur in hac infima suæ dignitatis dejectione.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

De Unitate & Bonitate Dei.

CAPUT PIRMUM.

Deum unum esse demonstratur, tum ex innata notitia, tum aliis argumentis.

I. Quibus argumentis probatur Deum esse, probatur & unum esse. Primo ex consensione omnium gentium, etiam Gentilium, ut tradunt sancti Patres.

II. Voces illæ quas vulgus hominum in adversis effundebat natura quodam impetu, Deum unum compellabant, non plures.

III. Conglobantur argumenta ex Lactantio, pro unitate Dei. Item ex Cypriano.

IV. Ab unitate mundi unum probat mundum Athanasius.

V. Ex Tertulliano, Deus est Summum Magnum, est quo melius cogitari nil potest. At id non potest nisi unum esse.

VI. Et ex Novatiano.

VII. Si non unus est, ubi figetur numerus.

VIII. Rursum ex Novatiano, si summum, si infinitum, si totum, si omnimoda perfectio est Deus, ergo unus est. Item ex Lactantio, & Ireneo.

IX. De summo bono, summo justo, summo vero, idem ratiocinatur Anselmus, quod illi de summo magno.

X. Non potest nisi una esse summa veritas.

XI. Ex Epiphanio, non potest non principari unitas dualitati, & numeris omnibus.

I. SUpersedere potueramus hoc labore demonstrandæ unitatis divinæ, quòd iisdem prorsus argumentis libro superiore congestis liqueat, & Deum, & unum Deum esse. Ideo scitè Tertullianus: *Deus si unus non est, non est. Quia di-*
L. 1. cont. Marcion. *gnius credimus non esse, quodcunque non ita fuerit, ut esse debebit.* Id ut exploratius fiat, nostra cursim relegemus vestigia, per eademque evincemus unum esse, per quæ constitit aliquem Deum esse.

Primùm ergo ex omnium hominum conscientia & consensione unum esse Deum comprobatur. Priscos enim Philosophos & Poetas, etsi plures Deos colerent, unum tamen Deum Deorum & summum agnovisse testatur, & adductis eorum testimoniis probat Justinus Martyr libro de Monarchia, & in Cohortatione ad Gentes; item Clemens Alexandrinus in Protreptico, Athenagoras, Lactantius, aliique, quotquot ferè adversus Gentiles pro Christiana Religione apologias texuere. In Concilio Carthaginensi sub Cypriano, Saturninus Confessor dixit, *Gentiles*
Num. 52. *quamvis idola colant, tamen summum Deum Patrem Creatorem cognoscunt & confitentur; in hunc Marcion blasphemat.* Ex litteris Longiniani & Maximi ad Augustinum, constat his, tametsi Gentiles essent, imò & Gentilibus omnibus persuasissimum fuisse, unum esse Deum summum, naturæ Patrem magnum atque magnificum, sed ad quem nisi per minores Deos virtutesque ejus per mundanum corpus diffusas adiri non posset, sicque *universos mortales communem Patrem concordi sacrorum discordia venerari & colere.* Unde luculentè Ambrosius: *Aurea est lingua sapientium litteratorum; sed aurum si*
Epist. 31. *diligentius tractes, foris pretium, intus metallum est. Deum loquuntur, simulacrum adorant.* Ex quo vides tam altè radicatam fuisse hominum mentibus Dei unius & summi cognitionem, ut destinatos illi cultus dæmones potuerint intercipere, fidem ejus usquequaque non potuerint abolere.

II. Præterea voces illæ tam simplices, tam vulgares, tam naturales, tam divinæ, tam veræ, quas repentina mali vis solebat etiam Gentilibus excutere, Deus videt, Deus bonus est, Deus judicabit, &c. Hæ inquam voces, non aliquos Deos, sed unum singulariter Deum, bonum, summum, omnia videntem, omnium judicem contestantur; ab eoque reliquos summovent, dum hos privatis nominibus, hunc nonnisi Deum compellant. Et eo sanè argumento Tertullianus, Cyprianus, Minutius, Lactantius, & siqui alii, non divinitatem tantùm aliquam nitebantur astruere: nam actum egissent; eam quippe pagani videbantur sibi eo melius tueri, quo pluribus eam communicabant; ideoque Christianos, ut atheos, impietatis reos agebant. Sed illud animæ testimonium proferebant Patres, ut unum Deum contra plurium cultores firmarent; unde exclamabat Tertullianus esse animam naturaliter Christianam, Christum sapere, apud ipsa dæmonia testem effici Christianorum. Quæ nisi de unius Dei conscientia non constarent.

III. Secundò populare argumentum suppeditat orbis hujus creatio & administratio. Hæc enim si pluribus diis permittatur, ipsorum primò imbecillitatem redarguet, qui quòd singuli minus valeant, tantæque moli impares sint, cogantur vires consociare. Deinde & singulorum imperium tantò erit angustius, quantò pluribus imperii collegis distribuetur. Adde quod nulla fides regni sociis, omnisque potestas impatiens consortis erit. Eccubi enim bene habebit, vel exercitus cui turba ducum, vel corpus cui plures animæ, vel mundus cui plures præerunt Soles? Et quid attinet Polyarchiæ incommoda percensere? Præstat hæc audire ex Lactantio: *Si sunt multi, dum habent singuli potestatis aliquid & numinis,* L. de ira. c. 11
summa ipsa decrescit: nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus. Unicuique tantum deerit, quantum singuli possidebunt. Non possunt igitur in hoc mundo multi esse rectores; nec in una domo multi domini; nec in navi una multi gubernatores; nec in armento aut grege duces multi; nec in uno examine multi Reges; sed nec in cœlo quidem multi Soles esse poterunt, sicut nec animæ plures in uno corpore. Adeo in unitate natura universa consentit. Et rursus idem alibi: L. 1. Inst. c. 3
Quid enim multis opus est ad mundi regimen sustinendum; nisi forte arbitremur, si plures sint, minus habere singulos nervorum atque virium? Quod quidem faciunt ii, qui esse multos volunt; quia necesse est imbecilles esse: siquidem singuli sine auxilio reliquorum tantæ molis gubernaculum sustinere non possunt. Cyprianus libro de Idolorum vanitate ita argumentatur: *Unus igitur omnium Dominus Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem. Ad divinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando unquam regni societas, aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? Sic Thebæorum germanitas rupta, & permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia. Et Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum uteri cepit hospitium. Pompejus & Cæsar affines fuerunt, nec tamen neces-* situdi-

situdinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec hîc tu de homine mireris, cum in hoc natura universa consentiat. Rex unus est apibus, & dux unus in gregibus, & in armentis rector unus. Multo magis mundi unus est Rector, qui universa quæcunque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat.

IV. Eodem redit argumentum illud, quod ab unitate mundi exprimitur. Unum enim opus unum prodit opificem. Nam si plures essent Dii, & plures utique mundos fabricassent. Quid enim opus fuerat ad unius structuram conspirare plures, nisi si fortè minus possent singuli, mutuaque opera & commodatitiis manibus indigerent? Deinde si plures quasi fabri unum opus compegissent, pluribus quoque is motionibus obsequeretur, nec concurreret ad unum aliquid; sicque dissonum opus & discors aliquando tandem dissiliret. Athanasius Oratione contra Gentes: *Certum est unum esse istius universitatis authorem; quod non multiplex, sed unus mundus existit. Oporteret enim si plures essent principes, plures quoque & diversos esse mundos. Siquidem par non esset, ut plures unum mundum ædificent. Imbecilles enim fuisse ejus fabros arbitrandum foret, eo quod multorum opera ad unum opus requisita esset.* Et infra: *Ad unumquemque eorum, à quibus factus esset mundus, respiciens, diversas quoque motiones obiret. In ipsa autem diversitate existeret confusio, totiusque perturbatio. Quandoquidem ne navis quidem a multis gubernata rectè cursum tenuerit, nisi unus illius clavum gubernator teneat. Neque cithara si à multis pulsetur, concentum edet, nisi unus illam artifex plectro feriat.*

L. 1. V. Tertio & magis philosophico utitur argumento Tertullianus adversus Marcionem geminæ divinitatis architectum. Deus est, quo nihil melius est; summum magnum. At quod summum est, nec juxta se, nec supra se quidquam esse patitur. Nec enim summum est, cui aliquid adæquatur; summum non est, quod aliquo majus non est. Ergo summum magnum non potest nisi unum esse. Si enim duo essent summa, neutrum esset summum, quia neutrum altero majus esset; at si quod majus aliquo non est, maximum non est. Item Deus est quo nihil melius cogitari potest. At si saltem duo Dii sint æquales sibi, utroque melius aliquid cogitari possit. Melius est enim non habere, quàm habere parem. Melius est alia omnia infra se, quàm juxta se habere. Melius est solum imperare, quàm consortem pati. Melius est in alium dominari, quàm cum alio. Melius est nihil eximi suo imperio, quàm aliquid eximi, & aliquid summum. Aures præbeamus Tertulliano: *Duos Ponticus Marcion Deos affert, tanquam duas Symplegadas naufragii sui, &c. Duos Deos cæci se perspexisse existimaverunt. Unum enim non integrè viderant. Lippientibus etiam singularis lucerna numerosa est, &c. Tota congressio de numero, an liceat duos Deos adduci; si forte Poetica, & Pictoria licentia, & tertia jam hæretica. Sed veritas Christiana districtè pronunciavit, Deus si non unus est, non est. Quia dignius credimus non esse, quodcunque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus, & non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire potest; id definio, quod & omnium conscientia agnoscit, Deum summum esse magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. Cum de isto conveniat apud omnes; nemo enim negabit, Deum summum magnum quid esse, nisi qui poterunt Deum imum, modicum quid è contrario pronunciare; ut Deum negent, auferendo quod Dei est: Quæ erit jam conditio ipsius summi magni, nisi ut illi nihil adæquetur, id est, ut non sit aliud summum magnum? Quia sit fuerit, adæquabitur; & si adæquabitur, non erit jam summum magnum; eversa conditione, &, ut ita dixerim, lege, quæ summo magno nihil sinit adæquari. Ergo unum sit necesse est, quod fuerit summum magnum: par non habendo, ne non sit summum magnum.* L. de Trin.

VI. Nec aliter disputat imitator Tertulliani Novatianus: *Unus pronunciatus est, dum parem non habet. Deus enim quidquid esse potest, quod Deus est, summum sit necesse est. Summum autem quidquid est, ita demum summum esse oportet, dum extra comparem est. Et ideo solum & unum sit necesse est; cui conferri nihil potest, dum parem non habet.*

VII. Præterea si unitatis limes semel irrumpatur, jam non duos esse, non paucos, sed innumeros Deos constituendum erit. Unitati enim succedit numerus. Et quis tandem effusam semel divinitatem sistere poterit, ne ultra, ne in plures ebulliat? Numerositas jam quo major, eo perfectior erit, ideoque Deitati consonantior. Et fœcunditas ipsa, si Deo digna, gaudebit in plures pluresque Deos efflorescere. Ita nihil jam vilius erit divinitate, quia nihil vulgarius. Tertullianus iterum: *Aut quæ ratio duo summa magna composuit? Primo enim exigam, Cur non plura, si duo? Quo locupletiorem credi oporteret substantiam divinitatis, si numerus ei competeret. Honestior & liberalior Valentinus, qui simul ausus est duos concipere, Bython & Sigen, cum usque ad triginta Æonum fœtus, tanquam Æoniæ scrophæ, examen divinitatis effudit. Quæcumque ratio plura summa magna non patitur admitti, eadem nec duo, ut ipsa plura post unum. Post unum enim numerus. Quæ potuit duo admittere, eadem potuit & plura post. Duo enim multitudo, unione jam excessa.* L. contr. Marc.

VIII. Præterea Deus est, quo nihil melius vel esse, vel intelligi potest. Ergo nulla planè ei perfectio deesse potest. At si duo forent Dii, aliquo differrent. Alioqui duo non essent. Id autem quo differrent, esset aliqua perfectio. Quid enim in Deo non perfectum? Ergo aliqua perfectione uterque careret, & quidem summa, nempe ea, qua æmulus ab eo discreparet. Quin imo tota unius substantia deesset alteri; non esset ergo aliquid perfectissimum, cui tantum deesset perfectissimæ substantiæ. Item infinita duo esse non possunt. Ibi enim alterum ab altero finietur, ubi ab ipso discriminabitur. Incipiet finiri, ubi incipiet carere perfectione alterius. Postremò cum Deum summum ipsum & optimum sit, est etiam totum. At totum non est, nisi unum. Quod enim totum est, omnia includit, excludit nihil. Ita disserit Novatianus, *Nec duo infinita esse possunt, ut rerum dictat ipsa natura. Infinitum est autem, quidquid nec originem habet, nec finem. Excludit enim alterius initium, quidquid occupaverit totum. Quoniam si non omne id quod est, quidquid est, continet, dum intra id invenitur, quo continetur, minus inventum eo quo continetur, Deus esse desierit, in alterius potestatem redactus, cujus magnitudine, qua minor fuerit inclusus; & ideo quod continuit, Deus potius esse jam cœperit.* Idipsum Lactantius, sed paulò enucleatiùs: *Virtutis perfecta natura non potest esse nisi in eo in quo totum est, non in eo in quo pars exigua de toto est. Deus verò si perfectus est, ut esse debet, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia. Deorum igitur virtutes & potestates infirmiores sint necesse est, quia tantum singulis deerit, quantum in cæteris fuerit. Ita quantò plures, tanto minores erunt.* A quibus non abludit Irenæus: *Deerit unicuique eorum partem minimam habenti ad comparationem omnium reliquorum, & solvetur omnipotentis appellatio.* L. de Trin. L. 1. c. 3. L. 1. c. 1.

IX. Præterea quod arguebant de summo magno Tertullianus & Novatianus, illud idem de summo bono, de summo vero, de summo justo, de summa essentia & substantia licet pari jure argumentari. Si summum bonum est, par non habet, omnibus præstat & antecellit, nullum patitur esse bonum, quod non anticipet in se vel effundat ex se. Et similiter de summa essentia & de summa substantia. Ita Anselmus: *Quod unus Deus sit, & non plu-*

plures, hinc facilè probatur. Deum summum bonum De Incarn. Vebbi l. c. 4. *esse nullus negat, quia quidquid aliquo minus est, Deus non est; & quidquid summum bonum non est, minus est aliquo, quia minus est summo bono. Summum certè bonum pluritatem sui non admittit, ut plura sint summa bona. Si enim plura sunt summa bona, paria sunt. Summum autem bonum est, quod sic præstat aliis bonis, ut nec par habeat, nec præstantius. Summum ergo bonum unum & solum est. Non sunt igitur plures Dii. Et sic summa substantia, vel essentia, vel natura, quæ eadem ratione qua summum bonum, nulla ratione pluraliter dici posse probantur*. Eò spectat & illud Thomæ Aquinatis: *Non est possibile esse duo summè bona. Quod* l. 1. contra Gent. c. c. 42 *enim per superabundantiam dicitur, in uno solum invenitur. Deus autem est summum bonum. Deus igitur est unus.*

X. Et quod de bonitate, idem de veritate æstimamdum; unam tantummodo esse posse. Una enim summæ veritatis regula est, qua vera sunt, quæcumque sunt omnia. Exactiùs enim vera sunt, si ad unam veritatem, uti ad unam amussim consentiant. Imò nemo tam vecors est, cui persuaderi possit, duas esse posse summas veritates. Cùm eò veritas à mendacio distet, quòd illa una sit, hoc in mille divortia scindatur. Denique si uni summæ veritati vera insunt omnia, nil superest alteri. Si desunt aliqua, non ergo est summa veritas. *Sum-* Alcinous Theolog. Plato. l. 1. c. 2. *ma veritas una est. Nam si duæ summæ veritates esse dicantur, aut una earum habet quidquid habet altera, aut non. Si primum datur, una est, non duæ. Si secundum, neutra est summa. Deest enim isti illud veritatis, quod in illa est; & illi, quod est in* L. de falsa sapien. c. 15. Ad Donatum. c. 4. *ista*. A quibus non dissonat Lactantius: *Sicut unus est hujus mundi constitutor & rector Deus, una veritas: ita unam esse ac simplicem sapientiam necesse est. Quia quidquid est verum & bonum, id perfectum esse non potest, nisi fuerit singulare*. Sed præstantissimè Fulgentius: *Ipsa namque veritas unus est Deus; & sicut excepta una veritate non est alia veritas, sic absque uno vero Deo, non est alius verus Deus. Ipsa enim una veritas est, naturaliter una vera Divinitas. Et ita non possunt duo veri Dii veraciter dici, sicut ipsa una veritas naturaliter non potest dividi.*

XI. Quartum & penè mathematicum superest argumentum, quo Dei unitas astruatur. Ante alios eo usus est adversus Cerdonianos Epiphanius. Nimirum unitas principatur, & omnes numeros antecellit. Si ergo duo essent prima principia, ante hanc dualitatem prius & anterius, vereque primum principium esset unitas, infra quam jaceret Hæresi 42. n. 2. dualitas. *Duo simul ut principia sint, fieri non potest. Duo enim si numerentur, singularem numerum excedunt. Cum autem unicus ille ac primus numerus quæratur, duo illa principia uni & supremo subjicientur, à quo velut à causa reliqua duo pendeant. Neque enim duo illa post singularem numerum atque unicum primumque principium sui esse causa possunt ipsorum*. Sed hæc eò pertinent, ut Deus unitas ipsa esse declaretur, quod alterius capitis argumentum est.

CAPUT II.

Deus est ipsa unitas, ipsum unum, ente & mente superius ex antiquorum Philosophorum placitis, ad veri trutinam postea expendendis.

I. Ex Platonicis unitas est primum ipsum, est principium, ergò omnibus principatur.

II. Divinæ omnes dotes & proprietates maximè conveniunt unitati; ut quæ sit incorporea, incomposita, incorrupta, incommutabilis.

III. Unitas omnia est, omnium copia & plenitudo est. Ab ea, in ea, per eam sunt omnia.

IV. Iidem Philosophi contendebant unum esse superius & perfectius ente, ideoque Deum autumabant esse ipsum unum, potius quàm ipsum esse. Varia ad hoc probandum argumenta.

V. Iidem Philosophi unum ipsum statuebant supra mentem, ut simplicius quid & perfectius. Varia eorum ad hoc argumenta.

VI. Ab ipso uno manare & gigni primam mentem, sive ipsum ens, multis iidem argumentis probabant.

VII. Prolixa enumeratione demonstratur omnes Deitatis dotes & prærogativas summas ipsi uni inesse, aut ex eo manare.

VIII. Antedicta ex Platone confirmantur, cui videtur & Christianæ fidei dogma interluxisse de divinarum Personarum Trinitate.

IX. Eadem prolixè ex Plotino firmantur.

X. Et ex Proclo.

XI. Et ex Jamblicho.

XII. Ex Sallustio Philosopho.

XIII. Ex Simplicio.

I. NOn potest ineluctabilius excogitari argumentum ad astruendam veri Dei unitatem, quàm si Deus ipsa unitas, vel ipsum unum esse demonstretur. Id jam prælibavimus in fine superioris capitis, id operosiùs hic expendi postulat. Et quoniam in hac re multum olim operæ & studii posuit tota Platonicorum schola, non abs re erit ejus primùm aperire placita, quæ sequentibus capitibus expendamus ad veri normam & ad trutinam Christianæ Theologiæ.

Quod ergo Deus sit ipsa unitas, ipsum unum, & hæc ejus propriè essentia sit, probant ex eo quod unitas est primum, & ipsa Primitas. Unitas est Principium numerorum omnium & quasi fæcunda parens. Unitas est ingenita, ut quæ cùm omnes gignat numeros, ipsa à nullo gignatur. Unitas perfectissima est omnium, tum quia prima omnium, tum quia parens omnium, tum maximè quia ingenita. Suam enim illi perfectionem nullus admensus est, nullus circumscripsit, quia nullus eam genuit. His pulcherrimè aptissimquè adumbratur natura divinitatis, cujus est, ut & ante omnia sit, & ab ipsa omnia sint, & à nullo ipsa sit, & absolutissima omnium ipsa sit.

II. Rursus unitas incorporea est. Omne enim corpus divisibile est, eoque multa, non unum. Unitas simplex est, imò simplicitas ipsa. Omnis enim compositio plurium est. Unitas incorrupta & immutabilis est. Uni enim nihil accedere potest, quia duo posthac saltem forent: nihil potest decedere, quia unum & simplex est. Cui autem nihil potest addi, nihil minui, illud proculdubio immortale & incorruptibile est. Unitas æterna est, tum quia simplex & incommutabilis est: tum quia tempus est numerosa duratio; at unitas numeri nescia est. Quatuor hæ autem sunt germanæ Deitatis dotes, ut incorporea, ut incomposita, ut incorrupta, ut incommutabilis, ut sempiterna sit.

III. Rursus unitas omnia est, omnium plenitudo est, & opulentissima copia. Nam & rerum omnium universitas, unitas est, & nomine, & re; nec constat nisi singulis, id est uno sæpiùs replicato; & quo plus receditur ab uno ad divisibilitatem materiæ, tanto plus acceditur ad egestatem; & quo plus receditur à materiæ multitudine, plus acceditur ad opulentiam & unitatem entium immortalium. Unitas omnibus inest; per eam enim omnia sunt, in quantum sunt. Unus est etiam quinarius unus denarius, & id genus alia. Et quantum ab unitate sua omnia deficiunt, tantum ad interitum vergunt. Unitati insunt omnia. Insunt enim lineæ centro, radii Soli, rivuli fonti, unde manant. Unitas est causa ex qua, ad quam & in qua sunt omnia: principium, medium, finis omnium. Ab illa omnia pro-

prodeunt, per eam omnia servantur, ad illam omnia conspirant. Quæ omnia divinitatis veræ insignia esse ornamenta nemo ambigit.

IV. Hoc ita præstructo ac præfundato, ulteriùs jam Philosophi illi progrediebantur. Nimirum unum esse supra Ens, hoc est, primum omnium Principium Deum, non tam esse ipsum Ens, vel ipsum Esse, quàm ipsum Unum, quia ampliùs aliquid & superius est Unum esse, quàm Ens. Probabant id 1. quia primum & summum omnium Principium illud est, quod est omnium simplicissimum. At ipsum Unum manifestè omnium simplicissimum est, imò est ipsa simplicitas. Non idem autem liquet de Ente. Nulli enim obscurum esse potest simplicitati primi Principii cognatius esse Unum, quàm Ens. Igitur Unum cùm sit simplicius ente, est etiam prius, antiquius & superius. 2. Illud est omnium primum, cujus participatione indigent omnia; ipsum verò nullius. At participatione Unius omnia indigent. Et ipsum Esse, nisi unum esset, non esset. Ipsum verò Unum nullius participatione eget. Si quid enim aliud participaret, jam non unum, sed duo esset. Igitur ipsum unum primum est omnium, & ipso ente superius, utpote ab ente participandum. 3. Ipsum esse est unum. Reliqua entia singula sunt etiam unum. Ergo unum & ipsi enti, & singulis entibus commune est, ita utrisque superius est. 4. Omnia entia conservantur per unitatem; & ipsum quoque ens. Ergo unitas ut omnia conservat, ita omnia efficit. Ejusdem enim est procreare, & conservare procreata. 5. In ente omni & in ente ipso sunt multa. Nempe essentia, qua est. Motus, quo vita movens se, vel natura mobilis est. Status, quo in motu suo constat. Alteritas, qua illa tria, essentia, motus, status, distant & differunt inter se. Denique identitas, qua illa quatuor sunt unum & idem ens. At in ipso uno nec illa quinque, nec ullam aliam multitudinem reperire est. Ergo unum ente omni, & ipso ente simplicius, atque adeo antiquius & superius est. 6. Ab uno perficitur ens ipsum, quatenus status & identitas ei confertur. At perficiens eo quod perficitur, perfectius est. Non autem vicissim ab ente perficitur unum, alioquin non jam unum esset, sed duo saltem; nempe ratio unius, & ratio altera quam ab ente mendicaret; sicque non perficeretur, sed destrueretur unum. 7. Unum tam efficax tamque potens est, ut nec opposita multitudo absque eo esse possit. Nullus enim numerus esset, nisi unitate aliqua restringeretur, & ex unitatibus consurgeret. At oppositum enti non ens, non similiter subsistit per ens. Ergo unum potentius & superius est ente. 8. Unum latiùs se diffundit quàm ens. Nam materia est non ens, & tamen est una. Ergo unum est superius ente. Ergo ex his claret, conceptum unius, ut universaliorem, potentiorem, simpliciorem, antiquiorem & superiorem quàm entis, primo Principio, seu Deo aptiùs accommodari. Et sanè primitas ipsa atque supremitas non aliud videtur sonare, quàm quod unitas & simplicitas sonat.

V. Hinc consequenter ad illud provehebantur, ut ipsum unum etiam supra primam Mentem collocarent; seu Deum aptiùs dici unum existimarent, quàm mentem, quia amplius & præstantius aliquid est unitas, quàm mens. 1. Quia idem est prima mens ac ipsum ens; essendo enim omnia intelligit. At unum est supra ipsum ens, est ergo etiam supra primam mentem. 2. Eadem vi & hìc pollent supradictæ rationes. Nam unitatis simplicitas, ut ab ente, ita & à mente exæquari non potest, nedum superari. Et multiplicitas quæ ipsi enti inesse ostensa est, eadem menti quoque manifestissimè inest. 3. In omni mente duo saltem sunt, intelligibile & intelligentia, visibile & visio. Ergo in mente non est summa simplicitas. 4. Prius est esse quod sis, quàm intelligere quod sis. Ergo mens non est primum Principium. 5. Cognitio est quasi desiderium quoddam, indagatio & inventio rei, qua quis indiget. At quod primum est, nihil desiderat, nihil quærit, nihil invenit, nullo eget. Ergo quod primum est, non est mens. 6. Intellectio est explicatio quædam rei latentis. At quod se explicat, multiplex est: priùsque fuit complicatum, quàm se explicaret. Ergo simplicius & prius est aliquid mente. 7. Intellectio unum aliquid ex omnibus est. At ipsum unum est ante omnia, & supra omnia. Item prima mens omnia intelligit, & omnia est. Ergo non est primum Principium, cujus proprium est, ut sit non omnia, sed super omnia. 8. Amplius est intelligibile esse & intelligi, quàm intellectum esse & intelligere; quippe hoc ad illud quasi ad suum finem bonique sui fontem conspirat. Ergo prius est Unum, quod intelligi potest, quàm intellectus, cujus munus & fœlicitas est ipsum unum intelligere. Nam, ut dixi, intelligere est quoddam quærere, desiderare, indigere. Ipsum autem Unum nec seipsum potest quærere; ita enim duo fieret; nedum alia possit quærere aut desiderare.

VI. Quin & illud fixum ratumque volebant esse, ab ipso Uno manare primum ipsum ens, seu primam mentem, omnium entium mentiumque ideis & virtutibus fætam; inde ab eodem profluere animam mundi, tum omnem mentium, animarum, corporumque inenarrabilem multitudinem. Sed ut reliqua missa fiant, quæ à nostro nunc instituto aliena sunt; quòd gignatur ab ipso uno ipsum ens, seu prima mens, sic illi probabant. 1. Unum est primum Principium superius ente. Ergo ens ab illo fluit. Alioquin illud huic comparatum, non esset principium, sed essent duo saltem prima Principia. 2. Ens & mens omnia est. Nam ipsum esse omnia est. Et mens essendo intelligit. Nec enim omnia extra se quærit, ut intelligat, sed in seipsa invenit. Quippe cùm omnium productrix sit, & intelligendo producat, omnia intelligit, priusquam sint. Ergo omnia præhabet, & omnia præhabet, priusquam sint. Cùm igitur ens & mens sit omnia, unum autem sit super omnia, non possunt omnia manare, nisi ab eo quod est super omnia. 3. Ens, seu mens, cùm omnia sit, multitudo est; at omnis multitudo ab uno est. Ergo ens, seu mens, ab uno est. 4. Mens participat unum. Est enim prima mens unum omnia: cùm reliquæ mentes sint unum multa. Ergo Unum est principium mentis. 5. Ens, seu mens, ad unum tendit ad sui conservationem. Ergo ab uno procedit. 6. Mens, seu intellectio est motio quædam & inquisitio. At verò ad quid movebitur mens, nisi ad parentem inquirendum? Vel quomodo unum quæri & appeti tam dignum, non procreasset prolem, quæ ipsum appeteret, quæreret, complecteretur? 7. Quid in summo vertice rerum geratur, ex vestigio forsan licebit conjicere. Nam Sol sensibilis idem ipse oculi parens & oblectatio est. Ita ergo & Sol intelligibilis primam mentem ex se parturit, & ad se contemplandum revocat. 8. Quod Unum nihil omnium, sed super omnia sit, id non egestatis, sed opulentissimæ plenitudinis argumentum est. Ingens enim opulentia Unius foret illa quidem, si unum omnia esse diceretur. Sed eo tamen nomine posset fortasse minor videri, quòd si omnia esset, omnia illi quodammodo adæquarentur. Ideo uberior plenitudo Unius est, ut non omnia, sed super omnia sit. At plenitudo hæc quæ prohibet, ne unum omnia sit, non prohibet ne ab uno omnia fint. Imò id jubet. Hic enim summus est apex unitatis & plenitudinis, ut ipsum nihil sit omnium, ut ex ipso sint omnia.

VII. Ex his magis magisque firmatur id quod præstitutum primò fuerat; non posse unquam aptiùs cogitari Deum, quàm ut unum ipsum esse dicatur. Nam simplicitas, primitas, supremitas, quæ Dei laudes primariæ sunt, idem prorsus videntur esse cum unitate. 2. Sufficientia, perfectio, infinitas, nulli propriè nisi ipsi uni competunt. Nam omnis multitudo egena est, cum indigeant partes partibus, partes toto, totum partibus. At unum nullo indiget. Aliquo enim

enim addito non cresceret, sed periret. Ideoque perfectissimum & infinitum est. 3. Immortalitas, immutabilitas, æternitas, in uno sunt, nec propriè nisi in uno sunt. Nam mori, mutari, desieri compositorum est. At unitas nec mori potest, quę non vita, sed supra vitam est; nec mutari, quæ ipsa simplicitas est; nec fluere, aut desinere, quæ tota simul est. Reliqua autem quo magis ab uno distant, eo morti, mutationi & tempori propiora sunt. 4. Immensitas, intelligibilitas, incomprehensibilitas potissimæ sunt prærogativæ unitatis. Nam quod simplicissimum est, nec locus ullus excludit, nec ullus includit. Et quod summum & supremum est, omnis intellectus apprehendit, nullus comprehendit. Quod unum ipsum est, locus & intellectus capiunt, quia participant: non totum capiunt, quia participant, id est, ex parte capiunt. 5. Omnia posse, omnia procreare, omnia conservare unitatis virtus & potestas est. Nam si virtus quælibet quo unitior, eo potentior est, quanta erit unitatis ipsius potentia? Imò quid unitas erit nisi omnipotentia? Rursus si aliqua procreare alicujus potentię est, omnia procreare omnipotentis unitatis est. Denique si aliqua conservare unitatis insitæ proprium est; omnia enim tandiu sunt, quandiu unum sunt: omnia conservare summæ unitatis est, sui vestigium & desiderium omnibus imprimentis, & hoc quasi vinculo, ne diffluant, constringentis. Omnino autem nec esse possunt omnia, nisi ab uno prodeant; nec stare, nisi ad unum conspirent. Ergo unius qua unum est, proprium est omnia præcontinere in se, omnia effundere ex se, omnia revocare ad se; id est, omnia posse, omnia creare, omnia conservare. 6. Bonum esse, beatum esse, beatificum esse, ut Dei, ita & ipsius unius propria sunt. Nam uniuscujusque bonum in eo situm est, ut unum sit; malum autem in dispersione & dissipatione sui. Ergo ut hoc bonum est in hoc uno, ita ipsum bonum est ipsum unum. Beatitudo quoque ipsa est unitas. Nam intelligere, velle, amare, motus quidam sunt inopiæ, impleri & saturari cupientis. Unde si beatitudo est videre & amare, multò beatius est id quod reliqua beat, dum videtur & amatur. Ergo ipsum unum eo beatum est, quo mente & voluntate prius est; eoque beatificum est, quo cognitione sui & amore reliquis omnibus beatitudinem conciliat. 7. Veritas, sapientia, justitia, ut divinitatis, ita unitatis insignes sunt dotes. Verum enim est, quod unum & solum est, nullius deterioris, vel adventitii commixtione adulteratum. Falsum autem, quidquid deteriorum commixtione polluitur. Sapiens & sapientia ipsa est summa veritas. Quanto enim ineffabiliter supra omnia sapit, cujus afflatu omnia sapiunt? Igitur unitas, ut veritas, ita sapientia est. Denique & justitia sapientia est, & veritas est. Et veritas ipsa justitia est. Igitur summa unitas eadem ipsa est & summa veritas, non per plura dispersa, sed in se reducta; & summa sapientia, non extra se veritatem intellectione quærens, sed in se possidens; & summa justitia, non se extra se spargens, sed singula sibi ipsis, omnia sibi mutuò concilians; cuncta ad æqualitatem, æqualia ad unitatem colligens. 8. Denique sicut Deitatis, ita unitatis proprium est, ut nec veritas, nec sapientia, nec justitia sit; nec aliquid sit eorum quæ sunt, ut quæ sit supra ens; nec aliquid eorum quæ intelligi dicive possunt, ut quæ sit supra mentem. Unde colligitur ipsum unum posse à nobis, non ut est propriè, aut nominari, aut dici, aut cogitari, aut intelligi; sed utcunque obscuro sensu olferi, & summo mentis apice, aut potius quodam mentis uno contingi.

VIII. Munienda hæc jam sunt suffragiis & verbis ipsis Philosophorum istorum. Quo nos munere obiter & ex parte fungemur, pro rerum copia; ut qui hæc perfunctoriè tantùm attingamus, domesticis sanctorum Patrum opibus plus satis locupletes. Plato in Parmenide etsi paulò implicatiùs, luculentè hæc omnia prosequitur, demonstratque ipsum unum nec esse, nec dici posse, aut idem, aut alterum, aut simile, aut dissimile, aut æquale, aut junius, aut antiquius, sive aliis quibuscumque, sive sibi ipsi comparetur; propterea quod jam ipsum & summum unum non erit, siquid aliud quàm unum sit, aut intelligatur, aut dicatur. *Si quid præter id quod est unum esse ipsum unum recipit, patitur jam plura esse quàm unum. Id autem impossibile est. Ob hanc causam nunquam ipsum unum idem esse, vel sibi, vel alteri patitur. Ergo nec simile, aut sibimet, aut alteri esse potest.* Et infrà: *Non itaque ita est, ut sit unum; esset enim jam essentiæ particeps. Imo ut videtur ipsum unum, neque unum est, neque est, &c. Non itaque nomen illi est, non sermo, non scientia quædam, non scientia, non opinio.* Cùm autem jam, ut existimo, subodoratus sit Lector, quod infra accuratiùs declarabitur, Platonicis interluxisse lumen aliquod, quamvis multa obvolutum caligine, de beata divinarum personarum Trinitate; unum & alterum Platonis locum hìc obiter adscribam, ex quibus id fiat dilucidum. Quid enim illud unum mente & ente antiquius origine, & prius, & mentis entisque parens, quàm Verbi & sempiternæ Sapientiæ Pater Deus? De anima mundi, quam tertiam illi substantiam prædicabant post Patrem & Verbum, erit infrà opportunior locus differendi. En verba Platonis: *Circa omnium Regem cuncta sunt; ipsius gratia omnia. Ipse pulcrorum omnium causa. Circa secundum secunda, circa tertium tertia. Humanus animus affectat, qualia illa sint intelligere, aspiciens ea quæ sibi cognata sunt. Quorum nihil sufficienter se habet. Sed in Rege, & in his quæ dixi, nihil est tale.* Nec minùs apertè alibi, *Testando Deum rerum omnium ducem, præsentium & futurarum; ac ducis & causæ Patrem dominum.* Epist. 2. Epist. 6.

IX. Expressiùs hæc omnia Plotinus, & primò, quod ipsum ens sit omnia, quod prima mens sit omnia, quod prima mens essendo omnia, intelligat omnia, quod mens & ens unum idemque sint, quod denique supra omnia, supra ens, supra mentem sit ipsum unum: sic ille: *Illud unum superius est quàm essentia, omniumque potestas existit, hoc autem jam est omnia. Si autem hoc est omnia, nimirum illud est super omnia; igitur & super essentiam existit. Atqui si hoc est omnia, ante omnia verò existit unum, non æqualem cum omnibus admittens conditionem, hac quoque ratione necessarium est illud essentia superius esse; id est, mente superius. Aliquid igitur est antiquius intellecti. Ipsum namque ens non est quiddam quasi mortuum, neque quasi vita intelligentiaque orbatum. Ideo intellectus & ens est idem. Neque enim sicut sensus se habet ad sensibilia tanquam ad præcedentia quædam, sic se habet ad res intelligendas intellectus, tanquam similiter præcedentes. Imo verò ipse intellectus ipsa res existit. Siquidem species rerum intelligendo non haurit: unde enim hauriat? Sed unà cum rebus ipsis prodit, idemque est cum ipsis.* Non potuit apertiùs declarari, ut Verbum, intellectus, mens prima proles sit summi Parentis, ipsius unius, sitque ens ipsum, seu essentia rerum omnium, quas essendo intelligit. Et alibi: *Quod sensibilem mundum procreavit, non est sensibilis mundus, sed intellectus intelligibilisque mundus. Ergo similiter quod est intelligibili mundo superius, ejusque origo, neque intellectus est, neque mundus intelligendus, sed simplicius intellectu, simplicius intelligendi mundo.* Et rursus: *Est necessarium, intelligentem, aliud aliudque accipere, atque id quod intellectum est, velut intelligentia ipsa discretum, esse in se diversum. Oportet intelligentem neque ipsum simplicem permanere, præsertim quando se prorsus intelligit. Dividit namque seipsum, &c. Denique cognitio ipsa desiderium quoddam esse videtur, & quasi inventio quædam indaginem comitans. Quod igitur nullam ad se intra se differentiam habet, undique conquiescit, neque de se aliquid investigat.* Enn. 5. l. 4. c. ult. Enn. 5. l. 5. c. 16. Ibid. c. 10.

stigat. Quod autem seipsum explicat & evolvit, nimirum est in se multiplex. Et infrà de ipso uno,
Ibid.c.11. conquiescente in beatæ simplicitatis suæ fastigio supra omnem intelligentiam: *Illud ut intellectu, ita & cognitione superius; & sicut nulla re indiget, ita nec intellectione indiget. Sed ipsa cognitio locatur in natura secunda. Cognitio enim unum aliquid est; illud autem unum ipsum est, non aliquid unum. Si enim unum aliquid esset, non amplius esset ipsum unum. Quod enim ipsum dicitur, super hoc est,*
Ibid.c.15. *quod aliquid appellatur*. Et rursum quomodo omnia sint in ipso uno, sed tanquam nondum inter se discreta; omnia sint in Verbo, seu mente, ut ideis jam propriis & rationibus discreta; ut ab uno fluat Verbum, & per Verbum omnia: *Principium namque entis est ipsum unum. Quod autem ex principio sequitur ita quodammodo prægnante & exuberante uno, fit omnia, sed interim particeps est unius, & quidquid est in eo, est omnia rursus & unum. Quænam igitur omnia? Nempe illa quorum illud est principium. Quomodo autem illud omnium principium est? An quia procreavit? Sed quomodo? Nunquid ex eo quod prius habebat illa? Verum dictum jam est, illud ita multa futurum. Sed profecto sic habet omnia, tanquam nondum inter se discreta. Quæ vero in secundo sunt, ratione inter se discernuntur*. Rursus ut unum sit plenitudo & sufficientia omnimoda, & ubi ab uno maximè receditur, nempe in materialibus & materia ipsa, ut
Enn.6.l.9.c.6. summa multitudo, ita summa egestas sit, ubi totum partibus, partes toto & partibus egent. *Potest per id quod seipso sufficiens appellatur, summam Dei unitatem comprobare. Oportet enim summum rerum Principium nullo modo indigum esse, sed sufficientissimum omnium, maximèque seipso contentum. Quidquid autem non unum est, sed multum, necessario est egenum. Quippe cum ipsum quidem non sit unum, sed ex multis unum evadat. Itaque ejus essentia indiget unum fieri, at ipsum unum seipso non indiget, ipsum namque jam existit. Quin etiam quod in se multa est, tot indiget, quot existit; & quodlibet eorum quæ sunt in eo, cum non in seipso sit, sed unà cum cæteris, certè indiget aliis. Si ergo necessarium est aliquid esse sufficientissimum, esse oportet & unum*.

X. Idem firmat & Proclus, statui à Platone supra corpus animam, supra animam mentem, supra mentem primum omnium Principium, *rebus universis & mente antiquius, in inaccessis occultatum*, & non intellectu nostro, sed flore quodam & apice mentis nostræ attingendum. *Ipso uno cognoscitur, quod est maximè unum, & ipso arcano id quod est arcanum*. Plura possem ex eodem congerere, sed operæ & tempori parco.

Theolog. Plat.l.1 c.3 11. &c. XI. Jamblichus libro de Mysteriis uno antedicta omnia complexus est loco; quem libet hic attexere, ut intelligas, non tam quid ipse, quàm quid Platonis schola sanis de Deitatis fide placitis & sententiis addiderit, & quasi incrustaverit. Tametsi enim & Plotinus, & Proclus, & Jamblichus Christianæ Ecclesiæ temporibus florentissimis vitam duxerint, non id tamen illi enixi sunt, ut Christianæ Theologiæ Platonica dogmata accommodarent, atque inflecterent: sed crudas Platonis sententias protulerunt, ut trecentis ante Christum natum annis eas Plato orbi propalaverat. Et id quidem ego interpretor & ejus scholæ longè ad commendationem & gloriam præclarius fuisse, & Christianæ Religioni confirmandæ non paulò conducibilius. Tametsi enim impegerit in errores aliquot hæc Philosophia, non potest tamen non permirum accidere id cordatis omnibus & æquis rerum æstimatoribus, quòd trecentis ante incarnatæ Veritatis exortum annis, tam altè introspicere & penetrare potuerint in arcana Deitatis, & in ipsas divinarum Personarum origines, non viri in Mosaicæ legis schola, non in Synagogæ Judaicæ disciplinis, sed in ipsa Gentilitiarum superstitionum officina instituti. Sed de his infrà copiosiùs. Audiendus nunc Jamblichus: *Ante res eas quæ sunt revera, & ante universorum primordia esse Deus unus; prior etiam primo Deo & Rege, immotus, in solitudine suæ ipsius unitatis manens, &c. Et solùm Pater est, verè bonus. Est nempe majus aliquid & primum, ac omnium fons & fundamentum earum quæ sub intelligentiam cadunt & sunt, idearum primarum, &c. Sui ipsius Pater est, & seipso contentus. Quippe hic origo est, Deus Deorum, unitas ex uno, ante essentiam, & origo essentiæ. Ab eo enim fluit entitas & essentia. Et ideo essentiæ Pater nuncupatur. Ipse siquidem ante ea quæ sunt, est intelligibilium origo. Quocirca Monarcha intelligibilium appellatur*. De Mysteriis. Segm. 8. c.2.

XII. A quo non dissonat Sallustius Philosophus: L.de Diis & Mundo c.5. *Primam causam unam esse convenit. Multitudini namque universæ unitas præit, potestate & bonitate omnia superans; ideoque omnibus communicari necesse est. Siquidem primum Principium anima esset, omnia utique essent animata. Sin intellectus, omnia essent intellectualia. Si substantia, omnia substantiæ participarent; verùm si per bonitatem res sunt, & bonum participant, necesse est ut primum Principium sit ipsum bonum essentia superius*. Sic ille ex eo quòd non omnia participent naturam animæ, vel mentis, vel substantiæ, vel entis, negat primum Principium esse vel animam, vel mentem, vel substantiam, sive essentiam & ens. At cùm omnia unum & bonum participent, hoc esse omnium Principium contendit. Denique ejusdem rei hoc quoque argumentum profert, quòd non pauci ob amorem boni vel ipsum esse suum amittere non sint gravati. Adeo altiùs descendit in animos boni, quàm entis amor. *Indicio, eoque maximo erit; animis quippe virtute præditis propter bonum nihil curæ est, quòd sint; quando pro patria, amicis, vel virtute pericula subeunt*.

XIII. Omnium nitidissimè Simplicius: *Quod ab omnibus appetitur, & ad quod omnia referuntur, id omnium rerum est & principium & finis*. In c.1.Ench Epictet.pag 9 10.11.12. *Et id quod bonum est, omnia producit, tam media quam prima & postrema. Verum prima quidem, sibique contigua, similia sibi ipsi producit, una bonitas multas bonitates; & una simplicitas atque unitas quæ omnes alias superat, multas unitates; unumque principium multa principia. Idem est enim Unum, Principium, Bonum & Deus. Deus enim princeps est & causa rerum omnium. Primum autem etiam simplicissimum esse necesse est. Nam quidquid compositum est, utcunque compositum sit & multiplicatum, id est uno posterius, &c. Oportet Principii proprietatem non à multitudine incipere, sed in unam unitatem colligi, Principium principiorum*. Et infrà: *Id unum quod multis antecedit, multorumque causa est, multa in seipso jam continet; cùm una unione omnia* In c.38.pag 234. *sit ante omnia, causa causarum, & principium principiorum, & Deus Deorum, sicut ab omnibus naturæ ipsius instinctu celebratur. Est & bonitas bonitatum. Nam primam in singulis propietatibus causam appetunt omnia, quæ post eam sunt. Quòd verò appetunt omnia, bonum est*.

CAPUT III.

Quòd Deus sit ipsa unitas, ex sanctis Patribus ostenditur; ad eorumque trutinam expenduntur placita Philosophorum superiori capite explanata, de uno, de ente, de mente.

I. Ad normam Scripturarum & Patrum expenduntur suprapostia Philosophorum placita.

II. Deum

II. Deum ipsam esse primam unitatem docet Hermes Trismegisti nomine palliatus Scriptor Christianus, & perantiquus.

III. Idem sentit & Justinus Martyr, qui quæ Pythagoras & Plato scripsere de Deo, de uno, de ente, de uno supra ipsum esse, ea existimavit eos à Mosaicis litteris hausisse.

IV. Eusebius Cæsariensis idem probat ex Plutarcho Philosopho Platonico, Deum esse ipsum unum, ipsum esse, primam mentem, ipsum bonum.

V. Cyrillus Alexandrinus assentitur, Deum magis propriè ipsum unum, & ipsum bonum dici, quàm quidvis aliud, etsi nihil satis propriè de eo dicatur. Eo sensu unum & bonum esse supra ens & supra mentem.

VI. Eadem omnia confirmantur ex Dionysio.

VII. Ex eodem, quod Deus, qua ipsum unum est, sit supra esse.

VIII. Quod sit etiam supra mentem, id est, aptiùs cogitetur ut unitas, quàm ut mens.

IX. Tota Patrum Theologia eo conspirat, ut Patri ingenito aptetur unitas bonitasque: ut Verbo ab eo mananti aptetur sapientia, essentia, mens, ipsum esse: etsi & Pater & Verbum emineant incomparabiliter supra omnia quæ aptare illis possumus, vel de eis cogitare.

X. XI. Maximus Martyr, & Eulogius Alexandrinus ipsum unum supra esse & supra mentem locant.

XII. Ex Latinis assentitur Augustinus.

XIII. Claudianus Mamertus.

XIV. Bernardus.

XV. Paschasius.

I. MElioribus ducibus nunc, adeoque inoffenso pede nostra relegemus vestigia; cum ex sanctis Patribus, prævia fidei & Scripturæ face, retractabimus quæcumque de Unitate, de ipso Uno, de Ente primo, & de prima Mente superiori capite disputata sunt ex antiquorum Philosophorum decretis.

II. Primùm ergo quòd Deus ipsa prima unitas sit, & ipsum unum, ita docet perantiquus Scriptor, qui nomine Hermetis, seu Trismegisti, libellum suum adornavit. Suspicantur jure meritòque viri doctissimi in Christianæ Ecclesiæ castris illum meruisse, altero aut tertio post Christum in cœlos receptum sæculo, & quod tum familiare valdè erat, operi suo admirationem & authoritatem ascititio Hermetis nomine conciliare voluisse. Nonnullis sanè ille imposuit etiam ex sanctis Patribus, sed innoxius fuit ille error, cùm tot alia, eaque inconcussa Christiani dogmatis aggerarentur documenta. Sic ergo Hermes in Pimandro: *Unitas omnium principium, radix atque origo; absque principio verò nihil.* Cap. 5. *Initium verò est non principii, sed alterius. Monas ergo principium, omnemque numerum continet, à nullo ipsa contenta, omnemque gignit numerum, nullo numero genita. Quidquid utique genitum, imperfectum, dividuum, crescens atque decrescens. Ei verò quod perfectum, horum nihil accidit. Id sanè quod augescit, virtute monadis augetur; evanescit autem imbecillitate propria, cùm ulterius monadem capere nequeat. Hæc tibi pro viribus imago Dei subscripta sit.*

III. Justinus Martyr in Cohortatione ad Græcos Pythagoræ Platonisque de uno, de ente, de Deo sententiam Mosaicis Christianisque litteris prorsus conciliat. Quin & hos sua hæc decreta hausisse existimat in Ægyptiaca peregrinatione à Moysis cæterorumque Hebraicorum Doctorum fontibus. *Pythagoras digna & ipse Ægyptiaca peregrinatione de uno & singulari Deo sensisse videtur. Unitatem namque rerum omnium originem eandemque bonorum omnium causam esse dicens, per allegoriam unum atque solum eum esse docet. Id verò sic se habere ex eo patet, quòd μονάδα, id est, unitatem, & ἕν, hoc est, unum, differre inter se ait. Unitatem sive solitatem quippe in eis quæ intelligentia comprehenduntur; unum autem in numeris esse.* Quin & ipsissima Pythagoræ verba adscripsit Justinus, aurea prorsus, & quæ citra piaculum omitti non possint. *Sanè quidem Deus unus est; non ille autem quomodo nonnulli sunt suspicati, extra hunc mundi ornatum: sed ipse in se totus, in circulo toto generationes omnes inspiciens, sæculorum omnium est temperatio, & virtutum operumque ejus omnium opifex, Principium omnium, unum, Cœli lumen & Parens omnium, mens & animatio universorum, circulorum omnium motio.* De Platone mox Justinus ibidem ita censet, longo anfractu castigatissimâ sua & ab Hebræis mendicata dogmata de Deo rebusque divinis implicasse de industria, ne si palam ea evulgaret, exitium sibi consciseret, perinde ut Socrates. *Plato verò accepta, cùm in Ægypto esset, Moysæ & aliorum Prophetarum de uno, eoque solo Deo doctrina; ne sicut accidisse Socrati viderat, ipse quoque accusatorem adversùm se excitaret, &c.* Pergit porro declarare, ut post Moysem Plato & Dei nomen illud celebraverit, quod sit ipsum ens, & intellexerit tamen non hoc proprium Dei nomen esse, sed temperamentum quoddam ad nostram imbecillitatem & balbutiem. Cùm nempè Deo nomen nec indere quisquam possit, nec satis aptari ullum ei queat, qui supra omnem intelligendi aciem sit, nec ullo designari se vocabulo sinat, cùm unus & unum ipsum sit. Nomina enim eo consilio instituta sunt, ut per ea res aliæ ab aliis discriminentur. *Cognovit ille Deum proprium suum nomen Moysi non promulgasse. Fieri namque omnino non potest, ut proprium aliquod Deo nomen attribuatur. Propterea quod nomina ad designationem & discretionem subjectarum rerum imponantur; quæ variæ sunt & multæ. Deo autem qui nomen inderet, nemo ante eum extitit. Neque ipse aliquo nomine designare opus esse duxit, unus & solus existens.* Ansam ergo inde arripuit Plato Deum ut unum & solum evehendi supra ens, quòd ipsum ens nomen quidem Dei sit, sed qualecumque & minimè proprium.

IV. Eusebius Cæsariensis Episcopus Præparationi Evangelicæ suæ prolixum intexuit contextum ex Plutarcho, de syllaba illa Εἶ, Delphico Templo inscripta. Eam ita Plutarchus more Platonico interpretatur, quasi jam inde à Templi foribus Deum salutemus, illum esse contestantes, & ipsum ens esse, & ipsum unum esse, quòd non aliud sit ens quàm unum, nec aliud ipsum ens quàm ipsum unum. Creata quippe omnia cùm temporum decursui & mutabilitati obnoxia sint, ut unum idemque non sunt, ita nec sunt, comparatione ejus qui ipsum unum est, ideoque verè ens est. *Manet* Præp. Evan. L. 11. c. 11.
autem nemo, nemo unus est; sed omnino multi efficimur, &c. Si enim iidem manemus, qui tandem alia nobis modò placent, qui aliis antea ducebamur? &c. Sed qui unus est, idem uno etiam nunc, sempiterni durationem implet. Adeoque illud unum est, quod verè per sese est; non autem aut fuit, aut futurum est. Sic igitur eum ipsum venerando, salutare nos & appellare decet his verbis, Unum es, id quod priscorum nonnulli factitabant. Nec enim plura Deus est, uti nostrum quilibet, qui congeries quædam sumus. Sed unum oportet esse id quod est, ac vicissim id esse quod unum est. Rursum idem Eusebius ex eodem Plutarcho hæc refert: *Pythagoras ex principiis monadem Deum vocavit, & bonum, quæ propria est ipsius unius natura; ipsaque adeo mens.* Τὴν μὲν μονάδα θεόν· καὶ τὸ ἀγαθόν· ἥ τις ἐστὶν ἡ τοῦ ἑνὸς φύσις. αὐτὸς νοῦς. *Socrates & Plato unum & solitarium statuunt unius naturæ, ingenitum; quod verè est bonum. Omnia autem hæc nomina ad mentem spectant.* Ἓν τὸ μονοφυὲς, αὐτοφυὲς, τὸ μοναδικὸν, τὸ ὄντως ὂν ἀγαθὸν, πάντα δὲ ταῦτα τῶν ὀνομάτων εἰς τὸν νοῦν ἀνάδει. Ibid. l. 14. 16.

Non potest Plutarchus cuiquam videri Christianæ fidei-

fidei aut doctrinæ consensisse. Quo majoris sunt momenti ad res nostras stabiliendas, quę ex eo decerpsit Eusebius. Itaque ex Plutarcho, Pythagoræ & Platoni ipsum unum, ipsum bonum, ipsum ens, & prima mens unum idemque prorsus sunt; nec potest ipsum unum non esse summum bonum; & ipsum ens idem prorsus cum ipso uno est, & cum summa mente, cùm & ens & mens omnia sint intelligendo, omnia intelligant essendo. Nec tamen Plutarchus infirmavit, quæ Plato Platonicique Philosophi de ipso uno ipsum ens primamque mentem generante statuerant tam operosè. Constabant ergo ea duo, quòd & idem prorsus esset Deus, primumque rerum omnium principium, ipsum unum, ipsum bonum, ipsum ens & mens prima: & quòd tamen ab ipso uno & bono gigneretur ipsum ens & prima mens, Verbum Deus.

V. Cyrillus Alexandrinus Archiepiscopus libro primo contra Julianum, ex Ethnicis Philosophis suffragia corradens, quibus Christiana veritas muniretur, locum eundem Pythagoræ allegat, quem suprà ex Eusebio retulimus. Platonis verò sententiam promit ex verbis Porphyrii, Platonicæ scholæ sectarii famosi. *Porphyrius verò libro quarto Philosophicæ historiæ ait, Platonem de uno Deo & sensisse, & locutum esse; nullum verò nomen ei convenire, neque humanam mentem eum capere; appellationibus autem quæ à posteriori dicuntur, eum impropriè declarari. Quod si omnino ex nominibus quæ apud nos in usu sunt, aliquod audendum est de illo dicere, magis unius & boni appellatio est illi tribuenda. Illud enim ostendit simplicem illius naturam, & propterea seipsa contentam, ut quæ nullo indigeat, non partibus, non substantia, non facultatibus, non actibus, sed sit horum omnium causa. Ipsum quoque bonum repræsentat, quod ab illo est, quidquid bonum est.*

Ipsissimam verò veritatem attigit, denudavitque Porphyrius hoc contextu. Et Pythagoræ & Platoni ita visum est, ita Christiano dogmati cum primis consentaneum est, de Deo accuratè & propriè quid sit, nec intelligi posse, nec dici. Porro inter ea quæ de Deo dicuntur, tametsi impropriè, & ex effectis tantùm dicuntur, nihil cogitari, nihil occurrere posse præstantius, quàm si dicatur esse ipsum unum & ipsum bonum. Huc ergo revocanda sunt, quæcunque superiori capite disseruimus de uno; huc istorum Philosophorum mens, huc verba collimabant. Ideo nunc aiebant unum & bonum esse supra ens & ipsam mentem. Idem enim prorsus sunt hæc omnia, quia de uno Deo vero dicuntur, tametsi impropriè dicuntur. Et tamen unum & bonum sunt supra essentiam & mentem, quia de Deo magis propriè dicuntur, quàm essentia & mens.

VI. Venio ad Dionysium, qui prolixissimè & luculentissimè in hoc versatus est argumento. Sic ergo ille unum dici & esse Deum, imò ipsam unitatem dici ex sacris litteris contendit, sed eo sensu, ut ab effectis id quoque nominis proficiscatur. Unum enim dicitur, quia ad unitatem omnia colligit. *Omnem ferè sacram Scripturam reperies,*
De divino Nom. c. 1. n. 4. *ad declarandum nobis Deum, & ad laudandum eum divina nomina formare, secundum divinæ bonitatis emanationes. Hinc in omni fermè Theologica tractatione Divinitatem ipsam sanctè collaudatam cernimus, ut monadem quidem ac unitatem propter supernaturalis individui sui simplicitatem, ex qua ceu vivifica virtute quid unum existimus, atque dividuis nostris diversitatibus supermundanè coagmentatis, ad monadem quandam deiformem,*
Ibid. c. 4. n. 21. *ac Deum imitantem unionem redigimur.* Et infrà: *Nulla enim dualitas principiat, sed veritas erit principium omnis dualitatis.* Quin & Unum supra unum esse Deum idem rursus censet: *Quin etiam cum Unum ipse sit, omnique parti & toti, & multitudini Unius sui consortium largiatur, vel ut sic etiam supra substantiam existit unus, cùm neque pars sit multitudinis, neque ex partibus totum. Nam hoc modo non est quid unum, sed Unum supra unum quod rebus inest, multitudo individua, inexplebilis superplenitudo, omne unum multitudinemque producens, perficiens, complectens.*

Quod autem ipsum unum sit propria Dei natura, magisque propriè dicatur Deus esse ipsum unum, quàm vel ipsum esse, vel summa & prima mens, item quod unum sit propriè omnium causa, omnia præcontinens, omnia effundens: *Unus quia est* De divin. Nom. c. 13.
omnia unitè secundum excellentiam unius unitatis; & omnium causa, non amittendo suam unitatem. Nihil enim illius expers est; sed quemadmodum omnis numerus participat unitatem, atque unus binarius denariusque dicitur, & qualibet particula particeps est unius; & hoc ipso quo ad unum sunt, etiam omnia sunt, quæcumque sunt, &c. Si sustuleris unitatem, neque totalitas, neque particula, neque aliud quidpiam in rebus erit. Omnia enim unum in se uniformiter anticipant, & amplectuntur. Hac ratione Scriptura totum Deum, tanquam omnium causam sub unius appellatione laudat. Et hoc modo unus est Deus Pater, & unus Dominus Jesus Christus, atque unus idemque Spiritus sanctus, per superabundantem totius divinæ unitatis indivisibilitatem. Et rursum: *Est omnia unitè secundum excellentiam unius unitatis, &c. Per omnia unicum est, & omnia etiam tota, universa & opposita unitè anticipavit.* Affatim hæc sunt, ut intelligas nullo aptiùs nomine dici, nulla propiùs cogitatione depingi posse primum Principium, quàm ut ipsum unum prædicetur, cujus superabundanti indivisibilitate coadunantur tres Deitatis personæ, & entia deinceps omnia & effunduntur, & coadunantur.

VII. Quod autem Deus tanquam ipsum unum, non sit, sed supra essentiam sit, authorque & parens sit ejus qui est ipsum esse, sic rursus idem Dionysius: *Unitas effectrix universæ unitatis, & substantia supersubstantialis, & mens supra mentem,* De divin. Nom. c. 1.
& Verbum ineffabile; ineffabilitas, intelligibilitas, innominabilitas. Causa quidem ut omnia sint, ipsa verò non est, ut omni essentia ulterior. Et infrà: *Cùm notiones omnes sint entium, is qui omni ente ulterior est, omni etiam cognitione superior est.* Capite 11.
Et alio loco, *Oportet nos à multis ad unum virtute divinæ unitatis conversos, singulariter laudare totam & unam divinitatem; unum omnium causam, quod est ante unum & multitudinem, &c. Quod omnia quæ sunt, & ipsum esse determinat; & omnium, & totorum omnium, & simul ante omnia & supra omnia unicè causa est; estque super unum essentiale, & ipsum unum essentiale definit. Siquidem unum essentiale inter entia vel essentias connumeratur. Numerus enim essentiam participat; at unum superessentiale definit tam unum essentiale quàm omnem numerum.*

VIII. Quod rursus unum sit supra mentem, seu quod Deus magis propriè cogitetur & dicatur unum, quàm mens: *Super essentias est illa supe-* De divin. Nom. c. 1.
ressentialis infinitas, & supra mentes illa supermentalis unitas, &c. Illam Dei principalem superessentialitatem, neque tanquam rationem aut potentiam, neque tanquam mentem aut substantiam aut vitam laudibus celebrare fas est, ulli qui veritatis quæ supra omnem veritatem est, sit studiosus. Quin imò laudare eam oportet tanquam ab omni vita, cogitatione, intelligentia, & ab omnibus quæcunque sunt, superlatè abstractam. Et alibi: *Ipsam* Ibid. c. 7.
veram æternamque vitam, ut sapientem & sapientiam ipsam celebremus, imò ut omnis sapientiæ procreatricem, & eminentem supra omnem sapientiam & intelligentiam. Deus enim non tantum superplenus est sapientiæ, & intelligentiæ ejus non est numerus; sed supra omnem rationem, & mentem, & sapientiam collocatur. Et rursus: *Hanc irrationalem, & amentem, & fatuam Dei sapientiam superlatè laudantes,*

tes, dicamus, Omnis mentis, & rationis, & omnis sapientiæ intelligentiæque causam esse. Et rursus alibi:

Mystic. Theol. c. 5.

Dicimus, quod nec anima sit, nec mens, &c. Nec intelligentiam habet, nec intellgentia est, &c. nec sapientia, &c. nec cognoscit ea quæ sunt, quatenus sunt.

IX. Quod rursum ab ipso uno gignatur ipsum esse, seu prima mens, quæ sit unum omnia, in quo sint omnium ideæ effectrices; hoc est Verbum Deus, qui peræquè ut Pater, utpote unus cum eo Deus, & ipsum unum est, & supra ens, & supra mentem, & supra omne quod vel fari, vel cogitare possumus; sed qua Filius & Verbum Patris, quasi sponte sua contemperet se magis & accommodet creatis mentibus, eisque affulgeat, ut esse ipsum, ut summa mens; quod inquam ita res habeat ex Dionysii mente, id verò supervacaneum fuerit operosa contextuum allegatione probare. Eccui enim dubium esse potest orthodoxo Theologo, quin Pater Verbum gignat? quin Pater ut primum Principium, & ut Principium Verbi, à quo principio reliqua manant omnia, aptissimè vestiatur nomine ipsius unius, quo maximè propriè ratio Principii declaratur? Quin Verbum, ut Verbum & ratio summa & increata omnium creaturarum, convenientissimè attemperet se & admoderetur creatis mentibus, & ut essentiam summam, ut mentem primam ab iis se & cogitari & dici sinat lubens, etsi supra essentiam & supra mentem ipse sit?

X. Maximus Martyr idemque præstantissimus Dionysii Commentator, multa suggereret, quæ hìc aptari possent. Ne longiores simus tamen quàm par est, hoc uno contenti erimus ejus testimonio, quo unum supra ens, supra mentem, seu supra vitam & motionem constituit.

In c. 13. de divin. Nom.

Ipsum unum supra omnia intelligitur, &c. Simplicissimum est, nec ullam differentiam habet; neque enim motionem quandam & stationem, quasi quietem habet. Verum neque statuendum est, quod ipsum unum sit ens; sed quod sit Principium & semen entis. Enti quippe multitudo necessario adhæret; & multitudini ens, quod in Deo non est. Ens enim essentia est; Deus autem superessentialis est, & super ipsum ens.

Biblioth. Cod. 230.

XI. A Dionysio non recessit Eulogius Alexandrinus Archiepiscopus, cujus homilias Photius in compendium misit, sanè pulcherrimas, & antiquæ Theologiæ luce plurima perfusas. Sic ergo ille supradicta omnia egregiè confirmat: *Aliud est esse supremæ Trinitatis, aliud nostrum. In Trinitate ens est supra esse; at nostrum esse neque propriè est ens, &c. Unitas verè est Trinitas, & Trinitas unitas. Nec enim unum in divina substantia ut in rebus creatis accipitur; in quibus nec unum propriè est intelligere. Nam quod in nobis dicitur unum, non est propriè unum, sed aliquid unum. Hoc autem unum est, & non unum; utpote quod habeat nomen unius, & reipsa in multa dividatur. Si autem etiam ut mentem Theologi unitatem divinæ naturæ prædicant, id propter solam divinam Verbi impatibilem generationem assumunt. Nam recta piaque sententia divinitatem supra naturam mentis collocatam piè asserit.* Vides ut Dei naturam in ipso uno principaliter collocet, illudque statuat supra mentem, & supra ens; quodque mentis vocabulum Theologi Deo quandoque tribuant, id eo spectare interpretetur, quod impatibilis generatio Filii à Patre Deo, non alia potuerit voce commodiùs declarari; cæterùm naturam Deitatis supra mentem esse. Quin idem mox probat hoc argumento, quod supra non semel jam perstrinximus, quod natura & operatio mentis, seu intelligentiæ, dum appetit, dum quærit, dum contemplatur objectum sibi propositum, dum à seipsa quodammodo egreditur, & ad se regreditur, à simplicitate non parum desciscat, & in multiplicitatem delabatur. *Identitas enim etiam in mente spectatur, itemque diversitas, & motus, & quies, nec omnino caret duplicitate, &c. Quando seipsum considerat, & noscitur à seipso, pro uno & simplici duplex esse probatur; quod etsi quid simile habet, ab uno tamen principali, & à beata Dei natura alienum est, &c. Et si fas est liberius loqui, unum est divinitas secundum simplicitatem existendi, non ut unum sub triplici nomine consideratum, aut in partes divisum, aut ex pluribus compositum. Inexplicabile est enim hoc unum, nec ullo nomine exprimi potest. Quia ipsius unius est causa, & unitatis cujuscumque effector. Omnibus quoque tam uno, quàm multis ipsa simplicitate superior, eo quod principaliter unum sit, διὰ τὸ κυρίως ἓν εἶναι, & in omnibus & super omnia intelligatur. Quod omnia quidem entia condidit, in superessentiali autem & sibi propria singularitate fundatum, unitas & singularitas ἑνὰς ἢ μονὰς vocatur à Theologis, Filius in Patre, Pater in Filio, Spiritus sanctus procedens à Patre, sed per Filium in creaturas descendens.* Hæc Eulogius luculentissimè edisserit, tum ad superiorum confirmationem accommodatissima, tum ad illum etiam extricandum nodum, de quo peculiari infra capite tractabitur, quomodo unitati simplicissimæ Trinitas concordet.

XII. Nunc ex Latinis pauca in eandem rem promemus testimonia. Prodibit ante alios Augustinus; qui ut omnibus insit unitas, ut omnium natura, salus & incolumitas sit sua unitas, unitatis omnium conditricis & conservatricis vestigium, breviter, sed luculentè exprimit: *Meam incolumitatem, vestigium secretissimæ unitatis ex qua eram, curæ habebam.* Confess. l. 1. c. ult. Et infra de summo & ineffabili unius in Trinitate Deitatis sacramento verba faciens; *Sibi notum est, & sibi sufficit, incommutabiliter idipsum copiosa unitatis magnitudine.* Confess. L. 13. c. 11. Ubi simplicissimam quidem, sed & copiosissimam locupletissimamque unitatem Deum esse significat, ut non aliud Personarum divinarum Trinitas sit, quàm *copiosa unitatis magnitudo* & opulentia. De Doctr. Christ. L. 1. c. 5. Et rursus idem alibi Augustinus: *Pater, Filius, Spiritus sanctus, una quædam summa res, si tamen res, & non omnium rerum causa, si tamen & causa.* Vide ut Trinam deitatem describat unam summam rem, & vocabulum ipsum rei mox retractet, & non faciat reliquum nisi unum summum. Patri mox eam unitatem propriè, seu appropriatè vendicat, Filio æqualitatem, Spiritui sancto unitatis & æqualitatis, seu Patris & Filii concordiam. *In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia. Et tria hæc unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum.* Minùs ut spero jam mirum erit, si Philosophi unum ipsum dixerint, quem nos Patrem: si æqualitatem ab eo semoverint, ut hanc Filio accommodarent, quem nos Verbum, illi ens & mentem dixerunt.

XIII. Claudianus Mamertus Architæ Tarentini Philosophi è Pythagorica schola celeberrimi testimonium profert in hæc verba de anima rationali: De Statu animæ L. 2. c. 8. *Anima ad exemplum unius composita est, quæ sic illocaliter dominatur in corpore, sicut unum in numeris.* Ita Architas; cui hæc subjicit Claudianus: *Quid quæso præcelsius dici potest, quid verius? Ad unius videlicet exemplum composita, quia ad unius imaginem facta est. Et idcirco unus est exemplum principale formarum, quoniam formabilia ab illo formas capiunt, qui non cepit.* Vides ut eandem Deitatis atque unitatis naturam astruat; idque ex eo firmet, quòd omnium naturarum causa, & una & ab omnibus secreta esse debeat.

XIV. Accedit Bernardus: De Consid. L. 5. c. 7. 8. *Non est compositus Deus, merum simplex est. Et ut liquido noveris, quid simplex dicam, idem quod unum. Tam simplex Deus, quàm unus est. Est autem unus, & quomodo nihil aliud. Si dici possit, unissimus est.* Cumque percensuisset varias species unitatis, hanc incunctanter omnibus anteponit, quæ Trinitatis Personas in unam cogit Deitatem, summè unam & ipsum unum; quod Trinitas illa non multi-

plica-

plicatio sit, sed opulentia & societas: *Nec abducimur ab hac unitatis professione assertione trium: cum in hac Trinitate non recipiamus multiplicitatem, sicut nec solitudinem in unitate.*

XV. Exciderat penè imprudentibus nobis, quod minimè oportuit, Paschasii E. R. Diaconi locus eximius: *Da nomen generale, atque commune. Majestas, immensitas, plenitudo, unus, solus, Deus. Sed cum audis unus, non hic numerus inchoatur, sed perfectio infinita colligitur. Quid est unus, nisi nomen incommunicabile, quod nec posteriorem recipit, nec priorem? Quid est unus, nisi simplex, incomposita, & indivisa substantia? Quid est unus, nisi incommunicabilis, æqualis, ac semper idem, qui nunquam possit à se esse diversus? ac sic communis appellatio unitatem notat.* L. 1. de Spir. Sanct. c. 6.

CAPUT IV.

Quæ de ipso uno supra ens & supra mentem evecto dicta sunt, accommodatè ad personam Patris dicta esse; quæ de ente & mente ab ipso uno manante, ad personam Verbi. Ut divina Trinitas ipsamet sit unitas.

Jam diluxit Patri ingenito maximè accommodari, quæ de ipso uno; Verbo unigenito, quæ de mente, & ente disputata superius sunt.

II. Ex Mario Victorino, Patri appropriatur beata quies & silentium: Filio vita, motio, operatio. Silentium, unum; motio, intelligentia est.

III. Idem ex Clemente Alexandrino luculentissimè.

IV. Item ex Dionysio.

V. Ex Athanasio, ut personarum Trinitas unitatis non damnum, sed opulentia & ubertas sit.

VI. Ex eodem Deitas, unitas, & Monarchia est, nec illi sua sapientia, aut charitas obest, quo minus unitas & Monarchia sit. Exemplo arboris res illustratur. Pater ut ipsa unitas, reliquas personas sibi religat.

VII. Ex Epiphanio unitas Deitatis Pater est, cujus una simplicissima Deitas in Filium & Spiritum sanctum effunditur.

VIII. Ex Nazianzeno, in tribus Personis unus nobis est Deus, quia illarum Deitas unitas ipsissima est, & unitas ipsamet Patris in Filium & Spiritum sanctum effunditur.

IX. Synesii Cyrenes Episcopi Hymni Platonico dogmati accommodati, nec à Christiano dissonantes.

X. Isidorus Pelusiota.

XI. Cyrillus Alexandrinus ait Patrem ipsam unitatem esse, etsi opulentiam suam, sapientiam & bonitatem suam suo sinu gerat.

XII. Hilario unus est Deus, quia unus innascibilis Pater, ideoque unum Principium, ad quod Filius, & ex Filio orta deinceps omnia referuntur.

XIII. Ex Ambrosio, unitati pugnat Trinitas numerus, non pugnat Trinitas personarum, quæ super numerum, super essentiam sunt.

XIV. Marius Victorinus.

XV. Ruffinus Aquilejensis, Deus unus universitate omnium, unum omnia est. Ita multiplicari non potest.

XVI. Idem luculentissimè Bernardus.

I. QUod hoc capite molimur, non minima jam id ex parte profligatum est capite superiori. Eluxit enim jam ex Augustino, ex Eulogio, ex Dionysio, ex nonnullis denique aliis, Paternæ maximè personæ proprietatem spectasse tum Philosophos, tum Patres antiquos, quando ipsum Unum tanto conatu enixi sunt in primi Principii dignitate collocare; ab eoque fluere sanxerunt ipsum ens primamque mentem, quibus nominibus Filii jam & Verbi persona designabatur. Sed quoniam permagni res ista momenti est, ad elucidanda complura sanctorum Patrum testimonia, & ad fidem Deificæ Trinitatis tum confirmandam, tum illuminandam, tum denique cum unitate naturæ conciliandam; non gravabimur de eodem argumento rursus ordiri sermonem.

II. Marius Victorinus Afer libro primo adversùs Arium, hanc strenuè prosecutus est differentiam proprietatis Patris & Filii, quòd Pater sit beata quies, & silentium; Filius autem jam vita sit, & motio, & operatio: *Præcausa est Pater; unde Filius distabit hoc quod movet & operatur in manifestationem, propter magna nobis incognoscibiliter operante Patre. Supra enim beatitudinem est Pater, & idcirco ipsum requiescere. Operari enim etiamsi in perfectionem operatur, in molestia motus ista beatitudo est, &c. Pater inoperans operatio, Filius operans operatio, &c. Pater causa est Filio ut sit, &c. Ad hoc autem major, quò actio inactuosa. Beatior enim quò sine molestia, & impassibilis, & fons omnium quæ sunt, requiescens, à se perfecta, nullius egens. Filius autem ut esset accepit, & in id quod est agere, ab actione procedens, in perfectionem veniens, motu efficitur plenitudo, &c. Pater non silens silentium, sed vox in silentio; Filius jam vox; Paracletus vox vocis, &c. Spiritus à Christo accipit, ipse à Patre; & idcirco & Spiritus à Patre. Omnia igitur unum, sed à Patre.* Bibl. Patr. To. 4. pag. 84 188.
Et infra: *Quoniam Deus in occulto; Potentia enim: λόγος autem in manifesto; Actio enim. Quæ actio habens omnia quæ sunt in potentia, vita & cognoscentia, secundum motum producit & manifestat omnia.* Etsi ipsius Unius voce abstineat Marius, silentii tamen & quietis nomine hoc ipsum significat. Vitam, motum, intelligentiam Filio quoque magis accommodat. Denique ut tria suppositia unus Deus sint, & ipsum unum sint, sic rursus ille: *Esse, vivere, intelligere, ita tria in singulis quibusque, & ideo una Divinitas, & unum; quod omne unus Deus, quia unum Pater, Filius, sanctus Spiritus; secundum potentiam & actionem solum apparente alteritate. Quod Deus in potentia & in occulto motu movet & imperat omnia, ut in silentio. λόγος autem Filius & Spiritus sanctus confabulantur voce ad gerenda omnia secundum vitam & intelligentiam.* Ibid. pag. 192. 216.
Et infrà de ipso uno; *Unum, nec numero unum, sed ante numerum Unum, hoc est ante unum quod est in numero.* Abundè hæc sunt, ut ex his gustum capiat Lector hujus perantiqui Scriptoris Ecclesiastici doctrinæ, ejusque miræ convenientiæ cum iis quæ superiori capite disputata sunt de ipso Uno, ejusque prole Mente prima; quæ quasi vox seu Verbum erumpit ex illo Silentio, prosilit ex illa beatissima quiete paterni sinus, ad rerum omnium creatarum efficientiam. Ibid. l. 3. pag. 216.

III. Clemens Alexandrinus ad principem Deitatis unitatem respexisse videri potest, cùm ita Gentes cohortaretur ad ejus fidem, religionem legemque charitatis & unitatis amplectendam. *Ut in unam multi cogamur dilectionem, per monadicæ essentiæ unionem; convenienter prosequamur unionem, bonam exquirentes unitatem.* τὴν ἀγαθὴν ἐκζητοῦντες μονάδα. Admonit. ad Gentes.
Hanc ergo bonam unitatem suspicor non aliud esse quàm ipsum unum, de quo suprà, & ipsum bonum, de quo infrà verba faciemus: quibus duobus maximè nominibus, tum universim natura divina, tum peculiariter Persona Patris designabatur. Idem Clemens alibi advertit ex ipsis Christi verbis, unum dici Patrem cum Filio; *Unum quidem ipsum dicit, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.* Pædag. l. 1. c. 8.
Mox subjicit Deum & ipsum Unum esse, & supra Unum: *Unum autem est Deus, & supra Unum, & supra ipsam unitatem.* Verùm hæc ad Deum & ad Pa- Strom. l. 4. pa. 5. 391.

trem

trem maximè pertinere, à quo velut ipso & summo uno profunditur Verbum, quod omnia est, omniaque ex sese effundit, etsi nec ipse à paterna desciscat unitate, ideoque unum omnia sit. Est quippe unum omnia Pater in silentio & quiete collectus sua; est unum omnia Filius, ut vita, ut idearum regio, ut fons & causa in omnes creatas naturas se effundens. Vide an bellè satis expresserit Clemens has Patris Filiique personales proprietates, vel si mavis, appropriationes. Usu enim mollienda sunt hæc verba, quæ recentior schola consecravit. *Mens locus est idearum. Mens verò est Deus.* Hæc de Verbo. Mox de Patre Deo & Verbo: *Atque Deus quidem cùm demonstrari nequeat, non efficit scientiam. Filius autem est & sapientia, & scientia, & veritas.* Nimirum ipsum unum cùm sit supra ens & supra mentem, est etiam supra omnem scientiam & intelligentiam. At Filius cùm sit Verbum, & mens, & ens, & idearum regio, utique & sciri & intelligi potest. Ita nonnisi per Filium videtur & intelligitur Pater; sed & in Patre æquè incomprehensibilis est Filius, ut infrà declarabitur. Et mox: *Sanè non gignitur simpliciter unum, ut unum; neque multa, ut partes Filius. Sed ut omnia unum. Unde etiam omnia.* Ut reflectitur autem ipse, ita secum omnia ad Patrem, ad unum revocat tandem Filius: *Est enim idem circulus omnium potestatum, quæ in unum circumvolvuntur & uniuntur.*

IV. Etsi totam Deitatem complectatur Dionysius in exordio ipso encomii luculentissimi divinæ Pacis: ea tamen dicit, quæ Personæ Patris singulariùs aptari vel appropriari posse nemo non videt; etsi suo modo etiam cæteris hæc divinis personis communicentur. *De ipsa igitur divina pace, ac silentio, quam sanctus Justus vocat insonantiam & immobilitatem ad omnem emanationem, quæ cognoscitur: Quidnam tandem sit, & quomodo in se & intra se sit, & totus secum supraquam unitus, & nec in se ingrediens, & se ipse multiplicans deserat unionem; quin potius ad omnia egreditur, totus intus manens propter excellentiam unionis, neque dicere, neque cogitare possibile est.* [ἀφθεγξία. ἀκινησία. De div. l. 11. c. 1.]

V. Quòd verò unitatis summæ & primæ, non interemptio, non divisio, non imminutio, sed plenitudo, & magnitudo, & opulentia sit divinarum Personarum Trinitas, ita luculentè Athanasius concludit, ex eo quòd Verbum & Filius sit aliquid Patris, nempe sapientia, & Verbum & splendor. Non sua autem cuiquam obest sapientia, & mens, & lux, quin unus & unissimus sit. Id solum interest Deo & creaturæ discriminis, quòd creatæ naturæ sapientia adventitia & accidentaria sit; at Patri Deo sapientia sua & substantia sua est, & persona. Nec est quòd invideat quisquam Deo, aut obtrectet, si hæc illi præ naturis creatis laus propria vendicetur, ut sapientia ejus unum cum eo sit, quod & creatis naturis usuvenit; & substantia personaque sit, quod omni creatæ naturæ meritò inconcessum est. *Cum igitur solus Pater dicitur Deus, Ego sum & præter me non est Deus: unus enim solus Deus & solus est; non ea ad demolitionem Filii referuntur, absit. Est enim ille ipse in uno primo & solo, ut unius solius & primi unicum Verbum, sapientia & splendor. Est autem ipse & primus, & plenitudo primæ & unicæ Deitatis.* Et paulò suprà: *Propria substantia Patris,* τὸ ἴδιον τῆς πατρὸς ὐσίας, *Filius est, &c. Existit Pater in Filio, & Patris in Filio proprietas & divinitas ostendit existere Filium in Patre.* Et flores fructusque arborum arbores ipsimet sunt quædam, etsi quà arboris sunt, eique insiti sunt, jam unam cum ea arborem constituant, cujus ubertas unitati haud inimica id postulat, ut fructibus floribusque suis exornetur. [Orat. 4. cont. Arian.]

VI. Eodem redit quod idem Athanasius alibi docet, unum esse Deum, unum Principium, unum Patrem, atque ita unam Monarchiam; jam verò illi unitati non obstrepere Filium, qui Patris & Principii primi Sapientia, Ratio & Verbum gignitur, tanquam aliquid Patris. *Poterit autem & ad istum modum dici unum esse Principium Deitatis, non duo. Unde propriè etiam Monarchia est. Ex ipso deinde Principio per naturam existit Filius, qui est Verbum; non quasi alterum Principium seorsim subsistens, neque aliunde genitus, ne hac alteritate dualitas & Polyarchia oriatur; sed unius Principii suus propriusque Filius, propria sapientia, proprium Verbum, ex ipso Principio ortum habens.* In unam arborem coalescunt cum arbore principe plures rami, qui & ipsi arbores sunt totidem; & si seorsim consisterent, nec inserti matrici hærerent, plures haud dubio & peculiares essent arbores, non una arbor. An ergo invidia est, si Verbum ac Sapientia Patris, si Spiritus & Charitas Patris & Filii, & Deus quisque horum similiter est, & in unum cum primo & communi Principio Deum consurgat? An ea esse poterit ubertas & opulentia arboris principantis, non aliquantò mirificentior esse poterit & plenitudo & unitas primi omnium Principii? Conducent saltem hæc exempla rei explanandæ, sin minùs firmandæ. Certè princeps hæc arbor non eo minùs una est, quòd pluribus ex arboribus quodammodo concrescat: non minùs, inquam, una est, sed ditior & opulentior est. Aliqua hinc certè lux affundetur his alibi Athanasii verbis, quibus in eos stomachatur, qui Monarchiam Deitatis tripartitam faciebant, tresque seorsim Deos statuebant ex totidem hypostasibus divinis. *Monarchiam in ternas potentias, ternasque substantias, & ternas deitates carpunt, &c. Isti tres Deos quodammodo constituunt; dum in tres hypostases alienigenas & inter se omnino segregatas sanctam unitatem dispartiuntur. Uniri enim necessum est omnium Deo Dei Verbum, & in eodem hærere versarique Spiritum sanctum. Quin & sanctam Trinitatem ad unum velut ad verticem quendam, Deum rerum omnium omnipotentem dominatorem dico, consummari, & quasi coalescere necesse est.* ἤδη καὶ τὴν θείαν τριάδα εἰς ἕνα ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα, τὸν θεὸν τῶν ὅλων τὸν παντοκράτορα λέγω, συγκεφαλαιοῦσθαί τε καὶ συνάγεσθαι πᾶσα ἀνάγκη. Vides ut unitatem Deitatis in Trinitate constringat religetque ad Patrem, ceu ad principium verticemque totius divinitatis. [Orat. 4. cont. Arian.] [Decre Sym. Nicæn. con. Arian.]

VII. Epiphanius Pauli Samosateni impietatem capitalem hanc fuisse testatur, quòd Deitatem Filio & Spiritui sancto abrogaret, eamque soli vendicaret Patri; quem celebrare tantùm debuerat unum Deitatis totius fontem, non absolutè solum Deum, Filio & Spiritu sancto abjudicatis. *Iste verò non unum idcirco Deum esse confitetur, quod velut fons quidam sit Pater; sed unum absolutè facit Deum, ac quantum in ipso est, Filii & Spiritus sancti divinitatem ac substantiam evertit.* Ergo Catholico dogmati convenienter dici poterat, ideo unum esse Deum, quòd unus sit Deitatis fons Pater. Etsi enim in duas alias effundatur hypostases divinitas; una est tamen divinitas Patris, quæ in Filium, quæ in Spiritum sanctum effunditur, non aliter quàm una est aqua fontis & fluminis, quo tota fontis plenitudo continetur. Et idem alibi de Catholicis Orientalibus differens: *Eos anathemate damnant, qui tres Deos asserunt. Neque verò Patrem & Filium duos Deos esse dicunt. Hoc enim fatentur, unam esse Divinitatem, quæ per Filium in Spiritu sancto contineat universa, unam inquam divinitatem, unum regnum, unum imperium esse confitentur;* μίαν θεότητα, μίαν βασιλείαν μίαν ἀρχήν: *& nihilominus personas in hypostaseon suarum proprietatibus piè discernunt; Patrem videlicet in Paterna majestate subsistentem;* ἐν πατρικῇ αὐθεντίᾳ. *&c.* Denique idem Epihanius in Expositione fidei Catholicæ hæc habet etiam apertiora in hanc sententiam: *Confitetur Ecclesia Trinitatem, quæ ad singularem unitatem, unicumque Dei ac Patris principium referatur.* Εἰς μίαν ἑνότητα, καὶ μίαν ἀρχὴν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἀναγομένην. [Hæresi. 65. n. 2.] [Hæresi. 73. n. 7.] [Num. 4.]

VIII. Mo-

VIII. Monet & Nazianzenus Monarchiæ divinæ fidem mordicus tenendam, non tamen ita, ut solus Pater Deus credatur; nec si Filio Spiritique sancto eandem communem dicamus Deitatem, verendum esse ne trium cultores Deorum dicamur. [Orat. 23.] *Cave ne Monarchiam malo honore complectaris, divinitatem contrahens, aut circumcidens. Nec verò Tritheitæ crimen tibi pudorem moveat.* Ita prohibet Monarchia Patris, hoc est Principatus ipsius unius, ne plures Dii sint, aut dicantur, quia una Deitas est Patris, aut ipsissima Dei Patris unitas quæ in Filium & Spiritum sanctum, ceu à fonte suo effluit, & in eundem fontem refluit; & hæc est unitatis opulentia & plenitudo, quam veram Deitatem, quam Monarchiam prædicamus. Alibi rursus eam quoque causam esse asserit, ut trium una sit Divinitas, una Monarchia, eorum quæ ab uno sunt ad idem unum convergentia & propensione. [Orat. 35.] *Ad unum eorum, quæ ab ipso sunt, propensione.* ϗ πρὸς τὸ ἓν τῶν ἐξ αὐτοῦ συνεύσεις. Si minùs autem ibidem probatur Nazianzeno illa Ethnici Philosophi sententia, qui Verbi generationem esse dixerat *Bonitatis superfusionem*, & hac comparatione mentem suam aperuerat, *Velut poculum quoddam superfluxit*: id eo factum existima, quod non plenitudinem ipsam, sed effluvium tantùm quoddam de paternæ Deitatis veluti redundantia, Philosophus ille Verbo communicaverat. Quod & ex illa poculi comparatione perspicuum est. Et rursus alibi hanc ipsam elidens Arianorum & Macedonianorum machinam, tam crebrò Catholicis intentatam, Qui Tritheitæ non simus, & Polyarchiam Monarchiæ substituamus: constanter respondet, eo unum nobis esse Deum, quod Deitas nobis una, unissima, & ipsa unitas sit; atque illi qui ab uno sunt, ad unum referantur. [Orat. 37.] *Nobis Deus unus est, quoniam una Deitas, atque ad unum ea quæ ex eo sunt, referuntur.* ὅτι μία θεότης, ϗ πρὸς ἓν τὰ ἐξ αὐτοῦ τὴν ἀναφορὰν ἔχει. Nec minùs luculentè alibi, singulam quamque ex tribus personam Deum esse confitetur, ut quæ totius Deitatis compos sit; & rursus tres simul personas unum Deum esse, proper unius principatum. [Orat. 40.] *Trium infinitorum infinitam conjunctionem, Deum unumquemque, si separatim consideretur; Deum rursus tria hæc, si simul cogitentur; illud propter eandem essentiam, hoc propter Monarchiam.* Ubi unus trium cogitatur, sic plenitudine majestatis totam implet mentem, ut totum videatur esse. Si tria simul cogitentur, uno splendore, unaque majestate fulgent.

IX. Synesius Cyrenes Episcopus perfudit & ipse odore aliquo antiquioris illius Philosophiæ, ad Christianæ Catholicæque veritatis limam castigatæ, lucubrationes suas. Sic enim ille hymno 2. cœlestes orbes agitari ait circa mentem primam, ultra quam beatum silentium conquiescit, unus omnium fons, cæteras Deitatis personas effundens; sinuque suo gestans; ipse quidem inaccessa profunditas, at luminis Verbique genitor, quo explicetur. [Μάκαιρα σιγὰ, βύθος πατρῷος] *Orbis stellarum expers, sub suo sinu agitans orbes contrario cursu currentes, magnam circa mentem movetur, quæ cœlestis oras mundi canis obtexit alis. Ulteriora beatum silentium, intelligentium & intellectilium individuam divisionem tegit; unus fons, una radix, ter splendens elucet forma. Ubi enim profunditas Patris, ibi etiam illustris Filius, sapientia mundi opifex.* Et hymno tertio alternis Patrem Filiumque compellans, hæc primùm Patri canit: *Quid enim non tuum, ò Rex, Patrum omnium Pater, Pater tui ipsius, Ante-Pater, sine Patre, Filii tui ipsius, unitas unitate prior?* Et statim Filio: *Entium semen, omnium centrum, æterna expers substantiæ mens, mundi radix, rerum ab initio creatarum lux undique collucens, veritas sapiens.* Et rursus Patri: *Fons fontium, Principiorum principium, Radicum radix, unitas es unitatum: Unum & omnia, unum autem omnium, & unum ante omnia, semen omnium.* Et manifestiùs adhuc hymno quarto. *Unitas ò unitatum, Pater ò Patrum, Principiorum Principium, Fontium fons, Radicum radix, Bonorum semen, Siderum sidus, Mundorum munde, Idearum idea, Immensa pulchritudo, Abstrusum semen, Pater sæculorum, &c. Cano etiam prolem, Primigeniam & primilucam, Fili clarissime Patris ineffabilis.*

X. Isidorus Pelusiota non pauca ex Philone decerpsit, quæ nostræ de beatissima Trinitate sententiæ penè concinant. Illud in primis, quod Deo id esse proprium dicat, ut res dividuas unitate, res individuas ubertate & copia antecellat. *Ut & ea quæ omnino divisioni subjiciuntur, unitate ac singularitate superet; & ea quæ verè singularia sunt, copia vincat.* [L. 2. Ep. 143.]

XI. Cyrillus Alexandrinus eo astruit duos non esse Deos Patrem & Filium, quòd Pater nisi Filium sinu suo gestans, ut aliquid sui, ut lumen, ut Verbum suum, cogitari aut dici non possit: cùm & unus homo dicatur, cum illis omnibus quæ substantialiter illi insunt. *Licèt unum aliquis Deum dicat, non tamen sine proprio genimine Patrem usquam intelliget, &c. Quemadmodum enim qui dicit hominem, usquequaque meminit eorum, quæ substantialiter illi insunt, &c. Qui Filium negat, detrahit lumini suum splendorem, & mentem decernit Verbo destitutam. Et valde quidem exilia sunt, quæ proponuntur exempla; veruntamen ejusmodi sunt, quæ mentem ad ea, quæ rationem nostram superant, evehere possint.* [L. 8. contra Julian.] Ut ergo mens una est, etsi Verbo suo fœta; ut lumen unum est, etsi splendore suo radians; ut homo quilibet unus est, etsi multa sibi substantialiter adglutinata habeat: ita, imo longè præcellentissimè unus & unum ipsum est Deus Pater, licèt suo in sinu gerat Verbum suum, lucem & sapientiam suam; Spiritum sanctum, ut charitatem & suavitatem suam: sapientia enim & charitas Dei, tametsi hypostasi propria gaudeant, Dei tamen Patris sunt propria substantia.

XII. Pergamus nunc ad Latinos, & ante cæteros ad Hilarium, qui eo unum esse Deum argumentatur, quod unus innascibilis Pater sit, in eoque natus ab eo coæqualis Filius insideat. Si verò innascibiles duo essent, non posset una coalescere divinitas, quia duo essent prima Principia, nec alterum ad alterum referretur, nec ad Monarchiam omnia conspirarent. [L. de Syod.] *Filium innascibilem confiteri, impiissimum est. Jam enim non erit Deus unus: quia Deum unum prædicari natura unius innascibilis Dei exigit. Cùm ergo unus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt; cùm idcirco Deus unus sit, cùm Pater Deus sit, & Filius Dei Deus sit, quia innascibilitas sola penes unum sit, &c. Caput enim omnium Filius est, sed caput Filii Deus est. Et ad unum Deum omnia hoc gradu, atque hac confessione referuntur: cùm ab eo sumant universa principium, cui ipse Principium sit.* Principium ergo Filii est innascibilis Pater, jam cæterorum omnium Principium Filius est; ita omnia ad innascibile Principium referuntur, & unus Deus est. Unde infrà: *Non innascibiles duos, quia authoritate innascibilitatis Deus unus est.*

XIII. Non latuit Ambrosium, quod cæteri passim Patres adverterunt, Trinitatem non dici in Deo velut numerum, cùm author numeri, non numerorum legi devinctus Deus sit. Unitati enim pugnat ternarius numerus, non pugnat Trinitas personarum unius consortium essentiæ, quæ unitas ipsissima est. [In Gen. Fnarr. 1. ad Horont. Epist. 39.] *Venerabilis Trinitas sine tempore, sine ordine, auctor numeri, non sub numeri lege devincta.* Et alibi: [L. 1. de fide. c. 2.] *Unitas potestatis excludit numerum quantitatis, quia unitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est.* Et rursum alibi: [L. 3. de Spir. sanct. c. 15.] *Quomodo pluralitatem recipit unitas divinitatis, cum pluralitas numeri sit, numerum autem non recipiat divina natura?*

XIV. Ma-

XIV. Marius Victorinus Afer Platonicorum decreta passim promit, revocatque utcumque potest ad incudem Christianæ Theologiæ. Sic ergo ille primùm de Patre Deo, pòst de Filio: *Hic est Deus supra noun, supra veritatem, omnipotens potentia, & idcirco non forma. Nous autem & Veritas forma; sed non ut inhærens alteri: inseparabilis forma, sed ut inseparabiliter adnexa ad declarationem potentiæ Dei Patris; eadem substantia, vel imago, vel forma. Illud igitur primum, quod esse diximus, quod Deus est, & silentium dictum, & quies atque cessatio. Quod si ita est, potentiæ progressio actus extitit. Is actus, si silentium & ens est, Verbum dicitur: si cessatio, motus: si essentia, vita.* [margin: ...ʳ. mens.]

XV. Ruffinus Aquilejensis Presbyter non ineleganter adnotavit in Expositione ad Symbolum Apostolorum; unum bifariam dici. Plerumque enim egestatis index ea vox est, cum reliqua abscindit omnia, unumque sejunctim quodlibet statuit, quantulum ipsum est. Quandoque tamen universalitatis & infinitæ cujusdam opulentiæ ea vox est, ut cum unus Sol dicitur, qui omnes lucis divitias; unus Orbis, qui universitatem naturarum complectitur. Postremo hoc sensu unus dicitur Deus, tanquam unum omnia, unum universitate entium omnium fætum, unum & Orbis universus intelligibilis, & inintelligibilis. Si enim Dei opificium universitas omnium rerum est, eoque magnificentissimo sensu unum est, nec in plures scindi potest, quia totum & universum ipsum est: quid opifex ipse? Quantò magis & ipse universitas ineffabiliter locupletior erit, quàm corporea hæc universitas? Nec duo erunt Dii, aut tres, etsi duæ sint tresve divinæ hypostases, quia duplicari aut triplicari non potest universitas. Quomodo enim vel fingendo dici poterit, id quod unum omnia est, in duo vel tria scindi, quorum singula sejunctim sint unum omnia? Si unum omnia enim est, unitate & universitate sua omnia jam complectitur simplicissimè. *Quod autem diximus, Orientis Ecclesias tradere unum Deum omnipotentem, & unum Dominum, hoc modo intelligendum est, unum non numero dici, sed universitate. Verbi gratia, Si quis dicit, unum hominem, aut unum equum, hic unum pro numero posuit. Potest enim & alius homo esse, & tertius, vel equus. Ubi autem secundus vel tertius non potest jungi; unus si dicatur, non numeri, sed universitatis est nomen. Et si exempli causa dicamus unum Solem, hic unus ita dicitur, ut alius vel tertius addi non possit. Unus est enim Sol. Multò magis ergo Deus cum unus dicitur, unus non numeri, sed universitatis vocabulo nuncupatur: id est, qui propterea unus dicatur, quod alius non sit.*

XVI. Paulò aliter rem istam enucleavit Bernardus, sed non paulò etiam plus luminis rei obscurissimæ affudit. Deus est quo majus cogitari nil valet, Totum summum, Totum maximum, Totum totum. Non scinditur ergo unitas trinitate Personarum, quia quælibet harum Totum summum, totum maximum, Totum totum est. Totum sunt singulæ Personæ, quod tres; nec ampliùs tres, quàm singulæ. Idque propter summam unitatem. Unitas enim etiam universitas & totum est. Ita se habet unum ipsum, simplicissimum illud quidem, sed & opulentissimum, & ita totum, ut quidlibet ejus totum sit. *Quidquid illud est, quod Deus sit, id sine dubio est, quo non possit aliquid majus cogitari. Si ergo in hac unica & summa majestate juxta considerationem Personarum, vel parum aliquid claudicare recipimus: dum quod uni plus datur, alteri minuitur, minus profectò est totum ab eo quo nihil majus valeat cogitari. Majus enim sine dubio est, quod totum maximum est, quam quod ex parte. Ille verò dignè pro sua possibilitate divinam æstimat magnificentiam, qui nihil in ea cogitat dispar, ubi totum est summum; nihil distans, ubi totum est unum; nihil hians, ubi totum est integrum; nihil denique imperfectum vel egens, ubi totum est totum. Totum nempe est Pater, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Totum Filius, quod ipse, & Pater, & Spiritus sanctus. Totum Spiritus sanctus, quod ipse, & Pater, & Filius. Et totum unum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis. Nec enim verum summumque bonum quod sunt, inter se particulariter dividunt, quoniam nec principaliter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt. Nam quod alter ex altero, vel alter ad alterum veraciter dicitur, Personarum sanè designatio est, non unitatis divisio. Licet namque in hac ineffabili & incomprehensibili Deitatis essentia alter & alter, id quidem requirentibus proprietatibus Personarum, sobriè catholicèque dicatur, non tamen ibi est alterum & alterum, sed simplex unum; ut nec præjudicium faciat unitati Trinitatis confessio; nec proprietatum sit exclusio, vera assertio unitatis.* [margin: Epist. 190.] Prolixa fateor hæc sunt, sed prorsus aurea, & Bernardo dignissima.

CAPUT V.

An verè existimaverint sancti Patres consubstantialem personarum divinarum unitatem agnovisse Philosophos Platonicos.

I. Quid Plato, Plotinus, Proclus de Trinitate divinarum hypostaseon senserint, summatim.
II. Plotini verba mirifica ab Eusebio relata.
III. Ex eodem Amelii testimonium.
IV. Numenii Pythagorici sententia ex eodem: imo Pytagoræ, Socratis, & Platonis.
V. Per Judeos humanationis, per Gentiles Philosophos Divinitatis Christi fides præstruebatur.
VI. Clemens Alexandrinus Platonem ipsum in nostrum dogma trahit.
VII. Cyrillus Alexandrinus Platonem cum Ario sensisse, aut ei prælusisse scripsit; sive verum dogma nescierit, seu potius cicutæ metu dissimularit.
VIII. Rursus Cyrillus ex Plotino aliqua, quæ consubstantialitati faveant. Ex quo Philosophorum istorum claret inconstantia.
IX. Theodoreti sententia.
X. Et Tertulliani.
XI. Claudianus Mamertus in admirationem Platonis ultra modum effusus.
XII. Augustinus Patris & Filii consubstantialitatem in libris Platonicorum se legisse apertissimè declarat.
XIII. Multa magni momenti observantur circa hanc Augustini de Platonicis doctrinam, & ejus cum aliis Patribus conciliationem.

I. Hic unus superest eximendus scrupulus, an verè prisci illi Philosophi, qui tam præclare de ipso Uno Verbi Parente, & de Verbo ipso philosophati sunt, hisque tertium addiderunt Principium animam mundi, horum trium unitati germanæ, hoc est consubstantialitati, & in unum simplicissimum Deum coalitioni suffragati sint; & an illis hanc laudem sancti Ecclesiæ Patres adscribi patiantur. Ex Platone & Plotino non pauca superiùs adscripsimus, ex quibus quæ fuerit eorum mens, æstimari possit. Proclus sanè Platoni hanc vendicat sententiam, ut uni ipsi duo alia subjunxerit principia, ex quibus tribus exurgeret veneranda Trinitas. *Oportet sumere ex Philebo quidem, de uno bono, & de duobus principiis primis, & Trinitatis ex istis exortæ scientiam. Invenies enim hæc omnia distinctè nobis à Platone tradita, &c. In Gorgia verò docet Homerum in suis scriptis authorem fuisse Demiurgicorum Triadicæ hypostaseos.* [margin: Thol. Plat. L. 1. c. 5.]

seos. Sed & ipse Proclus aliquantò manifestiùs ex ipso bono, ex incommutabili sapientia, & ex ipso Pulchro Trinitatem conflat hypostaseon, ex quibus unitas Deitatis existit. Tempero calamum, ne verba hìc ejus adscribam, tum quod adulta jam Christi Ecclesia & per orbem dominante scripserit, & ad ejus lucem sua placita adornare potuerit, tum etiam quia hìc strictim rem istam attingimus tantùm, nec tam inquirimus, quid Philosophi illi de opulentia summæ unitatis senserint, quàm quid sancti Patres existimaverint eos sensisse. Ibid. c. 13. 14. 15.

II. Eusebius Cæsariensis Episcopus ea ex Plotino profert, ex quibus consubstantialitas sanè exculpi possit Patris & Verbi, si molli pollice, nec amante contentionis animo ea tractentur. Hæc ergo apud eum Plotinus: *Omnia ubi maturitatem perfectionemque suam assequuta sunt, aliud generare solent. Proinde quod perfectum semper est, idem semper ac sempiternum aliquid generat, & ejusmodi aliquid quod seipso minus sit. Ecquid igitur de perfectissimo statuere nos oportet? Ab eo nihil, aut maxima secundum ipsum omnia proficisci. Atqui res post ipsum maxima, eademque secunda, mens est. Ipsum enim mens intuetur, eoque uno indiget; ipse autem mente nihil prorsus. Et sanè si quid ab eo, qui mente melior superiorque sit, generatur, id mentem esse necesse est; ea vero rerum optima cæterarum est, quod eam cætera omnes consequantur*. Magnificentissima hæc prorsus sunt, sed tamen ab elimato consubstantialitatis dogmate aliena. Aliquanto meliora & veritati accommodatiora sunt, quæ ibidem idem Plotinus addit: *Porro quisquis generavit, quod generatum abs se est, studio simul & amore prosequitur; maximè vero si soli ambo genitor genitusque fuerint. Quod si genitus optimus sit, tum genitor cum eo ita necessariò est, ut hoc tantum quod alter ab eo sit, ab illo secernatur.* ὥστε ἑτερότητι μόνον κεχωρίσθαι. An hæc alteritas, quo solo Pater à Filio differre dicitur, æqualitati & substantivæ identitati inimica, an consentanea sit, aliorum esto judicium, Cyrilli de eo sententiam infra referemus. Rursus ibidem ex Plotino de tertia hypostasi: *Addit Principii Patrem esse, Principii nomine mentem intelligens. Platoni quoque artifex mens est; idem animam à mente in cratere illo procreari docet, &c. Ex bono mentem, ex mente animam existere agnoscit Plato*. Præpar. Ev. l. 11. c. 17.

III. Subjicit Eusebius & Amelii testimonium, quem ait inter sui temporis Platonicæ sectæ Philosophos claruisse. Subscribit Amelius exordio Evangelii Joannis, tum circa divinitatem Verbi, tum circa ejus inhumanationem. Ex quo conjicere licet non abhorruisse hunc à Christiana fide, & invitatum ad id fuisse, stupenda ejus cum non paucis Platonicis dogmatibus consensione. *Atque hoc planè Verbum erat, per quod, sempiternum cum esset, existebant omnia quæ fiebant. Quod ipsum videlicet Barbarus etiam ille apud Deum in Principii gradu & dignitate constitutum, imo & Deum simul esse pronunciat; per quod facta simpliciter omnia sint; in quo quidquid factum est, & vivens, & vita, & aliquid pro sua quodque natura fuerit. Idem porro in corpora delabi tradit, & carne indutum humanam speciem præ se ferre.* Ibid. c. 19.

IV. Laudat alibi Eusebius Numenium Pytagoricum Philosophum, cujus ex contextu liquet, Pythagoram, Socratem & Platonem in id consensisse, ut tres Deitatis hypostases constituerent; ex quo factum sit, ut schola Socratis scinderetur, cum discipulorum ejus nonnulli resilirent ab hoc trium Deorum dogmate, quod tamen & à Pythagora antè, & deinceps à Platone confirmatum fuerit. *Cujus divortii causa hæc fuit, quòd cum Socrates Deos tres poneret, &c. Qui eum audiebant, cum minus id caperent, &c. At Plato ut inhærebat Pithagoræ, sic optimè noverat Socratem, nec aliunde quam ex Pithagoreo illo fonte hausta illa dicere solitum, & prudentem ac scientem ea loquutum fuisse.* Addit Platonem ipsum ne in hominum consimiles incurreret offensiones, obscuriùs locutum esse, ut sanè constat ex iis quæ ex ejus Epistolis superiùs prolata sunt, & non semel ab Eusebio ipso sunt allegata. L. 14. c. 5.

V. Sentio & ipse non paucis, nec injuria forsan visum iri, nos oleum operamque perdidisse, qui consubstantialitatis divinæ testimonia ab Eusebio, vel à productis ab eo testibus expectemus. Ita enim persuasum habent doctiores quique, nec Eusebium ipsum ex animo unquam consensisse catholico huic decreto. Pergendum ergo nobis est ad alios Ecclesiæ Patres, nec tamen sileri illud potest, suis ipsos testibus & testimoniis revinci nonnumquam homines; & utcumque non penitus & accuratissimè orthodoxum nostrum dogma tenuerint illi Philosophi, permirum tamen illud esse, & memoratu dignissimum, quòd tam propè ad illud accesserint tanto annorum & sæculorum intervallo, ante publicatam ab incarnato Verbo veritatem. Plura sanè tum Hebræi de Christi inhumanatione futura callebant, prædicabantque; at de ejusdem Christi divinitate, absit verbo invidia, plura per Philosophos istos Deus orbi propalare maturaverat: atque ita & deitati & humanitati Christi hinc per Philosophos, hinc per Hæbræos Prophetas fides præstruebatur.

VI. Clemens Alexandrinus manifestissimè non Platonicos ævo posteriores, sed Platonem ipsum ad orthodoxa nostra trahit decreta, prolatis ipsismet ejus verbis, & Trinitatis beatissimæ suffragatoribus accenset: *Taceo Platonem. Is apertè in epistola ad Erastum & Coriscum videtur nescio quomodo Patrem & Filium ostendere ex Scripturis Hebraicis, cum ita eos hortatur: Jurantes Deum ipsum rerum omnium causam, & ducis & causæ Patrem Dominum juretis, quem si rectè philosophati fueritis, intelligetis. Et ea quæ in Timæo est concio, Patrem vocat opificem, sic dicens; Dei Deorum, quorum ego sum Pater opifex operum. Quare quando etiam dicit, Circa omnium Regem sunt omnia, & illius causa omnia. Illum quoque omnium causam cum appellat, secundum autem circa secunda, & tertium circa tertia; non aliter ego intelligo, quàm sanctam significari Trinitatem. Nam tertium quidem esse sanctum Spiritum, Filium autem secundum, per quem facta sunt omnia ex voluntate Patris.* Stromatum L. 5. pag. 416.

VII. Absolutius aliquid pronuntiat Cyrillus Alexandrinus, nimirum Trinitatem hypostaseon divinarum prædicatam à Platone esse; sed eo sensu, quo Arius Ariique asseclæ catholicum hoc dogma adulterarunt. Sic ergo ille primùm ex Porphyrio Platonis promit sententiam: *Porphyrius Platonis opinionem exponens ait, Dei substantiam usque ad tres hypostases procedere; esse verò supremum Deum ipsum bonum; post ipsum esse & secundum opificem; tertium autem esse animam mundi. Ad animam enim usque divinitatem extendi. Ecce in his manifestè usque ad tres hypostases divinam substantiam procedere contendit. Unus quippe est universi Deus, extenditur vero tanquam ipsius notio in sanctam & consubstantialem Trinitatem, Patrem inquam & Filium & Spiritum sanctum, quem mundi Animam vocat Plato. Vivificat autem Spiritus, & procedit ex vivente Patre per Filium, & in eo vivimus, movemur, & sumus.* Belissimè hactenus omnia. At cùm mox Cyrillus ex eodem Porphyrio recitasset locum illum epistolæ Platonis, de omnium primùm Rege, & de secundo circa secunda, & de tertio circa tertia, id est, de mente prima intelligentias omnes, & de Anima mundi animas omnes administrante; tum verò ex his suspicatur non immeritò Cyrillus, Platonem Ario prælusisse, & de Personarum inter se divinarum æqualitate sequiùs sensisse. *Speculatus certè non usquequaque omnia, sed eodem modo, quo qui Arium sectatur,* Con. Julia. l. 1.

tur, dividit & supponit subjectas & subordinatas inter se substantias inducens, & putat tres Deos esse distinctè sanctam & consubstantialem Trinitatem. Quam tamen retractat mox ibidem Cyrillus censuram, cùm ait accusatores & cicutam Socratis reformidasse Platonem, atque ita dissimulasse & obvelasse sanum castumque dogma de trino & uno Deo, cujus non erat nescius. *Neque verò omnino veritatis ignarus fuit. Quin potius existimo eum & sensurum & locuturum fuisse rectè, editurum quoque in vulgus, palamque facturum veras de Deo opiniones, nisi fortè Anyti & Meliti accusationes timuisset, atque Socratis cicutam*.

VIII. Divino lumine collustratos fuisse, dum hæc scriberent, Philosophos, nec enim aliter potuisse, & Christianorum suffragari doctrinæ, constanter alibi affirmat idem Cyrillus, à quibus hoc uno desciscant, quòd consubstantialitati divinæ, quam agnoscunt, Triadis, sint infesti. *Nam quomodo res tam subtiles, tamque abstrusas agnoscerent, nisi Filius illis revelaverit? Veruntamen cùm tres primigenias hypostases ipsi quoque statuant, & usque ad tres hypostases essentiam Dei pertinere asserant, atque ipsum Triadis usurpent vocabulum, Christianorum suffragantur sententiis; nec ad eam rem quidquam eis deesset, si consubstantialis vocabulum accommodare vellent tribus hypostasibus, ut etiam una intelligeretur natura divinitatis, triplicitate illa carens, qua naturalis inducitur diversitas, & hypostases aliæ aliis inferiores apparent*. Ibid. l. 8. pag 270.

His subtexit Cyrillus contextus aliquot Platonis & Numenii, quibus evincit eos omnium Philosophorum proximè ad nostra dogmata accessisse, cùm tres primarias & divinas hypostases constituerunt: nec tamen usq uequaque veri orbitam indeflexam tenuisse; propterea quòd à suis ipsorum aliquando placitis inconstantia nescio qua desciverunt. *Sui ipse repugnans sententiis*, nimirum Numenius. Accedit deinde Cyrillus ad Plotinum, quem ait, *subtilitatis vim omnem consecutum esse*. Non temerè autem Cyrillus hoc ornavit encomio Plotinum. Mox enim ex eo subjicit contextum illum superiùs relatum, ubi Unum & Mentem, Genitorem & Genitum sola *alteritate* differre docet. Hanc alteritatem Cyrillus existimat clementer exponi posse, ut non aliam Personarum invehat distinctionem, quàm quæ unitati substantiæ, identitati deitatis, & consubstantialitati Personarum non pugnet. *Audis quo pacto Genitum cum Genitore simul esse debere ait, fortè quod indiscretum sit, aut natura proximum, nec quidquam interjectum, sed sola alteritate sejungatur; non autem cum illa naturali; sed quod genuit, ab eo quod gignitur, una re quodammodo differat, videlicet quod ille quidem genuit, hoc genitum sit*. Suspensis quasi vestigiis in re tam salebrosa incedit Cyrillus; & ut humaniùs interpretari possimus Plotinum, Christianoque dogmati conciliare, contentus judicium suum insinuasse Lectoribus, vim non adhibet, ut hac utantur indulgentia. Et ea forsan optima ratio est in re ancipiti temperandæ sententiæ, ut dicamus, in horum scriptionibus Philosophorum non pauca aspergi, ex quibus æqualitas & consubstantialitas divinarum Personarum stabiliri possit, quæ verissima est divinæ naturæ unitas. Sed constantes illos non fuisse in ea sententia, & multò plura effudisse, quibus inæqualitas inferatur in tres divinas hypostases, & divinæ in Trinitate unitatis fides perimatur.

IX. Theodoretus sermone secundo de curandis Græcorum affectionibus, congerit eadem penè omnia, quæ ex Platone, ex Numenio, ex Plotino, & Amelio suprà attulimus; hæc illos mendicasse contendit, vel à Mosaicis litteris, vel ab Ecclesiæ Christianæ effusis jam per orbem luminibus; & ideo minùs mirum esse, si Trinitati divinarum unius Deitatis personarum suffragentur. Hujus verò furti testem adducit Theodoretus Numenium Philosophum Pythagoricum, qui non aliud Platonem, quàm Mosen Atticum esse dictitabat. *Quid enim aliud est Plato, quàm Atticus quidam Moyses?* An æqualitati divinarum hypostaseon suffragati sint hi Philosophi, non expressit Theodoretus, nec ex ejus verbis quidquam certi elici posse existimo. Quod enim veteris instrumenti Scripturas ex parte pervolutaverit Plato, facilè adducor ut credam. At quod non altiùs tantùm in earum arcana subierit, quàm plerique Hebræorum; sed etiam inter plures hypostases unitatem & æqualitatem substantiæ ibi pervíderit, quod tam multi ex Christianis, videlicet Ariani, videre non potuerunt, id verò est in quod non ita facilè assentiar.

X. Ex Latinis universim quidem Tertullianus Platonem notavit, ut omnium hæreticorum patronum: *Doleo bona fide Platonem hæreticorum omnium condimentarium esse factum*. Verùm ut à veri tramite deviavit non semel Plato, ita & errores ei affingere potuerunt quandoque, qui nomine & authoritate ejus sua munire commenta cupiebant. Denique non exprimit Tertullianus, an in hoc quod versamus nunc argumento, & erraric, & erroris sui sequaces hæreticos habuerit. L. de Anim. c. 23.

XI. Ex adverso autem Claudianus Mamertus vix ac ne vix quidem purgari satis potest, quin in Platonis laudes & admirationem plus nimio se effuderit, circa hanc ipsam quæ hic tractatur quæstionem, de substantiva Trinæ Deitatis unitate. Non pigebit verba ejus adscribere, quòd etsi modum non teneant, pulcherrima sint tamen, & ad modum facilè revocari queant. *Quo fit ut mirari admodum dignè nequeam hujus Platonis animum, qui tantis equidem sæculis ante puerperium Virginis, ante prædicatam summæ Trinitatis in Gentibus unitatem ineffabilem, unum tres in divinitate personas, laudabili ausu, mirabili ingenio, non imitabili eloquio quæsivit, invenit, prodidit; Patrem Deum, Paternamque mentem, artem, sive consilium; necnon & utriusque horum amorem mutuum Unam summam, æviternam, indivisam divinitatem, non solum ita credi oportere docuit, sed ita esse convicit*. Est omnino, quod miremur, quod stupeamus, potuisse Pythagoræ & Platoni tot ante virgineum puerperium sæculis tantum inaccessi & incomprehensibilis luminis affulgescere, etsi & in aliqua ejus parte, videlicet in personarum trium perfecta æqualitate nonnihil à vero aberraverint.

XII. Tutiùs veriùsque Augustinus incerta fluctuasse demonstrat Platonicorum placita de Trinitate divinæ unitatis. Porphyrium enim Deo Patri, Deoque Filio, seu menti Paternæ, medium interposuisse tertium Principium, de quo parum apertè loquitur; cum ex adverso Plotinus tertium Principium animam esse dicat, illudque secundo Principio, seu menti postponat. Spiritum sanctum adumbrare voluit Porphyrius, quem Ecclesia prædicat Patris, Filiique Spiritum esse. Ita à Platone & Plotino deflexit, qui & postposuere, & minorem sanxere animam, tum ipso uno, seu Patre, tum ipsa mente, seu Filio. Civit. l. 10. c. 23.

Vehementiora sunt in laudem Platonicæ in hac parte doctrinæ, quæ habet idem Augustinus in Confessionibus. Deitatem enim Verbi & accuratam ejus cum Patre æqualitatem disertis verbis affirmat legisse se in libris Platonicorum: *Procurasti mihi quosdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinam versos. Et ibi legi non his quidem verbis, sed hoc idem omnino multis & multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in eo vita est, & vita erat lux hominum, &c. Sed quia Verbum caro factum est, ibi non legi*. Deitatem Verbi perspicuè affir- L. 7. c. 9.

affirmat in libris Platonicorum consignatam testatamque fuisse, non autem ejusdem Verbi incarnationem. Sed quia posset quis istam Verbi Deitatem, seu de Verbi Deitate Platonicam sententiam jejunius interpretari, ut interpretabantur Ariani, operæ pretium est hanc excutere suspicionem, prolatis Augustini ejusdem verbis ex eodem loco: *Indagavi quippe in illis litteris varie dictum, & multis modis, quod sit Filius in forma Patris, non rapinam arbitratus esse æqualis Deo, quia naturaliter idipsum est*. Et mox: *Quod enim ante omnia tempora, & supra omnia tempora incommutabiliter manet unigenitus Filius tuus coæternus tibi, & quia de plenitudine ejus accipiunt animæ, ut beatæ sint, & quia participatione manentis in se sapientiæ renovantur, ut sapientes sint, est ibi*. Non est hic ullus tergiversandi locus, apertissima hæc est de consubstantialitate Patris & Verbi in Platonicorum libris perlecta contestatio.

XIII. Sed quanquam in his omnino tricandum non sit, sunt tamen aliqua obiter advertenda, ad Augustini cum aliis Ecclesiæ Patribus supra laudatis conciliandam doctrinam. Primò quidem de uno Verbo disputat Augustinus, nihil de Spiritu sancto attingit. Non ergo orthodoxam de Trinitate doctrinam in Platonicorum libris unquam se legisse scripsit. Et sanè propensiores semper fuere Platonici in Verbi laudibus congerendis, cui longo post intervallo tertium subjiciebant Principium, Animam mundi. Secundò dilucidum illud omnino est, propiùs accedere ad sanam de Deo Verbo doctrinam, quæ ex Platone Platonicisque suprà corrasimus de ipso ente, de prima mente, de mundi opifice, quàm quæ de anima mundi aut dicta sunt, aut dici potuere, ad personam Spiritus sancti declarandam. Ideo & suprà monebat nos Augustinus, Porphyrium à Platone & Plotino descivisse, & ut Christianos propiùs sequeretur, tertium Principium non animam mundi dixisse, non Verbo subjecisse, sed medium interjecisse inter Patrem & Filium. Tertiò hæc de Verbi æqualitate cum Patre legisse se ait Augustinus in libris Platonicorum, non in libris Platonis ipsius. Nec verò ex aliis Augustini operibus potest evinci, in Platonis commentariis legendis versatum illum unquam fuisse. Laudat ille subinde, aut vituperat Plotinum Porphyriumque, at Platonem nunquam. Jam verò Christiana Ecclesia toto inclaruerat orbe, cum Plotinus; jam toto regnabat orbe, cum Porphyrius scribebat. Idem de Numenio & Amelio dicendum. Potuerunt ergo illi ad Christianæ Theologiæ normam limasse sua de Verbo placita, & ea expunxisse, quæ Patris Filiique æqualitatem naturæ ac substantiæ antè oppugnabant. Quartò denique assentiebantur quandoque & alii supra Patres, excidisse aliqua Platonicis, ex quibus verissima unitas trium hypostaseon divinarum constitueretur; sed in eo mordicus profitendo dogmate constantes illos non fuisse, & plura effutiisse alibi, quibus & secum pugnarent ipsi, & veritati repugnarent.

CAPUT VI.

Deus est ipsum unum & supra unum, à quo fluunt, ad quod refluunt omnia.

I. II. Ex Dionysio, ut Deus sit ipsum unum, & tamen supra unum, nempe supra omne quod cogitari potest.

III. Deus est supra unum, unitatem omnibus aspirans, ad unitatem omnia revocans; & ita cogitandus, ut sit supra id omne quod cogitari potest.

IV. Quo simplicius unum est, eo aptiùs de Deo dicitur, etsi nec ipsum aptè dicatur.

V. Marius Victorinus præclarissimè de ipso uno, utque Deus unum supra unum sit.

VI. Augustinus de unitate omnibus insita, & de amore hujus unitatis.

VII. Luculentissimè Boethius per quos gradus summa & princeps unitas ad materiam usque sese effundat.

I. Utcunque & Philosophi & sancti Patres in id incubuerint, ut ipsum unum Deum esse confirmarent: rursus tamen illi incunctanter professi sunt, ne id quidem propriè dici, aut cogitari posse de Deo, ut qui supra entia sit, & supra mentem, & supra omne, quod vel sermone, vel cogitatione comprehendi, aut attingi potest. Dionysius: *Cum notiones omnes sint entitatum, & ad entitates terminentur, is qui omni entitate sublimior est, omnem quoque effugit cognitionem, &c. Cum neque sub sensum cadat, & neque ejus sit imaginatio, nec opinatio, nec nomen, nec sermo, nec tactus, nec notitia, &c. Utique unum illud ignotum, supersubstantiale, ipsum bonum, τὸ ἓν, τὸ ὑπερούσιον, αὐτοάγαθον, Trinam inquam unitatem, simul Deum, simul bonum, nec verbis eloqui, nec cogitando assequi valemus.* De div. Nom. c. 1.

II. Et rursus idem Dionysius, ut Deus unum supra unum sit, omniumque unitatis author: *Quin etiam cum unum ipse sit, ἓν ὢν, omnique parti, & toti, & multitudini, & uni, unius sui consortium largiatur, vel ut sic etiam supra substantiam existit unus, cum neque pars sit multitudinis, neque ex partibus totum. Nam hoc modo non est unum, neque sic unitatem participat, habetque unitatem. Sed longè ab his alia ratione unum est, supra unum quod entibus unum est, & multitudo individua, inexplebilis superplenitudo, omne unum multitudinemque producens ac perficiens, atque complectens.* Ibid. c. 2.

III. Sed longè præstantissimè idem Dionysius, ut Deus sit unum, & supra unum, & unitatem omnibus aspirans, & omnia ad suam unitatem revocans, utcunque & impropriè à nobis cogitandus, dicendus, laudandusque ut unum, cum arcano sensu sentiendus interim sit, ut ipso uno superior, simpliciorque eo omni, quod in mentem venire potest: *Oportet itaque & nos à multis ad unum virtute divinæ unitatis conversos, singulariter laudare totam & unam divinitatem, unum quod est omnium causa, ante omne unum, & multitudinem, & partem, & totum, finem & infinitatem, omnia quæ sunt & ipsum esse determinat: Et omnium, & totorum omnium, & simul ante omnia, & supra omnia etiam unicè causam, & quod supra ipsum unum est, & ipsum unum quod est, determinat. Siquidem quod est unum, iis quæ sunt adnumeratur. Numerus enim particeps essentiæ est. Quod autem est unum supra ens, definit unum, quod est, & omnem numerum; estque unius, & numeri, & omnis rei principium, & causa & numerus, & ordo. Quamobrem & unitas quæ laudatur, & Trinitas, quæ est divinitas supra omnia, non est unitas, neque Trinitas à nobis, aut alio quopiam eorum quæ sunt cognita: Sed ut quod in ea est, & supraquàm unitum, & Deitatis fœcundum laudemus, trinum & unum nominamus illum, qui supra omne nomen est. Nulla autem unitas, vel Trinitas, neque numerus, nec unitas vel fœcunditas, nec aliud quidpiam eorum quæ sunt, aut eorum quæ alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud omnem rationem & mentem superans superdeitatis, superessentialiter super omnia superexistentis. Hujus neque nomen, neque rationem est assignare, sed inaccessum omnibus eminet.* Id saltem valet hæc verborum exaggerata magnificentia, ut intelligamus Deum, nec intelligi, nec dici, ut est, posse; ideoque supra omnia nomina, supra verba, super cogitationes & intelligentias esse; & ideo ipsum esse supra ipsum esse, & su-

Ibid. c. 13. n. 3.

μονὰς. ἑνότης.

& supra mentem, & supra unum, cum hæc omnia utcumque dici & cogitari possint; his tamen nominibus & vocibus utcumque illum significari, & laudari, & admirationi esse, à suis vestigiis & effectis, quod entis, & mentis, & unius, & omnium denique causa opifexque sit.

In c. 3. Dionys. de div. Nom. n. 1. & 2.

IV. Unum magis propriè dicitur, quia simplicius illud est, sed ne idipsum quidem unum est, ut à nobis intelligitur. Unde Pachymeres: *Quid uno magis simplex, & unius substantiæ est? μονούσιον. Tamen Dei unitas supereminenter supra idipsum est; & omnibus mentibus inconceptibile est illud unum, quod omnem mentem superat.* Et alibi:

In c. 13. n. 3.

Oportet nos à multis ad unum converti, quod omnium causa est, quod etiam ante unum est. Quin etiam si audendum sit, neque pulchrum, neque bonum est. Hæc enim quodammodo affectiones sunt, & habitudines, & accidentia. Ipsum verò unum supra hæc intelligitur. Et infrà: *Illud supraquam unitum ait Dionysius significari nomine Unitatis; divinam verò fœcunditatem ex nomine Trinitatis. Ut enim adoranda ineffabilium Personarum manifestatio repræsentaretur, numerus excogitatus est, sicut divi Basilius & Gregorius ajunt, &c. Quomodo enim Deus, qui nihil entium est, sed supra entia omnia, ab aliquo entium denominaretur?*

V. Marius Victorinus Afer omnium Latinorum vices implebit, ut Dionysius Græcorum, in unius luce, vel sacra caligine effundenda. Sic ergo ille Deum suis, ut ita dicam, coloribus & lineamentis adumbrans: *Quod vero dictum, Unum omnia, & , Nec unum: omnium enim principium, satis apertè lucidèque declarat Patrem rerum omnium & principium Deum, qui cum unum non est, magis omnia est, quia & omnium causa est atque principium, & omnibus omnia.* Et infrà: *Sed cùm in uno omnia, & unum omnia, aut cùm unum omnia, vel nec unum, nec omnia, fit infinitum, fit incognitum, fit indiscernibile, incognoscibile; & quod verè dicitur aoristia, id est, infinitas & indeterminatio. Etenim cùm omnium esse sit, & omnium vivere, & omnium intelligere, & id unum, & sine phantasia alterius unum; unde nec unum, quia omnium principium est. Unde & ipsius unius. Ex hoc cogimur jam necessario & illa de Deo dicere, ut ejus & incomprehensibile sit esse, & vivere, & intelligere; & supra omnia sit, quare & anuparctos, & anousios, & anous, & azon, sine existentia, sine substantia, sine intelligentia, sine vita dicitur; non quidem per privationem, sed per supralationem. Omnia enim quæ voces nominant, post ipsum sunt.*

Adv. Ari. L. 4. Bibl. PP. Tom. 4. pag. 248.

Ἀνύπαρκτος, ἀνούσιος, ἄνους, ἄζωος.

Sic ille Platonicam Theologiam castigare enititur, & Christianæ veritati accommodare. Porrò rationes plures accumulat, eccur Deus dicatur unum supra unum. Primò, quòd unum non sit, qui omnia est. Item quòd unum non sit, cùm causa & principium sit omnium, atque adeò ipsius unius. Rursus quia incomprehensibile Dei ipsius quoque unius vocem videtur tandem eliminare, cùm unius aliqua sit cognitio. Adde quòd cùm cætera per negationes magis propriè Deo competant, idem de uno videatur sentiendum. Ita sanè, ut hæ negationes traducantur tandem ad ineffabilem quandam excellentiam & superlationem. Itaque Deus nec existentia, nec substantia, nec vita, nec unitas est, quia super hæc omnia est.

Conf. l. 1 c. ult. De moribus Manic. l. 2. c. 6.

VI. Sensit Augustinus omnia in tantum esse, in quantum unum sunt, idque *vestigium* esse *secretissimæ unitatis ex qua sunt*. Et alibi: *Nihil est autem esse, quàm unum esse. Itaque in quantum quodque unitatem adipiscitur, in tantum est. Unitatis est enim operatio convenientia & concordia, qua sunt, in quantum sunt, quæ composita sunt. Nam simplicia per se sunt, quia una sunt. Quæ autem non sunt simplicia, concordia partium imitantur unitatem, & in tantum sunt, in quantum assequuntur.* Eò pertinere alibi ait plerasque animantium pugnas ad vitandum dolorem, hoc est unitatis suæ detrimentum. *Nam & ipse corporis dolor in quolibet animante magna & mirabilis animæ vis est, quæ illam compagem ineffabili permixtione vitaliter continet, & in quandam sui moduli redigit unitatem; cum eam non indifferenter, sed ut ita dicam indignanter patitur corrumpi atque dissolvi.*

De Gen. ad lit. l. 3. c. 16.

VII. A quibus non abludit Severinus Boethius libro de unitate & uno. Illud enim primum advertit, ideò omnia, & unum esse inquantum sunt, & intantum esse, inquantum unum sunt, quia unitas summa omnium entium artifex & creatrix est. *Unum esse & esse inseparabiliter comitantur se, & videntur simul natura. Quia enim Creator unus est, ideo rebus quas condidit, hoc in munere dedit, ut unaquæque esset etiam una.* Materia certè multitudo quædam & divisibilitas infinita est; at illa ad formam suspirat, à qua constringitur & adunatur, ut ab unitate defluente à principe & creatrice unitate. *Forma ergo existens in materia, quæ perficit & custodit essentiam cujuslibet rei, unitas est, descendens à prima Unitate, quæ creavit eam. Prima enim & una unitas, quæ est unitas sibi ipsi, creavit aliam unitatem, quæ est infra eam.* Descendit autem per gradus summa & princeps Unitas ad unitates seu formas primò naturæ intellectualis, secundò naturæ rationalis, tum animalis, tum denique corporeæ; atque omnes istæ unitates & formæ pro suo quæque modulo & gradu participant atque imitantur unitatem principantem, cujus imagines sunt, & pro suo unaquæque ordine materiam sui generis sibi subjectam exornant & adunant. *Quantò enim unaquæque unitas propinquior erit primæ & veræ unitati, tantò materia formata per illam erit magis una & simplex. Et è converso quantò remotior fuerit à prima unitate, tantò erit multiplicior, & compositior. Et ob hoc unitas quæ duxit ad esse materiam intelligentiæ, quæ est magis una, & simplex, & non multiplex, nec divisibilis essentialiter; sed si divisibilis est, hoc accidentaliter est; & ideò hæc unitas simplicior, & magis una est omnibus unitatibus, quæ ducunt ad esse cæteras substantias; eò quòd immediatè adhæret primæ unitati, quæ creavit eam. Sed quia unitas subsistens in materia intelligentiæ est unitas simplicitatis, ideò necessariò unitas subsistens in materia animæ, quia infra eam est, crescit & multiplicatur, & accidit ei mutatio & diversitas. Et sic paulatim descendendo, donec perveniatur ad materiam, quæ à prima unitate remotissima est, &c.* Aliquantò præclariora essent ista, si abstinuisset Boethius ab illa opinatione, cœlos & sydera incorrupta esse corpora, quæ angelica vegetatione formentur & animentur. Verì multò similius est, quod cùm alibi sese dabit occasio, ex Augustino declarabitur, materiam illam quæ naturæ angelicæ & intellectualis forma vegetatur, ipsam esse Angelorum essentiam, sua sponte inanem & vacuam, atque informem futuram, nisi statim in ipso sui exortu increatæ sapientiæ lumine formaretur. Ideò & hanc fuisse abyssum illam tenebrosam interpretatur Augustinus, antequam diceret Deus, Fiat lux; id est, antequam incommutabilis sapientiæ suæ luce eam perfunderet. Nec dicta est abyssus tenebricosa, quasi materia hæc lucem aliquo tempore præcesserit: sed dictum est quid illa futura fuisset, nisi infudisset se illi superna lux incommutabilis sapientiæ.

CAPUT VII.

Deus est ipsum bonum, summum bonum. Ipsum unum est ipsum bonum. Supra ens, supra mentem. Sententiæ Philosophorum, ad limam sanctorum Patrum postea exigendæ.

I. Ipsum bonum est Platoni primum omnium principium cujus notitia omnibus innata, parens veritatis & prima mentis, per quam & utcumque à nobis agnoscitur, Sol intelligibilis mundi.

II. Plotini sententia de summo bono quod omnia appetunt, ut primum omnium principium & finem.

III. Rursus idem de bono, de mente, de anima; de beata Trinitate, quæ summum bonum est; et si in eo dogmate aliqua peccet Plotinus.

IV. Ex eodem ut bonum, etsi quiescat, per mentem operetur omnia, seque effundat in omnia.

V. Procli doctrina ab uno prodire omnia, ad bonum redire omnia; ita unum & bonum idem esse: bonum per analogiam, unum per negationes cognosci.

VI. Unum & bonum sui tesseram, appetitum, amorem, rerum omnium penetralibus insculpsit.

VII. Simplicius auguratur bonum esse universalius & superius, quod nonnulli præ mali fuga & boni desiderio ipsum esse refugiant.

VIII. Plotinus negat dici posse, Deus bonus est, vel bonum est, ne compositio aliqua, ne esse Deo tribuatur.

IX. Qui ex Plotino bonum ipsum sese non intelligat. Nempè per negationes tutius iter ad intelligendum Deum, & de Deo loquendum.

X. Æquè ille removet à bono essentiam, vitam actionem; & eodem sensu, atque intelligentiam.

XI. Ex eodem bonum maximè liberum, maximè imperatorium est, quæ dotes primo principio adprimè quadrant.

I. ITa sensit, ita inculcavit Plato primum Principium esse summum bonum; boni ideam omnium esse maximam & utilissimam, quandoquidem tam inutile foret sine boni cognitione cætera intelligere, quam sine bono cætera possidere; bonum ab omnibus appeti; ideoque & innatam esse boni qualemcumque notitiam; boni filium esse veritatem & mentem, ut Solis lumen, atque ita supra mentem & veritatem eminere principatum boni. *Sæpè audisti boni ideam esse maximam disciplinam; qua quidem si justa & alia utantur, utilia & conducibilia fiunt. Si verò ipsam nescimus, & sine ipsa alia quam maximè noverimus, scito nullam ex aliis nobis utilitatem fore; sicut neque prodesse nobis quidquam, quod sine bono possideremus.* Ratiocinationes omnes hoc admodum cardine volvuntur, quid bonum, quid melius, quid justum, quid injustum, quid justius, quid injustius sit; necesse est, ergo ut ante insculpta animo sit idea boni, ex qua ceu regula judicemus. Bona enim sunt & meliora, quæ propè, quæ propiùs absunt ab idea summi boni. Ex mox: *Bonum quidem omnis anima expetit, ejusque gratia agit omnia, augurans esse aliquid, dubitat tamen, neque sufficienter intelligere potest quid sit, &c.* Ita boni notitia & cupido innata quædam est, sed vitiorum & sensibilium quasi luto quodam perfusa & obscura. *Quis autem appareat boni ipsius filius, quique simillimus ei sit, si vobis placet, dicam. Dic. Patrem verò postea decclarabis. Vellem equidem ut & ego explicare possem, & vos percipere, non solum ut nunc prolem, sed & prolem & posteros ipsius boni.* Filium antè explicare adgreditur quàm Patrem, quod Patris in silentio & latibulo incomprehensibilitatis divinæ quiescentis, Filius explicatio sit; & per Filium Pater innotescat. Pergit porrò: *Illud igitur quod veritatem illis quæ intelliguntur præbet, & intelligenti vim ad intelligendum porrigit, boni ideam esse dicito; scientiæ & veritatis quæ per intellectum percipitur causam. Cùm verò adeò pulchra duo hæc sint, cognitio scilicet & veritas, si bonum ipsum aliud quàm ista, & pulchrius æstimabis rectè facies. Et quemadmodum lumen ac visum quandam speciem Solis habere, existimare decet; Solem verò ipsum esse, nequaquam; ita cognitionem & veritatem boni ipsius speciem habere quidem aliquam, esse verò ipsum, minimè. Augustior est enim ipsius boni majestas, &c. Ut Solem iis quæ videntur, &c. Ita dicas bonum iis quæ cognoscuntur, dare, non modo ut cognoscantur, sed esse insuper, & essentiam elargiri, cum ipsum essentia non sit, sed supra essentiam, dignitate ipsam & potentia superans.* Et infrà: *Quæ igitur mihi apparent, hæc tendunt. Nempè arbitror in ordine ipso intelligibili, boni ipsius ideam supremam existere; vixque videri. Si autem visa fuerit, asserendum eam omnium quæ recta & bona sunt, causam esse: cum ipsa in loco visibili lumen creaverit, & luminis authorem: in ipso verò intelligibili regnet ipsa, veritatemque & mentem protulerit.* Et infrà: *Hæc ut videtur, non erit testæ revolutio, sed animæ circumductio à nocturno quodam die ad ejus quod verè est contemplationem. Quem quidem ascensum veram Philosophiam esse dicemus.* Ergo intelligibilis mundi Sol ipsum bonum est, parens genitorque luminis, seu veritatis & mentis qui ipse vix videatur, nec videatur ferè, nisi ut causa principiumque, & veritatis quæ videtur, & mentis quæ videt.

De republ. l. 6.

Ibid. l. 7.

II. Plotinus autem argumentatur bona fieri, vel esse omnia, appetitione boni & ejusdem prosequutione. Necesse est ergo aliquod esse bonum princeps, quod reliqua appetant & prosequantur omnia, ipsum verò non se appetat, non se prosequatur, sed amandum, prosequendum, participandum & pro modulo fruendum se omnibus præbeat. *Si quid igitur ad aliud quidquam minimè agat, quippè cùm ipsum sit omnium præstantissimum, superque omnia, ad ipsum verò agant cætera; constat id ipsum esse bonum, cujus virtute cætera quoque boni participia sunt. Cætera verò duobus præcipuè modis bonum habent, tum quia illi similia sunt, tum quia operentur ad ipsum. Proinde si appetitio actioque ad optimum est bonum; consequens est ipsum bonum ad aliud non aspicere, nihilque aliud exoptare esse verò fontem, quietumque omnino principium, &c. Id itaque constat, neque intelligentia, neque actione prorsus ulla, imò seipso tantum bonum existere. Etenim quia super essentiam extat, etiam super actionem & intellectum intelligentiamque existit. Quin etiam idipsum bonum oportet asserere, ad quod omnia referuntur, ipsum verò ad aliud non refertur. Sic enim illud quoque verum esse constat, ipsum bonum esse quod omnia appetunt. Oportet igitur ipsum firmiter permanere, & ad seipsum cuncta convertere; quemadmodum revolvitur circulus circa centrum, à quo lineæ singulæ producuntur. Exemplo nobis ad id Sol esse potest, &c.* Enn. 1. l. 7.

Similius veri nihil poterat dici. Cùm omnia prorsus bonum appetant, & desideria motus actionesque suas omnes ad boni assecutionem intendant, à summo & universali bono omnia prodisse, & ad fontem suum omnia recurrere, omnia revocari. Ipsum verò bonum non desiderio, non motione, non prosecutione in bonum ferri, cùm omnia ferantur ad ipsum, sed seipso immotum frui, sibique beatissimè acquiescere. Ex quo fit ut ante mentem & supra intelligentiam sit, cùm & mentis & intelligentiæ natura versetur in inquisitione & prosecutione boni. Denique ad summum bonum gradatim convertuntur omnia, corpora per animas, animæ per mentem. *Alia verò omnia quonam pacto ad ipsum referuntur? Inanimata ad animam referuntur, anima verò ad ipsum bonum per intellectum.* Ibidem.

III. Et rursùs idem Plotinus suam de bono, de

Men-

Mente, de Anima promit sententiam, qua in Triade pulchra & bona ait esse omnia, ut rima non sit, qua illuc malum irrepat. *Dicendum nobis de*
Enn. 1. l. 8. n. 2. *boni natura. Est autem hoc à quo omnia pendent, quodque omnia appetunt, accipientia ab ipso principium, ejusque penitùs. Ipsum verò nullius egenum, ipsum sibi sufficiens, nihil penitùs appetens, mensura omnium atque terminus, ex seipso producens intellectum, essentiam, animam, vitam, rursùs actionem circa intellectum. Huc usque pulchra sunt omnia. Ipsa verò mens superpulchra, & ultra ea quæ sunt optima, in mundo regnat intelligibili. Quæ sanè mens, non quales apud nos esse dicuntur, quæ ratiocinantur, quidve ex quoque nascatur excogitant, &c. Sed habet omnia, est omnia, secum habitat, habet cuncta non habens, non enim ea possidet tanquam alia, nec ipse existit alius, neque ea quæ sunt in eo singula segregantur à singulis; imò verò quodlibet est universum & ubique totum.* Ita ille de prima mente, seu de Verbo. Nunc de Anima: *anima verò extrinsecus circa hunc se versans intellectum, ipsum circumspicit. Quin etiam intima ejus inspiciens, per ipsum videt & Deum. Atque hæc est illæsa fœlixque Deorum vita, à malis omnino semota. Quòd si hic sisteret natura gradum, nusquam foret malum. At verò sunt prima bona, sunt & secunda; sunt quoque tertia; cunctaque circa Regem universorum: ipseque Rex bonorum omnium causa est, & illius gratia omnia. Denique circa secundum secunda sunt, & circa tertium tertia.* Hæc est Platonica Trinitas; multa de paternæ Majestatis proprietatibus, multa de Verbi dotibus præclarissimè disserit hìc Plotinus; utriusque æqualitati & substantivæ identitati manifestè infestus; à Spiritus sancti cognitione prorsus alienus; sed in hoc tamen dignus, quem laudibus, quem favore & admiratione prosequamur, quod hæc tria incommutabile bonum esse adstruit, nec ullo usquam mali contagio posse afflari; quod de nulla prorsus creatura affirmari potest.

IV. Quòd autem per Verbum & Mentem primam omnia operetur summum Bonum, tametsi silere & requiescere dicatur, rursùm idem Plotinus:
Enn. 6. l. 7. c. 21. 25. *Cùm ipsum bonum tale sit, quidnam agit? Profectò fecit mentem, fecit vitam, fecit ex mente animas, & reliqua prorsùs, quæcumque rationis, vel mentis, vel vitæ participia sunt. Quisnam igitur exprimere possit quale quantumve bonum sit, quod horum fons est atque principium? Verùm quid nunc operatur? Nunc certè servat illa quæ fecit. Efficit enim ut & intelligentia passim intelligant, & viventia vivant, inspirans mentem, inspirans & vitam; inspirans esse saltem, ubi accipi vita non potest.* Addit paulò infrà materiæ bonum esse formam, corporis animam, animæ mentem, menti bonum ipsum, atque ita boni venam per mentem ad inferiora omnia derivari.

L. 2. c. 4. V. Proclus verò in Platonica Theologia illud memoratu dignum advertit, primum Principium à Platone in Parmenide appellari ipsum unum, ut à quo cætera manent & oriantur omnia: in Republica autem vocari ipsum bonum, ut ad quod redeant eadem omnia & revocentur. *In Republica quidem Plato causam illam arcanam & ineffabilem vocat ipsum bonum, demonstratque fontem esse veritatis, quæ mentem & intelligibilia adunat. At in Parmenide vocat illud idem Principium, quam unitatum divinarum fundatricem causam esse declarat, &c. Bonum ergo habet vim convertendi ad se omnia secunda, unum verò esse illis dat, & substantiam,* ἐπιστρεπτικὸν ἀρὰ τὸ ἀγαθὸν ἐστὶν ἀπάντων τῶν δευτέρων, ὑποστατικὸν δὲ τὸ ἕν. Quoniam verò omnia quæ ab uno prodeunt, ad illud reverti festinant, bonum ideo appellatur, & ad eum modum perspicuè intelligitur idem esse bonum & unum. *Quia verò ad ipsum omnia etiam obscurissima revertuntur, ipsum appellamus bonum.* Illud ergo ineffabile & incomprehensibile principium quod sive unum, sive bonum appellamus, triplicem hanc habet vim, *Quod omnia maneant, prodeant, & redeant ad unum.* Ex his porrò effectis & unum & bonum dicitur causa prima, quòd ab eo ut ab uno fluant, ad illam ut ad bonum redeant omnia. Est autem ipsa occultissima, & omnibus, ut est, incomperta. *Id quod est ignotum & ineffabile, per ea quæ ab ipso prodeunt, & ad ipsum revertuntur, cognoscere & nominare conamur. Neque enim vel cognosci, vel exprimi verbis potest ab iis quæ sunt.* Quin ut occultum & incomprehensibile est ipsum unum & bonum, ita & abstrusa ineffabilisque est rerum omnium unio cum ipso. Nec enim cognitione vel actione aliqua tantùm illi uniuntur, cùm uniantur ei illa quoque quæ cognitionis & actionis expertia sunt. Addidit Proclus ab effectis primam illam incomprehensibilem & inenarrabilem causam cogitari & dici utcumque posse: primò per analogiam & proportionem, ut cum Solem Plato dicit esse in intelligibili mundo ipsum bonum: secundò per negationes, ut cum in Parmenide idem Plato *per negantes conclusiones ostendit ipsius unius excellentiam, supra & extra omnia entia eminentem.* Ita congruere rationi ipsius boni prædicari per analogias, naturæ autem ipsius unius per negationes. Si verò quidquid unum & bonum est, generare festinat, *multò magis id quod omnes perfectiones in uno continet, & quod non aliquod bonum, sed ipsum per se bonum, & superplenum, generabit omnia.* Nec creando, aut generando movebitur, quia motus ad bonum est, ad bonum autem non movetur is, qui est ipsum bonum.

VI. Sed illud longè pulcherrimum, quod subiicit mox Proclus, summum illud unum & bonum sui tesseram omnium naturarum intimis & penitissimis medullis insculpsisse; ut cum earum quælibet in arcanum intimumque sui recessum se recolligit, ibi deprehendat impressum vestigium primi Principii omniumque Parentis, quo illi clam & indissolubiliter hæret, illi suspirat ut suo fonti, ut suo fini illi acquiescit. *Omnibus enim entibus ille rerum universarum author suæ perfectæ excellentiæ signa insevit & per hæc circa seipsum collocat omnia, & omnibus ineffabiliter adest, ex universis exemptus. Unumquodque igitur in suæ naturæ arcanum ingrediens, invenit signum illius omnium Patris; & omnia secundum suam naturam illum venerantur, & per mysticum signum sibi conveniens, illi uniuntur, suam naturam exuentia, & illius tantùm signum esse properantia, & illum solum participare cupientia, desiderio illius ignotæ naturæ, & fontis ipsius boni; & cum ad hanc usque causam ascenderunt, in tranquillitate sunt, & in partum fructuumve perceptione, & illius amoris, quem omnia habent secundum naturam, illius ignotæ, & ineffabilis, & imparticipabilis, & summè plenæ bonitatis.* A quibus non dissentiunt, quæ aliquantò antè idem Proclus dixerat de infatigabili appetitu & amore summi boni, quo omnes prorsus naturæ æstuant, & sanam quandam furunt insaniam, ex eo quòd ipsum bonum quod appetunt, cui uniuntur quo fruuntur, ignotum & incomprehensibile sit. *Cùm enim omnia neque cognoscere neque capere possint* L. 1. c. 21. *id quod optant, circa ipsum saltant, & quodammodo choreas agitant, parturiuntque quodammodo & insaniunt. Appetitionem verò nunquam desinentem & nunquam cessantem habent, quòd ignotam & ineffabilem naturam assequi nequeant, nec possint ipsam circumplecti, & in suum quodammodo sinum recipere.*

In Institutionibus Theologicis eadem ferè ille, sed compendiosiùs inculcat: idem omninò esse u- Cap. 11. 119.
num & bonum, cùm unum eò effundat ex se omnia, quòd bonum sit; & bonum eo servet omnia, quod ad unum & secum & inter se ea revocet. Ab unitate perfici mentem, à mente animam, ab anima quasi *extremum sonum* unitatis & consonantiæ corporibus imprimi.

VII. Ex Simplicio poterant eadem omnia confirmari. Unum hìc adiicio, quod ille ex eo suspi- In Epictet. c. 38.
catur primum & antiquissimum Principium ipsum bonum dici debere, & ipso ente superiùs atque univer-

universalius, quod quosdam calamitatum vi oppressos piget vivere & esse, malintque non esse, eo
Pag. 251. nimirùm adducti mali fuga & boni desiderio. *Malumus non esse, quàm malè esse. In causa est, quod bonum altius est, quàm id quod est, & quam ipsum esse; & quia bonum ejus quod est, principium est, Quare finis etiam omnium hoc est, ejusque causa fiunt omnia. Nam & ipsum esse tanquam bonum amplectimur. Quare cum malè nobis est, non esse malumus.*

VIII. Usque adeò autem Plotinus bonum supra ipsum esse collocat, ut ne id quidem patiatur de Deo prædicari, *Bonus est*. Propterea nimirùm quòd compositio hæc jam quædam sit, qua enti bonitas, vel bonitati ens adjicitur; quod utique adversatur simplicitati primi Principii. Deinde si bonus esse dicitur, jam verendum est ne particeps magis, sit boni, quàm ipsum bonum. Id enim plerumque sonat illud, Bonus est, id est, particeps bonitatis est. Si dicas bonum ipsum est, hanc quidem participationis invidiam abstersisti; sed in compositionem incurristi boni & entis. *Præterea neque verbum quidem, est, de Deo*
Enn. 1. l. 7. c. 38. & seq. *prædicare debemus. Neque enim hoc indiget. Quoniam neque etiam de ipso prædicamus, Deus est bonus.*

IX. Sed hinc ad aliam non minùs salebrosam delabitur quæstionem Plotinus. Qui possit ipsum bonum non intelligere seipsum? Si enim supra mentem & intelligentiam est, utique nec seipsum intelligit. Et quidem in promptu est ratio, cur primo Principio vix tribui debeat intelligentia. Nempè ipsa natura & vis intelligentiæ tota pertinet ad vestigandam contemplandamque veritatem. At non est personæ & dignitatis primi Principii, ut quærat appetatque aliquid, & ne seipsum quidem; ne absens quodammodo à se, & redux in se esse videatur, suamque fœlicitatem intelligendo magis quàm essendo deguster. Decantatissimæ & passim obviæ sunt apud istos Philosophos hujusmodi ratiocinationes. At hæret nihilominus scrupulus, qui possit summum bonum primumque Principium sui cognitione & intelligentia destitui. In omnem se partem versat Plotinus, ut hunc nodum solvat; nihil tamen aut sæpiùs aut asseverantiùs inculcat, quàm simplicitati & opulentissimæ summi boni sapientiæ repugnare, ut in seipsum replicetur, quo seipsum intelligat; vel ut ea indigeat intelligentia, quæ rerum cognitionem amplectatur.

Extricari forsan poterat hic nodus axiomate illo his Philosophis perquam familiari: de Deo cautiùs certiùsque per negationes, quàm per affirmationes sermonem fieri: at negationes id genus non id valere, ut aliqua perfectionis ornamenta Deo adimantur: sed ut dum ei adimuntur, qualia naturis mentibusque creatis vel convenire possunt, vel innotescere; eidem rursus alio eminentissimo & incomprehensibili modo competere intelligantur. Ita ergo dum summum bonum vita & intelligentia orbatur; illa nimirùm ei vita abjudicatur & intelligentia, qualis à nobis capitur, non paucis nævis aspersa; at simul id intus dictat conscientia, alterius generis vitam & intelligentiam ei competere nobis ignotam, in investigabilem,
Enn. 5. l. 6. c. 5. incomprehensibilem. *Intelligentia non primum, sed secundum occupat locum; nataque est postquam ipsum extitit bonum. Hoc est enim intelligere, moveri ad bonum ipsius desiderio boni. Quamobrem ipsum bonum intelligere, neque se, neque aliud quidquam oportet. Neque enim præter se est aliud quidquam ipsi bonum.* Vix potest sustineri assensus, quin Plotino concedatur, ordine & origine priùs esse bonum, quàm intelligentiam boni appetentem & contemplatricem. Intelligentiæ enim finis & beatitas est bonum, non ex adverso boni intelligentia. Boni enim idea sola jam totam occupat & complectitur beatitatem. At nec ipse dissentiet Plotinus, hanc intelligentiæ ideam, qua indigatrix quædam & aucupatrix boni vis intelligentia capitur, naturis inferioribus accommodatam esse, suam extra se & supra se beatitudinem venari naturaliter instructis & comparatis. Porrò naturarum inferiorum perfectionibus, ceu quibusdam summi Principii vestigiis, innitendum esse, ut alias his utcumque alludentes, sed longè perfectissimas & ab omni imperfectionum suspicione defœcatissimas deprehendamus in Deo.

X. Quod de intelligentia, idem de essentia, de vita, de actione, hæc omnia peræquè negat Plotinus, & utique eodem sensu negat, de summo bono prædicari posse, *Disputatio exigitur, qua* Enn. 6. l. 7. c. 20.
demonstretur intellectum non esse supremum ultimumque finem, Item intellectum non omnia desiderare, bonum verò omnia cupere. Quæ intellectu vacant, non omnia intellectum optare; at quæ intellectum habent, non statim quiescere, sed bonum ulterius affectare. Denique intellectum quidem ex quodam rationis discursu, bonum verò etiam ante rationem desiderari. Quod si & vitam appetunt, & esse semper & agere, profectò hoc ipsum non quà ratione intellectus sit, est expetendum, sed qua bonum, & à bono pendet, ad bonumque. Nam & vita sic est tantùm expetenda. Sic ille essentiam, vitam, actionem, æquè ut intelligentiam non ab omnibus appeti demonstrat, sed bonum; & ubi habentur, ut iis non acquiesci, sed in bono: & ubi appetuntur, non propter se appeti, sed propter bonum. Quo triplici jure bonum superiùs illis est, sed ita tamen, ut præcellentissimè quidquid boni in iis est, in summo bono contineatur.

XI. Denique primarium & palmare primi Principii insigne, libertas & dominium nulli propriè nisi ipsi bono, quà bonum est, competit. Nam quid minùs coactum, quàm bonum? quid minus violentum? Quid magis libitum, placitumque quàm bonum? Quid magis propter se, quàm bonum propter quod omnia? Quid minus servum, quid magis imperatorium quàm bonum, cui serviunt omnia? Quid magis liberum quàm bonum, cui libertas ipsa famulatur? Summa ergo libertas est in ipso bono, cum ei servire aliorum omnium libertas sit. Plotinus: *Quando quis* Ennead. 6. l. 8. c. 7.
negat primum esse liberum, propterea quod ita dumtaxat faciat, ut se naturaliter habet; absurdum est si quis existimet quidpiam esse liberum tunc, quando præter naturam facit & operatur. Neque verò quod unica ratione se habet, ob hoc ipsum libertate privatur, si unicum hoc non ex eo habeat, quod habere aliud cohibeatur ab alio; sed ex eo quod ipsum propriè sit hoc ipsum, sicque sibi ipsi placeat, neque liceat, neque libeat aliquid excellentius esse. Alioqui posset aliquis, quod maximè compos est boni asserere libertate privatum. Sin autem id foret absurdum, multo absurdius erit, ipsum bonum libertate privare, quoniam bonum, & quia permanet in seipso, nec moveri ad aliud uspiam indiget, cùm alia potiùs moveantur ad illud.

CAPUT VIII.

Quæ capite superiori prælibata sunt de summo bono ex Philosophis, hic expenduntur ad trutinam sanctorum Patrum.

I. Etsi in nonnullis aberrarint Philosophi Platonici, non potest non tamen permirum videri, quod à Christiano dogmate tam propè abfuerint.

II. Ideò eorum placita nostræ Patritiæ Theologiæ interspersimus. Illi Deitati Christi, ut Judæi humanitati, prælusere, & præmuniere iter.

III. Primum Principium esse ipsum bonum consentit

sentit Dionysius; esse autem supra essentiam, suprà intelligentiam.

IV. Consentit & Gregorius Nyssenus.

V. Et Damascenus.

VI. Item Augustinus. Bonum ab omnibus naturis participari, amari, quæri.

VII. Ex eodem, de innata appetitione & notitia boni, non hujus & illius, sed universalis boni, secundùm quam judicamus de bonis particularibus, & non bonis, magis minusve bonis, &c.

VIII. Ex insita maximè idea summi boni judicamus de anima ipsa immortali, quàm bona vel sit, vel non sit, vel nondum sit, vel esse debeat: de bono autem ipso neutiquam judicamus.

IX. De eodem Ambrosius.

X. Præclarissimè Boethius, ut bonum omnes ad se trahat, ut sequamur, ut nonnulli deflectant à recto boni tramite, delusi imaginibus boni.

XI. Idem ex imperfectis bonis arguit esse perfectissimum bonum, quod bona imperfecta nec esse, nec judicari possint, nisi participatione, vel comparatione boni perfectissimi.

XII. Summum bonum est ipsum unum, cum duo prima principia esse non possint. Variæ Boethii ad id rationes.

XIII. Quibus consonat Gregorius Magnus.

XIV. Suffragatur & Cyrillus Alexandrinus.

I. Tametsi errorum nonnullis maculis aspersa sint, quæ Philosophi Platonici de ipso bono capite superiori disputaverunt; iterum tamen iterumque monere non pœnitebit, fieri omninò non posse, quin ea prudentibus & cordatis Lectoribus permagnæ sint & admirationi & voluptati. Quanquam enim illi nonnihil deflexerint à purissimæ & castigatissimæ veritatis Christianæ & Catholicæ semita: quis tamen non jure & meritò stupeat, tantam inter eos & Christianos consonantiam extitisse tanto temporis intervallo antequam Christiani existerent ulli; aut eo etiam tempore reptantis inter cunabula Ecclesiæ, quo constabat prorsus, nec illos ab ista, nec istam ab illis opis quidquam, aut lucis emendicasse? In rebus tam arduis, tam inaccessis, & solo cœlesti lumine manifestis tantam inter illos & nos affulsisse consensionem, non potest non miraculo esse & horrori. Si verò existimet quis suffuratos illos esse ex sacris Codicibus clam degustatis, vel ex peritiorum Hebræorum contubernio istam cœlestium dogmatum sublimitatem: hinc etiam augescit admiratio. Si res enim ita habet, qui potuere illi ex sacris veteris instrumenti libris tam claram, tamque exertam exprimere de Deo & Patre, de Verbo & Filio sententiam; cùm Hebræorum tam pauci hanc ex scripturis doctrinam elicerent, tam multi resilierint, ubi Christus primùm cœpit & Patrem Deum & se Filium propalare? Qui potuit inter Ethnicos schola ante Christi natalem per aliquot sæcula efflorescere, ubi hæc Christianæ fidei placita prædicarentur, cùm nihil istiusmodi dogmatum apud Hebræos publicè personaret?

II. Si quis hæc seriò pensitet, is facilè nobis condonabit, si Theologica nostra dogmata horum Philosophorum dissertationibus interpungere decreverimus; nec ægrè etiam veniam dabit his Philosophis, si dum orbitam terunt tam novam, tam arduam, & infrequentem, impegerint aliquando. Nec ipsorum sanè Judæorum opinationes de Christo venturo ab omni errorum nævo erant purgatæ, etsi sacramentis illum significantibus & promittentibus salubriter imbuerentur, apparenturque illi aliquando recipiendo. Unde non injuria posset quis ita constituere, humanitati Christi Hebræos, divinitati Christi hos Philosophos addictos aliquot ante ejus inhumanationem sæculis fuisse; illos fidem, istos contemplationem suam ei dedicasse; illos per orbem prædicandæ humanitati & in fidem recipiendæ iter muniisse; hos denique ita Deitati prælusisse, ut præludia hæc tantùm essent veritatis, & quasi rudimenta, non ipsa veritatis & sapientiæ præsentia, & plenitudo. Quo minùs mirum sit, si quid minùs viderent, aut sicubi caligarent hi in humanitatis fide, illi in Deitatis indagatione. Nec nobis tantum, aut Philosophis his, sed & sanctis quandoque Patribus, erit quod indulgeat humanus Lector, si Platonicorum aliquando decreta & verba ipsa in Ecclesiasticam Theologiam derivaverint; clementiùs interpretantes & molliùs tractantes aliqua, quæ potuissent duriores interpretes exasperare, & in alienissimos sensus rapere.

III. Hæc præfari necesse fuit, ut æqui bonique consulamus censuram Platonicorum dogmatum, nunc ex sanctis Patribus adgrediendam, & clementiorem fortasse futuram, quàm nonnulli opinati essent, aut etiam cuperent. Et quod attinet sanè ad consubstantialem unitatem divinarum hypostaseon, nulla hìc renovabitur censura, ne actum agamus. Primum ergo illud quod à Philosophis celebratum est, primum Principium esse ipsum bonum, id verò ut Scripturis, ut veritati consentaneum, vehementer amplexati sunt sancti Patres. Dionysius: *Ipsum bonum, αὐτοαγαθότης, à sacris Litteris celebratur totam essentiam divinam, quidquid tandem sit, definivisse, atque explanasse. Quid enim aliud ex eloquiis sacris cognoscimus, cum ipsummet Deum tradunt se designando dixisse: Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi solus Deus, &c. Verbum ipsum, quod natura bonum est, ait, Ego bonus sum. Et quidam Propheta divino numine afflatus, laudat Spiritum bonum.* Et infrà: *Theologi bonitatem vocant naturam divinam. Quia sic essentia sua bonus est Deus, ut tanquam substantiale bonum bonitatem in omnia porrigat. Quemadmodum enim Sol ille noster, non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est, illuminat universa, quæ quoquo modo lucis ejus sunt capacia: sic etiam ipsum bonum, quod non secus præstat Soli, quàm primæva species imagini obscuræ, ipsamet substantia sua rebus omnibus pro cujusque captu totius bonitatis suæ radios affundit.* Vides ut supra intelligentiam & vitam sit ipsum bonum, ut quod naturas angelicas, rationales, corporeasque, sicut infra subiicitur, ex se fundat, substantia ipsa sua: sicut Sol non cogitatione, aut voluntate, sed natura sua orbem illuminat universum.

De divin. Nom. c. 4. n. 1.

Ib. c. 4. n. 1.

IV. A quibus non dissonat Gregorius Nyssenus: *Id autem quod verè est, aut est ipsa per se bonitas αὐτοαγαθότης, aut si naturæ incorruptibilis magis significativum nomen inveniri possit. Quemadmodum autem illius inveniri possit nomen, quod esse supra nomen dicit divina vox Apostoli? Cæterum quodcumque inventum fuerit nomen explicans ineffabilem potestatem & naturam, bonum est omnino significatum. Hoc ergo quod est per se bonum, seu quod est supra bonum, & ipsum verè est, per se dedit & dat iis quæ sunt, facultatem ut gignantur, & permaneant in essentia.* Sic ille maximè proprium existimat Dei nomen esse ipsum bonum, & quodcumque aliud excogitetur, in idem revolvi ipsum bonum; nisi si superbonum dicatur, quod non aliud est quàm boni plenitudo & exuberantia.

In Ecclesia. Item ho. 7.

V. Hinc egregiè Damascenus: *Bonus, & omnibonus, & superbonus Deus, totus existens bonitas, ὁ ἀγαθὸς καὶ πανάγαθος, καὶ ὑπεράγαθος θεός, ὁ ὅλος ὢν ἀγαθότης: propter superabundantes divitias bonitatis suæ, non passus est solum esse ipsum bonum, id est suam ipsius naturam, à nullo participatam. Hujus gratia fecit primum intellectualem, deinde visibilem & sensibilem mundum.*

Orthod. fid. L. 4. c. 14.

VI. Ex Latinis Augustinus participatione boni cæteras naturas fieri bonas argumentatur, quas constat non esse ipsam bonitatis naturam, cum boni

boni scintilla tantùm quadam effulgere videantur. Hinc efficitur ut ipsum per sese bonum necessariò incommutabiliterque sit, à quo participationem boni cætera & primùm accipiant, & postea si hinc exciderint recipiant. *Deus singulariter bonus est, & hoc amittere non potest. Nullius enim boni participatione bonus est; quoniam bonum, quo bonus est, ipse sibi est. Homo autem cum bonus est, ab illo bonus est, quod à seipso esse non potest.* Sed multò præclarius alibi idem observat, non amari nisi bonum. Sive cœlestia enim, sive terrestria amentur, sive animantia, sive inanima, bonum amatur: id unum ergo curæ habendum, ut non hoc & illud bonum, sed ipsum bonum ametur, cujus illustratione reliqua fiunt bona, & quod seipso bonum est. *Non amas certè nisi bonum: quia bona est terra, bonum prædium, &c. Quid plura & plura? Bonum hoc, & bonum illud? Tolle hoc & illud, & vide ipsum bonum si potes, ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis, vel quæ commemoravi, sive alia cernuntur, sive cogitantur, diceremus aliud alio melius, cum verè judicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundùm quod & probaremus aliquid, & aliud alii præponeremus. Sic amandus est Deus, non hoc & illud bonum, sed ipsum bonum.*

Epist. 54.

De Trinit. L. 8. c. 3.

VII. Ita sanctus Pater demonstrat inesse nobis & notitiam & appetitum boni. De appetitu omnes consentiunt, De notitia dissentire vix possunt, cum luce clarius sit, ignoti nullam esse cupidinem. At verò illa notitia qualis sit, hinc liquidum fit, quod probamus vel improbamus, appetimus vel repudiamus omni puncto temporis hæc vel illa, hæc magis, quàm illa, vel minùs, prout magis minùsque hæc vel illa accedunt ad ideam boni nobis naturaliter anticipatam, vel ab ea recedunt. Est ergo illa notitia boni naturaliter insita, non hujus aut illius boni, sed universalis boni, cujus comparatione judicamus hæc vel illa bona esse, vel non esse, bona minora esse, vel majora. Ut notitia ergo, ita & appetitus ferri debet ad universale illud & incircumscriptum bonum, de quo mens nostra non judicat, sed secundùm quod judicat de cæteris omnibus bonis. Id porrò incircumscriptum bonum, quod cæterorum bonorum norma est, cujus umbræ & imitamenta sunt bona reliqua, Deus est; & hæc Dei natura est. *Sic amandus est Deus, non hoc & illud bonum, sed ipsum bonum. Quærendum enim bonum animæ, non cui supervolitet judicando, sed inhæreat amando. Et quid hoc nisi Deus? Cum dicitur, animus bonus, aliud est quo animus est, aliud quo bonus, &c. Cùm verò hoc agit studio, & fit bonus animus; nisi se ad aliquid convertat, quod ipse non est, non potest hoc assequi. Quò se autem convertit, ut fiat bonus animus, nisi ad bonum, cum hoc amat, & appetit, & adipiscitur? Unde si rursus se avertat, fiatque non bonus, hoc ipso quò se avertit à bono; nisi maneat in se illud bonum, unde se avertit, non est quo se iterum, si voluerit emendare, convertat. Quapropter nulla essent mutabilia bona, nisi esset incommutabile bonum.* Vides naturas quæ bonæ & non bonæ, magis minùsve bonæ, bonæ nunc, pòst malæ esse possunt, nihil horum consequi posse, nisi participatione summi boni, majori, minorive, vel nulla, conversione ad idem bonum, vel aversione ab eodem, vel denique ad illud idem reversione. Hoc autem manifestum est singulare esse naturæ divinæ super alias naturas omnes specimen & ornamentum proprium. Unde consequenter Augustinus: *Cùm itaque audis, bonum hoc, & bonum illud, quæ possunt aliàs dici etiam non bona, si potueris sine illis quæ participatione boni bona sunt, perspicere ipsum bonum, cujus participatione bona sunt; si potueris illis detractis per seipsum perspicere bonum, perspexeris Deum. Et si amore inhæseris, continuò beatificaberis. Pudeat autem, cum alia non amentur, nisi quia bona sunt, non amare ipsum bonum unde bona sunt.*

VIII. Quando animum verò etsi necdum bonum, tamen ut intelligibilis lucis consortem, corporeæ luci multùm præstare judicamus, ex illa regula judicamus, quam conspicimus in summa arte, quæ ipsa veritas & ipsum bonum, ex cujus regula & comparatione de bonis omnibus judicamus, an ita sint, ut esse debent. Illa ergo ipsa ars est, qua animi creantur, & qua boni fiunt, si ad suum fontem se reflectant, Illa summi boni ars, ratio, regula, & lux est, lexque qua fiunt animi, qua boni fiunt, qua boni judicantur, qua quales esse debeant, ut boni sint, judicantur, de qua nemo judicat, secundùm quam judicant, quicumque rectè judicant, secundùm quam denique judicamus, non posse res ullas esse, vel alias esse, nisi quas & quales esse debere secundùm illam judicamus, Illa enim quæ nos ita judicare cogit, ipsa non aliter utique judicavit, non aliter jussit, non aliter denique effecit. *Hoc est bonum nostrum, ubi videmus, utrum esse debuerit, aut debeat, quidquid esse debuisse, aut debere comprehendimus; & ubi videmus esse non potuisse, nisi esse debuisset, quidquid etiam quomodo esse debuerit, comprehendimus. Hoc ergo bonum non longè positum est ab unoquoque nostrum, In illo enim vivimus, movemur, & sumus. Sed dilectione standum est ad illud, & inhærendum illi, ut præsente perfruamur eo, à quo sumus, quo absente nec esse possemus.*

IX. Ambrosius quoque suffragatur, in bonitate sitam esse Dei naturam; *Licet in divinitate bonitas sit, & in bonitate divinitas; tamen addendo Magister bone, in portione bonum dixit, non in universitate. Nam Deus in universitate bonus, homo ex parte. Propterea Dominus, Quid me dicis bonum, quem negas Deum? Quid bonum dicis, cùm bonus nemo, nisi unus Deus?*

In c. 18. Luc.

X. Boethius denique eò bonum ab omnibus & beatitatem appeti auguratur, quòd summi boni memoria & odor veluti quidam supersint, quo trahamur, sed fallente memoria, præ nescio qua sensibilium voluptatum ebrietate, a recto boni tramite plerique deviant. *Omnis mortalium cura quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso quidem calle procedit, sed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire. Id autem est bonum, quo adepto nihil ulterius desiderari queat. Quod quidem est omnium summum bonorum, cunctaque intra se continens bona, &c. Hunc uti diximus diverso tramite mortales omnes conantur adipisci. Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas, sed ad falsa devius error abducit.* Et mox: *Ad hominum studia revertor, quorum animus caligante memoria, tamen bonum summum repetit: sed velut ebrius domum quo tramite revertatur ignorat.* Opes, honores, delicias, alia alii consectantur: *Bonum est quod tam diversis studiis homines petunt. In quo quanta sit naturæ vis, facilè monstratur; cùm licet variæ dissidentesque sententiæ, tamen in deligendo boni fine consentiunt.* Et infrà: *Vos quoque terrena animalia tenui licèt imagine, vestrum tamen principium somniatis: verumque illum beatitudinis finem, licèt minimè perspicaci, tamen qualicumque cogitatione perspicitis: eòque vos & ad verum bonum naturalis ducit intentio, & ab eodem multiplex error abducit.* Ergo ita constat, *naturali intentione duci nos ad verum bonum*, sed amore & illecebris sensibilium ab eo nos abduci, & ad varias fallacesque veri boni imagines detorqueri.

Consol. Phil. L. 3. prof. 2.

Ibid. prof. 3.

XI. Et rursus infrà idem Boethius, cùm imperfecta multa bona sint, hinc arguit esse bonum perfectum & suis omnibus numeris absolutum. Nec enim imperfecta vel esse vel judicari bona possunt, nisi participatione vel comparatione summi perfectique boni. Natura quippe non ab imperfectis,

fectis, sed à perfectis orditur; nec possunt perfecta ab imperfectis, sed imperfecta utique à perfectis oriri & procreari possunt. *Quin existat sitque hoc bonum, veluti quidam omnium fons bonorum, negari nequit. Omne enim quod imperfectum esse dicitur, id diminutione perfectum esse perhibetur. Quo fit, ut si in quolibet genere imperfectum quid esse videatur, in eo perfectum quoque aliud esse necesse sit. Etenim perfectione sublata, unde illud quod imperfectum perhibetur extiterit, ne fingi quidem potest. Neque enim ab diminutis inconsummatisque natura rerum cœpit exordium, sed ab integris absolutisque procedens, in hæc extrema atque effæta delabitur.* Quæ Boethii argumenta eò relabuntur, quod suprà Augustinus ratiocinabatur, non posse ulla commutabilia esse bona, nisi ab incommutabili bono proficiscantur. Consentiebat & suprà Boethius Augustino, tam crebrò monenti, bonum à nobis appeti & quæri, sed alieno loco quæri appetique; quæri enim inter sensibilium rerum ludibria, quod nonnisi in summi boni indagatione & consecutione reperire est.

Ibid. l. 3. prosa 10.

XII. Hactenus ergo id ratum fixumque esse demonstravimus, etiam ex sanctis Patribus, primum rerum omnium Principium esse ipsum bonum. Nunc accedamus ad hoc caput aliud, quòd summum bonum sit etiam ipsum unum. Idem sanè Boethius summa bona duo esse non posse, sic probat, quòd neutrum horum perfectum foret, cui tota alterius deesset perfectio. *Duo summa bona, quæ à se diversa sint, esse non possunt. Etenim quæ discrepant bona, non esse alterum quod sit alterum, liquet; quare neutrum poterit esse perfectum, cum alteri alterum deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse manifestum est.* Sed idem mox id evincit, ipsa unitate fieri, ut summum & perfectissimum bonum sint. Eòquippè bona singula minora bona sunt, quòd divisa diversaque sint. Ubi plura eorum coadunantur, hinc majus & perfectius existit bonum. Ergo ex omnium simplicissima coagmentatione, vel potiùs unitate bonorum, summum exurget bonum. Summè bonum ergo & summè unum idem est, eoque summum bonum, quo maximè unum. *Quæ igitur cum discrepant, minimè bona sunt; cùm verò unum esse cœperint, bona fiunt: nonne hæc ut bona sint, bonitatis fieri adoptione contingit?* Denique cùm omnia & esse, & diù esse, & bonum appetant, non aliud in his quàm unum appetunt. Quod ita probat Boethius, eoque unum & bonum idem esse declarat. *Quod subsistere ac permanere appetit, id unum esse desiderat. Hoc enim sublato ne esse quidem cuiquam permanebit. Omnia igitur unum desiderant. Sed unum ipsum monstravimus esse quod bonum est. Cuncta igitur bonum petunt.*

L. 3. prof. 10.

Ib. prosa 11.

XIII. A quibus non abludit illud Gregorii Magni, seu mavis Gregorii VII. Papæ in expositione lib. 1. Regum, ubi exponit omnia in omnibus Deum esse, quia *cum æterna illa essentia summum videlicet & simplex bonum in semetipso sit*, omnia tamen beatis omnibus suo ex fonte bonorum gaudia infundit. *Quia qui in natura sua unum & simplex bonum ineffabiliter existit, tot bona est bonis omnibus, quot ipsi omnes de contemplatione gloriæ adimplentur gaudiis.* Nec posset omnia bona omnibus esse, nisi unum simplicissimum esset bonum, ut unitatis simplicitate ineffabili omnia bona in unum summum bonum constringerentur.

L. 1. c. 3.

XIV. Cyrillus Alexandrinus Porphyrii Platonisque sententiam profert & approbat, nec mente, nec voce humana capi exprimique posse Deum; siqua verò nomina illi utcumque possint adscribi, unum bonumque dici debere, propterea quòd *unum ostendit simplicem ipsius naturam, & propterea seipsa contentam, ut qua nullo indigeat, non partibus, non substantia, non facultatibus, non actibus, sed sit horum omnium causa, bonum verò, &c.* Hæc unius descriptio tam bono quàm uni consentit, & penè bono magis quàm uni. Nam boni est omnia bona simplicissimè complecti, sibi sufficere, seipso contentum esse, nullo indigere, non partibus, non toto, nec crescere posse, nec decrescere, & alia id genus complura, quæ unius ac boni ideæ pari jure ideo ascribuntur, quòd una utriusque sit idea, si altiùs & penitiùs inspiciatur.

L. 1. contra Jul. pag. 32.

CAPUT IX.

Continuatur eadem censura placitorum Philosophicorum ex eadem sanctorum Patrum norma circa ipsum bonum.

I. Deum supra ipsum bonum esse assentitur Cyrillus; quod de eo affirmari nihil propriè possit.
II. Assentitur & Dionysius.
III. Et interpres ejus Pachymeres.
IV. Et Maximus Martyr.
V. Ipsum bonum supra mentem & supra essentiam locare licet, per eundem Dionysium.
VI. A quo non recedit Eusebius Cæsariensis.
VII. Qui tamen in his clementer interpretandus.
VIII. An possit dici Pater ipsum bonum & ipsum unum; Filius esse ipsum, & prima mens. Patrum alternatio, pro temporum ratione.
IX. Athanasius posse ita dici censet.
X. Hugo Victorinus vetat.

I. ILlud nunc ex sanctis quoque Patribus expendendum est, an possit Deus dici supra ipsum bonum. Et Cyrillus quidem ita haud dubio assentitur, cùm hæc Porphyrii Philosophica historia decerpit: *Platonem de uno Deo & sensisse & locutum esse, nullum verò nomen ei convenire, neque humanam mentem eum capere, appellationibus quæ à posteriori dicuntur, impropriè eum declarari. Quod si omnino ex nominibus quæ apud nos in usu sunt, aliquod audendum est de illo dicere, magis unius & boni appellatio est ei tribuenda.* Duobus illis præstructis fundamentis, quod de Deo cogitari, aut dici propriè nihil possit: quodque ab effectis tantùm & à posteriori possit utcumque declarari: hinc jam liquet, licèt ex indulgentia detur nobis, ut bonum illum unumque dicamus, esse tamen illum supra unius & boni fastigium. L. 1. contr. Jul. pag. 34.

II. Assentitur & Dionysius, Dei nec nomen esse ullum, nec intelligentiam, supra bonitatem etiam perindè ac supra essentiam ipsum esse. *Illam igitur divinam supraquam substantiam, quodcumque est illa supraquam-essentia bonitatis, quæ supra bonitatem est, neque tanquam rationem aut potentiam, neque tanquam mentem aut substantiam aut vitam laudibus celebrare fas est ulli, qui veritatis quæ supra veritatem est, sit studiosus.* Et infrà, cùm nec ipsum unum de Deo satis accuratè dici posse censuisset, quod ipso uno superior Deus sit: idem mox de ipso bono pronunciat. *Quin nec ipsum quidem nomen bonitatis ei tanquam aptum accommodamus; sed desiderio aliquid intelligendi & dicendi, de natura illa arcana, & ineffabili, quod est omnium nominum maximè venerabile ipsi primum consecramus. In quo quidem cum Theologis convenimus, sed ab ipsa rerum veritate multum deficimus.* Sic ille, qui statim per solas negationes aptiùs & convenientiùs Deum prædicari affirmat.

De divin. Nom. c. 1. n. 4. 5. ἡ τῆς ὑπεραγαθότητος ὑπερύπαρξις. C. 13. n. 3.

III. Nec minùs evidenter Pachymeres negat Deum propriè dici ipsum bonum, eo quod sit supra bonum; sed non potuisse Theologos ut de Deo verba facerent, non aliquo eum nomine designare; & hoc præ cæteris ut minùs incongruum ab illis usur- In c. 13. de div. Nom. n. 3.

usurpatum esse. *Quomodo enim Deus, qui nihil rerum est, sed supra res omnes, ex re aliqua nomen accipere possit? Et quid dicam de aliis nominibus, eum etiam ipsummet augustissimum nomen bonitatis non sit propriè Deo proprium? Theologi enim ut aliquid omnino intelligerent, & de Deo dicerent, ipsius desiderio correpti nomen bonitatis Deo imposuerunt, quamvis propriè Deus sit supra bonitatem & supra*
Cap. 1. n. 1. *essentiam*. Cùmque Dionysius in ipso statim limine Mysticæ suæ Theologiæ Deum unum Trinumque adorasset, ut super essentiam, super Deitatem, super bonitatem, τριὰς ὑπερούσιε, ὑπέρθεε, ὑπεράγαθε; Pachymeres, id ita interpretatur, quod significet essentia productionem, Deitas efficacitatem, bonitas relationem ad ea quibus beneficentiæ suę dona impertit. At his manifestum est non naturam, sed efficientias Dei declarari.

IV. Quibus astipulatur & Maximus Martyr, qui in Ecclesia Deum duobus maximè nominibus declarari ait, cùm veritas & bonum dicitur. Id autem his nominibus intercedere discriminis, quòd veritas propriam Dei substantiam significet, ut quæ simplex, una, immensa, incommutabilis, & æterna sit. At vox boni causam bonorum & fontem beneficiorum designet, Sicut & Dei nomen inde sumptum, quod omnibus motum & actionem largiatur. *Veritatem autem bonum dixit Deum significare. Sed veritatem quidem quando ex substan-*
De Ecclesiastica Mystagogia, c. 5. Bibl. Patr. To. 12. pag. 418. *tia videatur significari quod est divinum, Res enim simplex, & sola, & una & eadem, & quæ nec in partes dividi, nec mutari potest, & est impatibilis, veritas, nec oblivioni dari potest, nec ullis omninò intervallis, aut dimensionibus sejungi. Bonum autem quando ex operatione. Bonum enim benefacit, & omnium quæ ex ipso sunt, curam gerit, ut ea conservet & custodiat. Deus autem* θεὸς *dictus, ut ii opinantur, qui veram verborum rationem inquirunt, quod omnibus quæ sunt, ut sint & permaneant, & moveantur, largitur.*

V. Ad alterum nunc caput accedamus, ubi Platonici ipsum bonum, supra ens & supra mentem esse affirmabant. Ab eo quoque loquendi genere non abhorruit Dionysius: *Quod si supra omnia entia sit, ut revera est, ipsum bonum; & quod informe est format; & in ipso solo essentia carere essentiæ ex-*
De divin. Nom. c. 4. n. 3. *cellentia est*, ἐν αὐτῷ μόνῳ τὸ ἀνούσιον οὐσίας ὑπερβολή: *& vita carere vita præstantissima: & mente carere suprema sapientia*, καὶ τὸ ἄνουν ὑπερέχουσα σοφία. Alibi rursus ipsam per se bonitatem ex eo collaudandam celebrandamque memorat, quod ipsum esse ab ea exoriatur. *Cum igitur ipsa per se bonitas & supra quam bonitas*, αὐτοϋπεραγαθότης, *producat primum*
C. 5. n. 5. *hoc donum ipsum esse*, τὴν τοῦ αὐτῷ εἶναι δωρεάν. Nihil in his residere potest dubii, cum disertè dixerit Dionysius, ubi Deus nec mens, nec ens, sed supra ens & supra mentem esse pronunciatur, tum nihil aliud significari, quàm aliquam essendi & sapientiæ abundantiam ineffabilem & inexcogitabilem in Deo uno reperiri.

VI. Eusebius quoque Cæsariensis Episcopus in eandem sententiam concessisse videtur, cum prolatis in medium compluribus ex iis Platonis contextibus, quos supra retulimus, hæc mox subiicit. *Hæc*
Præp. Evan. l. 11. c. 21. *Plato, quibus clarissimè docet, spiritales intelligentesque naturas à bono, sic enim Deum appellat, non ut cognosci modo possint, habere; verùm etiam ut sint bonum: tamen ipsum essentiam non esse, sed essentiam omnem majestate simul ac potestate longè multumque superare. Itaque naturas illas nec ejusdem cum illo essentiæ esse statuit, nec ortu carere arbitratur. Quippè quæ ut essent, ac propriam essentiæ suæ rationem, ab eo quod essentia non est, sed majestate ac potestate essentiam omnem longissimè prætergreditur, acceperunt: quem propterea jure quidem ac merito solum Hebræa oracula Deum prædicant, &c. Hoc enimverò uni dumtaxat tribuendum est, præterea nemini, soli inquam illi bono, quod majestate simul ac potestate Plato longè supra essentiam omnem eminere, tam egregiè præclarèque pronunciat.*

VII. Non nescio quibus meritò suspicionibus exagitari possint hæc Eusebii verba, & quam facilè possint ad impietatem Arianorum deflecti. Solum enim illi Verbi Patrem ea circumdabant majestate, qua Platonici ipsum bonum vestiebant, illi autem longè imparem subiiciebant Filium, ea claritate fulgentem, qua Platonici ens ipsum, seu primam mentem exornabant. Verùm cùm nonnulli cæterorum Patrum ab Arianæ vesaniæ suspicionibus alienissimi, eadem senserint, scripserintque quæ hìc Eusebius, de istiusmodi decretis Platonicorum, malui ego clementer & innoxiè hæc Eusebii quoque verba interpretari.

VIII. Et quando huc devoluta oratio est, hanc extremam hìc quæstionem versare necesse est, an rectè Patri Deo vendicari possit nomen & ratio ac proprietas ipsius boni. Parcam hìc referre quæ idem Eusebius alibi scripsit in hanc eandem sententiam,
Dem. Evan. l. 4. c. 3. 2. ubi Patrem ipsum bonum, Filium testatur esse primam mentem, ipsumque esse, eò à Patre genitum, ut omnium pòst creandorum veluti materia esset, & fundamentum, & origo. Quia videri & hæc possent eadem tincta fuligine, iis in totum supersedeo. Eunomius certè inter Arii discipulos præcipuus, Entis nomen Filio, Boni vocem Patri vendicabat soli, ita ut ab ejusdem consortio & majestate bonitatis Filius tanquam degener excluderetur. Hæc ejus verba refert & refellit Gregorius Nyssenus: *Cum ipse Unigenitus reddat Patri eam, quæ soli pro dignitate debetur, cognominationem. Qui enim* Orat. 11. adv. Euno.
Boni appellationem illi soli convenire docuit, qui & suæ & omnis bonitatis est author, etiam quodcumque bonum, & quod est, & quod fit, in illum refert. Vix enim eorum quæ fiunt potestatem & entis nomen sibi vendicavit. Hæc verba, hæc impietas Eunomii, Platonicorum omninò verbis sensibusque obducta. Quò consideratiùs nos cautiùsque convenit librare verba, ne orthodoxi dogmatis veritati, etsi non sententiarum, saltem verborum licentia injuriosi simus. Itaque etsi possit in bonum sensum traduci illa loquendi formula, qua Pater ipsum Bonum, Filius ipsum Ens dicitur, parcè tamen ea utendum, aut omninò forsan abstinendum est. Lato quidem intervallo & à Platonicis, & ab Arianis, & ab Eunomio distant, qui ipsum Unum & ipsum Bonum verè Patri Filioque convenire tribuique definiunt, ut quorum una communisque & essentia & majestas est; sed ea duo nomina magis appropriari Patri, ob quandam cum personali ejus proprietate consensionem; sicut omnipotentia appropriatè Patri tribuitur, etsi Filio quoque & æqualiter competat. Ita & sapientia Filio, charitas Spiritui sancto propriè tribuitur, sed ut loquuntur appropriatè, quanquam in omnibus in commune divinis hypostasibus hæc omnia adscribantur. Sed suspensis vestigiis incedendum semper est, ubi salebrosa loca sunt & hæreticorum tendiculis suspecta. Meritò Gregorius illa Eunomii verba insectatur, ut quibus tunc quidem tota tegeretur vel retegeretur potiùs Ariana impietas, Filiusque à Patris æqualitate exturbaretur. Postea verò ubi ne suspicio quidem esse potuit istiusmodi perfidiæ, si simpliciùs scriptores Ecclesiastici quandoque Patri Deo proprium, vel ut loqui malunt, appropriatum esse voluerint ipsius Unius & ipsius Boni nomen sicut eidem quandoque æternitas & omnipotentia, Filio sapientia & veritas, Spiritui sancto charitas suavitasque tribuitur, danda his utique venia est, si præsertim eas adhibuerint, quas nos hìc prætendimus cautiones.

IX. Athanasius certè, quo nihil usquam cautiùs, nihil elimatiùs, non temperavit tamen sibi, quin Verbi Patrem ipsum bonum, Verbum autem mentem & sapientiam appellitaret. *Proprius & solus boni Patris existit sermo* λόγος, *qui mundi*

ordi-

Orat. con. Gent. *ordinem dispensavit*, &c. Et paulò suprà: *Ipsius boni & Dei omnium viventem & efficacem Deum, ipsum Verbum dico*, &c. Et infrà, si ex oratione mentem, quantò magis ex contemplatione Verbi ipsum bonum ejus Patrem intelligemus. *Quantò vividiùs excellentiùsque ex intuitu Verbi, intelligentiam accipiemus & boni Patris ejus.*

X. Claudet hanc censuram Hugo Victorinus, qui multa præclarè dicta a Platonicis assentitur quidem, sed cespitasse illos quandoque testatur, maximè ubi de Bono & Mente & Anima mundi disputant, & hanc commentitiam Trinitatem, etsi Deitatis nomine exornent, variis tamen inæ-
Miscellan. L. 1. c. 184. qualitatis gradibus profanant. Itaque *evanuerunt in cogitationibus suis, quando dixerunt* περὶ ἀγαθοῦ ϗ νοῦ, *id est, de Bono, & Mente, & de Anima mundi, asserentes ea esse tria principia, & tamen inæqualia; cùm* τὸν *inferiorem* τοῦ ἀγαθοῦ *esse dixerunt; & animam mundi utroque. Nec tamen negatur rectè eos dixisse in quibusdam; ut cùm dixerunt originales rerum causas in mente consistere divina, & cætera talia.* Non vetat Hugo, ne bonitas Patri, mens Filio propriè seu appropriatè adscribatur, dum cautum modò & prospectum sit utriusque substantivæ æqualitati.

CAPUT X.

De malo Philosophorum placita obiter recensentur.

I. Famosa quæstio, Qui in imperio summi boni malum existere, aut excrescere potuerit? Plato censet, cùm summum bonum sit, necesse esse ut sint bona inferiora, hoc est, mala; nec enim mala, nisi bona minora sunt: item mala pœnæ, bona esse, cùm ad bonum confugere cogant; denique extremas lineas similitudinis cum bono, mala dici; & mala ipsa culpæ, supplicia pariter esse, eòque bona.

II. Quo sensu dici ab eo potuerit, bona à Deo esse opifice, mala à Chao, à materia.

III. Ex eodem nusquam malum est, cùm nusquam sit malum culpæ, ubi non adsit continuò bonum vindictæ; cùm culpa ipsa pœna sit, miseria sit, adeoque bonum sit; cùm mali semper miseri sint, boni semper beati. Ita bonum pulcrumque ubique regnat, etiam in malis & turpibus.

IV. His finitima disserit Plotinus; utque è corporibus, è materia; ut ab origine mali fugiendum sit.

V. Ex eodem malum non est, nisi privatio boni. At privatio nusquam est. Malum ergo nihil est nisi absentia boni. Nec vita, nec substantia malum est: hæc quippè bona sunt. Nec est, inquantum enim quodque est, bonum est. Nec nisi in bono potest esse malum, id est privatio boni.

VI. Ex eodem Plotino, quæ singulis mala, universo bona sunt: mali & mala ibi figuntur ab omnipotente providentia, ubi turpitudine sua exornent adaugeantque pulcritudinem universi.

VII. Ex Proclo quæ sibi mala & turpia, universo bona & pulchra; necesse est ad boni imperium omnium ordinum bona esse, ergo & minuscula esse bona, quod non fit nisi mali permixtione; mors & interitus partibus obest, universo prodest, dum nova in dies creantur, & rejuvenescit orbis. Denique mala pœnæ, in quibus ordinantur mala culpæ, cedunt in orbis decus.

VIII. Eadem ex Jamblicho; utque superno semper influxu trahantur animæ, ad summi pulchri, boni, verique amorem, per sui vestigia terrenis impressa persequendum; illæ autem fathiscant, & in vestigiis his fugientibus conquiescant, eoque malè faciant, & malæ simul patiantur.

IX. Ex Simplicio mala sunt amaritudines illæ boni vestigiis aspersæ, ut per eas vel inviti cogamur ab his refigi, & sursum eluctari ad ipsum bonum, quod ita dulcescet, ut ei æternum affigamur. Ita perperam mala vocantur, quæ sunt contra malum medicamenta.

X. Malum nec substantia est, nec actio; hæc enim sunt, eoque bona sunt; sed affectio mala est bonæ substantiæ, ut morbus; quod genus mali, prohiberi non potuit, quin multa bona ex ejus medicatione exorientia præfocarentur.

XI. Ex eodem Simplicio, de anima inter summa & ima sedem habente, & vel huc, vel illuc se convertente; unde bona, malaque.

I. Non potest non statim ingerere se hæc quæstio famosa, unde in imperio summi boni malum, unde tantum malorum excreverit. Hanc nostro more priùs excutiemus ex celeberrimorum olim Philosophorum placitis, ut sicubi erraverint, authoritate Christianorum mox Theologorum in viam revocentur: ubi autem suffragati orthodoxæ fuerint veritati, hinc etiam nostræ Theologiæ lux & favor accedat, quòd ejus dogmata tantò ante Christiani nominis exortum naturæ ipsius magisterio & invicta veritatis vi inclaruerint. A Platone exordiar, ut eniteat quàm nec transversum ab eo digitum deflexerint posteriores Platonici, & Christianæ Ecclesiæ temporibus clari. Ita ergo ille constituit, cùm bonum sit, necesse est, ut & mala sint, cùm inferiora summo Bono bona sint. Boni quippè defectu bona inferiora sunt, nec malum nisi defectio boni est. Porrò bono cedere & famulari mala ipsa, cum amaritudine sua cogunt nos hinc fugere, & ad illimem boni fontem redire, non alia ad ipsum progressione, quàm accurata cum ipso similitudine. Denique etsi cruciamenta sensuum non desint malis hominibus, longè tamen acerbiorem pœnam illis adhærescere, suam ipsorum nequitiam, qua à summo bono dissimilitudine tam longè summoventur. *Impossibile est mala penitus extirpari. Nam* In Theæteto. *bono oppositum aliquid esse semper necessum est. Neque tamen apud Deos locum illa habere possunt. Naturam verò mortalem regionemque inferiorem necessariò circumeunt. Quare conandum est ut hinc illuc quàm celerrimè fugiamus. Fuga autem est ut Deo similes pro viribus efficiamur. Deo similes efficit cum prudentia justitia simul & sanctitas.* Et infrà: *Qui iniquè aliquid patrat, & profana dicit, aut facit*, &c. *Viri tales injustitiæ mulctam ignorant, quam ignorare minimè decet. Neque enim est, quam forsitan opinantur, verbera atque cædes, quæ sæpè hi patiuntur qui injustè nihil egerunt, & injusti sæpè devitant; sed ea potiùs quæ vitari non potest. Cùm in rerum ordine exemplaria duo sint, divinum quidem, beatissimum: quod vero Dei expers, miserrimum: non videntes ita rem se habere, stultitia extremaque dementia occupati, latenter huic quidem similes ob actiones iniquas redduntur, illi contrà dissimiles. Cujus profectò delicti pœnas pendens, dum vitam illi convenientem, cui similes effecti sunt, ducunt.* Itaque cùm duo sint mali genera, culpæ & pœnæ, pœnæ quidem in bonis potiùs censendæ sunt, utpotè quæ bene vertant, malum ulciscantur & extinguant. Culpæ verò quæ verè mala sunt, nec ipsæ tamen boni umbra & aspergine aliqua carent, cùm quæ crimina sunt, eadem & criminum supplicia sint. Etsi enim cessent tortores & cruces, non potest non esse miserrimus, qui à bono, qui à beatitudine quæ à bono indissociabilis est, desperatissimè & irrevocabiliter proscriptus est.

II. Tempero calamum, ne ea recenseam, quæ idem pene nugatur Plato de mundi vicissitudinibus, nunc malorum è chao exorientium colluvione penè in interitum demersi, pòst Numinis auxilio per bonorum incrementa, quasi rejuvenescentis, & in pristinam se pulcritudinem restituentis. Fabulosæ sunt istæ vices, sed non omnino abjiciendum forsan est,

quod Plato ait, mala è chao, bona ex opifice Deo proficisci. *Quondam valde deforme erat, & ordinis* In Politico. *expers, antequam præsenti ornatu decoraretur. Ab eo sanè qui ipsum construxit, bona omnia possidet; à priori autem deformitate incommoda & injusta omnia quæ intra cœlum nascuntur, & mundus ipse sustinet, & animalibus inserit.* Prior illa deformitas vel indigestum chaos est, vel materia corporea, vel ipsum potiùs nihilum, unde universum orbem Deus eduxit in hanc speciem & pulcritudinem, bonorumque omnium exuberantiam. Et quidem qua ex Deo sunt naturæ istæ infimæ, haud dubio bonæ sunt, cùm à principe boni fonte non possint nisi bona scaturire. At quatenus è nihilo sunt, de hujus quoque originis suæ ingenio id habent, ut & minora & mutabilia bona sint, & multis malis obsita. Perinde est si è materia oriri mala dicas, nam & materia penè nihilum est. Si verò ex chao exorientem attendas orbem, æquè & hinc malorum scatebit vena, quòd inde nimirum id consequatur, ut tam possint naturæ corporeæ singulæ in eandem sui dissolutionem, & cum aliis permixtionem relabi, quàm inde emergere potuerunt. Porrò sive ex nihilo, sive ex materia, sive ex chao mala oriri dicantur, hæc sanè mala non aliter mala sunt, quàm quia minuscula & sui quæque generis & modi bona sunt.

III. Lubens omitto quæ alibi idem Plato disserit de pœnarum criminumque duplici classe. Ut enim criminum alia sanabilia sunt, & hæc pœnis subduntur emendatoriis, ex quibus duplex emergit utilitas, quod & reus dum plectitur, exemplo est aliis ne peccent, & ipsius vitia oblitterantur. Alia sunt insanabilia & desperata, quibus imminent pœnæ, nequaquam emendatoriæ, sed utiles tamen, cùm etsi ipsi cùm pœnas dant, non sanentur, exemplo tamen & terriculamento sunt aliis, ne in eosdem se cruciatus demergant. Ita nusquam malum est, cùm nusquam sit malum culpæ, ubi non adsit continuò bonum vindictæ. Pulcherrima sunt & quæ ibidem Socrates disputat, longè miserius esse injuriam inferre, quàm accipere. *Quoniam inferre injuriam malorum omnium maxi-* In Gorgia. *mum est. Si necesse fuerit accipere injuriam aut inferre, accipere quàm inferre malim.* Ita nusquam dedecus culpæ sine decore pœnæ, cùm malorum maximum sit ipsum peccatum. Latiùs patet adhuc quod mox subditur, *Ita prorsus existimo, bonos beatos, malos miseros.* Si ita porrò comparatum est cum imperio summi boni, ut boni sint semper beati, mali miseri, nulla ergo jam mera mala sunt. Nam si malum est malos esse, bonum confestim ibidem est malos miseros esse. Si malum est bonis malè esse, nusquam bonis malè est, cùm eo ipso beati sint, quo boni sunt. Quin malum ex adverso esset, si nullis existentibus malis nusquam eluceret quanta sit beatitudo justitiæ, à qua nemo recedat nisi in miseriam, ad quam nemo accedat nisi ad fœlicitatis cumulum. *Secundum sententiam meam, qui injuriatur injustusque est, omnino est ante alios miser: si autem injuriarum pœnas nusquam luat, miserior; minùs verò miser, si luat.* Ut malum enim, ita miseria crescit vitii impunitate, decrescit coercitione. *An negare potes justa omnia, quatenus justa sunt pulchra esse?* Ita pulchrum bonumque est, quia justum crimina plecti: hoc bonum ne ex rerum natura intercludatur, æquum, justum, adeoque bonum est, non prohiberi ab omnipotente bono creaturas liberas, ne peccent si velint. *Nam qui punitur, dum injustitiæ dat pœnas, justa patitur. Justa verò dictum est esse pulchra. Horum igitur alter quidem pulchra facit; alter verò, scilicet qui dat pœnas, pulchra patitur. Quòd si pulchra, etiam bona. Bona ergo patitur, quisquis justè punitur.* Miserrimus porrò est, qui vel corpore vel animo ægrotat, nec curatur. At qui ægrotat animo, & pœnis curatur, minùs miser est. *Quippe cum pœna justa moderetur, justioresque efficiat, tanquam medicina quadam improbitatis.* Ex quibus omninò manifestum est, *Qui scelerum supplicia non ferat, eum vel præcipuè miserum esse. Ac semper eum qui intulit, eo qui sustinet injuriam esse miseriorem; denique illum qui non luit pœnas, illo qui luat.*

IV. His finitima sunt quæ Plotinus de natura mali disputavit. Et primò quidem sic ille statuit, ubi Plato censuit hinc fugiendum esse, quòd hic mala sint, apud Deum autem sit originalis quasi regio boni, non ita illud sumendum esse, quasi terrenis è locis migrandum sit: sed à terrenis vitiis abscedendum, ut in terris etiam cælestem, hoc est, justam piamque vitam vivamus. Nec enim malum u quam aliud quàm animi pravitas. *Verùm quod in-* Enn. 1. l. 8. *quit hinc aufugiendum esse, nequaquam de terrenis lo-* c. 5. 6. 7. 8. *cis est dictum. Fuga enim est non à terra discedere, sed hominem etiam in terra viventem justum & sanctum unà cum prudentia fieri: perinde ac si dicatur, Aufugiendam pravitatem esse, quasi mala homini sint, tum pravitas, tum quæ ex pravitate nascuntur.* Porro ubi idem Plato malorum originem repetit à materia, ibi materiæ nomine designari corpora, quorum immoderata cupiditate anima exorbitavit à boni justique regulis, seque malis implicuit. *Qua igitur via quis mala vitabit? Non loco fugientem ait devitaturum, sed virtutem potius comparantem, seque ipsum à corpore semoventem. Sic enim se à materia segregabit. Quippè cùm hærens corpori, hæreat & materiæ. Esse præterea penes Deos, significat in mundo intelligibili esse.* Ex corporum quoque prava complexione & intemperie exardescunt cupiditates variæ; ita rursus è materia malum exoritur, & à corporibus rursus fugiendum est. *Quamobrem si corpus causa est malorum, hac quoque ratione materia malorum causa judicatur. Dixerit fortè aliquis oportere talia superare. Verùm haud purum est, quod superare queat, nisi fugiat. Jam verò vehementiores cupiditates certa quadam corporum complexione proveniunt, &c.*

V. Cæterùm cùm malum privatio boni sit, ut privatio, ita & malum non aliquid erit, sed mera boni absentia. Nec per se malum unquam existet, cùm nusquam privationes nisi in subjecto aliquo sint. Non erit ergo malum nisi in bono; sed in eo bono cui deficiat aliquid boni. *Priva-* Ibid. c. 11. *tio semper in alio est, in seipsa verò non potest subsistere. Malum igitur si est in privatione situm, certè in eo quod specie privatum est, erit malum. Itaque per seipsum esse non poterit. Si ergo in anima erit malum, privatio in ea malum & pravitas erit, & nihil extra.* Non potest autem vel anima, vel alia quævis res malum esse; si enim malum foret, mera privatio foret, atque ita nec vita, nec substantia, nec ens foret; bona enim hæc sunt. *Jam igitur neque habebit vitam, etiam dum est anima. Quòd si vita caruerit, anima erit inanimis, &c.* Ita nec malum nisi in bono esse potest, sicut nec omne bonum erit, nisi sit & malum. Bonum est enim declinare à malo. Prudentia in dignoscendis malis, fortitudo in iis superandis versatur. Sicut ergo purum summumque bonum esse necesse est, ita & minora bona, id est ex bono bonique aliqua privatione composita. Ut ita demum nullum non sit bonorum genus. *Proinde si quis malum in ordine rerum esse nega-* Cap. 14. *verit, bonum quoque tollere compelletur; & quidquid usquam est appetendum, ipsumque appetitum, item declinationem, atque rursus intelligentiam. Appetitus enim boni est, declinatio verò mali. Intelligentia denique & prudentia boni simul est atque mali, ipsaque in bonorum numero collocatur. Oportet igitur esse bonum, rursusque bonum purum, necnon mixtum ex bono atque malo.* Denique potest purum bonum esse, propterea quòd per se existat: at malum non potest purum usquam esse, propter omnipotentis boni imperium. Ideo malum quodlibet multis pulcris bonisque vallatum & obligatum

qua-

quasi vinculis est, ut si quando homines in mali informem conspectum incurrant, statim pulchri & boni simulacris in boni memoriam revocentur. *Malum autem nusquam est merum malum propter omnipotentiam boni atque naturam. Quoniam occurrit ex necessitate pulchris quibusdam vinculis comprehensum atque opertum, instar eorum qui catenis aureis vinciuntur; ne palam in conspectum Deorum prodeat, neve homines nudum malum semper ante oculos habeant; & si quando quoquo modo videant, tunc pulchris ipsius boni simulacris in boni memoriam revocentur.*

VI. Postremò denique ita definit Plotinus partes universi alias ab aliis, universas à toto pendere, ad totum spectare & referri. Hinc multa quæ singulis partibus videntur mala esse, universo bona sunt. Anima potissimum nostra inter superiores naturas, quibus cohæret, & inferiores sita, utrimque aliàs aliter afficitur; & hìc pugnæ conflictationesque non raræ. Omnia tamen divini judicii vi atque potestate dispensantur, nec cuiquam fas est hunc ordinem omnipotentis boni effugere; quo mala etiam ipsa malique homines ordinantur, & eo loco figuntur, ubi turpitudine sua & malitia pulcritudinem universi adeo non dehonestent, ut eam potius commendent & illustrent. Et mali quidem nescii aguntur & rotantur, quo eos providentiæ ineluctabilis potestas rapit: at boni prudentes volentesque hunc ordinem sequuntur: nec mirum si in alias & alias universi partes transferantur, virtutum præmio afficiendi; cum non tam terræ, quàm universi membra sint, & in unum pulcritudinis, justitiæque & boni imperium conspiret universitas. *Ex omnibus quæ dicta sunt, manifestum est, quidquid comprehenditur universo, quemadmodum natura dispositioneque præditum est, sic ad universum conducere, facere & pati. Sicut & in quolibet animali unaquæque pars, quemadmodum se natura & affectione habet, ita confert ad totum, atque subministrat, & tali quodam ordine usuque censetur, &c. Nos verò sumus contigui tum rebus infra nos positis, tum superioribus. Cumque sic affecti simus, nimirum quales simus latere non potest, &c. Tam mirabilem universum hoc potestatem habet & ordinem, in qua quidem silenti quodam occultoque jussu & via, justè omnia dispensantur sub divino judicio, cujus sententiam nulli prorsus licet effugere: quam quidem malus intelligit nullus, sed fertur tantum inscius, in quam potissimum decet partem universi transferri. At vir bonus & novit, & quo oportet accedit; & antequam accedat, præsentit, ubi post accessum sibi necessariò sit habitandum, bonaque spe vivit, se quandoque cum Diis ipsis habitaturum. In parvo quidem animali parvæ quoque sunt mutationes partium & consensus exigui, neque in eo partes ipsæ sunt animalia, nisi fortè in nonnullis ad breve. At in eo animali in quo tam ingentia sunt intervalla, & quodlibet suorum inclinationem & permutationem quandam subit, animaliaque insunt multa, necessarium est motus translationesque esse majores. Videmus profectò Solem, Lunam, stellas omnes ordine certo transferri, situmque mutare. Non igitur dissonat rationi animas quoque ab alio loco ad alium transmutari, non eundem semper servantes morem, ordinatum denique, & ut affectionibus suis convenit, congrua proportione dispositas; dum videlicet aliæ vicem quasi capitis obtinent, aliæ verò pedum, vicem inquam congruam universo. Habet enim & hoc differentias ad melius & deterius, &c. Punitiones verò animarum tales sunt, quales partium ægrotarum, ubi aliæ fomentis alligantur, aliæ circumciduntur, vel expurgantur, aliæ qualitatibus permutantur; ut sanum sit totum, singulis ubi expedit, ritè dispositis. Sanitas enim totius spectatur in primis.* Ita Plotinus demonstrat, quæ partibus mala sunt, universo bona esse; sanum esse totum pulchrumque, cum in parte plectitur & purgatur nequitia ex justitiæ legibus: bonos malosque liberis arbitrii sui affectionibus vel bona sibi, vel mala consciscere, & eò evolare post mortem, ubi illos collocari postulat ordo & pulchritudo universi.

Enn. 4. l. 4. c. 45.

VII. Horum pleraque in unum locum congessit Proclus Theologiæ suæ Platonicæ, nec sine insignibus quibusdam aliis elucidamentis. Illud ante alia ratum & inconcussum esse jubet, non posse ipsum bonum mala ulla ex se profundere; sicut nec vita ipsa mortis, vel pulchritudo turpitudinis causa & author esse potest. *Primum enim bonum, & ex seipso bonum omne procreat, nec ejus quod bono contrarium est, causa & parens est. Quandoquidem nec vitæ fons effundit ex se mortem, & causa pulchritudinis quæcunque est, omnis ipsa turpitudinis & infirmitatis est expers, nec potest ejus esse causa. Nefas est ergo primum Principium à quo bona manant, contrarios bonos fœtus parturire; sed impolluta & non mixta, & uniformis inde prodit bonorum natura.* At eorum quæ bona à summo bono procreantur, alia puram & illibatam servant bonitatem; alia verò, utpote particularia ab ipso fonte bona, rivulos suos sordescere & inquinari sinunt. *Et divinum quidem bonorum Principium, in perpetuum stat & quiescit in seipso, omnibus secundis proponens abundantem bonorum communionem. Illorum verò quæ hæc participant, alia puram servant communionem, & proprium bonum puro suscipientia sinu non fugientem retinent convenientem sibi bonorum partem, propter facultatis abundantiam. Alia verò in extremis universi finibus locata, omnino quidem & ipsa secundum naturam fruuntur Deorum bonitate. Neque enim fieri potest, ut sint, vel ut primum subsistant, ea quæ boni præsentia prorsus carent. Cum verò susceperunt talem boni influxum, nec integram nec impermixtam solent servare bonorum ad se pervenientium donationem, neque retinere constanter & eodem semper modo suum bonum. Sed postquam facta fuerint infirma, particularia, materiata, & subjecta mortalitatis plena, ordini quidem confusionem opponunt, rationi irrationale, virtuti vitium contrarium.* Ergo malum non permisceretur nisi bonis gradatim à summo bono longiùs longiùsque recedentibus, nec aliter fieri potest, si necesse sit, si meliùs sit, si bonum sit bona omnia esse, majora, minoraque, omnis gradus generisque. Eò autem minora evadunt bona, & mali contagione aliqua sordescunt, quia multa, quia particularia sunt, quia materiæ permixta, quæ origo est divisionis & divisibilitatis cujusdam infinitæ. *Particularia verò propter ipsam facultatis imminutionem, in multitudinem semper & partitionem & divisionem ingredientia rerum universarum, obscurant quidem ipsam boni communionem, substituunt verò contrarium, quod in ipsa cum bono mixtione superatur à bono.* Quæ verò in parte videntur mala, in universo bona sunt; quod debeat universum constare bonis majoribus minoribusque; quod cum particularia sibi intereunt bona, universo non intereant; quod denique siquid in uno loco vitiosum malumque sit, id alio loco & tempore emendetur, plectatur, expietur, & ita de malo ipso bona emergant. *Quod enim corrumpitur, sibi quidem corrumpitur, & à sui perfectione recedit; ipsi verò universo incorruptum est & expers interitus.* Particularia bona temporum fluxibus & motionibus obnoxia, fluxè & mutabiliter summi boni participationem conservant; at universo hic temporum rerumque sibi succedentium decursus necessarius est, cum non possint posteriora pullulascere, nisi ex anteriorum interitione. *Quæ media sunt & in tempore agunt, boni communionem cum illa mutatione, quæ fit in tempore & motu connectentia, Deorum donationem immotam & uniformem & simplicem conservare nequeunt.* Quin & mala ipsa ordinat Deus, & eo locat situ, ubi ad universi pulchritudinem non parùm ipsum quoque conducat. Denique animarum vitia & mala sic ordinantur in pœnis, ut vel hinc summa & justitiæ pulchri-

Cap. 17.

pulchritudo & boni omnipotentia elucescat. *Ne-* ἡ δίκη. *que inordinatum relinquitur illud malum quod est in particularibus rebus. Sed & hoc à Diis dirigitur. Et propterea justitia quidem improbitatis in animabus sitæ purgatrix est. Alius vero Deorum ordo purgator est illius improbitatis, quæ versatur in corporibus. Omnia vero pro viribus ad Deorum bonitatem convertuntur. Et manent quidem in suis terminis universa & perfecta, In ordinem vero rediguntur, & collocantur decenter illa, quæ sunt particulariora & imperfectiora, & ipsi universorum complemento serviunt, & ad pulchrum revocantur & mutantur, & quovis modo boni communione fruuntur, quantum ipsis possibile est.* Ita nisi in minoribus bonis malum, id est, boni privatio non est; nec merum malum est usquam, cum privatio boni nisi in subjecto esse non possit, quod sit & existat, eoque saltem quod sit & existat, bonum sit: *Neque prorsus fieri potest ut illud malum, quod omni bono est omnino nudatum, subsistat.*

Segm. 4. c. 6. 9. 10. VIII. His mirum in modum consonant, quæ Jamblichus philosophatur in libro de Mysteriis, de mali origine. A Deo malum oriri posse negat, quod Deitatis naturæ contrarium malum sit, sic enim nec à calore frigus, nec à luce tenebræ possunt exoriri. Tam certa & inconvulsa est hæc de Deo sententia, ut ab ea avocari nos non sinamus, quantumvis inenodabiles contra irruant in nos difficultates. *Dii boni nonnisi bonorum causæ sunt, & nullius authores mali. Eorum quippè essentia est ipsissimum bonum, sicut caloris calefacere, & lucis lucere. Igitur Numina nihil injustum agunt, agerent enim contra naturam propriam. Interea tamen causæ improbitatum quærendæ sunt, quibus inveniendis si pares non fuerimus, non idcirco oportet dimittere veram piamque de Diis sententiam. Multò namque melius est ex nostræ imbecillitatis ineptiis nescire nos, quomodo injusta patrentur, quàm concedere de Diis falsum aliquod impossibile.* Ubi numina, ubi Deos tam frequenter Jamblichus, Proclus, Plotinus, & Plato inculcant, non illi quidem Gentilium Deos in honore vel habent, vel haberi volunt; sed eo tamen peccant, quod vel primam mentem & animam mundi divinitate donent, etsi longè diversæ inferioris substantiæ eas esse existiment, quàm sit summum bonum; vel quòd priores sanctorum Angelorum & piarum animarum classes divinis dotibus, ultra quàm par est, vestiant. Hæc duplex hallucinatio omnibus ferè aspersa est eorum commentariis; nec mirandum magnoperè est, si hos in errores ii impegerint, quibus Christi veritas non illuxerat: sed illud stupendum potius, quod in alia veritatis arcana tam altè penetrare potuerint.

Pergit porrò Jamblichus ibidem declarare, ut corruptiones particularium, quæ mala ipsis quidem sunt, bona sint universo, quod novorum ex ortu partuum semper rejuvenescit, & alias aliis pulchritudines subrogat. *Quo fit ut ex necessitati-* Ibid. c. 8. 9. *bus corporalibus circa partes mundi quædam accidant mala, & perniciosa. Si spectes ad universum atque ad universi harmoniam, non sunt perniciosa, sed salutaria: non sunt mala, sed bona; quæ tamen partibus universi quandam necessariam corruptionem important.* Et infrà: *In toto sunt perfectiones, in partibus imperfectiones. Et illa quæ in ideis purisque rationibus præsubsistunt, in natura totorum, in universali; contrahunt nescio quid indigentiæ materialis, deformitatisque in particularibus; sic aqua in fonte scatet purius, in rivulis impurius. Non aliter quæcunque inter se in totis sunt unita, in partibus dissident. In toto unum, in parte in turbas abeunt. Atque ita particularia, quæ cum conditionibus materiæ partem à totis capiunt, in omnibus sublapsa degenerant à pulchris, à perfectis, à totis; quin etiam pleraque partium corrumpuntur, ut tota ipsa per naturam pura consistant. Partes item quandoque tribulantur, & gravantur, ut ex hujusmodi perturbatione nascentia universa sine passione permaneant.* Et denique quòd ad naturas quoque liberas & earum mala trahendum est: *Impluunt Dii super terram influxus proprios ad salutem universi. Sed receptacula more suo capientia, ob mixturam propriam & perversitatem, pervertunt influxus optimos in contrarium. Nam divina dona in alios transferunt usus, eisque non utuntur eo modo & fine, quibus Superi dederunt. Omnibus ex his abunde fuit expositum, divinitatem esse extra causam culpamque malorum & pravitatum.* Jugi nimirum summi boni influxu excitantur animæ ad amorem boni, veri, pulchri; at illæ non rarò hæc bona, vera, pulchraque non in suo sursum fonte appetunt & quærunt, quo vocantur, sed in horum imis vestigiis per sensibilia sparsis acquiescunt. Idque malum est. Influxu enim summi boni invitantur & trahuntur animæ, ut per vestigia boni pulchrique in sensibilibus naturis depicta, ad ipsam incommutabilis boni pulchrique æternitatem conscendant; at illæ pigritanter huic impulsioni obsequuntur, & imæ pulchritudini acquiescentes, ulteriùs non eluctantur.

XI. Ita sanè Simplicius ratiocinatur, animas In c. 1. Epicteti. pag. 13. 14. hominum inter summa & infima locatas, quasi alternare, & nunc sursum, nunc deorsum ferri: *Semper tamen ad res expetendas & bonas fertur earum voluntas, sive illæ verè bonæ sint res, sive ob adjunctas voluptatis illecebras falsâ boni specie blandiantur. Nam quia cum vero bono semper & vera voluptas est conjuncta, ubicumque animus adumbratum aliquod voluptatis simulacrum animadverterit, non considerans verane sit, veroque bono cognata, an verò fallax & adulterina boni umbra, tanquam ad verum bonum accurrit, nec expendit multiplicem molestiam & quidem exquisitissimam illi inesse.* Porrò istæ amaritudines quæ terrenis voluptatibus adhærescunt, adeo non mala sunt, ut medicamenta sint, quibus ab earum amore pestifero revellamur. Hæc est enim ars providentiæ, ut à summo bono dilapsi & aberrantes, per ipsa boni vestigia sensibilia in quæ cecidimus, ad summum rursus bonum trahamur & revocemur. Si verò hæreamus boni vestigiis, nec ultra eluctemur, ut vel inviti quodammodo cogamur per affusas illis molestias amorem inde refigere, & ad superna conferre. *Debet igitur animus appetitu voluptatis & suavitatis, atque amore corporum, opum, honorum, potentiæ, similiumque rerum vitiatus, earundem rerum frustratione & puniri & sanari, in primis verò corporis doloribus, quod est animo propinquius, cujusque cruciatus magis sentiuntur. Cùm enim animus & Deum & seipsum deseruerit, seque totum corpori & rebus externis dediderit, eaque seipsum esse putaverit, & suum bonum in illis quæsierit, eaque ratione depravatus ægrotaverit: quonam alio modo ista aspernaretur, & ad seipsum & Deum converteretur, & in his bonum suum quæreret, nisi præter noxam ista etiam molesta experiretur? Nam quia propter voluptatem ad ea vergit, spe in eis & cum eis ulla potiundi, dum illa voluptate fruitur, affixus illis deliquescit. Nullus enim clavus est, qui ita fortiter affigat & adglutinet animos, ut voluptas & illecebræ voluptatis. Bonus ergo ille medicus, ea quibus inhiat animus, cum molestiis offerendo, eadem ut aversetur facit; quemadmodum nutrices infantes ablactaturæ aliqua re amara pupillas inungunt.* Ubi metu & fuga molestiarum quasi puerilitèr cœperimus à terrenis voluptatibus abhorrere, paulatim dulcescere incipit veri boni summique pulchri suavitas, eoque fit, ut jam ei virili & casto amore adglutinemur. *Atque ita ex majoris doloris* Ibid. pag. 86. 87. 88. *metu voluptatum abstinentia, permutatio quædam potius affectus est quàm liberatio. Nam suavitate quæ inest in vacuitate à molestiis, fructum suavitatis permutamus, & affectus alium sibi affectum adjungit. Expedit autem hoc initio nobis ob pueriles & stultos affectus nostros, ut ea suspecta habeamus & invisa, quibus vehementer afficimur; posteaque naturam earum*

rum considerantes, ea prӕterquam quod noxia sint, multò etiam plus habere molesti, quàm jucundi, & in nos ipsos descendentes, & bonum in nobis situm esse deprehendentes, non autem in corpore, aut rebus externis, atque similitudinem quandam nostrâ cum Deo sentientes, eamque honorantes, jam non metu, sed scientia & virtute vitam naturӕ consentaneam amplectamur. Nam & pueri quӕ priùs prosequebantur & declinabant metu, pòst aucta prudentia ultrò faciunt. Hæc ars est & ratio medicinæ divinæ, quæ mala bene vertit, retorquetque in usum boni. Ita enim vitia animæ perversè temporalia perversaque bona amantis & depereuntis, per temporalium fluxum & fugam, per corporalium molestias & mortes curantur; & meritò omnipotenti bono satius visum est de malis bene facere, quàm mala omnino prohibere. Prohiberi enim omnino mala non poterant, nisi & multa præfocarentur bona, quæ in malorum curatione versantur.

X. Denique idem Simplicius alibi advertit nullam posse esse principaliter mali naturam aut substantiam, cùm naturæ & substantiæ vox & ratio ipsa bonum significet: sed boni pravam affectionem, id esse malum: ut morbus in corpore, claudicatio in pede, vitium in anima. Quinimò si malum esset, & aliquid ageret, & ipsum esse, & ipsum agere bonum jam esset; & vel malum agere nil posset nisi propter suum bonum, adeoque ex amore boni. *Bonum verò ab omnibus appeti vel ex eo constabat, quod ipsum malum si esset, & aliquid ageret, id suӕ utilitatis causa ageret, hoc est, boni sui causa, quod idem valet.* Ergo mala quæ vocantur vulgò, minora tantùm bona sunt, quæ summum & omnipotens bonum effudit ex se, quia id quoque bonitatis erat, nec minuscula bona præfocare, aut ab universo excludere. *Deus fons & principium omnis bonitatis, non prima bona tantùm produxit, quӕ per sese bona sunt, nec media sola cum his quӕ in bono ӕternùm permanent: sed extrema etiam quorum natura fert, ut ab eo quod secundum naturam est, averti queant, ad id quod malum dicimus. Etenim post ӕterna corpora, quӕ suam naturam perpetuò tuentur, & in bono infixa sunt; ea quoque extiterunt, quӕ oriuntur atque intereunt. Et post animas bono semper affixas animӕ quӕ ab eo avertuntur, extiterunt; ut simul & immensa bonitas authoris rerum omnia bona conderet, quӕ existere possent; simulque ut mundo sua perfectio constaret, non prima tantum & media habenti, sed extrema quoque, id quod est proprium perfectionis, &c. Nam & infimum bonum existere oportebat, & infimi ea natura est, ut perverti possit.*

Ibid. p. 172. 174. 176.

XI. Liberæ autem voluntatis nostræ esse, quòd in mala defluamus, & hanc scatebram esse omnium pravitatum, sic rursus idem Simplicius: *Humana autem anima in medio collocata, earum quӕ semper in sublimi manent, & earum quӕ semper humi sunt, ob brutӕ vitӕ cum corpore cognationem: quӕque vitale quoddam vinculum est superiorum & inferiorum; propter liberӕ voluntatis affectionem aliàs his, aliàs illis fit similis. Nam cum in sublimi manet, omnis prorsus mali est expers, infixa bono. Sin aliquando nervi ac vires illi defuerint ad beatam illam vitam amplectendam, & arcana illa sinceraque spectacula intuenda; propterea quod ejus natura fert, ut aliquando etiam ad inferiora declinet, si voluerit: ipsa principium habet cujuscumque malitiӕ descensum voluntarium in hunc mortalem locum. Quamvis enim naturam sortita est ancipitem, non tamen coacta vel ascendit, vel descendit; sed ita condita est, ut ubi ipsa voluerit, & ascendat & descendat.* Quanta Philosophi hujus Græci consensio sit cum Augustini doctrina in sequentibus capitibus elucebit; unde autem tanta illa consensio manaverit, fateor ne divinare quidem me posse.

Pag. 180.

Ultra modum jam excrevit moles hujus capitis. Itaque pluribus vel ex Alcinoo, vel ex aliis sectæ & sententiæ ejusdem allegandis supersedeo. Alcin. Platon doctr. c. 26. 30.

CAPUT XI.

De malo sanctorum Patrum doctrina explanatur. At primùm de malo extra naturas rationales & liberas.

I. Hactenus humanӕ mentis, nunc divina Scripturarum & Patrum lumina.

II. Summum bonum bona reliqua effudit ex se, sed incommutabile mutabilia, summum minora, unum multa; non de seipso, eoque non sibi ӕqualia; sed de nihilo, ideo infima; denique bona hӕc, vel illa, non ipsum bonum. Ex Augustino.

III. Quin & summum bonum à summo bono est, sed genitum, non creatum; ut Filius à Patre, non ut opus à conditore.

IV. Quid Nazianzenus de antiquis Hӕreticis, summum aliquod mali principium statuentibus.

V. Ut Nyssenus in creatas naturas varios bonitatis gradus dispensari doceat, at Personas divinas singulas esse summum bonum.

VI. Dionysius singulas divinas Personas appellat bonum, profundum, silentium; cujus silentii divini interpretes sint Angelicӕ naturӕ.

VII. Rursum ex Augustino bona sunt, etiam quӕ fluunt, cedüntque succedentibus aliis, quia hic est modus eorum; pulcherrimi carminis instar & concentus, cujus pulchritudo tota & summa deficiendo perficitur. Unum distat, quod de toto carmine judicamus, quia totum breve est; at de toto universi decursu judicare non possumus, ex quo per peccatum in parte ejus locati & mortales facti sumus.

VIII. In summi boni imperium nullum malum potest irrumpere; quӕ enim parti mala & noxia, universo bona atque utilia sunt.

IX. Ex eodem Augustino omnia bona esse non potuisse, nisi essent inӕqualia, minora, minima; ideoque nisi essent & mala.

X. Ex eodem, mutari, corrumpi, mori ipsum, bonum est, dum alia ex aliis nascuntur. Materia ipsa, cùm sit, bonum est. Corruptibilitas ipsa boni argumentum est. Non corrumpitur enim nisi bonum.

XI. Inest universis & singulis usus, ordo, pulchritudo; ergo inest bonum; ideo id non statim liquet nobis, quia qui toti dominabamur ante peccatum, nunc in parte locati sumus. Pulcherrimis id exemplis illustratur.

XII. Eo complura dicuntur à nobis mala, quòd mortales peccato effecti, jam multa nobis mala, hoc est noxia sunt, quӕ sibi bona sunt.

XIII. In pugnis cӕdibusque animantium, frustra sunt, qui mala sibi fingunt. Multa in illis Augustinus, & longè pulcherrima observat bona.

XIV. Quà optima ratione res omnes fieri debuerint, non vides mens nostra, nisi in ӕternis veritatis rationibus: priùs ergo eas vidit veritas Deus; ergo antè faciendo secutus est eas ille, quàm nos intelligendo assequeremur.

XV. Quàm imbelle sit malum, & prӕpotens bonum, cùm non possit esse malum, nisi à bono, in bono, cum bono, propter bonum.

XVI. Mali principium Manichӕi ne fingere quidem sibi poterant, nisi boni opibus suffarcinatum: nam esse, vivere, intelligere illud volebant, quӕ omnia bona sunt.

XVII. A quibus non recedit Ambrosius.

XVIII. Assentitur & Dionysius Grӕcorum omnium nomine.

I. Hactenus edisseruimus, quò se usque humana acies porrigere potuit, naturæ magiste-

rio,

rio, studio & industria, nec sine cœlesti aliquo, ut par est credere, adjutorio. *Deus enim illis revelavit*; inquit Paulus. Non pauca certè ibi dubitanter dicta, & quasi alternante animo, calamo titubante. Nonnulla & errorum vepribus obsita. Nunc puræ lucis dogmata ex sanctis Patribus deprompta, ex cœlestibus oraculis hausta, fixa & inconcussa omnia pandemus, quibus & antedictis censura adhibeatur, & Theologicæ doctrinæ copia & lux longè uberior affundatur.

II. Observandum id ergo primum, bonum incommutabile Deum, bona quidem ex se omnia effudisse, sed nonnisi commutabilia effundi potuisse, ideoque minora & minora bona, malo & morti obnoxia. Debuit enim & bona producere, quà bonum; & multa, quà unum; & minora, quà summum. Debuit bona producere, quà ex seipso; non sibi æqualia, quia non de ipso; sed inferiora & infirma, quà de nihilo. Debuit discriminare bonum quod ipse, & quod ab ipso; bonum quod de ipso & quod de nihilo; bonum quod à se, & quod ab alio; bonum, & aliquod bonum; bonum boni & bonum de bono. Debuit denique condere quæ participatione sui bona essent, comparatione sui bona non essent. Augustinus: *Bonum quo superius non est, Deus est; ac per hoc incommutabile bonum est, & ideo verè æternum & verè immortale. Cætera omnia bona nonnisi ab illo sunt, sed non de illo. De illo enim quod est, hoc est quod ipse est. Ab illo autem quæ facta sunt, non sunt quod ipse.* Et alibi: *Nec fecit, nec regit mutabilia bona, nisi incommutabile bonum. Porrò bona mutabilia propterea bona sunt, quia à summo bono sunt: propterea mutabilia, quia non de ipso, sed de nihilo facta sunt.* Et alibi: *Naturæ omnes, quoniam naturarum omnium summè conditor bonus est, bonæ sunt; sed quia non sicut earum conditor summè atque incommutabiliter bonæ sunt, ideo in eis & augeri bonum & minui potest. Sed bonum minui malum est, quamvis quantumcumque minuatur, remaneat aliquid necesse est, si adhuc natura est, unde natura sit. Neque enim si qualiscumque aut quantulacumque natura est, consumi bonum, quod natura est, nisi & ipsa consumatur, potest.* Et rursùs alibi: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem. Non est autem vera ratio, sed invidia infirmitas, cùm aliquid melius faciendum fuisse cogitaveris, jam nihil aliud inferius velle fieri; tanquam si perfecto cœlo nolles terram factam esse; iniquè omnino.* Et rursum: *Quid mali, inquis, fieret, si & ista fierent summè bona? Et tamen si quis ex nobis quæreret, accepto & credito Deo Patre summo bono, si esset aliud summè bonum, unde esse nobis piè videretur, nullo modo rectè respondere mus, nisi de Deo Patre qui summè bonus est. Quod ergo de illo est, meminerimus natum de illo esse, non ab eo factum de nihilo; & ideo & hoc summe, id est, incorruptibiliter bonum esse: videamusque injustè flagitari, ut tam summè bona sint, quæ fecit de nihilo, quàm summè bonus est, quem de se genuit; quem nisi unum genuisset, non id quod ipse est, genuisset, quia ipse unus est.* Ergo summum bonum summè bonum ex se effudit partum, sed gignendo, non creando: hoc est, de seipso, non de nihilo. At summum Bonum non potuit gignere summè bonum Filium, nisi sui simillimum, & ideò summè unum, quia & ipse unus & unum est. Cùm ergo ille partus multiplicari non possit, majus bonum est, ut inferiora bona creet de nihilo, quàm ut prorsus sterilescat Deus. Ut enim idem alibi: *Summum bonum tam omnipotens est, ut possit etiam de nihilo, id est, ex eo quod omnino non est, bona facere, & magna, & parva, & cœlestia, & terrena, & spiritualia, & corporalia. Quia verò & justus est, ei quod de se genuit, ea quæ ex nihilo fecit, non æquavit.*

L. de Nat. Boni, c. 1.

Cont. Adv. Leg. & Prophet. l. 1. c. 6.

Enchir. c. 12.

De lib. arb. l. 3. c. 5.

Con. Epist. fundam. c. 37.

De natura Boni. c. 1.

III. Quando censores hic adhibemus Platonicæ Philosophiæ sanctos Ecclesiæ Patres, non perfunctoriè dictum existimabimus ab Augustino, quòd summum bonum sit Pater Deus, idemque genitor Filii summè boni, quòd perindè est ac summi boni. Imò ut Pater unus ipsumque unum est, ita simillimum sibi Filium generare non potuit, nisi unum, & summè unum, atque adeò ipsum unum. Sed & alibi idem affirmat Augustinus, Patrique & Filio Spiritum consociat in supremo illo fastigio summi boni & ipsius unius. *Cùm audis Deus summè bonus est, noli putare de Deo tantùm Patre dictum; sed de Patre & Filio & Spiritu sancto. Hæc enim Trinitas unum sunt, & unus est Deus, & summè bonus est.* Serm. 11. de verbis Dom.

IV. His convenienter satis subiicietur illud Nazianzeni, ubi advertit suo jam tempore consopitas esse illas hæreses sacrilegas & insanas, quæ primigeniam Christi olim Ecclesiam fatigaverant, quasi pro tuendo summo bono belligerantes adversùs Creatorem mundi, quem alium longèque diversum Deum esse somniabant, omniumque corporei hujus universi malorum authorem. Quin & Manetis seu Manichæi deliria jam conticuerant in Oriente, qui & ipse mali principium principio boni quasi adversarium obiiciebat. *Fuit quoddam illud tempus, cum ab hæresum procellis tranquilla omnia habebamus, cùm videlicet Simones, & Marciones, & Valentiniani, & Basilidæ, & Cerdones, Cerinthi etiam & Carpocrates, atque omnes illorum nugæ ac præstigiæ, posteaquam rerum omnium Deum per diuturno tempore secuissent, bellumque pro bono adversùs Creatorem gessissent, suomet tandem, ut æquum erat, profundo absorptæ, ac silentio traditæ fuerunt.* Orat. 25. Κατεπόθησαν τῷ ἑαυτῶν βύθῳ, καὶ τῇ σιγῇ παραδοθέντες. Summum bonum istæ hæreticorum pestés hoc duplici nomine denotabant, βύθου & σιγῆς, Profundi & Silentii, quæ Platonicorum placitis accommodata cum primis erant. Ad hæc, ut vides, allusit Nazianzenus. Pergit porrò ille ibidem de Manichæo mali quoque principium vendicante verba facere, qui si tunc in Oriente siluerat, in Occidente vehementer grassabatur etiam aliquantò postea, adeo ut & Augustinum ipsum in juventæ limine suo contagio corripuerit. Ne Profundi, Orat. 24. & Silentii, & Quietis nomine diutiùs abuterentur, & piæ sententiæ illuderent hæretici, cautè Nazianzenus alibi Patrem vocat Causam, Filium opificem seu Creatorem, Spiritum sanctum Perfectorem, ut in Tribus, αἰτίῳ, καὶ δημιουργῷ, καὶ τελειοποιῷ, consistat beata Trinitas, & ab his tribus hypostasibus uno Deo mundus creetur, ordinetur, nec jam quisquam litem movere possit Deo creatori pro bono Deo, cùm idem unus trinusque Deus sit, & summum bonum, & Universi conditor.

V. Sed quia summum etiam bonum bonitatis suæ rivulos omnipotenti libertate & authoritate dispensat, minora, majoraque, remotiora, propioraque sibi creat bona, pro arbitrio & potestate. Audi Nyssenum: *Cùm omnis boni fons & origo & largitio in natura increata insit, omnisque creatura ad ipsam oculis quasi intentis suspiciat, per communionem supremi boni ab eadem suspensa, ejusdemque particeps effecta, necessariò secundum proportionem participationis rerum sublimium, dum aliæ plus, aliæ minus pro libertate arbitrii & consilii sui accipiunt, &c.* L. 1. cont. Eunom. Personæ verò divinæ gradatim, aut magis minusvè bonæ esse non possunt, cùm omnes & singulæ summum bonum sint; *At increata natura procul abest ab hujusmodi differentia, quippè cui bonitas non est adventitia, neque accepta pulcritudo ex communione præcellentioris cujusdam pulcritudinis. Sed in se & natura sua hoc quod est, bonum est, & ut bona intelligitur, fons bonitatis, simplex & uniformis. Distinctionem verò in eo habet naturæ suæ convenientem, non quæ in intensione & remissione consistat, ut vult Eunomius. Qui enim existimationem de bonitate imminuit in aliquo quod de sancta Trinitate creditur; is nihil aliud contendit, quàm*

quàm aliquid contrarium ei admixtum esse, in quo defectus bonitatis apparet; quod vel de Unigenito, vel de Spiritu sancto cogitare, impietate non caret. Sed distinctionem hanc positam habet increata natura in summa perfectione, incomprehensibili excellentia, quæ cujusvis personæ proprietatibus inesse cognoscitur. Naturæ igitur creatæ aliæ ab aliis distare & dignosci non possunt, nisi diversa participatione increatæ bonitatis; at ipsa increata bonitas, in quacumque sua increata hypostasi, à creatis naturis non aliò debet disjungi, quàm incomprehensibili pulcritudine & excellentia bonitatis.

VI. Dionysius non Patri soli, sed uni trinoque Deo vendicat, ut bonum & profundum & silentium sit, Angelicis verò naturis, ut latentem enuntient bonitatem, interpretesque sint divini silentii *Ipsamet forma bonitatis ipsis data est, concessumque ut latentem in se bonitatem* τ̀ κρυφίαν ἀγαθότητα, *valeant enuntiare, sintque Angeli velut interpretes divini silentii,* τῆς θείας σιγῆς; *& tanquam clara lumina, quæ in adytis latentem indicant.* τ̃ ἐν ἀδύτοις ὄντος. Subjicit mox ut omnia bona summum bonum & effundat ex se, & revocet ad se, suo quæque modo, & ingenio, sic ut omnia prorsùs ipsum summè appetant, etsi pro naturæ diversitate diversimodè, quod ad summi boni commendationem & præclarissimum est, & necessarium. *Ad quod omnia tanquam ad finem quæque suum convertuntur, quodque appetunt universa, spiritalia quidem rationeque utentia scienter, sensibilia vero sensibiliter; quæ autem sensus sunt expertia innato motu vitalis appetitionis; & quæ vita carent, ac tantummodo existunt, sua ad solam essentiæ participationem propensione.*

De divin. Nom. c. 4. n. 2. 4.

VII. Ad Latinos à quibus digressi eramus, redeundum nobis nunc est, ut paulò accuratiùs ex Augustino expendamus, qua ratione bona sint, etiam fluxa, etiam mutabilia; imò etiam qua fluxa & mutabilia, eo ipso bona sint; quò eunt & intereunt, quò decedunt & succedunt, labuntur & dilabuntur, eo ipso bona sunt; atsi mala videantur hominibus imperitis, propter incogitantiam suam, qua fit ut non advertant, horum modum & pulcritudinem in eo esse; ut veluti carmen pulcherrimum, partibus constet, quæ simul esse omnes non possint, totiusque concentum & harmoniam perficiant partium omnium aliarum post alias successione & decessione. Sed ideo de carmine non ægrè adducimur, ut ita pronunciemus, quia totum carmen partibus suis omnibus & numeris absolutum facilè videmus, vel audimus: at totum hujus universi corporei carmen & concentum videre vel audire nemini mortalium fas est; ideoque partem ejus truncam dumtaxat brevi sue vitæ curriculo decerpentes, de pulcritudine ejus & bonitate, haud satis quandoque justam depromimus sententiam. Verùm non opificis Dei, sed nostra culpa est, qui ex immortalibus peccato mortales evasimus; & peccati merito in partem universi dejecti defixique sumus, qui toti olim ipsi eminebamus, dominabamur, ut judices dominique immortales. *Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus. Nam quaqua versum se vertit anima hominis, ad dolores figitur alibi præterquàm in te. Tametsi figitur in pulchris extra te & extra se: quæ tamen nulla essent, nisi essent abs te; quæ oriuntur & occidunt; & oriendo quasi esse incipiunt, & crescunt, ut perficiantur, & perfecta senescunt & intereunt. Etenim omnia senescunt, & omnia intereunt. Ergo cum oriuntur & tendunt esse, quo magis celeriter crescunt, ut sint, eò magis festinant, ut non sint. Sic est modus eorum. Tantum dedisti eis, quia partes sunt rerum, quæ non sunt omnes simul, sed decedendo ac succedendo agunt omnes universum, cujus parte sunt. Ecce sic peragitur, ut sermo noster per signa sonantia. Non enim erit totus sermo, si unum verbum non decedat, cùm sonuerit partes suas, ut succedat aliud. Laudet te ex illis anima mea Deus creator omnium, sed non infigatur in eis glutino amoris per sensus corporis. Eunt enim quò ibant, ut non sint, & conscindunt eam desideriis pestilentiosis.*

Confess. l. 4. c. 10.

Non ergo malum est, ut fluant, decedant, succedantque alia aliis, quorum ea natura, is modus est; sed malum est, quòd anima immortalis fluentibus rebus adhærescere velit, iisque frui, & acquiescere. Præposterum est enim, si vel anima stans & suo modo æterna fluxam & vanescentem fœlicitatem aucupetur, vel in rebus fluentibus stabilem quietem & constantem voluptatem captet. *Ecce illa discedunt, ut alia succedant, & omnibus suis partibus constet infima universitas. Numquid ego aliquò discedo, ait Verbum Dei? Ibi fige mansionem tuam, ibi commenda quidquid inde habes, anima mea, saltem fatigata fallaciis. Veritati commenda, quidquid tibi est à veritate, & non perdes aliquid.* Malum est rursùs, quod peccatis factum sit, ut parti affixi universi, de totius pulchritudine judicare jam non possimus. *Sed si ad totum comprehendendum esset idoneus sensus carnis tuæ, ac non & ipse in parte universi accepisset pro pœna tua justum modum, velles ut transiret, quidquid existit in præsenti, ut magis tibi omnia placerent. Nam & quod loquimur, per eundem sensum carnis audis, & non vis utique stare syllabas, sed transvolare, ut aliæ veniant, & totum audias. Ita semper omnia, quibus unum aliquid constat, & non simul sunt omnia ea quibus constat, plus delectant omnia quàm singula, si possint sentiri omnia. Sed longè his melior qui fecit omnia, & ipse est Deus noster & non discedit, quia non succeditur ei. Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, ne in his quæ tibi placent, tu ei displiceas.*

Ibid. c. 11.

Vide & l. 3. de lib. arb. c. 15. Et l. cont. Secundin. Manich. c. 15.

VIII. Idem rursùs infrà luculentè docet extra boni & summi opificis imperium nihil esse, quod in illud possit irrumpere, ordinemque & decorem ejus turbare. Mala ergo non esse, vel authori, vel universo ulla; sed mala per errorem vocari, quæ uni parti non congruant, etsi aliis congruant partibus, congruant universo. Denique eo saltem nomine hæc conveniunt, quod infima hæc rerum natura est, cui multa conveniunt, quæ à superiori natura abhorrerent. Qui ergo majora & defæcatiora bona cogitant appetuntque, eo solùm errant, quod cùm ea in superioribus & cœlestibus naturis quærenda sint, ubi haud dubiè sunt, in inferioribus ea requirunt, ubi non illa, sed inferiora bona reperiri congruum est. *Et tibi omnino non est malum, non solum tibi, sed nec universæ creaturæ tuæ, quia extra te non est aliquid quod irrumpat ordinem, quem posuisti ei. In partibus autem ejus quædam quibusdam quia non conveniunt, mala putantur: & eadem ipsa conveniunt aliis, & bona sunt, & in semetipsis bona sunt. Et omnia hæc quæ sibi invicem non conveniunt, conveniunt inferiori parti rerum, quam terram dicimus, habentem cœlum suum nubilosum atque ventosum, congruum sibi: Et absit jam ut desiderem non esse ista; quia & si sola ista cernerem, desiderarem quidem meliora; sed jam etiam de solis istis laudare te deberem; quoniam te ostendunt laudandum de terra dracones & omnes abyssi, ignis, grando, &c. Cum verò etiam de cœlis te laudent, laudent te Deus noster in excelsis omnes Angeli tui, Sol & Luna, stellæ, &c. Non jam desiderabam meliora, quia omnia cogitabam: & meliora quidem superiora, quàm inferiora, sed meliora omnia, quàm sola superiora judicio saniore pendebam.*

Confess. l. 7. c. 13.

IX. Observandum secundò, quòd jam cursim perstrinximus, bona à summo bona prodeuntia, inæqualia esse debuisse, nec tamen sine aliquo mali afflatu inæqualia esse potuisse. Inæqualia esse debuerunt, quia non essent omnia, nisi essent inæqualia. Plura enim in pluribus sunt gradibus, quàm in uno. Quia magna non fuissent, nisi & alia parva forent, quibus minoribus illa majora essent: quia bono alio

melius

melius esse bonum est; quod inter sola inæqualia reperire est; quia minoribus dominari & benefacere magnum bonum est, & proximè imitatur summum bonum: nec tamen id usquam esset, si omne bonum par esset: quia minora bona melius est esse, quàm nulla. Quia denique summi boni potestas major est, si radios suos non propè tantùm, sed longissimè jaculetur; si non bonitatis tantùm suæ, sed & beneficentiæ participes faciat aliquas naturas creatas; si denique non servientibus tantùm, sed etiam dominantibus dominetur. *Quæ in cœlo & in terra corpora, non solùm illi à quo sunt condita, sed nec inter se esse oportebat æqualia. Et ideò sunt omnia bona. Nam si essent æqualia, unum genus esset bonorum, non omnia. Nunc verò ideò sunt omnia bona, quia sunt alia aliis meliora; & bonitas inferiorum additur laudibus meliorum; & in rerum bonarum inæqualitate ipsa est jucunda gradatio, ubi minorum comparatio, ampliorum est commendatio.* (Con. Adve. Leg. & Prop. l. 1. c. 4.) Et alibi: *Cæterum vitia pecorum & arborum aliarumque rerum mutabilium atque mortalium, vel intellectu, vel sensu, vel vita omninò carentium, quibus eorum dissolubilis natura corrumpitur, damnabilia putare ridiculum est. Cùm istæ naturæ eum modum nutu Creatoris acceperint, ut cedendo ac succedendo peragant infimam pulchritudinem temporum, in genere suo istius mundi partibus congruentem. Neque enim cælestibus fuerant cælestia coæquanda: aut ideo universitati deesse ista debuerunt, quoniam sunt illa meliora. Cùm ergo in his locis ubi talia esse competebat, alia aliis deficientibus oriuntur, & succumbunt minora majoribus, atque in qualitates superantium superata vertuntur, rerum est ordo transeuntium. Cujus ordinis decus propterea nos non delectat, quoniam parti ejus pro conditione nostræ mortalitatis intexti, universum, cui particulæ quæ nos offendunt, satis apertè decenterque conveniunt, sentire non possumus.* (Civit. l. 12. c. 4.) Non aliter omnino quàm ut de pulcritudine, concentu & accuratissima perfectione palatii cujusdam regalis, judicare nemo potest, qui ejus parti alicui affixus sit, nec possit quaqua versum, sursumque & deorsum omnia obire ac perlustrare.

X. Observandum tertiò, Bona deficientia, sive à summo bono omnia, quia mutabilia, sive ab aliis alia, quia inæqualia, esse tamen valde bona, nec esse nisi bona, nec usquam esse mala. Nam & mutari posse, boni argumentum est. Neque enim mutatio perderet, nisi bonum quod afferet; & ipsum mutari indicium est boni. Nihil enim est mutatio, nisi boni privatio, quæ nonnisi in bono est. Et rursus corrumpi bonum est, quatenus alterius boni exortus est. Nec corrumpitur natura nisi bona, nec ita corrumpitur, quin bona sit adhuc, cùm & adhunc corruptibilis sit. Nec enim corruptione assequi potest incorruptibilitatem. Nec quia minora bona sunt, ideo mala sunt; imò bona indubitanter sunt, quæ bona minora sunt. Denique ipsa materia omnium ultima, & tamen bona est, quatenus etsi prope nihil est, non tamen est nihil; etsi informis, est tamen formarum hospita; etsi turpis, est tamen fulcimentum totius corporeæ pulcritudinis. *Et manifestatum est mihi, quoniam bona sunt quæ corrumpuntur; quæ neque corrumpi possent, si summa bona essent; neque nisi bona essent, corrumpi possent. Quia si summa bona essent, incorruptibilia essent; si autem nulla bona essent, quod in eis corrumperetur non esset. Nocet enim corruptio, & nisi bonum minueret, non noceret. Aut igitur nihil nocet corruptio, quod fieri non potest: aut quod certissimum est, omnia quæ corrumpuntur, privantur bono. Si autem omni bono privabuntur, omnino non erunt. Si enim erunt & corrumpi jam non poterunt, meliora erunt, quia incorruptibiliter permanebunt. Et quid monstruosius, quàm ea dicere omni bono amisso facta meliora? Ergo si omni bono privabuntur, omnino nulla erunt. Ergo quandiu sunt, bona sunt. Ergo quæcumque sunt, bona sunt.* (Confess. l. 7. c. 12.) Sic sanctus Pater bonas esse res omnes corruptibiles demonstrat ex ipsa earum corruptione, quæ aliquo eas privat bono, nec omni tamen privat bono, cùm corruptibilitatem non auferat. Ex quo & illud infert, malum nullam naturam, nullam substantiam esse posse: quia vel ea corruptibilis, vel incorruptibilis esset, & alterutro jure bonis accenseretur. *Malumque illud quod quærebam unde esset, non est substantia; quia si substantia esset, bonum esset. Aut enim esset incorruptibilis substantia, magnum utique bonum; aut substantia corruptibilis esset, quæ nisi bona esset, corrumpi non posset.* (Vide & lib. 3. de lib. ar. c. 13. & Enc. c. 12.) Et denique de materia ipsa: *Si dici posset nihil aliquid, est & non est, hoc eam dicerem: & tamen jam utcumque erat, ut species caperet istas visibiles & compositas.* (Confess. l. 12. c. 6. 7. 8.) Et infrà: *Fecisti duo quædam, unum prope te, alterum prope nihil; alterum quo superior tu esses, alterum quo inferius nihil esset.* Et rursùs: *Illud prope nihil erat, quoniam adhuc omnino informe erat; jam tamen erat, quod formari poterat. De qua informitate, de quo prope nihilo faceres hæc omnia, quibus iste mutabilis mundus constat, & non constat.*

XI. Observandum quartò universis & singulis suum inesse bonum, & usum, & ordinem, & pulcritudinem; & si nobis id minùs liqueat, vel quia in partem universi evasimus, qui toti quondam dominando & judicando supervolitabamus; vel quia mente nimis angusta sumus. Id luculentè luculentisque declarat exemplis Augustinus: *In Deo nullum est tempus, quia nulla mutabilitas, & unde tempora fabricantur, & ordinantur, & modificantur, æternitatem imitantia; dum cœli conversio ad idem redit, & cœlestia corpora ad idem revocat, diebusque, & mensibus, & annis, & lustris cæterisque siderum ordinibus, legibus æqualitatis, & unitatis, & ordinationis obtemperat. Ita cœlestibus terrena subjecta, orbes temporum suorum numerosa successione quasi carmini universitatis consociant. In quibus multa nobis videntur inordinata & perturbata, quia eorum ordini pro nostris meritis assueti sumus, nescientes quid de nobis divina providentia pulchrum gerat.* (L. 6. de Musica. c. 11.) *Quoniam si quis, verbi gratia, in amplissimarum pulcherrimarumque ædium uno aliquo angulo tanquam statua collocetur, pulchritudinem illius fabricæ sentire non poterit, cujus & ipse pars erit. Nec universi exercitus ordinem miles in acie intueri valet. Et in quolibet poemate si quanto tempore syllabæ sonant, tantum viverent atque sentirent, nullo modo illa numerositas & contexti operis pulchritudo eis placeret, quam totam perspicere atque approbare non possent, cùm de ipsis singulis prætereuntibus fabricata esset atque perfecta.* Tribus his exemplis quartum subjicit alibi sanctus Pater; *Si quis tam minutum cerneret, ut in vermiculato pavimento nihil ultra unius tessellæ modulum acies ejus valeret ambire, vituperaret artificem, velut ordinationis & compositionis ignarum, eò quòd varietatem lapillorum perturbatam putaret, à qua illa emblemata in unius pulchritudinis faciem congruentia simul cerni collustrarique non possent. Nihil aliud hominibus minus eruditis accidit, &c.* (L. 1. de Ord. c. 1.) Quinta denique, eaque elegantissima utitur alibi comparatione: *Si in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causa, ignorat, & si multum est insipiens, superflua putat. Jam verò si in fornacem ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, dum id malè tractat, seipsum vulneraverit: etiam perniciosa & noxia ibi existimat esse multa. Quorum tamen usum quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, & verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quod ignorant; sed cùm ea viderint, credunt esse necessaria & propter usus aliquot instituta; in hoc autem mundo, cujus conditor & administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere,* (L. 1. de Gen. con. Manic. c. 16.)

quo-

quorum causas non vident; & in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire quod nesciunt. Ego verò fateor me nescire, mures & ranæ quare creata sint, aut muscæ, aut vermiculi. Video tamen omnia in suo genere pulchra esse; quamvis propter peccata nostra multa nobis videantur adversa. Non enim alicujus animalis membra & corpus considero, ubi non mensuras & numeros & ordinem inveniam ad unitatem concordiæ pertinere. Quæ omnia unde veniant non intelligo, nisi à summa mensura, & numero, & ordine, quæ in ipsa Dei sublimitate incommutabili atque æterna consistunt. Et alibi: *In officina non audet reprehendere fabrum, & audet reprehendere in hoc mundo Deum.* Enarr. in Psal. 148.

XII. Nec minoris momenti est, quod alibi expendit idem Augustinus, ex eo natas esse tam varias de malo hallucinationes & querelas, quòd peccato mortales effecti, à multis lædamur, quæ etsi nobis noxia, sibi tamen pulcra & mundo utilia sunt; quin & nobis salubria evadent, si ita utamur ut par est. Sed hæc præstat audire ab ipso Augustino prolixè & luculentè disputata: *Hanc tamen causam, id est ad bona creanda bonitatem Dei, hanc inquam causam tam justam atque idoneam, quæ diligenter considerata & piè cogitata omnes controversias quærentium mundi originem terminat, quidam hæretici non viderunt, quia egenam carnis hujus fragilemque mortalitatem, jam de justo supplicio venientem, dum ei non conveniunt plurima, offendunt: sicut ignis, aut frigus, aut fera bestia, aut quid hujusmodi. Nec attendunt quàm vel in suis locis naturisque vigeant, pulchroque ordine disponantur; quantumque universitati rerum pro suis portionibus decoris tanquam in communem Rempublicam conferant: vel nobis ipsis, si eis congruenter atque scienter utamur, commoditatis attribuant; ita ut venena ipsa quæ per inconvenientiam perniciosa sunt, convenienter adhibita, in salubria medicamenta vertantur; quámque à contrario etiam hæc quibus delectantur, sicut cibus & potus, & ista lux, immoderato & importuno usu noxia sentiantur. Unde nos admonet divina providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere; & ubi nostrum ingenium vel infirmitas deficit, ita credere occultam, sicut erant quædam, quæ vix potuimus invenire. Quia & ipsa utilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio.* Civit. l. 11. c. 22.

XIII. Obiter referam quod idem sanctus Pater scripserit de pugnis mutuisque cædibus animantium: *Ubi non lex, ubi non meliori debitum imperium? Ubi non umbra constantiæ, ubi non imitatio verissimæ illius pulchritudinis? Ubi non modus?* Si quando ita saperent, si oculos ad superna attollerent naturæ criminatores, in his quæ mala suspicantur esse, pulcherrima agnoscerent legis æternæ, sapientiæ, constantiæ, fortitudinis documenta, in hujusmodi conflictibus & pugnis emicantia, & hinc ad laudandum opificem excitarentur. Nec enim bonum duntaxat est pace & quiete potiri, sed etiam bonum est vincere, strenuè se gerere, forti & invicto animo stare, dolori non cedere, germanas & intellectuales virtutes, qua naturæ irrationali fas est, imitari. Si materia, si natura corporea jam bona est, etsi supra fines naturæ corporeæ non evehatur; quantò melior erit, si ad has animantis naturæ dotes, si ad intellectualium virtutum adumbratam imitationem assurgat? De Gen. ad litt. l. 1. c. 16. L. 1. de Ord. c. 8.

XIV. Addam extremò loco rationem ejus rei quam tractamus longè pulcherrimam, dignissimamque sapientia Augustini. Nimirum non alia ratione Deum fecisse omnia, quàm recta nobis ratio commonstrat esse facienda. Quia recta nostra ratio regulam rectè faciendorum & veritatem non alibi videt, quàm in summa veritate, cujus rationibus connexa est, cujus radiis aspergitur. Igitur illa rectè faciendorum regula priùs fuit in Deo, ut ea ita faceret, quàm in homine, ut ea ita facienda conspiceret. Omnia ergo quæ, qualia & qualiter fieri debuerint intelligimus, ea & talia & taliter factu fuisse certissimè hac ratione colligimus, etsi ea nusquam ullo sensu corporis conspiciamus. *Potest esse aliquid in rerum natura, quod tua ratione non cogitas; non esse autem quod vera ratione cogitas, non potest. Neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturæ artificem fugerit. Humana quippè anima naturaliter divinis ex quibus pendet rationibus connexa, cum dicit, Melius hoc fieret, quàm illud: si verum dicit, & videt quod dicit, in illis quibus connexa est rationibus videt. Credat ergo id Deum fecisse, quod vera ratione ab eo faciendum fuisse cognovit, etiamsi hoc in rebus factis non videt. Quia etiamsi cœlum oculis videre non posset, & tamen ratione vera tale aliquid faciendum fuisse colligeret, credere debuit factum esse, quamvis id oculis non videret. Non enim cogitatione videret fuisse faciendum, nisi in iis rationibus, quibus facta sunt omnia. Quod autem ibi non est, tam nemo potest veraci cogitatione videre, quàm verum non est. In eo plerique homines errant, quod meliora cum mente conspexerint, non in sedibus congruis ea oculis quærunt.* De lib. arb. L. 3. c. 5. Ita Augustinus. Quæcunque ergo sive in corporeo, sive in intelligibili mundo fieri debuisse certa ratione intelligimus, ea indubitatissimè ita facta fuisse persuasissimum nobis omnibus esse debet. Nec enim certa & perspicua ratione quidquam intelligimus, nisi in luce veritatis æternæ & incorruptibilis, quæ intus oculo mentis nostræ allucet, & veritatem certam & constantem, hoc est, seipsam demonstrat. Quin & hoc simul illa demonstrat in ejusdem lucis perspicuitate, ita se indubitanter res fecisse, ut faciendas fuisse nobis ipsamet intus commonstrat.

XV. Observandum quintò, malum in natura si quod sit, adeo imbecille esse & obnoxium, ut non possit esse nisi à bono, & in bono, & cum bono, & propter bonum. Nam malum non est nisi corruptio boni, in bona natura, boni parte superstite, & ad majorem boni commendationem. Rursum naturam boni adeo potentem esse & beneficam, ut malo etiam prosit, illud suffulciat, eo commendetur, ex eo augeatur. Rursus malum à Deo non esse, sed à nihilo: nec ex nihilo esse, nisi permittente Deo: nec à Deo permitti, nisi ad majus bonum. Nam à Deo est, quod natura sit: à nihilo est, quod corruptibilis sit. Et nihilum non pollet, nisi quantum debellator ejus Deus indulget. Et nihilum plus, vel minus à Deo debellatur, ut non omne bonum exæquetur, & ex eo fiat ut procreetur omne bonum. Denique malum non esse nisi minus bonum, ideoque malum non esse ens, esse nihilum, esse non ens. Augustinus: *Ergo quæcumque sunt, bona sunt; malumque illud quod quærebam, unde esset, non est substantia. Quia si substantia esset, bona esset. Aut enim esset incorruptibilis substantia, magnum utique bonum; aut substantia corruptibilis esset, quæ nisi bona esset, corrumpi non posset.* Confess. l. 7. c. 12. Idem & alibi inculcat, ubi substantiæ nomine naturam à se significari declarat: *Naturam voco, quæ & substantia dici solet.* De lib. arb. L. 3. c. 13. Advertit & hoc ibidem, naturas laudari, etiam dum vitiatæ dicuntur; nec enim vitium, aut vituperabile quidquam est, nisi quia naturæ bonæ adversatur. *Quapropter quoniam in quacunque re non vituperatur nisi vitium: ideo autem vitium est, quia contra naturam ejus rei est, cujus est vitium; nullius rei rectè vituperatur vitium, nisi cujus natura laudatur.* Et alibi: *Cum omnino natura nulla sit malum, nomenque hoc non sit, nisi privationis boni.* Civ. l. 11. c. 22. Et rursus alibi: *Vitium esse nec in summo bono potest, nec nisi in aliquo bono. Sola ergo bona alicubi esse possunt, sola mala nusquam. Quoniam naturæ etiam illæ, quæ ex malæ voluntatis vitio vitiatæ sunt, in quantum vitiatæ sunt,* Civ. l. 12. c. 3.

malæ sunt; inquantum autem naturæ sunt, bonæ sunt; & cum in pœnis est natura vitiosa, excepto eo quod natura est, etiam hoc ibi bonum est, quod impunita non est. Hoc enim est justum, & omne justum Cont. Epist. Fund. c. 35. *proculdubio bonum.* Et alibi: *Videre jam facile est, nihil nocere corruptionem, nisi quod labefacit naturalem statum, & ideo eam non esse naturam, sed contra naturam. Quod si non invenitur in rebus malum nisi corruptio, & corruptio non est natura, nulla utique natura malum est.*

L. de duab. animab. cont. Manichæos c. 12. XVI. Urget idem alibi Manichæos, suisque ipsos gladiis confodit, cum nec suas quidem de summo malo portentosas fabulas texere possent, sine mirabili bonorum in ipso mali principio copia. Nam malum illud principium, & esse, & vivere, & intelligere, & velle constituebant, & pugnare, & vincere quandoque & regnare alicubi. At hæc sanè jam magna bonorum copia est. Nec ipsum ergo imaginarium summi mali spectrum existere, aut vel fingi, pingive poterat, nisi furtivis boni coloribus & ornamentis. *Sed in summo malo ante commixtionem quam prædicant, nullum unquam bonum fuit. Unde igitur ibi, vel scientia, vel opinio boni esse potuit? Unde in summo malo motus animi tanta laude dignissimi?* Et rursus alibi: *Ita errantes Ma-* De Nat. Boni c. 40. *nichæi, ita delirantes, imò verò ita insanientes, ut non videant, in eo quod dicunt naturam summi mali, ponere se tanta bona, ubi ponant vitam, potentiam, salutem, memoriam, intellectum, temperiem, virtutem, copiam, sensum, lumen, suavitatem, mensuram, numerum, pacem, modum, speciem, ordinem. Principes enim tenebrarum & vixisse in sua natura dicunt, & in suo regno salvos fuisse, & meminisse, & intellexisse, &c.* Ergo summum malum malique principium ne comminisci quidem illi poterant ullum, nisi summi boni opibus suffarcinatum. Usque adeo nihilum est per sese malum, & malum nihil est.

XVII. A quibus non discedit Ambrosius: *Quid* L. de Isaac & anima. c. 7. *ergo est malitia, nisi boni indigentia? suo enim defraudatur, atque alieni indiget, exinanitur atque repletur, sine mensura & modo, &c. Ex bonis igitur mala orta sunt. Non enim mala sunt, nisi quæ privantur bonis. Per mala tamen factum est, ut bona eminerent. Ergo indigentia boni, radix malitiæ est. Bonum autem nullius eget, sibi abundat; mensuram & perfectionem tribuit omnibus, in quo universa constant, & de quo omnia pendent. Hæc boni natura est, quæ mentem replet. Circa hoc versatur anima pura, hoc introspicit, & in hoc Deum cernit, bonis omnibus abundat. Anima igitur quæ in Deo non manet, ipsa sibi author malorum est.* Mali ergo natura indigentia est mera; adeo ut ne natura quidem esse, vel esse utcumque possit, ne non mera indigentia sit. Anima autem rationalis cum non nisi bona & vera & entia cogitare possit, vel horum privationes; non poterit utique commentitiam illam mali naturam sibi fabricare, nisi ex bonis, veris, entibus, quæ bona sunt; vel horum privationibus, quæ malo quidem competunt, sed ut illud nihil prorsus esse argumento sint.

XVIII. Græcorum eadem fuit sententia. Unum De divin. Nom. c. 4. n. 19. fidejussorem profero Dionysium: *Dicere non verebimur, malum non esse ex bono; ac si ex bono est, non esse malum. Neque enim ignis est refrigerare, nec boni facere non bona. Si etiam ea quæ sunt, omnia ex bono sunt: natura enim boni est producere & conservare, mali autem corrumpere & perdere; nihil eorum quæ sunt, ex malo est, ac ne ipsum quidem malum erit, siquidem etiam sibi malum esset. Quod nisi ita sit, malum omnino malum non erit; sed habet quandam boni, secundum quam omnino est, partem.* Igitur etsi daretur, principium mali esse aliquod, statim eo etiam dato subrueretur; mali est enim & se & alia perdere. Si constat, si durat, si sibi parcit malum, jam hoc bonum erit, nec merum erit malum. Item nullius rei principium potest esse malum; quia & alicujus principium esse, & sobolescere, & procreare quidvis, hoc sanè bonum est. Quod effuderis, non statim perdere, hoc etiam bonum est. Et infrà: *Ipsum namque malum neque est, neque bonum est, neque generandi vim habet; neque res, neque bona* Num. 20. *facit. Bonum autem quibuscumque perfectè inest, eadem & perfecta, & simplicia, atque integra bona reddit. Quæ verò minus ipsum participant, imperfecta bona sunt & permixta, propter boni privationem; sed malum penitus non est, &c. Eorum quæ existunt, alia quidem bonum planè participant, alia autem eo magis minusvè privata sunt; alia verò tenuiorem quandam boni præsentiam sortiuntur, aliis denique boni ultimum vestigium obtingit, &c. Nunc autem hæc est potentiæ boni præstans magnitudo, ut ea quoque quæ sunt illius expertia, quia & ipsam sui privationem corroboret, ad ipsum omnino participandam. Quod si confidentius verum proferre liceat, illa etiam quæ illi contraria sunt, ejus vi & sunt & repugnare possunt.* Et infrà rursum: *Imbecillitas non est perfecta; nam si omnino* Num. 23. *perfecta foret, & corruptionem ipsam & subjectum ejus è medio tolleret, essetque talis corruptio sui quoque ipsius interitus; ideoque etiam ut talis non esset malum, sed deficiens bonum.* Pergit porrò Num. 28. Dionysius omnes perlustrare universi partes, à singulis amoliri invidiam aut suspicionem mali. Quin & à materia ipsa, quam pugnant sibi, qui dicunt, & orbi necessariam, & tamen malam. *Si materiam ad universi consummationem necessariam esse dicant, quomodo materia malum sit? Aliud enim est malum esse, aliud necessarium.* Unde autem summo malo tam bona potestas, ut sit, possit, agat, creet? Bona sunt enim hæc omnia. *Quod si malum æternum est, & creat, & potest, & est, & agit, unde ei hæc omnia?* Et mox: *Malorum etiam omnium principium atque finis bonum est. Boni enim causa sunt omnia, & quæ bona sunt, & quæ mala. Quapropter neque subsistit malum, sed per accidens est, boni gratia, & non sui ipsius, &c. Malum igitur est extra viam, præter intentionem, præter naturam, præter causam, præter principium, præter finem, extra voluntatem, extra substantiam.* Parco plura hic congerere, ex eodem Dionysio, & Pachymere ejus interprete.

CAPUT XII.

De malo, sanctorum Patrum doctrina explanatur, eo nimirum quod naturas rationales & liberas afficit.

I. Quanti referret ad boni amplitudinem, ut naturæ liberæ conderentur, iis extinctis quantum bonorum unà interiret?

II. Interfuit ad boni gloriam, non tantùm creari voluntates, quæ nunquam peccarent: sed etiam quæ etsi peccarent, vel sic ornarent orbem, multisque non peccantibus præstantiores essent.

III. Creati sunt Angelorum ordines, & qui prævisi sunt non peccaturi, ut orbis illis administratio mandaretur; & qui tametsi deficerent, de pulchritudine orbis nihil deficeret.

IV. Et naturæ liberæ in bonum malumque flexiles sunt: & Deus præpollet mala bene vertere; illæ ergo suo ingenio permittendæ fuere, ut & Deus sua potestate uteretur.

V. Bonitatis fuit liberas voluntates creare, præcepta legesque indicere, præmia ostendere & pœnas; vires addere, ut suæ sibi sortis & fœlicitatis architectæ sint; palam facere, tantum eas esse bonum, ut nisi de Deo beatæ esse non possint, & sine Deo miserrimæ sint.

VI. Ante

VI. Ante peccatum erat in Deo mera bonitas, per peccatum erupit justitia, quæ tamen uni servit bonitati. Eleganter ex Tertulliano.

VII. Item ex Chrysostomo: dimidium saltem de bonitate decerpitur & detruncatur, si pœnæ, si gehennæ, si minæ revocentur: itaque de vena bonitatis fluunt ipsa supplicia; eo enim consilio ardet gehenna, ut ignavos ad regnum inflammet.

VIII. In pœnis ipsis quantum boni sit, ex Gregorio Magno.

IX. Et tamen quatenus utcunque pœnæ malæ sunt, eatenus à Deo non sunt, sed à voluntate mala, quæ ipsa sibi pœnarum artifex est; quod multipliciter ostenditur.

X. Luculentè Augustinus, ut Deus voluntates malas alias per alias plectat, sibique mutuò carnifices esse sinat.

XI. Ut malos plectat Deus per malos alios, qui pœnas dant, cum sumunt.

XII. Usque adeo peccatum nihil est, regnatque vel in malis ipsis bonum; ut peccatum, quod verè malum, & summum malum est, non possit non esse imitatio aliqua boni, etsi distorta & tenebricosa.

XIII. Monent vitia ipsa nostra, unde defluxerimus, & quo redeundum sit nobis.

XIV. Primum ipsum hominis peccatum affectabat quandam Dei similitudinem: Eritis sicut Dii.

XV. Similiter nemo cadit à veritate, vel à pulchritudine divina, nisi in aliquas ejus similitudines.

XVI. Propter illas boni lineas peccatis ipsis inscriptas, existimat Primasius, peccata quædam ad mysticos quandoque sensus Patribus interpretantibus rapi.

I. Observandum sextò, Bonitatis fuisse, ut creaturæ aliquæ liberæ conderentur, & peccare, si vellent, permitterentur. Nemo nescit enim quantum bonum libertas sit, quæ tam familiariter bono alludit, bonum tam arctè complectitur, solo bono delectatur, summi boni imperatoriam vim imperio quodam suo æmulatur; servitutem quæ quasi creaturæ dos est, transgreditur; sub Deo dominatur; eò summi boni regnum amplificat, quòd non servis tantùm naturis, sed & liberis imperet. Rursus eò etiam summum bonum imitatur, quòd quodam etiam suo modo sua sibi bona ipsa parat, sibi debet. Quantum boni est fœlicitatem & industria, & sapientia, & virtutibus omnibus promereri posse? Ne illa quidem bona prohiberi aut præverti debuere, quæ ex mali censura vindictaque existunt. Quanta boni omnipotentia est, de malis benefacere? Augustinus: *Tales servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei serviant liberaliter: quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.* Et alibi percunctanti Evodio, cur dedisset Deus liberum arbitrium, quod si non accepisset homo, non peccasset; respondet: *Satis causæ est cur dari debuerit, quoniam sine illa libertate homo rectè non potest vivere, &c. Et pœna injusta esset & præmium, si homo voluntatem non haberet liberam. Debuit autem & in supplicio & in præmio esse justitia, quoniam hoc unum est bonorum, quæ sunt à Deo.*

De vera Relig. c. 14.

De lib. arb. L. 2. c. 1.

II. Et alibi cum ostendisset esse de facto creata quæcumque nos creari debuisse recta ratione intelligimus; utque intelligimus optimum factu esse, ut creaturæ aliquæ sint quæ liberæ sint, nec tamen unquam peccent, ita docet ejusmodi reapse creatos esse summos Angelos; subjicit mox nihilominus condi debuisse alios Angelos, & homines; quia omnes gradus ordinesque boni condi debuerunt, & creatura libera peccabilis aliquod bonum est; imò & diabolus etsi semper peccans, aliquod bonum est, non tantùm quia peccati supplicium bonum est, sed quia ejus natura, quamvis vitiata, multis aliis naturis inferioribus & integris melior atque præstantior est. *Si te delectat creatura, quæ perseverantissima voluntate non peccat, non est dubitandum quòd eam peccanti recta ratione præponas. Sed sicut eam tu cogitatione præponis, sic eam creator Deus ordinatione præposuit. Crede esse talem in superioribus sedibus & in sublimitate cœlorum. Quia si bonitatem conditor præbuit ad eam condendam, cujus prævidit futura peccata: nullo modo non eam præberet bonitatem, ut creaturam conderet, quam peccaturam non esse præscivit. Habet enim illa sublimis perpetuam beatitudinem suam, in perpetuum fruens Creatore suo, quem perpetua tenendæ justitiæ voluntate promeretur. Habet deinde ordinem suum etiam ista peccatrix, amissa in peccatis beatitudine, sed non dimissa recuperandæ beatitudinis facultate, quæ profectò superat eam, quam peccandi perpetua voluntas tenet. Inter quam, & illam priorem permanentem in voluntate justitiæ, hæc medietatem quandam demonstrat, quæ pœnitendi humilitate altitudinem suam recipit. Nam neque ab illa creatura quam præscivit Deus non solùm peccaturam, sed etiam in peccandi voluntate mansuram, abstinuit largitatem bonitatis suæ, ut non eam conderet. Sicut enim melior est vel aberrans equus, quàm lapis, propterea non aberrans, quia proprio motu & sensu caret; ita est excellentior creatura, quæ libera voluntate peccat, quàm quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem.* Et ibidem: *Quamvis anima nostra peccatis tabefacta sit; sublimior est tamen & melior, quàm si in hanc lucem visibilem verteretur. Et vides profectò de hujus lucis eminentia quantùm laudent animæ Deum, etiam corporis sensibus deditæ. Quapropter non te jam moveat, quod vituperantur animæ peccatrices, ut dicas in corde tuo melius fuisse si non essent. In sui enim comparatione vituperantur, dum cogitatur quales essent, si peccare noluissent. Institutor tamen earum Deus præclarissimè pro humana facultate laudandus est, non solùm quoniam peccantes eas justè ordinat, sed etiam quia tales instituit, ut etiam peccatis sordidatæ nullo modo lucis corporalis dignitate superentur, de qua tamen jure laudatur.*

Ibidem. L. 3. c. 5.

III. Aliquantò etiam dilucidiùs infrà duos Angelorum vel animarum ordines distinguit: summos Angelos, quibus administratio mandata est principum universitatis partium, quorum lapsu labaret quodammodo mandata eis administratio; sed ea illis mandata non est, nisi quia non lapsuri prævisi sunt; & medios vel imos seu Angelos, seu animarum ordines, qui sive deficiant à justitia, sive inconcussa firmitate stent, constat semper universi pulcritudo, eorum vel meritis præmiis coronata justitia, vel dignis suppliciis compressa improbitate. Ut omnes porro essent naturæ, ut omnes essent bonorum ordines, has quoque postremas naturarum rationalium classes creari oportuit. *Naturas igitur omnes Deus fecit, non solùm in virtute atque justitia permansuras, sed etiam peccaturas; non ut peccarent, sed ut essent ornaturæ universum, sive peccare, sive non peccare voluissent. Si enim rebus deessent animæ, quæ ipsum fastigium ordinis in universa creatura sic obtinerent, ut si peccare voluissent, infirmaretur & labefactaretur universitas, magnum quiddam deesset creaturæ. Illud enim deesset, quo remoto stabilitas rerum atque connexio turbaretur. Tales sunt opimæ & sanctæ & sublimes creaturæ cœlestium vel supercœlestium potestatum, quibus solus Deus imperat, universus autem mundus subjectus est. Sine istarum officiis justis atque perfectis esse universitas non potest. Item si deessent, quæ sive peccarent, sive non peccarent, nihil universitatis ordini minueretur, etiam sic plurimum deesset. Animæ sunt enim rationales, & illis superioribus officio quidem impares, sed* natura

De lib. arb. L. 3. c. 11.

natura pares; quibus adhuc inferiores sunt multi, & tamen laudabiles à summo Deo constitutarum rerum gradus.

IV. Cæterùm ut naturæ creatæ sponte sua mutabiles sunt, & ita peccato obnoxiæ, si rationales & liberæ sunt: ita omnipotenter Deus bonus est, ut mala etiam in usum & incrementum boni contorqueat. Utrimque ergo æquum & consentaneum est, nec mutabilitate creaturæ liberæ statim præverti, nec materiam præcerpi divinæ & bonitati & omnipotentiæ, quæ mala bene vertat. Augustinus: *Omnia quæ facta sunt, mutabilia sunt, quia de nihilo facta sunt; id est, non fuerunt, & Deo faciente sunt, & bona sunt. A bono enim facta sunt. Nec omnino essent mutabilia bona ulla, in quantum sunt, nisi esset à quo crearentur immutabile bonum. Mala igitur omnia quæ nihil sunt aliud quàm privationes bonorum, ex bonis orta sunt, sed mutabilibus. Et Angelum quippè & hominem, ex quibus orta sunt mala, quæ tamen & non oriri potuissent, si illi peccare noluissent, quia & nolle potuerunt: naturas bonas rectè, immutabiles autem non rectè possumus dicere. Deus verò tam bonus est, ut malis quoque utatur bene, quæ omnipotens esse non sineret, si eis bene uti summa sua bonitate non posset. Et hinc potiùs appareret impotens & minus bonus, non valendo bene uti etiam malo.* L. 5. Op. ult. con. Julian. n. 60.

Si huic ergo tam miræ & bonitatis & omnipotentiæ parti, qua malis bene uti potest, invidere propriam laudem non debuit Deus; non debuit utique prohibere, quin naturæ liberæ & mutabiles facultate sua uterentur vel in bonum vel in malum, cùm totum denique in universi ornamentum & in Dei gloriam cessurum esset. Idem alibi: *Neque Deus omnipotens cùm summè bonus sit, ullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo.* Et infrà: *Melius judicavit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.* Ench. c. 11. & c. 27.

V. Observandum septimò, Bonitatis fuisse creaturis liberis leges imponere, præmia & pœnas ostendere. Ex præcepti enim obedientia meritum, ex merito præmium. Quantum porrò boni est, magna & infatigabili virium & virtutum divinitus adjutarum contentione præmia adipisci, fœlicitatem consequi? beatæ sibi sortis opificem quodammodo & architectum esse? Quid porrò est in obedientia boni, si nihil in contumacia est mali? Quæ beatitudo est bono adhærere, si miseria non est à bono deviare? At ex adverso, quàm bonum est, ut per peccantium pœnas liqueat tantam esse beatitudinem justitiæ, ut ab ea nisi in miseriam nemo deflectat? Liqueat usque adeo naturæ rationali omne bonum esse in summo bono, ut extra illud non sit nisi omne malum. Liqueat non flagitiosissimum modò, sed & calamitosissimum esse à Deo deficere. Liqueat ipsam à bono defectionem summam esse calamitatem; & citra aliam pœnam, ipsam esse sibi acerbissimam pœnam. Liqueat creaturam rationalem tantum esse bonum, ut nullo modo nisi summo bono beata sit: & nisi fruatur summo bono, miserrima sit. *Bene tibi velles ut esset, recedenti ab illo bono? Prorsus dicit tibi Deus, Si recedis à me, & bene tibi est, ego non sum bonum tuum. Proinde si ille bonus, & summè bonus, & de se sibi bonus, & nullo alieno bono bonus, & ipse nostrum summum bonum, recedendo inde quid eris nisi malus? Item si ipse est beatitudo nostra, quid erit recedenti nisi miseria?* Enarr. in Psal. 70.

Et idem alibi: *Quia nemo superat leges omnipotentis Creatoris, non sinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit, bene utendo quod accepit; aut reddit, amittendo, quo bene uti noluit. Itaque si non reddit faciendo justitiam, reddit patiendo miseriam. Nullo autem temporis intervallo ista dividuntur; ut quasi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur quod debet; ne vel puncto temporis universalis pulchritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ. Sed in futurum judicium servatur ad manifestationem atque acerrimum censum miseriæ, quidquid nunc occultissimè vindicatur. Sicut enim qui non vigilat, dormit; sic quisquis non facit quod debet, sine intervallo patitur quod debet. Quoniam tanta est beatitudo justitiæ, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere.* L. 3. de lib. arb. c. 5.

Aurea prorsus & splendidissima tota est Augustini doctrina, altèque infigenda ipsis animæ medulis, ut ex hac norma veritatis climatissimæ castissimæque & mens nostra de rebus omnibus judicet, & voluntas nostra circa eventus omnes afficiatur. Omnipotenter regnat summum bonum, idemque summa justitia, eòque invictissimè regnat, quòd & bonum & justum semper sit, legibus divinis obsequentes beari, immorigeros cruciari: & quò se cumque res vertat, ita semper habeat, ut boni iidem fœlices, mali infœlices sint. Tanta enim est beatitudo justitiæ, ut à justitia nisi ad miseriam non discedatur. Idem Augustinus: *Volebamus ut non permitteret Deus malos esse fœlices. Intelligat homo, nunquam hoc permittit Deus, sed ideò malus fœlix putatur, quia quid sit fœlicitas ignoratur.* Tract. 18. in Joann.

Postremò idem Augustinus summatim complexus est hæc omnia capita, ut naturis liberis decuerit & leges imponi, & præmia proponi, & pœnas intentari; & ostendi quantum bonum sit Deus, cui accedere fœlicitas, à quo recedere miseria sempiterna sit; cujus denique omnipotenti imperio ipsæ contumacium culpæ pœnæque sic ordinentur, ut universali pulcritudini nihil officiant. *Creaturis præstantissimis, hoc est, rationalibus spiritibus hoc præstitit Deus, ut si nolint, corrumpi non possint, si obedientiam conservaverint sub Domino Deo suo, ac si pulchritudini ejus incorruptibili adhæserint. At si obedientiam conservare noluerint, quoniam volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis. Tale quippè bonum est Deus, ut nemini eum deserenti bene sit; & in rebus à Deo factis tam magnum bonum est creatura rationalis, ut nullum sit bonum, quo beata fit, nisi Deus. Peccantes igitur in suppliciis ordinantur. Quæ ordinatio quia eorum naturæ non competit, ideo pœna est; sed quia culpæ competit, ideo justitia est.* L. de natura boni. c. 7.

VI. Observandum octavò, ante peccatum nonnisi bonitatem in Deo fuisse, post peccatum erupisse justitiam; & tamen totam de bonitate fuisse justitiam. Item ante peccatum in creatura rationali nonnisi beatitudinem fuisse, post peccatum miseriam accessisse; & tamen ipsam miseriam, quâ justè inflictam, bonam quoque fuisse. Nec eloquentiùs, nec pressiùs hæc probari possunt, quàm verbis Tertulliani: *Apud Deum meum discis, tam optimum, quàm & justum; de suo optimum, de nostro justum. Nisi enim homo deliquisset, optimum solummodo Deum nosset ex naturæ proprietate. At nunc etiam justum eum patitur, ex causæ suæ necessitate; tamen & hoc ipso optimum, dum & justum. Et bono enim juvando & malo puniendo justitiam exhibens, utramque substantiam bono præstans, hinc vindicans, inde remunerans illud.* L. de Resurr. carnis.

Et alibi paulò prolixiùs: *Usque ad delictum hominis Deus à primordio tantùm bonus, exinde judex & severus, & quod Marcionistæ volunt, sævus. Ita prior bonitas Dei secundum naturam, severitas posterior secundùm causam. Illa ingenita, hæc accidens; illa propria, hæc accommodata; illa edita, hæc adhibita. Nec natura enim inoperatam debuit continuisse bonitatem, nec causa dissimulatam evasisse severitatem. Alteram sibi, alteram rei Deus præstitit.* Et infrà: *Nunc justitia malum, si injustitia bonum. Porrò cùm cogeris de pessimis injustitiam pronuntiare, eodem jugo urgeris de optimis justitiam censere. Nihil enim æmulum mali non bonum; sicut & bono æmulum* Con. Marci. lib. 2.

ium nihil non malum. Igitur quanto malum injustitia, tanto bonum justitia. Nec species solummodo, sed tutela reputanda bonitatis; quia bonitas nisi justitia regatur ut justa sit, non erit bonitas, si injusta sit. Nihil enim bonum quod injustum. Bonum autem omne quod justum est, &c. Ut malum erupit, inde jam cœpit bonitas Dei cum adversario agere, &c. Ita omne justitiæ opus procuratio bonitatis est, quod judicando damnat, quod damnando punit, quod, ut dicitis, sævit, utique bono, non malo proficit, &c. Tot illecebris mali expugnantibus bonum, quis illud appeteret, quod impunè contemneret? Horremus terribiles minas Creatoris, & vix à malo avellimur, quid si nihil minaretur? Hanc justitiam malum dices, quæ malo non favet? hanc bonum negabis, quæ bono prospicit? &c. Quis boni author, nisi qui & exactor? quis mali extraneus, nisi qui inimicus? quis inimicus, nisi qui expugnator? quis expugnator, nisi qui & punitor? Sic totus Deus bonus est, dum pro bono omnia est. Plura possent in hunc locum accumulari ex aliis Patribus, unum addam ex bene multis, qui calamum strinxere adversùs eosdem hæreticos, qui Testamenti veteris Deum, seu Creatorem criminabantur ut sævum, & cædibus ac ruinis se oblectantem, eòque illum & opponebant & postponebant novi Testamenti Conditori, quem solius bonitatis & clementiæ lenociniis diffluentem opinabantur.

VII. Chrysostomus in primis egregiè ostendit non parum ipsi Dei bonitati derogatum iri, & ex dimidio tantùm illud bonum fore, si minas, si pœnas, si gehennas nunquam intentaret: (Hom. 7. ad pop. Ant.) *Deus non tantùm honorans & benefaciens, sed & castigans, & puniens similiter est bonus; & sive contra Gentiles sive contra hæreticos nobis certamina moveantur, & pugna de Dei benignitate, non tantùm ex quibus nos honoravit, sed & ex quibus nos punivit, ipsius bonitatem demonstrabimus. Si enim honorans tantùm bonus esset, puniens verò non esset, ex dimidio bonus esset; sed non ita est, absit. In hominibus quidem hoc evenire verisimile est, quoniam cum furore & ex effectu pœnas inferunt. Deus verò cùm nullis sit affectibus obnoxius, sive benefaciat, sive puniat, similiter est bonus; nec regno minùs comminatio gehennæ bonitatem ipsius demonstrat. Quo pacto id fiat ego dicam. Nisi gehennam minatus fuisset, nisi pœnam præparasset, non multi regnum assequi potuissent. Non enim ita bonorum promissio ad virtutem multos evocat, ut malorum intentatio timore compellit, & ad animæ curam excitat. Itaque etsi cœlorum regno gehenna contraria est, ad unum tamen ambo finem respiciunt, hominum salutem: illud quidem ad se alliciens, hæc autem ad illud compellens.* Addit inter homines etiam parentum bonitatem charitatemque in filios sævire. Et idem alibi: (Hom. 7. in Ep. ad Phil.) *Ex abundanti ostendam, Deum nisi rationem exigeret, non esse bonum; atque ideo in primis esse bonum, quia hanc exigit. Dic enim quæso, nisi ille à nobis rationem exigeret, essetne vita humana? Nonne feris quoque ipsis immaniores evaderent homines? &c. Quid servos dicam? filios si quis impunè permittat cuncta præsumere, neque castiget errantes, ad quæ non prærupta vitiorum evasuri sunt? Quòd si coram hominibus ea castigatio meretur laudem, ac bonitatis insigne est, esset autem non castigare crudelitatis, quantò magis id in Deo erit? Igitur quoniam supremè bonus est, idcirco gehennæ præparavit incendia. Vultis ex alia parte divinam agnoscere benignitatem? Non modo eo metu coercet improbos; verùm & qui boni sunt, non eos sinit fieri malos. Nam si nulla esset meritorum discretio, neque secundùm opera cuique merces recompensaretur, omnes profectò mali fierent.* Et alibi: (Hom. 23. in Ep. ad Rom.) *Tale quippe amantium est ingenium, ut quando benefacientes non diliguntur, coguntur vehementes fieri & minari; non quidem volentes, sed amoris violentia ad hoc impulsi, ut vel sic contemptores suos ad se pertrahant. Tametsi enim talis dilectio coactionem habeat, attamen ipsos etiam per hoc solatur, quòd vehementer amet, adeò ut & supplicium ex amore proficiscatur.* Ita ille demonstrat de bonitatis vena effluere ipsa supplicia; non minùs gehenna, quàm regno Dei bonitatem manifestari, cùm non alio consilio aut usu ardeat gehenna, quàm ut ad regnum ignavi, contumaces, rebellesque compellantur.

VIII. Observandum nonò mala pœnæ bona esse, ideo à Deo authore esse: & tamen umbram aliquam mali præferre, & eatenus à Deo, summo quippe bono, non fieri. Quòd pœnæ bona sint, jam probavimus; sunt enim justæ, ideo bonæ; sunt vindices bonorum, emendatoriæ malorum; deterrent à malo, compellunt ad bonum; avocant à creaturis semper amaris, alliciunt ad Deum merum bonum; si amantur temporalia, etsi pungentia, quantùm amarentur blandientia? Denique ipsa pœnarum æternitas justa est, ordinata est, ideo pulcra & bona est; & beatos magis lætificat, spectantes quantum debeant Deo, cujus ope tantum mali evasere. Audi Gregorium Magnum: (Moral. in Job. l. 33. c. 13.) *Tunc pulchra erit universitas, dum & gehenna justè cruciat impios, & æterna fœlicitas justè remunerat pios. Sicut enim niger color in pictura substernitur, ut superjectus albus vel rubeus pulchrior ostendatur: ita tunc etiam malos bene ordinans Deus, fœliciora exhibet gaudia Beatorum, ostensis ante eorum oculos suppliciis reproborum. Et quamvis illud ex visione dominica eorum gaudium non sit quo crescat; magis tamen authori suo esse se debitores sentiunt, quando & bonum cernunt, quod justè remunerati percipiunt, & malum quod misericorditer adjuti vicerunt.*

IX. Quòd rursus mala pœnæ, quatenus umbratilliter saltem mala sunt, à summo bono non sint, patet, quia sunt vel à mala voluntate, quæ sibi ipsa supplicium est, dum malitiâ suæ veneno cruciatur, concupiscentiis discerpitur, aversione à summa luce excæcatur, ipsis suis peccatis vulneratur & contabescit: vel ab alterius voluntatis injustæ justa potestate, utpote à Deo justè concessa; ut malæ voluntates, aliæ alias crucient, permittente Deo, & utrasque plectente. Nam & quæ torquet & quæ torquetur, pœnas dat, hæc cruciatus acerbitate, illa cruciandi infamia & indignitate. Priùs illud ab Augustino sæpè audivimus, à bono Deo non cadere quemquam nisi in malum, & hæc duo nullo momento distare, ut sit fœditas culpæ sine decore vindictæ. Et rursus idem: (Confess. l. 1. c. 12.) *Jussisti enim, & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.* Et alibi: (Ibid. l. 5. c. 8.) *Impunè se facere arbitrantur, cùm ipsa faciendi cæcitate puniantur, & incomparabiliter patiantur pejora, quàm faciunt.*

X. At postremmum hoc pulchertimè exequitur Augustinus exponens ut Ægyptios Deus per Israelitas expolians, de utrisque pœnas sumpserit; illorum cupiditatem opum inexaturabilem exui & spoliari, horum non multò disparem exaturari permittens: (L. 83. qq. q. 53.) *Dignis digna distribuens pro meritis & dignitatibus quæ sunt in gradibus earum: ut si quisquam dignus est decipi, non solum per seipsum eum non decipiat, sed neque per talem hominem, qui jam congruenter diligit & custodire persistit, sit in ore vestro, est, est, non, non; neque per Angelum, cui non convenit persona fallaciæ; sed aut per talem hominem, qui nondum se hujusmodi cupiditatibus exuit; aut per talem Angelum, qui pro suæ voluntatis perversitate, vel ad vindictam peccatorum, vel ad exercitationem purgationemque eorum qui secundùm Deum renascuntur, in infimis naturæ gradibus ordinatus est. Legimus enim deceptum Regem Achab falso vaticinio pseudoprophetarum, & ita legimus, ut neque sine divino judicio factum inveniamus, quoniam dignus erat ille sic decipi; neque per eum Angelum qui deceptionis offi-*

tiur suscipere non deceret; sed per Angelum erroris, qui sibi ultro tales partes imponi cum lætitia postulavit. Hinc est quod Judex damnatum percutere, indignum sua persona & nefarium judicat; ejus tamen jussu hoc facit carnifex, qui pro sua cupiditate sic ordinatus est in officio, ut percutiat legum moderatione damnatum, qui posset etiam innocentem sua crudelitate percutere. Nam neque per seipsum hoc Judex facit, neque per Principem aut Advocatum, &c. Dignus est fur morsu lacerari; hoc tamen homo non per seipsum agit, aut per filium, aut per domesticum, aut etiam per famulum suum; sed per canem, quam bestiam talia facere pro naturæ suæ gradibus decet. Cum igitur quosdam pati aliquid deceat, quod alios facere non deceat, ministeria quædam sunt media, quibus talia injunguntur officia, ut eis utens ipsa justitia, non solum talia pati quemque imperet, qualia pati eum decet: sed etiam iis facientibus, quos talia facere non minus decet. Quapropter cùm & Ægyptii deceptione digni essent, & populus Israel pro illa ætate generis humani, in tali adhuc gradu morum constitutus esset, ut non indignè hostem deciperet: factum est, ut juberet Deus, vel potiùs pro illorum cupiditate permitteret, ut vasa aurea & argentea, quibus adhuc terrenæ rei appetitores inhiabant, & peterent ab Ægyptiis non reddituri, & acciperent quasi reddituri. Non igitur Deus deceptor est: quod credere nefarium esse quis non intelligat? sed meritorum & personarum justissimus distributor, faciens quædam per seipsum, quæ illo solo digna sunt, eique soli conveniunt, sicuti est illuminare animas, & seipsum eis ad fruendum præbendo, sapientes beatasque præstare; alia per servientem sibi creaturam, integerrimis legibus pro meritis ordinatam, quædam eorum jubens, quædam permittens.

XI. Prolixior videri poterit hic contextus, at non iis qui sententiarum gravitatem, exemplorum varietatem, & sanctioris Theologiæ copiam ac splendorem perpendere curabunt. Nusquam enim pulcriùs, nusquam fœliciùs, nusquam accommodatiùs ad divinæ bonitatis ac sapientiæ declarationem, explanari potuit, ut summum bonum mala pœnæ complura infligat, non per se, non per Angelos bonos, non per viros probos, sed vel per malos Angelos, vel per sceleftos homines, qui sua sponte in id propendent, qui pro sua pravitate id expetunt, qui pœnas ipsi, ut decet, dant, dum sumunt; & ad hoc non imperio, sed permissione tantùm egent divina. Ita dignus decipi Achab per pseudoprophetas, pseudoprophetæ per angelum malum decepti sunt, non jubente Deo, sed permittente duntaxat. Ita permittente magis quàm jubente Deo Ægyptii spoliati sunt ab Israelitis, digni à dignis, quòd ut illi in omne genus flagitiosarum cupiditatum projecti essent, ita & hi pueriliter adhuc res terrenas concupiscerent. Quòd autem pœnas dent, etiam qui infligunt, cùm huic officio probrosissimo pro meritis addicuntur, idem Augustinus alibi patefacit exemplo diaboli, cui pœna hæc irrogata est, serpentis figura & malitia vestito & personato, ut peccantium princeps tortorque sit. *Ea pœna diaboli dicitur, qua nobis cavendus est. Pœna enim ejus est, ut in potestate habeat eos qui Dei præcepta contemnunt. Hoc enim explicatur his verbis, quibus in eum profertur sententia. Et inde major pœna est, quia de hac tam infœlici potestate lætatur, qui solebat antequam caderet, sublimi veritate gaudere, in qua non stetit.* De Gen. con. Manic. l. 2. c. 17.

XII. Observandum decimò & postremò, usque adeo malum nihil esse, & in malo ipso regnare boni vim & potestatem, ut ne peccata quidem, quibus potissimùm mali dedecus & turpitudo inhæret, aliud quidquam esse possint, quàm imitamenta quędam boni, tametsi præpostera & distorta. Cùm enim quæcumque sunt, à summo bono sint, illud appetant, ad illud revocentur: non possunt quæcumque sunt, & agunt, etiamsi deficienter & peccaminosè agant, non agere ex appetitu boni, non in agendo imitari utcumque summum bonum, utpote sui causam, à qua recedere, & à cujus imitatione deficere omnino non possunt. Prolixa vitiorum omnium enumeratione id evincit Augustinus, designans quam quæque vitia virtutem & divinæ naturæ præcellentiam effingere conentur. *Est quædam defectiva species & umbratica vitiis fallentibus. Nam & superbia celsitudinem imitatur, cum tu sis unus super omnia Deus excelsus. Et ambitio quid nisi honores quærit & gloriam, cùm tu sis præ cunctis honorandus, &c. Et sævitia potestatum timeri vult. Quis autem timendus, nisi unus Deus? Curiositas affectare videtur studium scientiæ, cum tu omnia summè noveris. Ignavia quietem appetit. Quæ verò quies præter Dominum?* Confess. l. 2. c. 6. Et ne longum faciam, naturis omnibus author creando penitissimè insculpsit sui imitandi impetum, quem utcumque deflectere & obliquare possunt, omnino extirpare aut elidere non possunt: *Ita fornicatur anima, cum avertitur abs te, & extra te quærit ea, quæ pura & liquida non invenit, nisi cum redit ad te. Perversè te imitantur omnes, qui longè se à te faciunt, & extollunt se adversùm te. Sed etiam sic te imitando testantur creatorem te esse omnis naturæ, & ideò non esse quò à te omnimodo recedatur.* Ita prorsus imitatio hæc quantumvis distorta & tenebricosa, qua divinas dotes vitia ipsa & peccata æmulantur, testatur Deum seu summum bonum esse creatorem omnis naturæ, quæ propterea non potest omnia primæ causæ impressa sibi vestigia & lineamenta exculpere & penitùs oblitterare. Hinc est quod mox addit, in illo furto, in quod luxuriante juventa consenserat, non furti, non pomorum amore se raptum fuisse, sed tenebrosa libertatis summæ nullique obnoxiæ affectatione. *Quid ergo in illo furto ego dilexi; & in quo Dominum meum vel vitiosè atque perversè imitatus sum? An libuit facere contra legem, saltem fallacia, quia potentatu non poteram, ut mancam libertatem captivus imitarer, faciendo impunè quod non liceret, tenebrosa omnipotentiæ similitudine?*

XIII. Hinc vel vitia ipsa monent nos, quo à vitiis ad verum boni æquique fontem reflectamur. Unde idem alibi: *Quapropter etiam in illa corporis voluptate invenimus, unde commoneamur eam contemnere. Non quia malum est natura corporis, sed quia in extremi boni delectatione turpiter volutatur, cui primis inhærere fruique concessum est.* L. de vera Relig. c. 45. Quin & majorem auguratur Augustinus in vitiis naturæ liberæ & rationalis, quàm in naturis inferioribus integris, esse summi boni appetendi & recuperandi admonitionem. *Si ergo in ista ipsa visibilis carnis imbecillitate, ubi beata vita esse non potest, invenitur admonitio beatæ vitæ, propter speciem de summo bono usque ad ima venientem: quantò magis in appetitione nobilitatis & excellentiæ, & in omni superbia vanaque pompa hujus mundi? Quid enim aliud in ea homo appetit, nisi solus esse, si fieri possit, cui cuncta subjecta sint, perversa scilicet imitatione omnipotentis Dei? &c. Habet ergo & superbia quendam appetitum unitatis & omnipotentiæ, sed in rerum temporalium principatu, quæ omnia transeunt velut umbra. Invicti esse volumus, & rectè: habet enim hoc animi nostri natura post Deum, à quo ad ejus imaginem factus est. Sed ejus præcepta erant servanda, quibus servatis nemo nos vinceret.* Ex inscripta ergo nobis summi boni authoris nostri imagine, id proficiscitur, ut velimus esse invicti, quieti, sapientes, beati; ut in his omnibus imitemur authorem nostrum. Sed tam præclaræ naturæ propensiones, ad summum bonum venandum fruendumque concitatæ, vitio nostro divertunt ad summi boni simulacra in rebus temporalibus depicta, & ita in vitia degenerant.

nerant. Verùm ut nos quidem bonum impetum detorquemus in malum, ita Deus hoc ipso sic distorto appetitu admonet excitatque nos, ut ad verum
Ibid. c. 48. bonum redeamus. *Quapropter si & ipsa superbia veræ libertatis & veri regni umbra est, etiam per ipsam nos commemorat divina providentia, quid significemus vitiosi, & quò debeamus redire correcti.*
Ibid. c. 52. Et infrà: *Quid est autem unde homo commoneri non possit ad capessendas virtutes, quando de ipsis vitiis potest? Quid enim appetit curiositas, nisi cognitionem, quæ certa esse non potest, nisi rerum æternarum & eodem modo se semper habentium? Quid appetit superbia, nisi potentiam, quæ refertur ad agendi facilitatem, quam non invenit nisi anima perfecta & Deo subdita, & ad ejus regnum summa charitate conversa? Quid appetit voluptas corporis, nisi quietem, quæ non est nisi ubi nulla est indigentia & nulla corruptio?*

XIV. Nec ab illis impressionibus mirificis creatoris duntaxat in creatæ naturæ medullas & penetralia, oritur hæc imitandi effingendique summi boni, sive nativa & recta, sive perversa & vitiosa affectatio; sed etiam ex primo hominis peccato, ad quod ille hoc demum adductus est im-
De Trinit. L. 11. c. 5. pulsu, *Eritis sicut Dii*. Idem Augustinus alibi: *Quid enim non pro suo genere, ac pro suo modulo habet similitudinem Dei, quandoquidem Deus fecit omnia bona valde, non ob aliud, nisi quia ipse summè bonus est? In quantum ergo bonum est, quidquid est, in tantum scilicet quamvis longè distantem, habet tamen nonnullam similitudinem summi boni; & si naturalem, utique rectam & ordinatam: si autem vitiosam, utique turpem atque perversam. Nam & animæ in ipsis peccatis suis nonnisi quandam similitudinem Dei, superba & præpostera, & ut ita dicam servili libertate sectantur. Ita nec primis parentibus nostris persuaderi peccatum posset, nisi diceretur, Eritis sicut Dii*. Vides ut ad summi boni imperium inconcussum & ineluctabile pertineat, quod nec peccata ipsa, quæ longissimè & in extremam dissimilitudinem ab eo fugiunt, notas tamen ejus aliquas præferant, & ad illud non possint non licet distortè retorqueri.

XV. Perindè est si ad veritatem, vel ad pulchritudinem summam id referas. Nec enim æterna veritas, aut summa & incorruptibilis pulchritudo alia est, quàm summum ipsum bonum. Nemo cadit à veritate, nisi in aliquod vestigium veritatis. Nemo deficit à vera sursum pulchritudine, nisi illusus aliqua ejus hìc fallente pictura. Ita à fine usque ad finem fortiter & omnipotenter attingit sapientia. *Quid igitur restat, unde non possit anima* De vera relig. c. 39.
recordari primam pulchritudinem, quam reliquit, quando de ipsis suis vitiis potest? Ita enim sapientia Dei pertendit à fine usque ad finem fortiter. Ita per hanc summus ille artifex opera sua in unum finem decoris ordinata contexuit. Ita illa bonitas à summo usque ad extremum, nulli pulchritudini quæ ab ipso solo esse posset, invidit; ut nemo ab ipsa veritate deiiciatur, qui non excipiatur ab aliqua effigie veritatis.

XVI. Hinc advertit Primasius ab Augustino non pauca flagitia facinoraque, quæ in Testamenti veteris paginis memorantur, ad mysteria quæque divinissima significanda rapi. Nec enim qua scelera sunt, hoc honore afficiuntur: sed qua residuis quibusdam & fugientibus divinæ similitudinis lineamentis non destituta; ex quo consentaneum est, ut tam Christi mysteriorum, quàm divinarum virtutum imitamenta esse possint. *Hoc* In Apocal. L. 2. c. 5
etiam in Thamar nuru Judæ aliisque compluribus novimus esse peractum, ut illis culpa cadentibus, à Deo qui novit bene uti etiam malis nostris, aliud de illis mysterio gereretur. Omnia enim illius temporis in eodem populo gesta, prophetiam esse futurorum docet Apostolus, dicens, Omnia enim hæc in figura contingebant illis. Et licet illi, aut purgatorias pro commisso pœnas luerent, aut veniam pœnitentiæ remediis impetrarent, nobis tamen divina clementia dispensationis Christi præparavit effectum. Foris ergo peccata patebant, intus autem mysteria latitabant. Profert mox Augustini contextum de uxore & filiabus Loth, quarum ex flagitio sanctus Pater exsculpit tanquam ex silice mysterii scintillam: *Aliud illæ, ut hoc facerent, intenderunt; aliud Deus, qui hoc fieri permisit, ut etiam inde aliquid demonstraret, manente recto judicio, super peccata hominum tunc præsentium, & vigilante providentia sua pro significatione futurorum. Proinde illud factum cum in sancta Scriptura narratur, prophetia est; cum verò in illorum vita, qui hoc commiserunt, consideratur, flagitium est. Et hæc quidem sanctus Augustinus*. Possent hæc confirmari ex Dionysio & Pachyme- De divin. Nom. c. 4. n. 20.
re. Sed ad alia festinat calamus. Nonnulla de malo culpæ hìc disputanda supererant, quæ maluimus etiam conjicere in tractatum de Scientia & Decretis Dei.

LIBER TERTIUS.

DE DEO UT EST ESSE IPSUM, & Mens, & Veritas, ubi de Ideis, & Pulchrum, & Amor & Vita.

CAPUT PRIMUM.

De Ente primo, & de Mente prima quid senserint antiquissimi Philosophi; quid sensisse adhibita ex ipsismet censura existimandi sint.

I. Philosophi Platonici, Deum, ut unum & bonum ipsum, supra ens & supra mentem constituebant. Simplicius illis videbatur unum, vel bonum, quàm ens vel mens. Ab uno & bono quiescente, prosiliebat juxta illos mens, sive ens, ut sibi pater quodammodo esset. Id ex his Philosophis exsculpit Cyrillus.

II. Quo sensu illi tribuerent enti ipsi hæc quinque, essentiam, motum, statum, alteritatem, identitatem.

III. Plotinus hæc enti inesse contendit, non ipsi bono, cujus non est ad aliquid ferri, moveri, stare, intelligere, sed sibi uni acquiescere.

IV. Ex Eulogio Alexandrino Deus est supra ens, & supra mentem, quia est supra motum, statum, alteritatem, & identitatem, quæ unitati & simplicitati ejus pugnant.

V. Essentia, mens, eadem veritas & Verbum. Ejus descriptio ex Plotino.

VI. Mens ita descripta potest videri Deus esse: sed tamen

tamen super illam verum Deum statuebant Platonici, ipsum unum.

VII. Ens, seu Mens, idem mundus intelligibilis.

VIII. Senserunt tandem Platonici, non satis constanter negari à se, quod Deus sit ipsum esse, etsi sit supra esse: sicut ab eis prædicabatur & unum esse, & supra unum.

IX. Eusebius multa coacervat ex Platone & Platonicis, quibus evincit eos Mosi concinere, & Deum prædicare ipsum Esse.

X. Rursus ex Platone, Deus est ipsum esse; & eo revocatus jure est Plato ab Eusebio, qui pretiosum à vili separavit.

XI. Platonici ipsi posteriores senserunt ens, esse, mentem, Verbum esse verissimum Deum.

XII. Quibus assensus est & Plutarchus, in explicanda salutatione, seu inscriptione Delphica; apertè docens, quod Deus sit ipsum esse, & idem ipsum unum, quòd unum & esse ipsum idem prorsus sit.

XIII. Sensibilia omnia magis non sunt, quàm sunt ex Plutarcho.

XIV. Et ex Platone.

I. Illud primò Philosophi Platonici constituebant, ens, seu esse ipsum esse posterius uno & bono, utpote prolem ejus. Quippe ens non tam unum est, quàm omnia: certè unum omnia est. At prius est ipsum unum, in summo quodam principatus & simplicitatis vertice. Similiter ens non tam ipsum bonum est, quàm ad illud suspirat, illud appetit, & exquirit. De mente prima idem illi constituerunt, summi parentis ipsius unius & ipsius boni hanc esse æternam progeniem, quæ verè sit, & ipsum ens sit, & ante tempora omnia æternitatem & incommutabilitatem obtineat. Quin & per se genita, & sibi ipsi parens sit, αὐτογέννητος καὶ αὐτοπάτωρ. Quod nimirum ipsum unum & bonum, quiescens, silens & inoperans sua sponte cum sit, non suam ipse prolem ex se effundat: sed ipsa ultro emicet, exiliatque à Patre, atque ita quodammodo pater ipsa sibi sit. Vide, ut hæc Cyrillus Alexandrinus ex Porphyrio, Porphyrius ex Platone edisserat: *Ait ergo* Cyril. Con. Jul. l. 1. p. 32. *Porphyrius, quod de bono in hunc modum Plato dixerit: Ex hoc quandam mentem hominibus imperceptibilem natam esse, totam per se subsistentem, in qua verè sunt quæ sunt, & omnis entium substantia est. Quæ quidem & prima pulchra, & per se pulchra est, a se pulchritudinis speciem ducens; prodiit verò ante sæcula ab authore Deo emicans, per se genita, & sibi ipsi parens. Non enim illo monente se ad generationem hujus progressus fuit, sed mente ipsa procedente per seipsam à Deo, ἀλλὰ τούτου παρελθόντος αὐτογόνως ἐκ θεοῦ; procedente inquam à nullo principio temporis, nondum enim tempus erat; sed neque tempus postquam aliquod extitit, ad illam spectavit, quippè mens illa semper expers temporis est, & sola æterna.* Et infrà rursus sic Platonis sententiam ex Ibid. l. 4. p. 145. Plotino interpretatur, ut bonum Pater sit mens, mens & ens & idea idem prorsus sint, à mente denique anima procreetur. *Causa verò quæ mens est, Patrem ait ipsum bonum, & id quod est ultra mentem & ultra substantiam. Plerumque verò ens & mentem ideam appellat. Quocirca Platonem intellexisse, ex bono quidem mentem, ex mente animam existere.*

II. Rursus iidem in ente primo collocabant hæc quinque, essentiam, motum, statum, alteritatem, identitatem. Tametsi hæ mihi quidem videantur verborum magis affectatæ ambages esse, quàm quidvis aliud; non abs re tamen erit, horum sensum enucleare; etsi jam in superioribus hæc prælibata sint. Plato ipse in Sophista prolixè hæc quinque velut summa genera fundare laborat, & enti primo vendicare. Essentia enim est quæ à generatione distinguitur, quod illa sit rerum quæ sunt & constant, hæc rerum quæ fluunt, & fiunt, & semper fiunt, nec unquam sunt. *Aliud essentiam, aliud generationem dicitis, alterum ab altero secernentes. Et corpore quidem nos per sensum cum generatione communicare, animam verò per rationem cum vera essentia: quam semper secundùm eadem & eodem modo sese habere, generationem verò aliàs aliter apparere asseveratis.* Motus autem, vita, & sapientia vero enti utique insunt. Vivere enim & intelligere quidam motus sunt. *Quid verò motum, vitam, animam, sapientiam, numquid ab eo quod omnino & verè est, abesse prorsus existimandum, neque vivere ipsum, neque sapere, neque venerandam sanctamque mentem habere, sed immobilem consistere? Absurdum nimis id.* Hic tamen motus, hæc vita, hæc mens & intelligentia primi verique entis sic accipi debet, ut constantiam simul & immutabilitatem ejus, atque adeo statum inconvulsum agnoscamus. Nisi enim ita staret, ex genere esset rerum fluentium, quæ fiunt magis quàm sunt. *Videtur tibi absque statu esse unquam posse quod dicitur, secundùm eadem, eodem modo & circa idem? Nequaquam. Cernis unquam sine his mentem vel fuisse, vel esse? Minimè.* Poterat supersederi hoc verborum anfractu, si simpliciter diceretur, non posse eum qui summè est, seu qui est ipsum esse, non omnia essendo intelligere, & intelligendo esse, & incommutabiliter esse, incommutabiliter intelligere. Rursus tria hæc, esse, vivere, stare, utcumque differunt inter se, & hæc jam alteritas est; & unumquodque eorum idem sibi unumque est, unde adest identitas. *Sequitur ut tria sint hæc. An non horum quodlibet à duobus reliquis alterum est, sibi idem? Est. Quid ita nunc idem & alterum diximus, numquid ut duo quædam genera alia, quàm tria superiora, illis autem necessariò semper adnexa? Atque ita de quinque generibus cogitandum?* Quod perinde est ac si dicatur, divinæ naturæ proprietates & dotes, alias ab aliis utcumque discerni, & tamen identitati divinæ non præjudicari.

III. Plotinus argumentatur similiter summi boni primique Principii non esse, ut moveatur, vel stet, sed illud unum ut sit ad quod moveantur, & in quo stent & quiescant cætera, maximè verò intelligentia, cujus hæc est indoles, moveri ad bonum, eique acquiescere. *Primum omnium principium potestas est motionis & status;* Ennead. 5. l. 9. *ideoque super hæc existit. Quod verò secundum est, quiescit circa ipsum, atque movetur. Ad secundum autem pertinet intellectus, &c. Mens entia est, ubi est & motus & status; jam verò ipsum primum circa aliquid aliud non versatur, sed cætera circa ipsum conquiescentia permanent & moventur.* Et rursus alibi Plotinus: *Contemplare intellectum purum; jam intueris illic essentiam tanquam fundamentum; animadvertis qua ratione intellectus & in seipso quiescit, &c. specularis vitam permanentem, intelligentiam non agentem circa futurum, sed in præsens se potius intendentem, imò verò habentem, semperque jam possidentem. Ibi certè præsens semper ipsum est, & semper; ibi & intelligens, non externum quidquam prospicit, sed inspicit penes seipsum. Qua igitur ratione intelligit, actus ibi est atque motus; qua verò seipsum animadvertit, essentia & ens ibi viget, &c. Jam verò ens ipsum omnium est firmissimum, in quo & reliqua cuncta fundantur; atque quod habet, non peregrinum, sed ex seipso possidet in seipso.* Enn. 6. l. 2. n. 8. 12. 13. Sic ille mentem primam ipsum ens & esse totum demonstrat esse, ut quæ omnia in seipsa intelligat, adeoque omnia sit. Hinc illi præsentia omnia & stantia sunt, cùm ipsamet sit omnia, sibique semper tota præsto sit. Est itaque & intelligit, quod est moveri & vivere, & stat. Hinc & particularia entia pariter suo genere & modo sunt, moventur & stant. Quin & ens ipsum & entia singula habent præterea alteritatem & identitatem. Nam in ente primo tria illa, esse, moveri, stare, & alia ab aliis differunt, & unum-

quod-

quodque horum idem sibi est. Et reliqua entia similiter id habent, ut unum idemque sibi singula sit, & alia ab aliis discrepent. *Hæc tria aliquis contemplatus, nonne diversa quodammodo inter se existimat, atque alteritate discernit, ipsamque in ente alteritatem advertit? Tria videlicet ponens, & quodlibet unum? Hæc rursus in unum atque in uno, & ad unum omnia; ideoque in eodem colligens atque conspiciens, identitatem agnoscit jam factam, imò jam existentem. Nonne igitur præter illa tria necessarium est duo hæc adjungere, idem scilicet atque alterum?* Tempero calamum, ne plura ex eo decerpam, cùm hæc verborum affectata caligo & prolixitas eò tandem tota desinat, ut intelligatur ens ipsum & primum, & intelligere, & incommutabiliter esse & intelligere, & infinitis abundare perfectionibus, quæ utcumque aliæ ab aliis discriminentur per alteritatem, & tamen in unam simplicissimam constringantur identitatem.

IV. Ne quis tamen nobis succenseat, quod hæc Philosophica dogmata hìc enarrare adgressi simus: proferendus nobis est Eulogius Alexandrinus Episcopus, idemque priscæ Græcorum Patrum Theologiæ callentissimus, qui hæc eadem omnia Christianæ scholæ intulit & consecravit. Sic enim ille Deum unum trinumque, Patrem & Filium & Spiritum sanctum jubet à nobis quà fas est cogitari, ut sit supra ipsum esse; *Aliud est esse supremæ Trinitatis, aliud nostrum. In Trinitate ens est supra esse,* τὸ ὂν ὑπὲρ τὸ εἶ). *At nostrum esse neque propriè ens est.* Rursus ubi Theologi ajunt Deitatem unam esse, ut mentem, id accommodatè ab iis dici, ad generationem Verbi quoquo modo declarandam. Nam accuratior sententia est, Deum esse supra mentem: *Quando autem Theologi divinam naturam unum quid esse prædicant, ut mentem, id propter solam divinam impatibilemque Verbi generationem faciunt. Nam recta piaque sententia Divinitatem supra naturam mentis collocatam asserit.* Quibus autem ducti rationibus Theologi Divinitatem supra naturam mentis constituant, id Eulogius statim aperit: quòd identitas, alteritas, motus & quies seu status naturam mentis, seu corollaria quædam consequantur, quæ ab unitate & simplicitate Dei aliena sunt. *Identitas enim in mente spectatur, itemque alteritas, motus & status. Nec omnino caret duplicitate. Et status quidem propter essentiæ identitatem spectatur in ea; alteritas autem & motus propter spontaneam vim & operationem, &c. Quod noscitur à seipso, jam non unum, sed veluti duplex consideratur, &c.*

V. Consentaneum quoque id visum est, ut ens non solùm mens prima & princeps idem esset, sed

Enn. I. l. 8. n. 2. & idea & veritas. Plotinus: *Intellectus ille non est similis horum qui apud nos dicuntur, sed habet omnia, est omnia, secum habitat, sibi prorsus unitus, habet cuncta non habens. Non enim ea possidet tanquam alia, nec ipse existit alius, neque quæ sunt in eo singula segregantur à singulis; imò vero quodlibet est universum, & ubique totum; neque tamen confunduntur cuncta, sed rursus singula discernuntur.* Quæ perelegans est Verbi divini descriptio, ut omnia entia complectentis, ut omnia anticipantis, ut omnium exempla-

Ennead. 1. l. 6. c. 6. ris. Nec minùs ista luculenta: *Est enim ens quod revera quis possit dicere enter ens,* ὄντως ὄν. *Hoc est autem quod omnino ens est, cui esse ipsius nihil deest. Cùm vero perfectè sit ens, nullo indiget, quo sit atque servetur; sed ipsum aliis quæ videntur esse, ut videantur esse causa est. Si hæc vera sunt, necessarium est ipsum in vita esse, atque vita perfecta; alioqui non magis ens, quàm non ens foret; id autem intellectus est sapientiaque perfecta. Sempiternum est, eodem semper modo se habet, nihil aliquando suscipit; si quid enim susciperet, præter seipsum illud susciperet, ideoque non ens susciperet. Oportet autem ipsum omnino ens existere. Venire igitur ipsum in esse oportet, penes se omnia possidere, & simul omnia, unumque omnia, si modo per hæc definimus ens. Oportet autem ita hæc se habere, alioquin ex ipso ente intellectus & vita non emanarent, sed hæc enti adventitia forent.* Ubi perspicis ipsum esse primò collocari uti fundamentum; cùmque totius entis plenitudo exundans hæc sit, hinc fieri, ut & mens sit, & vita, & denique omnia, nimirum exemplariter. Item ut æternum & incommutabile sit; temporalia enim & mutabilia plus non entis quodammodo, quàm entis participant.

VI. Si pressiùs hæc entis seu mentis descriptio attendatur, erit in ea satis fundamenti, ut vera illi divinitas vendicetur. Quid enim tam Deo proprium, quàm ut sit ipsum esse, sit totum esse, sit omnium idea & exemplar, sit omnium causa, sit æternus & incommutabilis? Hinc verum Deum à Platone & Platonicis his describi coloribus augurati sunt, quibus explorata minùs erant hujus Philosophiæ penetralia. Etsi enim Dei nomine ens ipsum cohonestarent Platonici, superiorem tamen Deum, qui esset supra ipsum esse & supra mentem, prædicabant. Unde ibidem Plotinus: *Quod enim existit super ens, enti quidem hæc largitur, neque tamen his ipsum indiget.* Inde est quod supra Eulogius, verissimam Trinitatis Deitatem, non in eum deiiciebat locum, ubi Platonici ipsum ens constituerant, sed in ipsius unius & boni apicem, supra ens ipsum exaltavit.

VII. Sed & alibi idem Plotinus mundum intelligibilem ait esse ipsum ens; idem ens qua intelligitur à seipso, & mens qua seipsum intelligit, & in se omnia: *Ad ipsum mundi hujus principium, & exemplar, mundumque veriorem, prorsus ascendat, ibique intelligibilia cuncta conspiciat, inæstimabilem sapientiam, auream planè vitam, &c. Intellectus quatenus intelligit, ens autem quatenus intelligitur. Non enim esse posset actus intelligendi, nisi esset alteritas, atque identitas.* Dum seipsum enim intelligit ens ipsum, & alterum quodammodo à seipso fit, dum intelligit & intelligitur: & idem tamen permanet, quia non aliud quàm seipsum intelligit. *Sunt ergo prima, intellectus, ens, alteritas & identitas. Oportet autem motum statumque adjungere: & motum quidem, si intelligit: statum verò ut idem.* Est enim moveri quoddam intelligere: at seipsum essendo intelligere, identitas est.

Ennead. 5. L. 1. c. 4.

VIII. Viderunt ut existimo aliquando tandem Platonici ipsi sui hujus divini systematis inconstantiam & perplexitatem. Ægrè enim persuaderi poterat Deum verum & supremum non esse, qui esset ipsum esse, & plenum totumque esse, qui unum omnia esset, qui omnia entia conderet regeretque, qui æternitatis & immutabilitatis compos esset. Ægrè rursum persuaderi poterat, illum qui supra ipsum esse constituebatur Deum, prædicari & cogitari debere, non esse ipsum esse, non esse omnia, non esse immediatum omnium entium conditorem, rectoremque, solo gaudere unius & boni nomine. Etenim supra ipsum unum quoque & bonum quandoque evehebatur, ut & supra esse. Ut ergo nihilominus convenienter nostræ cogitandi consuetudini & imbecilitati unum & bonum dicebatur, quin & ens & mens diceretur? Nec illum etiam nodum satis extricabant, quomodo ipsum bonum & ipsum unum se non intelligeret, semetipsum nesciret.

IX. Hinc Eusebius in libris de præparatione Evangelica, multa ex Platone Platonicisque compilavit, quibus eos demonstraret à Moysis doctrina non dissentire, ubi Deus verus & summus ipsum esse, & sapientia veritasque sempiterna esse prædicatur. Id præfatur Eusebius, Platonem in Ægypto versatum fuisse ea tempestate, nempe sub Persarum imperio, cum Hebræis illa esset frequentissima. *Platonem illum, quem tantopere omnes admi-* L. 11. c. 8.

rantur,

rantur, in hac quoque rerum spiritalium & incorporearum doctrina & ratione explicanda, non modo sapientissimum Moysem, verum etiam alios Hebræorum prophetas secutum esse, vel ex ipsis ejus verbis manifestè constat; sive eam fama & auditione acceperit, cum certum sit apud Ægyptios tunc temporis illum degisse, cum Hebræi patria secundo pulsi, Persis dominantibus in Ægypto versarentur. Ab hoc ergo Platonis cum Hebræis contubernio, potest illa exorta esse cognatio inter eorum placita. Addit tamen Eusebius potuisse & hæc Deitatis arcana Philosophis naturali lumine, studioque affulsisse, non sine aliquo revelantis Dei adjutorio. *Sive per sese propriam rerum naturam rimatus, sive quocumque modo in eam divinitus cognitionem perductus fuerit. Deus enim, inquit Apostolus, ipsis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, &c.*

X. His præstructis jam ad ipsa Platonis Platonicorumque dogmata accedit Eusebius. Ac primùm Platonis hæc verba adscribit: *Quid est illud, quod semper est, nec tamen ortum ullum habet?*
Ibid. c. 9. *Quid illud contra, quod semper nascitur, & nunquam est? Prius illud quidem, quod semper atque eodem modo est, à sola intelligentia cum ratione percipitur. Alterum hoc quod oritur simul & occidit, neque unquam verè est, in opinione dumtaxat per irrationales sensus versatur.* His ita succinit Eusebius: *An non illud Moysis oraculum, Ego sum, qui sum, egregius Plato manifestè repræsentat, dum suis ipsum verbis ita exprimit?* Ex antedictis suspicari posset aliquis Eusebium vel hinc fucum fecisse lectoribus, vel sibi ipsi fieri passum esse. Revera enim Plato illam essendi plenitudinem, æternitatem, incommutabilitatem non uni vendicabat vero Deo, summo bono, sed prorsus communicabat Nato, seu enti, vel menti, quem Genitori summo bono valdè inæqualem atque inferiorem, ideòque secundarum tantùm partium Deum interpretabatur. Sed quanquam hæc ita se habeant, potuit non injuria Eusebius utile ab inutili resecare; quidquid veri inerat Platonis dictis, adoptare; quidquid commentitii, abiicere. Igitur Plato profitebatur esse ens ipsum unum, æternum, incommutabile, omnium architectum; id ut Mosaico oraculo consentaneum arripit approbatque Eusebius. Quod huic sano dogmati incrustabat Plato, de Deo alio superiore, quietiore, ultra Verbi æternitatem antiquiore, supra Verbi immutabilitatem immoto, non tam gignente natum quàm natum habente, qui ab ipso ultro prosiliret: non tam effante Verbum, quàm Verbum habente, qui ex ejus silentio emicaret: hæc & hujusmodi alia ut canoras nugas præteriit Eusebius.

XI. Idque tantò æquius est ita æstimare, quantò constat posteriores Platonicos persæpè adductos esse ad verissimam & nulli priori disparem Deitatem primi entis, primæque mentis confitendam, ex hac ineluctabili veritatis vi, quod non possit æterna & incommutabilis plenitudo ipsius esse, non esse verus summusque Deus. Id mox probat Euse-
Ibid. c. 10. bius ex Numenio Pythagorico Philosopho, à quo & eadem illa Platonis verba proferuntur & confirmantur. Abstineo calamum ab ascribendis Numenii verbis, quod idem prorsus complectantur, esse ipsum non posse non esse æternum, & immutabile, & ingenitum; generatione enim mutaretur. Ejusmodi autem solus est Deus naturali & anticipato præjudicio, totum esse, æternum, immutabile, ingenitum, seu increatum.

XII. Sed multò dilucidiora sunt Plutarchi verba, quæ ibidem mox recenset Eusebius ex aureolo ejus libello, de syllaba εἶ, Delphico templo inscripta. Sic enim auguratur Plutarchus, cum Deus supplicem monuisset, ut sui cognitioni incumberet γνῶθι ἑαυτὸν; tum eum ab homine resalutari maximè
Ibid. c. 11. proprio Deitatis nomine, quo esse & esse ipsum esse pronunciatur. *Resalutandi Dei gratia*, ἀμειβόμενοι τὸν θεὸν, *respondemus*, εἶ, *es; quasi veram ac propriam, adeoque solam eique soli convenientem hanc à nobis appellationem tribui fatemur.* Pergit Plutarchus prolixè & eruditè ac convenienter Platonis Philosophiæ demonstrare res omnes sensibus & tempori ac mutationi obnoxias, non tam esse, quàm fieri; non tam esse, quàm non esse; dum ex infinito præterito quod nihil, in infinitum futurum, quod & ipsum nihil est, traiiciuntur per brevissimum præsentis temporis punctum, quo sunt, & statim esse desinunt quod fuerunt, fiunt quod non fuerant. At Deus est, & est tantùm, ut in quo erat, & erit, locum habere non possit. *At Deus est, si fari oportet; nec tamen tempore ullo ipse est, sed æternitate dumtaxat: cujus nec prius quidquam est, nec posterius; futurum nihil, nihil præteritum. Sed qui unus est, idem uno etiam nunc, sempiterni durationem implet.* ἀλλ' εἷς ὤν, ἑνὶ τῷ νῦν τὸ ἀεὶ πεπλήρωκε. Non est hìc ullus tergiversandi locus. De Deo summo, optimo, maximo, ipsoque uno verba facit Plutarchus, & illum ipsum esse asserit, quem ipsum esse, seu entis totius opulentiam æternam & immutabilem esse profitemur. Quod ipsum adhuc validiùs ex inferioribus firmatur, ubi ait, ita Deum venerandum, ita salutandum esse, ut ipsum esse, vel ut ipsum unum, quod ab antiquis factitabatur. *Sic igitur ipsum salutare oportet, aut saltem his verbis; unum es,* εἶ ἕν*: id quod priscorum nonnulli factitabant. Nec enim plura Deus est, ut nos, qui congeries quædam sumus, ex omni sexcentarum varietatum diversis ex casibus mutationibusque nascentium genere, & quadam veluti universitate conflata atque permixta. Sed unum oportet id esse, quod est; ac vicissim id esse, quod unum est.* Quo equidem non intelligo quid manifestius dici possit. Nam perspicuè Plutarchus hìc unum & ens in unum conflat; & si ens sit, unum esse; si unum sit, ens esse philosophatur. Igitur unus verus summusque Deus est, quem ex Plutarcho salutabant, seu dicerent, esse ipsum es, seu rursus dicerent unum es. Porrò illud quoque hìc animadverti operæ pretium est, hæc à Plutarcho, non ex sua, sed ex Platonis sententia depromi; prolatis ex Platone verbis iisdem, quæ supra recitavit Eusebius, & in hanc sententiam vendicatis. Non ergo vel oscitantia, vel fraus Eusebii interpretanda fuit, si Platonem ad hunc sensum rapuit, ducem secutus Plutarchum, quem Christianis partibus placitisque favisse nemo suspicatus est.

XIII. Unum superest hìc obiter attingendum, etsi prolixioris curæ id indigeret, nisi capitis hujus prolixitas jam nimia vetaret. Id quidem his ipsis locis quæ modò protulimus ex Eusebio elegantissimè explanatum est, res omnes sensibiles, temporales, mutabiles, verè non esse; videri magis esse, quàm propriè esse: semper fieri, numquam verè esse; in dies, imò per momenta singula aliud & aliud fieri, atque ita quod modò fuerant, jam non esse; quod modò sunt, mox non fore: denique entis tantùm scintillam in eis radiare, infinita quadam hinc & hinc non entis caligine obnubilatam. Plutarchus quidem ibidem apud Eusebium: *Nos verè nullo modo sumus; sed omnis omninò natura mortalis in quodam interitus ortusque medio constituta, umbram sui duntaxat aliquam exilemque opinionem demonstrat, &c. Quæ pars illius nascitur, ea nunquam ut perfectè sit assequitur, quod ortus ille neque unquam desinat, neque consistat usquam, sed jam inde à semine fœtum inchoatum, mox infantem, puerum inde, inde adolescentem, tum juvenem, senem, vetulum, continua mutatione fingit, ac priores ortus ætatesque delet successione novarum. At nos ridiculè facimus, qui mortem unam timeamus jam mortui toties, totiesque morientes. Succedente sene vir extinguitur, ut vir juvene, juvenis puero, puer infante extincto succedit. Imo hesternus in hodiernum interiit, ut in crastinum interit*

terit hodiernus. Manet autem nemo, nemo unus est, sed omnino multi efficimur, dum circa unum aliquod simulacrum exemplarque commune volutatur assiduè labiturque materia. Enimverò si iidem manemus, qui tandem alio modo nobis placent, qui aliis ante ducebamur? Qui contraria amamus aut odimus, prædicamus aut damnamus? Et mox de temporibus temporalibusque: *Cujus profectò vel appellationes ipsæ, posterius, prius, fuit, erit, illud non esse palam confitentur, &c.* Ab his non multùm discrepant quæ ex Numenio & Platone idem ibidem Eusebius decerpit; ut quæ id unum moliantur, id esse dumtaxat, quod æternum & immutabile est.

XIV. Nihil certè apud Platonem frequentiùs occursat, quàm corporalia omnia fieri semper, nunquam verè esse; mutari semper & alia ex aliis fieri, nunquam stare: *Nihil enim est unquam, semper autem fit. Et in hoc omnes per ordinem sapientes excepto Parmenide consenserunt, Protagoras, Heraclitus, Empedocles, & Poetarum in utroque poemate summi, in Comœdia Epicharmus, Homerus in Tragœdia. Nam cum Oceanum diceret Deorum generationem, & matrem Tethyn, omnia ex motu fluxuque genita prædicavit.* (In Theætet.) Subiicitur ratio non spernenda, quòd cùm omnium universale efficiens sit ignis calorque, & in motione quadam irrequieta situs sit, hinc liqueat in motione omnia in fluxu esse. Nec homo ipse idem similisque sui unquam est. *An potius nec tibi ipsi idem, eò quod nunquam tibi ipse similis? &c. Ex iis sequitur, nihil esse unum secundum seipsum, sed semper fieri, &c. Veruntamen ut sapientum sermo dictat, nullo modo prædicandum est aliquid, vel alicujus, vel mei, aut hoc, aut illud, aut aliquod aliud nomen quod existentiam significet; sed secundum naturam enunciare oportet quod agantur, quod fiant, quod corrumpantur, quod mutentur.* Abstineo à pluribus ex Platone, Plotino & Proclo acervandis.

CAPUT II.

De ente primo, primaque mente antiquorum Patrum sententiæ, ubi alludant Philosophicis placitis, ubi adversentur.

I. Philo Platonicum dogma Mosaico postponit, Deumque censet esse ipsum esse, uno simplicius, bono melius, utroque superius.

II. Similiter & Dionysius primo omnium principio vendicat ipsum esse, supra unum, supra bonum.

III. Vendicat eidem & identitatem.

IV. Imo & alteritatem, qua omnia est.

V. Denique statum, motumque idem adserit Deo, ut primo Principio, quod est ipsum esse.

VI. Non pugnat sibi Dionysius, nunc ajens Deum esse ipsum ens, nunc esse supra ens. Concordant enim hæc re, nec nisi in speciem colliduntur, Deum esse ipsum esse, & supra esse; esse ipsum unum, & supra unum; esse ipsum bonum, & supra bonum.

VII. Negationes & affirmationes Deo conveniunt, magis negationes.

VIII. Consonat & Nazianzenus, Deum esse ipsum ens, & ente superiorem. Quæ non pugnant, quod de Deo nil propriè dicatur, & dicantur omnia impropriè.

IX. Chrysostomus Platonicos insectatur, & tamen Deum supra esse & supramentem evehit.

X. Eulogius Deum extollit supra ipsum esse, nos infra ipsum esse deprimit. Extollit & supra mentem, suprà identitatem, alteritatem, statum, motum. Quo sensu hæc Deo appingat Dionysius, abstergeat Eulogius.

XI. Marius Victorinus Patrem Filiumque Deum Platonicis primo coloribus expingit.

XII. Et tamen hæc omnia idem mox Christianæ Theologiæ adaptat, idem esse docens Patrem in abdito, & in silentio, Filium in manifesto, essentiam, intelligentiam, motum, statum, alteritatem, identitatem.

XIII. Idem affirmat Deum Patrem esse ipsum esse, Filium ipsum moveri, seu vivere.

I. QUantacumque aliis in rebus fuerit Philonis cum Platone dogmatum societas & cognatio; apertissimè sanè à Platonicis placitis deflexit Philo in entis primi descriptione. Ita mordicus quippè sacris litteris affixus fuit, ut esse ipsum, seu primum ens, & ipso uno & ipso bono antiquius simplicius principaliusque esse prædicaverit. *Didicerunt à natura & à sacris litteris colere illud ens & bono melius, & uno sincerius, & unitate in generando antiquius ac principalius.* (L. de vita contempl. pag. 890.) Τὸ ὤν, ὃ καὶ ἀγαθοῦ κρεῖττόν ἐστι, καὶ ἑνὸς εἰλικρινέστερον, καὶ μονάδος ἀρχιγονώτερον. Quo nihil elegantius dici potuit, nihil expressius ad Platonicæ doctrinæ formulam de uno & bono posthabendam subjugandamque Mosaicæ Theologiæ oraculo de ente primo, sive de eo qui ait, *Ego sum qui sum.* Totidem penè verbis idem alibi repetit Philo, monens de Deo id unum sciri à nobis posse, quòd sit, non quid sit; ideò ens ipsum prædicari, uno bonoque antiquius simpliciusque: (L. de Præmiis & pœnis, p. 916.) *Ut sciret esse Deum, non quis sit etiam. Nam is & bonitate ipsa melior, & unitate antiquior ac simplicior, non potest spectari à quoquam alio.* Et denique idem alibi: *Quantum putamus ad virtutem & honestatem præsidium accedere animæ, si emergens supra omnes creaturas, Deum increatum spectare didicerit, summum illud bonum, pulchrum, fœlix, beatumque, & quod verè dicere licet bono melius, pulchro pulchrius, beato beatius, fœlicitate ipsa fœlicius, & si quid dici potest perfectius? Non potest enim sermo assequi & attingere Deum, superiorem se modis omnibus; sed retro relabitur, cum non possit propriis nominibus ceu gradibus ascendere ad manifestationem, non dico ejus qui est, quem ne totum quidem cœlum in vocem articulatam versum potest eloqui, sed vel, &c.* (De legati ad Cajum.)

II. Eandem orbitam trivit & Dionysius, uni & bono & reliquis omnibus divinis dotibus ac nominibus præstrui ac præfundari debere ipsum ens, quòd prius antiquiusque sit esse, quàm unum aut bonum esse. *Ante alias participationes præsupponitur ipsum esse; & est ipsum per se esse antiquius, quàm esse per se vitam & per se sapientiam, &c.* (De div. nomin. c. 5. n. 5.) *Et quæcumque alia participant ab iis quæ sunt, ante omnem sui participationem participant esse, &c. Deus igitur cum sit, ut consentaneum est, omnibus aliis magis principalis, ab antiquiore dono suo laudatur ut ens.* Idque confirmat Pachymeres his verbis: (Ibidem.) *Cæteris omnibus, vita, inquam, sapientia, bonitate, antiquiorem habens Deus ab ipso esse denominationem, quam sibi ipse dedit, dicens, Ego sum qui sum; primum laudatur ab eo quod sint res; quod hoc sit antiquissimum ejus donum.* Quod enim primum in re qualibet contemplanda occurrit menti, est ipsum esse. *Secundum primum enim conceptum mens apprehendit ipsum esse, & sic aliquo modo res esse concipit.*

III. Nec minus constanter idem Dionysius identitatem summo Deo vendicavit, tametsi refragantibus Platonicis. Identitatem enim illi enti primo vendicabant, abjudicabant autem primo Principio, ne si reflecteretur ad se, & in se quodammodo replicaretur, ea jam esset injuria simplicitatis. At contrà Dionysius, quia revera Deus Optimus Maximus primumque omnium Principium est verè ipsum esse, ideo & identitatem seu incommutabilitatem illi vendicatam voluit. *Idem autem ipsum, τὸ ταὐτὸν, est supersubstantialiter æternum, inconvertibile, secundum eadem in semetipso manens semper* (Ib. c. 9. n. 4.)

per, & eodem modo se habens, omnibus æquè præsens, atque ipsum per se & in seipso firmiter & intemeratè in pulcherrimis supraessentialis suæ identitatis finibus locatum, immutabile, lapsus expers, &c. Nec sibi ipsi dumtaxat idem est, sed omnibus aspirat quandam identitatis & constantiæ & immutabilitatis auram; quinimò & affluentia quadam exundante identitatis, unum omnia simplicissimè est; & quæ sunt maximè inter se contraria & adversa, recolligit tamen & coadunat in seipso simplicissimè. *Atque illud idem omnibus ejus participandi capacibus afflans; & affluentia identatis & causa, alia aliis ordinans, & identicè in semetipso ea quæ inter se contraria sunt, superhabens, secundum unam atque unificam causam eminentem totius identitatis.*

IV. Alteritatem à Deitate primi Principii ablegabant, & Enti primo affingebant Platonici. Dionysius Enti primo redintegrans suam primi omnium Principii dignitatem, quì quadrare illi possit alteritas, elucidare adgreditur. Ea autem in eo sita est, quòd Deus omnia est, omnia dicitur, omnium formas & vires & pulchritudines unus complectitur, & hæc summa est alteritatis opulentia, quæ ne diffluat in multitudinem & mutabilitatem, identitatis nodo astringitur. *Alterum autem, τὸ δ' ἕτερον, quia cunctis providentia* Ib. c. 9. n. 5. *Deus adest, & propter omnium conservationem fit omnia in omnibus, &c. Nunc autem divinam alteritatem ne mutationem quandam esse suspicemur incommutabilis identitatis, sed unissimam ejus multiformitatem, & emanationes simplices ad omnia.* Pergit ostendere ut Deus dicatur similis & dissimilis, propterea quòd hæc quoque Platonici abrogarent nomina primo Principio, primoque Enti adscriberent.

V. Statum quoque στάσιν Deo vendicat Dionysius primo Principio, ut verè enti ipsissimo, dissentientibus licèt Platonicis. *Quid autem de divino statu dicemus, vel sede? Quid, inquam, aliud* Ibid. n. 8. *præterquam Deum manere in seipso & in eodem statu immobili firmè fixum? Et ipse est author omnis status & sessionis, qui supra sessionem omnem & statum existit, & in ipso cuncta consistunt, dum in bonorum suorum statu conservantur.*

Motum quoque ibidem Deo vero & primo adscribit Dionysius quantumvis reclamantibus Platonicis, sed eum motum qui immutabilitati nihil obstrepat, ut qui non localis, non corporalis, non animalis motus sit, sed Dei immutabilitati consentaneus, quo Deus omnia creat, movet, regit, incomprehensibilis quietis & operationis consociatione. *Quid porrò quando Theologi* Ibid. n. 9. *tradunt, eum qui immobilis est ad universa procedere ac moveri, nonne id etiam ratione quadam Deo congrua intelligendum est? Piè siquidem putandum est ipsum moveri, non secundùm delationem, vel mutationem, vel intellectilem vel animalem motum, sed secundum quod Deus omnia in rerum natura producit, continetque, omnibus providet, omnibus adest incomprehensè.*

VI. Sicubi ergo idem alibi visus est Dionysius De divin. Nom. c. 1. n. 2. c. 5. n. 1. Platonicis assentiri, & bonum atque unum supra ens collocare, non tamen existimandus est sibi ipse repugnare. Id enim ratum illi fixumque ante omnia erat, ut postea suo loco pandemus, cùm de divina simplicitate sermo instituitur, Deum ut ipse quidem est, nec mente attingi nostra hic posse, nec verbis exprimi. Sed utcumque cogitari & nominari ex efficientiis seu ex effectis; & ea demum ratione, & unum, & bonum, & esse, & mentem dici, quòd ab eo in creaturas ejus hæc omnia emanent. Itaque & nihil horum est, ut hæc à nobis cogitantur, & omnia hæc est, ut horum omnium causa. Eo ita constituto, jam illa disputatio moderatè & clementer temperanda est, an emanationum divinarum & effectuum à prima illa & principe causa exorientium principatum obtineat bonitas, an unitas, an ens & substantia. Nec illud ægrè ferendum, si cùm non semel Dionysius Deum supra ipsum esse collocaverit, nunc ipsum ens esse pronuntiet, & illis proprietatibus exornari, quas Platonici primo Enti appingebant. Nec enim hæc pugnant, nisi sono verborum; Deum esse unum & supra unum, esse ipsum bonum & supra bonum, esse ipsum ens & supra ens. Est enim hæc omnia modo nobis impervio, sibi autem comprehensibili; quo fit ut & supra hæc omnia sit, quatenus hæc à nobis vel capiuntur, vel explicantur. Denique ne inanes & ludricas tibi conflictationes confingas, ubi hæc vel à nobis interpretantibus sanctos Patres, vel ab ipsis sanctis Patribus dicuntur, accipe hinc jam in antecessum illam regulam, suo postea loco operosiùs elucidandam; Deo & affirmationes & negationes ejusdem rei competere, maximè autem negationes & privationes Deo convenire. Unde Pachymeres insistens Dionysii vestigiis, *Et non solum affirmationes, verum etiam negationes, magis autem deprivationes de Deo dicuntur, atque hæc simul. Velut ipsum esse omnis formæ, & absque forma; & omnis figuræ, & absque figura seu pulchritudine. Illa quidem, quia causa est formarum & figurarum omnium; hæc verò, quia ea omnia est.* Cap. 5. n. 8.

VII. Maximus quoque Martyr in hanc de affirmationibus & negationibus doctrinam consentit, nec dissentit ab antedictis omnibus, tametsi quandoque verbis contendere & dissidere videatur. Ejusmodi est locus, ubi ille unum ipsum usque adeò urget esse primum Principium, ut nec bonum esse illum sinat, nec ens, sed supra bonum, supra ens, supra mentem. *Quin si quid audendum, neque pulchrum neque bonum est Deus.* In c. 13. de divin. nom. *Hæc enim passiones quodammodo sunt & accidentia. Ipsum verò unum supra omnia intelligitur, &c. Hoc autem est simplicissimum, nec ullam differentiam habet. Neque enim motionem quandam & statum habet. Verum neque statuendum est, unum esse id quod est, sed principium & semen ejus quod est. Nam multitudo necessariò ens sequitur, multitudini ens adhæret; quod sanè in Deo non fit. Nam ens essentia est, Deus autem superessentialis est & super ens.* Ex his Maximi Dionysium pressis vestigiis sequentis abundè claret, pugnantia in Deo non esse, quæ alioqui vel maximè sibi repugnarent. Itaque Deum ipsum esse est, & supra esse; ipsum unum est, & supra unum, ipsum bonum est, & supra bonum. Ita merum unum est, ut nec bonum sit, nec ens. Ita ipsum esse est, ut eo quod est, unitatem omnem bonitatemque complectatur.

VIII. His consonat Nazianzenus, ubi Deum affirmat esse omnium entium pulcherrimum, celsissimumque, nisi quis malit illum etiam supra ipsum esse collocare, ut qui omnibus essendi causa sit. Itaque non conflictantur hæc inter se, ut Deus sit ipsum esse, & non sit ipsum esse, sed superius & perfectius quid. Ratio autem certissima, qua perimitur omnis in his conflictus & pugnæ suspicio, illa est, quòd de Deo nil propriè, nihil ut est, vel dicitur à nobis, vel cogitatur, & eo fit, ut omnia de eo utcumque prædicentur, quæ perfectionis umbram aliquam præ se ferunt. Hinc quippè perspicuum est, affirmari de eo & negari posse omnia. En verba ipsa Nazianzeni: *Illud primum cum animis nostris reputantes, Deum omnium quæ sunt pulcherrimum &* Orat. 12. *sublimissimum esse, nisi quis tamen eum malit super omnem essentiam ponere, aut in ipso collocare ipsum esse, utpote à quo alia quoque acceperint ut sint.*

IX. Chrysostomus quoque & ente & mente superiorem esse Deum affirmat, tametsi à Platonicis placitis abhorrere se contestetur. Sed in causa id erat, ut in hanc sententiam descenderet, quòd Deum nec fando, nec cogitando consequi possi-

possimus, nec sustantiam ejus ullo modo attingere; secundùm analogiam enim & habitudinem dumtaxat, non secundùm substantiam eadem nomina & attributa illi nobisque communicantur. Sic ergo ille in ea Joannis verba, In principio erat Verbum: *Si quis ambigeret, qui tandem prima causa omissa ad secundum statim transit. Primum quidem & secundum in hac re dicere prætermittamus. Non enim nostra hæc. Nam & numero, & temporum consequentia divinitas prior est & superior.* Sic ille primùm contra Platonicorum sententiam vetat primam causam Patrem dici, Filium secundam. Pergit eosdem sugillare, qui Deitatem menti & animæ impartirentur, cum nihil substantivè commune possit esse Deo & creaturæ. *Deum ait esse, non qualem Plato, qui alterum mentem, alterum animam profitetur. Hæc enim à divina & immortali natura longè absunt, ut quæ nihil habet nobiscum commune, sed secessit ab omni communicatione ad creaturam, secundùm substantiam dico, non secundùm similitudinem.* Et paucis interpositis: *De Deo enim nobis sermo est, quem neque dicere, neque intelligere pro ipsius magnitudine quisquam potest. Imo Joannes substantiæ, οὐσίας nequaquam nomen affert. Quippè cum dici nequeat, quænam sit Dei substantia. Ubique autem eum nobis ex operibus manifestat.*

Hom. 1. in Evang. Jon.

X. Eulogius denique apud Photium in Bibliotheca, & Deo & nobis esse attribuit; sed ita tamen, ut Deus essendo sit supra esse, nos essendo simus infra esse, etsi divino beneficio esse nobis perpetuetur. *Aliud est esse supremæ Trinitatis, aliud nostrum. In Trinitate ens est supra esse,* τὸ ὂν ὑπὲρ τὸ εἶναι. *At nostrum esse neque propriè ens est. Quomodo enim sit propriè ens, quod à non ente descendit, & quod natura sua in non ens desinit? Quanquam à conditore suo hoc per amorem honore & munere dignatum est, ut semper sit, & immortalitatem assequatur.* Supra mentem quoque Deum esse, paulò pòst profitetur, & Verbum hoc sive Verbi, sive mentis nomine dictum esse, ut impatibilis ejus à Patre generatio designetur. *Quando autem Theologi divinam naturam unum quid esse prædicant, ut mentem, id propter solam divinam Verbi impatibilem generationem faciunt. Nam recta piaque sententia divinam naturam supra naturam mentis collocatam piè asserit.* Negat porrò Eulogius Deitatis naturam in mente constitui debere, propter famosa illa, identitatem, alteritatem, motum, quietem, quibus simplicitas videtur obumbrari. Et hæc ergo quatuor Eulogius à Deo eliminat, tametsi eadem ipsa Dionysius enti primo summoque Deo supra adscripserit. Alio nimirum & alio sensu eadem Deo nomina & ornamenta nunc adscribuntur, pòst eluuntur. Ascribuntur enim impropriè, translatè, per modum principii & causæ; abstergentur autem postea, ut quæ propriè, & prout in se Deus est, sibi uni pervius & notus, minimè conveniant.

Cod. 230.

XI. Ex Latinis unum proferam Marium Victorinum Afrum, libro primo adversus Arium, ita in speciem Platonico patrocinantem systemati, ut à Christianæ Theologiæ castris secessisse videri possit, mox tamen, & se & quæcumque dixerat, Christianæ Catholicæque veritati reddentem & aptantem. Sic igitur ille primùm de Deo Patre: *Ante omnia quæ verè sunt, unum fuit, sive unalitas, sive ipsum unum, antequam sit ei esse unum. Illud enim unum oportet dicere, quod nullam imaginationem alteritatis habet, unum solum, unum simplex, unum ante omnem existentiam, &c. Ante omnem essentitatem, subsistentiam, & adhuc omnia potentiora; unum sine existentia, sine substantia, sine intelligentia. Supra enim hæc immensum, invisibile, indiscernibile universaliter, soli autem sibi discernibile, &c. Prima causa, omnium principiorum principium, omnium intelligentiarum præintelligentia, omnium potentiarum fortitudo; ipsa motione celerior, ipso statu stabilior. Motione enim inelo- quibili status est; statu autem ineffabili superlativa motio est. Hic est Deus, hic Pater, præintelligentia, præexistens.* Sic ille Platonicis prorsus Patrem, Deum depinxisse coloribus videri potest; supra ens, supra mentem, supra motionem, supra statum & alteritatem illum constituens, ut horum omnium principium. His apta nexaque sunt, quæ de Verbo mox disserit, convenienter eorum Philosophorum placitis; *Isto igitur uno existente unum proinde exiliit, unum in substantia, in motu unum, & motus enim existentia, quoniam existentia motus. Istud igitur unum, existentialiter unum, sed non ut Pater inexistentialiter unum.* Quasi dicat unum esse & Filium, æquè ut Patrem, sed non ita ut Patrem; quòd Pater sit unum priùs ente, Filius sit unum & ipsum esse: Pater sit unum prius vita, prius motione; Filius sit unum, ut vita & motio. *Secundùm istud quod esse dicimus unum, unum vita est, quæ sit motio infinita, effectrix aliorum, &c. Omnia à semet movens, semper in motu, in semetipso habens motum, magis autem ipse motus est. Sic enim Scriptura divina dicit, Quod dedit ipse Pater Deus in ipso vitam esse.*

XII. Et tamen idem ipse mox Scriptor, cum de Spiritu sancto quoque disseruisset, ad firmandam Patris Filiique consubstantialitatem delabitur. Quippè eo Patrem Filiumque differre censet, quod eadem prorsus substantia sit Pater in occulto, Filius in manifesto. *Quoniam Filius forma est Patris; non autem nunc forma esse foris extra substantiam intelligitur, neque ut in nobis adjacens substantiæ facies; sed substantia quædam subsistens, in qua apparet & demonstratur, quod occultatum & velatum est in alio. Deus autem ut velatum quiddam est, nemo enim videt Deum. Forma igitur Filius in quo videtur Deus. Si enim existentia Deus, potentia, substantia, motus & vita, in occulto Deus velut sine forma. Ergo si manifesta vita, & manifesta juxta motus potentiam; vita juxta motum in occulto, in apparentia, in existente motione intelligitur, pronunciatur, videtur.* Sic ergo juxta Marium, idem prorsus Filius est quod Pater; sed quod in latebra sua Pater, existentia, substantia, potentia, vita, motus, idipsum Filius est in aperto.

XIII. Quin imò idem Marius esse ipsum Patri vendicat, ut proprium, sive ut loquuntur appropriatum; vivere autem Filio. Ergo quantumvis ille astipulari visus sit Platonicæ doctrinæ, reapse tamen nec transversum digitum deflexit unquam à Christiani dogmatis castitate. *Adhuc sic. Quod est esse, Pater; quod est vita, Filius. Cum sit impossibile id quod est esse comprehendere; in occulto enim illud est. Vita autem juxta quod vita est, jam & illud est esse; in vita igitur apparet quod est esse; igitur vita ejus quod est esse. Sed enim Pater Deus, quod est esse: Filius ergo vita, Patris Dei forma est, in qua speculatur potentia patria.* Perspicuè ut vides Patri adserit ipsum esse, Filio ipsum vivere, seu moveri: quod priùs intelligatur esse, quàm vivere; & esse quidem occultius quid sit, necdum explicatum; at motio, & vita explicatio quædam sit ipsius esse. Denique toto deinceps opere suo Marius in id connititur maximè, ut Pater sit ipsum esse, Filius ipsum vivere, Spiritus sanctus ipsum intelligere, & hæc tria unum simplicissimum sint. Ex quibus id elicitur, nil pugnare inter se aut dissidere ista, ubi dicitur nunc Deus ipsum unum esse, vel super unum, supra ens, supra mentem: nunc idem prædicatur esse ipsum ens, & mens prima.

CAPUT III.

Ex sanctis Patribus Grecis Latinisque Deus est ipsum esse.

I. Justino Deus est ipsum esse, ut qui solus sit verè, & esse totum sit, & esse simplicissimum.

II. In eo censet Mosi concinuisse Platonem.

III. Nazianzenus assentitur nihil magis propriè dici, quàm quod sit ipsum ens, plenum, incircumscriptum, præteriti æquè ac futuri expers.

IV. assentitur Gregorius Nyssenus Deum naturaliter intelligi, ut totius entis plenitudinem, adeoque ut essentialiter existentem, cum ne fingendo quidem cogitari possit, quod entis plenitudo non existat, sed sit merum non ens.

V. Dionysio Deus est ipsum esse, quod omnia etiam anticipavit, præterita, & futura.

VI. Succinit Damascenus.

VII. Novatiano Deus est ipsum esse, quæ incommutabilitatis, & æternitatis radix est.

VIII. Quibus suffragatur & Hilarius.

IX. Et Hieronymus, eum verè & totum atque infinitum esse docens esse, qui à semetipso est.

X. Quibus assonat & Ambrosius.

XI. Ex Augustino, nec sunt, nec esse possunt naturæ ullæ, nisi ab illo, qui à seipso est, ideoque totum, æternum & incommutabile esse est. Esse autem necessum est summum bonum, cum illud tantum propriè sit, quod æternum immutabile est, reliqua videantur magis esse quàm sint.

XII. Ex eodem, magis propriè de Deo, quàm de ulla alia natura dici debet, quod sit, quod essentia, & substantia sit.

XIII. Proprium Dei nomen est, quod sit ipsum esse; sed rapido tantum coruscamine allucere nobis posse illam essendi plenitudinem: ideo mox Deus ad Moysen ipsum aliis se nominibus indigitat.

XIV. Augustino ipsi in raptu tantum mentis, & subito coruscabat Deum esse ipsum ens, totum & plenissimum. Quomodo id non pugnet cum iis qui censent entis nomine existentiam tantum Dei designari.

XV. Antedicta suffragio Gregorii Magni communiuntur.

XVI. Et Bernardi, qui Augustino cum primis consentaneus est.

I. NEgat quidem Justinus proprio sese nomine designasse Deum, cùm dixit Moysi se esse eum qui est. Propterea nimirùm quòd eo consilio indantur nomina, eoque fructu, ut res quæ plures sunt, suo quæque nomine gaudeant, & ita aliæ ab aliis secernantur. At Deus essentialiter necessariòque unus est. *Fieri tamen omninò non potest, ut proprium aliquod Deo nomen attribuatur. Propterea quòd nomina ad designationem & discretionem subjectarum rerum, quæ variæ sunt & multæ, imponantur. At Deus opus esse non duxit, ut se aliquo nomine designaret, unus existens.* (Cohort. ad Græcos.) Sed nihilo tamen minus hoc ipsum jam erit veluti proprium Dei nomen, quod nomine non egeat, qui unus sit, qui totum sit. Reliqui Dii, imò & reliqua omnia non sunt, Deus unus est, eòque se satis eximit à turba entium aliorum, quòd verè sit, & unus sit. *Ad Hebræos ablegans Moysem Deus nullius meminit nominis, sed per participium quoddam unum se & solum Deum esse arcanè docet, Ego, inquiens, sum existens ille, ὁ ὢν, se non existentibus opponens.* Itaque utrimque vera ratio constat, & hoc nomen esse Dei, & non esse; propterea quod non ut assolet, ejusmodi nomen sit, quo à gregalibus aliis entibus discriminetur; sed eximium sit & singulare nomen, solumque sui generis, quo solus esse & totum esse affirmetur, reliquis omnibus entibus in non entium umbram ablegatis.

II. Quod autem dixi ideo unum esse Deum qui sit, quia totum esse est, id perspicuum prorsus erit, si pensites alioqui fore, ut nomine suo proprio designari posset Deus, ut portio entis à reliquis entibus proprio vocabulo segreganda. Idque Justinus confirmat ex consensu Platonis cum Moyse. *Plato accepta cum in Ægypto esset, sicuti videtur, Moysis & aliorum Prophetarum de uno eoque solo Deo doctrina, &c. Cùm in Ægypto audisset, Deum Moysi dixisse, Ego sum existens ille, seu qui sum, cognovit Deum proprium nomen suum non dixisse.* (Ibidem.) Et tamen idem mox Justinus prolato illo Platonis contextu, qui ad nauseam usque inculcatus est non à Platonicis tantùm Philosophis, sed & ab Eusebio Cæsariensi, & Cyrillo Alexandrino; ubi Plato secerni jubet id quod semper est, & nunquam fit, ab iis quæ semper fiunt, & nunquam sunt: hinc Justinus infert Moysi concinere Platonem, cùm huic Deus sit τὸ ὂν, Moysi autem ὁ ὤν. *Annon hoc unum idemque videtur iis qui recta sapiunt, articulo solo varians? Nam Moyses Existens ille dixit; Plato verò Existens illud. Utrumque verò dictum semper existenti Deo congruere apparet. Ipse enim solus est qui semper existit, & nunquam fit.*

III. Gregorius Nazianzenus Deum censet esse entium pulcherrimum & summum, vel supra essentiam esse, vel esse totum esse, à quo & reliqua manent omnia quæ sunt: *Reputantes Deum omnium quæ sunt pulcherrimum & sublimissimum esse: nisi quis malit eum supra omnem essentiam ponere, aut in ipso totum esse collocare, ἢ ὅλον ἐν αὐτῷ τιθέναι τὸ εἶ; utpotè à quo alia quoque ut sint acceperint.* (Orat. 11.) Sed idem alibi disertissimè profitetur, etsi Deus & mentem & sermonem longo intervallo superet, non alio tamen aptiùs nomine designari posse ejus naturam, quàm Entis, sed pleni & incircumscripti; quo nihil prius, nihil posterius sit, sed quod semper idipsum sit præteriti expers & futuri. *Quantum ergo nobis assequi concessum est, Ens & Deus magis quodammodo essentiæ nomina sunt; ex iisque etiam entis vox ad eam indicandam aptior est; non hoc solum nomine quod ipse cùm Moysi oraculum in monte ederet, quæreretque ille quo nomine vocaretur, ita seipsum appellavit, &c. sed etiam quia nomen illud magis proprium esse comperimus, &c. Ens verò proprium sanè est Dei, & totum, nec priore aliqua re, nec posteriore, nec enim erat aut erit definitum ac circumcisum. Alia autem nomina partim potestatis esse constat, partim œconomiæ.* (Orat. 36.) Denique multò etiam præclariùs alibi, Deum eo se nomine Moysi designasse dixit Nazianzenus, quòd solus sit ipsum esse, & totum esse, tanquam pelagus quoddam essendi incircumscriptum. *Deus & erat semper, & est, & erit; vel ut rectiùs loquar, semper est. Nam erat & erit, nostri temporis fluxæque naturæ segmenta sunt. Ille autem semper est, atque hoc modo seipsum nominat, cum in monte Moysi oraculum edit. Universum enim id quod est, in se complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum, veluti pelagus quoddam essentiæ immensum & interminatum.* (Orat. 38.)

IV. Ab his non abhorret Gregorius Nyssenus, qui ex Dei seipsum expingentis nomine infert, ut verè sit Deus, qui seipsum esse dixit, necessum esse ut nec præteriti nec futuri temporis aliqua in eo nota sit; nihil accedere illi, nihil decedere possit; quòd hæc omnia spirent quandam non entis contagionem, cujus omninò expers impatiensque est, ille qui nihil aliud quàm est. *Veræ divinitatis unum indicium & insigne sacræ Scripturæ sermo indicat, quod Moyses voce cœlitus emissa didicit, cùm audivit eum, qui dixit, Ego sum qui sum. Ergo hoc solum Numen esse verè arbitramur, quod secundum æternitatem & infinitatem in esse deprehenditur; & quidquid in ipso spectatur, semper eodem modo se ha-* (Orat. 7. cōt. Eunom.)

se habet, neque in eo sit quidquam vel prius vel posterius. Quare si quis dicat de Deo, quod prius quidem erat, nunc autem non est; vel quod nunc quidem est, priùs autem non erat; ex æquo impium utrumque censemus, pariter enim per utrumque æternitatis ratio mutilatur, utrimque per non ens circumcisa. Si quis prospicere velit non ens in ente, vel deficere ens in non ens pronuntiat, hic impiam de Deo opinionem non eluit. Siquidem ille qui seipsum Moysi per lucem demonstravit, ens seipsum nominat dicens, Ego sum qui sum. Subdit præclarè id quoque à Moyse factum, quod unum de Deo nos docuerit, nimirum quòd sit; quid sit enim, dici vel intelligi nequit. *Si igitur Moyses nobis veræ Deitatis characterem aliquem lege sanxit, nempe istud est, nihil aliud de Deo cognoscere, quàm quod est. Hoc enim demonstrat, Ego sum qui sum.* Conserta enim sunt hæc duo, quòd Deus sit, & quòd ipsum esse seu entis plenitudo sit. Nec enim in dubium vocari potest, quin sit, hoc est quin existat entis plenitudo. Hac enim essendi plenitudine non aliud magis quàm existentia ipsa continetur. Si deesset enim existentia, quantum non entis in ente locaretur? Porrò id dictu nefas, nempè in ente ipso immane quantum esse non entis.

V. Dionysius quoque tametsi Deum non rarò supra essentiam & supra ens evehat, contemperans se tamen divinis oraculis Scripturarum, esse ipsum ens agnoscit, & totum ens, & omnium entium essentiam in seipso eum præsumpsisse & anticipasse. *Deus enim non quovis modo est ens, sed simpliciter & infinite totum esse in se pariter complexus & anticipans. Quamobrem etiam Rex sæculorum nominatur, ut in quo & penes quem cujuslibet esse & sit & constet; & in quo nec erat, nec erit, neque factum est, neque fit, neque fiet, imo nec est*: id est, non illud temporis præsentis punctum est quod existit rapiturque in non esse; *sed ipse est esse rebus; & non tantùm ea quæ sunt, sed ipsum esse rerum ex præexterno ente*. Id est, omnium rerum esse in Deo, Deus est, ut qui totum esse sit: nec earum tantùm rerum quæ sunt, esse in Deo est, sed earum etiam quæ futuræ, quæ præteritæ, quæ possibiles tantùm sunt: quia esse rerum omnium antè in Deo est, quàm in ipsis rebus. Illud est quod vocat Dionysius præteritum ens. Et infrà: *Etenim non hoc quidem est, illud verò non est: nec aliquo quidem modo est, aliquo verò non est; sed potius omnia est, ut omnium author.*

(De div. nom. c. 5. n. 4.) (Ibid. n. 8.)

VI. Nazianzeno & Dionysio succinit Damascenus, scilicet primum & principalius Dei nomen hoc esse, Qui est: quo nimirum declaratur quòd sit, non quid sit Deus. Existit enim indubitatissimè id quod infinitum essendi pelagus esse dicitur. Bonum verò, sanctum, & alia id genus nomina naturam consequuntur, non ipsam ostendunt Dei substantiam. Ergo ipsum esse primum est Dei nomen; quia primum id de unaquaque re intelligitur, quòd sit. Eo autem Dei nomine non aliud insinuatur, quàm quòd Deus essentialiter existat; & in sui prima, simplicissima & omnibus obvia intellectione sit totius entis, ac proinde existentiæ plenitudo. Audiendus nunc Damascenus: *Enimvero videtur principalius omnium de Deo dictorum nominum esse, Qui est: quemadmodum ipse dans responsum Moysi in monte ait, Dic Filiis Israel, Qui est, misit me. Totum enim in seipso comprehendens habet ipsum esse, veluti pelagus quoddam substantiæ infinitum & interminum.* Et mox: *Nomen ipsius esse, quod sit Deus, ostensivum est, non autem quid sit, &c. At verò bonum, justum, sanctum, & id genus talia, naturam consequuntur, non autem substantiam ostendunt.*

VII. Ex Latinis Novatianus libro de Trinitate ipsum esse Dei demonstrat tanquam radicem æternitatis & incommutabilitatis, quæ propriæ Dei laudes sunt, naturis omnibus creatis inconcessæ; quippè & tempus & mutatio quælibet non ente plurimo constat, at non entis impatiens est ipsum esse. Cæterùm eodem spectat & illa Dei prærogativa maximè singularis, quòd à seipso sit, quòd origo sua sibi sit ipse. Cùm enim à nullo authore ac parente antiquiore habeat esse, totum esse habet, totum esse est, cùm nullus potuerit ei certam essentiæ portionem admetiri. *Quod est, id semper est; & qui est, semper ipse est; & qualis est, semper talis est. Nam & incrementa originem monstrant, & detrimenta mortem atque interitum probant. Et ideo, Ego ait sum Deus, & non sum mutatus; statum suum tenens semper, dum id quod natum non est, converti non potest. Hoc enim in ipso quidquid illud potest quod est Deus, semper sit necesse est, ut semper sit Deus, servans se virtutibus suis. Et ideò dicit, Ego sum qui sum. Quod enim est, ideò hoc habet nomen, quoniam eandem semper sui obtinet qualitatem. Immutatio enim tollit illud nomen quod est. Quidquid enim aliquando vertitur, mortale ostenditur hoc ipso quod convertitur. Desinit enim esse quod fuerat, & consequenter incipit esse quod non erat, &c. Quod enim natum non est, nec mutari potest. Ea enim sola in conversionem veniunt, quæcumque fiunt, vel quæcumque gignuntur; dum quæ aliquando non fuerant, discunt esse nascendo, atque ideo nascendo converti.* Illo hæc omnia versantur cardine, quo suprà non semel constituit Augustinus, mutabilia nulla esse posse bona, nisi esset incommutabile bonum: nec temporalia enim similiter esse possent, nisi præiret æternum; nec genita & creata, nisi esset ingenitum & increatum. Luce enim meridiana clarius illud est, quæcumque fiunt & gignuntur, id est, quæcumque ab alio sunt, esse non posse, nisi à primo tandem aliquo authore & principe, qui à seipso sit. Utque quod ab alio est, ab authore suo certam & dimensam essentiæ portionem accepit, & vel nascendo mutari didicit; & denique temporis parti illigatum est illi, quo esse cœpit: ita quod suæ sibi originis principium & fons est, & totum esse habet, & incommutabile & æternum.

VIII. His vehementer consentiunt quæ de eodem argumento disserit Hilarius: *Neque enim in æternam illam & perfectam naturam novum incidit; neque qui ita est, ut qualis est, talis & semper sit, ne aliquando non idem sit, potest effici aliquid aliud esse, quàm semper est, &c. Deus beatus atque perfectus profectu non eget, cui nihil deest; demutatione non novus est, qui origine caret. Ipse est qui quod est, non aliunde est, in sese est, secum est, ad se est, suus sibi est, & ipse sibi omnia est, carens omni demutatione novitatis; qui nihil aliud quod in se possit incidere, per id quod ipse sibi totum totus est, reliquit.* Sic ille hæc omnia in unum constringit, non ab alio, sed à seipso esse, totum essendi pelagus esse, incommutabile esse, æternum esse, perfectum sibique sufficientissimum esse. Caput autem horum illud est, esse à seipso, quod perinde est atque esse ipsum esse. Nam à seipso utique est ipsum esse, ne cogatur ab alio quopiam esse anteriore principio quod non sit. Et vicissim quod è semetipso est, totum esse est. Ut quid enim una potiùs pars entis esset quàm alia?

(In Psalm. 2.)

IX. Nec Hieronymus ab his dissonat, cùm monet non potuisse Deum suam maximè singularem & incommunicabilem prærogativam ullo aptiùs nomine insignire, quàm ut diceret se esse eum qui est. Unus enim est, qui à semetipso est; qui autem ab alio est, is non est, ut qui potuerit non creari, non esse; ut qui aliquando non fuerit. *Una est Dei & sola natura, quæ verè est. Id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est. Cætera quæ creata sunt, etiamsi videntur esse, non sunt; quia aliquando non fuerunt, & potest rursum non esse quod non fuit. Deus solus qui æternus est, hoc est qui exordium non habet, essentiæ nomen verè tenet. Ideo & ad Moysen de rubo loquitur,*

(Epistol. ad Damasum.)

Ego

Ego sum, qui sum. Et rursum, Qui est, misit me. Erant utique tunc Angeli, cœlum, terra, maria. Et quomodo commune nomen essentiæ propriè sibi vendicat Deus? Sed quia illa sola natura est perfecta, &c.

X. Ambrosius illud olim inculcatissimum sanioris Philosophiæ amavit, Hinc fugiendum, id est, à sensibilibus quæ videntur esse, & non sunt; ad eum qui verè est, properandum esse. *Non enim potest percipere illud quod est, & est semper, nisi prius hinc fugerit. Unde & Dominus volens Patri Deo appropinquare, ad Apostolos ait, Surgite, eamus hinc.* Et in illa verba Psalmi: *Vidi impium superexaltatum, &c. Et transivi, & ecce non erat*; ita habet: *In principio utique Verbum erat; & qui Verbum videt, qui particeps Verbi est, utique & ipse est, quia Verbum Dei semper est. Et sermo qui de ipso est, non est est & non, sed est: & manet in eo qui sequitur Deum. Qui autem nescit Verbum, non est, quia non adhæret ei qui dixit, Ego sum, qui sum.* Expressiùs autem alibi, non nomen tantùm Dei, sed rem eo verbo contineri dixit, nempè essentiæ æternitatem, qua Deus naturis omnibus aliis antestat. *Unde arbitror quod & Moyses volens proprium Dei & aliquid de eo speciale cognoscere, quod non esset commune cum cœlestibus potestatibus, interrogavit quod est nomen tuum. Denique cognoscens mentem ejus Deus, non respondit nomen, sed negotium; hoc est, rem expressit, non appellationem, dicens, Ego sum, qui sum, quia nihil tam proprium Dei, quàm semper esse. Qui ergo negant Christum coæternum Patri, videant quia Deum negant, cujus est semper esse, nec aliquando non fuisse. Hac ergo cognitione proprietatis divinæ Moyses insurgentes in se volebat spernere. Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nos.* Ecquod enimverò invictissimæ fiduciæ aptius præsidium, quàm si persuasi simus Deum esse, reliqua omnia non esse?

L. de fuga sæculi, c. 1. — Enarrat. In Psal. 36. — In Psal. 41.

XI. Augustinus autem constantissimè tuetur, nec esse, nec esse posse naturas ullas, nisi ab illo sint, cui esse non ab alio, sed à seipso est, & ideò æternum, incommutabile & totum est. De seipso in cunis olim reptante verba faciens, *Unde hoc tale animal, nisi abs te Domine? An quisquam se faciendi erit artifex? aut ulla vena trahitur aliunde, qua esse & vivere currat in nos, præterquam quod tu facis nos Domine, qui esse & vivere non aliud atque aliud es, quia summè esse, atque summè vivere id ipsum es? Summus enim es, & non mutaris, neque peragitur in te hodiernus dies, &c. Tu autem idem ipse es, &c.* Contra Manichæos autem eleganter idem disputat, non posse non esse summum bonum, cum verè & propriè illud tantum sit, quod summè & incommutabiliter est. Quippè id Dei & summi boni voce omnes innui intelligunt, quod summè & sempiternè & incommutabiliter sit. An id autem sit & existat, non magis dubitari potest, quàm an caleat summus calor, an luceat summa & purissima lux. Ut non potest enim non lucere summa lux, ita non potest non esse summum & perfectissimum esse. *Vellem quidem ut tam serenam mentis aciem homines ad hæc investiganda deferrent, ut possent videre illud summum bonum, quo non est quidquam melius aut superius; cui rationalis anima pura atque perfecta subjungitur. Hoc enim intellecto atque perfecto simul viderent id esse, quod summè ac primitùs esse rectissimè dicitur. Hoc enim maximè esse dicendum est, quod semper eodem modo sese habet, quod omnimodo sui simile est, quod nulla ex parte corrumpi aut mutari potest, quod non subjacet tempori; quod aliter nunc se habere quàm habebat antea, non potest. Id enim est, quod esse verissimè dicitur. Subest enim huic verbo manentis in se, atque incommutabiliter sese habentis naturæ significatio. Hanc nihil aliud quàm Deum possumus dicere; cui si contrarium rectè quæras, nihil omninò est. Esse enim contrarium non habet, nisi non esse. Nulla est ergo Deo natura contraria.* Quæ sunt oppidò pulcherrima & dignissima Augustino.

Confess. L. 1. c. 6. — De Morib. Manich. L. 2. c. 1.

XII. Sed asseverantissimè idem hoc alibi urget, & confirmat, dici debere quod Deus est esse, & essentia, & substantia, & de eo hæc magis propriè quàm de natura ulla alia dici. *Est tamen Deus sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur essentia, quam Græci οὐσίαν vocant. Sicut enim ab eo quod est sapere, dicta est sapientia; & ab eo quod est scire, dicta est scientia: ita ab eo quod est esse, dicta est essentia. Et quis magis est quàm ille qui dixit, Ego sum, qui sum? Sed aliæ quæ dicuntur essentiæ, sive substantiæ, capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna, vel quantacumque mutatio. Deo autem aliquid ejusmodi accidere non potest, & ideo sola est incommutabilis substantia, vel essentia, quæ Deus est: cui profectò ipsum esse, unde essentia nominata est, maximè ac verissimè competit. Quod enim mutatur, non servat ipsum esse: & quod mutari potest, etiamsi non mutetur, potest quod fuerat, non esse. Ac per hoc illud solum, quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari omninò non potest, sine scrupulo occurrit, quod verissimè dicatur esse.* His duobus Augustini locis gemina sunt, quæ idem habet libro XII. de Civitate Dei, ubi & illud notat nomine essentiæ usos non fuisse Latinos olim scriptores, & suo tamen jam tempore usitatum illud esse, *ne deesset linguæ nostræ, quod Græci appellant οὐσίαν.*

De Trinit. L. 5. c. 2. — Cap. 2.

XIII. Sed idem alibi præclarissimè antedictis hoc addit, quærenti verum Dei nomen Moysi, verissimè responsum esse, Ego sum qui sum: non hoc aut illud, sed ego sum, nempè universale & totum ens; imo solum ens, cujus comparatione cætera non sunt. Et hoc enim necesse est, ut hoc proprium sit Dei nomen. Denique non nesciens Deus ad tanti nominis splendorem & majestatem fore ut præstingerentur & hebescerent Hebræi, aliud illicò nomen addidit, multa indulgentia & humanitate temperatum. *Æternitas ipsa Dei substantia est quæ nihil habet mutabile. Non est ibi, nisi est. Non est ibi fuit & erit. Quidquid ibi est, nonnisi est. Merito sic misit Deus famulum suum Moysen, &c. Ego sum, qui sum. Tu diceres, Ego sum: Quis? Cajus, alius Lucius, &c. Ego sum. Quis? qui sum. Hoc est nomen tuum? hoc est totum quod vocaris? Non esset tibi nomen ipsum esse, nisi quidquid est aliud tibi comparatum, inveniretur non esse verè. Ad illud tam magnum homo quid est? Quis apprehendat illud esse? Quis ejus particeps fiat? quis anhelet? quis aspiret? quis ibi se esse posse præsumat? Noli desperare humana fragilitas. Ego sum inquit Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob. Audisti quid sim apud me? Audi & quid sim propter te.* Et alibi: *Firmitatem cordis quæsivit, cum diceret, Ego sum, qui sum; & aciem contemplationis erectam, cum dixit, Qui est, misit me ad vos. Sed nondum habes fortè contemplationem? Noli desperare. Ego sum Deus Abraham, & Isaac, &c. Quia tu modo fluctuas, & mutabilitate rerum, & varietate mortalitatis humanæ percipere non potes, quid est idipsum. Ego descendo, quia tu nunc venire non potes.* Et paulò suprà: *Quid est idipsum, nisi quod est, quod æternum est, quod semper eodem modo est? Et quid est, quod est, nisi ille qui dixit, Ego sum, qui sum?* Et alibi: *Est enim verè est, & eo ipso quod verè est, sine initio & sine termino est.*

In Psal. 101. — In Psal. 121. — In Psal. 134.

Sed illud cum primis memorandum, quod hoc ipso loco Augustinus ipsum bonum & ipsum ens idem prorsus esse insinuat, & utroque modo Deum attingi posse bifariam, vel fixa acie mentis, vel rapido coruscamine; sed quia illud paucissimorum est, hoc brevissimum; ideò mox Deum contemperasse se nobis, & cùm dixisset se esse ipsum esse, mox subjecisse, se Deum Abrahæ esse.

Ten-

Tendebatis vos fortasse videre bonum omnium bonorum, bonum à quo sunt omnia bona, bonum sine quo nihil est bonum, & bonum quod sine cæteris bonum est; tendebatis vos, ut videretis, & fortè in extendenda acie mentis vestræ deficiebatis. Hoc enim ex me conjicio. Sic patior. Sed etsi est aliquis, sicut fieri potest, & valde potest, acie mentis fortior me, & contuitum cordis sui diu figit in eo quod est, laudet ille ut potest, & quomodo nos non possumus, laudet. Gratias tamen illi qui in hoc Psalmo temperavit laudem suam, ut & firmorum esset, & infirmorum. Nam & in illa missione Moysi cùm diceret, Ego sum, &c. non in eo voluit remanere, quo laudator non posset attingere, &c. Deus Abraham, Deus Isaac, &c. Quod dixi, Ego sum, verum est, sed non capis: quod autem dixi, Ego sum Deus Abraham, & verum est, & capis. Quod enim ego sum qui sum, ad me pertinet; quod autem Deus Abraham, ad te pertinet. Et si deficis in eo quod mihi sum, cape De natura Boni. c. 19. *quod tibi sum.* Obiter moneo, ubi Augustinus, vel suprà laudatus, vel alibi inculcavit Deo, hoc est, ei qui est ipsum esse, nihil esse contrarium nisi non ens; ibi hæc tela strinxisse illum adversùs Manichæos, qui summo bono bonorum omnium principio adversarium objiciebant principium malorum. Ex quo liquet rursus summum bonum & ipsum ens unum idemque esse ex sententia Augustini, tametsi in Platonicæ Philosophiæ placitis versatissimus esset.

XIV. Sed & illud monendus est lector, non obiter, non cursim, sed studiosè & sæpiculè inculcasse Augustinum, illud Dei nomen, quo se esse ipsum esse pronuntiavit, non ad id valere tantùm ut Deus existere significetur, sed ut ipsa Dei propaletur essentia; nec ut ex effectis tantùm utcumque conjiciatur quòd sit, sed ut quid sibi ipse sit denudetur. Tract. 38. In Joan. Eò enim spectat, quod sanctus Pater observat paucissimos posse, quod ipse de se confitetur vix posse, aut nec vix posse, aciem figere in illum entis summi & universalis splendorem: raptim tantùm illud à se videri, quantumvis intendat aciem mentis, ideoque revolvi se aliosque statim necesse habere ad alia Dei nomina imbecillitati nostrarum mentium sensibilibus implicatarum aptata ex indulgentia. Nonnulli ex Græcis suprà idem sensisse visi sunt, præ cæteris Nazianzenus & Damascenus. Nec tamen cum illis pugnare existimandi sunt, si quibus eo nomine sola Dei existentia declarari visum est. Nam primò quidem existentia Dei eo nomine propterea potissimùm approbatur, quod ubi Deus esse ipsum dicitur, illa entis infinita plenitudine ipsa præsertim existentia continetur. Illa itaque ratione nulla inter Patres dissensio est. Secundò ideo eo nomine innui voluerunt id tantùm quod Deus est, non quid est, quia quatenus eo nomine significatur quid sit Deus, nimirum totius entis pelagus inexhaustum, eatenus hebet nostræ mentis acies, & quantumvis enitamur, non potest diutulè in ea contemplatione defigi; lucis vehementia reverberatur, ad familiares sensibilium symbolorum ideas ac voces relabitur, & ex beato illo brevissimoque contuitu, quo coruscantem videt & videre statim desinit infinitam essentiam, unum id consecuta est, ut sciat quòd Deus sit, non quid sit. Si cui minùs arridet hæc concordia, non gravabor equidem ab eo commodiorem audire.

XV. Gregorius Magnus totus est in hac Augustini doctrina commendanda. Illud in primis apud eum frequens, verè Deum esse, & solum verè esse, & in non ens deficere, quicumque ab eo secessionem faciunt. Moral. l. 12. c. 4. *Patriam volens homo perdidit; à peregrinatione verò sua quam diligit, invitus ex-* L. 13. c. 4. *pellitur. Ubi ergo est, qui in ejus amore non est,* L. 14. c. 10. *ubi verum esse est?* Et alibi: *Veluti in nihilum rediguntur, quia dum manentem Deo essentiam deserunt diligentes transitoria, quasi ad non esse tendunt.* Et rursus: *Apostatæ angeli socii, qui idcirco jam non est, quia à summa essentia recessit, & per hoc quotidie excrescente defectu, quasi ad non esse tendit, quo semel ab eo, qui verè est, cecidit.* Denique eò verè esse Deum alibi contendit, quòd æternus & incommutabilis sit, nosque sui contuitu ita aliquando beabit, ut & nos nostro quodam modo, quà fas est, æterni & ipsi & immutabiles simus. *Videbimus eum sicuti est. Esse enim* Hom. 1. in Ezech. *Dei est, æternum hunc atque immutabilem permanere. Nam omne quod mutatur, desinit esse quod fuit, & incipit esse quod non fuit. Dei verò esse est dissimiliter nunquam esse. Unde ad Moysen, Ego sum qui sum, &c. Per hoc quod aspicimus ejus essentiam naturæ, à mutabilitate nostra liberati, figimur in æternitatem. Immutabimur quippe in eo quem videbimus, quia morte carebimus, videndo vitam. Mutabilitatem nostram transcendemus videndo immutabilitatem. Corruptione nulla tenebimur videndo incorruptionem.* Ita tunc verè erimus, cùm corruptionis & mutabilitatis jam nulla aura afflabimur. Quàm verè autem est, quàm æternum & incommutabile esse est, qui uno sui conspectu donat & esse, & incorruptibile atque incommutabile esse!

XVI. Bernardus elucidare conatus est, ut Deus sit esse omnium, cùm nulla res alia prorsus sit Serm. 4. in Cant. quod ipse est: *Non quo longè ab unoquoque sit, qui esse est omnium, sine quo omnia nihil; sed ut tu plus mireris & nihil eo præsentius, & nil incomprehensibilius. Quid nempe cuique rei præsentius, quàm esse suum? Quid cuique tamen incomprehensibilius, quàm esse omnium? Sanè esse omnium dixerim Deum, non quia illa sunt quod est ille, sed quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Esse ergo est omnium quæ facta sunt, ipse factor eorum,* De consid. L. 5. c. 6. *sed causale, non materiale.* Eadem attingit & alio loco, ubi præclarissimè & ad Augustini mentem accommodatissimè contendit, eo uno quod Deus ipsum esse sit, omnia ejus attributa contineri. *Inveni quem diligit anima mea. Quis est? Non sanè occurrit melius quàm qui est. Hoc ipse de se responderi voluit, Qui est, misit me ad vos. Meritò quidem nil competentius æternitati, quæ Deus est. Si bonum, si beatum, si sapientem, si magnum, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est. Nempè hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si & centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris, nihil minuisti. Si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse, nonne in comparatione hujus quidquid hoc non est, judicas potius non esse, quàm esse?*

CAPUT IV.

Ipsum esse quandoque Patri, quandoque Verbo specialiter attributum. Comparatione Dei non est, quidquid Deus non est. Amando & videndo ipsum esse, esse incipimus.

I. Ipsum esse Marius Victorinus vendicat Patri Verbi Deo, ut originem cæterorum omnium.

II. III. Est tamen Pater ante esse ex eodem, id est, ante Verbum: ante inquam, origine. Propriè Pater quà ingenitus, esse ipsum est, quod à semetipso, non ab alio sit.

IV. Ambrosius Filio potius tribuit ipsum esse, quòd Filius cum è rubo Moysen alloqueretur, nomen suum panderet.

V. Clemens Alexandrinus ipsum esse interpretatur Filium.

VI. Eusebius id nominis aptat Patri, Filioque.

VII. Basilius, Nazianzenus, Nyssenus argumentantur, Moysi apparuisse Filium, upote Patris Angelum, & ipsummet de se dixisse, quod sit ipsum

ipsum esse; ex quo ejus divinitas contra Eunomium evincitur.

VIII. Non conflictantur inter se Patres, cum alii Patri, alii Filio tribuunt, quod se conspicuum exhibuerit Moysi, & se ipsum esse appellarit. Cum apparet Filius, apparet in Filio Pater. Ut alios & alios hæreticos confutarent, nunc Patri, nunc Filio ipsum esse adscripserunt Patres; quodque à Moyse in rubo visus sit.

IX. Clemens, Nyssenus, Origenes, Theodoretus, Dionysius antedictis assentiuntur; non esse propriè hæc sensibilia, sed intelligibilia.

X. A quibus non recedit Gregorius Magnus.

XI. Et Boethius.

XII. Et Anselmus.

XIII. Summa capita rationum, quibus adducti sancti Patres senserunt sensibilia & temporalia omnia magis non esse, quàm esse.

XIV. Item quibus adducti, dixerunt materiam & materialia omnia magis non esse, quàm esse. Prolixa Dei & materiæ comparatio ex adversis.

XV. Ut ea comparatio luculenta à Platonicis Philosophis suppeditata, Augustini testimoniis confirmari possit.

XVI. Substantiæ etiam spiritales materiam habent sui generis, nempe essentiam suam, seu mavis naturam suam, necdum luce sapientiæ supernè infusa formatam.

XVII. Approbatur hæc ex Augustino materia, seu informitas naturæ Angelicæ, antequam à Verbo formaretur.

I. Superioribus capitibus ea jam omnia perstrinximus, quæ hic retractare, vel paulò accuratius expendere animus est. Et illud primò, quòd ipsum esse alicubi quasi specialiter Patri Verbi Deo vendicetur, tanquam fundamentum cui superstruantur, vel origo, ex qua proficiscantur reliqua omnia Deitatis ornamenta. Id ex Mario Victorino Afro jam supra ostensum est, quod non pigebit & alio hoc ejusdem apertissimo testimonio comprobare: *Ante on & ante logon vis & potentia existendi illa est, quæ significatur hoc verbo quod est esse; Græcè quod est to einai. Hoc ipsum esse duobus accipiendum modis. Unum ut universale sit, & principaliter principale, unde & in cæteris esse sit. Aliud quod esse est cæteris, quod est omnium post vel generum, vel specierum, atque hujusmodi cæterorum.* Sic ille ens bipartitur, aliud increatum, aliud creatum. Increatum porro quod Patri vendicat, constituendo illud ante on & logon, id est, ante Ens & Verbum, sic rursus ille describit: *Verum esse primum ita imparticipatum est, ut nec unum dici possit, nec solum, sed per prælationem ante unum & ante solum, ultra simplicitatem, præexistentiam potius quàm existentiam, universalium omnium universale, infinitum, interminatum, sed aliis omnibus, non sibi. Et idcirco sine forma intellectu quodam auditur; & præintelligentia potius, quàm intelligentia accipitur, cognoscitur, creditur. Hoc illud est, quod supra universalium vivere est ipsum vivere & ipsum esse, non autem aliquid esse, aut aliquid vivere. Unde nec on.*

L. 4. adv. Arium, Bibliot. PP. To. 4. pag. 246.

II. Mirum omnino illud est, quod Marius cum Deum prædicet esse ipsum esse universale, & principale, illud tamen constituat ante on, id est, ante ens. Quod enodari vix aliter potest, quàm ut dicatur & Pater & Filius esse ipsum esse, sed antè Pater, antè inquam origine solùm; ut qui ipsum esse suum gignendo donet Filio. Porro ea quoque Marii sententia videtur esse, ut Pater eo magis propriè dicatur esse, quasi existentia, vel præexistentia prima; quod non aliud est, quàm ingenitum esse, non ab alio esse. Non semel id capite superiori prælibatum est; Deo uni competere ut sit ipsum esse, propterea quod non ab alio sit, sed à semetipso. Cum cætera quippe omnia ab aliis alia sunt, & omnia omnino ab alio, necesse est tandem ad aliquid perveniri primum, quod non ab alio, sed à semetipso sit. Hoc porro est ipsum esse, nam aliud est fieri, aliud esse; quod fit, non erat: ipsum esse est, non fit, quia non fuisse jam portio non entis est. Quanquam autem tribus divinis personis æquè conveniat ipsum esse, & à semetipso esse, quia totum illud esse æternum & increatum est. Quia tamen Pater non increatus solùm, sed & ingenitus solus est, atque ita singulari privilegio suæ personæ ab alio non est, & à semetipso est, eo etiam sensu, qui nec Verbo, nec Spiritui sancto communicari possit; hinc fit ut specialiter illi adscribatur ipsum esse.

III. Ut ergo ipsum esse est, quidquid à semetipso est, ipsum esse est Verbum, quia increatum cum sit, ab alio non est. At cum præterea Pater à semetipso sit, quia ingenitus etiam est, & solus ingenitus est, effundens ex se non creatas tantùm naturas, sed & increatas personas alias; hac singulari & propria sibi soli ratione ipsum esse dicitur. Idque ut ego quidem existimo Marium movit, ut diceret ipsum esse ante on, id est, ante ens; quia prius origine est esse ingenitum Patris, quàm esse increatum Filii; itemque ut diceret ipsum esse Patris non tam existentiam, quàm præexistentiam esse: propterea quod cum Filius sit ipsum esse increatum, eo sanè existentia comprehenditur: at cum prius origine sit esse ingenitum Patris, huic magis propriè præexistentia arrogatur.

Huc revocandum quod idem Marius suprà docuerat, Filium esse universale esse, Patrem supra universale esse. Nec enim aliter suprà, quàm quia priùs, nec aliter priùs, quàm origine, cùm ibidem Patris & Filii consubstantialitas validissimè propugnetur. Denique in ipsius esse proprietate Patrem & Filium videtur Marius ibidem his verbis consociasse. *Pater igitur prima actio, & prima existentia, & substantia, & principale to on; actione a se sua sese qui generet, sine principio, semper existens, à se existens, infinitus, omnimodis perfectus, omnipotens, immutabilis, semper sic & eodem modo existens. Substantialis in semetipso logos existens ad id ut sint omnia: non ut aliud aliquid, aut ut alterum, sed simul simplicitate coexistens, & unitione unum est. Hoc enim quod logos est, id ipsum est quod est esse; & ipso quod est esse, logos est. Ipse enim logos Deus est.* L. 1. pag. 202.

IV. Ambrosius quoque Græcorum Patrum doctrinæ consentaneus, eum qui de rubo Moysem alloquens, eum se dixit esse qui est, Filium interpretatur, non Patrem: *Hic est Filius meus, &c. Hic est Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, qui apparuit in rubo Moysi; de quo Moyses ait, Qui est, misit me. Non Pater in rubo, non Pater in eremo, sed Filius Moysi locutus est.* Hic & Hilarius divinitatem Filii tuetur, retunditque impetus Arianorum, quod cum qui de rubo loquebatur Moysi, & Angelus & Deus in Scripturis dicatur, utique Filius sit; & cùm se dicat esse Deum Abraham, & eum qui est, utique verus Deus sit. *Angelus Dei est, qui in igne de rubo apparuit; & de rubo in igne Deus loquitur. Habes dispensationem in Angelo, quia in Angelo officium est, non natura. Habes in natura nomine Deum, quia Angelus Dei Deus est. Sed fortè non verus est. Numquid non verus est Deus Abrahæ, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Et ne adoptivi nominis fureris occasionem, loquitur ad Moysen Deus ille qui est. Ita enim scriptum est, Dixit Dominus ad Moysen, Ego sum qui sum.*

L. 1. de fide c. 5.

De Trinit. l. 5.

V. E Græcis Clemens Alexandrinus manifestè Verbo tribuit præstantissimam essentiam & ipsum esse, & suprà statuit Patrem, nempe paterna duntaxat authoritate, non substantiæ inæqualitate conspicuum. *Cum Dialectica sit Philosophia Veritati permixta, res considerans, & potestates examinans, transcendit ad præstantissimam omnium essen-*

Strom. l. 1. pag. 260. l. 5. p. 264. L. 6. 49.

essentiam, & audet etiam ultra progredi ad Deum universorum. Nec tamen negat ille quin & Pater ille sit qui est. Quin imò affirmare infrà videtur: *Moyses cùm persuasum haberet, Deum nunquam humana cognitum iri sapientia, Ostende te mihi, inquit; & in caliginem ubi erat Dei vox, ingredi cogitur, hoc est ad arcanas & informes de eo quod est cognitiones*. Et rursus alibi: *In identitate enim ingenita qui est, est ipse solus*. Ἐν ταυτότητι ἀγεννήτῳ ὁ ὢν αὐτὸς μόνος. Informes illæ de ente & arcanæ notiones, & identitas hæc ingenita non incongruè etiam Patri aptantur.

VI. Eusebius sanè tum Patri, tum Filio concinere illud nomen ingenuè profitetur. (Ecclesiastic. Theol. l. 2. c. 20.) *Sive ergo Pater, sive Filius illud ait, Ego sum qui sum, omnino verissimum est, quod ab utrovis dicitur. Nam & Pater est qui est, cùm sit solus super omnia, per omnia, & in omnibus Deus, quod nos divinus docuit Apostolus. Sed & Filius si dicatur, Qui est, verè sic dicitur, cùm solus sit unigenitus Filius ejus qui est, cùm sit imago Dei invisibilis. Et eo ipso fit imago ejus, quòd solus ipse sit qui est. Adeoque vocatur & ipse Qui est, cum & Deus sit, & Dominus similiter, atque Pater*.

VII. Maluit Basilius hinc argumentum cudere invictissimum pro asserenda Verbi Deitate. Præfatus enim eum qui in Instrumento veteri tam frequenter & Deus & Angelus nuncupatur, non alium esse posse, quàm Dei Filium, qui & Deus est, & (Adv. Euno. lib. 2.) à Patre missus Angeli fungitur ministerio: *Quare patet cuilibet, ubicumque Angelus & Deus idem appellatur, Unigenitum significari, cùm seipsum per generationes hominibus manifestet, & Sanctis suis voluntatem Patris annuntiet*. Hinc jam necessariò colligit Basilius, Verbum ipsum, utpote Dei & Angeli simul nomine donatum, è rubo illud eloquutum esse: *Ego sum qui sum. Qui est. Quas ob res, qui & Moysi eum qui est seipsum nominavit, nullus profectò alius præter Deum Verbum, qui à principio erat apud Deum, intelligetur*.

Nazianzenus non dissonat à Basilio; ubi plura & mirabilia contexens Unigeniti Filii nomina atque insignia majestatis omnipotentis, hæc postea (Orat. 35.) subjicit: *Dominus, Rex, Ens, Omnipotens. Pluit, inquit, ignem Dominus à Domino. Et, Virga directionis, virga regni tui. Et, Qui erat, qui est, & qui venturus est. Omnipotens ille. Quæ pespicuè de Filio dicuntur*.

Nyssenus Judaicæ perfidiæ esse asserit, ut solus Pater ipsum esse dicatur. Nec dissentiebat vel Eunomius, quin ipsum esse esset Unigenitus, utpote qui ita de seipso Moysem informasset. (Orat. 2. con. Eunom.) *Quod si Judaica opinione omnino non esse Unigenitum astruunt, præclarè soli Patri verè Esse suo testimonio attribuunt. Quod si non negant eumdem Unigenitum omnium factorem quia est, persuadeantur eum qui est, non negare quin verè sit. Qui seipsum in ea quæ Moysi facta est, Dei apparitione, eum qui est, nominavit, cum dixit, Ego sum qui sum. Quemadmodum Eunomius in sermonibus sequentibus assentitur, dicens, ipsum esse Unigenitum, qui Moysi apparuit*. Non inficiabatur Eunomius eum qui in rubo visendum vel audiendum se præbuit, Filium esse, ut eum vera exauthoraret Deitate, ex eo quòd Angeli vices obiret. Contrà tendebant sancti Patres, cùm idem Unigenitus edixerit se esse eum qui est, verissimum nempe illum esse Deum. Ipsum enim esse utique princeps & divina essentia est.

VIII. Ne illud quidem hìc prætermitti debet, non statim in suspicionem discordiæ vocandos esse sanctos Patres, si alii Patrem, alii Filium propriè esse dixerint, qui & Moysi nomen suum edixerit, & qui sit ipsum esse. Omnia enim Patri Filioque communia sunt, hujusmodi certè, quæ ad relativas Personarum proprietates communia sunt. Adde quod apparet quidem, & videtur, & manifestatur, & nominatur Filius, quia hæc ejus personæ indoles est, lucere, docere, manifestare. At in Filio & per Filium apparet, videtur & manifestatur Pater. Ut enim non suum sibi Verbum est Filius, nec sua sibi sapientia & lux est, sed Patris Verbum, sapientia & lux est: ita non tam seipsum manifestat aut nominat Filius, quàm Patrem. Imò quia primum Principium Pater, & omnia per Filium Pater, nec tam Filius quidquam operatur, quàm Pater per Filium; ubi se ostendit Moysi, ubi nomen suum edixit, ubi se esse ipsum esse dixit Filius, hæc omnia Pater per Filium præstitit. Fuerunt autem causæ quæ Patres impellerent, ut quod commune reapse erat Patri & Filio, nunc magis Patri, aliàs Filio potiùs adscribere affectarent. Nimirum Patri conducebat adseri, quod Moysi apparuisset, seque esse eum qui est, pronuntiasset, tum ut ipsum bonum ipsumque ens unum esse consubstantialis naturæ identitate Deum constaret adversùs Platonicos; tum ut contra Marcionem, Cerdonem, aliosque constaret Deum bonum ipsumque esse veteris Testamenti Deum, & conditorem Universi, ut infrà hoc eodem capite ex Origene liquidum fiet; tum ut contra Manichæos pateret primo Principio seu summo bono nullum posse contrarium objectari principium mali: cùm summum bonum sit ens ipsum, ipsi verò enti contrarium sit nihil, nisi nihilum & non ens. Rursus juvabat & Filio hanc laudem vindicari, ut esset ipsum esse, ut æternitas ejus, & immutabilitas, & essentiæ infinita plenitudo firmaretur contra Arianos, Eunomianos, aliasque hæreticas pestes, divinitati ejus obtrectantes. Postremò denique quod jam suprà tetigimus, sicubi Patres aliquo sensu donarunt Patri, quo non donarent Filio, ut esset, & diceretur, & nominaretur ipsum esse; vel ex adverso si donarint Filio eo sensu quo non largirentur Patri; ne id quidem in pugnandi ansam rapi potest. Quid enim vetat alio & alio sensu idem eidem donari, vel adimi, vel plus minùsve donari? Itaque quatenus ipsum esse spectabatur quandoque, tanquam pelagus immensum essentiæ, & ita tanquam fons etiam Deitatis, idque quod maximè principale occurrebat statim animo, eo sensu potuit ipsum esse magis propriè tribui Patri. At quà ipsum esse quandoque perpenditur, ut quo se maximè divinitas alioqui incomprehensibilis manifestat mentibus creatis, eo modo potuit Verbum magis addecere. Potuit & adscribi Patri esse, quatenus impervium, inaccessum, incomprehensibile est nostris mentibus; accommodari autem ab aliis Verbo, quatenus utcumque intelligimus quid sit esse per analogiam ad naturas creatas, quibus aptare se & contemperare Verbo divino familiarius. Quod enim revera esse Dei ejusmodi sit, ut omnem exuperet & sensum & intelligentiam nostram, nec comparatione ejus ulla creatura esse dicenda aut existimanda sit; id verò est quod aliquoties jam affirmarunt Patres, & quod compluscùlis hìc præterea testimoniis non pigebit munire.

IX. Clemens Alexandrinus disertè id astruit, Verbi humanitate & dispensatione fieri, ut & esse & bona esse dicantur, quæ hìc in sensibili mundo sunt; cum verè & seriò nec sint, nec bona sint, nisi illa cœlestia & intelligibilia, quorum hìc umbris & imaginibus lactamur. *Si audieritis me, bona terræ comedetis, dicit rursus Pædagogus; bona* (Pædagogi. L. 3. c. 12.) *terræ nominans, formam, divitias, sanitatem, vires & alimenta. Verè enim bona sunt ea, quæ neque auris audivit, neque unquam in cor ascenderunt; quæ apud eum qui verè Rex est & verè est, sunt bona, quæ verè sunt, & verè sunt bona, & nos expectant. Bonorum enim est & donator & custos. Per illorum autem participationem, quæ hic sunt, eodem nomine appellantur, hominum imbecillitatem Verbo in Deo erudiente, & eos deducente à sensibilibus ad intelligentiam*. Nyssenus eos qui

qui divinæ essentiæ vel existentiæ adversarii sunt, docet in interitum semetipsos & in extremum exitium agere præcipites; ut qui esse jam & subsistere non possint, sublato eo qui verè est, & in quo (In Psal.c.53) sunt quæcumque sunt. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus, corrupti sunt, &c. Verè enim ejus quod subsistit corruptio & interitus est, decidere ab eo, qui verè est. Quomodo enim quis suo in esse duret, qui non est in eo qui est? Quomodo quis maneat in eo qui est, si non credat ei qui est quod sit? Qui autem verè est, is omnino Deus est, quemadmodum & magno Moysi visio divinæ apparitionis testatum fecit. Qui igitur ex suo animo abjcit esse Dei, is hoc ipso quod Deum esse negat, proprium suum esse corrumpit, quippe abalienatus ab eo qui est.* Origenes in hæc verba Evangelii Joannis: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*; ita ratiocinatur: primum Principium seu Patrem esse ipsum bonum, & sicut ipse Moysi dixit, ipsum ens, seu existens; Deo ergo quæ contraria sunt mala, eadem sunt non entia. *Possumus adjicere, quomodo propter* (In Ev. Jo.) *vitium mali appellentur non existentes, ex Dei nomine quod scriptum est in Exodo; dixit enim Dominus ad Moysen, Existens hoc mihi est nomen. Bonus Deus hæc loquitur judicio nostro, qui gloriamur esse de Ecclesia, quem glorificans servator dicit, Nemo bonus nisi solus Deus, nempe ille Pater. Igitur bonus idem est cum existente. Cum verò malum aut pravum contrarium sit bono, & contrarium existenti sit non existens, sequitur malum & pravum esse non existens.* Theodoretus profert illa Platonis in Timæo verba: *Erat, erit, partes sunt temporis, nos verò imprudentes ea æternæ substantiæ accommodamus non rectè. Dicimus enim, quod erat, est, & erit. Illi autem solum est revera congruit. Erat autem atque erit, dici convenit de ea generatione quæ fit in tempore.* His præmissis ita (Serm.1.adv. Græc. To 4. pag.491.) idem concludit Theodoretus: *Jure igitur ea que fiunt & mutantur, non entia nuncupavit.* Denique Dionysius hoc maximè discrimine carnales à spiritalibus distare existimat, quod hi advertant sciantque, illi nec advertant, non esse verè nisi intelligibilia, sensibilia autem vano & ludicro entis simulacro nobis blandiri. En ut Maximus Dionysii sententiam (De mystica Theol.c.1.) depromat: *Nec sciunt differentiam essentiarum illarum rerum, quæ propriè sunt, & illarum, quæ tantum æquivocè sunt, atque ejus qui omnibus quæ sunt præstat, & ideo superessentialis est. Tales igitur tanquam rudes & mysteriorum ignari, &c. Itaque intelligibilia sunt propriè entia, æquivocè verò sensibilia. Hoc autem superat eos etiam fideles, qui in corruptibilibus hærent.*

X. Ex Latinis Gregorius in illa verba, *Elevati* (Moral. L.17.c.5.) *sunt ad modicum, & non subsistent*: ita habet: *Elevantur ergo ad modicum & non subsistunt, quia eo ipso quo videri alti appetunt, à vera Dei essentia longè per elationem fiunt. Subsistere etenim nequeunt, quia ab æternæ essentiæ soliditate dividun-* (L.16 c.16.) *tur.* Et alibi illa Jobi verba de Deo expendens: *Ille solus est; Nunquid non sunt Angeli & homines, cœlum & terra, &c. Cum ergo in rerum natura tam multa sint, cur beati viri voce nunc dicitur, Ipse enim solus est? Sed aliud est esse, aliud principaliter esse: aliud mutabiliter, aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minimè subsistunt; cuncta namque ab illo subsistunt, à quo creata sunt, &c. Cuncta namque ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursus ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret.* Et mox: *In omni igitur causa solus ille intuendus est, qui principaliter est, &c. Vir igitur sanctus despiciat, quidquid exterius terret; quidquid per essentiam suam, nisi regeretur, ad nihilum tenderet: & mentis oculo, suppressis omnibus, intueatur unum, in cujus essentiæ comparatione esse nostrum non esse est, & dicat, Ipse enim solus est.* Quæ sunt sanè summo Theologo & sapientissimo Pontifice digna. Et infrà: (L.18.c.27.) *Sapientia habet essentiam, habet vitam, sed hoc quod habet, ipsa est. Proinde incommutabiliter vivit, quia non ex accidenti, sed essentialiter vivit. Sola ergo cum Patre & sancto Spiritu veraciter est, cujus essentiæ comparatione esse nostrum non esse est. Huic si conjungimur, vivimus, sapimus, sumus; huic si comparamur, nec sapimus, nec vivimus omnino, nec sumus. Hinc est quod sancti omnes, quando in Dei visione proficiunt, quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Ait enim Abraham, Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis & cinis? Esse enim se aliquem fortasse crederet, si veracem essentiam, quæ super ipsum est, minimè sensisset, &c. Hinc ad Moysen dicitur, Ego sum qui sum. Solus quippe veraciter est, qui solus incommutabiliter permanet. Nam omne quod modo sic, modo aliter est, juxta non esse est. Permanere enim in statu suo non potest.*

XI. Magis philosophicè Boethius negat esse, quæcunque corporalia & materialia sunt, propterea quod quà materia constant, non sunt; esse enim habent à forma sola. Adde quod partes totius aliæ ab aliis sunt, & totum ipsum non est quod partes singulæ. Atque ita multifariam non est, quidquid ex multis partibus compingitur. *Nihil igitur secundum materiam esse dicitur, sed secundum formam. Sed divina substantia sine ma-* (L.de Trin.& Unit. Dei.) *teria forma est, atque ideo unum est, & est id quod est. Reliqua enim non sunt id quod sunt. Unumquodque enim habet esse suum ex his, ex quibus est, id est, ex partibus suis; & est hoc atque hoc, id est, partes suæ conjunctæ; sed non hoc vel hoc singulariter; ut cum homo terrenus constet ex anima & corpore, corpus & anima est; non vel corpus, vel anima; igitur in parte non est id quod est. Quod verò non est ex hoc atque hoc, sed tantum est hoc, illud verò est id quod est, pulcherrimum fortissimumque, quia nullo nititur.*

XII. Anselmus antiquorum Patrum pressiùs legens vestigia, comparatione Dei non esse naturas omnes mutabiles, vix esse, absolutè non esse, magis non esse, sic philosophatur: *Si dili-* (Monol.c.27) *genter intendatur, ille solus videbitur simpliciter & perfectè & absolutè esse; alia verò omnia verè non esse, & vix esse. Quoniam namque Deus propter incommutabilem æternitatem, &c. Quoniam verò omnia alia secundum aliquid mutabiliter aliquando aut fuerunt, aut erunt quod non sunt, aut sunt quod aliquando non fuerunt, aut non erunt; & quoniam hoc quod fuerunt, jam non est; illud autem, scilicet quia erunt, nondum est; & hoc quia in labili brevissimoque & vix existente præsenti sunt, vix est. Quoniam ergo tam mutabiliter sunt, non immerito negantur simpliciter, & perfectè, & absolutè esse, & asseruntur ferè non esse, & vix esse. Deinde cum omnia quæ aliud sunt quàm ipse, de non esse venerint ad esse, non per se, sed per aliud: & cum de esse redeant ad non esse, quantum ad se, nisi sustineantur per aliud: quomodo illis simpliciter convenit, aut perfectè, sive absolutè esse, & non magis vix esse, aut ferè non esse?*

XIII. Vides quàm multis & quàm validis rationibus muniti id sanxerint sancti Patres, ita proprium Dei esse, ut sit, ut creatæ omnes mutabilesque naturæ, vix esse, penè non esse, non esse dicendæ sint, nisi quatenus immutabili & verè existenti, & ipsum esse existenti, incumbunt, & inhærent. Nimirum à nihilo originem ducunt, in nihilum relabuntur, nisi conservante & quasi creante perenniter Deo sustineantur; mutabilitate sua id habent, ut quæ & qualia fuerunt, non sint; quæ & qualia sunt, non semper futura sint; labilitate sua per temporum vices id habent, tota ut eorum ætas præterita, jam non sit; tota eorum ætas futura, nondum sit; præsens tantùm sit à non esse

esse ad esse, ab esse ad non esse celerrimo impetu concitatum; compositione sua id habent, ut partes aliæ aliarum vim & substantiam non habeant, & ita toties non sint, quot partes habent. Strigmentum ergo entis tanto & tam multiplici non enti immersum, dici haud dubio potest non esse, potius quàm esse.

XIV. Sed materia superest, copiosissima entis inopia. Illud olim observatum, à contrariis posse Deum & materiam prolixa comparatione intelligi. Materia enim ita est omne ens, ut nullum sit, omne potentia, nullum actu; Deus pariter omne ens est & nullum, omne actu, nullum potentia. Materia omnium entium potentia, Deus omnium entium actus. Vel utroque omnium potentia entium, illic passiva, hic activa. Materia ita nullum ens, ut sit infra ens; Deus ita nullum ens, ut sit supra ens. Materia nihil & omnia, Deus omnia & nihil omnium. Materia semper informis, semper formanda, quia infra ens & infra formas; Deus semper informis & omnia formans, quia supra ens & supra formas. Materia etsi semper formetur, semper informis est, quia formas non intus admittit, sed summo cortice, & speculi instar illas repercutit; ideo essentialiter inops & vacua est, formarum semper avida & inexaturata, imo ipsa essentialiter inopia, vacuitas & inexaturabilitas, quia ens non ens est. Et Deus quia ens supra ens est, inexhausta opulentia est, suæque unitatis sinu formas omnes anticipans & complicans in se, informis semper est, ut nulla forma explicatus, aut terminatus. Materia est incorruptibilis, quia boni vacua est, quo per corruptionem exuatur; Deus incorruptibilis est, quia cum nihil nisi bonum sit, non est cui bonum per corruptionem adimatur. Materia infinita est, & ipsa infinitas, ob inopiam formæ terminantis: & Deus infinitus & ipsa infinitas est, ob excessum entis incircumscripti. Materia simplicissima est, omnium vacuitate & nuditate; Deus simplicissimus est, omnium superplenissima unitate. Materia inanium entium inanissimum est; Deus verorum entium verissimum. Falsa entia materiæ comparata, vera sunt; vera entia Deo comparata, non sunt. Materia quæ utcumque sunt suscipiendo facit minus esse; Deus quæ omnino non sunt præcontinendo in se facit esse. Materia non ens & divisibilitatem importando tum speciebus, tum individuis, quo plura & plura facit, eo minora & minora facit; Deus ab unitate sua omnia entia effundendo, & ad unitatem suam omnia revocando, quo pauciora & unitiora, eo majora facit esse. De materia omnia affirmantur per potentiam, de Deo omnia affirmantur per actum. De materia omnia negantur propter defectum, de Deo omnia negantur propter excessum. Materia nullo sensu percipitur ob inanitatem, solo intellectu attingitur, nimirum orbitate intelligentiæ & inscitia. Similiter Deus nullo sensu, solo intellectu attingitur, inscitia magis quàm scientia; negatione magis quàm affirmatione; caligine magis quàm luce; suspicione magis quàm intellectione, ut tenue quid & subtile, quod non videndo videatur, ut ait Gregorius Magnus. Materia ob excessum tenebrarum, Deus exuberantia lucis incomprehensibilis est. Materia raptim tantùm intelligi potest, ob species formarum statim emergentes, & illi se appingentes; & Deus coruscamine tantùm intermicat ob nugas phantasmatum confestim illudentes. Sic summum extremo simillimè dissimillimum est, tam potenter regnante & invalescente summo ente, ut ipsum imitetur etiam non ens; eadem quodammodo habens non essendo, quæ illud habet essendo; suo non esse innuens illius esse, ac præpostera & tenebrosa hac imitatione planum faciens, non esse quo à summi entis principatu fugiatur.

Ennead. 2. L. 4. & 5. Ennead. 3. L. 6. c. 7. & seqq. XV. Quæ de materia hîc à me dicta sunt, non dissimulabo hausta esse ex Philosophiæ antiquæ, maximè ex Platonicæ, & potissimum ex Plotini rivulis, cujus hîc contextus adscribere non gravarer, nisi brevitati consultum vellem. Sed hæc tamen Christianæ quoque Theologiæ non injuria vindicari posse docebit nos Augustinus, qui hæc eadem penè suis aspersit opusculis. Sic enim ille de materia: *Quiddam inter formam & nihil; nec formatum,* Confess. l. 12. c. 6. 7. 8. *nec nihil: informe, propè nihil.* Et infra: *Si dici posset, nihil aliquid, est & non, hoc eum dicerem: & tamen jam utcumque erat, ut capere posset species istas visibiles & compositas.* Et infra: *Fecisti duo, quædam, unum prope te, aliud prope nihil. Unum quo superior tu esses, aliud quo inferius nihil esset.* Et rursus: *Illud autem totum propè nihil erat, quoniam adhuc omnino informe erat. Jam tamen erat, quod formari poterat. Tu enim Domine fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re, penè nullam rem, unde faceres magna, quæ mirantur filii hominum.* Ibid. c. 2. Et artem insinuans qua possit materia cognosci, *Conetur eam vel nosse ignorando, vel ignorare noscendo.* Ex his paucis Augustini de materia verbis, religata pendent, quæcumque de ea, ejusque cum summo ente comparatione per dissimilitudinem disseruimus.

XVI. Porro quæ de materia, eadem de materialibus omnibus dicenda sunt; cùm eorum materia sit veluti fundamentum & fulcimen, cùm ex materia formæ scaturiant, & in eandem resorbeantur. Cùm enim hæc ita se habeant, qualia oro te entia sunt materiales res omnes, si materia non ens & propè nihilum est? Quin imo substantiis etiam incorporeis & intellectualibus suo etiam quodam modo hæc eadem conveniunt. Sunt enim & ipsæ ex nihilo, & in nihilum suapte sponte relabentes, nisi summi entis ope & manu continerentur. Sunt & ipsæ mutabiles, atque ita toti illi non enti obnoxiæ, quod mutationi & mutabilitati omni inesse suprà demonstratum est. Sunt & ipsæ compositæ quodammodo, & rursus hinc à vero & proprio esse toties deficiunt, quoties à summa simplicitate desciscere intelliguntur. Denique & ipsarum quædam materia quasi spiritalis, seu potentia per se informis, & supernè formanda intelligi potest, adeo ut & ipsis utcumque aptari possint, quæ de materiæ materialiumque cum summo ente comparatione disputata sunt. De hac spiritali substantiarum incorporearum materia prolixè Plotinus, Enneadis 2. libro 4. capitibus quinque primis, & alibi sæpè. Ubi his maximè rationibus utitur, quòd substantiæ spiritales aliquo physicè conveniant, aliquo differant: illud materia, hoc forma. Quòd corporeus mundus incorporei imitatio & imago sit: ergo ut illi, ita & huic sui generis materia est. Quòd uterquè mundus sit, id est, ornatus, κόσμος: quid porro ornatur, nisi materia per formam? Quòd utrobique divisibilitas sit, quæ propria materiæ est; quanquam ea divisibilitas in naturis incorporeis solam pariat specierum multitudinem, in corporeis etiam individuorum.

XVII. Nec ab his dissentit omnino Augustinus, qui naturam angelicam, æquè ut corpoream, Chaos quoddam priùs, & indigestam, informemque, post Verbi illuminatione formatam fuisse asserit: non quòd tempore aliquo tenebrosa tantùm abyssus hæc fuerit, & postea affulserit ei superna lux & forma; sed quòd suæ naturæ sponte ejusmodi futura fuisset, nisi lux & forma mentium incommutabile Dei Verbum occupasset eam creando illuminatæ & illuminando creare. *Inest ei ipsa mutabilitas unde tenebresceret & frigesceret, nisi amore grandi tibi cohærens, tanquam semper meridies luceret & ferveret ex te.* Et infrà: *Dicant* Confess. L. 12. c. 15. L. 13. c. 2. *quid te promeruerunt spiritalis corporalisque natura, quas fecisti in sapientia tua, ut inde penderent etiam inchoata & informia quæque in genere suo, vel spiritali, vel corporali, euntia in immoderationem & in longinquam dissimilitudinem tuam spiritale informe præstantius, quàm si formatum corpus esset; corporale informe præstantius,*

quàm si omnino nihil esset; atque ita penderent in tuo Verbo informia, nisi per idem Verbum revocarentur ad unitatem tuam, & formarentur, & essent ab uno te summo bono universa bona valde. Quid te promeruerant, ut essent saltem informia, quæ neque hoc essent nisi ex te? Quid te promeruit materies corporalis, ut esset saltem invisibilis & incomposita? Aut quid te promeruit inchoatio creaturæ spiritalis, ut saltem tenebrosa fluitaret, similis abysso, tui dissimilis, nisi per idem Verbum converteretur ad id à quo facta est, atque ab eo illuminata lux fieret? Perspicuè hìc Augustinus materiam corporalem & materiam spiritalem, seu mavis chaos corporale & chaos spiritale comparat alterum alteri, & utrumque describit, indigestum, tenebrosum, informe, fluitans, abyssi simile, Deo dissimile, inchoationem quandam, immoderationem, longinquitatem ab esse summo; quanquam id boni summi & Verbi divini illuminatione factum sit, ut statim formaretur. *Informe spiritale* utique materia spiritalis est, sicut *informe corporale* non potest aliud esse quàm materia corporalis. Denique creationem naturæ intellectualis contendit sanctus Pater à Moyse significatam esse iisdem verbis, quibus & corporalis; sed alio sensu intellectis. Abyssus ergo illa informis & tenebrosa mundi corporei ante exortum lucis, non potest aliò trahi, quàm ad materiam quandam spiritalem, propriam naturæ angelicæ, ex qua sit, ut & ipsa naturæ divinæ comparata vix esse dicenda sit, nec sit verè, nisi quia Verbo Deo adhæręscit. Agnovit & Maximus Martyr in Dionysianis suis scholiis, materiam quandam naturarum intellectualium, ab earundem forma discretam, quæ mihi quidem videtur ad Plotini sententiam magis accedere, qui genus nullas adhuc in species sectum, sed secabile interpretatur quandam sui generis esse materiam. Ita enim & materiam esse angelicæ naturæ existimat entis participationem omnibus communem.

In c. 5. De divin. Nom. pag. 165. 77.

CAPUT V.

De veritate. Inesse naturaliter omnibus aliquam ejus sitim ac notitiam. Superesse ejus aliquam intuitionem, hoc est intelligentiam, in primis Principiis & Regulis incommutabilibus, quæ in ipso æternæ veritatis lumine videntur.

I. Quæ Platonicis prima mens, eadem erat veritas, & sapientia. Nonnulla ad id argumenta.

II. Naturalis illa & omnibus insita cupiditas essendi, vivendi eadem, & sentiendi, & intelligendi cupiditas est; adeoque bibendæ veritatis sitis est.

III. Ex sanctis Patribus, veritatis notitia & cupiditas omnibus innata est. Ideo enim nemo falli vult.

IV. Ideo vel inter ludicra, ubi fallere ars est, enixissimè cavent ne fallantur; & hinc pulcherrima gloria.

V. Quam eximium, quam necessarium, quam viro Theologo, & Augustino ipso dignum sit, res humanas quotidiani usus, etiam viles & ludicras, interpungere & illuminare his divinæ sapientiæ & exertissimæ Theologiæ luminibus, ut hinc subinde mens arrigatur in Deum etiam inter jocularia.

VI. Cum veritas odium parit, illud ipsum odium veritatis ex veritatis amore quomodo nascatur?

VII. Hinc malumus sana mente cruciari, quàm insanire inter delicias.

VIII. Summam veritatem Deum omnes naturaliter utcumque norunt. Multis argumentis, multis & experimentis id probat Augustinus, quod omnes veritatem ament, ea gaudeant, ea se felices fore sperent; quodque felices sint, si falsitatis gaudia & nugas sensibilium abdicent, quibus inhæsere.

IX. Olim in primigenia innocentia & fœlicitate, potiebamur veritate præsente: peccato inde exulamus; superest memoria & sitis illius ejusdem veritatis.

X. Excellendi, sciendi, & deliciandi cupiditas triplex in primævæ innocentiæ statu ad Deum ferebatur, & in eo conquiescebat; peccato inde detorta in creaturas, frustra hic fatigatur, nec satiari hic potest; sed vel hinc admonetur revolare ad Deum. Hæc omnia ex Augustino firmantur.

XI. Ex eodem rursus, & ex Ælredo Abbate Rhievallensi.

XII. Sol intelligibilis veritas, necesse est illustret & perfundat sua luce, tum mentes omnes intelligibilium rerum contemplatrices, tum res ipsas intelligibiles, seu regulas incommutabiles veritatis & sapientiæ.

XIII. Præter lumen menti insitum, alio, nempe precario lumine veritatis opus est, ut luce Solis oculis corporeis, tametsi ea dicantur lumina. Alia rursum complura ad hoc argumenta & testimonia Augustini.

XIV. Ex eodem, quidquid intelligitur dilucidè, in luce veritatis videtur, & Deo docente intus in schola pectoris discitur.

XV. Confitebantur & Platonici, Deo intus docente vera intelligi.

XVI. Clemens Alexandrinus assentitur, itemque Origenes.

I. Nec id antiquis Philosophis incompertum fuit, Deum ipsissimam esse veritatem, & hanc esse mentem illam primam & sapientiam sempiternam. Cùm enim prima mens omnia intelligat, non foris venando & quærendo, sed omnia essendo, est haud dubio ipsamet omnium veritas. Et vicissim cùm seipsam non possit latere aut nescire veritas, est ergo ipsamet prima mens. Quod utrumque videtur sapientiæ nomine contineri. Plato certè, sive Socrates, ut à Theodoreto refertur, ita censebat de justis & injustis ferri debere judicium, non ex imperitæ multitudinis fluctuantibus opinionibus, sed ex illius unius nutu, qui veritas est. *Haud itaque prorsus curandum est, vir optime, quid multi de nobis loquantur, sed quid ille qui justos audit & injustos, qui & unus & ipsa est veritas.* Serm. 2. de Græcarum affect. cura. Jamblichus in Protreptico auguratur Philosophiam facillimè parari posse, quod ubique locorum præsto præsensque occurset veritas. *Non indigent ad* Cap. 7. *opus perficiendum instrumentis aut locis, sed ubicumque locorum totius mundi aliquis mentem defixerit, undique similiter tanquam præsentem tangit apprehenditque veritatem.*

II. Nec multò pòst idem præclarissimè philosophatur, naturalem illam omnibusque insitam essendi cupiditatem, quæ eadem & vivendi est, eò collimare tantùm ut vivendo sentiant, sentiendo intelligant, intellegendo veritate fruantur. Nam quæcumque verè appetunt esse, esse & vivere, vivere & sentire eo appetitu miscent & confundunt. At rationales naturæ quæ ingenito desiderio cupiunt semper vivere & sentire, hoc sensu intelligentiam & intilligentiam veritatis complicari existimant. *Visu vero reliquisque omnibus sensibus, & quidem vita ipsa magis expetenda prudentia est, quæ maximè veritatis intelligentia est.* ἡ φρόνησις κυριωτέρα τῆς ἀληθείας. *Itaque mortales omnes prudentiam potissimum prosequuntur. Etenim vitam amantes, sapere vel scire in primis amant.* Vide & cap. 10, 9. Ita prorsus ipsa essendi sitis, qua rationales naturæ verè æstuant, in veritatis intelligendæ sitim denique desinit. Cupiunt enim esse ut vivant, vivere ut sentiant, sentire ut intelligant, intelligere ut veritate fruantur. Cap. 11. Disseruit & Proclus de veritate in Philosophia Platonica, per eamque mentes omnes inferiores, quos Deos vocat, Menti supremæ colligari

gari docuit, & tandem ipsi uni universorum bonorum fonti. His convenienter,

III. Constitit primò inter sanctos Ecclesiæ Patres, magnam naturaliter nobis omnibus inesse veritatis famem, hanc amari, hanc concupisci, ad hanc toto animi æstu anhelari. Hinc est enim quòd errare & falli nemo vult, quantumvis ætate & mente rudis, ob naturalem nimirum quasi consanguinitatem & amicitiam mentis & veritatis. Et quisquis fallit alios, ipse falli non vult; & fortassis delectat fallere, quia delectat veritatem solos possidere, & hac ingenii prærogativa aliis præcellere. Augustinus: *Hic homines fallunt, atque falluntur, miserioresque sunt, cum mentiendo fallunt, quàm cum mentientibus credendo falluntur. Usque adeo tamen rationalis creatura refugit falsitatem, & quantum potest, devitat errorem, ut falli nolint, etiam quicumque amant fallere*. Et in Confessionibus describens tenellæ infantiæ suæ nativas propensiones, *falli nolebam*, inquit; & hanc unam culpam fuisse ait, quòd veritates cùm quæreret, non sua sursum in cœlesti sede eas quæreret, sed in creatis rebus, eoque in errores varios devolveretur. *Hoc peccabam, quod non in ipso, sed in creaturis ejus me, atque cæteris voluptates, sublimitates, veritates quærebam: atque ita irruebam in dolores, confusiones, errores*. Congenita ergo illa veritatis fames, quæ curiositas appellitatur, ad divinæ veritatis aucupium facta & à Creatore intimis animæ medullis inserta est. Detorquetur autem illa à recti & à naturali orbita, quando divinorum secura & incuriosa ad terrenas nugas divertit.

Enchi. c. 17.

L. 1. c. ult.

IV. Hinc est secundò, quòd etiam in jocularibus & ludicris ubi veritati illudere ars est, omnes tamen ne fallantur, vehementer invigilant: vitata deceptione, suæ sagacitati gratulantur, aliorum simplicitatem irrident; decepti, quia non possunt sua, decipientis ludionis peritia delectantur. Atque ita etiam in fallendi ludicro certamine, omnis palma veritatis comprehensioni datur; dum & qui fallere profitetur, & quisquis ab eo non fallitur, & quisquis fallitur, nonnisi vel suam vel alienam in veritate indaganda perspicaciam admiratur. Unde liquet quanta insit naturaliter veritatis & admiratio & dilectio, cui vel inter ipsa mendaciorum spectacula triumphanti undique applauditur. *Cuncta spectacula, & omnis illa quæ appellatur curiositas, quid aliud quærit, quàm de rerum cognitione lætitiam? Quid ergo admirabilius, quid speciosius ista veritate, ad quam omnis spectator pervenire se cupere confitetur, cùm vehementer ne fallatur invigilat, & inde se jactat, si quid acutius cæteris & vivacius in spectando cognoscat & judicet? Ipsum denique præstigiatorem, nihil aliud quàm fallaciam profitentem, diligenter intuentur & cautissimè observant; & si eluduntur, quia sua non possunt, illius delectantur scientia, qui eos eludit. Ita omnis palma cognitioni datur, & artificio, & comprehensioni veritatis*. Ita Augustinus.

L. de vera Relig. c. 49.

V. Video quid subrepere alicui possit, parum dignas Theologo, parum consentaneas Theologicis dogmatibus esse has observationes. At cùm ex Augustino Theologorum facilè principe promptæ sint, qui possunt illæ non Christianæ Theologiæ majestati consentire? Quin imo cum inter Augustini opera eximiè fulgeant libri, quos laudavimus, quomodo possunt in suspicionem levitatis venire, quæ inde derivata sunt? Quin ergo potius nihil Augustino dignius, nihil summo Theologo, nihil germanæ antiquorum Patrum Theologiæ accommodatius esse intelligimus, quàm ad res humanas & quotidiani ac familiaris usus transferre lumina illa divinæ veritatis ac sapientiæ, ut in his etiam sensibilibus vel occupationibus, vel oblectamentis, seriis jocosisve non ita demergamur, quin subrutilantes in his cœlestis sapientiæ radios advertamus, iisque ab his imis velut umbris ad illa sursum veritatis miracula reflectamur. Ita prorsus decet, authoritate & exemplo Augustini, in ipsis infantiæ ludis ac studiis, in præstigiatorum ludicris, in spectaculorum profanis curiositatibus, atque in aliis istiusmodi omnibus, illuminatam purioris Theologiæ luminibus aciem mentis defigere, & ibi sublucentes dispicere divinæ veritatis, sapientiæ, unitatis, bonitatisque notas. Si rudes infantuli curam tamen suæ incolumitatis agunt, id nimirum vestigium est secretissimæ unitatis, ex qua sunt. Si falli nolunt, si veri notitiam amant, ea sitis est veritatis summæ, cujus jam tunc lambunt vestigia. Si circulatores artem fallendi publicam profitentur, ea quoque præpostera est sapientiæ sempiternæ imitatio; nec aliud enim illi affectant ostentantque, quàm peritiam & solertiam quandam, qua cæteri careant. Si inanium hujusmodi ludorum vani spectatores conniuntur certantque, ne præstigiis his fallantur, pro sagacitate veritatis & ipsi decertant. Si esse, si vivere omnes diutissimè cupiunt, si non esse, si mori refugiunt vehementissimè; & hæc intelligentiæ ac veritatis inextincta fames est; cum nec esse cupiant, nisi ut vivant; nec vivere aliud interpretentur quàm intelligere; nec intelligere quàm veritate pasci. Hæc exempla superiùs perstricta sunt. Supersedeo pluribus, quod ex his paucis ipsum genus abunde pateat, nec dubitare jam quis possit, quin istæ sint partes Theologi, Theologicis meditationibus interpungere omnia mortalitatis nostræ studia, & ubique divinæ sapientiæ ac veritatis emicantes igniculos venerari. A diverticulo non inutili in viam redeo.

VI. Hinc est tertiò, quod sicubi veritas odium parit, inter ipsa tamen odia amatur veritas, & ex solo amore veritatis nascitur illud quod vulgo dicunt odium veritatis. Usque adeo enim amatur veritas, ut unusquisque id quod amat, veritatem esse velit; & non tantum in posterum falli nolit, sed nec in præteritum falsitate illusum se fuisse velit. Hinc ergo odit veritatem, quia veritatem non amasse, vel à veritate excidisse convincitur. Non ergo odit quis veritatem, nisi ex intempestivo ejusdem veritatis amore. Augustinus: *Cur veritas odium parit, & inimicus factus est eis homo tuus verum prædicans, cum ametur beata vita, quæ non est nisi gaudium de veritate? Nisi quia sic amatur veritas, ut quicumque aliud amant, hoc quod amant, velint esse veritatem; & quia falli nolunt, nolunt convinci, quod falsi sint. Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt redarguentem. Quia enim falli nolunt, & fallere volunt, amant eam cum seipsam indicat, & oderunt eam cum eos ipsos judicat*.

Confess. L. 10. c. 23.

VII. Hinc est quartò, quod sana mente affligtari quisque malit, quàm in insania voluptari; id est, veritatem qualibuscumque miseriis vallatam, falsitati quantacumque fallacium gaudiorum ubertate circumfluenti anteponat, & beatiorem existimet. Adeo altè insitum est, fœlicitatem non aliam esse, quàm gaudium de veritate; & beatius esse sana mente & veritate frui inter miserias, quàm in magna deliciarum copia ineptire, insanire & falso pasci. Ex Augustini verbis id paulò infra firmabitur. Nam

VIII. Constat secundò naturalem omnibus inesse & adhuc superesse notitiam summæ, increatæ & beatificæ veritatis. Hinc est enim primò, quod veritatem amant & esuriunt. Non enim amarent, quam ignorarent; sed naturaliter præsciunt, & ex anticipata conscientia quod veritas sit, & quod in ejus comprehensione fœlicitas sit, hanc exardescunt. Augustinus: *Quæro ab omnibus, utrum malint de veritate, quàm de falsitate gaudere. Tam non dubitant dicere, de veritate se malle, quàm non dubitant dicere beatos esse se velle. Beata quippe vita est gaudium de veritate. Hoc est enim gaudium de te, qui veritas es, Deus meus*.

Confess. L. 10. c. 23.

meus. Hanc beatam vitam omnes volunt, Hanc vitam quæ sola beata est, omnes volunt, gaudium de veritate omnes volunt. Multos expertus sum, qui vellent fallere, qui autem falli neminem. Ubi ergo noverunt hanc vitam beatam, nisi ubi noverunt etiam veritatem? Amant enim & ipsam, quia falli nolunt. Et cum amant beatam vitam, quod non est aliud quàm de veritate gaudium, utique amant etiam veritatem; nec amarent, nisi esset aliqua notitia ejus in memoria eorum.

Hinc est secundò, quòd sua cuique fœlicitas ad manum est, Nam cum veritatem noverit, si de ea gaudeat, beatus erit. Ita Regnum Dei intra nos est. Sed quia nos magis occupat & arctiùs constringit terrenorum amor; ex hoc miseriores evadimus, quàm ex illo tenui qui superest veritatis radio & amore beatiores. Augustinus: *Amant veritatem, nec amarent, nisi esset aliqua notitia ejus in memoria eorum. Cur ergo non de illa gaudent? Cur non beati sunt? Quia fortius occupantur in aliis, quæ potius faciunt eos miseros, quàm illud beatos, quod tenuiter meminerunt. Adhuc enim modicum lumen est in hominibus. Ambulent, ambulent, ne eos tenebræ comprehendant.*

Ibidem.

Hinc est tertiò quòd omnibus in rebus etiam ludricis & jocularibus veritatem affectamus & magnificamus. Novimus enim quanti pretii sit, Sed quia nimio amore detinemur inter sensibilia, in iis solis veritatem venari insuescimus; ab intelligibilibus, quorum illa imitamenta tantummodo sunt, ferè desuescimus; & veritatem quidem semper, sed non suo loco quæritamus. Inter simulachra enim veritatis eum affectum animi, & illud studium expendimus, quod in ipsam veritatem intelligibili sua in regione vestigandam impendere debueramus, Id innuebat paulò supra Augustinus, ubi aiebat, Modicum veritatis lumen adhuc hominibus superesse, veritatis tenuiter eos meminisse, sed has scintillas terrenis occupationibus pénè oppressas, valde tenuiter emicare. Et alibi cum, ut supra audivimus, notasset studium veritatis, quo inter ipsa præstigiatorum spectacula fervemus, addit: *Sed diligendo talia excidimus à vero, & non jam invenimus, quarum rerum imitamenta sint, quibus tanquam primis pulcris inhiamus, & ab eis recedentes amplexamur nostra phantasmata.* Denique loco ex Confessionibus supra allegato, veritatis notitiam & sitim inter innatas sibi etiam juveni pueroque dotes enumeravit, & hoc se peccasse dixit, quòd hanc sitim sedare laborasset, non de sempiternæ veritatis fonte, sed malignis ac cœnosis rivulis rerum sensibilium.

De vera relig. c. 49.

L. 1. c. ult.

IX. Hinc est quartò, ut altiores rei totius fontes aperiamus, quòd idem Augustinus docet, & nos infra suo loco fusiùs pertractabimus, hic occasione data rem perstringimus tantùm; Hinc est inquam quòd docet Augustinus, naturam humanam ab illo gaudio quo olim in primo parente potiebatur, dum præsentem Dei æternitatem, veritatem & charitatem contemplabatur; ab illo inquam gaudio exulare quidem ex peccati merito; non tamen ita, quin primævæ illius fœlicitatis vestigia aliqua adhuc & lineamenta, etsi fugientia, notabilia tamen retineat; cùm eamdem æternitatem, veritatem, beatitatem inter sensibilia quærit, in quæ cecidit, qua fruebatur quondam inter intelligibilia, unde cecidit. Illa enim triplex concupiscentia, qua altitudines, & veritates, & voluptates appetimus, ambitiosi, curiosi, voluptuosi: quid aliud quàm residuum est primigeniæ fœlicitatis monumentum, sed cæno jam immersum & inquinatum? Augustinus: *Æterna in Deo est veritas & æterna charitas; & vera ibi est charitas, vera æternitas; & chara ibi est æternitas, chara veritas. Sed quoniam exulavimus ab incommutabili gaudio, nec tamen inde præcisi atque abrupti sumus, ut non etiam in istis mutabilibus & temporalibus æternitatem, veritatem, beatitudinem quæreremus; nec mori enim, nec falli, nec turbari volumus: missa sunt nobis divinitus visa congrua peregrinationi nostræ, quibus admoneremur, non hic esse quod quærimus, sed illuc ad ipsa esse redeundum, unde nisi penderemus, non hic ea quæreremus.*

L. 4. de Tri. in Proœm. & c. 1.

X. Perspicuè hic vides quæ causa sit illius constantissimi & infatigati studii, quo mori, falli, & turbari, seu cruciari refugimus. His tribus cupiditatibus excellendi, sciendi, deliciandi, veluti cardinibus tota versatur hæc vita mortalis; & inter sensibilia quidem & temporalia, istæ nunc propensiones fatigantur, sed altiori ab origine derivatæ sunt, & in desiderii cardine altiùs suspirant. Apertissimè enim tradit Augustinus, cui & cæteri consentiunt Patres, has proclivitates esse superstites, quasi reliquias primigeniæ innocentiæ & fœlicitatis, ubi æternitate, veritate & beatitate Dei Deoque pro suo modulo fruebatur primus parens, & nos in illo: inde per peccatum non ita abrupti aut præcisi fuimus, quin eosdem impetus innatos retineamus, quanquam ad sensibilia detortos: ubi cùm ea quæ quærimus, nusquam vera & sincera reperiamus, vel hinc admonemur ad illam æternam patriam, unde exulamus, remigrandum esse, ubi innatæ istæ cupiditates, non mori, non falli, non turbari, tandem aliquando satientur. Idem Augustinus alibi describens studia impetusque infantiæ suæ: *Fugiebam abjectionem, dolorem, ignorantiam, &c. Hoc peccabam, quod non in ipso, sed in creaturis ejus, me atque cæteris, voluptates, sublimitates, veritates quærebam; atque ita irruebam in dolores, confusiones, errores.*

Confess. L. 1. ult.

Nihil admodum ergo rerum humanarum est, quod non refricare nobis memoriam possit & lapsus nostri, & fœlicitatis nostræ ante lapsum, & semitarum quibus eò redire detur; cùm hæ cupiditates tres, quæ perversæ & distortæ totam mortalitatem nostram exagitant, eædem reflexæ & revocatæ ad primævam rectitudinem, ad primævam quoque veræ æternitatis, & æternæ veritatis, & æternæ castæque suavitatis fruitionem revehere nos possint. A supernis enim adhuc & æternis illis pendemus, & residuus æternæ suavissimæque veritatis amor, quo calescimus, notitiaque quæ huic amori prælucet, naufragii nostri residua tabula est, exilii nostri breve viaticum, prioris nostræ opulentiæ frustillum, sperandæ tentandæque fœlicitatis nostræ incitamentum, si modò, ut aurea Augustini nos verba sollicitant, attendamus, *quid significemus vitiosi, & quo debeamus redire correcti.*

De verbo relig. c. 48.

XI. Assecutus planè videtur Augustini mentem Aelredas Rhievallensis Abbas, in Speculo charitatis: *Mihi adhærere Deo bonum est. Adhæsio ista non carnis, sed mentis est, in qua tria quædam naturarum author inseruit, quibus divinæ æternitatis compos efficeretur, particeps sapientiæ, dulcedinis degustator. Tria hæc, memoriam dico, scientiam, amorem, sive voluntatem. Æternitatis quidem capax est memoria, sapientiæ scientia, dulcedinis amor. In his tribus ad imaginem Trinitatis conditus homo, Deum quem memoria retinebat sine oblivione, scientia cognoscebat sine errore, amore complectebatur, sine alterius rei cupiditate, hinc beatus, &c. Libero male usus arbitrio, &c. Corrupta est itaque in homine Dei imago, non abolita penitus. Proinde habet memoriam, sed obnoxiam oblivioni; scientiam quoque, sed subditam errori; similiter & amorem, sed pronum cupiditati. Perseverat adhuc in anima rationali, in hac trinitate est misera, ipsius beatæ Trinitatis impressio; quæ ad ipsam relata animæ substantiam, sui reminiscitur, se novit, se diligit, &c.* Et infra: *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ. Reminiscentur. Absconditam, non sepultam in mente rationali Dei intellexit memoriam, ut non tam novi aliquid insertum, quàm illud antiquum*

L. 1. c. 3. 4.

quum sentias reparatum. Sic ille imaginem Dei non abolitam, sed corruptam fuisse agnoscit, ejusque partem non mediocrem locat in notitia veritatis, & in illa triplici pronitate, qua anima in seipsa aliisque creatis rebus quærit, quæ pura & liquida non invenit, nisi cum his erroribus fatigata ad Deum redit. Unde Augustinus iterum: *Veritate comprehensa, quasi in regionem suæ originis rediens*. Et alio loco: *Quare me repulisti? Ut quid me repulisti? ex illa altitudine fontis intelligentiæ incommutabilis veritatis, ut quid me repulisti? Quare gravedine & pondere iniquitatis meæ jam illuc inhians, ad ista dejectus sum?* Ita sanctus Pater veritatem, quasi regionem nostræ originis, quasi nativam hæreditatem & ademptam amarulentè expostulat, & quasi servato postliminii jure, per ejus memoriam & amorem, eò postulat restitui. Et rursus alibi Deum alloquens: *Ita fornicatur anima, cum avertitur abs te, & quærit extra te ea quæ pura & liquida non invenit, nisi cum redit ad te*. Et rursum: *Deus virtutum converte nos, &c. Nam quaquaversum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi, præterquam in te, tametsi figitur in pulcris extra te & extra se*. Nimirum fecit nos Deus ad se, & inquietum est cor nostrum, donec in eo quiescamus. Porro affectus Dei capaces & Deo hiantes, cætera præter Deum omnia distinere possunt, satiare non possunt; nec satiari unquam illi possunt, nisi cum anima quærere pergit quod quærit, sed ibi quærit, ubi quærendum est. De cœlesti enim vena fluunt affectus animæ isti, sed in cænosas cupiditates plerumque detorquentur, donec ad originem suam redeant. Unde idem alibi loquens de sua ad nectendas alendasque amicitias proclivitate, qua tunc quidem juvenis perversè adhuc utebatur, non dubitat primigenium ejus fontem è cœlo scaturiisse. *Nec cogitabam miser, ex qua vena mihi manabat, quod ipsa ista fœda tamen cum amicis dulciter conferebam, nec esse sine amicis poteram beatus, &c.*

L.2. cont. Acad. c. 9. In Psal. 41.

Confess. l. 1. c. 16.

Confess. l. 6. c. 16.

XII. Constat tertiò videri, hoc est, intelligi adhuc ab hominibus incommutabilem veritatem, tum in numeris Arithmeticæ, tum in figuris Geometriæ, tum in regulis Ethicæ, tum in axiomatis Metaphysicæ, tum denique in formis universalibus justitiæ, sanctitatis, castitatis, &c. Nam in his omnibus radiare scintillam aliquam veritatis æternæ & incommutabilis, omnibus contemplari volentibus præsentissimæ, sola mente intelligibilis, tota mente superioris, jam suprà abundè demonstratum est. Sed præter has regulas supernè affulgentes, constat esse lumen veritatis indeficiens & increatum, quo & mens nostra aspergitur, ut illas videat, & illæ irradiantur, ut videri possint. Denique quidquid vel intelligitur, vel intelligit, non aliter quam superni illius Solis lumine collustratum & intelligitur & intelligit. Quamobrem ut colores illuminat, oculosque roborat Sol corporeus, ut illi videri, hi videre queant; ita Sol veritatis incorporeus & intelligibilia & intellectus omnes illuminat, ut ea intelligi, hi intelligere possint. Augustinus: *Promittit ratio ita se demonstraturam Deum tuæ menti, ut oculis Sol demonstratur. Nam mentes quasi suis sunt sensus animis. Disciplinarum autem quæque certissima talia sunt, qualia illa quæ Sole illustrantur ut videri possint, veluti terra est, & terrena omnia. Deus autem ipse qui illustrat*. Et infra: *Intelligibilis nempe Deus est, intelligibilia etiam illa disciplinarum spectamina, tamen plurimum differunt. Nam & terra visibilis & lux; sed terra nisi luce illustrata videri non potest. Ergo & illa quæ in disciplinis traduntur, quæ quisquis intelligit, verissima esse nulla dubitatione concedit, credendum est ea non posse intelligi, nisi ab alio, quasi suo Sole illustrentur. Ergo quomodo in hoc Sole tria quædam licet animadvertere, quod est, quod fulget, quod illuminat; ita in illo secretissimo Deo quem vis intelligere, tria quædam sunt, quod est, quod intelligitur, quod cætera facit intelligi*. Ita Augustinus, ut visibilium, ita & intelligibilium duo distinguit genera, alterum quod sua, alterum quod aliena & mendicata luce vel videtur vel intelligitur. Utque sensibilis duplex est, ita intelligibilis Solis duplex lumen vel luminis munus discernit; aliud quo ipse videtur vel intelligitur, aliud quod cætera omnia facit videri vel intelligi.

Soliloq. l. 1. c. 6. 8.

XIII. Quod autem præter lumen naturaliter menti insitum, quod non aliud est quàm ipsa mens, alio insuper precario & divino lumine opus sit, ut intelligat: sicut præter lumen quod oculis corporalibus ingenitum est, unde & ipsa vocantur lumina, alia lux ad videndum necessaria est, sexcenties docet Augustinus: *Hoc discernitur, aliud esse lumen quod illuminatur, aliud quod illuminat: nam & oculi nostri lumina dicuntur; & unusquisque jurat, tangens oculos suos, per lumina sua, Sic vivant lumina mea. Usitata juratio est. Quæ lumina si lumina sunt, desit lumen in cubiculo tuo clauso, pateant & luceant tibi, non utique possunt. Quomodo ergo ista in facie quæ habemus, & lumina nuncupamus, & quando sana sunt, & quando patent, indigent extrinsecus adjutorio luminis, quo ablato, aut non illato, sana sunt, nec tamen vident; sic mens nostra quæ est oculus animæ, nisi Veritatis lumine radietur, & ab illo qui illuminat, nec illuminatur, mirabiliter illustretur, nec ad sapientiam, nec ad justitiam poterit pervenire*. In Ev. Joan. Tract. 35.

Potest quidem ita res intelligi, quòd in luce primæ Veritatis omnia intelligamus & judicemus, in quantum ipsum lumen intellectus nostri nihil aliud est, quàm quædam impressio veritatis primæ, & participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ; atque ita omni intelligimus in luce divina, id est in luce intellectus nostri, qui est participatio quædam lucis divinæ. Sed præterea author est Augustinus divino lumine Solis intelligibilis opus esse, seu sempiternæ veritatis, quo & intellectus noster & res intelligibilis collustretur, nec aliter fieri posse, ut vel videatur, vel intelligatur. Nam 1. Sol visibilis non colorum tantùm qui videntur, & oculorum qui vident, pater & opifex semel est; sed eorum præterea toties illustrator est, quoties & videri & videre illis contingit. Ergo similiter, ut ratio ipsa & innixa his exemplis Augustini authoritas suadet, Sol mentium Veritas, non intelligibilium & intellectuum author & parens tantùm semel est, sed suam illis etiam aspergit toties lucem, quoties vel intelligi vel intelligere opus est. 2. Valde perspicuum est in suprà relatis Augustini verbis & exemplis ipsis, agi de lumine non quo intellectus donatur, dum creatur; sed quo juvatur, dum intelligit; non quo creatur ut sit, sed quo existens illustratur. 3. Disertè Augustinus distinguit duplex lumen & in intellectu & in oculis corporeis: aliud quo sunt, nam & mentes & oculi corporei dicuntur lumina: aliud quo illuminantur, ut operentur. 4. Idem Augustinus alibi non minus aperte hanc refellit interpretationem, ne dicam tergiversationem: *Aliud est ipsum lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se in illo veraciter intellecta conspiciat. Nam illud ipse Deus est, hoc autem creatura; quamvis rationalis & intellectualis ad ejus imaginem facta, quæ cum conatur lumen illud intueri, palpitat infirmitate & minus valet. Inde est tamen quidquid intelligit sicut valet. Cùm ergo illuc rapitur, & à carnalibus subtracta sensibus illi visioni expressius præsentatur, non spatiis localibus, sed modo quodam suo, etiam supra se videt illud, quo adjuta videt, quidquid etiam se intelligendo videt*. Palam est distingui ab Augustino duplex lumen, animam & Deum. Dei lumine non docet hoc quidem loco animam fieri ut sit, sed juvari ut videat; & tunc tantùm juva-

S. Thom. 1. p. q. 84. art. 5 in cor. & q. 88. ar. 3. ad 1

De Gen. ad lit l. 12. c. 31.

juvari, quando vera intelligit; & toties juvari, quoties intelligit; quæ non quadrant illi operationis, qua anima creata est. Denique docet ibi sanctus Pater, animam non illo tantum lumine videre, sed ipsum quoque videre; & dum juvatur, ipsum quo juvatur videre. Quæ dici non possunt de lumine quo creata est.

5. Et rursus alibi: *Non sapit sibi anima, nec* [In Psal. 58. Conc. 1.] *valet sibi, nec ipsa sibi lux est, nec ipsa sibi virtus est. Est quædam origo fonsque virtutis, est quædam radix sapientiæ; est quædam, ut ita dicam, regio incommutabilis veritatis. Ab hac anima recedens tenebratur, accedens illuminatur. Accedite ad eum & illuminamini, quia recedendo tenebramini.* Ita ille non de creatione animæ, sed de ejus ad regionem incommutabilis veritatis accessu, vel recessu, ut illuminetur, vel tenebrescat: cum interim ipsa sive eò accedat, sive recedat, suum sibi semper naturaliter lumen sit. 6. Sed quid manifestius hoc [Epist. 222.] alio ejusdem sancti Doctoris testimonio? *Hoc ergo lumen quo hæc cuncta djudicantur, non utique sicut hujus Solis, & cujuscumque corporei luminis fulgor per localia spatia circumquaque diffunditur, mentemque nostram quasi visibili candore illustrat; sed invisibiliter, & ineffabiliter, & tamen intelligibiliter lucet, tamque nobis certum est, quàm nobis efficit certa, quæ secundum ipsum creata conspicimus.* Et paulò pòst: *Sapientia, quæ mente conspicitur, & in cujus luce de his omnibus veraciter judicatur.* Sic ille evidenter agit de lumine, non quo, vel quod mens est, sed quod mentem illustrat, quod ineffabiliter lucet, quo mens videt, & quod mens videt. 7. Lumine illo superno, tanquam magistro [Epist. 120.] uti nos alibi docet; *Omnia quæ cognitione digna sunt, aut certè plurima in sacris literis, ipso magis Deo inspirante, quàm hominum aliquo commonente perdisces. Quanquam eo ipso quo forinsecus benè admonentem, judicio non errante approbamus, quid aliud quàm internum lumen magistrum nos habere testamur?* Sic ille aspirationem divini luminis interpretatur esse lumen illud internum, quo hominibus multa nos monentibus, multa docentibus, alia approbamus, alia refellimus, judicio non errante. 8. Sed & illud quàm perspicuum, etsi mens natura sua lux quædam sit, alio tamen lumine illustrandam esse eam, eò quòd non sit natura veritatis: *Nesciente tunc me* [Confess. l. 4. c. 15. 16.] *alio lumine mentem illustrandam esse, ut sit particeps veritatis, quia non est natura ipsa veritatis: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, &c. Es tu lumen verum quod illuminat omnem hominem, &c.* 9. Adde quod mox subjicitur, cum fervente adhuc juventa libros omnes Arithmeticæ, Geometriæ, cæterarumque liberalium artium solus pervolutasset, & citra magistri operam intellexisset, nescisse se tamen unde affulgeret lumen illud, quo tam multa ibi vera intelligeret, utpote qui lumini dorsum obvertisset, nec videret lucem ipsam, qua cætera videbat. *Quoscumque libros liberalium artium per meipsum legi & intellexi, quoscumque legere potui, & gaudebam in eis, & nesciebam unde esset, quidquid ibi verum & certum esset. Dorsum enim habebam ad lumen, & ad ea quæ illuminantur faciem; unde ipsa facies mea, qua illuminata cernebam, non illuminabatur.* 10. Rursus alibi, cum monuisset aliud esse credere, aliud opinari, aliud intelligere quidpiam; addit de horum trium distinctione neminem, qui advertat animum, posse non esse certissimum; qua autem in luce, nisi superna, incommutabili, divina cernitur id esse certissimum;& lucem qua id videtur, cernitur omnibus ubique obviam esse, nullis loci angustiis clausam, nullis temporum vicibus variabilem; & hoc ipsum cerni certissimè, nec errare posse intelligentiam de his nostram; & hanc intelligentiam nostram nullis corporalibus spatiis egere, & vitam hanc esse vivacissimam? [L. de vera Relig. c. 49.] *Illam lucem quærant, qua eis apparet, & certum est, aliud esse credere, aliud intelligere; jurabunt & ipsi nec oculis videri posse istam lucem, nec cum aliqua locorum vastitate cogitari, & nusquam non præsto esse quærentibus, & nihil ea certius atque serenius inveniri. Quæ rursus omnia, quæ de hac luce mentis nunc à me dicta sunt, nulla alia quàm eadem luce manifesta sunt. Per hanc enim intelligo vera esse, quæ dicta sunt, & hæc me intelligere per hanc rursus intelligo. Et hoc rursus & rursus cum quisque se aliquid intelligere intelligit, & idipsum rursus intelligit, in infinitum pergere intelligo, & nulla hic esse spatia cujusquam tumoris, aut volubilitatis, intelligo. Intelligo etiam non me posse intelligere, nisi vivam, & me vivaciorem intelligendo fieri certius intelligo.* Hæc omnia citra dubium intelligit mens innato lumine quod ipsa est: sed ubi in seipsam & in intellectionem suam sese ipsa retorquet, videtque rei intellectæ veritatem certissimam, æternam, incommutabilem, nullis locorum temporumve limitibus clausam; & hanc veritatem à rerum vel probabilium, vel opinabilium veritate infinito quodam intervallo distterminari intelligit; tunc contendit Augustinus divino lumine, ut hæc intelligat, mentem illustrari.

XIV. Quin illud sanxit idem Augustinus, non alio doctore nos uti, quàm Deo, ubicumque verum clarescit & intelligitur, quod longè aliud, longè præstantius est quàm credere, vel opinari. [Conf. l. 5. c. 7] *Me autem jam docueras, Deus meus, miris & occultis modis. Et propterea credo, quod tu me docueris, quoniam verum est: nec quisquam præter te alius est doctor veri, ubicumque & undecumque claruerit.* Illud autem verum, perspicuum & indubitatissimum, quod illuminatore Deo didicerat, hoc est; non statim vera esse, quæ politè & eloquenter, non statim falsa quæ impolitè & infacundè proponuntur. Et infrà de improbatis tandem à se Astrologorum fallaciis; [Conf. l. 7. c. 6] *Tu enim, tu omnino Deus meus, nam quis alius à morte omnis erroris revocat nos, nisi vita quæ mori nescit, & sapientia, mentes indigentes illuminans, nullo indigens lumine?* [Ibid. l. 10. c. 5.] Et infrà de omnimoda sui cognitione: *Confitear ergo quid de me sciam, confitear & quid de me nesciam. Quoniam & quod de me scio, te mihi lucente scio; quod de me nescio, tandiu nescio, donec fiant tenebræ meæ sicut meridies in vultu tuo.* [Ibid. l. 11. c. 25.] Et alibi de interpretandis libris sacris: *Neque enim alio præter te inspirante, credo me verum dicere, cum tu sis veritas, omnis autem homo mendax. Et ideo qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Ergo ut verum loquar, de tuo loquar.* Et de quocumque vero alibi: [In Ev. Joan. Tract. 5.] *Dixit Christus, Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Si quid autem homo habet veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, & in hac peregrinatione interim consolati, ne deficiamus in via, venire ad ejus requiem satietatemque possimus. Si ergo qui loquitur mendacium, de suo loquitur; qui loquitur veritatem, de Deo loquitur.*

XV. Quin imò Platonem ipsum Platonicosque Philosophos in hoc consensisse affirmat Augustinus, non alium esse posse sapientiæ & intelligentiæ largitorem, doctoremque veræ Philosophiæ, quàm ipsum Deum. *Platoni neque naturarum omnium author, nisi Deus visus est, neque intelligentiæ dator, neque amoris, quo bene beatèque vivitur, inspirator.* [Civ. l. 11. c. 25.] Et mox: *Si ergo natura nostra esset à nobis, profectò & nostram genuissemus sapientiam; nec eam doctrina, id est, aliunde discendo, percipere curaremus, &c. Nunc vero quia natura nostra ut esset Deum habet authorem, proculdubio ut vera sapiamus, ipsum debemus habere doctorem.* Et aliquantò antè Porphyrium Platonicum Philosophum alloquens, *Platonis sententiam sequens nec ipse dubitas,* [Ibid. l. 10. c. 29.] *in hac vita hominem nullo modo ad perfectionem sapientiæ pervenire, secundùm intellectum tamen*

men viventibus omne quod deest, providentia Dei & gratia posse compleri. Et paulò antè: *Confiteris gratiam, quandoquidem ad Deum per virtutem intelligentiæ pervenire paucis dicis esse concessum. Non enim dicis, Paucis placuit, vel pauci voluerunt; sed cum dicis esse concessum, proculdubio Dei gratiam, non hominis sufficientiam confiteris.*

XVI. In eundem sensum Clemens Alexandrinus Deum Veritatem esse, & quâ Veritas est, rerum omnium mensuram esse pronuntiat; quòd verum judicium tunc demum de unaquaque re

Admonit. ad Gent. feratur, si ex statera divinæ veritatis feratur. *Quisnam ergo Rex est Deus universorum? eorum quæ sunt mensura veritatis. Sicut enim ea in quæ cadit dimensio, mensura comprehenduntur; ita ex eo quòd Deum cogitemus, venit in dimensionem & comprehenditur veritas, &c. Quæ est autem sola justa mensura? Qui solus est vere Deus, semper æqualis, & semper eodem modo se habens, omnia metitur, & ponderat tanquam trutina justitia, universorum naturam continens & sustinens.* Talia sunt omnia, qualia luce veritatis divinæ comperiuntur esse; sicut talia sunt maximè corpora, qualia lux Solis demonstrat. Et Veritas enim Sol

Ibid. p. 54. 55. 56. est: *Neque enim Sol unquam ostendet verum Deum, neque verum Verbum, qui est Sol animæ; per quem si solum intus sit exortus, in profundo mentis, ipsius quoque mentis illustratur oculus.* Sæpiùs ibidem inculcat Platonem, Pythagoram, aliosque Philosophos veri Dei notitiam certam attigisse, non aliter quàm ipsius ope & inspiratione: *Solum vocant Deum, sicubi per ejus inspirationem veritatem apprehenderint, &c. Quæ ab ipsis Deo inspirante scripta, &c.* Verbum infrà vocat *Lucis lucem archetypam*, quòd imago ejus & simulachrum sit Sol corporeus. Alibi autem illa ipsa

Stromatum L. 5. p. 400. profert Platonis verba, ad quæ suprà Augustinus alludebat: *Paucis enim datum est spectaculum veritatis. Dicit itaque Plato in Epinomide: Non dico fieri posse ut omnes homines sint beati & fœlices, præterquam pauci. Donec vixero, hoc sic definiam. Bona autem spes est fore ut postquam excessero, omnia consequar.* Alio autem loco, cùm ostendisset, nec cogitatione, nec verbo, aut voce ulla posse capi divinam naturam; inde illud efficit, unum superesse, ut divina gratia & solo Dei verbo, incomprehensibilem essentiam

Ibid. p. 419. utcumque attingamus. *Restat utique ut divina*

Hom. 1. in Cant. *gratia, & solo quod ab eo proficiscitur verbo, id quod est ignotum intelligamus.* His convenienter Origenes: *Quoties in corde nostro aliquid, quod de divinis dogmatibus sensibusque quæritur, absque monitoribus invenimus; toties oscula nobis data esse à sponso Dei Verbo credamus.*

CAPUT VI.

Rursus de Veritate. Quòd sola sit omnium vera intelligentium Magistra, Magistri autem qui dicuntur, monitores sint. Quòd eam suis mentibus præsidentem omnes consulant pro intelligendis veris, pro dirimendis litibus, pro moribus regendis, pro componenda vita.

I. Vera intelligentes sola intus docet sempiterna veritas. Vera enim ipsa, & intellectum nostrum illuminat: sola ab omnibus consulitur, ut seu probentur quæque, seu improbentur; sola secernere intus docet certa à dubiis, falsa à veris; sola intus de multis docet, ad quæ interrogati aptè respondemus.

II. Ex Augustini, hæc firmantur, tum authoritate, tum rationibus.

III. Quisquis non credit, non opinatur, sed intelligit, is rem intus in mente sua, in luce veritatis intima expendit, intus rem videt, intus veritatem sibi præsidentem consulit, eamque docentem audit. Quid hæc tria distent, credere, opinari, intelligere.

IV. Præsidentem intus menti nostræ veritatem æternam consulimus, & audimus docentem, de rebus quæ sola intelligentia capiuntur, non quæ fide humana, vel sensu corporis, vel opinione discuntur; quia sola intelligibilia intus semper præsentia sunt menti, non sensibilia, non contingentia.

V. Ita mentium solus verus Magister Christus, veritas & sapientia sempiterna.

VI. Etiam ad mores regendos consulitur intus summa veritas, cum sese intra se recipiunt, morum regulas serio expensuri. Multis evincitur, non humanæ mentis lucem tunc consuli, sed præsidentem mentibus veritatem incommutabilem.

VII. Argumenta ad id & exempla ex Augustino.

VIII. Observantur complura magni prorsus momenti in his Augustini exemplis, cum æternam veritatem de singulis dictis factisque suis consulebat.

IX. Ne fabrilium quidem artium magistri, sua perpolire possunt opera, nisi summam intus veritatem subinde consulant, audiant & sequantur.

X. Nihil nobis aut conducibilius, aut honorificentius, quàm ut de omnibus, de singulis actitandis, discendisque, non nos, sed sempiternam veritatem consulamus, audiamus, sequamur.

XI. Novo rursus, eoque pereleganti exemplo rem declarat Augustinus.

XII. Non omnes, non saltem omnes de omnibus æternam consulere & audire possunt veritatem; nempe carnis mole, sensuumque consuetudine & vitæ curis in ima complures dejiciuntur.

XIII. Novis exemplis, & argumentationibus efficitur, non nostram mentem, sapientiam, lucem consulendam, audiendam, sequendam esse, sed æternam & incommutabilem veritatem.

XIV. Insuescendum est etiam, ut plerumque non magistros esse nobis foris homines, sed monitores advertamus: Magistrum vero intus Christum.

XV. Non regulæ legesque justitiæ inscriptæ penetralibus animi nostri, tam verè consuluntur, quàm sempiterna ipsa veritas & justitia, quæ eas inscripsit.

XVI. Augustino suffragatur Ambrosius.

I. CONstat quartò solam veritatem omnium vera intelligentium magistram esse. Sola enim veritas & disciplinas ipsas, ut Sol colores illuminat; & discentis mentem, ut Sol oculum irradiat. Ergo sola docet. Sola veritas est, quam intus præsidentem consulimus, ut domesticum oraculum, quoties ab homine, vel ab alio quovis de quacumque re commonemur; & prout illa pronunciaverit, vel probamus, vel refellimus. Ergo sola docet. Sola summa veritas est, quæ necessaria à contingentibus, intelligibilia à sensibilibus secernere nos docet: & ista quidem credi ostendit forinsecus nuntianti, illa verò indubitatissimè intelligi, quia intus spectantur. Sola veritas est, quæ de intelligibilibus non edoctos ab aliquo, sed tantùm interrogatos, intus docet, & vera docet, & vera responsa dictat. Prolixè ista tractat Augustinus libello peregregio de Magistro: *Hæc omnia quæ in illa leguntur historia, ita illo tempore facta esse ut scripta sunt, credere me potius, quàm scire confiteor. De universis* Cap. 11. *autem quæ intelligimus, non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortasse ut consulamus admoniti.*

Ille

Ille autem qui consulitur docet, qui in interiore homine habitare dictus est Christus, id est, incommutabilis Dei virtus, atque sempiterna sapientia. Quam quidem omnis rationalis anima consulit, sed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam, sive bonam, sive malam conscientiam potest. Et si quando fallitur, non fit vitio consultæ veritatis: ut neque hujus, quæ foris est lucis, vitium est, quod corporei oculi sæpe falluntur; quam lucem de rebus visibilibus consuli fatemur, ut eas nobis, quantum cernere valemus, ostendat.

Et infra rursus ibidem: *Cùm verò de iis agitur, quæ mente conspicimus, ea quidem loquimur, quæ præsentia contuemur, in illa interiore luce veritatis, qua ille qui dicitur homo interior, illustratur, & fruitur. Sed tunc quoque noster auditor, si & ipse illo secreto ac simplici oculo videt, novit quod dico, sua contemplatione, non verbis meis. Ergo ne hunc quidem doceo, vera dicens, vera intuentem. Docetur enim non verbis meis, sed ipsis rebus, Deo ipso pandente manifestiùs. Itaque de his etiam interrogatus respondere posset. Quid autem absurdius, quàm eum putare locutione mea doceri, qui posset antequam loquerer, ea interrogatus exponere?* Et non multò pòst: *Quamobrem in iis etiam, quæ mente cernuntur, frustra cernentis loquelas audit, quisquis eas cernere non potest; nisi quia talia, quamdiu ignorantur, utile est credere. Quisquis autem cernere potest, intus est discipulus veritatis, foris judex loquentis, vel potius ipsius locutionis. Nam plerumque scit illa quæ dicta sunt, illo ipso nesciente qui dixit. Veluti si quisquam Epicureis credens, & animam mortalem putans, eas rationes quæ de immortalitate ejus à prudentioribus tractatæ sunt, eloquatur, illo audiente qui spiritalia intueri potest. Judicat iste eum vera dicere; at ille qui dicit, utrum vera dicat, ignorat, imo falsissima existimat. Num igitur putandus est ea docere quæ nescit?*

Ibid. c. 12. Ibid. c. 13.

Ita sanctus Pater argumenta accumulat, quibus veritati summum vendicet Magisterium, quoties verè vera, id est, intelligibilia edocemur, quorum veritas non fluitans est, ut fidei humanæ; non obscura est, ut fidei divinæ; non incerta & vacillans, ut opinionis cujuslibet; sed necessaria, certissima, evidentissima. Argumentorum autem hæc videntur esse summa capita. I. Ille non docetur ab homine, qui quæ dicuntur ab eo, præsentia & ob oculos posita videt. Tunc enim non verbis loquentis, sed rebus ipsis intus coram sese manifestantibus edocetur. Atqui intelligibilia omnia simul ab homine foris dicuntur, simul ab auditore intus videntur. Ergo magister est non homo foris loquens, sed veritas intus ostendens. Exemplo res fiet illustrior. Si quem quis audiat aientem Romam eo anno à Vandalis captam, & avaritiæ quàm gloriæ cupidine magis incitatos fuisse Barbaros; horum veritatem intus in animo suo consulere non poterit auditor; illud enim prius sola hominum fide constare potest, & credi; hoc posterius sola opinione hinc & inde probabili, vel nonnihil hinc quàm illinc probabiliori potest conjici; neutrum potest intelligi, hoc est necessaria & evidenti cognitione intus conspici in luce quadam incommutabilis veritatis. At si ille idem audiat affirmantem, si paria paribus addantur, pares summas exurgere, si ternario addas quaternarium, fore ut emergat septenarius; virtuti præmia, pœnas crimini indici debere: Si hæc inquam affirmantem audiat aliquis, vel id genus infinita alia; non ille authoritati affirmantis credet, si valet mentis acie verum intus intueri: non probabilibus etiam ratiunculis in aliquam ultro citroque opinionem deflecti se sinet; sed intus hæc effata expendet, seipsum excutiet, præsidentem menti intus suæ veritatem consulet, & percunctabitur, an hæc ita se habeant: & hujus intimæ veritatis oraculo edifcet, in ejus luce splendidissima cernet, hæc esse vera, certa, indubitata, evidentia, necessaria; ita semper fuisse, ita semper fore, aliter nunquam se habere posse; ita necessario rationales omnes animas ubique terrarum judicaturas. Itaque non fide, non opinione, sed intelligentia horum veritatem complectetur; hominem cujus auditor fuit, ut monitorem habebit, non ut Magistrum; Magistram autem solam illam intus radiantem veritatem venerabitur. Non aliud enim homo, quàm monuit & excitavit, ut adverteret animum ad ista, & mentem intus ipse suam, dominatricesque mentis regulas internas & æternas veritatis consuleret.

IV. Secundò. Ille non docetur ab homine, qui quæcumque ab eo dicuntur, non ut discipulus, sed ut judex audit: nec statim credulus assentitur, sed expendit, dijudicat, & suo judicio probat, vel improbat. Nec enim doceri credendus est, qui non affert credulitatem discipuli, sed authoritatem & examen judicis. Tertiò, ille non docetur, qui tantùm interrogatus, potest vera respondere. Tunc enim interrogator obstetricantis tantùm munere fungitur. At interrogatus ipse sibi veritatis disciplinam parat. Perspicuum est autem hæc in rebus tantùm intelligibilibus locum habere. Nam ubi de rebus agitur vel historica fide credendis, vel dubia opinione conjiciendis, non ita judex loquentis est auditor, nec ita posset interrogatus vera respondere, sicut in rebus quæ intelligentiæ obversantur, ut liquet in horum trium exemplis supra relatis. Quartò, ille non docetur ab homine, qui ea discit, quæ ille ipse nescit, cujus auditor est. Ut si Epicureo quopiam Philosopho argumenta immortalitatem animæ astruentia referente, & si velis, etiam refellente, sagacior ipso auditor advertat interim vim ineluctabilem eorum argumentorum, & immortalem animam esse, jam non credat tantùm, sed sciat & intelligat. Quintò, quid est quod aliquo sensibilia contingentia narrante, puta captam Romam, non similiter arcanum illud mentis oraculum consulimus, verum sit, nec ne, quod narratur? Nisi quia sensibilia sensibili & externa, intelligibilia intelligibili & interna in luce videri postulant: hæc semper præsentia & menti præsentia sunt illa non semper præsentia sunt, aut nostro saltem oculo præsentia non semper sunt. Unde illa quia non semper adest lux vel præsentia in qua cernantur, homini docenti credimus. Ista homini narranti non credimus, sed in intima luce semper præsentia videmus.

V. Quæ cùm ita sint, unde contigerit, ut non sensibilibus tantùm, sed & intelligibilibus in rebus homines magistros esse opinati fuerimus, breviter aperit Augustinus eodem loco: *Falluntur homines, ut eos qui non sunt, magistros vocent, quia plerumque inter tempus locutionis & tempus cognitionis nulla mora interponitur. Et quoniam post admonitionem sermocinantis citò intus discunt, foris se ab eo qui admonuit didicisse arbitrantur.* Denique idem sanctus Doctor totius hujus de Magistro Tractatus utilitatem aperiens: *Admonui, ut jam non crederemus tantum, sed etiam intelligere inciperemus, quàm verè scriptum sit authoritate divina, ne nobis quemquam magistrum dicamus in terris, quod unus omnium Magister in cœlis sit.* Unde illa apud eundem Augustinum tam crebra: *Cathedram habet in cœlo, qui corda docet. Docet Veritas Magister optimus in schola pectoris. Magister cujus cathedra in cœlo, schola in terris.* Ibid. c. ult.

VI. Constat quartò, non ad res tantùm intelligendas, sed ad mores etiam regendos, totamque vitam componendam, æternam Veritatem intus consuli, & ab ea responderi juxta regulas incommutabiles sapientiæ, & lumina incorruptibilium virtutum sursum supra mentes omnes creatas radiantium. In superiori conclusione jam & ista prælibata est, sed illi juvabit paulò diutiùs hic immorari, quod ea res mihi quidem videatur tanti esse momenti, quanti vix dici possit. Nemo enim ferè non statim

sese

sese intra se colligit, ubi res quælibet paulò majoris ponderis occurrit deliberanda, definienda, actitanda, & quid facto opus sit, lucem intimam consulit sapientiæ & veritatis, qua doceatur. Plerique sanè hanc existimant esse suam ipsorum sagacitatem, aut innatam menti suæ lucem; sed hic ipse error est, cui extirpando hìc insudamus. Quid hoc aliud enim est, quàm contra sapientiæ præceptum, inniti prudentiæ suæ? Quid hoc aliud est, quàm magistro & duce uti pessimo præsumptione sua: Quid hoc aliud est, quàm de veritate consulere eum, qui de suo non habet nisi peccatum & mendacium? Quid hoc aliud est, quàm de veritate eum sciscitari, de quo scriptum est in litteris veritatis, Omnis homo mendax? Etsi ergo qui in hac sunt opinatione, aliàs consentiant omnem sapientiam à Domino Deo esse, & omne donum optimum descendere a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio; conducibilius tamen est, & Christianæ tum Theologiæ, tum pietati accomodatius, ut fateantur, non humanæ mentis, sed æternæ & incommutabilis veritatis lucem intus consuli, quando se homines intra sese recipiunt, ut de vitæ officiis, de expetendorum fugiendorumque finibus deliberent.

VII. Ita factitabat, ita factitandum suadebat Augustinus: *Ubique Veritas præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. Liquidè tu respondes, sed non liquidè omnes audiunt. Omnes unde volunt, consulunt; sed non semper quod volunt, audiunt.* En ut consulatur non mens humana, sed divina veritas, omnibus præsidens. En ut respondeat non mens ipsa sibi, pro suo arbitrio aut voto, sed veritas contra mentis nostræ plerumque præjudicia & vota. Nam etsi id largiremur mentem ipsam nostram sese excutere, sese consulere, sese audire; qui fieret ut non raro responsa ederet omnino adversa & præsumptæ opinioni, & priori propensioni ac cupiditati suæ? Id omnino ex eo fit, quòd mens nostra intus recipiens se, & sibi silens, videt auditque rationem & legem aliquam supra se & contra se tunc pronuntiantem, & vi invictissima æqui verique cogitur videre & confiteri, ita rem habere, ita fieri oportere, etsi non semper adducatur huic intimo oraculo morem gerere. Unde subdit Augustinus, probum illum quamcumque esse veritatis sursum præsidentis consultorem auditoremque, qui non tam amat ab ea audire quod ipse velit, quàm velle quod ab ea audierit. *Optimus minister tuus est qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipse voluerit, sed potius hoc velle quod à te audierit.*

Confessi on. L.10.c.26.

VIII. Sed omnia prorsus occluduntur effugia, hoc alio mox Augustini testimonio de seipso, ubique, frequentissimèque consulente non seipsum, non acumen ingenii, non lucem mentis suæ, sed lucem incommutabilem veritatis, pro intelligentia rerum consequenda, pro regenda mente, conscientia & vita sua. *Ubi non mecum ambulasti Veritas, docens quid caveam & quid appetam, cum ad te referrem interiora visa mea, quæ potui, teque consulerem? Lustravi mundum, &c. Inde ingressus sum in recessus memoriæ meæ multiplices, &c. Nec ego ipse cum hæc agerem, id est, vis mea, qua id agebam, nec ipsa eras tu. Quia lux es tu permanens, quam de omnibus consulebam, an essent, quid essent, quanti pendenda essent. Et audiebam docentem ac jubentem. Et sæpè istud facio. Hoc me delectat. Et ab omnibus actionibus necessitatis quantum relaxari possum, ad istam voluptatem confugio. Neque in his omnibus quæ percurro consulens te, invenio tutum locum animæ meæ nisi in te, quo colligantur sparsa mea; nec à te quidquam recedat ex me. Et aliquando introducis me in affectum multum inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit.* Præclarissima sunt hæc omnia, & quæ multum interfit adnotari, altissimèque infigi menti, sed in mores maximè derivari. 1. Non humanam ille mentem, non sapientiam creatam consulebat, sed divinam & incommutabilem veritatem; hanc audiebat magistram, hanc sequebatur ducem. 2. Et de omnibus eam consulebat, an essent, quid essent, quanti pendenda essent: est enim verissima rerum omnium mensura veritas incommutabilis Deus, non ratio, non sensus noster, non utilitas, non nugacitas hujus vitæ. 3. In omnibus consulebat quid caveret, quid appeteret. Est enim lex menti non mens ipsa, sed ratio æterna, lex incommutabilis veritas. 4. Hoc delectabatur vehementer, huc referebat interiora visa sua, huc conferebat omnes horas ab occupationibus charitatis & necessitatis vacuas. Quæ voluptas enim uberior, quàm in luce divina sæpissimè, diutissimè, semper si fas sit versari, ea pasci, ea oblectari? 5. Voluptas hæc videndæ divinæ lucis, audiendæ sempiternæ veritatis, nonnunquam ita affluebat & augebatur, ut jam hæc esset quedam prægustatio sempiternæ in cœlesti patria dulcedinis. 6. Sed ut utiliter & consulatur & audiatur veritas ex intimo illo adyto, exuendus antè est omnis amor mendacii, mendaciumque sæculi voluptatum. Unde ibidem mox: *Tu es Veritas super omnia præsidens, at ego per avaritiam meam non amittere te volui, sed volui tecum possidere mendacium; sicut nemo vult ita falsum dicere, ut nesciat ipse quid verum sit. Itaque amisi te, quia non dignaris cum mendacio possideri.* Cap. 41.

Ibid. c.40.

IX. Ne ipsi quidem artium fabrilium magistri opificia sua possunt ad eum perfectionis apicem provehere, quo contendunt, nisi sempiternam consulant veritatem, in qua & mensura, & numerus, & pondus est, quibus reguntur & expoliuntur quæcumque vel in naturę vel in artis operibus summam aliquam pulcritudinem & æqualitatem pro suo quęque modo æmulantur. Unde Augustinus de fabris differens: *Tu fabro corpus, tu animum membris imperitantem fecisti, tu sensum corporis, quo interprete trajiciat ab animo ad materiam id quod facit, & renuntiet animo quid factum sit, ut ille intus consulat præsidentem sibi veritatem, an bene factum sit.* Quid usquam quęso non referendum erit rerum nostrarum ad summam veritatem, si & fabrilia referantur opera? Quid magis innoxiè poterat indulgeri humanæ menti, ut se unam de his consuleret, se audiret, sibi obsequeretur? At ne id quidem patitur casta & germana Patrum Theologia. Nimirum, ut infra dicetur, infimarum etiam rerum & artefactorum pulcritudines, ab illa summa gradatim pulcritudine veniunt, quæ supra animas est, quæ opificum etiam mentibus ostendit utcumque se, & in se regulas incommutabiles numerorum, & æqualitatis, & concinnitatis, ad quæ omnia artis opera exigenda sunt. Haurit supernè mens nostra illas numerorum, æqualitatis, convenientiæ & pulcritudinis leges; has per sensum corporis in materiam trajicit; trajectas rursum comparat summo & incommutabili exemplari, ut magis magisque expoliat. Nec opifices tantùm, sed & opificiorum spectatores judicesque cæteri omnes homines, ut de iis judicent, necessariò easdem consulunt sempiternæ veritatis, æqualitatis & pulcritudinis leges, & ex iis vel approbant vel improbant artefacta. Cap. 55. L. 11. c. 5.

X. Iterum iterumque monebo, longè satius, & ad dignitatem hominis & ad pietatem conducibilius, ita suspensi mentes nostras ab æterna & incommutabili Dei veritate, & sapientia, & pulcritudine, illi consuescere; illam passim de omnibus, de maximis, de minimis consulere; illam audire, ex ejus præscripto judicare & ratiocinari; approbare, vel improbare; appetere, vel refugere quidvis; quàm suam tantùm mentem adire, illam unam audire, illi obsequi, etsi non ignaros, hanc quoque nobis mentem à Deo esse. Sed in rebus sacris multò

id

id & magis necessariè & frequentiùs factitandum est. Unde Augustinus ibidem mox de voce illa cœlitus audita, *Hic est Filius meus dilectus*, sic habet: *Hæc ad tempus facta verba tua, nuntiavit auris exterior menti prudenti, cujus auris interior posita est ad æternum verbum tuum.* Et infrà de illo Christi verbo, ubi dixit se esse *principium, qui & loquitur nobis*, hæc adnotat: *Et hoc insonuit foris auribus hominum Christus, ut crederetur, & intus quæreretur, & inveniretur in æterna veritate, ubi omnes discipulos bonus & solus magister docet, &c. Quis porro docet nos nisi stabilis veritas? Quia & per creaturam mutabilem dum admonemur, ad veritatem stabilem ducimur, ubi verè discimus, cum stamus & audimus eum, & gaudio gaudemus propter vocem sponsi, reddentes nos unde sumus.*

L. 11. c. 6.

Ibid. c. 8.

XI. Sed nihil elegantius fieri potuit, nihil ex quo major decerpatur utilitas ad animos componendos, alio ejusdem infrà contextu, ubi sedare satagit contentionem exortam de sensu scripturæ Mosaicæ. Cùm enim uterque sensus veritati consentiat, tametsi diversus, & dubitari tantùm possit, uter Moysis sensus fuerit: censet Augustinus pugna supersedendum, propterea quod vel uterque Moysis sit, cùm verus uterque sit: vel etsi alter tantùm Moysis esset, de eo minimè altercandum esse, cùm uterque æternæ veritatis sit. Quòd autem sensus uterque æternæ veritati consentaneus sit, ait Augustinus id ex eo fieri, quòd ambo hujus loci Scripturæ interpretes in divina luce hanc intueantur veritatem. *Si ambo videmus verum esse quod dicis, & ambo videmus verum esse quod dico, ubi quæso id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate. Cum ergo de ipsa Domini Dei nostri luce non contendamus, cur de proximi cogitatione contendimus, quam sic videre non possumus, ut videtur incommutabilis veritas. Quando si ipse Moyses apparuisset nobis, atque dixisset, Hoc cogitavi; nec sic eam videremus, sed crederemus.* Vides quantum intersit inter hæc duo, consulere Moysen, an ita senserit in aliquo librorum suorum contextu, & æternam veritatem consulere, an vera certaque sit ea sententia quam huic contextui aptamus. Etsi responsum ederet ipse Moyses, id veri fide teneremus, non autem intelligentia: at si respondeat æterna veritas, tunc intelligentia complectemur ejus responsum. Luculentum est autem illud Augustini effatum, quando verum aliquod communiter ambo vident, neutrum in altero id videre, sed id intueri utrumque in communi & ubique radiante æternæ veritatis luce.

Ibid. l. 12. c. 25.

Quò pertinet & illud ejusdem alibi ad eum, cui suos libros legendos & judicandos miserat. Monet enim illum, si quid jure suis in his libris improbet, id de suo irroratum esse ingenii nubilo: si quid veri approbet, id certò sciat non suum esse, sed summæ veritatis, quæ utrique affulsit, & sibi priùs scribenti, & illi postea legenti ac approbanti. Nec enim legenti veritas allucet, aut à codice aut ab authore, sed à summæ veritatis luce intus splendente. *Si lecta probaveris, & vera perviderís, nostra esse non putes, nisi quia data sunt; eoque te convertas licet, unde tibi quoque est, ut ea probares, datum. Nemo enim quod legit, in codice ipso cernit verum esse, aut in eo qui scripsit, sed in seipso potius, si ejus menti quoddam non vulgariter candidum, sed à fæce corporis remotissimum lumen veritatis impressum est. Quod si falsa aliqua atque improbanda compereris, de humano nubilo irrorata scias, & ea verè nostra esse non dubites.*

Epist. 84.

XII. Opportunè nos hìc monet sanctus Pater, non ad omnes expotrigi posse, quod hìc de consulenda æterna veritate disputatum est. Jam enim suprà idem id quoque confirmavit, multis multa ut credant conducere, quæ intelligere necdum possunt, nunquam fortasse poterunt. Mirum enim in modum gravantur atque hebetantur carnis mole quorundam hominum mentes; sed longè plurimùm aciem obtundit vel oblimat curarum sarcina, cupiditatumque & consuetudinis sensuum jugis quidem tempestas; ut sursum oculos intendere, & in puram veritatis intelligibilis lucem respirare vix aut nec vix unquam possint. Sunt tamen omnino gradus quidam distinguendi. Nam justa ab injustis, honesta à turpibus, pulcra à non pulcris, vix quisquam tam obtusus est, qui non discernat, & qui non intelligat hæc incommutabili quadam veritatis necessitate distingui debere. Sed complura sunt alia, quæ non ita omnibus obvia sunt. Et in his ipsis quę hominibus etiam de trivio pervia & explorata sunt in luce sempiternæ & incommutabilis veritatis, ita statuendum est, si hos ipsos homines adducere velis, ut lucem ipsam intueantur, vel regulas illas necessarias & immutabiles, quibus justa ab injustis secernunt; irritos fore tum tuos, tum illorum conatus. Resilient enim prorsus & fatiscent, impatientes puræ lucis, & ut suprà aiebat Augustinus, dorsum habentes ad Solem, nec illum videntes, per quem cætera vident omnia.

XIII. Nec nescivit Augustinus mentibus quoque nostris impressas esse regulas illas veritatis; nec à vero aberrare qui usitatiùs ita loquuntur, naturas rationales in nativo lumine intellectus sui, atque in penetrali conscientiæ perspicere, & quasi legere leges illas justitiæ & veritatis, quibus falsa à veris, à certis dubia, injusta à justis dispescuntur. *Nam quisquis secreta conscientiæ suæ legesque divinas penitus naturæ inditas apud animum intus, ubi expressiores certioresque sunt, consulens, has duas definitiones voluntatis atque peccati veras esse concedit, totam Manichæorum hæresim condemnat.* Id prorsus confitendum est, consuli etiam illas leges verique notas animis inscriptas: sed illa ipsa sunt spectamina disciplinarum, de quibus suprà Augustinus, quæ illuminari necesse est à Sole veritatis, ut videri possint, sicut colores & infecta coloribus corpora corporeis oculis cerni nequeunt, nisi Solis sensibilis radio illustrentur: præter lucem illam qua & oculus ipse sive corporis sive mentis aspergendus est, ut videre possit. Urgendi sunt autem viri Theologi, ut assuescant, cæterosque homines assuefaciant, mentis oculos ad divinum potiùs quàm ad proprium insitumque lumen convertere, exemplo & authoritate Augustini, qui frequentissimè hanc ipsam inculcavit necessariam conversionem mentis ad incommutabilem veritatis lucem consulendam, audiendam, sequendam jugiter arrigendæ. Quocirca rursus idem Augustinus: *Audit quippe homo dicentem, vel hominem, vel Angelum; sed ut sentiat & cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aspergitur, quod in æternum manet; quod etiam in tenebris lucet. Sed sicut Sol iste à cæcis, quamvis suis eos radiis quodammodo vestiat; sic ab stultitiæ tenebris non comprehenditur.* Et alibi de beato Job, cui justitiæ laus à Deo ipso ascripta fuerat, & tamen ipse supernæ veritatis & justitiæ luci sese comparans, in peccatorum grege se numerabat; *Proinde secundum modum conversationis humanæ, perhibet ei Deus tam magnum justitiæ testimonum. Ipse autem se metiens ex regula illa justitiæ, quam sicut potest, conspicit apud Deum, in veritate scit quia ita est, quia non est justus quisquam apud Deum.* Ut enim perfectus quisque & inculpatus sit, opus est ut impleat numeros omnes virtutum, & regulas illas incommutabiles justitiæ & veritatis. *Quæritur utrum jam sit in ipsa dilectione perfectus, id est, utrum quos diligit, tantum diligat, quantum illa incommutabilis regula veritatis diligendos esse præcipit.*

L. de duab. anim. c. 12.

De pec. mer. & rem. l. 1. c. 25.

Ibid. l. 2. c. 10.

Ibid. c. 15.

Quin & Moysen ipsum Augustinus, etsi persæpè in Tabernaculo fœderis Deum consuleret, existimat

mat tamen multò frequentiùs consuluisse incommutabilem veritatem in intimo suæ mentis sacrario, cùm in disceptandis dijudicandisque innumerabilibus tam numerosæ multitudinis litibus dies noctesque impenderet. *Quæri potest, quomodo ista* Super Exod. q. 67. *Moyses dixerit, cùm lex Dei adhuc nulla conscripta esset, nisi quia lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundum quod illa incommutabili veritate perceperint. Numquid enim Moyses quamvis cum illo Deus loqueretur, per singula credendum est, quod consulere soleret Deum, si quid esset in disceptationibus tantæ multitudinis, quæ illum in hoc judicandi negotio à mane usque ad vesperam detinebat? Et tamen nisi sua menti præsidentem Dominum consuleret, legemque ejus æternam sapienter attenderet, quid justissimum judicare inter disceptantes posset, non inveniret.* In dirimendis populorum litibus Moyses mentem suam, sapientiam, lumen & acumen mentis suæ consulebat, innatas vel impressas conscientiæ suæ leges æquitatis & justitiæ rimabatur; sed hæc omnia vestigia sunt, lumina sunt ab incommutabili veritate & sapientia Dei non semel, sed semper jugiterque impressa, illinc pendentia, illuc sese unde effluunt reflectentia. Quocirca & veriùs, & religiosiùs, & sanctorum Patrum Theologiæ convenientiùs dicitur, incommutabilem & æternam Dei veritatem & sapientiam in istis etiam quotidianis vitæ humanæ negotiis consuli à mente nostra, quàm mentem ipsam.

XIV. Perinde est & de Magisterio hominum. Homines enim ab hominibus doceri certissimum est. Perutile tamen est, illud identidem inculcare in plerisque rebus, non nisi monitores esse, qui Magistri vocantur; verè Magistrum & doctorem non esse nisi Christum sempiternam Dei veritatem & lucem, qui intus in schola pectoris docet, ostenditque an vero consentiant immutabiliter, an probabiliter tantùm & dubitanter, an ne sic quidem, quæ à Magistro foris docente dicuntur. Augustinus: *Unctio ipsius docet vos de omnibus. Sonus ver-* Tract. 1. in Epist. Joan. *borum nostrorum aures percutit, magister intus est. Nolite putare quenquam hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ. Si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. Cathedram in cœlo habet qui corda docet. Propterea ait & ipse in Evangelio, Nolite vocare vobis Magistrum in terra; unus est Magister vester Christus.*

XV. Nec illud omitti debet, quod crebrum etiam est apud Augustinum: Rectitudinem cordis nostri expendendam esse non ad innatas tantùm leges justitiæ, naturæque manu inscriptas animæ nostræ; sed ad regulam illam sursum regnantem in incommutabili veritate, à qua perversi omnes distorti sunt, cui recti omnes ad unguem consentiunt. De decem chordis, c. 8. *Si placeat tibi qualis est Deus, corrigeris, & diriges in eam regulam cor tuum, à qua* De Verb. Apost. serm. 12. c. 2. *nunc alienus distortus es.* Et alibi: *Gressus meos dirige secundum verbum tuum, Ut recti sint gressus mei, quia rectum est verbum tuum. Ego distortus sum ab pondere iniquitatis, sed verbum tuum est regula veritatis. Me ergo distortum à me, corrige tanquam ad regulam, hoc est ad verbum tuum.*

XVI. Unum è cæteris Patribus proferam astipulatorem doctrinæ Augustini, sed qui plurium instar sit, Ambrosium. Cresceret enim hoc caput in immensam molem, si ceteros quoque contexere adgrederer. Duo ergo illa, quæ distingui posse, nec tamen sejungi debere admonui, ea Ambrosius scitissimè conjunxit, nimirum judicia moresque rationalium naturarum regi dirigique tum insitis animæ legibus regulisque justitiæ, tum iisdem legibus regulisque in Verbo Deo incommutabiliter viventibus, unde & rationalibus naturis jugiter imprimuntur, easque illuminant. In Ps. 104. *Sapiens semper liber est, semper honoratus, semper is qui præsit legibus; denique justo non est posita lex, sed injusto. Justus enim ipse sibi lex est, non habens necesse longius sibi arcessere formam virtutis, quam corde inclusam gerat, scriptum habens opus legis in tabulis cordis sui. Quid enim nobis tam proximum, quàm Dei Verbum? Hoc est Verbum in corde nostro, & in ore nostro, quod non videmus, & tenemus.* Vides ut non longè arcessatur lex, quæ ab ipso usque Verbo Dei repetitur, quia intimum menti est Verbum, intima veritas & sapientia incommutabilis; nec enim menti suas leges inscribit, & abit, sed semper præsens semper inscribit, & semet imprimendo, ceu annulum ceræ, inscribit.

CAPUT VII.

Rursum de veritate. Quanta sit ejus cum mentibus nostris cognatio. Quàm certa sint quæ per eam intelligimus. Veritatem magis propriè esse in intelligibilibus, verisimilitudinem in sensibilibus. Superesse post lapsum repentina aliqua veritatis coruscamina.

I. Multis argumentis ex Augustino probatur, cognatiorem, præsentioremque esse veritatem menti nostræ, quàm lucem corpoream oculo; mentem veritate formari, ea præsentissima frui.

II. Etiam in quotidiano rerum humanarum tumultu, mens nostra de rebus quibuslibet dum ratiocinatur, & vera à falsis, bona à malis, justa ab injustis secernit, ab incommutabili veritate illustratur, formaturque.

III. Veriora certioraque sunt, quæ oculo mentis intelligimus, quàm quæ oculo corporeo videmus.

IV. Veritas propriè est in rebus intelligibilibus, verisimilitudo in sensibilibus; ibi scientia, vel intelligentia, hic opinio locum habet. Cum Zeno aliique Philosophi qui nihil nisi corporeum admittebant, vulgus hominum sibi conciliassent: Platonici suum de intelligibilibus dogma occultare cœperunt, & sensibilium defensores validissimis oppugnare argumentis, ut cogerent eos ad intelligibilia se recipere.

V. Inest & sensibilibus & opinioni sua veritas, sed non ea quæ scientiam gignere possit, vel intelligentiam.

VI. Ex primigenia visione, seu magis contemplatione veritatis, in qua conditi fueramus, supersunt brevia quædam coruscamina, quibus illa nobis raptim allucet.

VII. Non piis tantum, sed quibuscumque hominibus aliqua istiusmodi veritatis rapida fulgura allucent.

VIII. Augustino hujus totius Theologiæ Principi assentiuntur Gregorius & Bernardus. Primum Bernardi doctrina promitur, de visione Dei, seu contemplatione ante peccatum homini concessa, & de his ejus nunc reliquiis.

IX. Suffragatio Gregorii Magni.

X. Tria genera hujusmodi coruscaminum.

I. Constat sextò ingentem prorsus esse & penè incredibilem veritatis cum naturis rationalibus cognationem; ejus inquam veritatis, qua vera sunt, quæcumque vera sunt omnia; qua illustrantur, quæcumque intelliguntur; qua illuminantur, quicumque intelligunt. Nec enim lux tam amica oculo, quàm veritas menti, nec tam præsens, nec tam intima. 1. Quia lux & oculus, ut & quæcumque alia corporea possunt locorum intervallo disjungi & abesse, non autem mens & veritas. 2. Quia corpora extrinsecus tantùm possunt

ades-

adesse non inesse intus alia aliis. Qui enim corpus quodlibet aliud in sese corpus includet immeando, quod suas ipsum partes alias ab aliis excludit? Non ita autem veritas & mens. 3. Et lux in veritate major quàm in luce; & acies in mente perspicacior quàm in oculo. Et lux oculusque imitamenta quædam sunt veritatis & mentis. Ergo in his quàm in illis omnia in melius æstimanda sunt. 4. Oculus lucem extra se prosiliens venatur, in seipso alioqui caligat. Mens veritatem suo in sinu rimatur; eam si foras prodeat, amissura. Unde Augustinus: *Inter mentem nostram, qua illum intelligimus Patrem, & veritatem, id est, lucem interiorem, per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est*. Et alibi: *Cùm homo possit esse particeps sapientiæ secundum interiorem hominem, secundum seipsum ita est ad imaginem Dei, ut nulla natura interposita formetur, & ideo nihil sit Deo conjunctius*. Et infrà: *Ad imaginem mentem factam volunt, quia nulla substantia interposita ab ipsa formatur veritate*. Et rursum: *Iste spiritus ad imaginem Dei nullo dubitante factus agnoscitur, in quo est intelligentia veritatis. Hæret enim veritati nulla interposita creatura*. Ita Augustinus, qui & sexcentis aliis locis hoc ipsum inculcat, mentem seipsa informem esse, formari ab incommutabili veritate, quoties vera intelligit. Ac proinde penes ipsam esse, quoties & quandiu formari velit, si terrenarum cogitationum velamina amovere velit. Sicut penes oculos est corporea luce quandiu velint & quoties pasci. Quin etiam ut clausos oculos irruens lux sollicitat aperiri, ac admitti se: ita veritas mentes subinde vellicat, & aliud agentibus sese ingerit, ut eas ad se revocet. *Aversa mens à sapientia incommutabili stultè & miserè vivit, quæ informitas ejus est. Formatur autem conversa ad incommutabile lumen sapientiæ. Principium quippe creaturæ intellectualis est æterna sapientia, quod principium manens in se incommutabiliter, nullo modo cessat occulta inspiratione loqui ei creaturæ, cui principium est, ut convertatur ad id ex quo est, quod aliter formata ac perfecta esse non possit. Ideoque interrogatus Dominus, quis esset, respondit, Principium qui & loquor vobis*. Ita sanctus Pater describit veritatem, ut formam mentis, semper illi præsentissimam, semper loquentem, semper docentem, & à vanis ad vera semper vocantem, semper revocantem.

L. de vera Relig. c. ult. — L. 81. qq. 41. — De Genesi ad lit. l. 1. c. 5.

II. Sed etsi corporalibus mens penitus immergat sese, aliqualiter tamen semper formatur forma sua veritate summa. Nam etiam curvi in terras animi, etiam impii in quotidiano rerum humanarum tumultu, nihil moliri, vel actitare possunt, quin ratiocinentur, quin vel in numerorum, vel figurarum, æqualium, vel inæqualium æstimationibus, vel in rerum moralium dijudicatione, vel in artis opificiorum examine, vera à falsis, certa à dubiis, bona à malis, justa ab injustis, pulchra à turpibus secernant, & illa his comparent, & comparata præponant, & asseverantissimè de his pronuncient secundùm regulas incommutabilis veritatis; quibus adeo necesse est utcunque inter hos etiam negotiorum fluctus adhærescant, & inde formentur reganturque. Unde bene notat Augustinus, inter sensibilia volutari, & homini, & pecori commune esse: sed de sensibilibus secundùm rationes incommutabiles & æternas regulas judicare, alia aliis comparare & anteferre, meliora deterioribus, corruptibilibus incorruptibilia, honesta turpibus anteponere, vera à falsis, certa à dubiis seponere, quod facit in usu rerum quotidiano fæx ipsa vulgi hominum, id sanè proprium esse mentis, incorruptis veritatis rationibus connexæ. *Possunt & pecora sentire per corporis sensus, &c. Sed sublimioris rationis est judicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales & sempiternas. Quæ nisi supra mentem humanam essent, incommutabiles profectò non essent, atque his nisi subjungeretur aliquid nostrum, non secundum eas possemus judicare de corporalibus. Judicamus autem de corporalibus ex ratione dimensionum atque figurarum, quæ incommutabiliter manere mens novit*. Ex quibus quasi duplex discriminari potest lux summæ veritatis: altera primaria, qua dum æterna contemplamur, imbuimur; altera secundaria, qua respergimur dum temporalia dispensamus. Et hac saltem secundaria luce, mens omnis, quandiu sui compos est, informatur. Omnino autem forma intima formatrix & reformatrix animarum rationalium veritas est, Unde Augustinus: *Stabo, atque solidabor in te forma mea, veritate tua*.

L. 12. de Trinit. c. 2. — Confession. L. 11. c. 30.

III. Constat septimò veriora certioraque esse quæ oculo mentis intelligimus, quàm quæ oculo corporis videntur. Id apertè docet Augustinus locis compluribus quæ intexere hìc abstineo. Unum hoc profero luculentum cum primis ejus testimonium: *Num ergo iis oculis cordis tui, quibus hæc omnia vera & certa esse contueris, tibique præsentia invisibiliter cernis atque discernis, ullo modo corporeos oculos comparabis? Cùm etiam de ipsis rebus visibilibus, quæ corporalium oculorum acie quodammodo radiantur, & de istis corporis oculis, eorumque acie qualiscumque & quantacumque sit, quantum distet ab invisibilibus, non iisdem carnis oculis, sed illis interioribus judices. Cum ergo interiores oculi judices sint exteriorum oculorum, isti autem illis quodam officio nuntiandi & ministerio famulentur; multaque illi videant, quæ isti non vident: nihil isti videant, unde non illi tanquam præsides judicent; quis non illos istis incomparabili æstimatione præponat?* Ita sanctus Pater & summus Philosophus hominibus autem vellicat, nimium videndo excæcatis, & in oculos suos corporeos adeo projectis, ut quæ mente sola vident, insomnia esse reputent. Cùm ex adverso insomnia sint, sensibilia omnia; vera autem ea tantummodo sint, quæ intellectu conspiciuntur. Quocirca rectè Augustinus: *Omne quod corporeus sensus attingit, quod & sensibile dicitur, sine ulla intermissione temporis commutatur; velut cum capilli corporis nostri crescunt, vel corpus vergit in senectutem, vel in juventutem efflorescit, continuò id fit, nec omnino intermittit fieri. Quod autem non manet, percipi non potest. Illud enim percipitur, quod scientia comprehenditur. Comprehendi autem non potest, quod sine intermissione mutatur. Non est igitur expectanda sinceritas veritatis à corporis sensibus. Sed ne quis dicat esse aliqua sensibilia eodem modo semper manentia, & quæstionem nobis de Sole atque stellis afferat, in quibus convinci facilè non potest; illud certè nemo est qui non cogatur fateri, nihil esse sensibile, quod non habeat simile falso, ita ut internosci non possit. Nam ut alia prætermittam, omnia quæ per corpus sentimus, etiam cum non adsunt sensibus, imagines tamen eorum patimur, tanquam prorsus adsint, vel in somno, vel in furore. Quod cum patimur, utrum ea ipsis sensibus sentiamus, aut imagines sensibilium sint, discernere non valemus. Si igitur sunt imagines sensibilium falsæ, quæ discerni ipsis sensibus nequeunt, & nihil percipi potest, nisi quod à falso secernitur, non est constitutum judicium veritatis in sensibus. Quapropter saluberrimè admonemur averti ab hoc mundo, qui profectò corporeus est & sensibilis, & ad Deum, id est, veritatem, quæ intellectu & interiore mente capitur, quæ semper manet, & ejusmodi est, quæ non habet imaginem falsi à qua averti non possit, toto alacritate converti*.

De immort. animæ. c. 10 — De vera relig. c. 52. — Epist. 117. — Epist. 112. c. 17. — L. 81. qq. q. 9.

IV. Ita sanctus Pater duplici argumento è media Platonicorum Philosophia hausto evincit, veritatem propriè nec in rebus sensibilibus esse, nec à sensibus corporis solis accuratè percipi posse. Primò quia nullum corpus est, quod non per singula momenta mutetur. Quapropter cùm nunquam ejusdem modi sit, certa scientia comprehendi non potest. Secundò quia omni sensui corporeo non potest illud per imaginem aliquam corporum corporibus

ribus perquàm simillimam, ut ab ipsis discerni non possit. Quamobrem in erroris ludicro versari omnem sensum necesse est. At rationes rerum æternæ, quas mente nuda contemplamur, nec unquam mutantur ipsę, nec ullo imaginis fuco adumbrari simularique possunt. Quapropter cum illas intuetur præsentes sibi animus, suæ sibi indubitatissimæ certitudinis conscius est.

Sed ne tamen à veritatis imperio penitus exulare existimetur mundus sensibilis, assignarunt ei Platonici Philosophi sin minùs veritatem, certè verisimilitudinem. Sunt enim sensibilia intelligibilium simulacra tantummodo: hęc propriè entia, illa entium imaginees: hæc vera, illa verorum similia; hæc scientiæ, illa opinioni objecta; hæc sapientibus paucis, illa multitudini magis familiaria. Ita Augustinus: *Sat est ad id quod volo, Platonem sensisse duos esse mundos, unum intelligibilem, in quo ipsa veritas habitaret: istum autem sensibilem, quem manifestum nos visu tactuque sentire. Itaque illum verum, hunc verisimilem, & ad illius imaginem factum. Et ideo de illo in ea quæ se cognosceret anima, velut expediri & serenari veritatem; de hoc autem in stultorum animis non scientiam, sed opinionem posse generari. Quidquid tamen ageretur in hoc mundo per eas virtutes, quas civiles vocabat, aliarum verarum virtutum similes, quæ, nisi paucis sapientibus, ignotæ essent, non posse nisi verisimile nominari.* (Cont. Acad. l. 3. c. 17.) Ita Augustinus expromit Platonicæ Philosophiæ arcanum, subditque, cùm postea Zeno, alijque materiarij, ut ita dicam, Philosophi, qui nihil nisi corporeum agnoscebant, vulgi hominum animos crassæ huic Philosophiæ proniores conciliasset: tunc Platonicos sua de mundo intelligibili, regnanteque ibi veritate dogmata occultasse de industria, de solis sensibilibus disseruisse, dubitationes inexpugnabiles affectasse eo consilio, ut si evincere possent nullam in rebus corporeis veritatem inveniri, idque hominibus semel persuasissent, tum demum ad eam inter intelligibilia quærendam eos compellerent.

V. Duo porro hìc sunt, quæ necessarium sit animadverti. Primum est, quando probante Augustino docent Philosophi Platonici nusquam in rebus sensibilibus & mutabilibus veritatem reperiri, sed veri tantummodo similitudinem: non ita hæc strictè capi debere, ut nihil verè de iis vel dicatur vel cogitetur. Sed veritas hìc vocatur, quæ necessaria, certa, perspicua, incommutabilis sit, de qua conflari possit vel scientia vel intelligentia, quæ propriè dicitur, quæque ab opinione distinguitur & fide. Et fidei enim & opinioni sua inest veritas, sed quæ nec scientia nec intelligentia comprehendi possit, propterea quod fides semper obscura sit, & errori obnoxia, si humana sit: opinio nunquam satis firma & inconcussa est, ut scientiam generet. Ergo sensibilia cùm vicissitudini & mutationi jugiter obnoxia sint, veritas ex iis colligi non potest, nisi cui vel fides vel opinio innitatur: non scientia, non intelligentia, quæ res æternas & incommutabiles contemplantur. Veritas ergo rerum sensibilium adumbratio tantùm est, & similitudo veritatis rerum intelligibilium, sicut & sensibilia ipsa imitamenta sunt intelligibilium.

Rursus adverte ubi ex rivulis Academicorum hanc argumentationem Augustinus in suos Commentarios derivavit, nihil satis certi & veri in rebus sensibilibus esse posse, cùm rei cujusque similitudo & imago possit pro re ipsa sensibus nostris illudere; non id consilii fuisse sancto Patri, ut nec sobrii & vigilantes quidquam veri aut certi unquam videant sentiantque corporeo sensu. Dum furore perciti, dum somno vinove sepulti sunt, verè ludificantur homines rerum imaginibus, quas à rebus ipsis tum quidem non possunt secernere. Id unum sonant verba Augustini. At mente sani & vigilantes meliori loco sunt, & vera certaque complura percipiunt, quæ à veri fallacibus simulacris secernunt; etsi nec tunc quidem hæc ita accuratè vera certaque sint, quæ intelligibili, æterna & incommutabili veritate constant.

VI. Constat octavò de illo immediato veritatis æternæ contuitu seu intelligentia, quo ubertim beabatur primus homo ante peccatum, superesse nobis adhuc momentaneas interdum fulgurationes, quæ ne diuturniores sint, in causa est, non natura, sed culpa. Hinc est enim 1. quod Augustinus summam veritatem raptim se attigisse testatur, & quamvis nimio fulgore reverberatum, rei tamen quam viderit adeo certum, adeo convictum se remansisse, ut faciliùs dubitaverit esse se qui viderit, quàm esse veritatem quam viderit. *O æterna veritas, tu es Deus meus. Et cum te primum cognovi, tu assumpsisti me, ut viderem esse quod viderem, & nondum me esse qui viderem. Et reverberasti infirmitatem aspectus mei radians in me vehementer, & contremui amore & horrore, & inveni longè esse à te in regione dissimilitudinis, &c.* (Confess. l. 7. c. 10.) Et paulò pòst: *Faciliusque dubitarem vivere me, quàm non esse veritatem, quæ per ea quæ facta sunt intellecta conspicitur.* Ita ille de semel visa etsi ad momentum veritate deinceps dubitare non potuit.

Hinc est 2. quod gradatim per creaturas super creaturas ascendentem, incommutabilia mutabilibus comparantem & præponentem, pervenisse se tandem ait ad id quod est in ictu trepidantis aspectus: adeo ut per creaturas invisibilia Dei non tantùm suspicaretur, sed intelligeret, sed conspiceret, & quamvis aciem figere non potuerit, memoriam tamen tantæ visionis semper servaverit, semper repetere concupierit. *Quæ mens se quoque in me comperiens mutabilem, erexit se ad intelligentiam suam, & abduxit cogitationem à consuetudine, subtrahens se à contradicentibus turbis phantasmatum, ut inveniret, quo lumine aspergeretur, cum sine ulla dubitatione clamaret, incommutabile præferendum esse mutabili: unde nosset ipsum incommutabile, quod nisi aliquo modo nosset, nullo modo illud mutabili certo præponeret, & perveniret ad id quod est in ictu trepidantis aspectus. Tunc verò invisibilia tua, per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi, sed aciem figere non valui; & repercussa infirmitate redditus solitis, non mecum ferebam nisi amantem memoriam, & quasi olfacta desiderantem, quæ comedere nondum possem.* (Confess. l. 7. c. 17.) Ita sanctus Pater depulsis phantasmatum præstigiis se invisibilia Dei conspexisse ait, sed in illo ictu trepidantis aspectus stare non potuisse, nec aciem defigere valuisse, memoriam tantùm rei visæ servasse.

Hinc est 3. quod ait in consulenda & consideranda summa veritate perduci se quandoque ad tantam suavitatem, ut ea si stet, si duret, si figatur, jam hæc vita non sit, jam futuræ beatitatis præsumptio sit. *Lux es tu permanens, quam de omnibus consulebam, & audiebam docentem & jubentem; & sæpè istud facio; hoc me delectat, & ab omnibus actionibus necessitatis quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio. Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsum, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, scio quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, &c.* (Confession. l. 10. c. 40.)

VII. Hinc est 4. quòd putentur brevia hæc coruscamina eximiæ paucorum pietatis esse privilegia, id usque non constat. Quibuscumque enim hominibus utcumque communia ea esse ostendit Augustinus, dum certa ab incertis, vera a falsis, justa ab injustis dijudicant, & illa his præponunt per regulas incommutabiles veritatis, quarum necessitatem, incommutabilitatem, evidentiam ipsi sentiunt, & quasi palpant. *Sed illa lux, quæ non est quod tu, & hoc tibi ostendit, aliud esse incorporeas* (De Trinit. l. ult. c. 27.) *illas*

illas similitudines corporum, & aliud esse verum, quod eis reprobatis intelligentia contuemur; hæc & alia similiter certa oculis tuis interioribus lux illa monstravit. Quæ igitur causa est, cur acie fixa ipsam videre non possis, nisi utique infirmitas? Et quid tibi eam fecit, nisi iniquitas? Ita Augustinus lucem illam ait videri, sed fixa acie non videri, ob infirmitatem nimirum quam per iniquitatem incurrimus. Et alibi rursus: *Deus veritas est,* (De Trinit. L. 8. c. 2.) *Noli quærere quid sit veritas, Statim enim se opponent nubila phantasmatum, & perturbabunt serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum dicerem veritas. Ecce in ipso primo ictu, quo velut coruscamine perstringeris, cum dicitur veritas, mane si potes: sed non potes; relaberis in ista solita, atque terrena, quo tandem pondere nisi sordium contractarum visco cupiditatis?* Sic ille non à paucis ingenio & pietate præcellentibus, sed ab omnibus utcumque videri, hoc est intelligi veritatem ait; porrò phantasmata corporum statim irrumpere, non (In Psal. 61.) ex ingenio naturæ, sed ex vitio culpæ. Et alibi rursus: *Non reprehenderes iniquitatem, nisi videres justitiam. Injustum est, clamas, quasi videntibus oculis, videns hoc injustum esse, utique ex aliqua regula justitiæ: cui comparans quod vides pravum, & cernens non convenire rectitudini regulæ tuæ, reprehendis tanquam artifex, discernens justum ab injusto. Ergo quæro à te, justum hoc esse unde vides? Ubi inquam videbis hoc justum, quo viso reprehendis injustum? Unde illud nescio quid, unde aspergitur anima tua, ex multis partibus in caligine constituta, nescio quid hoc quod coruscat menti tuæ, unde hoc justum?* Ita Augustinus ratiocinatur, omnes justa ab injustis discernentes per indubitatissimam justitiæ regulam intus adsplendentem, habere aliquas illius quæ in Deo est justitiæ repentinas & momentaneas coruscationes.

VIII. Hinc est 5. quod præcipui fidissimique Augustini sectatores Gregorius & Bernardus in hanc eandem doctrinam plerumque conspirant. De Gregorio mox: hic ex Bernardo aliqua excerpemus. Et primùm quàm beata in statione fuerit conditus primus parens, & in quanta veritatis satietate. (Serm. 1. in Septuag.) *Non simpliciter corpus, sed corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Ut immunem ab hoc gravamine primi parentis animam noveris extitisse, donec adhuc corpus gereret incorruptum. Nimirum in libertate posuit eum Deus, ut inter summa & infima versans, & ad illa excederet sine difficultate, & ad ista sine illecebra aut necessitate descenderet. Illa penetrans naturali vivacitate & puritate mentis, hæc authoritate dijudicans præsidentis. Non sic in nobis libera ratio, sed undique ei luctandum est. Sic enim & ab infimis visco quodam captiva tenetur, & à summis indigna repellitur; ut nec ab his sine dolore possit avelli, nec ad illa sine magno gemitu vel raro queat admitti.* Sic ille argumentationem petit ex natura animæ intellectualis, quæ in confinio posita est intelligibilium & sensibilium, ut illis frueretur, his dominaretur; non ad illa per hæc necessariò, quasi his inferior esset, eluctaretur. Quod jam quidem fit, sed pœnaliter fit; non propter corpus, sed propter corpus quod corrumpitur & aggravat animam; non quia corpus est, sed quia peccati merito corruptibile est. Rursus idem Bernardus: (Serm. 25. Inter sermo parvos.) *Per inobedientiam anima rationalis de statu trinæ felicitatis ceciderat. Ceciderat enim à semetipsa, à societate Angelorum, à visione Dei: id est, à libertate, à dignitate, à beatitudine.* Sic ille describit eam quæ naturæ nostræ ante peccatum concessa fuerat felicitatem, Deique visionem: quam tamen ne usque adeo cumulatam fuisse putes, atque ea erit, cui venturæ suspiramus, luculentè alibi docet idem (Serm. in il. la verba; Omnis qui se exaltat.) Bernardus: *Gradus hominum quatuor inveniemus. Dico autem summam fœlicitatem in cœlo, ad quam suspiramus. Mediam fœlicitatem in paradiso, unde cecidimus; itemque mediam infœlicitatem in hoc mundo, pro qua gemimus: & in inferno extremam infœlicitatem, quam meritis formidamus. Brevius tamen dicere possum vitam, umbram vitæ, umbram mortis, mortem.* Sic ille visionem illam Dei qua fruebatur Adamus in Paradiso, sejungit ab illa cumulatissima, qua & ipse post perseverantiam voluntariam fruiturus erat, & quo nos beandos fore confidimus post hujus vitæ emensum piè curriculum.

Quod autem ex illa naturæ nostræ integritate minutiæ adhuc aliquæ intermicent, veluti scintillæ, & summæ veritatis brevia aliqua, sed beata coruscamina interfulgeant, sexcenties ingeminat idem Bernardus, Unum & alterum promam ex eo testimonium: *Divina sunt & nisi expertis prorsus incognita quæ effamur, quomodo videlicet in hoc mortali corpore, fide adhuc habente statum, & necdum propalata perspicui substantia luminis; jam tamen interim puræ interdum contemplatio veritatis, partes suas agere inter nos vel ex parte præsumit; ita ut liceat usurpare alicui etiam nostrum, cui hoc datum desuper fuerit, illud Apostoli; Nunc cognosco ex parte: item; Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem divinius aliquid raptim & velut in velocitate corusci luminis interluxerit, &c.* Et rursus alibi; *Excedere & cum Verbo esse multò jucundius, At quando hoc, aut quandiu hoc? Dulce commercium, & breve momentum.* Et in sermone de duobus discipulis euntibus in Emmaus: *Hic est suavissimus radius contemplationis; fœlix hora, sed brevis mora; quia factum est silentium in cœlo, quasi media hora.* Et denique alibi: *Unicuique nostrum, qui desideramus adventum ipsius, puto illum nihilominus post parietem stare, dum corpus hoc nostrum quod certè peccati est, abscondat interim nobis faciem ejus, & præsentiam intercludat, Denique quandiu sumus in hoc corpore, inquit, peregrinamur a Domino; non quia in corpore, sed quia in corpore hoc, quod utique de peccato est, & sine peccato non est. Et ut scias quoniam obstant non corpora, sed peccata, audi Scripturam; Peccata nostra, inquit, separant inter nos & Deum.*

(In Cant. Serm. 41.) (Ibidem. Serm. 85.) (In Cant. Serm. 56.)

Hinc est sextò quòd Gregorius Magnus passim eidem doctrinæ assentitur. In illa verba Job, *Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* (Moral. in Job. l. 5. c. 23.) *Nobis præsentibus spiritus transit, quando invisibilia cognoscimus, & tamen hæc non solide, sed raptim videmus. Neque enim in suavitate contemplationis intima diu mens figitur, quia ad semetipsam immensitate luminis reverberata revocatur. Cumque internam dulcedinem degustat, amore æstuat, ire super semetipsam nititur, sed ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabitur; & magna virtute proficiens, videt quia videre non possit hoc quod ardenter diligit: nec tamen ardenter diligeret, nisi aliquatenus videret.* Mox autem casum nostrum in hæc ærumnosa pondera describens, quibus à supernis abstrahimur: (Ibid. c. 25.) *Humana quippe anima primorum parentum vitio à Paradisi gaudiis expulsa, lucem invisibilium perdidit, & totam se in amorem visibilium fudit; tantoque ab interna speculatione cæcata est, quanto foras deformiter sparsa, &c.* Prosequitur Gregorius ibidem regressum animæ in pristinam unde excidit contemplationem; sed quantumvis ea proficiat, brevissima mora est contemplationis puræ & liquidæ: *Transit Deus, quia teneri cognitus non valet. Stat autem, quia inquantum cognoscitur, incommutabilis apparet. Quia ergo raptim is qui semper idem est, cernitur, simul Deus & transiens & stans videtur.*

X. Prolixiùs de his alibi, sed hic interim illud observandum, Gregorium quidem & Bernardum non disputare ferè, nisi de iis raptibus animæ ad intelligibiles veritatis complexus, qui virorum pietate illustrium, & nec omnium etiam speciales quasi prærogativæ sunt. Disseruit & de his alicubi suprà Augu-

Augustinus, maximè ubi inusitatam illam commemoravit dulcedinem, cujus interdum fiebat & ipse compos, quæque si perficeretur, jam futuræ lucis & beatæ vitæ usura quædam esset. Sed præterea duo alia videtur idem Augustinus admisisse repentinarum istiusmodi coruscationum genera. Alterum quo viri ingenio studioque pollentes non sine industria & opera aliqua sua, enituntur per ea quæ facta sunt visibilia conscendere ad invisibilia Dei intelligenda, & perveniunt quandoque ad id quod est sub ictu trepidantis aspectus, divinamque lucem veritatis ita vident raptim, ut aciem figere non valeant. Alterum denique est quorumlibet sana mente judicioque utentium, qui ratiocinari vix tutò unquam possunt, bonaque à malis, vera à falsis, justa ab injustis distinguere, quin animum advertant saltem puncto aliquo temporis ad incommutabiles illas regulas, & ad illa superna lumina, quibus hæc distinguuntur, comparantur, alia aliis præponuntur, & ita judicandum de his, ita actitandum in his esse incommutabili quadam lege veritatis & justitiæ præcipi intelligitur.

CAPUT VIII.

Quomodo Veritas alloquatur Angelos animasque rationales, corporibus absolutas, vel innexas, per sese vel per creaturæ ministerium multiplex. De symbolis veritatis per Angelos fabricatis. Ut Angeli alloquantur Deum.

I. Nihil hic sonorum fingi debet. Alia locutio Dei ad Angelos, & vicissim: alia Dei ad animas, & vicissim: alia Dei ad diabolum, & vicissim.

II. Deus Angelos alloquitur, jubetque, cum veritatis & voluntatis suæ lumina & decreta eis declarat. Illi hæc audiunt, cum hæc vident. Deus loquitur, ut veritas, ut æquitas, ut lex. Angelus audit, cum videt quid veritas jubeat. Ita Gregorius Magnus.

III. Cui in hac præiverat Augustinus.

IV. Loquuntur Angeli ad Deum, cum admirantur, cum amant; Deus illos audit, dum pios hosce in illis motus creat.

V. Collocutio & concertatio Angelorum apud Danielem, quatuor populis præfectorum, luculentè exponitur à Gregorio, de pugnantibus inter se, non Angelis, sed causis & meritis populorum: dum consilia sua libraret Deus, nec panderet. Verba Gregorii.

VI. Ita & Dei ad animas allocutio est, divinæ ad eas veritatis voluntatisque manifestatio: Animarum ad Deum verba reciproca, sunt earum divinæ voluntati acquiescentium desideria & vota. Ita ex eodem Gregorio.

VII. Solus Deus potest intima animæ penetralia inire, & ibi eam alloqui.

VIII. Utitur tamen Deus quandoque, vel Angelis, vel corporibus mediis, ut nos alloquatur.

IX. Philonis sententia de Angelorum in his ministerio.

X. Ex eodem de spiritualibus symbolis, quorum fabricatores sunt Angeli, & quibus pascuntur per otium animæ, quæ nondum patientes sunt puræ veritatis.

XI. Quæ multò uberiùs, & luculentiùs exponit Bernardus, duplicis generis symbola secernens, ab Angelis fabricata.

XII. Ex Gregorio, varii modi, quibus animas Angeli alloquuntur.

I. Cum tam frequenter & Scripturæ & sancti Patres meminerint hujus Dei loquutionis ad Angelos & Angelorum ad Deum, juvabit & in hac re elucidanda aliquid operæ ponere. Et illud primò quidem rectè monet Gregorius, ne in hac sermonis inter veritatem & naturas intellectuales reciprocatione, verba ultro citroque commeantia in modum corporalium sonorum imaginemur. *Dum naturæ invisibili natura incomprehensibilis loquitur, dignum est ut mens nostra qualitatem corporeæ locutionis excedens, ad sublimes atque incognitos modos locutionis intimæ suspendatur.* (L. 2. in Job c. 4.) Secundò, ibidem mox Gregorius sublimes illos, & incompertos reciprocæ locutionis modos tripartitos facit: *Rursus sciendum quia ipsa natura incorporea cum loqui dicitur, ejus locutio nequaquam una atque eadem qualitate formatur. Aliter enim loquitur Deus ad Angelos, aliter Angeli ad Deum. Aliter Deus ad Sanctorum animas, aliter Sanctorum animæ ad Deum. Aliter Deus ad diabolum, aliter diabolus ad Deum.* Quam tripartitam divisionem Gregorii sequemur, & ex ipsius maximè Commentariis illustrabimus; nonnullis aliunde assutis, vel ex Augustino, quem sequutus est Gregorius; vel ex Bernardo, qui Gregorium est imitatus.

II. Quoad Angelos igitur primò, alloquitur ipsos veritas, cum ab ipsis videtur; docet, cum judicia sua eorum mentibus declarat; præcipit, cum prona ad obsequendum gaudia inspirat. Exempli gratia: Genes. x. *Dicit Deus ad Angelos, Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Dicit, Venite, cum in divina contemplatione nunquam deficientes, ideoque semper proficientes, stabili motu figit & impellit. Dicit, Descendamus, cum regendæ inferioris creaturæ jus & animum illis inspirat. Dicit, Confundamus linguam eorum, cum judicii hujus sui ordinem & æquitatem mentali visione explanat. Audiamus Gregorium: *Loquitur Deus ad Angelos sanctos eo ipso, quod eorum cordibus occulta sua invisibilia ostendit; ut quidquid agere debeant, in ipsa contemplatione veritatis legant; ut velut quædam præcepta vocis sint ipsa gaudia contemplationis. Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur. Unde cum eorum cordibus Deus contra humanam superbiam animadversionem ultionis infunderet, dixit, Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum. Dicitur eis qui aderant, Venite, quia nimirum hoc ipsum nunquam à divina contemplatione decrescere semper accrescere est; & nunquam corde recedere, quasi quodam stabili est motu semper venire. Quibus dicit, Descendamus, & confundamus ibi linguam eorum. Ascendunt Angeli in eo quod Creatorem conspiciunt: descendunt in eo quod creaturam sese in illicitis erigentem examine districtionis premunt. Dicere ergo Dei est, Descendamus & confundamus ibi linguam eorum, in seipso eis hoc quod rectè agatur ostendere, & per vim internæ visionis eorum mentibus exhibenda judicia occultis motibus inspirare.* (Moral. l. 2. c. 4.)

Ita Gregorius, ex quo liquet, Angelis audire loquentem Deum, idem esse atque intelligere & videre indubitatissimam atq; evidentissimam veritatem æquitatemque alicujus rei. Sicuti nos cum tria & septem denarium perficere, suum cuique reddendum esse, & id genus alia videmus esse verissima, certissimaque, & incommutabiliter firma, eademque semper futura, Deum ista docentem quasi audimus: quia ista ostendentem in clarissima luce veritatis videmus. Liquet rursus audire præcipientem Deum, idem esse Angelis sanctis, atque sentire intimum instinctum, ingentem æstum, ineffabile gaudium rei tam æquæ exequendæ. Sicut nos cum vel cupiditatem vel charitatem aliquid vehementer appetentem sentimus, illam quasi jubentem audimus. Liquet ex adverso Deum loqui aliquid, idem esse, atque illud verum esse; Deum jubere aliquid, idem esse, atque æquum esse aliquid. Deus enim est illa ipsa veritas & æquitas. Quapropter quia quod semel verum & æquum est, semper verum & semper

æquum fuit, eritque: ita Dei locutio æterna est, & nunquam incipit, nunquam desinit. At quia non semper Angeli vident omne verum, nec semper amant omne æquum, utpote quod non omne semper sciant: hinc nonnisi temporaliter audiunt Deum æternaliter loquentem & jubentem.

III. In hæc omnia præiverat Gregorio Augustinus, cujus hæc sunt verba in eundem locum Geneseos: *Angelis convenit venire ad Deum motibus sanctis, id est, cogitationibus piis, quibus ab eis consulitur incommutabilis veritas, tanquam lex æterna in eorum illa superna Curia. Neque enim sibi ipsis sunt veritas, sed creatricis participes veritatis, ad illam moventur tanquam ad fontem vitæ, ut quod non habent ex seipsis, capiant ex ipsa. Et ideo eorum stabilis est iste motus, quo veniunt qui non recedunt. Nec sic loquitur Angelis Deus, quomodo nos invicem loquimur Deo, nobis, vel Angelis, vel ipsi Angeli nobis, sive per illos Deus nobis, sed ineffabili suo modo, nobis autem hoc indicatur nostro modo.* (Civit. l. 16. c. 6.)

De eadem ineffabili Dei ad Angelos locutione hæc rursus alibi Augustinus: *Dei sublimior ante factum suum locutio, ipsius sui facti est immutabilis ratio; quæ non habet sonum strepentem atque transeuntem, sed vim sempiternè manentem, & temporaliter operantem.* (Ibidem.) Et alibi: *Quomodo Dei simplicem & incommutabilem æternam veritatem consulant sancti Angeli, atque id quod in eo sempiternè justum viderint, pro congruentia rerum inferiorum temporaliter peragant, arduum & explicare longissimum est.* (Lib. 2. ad Simp. q. 5.) Et alibi: *Spiritali creaturæ, Angelis sanctis intus loquitur Deus miro & ineffabili modo, neque per scripturam corporalibus instrumentis affixam, neque per voces corporalibus auribus insonantes, neque per corporum similitudines sicut in somnis, quia & hoc genus exterius est quàm illud, quo in ipsa incommutabili veritate mens rationalis & intellectualis intuetur, eaque luce de his omnibus judicat. Creatura ergo spiritalis & intellectualis, perfecta & beata, qualis Angelorum est, quantum attinet ad seipsam quo sit, sapiensque ac beata sit, nonnisi intrinsecus adjuvatur æternitate, veritate, charitate Creatoris.* (De Gen. ad lit. l. 8. c. 25.) Immediatè itaque alloquitur Veritas Angelos, nec possent hic interseri corpora, sine incorporeæ naturæ ingenti contumelia. Unde rursus idem alibi: *Loquitur Deus, non temporaliter, sed æternaliter; nec incipit loqui, nec desinit. Quod apud illum sincerius audiunt, non corporis aure, sed mentis, ministri ejus & nuntii, qui ejus veritate incommutabili perfruuntur immortaliter beati; & quod faciendum modis ineffabilibus audiunt, & usque in ista visibilia atque sensibilia perducendum incunctanter atque indifficulter efficiunt.* (Civit. l. 10. c. 15.)

IV. Secundò, quomodo Angeli loquantur Deo, breviùs & expeditiùs enarrat Gregorius eodem loco. Nempe Deum alloquuntur, cum Deum admirantur, cum astupent, cum amant. Et Deus has voces ideo audit, quia hos in eis motus ipse efformat, sigillatim effingit: (Moral. l. 2. c. 4.) *Aliter loquuntur Angeli ad Deum; sicut & per Joannis Apocalypsin dicunt, Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem & sapientiam. Vox namque Angelorum est in laude Creatoris ipsa admiratio intimæ contemplationis. Virtutis divinæ miracula obstupuisse, dixisse est; quia excitatus cum reverentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti spiritus clamor vocis. Quæ vox sese quasi per distincta verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis format.* Sic ille alterna illa mutuum animi ceu verborum missitatione inter veritatem & mentem opus esse negat ad miscendum colloquium: sed toties loquitur veritas menti, quoties intelligitur; toties mens veritati, quoties admiratur. Sed in scripturis responsionum alternatio inter Deum & Angelos describitur, quia hominibus humano modo loquendum fuit. Unde & Angeli venisse dicuntur, ut starent coram Deo, etsi Deo semper præsentissimi sint. Nimirum teste Augustino, *Affectio animæ ad veritatem non potuit aliter narrari, nisi temporaliter & localiter quodammodo diceretur.* (Annot. in Job. 1. 1.) Et alibi de Angelorum eloquio ad Deum: *Angeli quæ hominibus nuntiant, nescientibus nuntiant. Quæ autem Deo nuntiant, scienti nuntiant, quoniam illi offerunt orationes nostras; & ineffabili modo de actibus suis æternam Veritatem consulunt, tanquam legem incommutabilem.* (In Psal. 78.)

V. Tertiò, pulcherrimè Gregorius exponit longam illam, multisque tum factis decertatam Angelorum sanctorum contentionem, quæ narratur à Daniele. Ubi videlicet præses Israelis in Perside tum exulantis Angelus, Danieli ejus reditum precibus suis maturare laboranti, ait se quidem ad illius populi liberationem plurimùm certasse; sed viginti & uno diebus restitisse sibi Angelum Persarum, & Angelum Græcorum, unum sibi auxiliarem fuisse Michaelem, residuis in Palæstina Hebræis præsidentem. Quæ verborum factorumque concertatio si ea simplicitate intelligitur, qua narratur, nihil absurdius, nihil excogitari potest indignius sanctis Angelis, summa concordia in summæ Veritatis contuitu potientibus. Ergo summa pax inter illos Angelos semper fuit, sed humano more illa describitur inter eos pugna, seu litigatio, quæ non corporum, non animorum fuit, sed meritorum & causarum. Quatuor enim populorum, quibus illi præfecti erant Angeli, merita pugnabant & causæ. Aliquanta erant merita Israelis, longo jam apud Chaldæos Persis tunc subditos exilio fatigati, ut revocaretur: nondum tamen tanta illa erant, quanta desiderabantur; imò demerita superarant aliqua, ut Persis, seu Chaldæis aliquandiu adhuc subjiceretur. Rursus residui in Palæstina populi vota exulibus suffragabantur; sed gravi aliquo suo retardabantur commisso in Græcos piaculo. Diversis ergo & adversis ad hunc modum meritis pugnabant populi isti quatuor, non Angeli. Causæ causa, non Angelo Angelus adversabatur. Viginti & uno diebus, imò tandiu pugnatum est, quandiu summa Veritas quæ judex sedebat, sententiam libravit, & quæ causa æquior esset, sanctos Angelos dubitare ac fluctuare passa est. Universim ergo ut coram summa Veritate se habent diversæ populorum causæ, ut alternant, ut pendent, ut pugnant, ut vincunt & præponderant; ita accommodata popularibus auribus narratione sancti Angeli eorum præsides fluctuant, hærent, certant, vincunt. Et omnes inter hæc eorum locutiones in hunc sensum torquendæ sunt, habendæque pro negatis, suspensis, collatis summæ Veritatis manifestationibus.

Gregorio nunc animos auresque advertamus, hæc in hunc modum enucleanti: *Quæ pax potest esse in sublimibus, si inter ipsos quoque Angelicos spiritus præliandi certamen agitur, qui semper in conspectu Veritatis assistunt? Sed quia certa Angelorum ministeria dispensandis singulis quibusque gentibus sunt prælata, cum subjectorum mores adversum se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus contra se venire referuntur.* (Moral. l. 14. c. 8.) Sic ille modum referat hujus certaminis interpretandi. Dumque quatuor istorum populorum diversa & contraria merita exposuisset, addit: *Rectè ergo dicitur, quod contra se Angeli veniunt, quia subjectarum sibi Gentium vicissim sibi merita contradicunt.* Et tandem: *Quorum tamen omnium una victoria est, sui super se opificis voluntas summa; quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt.* Ita sanctus Pater elucidat, quomodo tanta lis inter Angelos concertata, & tandem composita fuerit, summa & incommutabili veritate, æquitatis voluntatisque suæ decretum occultante priùs, postea manifestante.

VI. Quartò. Quoad animas sanctas & mortali hoc ævo jam defunctas, Dei ad ipsas & ipsarum ad

Deum

Deum locutio ejusdem propè modi est, atque de Angelis explanavimus. Loquitur ad illas veritas, cum novo illas lumine collustrans, quod priùs eas latebat, manifestat: vel occulta desideria inspirans, complendæ æternæ legis voluntatem & voluptatem infundit. Loquuntur ipsæ ad veritatem, quoties quæ illi collibita esse vident, eaquoque eis allubescunt. Verbi gratia, animæ sanctorum Martyrum quia vident in æternæ veritatis lege fixum esse, ut ipsarum sanguis vindicetur, ejusdem rei ingenti desiderio flagrant; & hoc flagrantissimè desiderare, perinde est ac dicere, ut habetur in Apocalypsi, *Usquequo Domine non judicas, & vindicas sanguinem nostrum, &c.* Et rursus quia simul illis ab eadem æterna lege declaratur, nonnisi toto simul collecto fratrum numero vindicatum iri, ejusque moræ sustinendæ magna ipsis voluntas & voluptas inspiratur, perinde est ac si ad eas diceretur, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus fratrum eorum. Gregorius Magnus: *Quid est, animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremi judicii & resurrectionem extinctorum corporum desiderare? Magnus quippe earum clamor magnum est desiderium. Animarum igitur verba ipsa sunt desideria.* Et infrà: *Desiderantibus animabus, Requiescite tempus adhuc modicum, dicere, est inter ardores desiderii ex ipsa præscientia solatium consolationis aspirare. Ut & animarum vox sit hoc quod desiderant; & respondentis Dei sermo sit hoc, quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat. Respondere ergo eis est, ut collectionem fratrum expectare debeant, eorum mentibus libenter expectandi moras infundere; ut cum carnis resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum fratrum augmento gratulentur.* Ubi etsi inter veritatem & animas sanctas res hæc tota simplicissimè transigatur, veritate quidem simul & semel revelante æquum esse, ut corpora sua recipiant, sed priùs fratrum paria expectanda esse certamina, ut tum simul cum ipsis resurgant: animabus autem desiderantibus, & non nisi post impletum fraterni Martyrum collegii numerum desiderantibus corpora sua recipere. Quamvis inquam res tota ita transigatur simplicissimè, unico veritatis radio ad animas allabente, unico animarum desiderio ad veritatem reciprocante; humano tamen ex ingenio describitur quasi longa sermocinatio, cum multiplici hinc & inde dictorum & responsorum alternatione. Ita concinnari, temperarique decuit Scripturas, omnium salutis duces & magistras, ut haberent in cortice, quod rudibus blandiretur: premerent in recessu, quod ingeniosos, piosque exerceret, & erudiret.

Cap. 6.

Moral. l. 2. c. 4.

Quintò. Quoad animas mortale hoc ævum & corpus adhuc agitantes, alloquitur illas veritas vel per se, vel per Angelos; eo solemni in primis observato discrimine, quòd cum per se Deus eas alloquitur, nullo vel corpore, vel phantasmate intermedio utatur, sed solus solas, nudus nudas attingat; cum verò per Angelos, corporeum aliquid plerumque, vel etiam semper intercurrit. Gregorius Magnus ita habet; *Sciendum quia duobus modis loquutio divina distinguitur. Aut per semetipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam Angelicam ejus ad nos verba formantur. Sed cum per semetipsum loquitur, sola nobis vis interna inspirationis aperitur: de verbo ejus sine verbis & syllabis cor docetur, sine strepitu sermo est, qui & auditum aperit, & habere sonitum nescit.* Ita Gregorius.

Moral. l. 28. c. 1.

VII. Sed illud ipsum solius Dei privilegium, ut mentem intellectualem in intimo ejus penetrali conveniat & doceat, disertissimè exponit Bernardus & probat: *Illud autem scitote nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante nostri suive corporis instrumento, ita nobis immisceatur, & infundatur, quo ejus participatione docti, sive doctiores, vel boni, sive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax. Nec ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde prærogativa hæc summo & incircumscripto Spiritui, qui solus cum docet Angelum, sive hominem scientiam, instrumentum non quærit nostræ corporeæ auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur, per se innotescit, purus capitur à puris; solus nullius indiget, solus & sibi & omnibus de sola omnipotenti voluntate sufficiens.* Ita Bernardus, ipsum adytum penetrale animæ intellectualis adeo sacrosanctum esse ostendit, ut soli Deo pateat, non animæ alteri cuicumque, non Angelo; solam veritatem animæ intimam & domesticam esse: cætera omnia extranea esse, foris circuire & circumstrepere posse, non intus penetrare. Ex quo idem Bernardus sermone sequenti concludit soli Deo competere veram incorporeitatem, quòd nullo corpore ad quodcumque opus indigeat; mens verò etiam Angelica animas convenire nequeat, nisi per corpus aliquod, vel phantasma interjectum. *Demus securi veram Deo soli, sicut immortalitatem, ita & incorporeitatem; quod solus Spirituum universam corpoream naturam usque adeo transcendat, ut quocumque corpore in quocumque opere non indigeat, solo spirituali nutu cum vult, ad quæcumque vult, agenda contentus docet, vel monet sine lingua, &c.*

In Cant. Serm. 5.

VIII. Sextò. Utitur autem Deus Angelis, vel quibuscumque aliis creaturis ut animas alloquatur, non ad sui solatium, sed ad earum honestamentum. Non eo ipse indigens, sed id illis indulgens; non mendicans, sed imperans. Angelos potissimum quando adhibet, non sibi quærit auxilium, sed ipsis meriti & laudis incrementum; ut non tantùm illuminentur, sed & illuminent; veritatem non tantùm bibant, sed profundant; effundant quo perfunduntur. Unde Bernardus: *Operatur immensa atque innumera per subjectam creaturam corporalem, sive spiritualem, sed quasi imperans, non quasi mendicans. En verbi gratia quod linguam meam corporalem assumpsit nunc in opus suum, docere videlicet vos, cum per se absque dubio facilius suaviùsque id posset, profecto indulgentia est, non indigentia. In profectu siquidem vestro meritum quærit mihi, non sibi solatium.*

In Cantica Serm. 5.

IX. Consentit & Philo Judæus, libro, quod Deus sit immutabilis. En ut ille differat: *Is certè nunquam è cisterna biberet, cui Deus præbet potus meracos, nunc Angelis pincernas agentibus, nunc ipse infundens, non expectato internunciorum officio.* Ita Philo, qui libro de somniis aliam ejusdem rei pulcherrimam profert rationem, videlicet, quod divinos veritatis fulgores non patiantur, nisi purgatissimæ mentes: reliquæ autem tanti luminis impatientes temperari illud sibi desiderent, quod Angelicum ministerium est, ut intolerabilem nobis veritatis splendorem Angelus excipiat, commitiget, nostræque infirmitati attemperet; sicut quondam Israelitæ mediatore Moyse indiguerunt, ne divinæ vocis majestate exanimarentur. *Sunt quædam mentes purissimæ, optimæque omnium, quæ altius diviniusque sapiunt, aspernatæ ista terrestria & humilia, ministræ omnipotentis, tanquam magni Regis aures & oculi, videntes audientesque omnia. Hos genios Philosophi, Angelos vocant sacræ litteræ, nomine aptissimo; sunt enim internuncii, Patris mandata perferentes ad filios, & ad illum vicissim preces filiorum. Ideo inducuntur ascendere & descendere, non quod indicibus indigeat Deus, qui antè scit omnia; sed quoniam id conducit nobis mortalibus habere mediatores illos & arbitros, quo magis revereamur rerum omnium præsidem, & ejus maximam potentiam. Quam reputantes olim rogavimus quendam mediatorem: Loquere nobis tu, non Deus loquatur ad nos, ne moriamur. Adeo enim ferre non possumus illum castigantem, ut ne mera quidem ejus beneficia queamus capere, si ea per seipsum sine aliis ministris porrigat.*

Duplici ergo illa ratione movetur veritas, ut Angelico ministerio plerumque ad nos utatur, tum ut Angelorum dignitati, tum ut nostræ infirmitati consultum sit.

X. Septimò, purgatissimæ tantùm animæ ipsius per sese docentis Veritatis colloquio fruuntur, idque sæpiùs quidem, sed breviter & raptim tantùm. Statim enim in symbola, seu spiritalia, seu corporalia reverberatæ delabuntur, & ab Angelis excipiuntur, horum symbolorum concinnatoribus. Reliquas autem animas de terrenis sordibus luculentiores, eruptiones quidem nonnullæ veritatis interdum intermicantis pulsant, sed rarissimè & brevissimè. Quoties autem vera capiunt, quoniam non sine phantasmate capiunt, angelico beneficio per res corporeas ad aliquam veritatis auram & quasi olfactum perducuntur. Ratio hujus rei est, quam Philo prius indigitavit, quòd nec Deus velit nondum mundis cordibus sese committere, nec corporei oculi tantam lucem ferre possint. Sicut ergo illuminatis corporibus conspiciendis præparantur oculi ad patientiam lucis; ita symbola utriusque generis mentes frequentiùs contemplando exercentur & roborantur, ut ipsum quoque veritatis Solem intueri aliquando possint. Hæc duplicia symbola in quibus quasi tyrocinium ponit anima, ut per hanc quasi scalam, succollantibus quodammodo Angelis, ad solium veritatis conscendat, exponit Philo, eodem libro de Somniis: *Hanc scalam si quæramus in hominibus, animam inveniemus, cujus basis est penè corporea, & tanquam terra, scilicet sensus; caput verò tanquam cœleste, mens illa purissima. Per eam sursum deorsumque indesinenter feruntur intelligentiæ: quoties ascendunt, trahentes eam secum, divellentesque à rebus mortalibus, & pro dignitate tantùm ostendentes ei spectacula. Purgatissimas quidem mentes solus Deus omnipotens insensibiliter invisibiliterque dignatur invisere. Sic enim legitur in quodam oraculo, quod viro sapienti redditum est, Inambulabo, & ero Deus vester. Eas verò quæ adhuc lavantur, necdum abstersis omnibus sordibus quæ contrahuntur ex corpore, intervisunt Angeli & exhilarant aspectu honestissimo.* Sic ille purissimas tantùm mentes à Deo intervisi, reliquas è duplici illo spectaculorum seu symbolorum genere, pro suâ dignitate & puritatis gradu tradit oblectari.

XI. Sed multò præstantiùs hoc ipsum exponit Bernardus. Et primò quidem ut Angeli internuntii sint, & mediatores hujus arcanæ animarum cum Deo collocutionis. *Angelus ejus qui unus est* (In Cantica, Serm. 31.) *de sodalibus sponsi in hoc ipsum deputatus, minister profectò & arbiter secretæ mutuæ salutationis, &c. Is in omni loco sedulus quidam pedissequus animæ, non cessat sollicitare eam, & assiduis suggestionibus monere, dicens, Delectare in Domino, &c. Fidelis paranymphus, qui mutui amoris conscius, non invidus, non suam quærit, sed Domini gratiam. Discurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, referens dona. Excitat istam, placat illum. Interdum quoque licet raro repræsentat eos pariter sibi, sive hanc rapiens, sive illum adducens; siquidem domesticus est, & notus in palatio, nec veretur repulsam, & quotidie videt faciem Patris.*

(In Cantica Serm. 41.) Ita Bernardus, qui idem longè expressiùs alibi differit, ut Angeli symbola rerum divinarum animæ suggerant, hisque illam paulatim à terra suspensam, ad puriorem præparent lucis haustum, donec aliquando ipsi eam copulent immediatè veritati. Diuturnioris autem hujus copulæ & fruitionis adhuc impatientem excipiant, novisque symbolis, sed spiritalibus plerumque pascant; ut in iis & ipsa diutiùs immorari, & inde etiam reliquas animas minùs adhuc puras impartiri possit. Ad hoc aptat Bernardus illa sociorum Sponsi in Canticis, seu Angelorum verba ad animam, seu Sponsam: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quæ ita illustrat: *Aurum est divinitatis fulgor, aurum sapientia, quæ desursum est. Hoc auro fulgentia quædam quasi veritatis signacula, spondent se figuraturos hi, quibus id ministerii est, superni aurifices, atque internis animæ auribus inserturos. Quod ego non puto esse aliud, quàm texere aliquas spirituales similitudines, & in ipsis purissima divinæ sapientiæ sensa animæ contemplantis conspectibus præsentare, ut videat saltem per speculum, & in ænigmate, quod nondum facie ad faciem valet ullatenus intueri.* Cùmque egisset de illis animæ raptibus, quibus coruscat ei divina lux, *Cum autem divinius aliquid raptim & veluti in velocitate corusci luminis interluxerit menti spiritu excedenti: sive ad temperamentum nimii splendoris, sive ad doctrinæ usum, continuò, nescio unde, adsunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum similitudines, infusis divinitus sensibus convenienter accommodatæ, quibus quodammodo adumbratus purissimus ille & splendidissimus veritatis radius, & ipsi animæ tolerabilior fiat, & quibus communicare illum voluerit, capabilior. Existimo tamen ipsas formari in nobis sanctorum suggestionibus Angelorum; sicut è contrario contrarias ingeri & malas immissiones per angelos malos non dubium est. Et fortassis hinc illud est speculum atque ænigma, ut dixi, per quod videbat Apostolus, ex istiusmodi puris pulcrisque imaginationibus, Angelorum quasi manibus fabricatum: quatenus & Dei esse, quod purum, & absque phantasia corporearum imaginum cernitur, sentiamus; & elegantem quamlibet similitudinem, qua id dignè vestitum apparuerit, ministerio deputemus angelico.* Ita Bernardus fulgentia veritatis signacula, id est, symbola, sed pura & spiritalia, ab Angelis fabricari, & animæ à deliciosis illis raptibus fatiscenti subministrari tradit, ut iis diutiùs delicietur ipsa, & ex aliis alios condocefaciat.

XII. Octavò. Sunt autem modi complures, quibus per Angelos hominum animas alloquitur veritas. Eos recenset Gregorius in hunc modum: *Cum per Angelum voluntatem suam Dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando rebus demonstrat, aliquando simul verbis & rebus, aliquando imaginibus cordis oculo ostensis, aliquando imaginibus & ante corporeos oculos ad tempus ex aere assumptis, aliquando cœlestibus substantiis, aliquando terrenis, aliquando cœlestibus simul & terrenis. Nonnunquam verò etiam per Angelum humanis cordibus ita loquitur Deus, ut ipse quoque Angelus mentis obtutibus præsentetur.* (Moral. l. 28. c. 1.) Exempla mox suggerit Gregorius novem istorum generum locutionis ad nos divinæ per Angelos dispensatæ. Verbis, ut cum Christo cœlitus responsum est, *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Rebus, ut cum electri species in igne Ezechieli ostenditur. Verbis simul & rebus, cum idem Deus & motibus insinuat, & sermonibus narrat; sicut cum deambulans in Paradiso post meridiem, dixit Adamo, Ubi es? Deambulabat enim, non stabat, jam pulsus ab ejus corde per peccatum; ideo post meridiem charitatis extincta luce & flamma; quod idem significant hæc increpantis verba, Ubi es? ut qui videre posse desierat per culpam, audiret jam saltem Deum. *Neque enim Adam post culpam videre in divinitatis substantia Dominum potuit, sed increpationis verba per Angelum audivit.* Rursus imaginibus intus ostensis loquitur Deus, ut cum Jacobus in somnis scalam vidit. Imaginibus foris exhibitis, ut cum Abraham Angelos excepit. Cœlestibus substantiis, ut cum vox de nube Christo insonuit baptizato. Terrenis substantiis, ut cum per os asinæ Balaamum increpuit. Cœlestibus simul & terrenis, ut cum in igne cœlesti Rubus Moysi apparuit. Denique ipsa substantia angelica intimè præsente, ut cum Zacharias dixit, Et dixit ad me Angelus qui loquebatur in me,

CAPUT IX.

Continuatio ejusdem argumenti, ut Deus animas alloquatur, tanquam veritas sempiterna & incommutabilis; sive per se, sive per Angelos, sive per creaturas alias eas alloquatur.

I. Etsi per Angelos, solus tamen ad animas loquitur Deus.

II. Per universam corpoream creaturam animas alloquitur semper veritas & lex sempiterna.

III. Maximè tamen homines per homines alloquitur veritas.

IV. Cum animas Deus alloquitur, perinde ut cum Angelos, non reciprocantibus verbis, sed motibus animi id fit, ex Philone.

V. Item ex Gregorio Magno & Bernardo: qui rem permagni momenti inculcat, ne nostræ unquam perspicaciæ adscribamus, si quid sapimus boni, si quid veri intelligimus, sed Verbi Dei allocutioni, & ostendenti se incommutabili veritati.

VI. Superiora ex Augustino confirmantur. Regulæ generales divinæ locutionis.

VII. Ut Adamum alloqueretur Deus.

VIII. Nova ex Augustino testimonia, quæ Gregorius supra imitabatur.

IX. Augustini doctrina de Angelorum in his medio famulatu.

X. Suffragium Ambrosii.

XI. Et Cyrilli Alexandrini.

XII. Et Chrysostomi, de concertatione Angelorum apud Danielem.

I. NOnò. Quanquam externa hæc omnia, vel interna visa, ceu verba, per Angelos excitentur, per hæc tamen propriè non ipsi, sed Deus animas alloquitur. Hinc est enim quod in Scripturis tam sæpè idem nunc Angelus, nunc Deus appellatur. *Hinc est quod Angelus, qui Moysi apparuisse describitur, modò Angelus, modò Dominus memoratur. Angelus videlicet propter hoc, quod exterius loquendo serviebat; Dominus autem dicitur, quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat. Cùm ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur.* Ita Gregorius. (Præfat. Mor. in Job c. 1.)

II. Decimò. Sed quia illa omnia divinæ per Angelos locutionis genera, quæ supra exposuit Gregorius, rara & insuſitata ferè sunt, paucissimisque indulta: universaliùs sentiendum est, per totam creaturam corpoream animas jugiter commoneri à veritate; & opera Dei omnia, seu quæ ab initio condita perstant, seu quæ per alternantes temporum vices subinde novantur, verba esse muta & disertissima tamen divinæ ad nos disciplinæ & veritatis. Ita enim decebat, Verbi apud Deum non transeuntis, sed stantis verba ad nos facta, stare & ipsa; seu opera esse constantia, non verba transeuntia; res, non voces. Expediebat quoque animabus, non transvolantibus & obliviscendis vocibus, sed perpetuis & duraturis passimque obversantibus operibus edoceri. Hinc Philo eruditè libro de Decalogo commentatur illa verba Exodi, ubi dicitur populus non audisse, sed vidisse Dei verba: *Universus populus videbat vocem apertissimè. Humana enim vox auditu, divina visu percipitur. Quare? Quia quæcumque Deus dicit, non verba sunt, sed opera; quorum judicium non tam est penes aures, quàm penes oculos.*

Hinc rursus idem est Verbum & splendor Patris, quia ejus eadem est vox & lux, ut & anima tota est auditus, & visus. Unde Bernardus: *Est non tantum vox virtutis, sed & radius lucis: nec ulla interna hujus lucis & vocis differentia est; cum unus idemque sit Dei Filius, & Verbum Patris, & splendor gloriæ. Sed & animæ quoque substantia, in suo quidem genere etiam ipsa spiritualis & simplex sine ulla distinctione sensuum, sic tota, si tamen tota dicenda est, ut & videns pariter & audiens videatur.* (De Conver. ad Cler. c. 2.)

Hinc Gregorius in illa verba Job: *Non contradicam sermonibus Sancti*, Sermones interpretatur verbera ipsa, quibus à Deo vapulabat Job. *Plerumque ad nos verba Dei non sunt dictorum sonitus, sed effectus operationem. In eo enim nobis loquitur, quod erga nos tacitus operatur. Beatus ergo Job sermonibus Sancti contradiceret, si de ejus percussionibus murmuraret.* (Moral. l. 7. c. 7.)

Denique Hugo de sancto Victore ait in Scripturis etiam sanctis veritatis oracula rebus ipsis magis nos edoceri, quàm sermonibus. *Sciendum quod in divino eloquio non tantum verba, sed etiam res significare habent. Qui modus non adeo in aliis scripturis inveniri solet. Philosophus solam vocum novit significationem. Sed excellentior valdè est significatio rerum, quàm vocum, quia hanc usus instituit, illam natura dictavit; hæc hominum vox est, illa vox Dei ad homines; hæc prolata perit, illa creata subsistit; vox tenuis est nota sensuum, res divinæ rationis est simulachrum.* Ex his ergo perspicuum est, res omnes seu à Deo primùm conditas, seu temporum tumultuatione postea innovatas, voces esse temporaliter, commutabiliter, sed jugiter sonantes, veritatis æternæ incommutabilisque jugiter animas nostras erudientis, suaque documenta undique, ut ubique occurrant, ingerentis. Itaque totus hic orbis schola est veritatis; tota dispensatio creaturæ eloquentia & eloquutio est disciplinæ; singulæ creaturæ singulæ voces sunt, tandiu sonantes, tandiu veritatem creatricem personantes, quandiu sunt. (Erud. didasc. l. 5. c. 3.)

III. Undecimò. Maximè tamen Veritas homines per homines alloquitur. Omnis quippe homo mendax, sed quoties veritatem loquitur, ut organum veritatis loquitur; & quoties veritatem ab homine audimus, veritatem à mendaci audimus; sed vim & majestatem veritatis per organum tametsi perversum incorruptè erumpentis mirari jubemur. Unde Philo libro, Quis rerum divinarum hæres? *Solus sapiens est instrumentum Dei resonans, ab eo contactum & pulsatum invisibiliter. Quocirca quotquot inter justos censentur, inducuntur Prophetæ pleni cœlesti Numine.* Ita Philo exponit, cur nomen Prophetæ tam promiscuè perumque sacri codices tribuant compluribus: quia nimirum quisquis veritatem loquitur, prophetat. Loquitur enim cœlesti veritatis Numine correptus. Et Gregorius Magnus: *Omnes qui fide pleni, de Deo sonare aliqud nitimur, organa veritatis sumus, & in ejusdem veritatis potestate est, utrum per me sonet alter, an per alterum mihi.* Qui rursus idem acutè colligit ex eo Psalmi versiculo, *Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax*. Sic autem habet: *Huic sententiæ David Propheta concinens, ait, Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax. Cui responderi potest, omnis, & tu; falsaque jam erit sententia, quam mendax ipse protulisti. Si autem ipse non es mendax, vera jam sententia non erit; quia dum tu verax, non omnis homo cognoscitur mendax. Sed notandum est quod prætermittitur, Ego dixi in excessu mentis meæ Per excessum ergo mentis etiam semetipsum transiit, cum de hominis qualitate definivit; ac si pariter dicat, De falsitate hominum inde sententiam veram protuli, unde supra hominem fui; in tantum verò & ipse mendax, in quantum homo; in tantum autem omnino non mendax, in quantum per excessum mentis super hominem.* (Moral. l. 30. c. 18.)

Hugo de sancto Victore ita existimat, ut veritas semel carne humana induta est, ita eandem sæpissimè voce humana indui & quasi inhumanari, ut hominibus se per humanitatis organa manifestet. Hinc ait exponi, cur Scripturæ sermonem Dei nunc unum

unum dicant, nunc multiplicem; nunc, Semel locutus est Deus; nunc, Ut custodiam sermones tuos; quia nempe semel Veritas per carnem humanam, sed toties per vocem humanam corporata quodammodo & manifestata est, quoties per homines veritas est pronuntiata. In libello inter Opuscula Eruditionis Theologiæ permixto, cui titulus est, Quomodo sermo Dei unus; *Loquitur Deus per homines, loquitur per se; multos sermones per homines, unum per semetipsum; sed quoscumque per hominum ora protulit, iste unus in illis omnibus; & omnes in isto uno unum sunt, qui sine isto quolibet loco & tempore prolati esse non possunt. Videamus ergo magnum sacramentum. Verbum Dei humana carne vestitum semel visibile apparuit, & nunc quotidie idem ipsum humana voce conditum ad nos venit. Et quamvis aliter per carnem, aliter per vocem humanam hominibus innotescat, quodammodo tamen hic intelligenda est vox Verbi, quod ibi caro Dei.* Ita ille, qui aliquantò etiam luculentiùs alibi exponit, ut veritas & sapientia Dei triplici sese organo induerit, ut nos alloqueretur; opificio creaturæ, Christi carne, hominis voce; triplici hoc instrumento velari, & velatam exhiberi nobis sapientiam & veritatem Dei omnem. *Dei sapientia cum primum in rerum creatione ad nos egressa fuit, non nuda exivit, sed specie rerum creatarum induta nobis apparuit. Secundo eadem sapientia, id est, Filius Dei, cum se nobis manifestavit, indumentum mentis assumpsit, & sic visibilis apparuit. Tertiò sacro verborum velamine induta eadem sapientia intellectui nostro se præsentat. Oportet namque propter nostram fragilitatem ex visibilibus ad invisibilia conscendere.* Sic ille de variis modis quibus ad nos veritas quodammodo corporata sermocinatur.

Miscel. l. Tit. 184.

IV. Duodecimò. Ut redeamus ad ipsum caput, Cum Deus seipso, id est, incommutabili veritate animas alloquitur, hæc verborum reciprocatio intelligenda est fieri, eodem ferè modo, quo suprà de Angelis & de beatis animabus explanavimus: non de corporalibus syllabis ultro citroque commeantibus, sed puris animi motibus. Unde Philo, libro, Quis rerum divinarum hæres, *Moyses, ait Scriptura, loquebatur, & Deus ei voce sua respondebat. Non docens eum per certas orationis periodos, sed semper & continenter ei respondens. Ubi autem responsio, ibi utique & interrogatio. Rogat autem quisque quod ignorat, cupiens id discere. Ergo sapientes Deo præceptore magistroque utuntur; imperfecti verò sapiente illo ad quem dicunt, Loquere tu nobis, non loquatur nobis Deus, ne fortè moriamur.* Ita Philo homines insipientes à Deo edoceri ait per sapientem; sapientem autem à Deo, non transeuntibus sonis, qui utique brevi fugerent, sed manentis veritatis inspiratione; hominem verò interrogare oraculum veritatis, non aliud esse, quàm nescientiam suam humiliter agnoscere, & eruditionem ardenter desiderare. Veritatem interrogatam respondere, perinde esse, atque optatam illustrationem menti aspirare.

Moral. l. 35. c. 3.

V. His concinit Gregorius Magnus: *Quia ideo quisque interrogat, ut discere valeat quod ignorat, hominis Deum interrogare, est in conspectu ejus nescientem se agnoscere. Respondere autem Dei est, eum qui se bene & humiliter nescientem cognoverit, occultis inspirationibus erudire.* Nec ab his abludit Bernardus: *Verbo dicere animæ, Pulcra es, & appellare amicam, infundere est, unde & amet, & se amari præsumat. Ipsi verò vicissim nominare dilectum, & fateri pulcrum, est ipsum quod amat, & quod amatur, sine fictione & fraude ascribere illi, & mirari dignationem, & stupere ad gratiam. Itaque locutio Verbi infusio doni; responsio animæ cum gratiarum actione admiratio.* Ita Bernardus rem summi momenti monet, altissimè infigendam animis, & abstersis quæ in contrarium tantoperè invaluerunt præjudiciis, irradicandam. Vix enim satis persuaderi possumus, quin ubi clarè & certè aliquid veri cognoscimus, id nostræ mentis acumini & perspicaciæ imputemus, ingeniique nostri excogitationem malimus esse, quàm Dei allocutionem. At danda est etiam atque etiam opera, ut extirpetur radicitus hoc præjudicium æternæ veritati contumeliosum; & omnis clara & firma intellectio veri cujuscumque, summæ veritatis allocutio & aspiratio esse intelligatur. Nos enim intelligimus veritatem, sed intelligimus etiam per veritatem; illam videmus, sed per illam. Mens videt, sed veritas se ostendit. Mens audit intelligendo, sed veritas loquitur. Mens perspicuæ intellectionis motum in seipsa sentit, sed veritas illum motum excitat. Nam si quæras quid mens non tantùm cogitet in se, sed quid excogitet ex se; respondent sacræ litteræ, *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur.* Si quæras unde hauriatur ergo intellectio veritatis, audies easdem Scripturas, vel in eisdem Deum, *Ego sum veritas, ego sum qui loquor justitiam.* Unde rursum Bernardus, *Sunt verba Verbi ad nos, nostræ meditationes de ipso.* Et infrà: *Tu cum tibi aliqua talia volvi in animo sentis, non tuam putes cogitationem, sed illum agnosce loquentem, qui apud Prophetam dicit, Ego sum qui loquor justitiam. Simillima enim sunt nostræ cogitata mentis sermonibus veritatis in nobis loquentis: nec facilè quis discernit quid intus pariat cor suum, quidve audiat; nisi qui prudenter advertit Dominum in Evangelio loquentem, Quia de corde exeunt cogitationes malæ; &, Qui loquuntur mendacium, de suo loquuntur.* Ita ille regulam ostendit certissimam, qua dignoscamus res duas sibi simillimas, & longè tamen diversissimas, nostras cogitationes, & Dei locutiones. Videlicet si qua mendacia, si qua mala, ea ex nostro penu cogitamus, ea excogitamus. Si qua vera, si qua pia & casta, ea cogitamus quidem, non excogitamus; in nobis ea sunt, non ex nobis; ea inspirantur à veritate, audiuntur à nobis; quia Deus veritas est: &, Ille solus loquitur justitiam; &, Unus est magister Christus; &, Qui de suo loquitur, mendacium loquitur; &, Omnis homo mendax.

Serm. 45. in Cant.

Serm. 35. in Cant.

VI. Antequam ulteriùs progrediar ad Angelos malos, Deique ad ipsos & ipsorum ad Deum allocutiones, juvat antedictorum complura promiscuè novis ex Augustino testimoniis fulcire. Sic ergo ille universim, ut Deus ad Angelos & ad animas, per sese, vel per creatas naturas alias loquatur, illum hoc loco versans nodum, quomodo Deus ad primos parentes ante peccatum loqueretur. *Si modum quærimus, quomodo ista locutus sit Deus, modus quidem ipse à nobis propriè comprehendi non potest; certissimè tamen tenere debemus, Deum aut per suam substantiam loqui, aut per sibi subditam creaturam; sed per suam substantiam non loqui, nisi ad creandas omnes naturas. Ad spiritales verò atque intellectuales, non solum creandas, sed etiam illuminandas, cum jam possunt capere illuminationem ejus, qualis est in Verbo ejus, quod in principio erat apud Deum, & Deus erat Verbum, per quod facta sunt omnia. Illis autem qui eam capere possunt, cum loquitur Deus, nonnisi per creaturam loquitur, aut tantummodo spiritalem, sive in somnis, sive in extasi, similitudine rerum corporalium: aut etiam per ipsam corporalem, dum sensibus corporis vel aliqua species apparet, vel insonant voces.* Hæ sunt regulæ generales, hi fontes, quibus suos hortos, suos inquam Commentarios Gregorius locis suprà allegatis irrigavit.

De Gen. ad lit. c. 27. l. 8.

VII. Pergit porrò inde Augustinus ad specialem illam rationem, qua Adamo loquebatur, alterutro nempe modorum antedictorum, vel seipso & incommutabili sua veritate, si is tunc erat Adamus, qui lucem & afflatum ejus sine temperamento & sine medio pati posset; sin minùs per creaturæ sensibilis mini-

Ibidem. ministerium. *Si ergo Adam talis erat, ut posset capere illam locutionem Dei, quam mentibus Angelicis per suam præbet substantiam: non dubitandum est, quod ejus mentem per tempus moverit miro & ineffabili modo, non motus ipse per tempus: eique utile ac salubre præceptum veritatis impresserit; ut quæque transgresori pœna debetur, ea ipsa ineffabiliter veritate monstraverit; sicut audiuntur vel videntur omnia præcepta bona in ipsa incommutabili sapientia, quæ in animas sanctas se transfert ex aliquo tempore, cùm ipsius nullus sit motus in tempore. Si autem ad eum modum Adam justus erat, ut ei adhuc opus esset alterius creaturæ sanctioris & sapientioris authoritas, per quam cognosceret Dei voluntatem atque jussionem, sicut nobis Prophetæ, sicut ipsis Angeli; cur ambigimus per aliquam hujusmodi creaturam ei esse locutum Deum, talibus vocum signis quæ intelligere posset?* Fluctuabat tum fortè Augustinus, at postea ad priorem harum sententiarum prorsus se contulit, ut ex inferiùs dicendis liquebit.

Cap. 9. Quibus finitima sunt quæ alibi idem Augustinus disputat contra Adimandum Manichæi discipulum. *Filius qui est Verbum Dei, non solùm novissimis temporibus, cùm in carne apparere dignatus est; sed etiam priùs à constitutione mundi, cui voluit, de Patre annuntiavit, sive loquendo, sive apparendo, vel per angelicam aliquam potestatem, vel per quamlibet creaturam. Quia ipse est in omnibus veritas, & omnia illi constant, & omnia illi ad nutum serviunt atque subjecta sunt; ut etiam oculis per visibilem creaturam, cui vult, quando dignatur, appareat: cùm ipse tamen secundùm divinitatem suam, & secundùm id quod Verbum est Patris, coæternum Patri & incommutabile, per quod facta sunt omnia, nonnisi purgatissimo & simplicissimo corde videatur. Et ideo quibusdam locis etiam Scriptura ipsa testatur Angelum visum, ubi dicit Deum visum. Sicut in illa luctatione Jacob, &c. Et in eremo, &c. Et in rubo, &c. Sicut enim Verbum Dei est in Propheta, & rectè dicitur, Dixit Dominus, quia Verbum Dei, quod est Christus, in Propheta loquitur veritatem: sic & in Angelo ipse loquitur, quando veritatem Angelus annuntiat: & rectè dicitur, Deus dixit, Deus apparuit, &, Angelus dixit, Angelus apparuit, cùm illud dicatur ex persona inhabitantis Dei, hoc ex persona servientis creaturæ.* Et mox: *Cùm enim veritas peccatoribus dicatur, per quamlibet creaturam dicatur, nonnisi ab illo dicitur, qui unus est verax.*

VIII. Hæc omnino imitabatur locis supra laudatis Gregorius. Vide si vacat & sermonem ejusdem Augustini contra Manichæos, ubi complures edisserit modos divinæ locutionis, & suis quoque confirmat exemplis ex Scripturis; & hæc tandem adnectit:

De diver. Serm. 16. *Loquitur etiam Deus in bonorum malorumque conscientiæ. Nam & approbare quod bene facit, & improbare quod peccat, nemo rectè potest, nisi ad eadem illa in silentio cordis vel laudante vel clamante voce veritatis. Veritas autem Deus est: qua cum tam multis modis loquatur hominibus, & bonis, &, malis; quanquam non omnes, quibus tot modis loquitur, possint quoque ejus substantiam naturamque conspicere: quis hominum potest conjiciendo, aut cogitando colligere, quot & quibus modis eadem veritas loquatur Angelis, sive bonis, qui ejus ineffabili pulcritudine & specie per mirabilem charitatem contemplando perfruuntur; sive malis, qui depravati per superbiam suam, & ab ipsa veritate in inferioribus ordinati, possunt quibusdam latentibus modis vocem ejus audire, quamvis faciem ejus videre digni non sint?*

Illum quoque alium locum imitandum sibi proposuit Gregorius, ubi Augustinus ait animam loqui ad Deum, non modò cum cogitationes affectusque suos ad eum dirigit; sed & quocumque affectu suo, vel cogitatu pio. Hæc enim efformare, perinde est ac ostendere veritati; ostendere autem idem prorsus est atque annuntiare. Similiter Deus animam alloquitur, non tantùm quando eam qualibuscumque compellat verbis, sed etiam cum vera & pia quæcumque in ejus sinu vota procreat. *Cùm enim malus sum, nihil est aliud confiteri tibi, quàm displicere mihi: cum verò pius, nihil est aliud confiteri tibi, quàm hoc non tribuere mihi. Quoniam tu Domine benedicis justum, sed prius eum justificas impium. Confessio itaque mea Deus meus in conspectu tuo tacitè fit, & non tacitè. Tacet enim strepitu, clamat affectu. Neque enim dico recti aliquid hominibus, quod non à me tu prius audieris; aut etiam tu aliquid tale audies à me, quod non mihi tu prius dixeris.* Confes. L. 10. c. 2.

IX. Omitto & alia ejusdem testimonia Augustini de multiplici locutionis divinæ varietate. Unum addo de Angelorum ad illuminandas animas ministerio, quod ita sanctus Pater interpretatur, non quasi suam ipsi lucem animabus impertiant Angeli, sed quasi facem præferant inferantque ipsis veritatis, vel obstantes obices amoliantur. Enarrat. In Ps. 77. *Deus itaque per seipsum, quia lux est, illuminat pias mentes; ut ea quæ divina dicuntur, vel ostenduntur, intelligant. Sed si ad hoc ministro utitur Angelo, potest quidem aliquid agere Angelus in mentem hominis, ut capiat lucem Dei, & per hanc intelligat. Sed ita dicitur intellectum dare homini, & quasi ut ita dicam intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur dare lucem domui, vel illuminare domum, cui fenestram facit: cum eam non sua luce penetret & illustret, sed tantummodo aditum, quo penetretur, atque illustretur, aperiat. Sed nec Sol qui per fenestram illam illustrat domum, ipse creavit eandem domum, aut hominem, qui fenestram fecit in domo, aut ipse illi jussit, ut faceret, aut adjuvit ipse facientem, aut aliquid egit, ut aperiretur, qua suum lumen infunderet. Deus autem & hominis mentem rationabilem atque intellectualem fecit, quæ posset capere lumen ejus: & Angelum talem fecit, qui operari possit aliquid, unde ad capiendum lumen Dei mens adjuvaretur humana; & eandem sic adjuvat mentem, ut angelicam recipiat operationem; & eam sic illuminat de seipso, ut non solum illa quæ à veritate monstrantur, sed ipsam quoque proficiendo perspiciat veritatem.* Conc. 18. In Ps. 118.

X. Ambrosius Deum existimat loquutum esse Adæ & Prophetis, non voce corporea, sed *hanc vocem Prophetæ audierunt, fideles audiunt, impii non intelligunt. Unde in Evangelio habes, quod audivit Evangelista dicentem Patrem, Et clarificavi, & iterum clarificabo, sed Judæi non audierunt. Dicebant enim, Tonitruum factum est.* Ita sanè loquitur omnibus veritas, non omnes audiunt. L. 1. de Para. c. 14.

XI. Cyrillus Alexandrinus illa Zachariæ Prophetæ exponens, *Et reversus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitavit me, sicut cum suscitatur homo à somno suo*; illam præclarissimam Angelici adjutorii rationem explanat, ut intelligendæ veritati nos præparenr, roborentque, quòd anima quasi è somno & veterno quodam suo excitatur ab Angelis, ut evigilet ad lucem exorientis sibi æternæ veritatis. Vigilabat enim tunc Propheta, & tamen quasi à somno excitatus est, quia hominis vigilia præ Angelo, præ luce, præ vita & intelligentia veritatis somnus est. *Talis est enim animi nostri conditio, multòque inferior, quàm in sanctis Angelis: ut asseverare possit quispiam illos esse in perpetua vigilia, nos in perpetuo somno.* Id quoque Platonicæ scholæ olim placuerat, dormitare animam, quandiu sensibilibus vacat; & in somniis interim quodammodo pasci, quia non veris, sed similitudinibus solis veri pascitur; at eam tunc demum edormire hanc quasi crapulam, & excusso somno verè vigilare, cum ad intelligentiæ lucem exurgit. In Zachar. c. 4.

XII. Chry-

Cod. 271. XII. Chrysostomus autem apud Photium in Bibliotheca, eodem propè sensu atque supra Gregorius, Angelorum conflictationem à Daniele narratam commentatur: quod Angelus Persarum Præses Gabrieli, Duci & suffragatori tum Israelitarum, tum maximè Danielis, reditum eorum in Palæstinam votis suis precibusque studentis accelerare, non aliter restiterit, quàm justus justo, bonus bono interdum reluctatur, clementiæ justitia, justitiæ clementia quandoque renititur. Quippe Præfectus Persarum Angelus Israelitarum abitionem pro virili retardabat, quod eorum contubernio Persæ magna jam ex parte ab idololatria ad veri Dei cultum resipuissent, pluresque in dies resipiscerent, quin & Israelitas ipsos sæpè antè in patrio solo ad idola desciscentes, ipsa captivitas videretur in summi Dei religione constantiùs defixisse. Gabriel ex adverso urgebat exhaustos jam esse annos captivitatis à Deo præfinitos, & advenitasse tempus restaurandi Templi. *Erat igitur Angeli contentio, non mali adversus bonum. Non enim dixit Scriptura, pugnavit, sed, restitit. Etenim sæpè resistit justus bono; ut sæpè legi clementia, & vicissim clementiæ lex. Lex peccantem castigat, clementia vero Regis erga peccantes sæpenumero commiseratione movetur, & à pœnis liberat. Hìc igitur pugna non adversarii contra adversarium, sed cognati contra cognatum. Nec enim justitia extra bonitatem, nec bonitas absque justitia invenitur.*

CAPUT X.

Quomodo æterna veritas Deus dæmones & malos homines alloquatur.

I. Ex Gregorio, quomodo in conspectum Dei veniat diabolus, qui præsens Deo est, ut cæcus luci; etsi absens sit illi Deus, ut lux cæco.

II. Deus diabolum alloquitur, ut judex reum.

III. Ex Augustino, alloquitur Deus diabolum per intermedios bonos Angelos.

IV. Quadruplex Dei locutio ad dæmones, sed quæ rebus, non verbis transigatur.

V. Luculentè ex Bernardo, quomodo sancti Angeli circumstent sepiantque Dei thronum, arceantque malignos spiritus, ne eò irrumpant.

VI. Bernardo præluxerant Augustinus & Gregorius.

VII. An vera quædam certa & perspicua videat diabolus, velut incommutabiles regulas veritatis, & an tunc eum alloquatur, ei se utcumque videndam præbeat summa & æterna veritas? dubium id ex Augustino videtur.

VIII. Sententia Flori Magistri.

IX. Origenes censet verba Dei ad diabolum non esse nisi opera.

X. Ex eodem, an diabolus veri aliquid intelligat.

I. POstremò tandem id unum superest vestigandum, quomodo malos Angelos & impios homines veritas sempiterna Deus alloqui quandoque narretur. Obscurissimæ & perplexissimæ indaginis quæstio hæc est, qui capi debeat, quod in ipso exordio libri Job narratur diabolus astitisse Deo, verbaque cum eo miscuisse. Si audire videre est intellectualibus naturis, an veritatem vidit, qui tunc audiit? Primam illam quæ statim occurrit quæstionem, Quomodo in conspectum Dei venerit diabolus, ita solvit Gregorius Magnus: Monol. L. 2. c. 2. *Intuendum, quia affuisse coram Deo satanam, non autem vidisse Dominum perhibetur. Venit quippe ut videretur, non ut videret. Ipse in conspectu Domini, non autem in conspectu ejus Dominus affuit; sicut, cæcus cum in Sole consistit, ipse quidem Solis radiis perfunditur, sed tamen lumen non videt, quo illustratur. Vis divina non se videntem spiritum immundum vidit. Satan adfuit absens præsenti.* Sic ille exponit quomodo diabolus præsens fuerit Deo, non Deus diabolo, sicut lux cæco abest, luci adest cæcus. Verè enim diabolus sua malitia excæcatus est, & Deus lux veritatis est.

II. Secundò quòd Deus etiam ad diabolum loqui dignetur, minùs fortasse mirum videbitur, si attendatur, non quis, sed quid loquatur. Nam & Rex multis quoque innocentibus & sibi charis non loquitur, quibus consulit: & multis nocentibus loquitur, in quos animadvertit. Unde Augustinus: *Quæris utrum immundus spiritus qui erat in Pythonissa, potuerit agere, ut Samuel à Saule videretur,* L. 2. ad Simpl. q. 3. *& loqueretur cum eo. Sed multo majoris miraculi est. quod ipse satanas princeps omnium immundorum spirituum potuit loqui cum Deo, & petere ad tentandum Job justissimum virum, qui etiam tentandos Apostolos petiit. Aut si hoc non ideo difficilem habeat quæstionem, quia per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ ubique præsens veritas loqaitur: nec præterea magni meriti est cui loquitur Deus. Interest enim quid loquatur. Quia & Imperator cum multis innocentibus non loquitur, quibus providentissimè consulit ad salutem; & cum multis nocentibus loquitur, quos jubet interfici.* Sic Deum diabolo, ut reo judicem loqui demonstrat; ideoque non dignationem eam esse Dei, sed vindictam; diaboli autem condemnationem.

III. Tertiò magnoperè etiam elevatur ea difficultas, ex illa alia, quam ibidem suggerit Augustinus, animadversione; Quòd veritas ubique præsens, per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ loquitur. Quo satis innuit, non immediatè, sed media aliqua creatura, loqui Deum cum diabolo. Etenim Angeli quidem sancti, quia mundum habent oculum mentis, ideo divinam lucem ferunt, ac intuentur; & præsentem ubique incommutabilem veritatem sine ullo medio consulunt. At immundi spiritus, quia concupiscentiarum sordibus, & scelerum tenebris & pœnarum tumultu inquinatam, obscuratam, & perturbatissimam habent mentem, ideo divinæ lucis insolentes, præsentem non valent intueri veritatem; sed per creaturas & signa forinsecus adhibita, ejus arbitria & mandata audiunt & accipiunt. Id disertè tradit idem Augustinus: *Quomodo simplicem, & incommutabilem, æternamque* L. 2. ad Simpl. q. 1. *veritatem consulant sancti Angeli, omnesque à Deo creati sublimes & mundissimi spiritus, atque id quod in ea sempiternè justum viderint, pro congruentia rerum inferiorum temporaliter peragant: Quomodo etiam lapsi spiritus, qui in veritate non steterunt, propter immunditiam & infirmitatem concupiscentiarum & pœnarum suarum, non valentes intrinsecus præsentem intueri & consulere veritatem, signa forinsecus per creaturam expectent, eisque moveantur, sive ad faciendum aliquid, sive ad non faciendum: quove modo cogantur æterna lege, qua universitas regitur, vincti atque constricti, vel sinente Deo operari, vel cedere jubente & compellente, arduum & explicare longissimum est.* Sic ille nonnisi per medias creaturas veritatem cum diabolo loqui affirmat, quòd concupiscentiæ immunditia & pœnalis infirmitas immediatum ejus contuitum, vel colloquium non ferat.

IV. Quartò, quot modis quibusve loquatur Deus cum diabolo, sigillatim exponit Gregorius: *Quatuor enim modis ad eum loquitur, quia &* Moral. l. 2. c. 4. *injustas ejus vias arguit, & electorum suorum contra illum justitiam proponit, & tentandam eorum innocentiam ei concedendo permittit, & aliquando eum, ne tentare audeat, prohibet. Injustas enim ejus vias redarguit, cum ait, Unde venis? Electorum suorum contra illum justitiam proponit, cum ait, Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram? Tentandam eorum innocentiam concedendo permittit, sicut dicit, Ec-*

cit, *Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt. Rursumque eum à tentatione prohibet, cum ait, Tantùm in eum ne extendas manum tuam.* Ita Gregorius quadruplicem Dei ad diabolum loquutionem distinguit; sed qualis ea sit, statim explicat, utque rebus magis quàm verbis transigatur. Ex eo enim quòd Deus summa veritatis & æquitatis lex, malitiam diaboli detestatur, dicitur illum his verbis increpare, *Unde venis?* Ex eo quòd sanctos suos justificando, malitiæ diaboli quodammodo eos objectat, dicitur eum provocare his verbis, *Numquid considerasti servum meum Job?* Ex eo quòd malitiam diaboli ad justos divexandos ultra proruentem aliquantum relaxat, hæc ad eum effari scribitur, *Ecce universa quæ habet in manu tua sunt.* Ex eo denique quòd non penitus relaxat, hæc addere dicitur, *Tantùm in eum ne extendas manum tuam.* Quocirca tota hæc sermocinatio symbolica est, ut quod rebus ipsis peragitur, humano more per sermones hinc & hinc commeantes transigi describatur. *Dicere Dei, Unde venis? est vi suæ justitiæ itinera malitiæ ejus increpare. Dicere Dei est, Numquid considerasti servum meum Job? tales electos suos justificando facere, quibus Apostata angelus possit invidere. Dicere Dei est, Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt, ad probationem fidelium contra eos occulta vi incursum illum suæ malitiæ relaxare. Dicere Dei est, Tantùm in eum ne extendas manum tuam, ab immoderatæ tentationis impetu eum etiam permittendo restringere.* Subjicit idem Gregorius triplicem diaboli ad Deum locutionem, dum vel flagitia sua narrat, vel justos accusat, vel tentandos postulat, ut liquet ex verbis libri Job; & hæc triplex loquutio similiter adumbrata, & humanis moribus accommodata existimari debet. Quia enim diabolus & scelera sua Deum celare non potest, & justis invidet, & ex invidia tentare ac divexare desiderat; ideo figurata descriptione narratur hæc Deo verbis quasi quibusdam suis exponere, quæ non potest latendo celare. Vide Gregorium ibidem.

V. Quintò, ad implicatissimæ rei explicationem conducet nonnihil acuta Bernardi conjectura in illa
Serm. 4. In Cal. No. Isajæ verba, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Duos enim illos ex Seraphimorum ordine Angelos in ea Dei visione caput pedesque Dei geminarum alarum expansione velantes, comparat illi Cherubino, qui custos Paradiso appositus est, ut expulsum semel inde cum posteris Adamum, eò redire ne pateretur. Ut enim ille homines peccatores à Paradiso, id est, à divinæ potissimum contemplationis deliciis arcere posthac jussus à Deo est; ita Seraphimos illos conjicit Bernardus divinitatis solio quasi custodes appositos, ne in ejus contuitum & aspectum intrudat se aliquando diabolus. Ideo caput & pedes Dei, id est, divinæ naturæ ac majestatis fastigium ejusque judiciorum profundas abyssos obvelare, id est, celare diabolum: idque geminarum alarum expansione, id est, sua in Deum & admiratione & veneratione. Eæ quippe sunt maximè alæ, quibus & ipsi in Dei contemplationem volant, & eum diabolo velant. Nequissimus enim & impudentissimus spiritus ad tentandum & irrumpendum veritatis contuitum eluctaturus, occurrit primò quasi inter iter agendum gloriæ & fœlicitati sanctorum Angelorum; gloriæ quam ex veneratione Dei, felicitati quam ex ejus admiratione hauriunt. Utroque hoc obice retroagitur nequam ille. Protinus enim effervescit invidia & excæcatur, contabescit & infirmatur, ut ultra pergere nec cogitet, nec possit. *Dico vobis quod sentio, nec sanè affirmans dico, sed conjectans quodammodo & opinans. Quid enim æstimare vetat, dejecto lucifero ad pervigiles excubias Seraphim constitutos, sicut ejecto homine, teste Scriptura, Cherubim ad custodiam posuit Deus? Porrò Seraphim alas accipiunt, quarum velamine arceant oculum spiritalem. Denique duabus, inquit, velabant caput ejus, & duabus pedes, ut nec alta Dei nec profunda ejus iniquus ille valeat contemplari.* Et infrà: *Ipsi interpositum est velamen, quod nulla jam naturæ vivacitate pertranseat, ut ipsius qui super solium sedet, caput, aut pedes, valeat contueri. Siquidem Seraphim stantes & astantes duabus alis caput ejus, duabus pedes velabant. Caput ejus est majestas ejus, potestas, divinitas. Pedes sunt investigabiles viæ ejus, inscrutabilia judicia ejus, profundum sapientiæ, &c.* Et infrà rursus: *Quibus tamen putamus alis hoc caput Seraphim velet, ut nulla suæ subtilitate naturæ, nulla perspicacitate nequam oculus in illius queat irrumpere veri luminis claritatem? Duabus ni fallor alis, suæ videlicet ipsorum gloriæ & felicitatis. Ineffabiliter siquidem delectantur in admiratione contemplationis illius, nec minus gloriantur in ipsius veneratione. Quoties diabolus sursum dirigit aciem, in Angelicam statim felicitatem & gloriam malignus offendit; & offendit oculum pessimus humor, livor proprius, ut penetrare ultra non possit. Sic nimirum quodam velamine ne sublimiora prospiciat, invidus præpeditur; ad illorum quos superiores habere dolet, modo fœlicitatem, modo gloriam, modo utramque simul reverberata acie contabescens. Quis enim tam gravis pruritus oculi, quàm invidia est?*

VI. Ita Bernardus concludit conjecturam suam. Nec abludit ab Augustino, qui ne præsentem adeat, consulat, & intueatur veritatem immundus spiritus, prohiberi illum supra memoravit, immunditia per concupiscentiam, & infirmitate per pœnam contracta. Utrumque hoc repagulum concludit Bernardus in invidia, quæ & cupiditas flagrantissima est, & pœna cupiditatis acerbissima. Ex hac ergo invidia & excæcatur, & infirmatur, ne in veritatis sacrarium grassari possit. Unde ut supra Gregorius advertit, & ante eum Augustinus, & quæ utrique prævivit Scriptura, potest diabolus in conspectum Dei venire, non Deus in ejus conspectum. Augustinus: *Per hoc quod scriptum est in* Ep.111.c.11
libro Job, venisse Angelos in conspectum Dei, & venisse diabolum cum eis, non ideo diabolus Deum vidisse credendus est. Ipsi enim dicti sunt venisse in conspectum Dei, non Deus in conspectum eorum. Veniunt autem in conspectum nostrum, quæ videmus, non à quibus videmur. Venerunt ergo, sicut in multis codicibus legitur, ut assisterent coram Deo, non ut coram ipsis Deus. Sic ille præsentem quidem luci veritatis diabolum esse describit, sed invidia totaque nequitia sua excæcato absentem esse eandem lucem veritatis.

VII. Sextò, Etsi autem utplurimum non loquatur Deus cum diabolo, nisi per interpositam creaturam, ut suprà Augustinus monebat: fieri tamen vix potest, quin immediatè etiam quandoque illum alloquatur. Nempe cum in apertissima æternæ veritatis luce diabolus videt, judicat, intelligit vera esse, pulcra, justa, quæ per incommutabiles veritatis regulas ejusmodi sunt. Intellectiones enim istæ, locutiones quædam sunt veritatis, ut suprà exposuimus. Ita sentit Augustinus etiam quoad diabolum: *Quando illi valent intelligere, nullam* De ferm.
esse animam, quamvis perversam, quæ tamen ullo Dom. in
modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non lo- Mon.l.1.c.9
quatur Deus? Quis enim scribit in cordibus hominum naturalem legem nisi Deus? Quapropter si omnis anima rationalis, etiam cupiditate cæcata, tamen cum cogitat, & ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis, à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, ut verum aliquid ratiocinando sentiat; quid mirum si diaboli anima, prava cupiditate perversa, quidquid tamen verum de justo viro judicavit, cùm eum tentare vellet, ip- De diver.
sius Dei voce, id est, ipsius veritatis voce audis- Ser.16.c.4.
se perhibetur? Et alibi rursus; *Loquitur etiam Deus in bonorum malorumque conscientia; nam & appro-*

proba-

probare quod bene facit, & improbare quod peccat, nemo rectè potest, nisi eadem illa in silentio cordis, laudante, vel clamante voce veritatis. Veritas enim Deus est.

Hactenus Augustinus, de quo dubitari tamen potest, an constanter docuerit veritatem aliquando intus in mente diaboli immediatè loqui. Imò sæpiùs inculcavit, quòd illum per Angelos tantùm, vel per alias creatas naturas alloquatur. Et sanè cùm audire & videre mentis idem sit; cùm rursus sonare & lucere veritatis idem sit; si immediatè sonantem audit, quid vetabit quominus immediatè diabolus lucentem videat veritatem? Ergo, si quâ fieri potest, id constanter tenendum, mentes seu dæmonum, seu damnatorum jam hominum in infimis ita ordinatas, ut eas summa veritas nonnisi per medias creaturas alloquatur & regat. Sed permolesta hæc occursat objectio: quòd lux illa eas etiam mentes immediatè attingat, qua immutabiliter verum esse vident, quòd tria & septem sunt decem, quòd deterioribus meliora præponenda sint, quòd sceleri pœna justè debeatur. Lux illa in qua hæc immutabiliter vera videntur, nonne veritas, nonne lux divina, & lux Deus est? Quomodo ergo non eas immediatè alloquitur Veritas? An in extrema illa & profundissima caligine illam etiam incommutabilium axiomatum lucem amiserunt? An voluntatis absurditas etiam mentem penitus corrupit, ut sicut voluntas mala bonis, ita mens veris falsa vel confundat vel anteferat? An cupiditatibus suis adeo distringuntur & occupantur penitus, ut ad serenum veritatis qualecumque lumen oculos nunquam attollant? An pœnarum atrocitate & tumultu adeo obstupuerunt & obbrutuerunt, ut nec vera jam cernant, nec à falsis certa discernant; vera & falsa, certa & incerta mala & bona promiscuè habeant, tota naturali perspicacia aut vitiis aut pœnis extincta? Et sanè cui vacat in acerbissimorum dolorum sensu ratiocinari? Et quid hæc dolorum acerbitas, præ illa reproborum carnificina? Quid æternitas pœnæ acerbissimæ? quam mentem non possit ea de suo statu dimovere, & totam illi ratiocinandi vim aut auferre, aut saltem perturbare? Sed ne nostræ hæ conjecturæ nullo niti videantur fundamento, juvabit illa apertissima munire Augustini authoritate: *Cavendi sunt ergo inferiores inferi, id est, post hanc vitam pœnæ graviores, ubi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio. Ideo nulla ratiocinatio, quia non ea perfundit verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quare festinemus & ambulemus, cum dies præsto est, ne nos tenebræ comprehendant. Festinemus à secunda morte liberari, ubi nemo est qui memor sit Dei, & ab inferno, ubi nemo confitebitur Deo.* Perspicuum hîc est ex Augustini mente, veritatis lumine non illustrari inferos ad ratiocinandum, nullam ibi ratiocinationem esse, nullam proinde veritatis allocutionem immediatam, nullam intuitionem.

De vera Relig. c. 52.

VIII. Prolixè in hoc argumento versatus est Florus Magister, Ecclesiæ Lugdunensis Diaconus adversùs Scotum Erigenam, ipsaque terens Augustini vestigia, negavit & ipse damnatis usuram quamcumque intelligentiæ & luminis veri. *Quæcumque in eis esse potuerit recordatio veritatis, sive beatitudinis, tanta erit, quanta humano sensu vel tenuiter potest attingi, non qualis per Dei gratiam solet inspirari, &c. Si fuerint ibi aliqui fortassis, qui ex his quæ aliquando crediderant & cognoverant, meminerint aliquatenus ipsius veritatis & beatitudinis, ad hoc tantùm eis valebit ipsa memoria, ut magis doleant, &c.*

Cap. 16.

IX. E Græcis unum promam Origenem, qui non alio sensu interpretatus est, quæcumque in libro Job leguntur de diaboli ad divinam præsentiam accessu, & de Dei ad diabolum allocutione; sed novæ lucis accessio fiet aliqua ex Origenis interpretatione. Exemplo enim utitur ille sermonis quem Jonas Deo affingit ad cetum, ut in littus Jonam ipsum ejectaret. Hîc ergo seu verba seu præcepta Dei ad piscem nec verba verè, nec præcepta sunt, sed operationes divinæ humanis vocibus & humano ingenio accommodatis descriptæ. Nec aliter sumenda Dei ad diabolum verba, quàm ut opera quædam omnipotentis veritatis, ad diabolum objurgandum, relaxandum, inhibendum, quæ more humano narrentur tanquam alternis hinc & hinc sermonibus intertexta. *Et præcepit Deus Ceti magno, ut deglutiret Jonam. Cui dixit, vel cui præcepit, vel qua lingua ad cetum locutus est? Nam pisces neque linguam neque vocem habent. Vel quomodo dixisse dicitur ad cucurbitam, quæ nec vivit nec spirat? Sicut ergo in istis omnibus, & dixisse & locutus fuisse, & præcepisse atque jussisse dicitur Deus, non voce dicens, neque lingua loquens, neque in conspectum suum ad cœlestia eas sublevans, sed occultæ suæ operationis virtute vertens, ut necessitas vel ratio poposcerit: sic similiter juxta exempla horum quæ memorata sunt, etiam dixisse, & locutus fuisse, & audisse & respondisse dicitur, & in præsentiam suscepisse, neque dictis quidquam ad eum depromens, neque lingua ad eum loquens, neque ad excelsa sancta in conspectum suum neqissimum diabolum elevans; cum occultam atque abditam ejus nequitiam detegit atque reprehendit, & revelat omnibus.* Sic ille ad operationes revocat, quæcumque de sermonibus Dei ad diabolum in Scripturis memorantur.

L. 1. in Job.

X. Versat & alibi Origenes hanc eandem quæstionem de diabolo, an nihil prorsus veri intelligat, cùm Veritas de eo hoc pronuntiaverit, quòd *veritas Dei in eo non est*. Ubi & hæc habet, *Quoniam nil verè cogitet, sed mentitus sit, propter quod etiam diabolus sit & malus; & pejor quocumque cadente; quoniam fortassis in multis sit etiam aliquid veri admixtum illis multis, quibus falluntur; in hoc verò nihil sit verum.* Quæ non ita asseveranter ab Origene dicuntur, ut non statim aliorum sententiam commemoret, quibus non videtur ulla rationalis natura posse constare, sine aliquantula saltem veri luce. Id enim illi saltem incompertum non potest esse, quòd sit, quòd vivat, quòd cogitet. *Atque etiam tertius patrocinabitur reliquo dicens, fieri non posse ut aliquod animal rationis compos ita de omnibus falsa opinetur, ut de re nulla saltem imbecilliter cogitet verum. Nam omnino saltem hoc diabolus dogma verum habet, quod seipsum rationis compotem esse intelligit, &c.*

In Joann. Tom. 14.

Ubi illud certè advertendum est: ab his qui largiores sunt, non tribui tamen diabolo cognitionem veri, nisi imbecillem, & opinione sola, non intelligentia. Illa ipsa enim quæ intelligentiam postulant, possunt tamen utcumque opinando percipi ab iis qui intelligentiæ impares sunt, vel ob ingenii imbecillitatem, vel ob incogitantiam, vel ob dolorum totam mentis vim aliò rapientium & tantùm non alienantium atrocitatem. At jam sæpiùs suprà monuimus, non fidei, non opinioni, sed intelligentiæ soli æternam & incommutabilem veritatem obversari.

CAPUT XI.

De ideis in summa veritate Verbo divino radiantibus. Quid Plato primùm, quid Platonici de illis senserint.

I. Ideas & formas virtutum, sapientiæ, justitiæ, sanctitatis, æternas & incommutabiles in Deo esse agnoscit Plato, & inde nobis imprimi.

II. Sunt enim eæ formæ universales, cum à tam multis participentur; sunt, cum earum notitia sit

sit innata; sunt ut ab iis cum defluxerimus, regredi ad eas possimus.

III. Cum justi non sint justitia ipsa, nec sapientes sapientia, sed ejus participes, utique necesse est existere alicubi ipsam justitiam, & sapientiam.

IV. Divinæ fiunt animæ & felices idearum contemplatione. Unde & ideas necesse est esse sempiternas.

V. Abjici corporeas curas, & purgari oculum mentis necesse est, ut ideas contemplemur; quod plenius post hanc vitam obtinget; hic interim ratiocinamur, nonnulla semper earum luce aspersi, in justis injustisque dijudicandis; quin earum vestigia hærent in animis nascentium, ex reliquiis priscæ alicujus felicitatis.

VI. Bona & pulcra in ideis divinis verè sunt, quia manent: in sensibilibus non verè sunt, quia non manent: In causarum pervestigatione ad hanc exemplarem confugere tutissimum & pulcherrimum est, quæ sursum mentem evehit: non ad causas terrenas, & particulares, quæ eam deprimunt.

VII. Non singuli tantum homines, sed Civitates & Respub. efformari debent ad sempiternas & exemplares justitiæ ideas & leges.

VIII. Mundus enim etiam iste totus ad summum illud exemplar, & conditus primum est, & etiamnunc administratur à Deo.

IX. Superna exemplaria materiæ corporeæ imprimuntur, & hinc formas omnes recipit mundus iste corporeus.

X. Summa totius probitatis & religionis in eo est, quod regulæ virtutum sempiternæ quædam naturaliter insitæ sunt omnium prorsus hominum animis.

XI. Plotinus ideas formasque divinas imprimi censet, hinc animæ, illinc materiæ: inde esse animarum virtutes, formas corporum.

XII. Corporea pulcritudo excitat in anima amorem & notitiam summæ pulcritudinis, naturaliter ei inhærentem, ex eodem Plotino.

XIII. Ascensio hæc ab imis pulcris ad summam pulcritudinem, fuga hinc est ad supernam nostram patriam, & ad Patrem, à quo huc defluximus.

XIV. Ideæ omnes sunt in Verbo Deo, & contemplamina quædam sunt; formæ omnes mundi corporei inde manant, & ad contemplationem nos ideo vocant divinorum.

XV. Jamblichi sententia.

XVI. Et Alcinoi.

XVII. Simplicii denique, pulcherrimè declarantis, ut egestas & infelicitas existat ex bonorum & pulcrorum particularium possessione, copia & felicitas & pax ex universalium, seu idearum.

I. INstituto & more nostro ingrediemur in hanc quoque quæstionem, ut prius quid Philosophi maximè veritati consentaneum scripserint exploremus: tum adhibeamus sanctorum Ecclesiæ Patrum censuram, & catholicum totum dogma pro viribus aperiamus. Et Plato quidem ideas virtutum supernè regnare non dubitavit, unde etiam mentibus hominum imprimerentur; ex quo & illud efficiebat, non solo hominum studio, sed divina quadam sorte obtingere virtutes; quibus donati cœlitus qui essent, ii soli verè saperent,
In Menone ad calcem. cum cæteri velut umbræ volitarent. *Virtus utique nec doctrina, nec natura nobis aderit, verum divina sorte absque mente in eum qui illam sortitus fuerit influet. Quod si extiterit, talis hic inter viventes erit, qualem Homerus ait Tiresiam inter mortuos esse, sic dicens, Solus sapit inter eos qui apud inferos sunt, cæteri vero umbræ volitant.*
Alcibiad. primus ad calcem. Eos certè qui ex virtutis norma vitam moresque componunt suos, ita existimat ille in divinum splendorem intueri, & inde regi; pravas autem gentes intueri in tenebras divinitatis expertes. *Sic in divinum splendorem intuentes agetis. Quoniam illuc respicientes, vosmetipsos vestraque bona perspicuè discernetis. Contra si injustè vixeritis, intuentes in tenebras divinitatis expertes, consimilia tenebris opera, quemadmodum necesse est, facietis, vosmetipsos ignorantes.* Hanc porro divinam lucem, hunc deitatis splendorem, hanc formam virtutis, quæ bonis omnibus cœlitus imprimitur, ideam ipsam virtutis, sanctitatis, bonitatis, justitiæ esse, qua bona, justa, sanctaque sunt, quæcumque sunt omnia, æternam, incommutabilem, sui semper similem, sic ille alibi docet: *An non idem est in singulis actionibus ipsum* In Eutyphrone,paulò post initium.
sibi sanctum, &c. Recordare, quod non te hortabar, ut unum me, aut duo ex multis sanctis, sed illam ipsam speciem, qua cuncta sancta sunt sancta, doceres. Dixisti enim una idea omnia sancta sancta esse. Quænam sit igitur illa idea mihi demonstra, ut ad eam respiciens, eaque tanquam exemplari aliquo utens, quodcumque tu, vel alius quidvis tale feceritis, sanctum esse dicam: quod autem dissimile, negem.

II. Sed de his multò operosiùs disputatur in Parmenide, ubi evincitur, si plura unius formæ participatione gaudent, ipsam utique formam per sese existere necesse esse, ut ab hoc fonte rivuli omnes illi possint effluere. *Putasne esse speciem quandam similitudinis, & huic aliam contrariam dissimilitudinis, in quibus duabus, & ego, & tu participemus, & alia quæ vocamus multa? Videntur ne tibi species quædam existere, & ea quæ illis participant, illarum cognomenta sortiri? Velut similitudine participantia similia, magnitudine magna, pulcritudine atque justitia pulcra & justa vocari? Et maximè quidem, inquit Socrates.* Cumque objiceretur has esse duntaxat animi nostri notiones, nec extra animum existere: contra urget notionem alicujus utique rei notionem esse. *At forsitan, inquit Socrates, qualibet harum specierum notio quædam est, nec alibi esse, quàm in animis potest. Quid ergo, inquit Parmenides, notio nullius notio erit? At hoc impossibile est. Sed cujusdam? Cujusdam sanè. Existentis, vel non existentis? Existentis. Num unius cujusdam, quod notio illa in omnibus sequens intelligit, ideam unam? Prorsus.* Denique nisi hæc universalis & sui semper similis idea admittatur, non erit quò se convertat intelligentia, quæ nec particularium, nec mutabilium esse potest ulla. *Verumtamen, inquit Parmenides, si quis species rerum existentium auferat, neque speciem ipsam uniuscujusque distinguat, haud sane reperiet, quo convertat intelligentiam, cum non permiserit ideam uniuscujusque rerum existentium eandem semper existere, & in hunc modum disserendi etiam facultatem funditus subverterit.*

III. Alibi verò sic ille idem ratiocinatur, esse omnino & existere justitiam, sapientiam, bonitatem, pulcritudinem, qua fiunt, quicumque toto orbe terrarum fiunt justi, sapientes, boni, pulcrique. Non fiunt enim, non sunt ipsa forma justitiæ & sapientiæ, sed ejus participes. Existit ergo ipsa per sese forma justitiæ & sapientiæ, quæ ipsa est idea speciesque, εἶδος, de qua hic sermo est. *Nonne justitia justi sunt, quicumque justi sunt?* In Hippia majore.
Justitia profectò. Annon aliquid hæc ipsa justitia est? Profectò. Et sapientia sapientes sunt, quicumque sapiunt, & bono similiter bona omnia, quæ bona sunt. Sapientiam vero & bonum secundùm se esse oportet. Nam si ipsa non essent, alia per illa nunquam talia fierent. Nonne & pulcra omnia pulcro ipso sunt pulcra? Est igitur ipsum pulcrum. Dum porrò absurdi & præposteri quidam Philosophi, animam non resigentes à corporibus, sed altiùs eis insigentes, sola corpora esse jactarent: ex adverso Plato pugnandum esse censebat pro invisibilis Deitatis essentia, & pro speciebus seu ideis sapientiæ & justitiæ, & consimilibus formis,

quas corporibus necdum profani illi Philosophiæ contaminatores ausi fuerant annumerare. *Horum adversarii cautè admodum atque piè supernè ex invisibili sede pro invisibili essentia pugnant, atque intelligibiles quasdam & incorporeas species cogunt essentiam veram existere.* Et mox: *Sapientiam & cætera de quibus percontabaris, aut nihil esse, aut corpus asserere nondum audent.* In Sophista.

IV. Divinas porrò quodammodo animas fieri contemplatione idearum, & omni secundùm earum sempiternas regulas ratiocinatione atque vita composita, idem tradit. *Quoties in animis vera stabilisque de pulcro, justo, bono, horumve contrariis rebus opinio fit, divinam illam in genere dæmonico, id est, felici fieri assevero.* Porrò æternas & immutabiles esse necessum est, ut fœlicitas, ut contemplatio, ut intelligentia de illis nostra fixaque & æterna sit. *Ipsum pulcrum nonne semper tale, quale est, perseverat? Num possibile est ipsum rectè demonstrare, si semper subterfugit, ac necessarium est, dum loquimur, aliud ipsum statim fieri, jugiterque diffugere, nec tale amplius esse? &c. Præterea à nullo cognoscetur. Dum enim cognitura vis ipsum aggrederetur, aliud alienumque fieret.* Fœlicitas animæ in contemplatione sita est, & in quadam circa Deum, circa ideas circuitione; ibi vero ente, ibi vera essentia fruitur. *Cogitatio quoque omnis animæ, quæcumque convenientem sibi conditionem susceptura est, intuita per tempus id quod est, contenta veritatis contemplatione nutritur & gaudet, donec circulo in idem circumferentia referat. In hoc autem circuitu conspicit ipsam justitiam, conspicit temperantiam, conspicit scientiam, non qua adsit generatio, nec alia alicubi sit in alio, quales videlicet sunt eorum quæ nos entia vocamus; sed illam quæ in eo quod est verè ens, scientia est, &c.* In Politico. ad Calcem. In Cratylo. In Phædro.

V. Corporis sarcina & curis gravari anima alibi advertit, & sordidari; eoque fieri, ut ideas, ut veritatem intueri haud possimus, nisi mentis oculum purgare satagamus; quod impossibile sit impuro purum attingere: itaque pro virili sejungendam esse animam à corpore. *Ita puri & à corporis insipientia liberati, cognoscemus per nos ipsos sincerum quodlibet, id est, forsitan ipsum verum. Nam impuro quidem purum attingere nefas est.* Sed hæc & animi puritas & fœlicitas contemplationis cumulata non obtinget, nisi hac mortalitate defunctis, ut ibidem subditur. Interim autem dum corporis sensibus utimur, non omni prorsus destituimur intelligibilium idearum luce. Quî possemus enim judicare & ratiocinari de rebus similibus & dissimilibus, æqualibus vel inæqualibus, de justis, veris, bonis & harum contrariis, nisi res istas sensibiles ad interiores, & invisibiles comparando regulas formasque similitudinis & æqualitatis, justitiæ, veritatis & bonitatis, quas proinde necesse sit, utcumque nobis jam hinc interlucere? *Antequam enim inciperemus videre aut audire, aliisve uti sensibus, oportuit nos æqualis ipsius scientiam possedisse, videlicet quid ipsum sit; si modò æqualia hæc quæ sensibus subjacent, ad ipsum relaturi sumus, ut judicemus, anniti quidem hæc omnia talia, quale ipsum est evadere, veruntamen deteriora relinqui.* Hinc ille concludit antè harum idearum scientiam infusam menti fuisse, quàm in corpus corporeosve sensus immergeretur: cùm utprimùm vivere incipimus, incipiamus etiam sentire, & de sensibilibus ad hunc modum judicare. Porrò quod de æquali dictum hîc est, perinde haberi debet de ideis aliis æqui, boni, pulcri, & cæteris similibus. *Non enim de æquali magis nunc nobis est sermo, quàm de ipso pulcro, de ipso bono, de ipso justo, de ipso sancto, & de omnibus, quibus propriè hoc ipsum quod est, assignamus, ut necessarium sit nos antequam nasceremur, horum omnium scientiam habuisse.* Fabellam hanc de reminiscentia postea refutabimus, pergimus interim Platonis placita indidem decerpere; & hoc præsertim quod subdit, nihil sibi tam certum esse, quàm quæ de his ideis compererat. Sensibilia enim cùm fiant magis quàm sint, vix certam fixamque veritatem habere possunt. At quæ in luce veritatis intelligimus, ea certa sunt, certosque nos faciunt. *Nihil enim tam certum habeo, quàm esse ejusmodi omnia, & quidem maximè, scilicet ipsum pulchrum, & bonum, &c.* In Phædone.

VI. Pulcra quidem & bona sensibus allambimus corporis, sed illa statim aufugiunt falluntque, nec figi possunt, ut stent & verè sint. At quando animus sese in se recipit, pulcrum bonumque semper idem, sempiternè & incommutabiliter idem amplectitur, ut sibi cognatum: nec enim fluit, sed manet permanetque anima rationalis. *Ut cùm anima ad aliquid considerandum socium sibi corpus assumit, tunc quidem à corpore trahatur ad ea quæ nunquam eodem modo sunt, atque ipsa aberret, perturbetur, quasi ebria vacillet, utpote quæ talia quædam attigerit. At verò quoties ipse animus per seipsum excogitat, illuc se confert ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habens; & tanquam ipsius cognatus, semper inhæret ei, quoties ipse redierit in seipsum, eique liceat, cessetque ab errore, & circa illa semper secundùm eadem eodem modo se habet, utpote qui talia jam attigerit.* Ibidem. In rerum quoque & causarum pervestigatione, tutissimum est semper ad hanc exemplarem & efficientem causam confugere, ut quæ omnium indubitatissima sit & splendidissima. Verbi gratia; Si quæratur cur pulcrum quid sit, absolutissima responsio, & longè pulcherrima hæc est, quia radio quodam afflata est ejus incorruptibilis & æternæ pulcritudinis, quæ sursum in sacrario veritatis regnat. Hoc philosophandi genere alitur & vegetatur anima, atque à terrenis ad cœlestia assurgit. At verò si minutias aliarum causarum secteris, colorem floris, humorum temperiem, partium situm, in lites & perplexitates itur, & altiùs in materiam mens infigitur, à qua illam Philosophia eximere profitetur. *Si quis mihi dixerit, quare pulcrum sit quodlibet, videlicet quia vel colorem habeat floridum, vel figuram, vel aliud quodvis talium: cætera equidem valere sino, in cæteris enim omnibus soleo perturbari; id vero unum simpliciter atque verè, & fortasse imperitè penes me teneo, nihil aliud esse quod aliquid faciat pulcrum, quàm ipsius pulchri sive præsentiam, sive communionem, sive qualicumque ratione & quocumque modo id proveniat.* Ibidem.

VII. Nec privatis tantùm, sed etiam ipsis civitatibus pulcritudo & justitia & sanctitas ab illis supernis incommutabilibusque ideis ac formis appinguntur. Sponte enim sua quisquis sapit, æternæ illi pulcritudini contemplandæ totum se addicit, totus vacat, à reliquis omnibus vacuus ac feriatus. At si vocetur ad clavum Reipublicæ regendum, tum verò ille non civiles, & humanas regulas ac virtutes in eam studebit derivare, sed divinas & exemplares; ita ut partim quidem contemplandæ summæ illi pulcritudini sese dedat, partim illi eidem in civitatis suæ moribus legibusque & statutis expingendæ. *Neque enim viro illi qui omnem mentis aciem ad ea quæ verè sunt, direxit, otium superest, quo negotio hominum inferiora respiciat, cumque illis pugnans, invidiam sibi, & malevolentiam conflet. Sed ea quæ semper eundem servant ordinem, contemplatur, quæ neque inferunt invicem, neque patiuntur injuriam. Atque hæc imitatur, seque illis quàm simillimum reddit. An putas fieri posse, ut illud non imitetur aliquis, cui cum amore admirabundus adhæret? Nullo modo. Quare cùm Philosophus divino atque decoro frequenter adhæreat, divinus ipse atque decorus, quoad homini possibile est, efficitur.* Necessitas charitatis ab illo contemplationis cœlo quandoque hominem abstrahit, ut boni sui socios habeat, De Rep. l. 6.

beat, quos habet naturæ patriæque consortes. *Si ergo necessitate aliqua inducatur, ut ea quæ illic in-*
De Rep. l. 9. *tuetur, ad mores hominum privatim, & publicè transferat; neque se tantum, sed & alios formet; numquid interim temperantiæ, justitiæ, & universæ popularis virtutis opificem fore ipsum existimas? Minimè, &c. Agentes hæc, ut arbitror, ad utraque frequenter respicient, ad illud scilicet quod natura justum, honestum & temperatum existit, cæteraque hujusmodi, atque iterum ad humana: & ad superioris illius exemplar humana disponent, &c. Partim igitur delebunt Philosophi, partim rursus depingent, quousque humanos mores, quàm maximè fieri potest, Deo in amore conjunxerint. Pulcherrima nimirum hæc est pictura.* En cujusmodi esse debet Respublica, cujusmodi legislator & rector. Nusquam sanè ea tunc erat Respublica, sed Philosophi erat, ea officia pro virili sua parte peragere & implere, quæ tali Reipublicæ consentirent. *Intelligo quod in ea civitate dicis, quam nos condidimus in præsentia, quæ verbis solùm, in terris verò nusquam, ut arbitror, extat. At fortè in cœlo illius extat exemplar, conspicuum ei qui & intueri voluerit, & seipsum ad illud cum intuitus est, instituere. Nihil autem refert, sive usquam sit, sive erit. Quæ enim illius officia sunt, aget solùm; quæ alterius sunt, nequaquam.* Ubi non mihi tempero, quin admoneam, mihi hæc legenti & exscribenti Platonis verba, venisse in mentem ejus effati apud Augustinum pulcherrimi, Cives supernæ Jerosolymæ in terrena Babylone non rarò militare, & dignitates obire, sic tamen ut supernam patriam ejusque mores & leges ubique spirent, ubique suspirent.

VIII. Quidni autem privatas hominum respublicas ad supremum illud idearum & virtutum divinarum lumen conemur effingere; cùm opifex ipse mundi Deus mundum universum ad summum illud exemplar condiderit. Genitum enim esse hunc mundum ipsa corporum demonstrat natura, quæ fit & gignitur magis quàm est. Optimus ergo opifex cùm optimum pulcherrimumque fabricare voluerit, ad pulcherrimum exemplar illum indubi-
In Timæo tatissimè delineavit perfecitque. *Quando opifex in alicujus operis constructione, ad id quod eodem modo se habet semper aspicit, & hujusmodi quodam usus exemplo, idem utcumque in opus educit, pulchrum fieri tunc opus omne necessarium est, &c. Atqui si pulcher est hic mundus, & opifex mundi bonus, sempiternum certè exemplum maluit imitari. Cùm mundus omnium genitorum pulcherrimus sit, & ejus author causarum omnium optimus, dubium non est, quin sempiternum sit secutus exemplum.* Subjicit denique omnia vitarum atque animantium genera complecti hunc mundum, quod efformatus sit ad exemplar intelligibilis mundi, quo omnes intellectuales naturæ continentur. *Imo vero illius animalis mundum simillimum esse dicamus, cujus animalia cætera, & singulatim & generatim partes sunt. Illud siquidem viventia omnia, quæ sola mente perspiciuntur, in seipso complectitur, quemadmodum mundus hic nos & cætera quæ cernuntur animalia continet.* Subdit utrumque hunc mundum, & illum intelligibilem, & hunc sensibilem, unum esse, propterea quòd uterque omnia sui generis animantia suo in sinu complectatur.

IX. Porrò corporeus iste mundus non aliud ferè quàm materia est, à supernis exemplaribus impressa & formata. Non hærent enim formæ in materia, sed subinde aliæ alias extrudunt. Si qua auri massa varias subinde figuras indueret, aurum certiùs diceretur, quàm quidvis aliud. Ut ut sit ea quidem res, superna materiæ exemplaria imprimuntur miro & inexplicabili modo, & hinc existunt formæ in materia; quæ quodammodo ma-
Ibidem. ter est, patris vices fungente exemplari, prolis verò forma. *Si quis cunctas figuras ex una eademque auri massa fictas, continuè in alias & alias reformet, deque una quadam illarum præsens quid sit quærat, verè admodum & tutissimè respondere possumus aurum illud esse; triangulum verò esse, aut aliam figuram earum quæ impressæ in eo sunt, & continuò permutantur, quasi revera sint, non liceret dicere.* Et mox; *Quæ verò ingrediuntur in materiam & exeunt, vere ac semper existentium rerum simulacra sunt, miro ac vix explicabili modo, ab ipsis rebus, quæ verè sunt, figurata, quemadmodum deinceps narrabimus. Tria in præsenti genera sumenda sunt, unum quod gignitur; aliud in quo gignitur; aliud à quo similitudinem trahit quod nascitur. Idcirco comparare hæc ita decet. Quod recipit, matri; unde recipit, patri; naturam istorum mediam proli.* Materia autem ideo summoperè informis esse debet, quia omnium intelligibilium formis formari debet: *Illud quod omnibus passim æternorum omnium simulacris rectè figurandum est, his omnibus formis natura sua carere necesse est, &c. Invisibilem & informem sinum omnium capacem, qui modo quodam ambiguo, & vix explicabili, divinæ & intelligibilis naturæ sit particeps.*

X. Postremo tandem loco id ex eodem Platone L. 9. de Le-
adjiciam, quod ille ait principales illas ideas, qui- gibus.
bus rectum, justum, honestum, virtus, sapientiaque dignoscitur, ita hominibus quibuslibet & vulgo ipsi affulgescere, ut de iis nemo ambigat, omnes consentiant. Et tamen hæc summa est totius probitatis & religionis. *De justitia omnino, justisque hominibus, & rebus, & actionibus omnes quodammodo consentimus. Quod videlicet omnia hæc honesta pulchraque sint. Ita ut si quis justos homines, etiamsi corpore deformes sint, secundùm ipsum justitiæ habitum pulcherrimos asserat, nemo sit judicium illius reprobaturus.*

XI. Hæc ex re fuit copiosiùs excerpere ex Platone, quod ejus postea discipuli potuerint ex Christianæ Theologiæ fontibus hortos suos irrigare. Interest autem ad veritatis, & religionis lucidiorem intelligentiam, secernere, quæ dogmata quoque mundi ævo diluxerint, quid prælusum sit Christianæ Ecclesiæ, quid Philosophia, quid Synagoga antè degustaverit abstrusioris illius Theologiæ, quæ deinde per Christum Christique Ecclesiam totum per orbem tanta cum luminis ac sanctitatis accessione sese effudit. Plotinus ante alios Platonis discipulos id profitetur, Deo, seu Verbo per virtutes nos assimilari, etsi istiusmodi virtutes, qua-
les nostræ sunt, in Deo non sint. *Hinc fugiendum.* Ennead. 1.
Quæ fuga? Deo, inquit Plato, similem fieri. Hoc L. 2. c. 1.
autem fiet, si justi & sancti cum prudentia efficimur, &c. Hæc dicta sunt ad ostendendum quod necessarium non sit, illi quoque esse virtutem, ex eo quod virtute nos illi assimilemur. Sed eò res tandem redit, ut sint in Deo virtutes, quanquam non tales quales nostræ sunt, sed longè præcellentissimæ. *Deum virtutes habere, etsi non tales.* Addit animam ita virtutibus divinis imprimi à cœlesti illo exemplari, eique assimilari multò præstantiùs, quàm materiam, dum formis ab eodem exemplari superno defluentibus irrigatur. Virtutes porrò mensuræ quædam modique sunt, quibus anima alioqui dispersa & dissipata restringitur ad debitum modum. *Fortè verò mensuræ in anima quasi materia, mensuræ, quæ illic est, similes fiunt; vestigiumque optimi, quod illic est, observant. Quod enim omnino immoderatum est, cum sit ipsa materia, est omnino dissimile. Quatenus verò accipit speciem, eatenus illi speciem non habenti fit simile. Magis autem quæ sunt propinqua participant. Anima vero propinquior cognatiorque quam corpus, ideoque magis particeps illius evadit; adeo ut fallat, Deus apparens, suspicionemque inducens, ne totum Dei hoc sit. Sic igitur hi similes fiunt.* Imprimuntur ergo ideæ divinæ & in animam per virtutes, & in materiam per formas, & utramque eo modo sibi assimilant;

lant; etsi nec virtutes istiusmodi, nec formæ propriè sint in Deo; sed lumina quædam perfectionum longè splendidissima, quorum hæ sunt imitationes quædam obscuræ & quasi vestigia.

Enn. 1. l. 6. c. 2. XII. Idem porrò Plotinus sic censet, animam nostram cum ex genere divinorum ipsa sit, ut primùm in orbe sensibili spectat aliquid, quod lineamenta præseferat supernæ sibique cognatæ pulcritudinis, tum in memoriam revocari & in amorem exardescere divinæ illius sursum & exemplaris pulcritudinis, cui naturaliter ipsa cognata est, & cujus adumbratam quandam similitudinem infima hęc præseferunt. *Existens nimirum anima id quod naturaliter est, ac propriè & secundum essentiam in rerum ordine præstantissimam, quandocumque aspexerit cognatum quiddam cognatique vestigium, congratulatur, & stupet, ac refert in seipsam, suique recordatur atque suorum. Quænam igitur similitudo his quæ apud nos pulcra videntur, ad illa quæ supra nos sunt pulcra? Etenim siqua similitudo est, similia quidem sint. At quonam pacto pulcra simul, & hæc & illa? Participatione utique speciei nostra hæc dicimus esse pulcra.* Attendenda est & species seu idea pulcri impressa naturaliter animæ, secundum quam de pulcris judicat. *Hæc dicit anima speciei quæ penes ipsam est accommodans, eaque freta ad judicandum, quemadmodum ad recti judicium regula uti solent.* Extrinseca autem pulcritudo internæ & æternæ ideæ ita congruit, ut domus fabrefacta consentit ideæ in mente architecti. *At quonam pacto id quod in corpore est, ei quod super corpus est, congruit? Dic age, & quomodo extrinsecum ædificium ædificii formæ quæ in mente est, Architectus accommodans pulcrum esse judicat?* Sic & pulcritudinem harmoniæ priùs anima in seipsa concinnat, pòst effundit in

Ibid. c. 3. exteriores sonos. *Proinde harmonias, quæ sunt in vocibus, aliæ quæ latent in anima faciunt, & ad sensum usque producunt, &c.*

A corporeis nimirum pulcritudinibus etsi incipiamus assurgerę ad divinum exemplar, ab his tamen omnino, & à sensibus abducenda tandem mens est, ne si formas corporeas diutiùs spectet, tanquam imagines in aqua conspicuas, demergatur & ipsa in aquas & pereat. Ad patriam ergo hinc fugiendum & ad Patrem, non aliis pedibus, quàm purgatis affectibus. Progressio autem hæc erit, ut à pulcris corporum formis, ad artium, ad virtutum, ad disciplinarum pulcritudinem conscendamus, & ad ipsam demum pulcritudinem, quam facilè intuebimur, si mentis oculum à terrenorum affectuum sordibus antè purgaverimus. Quod dę pulcri hìc idea dicitur, de reliquis omnibus similiter æstimandum est. *Ingrediatur qui-*

Ibid. c. 8. 9. *cumque potest in intima, extra relinquens intuitum oculorum, neque solita spectacula sensuum ulterius à tergo respiciens. Oportet enim hanc pulcritudinem summam intuentem, nihil penitus corporeæ pulcritudinis ultra spectare; sed cognoscentem corporea hæc esse imagines vestigiaque & umbras, ad illud omnino confugere, cujus hæc simulacra sunt. Siquis enim ad hæc proruat, quasi vera capessens, quæ tamen velut formosæ imagines apparent in aqua; idem profectò patietur, quod ille perpessus est, qui ut fabula tradit, umbram captare contendens, in aquam se demersit, periitque. Hic ergo veriùs aliquis proclamabit, Abeamus hinc amici, in dulcem patriam confugientes. Patria vero nostra ibi est, unde venimus. Ibidem quoque Pater. Quænam igitur classis atque fuga? Haud sane pedibus est fugiendum. Nec equos, nec naves parare debemus, imò verò cuncta hæc dimittere, & visu corporis clauso alium pro hoc visum assumere, atque suscitare. Quem habent quidem omnes, utuntur vero perpauci.* Ergo nostra à sensibilibus fuga ad patriam, unde huc defluximus, & ad Patrem ibi regnantem, non pedibus, non equis, non classe fit, sed sola sensuum corporeorum abdicatione, & excitatione atque vigilia oculi interioris, quo statim intelligibilia sursum exemplaria spectari poterunt. Hunc oculum omnes habent, non omnes purgant, pauci illum purgant, pauci illo utuntur. *Solus hic oculus ingentem inspicit pulcritudinem. At verò si forte oculus vel sordibus infectus, necdum purgatus, vel ignavia debilis, in spectaculum lucidissimum intendatur, caligabit protinus, &c. Oportet enim visurum videndo cognatum similemque prius efficere, quam ad spectaculum adhibeatur. Neque vero oculus unquam videret Solem, nisi factus solaris. Neque rursus animus, nisi factus sit pulcher, ipsam pulcritudinem intuebitur. Efficietur ergo divinus sive deiformis quilibet, atque pulcher, si modò Deum sit, & pulcritudinem inspecturus. Sic enim primum ascendet in mentem, ibique pulcras omnes species, seu ideas contemplabitur, atque affirmabit pulcritudinem illam ideas esse. Cuncta namque his pulcra sunt, ut quæ mentis genitura sint & substantia. Quod autem his superius est, dicimus ipsius boni naturam, pulcrum circa se effundentem.*

XIV. In quibus Plotini verbis id perspicuè cernitur, ideas rerum omnes non alibi esse quàm in Mente prima, seu in Verbo divino, & ejus effulgescentiam atque substantiam ipsam has esse; esse item ipsas pulcritudinis totius formas, sicuti Mens, Ennead. 5. L. 8. c. 1. 6. 7.
seu Verbum ipsa summa & incorruptibilis pulcritudo est, proles utique germana summi Boni. Porrò ex eodem Plotino cùm ideæ sint rationes, & contemplationes, seu contemplamina quædam primæ Mentis: quæcumque hìc imprimuntur, sive in animam, sive in materiam, contemplamina & ipsa sunt & rationes, suo quodam proprio sibi modo. Itaque rationes quoque seminales, unde efformantur corporalia omnia, contemplationes quædam & ipsæ sunt, seu imagines divinarum contemplationum. *Omnia ex contemplatione con-* Ennead. 4 L. 4. c. 13.
templationesque sunt, tum vere existentia, tum ex his genita, his videlicet contemplantibus, ipsa facta jam contemplamina, vel sensui, vel cognitioni, vel opinioni se offerentia. Omnia enim sui principii saporem retinent, & ab idea, seu à contemplatione orta, in contemplationem vergunt, ducunt, urgent. *Proinde cogitat, cùm ipsa omnium prima in contemplatione consistant, cætera omnia contemplationem ipsam necessario appetere. Siquidem finis omnibus propositus est, quod est & principium.* Luculentissimè & copiosè idem alibi prosequitur Plotinus, cujus sententiam in hæc verba ibidem contraxit Marsilius Ficinus, quæ non pigebit hìc adscribere, ne in enormem prolixitatem hoc Caput se effundat. *Mens divina idearum suarum sigillo imprimit formas animæ mundi adeo vehementer, ut non solum figuret supremum animæ, id est, intelligentiam; sed etiam medium ejus, id est, imaginationem ejus; & usque ad infimum ejus, id est, naturam, formarum notas inurat. Formæ sive rationes rerum seminales in natura sunt ultima quædam vestigia divinorum, ideo cognitione carent, quamvis vita non careant.*

Possent plura & penè innumera hìc coacervari ex eodem Plotino, at liqueret ex ipso & Platone non alibi ideas, quàm in Mente prima locatas esse, & ipsam Mentis primæ substantiam esse, utpote quæ omnia intelligat, nec extra seipsam digressa & penè mendicans intelligat, sed intra se intelligat omnia, & essendo intelligat, adeoque omnia intelligat, quia omnia est, nec aliter mens est, quàm quòd ipsum ens sit, & summa veritas. Unum hunc insuper adjiciam Plotini contextum, quo hæc omnia confirmentur. *Una igitur hæc natura est, mens, omnia entia, veritas, Est & magnus quidem Deus. Imò verò non aliquis Deus, sed omnis. Nec inde existimat se hæc omnia esse. Natura igitur hæc est Deus. Deus inquam secundus, seipsum proferens indagantibus, &c.* Sic ille dę Verbo, non omnino ad veri
Ennead. 5. L. 3. c. 5. 6. 7. Et Enn. 5 L. 5. c. 1. 2.
L. 5. c. 1.

accu-

accuratam regulam, quoad ejus cum Patre Deo æqualitatem.

XV. Jamblichus in Protreptico assentitur & ipse, per sensus corporis sæpè falli, semper deprimi mentem; his ergo vale dicendum esse, ut sola mente veritatem contemplemur & ideas. *Conspicuum id maximè erit ex formarum contemplatione. Ipsum enim justum & pulchrum, itemque honestum, atque omnia quibus ceu sigillis confirmamus id quod est, nunquam quisquam oculis vidit, nec alio corporis sensu attigit, &c. Quandiù vivimus, proximi erimus scientiæ & cognitioni, si minimum omnium cum corpore commercium, neque etiam quidquam cum illo commune habuerimus, nisi cum extrema urgebit necessitas: neque hujus natura & ingenio repleamur, sed ab eo repurgemur, donec Deus ipse nos dissolverit. Atque ita puri, cognoscemus quod verum est. Impuro enim rem puram attingere nullo modo fas est.*

Cap. 13.

XVI. Alcinous libro de doctrina Platonica, suam suæque sectæ procerum sententiam ita aperit de tribus principiis, materia, idea, Deo: *Cum materia principii cujusdam rationem habeat, alia quoque principia Plato præter materiam introducit. Unum videlicet tanquam exemplar, quod idearum est; alterum quod paternum dixeris, quod Patris & authoris rerum omnium est Dei. Est autem idea, quod ad Deum, notio Dei; ad nos verò, primum intelligibile; ad materiam, modus; ad mundum hunc qui in sensus cadit, exemplar; ad seipsam verò, essentia. Quidquid enim adhibito fit intellectu, ad aliquid referri necesse est. Quemadmodum si aliquid ab aliquo fiat, ut à me mei ipsius imago, ejus exemplar præsupponi oportet. Et si externum nullum sit, unusquisque artifex in seipso id primo concipiens, ejus deinde formas in materiam transfert. Definiunt autem ideam, exemplar æternum eorum quæ secundùm naturam fiunt.* Et mox: *Esse namque ideas notitias Dei æternas, ac seipsis perfectas.* Ex quibus planum fit, non alibi ab his Philosophis constitutas ideas, quàm in mente opificis omnium Dei.

Cap. 9.

XVII. Simplicius verò eo maximè nomine contendit animum à particularibus & sensibilibus ad intelligibilia & universalia æternaque rerum exemplaria convertendum esse, quòd circa illa dissensiones, rixæ, bella, calamitates ebulliant: de his summa omnium consensio & pax ac fœlicitas est. *Itaque ratio instrumentum est in quolibet homine, & ratio dijudicandi boni & mali, veri & falsi. At formarum incorporearum & indivisibilium, & semper eodem modo consimiliterque sese habentium, sunt appetentes rationes, veluti modestiæ, justitiæ, sapientiæ, quarum totarum qualibet est particeps, illa non imminuta participatione. Quæ quod rectâ ratione judicantur, non pugnant, sed in omnibus consentiunt, cùm sint eædem, &c. Corporea, & singularia, & divisibilia, unius participatione possunt minui, veluti pecuniæ, corpora, aut prædia. Quare de his diversa judicia sunt, & cujusque peculiaria; pugnæ item, seditiones & bella. Indoctus igitur est, qui relicta communi regula, & bono communi, ipse sibi peculiare judicium & bonum proprium atque individuum & corporeum circumscripsit; quod genus in rebus externis est. Philosophus autem relictis externarum rerum & concretarum cupiditatibus, easque prorsus alienas judicans, ut jam à simulacris repurgatus, & ab umbra rerum ad semetipsum, & ad id quod verè est conversus, communes rationis formas, quæ in ipso insunt, amplectitur, & bonum in sese deprehendit.* Aurea sunt hæc prorsus Simplicii verba, aurea placita, & ingenti cum voluptati, tum utilitati futura, si altè defigantur animo, si in mores trahantur. Nimirum egestatem, dissensiones, rixas, pugnas, calamitates individuas esse comites particularium & sensibilium bonorum; quòd sine sui diminutione communicari pluribus non possunt, ob naturæ suæ angustias. At universales illas supernæ pulchritudinis, veritatis, sapientiæ, justitiæ, & beatitudinis formas, omnibus in commune fruendas obiici, nec plurium simul fruentium numero quantumvis augescente posse unquam minui; ideoque de his nec rixas excitari, nec pugnas, sed summam esse in earum fruitione pacem & fœlicitatem. Id ergo consequuntur homines, dum privatim, & in parte gaudent, ut in infinitam quandam se egestatem & rixarum materiam coniiciant; & avaritia plus habendi, ut loquitur Augustinus, minùs habeant, & totum perdant.

In c. 72. Epicteti.

CAPUT XII.

Ideas in mente divina collocandas, nec alibi vel à Platone, vel à Platonicis collocatas esse, consentiunt sancti Patres.

I. Tertullianus reos agit Platonicos, quasi ideas extra mentem divinam locarent. Sed eo illum sua impulerunt præjudicia.

II. Habenda potius fides est Augustino, Platonicos ea quidem in re purganti.

III. Aliqua adnotantur in Augustini verbis de ideis Platonicis, quas in Deo ab iis affixas censet.

IV. Idem sensit & Claudianus Mamertus.

V. Et Justinus martyr, qui ideas à Platone locatas docet in Verbo, quod à Patre Deo distinguebat: unde exortus error, quasi ideas abegerit extra Deum.

VI. Irenæus illustratur, & quæ de ideis scripsit contra Valentinianos.

VII. Clemens Alexandrinus Platoni maximè propitius.

VIII. Eusebius ex Scripturis & Patribus Platonicas ideas tuetur.

IX. Theodoreti calculus.

X. Et Cyrilli Alexandrini. Non carpebantur ideæ Platonicæ, nisi quia paucis satis explorata erat Platonis sententia de Verbo, in quo ille ideas constituebat, non in Deo Patre.

XI. De eodem rursus.

XII. Ciceronis sententia.

I. Hinc ordiemur censuram antedictorum. Et amoliemur, qua fas erit, invidiam immeritò Philosophis illis inustam, quasi ideas alicubi extra mentem & substantiam divinam constituerint. Exarsit ante alios Tertullianus contra Platonem, quasi Gnosticis & Valentinianis hæreticis viam complanasset. Sed abutebantur hæ pestes non solis Platonis libris ad insulsi sui dogmatis fabricam construendam. Ipsas divinas literas in sui erroris patrocinium captivas invitasque trahebant. Non ergo id vitio statim vertendum, si Platonicorum placitis suas impietates palliabant hæretici; sed quo jure, quove merito id facerent, æstimandum est. En verba Tertulliani: *Convertor ad intellectualium partem, quemadmodum illam Plato à corporalibus separatam hæreticis commendaverit, agnitionem ante mortem consecutus, &c. Vult Plato esse quasdam substantias invisibiles, incorporales, supermundiales, divinas & æternas, quas appellat ideas, id est, formas exemplares, & causas naturalium illorum manifestorum, & subjacentium corporalibus sensibus, & illas quidem esse veritates, has autem imagines earum. Relucentne jam hæretica semina Gnosticorum & Valentinianorum? Hinc enim arripiunt differentiam corporalium sensuum, & intellectualium virium, &c.* Ex infra suo loco dicendis patebit Tertullianum nimium etiam fuisse in corporeæ substantiæ defensione, dum Deum ipsum, dum animam corpus esse pro-

Libro de Anima.

pronunciat; dum diffidit omninò esse, quod corpus non sit. Purgabimus ipsum, si dabitur copia, & humaniùs cum ipso agemus, etsi humanitatis parum studioso. Interea verò liquidum est, quàm non potuerit non effervescere in intelligibilem mundum Platonicorum, homo hoc præjudicio occupatus. Mollius aliquid infrà idem habet Tertullianus, cum ait Deum quasi Platonico dogmati propitium, nihil sine exemplari molitum esse. *Voluit Deus & alias nihil sine exemplaribus in sua dispositione molitus paradigmate Platonico, &c.*

II. Sed habenda utique fides est Augustino, affirmanti legisse se in Platonicorum libris illud idem Verbi, summi omnium exemplaris Encomium, à quo Evangelium suum exorsus est Joannes: *Et ibi legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omninò multis & multiplicibus suaderi rationibus, quod In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, &c.* Omnia per Verbum fieri, & Verbum Deum esse, perinde est acsi dicatur per ideam & exemplar mentis divinæ. Sed alibi Platonicæ doctrinæ summam quoad ideas & veritatem, intelligibilium supra sensibilia præstantiam prolixè refert, & vehementer approbat Augustinus, quin & Christi incomparabilem præcellentiam hanc extollit, quod quæ illi paucis discipulis in scholarum suarum angustiis insusurrabant, ipse orbi universo persuaserit. Augustino ut reor fides potiùs habebitur, quàm Tertulliano. Attexendus est ergo locus ejus: *Si eo ipso tempore quo vivebat Plato, discipulus ejus eum interrogaret, cum sibi ab ipso persuaderetur, non corporeis oculis, sed pura mente veritatem videri, cui quæcumque anima inhæsisset, eam beatam fieri atque perfectam: ad quam percipiendam nihil magis impedire, quàm vitam libidinibus deditam, & falsas imagines sensibilium, quæ nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressæ varias opiniones erroresque generarent: quamobrem sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam, & eodem modo semper se habentem, atque undique sui similem pulchritudinem, nec distentam locis, nec tempore variatam, sed unum atque idem omni ex parte servantem, quam non crederent esse homines, cùm ipsa verè summèque sit; cætera nasci, occidere, fluere, labi, & tamen inquantum sunt, ab illo æterno Deo per ejus veritatem fabricata consistere; in quibus animæ tantùm rationali & intellectuali datum est, ut ejus æternitatis contemplatione perfruatur, atque afficiatur, orneturque ex ea, æternamque vitam possit mereri. Sed dum nascentium atque transeuntium rerum amore ac dolore sauciatur, ac dedita consuetudini hujus vitæ atque sensibus corporis, inanibus evanescit imaginibus, irrident eos qui dicunt esse aliquid, quod nec istis videatur oculis, nec ullo phantasmate cogitetur, sed mente sola & intelligentia cerni queat. Cùm hæc ergo à magistro sibi persuaderentur, si ex eo quæreret ille discipulus, utrum si quisquam existeret vir magnus atque divinus, qui talia populis credenda saltem, si percipere non valerent: aut si qui possent percipere, non pravis opinionibus multitudinis implicati, vulgaribus obruerentur erroribus: eum divinis honoribus dignum judicaret: responderet credo ille, non posse ho ab homine fieri, nisi quem fortè ipsa Dei virtus & sapientia tanta majestate subveheret, &c.*

Confess. l. 7. c. 9.

L. de vera Relig. c. 3.

III. Observanda non pauca veniunt in hoc prolixiore contextu. 1. Descriptionem exemplaris Platonici, seu ideæ ad quam efformatus est mundus, & ad quam delineantur omnia Dei opera, absolutissimam ibi contineri. Quid enim aliud idea quàm *incommutabilis rerum forma, eodem modo semper se habens, & sui semper similis pulchritudo, quæ verè summèque est, etsi non credant esse imperiti, & cætera potius non sint, in quantum ab æterno Deo per ejus veritatem fabricata consistunt.* 2. Nec tantùm idearum descriptio luculenta hæc est, sed iisdem prorsus verbis, atque illas suprà Plato & Plotinus delineabant. 3. Summam Philosophiæ Platonicæ huc revocat Augustinus jure meritissimo. Omnia enim alia quæ hoc contextu perstringuntur ferè, ad hoc caput unum religantur, hoc est dogma de ideis; Immortalitas animæ, animarum lapsus ad sensibilia, fallaciæ sensuum, sordes cupiditatum, inanitas sensibilium, veritas certissima & intelligibilis supra sensibilia, abdicatio sensuum, purgatio mentis, reditus ad cœlestem patriam, contemplatio beata veritatis. 4. Hæc omnia Christi hominis Deique magisterio non confirmata tantùm esse, sed toto etiam orbe disseminata, humano generi, vel intelligentia, vel fide tradita & recepta fuisse addit Augustinus. Sentit ergo ille ideas à Platone non locatas nisi in divina mente.

Quin & apertissimè alibi idem sanctus Pater id confitetur, id indubitatissimum esse insinuat, Platonem ideas omnium divinæ menti concredisse. *Et si Deus, quod assidue Plato commemorat, sicut universi mundi, ita singulorum animalium species æterna intelligentia continebat, quomodo non ipse cuncta condebat? An aliquorum esse artifex nollet, quorum efficiendorum artem ineffabilis ejus & ineffabiliter laudabilis mens haberet?* Non video quid expressius desiderari possit.

Civ. l. 12. c. 26.

IV. Satis disertè idem tradit Claudianus Mamertus: *Cùm ad ipsam creatricem venitur magnitudinem, quia comparari non potest, nec major, nec minor est. Sed & in his principalibus formis ratio par est, quas Plato ideas nominat. Nam secundùm eandem quadrati legem fabricamus, & quadratam tabulam, & forum quadratum. Et cùm forum majus quadratum sit, non tamen magis quadratum est.* Vides ut ideas Platonis conjungat divinæ & creatrici magnitudini, cui comparari omninò nihil potest. Nec ideis enim quidquam comparatur, cùm potius ideæ sint ipsæ regulæ, secundùm quas alia aliis omnia comparantur.

De stat. animæ l. 1. c. 4.

X. Nec minor fuit Græcorum Patrum propensio, ad Platonicam de ideis sententiam adprobandam. Justinus Martyr in Cohortatione ad Gentes: *Plato principia Universi affirmat esse Deum, materiam & ideam. Deum quidem conditorem omnium. Materiam autem primariæ rerum generationi subjacentem, & causam occasionemque Deo creationis præbentem. Ideam porrò creaturæ cujusque exemplar, &c. Rursus Platone principem Deum & ideas in primo supremi cœli eoque immobili orbe collocante, Aristoteles secundum principem Deum non ideas, sed intelligibiles quosdam Deos facit.* Ex quibus claret ideas velut exemplaria creatrici omnium menti proponi, & in eodem cœli vertice cum ipsa residere, & secundum post ipsam locum obtinere; quæ vix aut nec vix stare possunt, nisi in mente Creatoris constituantur. Et mox: *Plato ubi antea ideæ proprium attribuit ortum, & per seipsam constitisse, seu substantiatam esse censuit, deinde in mentis intelligentiis eam ipsam esse ait.* Præclarissimè in his Justinus, sed nulla hìc conflictatio Platonis cum seipso. Verè enim idea & per se subsistit, tanquam substantia & hypostasis propria Verbi, & tamen in mente atque in intelligentia Dei parentis est. Et hinc hallucinandi & Platonicas ideas calumniandi insectandique occasio oborta est, ex incogitantia vel inscitia hominum, qui non adverterent Platonem locare ideas non in hypostasi Patris, sed in Mente prima, in Verbo, in Filio, quæ alia est à Patre hypostasis. Statuebat ergo ideas Plato non seorsim extra Deum, sed in Verbo, atque adeo in Deo, quia Verbum, Verbum utique Dei Patris est. Quod autem postea Justinus addit, Platonem aberrasse in idea ante res sensibiles constituenda, *Arbitratus est prius ideam quandam sejunctam, quàm formam sensibilem extitisse*, & errandi ansam arripuisse ex Moysis contextu perperam intellecto,

tellecto, nimirum de exemplari Tabernaculi in monte præmonstrato; haud scio in his an jure Plato culpari possit. Indubiè enim sejuncta non à Deo, sed à rebus sensibilibus, ideo rerum sensibilium ante res sensibiles statuenda idea est, dum non extra Dei Mentem & Verbum constituatur.

VI. Irenæus à Platone ait id Valentinianos hæreticos mutuatos esse, quod quæ hic sunt sensibus corporeis objecta, eorum imagines & simulacra
L. 2. c. 19. sint, quæ verè sunt. *Quod autem dicunt imaginis esse hæc eorum quæ sunt, Democriti & Platonis sententiam edisserunt. Plato materiam dicit, & exemplum, & Deum, &c. Quos isti sequentes, figuras illius & exemplum, imagines eorum quæ sunt sursum vocaverunt, &c.* Sed non potest sine piaculo Irenæus in suspicionem venire cuiquam, quasi negaverit naturas omnes sensibiles simulacra quædam & velut umbras esse rerum intelligibilium: cum eam constantissimam fuisse SS. Patrum sententiam fusè suprà demonstratum sit. Unum id ergo Irenæus expostulat, quod Valentiniani ipsa intelligibilia & spiritalia, quorum res sensibiles velut imagines quædam dicuntur esse, non aliud & ipsa esse contenderent, quàm imitamenta quædam & imagines naturarum quarundam superiorum, hactenus inauditarum: quin & Deum ipsum nostris his sensibilibus & intelligibilibus dominantem, subesse fabularentur Deo superiori, ut nec in uno vero Deo animum defigerent. *Sed terrena quidem quæ sunt erga nos disposita, congruit typos*
L. 4. c. 35. *esse eorum quæ sunt cœlestia, ab eodem tamen Deo facta. Quæ autem supercœlestia & spiritalia sunt, & quantum ad nos spectat, invisibilia, & inenarrabilia, typos rursum alterorum cœlestium dicere, & alterius pleromatis, & Deum alterius Patris imaginem esse, & errantium est à veritate, & omninò stultorum & hebetum. Cogentur enim hi tales semper typos typorum & imagines imaginum adinvenire, & nunquam figere animum suum in uno & vero Deo.* Impii ergo nugatores non tantùm Verbum Deum Dei Patris imaginem esse cum Platonicis & cum Ecclesia confitebantur; sed præterea Deum ipsum Patrem *alterius Patris imaginem* esse blatterabant, quod & à Platonica schola & ab Ecclesiastica veritate alienissimum erat.

VII. Scrupulum omnem eximet Clemens Alexandrinus, ita Christiano dogmati Platonicam in hac parte sententiam coaptans: *Merito ergo*
Stromat. L. 4. p. 391. *Plato quoque eum qui ideas contemplatur, dicit victurum esse Deum inter homines; Mens autem est locus idearum, Mens verò est Deus. Eum qui Deum in quem non cadit aspectus contemplatur, dixit Deum viventem inter homines.* Et mox: *Quando enim anima quæ transcendit generationem, per se fuerit, & cum formis seu ideis versatur, qualis est, qui est dux chori in Theæteto, is factus tanquam Angelus, erit cum Christo, ut qui versetur in contemplatione, semper Dei voluntatem considerans, revera hic solus prudens. Isti volitant velut umbræ.* Alludit apertissimè ad Theæterum Platonis, & ad locum ex eo allegatum à nobis capite superiori. Manifestissimè autem confitetur, ex Platonis mente ideas esse in Dei mente, & Dei mentem esse ipsum Deum & contemplatorem idearum contemplatorem esse Dei, solum intelligere, solum sapere, solum beatè agere, reliquos homunciones circa ipsum velut umbras volitare. Nec minùs perspicuè infrà idem Clemens: *Si ergo dicimus ali-*
L. 4. p. 403. *quid esse justum, dicimus autem etiam esse pulchrum & honestum: quin etiam veritatem aliquid esse dicimus? ex his autem nihil oculis unquam vidimus, sed sola mente. Verbum autem Dei, Ego sum, inquit, veritas: est ergo Verbum mente considerandum. Veros autem inquit Philosophos quosnam dicis? Eos dixi ego, qui sunt curiosi veritatis contemplandæ. In Phædro autem Plato veritatem declaravit esse ideam. Idea autem est Dei intelligentia, seu quod à mente divina intelligitur, quod quidem Barbari dixerunt Verbum Dei.*

VIII. Eusebius Cæsariensis de Deo, de Ideis, de Angelis rectè sciteque excogitasse Platonem ait, sed temerè ea à novellis Philosophis inquinata fuisse nescio quo antiquarum fabularum contagio. *Isti quippe quæ longo post ætatum intervallo de mente rerum omnium procreatrice, & de incorporeis* Præpar. Ev.
ideis, & de naturis intelligentia præditis primum L. 3. c. 6.
à Platone summoque judicio excogitata fuerant, ea cum priscorum Theologia colligare moliti, majore quàm antea fastu hanc texendarum fabularum professionem extulere. Prolixiùs alibi idem Eusebius Platonicum de ideis dogma confirmat testimonio tum Didymi, tum Clementis, Alexandrini Ibid. l. 11. c.
utriusque, tum denique Scripturarum, in quibus 23. 24. 25.
memoratur Sol justitiæ, justitia, vita, sapientia, veritas, hoc enim totum idea & exemplar est; denique intellectuales sursum substantiæ, quarum hîc imagines sint. Rursus alibi, quæ nos suprà ex Platone decerpsimus de humana Republica ad divinas leges & ideas effingenda, ea Eusebius L. 12. c. 19.
contendit à Moysis libris hausta esse, & ex Scripturis aliis, ad exemplar cœlestium terrena omnia L. 13. c. 13.
geri & administrari hortantibus. Denique prolixam inseruit Eusebius Attici Philosophi Platonici disputationem adversus Aristotelem Platonicarum idearum sugillatorem, in quibus tamen caput & cardo vertebatur Platonicæ totius doctrinæ. *Quippè summum illud, atque ultimum est Platonicorum dogmatum, quod in spiritali hac & sempiterna idearum natura versatur. Ubi proinde supremus animi labor certamenque proponitur. Nam qui ad illam aspirare, eaque frui potuerit, is beatus omnino: cui eandem intueri ac pervidere non licuerit, omni fœlicitate vacuus spoliatusque relinquitur.* Ita Atticus, qui mox ait ideas non aliud esse, quàm notiones Dei, quas sibi ipse præformavit in mente sua, antequam mundi opificium adgrederetur. *Divinas notiones, quæ rebus antiquiores, & eorum quæ fiunt, exempla sint.* Præfatus autem erat Eusebius his ipsis ideis patrocinari Hebraicas literas, idque antè à se fuisse demonstratum.

IX. Theodoretus verò tradit Platonem posuisse ideas *ex Deo, & cum Deo.* Alibi autem prolato De cura
Platonis testimonio ex Timæo, hæc subiicit: Græcar. Aff. Serm. 2. 4.
Exemplum verò illum dicere opinor, vel Deum, Quæst. in
utpotè unum, vel ideam, quam Dei conceptum esse Gen. c. 19.
se ait, vel intelligibile cœlum, quod supra hoc esse Scriptura testatur. Cùm ergo rideat alibi Theodoretus Platonicas de ideis fabulas, id unum sugillat, quod imperitè quidam opinabantur, tum demum ideas sibi suas efformasse Deum, cum orbem conditurus esset: *Atqui divinam naturam, neque manus habere, neque consilio, aut præmeditatione indigere profitemur, ut ex Platonicis fabulis secundum eam quam conceperit ideam, opus construat.* Sunt enimverò ideæ in Deo non fictitiæ & temporaneæ, sed æternæ, & Deus ipse.

X. Cyrillus Alexandrinus varia describens capita implicatæ inter Platonem & Aristotelem dissensionis, hæc de ideis habet: *Rursus sapiens il-* L. 1. adv. Jul. p. 48.
le Plato, & omnium prædicatione celeberrimus, tria principia Universi constituit, Deum, materiam, & ideam. Deum opificem esse asserit, materiam subjectum, ideam verò exemplar cujusque eorum quæ fiunt. Aristoteles ideam principium esse nec credere vult, nec concedere. Quin imò pugnare ipsum sibi Platonem ait Cyrillus, cum ideam nunc per se subsistere dicit, nunc in divina mente esse. *Quid quod cùm ideam interdum per se subsistere dicat Plato, inventis ipse suis repugnat, nec meminit alicubi dicere in Dei mente & cogitatione illam esse, nec propriam habere existentiam sive essentiam?* Ita Cyrillus Justinum loco suprà à nobis relato secutus. Iterum autem monemus iterumque, id fraudi fuisse multis, quòd Platonicorum de Patre &

Verbo Deo systema minùs perpensum atque exploratum haberent. Nec enim pugnabat sibi Plato, cùm ideas nunc in mente divina, seu in Verbo locaret, nunc seorsim à Deo, nimirum Patre & Genitore Verbi eas constitueret, cùm alia & alia Patris & Filii persona sit. Eo tantùm ut arbitror Plato peccabat, quòd Verbum ersi Dei Patris Verbum, & sapientem, & mentem esse conficeretur, & Deum æternum atque immutabilem: alterius tamen & sequioris substantiæ esse quàm Patrem opinabatur, atque ita inconstanter philosophabatur. Qui enim erat ipsum ens, prima mens, omnium idea, omnia, æternus & incommutabilis, non poterat non esse verus Deus, summo Genitori æqualis & consubstantialis. Sed hoc Platonis errore seposito, in quem altiùs postea se demerserunt Ariani hæretici, de ideis sana & constans erat ejus Philosophia, æternas & incommutabiles esse, in mente Dei esse, Dei notiones esse, Deum esse, sed in Verbo potiùs quàm in Patre Deo eas esse, etsi & in Patre sint, qua Verbum in Patre est, & Verbum Patris est.

XI. Sicubi ergo antiqui Scriptores Ecclesiastici repudiarunt placita Platonis de ideis, hoc ejus errore alienari ab eo erant. Tametsi enim is error non tam ad ideas pertineat, quàm ad consubstantialitatem Patris & Filii, serpit tamen & ad ideas ipsas; quæ jam viliores & quodammodo degeneres sunt, si extra substantiam summi Dei locantur. Ita intelligendus est Pachymeres: *At Plato quidem ideas & exemplaria nimis vili & indigna Deo ratione accepit.* Quæ & Maximi Martyris in eundem locum ipsissima verba sunt. Eadem Philonis ac Platonis & Platonicorum causa est, eadem culpa. In Verbo ideas constituit Philo, sed Verbum à Patre Deo plus æquo secrevit, nempe naturæ etiam diversitate; ex quo id efficitur, ut & ideæ ipsæ de splendore suo non modicum deperdant. In Dion. de div. Nom. c. 5. n. 8. & c. 11. n. ult.

XII. Ultimo loco referetur à nobis Tullius, qui de Platonico idearum dogmate hæc habet, quibus confirmari possint quæ supra dicta à nobis sunt. Adducto Phidiæ exemplo: *Nec vero ille artifex cum faceret Jovis formam aut Minervæ, contemplabatur aliquem, è quo similitudinem duceret. Sed ipsius in mente insidebat species, quam contuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem & manum dirigebat, &c. Has rerum formas appellat ideas ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus author & magister Plato, easque gigni negat, & ait semper esse, ac ratione & intelligentia contineri: cætera nasci, occidere, fluere, labi nec diutius esse uno ac eodem statu.* Sic ille ut vides, ideas seu *species in mente insidere* jubet, non extra ab opifice spectari. In Bruto.

CAPUT XIII.

Sententia Platonis refertur & refellitur; rerum omnium species & ideas nascentibus infundi nobis, vel potiùs ex anteacta vita residuas superesse, & per reminiscentiam renovari.

I. Commentus est Plato vitam nescio quam animarum ante corpora; ideoque nunc in corpore reminisci eorum, quæ quondam viderant in ideis divinis, & nostram nunc scientiam non esse nisi reminiscentiam quandam.

II. Rursus de eadem reminiscentia, unde & addebant Deum solum verè doctorem esse, homines non esse nisi monitores.

III. Cur anima ψυχὴ *dicta, corpus* σῶμα *dicatur.*

IV. Visis pulchris infimis excitatur memoria & amor summæ pulchritudinis olim visæ, unde alas recuperat anima, & cœlestem in idearum patriam remigrat.

V. Levi flexu ad Christianum dogma hæc revocantur. Nam in hac Platonica fabella pellucet veritas primorum parentum Verbi contemplatione in primæva innocentia fruentium, inde delapsorum in sensibilia, ubi ex veri pulchri vestigiis recalescunt in amorem summi pulchri, & alas recuperant eorum posteri.

VI. Reliqua Platonis fabula de creatione cœlorum, astrorum, Angelorum, animarum, de peccato, de mortalitate & immortalitate, ad Christianum dogma traducitur. Cur hi Philosophi tam apertè præluderent Christianæ Theologiæ, cum de his plerisque Judæi conticescerent.

VII. Hæc Deus Ecclesiæ suæ inter Gentiles propagandæ præstruebat, etsi his profani Philosophi non pauca mendacia de suo penu insperserint.

VIII. Existimat Plotinus animam rationalem, etsi hospitetur in corpore, à mundo intelligibili & ab idearum contemplatione non recessisse omnino, sed ex optima sui parte illic adhuc esse, illinc pendere.

IX. Si animæ hinc nostræ possunt aciem suæ mentis convertere ad sempiternas veritatis ideas, easque contemplari, nihil opus est ad fabulosam reminiscentiam confugere.

X. Iterum Plotinus, ut mens nostra medium locum teneat inter intelligibilia & sensibilia; illis inhæreat, his dominetur. Ex quo rursus difflatur reminiscentia.

XI. Rursus ut mens nostra, vel in seipsa videat intelligibile omne verum, vel in ipso, seu in Verbo.

XII. Ex eodem mens nostra quodammodo est hæc ipsa vera, quæ intelligit in seipsa.

XIII. Maximus Tyrius refellitur.

XIV. Refellitur Jamblichus.

XV. Alcinous & Simplicius obiter.

I. PArs hæc altera superest, eaque potissima, nostræ, seu sanctorum Patrum in Platonem Platonicosque censuræ. Intelligentiam illi, ut à fide, & opinione secernitur, totam ab ideis suspensam & religatam esse voluerunt. Nec id culpamus. Sed idearum notionem animabus nostris jam inde ab exortu suo inesse, quin imo & ante ortum sanxerunt, in illa nempè vita antequam corporibus illigarentur, apud Superos acta infusam, nec corporis tenebricosi carcere penitus obscuratam. Hoc verò est primarium eorum dogma, vel potiùs commentum, Christiano dogmati capitaliter adversum. In ipso statim operis sui vestibulo Plato hoc obtrudit sectæ suæ placitum, animas ex aliis in alia corpora migrare; ita plures vitas alias aliis contexere, & nunc multorum reminisci, quæ in aliis corporibus didicerit; scientiam nunc quæ dicitur, meram esse reminiscentiam; si quis intestinum hoc animæ suæ penu excutere velit, vel ipse meditando, vel dum ab aliis aptè & opportunè interrogatur, posse omnes prorsus scientias inde elici: *Cum ergo animus immortalis sit, & sæpius in hanc vitam redierit, viderit que persæpè & quæ in hac & quæ in alia vita sunt, omniaque perceperit, nihil utique restat, quin ipse didicerit. Quam ob rem nihil mirum est, si eorum quæ ad virtutem & ad alia pertinent reminisci possit, quippè cum olim illa cognoverit. Cùm enim tota natura cognata sit, ac sibimet ipsa consona, & animus cuncta didicerit, nihil prohibet hominem unius cujusdam reminiscentem, quam disciplinam vocant, reliqua omnia recuperare; siquis adeo constans sit, ut quærendo minimè fatigetur. Quærere igitur ac discere reminisci est.* Quod fulcire mox nititur exemplo hominis, qui cum Geometriæ omnino rudis sit, interrogatus tantùm peritè ab homine perito, respondet omnia verissimè, perinde ac si Geometriam edidicisset. *Nonne igitur nemine docente, sed* In Menone.

sed interrogante potius, ista sciet ex seipso scientiam ad se revocans.

II. De disciplinis admodum omnibus idem experiri fas est, earum ignarissimus quisque convenienter ab earum callente aliquo interrogatus tantùm respondebit, intusque suo ipse in animo videbit, quidquid veri peritus earum intelligit. *Ego interrogabam, tu respondebas; de iis ergo uter nostrum dicere videtur, num ego interrogans, an tu respondens?* Hinc ergo illi & priorem corporibus vitam, & animæ in alia & alia corpora migrationem & pro scientia reminiscentiam exprimebant. Nobis alia inferiùs ineunda & complananda erit via, qua ars ista interrogationum & responsionum extricetur. Hinc Socrates obstetricis non magistri munere fungi se ajebat: se nihil admodum scire, nihil docere, sed adjutare, ut quæ latent scientiæ in animis hominum, qui sibi & aliis rudes videntur, interrogando & respondendo effodiantur; Doctorem proinde non esse nisi Deum, qui animas scientiis fœtas condiderit. *Quod obstetricibus idem & mihi accidit, sterilis sum & sapientia vacuus. Parturientibus succurrere me Deus cogit, generare prohibuit. Quocirca non sum ipse quidem ulla in re prorsus sapiens, neque extat aliquod meæ mentis inventum ex me natum. Qui vero mecum versantur, principio quidem rudes apparent; sed mea deinde consuetudine hi quibus Deus ipse favet, mirum proficiunt, ut & sibi ipsis & aliis videntur. Hoc tamen constat, quod nihil unquam à me discunt; imo ipsi in seipsis multa egregia possidentes inveniunt.*

In Alcib. 1. In Theætet.

III. Refert alibi eorum sententiam qui animam existimabant vocatam Psychen, quod per eam corpus respirando refrigeretur: corpus verò σῶμα quasi σῆμα, hoc est sepulchrum, quod in eo jaceat langueatque anima quasi sepulta, aut quasi carcere clausa, priorum delictorum pœnas luat. *Quasi ipsa præsenti tempore sit sepulta, &c. Videntur mihi præterea Orphei sectatores nomen ob id potissimum posuisse, quod anima in corpore hoc delictorum det pœnas, & hoc veluti clausa carcere servetur, σώζηται.*

In Cratyl.

IV. Illud memorabilius quod alibi ait, animas olim Deo & veritate fruentes, in corpora pòst lapsas, hìc ex vestigiis sensibilibus revocari quandoque in memoriam intelligibilis pulchritudinis, qua olim fruebantur, & emegere hinc, & illuc contendere, atque alas recuperare; à vulgo hominum interim carpi, sed illas ima hæc omnia contemnere vehementer, & quodam furore quasi percitas ad æterna totas sursum rapi; si quæ autem animæ totam supremæ illius pulchritudinis oblivionem potarunt, nec ad eam ex his infimis pulchri umbris excitantur, eas nimirum esse, quæ ex malæ consuetudinis ebrietate veluti quadam in hanc amentiam defluxerint. *Hæc recordatio est illorum, quæ olim vidit anima nostra cum Deo perfecta, & illa despiciens quæ nunc esse dicimus, & ad id quod verè est, sursum reflexa. Quapropter sola Philosophi cogitatio meritò recuperat alas. Nam illis semper quantum fieri potest, memoria inhæret, quibus Deus inhærens divinus est. Ab humanis autem studiis segregatus divinoque inhærens, carpitur à multitudine, quasi extra se positus, sed ipse Deo plenus multitudinem latet. Tendit igitur huc totus sermo, qui est circa quartum furorem, quo quando quis visa hic pulchritudine aliqua, veræ illius reminiscens, alas recipit, receptisque evolare nititur. Cùm vero id facere nequeat, tanquam avis superna suspiciens, & inferiora contemnens, sic se habet quasi furore correptus. Hæc ita divina alienatio omnium alienationum optima, &c. Omnis enim anima hominis ea quæ verè sunt intuita est, alioquin in hoc animal non venisset. Recordari vero ex his quæ hic sunt, illorum, non facile est omnibus; nec quot ex illis breve tempus illuc inspexerint, neque iis quæ huc descendentes infortunatæ fuerunt, ita ut quibusdam consuetudinibus depravatæ, sacrorum quæ aliquando inspexerant, oblivionem susciperent. Quamobrem paucæ restant, quibus satis memoriæ superfit. Hæ verò quando hìc similitudinem aliquam eorum, quæ illic inspexerant, intuentur, obstupescunt, & quasi extra se ponuntur.*

In Phædro.

V. Non pœnitebit profectò hæc vel legisse, vel hic adscripsisse, si veniat in mentem quod alibi monuimus jam, ab erroribus hæc emaculari facilè posse, & levi flexu ad veritatis orthodoxæ tramitem revocari: tumque mutatis potiùs verborum sensibus, quàm verbis, longè pulcherrimam in his aperiri doctrinam, quam non possum equidem non magnoperè admirari, orbi allucere potuisse, tot annis, imò tot sæculis ante natalem incarnatæ Veritatis. Nimirum hæc lumina jam tum spargebat incarnanda Veritas, & inter Gentiles aspergebat, ex quibus Ecclesiæ suæ congregare multitudinem decreverat. In primo parente conclusi omnes inter Paradisi gaudia vidimus æternæ pulchritudinis lucem beatissimam: inde peccato delapsi non in corpora, sed in mortalia & ægra corpora, recalescimus quandoque in ejusdem summæ pulchritudinis amorem, ejus hic in terra vestigiis excitati; tumque paulatim alas recuperamus, & revolare in æterna illa veritatis spectacula pro virili contendimus: illis suspiramus, illis qua datur inhæremus. De disciplinis ergo interrogati vera respondemus, vel ultro in earum arcana meditando subimus, quia ubique mentibus omnibus præsentissima veritas est, nec usquam ipsa abest; sed nos illi præsenti absumus, dum mentem nostram in sensibilia ludicra demergimus. Monitore ergo tantùm aut percunctatore opus est, ut ad eam advertamus aciem mentis nostræ, & videamus lucem ultro omnibus occursantem. Hæc summa est, ut mox patebit, Christianæ Ecclesiæ Patrum Theologiæ, à qua per mihi mirum semper visum est tam propè abfuisse illos Philosophos, in quos amantem, sed veracem censuram exerimus.

VI. Manum & calamum abstineo, ne plura decerpam, maximè ex Timæo Platonis, ubi conditos à Deo superos Deo seu Angelos docet, ex animæque & corpore compaginatos, ideoque dissolubiles futuros, nisi divina manus & gratia immortalitatem indidisset: animam hominum ipsam quidem ex eodem cratere temperatam atque haustam, ac animam mundi & Angelorum; sed ab Angelis jussu Dei addita illis corpora, ne immortales ipsi quoque evaderent, si ab ipsa Dei manu corpora sortirentur; denique condita astra, eisque singulis singulos animarum ordines tanquam incolas beatissimos esse distributos, non ita tamen in bono defixos, ut non & labi in alia & alia infœliciora corpora possint, à quibus non nisi longo anfractu pœnarum expiati in proprium sibi astrum remigrent. Fabulosa non pauca hìc sunt, & plurima tamen veritas interlucet. Indulgendum quod fabulæ est, stupendum quod tantum veri in tanta tunc orbis caligine potuerit affulgere. Immortalitas animarum, earundem perfectio & beatitas in sui creatione prima, fœlicitas in contemplatione sita æternæ veritatis, ejusmodi tamen fœlicitas à qua cadere possent, à qua ceciderint saltem complures, par & una Angelorum atque animarum nostrarum causa, ex peccato consecuta pœna, ut in calamitosiora corpora animę deiiciantur, necessitas ut in pœnali hoc statu & ægro corpore purgentur abluanturque à pristinis sordibus, ita fore ut alas recipiant oculosque recuperent ad purę rursus contuitum veritatis, quo in cœlestem rursus beatitudinem redintegrentur. Hęc omnia veri lumina radiabant in illo Platonis Platonicorumque systemate, in his omnibus nobis illisque conveniebat, ut primùm orbi illuxit Christianum nomen. An Hebreis ante Christi in carne natales tantundem affulsisset purę lucis, aliis ęstimandum permitto: unum id in dubium non posse vocari videtur, paucissimis illis qui apud eos Prophetę vocabantur, multò plura explorata

rata fuisse, & à falsi contagione purgatiora. Quid autem causæ fuerit, quamobrem hi viri prophetiæ gratia & luminis abundantiore copia cœlitus donati, nihil istiusmodi de Patre, de Verbo, de immortalitate animarum, de earum lapsu, & restauratione, litteris mandaverint; id rursus est, in quo aliorum ego malim audire, quàm meam promere sententiam. Unum quod jam perstrinxi addam, suæ inter Gentiles Ecclesiæ latiùs aliquando propagandæ Deum Optimum Maximum diù antè longè pulcherrima & antiquissima fundamenta jecisse.

VII. Sed his veri seminibus cœlesti utique munere satis, multa de suo penu commenta Philosophia intersperserat. Hominum quoad corpus & cæterorum animantium creatio per Angelos, animarum simul omnium creatio ante corpora, earundem per varios ordines distributio in astra alia & alia, contemplatio veritatis & beatitas illico tanta, quanta purgatis in mercedem liberæ perseverantiæ servatur; lapsus singularum animarum actuali culpa sua, non contagio primi parentis; lapsus à beatitudine perfecta & consummata, aut non alia unquam fœlicitatis consummatio, quàm à qua dilabi possint; per vices sæpiùs labi & resurgere à lapsu animas, ab aliis in alia corpora migrare, nonnunquam & in brutorum; ubi quid veri intelligit quis, vel convenienter interrogatus, vel suo marte enitens, hanc esse non ad semper præsentem veritatem novam attentionem mentis, sed superstitem ex priori vita reminiscentiam. Hac sanè multiplici errorum fuligine inquinaverat Philosophia suos istiusmodi rebus sermones, multa alioqui veritatis luce radiantes.

VIII. Pauca demetam ex aliis nunc ejusdem sectæ Philosophis, quæ non pœniteat memorasse; adeò stupendum est humana ingenia potuisse per solum naturæ lumen ad arcana hæc veritatis adyta penetrare, etsi non sine frequenti cespitatione. Plotinus animam rationalem corpori animando existimat non totam se, imò nec propriè se, sed quoddam sui lumen infundere & impartiri, idque abundè sufficere ad vitam hanc sensibilem & mortalem agitandam; cùm ipsa interim mens seu superior animæ regio ab intelligibili idearum mundo non discedat, sed illic in cœlis conversetur cum Diis, seu cum Angelis. *Ipsa anima cùm sit talis non tradente seipsam in conjunctum, vel in alteram ejus partem,* (Enn. 1. l. 1. c. 7. 8.) *sed conficiente ex corpore tali, atque quodam velut lumine ab ipsa tradito, animalis naturam aliud aliquid existentem, cujus sit sentire, &c. Apparet adesse corporibus illustrans illa, viventiaque efficiens; non ex seipsa atque corpore, sed manens quidem ipsa, sui vere simulacra exhibens, sicut in pluribus speculis vultus imaginem.* Addit ibidem, & alibi luculentiùs edisserit esse in mundo intelligibili mentes corporis expertes, quæ nunquam inde discedant: esse & animas, quæ summo sui apice illic & ipsæ semper defixæ sint in idearum contemplatione, inferiore verò quadam sui portione illinc descendant in corpora, eaque vegetent. Cumque nullo loci intervallo vel animæ inter se, vel mundus intelligibilis à sensibili distet, nihil esse periculi, ne animæ hac sui quasi partitione distrahantur aut discerpantur. Hoc denique esse quod insinuatum Plato voluit, cùm dixit animam partim ex individua, partim ex dividua substantia constare. Individua enim est, qua indivulsè cohæret mundo intelligibili & ideis; dividua est, qua corpus aliqua sui aura afflat animatque. *In mundo intelligibili regnat es-* (Enn. 4. l. 1. c. 1.) *sentia vera, cujus præstantissimum est intellectus. Animæ autem & illic adsunt, inde enim venerunt huc. Ille quidem mundus animas habet absque corporibus; hic autem jam corporibus insitas divisasque per corpora. Illic sane simul est intellectus omnis, neque discretus, neque divisus. Simul & uno in mundo sunt animæ, nec ex ullis locorum intervallis distantiam patiuntur. Intellectus igitur indiscretus indivisusque est semper: sed anima illic quidem indiscreta indivisaque vivit; habet verò naturam divisionis cujusdam capacem. Ejus namque partitio est illinc abesse atque distare, corporibusque conjungi. Quapropter non injuria esse dicitur supra corpora divisibilis. Ita enim abest & distat, partitionemque nonnullam admittit. Quonam igitur modo etiam impartibilis est? Non enim illinc tota discedit, sed etiam superest ipsius aliquid quod ad inferiora non venit, cujus natura nullam subire potest partitionem. Quod igitur in Timæo dicitur animam essentia quadam individua, & quadam circa corpora divisibili esse compositam; idem est ac si diceretur, animam essentia quadam constare, partim quidem apud Superos permanente, partim verò ad inferiora vergente; quæ quidem simul & inde pendeat, & se interim ad hæc usque propaget, non aliter quàm ex centro linea protendatur.*

IX. Si sibi constaret Plotinus, poterat vel hinc & ipse totam illam de reminiscentia fabulam disflare. Nam si dum anima corpus mortale hìc vegetat, apice interim sui, seu mente connectitur, interestque intelligibili idearum mundo, quas æternas rationes vocat Augustinus; quid opus est vel priorem corporibus vitam, vel residuam illinc reminiscentiam comminisci, cùm possit mens sese ad æternas rationes & veri ideas semper præsentes advertere, & ibi coram videre ac intueri ea vera, quæ sedulo interrogatori tam fidenter respondet? Id confirmat & alibi Plotinus, cùm ait, species, rationes, ideas in materiam defluentes, hunc sensibilem mundum intelligibili assi- (Enn. 4. l. 3. c. 11. 12.) milare, coaptare, connectere. *Certè ratio in materia, quæ secundùm rationem materia superiorem formata est, conjuncta est illi Deo secundum quem genita fuit, &c. Proinde neque possibile erat hìc aliquid fieri divinitatis expers. Illa siquidem Mens est, ceu Sol divinus. Proxima vero huic succedit anima, &c. Hominum vero animæ eorum simulachra prospicientes velut in speculo, illic extiterunt desuper properantes, neque tamen à principio suo intellectuque disjunctæ. Neque enim una cum intellectu descenderunt, sed pervenerunt quidem usque ad terram, ac interim caput earum extat etiam super cœlum.*

X. Evidentiùs etiam alibi Plotinus hanc eandem animæ stationem mediam describit, inter æterna & temporalia, intelligibilia & sensibilia, illis adhærescentem, ad hæc usque se porrigentem; ita ut & intelligibilia vel in ipsis, vel in seipsa intelligere & conspicere possit; & ipsa enim intelligibilium naturarum ultima est, seque conspiciendo potest nonnullam intelligibilis veritatis portionem percipere. Nihil accommodatius dici poterat ad reminiscentiam refellendam, & tamen vel hìc Plotinus eandem putidè ingerit. Usque adeò difficile erat sine Christo verum purumque aliquid vel intelligere vel pronuntiare. *Anima rationalis intelligibilium ultima est, eorum verò quæ sunt in universo sensibili prima. Quapropter ad utraque vergit, & à superioribus qui-* (Enn. 4. l. 6. c. 1.) *dem bene afficitur, atque reviviscit: ab inferioribus autem quadam similitudine fallitur, & quasi delinita prolabitur. Cùm igitur sit in medio constituta, nimirum percipit utraque: & superiora quidem dicitur intelligere, in memoriam videlicet revocata, siquidem illis incumbat. Cognoscit autem propterea quod quodammodo est hæc ipsa. Nempe non cognoscit ea, collocando eadem in se velut in sede; sed quodammodo hæc habendo atque intuendo: atque ex eo quod anima est hæc ipsa obscuriùs, & ex habitu quodam obscuriore velut experrecta evadit lucidiùs eadem, & ex potentia prodit in actum.*

XI. Nec duo hæc disjungit Plotinus, ut veritates intelligibiles videat anima, vel in seipsis, vel in seipsa; quòd & ipsa in ipsis sit, & ipsæ in ipsa. *Seipsum intueatur, seque immortalem esse facilè* (Enn. 4. l. 7. c. 10.) *credet; quando scilicet seipsum in mundo intelligibili*

puro-

paroque loco perspexerit habitantem. Cernet enim intellectum videntem non sensibile quicquam, neque ex his mortalibus aliquid, sed vi sempiterna id quod sempiternum est considerantem; & omnia in mundo intelligibili, seque ipsum intelligibilem lucidumque effectum; veritate videlicet illustratum, quæ quidem ab ipso bono coruscat, quod intelligibilia omnia veritate collustrat. Audire mihi videor Augustinum, prædicantem ut à summo bono ac Patre Deo generetur Verbum veritas æterna, qua deinde collustrentur intelligibilia & vera omnia: quando quæcumque vera sunt, veritate vera sunt; & quæcumque intelliguntur vera, veritatis luce intelliguntur. *Jam igitur huic animo dictum illud valdè conveniet, valete vos, ego verò immortalis jam Deus profectus ad divinum, divinæ similitudini totus incumbo. Si ergo purificatio ipsa efficit, ut animus optima quæque cognoscat, nimirum scientiæ latentes intus effulgent, quæ & revera scientiæ sunt.* Hallucinatur hìc Plotinus, nec enim ideo purgato mentis dumtaxat oculo statim veritas intelligitur, quod scientiæ, & disciplinæ jam antè in anima sint; sed quia veritas intelligibilis semper præsens & animæ semper intima, puro mentis oculo cerni potest, impuro & lippiente non potest. Sed sepositâ illa reminiscentiæ absurda opinatione, & re tota huc quò Augustinus præit reflexa, pulcherrima sunt, & mirificæ sapientiæ plena Plotini verba: *Anima enim non extra currens temperantiam perspicit, & justitiam, sed penes seipsam in sui ipsius animadversione ejusque quod prius erat agnitione, velut divinas imagines in se sitas jam intuetur, quas ante per tempus rubigine obsitas jam ritè detersit. Velut si aurum fortè animatum foret, & quia terra obsitum, ideo non se intuens aurum, seipsum penitus ignoraret; aliquando verò terram excutiens cernensque purum seipsum admiraretur, cognosceretque non sibi opus esse extrinseca pulchritudine, optimè secum agi putans, si quis ipsum in se tantum manere permittat.* Luculenta prorsus comparatio, & alicubi ab Augustino usurpata.

VII. Postremò denique Plotinus, ut quæ mens nostra non credit, non opinatur, sed intelligit, nimirum in conspicua veritatis luce, hæc ipsa ipsamet sit, seque conspiciendo hæc intelligat, & hæc intelligendo semet intelligat, ita edisserit. Quæ non aliò magis videntur pertinere, quàm ad illas verissimas & evidentissimas rationes, quas prima principia scientiarum, & disciplinarum, & habitum ni fallor intellectus vocant. Cùm enim veritates istæ necessariæ, sempiternæ & immutabiles hinc esse videantur, illinc verò complexæ compositæque pluribus ex partibus sint, & procul sint ab illa simplicitate, quæ entis verè æterni & verè incommutabilis propria est; non video quid aptius dici possit, quàm quod has veritates ita & compositas, & tamen necessarias atque indissolubiles mens nostra in seipsa intueatur, tanquam aliquid sibi
Enn. 6. l. 5. c. 7. concretum, ut quæ & ipsa simul complexum quid sit & immortale: *Reducitur enim & nostrum & nos ipsi ad ipsum ens, ad illud ascendimus, ab illo existimus ab initio. Intelligimus illa non per illorum imagines, non per figuras ullas quas habeamus. Sin autem intelligimus quidem illa, neque tamen per imagines, vel figuras, sequitur ut illa intelligamus, ipsi existentes illa. Si ergo sumus scientiæ veræ participes, illa sumus, non accipientes quidem in nobis ea, sed nos potiùs existentes in illis.* Quod unum & unum duo sint, tria & septem decem, quod suum cuique reddendum, quod tria tantùm de quoque quæri possint, an sit, quid sit, quale sit: hæc & hujusmodi alia, quæ semper & necessariò vera & & fuisse, & esse, & fore videmus; & tamen vera non simplicia, sed complexa sunt; non facilè reperire est ubi sint ita composita & complexa, nisi in mente humana, quæ hæc ipsa quodammodo sit, & hæc in seipsa intelligat. Hæc eadem autem veritas ut sursum simplicissima sit, & ab intellectu Angelico, imò divino simplicissimè conspiciatur, pauci capere possunt: & hæc tamen verissima idea est, ad quam suspiciunt mentes creatæ, & ad quam non pertingunt nisi rarò mentes humanæ; dum autem eò connituntur, tunc seipsas excutiunt, & in seipsis veritates illas complexas deprehendunt.

XIII. Missa facio quæ disputat Maximus Tyrius in suis dissertationibus, pro stabilienda commentitia suæ sectæ reminiscentia, argumento inde Dissert. 28. maximè ducto, quòd si alius ab alio doceatur, deveniendum est tandem ad aliquem primum, qui non didicerit, sed in seipso invenerit quod doceret. Ita sanè, sed invenisse ac meminisse res duæ sunt longè diversissimæ. Inventor ergo ille potiùs est, qui à nullo monitus, ad præsentem ubique intelligibilem veritatem oculum mentis advertit, & vidit quæ aliis vel videndo demonstratet, vel credenda proponeret.

XIV. Jamblicus in vita Pythagoræ primum fabulosæ hujus de reminiscentia doctrinæ authorem ac propagatorem contendit fuisse Pythagoram. Cui & ipse assentitur in libro de Mysteriis: *Animus antequam se corpori insinuaret, divinam* Cap. 14. *hausit harmoniam. Unde etiam cùm in corpus vene-* Segm. 1. c. 9. *rit, quotquot audierit talia carmina, qualia maximè divinum harmoniæ vestigium spirant, hæc omnia exosculatur atque amplectitur. Hinc memor affectus veteris harmoniæ divinæ, unde ad eam ipsam fertur familiariter & propriè, cupitque ejus fieri particeps, quoad ejus fieri potest.* Tam commentitia est hæc reminiscentia, quàm harmonia. Nam etsi animæ ante corpora apud Deum beatam egissent vitam, non tamen ipsæ vel cantillassent, vel audissent sensibilem hanc harmoniam corporis auribus blandiùs lenocitantem. Veriùs est ergo quod philosophatur Augustinus, esse numeros alios aliis gradatim superiores, & tamen sibi utcumque consentaneos & quasi concatenatos, alios in sensu corporeo, alios in anima rationali, alios in mente, alios in incommutabili veritate & sapientia ejus qui omnia condidit in numero, & pondere, & mensura; excitari verò animam, ut per hos gradus conscendat à sensibilibus numeris ad rationales & intellectuales, ac tandem ad divinos, quæ jam ideæ divinæ sunt, ad quas per hæc evehimur, quia & ipsæ sui radiatione ad hos usque infimos numeros defluxerunt.

XV. Nil novi profert Alcinous. Simpliciùs notat ab Epicteto frequenter inculcari suum illud *Memento*, ut anima seipsam excitet in memoriam De Doctr. intelligibilium. *Animus rationes rerum sibi coes-* Platon. c. 4. *sentiatas habet*, συνεσπωμένους τῶν ὄντων λόγους, *earum-* In Enchir. *que innatam veritatem*. Hæc in Plotini sententiam Epict. c. 4. recidunt, & eodem retorquenda sunt, quò ejus verba infleximus.

CAPUT XIV.

Eadem Platonicorum doctrina de reminiscentia, ex sanctis Patribus refellitur.

I. Reminiscentiæ vox à sanctis Patribus quandoque usurpata, sed longè alio sensu, nempè ut posteri omnes Adamo conserti in unum hominem sunt. Augustinus inter exordia sua eidem assensus est quandoque reminiscentiæ.

II. Illam postea sanctus Pater multis argumentis labefactavit. Quod non omnes geometræ fuerint in alia vita, & tamen de geometricis aptè interrogati, aptè omnes respondeant. Item quod de solis intelligibilibus respondeant, non de sensibilibus & contingentibus.

III. Intelligibilium veritas ubique præsens, ubique obviat menti ad eam se convertenti; ita scitè respondent, aptè interrogati.

IV. Reminiscentiam ab Origene renovatam refellit Hieronymus.

V. Nec eam approbavit Boethius, etsi ad eam quandoque allusit.

VI. Eam manifestè reiicit Cassiodorus.

VII. Item Irenaus.

VIII. Et Cyrillus Alexandrinus.

IX. Et Isidorus Pelusiota.

X. A Quinta generali Synodo, & Justiniani Imperatoris Edicto proscribitur totum Origenis dogma, etiam de animarum praexistentia ante corpora, & hinc hausta reminiscentia. Multa proferuntur argumenta.

XI. Toto tunc orbe damnata hac Origenis deliramenta.

I. JAm non semel contestati sumus ipsam quidem reminiscentiæ vocem nonnumquam à Scriptoribus Ecclesiasticis usurpatam, eo videlicet sensu, ut reminiscamur, non eorum quæ viderimus ipsi in aliqua ante hanc vitam vita; sed quæ viderimus quodammodo in primo parente nostro, dum ille inter paradisi delicias posteritatem suam omnem circumferret, ejusque fata quodam miro modo conderet. Illam autem verè anteactæ vitæ reminiscentiam Platonicorum exsibilarunt Patres & Theologi omnes Christiani. Philosophi adhuc magis partes agebat Augustinus quàm Theologi, cùm Nebridio scribens visus est huic fabulæ patrocinari. Solvit enim hoc argumentum, quo illa impetebatur, istud nimirum. Memoria non est nisi rerum præteritarum. At intelligibilia æterna sunt, ideòque nec præterita unquam aut futura sunt, sed semper præsentia. Ergo eorum nec memoria esse potest ulla, nec reminiscentia. *Nonnulli calumniantur adversùs Socraticum illud nobilissimum inventum, quo asseritur, non nobis ea quæ discimus quasi nova inseri, sed in memoriam recordatione revocari; dicentes memoriam præteritarum rerum esse; hæc autem quæ intelligendo discimus, Platone ipso authore semper esse, nec posse interire, ac per hoc non esse præterita.* Respondet autem Augustinus, vera quidem illa æterna esse nec præterire; & eorum visionem esse præteritam, & ejus animam nunc meminisse, quia non ita potest nunc, ut olim poterat illa intueri. *Qui non attendunt illam visionem esse præteritam, qua hæc aliquando vidimus mente, à quibus quia defluximus, & aliter talia videre cœpimus, ea nos reminiscendo revisere, id est, per memoriam.* Scribebat hæc hauddubio Augustinus inter ipsa Christiani sui tyrocinii exordia. Et tamen verè respondebat, visionem posse præterire rei non prætereuntis, & ejus visionis posse superesse memoriam. Sed postea idem sanctus Pater illud primum amplexus est, veritatem rerum intelligibilium menti creatæ semper esse præsentem, ideoque non memoria, sed præsenti visione seu intellectione conspici. Qua de re prolixiùs ex eodem Augustino capite sequenti.

Epist. 72.

II. Apertissimè autem Augustinus suam depromit sententiam in libris de Trinitate, ubi validis argumentis Platonicam reminiscentiam insectatur; & hoc primum: quod in priore illa vita non omnes Geometræ, non omnes Arithmetici fuere, & tamen de his omnes homines gradatim interrogati scitè verèque respondent. *Unde Plato nobis ille Philosophus persuadere conatus vixisse hic animas hominum, & antequam ista corpora gererent: & hinc esse, quod ea quæ discuntur, reminiscuntur potiùs cognita, quàm cognoscuntur nova. Retulit enim puerum quendam nescio quæ de Geometria interrogatum, sic respondisse quasi esset illius peritissimus disciplinæ. Gradatim quippè atque artificiose interrogatus, videbat quod videndum erat, dicebatque quod viderat. Sed si recordatio hæc esset rerum antea cognitarum, non omnes utique, vel penè omnes, cum illo modo interrogarentur, hoc possent. Non enim omnes in priore vita Geometræ fuerunt, cùm tam rari sint in genere humano, ut vix possit aliquis inveniri.* Quod sancti Patris argumentum restringendum est ad vitam hìc in terris priùs actam in alio & alio corpore, qualem Pythagorici Platonicique admittebant, & reminiscentiæ servire jubebant. Nam in primæva illa apud Superos vita, si qua fuisset, omnes prorsus & Geometriam & alias disciplinas omnes calluissent. Aliud universalius subiicit idem ibidem argumentum; ecquid causæ est, ut ita prudenter interrogati respondeant de solis intelligibilibus rebus, non de sensibilibus ullis? Sensibilium enim magis est memoria, quàm intelligibilium, cùm hæc stent, illa prætereant. Nam quod Pythagoram & alios nonnullos eorum quæ viderant in priore vita & in alio corpore recordatos fuisse narrant, insomnia potiùs sunt, & ejusmodi ludibria, quibus non immeritò fictitia hæc reminiscentia superstruatur. *Denique cur de solis rebus intelligibilibus id fieri potest, ut bene interrogatus quisquam respondeat, quod ad quamcumque pertinet disciplinam, etiamsi ejus ignarus est? Cur hoc facere de rebus sensibilibus nullus potest, nisi quas vidit isto in corpore constitutus, aut iis qui viderant indicantibus credidit, seu litteris cujusque seu verbis?* Illud Pythagoræ autem si constaret, multò pluribus utique contingeret, sicut tam multis usuvenit, ubi experrecti sunt, eorum quæ somniarunt, recordari.

L. 12. c. 15.

III. Verissima ergo horum omnium ratio est, quod veritas rerum intelligibilium non tempore, non loco claudatur ullo, sed ubique & præsens fit. Ad eam ergo attendens qui interrogatur, respondet, quod præsens videt, non quod præteritum meminit. Ibidem Augustinus: *Sed potiùs credendum est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus, naturali ordine, disponente conditore, subjuncta, sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt, quæ in hac corporea luce circumadjacent, cujus lucis capax, eique congruens est creatus.* Plura de his in sequenti capite.

IV. Hieronymus in Epistola ad Pammachium adversùs errores Joannis Hierosolymitani, fabellam hanc eandem ab Origene interpolatam exsibilat: *Docet Origenes per scalam Jacob paulatim rationales creaturas ad ultimum gradum, id est, ad carnem & sanguinem descendere; & tot mutare corpora, quot de cœlo ad terram mutaverint mansiones. Hæ sunt strophæ vestræ atque præstigiæ, &c. Pertrahuntur in medium vestra mysteria, & de Gentilium fabulis dogma contextum, Christianis auribus publicatur. Hoc quod vos miramini, olim in Platone contempsimus. Contempsimus autem, quia Christi stultitiam recepimus. Recepimus Christi stultitiam, quia fatuum Dei sapientius est hominibus.* Hæc fortè Hieronymo fuerit stultitia Christi, hoc fatuum Dei, quod sapientius est hominibus, Christiana fides; nec enim intelligentia, sed fides est de Adami lapsu, de totius generis cum eodem prolapsione, de peccato originis, de speranda hujus cæterorumque inde proserpentium purgatione per Christum. Hæc in speciem fatua, illa Platonis & Origenis ad sapientiam videbantur magis accommodata placita; & tamen hæc sapientiæ humanæ hypothesis & commentatio dissipata contritaque prorsus est per illam sapientissimam crucis Christi fideique fatuitatem.

V. Boethio quoque arriserat Platonis dogma, sed vix mihi persuadere possum, aliud illum sensisse, quàm quod Catholica dictitabat fides, etsi verbis uteretur Platonicam scholam redolentibus:

Non omne namque mente depulit lumen, L. 3. Metro 11.
Obliviosam corpus invehens molem. L. 5. Metro 3. 4.
Hæret profectò semen introrsum veri,
Quod excitatur ventilante doctrina.
Nam cum rogati sponte recta censetis,
Ni mersus alto viveret fomes corde?

Quod

Quod si Platonis musa personat verum,
Quod quisque discit, immemor recordatur.

Tum ego Platoni inquam vehementer assentior. Prolixius hæc infrà ab eodem iterantur, sed ita tamen, ut unum illud exprimi possit, innatas nascentibus species, vel interrogando, vel meditando vestigandoque refricari, & ita disciplinas scientiasque addisci, non de novo species illis imprimi. Bifariam autem contingere potest, ut innascantur species nascentibus nobis; nimirum vel tanquam ex anteriori vita residua quædam supellex, & istud anterioris vitæ deliramentum non potuit non damnasse Boethius, qui illud meminerat in Origene damnatum; vel tanquam dotem à Deo creante infusam animæ in sui primo exortu illapsuque in corpus; & hæc innoxia sententia est, nec censoriæ virgæ obnoxia. Tametsi autem ex ea nihil veræ reminiscentiæ elici possit; potest tamen utcumque dici anima rerum reminisci, quando excitantur in ea de novo species disciplinarum, quas veluti oblivione obrutas ac sepultas ab exortu suo gerebat.

VI. Cassiodorus Boethio suppar manifestè totam
L. de Anim. c. 9. illam de reminiscentia doctrinam rejecit: *Nec de illis sumus, qui dicunt recolere magis animas, quam discere usuales artes & reliquas disciplinas; cùm & ad interrogata sunt parata, ubi potuerint intellectu interveniente contingere, & nova sic audiant, quasi nihil ex eis antè didicissent.*

VII. E Græcis Irenæus Platonem insectatur hoc ipso argumento, quòd non meminerint animæ nostræ rerum in anteriore vita toties per varias corporum species iterata gestarum; & meminisse tamen debuerant aliqua saltem ex parte. Cumque responderet Plato eas oblivionis poculo potari, quando novis infunduntur corporibus: urget Irenæus, Ecqui ergo meminisset Plato hujus poculi & ejus dæmonis qui longa eum potasset oblivione? Et hoc ipsum enim oblivisci debuerat: aut hoc si meminerat,
L. 2. c. 19. 60. poterat & aliorum memoria superesse. *Si enim oblivionis poculum, quod dicis, potata est anima, posteaquam ebibitum est, omnium factorum oblitterare memoriam: hoc ipsum unde scis, o Plato, cùm sit nunc in corpore anima tua? quoniam priusquam in corpus introeat, à dæmone potata est oblivionis medicamentum. Si enim dæmonem, & poculum, & introitum reminisceris, & reliqua oportet cognoscas: si autem illa ignoras, neque dæmon verus, neque artificiosè compositum oblivionis poculum.* Pergit porrò Irenæus demonstrare corpus ipsum non posse dici *oblivionis medicamentum*, cùm tam multa per corpus ediscamus & meminerimus; cùmque Prophetæ & Paulus ipse, sive in corpore, sive extra corpus quæcumque vidissent cœlestium sacramentorum, ea & meminissent corpori suo restituti, & alios addocerent.

VIII. Cyrillus Alexandrinus ex illis Ioannis verbis, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, multas exsculpsit argumentationes adversùs Platonicum & Origenianum dogma de animarum existentia ante corpora, earumdemque lapsu in corpora, cùm refrixissent à contemplatione idearum, & ab amore
L. 1. in Ev. Joan. p. 79. & seqq. summæ pulcritudinis. *Si ante corpus anima mens erat pura, in fœlicitate degens, sed conversione in vitium delapsa est, atque idcirco innexa est carni, quomodo veniens in hunc mundum illuminatur? Necessario enim dicendum est, ipsam lucis expertem esse antequam veniat. Quod si ita est, quomodo mens pura erat, quæ vix tum primum illuminari incipit, cum venit in mundum, idque non absque carne?* Supersedeo à reliquis ejusdem ibidem argumentis hic insuendis, quod ad reminiscentiam repudiandam minùs pertineant.

IX. Isidorus Pelusiota eodem utitur quo suprà Augustinus argumento, fieri non posse ut anima oblita esset omnium prioris vitæ suæ bonorum.
L. 4 Ep. 163. *Quænam hæc est extrema & profunda oblivio, ut nihil ipsa omnium quæ in priore suo statu habuit, recordetur?* Addit porrò, si res ita se habuisset, id vel maximè in sacris Litteris commemorandum fuisse, quo nihil opportunius fuisset, ad animas nostras exstimulandas inflammandasque ad prioris illius fœlicitatis recuperationem. Quin imo nec ea nos potari oblivione passurum fuisse Deum, cùm pristini illius status recordatio tanti futura fuisset ponderis ad omnem veræ disciplinæ fidem castitatemque vel retinendam, vel reparandam. Profana omnia dogmata *extincta essent, si memoria prioris conditionis in anima remansisset, siquidem vera esset de lapsu animæ sententia; & si in sacris Oraculis clarissimè pronuntiata fuisset ejus prolapsio ad reditum provocans. Priori enim ratione & Græci & Barbari, posteriori autem Judæi & Christiani, & quicumque Scripturas sacras recipiunt, cognovissent quod cognitu est necessarium.* Hortatur denique Isidorus, his quæstionibus dubiis ut abstineant se; quod utrimque certissimum est, id unum amplectantur, nempe virtutum exercitatione infatigabili ad cœlestem beatitudinem grassandum esse, ad quod etiam suos omnes excitat Ecclesia Catholica.

X. Ita tunc quidem damnabatur Origenis placitum, ex Platonis & Pythagoræ commentis consarcinatum, non tanto sanè æstu, quanto postea cum in ejus damnationem Vigilius Papa, quinta Synodus, & universus demum Christianus orbis exarsit. Deinceps enim oblitterata penitus fuere illa etiam levissima reminiscentiæ vestigia, quæ priùs in Orthodoxorum etiam Patrum commentariis non rarò impressa deprehendebantur, & indulgentiùs interpretando condonabantur. Dum ferveret ea contentio temporibus quintæ Synodi, Justiniani Imperatoris edictum promulgatum est, quo luculentissima totius hujus sive Platonis sive Origenis doctrinæ confutatio continetur. *Quid enim aliud exposuit Origenes, quàm Platonis doctrinam, qui Paganorum insaniam dilatavit?* Ita ibi, & mox: *An hic à Manichæo abest, qui animas hominum dicit propter peccata corporibus ad supplicium immitti? Quique primùm mentes extitisse eas, sanctasque virtutes asserit, deinde contemplationis divinæ satietatem cepisse, & in deterius conversas, ideo à Dei amore refrixisse, indeque Græco nomine appellatas ψυχάς; & supplicii causa corporibus esse inditas.* Gentilitium hoc commentum refellitur ibi statim ex illis Dei hominem creantis verbi, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Anima enim ipsa imaginem maximè Dei gestat: facta ergo tunc est, non antè; Dei contemplatione & charitate, in qua imaginis decor maximus est, dotata tunc est, non antè. Alioqui si corpus tantùm tunc fabricatum est à summo opifice, ergo corpus solum imaginem Dei circumfert, quæ absurdissima hæresis est. Et qui dici potuit homo condi ad imaginem Dei, quando longam æternorum oblivionem per corpus bibebat, & corpori ipsi ut carceri pœnas daturus includebatur? *Ex ejus vanis sermonibus invenitur, solum corpus absque anima ad imaginem & similitudinem Dei factum esse, si omnino præexistebat anima, &c. Et necesse erit dicere ipsum Deum corpus esse, utpote qui corpus ad imaginem & similitudinem suam fecerit.* Urget & Augustini argumentum, eccur non meminerint animæ anteactorum in priori vita? eccur eruditione & disciplina, & quidem valdè operosa indigeant? *Dicant, animæ ipsorum in corpora priusquam ingrederentur, quo in ordine erant, aut quid agebant? Oportuit enim eas, si ante erant, scire quo loco essent, aut quomodo huc advenissent, &c. Cur si anima fuit ante corpus, disciplina indiget, postquam in corpus venit, paulatimque instituitur, & ad meliora progreditur? Nam si antè existeret, utilia utique cognosceret, nec egeret doctrina.* Et infrà: *Recordarentur animæ, quæ ante egissent, quàm venirent in corpo-*

corpora, quemadmodum post obitum sciunt ac norunt quæ in corporibus egere. Apposite prorsus. Nam si egressus à corpore non ingenerat oblivionem, ergo nec ingressus in corpus. Quòd autem meminerint animæ postquam migrarunt à corpore, facinorum antè suorum, probatur ibidem ex Evangelio, ubi dives epulo Lazari meminit & quinque fratrum suorum, in sua ad Abrahamum de gehennæ incendiis ejulatione.

XI. Conglobantur & sanctorum Patrum suffragia in eodem Edicto, quibus Origenianum dogma confoditur, & in primis illud Theophili Alexandrini, quod illud ab Apostolica sede, ab Occidente universo, ab Alexandrina Ecclesia damnatum fuisse affirmat. *Quare anathematizantes Origenem, cæterosque hæreticos exemplo nostro, & Anastasii sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopi, qui ex veteribus certaminibus clarus nobilissimi populi Dux creatus est; quem & universa beatorum Occidentis Episcoporum sequitur Synodus, quæ accepit & probavit Alexandrinorum Ecclesiæ sententiam in impium latam*. Meminit & Cassiodorus hujus Theophili censuræ contra Origenem editæ, & per Vigilium deinde Papam quintamque Synodum innovatæ. *Hunc Origenem licèt tot Patrum impugnet authoritas, præsenti tamen tempore & à Vigilio viro beatissimo Papa constat esse damnatum. Theophilus autem Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex triginta quinque sensus ejus hæretica pravitate distortos, catholica veritate convincit*.

De divinis Lectio. c. 9.

CAPUT XV.

Explosa reminiscentia Platonis, panditur via, qua intelligibilis veritas idearum ab humana nunc mente intelligitur. Primùm ex Augustino, id fieri immediata & jugi præsentia veritatis & mentis.

I. Regulas veritatis æternas & immutabiles, ubique semper præsentes esse, & coram ostendere sese omnibus, mentem eò advertentibus, ex Augustino probatur, retractante quod secus aliquando dixerat.

II. In Augustini verbis multa adnotantur, scitu digna. Verè esse veritates intelligibiles, & magis esse quàm mentem; mentem magis quàm corpus.

III. Duplici modo illas videt mens nostra; in ipsis & in seipsa; utrumque explanatur.

IV. Aliud est lumen, quo hæc vera cernuntur: aliud ipsa vera.

V. VI. Quando qui justitiæ expers est, aliquem propter justitiam diligit, multo plus diligit ipsam justitiam, eamque intus in seipso videt & admiratur; nec foris eam justitiæ speciem videt, aut quærit, sed intus in animo; & eam propter seipsam diligit, non propter aliud quidpiam.

VII. In naturæ, in artis operibus, in rebus quæ ob oculos quotidie versantur, geruntur que, tota hominum ratiocinatio & sermocinatio ab his eisdem incommutabilibus veritatis luminibus pendet, inde splendet, illuc reflectitur.

VIII. Triplex visorum genus ex Augustino, per sensus corporis, per imagines inde haustas, & per intuitionem intelligibilium veritatis regularum. In tertio hoc genere non potest subesse error.

IX. Intelligibilium imagines nullæ in mente nostra, sed res ipsæ præsentes intimæque.

X. Potest & mens nostra lumen dici, quo cernuntur intelligibilia.

I. Aperienda nunc demum via est, & suffragiis sanctorum Patrum munienda, quam sæpiusè jam indigitavimus, ut intelligatur, quì possint exsibilata proscriptaque seu Platonis, seu Origenis reminiscentia, species illæ seu ideæ, de quibus supra disputatum est, à nobis nunc cerni, vel intelligi, seu dum aptè interrogantibus vera respondemus, seu dum conatu & meditatione pervigili & infatigabili in arcana æternæ veritatis penetralia quandoque irrumpimus. Superiori jam capite locum prompsimus ex Augustino, qui totum hoc arcanum aperuit. Ita enim ille statuit demum, cum aliàs aliter sensisset, & aliquandiu fluctuasset, hæc idearum spectacula, has pecies, has veritates æternas incommutabiles intelligibiles, non loco, non tempore distendi, aut distare, semper esse, nusquam abesse; ideoque animæ rationali ad eas sese advertenti præsto semper esse, suaque illam præsentia, sua luce, si oculum admoveat & affigat, illuminare & docere. Audi quid in libris Retractationum recantaverit, quid tenendum pronunciaverit sanctus Pater: *Quodam loco dixi, quod disciplinis liberalibus eruditi, sine dubio in se illas oblivione obrutas eruunt discendo, & quodammodo refodiunt. Sed hoc quoque improbo. Credibilius est enim propterea vera respondere de quibusdam disciplinis etiam imperitos earum, quando benè interrogantur: quia præsens est eis quantum id capere possunt lumen rationis æternæ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt: non quia noverant aliquando & obliti sunt, quod Platoni, vel talibus visum est. Contra quorum opinionem, quanta pro suscepto opere dabatur occasio, in libro* XII. *de Trinitate disserui*. Hic ipse contextus libri XII. de Trinitate, capite superiori relatus. l. 1. c. 4.

Idem ibidem paulò pòst Augustinus illud à se in libro de immortalitate animæ scriptum, *Animum propterea non posse ab æterna ratione separari, quia non ei localiter jungitur*; ideo tantùm retractat, quod Scripturæ doceant, peccata separare animam à Deo. Non dubitat ergo de intima animæ & rationis æternæ præsentia; sed eam dissolvi posse agnoscit pravis affectibus, quæ dissimilitudinem & quandam quasi longinquitatem invehunt. Sed multò pulcherrimum est, quod in suum de quantitate animæ librum animadvertit: aliquo nimirum sensu dici posse, quod anima disciplinas quæ intelligentia capiuntur, secum afferat, & quodammodo recordetur; non contemplatione illius anteactæ in cœlis vitæ, sed propter incredibilem quandam facilitatem oculum mentis conjiciendi in æternas & intelligibiles rationes, quæ semper coram sunt, & radiant, & in illis intus conspiciendi quidquid foris de his interrogamur. Non discere enim, sed meminisse quodammodo dicimus, quæcumque non foris accipimus, sed intus in animo nostro conspicimus, & propter solam inettiam & incogitantiam nostram nesciebamus. *In quo libro illud quod dixi, Omnes artes animam secum attulisse mihi videri; nec aliud quidquam esse id quod dicitur discere, quàm reminisci, ac recordari; non sic accipiendum est, quasi ex hoc approbetur, animam vel hic in alio corpore, vel alibi, sive in corpore, sive extra corpus aliquando vixisse: & ea quæ interrogata respondet, cum hic non didicerit, in alia vita antedidicisse. Fieri enim potest, sicut in hoc opere supra diximus, ut hoc ideo possit, quia natura intelligibilis est, & connectitur non solum intelligibilibus, sed etiam immutabilibus rebus. Eo ordine facta est, ut cùm se ad eas res movet, quibus connexa est, vel ad seipsam, in quantum eas videt, in tantum de his vera respondeat. Nec sanè omnes artes eo modo secum attulit, aut secum habet. Nam de artibus quæ ad sensus corporis pertinent, sicut multa Medicinæ, sicut Astrologiæ omnia, nisi quod hìc didicerit, non potest dicere. Ea verò quæ sola intelligentia capit, propter id quod dixi, cum vel à seipsa, vel ab alio fuerit benè interrogata, respondet*. Ibid. c. 5. Ibid. c. 8.

II. Non perfunctoriè legendum, aut prætereundum est, quod ait Augustinus, animam rationalem, quia

quia intelligibilis est, connecti non solùm intelligibilibus rebus, sed etiam immutabilibus; & eo ordine factam esse, ut cum se ad eas res movet, quibus connexa est, vel ad seipsam, inquantum eas videt, intantum de his vera respondere. Denique hæc ad eas tantùm artes pertinere, *quæ sola intelligentia capiuntur, non ad eas quæ ad sensus corporis pertinent*. Nonnulla hic ergo seriò animadverti debent. Primò præter res sensibiles & corporeas, quas sensu corporis attingimus, esse res alias intelligibiles, & earum aliquas esse immutabiles & æternas, quæ sola capiuntur intelligentia. Anima ipsa rationalis intelligibilis est, nec enim sensu corporis ullo percipitur, sed solo intellectu; non tamen aut æterna, aut immutabilis est. Ideæ, species, rationes, spectacula disciplinarum, primaque earum principia, veritates quædam sunt intelligibiles, eædemque æternæ & immutabiles: sola quippe mente conspiciuntur, eodemque semper modo se habent. Laborant quidem homines sensuum consuetudine fascinati, & vix sibi persuaderi sinunt has veritates quas intelligibiles vocamus, esse, & magis esse quàm res ullas corporeas. Sed perinde illi laborant in anima sua & mente cogitanda, quam negare non possunt, & esse, incorpoream atque intelligibilem esse, & tantò magis & veriùs esse quàm res corporeas. Si paulatim insuescant intelligibilem animam mentemque cogitare & intelligere, proclive postea ipsis erit cogitare & capere veritates illas intelligibiles, ideasque & species, quibus contemplandis mens nostra apta nataque est. Quod ad sensus enim corporis pertinet, non multum belluis præcellimus, forsan & in nonnullis superamur. Nostra ergo præcipua dos mens est, cujus est rebus sui generis, id est, intelligibilibus & sola mente capiendis occupari. Si sunt autem mentes, & verè sunt, & veriùs sunt quàm corpora; quantò magis est, & verissimè est illa idearum & specierum intelligibilium veritas, quæ lux est, & lex mentium, quæ regula est totius per naturas rationales & intellectuales dispensationis & administrationis universi, quæ denique lex, lux & regula est omnis rectæ ratiocinationis; & cum nostra omnia tempore mutentur, ipsa æterna & immutabilis est?

III. Secundò id animadvertendum sedulò est, animam rationalem intelligere rationes & ideas illas intelligibiles, *cum se ad eas movet, vel ad seipsam in quantum eas videt*. Jam non semel hujusmodi aliquid adnotavimus. Prior illa pars nihil negotii facessit, *cum se ad eas movet*: videt enim anima intelligibilis res intelligibiles, quibus connexa est, & sibi semper præsentes; ut oculus corporis cum se ad lucida vel lucentia corpora advertit, facillimè lætissiméque ea intuetur. At altera pars, *vel ad seipsam inquantum eas videt*, non paulò intricatior est, & minùs faciles habet exitus. Bifariam hoc exponi posse jam supra perstrinxi. Nempe vel quod moveri ad res intelligibiles, & moveri animam ad seipsam unum idemque sit. Nam in seipsa, non foris anima species istas conspicit; & in anima maximè rationali & intelligibili sunt rationes intelligibiles: in ea inquam sunt, non ipsa enim mutabilis, illæ immutabiles, vel potius quod cum veritas ista intelligibilis idearum æterna & immutabilis, in sese incomposita & simplicissima sit, à mente tamen nostra, cujus est ratiocinando componere & dividere, non intelligitur, nisi composita & complexa. Veritas ergo ista idearum in mente nostra est in modum mentis nostræ, & in seipsa est in divinum modum, tanquam ipse Deus æternus & incommutabilis. Id ergo forsan voluit Augustinus, has intelligiles ideas ac rationes ab anima nostra videri, ut sibi accommodatas, nempè jam compositas & complexas, cum se movet ad seipsam, ut eas videntem. Nam si se moveret ad ipsas, & eas ut in seipsis sunt cerneret, incompositas, simplicissimasque videret; quod melioris vitæ spectaculum erit: aut si qua ejus scintilla hic coruscat, brevis moræ usura & fœlicitas fugacissima est.

IV. Tertiò denique id advertendum quod suprà dixit idem Augustinus, regulas artium & disciplinarum intelligibilium ab imperitis etiam earum videri, cum convenienter interrogantur, quia *præsens est eis quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt*. Ubi duo videntur distingui, lumen rationis æternæ, & immutabilia hæc vera, quæ illo collustrantur & videntur lumine. Ita sanè alia est lux Solis, alia quæ lucis hujus beneficio videntur. Sentio non posse hæc omnia ad liquidum elucidari, ita ut nihil caliginis, nihil supersit scrupuli. Sed nihilo segniùs his incumbendum, his insuefacienda, his infatigabiliter intendenda mens est, quæ mentem sibi Deoque reddunt, quæ suam illi dignitatem, suum inter intelligibilia locum demonstrant, quæ cogitationes ejus affectusque implent lumine sapientiæ, rationibus æternis, incommutabilibus regulis veri, legibus incorruptibilibus divinæ veritatis. Si his dum vacas, non omnis obscuritas fugit, plurima tamen affulget lux, & hac frui viæ beatitas est, donec nebulas omnes tanquam meridies discutiet illa cui anhelamus fœlicitas.

V. Pergo ad alia Augustini testimonia, ex quibus aliquid eximiæ utilitatis colligatur. Ejusmodi mihi quidem videtur esse, quod alicubi disputat, cum animum cujuspiam impensè diligimus, quòd omnibus virtutum & sapientiæ numeris absolutum videamus, tunc illum à nobis diligi in ea arte & regula, ubi conspicimus quid sit veritas absolutissima, hoc est, ex idea & specie exemplari virtutum, quam intus animo intuemur, & cui hunc virum eximium ex omni parte coaptatum fuisse videmus. Idem dici poterat de animi ipsius natura, quàm non possumus non magnifacere, eo ipso quo animus est, ratione virtutis & bonitatis seposita. *Illud etiam* L. 8. de Trin. c. 3. *quod animus, tantum quia est animus, etiam nondum eo modo bonus, quo se convertit ad incommutabile bonum, sed ut dixi, tantum animus, cum ita nobis placet, ut eum luci omni corporeæ, cum eum bene intelligimus, præferamus; non in seipso nobis placet, sed in illa arte qua factus est. Inde enim approbatur factus, ubi videtur fuisse faciendus; hæc est veritas*. At ubi bonitas, sapientia, virtus hominis cujuspiam sancti in admirationem & amorem sui nos rapit, *ex qua generali aut speciali regula,* Ibid. c. 6. *nisi quia scimus & quid sit animus & quid sit justus? Sed quid sit animus, novimus ex nobis, inest enim animus nobis. Sed ubi novimus quid sit justus, etiam cum justi nondum sumus? Si extra nos novimus, in aliquo corpore novimus. Sed non est ista res corporis. In nobis igitur novimus quid sit justus. Non enim alibi hoc invenio, cum quæro, ut hoc eloquar, nisi apud meipsum. Et si interrogem alium quid sit justus, apud seipsum quærit quid respondeat*. Nec ita quisque in seipso quærit speciem & ideam justitiæ, sicut Romæ, vel Carthaginis, vel urbis cujuscumque, quam aliàs viderit, imaginemque oculis haustam servaverit. Justitiam quippè nemo vidit usquam oculo corporis. *An illud quod videt, veritas est interior, præsens animo qui eam valet intueri? Neque omnes valent. Et qui intueri valent, hoc etiam quod intuentur non omnes sunt, hoc est, non sunt etiam ipsi justi animi; sicut possunt videre ac dicere quid sit justus animus. Quod unde esse potuerunt, nisi inhærendo etiam ipsi formæ quam intuentur, ut inde formentur, & sint justi animi, &c. Homo ergo qui creditur justus, ex ea forma & veritate diligitur, quam cernit & intelligit apud se ille qui diligit; ipsa vero forma & veritas non est quomodo aliunde diligatur*. Ergo ubi homo quilibet judicat justum, sapientem, castum esse quempiam, & harum virtutum ergo, etsi harum exors & inanis ipse sit, illum diligit: id ex eo fit, quia intus in animo ipse suo videt *veritatem interiorem, præsentem animo qui eam valet intueri*.

Et om-

Et omnis *homo qui creditur justus, ex ea forma & veritate diligitur, quam cernit & intelligit apud se ille qui diligit; ipsa vero forma & veritas non est quomodo aliunde diligatur.* Hæc porrò *veritas*, hæc *forma* ipsissima est idea speciesque justitiæ, sapientiæ, & virtutum quarumlibet, quæ animus noster non est, sed animo nostro intus præsens est, intus cernitur; ultra quam progredi non datur, ut ipsa per aliud intelligatur, aut propter aliud diligatur; *Neque enim invenimus aliquid tale præter ipsam, ut eam cum incognita est, credendo diligamus, ex eo quod jam tale aliquid novimus. Quidquid enim tale perspexeris, ipsa est; & non est quicquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est.*

VI. Cùm autem prolixum idemque luculentum Pauli Apostoli encomium perlectum fuisset, omnesque ex eo exarsissent in amorem Pauli, qui tam strenuè implevisset omnes numeros sapientiæ patientiæque, fortitudinis & charitatis Apostolicæ; rursus inde concludit Augustinus, ut omnes inflammescerent in amorem Pauli, id ex eo factum esse, quòd omnes in pectore intus suo gestarent notitiam vitæ Apostolicæ, formasque virtutum, quibus illa

Ibid. c. 9. debet inclarescere. *Quid est enim quod accendimur in dilectionem Pauli Apostoli, cum ista legimus, nisi quod credimus eum ita vixisse? Vivendum tamen sic esse Dei ministris, non de aliquibus auditum credimus, sed intus apud nos, vel potiùs supra nos in ipsa veritate conspicimus. Illum ergo quem sic vixisse credimus, ex eo quod videmus diligimus. Et nisi hanc formam, quam semper stabilem atque incommutabilem cernimus, præcipuè diligeremus, non ideo diligeremus illum, quia ejus vitam, cum in carne viveret, huic formæ coaptatam & congruentem fuisse fide retinemus.* Audis quid sint ideæ, utque cernantur à nobis? Nimirum *formæ sunt semper stabiles atque incommutabiles, quas intus apud nos vel potiùs supra nos in ipsa veritate con-*

De Trinit. l. 9. c. 6. *spicimus.* Unde rursus inferiùs: *Unde manifestum est, aliud unumquemque videre in se, quod sibi alius dicenti credat, non videat: aliud autem in ipsa veritate, quod alius quoque possit intueri; quorum alterum mutari per tempora, alterum incommutabili æternitate consistere. Neque enim multas mentes oculis corporeis videndo per similitudinem colligimus generalem vel specialem mentis humanæ notitiam; sed intuemur inviolabilem veritatem, ex qua perfectè quantum possumus definiamus, non qualis sit uniuscujusque mens, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat.*

VII. Nec hujus generis tantùm, sed & artium & disciplinarum ideæ ac regulæ similiter stabiles & invariabiles intus in animo præsentes cernuntur, longè diversæ ab imaginibus rerum antefactarum per sensus corporeos aliquando acceptis. Unde ibi-

Ibid. c. 6. dem: *Item cum arcum pulchrè & æqualiter intortum, quem vidi verbi gratia Carthagine, animo revolvo, res quædam menti nuntiata per oculos memoriaque transfusa imaginarium conspectum facit. Sed aliud mente conspicio, secundum quod mihi opus illud placet; unde etiam, si displiceret, corrigerem.* Et mox: *Aliter figurantes animo imagines corporum, aut per corpus corpora videntes; aliter autem rationes artemque ineffabiliter pulchram talium figurarum, super aciem mentis simplici intelligentia capientes.*

Libet hic illud alibi jam dictum iterare, ubi non vita hominum, etiam de vulgo, etiam impiorum his plena est? quando ratiocinantur vel sermocinantur de quibuslibet hominibus aliis, de ipsis, de suis eorumque gestis, de naturæ, de artis operibus; ubi non pronuntiant, & verè pronuntiant; ita esse, vel non ita esse, ut esse debent, secundùm rationes & regulas incommutabiles, quas in luce veritatis intra

De Trinit. l. 14. c. 15. se & supra se vident? Idem Augustinus: *Hinc est quod etiam impii cogitant æternitatem, & multa rectè reprehendunt rectèque laudant in moribus hominum. Quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus vident, quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cum proculdubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles; has vero regulas immutabiles videat, quisquis in eis & hoc videre potuerit: nec in habitu suæ mentis, cum illæ regulæ sint justitiæ, mentes verò eorum constet esse injustas. Ubinam sunt istæ regulæ scriptæ, ubi quid sit justum & injustus agnoscit, ubi cernit habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius quæ Veritas dicitur? Unde omnis lex justa describitur, & in cor hominis qui operatur justitiam non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur, sicut imago ex annulo & in ceram transit, & annulum non relinquit. Qui verò non operatur, & tamen videt quid operandum sit, ipse est qui ab illa luce avertitur, à qua tamen tangitur.*

Subit hic animum illud Pauli de Deo & nobis omnibus: *Illius enim & genus sumus: In illo vivimus, & movemur, & sumus.* Quanta enim ista præsentia, familiaritas, cognatio est animarum rationalium & Dei, si nec loqui ferè nec ratiocinari possumus, nisi divina sempiternarum Dei idearum luce perfundamur, ut ex ejus regulis de rebus quibuslibet, & naturalibus, & moralibus, & artificiosis pii impiique judicemus & pronuntiemus?

VIII. Nec illud omittendum, quod alibi & sæpè distinguit idem Augustinus tria visorum genera. Primum est eorum quæ per sensus corporis præsentia attingimus. Secundum est, quo corpora priùs aliquo corporeo sensu percepta cogitantur, etiam dum absunt ipsa, silentque corporei sensus. Tertium est rerum incorporearum, quæ nullo corporis sensu, sed solo videntur intellectu, qualis est charitas, fides, justitia, æqualitas & innumera id genus alia. *Tertium illud quo dilectio intellectu conspicitur, eas res continet, quæ non habent imagines sui similes, quæ non sunt quod ipsæ, &c. Primum genus appellemus corporale, secundum spiritale, tertium intellectuale ab intellectu.* Inter hæc tria illud præcipuè discrimen est, quod in primo & secundo genere nonnunquam fallimur, à tertio exulat error & fraus quæcumque. In utroque enim priori genere quia sunt imagines rerum ipsarum simillimæ, possunt illæ sensibus imponere, & pro rebus ipsis accipi. At in tertio genere nusquam à vero aberratur, quia nulla imago rei est, sed res ipsa intus in animo cernitur, & talis cernitur, qualis nulla possit simulari imago. Hoc innuebat Augustinus his verbis, *Tertium genus eas res continet, quæ non habent imagines sui similes, quæ non sunt quod ipsæ.* Et ibidem: *Dilectio nunquid aliter videtur præsens in specie qua est, & aliter absens in aliqua imagine sui simili?* Et superiùs: *Non est quicquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est.* Nec mireris si hæc inculcat Augustinus. Illud enim Academici telum validissimum intentabant, ut nihil certò sciri posse persuaderent de rebus, quod nulla res sit, quæ non possit habere imaginem sui usque adeo similem, ut fallat, & pro re ipsa habeatur, sive somniando, sive delirando, sive denique vigilando & sobria mente. Nostri non est instituti, nec hujus loci esset, hanc Academicorum sententiam, quæ sententiæ potius omnis interemptio erat, expendere. Compendiosius fuerit demonstrare tertium genus rerum, & visorum, sibi nulla illudere, nulla esse posset imago, adeoque nulla fraus. Unde idem mox Augustinus: *Tamen & per corporalem visionem, & per imagines corporalium, quæ demonstrantur in spiritu, & boni instruunt, & mali fallunt. Intellectualis autem visio non fallitur. Aut enim non intelligit, qui aliud opinatur quàm est; aut si intelligit, continuò verum est. Quid enim faciant oculi non habent, cum simile corpus viderint, quod ab alio discernere non possint. Aut quid faciat animi intentio,* Ibid. c. 14.

De Gen. ad lit. l. 12. c. 6. 7.

cum

cum in spiritu facta fuerit corporis similitudo, quam non valeat à corpore distinguere? Errat ergo oculus, dum nequit corpus à corpore simillimo; errat spiritus, seu imaginatio, cum nequit imaginem corporis à corpore distinguere. At cum intellectus videt & judicat tria & septem esse decem; lineam rectam eam esse, quæ brevissima est à puncto ad punctum; suum cuique tribuendum esse; æterna temporalibus, pietatem pravitati, virtutem vitio præponendam: num verendum est, ne fraus surrepat, aut imagines aliquæ fallaces irrepant, & fucum faciant? Minimè gentium. Harum enim regularum veritas intus præsentissima ipsa est in animo, nec sui imagine, sed seipsa illum collustrat. Unde rursus idem: *Illuditur anima similitudinibus rerum, non earum vitio, sed opinionis suæ; cum approbat quæ similia sunt, pro eis quibus similia sunt, ab intelligentia deficiens. Fallitur ergo in visione corporali, cum in ipsis corporibus fieri putat quod fit in corporis sensibus. In visione spiritali, id est, in similitudinibus corporum, quæ spiritu videntur, fallitur anima, cùm ea quæ sic videt, ipsa corpora esse arbitratur. At verò in illis intellectualibus visis non fallitur. Aut enim intelligit, & verum est; aut si verum non est, non intelligit. Unde aliud est in his errare quæ videt; aliud ideò errare, quia non videt.* Ibid. c. 25.

IX. Adde quod vel corporali, vel spiritali, seu phantasiæ, seu visioni imaginibus opus est, quia absunt corpore etiam præsentia: etsi enim coram & præsto sint, in ipso tamen sensu nostro nisi per sui imaginem esse non possunt. At intellectui præsens, adeoque intima est veritas intelligibilis; supervacanea ergo foret, quinetiam noxia foret rei intimè præsentis imago, ut quæ præsentiæ efficaciam debilitaret potiùs quàm juvaret. Adde quod duo cùm sint rerum genera quæ anima in seipsa videt, nempe virtutes vel proprio labore partæ, vel cœlitus infusæ, & lumen sempiternæ veritatis, quo & seipsam anima, & intelligibilia omnia cernit & discernit ab aliis rebus omnibus; neutrum horum vicaria sui indiget imagine, ut ab anima conspiciatur. Virtutes quidem cùm penitissimè insint, imago earum velut absentium superfluà omnino foret. Lumen verò illud divinum veritatis, qui Deus ipse est, quam oro te imaginem sui habere potest? Nam nec corporei luminis imago ulla est, & si qua foret, lumine utique obscurior esset, & obesset magis quàm prodesset. Num posset etiam imago intimiùs oculum penetrare quàm lux? Ergo utroque nomine explodenda est imago lucis corporeæ, quòd nec tam præsens oculo esse possit, quàm lux; nec talis ulla esse possit, qualis ipsa lux. Multò autem id vehementiùs de lumine æternæ & intelligibilis veritatis affirmandum: nullum illius potest fingi simulacrum, quod præsentius intimiusque animo sit, nullum quod tale sit, quale ipsum est. *Sic etiam in illo genere intellectualium visorum, alia sunt quæ in ipsa anima videntur, velut virtutes, quibus vitia sunt contraria. Aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo veraciter intellecta conspiciat. Nam illud ipse Deus est; hoc autem creatura, quamvis rationalis & intellectualis, ad ejus imaginem facta, quæ cum conatur lumen illud intueri, palpitat infirmitate, & minùs valet. Inde est tamen quidquid intelligit, sicut valet.* Ibid. c. 31. Ergo quoties intelligit mens, quod aliud omnino est quàm credere vel opinari; toties & intelligibilia, id est species, & ideas rationesque æternas conspicit, & in lumine veritatis, quod Deus est, illas conspicit.

X. Nec prætеriit Augustinum, humanæ etiam mentis vim & perspicaciam posse dici lumen, quo res intelligibiles videt. Ita enim manifestè hoc lumen adnotat, & à Deo, qui lumen veritatis incommutabilis est, distinguit. Hoc enim lumen increatum est, illud creatum; hoc lumen illuminans, illud lumen illuminatum divino lumine. *Ab hac cogitatione, qua certa & nota corpora cogito, longè incomparabiliter distat cogitatio, qua intelligo justitiam, castitatem, fidem, veritatem, castitatem, bonitatem, & quidquid ejusmodi est. Quæ cogitatio dicite si potestis, quale lumen sit, quo illa omnia quæ hoc non sunt, & inter se discernuntur, & quantum ab hoc distent, fida manifestatione cognoscitur. Et tamen etiam hoc lumen non est illud lumen, quod Deus est. Hoc enim creatura est, creator est ille. Hoc factum, ille qui fecit, &c.* Cont. Faust. l. 20. c. 7.

CAPUT XVI.

De eodem ex eodem Augustino & aliis Patribus: ex immediata præsentia intelligibilium regularum veritatis seu idearum & mentis nostræ, respondere & judicare nos de justis & injustis, veris & falsis.

I. Iterum illud inculcatur, non videri à nobis nisi in æternis rationibus, quid fieri deceat, quid decuerit in ipsa mundi creatione.

II. Item non posse in quacumque re Deum insimulari injustitiæ, cum quid sit justitia, nonnisi in ipso videamus. Hæc Augustinus ad populum concionabatur: quo æquius est his insuescere Theologos?

III. Ad populum idem verba faciebat de justitia, quæ ubique terrarum præsens, ubique eadem videatur ab omnibus hominibus, ut secundum eam de omnibus judicent.

IV. Hanc Augustini doctrinam sectatus est Prosper.

V. Et Gregorius Magnus.

VI. Ex quo justus quisque vilescit sibi, gnarus suam quancumque, præ justitia Dei quam videt, injustitiam potius esse.

VII. Ex Boethio, obversantur sensibus corpora, imaginationi species corporum, rationi universales sensibilium notiones, menti forma, seu idea superna, secundum quam de inferioribus judicat.

VIII. His accedit S. Remigius & Ecclesia Lugdunensis.

IX. Et auctor Epistolæ de vita Solitaria apud Bernardum.

X. Hugo Victorinus.

XI. Clemens Alexandrinus.

XII. Origenes.

XIII. Cyrillus Alexandrinus.

I. Paucissima supersunt ex Augustino, plura ex aliis Patribus accedent suffragia, ad ejusdem doctrinæ confirmationem, non reminiscentia aliqua, sed præsentia & luce intelligibilium specierum atque idearum fieri, ut mentes nostræ ut primùm ad eas se convertunt, sive aliis interrogando monentibus, sive suopte marte, de veris & falsis, justis & injustis sapienter respondeant, conspiciantque quod priùs eas latebat. Illud iterasse non pœnitebit, ubi duo verum aliquid esse certò intelligunt, neutrum id in alterius mente, utrumque in æternæ veritatis lumine id intueri. *Si ambo videmus verum esse quod dicis, & ambo videmus verum esse quod dico, ubi quæso id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa quæ supra mentes nostras est incommutabili veritate.* Confess. l. 12. c. 25. Nec illud gravabimur iterum adscribere sancti Patris effatum, in ipsa etiam creaturarum universitate, siquid certa ratione videmus creari debuisse, illud indubitatissimè creatum esse, & certa fide ita tenendum nobis esse, etsi nullo corporis sensu id usquam possimus attingere. Prompta est ratio, De lib. arb. l. 3. c. 5.

quia

quia non aliud est certa ratione videre aliquid faciendum esse, quàm hoc intueri in æternis Dei rationibus, quibus mens nostra naturaliter est connexa. *Non esse quod vera ratione cogitas, non potest. Neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturæ artificem fugerit. Humana quippe anima naturaliter divinis ex quibus pendet rationibus connexa, cum dicit, Melius hoc fieret, quam illud: si verum dicit, & videt quod dicit, in illis quibus connexa est rationibus videt. Credat ergo Deum fecisse, quod vera ratione ab eo faciendum fuisse cognovit, etiamsi hoc in rebus factis non videt.* Tanti hæc mihi videntur esse momenti, ad mentem nostram illustrandam roborandamque puris castisque & Deo dignis regulis ac luminibus, & ad res divinas dispiciendas ac pertractandas, ut nunquam nimis inculcari, repetique ea posse putem.

II. Ab hoc testimonio non dissonat ille locus ejusdem Augustini, ubi importunum divinæ justitiæ reprehensorem ita convenit. Non posse injustitiæ Deum insimulari, nisi comperto quid sit justitia, quid injustitia. Quid sit autem justitia compertum esse non posse homini præsertim injusto, qui justitiæ vacuus est, nisi divino lumine cœlitus aspergatur, quo se illi justitia sursum regnans aperiat & denudet. Quæ sempiterna & regnatrix justitia cum Deus ipse sit, non potest homo scintilla aliqua lucis justitiæ illuminatus, fontem justitiæ ipsum insimulare injustitiæ. Ita Augustinus ad plebem Christianam in Ecclesia sermocinabatur, his plebem ipsam Ecclesiæ imbuebat documentis, sic simplicium & imperitorum, Christianorum tamen vulgus informabat; ne nobis jam quisquam invidiam faciat, aut molestiam creet, si hæc Theologis scribamus. Audiamus nunc Augustinum: *Ecce reprehendis Deum, quasi de iniquitate.* Enarrat. in Psal. 61. *Non reprehenderes iniquitatem, nisi videndo justitiam. Unde enim scis quia hoc injustum est, nisi scias quid sit justum? Vides hoc injustum esse, utique ex aliqua regula justitiæ, cui comparans quod vides pravum, & cernens non convenire rectitudini regulæ tuæ, reprehendis tanquam artifex discernens justum ab injusto. Ego quæro à te, justum hoc esse unde vides? Unde illud nescio quid, quo aspergitur anima tua, ex multis partibus in caligine constituta, nescio quid hoc quod coruscat menti tuæ? Unde hoc justum? Itane non habet fontem suum? A te tibi est, quod justum est, & tu tibi dare potes justitiam? Nemo sibi dat, quod non habet. Ergo cum sis injustus, esse non potes justus, nisi convertendo te ad quandam justitiam manentem, à qua si recedis, injustus es; ad quam si accedis, justus es. Te recedente, non deficit: te accedente, non crescit. Ubi est ergo ista justitia? Vade illuc, ubi semel locutus est Deus, & ibi invenies fontem justitiæ, ubi est fons vitæ; quoniam apud te est fons vitæ. Si enim tu de rore exiguo judicare vis quod justum est, & quod injustum est: numquid iniquitas apud Deum, unde ad te manat tanquam de fonte justitia? Habet ergo fontem justitiæ Deus.*

III. Ad populum istud quoque idem alibi concionabatur, justitiam ubique terrarum videri ab hominibus, & eandem prorsus videri; nec fieri posse ut ipsammet omnes tam diversis moribus & ingeniis & præjudiciis occupati videant, nisi sese ipsa illis ubique præsens demonstret. *Ubique est veritas,* In Ev. Joan. Tract. 35. *ubique sapientia. Intelligit quis in Oriente justitiam, intelligit alius in Occidente justitiam. Numquid alia est justitia quam ille intelligit, alia quam iste? separati sunt corpore, & in uno habent acies mentium suarum. Quam video justitiam hic constitutus, si justitia est; ipsam videt intus nescio quot mansionibus à me carne sejunctus, & in illius justitiæ luce conjunctus. Ergo sibi testimonium perhibet lux; aperit sanos oculos, & sibi ipsa testis est, ut cognoscatur lux.*

Sent. 380, 386. IV. Ut ad alios jam Patres accedamus, Prosper ante alios Augustino astipulabitur, ipsissimis Magistri sententiis in Sententias suas relatis. Quod hoc ipso capite decerpsi ex libris de libero Arbitrio, id admiratus non injuria est Prosper, & operi suo intexuit. Intexuit & hoc non minùs luculentum testimonium ex libro de vera Religione, quod juvabit hic assuere, ut Prosperi jam, cùm sit ejusdem Augustini; *Lex omnium artium cum sit omnino incommutabilis, mens vero humana cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur. Nec jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra mentem rationabilem sit, Deum esse, & ibi esse primam vitam & primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis. Itaque cùm se anima sentiat non corporum speciem motumque judicare secundùm seipsam, simul oportet cognoscat præstare suam naturam ei naturæ de qua judicat; præstare autem sibi eam naturam secundum quam judicat, & de qua judicare nullo modo potest.* Ita Augustinus, ita Prosper. Ubi perspicis 1. artium omnium legem incommutabilem esse Deum, ut summam veritatem primamque sapientiam, qua regulæ & ideæ omnes artium & disciplinarum continentur. 2. Homines artium peritos secundùm has ideas & regulas de materia sibi subjecta judicare, ut quidque probent vel reprobent, fingant vel refingant. 3. Ex quo id efficitur, ut has ideas & regulas legesque artium mens rationalis conspiciat in summa veritate. Alioqui non posset secundùm eas de opere suo judicare, & artem suam moderari. 4. Ita perspicuè anima quidem superior est iis rebus arti suæ subjectis, de quibus judicat; sed inferior omnino est illis regulis & ideis incommutabilis veritatis, de quibus non judicat, & secundùm quas judicare cogitur, tum de artis suæ operibus, tum de seipsa.

V. Id ipsum est quod paucioribus verbis complexus est Gregorius Magnus de arte artium, de cura animarum, de anima ipsa ad summam æternæ veritatis legem refingenda disserens; ibi enim regulam videt anima sursum affulgentem è sacrario veritatis æternæ, eique se coaptare annititur. *Idcirco ipse me reprehendo. Quanto enim quisque se minùs videt, tanto minùs sibi displicet: & quantò majoris gratiæ lumen percipit, tantò amplius reprehensibilem se esse cognoscit. Cum enim intrinsecus sublevatur super omne quod est, ad eam quam super se conspicit regulam congruere nititur. Et quia humana adhuc infirmitas præpedit, cernit quia ei ex non minima parte dissentit, totumque illi ex se onerosum est, quod internæ regulæ convenieus non est.* Moral. in Job. l. 11. c. 5. Ergo illa ex Gregorio *regula interna* est, & tamen illam anima *super se conspicit,* quia anima mutabilis, regula autem incommutabilis ipsa veritas est, secundùm quam sibi intus præsidentem de seipsa judicat anima, se probat, se improbat, pro sui ad illam similitudine vel dissimilitudine.

VI. Eò pertinet quod tam sæpè contestatus est idem Gregorius, humanam justitiam divinæ justitiæ comparatam, injustitiam esse: sed eam tum demum comparationem institui, quando mens in contemplationem assurgit, & divinæ lucis compos facta, tum verò tenebras suas, & splendidissimæ, humanæ tamen justitiæ nævos videt. *Numquid homo Dei comparatione justificabitur? Humana justitia divinæ justitiæ comparata, injustitia est; quia & lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in Solis radio posita tenebratur. Quid ergo Eliphas raptus in contemplatione cognovit, nisi quod justificari homo Dei comparatione non possit? Recta namque credimus, quæ exteriùs operamur; sed cum minimè interna cognoscimus, quasi in Solis radio positi caligamus. Cum verò illa utcumque percipimus,* Moral. l. 5. c. 27.

ista

ista non utcumque judicamus; quia tantò quisque subtilius de tenebris judicat, quanto ei verius claritas lucis constat. Qui enim lucem videt, scit quid de tenebris æstimet. Quòd ergo sibi vilescat anima, suamque justitiam præ Dei justitia nihili faciat, id ex eo fit, quòd Dei justitiam legemque & lucem veritatis sempiternam intus videat, eique se componat, & infinito quodam intervallo postponat. Unde idem rursus Gregorius: *Omnis humana sapientia quantolibet acumine polleat, divinæ sapientiæ comparata, nec justa, nec pulchra, sed insipientia est. Omnia enim humana, quæ justa, quæ pulchra sunt, Dei justitiæ & pulchritudini comparata, nec justa, nec pulchra sunt, nec omnino sunt*.

Moral. l. 9. c. 2. L. 17. c. 10. L. 35. c. 2.

VII. Præclarissimè Boethius philosophatur sensibus obversari corpora, imaginationi corporum imagines, rationi universales sensibilium notiones, at menti supernam ipsam formam simplicem, seu ideam, secundùm quam de inferioribus omnibus judicat. *Ipsum quoque hominem aliter sensus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia intuetur. Sensus enim figuram in subjecta materia constitutam, imaginatio verò solam sine materia judicat figuram. Ratio verò hanc quoque transcendit, speciemque ipsam quæ singularibus inest, universali consideratione perpendit. Intelligentiæ verò celsior oculus extitit. Supergressa namque universitatis ambitum, ipsam illam simplicem formam pura mentis acie contuetur. In quo illud maximè considerandum est. Nam superior vis comprehendendi amplectitur inferiorem: inferior verò ad superiorem nullo modo consurgit. Neque enim sensus extra materiam valet, vel universales species imaginatio contuetur, vel ratio capit simplicem formam: sed intelligentia quasi desuper spectans, concepta forma quæ subsunt cuncta dijudicat, sed eo modo quo formam ipsam, quæ nulli alii nota esse poterit, comprehendit. Nam & rationis universum, & imaginationis figuram, & materiale sensibile cognoscit: nec ratione utens, nec imaginatione, nec sensibus, sed uno illo ictu mentis formaliter, ut ita dicam, cuncta prospiciens*. Ita Boethius quatuor discriminat in quolibet homine vires, adipiscendæ rerum cognitioni destinatas, nec columen summum naturæ nostræ rationem, sed intelligentiam divinarum idearum contemplatricem constituit. 2. Sic ille Aristotelem Platoni conciliat, dum & rationi universalia sua speculari permittit, & supra hanc intelligentiam locat, quæ divinum quoddam, ut ita dicam, universale contempletur. 3. Ab intelligentia regi judicarique inferiores omnes vires contendit, earumque cognitiones & objecta; & judicari secundùm *formam simplicem*, quæ supra universitatis ambitum est, quam sola puræ mentis acie contuemur; & judicari modo intelligentiæ consentaneo, supra sensum, supra imaginationem, supra rationem exerto, nempè *uno illo ictu* quo cuncta simul in idea simplicissimè omnia complectente conspiciuntur.

Conf. Phi. l. 5. Prosa 4.

VIII. His addemus sanctum Remigium & Ecclesiam Lugdunensem in libro de tribus Epistolis: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Lux illa præsentia majestatis suæ in tenebris lucens, id est, in infidelium cordibus, majestate conditoris præsentiam suam exhibens, operatur aliquid in eis, etsi non ut videant ipsam, tamen ut videant aliquid per ipsam, id est, ut intelligant inter justa & injusta, inter bonum & malum, inter agendum & non agendum, ut sint inexcusabiles, in die quo judicabit Deus occulta hominum. Quæ tamen lux non à facie illis resplendet, quia non ad eam attendunt: sed velut à tergo eis relucet, quia sicut Propheta dicit, verterunt ad eam tergum, & non faciem*. Quæ nemo non videt ex Augustini sententiis, penè ex verbis ipsis esse contexta.

Cap. 37.

IX. Idem dicendum de authore Epistolæ, *De vita solitaria ad Fratres de Monte Dei*, quæ inter Epistolas Bernardi legitur. Sic enim ibi ad salivam planè Augustini: *Sapiens & pius animus in contemplatione summi boni speculatur etiam regulas incommutabilis veritatis, inquantum ad eas pertingere meretur intellectu amoris, & exinde format sibi modum conversationis cujusdam cœlestis & formam sanctitatis. Speculatur enim summam veritatem, & quæ ex ea vera sunt; summum bonum, & quæ ex eo bona sunt; summam essentiam, & quæ ex ea sunt. Illi veritati, illi charitati, illi æternitati se conformans, in istis se ordinans; illis non supervolitans judicando, suspiciens desiderando, vel inhærens amando; ista suspiciens, & eis se coaptans, & conformans, non sine discretionis judicio, &c*. De piis tantùm viris hìc sermo est, quia ad insignes pietate viros Epistola scribebatur; sed supra sæpissimè eadem lux sempiternæ veritatis & incommutabilium regularum etiam impiis aliqua ex parte superfusa est.

X. Hugo Victorinus religiosissimè videtur pressisse vestigia Augustini: *Omnis qui aliquid judicat, secundum aliquid judicat. Et ipsam quidem secundum quod aliud judicatur, quasi regula est, cui illud quod ex ejus comparatione judicandum est, quodammodo confertur, & coaptatur, &c. Si ergo rectitudo regula est omnis judicii, secundum illam utique rectitudinem rectissimè omnia judicantur, à qua & per quam quæ recta sunt omnia, & formantur ut recta sint, & probantur si sunt. Quæ est autem summa rectitudo, nisi summa veritas & summa bonitas? Summa veritas regula omnis veritatis. Summa bonitas regula omnis bonitatis. Omne igitur bonum judicatur secundum summum bonum, &c. Nonne summum bonum Deus est? &c. Per summum igitur bonum reliqua omnia bona dijudica, & ipsum quasi regulam justitiæ constitue in judicio universorum*. Quibus consonantius nihil dici potuit supra elucidatæ doctrinæ.

Miscell. l. 1. Tit. 1. pag. 94. 95.

XI. Ad Græcos nunc accedamus, in quibus Clemens Alexandrinus Contemplatori suo, seu Theologo hæc explorata esse vult: Patrem Verbi Patrem, Verbum Patris Filium, rationes rerum æternas in Verbo, stabiles, incommutabiles, secundùm quas de bonis & malis, & de rebus demum omnibus, imò de creaturis ipsis judicet: denique secundùm æterna illa exemplaria res humanas omnes, suas alienasque administret, arrecta semper ad ea mentis acie, velut ad astrum & supercœlestem navigationis suæ ducem. *Non solùm enim primam, & eam quæ ab ea genita est, causam comprehendit, & in his est firmus ac stabilis: stabiliter stabiles, & quæ excidere ac dimoveri nequeunt, possidens rationes: quin etiam de bonis & malis, ac universo rerum ortu, ac generatione, & ut semel dicam, de iis quæ locutus est Dominus, accuratissimam & exactissimam à mundi constitutione veritatem ab ipsa veritate didicit, &c. In iis solis quæ scientiam constituunt, cum sit scientia præditus, se præclare geret, & de bono tractandam suscipiet orationem, intelligibilibus semper adhærens; ab illis supernis Archetypis exemplaribus suam rerum humanarum describens administrationem, quomodo qui navigant, navem ad astrum dirigunt*. Pergit deinde Clemens ad liberales disciplinas, ut edoceat, quid utilitatis capessat ex quaque earum Contemplator, quid ex Musica, & Arithmetica, ex Geometria, ex Astronomia, ex Dialectica denique, in qua eò usque progreditur, donec attigerit *prima & simplicia*, seu simplices illas supernè formas, de quibus supra Boethius. Ex quo occasionem arripit irridendi eos, *qui non secus ac pueri larvas, timent Græcorum Philosophiam, dum verentur, ne eos abducat*. Cum ex adverso veritas invicta semper sit, & pronum sit, ex Græcis disciplinis decerpere quæ ad veritatis indagationem conducunt, reliqua abiicere.

Strom. l. 6. pag. 471.

XII. Origenes legem naturalem digito Dei scriptam in cordibus mortalium hominum illam esse ait,

Orig. hom. 10. in Nu.

ait, unde sumuntur initia & quasi semina ad perscrutandam veritatem. Hoc est prorsus quod suprà docebat Augustinus, mentem humanam æternis rationibus naturaliter esse connexam, inde informari, inde imprimi, cùm probanda probat, improbanda improbat. Opus enim illud legis opificis manu inscriptæ mentibus nostris, portio est non modica harum rationum æternarum, & incommutabilium regularum veritatis. *Quis scripsit in cordibus eorum, nisi Deus digito suo? Legem utique naturalem, quam dedit Deus humano generi, & in cunctorum mentibus scripsit. Unde & initia*
In Matth. Tract. 8. *sumimus, & semina quædam ad perscrutandam capimus veritatem.* Inde est quod idem Origenes alibi negat bonitatem, negat justitiam ullam nostram dici posse, si comparetur illi bonitati & justitiæ divinæ, quæ in superno veritatis lumine nobis allucet. *Omne bonum nostrum abusivè & non propriè dicitur bonum. Ad comparationem cæterorum hominum dicuntur bona quæ agimus: quantum autem ad veritatem, secundùm quod dicitur in hoc loco, quoniam unus est bonus, bonum nostrum non est bonum, &c. Quantum ad comparationem justitiæ Dei, omnis justitia hominum invenitur neque justitia esse.* Veritas enim propriè in intelligibilibus & æternis ideis est; reliqua omnia, ut earum participationem tantùm habent & similitudinem, ita & verorum similia sunt. Christus solus, Verbum solum ipsa justitia est, & ut justitia judicat: mentes omnes creatæ judicant, non ut justitia, non ut idea justitiæ, sed ut participes illius effectæ, & secundùm illam. *Nemo eorum qui justitiam & facultatem judicandi populum habent, ita in sua anima omnino imprimere poterit & justitiæ & judicandi figuras ipsas & ideas, ut nulla in re sit inferior ea quæ ex se est justitia, & eo quod ex se est judicio. Quemadmodum neque qui pingit imaginem, potis erit pictura exprimere omnes rei depictæ proprietates.*

(In Ev. Joan. To. 2. p. 174.)

XIII. Cyrillus denique Alexandrinus inter hominem qui reliquos homines doctrina sua impertit & illuminat, & Verbum divinum, hoc discriminis constituit, quòd non docendo Verbum doceat, sed primùm quidem creando mentem, seu naturam, quæ sua jam sponte lux sit: deinde infundendo illi supernæ lucis radios & vapores, quibus ad rerum intelligentiam juvetur. *Verbum Dei illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non docendo sicut Angeli, verbi gratia, vel homines; sed potius creando, ut Deus, unicuique in ortum educto sapientiæ sive cognitionis divinæ semen indit, & intelligentiæ radicem inserit, atque ita rationale animal efficit, naturæ illud suæ particeps reddens, & ineffabilis sui splendoris lucidos veluti quosdam vapores ejus animo immittens, ea ratione ac modo quo ipse novit.* Adami exemplum subiicit, cui scientiæ & sapientiæ singularem quandam plenitudinem statim Deus infudit. Plures ex Græcis Patribus annumerabuntur capite proximè sequenti, quod ejusdem penè argumenti rem continebit.

(In Ev. Joan. pag. 71.)

CAPUT XVII.

Veritatis, sapientiæ, justitiæ, virtutumque omnium ideas, seu formas incommutabiles imprimi mentibus moribusque nostris.

I. Formas seu ideas sapientiæ, justitiæ, virtutumque omnium divinas & incommutabiles nobis cœlitus imprimi, docet Origenes.

II. Basilius id probat ex imagine Dei nobis insculpta per principem imaginem, Verbum, & sapientiam, & justitiam Patris.

III. Idem adprobat Gregorius Nyssenus.

IV. Et Theodoretus.

V. Dionysius nunc Deum vocat per se vitam, & per se sapientiam; nunc effectorem per se vitæ, & per se sapientiæ. Nimirum quia Deus hæc ipsa est, si impropriè loquamur; propriè autem supra hæc ipsa est: quæ ideò Angelis tribui possunt, ut per quos vita & sapientia à Deo fluat in inferiores naturas.

VI. Vel Deus est per se vita & sapientia; & quatenus vita & sapientia Dei infringitur & temperatur, ut accommodet se naturis creatis, effector est vitæ & sapientiæ ita temperatæ.

VII. Vana recentiorum Græcorum interpretatio.

VIII. Consimiliter ex Augustino Deus est omnium mensura, numerus & pondus, & horum tamen causa, ac principium.

IX. Ex eodem Augustino ut Deus sit castitas, similitudo &c. qua casta & similia sunt omnia.

X. Ex eodem virtutes veræ ab exemplaribus divinis imprimebantur.

XI. Has Augustinus virtutes à Platonicis illustratas fuisse confitetur: nobisque prælucet in horum Philosophorum placitis aliquanto commendandis.

XII. Plebi Christianæ Augustinus has virtutes ad exemplaria divina efformatas explanabat, & formas virtutum in Deo radiantes ostendebat, ut vulgus ipsum eo eniteretur.

XIII. Leo Magnus & Lactantius assentiuntur.

I. Cognatum est superiori hoc argumentum: simul enim menti, simul voluntati & cordi, nisi quid obstet, imprimuntur ideæ formæque simplices & incommutabiles justitiæ, sapientiæ, cæterarumque divinarum virtutum, quarum qualescumque possumus esse imitatores. Itaque pergemus Græcos Patres contexere, in quibus capite superiori desieramus. Origenes duo illa Scripturæ loca, ubi Christus dicitur nunc quidem veritas ipsa, nunc ille ipse per quem veritas facta est, ita conciliat, ut cùm ipse veritas ipsissima & summa sit à Patre genita, semet imprimendo in animas justorum, ita demum is sit per quem veritas facta per se dicitur. *Intelligendum est, quod* In Ev. Joan. To. 6. p. 181.
ἐντοκλῆσει ea quæ est per se veritas, ipsa illa quæ est substantialis, & ut ita dicam, primum exemplar illius veritatis quæ in animabus inest rationis capacibus, à qua veritate velut imagines illius impressæ fuere spectantibus veritatem, non per Jesum Christum facta est, neque omnino per aliquem, sed à Deo. Verum quæ apud homines est veritas, per Jesum Christum facta est. Nec mirum est, si veritas, cùm sit una, multas ab ea veritates dicamus diffluere.

II. Basilius imaginis rationem spectat, & asseverantissimè affirmat eo ad imaginem Dei efformari homines, quia ipsa principalis & substantiva Dei imago, Dei Verbum illis imprimatur: quod perinde est ac si dicas sapientiam, veritatem, justitiam, pulchritudinem, hoc enim totum Verbum est, & reliquas similiter divinas & exemplares formas & ideas, quas omnes æquè Verbum complectitur, imprimi cuique pro suo modulo creaturæ rationali. *Nec creatura sic misera, nec Deus* Adversus Eunom. l. 1.
sic impotens est, ut sanctam participationem ad creaturas non transmittat. Denique statim ad imaginem sui hominem facere voluit. Omnino autem imago quæ efficitur, à primitivo ad materiam transmutata, similitudinem capit, & charactere participat, per artificis mentem & manus impressionem. Sic pictor, sic lapidum sculptor, sic statuarius exemplar respicit, assumit ad rei quam speculatus est figuram, hanc in materiam imprimit. Quod si homines non possunt ad similitudinem informare materias, nisi idea ipsarum participent: quomodo ad similitudinem Dei creatura ascendet, nisi divino charactere participarit? Divinus verò character non si-

cut

cut humanus est, sed vivens & verè existens imago imaginis effectrix, per quam omnia quæ participant, imago Dei constituuntur. Imago quidem Dei Christus est, qui est imago Dei invisibilis. Infrà demonstrabitur in Verbo propriè & specialiter esse ideas rerum omnium, vel ipsum potiùs exemplar esse universale, & formam formarum, cujus impressione omnia in aliqualem Dei similitudinem efformantur. Imaginem ergo Dei & similitudinem per Verbum imprimi homini, ut imago Dei fit, quid aliud est quàm Verbum ipsum formam formarum illi imprimi non fine plurimo lumine sapientiæ & regularum incommutabilium veritatis?

III. Paulò aliter Gregorius Nyssenus. Unguentum enim illud de Canticis Canticorum interpretatur naturam ipsam divinam, cujus odore aliquo mentes respergantur, ut *aromata intelligamus virtutes, videlicet sapientiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam & quæ sunt hujusmodi.* Quæ tamen omnia nullius planè sint momenti aut pretii, si conferantur cum ipsa sursum per se sapientia, per se justitia, veritateque. *Sed tamen hæc omnia nihil sunt, si conferantur cum illa perfecta & omni ex parte absoluta virtute, quam Abacuc Propheta dicit cœlos comprehendisse; Operuit cœlos virtus ejus, quæ est ipsa per se sapientia, & ipsa per se justitia, & ipsa per se veritas, & singula hujusmodi.* αὐτοσοφία, αὐτοδικαιοσύνη, αὐτοαλήθεια. Quæ eò recidunt, ut intelligantur hæc esse divina & incommutabilia exemplaria divinarum virtutum, quorum imago aliqua insculpatur humanis mentibus; quæ utique splendore suo ne accedat quidem ad intolerabilem lucem divini exemplaris.

Hom. 1. in Cantica.

IV. Theodoretus quoque sic statuit, viros pietatis & virtutis amantes non aliud sibi præstituere debere exemplar, quod sequantur, quod moribus suis mollantur effingere, quàm divinum illud & incommutabile, quod supra mentes nostras immenso fulgore radiat. *Sed animas ad divinarum legum regulas dirigentes, & tanquam pictores optimi, ad virtutis archetypa spiritales imagines suas exprimentes.*

De Cur. Græc. Aff. Serm. 12.

V. Dionysius certè totus est in prædicanda per se sapientia, per se vita, per se veritate, & aliis ejusmodi Dei nominibus, quæ omnino ita divinas has vires virtutesque exprimunt, ut ipsæ primò, principaliter & per sese sint, à naturis verò creatis deinde participentur. At illum nodum sibi objectat ipse Dionysius, quòd Deum non tantùm dixisset per se sapientiam & per se veritatem esse, sed authorem etiam & effectorem ipsius per se sapientiæ, & ipsius per se veritatis. An potest id ipsum Deus esse, cujus effector sit? Videtur autem Dionysius hoc ita solvere, ut Deus ne ipsa quidem per se vita, & per se sapientia, & per se veritas sit, nisi per modum causæ & principii. Propterea quod ne in mentem quidem venire nobis possit, quid verè & propriè sit Deus: sed quæcumque illi ascribimus nomina & perfectionis accuratissimæ ornamenta, non ei convenire possunt, nisi ut horum causæ, principio & largitori. Igitur si id dari nobis velimus, ut de Deo loquamur minùs propriè & pro nostræ sapientiæ modulo, Deus dicetur esse per se sapientia, & per se justitia, quia ea meritò de eo dicimus, quibus nihil melius aut dicere aut cogitare possumus. At si propriè & ut verè se habet Deus, loqui adgrediamur, ne ea quidem erit aut dicetur, nisi per modum causæ & principii, quia ipsa per sese ejus natura quid sit, incompertum omnino nobis est, & ex effectis tantùm illam utcumque vel mente vel sermone exprimimus. Jam verò si à Deo removeamus ista quoque nomina per se sapientiæ & per se vitæ, cui tandem illa ascribemus, nisi ei naturæ quæ proxima & secunda à Deo est, Angelicæ nimirum? Utpote quæ à summo naturarum omnium exemplari ita profluat, ut possit & ipsa aliarum exemplar esse inferiorum. Si Deus est supra sapientiam & supra justitiam, quid superest, nisi ut citima sub Deo natura sit ipsa sapientia & ipsa justitia? Inter Deum enim & Angelicas substantias nihil est medium. Unde quidquid infra Deum est, id jam Angelicæ naturæ ascribi potest. Ita Dionysium interpretatur Maximus Martyr: *Deus dicitur ipsa vita, ac ipsa virtus, atque ipsa similitudo, & ejusmodi, ut hoc existens per modum principii, atque divino modo, & ut causa. Horum enim est revera fons & origo. Ipsius autem vitæ ac ipsius similitudinis & talium est conditor, ut qui participatione ipsis quæ primariò inter res hoc donum participant largimur. Nam omnia pro captu suo talia participant. Prima quidem & superna intelligibilium creatura, per modum principii: quæ verò deinceps, secundùm descensum seu inferiorem gradum.* Ac si dicat essentiam, virtutem, sapientiam à Deo manare in naturas gradatim omnes creatas, variaque sui participatione constituere earum gradus ac classes, alias aliis superiores vel inferiores. Cùmque naturæ creatæ superiores rationem etiam & dignitatem causæ & principii à Deo consequantur erga inferiores, æquum est ita vitam, ita sapientiam à Deo in Angelos superiores defluere, ut ab his vel per hos hæc ipsa effluant in naturas inferiores. Æquum est ergo ut hæc Angelis conveniant quodammodo per modum principii, quatenus adjumento illi erunt & præsidio, ut hæc eadem in inferiores naturas deriventur. Non quo vel Creator alius sit, vel primum principium rerum omnium quàm Deus; sed quod secunda quoque principia jusserit idem Deus esse naturas superiores inferiorum, vel juvandarum miris & ineffabilibus modis, vel administrandarum. Quo ita constituto, non ineptè Angeli superiores honestabuntur iis nominibus, quæ Deo abjudicamus, ne eum dehonestemus, & dicentur à Dionysio, per se vita & per se sapientia & alia id genus, quia cùm Deus supra ista sit, prima sapientia & prima vita jam Angelicæ naturæ tribui incipit. Non semel Maximus in hunc sensum traxit verba Dionysii; quæ mihi quoque hactenus videtur mollissima eorum interpretatio, etsi non dissimulem non parum superesse caliginis & perplexitatis.

De div. nom. c. 11. n. 6. — *In c. 9. Dionysii.* — *In c. 11. Dionysii. Et in Epist. 2. ejusdem.*

VI. Posset & aliter intelligi Dionysius, ut per se sapientia, vel per se bonitas dicatur, vel ipse Deus, & ita Deus hoc erit, non propriè & formaliter, sed per modum causæ & principii: vel ipsum Dei donum, quo primates Angelorum sapientes & bonos facit. Istud enim donum Deus non est, à Deo authore & effectore est, & per se sapientia vel per se bonitas dici potest, quia prima est sapientiæ & bonitatis manatio extra Deum. Ita etiam Maximus Dionysium interpretatur: *Si divinitatem intelligas esse donum ipsum per quod deificamur, non tamen ipsum Deum, habes solutionem. Deus enim secundùm se ut superessentialis essentia, est supra principium illud divinitatis, quod ipse dat atque communicat, id est, supra deificationem.*

Epist. 2.

Forsan & in hunc tertium sensum possent flecti Dionysii verba, ut per se vita & per se sapientia dicatur, vel Deus per modum principii, qua vitæ & sapientiæ totius author & largitor est; vel exemplar illud divinum, ad quod effinguntur & formatur naturæ creatæ. Nec enim vita Deus, aut sapientia, qualis ipsa per sese in Deo est, talis imprimitur, aut verò imprimi potest ulli creaturæ. Eo sensu imparticipabilis & incommunicabilis est vita ac sapientia, & omnis dos ac proprietas naturæ divinæ. Sed infringunt sese & contemperant proprietates istæ ineffabiles Deitatis, ut possint quoquo modo participari à naturis creatis, & illis ceu ideæ & exemplaria imprimi. Istiusmodi ergo contemperationis exemplarium divinorum effector est Deus, & possunt illa tamen jure vocari per se vita, per se sapientia, per se bonitas, & id genus alia.

Itaque exemplar ita infractum & accommodatum ad naturæ creatæ patientiam, dicetur per se vita & per se sapientia, quia inde fluet vita & sapientia naturæ creatæ à Deo participata. Et illius tamen causa & effector dici poterit Deus, quia sic ille vires & perfectiones suas fregerit temperaveritque ad modum naturæ creatæ. Vide ut verba Dionysii non dissonent ab hoc sensu; *Non enim illud per se substantiam quandam divinam aut Angelicam esse dicimus, quæ sit causa ut sint omnia quæ sunt, &c. Ut autem in donis suis participatur Deus, providentias à Deo, qui in se non participatur, manantes, dicimus per se substantiæ effectionem, per se vivificationem, per se deificationem.* Nec Pachymeres abhorret ab his explicandi Dionysii rationibus. Eo quoque referri potest idearum divinarum tradita à Dionysio definitio, in qua voluntatis divinæ decreta ideis complicat. *Exemplaria verò dicimus esse rationes quæ in Deo sunt, quæ rebus essentiam tribuunt, ac singulariter ante subsistunt, quas Theologia prædestinationes vocat; ac divinas & bonas voluntates, quæ definiendorum ac faciendorum vim habent entium. Secundùm quas ille substantia omni superior entia omnia prædestinavit & produxit.* Illa prorsus definitio & prædestinatio Dei, qua decrevit hanc vel illam sapientiæ & vitæ mensuram ac rationem, non aliam, non majorem, non minorem cuique naturæ largiri, ut idea & exemplar est, ita per se sapientia & per se vita dici potest, cùm ab ea scaturigine fluat omnis vita & sapientia naturarum creatarum; & potest denique Deus author, causæque principium dici hujus per se vitæ, & per se sapientiæ, hujus inquam ideæ & exemplaris, hujus divinæ præfinitionis & prædestinationis. Causa enim & principium effectrixque voluntas divina est suorum decretorum ac præfinitionum seu prædestinationum: ac consequenter etiam idearum suarum eo sensu, quo idea accommodatio quædam est & admodulatio perfectionum divinarum, voluntatis divinæ decreto ita sese admetientium & communicantium naturis creatis.

De divin. Nom. c. 11. n. 6.

Cap. 11.

VII. Frustra ergo erant Græci recentiores, de quibus prolixiùs infrà, qui duce & antesignano Palama, substantiam quandam mediam comminiscebantur inter Deum & creaturas, quam & his Dionysii locis munire se posse sperabant; ut ea esset lux quædam increata, in qua Deus quiesceret, quam naturæ creatæ imitarentur, quam beatæ mentes contemplarentur, cùm divina per sese essentia evecta sit ultra imitationem & contemplationem cujuscumque naturæ creatæ. Hanc fabulam narrasse, refutasse est; sed de ea prolixè inferiùs.

VIII. A Græcis relabimur ad Latinos, & statim occurrit Augustini locus, qui quasi geminus est suprà relatis & disceptatis Dionisii contextibus. Cùm enim in numero, & pondere, & mensura Scripturæ testificentur Deum fecisse omnia, quærit Augustinus de his tribus, de numero, inquam, pondere & mensura, an Deus sint, an extra Deum aliquid, an in natura tantùm creata? *Utrum tria hæc, mensura, numerus, pondus, in quibus Deum disposuisse omnia scriptum est, erant alicubi antequam crearetur universa creatura, an etiam ipsa creata sunt? Et si erant antea, ubi erant?* Respondet primò sanctus Pater contra Palamitas posteros, *Neque enim ante creaturam erat aliquid nisi Creator.* Respondet secundò, Deum non esse vel numerum, vel pondus, vel mensuram istiusmodi, qualia hæc sunt in creaturis: *Neque enim Deus mensura est, aut numerus, aut pondus, aut omnia ista.* Respondet tertiò hæc tria non esse Deum, nisi per modum principii, ut horum causam & effectorem. *An secundùm id quod novimus mensuram in eis quæ metimur, & numerum in eis quæ numeramus, & pondus in eis quæ appendimus, non est Deus ista: secundùm id verò quod mensura omni rei modum præfigit, & numerus omni rei speciem præbet, & pondus omnem rem ad quietem & stabilitatem trahit, ille primitus & singulariter & veraciter ista est, qui terminat omnia, & format omnia, & ordinat omnia?* Respondet quartò Deum hæc tria dici esse ineffabili quodam & incomprehensibili modo, quo ita est ista ut non sit, ita non est ista ut sit, usque adeo super omnes & affirmationes & negationes nostras ille est. *Magnum est paucisque concessum excedere omnia quæ metiri possunt, ut videatur pondus sine pondere.* Hìc perspicis ut in Deo sint hæc exemplaria, ita ut dici possit, & Deum hæc non esse eo modo exili & jejuno, quo à nobis vel intelliguntur vel participantur: & Deum hæc esse modo quodam suo, quem nec intelligere, nedum participare valeamus; & denique Deum hæc efficere, quatenus decreto suæ voluntatis præfinit numerum & modum & pondus, quo donare, formare, ordinare quamlibet naturam creatam prædestinat. Ita non usquequo dissonat à Dionysio Augustinus.

De Gen. ad litt. l. 4. c. 3.

IX. Qui rursus libro de Genesi ad litteram imperfecto, in Deo, in Verbo similitudinem, castitatem, sapientiam esse docet, qua similia, qua casta, qua sapientiæ plena fiunt, quæcumque fiunt omnia. *Ut ibi ea sit similitudo, qua similia sunt quæcumque similia: ubi est & castitas, qua casta sunt quæcumque sunt casta. Castitas autem nullius participatione casta est, sed ejus participatione sunt casta quæcumque casta sunt. Quæ utique in Deo est, ubi est etiam illa sapientia, quæ non participando sapiens est, sed cujus participatione sapiens est anima, quæcumque sapiens est, &c. Ibi est & castitas, cujus participatione castæ sunt animæ; & sapientia, cujus participatione sapientes sunt animæ; & pulcritudo, cujus participatione pulcra sunt quæcumque pulcra sunt.* Alibi autem bifariam idem sanctus Pater tradit posse dici castum aut sapientem, nimirum aut castitatem aut sapientiam generando, aut ipsam participando. Deum Verbi Parentem, sapientem esse sapientiam generando, Angelum & hominem quemvis eandem participando. Sed id esse discriminis inter sapientiam & participes sapientiæ, quòd sapientia æterna, incorruptibilis incommutabilisque sit, non autem ejus participes, qui possunt & hac orbari participatione. *Omne castum castitate castum est, & omne æternum æternitate æternum est, & omne pulcrum pulcritudine, & omne bonum bonitate. Ergo & omne sapiens, sapiens sapientia, & omne simile similitudine. Sed duobus modis castum castitate dicitur, vel quod eam gignat, ut ea sit castum castitate, quam gignit, & cui principium atque causa est, ut sit. Aliter autem participatione castitatis quidquid castum est, quod potest aliquando esse non castum, atque ita de cæteris, &c. Illa quæ participatione sunt, vel casta, vel æterna, vel pulcra, vel bona, vel sapientia, recipiunt ut possint nec casta esse, nec æterna, nec pulcra, nec bona, nec sapientia. At ipsa castitas, æternitas, pulcritudo, bonitas, sapientia, nullo modo recipiunt, aut corruptionem, aut ut ita dicam, temporalitatem, aut turpitudinem, aut malitiam.* Ex quibus ille infert similitudinem quoque ipsam nulla ex parte posse esse dissimilem, proindeque Verbum Patri simillimum esse & consubstantiale. *Ergo etiam illa quæ participatione similia sunt, recipiunt dissimilitudinem. At ipsa similitudo nullo modo ex aliqua parte potest esse dissimilis. Et quo fit, ut cum similitudo Patris Filius dicitur, quia ejus participatione similia sunt quæcumque sunt vel inter se vel Deo similia: ipsa est enim species prima, qua sunt, ut ita dicam, speciata; & forma, qua formata sunt omnia; ex nulla parte Patri potest esse dissimilis.*

De Genes. ad lit. imperf. c. 16.

L. 83. qq. q. 23.

X. Illud mox capite sequenti excutietur, ut exemplaria omnium sint in ipso potissimùm Verbo, & ipsum sint Verbum. Sed hinc jam illud licet advertere, ut similitudo ipsa Dei cùm una ex

illis

illis ideis seu formis incommutabilibus sit, sicut castitas, vita, sapientia; hinc efficiatur consubstantialitas Verbi cum Patre, quod ipsa per sese similitudo nihil habere possit dissimilitudinis. Sed de eo infrà. Nunc illud potiùs referamus ejusdem Augustini de Platonicæ scholæ ideis & virtutibus luculentissimum testimonium, ubi Romanas virtutes quantumvis à Pelagianis decantatas longè decoloratiores & degeneres esse ostendit, præ illis quas Platonici ad divina exemplaria exprimi, imò ab illis imprimi debere definiebant; quanquam nec istæ usquequaque veræ virtutes essent, nisi Mediatoris Christi fide & sapore aliquo condirentur. Vide ut ille increpet Julianum Pelagianum hæreticum, totum naturalibus vel civilibus virtutibus tribuentem, illas exemplares ne suspicantem quidem, has Christianas superciliosè fastidientem. *Verùm tu in hac causa, etsi ad Scholam Pythagoræ provoces, vel Platonis, ubi eruditissimi atque doctissimi viri, multò excellentiore cæteris Philosophia nobilitati, veras virtutes non esse dicebant, nisi quæ menti quodammodo imprimerentur à forma illius æternæ immutabilisque substantiæ, quæ Deus est, &c.* (In 4. cont. Iul. c. 3.)

XI. Non gravatè feret Lector, si occasionem hinc arripiam quærendi mihi ab Augustino patrocinii. Vergebat jam ad senium vitæque metam Augustinus cùm hoc elogio ornabat Platonicam Scholam, & hanc declarabat excellentiorem cæteris Philosophiam. Doctrina verò quam eo loco commendat, quæque in omnibus Platonicorum Philosophorum scriptis personabat, ejusmodi erat, cui non immeritò encomium illud rependeretur: virtutes nimirum veras non esse, nisi quæ ad Dei imitationem contenderent, imo quæ à Deo ipso imprimerentur. Hinc ut spero aliquid nobis accedet præsidii, adversus eos, qui nos in hujus Philosophicæ sectæ placitis nimios fuisse criminabuntur.

XII. Ne verò hanc de virtutibus exemplaribus doctrinam existimes, paucis, & ingenio, vel eruditione præclaris viris seponendam esse, non Theologis omnibus, non ipsi saltem Christianorum vulgo communicandam; vide ut ad Christianam plebem illam evulget Augustinus: *Quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Veritas una est, qua illustrantur animæ sanctæ. Sed quoniam multæ sunt animæ, in ipsis multæ veritates dici possunt. Sicut ab una facie multæ in speculis imagines apparent.* (In Ps. 11.) Ita prorsus res habet. Forma illa incommutabilis luxque incorrupta virtutum in animas nostras radiat, ut Sol in specula, suique imaginem illis appingit; & hæ nostræ virtutes sunt, quæ Christianæ jam sunt, si formam illam Dei formæ servi concorporatam nostræ salutis ergo, & inhumanatam credamus. Non gignuntur ergo in nobis virtutes, nisi conversione ad formam incorruptibilem earum in Deo: *Ut hoc sit aliquid, convertit se ad illum, à quo creatus est. Recedendo enim frigescit, accedendo fervescit; recedendo tenebrescit, accedendo clarescit. A quo enim habet ut sit, apud illud habet ut ei bene sit.* (In Ps. 70. In Ps. 77.) Et alibi rursus: *Recto corde recta sunt opera. Rectus est Deus, & ideo recto adhærens tanquam incommutabili regulæ, potest fieri rectum, quod in se fuit pravum cor hominis.* (Tract. 39. in Evang. Io.) Sed illud longè præstantissimum, quod alibi cum prolixè disseruisset ad plebem Catholicam, ut explanaret quantum præstet mutabili menti hominis, incommutabilis apud Deum bonitas, pietas, puritas, castitas, pulcritudo, veritas, addit postea in hunc modum: *Intelligite fratres, quia si pia est anima, est pietas apud Deum, cujus fit particeps anima; si est casta anima, est castitas apud Deum, cujus est particeps anima; si bona est anima, est bonitas apud Deum, cujus est particeps anima; si verax est anima, est veritas apud Deum, cujus est particeps anima*: his denique dictis gratulatur sanctus Pater fidelibus populis, quòd aliquo nutu suo significassent, se probè quæ dicta fuerant intellexisse. *Video vos intellexisse, & gaudeo.* Hæc porro Augustini Concio ad populum, quid aliud quàm illud omnium fidelium mentibus inculcabat, esse apud Deum omnium virtutum ideas, formas, regulasque viventes, sempiternas immutabilesque, quarum influxu & participatione irrigarentur nobis veræ virtutes omnes; nec illud tantùm inculcare, sed elucidare & edisserere, opus est, donec vulgus fidelium quid dicatur intelligat.

XIII. Leo Magnus paucis verbis summam strinxit totius hujus doctrinæ: *Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo justitia est; sed multi participes sunt veritatis, & sapientiæ, atque justitiæ. Solus autem Deus nullius participationis indigus est.* (Epist. 93. c. 5.) Lactantius certè justitiam coram esse & ubique præsentem testatur, frustraque homines de ejus absentia conqueri, cum cuique fas sit eam præsentissimam & cernere, & complecti. *Qui ergo putant justum esse neminem, ante oculos habent justitiam, sed eam nolunt cernere. Quid est enim cur illam, vel in carminibus, vel in omni sermone describant, conquerentes ejus absentiam, cum sit facillimum bonos esse, si velint? Quid nobis inanem justitiam depingitis, & optatis cadere de cœlo, tanquam in aliquo simulachro figuratam? Ecce in conspectu vestro est, suscipite eam si potestis, eamque in domicilio vestri pectoris collocate.* (L. 5. c. 8.) Lactantii sententia illa ipsissima est quæ Augustini: adest ubique semper incommutabilis justitiæ forma divina, quæ animis imprimatur, sola ipsorum ad ipsam conversione. Sed nec illud vacat, quòd Gentiles naturali quodam impulsu optabant justitiam cadere sibi de cœlo. Si corporearum enim hinc imaginum præstigiæ abigantur, unum id restabit, hoc illis anticipatum naturaliter fuisse, ipsam justitiæ naturam in cœlis regnare, & inde illabi & imprimere se in animos hominum.

CAPUT XVIII.

Ideas in Deo esse, in Verbo esse, ipsum Verbum esse, ex sanctis Patribus; sacram omnem æquè ut humanam sapientiam, Philosophiam, Theologiam ex idearum contemplatione pendere. Quid sint ideæ.

I. Ideas omnium rerum in Deo esse, in Verbo esse, ipsum Verbum Deum esse, probant Philo & Augustinus, quod nullus opifex in opus exeat, nisi idea operis præformata.

II. Idem iidem probant ex Scripturis.

III. Tertio idem iidem approbant, ex eo quod nemo hominum etsi obtusissimus, aut scelestissimus, non aspergatur aliquo lumine, qui de justis & injustis judicat, & hæc ab illis internoscit.

IV. Rursus de ideis Augustinus.

V. Iisdem suffragatur Boethius.

VI. Variæ ideorum definitiones.

VII. In his definitionibus multa advertuntur; esse eas formas substantiales, rebus ipsis veriores; esse definitiones voluntatis divinæ, rerum effectrices; immutabiles & æternas mutabilium temporalium rationes.

VIII. Ideas has in Verbo, & Verbum ipsum esse probatur ex Ambrosio, & Anselmo.

IX. Ex Clemente Alexandrino & Origene.

X. Ex Athanasio, luculentè edisserente, ut sapientia ab initio creata sit.

XI. Ex Synesio.

XII. In idearum contemplatione tota vertitur sublimior Philosophia, tota Ecclesiæ Theologia. Luculentissimè id ex Augustino probatur & illustratur.

XIII. Item ex Dionysio & Maximo; quod mens æternarum rationum contemplatrix, ratio rerum humanarum moderatrix dispensatrixque sit; & hæc illi obsequi debeat.

XIV. Ex iisdem mens circa veritatem motu irrequieto agitatur; & quodcumque mens verè intellexit, id nulla unquam deletur oblivione.

XV. Per idearum divinarum Verbi contemplationem, evadit tandem anima in unitatem quandam simplicissimam, ideas omnes ineffabiliter complectentem.

XVI. Ex Augustino similiter mens æternas contemplatur rationes & leges, ratio menti morigera temporalibus administrandis incumbit.

XVII. Luculente Philo Scripturas omnes allegoricè transfert ad idearum divinarum regulas.

XVIII. Pulcherrimè rursus Philo idearum multitudinem ad unitatem revocare studet.

XIX. Item Augustinus. Quippe cum eadem divina forma à Deo gradatim per intellectuales, rationales, animales, viventes & non viventes substantias ad extrema usque entium vestigia defluat.

I. Ratum illud inconcussumque stat Patrum omnium Scripturas interpretantium consensione, esse in Deo, esse in Verbo, esse Verbum ipsum ideas rerum omnium, seu rationes primarias & archetypas, quarum imitamenta tantùm sint res omnes creatæ. Probatur id primò ex eò quòd nullus opifex in opus progreditur, cujus non priùs ideam sua in mente formaverit. Unde Philo libro de Mundi opificio: *Deus ubi pro sua Deitate prævidit, imitamentum pulcrum non posse absque exemplari pulcro existere, nec sensibile quidquam citra exceptionem probari posse, quod non archetypo intelligibili ideæ responderat; postquam decrevit visibilem hunc mundum condere, prius formavit simulacrum ejus intelligibile, ut ad exemplar incorporei Deoque simillimi, corporeum absolveret mundum recentiorem hunc, antiquioris effigiem, totidem complexurum sensibilia genera, quot in illo intelligibilia. Mundum autem illum, qui ex ideis constat, nefas est loco ullo dicendo cogitandove circumscribere. Sciemus tamen quo pacto consistat, si aliquam consideraverimus rerum nostrarum similitudinem. Quoties condenda est urbs, præsto est quidam peritus Architectonicæ, &c. qui impressis velut in ceram, in suum animum rerum singularum imaginibus, effingit urbem intelligibilem, &c. Sicut ergo illa in Architecto præsignata urbs, locum extra nullum habet, tantum impressa artificis animo; eodem modo ne ille quidem ex ideis constans mundus alibi locum habere poterat, quàm in Dei Verbo.*

Eandem pro stabiliendis ideis, nec alibi, quàm in mente divina collocandis, argumentationem habet Augustinus: *Quis religiosus & vera religione imbutus, quamvis hæc nondum possit intueri, negare tamen audeat, imò non etiam profiteatur, omnia quæ sunt, id est, quæcumque in suo genere propria quadam natura continentur, ut sint Deo authore esse procreata, eoque authore omnia quæ vivunt vivere; atque universalem rerum incolumitatem ordinemque ipsum, quo ea quæ mutantur, suos naturales cursus certo moderamine celebrant, summi Dei legibus contineri & gubernari? Quo constituto atque concesso, quis audeat dicere, Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si rectè dici & credi non potest, restat, ut omnia ratione sint condita; nec eadem ratione homo quâ equus; hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituebat. Nam hoc opinari sacrilegum est. Quod hæ rerum omnium creandarum creatarumque rationes in mente divina continentur, neque in divina mente quidquam nisi æternum atque incommutabile potest esse: atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato, non solum sunt ideæ; sed ipsæ verè sunt, quia æternæ sunt, & ejusmodi, atque incommutabiles manent, quarum participatione fit, ut sit quidquid est, quoquo modo est.* (L. 83. qq. q. 46.) Ita ille probat ideas esse, & in mente divina esse, ideoque æternas & immutabiles esse, earumque participatione simul & assimilatione esse quæcumque sunt.

II. Probat secundò id ipsum ibidem Philo ex Scripturis, nimirum ex Genesi, ubi virgultum agri dicitur factum esse, antequam oriretur; & herba, antequam germinaret; idque eodem die quo factum est cœlum & terra. (Cap. 2.) At id de sensibilibus vegetabilibus sentiri nequit; ea enim nonnisi tertio die, & quidem super terram germinarunt. Ergo de idealibus & intelligibilibus agitur, si Philonem audiamus: *An non manifestè incorporeas & intelligibiles ideas memorat, quibus tanquam annulis signatoriis exprimi res sensibiles contigit.* (L. de Mundi opif.) *Prius enim quàm terra virgultum proderet, ait in rerum natura virgultum fuisse: & priusquam in terra herba existeret, herbam fuisse invisibilem: subintelligendum autem est, quod & ante res alias singulas, quas sensus indicant, antiquiores effigies mensuræque quibus effigiantur, & metiuntur, jam fuerant.* Ita Philo.

Fœliciùs ut arbitror simpliciùsque idem colligit Augustinus, ex illis apud Joannem verbis: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Nam ligna, marmora, & alia id genus in naturis suis omni vitæ usu destituta, non possunt esse vita, nisi in mente opificis, & in idea sui, qua in ejus arte vivunt. *Quod factum est, in ipso vita erat. Quid est hoc? Facta est terra, sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita. Est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quædam, qua terra facta est. Hæc vita est. Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam. Si enim in arte arcam non haberet, non esset unde fabricando illam proferret. Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit, quæ videtur oculis. In arca invisibiliter est, in opere visibiliter erit. Ecce facta est in opere, nunquid destitit esse in arte? Et illa in opere facta est, & illa manet quæ in arte est. Nam potest illa arca putrescere, & iterum ex illa quæ arte est, alia fabricari. Attendite ergo arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere non est vita; arca in arte vita est; quia vivit anima artificis ubi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo quia sapientia Dei per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuò vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides? Est & in arte terra. Cœlum vides? Est & in arte cœlum. Sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.* (Tract. 1. In Evang. Joan.) Ita sanctus Pater accommodatè ad aures vulgi imperiti declarat omnia etiam inanima vivere in Deo, antequam fiant, quando sunt, & postquam esse desierunt, per sui artem & ideam in mente summi opificis. Plura infrà ex Scripturis.

III. Probat tertiò Philo ideas esse in mente & verbo Dei, ex illis quæ inde emicant luminibus, delabunturque ad pinguissimas usque hominum mentes, ut nec scelestissimi ferè hujus tanti beneficii expertes omnino sint. Sic enim ille libro de Gigantibus: *Non permanebit Spiritus meus in homine. Manet interdum, sed non permanet apud nostrum plerosque. Quis enim est adeo rationis expers aut animæ, ut nulla unquam de optimo illo maximoque cum volentem nolentemve subierit cogitatio? Imò vel scelestissimis obversatur nonnunquam repentina honestatis imaginatio: quam tamen apprehendere & apud se retinere nequeunt. Statim enim discedit emigratque è tali domicilio, non ferens jus & fas inde profligatum esse; quales nunquam accedit, nisi ut coarguat eos honestis turpia prætulisse.* Ita Philo etiam impiissimos homi-

homines saltem raptim quibusdam Dei sollicitari illustrationibus censet, quando nempe honestatis species menti occursat, ex eaque quid honestum sit judicant, & illud turpi longè præferunt judicando, etsi aliud vivendo sectentur.

Augustinus locis penè innumeris hoc argumentum urget, ut ex antedictis liquet. Unum hìc addam quod huic Philonis testimonio apprime concinit: ideoque nec iterasse pœnitebit, sicubi suprà relatum jam fuerit. *Hinc est quòd etiam impii cogitant æternitatem, & multa rectè reprehendunt, rectèque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus vident quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cùm proculdubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has verò regulas immutabiles videat, quisquis in eis & hoc videre potuerit; nec in habitu suæ mentis, cùm illæ regulæ sint justitiæ, mentes verò eorum constet esse injustas. Ubinam sunt istæ regulæ scriptæ, ubi quid sit justum & injustus agnoscit? ubi cernit habendum esse, quod ipse non habet? Ubi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius quæ Veritas dicitur? unde lex omnis justa describitur, & in cor hominis qui operatur justitiam, non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur; sicut imago ex annulo & in ceram transit, & annulum non relinquit. Qui verò non operatur, & tamen videt quid sit, ipse est qui ab illa luce avertitur, à qua tamen tangitur. Qui autem nec videt quemadmodum sit vivendum, excusabiliùs quidem peccat, quia non est transgressor incognitæ legis. Sed etiam ipse splendore aliquoties ubique præsentis veritatis attingitur, quando admonitus confitetur.* Sic sanctus Pater tres videtur classes hominum facere; piorum qui regulas incommutabiles sanctitatis & justitiæ vident in suo sursum cœlesti sacrario, & iis ita velut sigillis quibusdam imprimuntur, sicut annulo in ceram transfertur quælibet imago, non *migrando*, *sed tanquam imprimendo*. Item impiorum, quibus lux illa veritatis & justitiæ allabitur, non illabitur; attingit illos, non altiùs penetrat: vident regulas justitiæ, judicant secundùm eas rectè de justis & injustis, sed vita moribusque à regulis illis deviant. Denique brutorum & excæcatorum, qui ne vident quidem regulas illas justitiæ, ideoque nec prævaricatores dici possunt legis quam ignorant: sed nec illos omnino præterit illa lux legis æternæ, ea etiam ipsi quandoque attinguntur. Ecquis enim hominum ita prorsus obrutuit, ut nulla prorsus in re honestum à turpi, justum ab injusto discernat, præsertim si copia non desit prudentis & opportuni monitoris?

[De Trinit. L.14.c.15.]

IV. Non semel & alibi Augustinus eidem de ideis divinis doctrinæ suffragatus est: *Si Deus, quod assiduè commemorat Plato, sicut universi mundi, ita cunctorum animalium species æterna intelligentia continebat, quomodo non ipse cuncta condebat? An aliquorum artifex esse nollet, quorum efficiendorum artem ineffabilis & ineffabiliter laudabilis mens haberet?* Ubi ille Platoni non indulget, sed repugnat, suisque eum telis impetit, dum probat humana etiam corpora à Deo, non ab Angelis condita, cùm ex ipso Platonis dogmate ideæ omnium animalium, proindeque & ipsorum corporum sint in mente divina, nec sint ideæ nisi in mente opificis. Et rursus idem: *Nec Plato quidem in hoc erravit, quia esse mundum intelligibilem dixit, si non vocabulum, quod Ecclesiastica consuetudini in re illa non usitatum est, sed ipsam rem velimus attendere: Mundum quippe ille intelligibilem nuncupavit, ipsam rationem sempiternam atque incommutabilem, qua fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur ut dicat, irrationabiliter Deum fecisse quod fecit, aut cum faceret, & antequam faceret, nescisse quid faceret, si apud eum ratio faciendi non erat. Si verò erat, sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum.* Ita Augustinus in ultima illa sua spongia, qua cùm suas abstergeret, alienis non pepercisset maculis, & in eo potissimùm capite non pepercisset, quo in Platonicorum laudibus nimium se aliquando fuisse dolet. Porro quod hìc Augustinus monet vocem illam intelligibilis mundi necdum sua ætate usitatam fuisse Ecclesiasticæ consuetudini, non inde nos quisquam insimulare debet, qui eas voces nonnunquam usurpaverimus. Multa enim vocabula olim nova & inusitata mollivit usus. Nec abstinere nos potuimus iis verbis, cùm Platonicæ scholæ placita tam crebrò & tam prolixè ad trutinam sanctorum Patrum expenderemus.

[Civ. D. l.12 c. 26.] [Retract. L. 1.c.3.]

V. Reliquos dimitto astipulatores superiùs jam ferè laudatos, unum hìc addo Boethium, qui sine piaculo omitti non poterat:

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, simili que in imagine formans,
Perfectasque jubens perfectum absolvere partes.

[Conso. Phil. L.3.Metr.9.]

VI. Tametsi autem liquidum jam sit ex superioribus quid sint ideæ, non abs re tamen erit aliquas hìc earum sive definitiones, sive descriptiones attexere. Tertullianus ita illas ex mente Platonis describit, tametsi sugillantis animo: *Vult Plato esse quasdam substantias invisibiles, incorporales, supermundiales, divinas & æternas, quas appellat ideas, id est, formas exemplares & causas naturalium istorum manifestorum, & subjacentium corporalibus sensibus. Et illas quidem esse veritates, hæc autem imagines earum.* Augustinus verò in hunc modum eas diffinit: *Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles & incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur. Et cùm ipsæ neque oriantur, neque intereant, secundùm eas tamen formari dicitur omne quod oriri vel interire potest, & omne quod oritur & interit.* Denique Dionysius his illas coloribus expingit: *Exemplaria dicimus esse notiones in Deo substantificas rerum & unitè præexistentes, quas divinus sermo vocat prædefinitiones, & divinas atque bonas voluntates, rerum definitrices & effectrices, secundùm quas, qui est supra substantiam, omnia quæ sunt prædefinivit ac produxit.*

[L. de anima] [L.83.q.46] [De divin. Nom.c.5.]

VII. Qua in triplici definitione nonnulla animadverti par est. 1. Ideas esse non rationes qualescumque, sed substantiales; non intellectiones tantùm Dei, sed substantias formasque rerum per se subsistentes. Neque enim ut inter homines usuvenit, veriorem esse domum quæ foris structa est, quàm quæ in mente artificis velut prælusa fuit, ita in divinis ideis res se habet. Imò ideæ sunt ipsæ rerum substantiæ, ipsæ formæ principales, ipsæ veritates; & quæ inde extra formantur, sunt tantùm umbræ substantiarum, formarumque verarum simulacra verisimilia. 2. Ideas non esse meras intellectiones mentis divinæ, sed esse etiam definitiones voluntatis ejus. Nam etsi latiùs fundi exporrigique possit ideæ nomen, propriè tamen idea non dicitur, nec formatur in mente artificis, nisi rerum earum quas condere penes se constituit. 3. Ideas non esse tantùm rerum species definitrices, sed effectrices causas. Quandoquidem enim includunt voluntatem divinam, nil mirum si & efficientiam important. Sunt enim vires quædam quasi seminales, rerum omnium procreationem parturientes. 4. Esse ideas rationes rerum & species, seu formas, sed supremas infimarum, immutabiles mutabilium, immortales mortalium, temporalium æternas, spiritales corporalium, viventes etiam inanimarum. Ut hinc magis liqueat veritatem maximè in ideis esse, in effectis similitudinem veritatis, & quidem similitudinem valde dissimilem & decoloratam. Nam qualis demum & quantilla similitudo esse potest inter mutabile & immutabile,

tabile, temporale & æternum, corporeum & spiritale, &c. 5. Denique ideas esse, ut ait Dionysius, non divisas, multiplices & dissipatas, sed unitè præexistentes, & sola ratione distinctas. Verè enim unica rerum omnium idea, unicum exemplar est Verbum Dei.

VIII. Id jam ex Augustino satis superque probatum est, ideam universalem & formam principem rerum & naturarum omnium esse Verbum Dei. Paucis id superest ut muniamus aliorum Patrum suffragiis. Chorum ducet Ambrosius: *In uno* In Psal. 118. Oct. 14 *Verbo multa sunt, & in multis unum. Non est difficile doceri, cùm dixerit Apostolus, Quia ipse est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, in quo creata sunt omnia in cœlis & in terra. Unum est igitur Verbum, quod operatur in singulis, & cum in singulis operatur, operatur omnia in omnibus. Hoc Verbum unicum apud Patrem se diffudit in plurima, quia de plenitudine ejus omnes accepimus. Itaque si videas singula omnium quæ creata sunt in ipso, videbis in singulis unum Verbum esse omnium, cujus pro captu nostro participes sumus.*

Anselmus in Verbo docet esse non rerum similitudinem, sed veritatem & veram essentiam, cujus res ipsæ subobscuræ tantùm sint similitudines. Monol. c. 29 30. *Satis manifestum est in Verbo per quod facta sunt omnia, non esse eorum similitudinem, sed veram simplicemque essentiam. In factis vero non esse simplicem absolutamque essentiam, sed vera illius essentiæ vix aliquam imitationem.* Cùm verò compertum nobis usu nostro sit, non formari seu Verbum sive ideam rerum, nisi earum quas parturimus, decrevimusque in ortum efferre: quærit Anselmus, an ergo si nullas Deo collibuisset suo ex sinu effundere creaturas, Verbum seu exemplar nullum esset: & respondet, tametsi nihil unquam rerum creatarum prodiisset ex omnipotentiæ divinæ sinu, non potuisse tamen Deum non intelligere & contemplari seipsum, atque ita suum sibi Verbum gignere. *Ergo summus ille Spiritus sicut est eternus, ita æternè sui memor est, & intelligit se ad similitudinem mentis rationalis; imò non ad illius similitudinem, sed ille principaliter, & mens rationalis ad ejus similitudinem. At si æternè se intelligit, æternè se dicit. Si æternè se dicit, æternum est Verbum ejus apud ipsum.* Addit idem esse Verbum, quo & se & naturas creatas dicit Deus: unus enim Deus, unum Verbum; sed seipsum dicit necessariò, creaturas ex liberæ voluntatis suæ decreto. Si autem nullas condere creaturas statuisset Deus, an earum nihilo seciùs ut possibilium idea & exemplar dici deberet Verbum, de vocibus magis, quàm de re controversia est: & ubi de re convenit, supervacaneum est de verbis litigare. Convenit enim omnibus, eo posito ut nullæ creaturæ crearentur extra Deum, creabiles tamen illas fore, vel fore potiùs divinam omnipotentiam illis creandis æquè idoneam; & rationes earum formasque apud Deum fuisse & fore æternas, quæ ipsissimæ sunt Deitatis ineffabiles dotes, quæ possunt utcumque à creaturis participari; & denique non dici propriè ideam nisi exemplar rei conditæ vel condendæ, quia ita hominibus visum est usum hujus vocis præscribere, & hos ei limites adsignare.

IX. Clemens Alexandrinus suo more externam Philosophiam peregrinitatis veste exuens, & quasi civitate Dei donans, consocians que nostræ Theologiæ, quà fas est, sic de ideis omnibus in Verbo Deo complicatis tradit: Strom. l. 5. pag. 431. *Unum quidem mundum novit barbara Philosophia, qui percipitur intelligentia, alterum vero sensibilem: illum quidem archetypum, hunc vero imaginem ejus qui exemplar dicitur; & illum quidem attribuit unitati, ut qui percipiatur intelligentia; hunc verò nempè sensibilem senario. Conjugium enim apud Pythagoreos vocatur senarius, ut qui sit genitalis numerus, &c. Dei imago est Verbum divinum & regium, homo impatibilis: imago autem imaginis mens humana.* Quòd Verbum imago Dei sit, quòd homo ad imaginem Dei factus sit, adeoque imago imaginis seu Verbi sit, in aperto res est. At cur Verbum dicatur homo impatibilis à Clemente, non statim forsan omnibus dilucet. Et tamen hoc ex illis nectitur. Nam si homo imago est Verbi, & Verbum exemplar hominis, quodam ergo modo potest dici Verbum homo impatibilis, hoc est, exemplar incommutabile naturæ rationalis mutabilis.

Origenes verò ita differit de omnium ideis in Verbo, qui mundus intelligibilis est, multò locupletior, & magis variegatus quàm sensibilis. *An juxta aliquam significationem possit Primogenitus omnis creaturæ esse mundus, & præsertim in quantum est sapientia multiformis. Eo enim quod* In Evang. Joan. p. 215 *sint in sapientia omnes rei cujuscumque rationes, juxta quas facta sunt omnia quæ facta fuere à Deo, ut inquit Propheta, Omnia in sapientia fecisti: in ipso etiam mundus fuerit tantò picturatior, ornatior atque etiam præstantior mundo sensibili, quanto ratio mundi nuda ab omni materia præstat huic mundo materiato, &c.* Sed multò præclariùs idem Origenes, si tamen author illæ est homiliæ secundæ in diversos: *Quid est, Omnia per ipsum facta sunt, nisi eo nascente ante omnia ex Patre, omnia cum ipso & per ipsum omnia facta sunt? Nam ipsius ex Patre generatio ipsa est causarum omnium conditio, omniumque quæ ex causis in genera & species procedunt, operatio & effectus. Per generationem quippe Verbi ex Deo, principio facta sunt omnia. Audi divinum & ineffabile paradoxum, irreferabile secretum, invisibile profundum, incomprehensibile mysterium. Per non factum, sed genitum, omnia facta, sed non genita, Principium ex quo omnia Pater est; principium per quod omnia Filius est, Patre loquente Verbum suum, hoc est, Patre gignente sapientiam suam, omnia fiunt.*

X. Athanasius certè huc trahere videtur nomen Primogeniti, quo Deus Verbum quandoque in sacris litteris insignitur. Id verò ait non eò attinere, ut in classem creaturarum dejiciatur, & quasi in ordinem redigatur Verbum; sed quod cum per illud naturæ creatæ condantur, suo seipsum beneficio contemperet, admoderetur que illis paternæ majestatis ac divinitatis splendores alioqui intolerabiles. *Omnibus liquet illum non propter se, quasi & ipse creatum quiddam esset; neque quia cognatam essentiam affinemque habebat cum rebus creatis, nomine Primogeniti* Orat. 1. Cont. Arian. *vocatum esse; sed quia cum primum conderet creaturas, attemperavit se & dimisit ad earum rationem: ut illæ ad essentiam pervenire possent; quæ alioqui non tulissent ejus naturam, indilutum illum scilicet & patrium spendorem: nisi pro Patris sui in homines amore accommodans sese, eas arripuisset, & ad existendi facultatem pertraxisset.* Animadversum id supra est ex Augustino, divinas ideas rerum creatarum species & formas esse, non congeneres, sed longè præcellentissimas & natura sua incomprehensibiles; quas adeo necesse est ut naturis communicentur creatis & imprimantur, infringere vim suam, seque dejicere, & accommodare ad earum modum & patientiam. Monuit nos Augustinus, esse apud Deum pondus sine pondere, numerum sine numero, mensuram sine mensura; & inde tamen proficisci familiaria nobis pondera, & mensuras, & numeros. Ne intelligi quidem possunt, nedum participari illa exemplaria, sine multa sui attemperatione ad creaturæ mediocritatem.

Illuc quoque refertur, eodem Athanasio locupletissimo interprete, quod sapientia ipsa in Scripturis creatam se testatur in initium viarum Dei. Nec enim verè creatur creatrix sapientia: sed cum ita frangit se, & demittit ac attemperat creaturis, qua-

quarum idea & forma effectrix est, tunc illis miro & ineffabili quodam se modo permiscens, creari se dicit, cum illæ creantur. *Cæterum ut res non solum conditæ essent, sed ut bene conditæ essent placuit Deo, ut sua ipsius sapientia se creaturis accommodaret, quo formula aliqua speciesque saltem imaginis suæ omnibus rebus tum publicè, tum privatim inseri posset; ut illæ eo modo scitæ sapientesque effectæ, dignæ videri possent, quæ opera Dei censerentur. Ut enim Verbi, seu rationis Dei nostra ratio simulacrum existimandum est: ita quoque ejus sapientiæ nostra hæc sapientia imago quadam existimari debet. Quia igitur istiusmodi sapientia & in nobis, & in omnibus operibus inserta est: non injuria ea quæ vera est sapientia & architecta rerum, quæ ad ideam suam congruunt sibi ipsi inter loquendum imputans, hunc verborum modum concepit, Dominus creavit me in operibus. Quæ enim nostra sapientia loqueretur, ea Dominus tanquam propria sibi suis verbis usurpat. Non enim creatur creatrix, sed propter imaginem sui rebus creatis ingenitam, ipsa se creari dicit.* Nec absurdè sanè diceretur idea domus tunc fabricari, cum fabricatur domus. Quodam enim modo tunc exteriori domo induitur & procreatur domus illa interior in Architecti animo, quam vocamus ideam.

λόγος.

XI. Idem Synesius cecinit hymno sexto, Filium alloquens: *Tibi parto Pater annuit ut parias: Tu abditum es Patris semen: Te enim originem Pater dedit mundis; ut deduceres corporibus formas ex intellectualibus*, κατάγειν ἐκ νοερῶν σώματι μορφάς. Porro cum intellectuales illas idearum formas corporibus vestivit creatrix sapientia, seipsam quodammodo illis vestivit, & ex invisibili, visibilis aliquo pacto ipsa facta est; cum formæ illæ intelligibiles non aliud ab ipsa sint.

XII. Quibus ita perspectis, jam minimè mirum est, tantum poni in idearum divinarum notitia & contemplatione, ut eo veluti cardine vertatur non sæcularis tantùm Philosophia, sed & sapientia tota humana, & Christiana ipsa Theologia, si Augustinum audiamus. Sic enim ille diffinit, potuisse quidem Platonem, vel quemvis alium authorem esse & inventorem nominis idearum: at rem ipsam, & rei ipsius notitiam ac prædicationem longè antiquiorem, longè universaliorem esse: quod nulla in gente, nullo tempore sapiens quisquam homo esse potuerit, qui non in idearum contemplationem ingenium, studiumque suum vel omne, vel plurimum contulerit. Ecqua enim sapientia erit, quæ originis suæ ignara sit, quæ ad suum fontem, ad summam sapientiam non respectet? Ecqua sapientia, quæ corporeis & sensibilibus immersa sit, nec ad cœlestem lucem emergat unquam? Ecqua sapientia, quæ temporalibus & mutabilibus ita affixa sit, ut ad æterna & immutabilia non assurgat? Ecqua sapientia erit, quæ obvia tantùm & sensibus corporeis obversantia amplexetur, altissimas autem & cardinales horum in Deo omnium authore causas ne attingat quidem. Audiendus jam Augustinus: *Ideas Plato primus appellasse perhibetur: non tamen si hoc nomen, antequam ipse institueret, non erat, ideo vel res ipsæ non erant, quas ideas vocavit, vel à nullo erant intellectæ; sed alio fortasse atque alio nomine ab aliis atque aliis nuncupatæ sunt. Licet enim cuique rei incognitæ, quæ nullum habeat usitatum nomen, quodlibet nomen imponere. Nam non est verisimile sapientes aut nullos fuisse ante Platonem; aut istas quas Plato ideas vocat, quæcumque res sint, non intellexisse. Siquidem in eis tanta vis constituitur, ut nisi iis intellectis sapiens esse nemo possit. Credibile est etiam præter Græciam fuisse in aliis Gentilibus sapientes; quod etiam Plato ipse non solum peregrinando sapientiæ perficiendæ gratia satis testatus est, sed etiam in libris suis commemorat. Hos ergo si qui fuerunt, non existimandum est ideas ignorasse, quamvis alio fortasse eas nomine vocaverint.*

L.83.q.q.46.

Et rursus idem Augustinus in Retractationibus & si doleat quandoque à se usurpatum mundi intelligibilis nomen, quod tunc quidem alienum adhuc erat ab Ecclesiastica consuetudine: rem ipsam tamen valde approbat, in eaque versari innuit non Platonicam tantùm, sed quamcumque veram sanamque Philosophiam. Est enim Philosopia amor sapientiæ. At quæ amanda quæso sapientia est, nisi illa una quæ in divinarum altissimarumque causarum contemplationem tota incumbit? *Nec Plato quidem in hoc erravit, quia esse mundum intelligibilem dixit; si non vocabulum, quod Ecclesiasticæ consuetudini in re illa non usitatum est, sed ipsam rem velimus attendere. Mundum quippe ille intelligibilem nuncupavit rationem ipsam sempiternam atque incommutabilem qua fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur ut dicat irrationabiliter Deum fecisse, quod fecit: aut cum faceret, vel antequam faceret, nescisse quid faceret, si apud eum non erat ratio faciendi. Si vero erat, sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum.* Et in libro primo de Ordine, quem hìc retractabat: *Philosophia latinè amor sapientiæ dicitur. Unde etiam divinæ Scripturæ non omnino Philosophos, sed Philosophos hujus mundi evitandos atque irridendos esse præcipiunt. Esse autem alium mundum ab istis remotissimum, quem paucorum sanorum intellectus intuetur, satis Christus significat, &c.* Denique prolixè & variis locis supra probatum est, ea tantùm sciri, ea intelligi, quæ intus quisque conspicit oculo mentis in luce summæ & præsentissimæ veritatis, quæ idearum regio & sedes est. Unde idem Augustinus: *Cum vero de iis agitur quæ mente conspicimus, id est, intellectu atque ratione, ea quidem loquimur, quæ præsentia contuemur in illa interiore luce veritatis, qua ipse qui dicitur homo interior, illustratur & fruitur.*

Retract. L. 1 c. 3.

L. 1. de Ordi. c. ult.

De Immor. ani. c. 12.

XIII. Paris erit ut spero & utilitatis & voluptatis, Dionysium vulgo Areopagitam dictum, & interpretem ejus Maximum Martyrem audire præstantissimè hæc edisserentes. Distinguunt illi mentem à ratione, sapientiam à prudentia. Mens ea est, quæ æterna, immutabilia, divina contemplatur; ratio ea est quæ res temporales considerat & administrat. Mentis est rationem regere, ut ex æternis & immutabilibus regulis veritatis temporalia omnia dispensentur. Rationis est menti obaudire & obsequi. Sapientia virtus est mentis munere suo probè fungentis, prudentia virtus est rationis partes suas implentis. Ita prudentia in rebus administrandis sequax & pedissequa esse debet sapientiæ, æternarum rationum & legum contemplatricis. Ex hoc autem nemo non videt, id nimirum colligi, quod sapiens, quod Philosophus verus, quod Theologus esse non possit quisquam, nisi idem ipse sit & divinarum rationum, æternarumque veritatis legum & idearum mente contemplator, ratione imitator & executor. En verba Maximi Dionysium interpretantis: *Intelligentis esse dixit & contemplantem, & agentem facultatem. Et contemplantem quidem dixit appellari mentem, agentem vero rationem. Mentem dici sapientiam, quando motus qui à Deo feruntur, omnino sibi ipsis immutabiles conservaverit; similiter rationem vocari prudentiam, quando animalem facultatem ope rationibus menti conjunxerit.* Et paulò pòst: *Mens quidem quam sapientiam vocari diximus, per contemplativum habitum ex arcano silentio & cognitione simplex effecta, ad veritatem per cognitionem quæ oblivioni dari non potest, nec unquam desinit, ducitur. Ratio autem quam vocavimus prudentiam, activo habitu, corporaliter ex virtute in bonum per fidem desinit. Ex quibus utrisque vera divinarum & humanarum rerum constat scientia, quæ est verè cognitio, quæ minimè falli potest, & totius divinissimæ Christianorum Philosophia finis*

De Eccles. Mystag. c. 5. Bibl. Patr. To. 12. pag. 418. & seqq.

finis, καὶ πάσης κατὰ Χριστιανοὺς θειοτάτης φιλοσοφίας πέρας. Et infrà: *Deus est veritas, circa quem mens, quæ nunquam desinens & nulla oblivione movetur, nunquam potest à motu desinere*.

XIV. Duo hìc Maximus obiter suggerit, quæ illustrari forsan desiderent. Alterum est mentem irrequieto mote circa veritatem agitari. Quo nihil indubitatius est, si jacta superiùs fundamenta constent. Nam non potest mens non veris semper vel vestigandis vel considerandis vacare; at vera illi non alia, quàm vel summæ veritatis vestigia & sublustria quædam simulacra, vel summam ipsam veritatem. Mens ergo quandiu movetur, circa verum movetur, quod probè gnara est vel incommutabile verum esse, vel incommutabilis veri imitamentum. Alterum verò est, quod quæ mens in veritatis luce intellexit, ea nulla unquam oblivione deleantur. Id quoque ex antedictis constat. Est enim eorum veritas menti semper allucens, & præsentissima, & intima. Eorum autem quæ hujusmodi sunt, nulla est oblivio, nulla recordatio. Temporalium enim & absentium & præteritorum oblivio est, vel recordatio, non autem æternorum & præsentium, & jugiter illucescentium. Potest mens ad lumen semper præsens non advertere, oblivisci non potest. Potest quis non cogitare, non advertere quòd ex binario ternarioque gignatur quinarius, quòd idem non possit simul esse & non esse, quòd nemo in alium committere debeat quæ in se committi nolit: at hæc oblivisci non potest.

XV. Denique ibidem Maximus concludit, eo tandem evadere mentem, seu mentis sapientiam, ut etiam rationem & operationem omnem suam à dispersione & multitudine colligat, revocetque ad unitatem quandam secum ineffabilem, hoc est, in contemplationem & charitatem unitatis & veritatis simplicissimæ, rationes & ideas omnium continentis, non divisim & multifariam, sed simplicissimè, velut in summæ unitatis apice. *Qui adhæret Domino, est unus spiritus. Ita ergo uniformem animam effectam, & in se & in Deo coactam, non erit amplius ratio, quæ eam in multa per cogitationem dividat, ut quæ caput habet coronatum una & sola ratione, seu Verbo Deo; in quo per unam quæ comprehendi non potest unitatem, omnes eorum quæ sunt rationes uniformiter, & sunt & subsistunt, utpote earum quæ sunt & opifice & effectore. In quem fixis oculis respiciens, cum extra eam non sit, sed totus in tota, simplici applicatione, sciet ipsa quoque eorum quæ sunt rationes & causas; per quas fortè priusquam esset desponsata Verbo & Deo, via & ratione divisionis inducebatur*. (ibidem.)

XVI. Quæ omnia Dionysii & Maximi decreta usque adeo consentanea sunt Augustino, ut ex eo deprompta esse videri possent. Ita enim Augustinus hominem compaginat ex mente & ratione, ut mens quidem quasi vir æternis rationibus legibusque vacet, ratio tanquam fæmina administret res temporales, ex præscripto viri seu mentis, hoc est, ex legibus sempiternæ veritatis. *Sublimioris rationis est judicare de istis corporalibus secundùm rationes incorporales & sempiternas, quæ nisi supra mentem non essent, incommutabiles profectò non essent; atque his nisi subjungeretur aliquid nostrum, non secundum eas possemus judicare de corporalibus. Judicamus autem de corporalibus ex ratione dimensionum atque figurarum, quæ incommutabiliter manere mens novit. Illud verò nostrum quod in actione corporalium atque temporalium tractandorum ita versatur, ut non sit nobis commune cum pecore, rationale quidem est, sed ex illa rationali mentis nostræ substantia, qua subhæremus intelligibili atque incommutabili veritati, tanquam ductum, & inferioribus tractandis gubernandisque deputatum est. Sicut enim in omnibus pecoribus non inventum viro adjutorium simile illi, nisi detractum de illo in conjugium formaretur; ita menti nostræ qua supernam & internam consulimus veritatem, nullum est ad usum rerum corporalium, quantum naturæ hominis satis est, simile adjutorium ex animæ partibus, quas cum pecoribus communes habemus. Et ideo quiddam rationale nostrum, non ad unitatis divortium separatum, sed in auxilium societatis quasi derivatum, in sui operis dispartitur officium*, &c. (De Trinit. l.12. c.2,3.) *Ut quemadmodum de illis dictum est, Erunt duo in carne una: sic de his dici possit, Deus in mente una*. Ut ergo Eva ex Adæ corpore decerpta est, eidemque mox in conjugium & adjutorium copulata, pro rerum familiæque administratione: ita menti quasi portio quædam mentis ratio conjugatur, temporalium & sensibilium rerum dispensatrix, dum mens earundem dispensandarum & supernè in libro veritatis leges contemplatur, & hic subjunctæ sibi rationi dictat. Hæc porro tota est sapientia hominum, hæc Religio, hæc Philosophia, hæc Theologia.

XVII. Statueram ex Philone aliquammulta decerpere, ubi ille totum fermè instrumentum vetus ad allegorias istiusmodi transfert, quibus æterna intelligibilisque veritas declaretur. Sed deterruit me hujus jam capitis & totius de ideis tractationis prolixitas. Genus igitur ipsum indicasse contentus, unum adscribam eximium Philonis locum, quem elucidare nihil opus est, cùm sua ipse se luce signet. Sic ergo ille libro de Gigantibus: *Nullam Scriptura de Gigantibus affert fabulam, sed illud te docere vult, alios esse terræ, alios cœli, alios Dei homines. Terræ quidem, eos qui venantur voluptates corporis, & harum usum fructum. Cœli autem, eos qui tenent artes ac scientias, aut eas sectantur. Quod enim nostri cœleste est, mens est, quod & motus cœli considerat, & in reliquis exercet se artibus liberalibus, acumen intelligendis hujusmodi rebus sibi comparans. Dei vero homines Sacerdotes & Prophetæ sunt, quorum major est dignitas, quàm ut se misceant humanæ Reipublicæ, & mundi cives sint; sed sublimiores rebus omnibus sensibilibus, migrarunt in mundum intelligibilem, ibi sortiti domicilium, adscripti Reipublicæ incorporearum & intelligibilium idearum*. Quæ pulcra omnino sunt, & pulcriora mihi quidem viderentur, si duas has extremas classes minùs sejunxisset Philo; propterea quod nec Sacerdotes possint & scientiarum artiumque liberalium studiis non aliquantulum vacare: & scientiarum artiumque cultores non possint non aliqua summæ veritatis luce subinde conspergi, ut ex supradictis liquet.

XVIII. Unum est quod præterire nefas duxerim; nimirum & Philonem & Augustinum & alios laborasse nonnunquam, nec infœliciter eis cessisse, ut corporalia spiritaliaque ad eandem in Deo ideam, ad idem exemplar pertinere demonstrent. Non parum inde emolumenti accesserit, ut & illud intelligatur utcumque, quantum ipsa divina exemplaria emineant supra omnes naturas creatas, quarum exemplaria sunt. Philo quidem in omnibus propemodum libris multus est in ea re, ut numerorum figurarumque proprietates aptet moribus mentibusque naturarum rationalium & intellectualium. Cætera missa facio, id unum observo, quod Philo libro de Creatione Principis ad calcem, Æqualitatem à cœlo ad terras, à civitatibus ad singulos homines, à naturis omnibus ad mores usque pertinere ostendit, omnia continere & moderari; nec in his omnibus peccari, nisi ex inæqualitate: ex quo perspicuum fit supernam esse aliquam & exemplarem æqualitatis legem, quam infima summaque omnia imitentur, suo unumquodque more & ingenio, terrena terrenè, superna supernè, naturalia naturaliter, moralia moraliter, corporalia corporaliter, intellectualia intellectualiter, figuræ umbratiliter, virtutes spiritaliter: cùm lex ipsa & idea æqualitatis à fine usque

ad finem pertingens, super hæc omnia sit, nihil horum omnium sit; æqualitate virtutum & mentium incomparabiliter superior, quàm ipsa mentium & virtutum æqualitas superior sit æqualitate figurarum & corporum. *Eadem æqualitas à cœlestibus extendit se ad terrestria, pro suo vigore nativo, cùm sit ætherea natura, & illic propinquo cuncta disponens sublimia & deorsum more Solis mittens secundos radios. Quidquid enim apud nos peccat, est inæqualitas; quidquid non decedit ab officio, æqualitatis opus est; quam in rerum universitate propriè mundum dicere licet; in civitatibus optimam & maximè legitimam Reipublicæ speciem democratiam, sive popularem administrationem, in corporibus sanitatem, virtutem in animis. Nam è diverso inæqualitas morborum & vitiorum causa est.*

XIX. Nec dissentit à sententia Philonis Augustinus; cùm & ipse à figurarum legibus ad leges virtutum sæpè assurgat, eoque insinuet regnare supernè legem aliquam consonantiæ & æqualitatis, quæ gradatim in inferiora, & in hæc usque ima descendat, vimque suam primò intellectualibus naturis, deinde corporalibus imprimat, atque ita hanc inter has & illas consensionem conciliet. Unum proferam ex eo locum, ubi circuli æqualitatem & rotunditatem, æqualitati atque integritati virtutis ita componit: *Nunc attende utrum tibi videatur virtus esse quædam æqualitas vitæ, rationi undique consentientis. Nam si aliud ab alio discrepet, magis ni fallor offendimur, quàm si aliqua pars circuli majore minoreve intervallo quàm aliæ partes distet à puncto. Certè etiam illud vides, similiorem esse virtuti circulum, quam figurarum planarum aliam quamlibet. Hinc est enim quod apud Horatium magis laudibus solemus extollere illum versum, quo ait, cum de sapientie ageret, Fortis & in seipso totus teres, atque rotundus. Et rectè. Nam neque in animi bonis quidquam invenis, quod magis sibi ex omni parte consentiat, quam virtutem, nec in planis figuris, quam circulum.* Sic ille justitiæ in Deo exemplaris leges vestigat, inscriptas non cœlo tantùm, sed pulveri; non intellectui tantùm, sed materiæ; non virtutibus tantùm, sed figuris & numeris; quasi quod Plotinus alicubi docet, idea divinæ justitiæ creaturis omnibus uti ceræ impressa, in aversam usque superficiem, id est, in materialia usque omnia lineas suas & colores etsi magis magisque fugientes impresserit: ita ut materialium non alia sit idea, quàm illa eadem, quæ spiritalibus insculpitur, sed debiliùs excepta.

L. de quantit. animæ. c. 9.

Ibid. c. 15.

CAPUT XIX.

De pulcro & pulcritudine quid Plato senserit, quid cæteri Platonici.

I. Summum exemplar, seu idea princeps, pulcritudo ipsa est.

II. Ex Platone, quæcumque pulcra sunt, radio aliquo à summa pulcritudine affuso, pulcra sunt.

III. Quæ justa pulcra: nec alia pulcritudo summa, quàm summa justitia & sapientia.

IV. Anima nostra memor pulcritudinis olim in paradiso visæ, ex ejus vestigiis hic impressis, recalescit in ejus amorem, & furore quodam corripitur.

V. A corporea pulcritudine ad intelligibilem promovendus gradus: sed multa cautione hic opus, & à corporeis celerrimè avolandum, ne iis animus irretiatur.

VI. Suadet Plato, ut vel Philosophi à sensibilium laqueis caveant, aufugiantque quamprimum in supernam pacis & veritatis patriam, inde non descensuri, nisi ad ejus imaginem in humana Republica effingendam.

VII. Ut contemplationis & amoris varios gradus struxerit Plato per ima pulcra ad summam pulcritudinem conscensuris.

VIII. In aliis extra Deum pulcris dormitat anima, opinatur, somniat.

IX. Plotinus imitator Platonis amatorem sensibilis harmoniæ ad intelligibilem sapientiæ & virtutum concentum traducit.

X. Idem amatorem corporeæ pulcritudinis ad amorem transfert incorporeæ pulcritudinis artium, scientiarum, virtutum.

XI. Idem denique alios amantes artium mathematicarum, per has ipsas evehit ad summæ unitatis & veritatis cubilia.

XII. Eadem rursum gradatio ex Plotino per inferiores pulcritudines ad eam summam pulcritudinem quæ turpari, minui, obscurari non potest, hoc est ad Verbum Dei.

XIII. Nec ima hæc pulcra, aut pulcra sunt, aut amabilia, nisi ob superfusum sibi summi pulcri splendorem: ut luce solis pulcrescunt corpora.

XIV. Rursus de eodem, ut à summo bono aspergantur radii, quibus & pulcra fiant, quæ pulcra sunt omnia; & ad ea amanda ac prosequenda inflammentur animi nostri.

XV. Summum bonum parens est summæ pulcritudinis, & ita quodammodo ipsius summæ pulcritudinis pulcritudo.

XVI. Ne nunc quidem imæ pulcritudines amori & admirationi nobis sunt, nisi propter earum exemplar divinum, ad quod mentes nostræ suspirant, in quod aliquando velut in pulcritudinis pelagus demergentur, & tunc ipsæ quoque fient pulcherrimæ.

XVII. Suffragatio Maximi Tyrii. Quàm insidiosus amor corporum.

XVIII. Ex eodem de pulcritudine divina; utque ab ea manent omnes aliæ gradatim venustates.

XIX. Procli sententia de prima pulcritudine, Verbo Deo, summi boni prole.

I. Summum illud exemplar, de quo hactenus tam multa disceptata sunt, ipsum esse pulcrum, ipsamque pulcritudinem, multis supra jam præfundatum est documentis. Vox enim ipsa ideæ, εἶδος id sonat. Idem sonat & vox Latina *forma*. Nec abludit vox à Cicerone aliisque, imo & ab Augustino usurpata, species. Denique Boethius supra relatus:

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulcrum pulcherrimus ipse.

Non ullus ergo opportunior occurret locus de divina pulcritudine disputandi. Nostro more primùm proferemus quid pulcri de pulcritudine Philosophia peregrina protulerit, deinde quid Theologi primævæ Ecclesiæ probaverint, quid de suo penu adjecerint.

II. Illud primò constituit Plato, quæcumque pulcra usquam sunt, summæ pulcritudinis affuso radio & participatione pulcra esse; sicut quæ justa, justitiæ: quæ sapiunt, sapientiæ alicujus summæ adsplendescentia & justa esse & sapere. *Nonne & pulcra omnia pulcro ipso sunt pulcra? Pulcra certè. Estne igitur ipsum pulcrum? Est proculdubio.* Perinde ac si quis argueret, esse alicubi necessariò fontem lucis inexhaustum, cum tam multa ubique luceant lumina, nec nisi luce luceant. In Hippia majore.

III. Illud secundò constituit, quæ pulcra, eadem & justa esse & bona; quæ mala & injusta sunt, eadem & turpia esse. Quid enim pulcrius justitia & bonitate? quid fœdius malitia & injustitia? *Utrum quispiam tibi aliquando visus est, turpia quidem facere, sed tamen justa? Mihi quidem nunquam. Omnia igitur justa etiam pulcra.* Serpit hoc latissimè, & hinc universim efficitur pulcritudinem non aliam magis investigandam, quàm mentis, justitiæ, bonitatis. In Alcib. 1.

IV. Il-

IV. Illud tertiò longè pulcherrimum idem constituit, quod anima rationalis memoria sibi refricata ejus summæ pulchritudinis, qua quondam in Deo fruebatur, per vestigia in his imis illustria ejusdem pulchritudinis, recalescit in ejus amorem, & quodam quasi furore corripitur, dum amoris æstu illuc evolare nititur, & sensuum præstigiis corporisque sarcina degravata prohibetur. Hinc fastidium temporalium excitatur, hinc flagrans æternorum cupiditas, hinc alienatio à turbis hominum, & fuga, & solitudinis deliciæ, hinc denique si humanis administrationibus inserere se cogat necessitas, studium omne in expingenda imagine aliqua supremi illius & ineffabilis pulchri in tota hac humana seu privatæ seu publicæ rei dispensatione. In Phædro. *Hæc est autem recordatio eorum, quæ vidit olim anima nostra cum Deo perfecta; & illa despiciens quæ nunc esse dicimus, & ad id quod verè est sursum reflexa. Quapropter sola Philosophi cogitatio meritò recuperat alas. Nam illis semper, quantum fieri potest, memoria inhæret, quibus Deus inhærens, divinus est. Ab humanis autem studiis segregatus, divinoque inhærens, capitur à multitudine, quasi extra se positus: sed ipse Deo plenus multitudinem latet. Tendit igitur huc totus sermo, qui est circa hunc furorem, quo quando quis visa hic pulchritudine aliqua, veræ illius reminiscens, alas recipit, receptisque evolare nititur. Cum verò id facere nequeat, tanquam avis superna suspiciens, & inferiora contemnens, crimen reportat, quasi furore correptus.* Subdit justitiæ, & fortitudinis rara hîc sensibus percipi vestigia: sapientiam oculis corporeis non videri, miros alioqui excitaturam sui amores: solam videri per sensus corporeos pulchritudinem; ideo ad ejus conspectum, insaniam nescio quam amoris excitari in anima, antiquam & primigeniam in divinis pulchritudinem reminiscente. *Justitiæ quidem & temperantiæ, & aliorum quæcumque in animis pretiosa sunt, splendorem nullum in his imaginibus cernimus, &c. Oculorum est in nobis sensus acerrimus, quibus sapientiam non cernimus. Quàm illa ardentes excitaret amores sui, si cerneretur? Eadem est de cæteris quæ sunt amabilia ratio. At verò pulchritudo sola hanc habuit sortem, ut maximè omnium & perspicua sit & amabilis.*

V. Duo hîc adduntur mox, quæ minùs probari debeant. Alterum est, quod ab amore corporum ad amorem gradatim intelligibilis pulchritudinis ascensum raptumque animæ fieri velint hi Philosophi; nec satis fortasse expavescant imminens discrimen, ne contemplatione curiosa & amore corporeæ pulchritudinis occupatus & devinctus semel animus, hinc expedire se & explicare alas jam non possit, ut ad supernas pulchritudines evolet. Alterum est, quod ea sortis diversitas fuisse dicitur inter justitiam, fortitudinem, & sapientiam ex una parte, & ex alia pulchritudinem; quod illæ in aspectum & in sensus corporeos non cadant, ideoque rariores habeant amatores; sola pulchritudo aspectabilis sit, ideoque tam multi passim in ejus amorem exardescant. At videtur mihi quidem castigatiùs & constantiùs dici potuisse, atque ad jacta superiùs fundamenta convenientiùs, non aliud esse aspectabilem pulchritudinem, quàm sensibilem speciem, imaginemque ejus intimæ pulchritudinis, consonantiæ, æqualitatis, qua animæ fiunt justæ, fortes, sapientes, irrigatione nimirum quadam ineffabilis illius summæ in Verbo Deo pulchritudinis, ubi non aliud est pulchrum esse, quàm justum, forte & sapiens esse; ex quo fit ut & Plato ipse antè dixerit quæ pulchra, eadem justa & bona esse; quæ justa & bona, eadem pulchra esse & dici debere. Sensibilibus ergo pulchris non diu hærendum, sed ne adglutinetur iis incautior animus, avolandum statim ab his est ad illam supernam justitiæ & sapientiæ pulchritudinem, cujus hæc vestigia sunt.

L. 6. de Rep. VI. Quæ nos hîc quoslibet è vulgo hominum, hæc Philosophos monuit Plato, ne in his imis moram vel tantillam traherent; sed ad id quod verè est, statim aufugerent, ibi intelligentiam, veritatem, pacem, quietem consecuturi; inde ad res hominum turbidas non descensuri, nisi [illegible]ors ad capessendum regimen, & imaginem summæ illius & incorruptibilis pulchritudinis in terrena civitate expingendam. *Dicemus hominem scientiæ cupidum ita natura institutum esse, ut ad id quod verè est, semper contendat, neque moras trahat in his singulis, &c. Cumque adhæserit seque miscuerit ei quod verè est, atque inde reverà intelligigentiam veritatemque genuerit, cognoscet utique verum, vereque vivet, atque aletur. Ex hoc denique partu molestia ejus omnis cessabit, prius verò nequaquam, &c. Num potest vulgus vel alio dicente admittere, vel ex se attingere ipsum per se pulchrum? Minimè. Philosophus ergo non potest esse vulgus.* Et aliquantis interjectis, *Neque viro illi, qui omnem mentis aciem ad ea quæ verè sunt direxit, otium superest, quo negotia hominum inferiora respiciat, cumque illis pugnans invidiam sibi & malevolentiam conflet. Sed ea quæ semper eundem servant ordinem contemplatur; quæ neque inferunt invicem, neque patiuntur injuriam: atque hæc imitatur, seque his simillimum reddit. Quare cum Philosophus divino atque decoro frequenter adhæreat, divinus ipse atque decorus, quoad homini possibile est, efficitur.* Ibid. Hæc enimverò genuina, hæc casta pulchritudo est, quæ à contubernio summi pulchri irradiatur. Quin & ea ipsa pulchritudo si fieri possit rebus ipsis publicis appingenda est. *Non aliter civitatem fore beatam, quàm si eam qui divino utantur exemplo, pictores forment, &c. Agentes hæc ad utraque frequenter respicient, ad illud scilicet quod natura justum, honestum & temperatum existit, cæteraque hujusmodi, atque iterum ad humana: & ad superioris illius exemplar humana disponent, &c.*

VII. Jam suprà commemoratum à nobis est, ut In Convivio. Plato à corporum pulchritudine ad animæ, inde ad officiorum legumque formositatem progressum fieri debere censeat, inde ad scientiarum pulchritudinem, & ita demum *in profundum pulchritudinis pelagus sese demergat, &c.* Quale autem sit istud pulchritudinis pelagus, sive ipsa per sese pulchritudo, ipsum pulchrum, sic ille ibidem mox describit: *Principio quidem semper est, nec fit, nec interit, nec crescit unquam, neque decrescit; præterea non hac ex parte pulchrum, ex illa turpe; vel tum pulchrum, tum minimè. Neque ad hoc quidem pulchrum, turpe verò ad illud, &c. Neque rursus imaginatione quadam ipsum pulchrum ita fingetur, quasi vultus pulcher, neque ut oratio quædam vel scientia. Neque in alio jacere putabitur, ut in animali, vel cœlo, vel alio quopiam; sed ipsum per seipsum cum semetipso uniforme semper existens. Cætera verò omnia quæ pulchra sunt, illius participatione pulchra.* Hæc porro non jejunæ, non sterilis tantùm contemplationis pulchri progressio est, sed amoris. *Hoc est profectò ad amatoria rectè pergere, vel ab alio duci, quando videlicet quis ab his pulchris gratia pulchri illius ascendere incipit, quasi quibusdam gradibus utens; atque ab uno primum in duo transiens, & à duobus in omnia quæ pulchra sunt corpora, ab his in omnia pulchra, à pulchris officiis ad doctrinas pulchras conversus, à doctrinis denique multis in illam doctrinam perveniens, quæ non alterius est, quàm illius ipsius pulchri doctrina, atque ita demum quid ipsum pulchrum sit contemplatur.* Ex illius denique summi pulchri contemplatione & imitatione, ut quod ipsamet sit sapientia & veritas & justitia, efflorescent omnes virtutes, non humanæ illæ, non civiles, sed divinæ & exemplares. *Quàm fœlix illud spectaculum fore putamus, sicubi contigerit ut pulchrum ipsum intueatur, sincerum, integrum, purum, simplex, non humanis carnibus & coloribus, non aliis mortalibus nugis contaminatum; sed ipsum secundum se pulchrum*

divi-

divinum inſpiciat? Num vitam hujuſmodi parvi facies? hominis videlicet illius qui illuc ſuſpicit, qui tam præclarum ſpectaculum contuetur, qui illi cohæret. Nonne cogitas, quod ſibi ſolum cernens ille eo oculo pulchrum quo percipi poteſt, non imagines virtutis ulterius, ſed virtutes ipſas pariet, quippe cum non ſimulacrum, ſed veritatem ipſam attingat?

VIII. Non ineleganter idem Philoſophus alibi id annititur, ut dormitare, & inſomniis quaſi deludi exiſtimentur, quicumque non poſſunt ipſum pulchrum ab imaginibus pulchri ſecernere. Somniare enim dicuntur illi qui corporum imagines à corporibus non diſtinguunt. (L. 5. de Rep.) *Quando ſive dormiens quis, ſive vigilans, quod alicui ſimile eſt, non ſimile, ſed ipſum eſſe cenſet, cujus eſt ſimile, ſomniare hunc ego dicerem.* Multis poſtea deſcribit ſcientiam & opinionem, atque utriuſque diſcrimina proſequitur; tum demonſtrat multa eorum quæ pulchra videntur iis qui pulchri ipſius ideam unam exiſtere negant, aliis non pulchra videri; nunc pulchra, nunc non pulchra videri iiſdem ipſis: partim pulchra, partim turpia videri. Ideo privata hæc pulchra opinione, non ſcientia comprehendi; quòd ſcientia res eas proſequatur, quæ conſtantes & eodem ſemper modo ſint. *Eos igitur qui pulchra hæc multa conſpiciunt; ipſumque pulchrum non vident, nec eum ſequi poſſunt qui ad id perducat; & multa contuentur juſta, ipſum autem juſtum minimè, & alia ſimiliter, eos opinari cuncta dicemus, cognoſcere autem nihil eorum quæ opinantur. Quid ipſos qui ipſa quæque contemplantur, ſemper eodem modo ſecundùm eadem ſe habentia, nonne cognoſcere potiùs quàm opinari? Neceſſe eſt & hoc. Nonne amare hos & admirari ita dicemus, in quibus verſatur cognitio: illos autem in quibus opinio, annon recordamur, quod voces, & colores pulchros, & talia quædam diximus hoſce diligere & intueri: ipſum vero pulchrum quod aliquid ſit, non admittere? Recordamur. Quare non aberrabimus, ſi iſtos* φιλοδόξους, *id eſt opinionis amicos, potiùs quàm Philoſophos appellaverimus.* Ex quibus illud tandem concluditur, hos amatores pulchri ipſius quod cognoſcunt, id eſt intelligunt, Philoſophos dici debere; ipſum enim pulchrum ipſa ſapientia eſt; alios Philodoxos, quòd opinionum ſectatores ſint, & eorum pulchrorum quæ non ſcientia, non intelligentia, ſed ſenſu & opinione percipiuntur.

IX. Platonis veſtigia allambens Plotinus, triplicem hominum ordinem ad veræ & ſummæ pulchritudinis conſpectum & amorem quaſi manuducere aggreditur. Primus eſt qui natura ſua propendet ad
(Enn. 1. l. 3. c. 1. 2. 3. 4.) Muſicæ ſtudium. *Exordium eſt à Muſico. Ponendum eſt ipſum facilè mobilem, & qui velut admirabundus propenſior ſit ad pulchrum, ſed non ſatis à ſeipſo moveri poſſit: facilè verò ab his quæ occurrunt veluti figuris incitari queat; & ſicut timidi ſtrepitu, ſic ille muſicis ſonis concitetur, pronuſque ſit ad pulchrum quod apparet in ſonis, & fugiat diſſonantiam: quodve unum eſt in cantibus atque numeris, numeroſum concinnumque ſequatur. Quamobrem poſt ſenſibiles hujuſmodi ſonos & numeros & figuras, ſic ducere hunc oportet, videlicet ſeparando materiam, in qua proportiones, earumque comparationes ſunt, atque ad pulchritudinem quæ in his eſt, reducendo. Præterea docendo illa ad quæ velut admirabundus vehementer afficitur, non hæc eſſe: ſed intelligibilem potiùs harmoniam, & quod in ipſa pulchrum, & omnino ipſum pulchrum, non aliquod pulchrum tantùm.* Sic ille amatorem ſenſibilis harmoniæ gradatim traducit ad harmoniam materiæ expertem, & ad ipſam per ſeſe pulchritudinem concentus & conſonantiæ, non tantùm inter ſonos ſenſibiles, ſed & inter res omnes tum ſenſibiles, tum intelligibiles, quæ ab illa ſumma lege & incommutabili conſonantiæ regula perducuntur ad æqualitatem & unitatem eam, qua fit ut & admirationi & amori ſit earum pulchritudo, non aliter tamen quàm ut veſtigium ſummæ pulchritudinis.

X. Secundus eſt qui naturæ impetu propendet ad amorem pulchrorum corporum. Et hic quoque inſtituendus ita eſt, ut non hujus aut illius, ſed omnium corporum concentum, ordinem & pulchritudinem contemplari aſſueſcat: inde ad pulchritudinem ſtudiorum, legum, artium, ſcientiarum virtutumque gradum faciat; à qua facilè ad ipſam per ſeſe in ſummo ente pulchritudinem amplexandam provehatur. *Amatorius memor eſt quodammodo pulchritudinis; ſed quia ſeorſum eſt ab ipſa, non poteſt perdiſcere. Perculſus autem à pulchris quæ aſpectui patent, circa ipſa vehementer concitatur. Docere itaque hunc oportet, ne circa corpus unum quaſi cadens pronior revolvatur: ſed ad omnia ratione perſuaſus ritè ſe conferat corpora, conſiderans quod in cunctis eſt idem, & animadvertens ipſum à corporibus eſſe diverſum: & aliunde procedere, aliiſque magis ineſſe: qualia ſunt pulchra ſtudia, legeſque pulchræ. Circa enim hæc amatoris ſtudium ad res incorporeas amandas jam aſſueſcit. Oſtendendum præterea in artibus etiam, & ſcientiis & virtutibus pulchritudinem ineſſe, & pulchritudinem in cunctis unam, quove modo adveniat. Denique à virtutibus ad intellectum & ad ipſum ens perveniendum eſt, ibique iter ad ſublimia peragendum.*

XI. Tertius eſt naturæ ſuæ ſponte penè Philoſophus, qui nec ſonorum admirator, nec corporum amator eſt; & hic ſtatim per mathematicas diſciplinas & dialecticas promovendus eſt, donec ad ſumma diſciplinarum principia pertingat, quæ ipſiſſima jam ſunt quaſi cubilia primæ veritatis ſummæque pulchritudinis. *Philoſophus autem natura promptus eſt & velut alatus, neque indigens ſeparatione, ut quos ſuprà commemoravimus. Ideo operæ pretium eſt ducere hominem duci volentem, & jamdiu ſolutum. Adhibenda ergo ſunt Mathematica, quibus incorporea cogitare & credere conſueſcat. Facilè namque percipiet, cum diſcendi ſit avidus, &c. Poſt mathematicas rationes, dialecticas tradere oportet, &c. Dialectica verò nutrit animam in ipſo veritatis campo, freta diſtinctione Platonica ad diſcretionem idearum ſpecierumque, &c.*

XII. Et rurſus alibi idem Plotinus cùm præfatus hoc eſſet, animas noſtras in ſenſibilia initio pronas eſſe, & tantò proniores, quò pluribus ſe inferſerint & ſuffarcinaverint bonis terrenis; velut aves prædatrices, quo præda copioſiore onuſtæ ſunt, hoc ad terram magis præcipites: quoſdam eſſe ſubdit, ab hoc temporalium viſco magis expeditos, & Philoſophiæ quaſi à natura ipſa aptatos, nimirum pulchritudinis amatores. Hos tamen ait ſtatim fugere à pulchritudine corporum ad formoſitatem virtutum, legum, ſcientiarum, officiorum; tum conſcendere ſuper animas ipſas, earumque virtutes & pulchritudines, & ad ipſum per ſeſe pulchrum decurrere, ibique tandem conquieſcere.
Quænam eſt hæc regio? & quo pacto ad eam quis aſcendere poteſt? Profectò huc ille poteſt aſcendere, qui (Enn. 5. l. 9. c. 1. 2.) *natura potiſſimum ad amandam trahitur pulchritudinem, & natus eſt revera Philoſophus. Qui ſanè velut amator circa pulchrum ipſum quodam quaſi partus labore vexatur; neque tamen pulchritudine corporis eſt contentus; ſed ab hac confugit ad animæ pulchritudinem, virtutes videlicet, ſcientias, officia, leges. Atque inde rurſus ad cauſam aſcendit eorum quæ in anima ſunt pulchrorum; & ſi quid adhuc ſuperius extat; quouſque tandem ad primum uſque pervenerit, quod à ſeipſo ſit pulchrum. Quo ſanè perveniens vexari jam deſinit, priùs verò nequaquam.* Si quæras autem quo argumento expugnetur id, quo cardo rei totius vertitur, eſſe ſupra hæc pulchra ipſum pulchrorum fontem, ipſum pulchrum? Reſpondet Plotinus id manifeſtiſſimè colligi, quòd hæc omnia pulchra ex parte tantùm ſint, & turpia fieri poſſint; ne animæ quidem ita pulchræ ſunt, ut non & turpes, hoc eſt inſipientes fieri poſſint. Neceſſe eſt ergo ipſam totam

emi-

eminere & regnare sursum pulchritudinem sapientiæ, qua res imæ animæque ipsæ & mutabilem suam pulchritudinem consequantur, & ab ea si exciderint, in eandem rursum restituantur. *Pulchritudo hæc corporibus adventitia est. Hæ namque formæ corporum in eis sunt velut in materia. Subjectum igitur permutatur, & ex pulchro fit turpe. Unde ratio participatione quadam pulchrum corpus esse convincit. Quidnam igitur est, quod corpus efficit pulchrum? Aliter quidem id pulchrum facit præsentia pulchritudinis; aliter autem anima quæ finxit, talemque fingendo corpori formam adhibuit. Quid ergo? numquid anima suapte natura ipsum pulchrum est? Minimè. Alioquin non alia quidem sapiens & pulchra foret, alia insipiens atque turpis. Per sapientiam igitur animæ pulchritudo contingit. Sed quisnam est potissimum qui tribuit animo sapientiam? Intellectus, seu Mens, νοῦς, qui ex seipso est pulcher. Nempe Mens ipsa nobis in altum progredientibus prior occurrit, quàm Principium omnium primum, quasi in ipsius boni vestibulo constituta, &c.* Sic ille Mentem primam delineat, seu Verbum Dei, cui primùm occurrimus ad ipsum bonum, seu ad Patrem progredientes: in Verbo porro omnium exemplaria, summamque pulchritudinem nanciscimur, quæ pulchras facit animas, dum sapientes facit: pulchra facit & corpora, dum formas corporeas velut umbras quasdam incorporeæ pulchritudinis illis imprimit.

XIII. Quin ipsam sive corporalium sive spiritalium rerum pulchritudinem, & amorem pulchritudinis seqnacem, negat idem Plotinus iis affundi, nisi affuso lumine quodam summi pulchri summique boni. Prorsus ut nec sine Solis lumine & adsplendescentia pulchra sunt, aut videri possunt quæcumque corpora. *Sicut enim in corporibus* Ennead. 6. L. 7. c. 21. 22. *quamvis mixtum naturaliter sit intus lumen; alio tamen opus est lumine, ut palam appareat color iis infusus, id est lumen naturaliter insitum: sic supernis quoque rebus, quamvis lumen habeant plurimum, præstantiore quodam opus est lumine, ut & à seipsis & à quovis alio discernantur. Quoties igitur animus lumen hoc inspicit, toties ad res divinas hoc circumfusas lumine incitatur, affectansque lumen in his præfulgens, occursu ejus admodum gratulatur. Quemadmodum & qui corpora hæc videntur amare, non subjecta quidem amant, sed pulchritudinem palam in corporibus effulgentem. Existit enim quodlibet hoc ipsum, quod est in seipso; evadit autem optabile, cum hoc bonum ipsum quasi colorat; dum videlicet rebus quidem expetendis gratias abundè largitur, appetentibus verò infundit amores. Jam vero animus cùm influxum inde susceperit, movetur, debacchatur, stimulis incitatur, atque ita in hunc influit amor. Antea verò neque ad mentem quidem movetur, quamvis pulchram. Ipsius enim pulchritudo torpet, priusquam boni lumen acceperit; ipseque animus ex se recidit resupinus, & ad omnia torpet, menteque præsente ad eam dormitare videtur. Postquam verò inde accensus est calor, corroboratur protinus, excitaturque, alisque fulcitur. Ac dum ad id quod proximum est, vehementer afficitur, ad aliud interim quasi reminiscentia quadam excellentius elevatur. Et quousque aliquid restat præsente superius, natura sursum attollitur, ab eo sublatus qui infudit amorem; & intellectum quidem transcendit, nequit autem supergredi bonum, quoniam nil bono superius est.*

XVI. In tam luculento contextu præstantissimi Philosophi, non possum non aliqua adnotare, quæ perfunctoriè legi & præteriri non debent. Ex illius ergo sententia, 1. *existit quodlibet hoc ipsum, quod est in seipso:* ut amabile autem fiat, operæ pretium est aspergi ei aliquod supernè lumen à summo bono, quod si licentia fiat hujus vocis, omnium amabilissimum, ipsaque amabilitas est. 2. Quin imo ut quod pulchrum à summi pulchri pulchritudine, & amabile à summo bono factum est, ametur, necessarium adhuc est, ut amanti amor ipse à summo bono infundatur. 3. Summi ergo boni partes sunt, & pulchris omnibus radios illos appingere, quibus amabilia fiant, & amores præterea ipsos aspirare omnibus pulchri amatoribus. Quo non video quid pulchrius, quid magnificentius dici possit ad summi boni laudem; per quod naturæ omnes pro suo quæque modo & amabiles & amantes, aureis his beatisque inter se vinculis connectuntur. 4. Quin nec prima mens, quanquam ipsa sit pulchritudo, amaretur, nisi ad ejus amorem animæ rationales à summo bono attraherentur. Quod & Verbum ipsum in carne assumpta confirmavit, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Trahit autem Pater ad Verbum non aliis vinculis quàm charitatis. 5. In inferioribus verò pulchris cum defigitur amor, non tam corpus, non animus, non ars, non virtus tantoperè diligitur, quàm lumen illud summi boni, & splendor summi pulchri, quo rutilant. 6. Fastidium verò quo afficiuntur mox imorum pulchrorum amatores, hinc oritur, quod meminit, aut quod attendit tandem animus, superiora his esse pulchra alia magis amabilia, & supra omnia pulchra ipsam pulchritudinem, & denique summæ ipsius pulchritudinis parentem ipsum bonum.

XV. Quin & ulteriùs progreditur Plotinus, ostenditque animum, qui æquus pulchritudinis æstimator sit, non posse non fastidire & nauseare ad hæc pulchra cœno sordibusque terrenis immersa. Ibid. c. 11. 2. *Nefas est enim opinari ipsa quæ revera pulchra sunt, seipsa, qualia sunt, in corporum lutum immergere, & fœdare seipsa atque disperdere.* Illud quoque facile advertere, horum pulchrorum authorem nullum horum esse, ne pars tantùm pulchritudinis sit: *Oportet sanè ipsum pulchrorum omnium authorem, ipsorum nullum esse: alioqui siquid eorum sit, pars tantum quædam erit.* Authorem verò seu parentem non pulchrorum tantùm, sed & summæ pulchritudinis esse ipsum bonum, pulchritudinem ipsius pulchritudinis, infinito quodam amore prosequendam, quod hic sit modus ejus. *Quando infinitum est amatum, infinitus est & amor. Est enim ipsa super pulchritudinem pulchritudo. Cùm enim nullum sit entium, quonam pacto esset pulchritudo? Cum vero amabile sit, nimirum est pulchritudinis author. Est itaque pulchritudinis universæ potestas ac flos ipse, pulchram efficiens pulchritudinem; eam namque generat, & genitam suæ pulchritudinis abundantia efficit pulchriorem. Quamobrem pulchritudinis principium est & finis.* Pluribus ille deinde prosequitur, ut summi boni pulchritudo proles sit, & amor à pulchritudine excitatus, ad summum bonum conscendat, eique adhærescat, nullius jam formæ memor, sed solius boni contactu Ennead. 6. L. 9. c. 11. & quiete beatus. Aliis quoque locis id probare enititur Plotinus multis argumentis, ipsum bonum esse antiquius & superius ipso pulchro.

XVI. Postremò tandem existimat quidem Plotinus eximiam esse mundi hujus corporei pulchritudinem, quum & ea Architectus ejus Deus delectatus sit, authore Platone; sed & Architectus mundi Deus, & spectator pulchritudinis mundi homo, ea non delectatur, nisi propter radiantem in eo summi exemplaris pulchritudinem. Ennead. 5. L. 8. c. 8. *Quod autem ad divinum exemplar Plato referat, quod dicit Architectum mundi opus suum amavisse, ipso spectaculo delectatum, declarat, ubi, &c.* Jam de homine mundanæ pulchritudinis admiratore Plotinus: *Quoties aliquis admiratur opus ad exemplar aliud fabricatum, exemplar ipsum potissimum admiratur. Neque mirum videri debet, si interim quid patiatur ignoret: quandoquidem & amatores & omnino quicumque hanc nostram pulchritudinem admirantur, ignorant se propter supernam pulchritudinem sic affectos esse, & profectò propter illam ita sunt affecti.* Affectus enim ipsi naturaliter insiti, quibus

ad amandum pulchrum inclinamur, ad divininam pulchritudinem naturaliter propendent; quo minùs mirum sit, si ubi inter erroris nunc sui diverticula creatis pulchris delectantur, dicantur ea non admirari, nisi propter eorum supremum & incommutabile exemplar. At postquam abreptæ fuerint animæ in ipsius incorruptibilis pulchritudinis pelagus, tunc & ipsæ pulchræ fient, & immeante earum penetralia ipsa pulchritudine, ab ea jam non discernentur, unumque cum ea fient, quasi in

Ibid. c. 10. ejus splendorem abreptæ & absorptæ. *Non enim aliud quiddam pulchritudo illic extat, quasi superficie florens. Verùm apud illos qui non inspiciunt totum, solum quod in superficie micat aspectui, censetur nominaturque pulchritudo. Qui vero per totum quasi mero perfusi nectare prorsus implentur, cum per totam animam se infuderit pulchritudo, non solum spectatores evadunt. Non enim ulterius hic quidem spectator extra est, ibi vero spectaculum similiter extra. Sed qui acutè perspicit, rem habet in seipso perspectam.*

Differ. 1. XVII. Maximus Tyrius nonnulla & ipse differuit de pulchritudine. *Scimus quidem pulchrum esse Deum, & pulchrorum omnium pulcherrimum; non tamen sicut corpus pulchrum, sed id unde corpori sua pulchritudo venit. Denique quidquid in fluvio, aut in mari, quidquid in cœlo cœlestibusque diis pulchrum vocamus, id omne pulchrum tanquam ex perpetuo limpidissimoque fonte, inde dimanat. Tantumque singula aut pulchritudinis, aut stabilitatis, aut diuturnitatis inter se habent, quantum ex eo fonte trahunt; tantumque à pulchritudine recedunt, & ad interitum suum tendunt, quantum ab eo abeunt. Si hæc sufficiunt, Deum vidisti. Si nondum, qua ratione commode exprimi poterit? Cave vel magnitudinem, vel colorem, vel figuram, aut simile quid quod in materiam cadat, cogites. Verum id quod amator faceret, qui si pulchrum aliquod corpus esset, cujus aspectum multæ variæque pelles eriperent, primum eas detraheret, ut plenè intueri posset. Idem tu nunc fac. Quippe si amictum hunc, & quidquid oculos moratur, cogitatione detrahas, in eo quod restabit, id ipsum jam videbis quod quæris.* Id ipsum planè est quod Augustinus ajebat, Tolle hoc & illud bonum, & vide ipsum bonum. Est enim summum bonum, summumque pulchrum particularibus bonis & pulchris quasi veste quadam circumfusum involutumque: si detrahamus hanc vestem, si particulares modos finesque abjiciamus, ipsum per sese bonum pulchrumque supererit, puro mentis intuitu conspiciendum. Castis auribus animisque potest & illud ejusdem committi de corporum pulchritudine, quæ non aliud quàm pulchritudinis virtutum

Differ. 9. splendor quidam antelucanus est; *Ut nihil aliud sit pulchritudo corporis, quàm futuræ flos virtutis, & majoris quasi pulchritudinis præludium. Sicut enim Solis exortum fulgor quidam in summitate montium præcedit, quo vehementer delectantur oculi, quia aliud expectant; ita animæ splendorem splendor aliquis in extremis corporis partibus præcedit, quo plurimum delectantur Philosophi, quia aliud mox venturum vident.* Ita prorsus natura comparatum erat, ita res adhuc habet, si puri oculi, si casti sint animi. Sed non parum nunc discriminis imminet ab insidiatrice libidine, quæ fallit persæpè, & puri amoris obtentu irrepit. Vereor itaque ut hi Philosophi tam castos habuerint oculos, quàm calamos. Utcumque affecti illi fuerint, rem ipsam persequamur. Agnovit idem Maximus Tyrius ibidem aliter spectari, aliter amari pulchritudinem à probis, aliter ab improbis hominibus. *Jam pulchritudo cum sit eadem, alia tamen videtur oculis improbis, alia legitimis amatoribus. Sicut ensis cum idem sit, alius tamen videtur viro forti, alius carnifici. Cum ergo audies amare Philosophum, audies amare hominem improbum, cave utrumque eodem dicas nomine. Quia alter in libidinem fertur, alter pulchritudinem amat. Alter bona illius spectat, quem amat, alter cum pernicie amat utriusque. Illius amoris virtus, hujus opus est voluptas. Illius amoris finis est amicitia, hujus simultas.*

XVIII. Sed multò his etiam præclariora sunt ea quæ idem Maximus Tyrius differit de pulchritudine divina, quam olim vidit anima rationalis, quam nunc tenuiter meminit, cujus in memoriam & amorem excitatur, conspectis ejus vestigiis in natura extrema, ad quam usque descendunt extrema etiam quædam summæ pulchritudinis effluvia, tantò jejuniora, quantò remotiora à fontis plenitudine & puritate. *Cùm ergo pulchrum oporteat esse pulchrum, ut amorem excitet, quale illud dicemus esse, aut quo pacto excitare amorem? Visne ex oraculis Socraticis tibi respondeam? Ipsum pulchrum quod nec humana voce exprimi, nec oculis conspici potest, vidisse olim animam nostram, atque inde in hac vita, non secus ac in somnio aliquo, ejus exiguam conservasse memoriam, cum vix quasi per rimam illud nunc intueatur: vel quod loco, vel quod conditione longè ab eo remota sit, & à pulcherrimo illo procul distracta spectaculo, depressa in terram, variis diversisque inquinata sordibus, à quibus turbatur: vel quod in hac colluvie, vitæque confusione, ambigua hæreat, in qua nihil præter tumultus assiduos improbitatesque intuetur. At verò ipsius pulchri natura inde principium ducit, inde huc defertur, paulatimque descendens, minus semper minusque apparet, veramque illam vim suam amittit. Non aliter quàm fluvii nobilissimi, cum in mare se exonerant, primo gustum aquæ suæ sine ulla amaritudine retinent, nautisque venientibus purum præbent potum. Postquam verò in profundum aliquod pervenerint mare, aquamque suam ventis, fluctibus, marinoque æstui ferendam dederint, antiquum gustum suum in confusione ea amittunt. Eodem modo pulchrum illud ineffabile, illud immortale pulchrum, primum per cœlum cœlestiaque corpora descendit, in quibus adhuc integrum manet, purum, putumque, & nulla sui parte minus. Cum verò, cœlo relicto hæc loca versus incipit descendere, perit paulatim & extinguitur. Itaque sicut fluvium vix amplius agnoscit in mari nauta marinus; ita ipsius pulchri influxum vix ullus homo, cum tenuissima ejus in terra vestigia appareant, eaque aliis immista rebus. At verò qui fluvium prius diu cognovit, totamque ejus naturam animo impressit, simul ac occurrit illi, simul ac vel minimum ejus signum videt, exultat, gaudio accenditur, exhilaratur, amat, non aliter quàm Ulysses,*

De patriis fumum cum conspicit oris.

Quibus non video quid elegantius, quid pulchrius dici possit, si illam jam sæpiùs decantatam fabulam de Platonica reminiscentia vel expungas, vel in veri semitam deflectas eo modo, qui jam sæpiùs insinuatus suprà est.

XIX. Ne mutum sinamus abire Proclum, nonnulla ex eo quoque excerpenda nobis sunt. Sic censet ille pulchritudinem tertio esse loco post summum bonum, & primam mentem, eamque conciliatricem esse totius divinæ lætitiæ & familiaritatis & amicitiæ; cœlitesque per illam adgaudere sibi & adgratulari. *Divina igitur pulchritudo est talis, divinæ lætitiæ, & familiaritatis, & amicitiæ suppeditatrix. Ob hanc enim etiam inter se Dii sunt uniti, & inter se gaudent, & admirantur, & delectantur mutuis inter se communionibus & complementis.* Pulchri ex Platone tres sunt dotes, delicatum, splendidum, amabile. De amabili hìc subjicit: *Quoniam igitur pulchritudo omnia ad se convertit, & movet, & quodam furore divino rapi facit, pulchritudo est amabilis.* Denique subjicit mox idem ad pulchritudinem divinam non alio nos aggregari, quàm amore, ad sapientiam veritate, ad bonum non cognitione, sed silentio & quiete. Alibi rursus idem Proclus ita differit: *Pulchritudo formis omnibus invehi solet, & est quasi* Ibid. c. 12.

Platon. Theol. c. 24 (margin)

Differt. 11. (margin)

quasi forma formarum, quæ boni naturam occultam patefacit, & amabilem ipsius vim manifestè demonstrat; & desiderium quod circa bonum ipsum occultatur, ad suum splendorem attrahit. Et boni quidem omnia tacitum & arcanum desiderium habent, ad pulchritudinem verò cum stupore & motu excitamur. Ipsius enim splendor & acris vis agendi per omnem animam acutè pervadit, & totam convertit ad contemplationem pulchritudinis, tanquam ejus quæ ipsi bono simillima est. Et quemadmodum in initiorum mysteriis est stupor eorum qui initiantur; sic in intelligibilibus ante boni ipsius communionem ipsa pulchritudo semet ostendens, intuentes stupore afficit, & animam ad se convertit, ostenditque se in vestibulo collocatam, demonstratque quale sit in adytis latens & occultum bonum. Sic ille Verbi Dei hanc proprietatem commendat, quòd ipsamet sit pulchritudo, quòd ipsius boni seu summi Parentis imago sit, quòd via sit ad Patrem, quòd per ipsum Pater manifestetur.

CAPUT XX.

De pulchritudine Dei & Deo quid Ecclesiæ Patres senserint. Item de pulchritudine à Deo in animas effluente.

I. Ex Augustino Deus est ipsa summa pulchritudo, in animas primùm, inde & in corpora radians.

II. Ex eodem Verbum est species, imago & pulchritudo Patris: multis id rationibus declaratur.

III. Platoni pulchritudinis admiratori assentitur Nazianzenus.

IV. Et Basilius.

V. Dionysius quoque Platonem sequitur in doctrina tota de pulchritudine.

VI. Rursus ex Dionysio, ut unum, bonum, pulchrum cohæreant; utque omnia bonum & pulchrum appetant.

VII. Pulchritudo animarum à Deo in eas defluit; nec alia est quàm sapientiæ & justitiæ pulchritudo, quam in effæto sene, in turpi specie, in sauciato Martyrum & lacero vultu vulgus ipsum hominum admiratur & amat.

VIII. Plebem ipsam Christianam hæc informabat Augustinus doctrina de intelligibili pulchritudine, utque ea concilietur animabus ex amore Dei, quo amando pulchrum pulchræ fiunt.

IX. Iterum iterumque de intelligibili pulchritudine sapientiæ & virtutum ad plebem Christianam sermocinatus Augustinus.

X. In istiusmodi concionibus illud maximè attendi decet, quod per sese sapientiæ & virtutis pulchritudo omnibus præsentissima & conspicua, omnium animos ad se rapiat, delectet, & Deo affigat. Id cogitari, id admirationi esse debet, non concionatoris ingenium, aut facundia.

XI. Antedicta omnia confirmat Ambrosius.

XII. In Ambrosii verbis sigillatim adnotantur, quæcumque hactenus Platonici & Patres de pulchritudine disseruerunt.

XIII. Nec ab his recedunt Clemens Alexandrinus, Origenes, Basilius.

XIV. Rursum Basilius.

XV. Et Gregorius Nyssenus.

XVI. Et Pachymeres Dionysii interpres.

I. PIè juxta & luculentè Deum hac prece compellat Augustinus, ut summam pulchritudinem supernè in seipsa fulgurantem, interiùs in ipso animæ meditullio insinuatam, exteriùs in omnes creatas naturas effusam; unde nihil tam præposterum, nihil tam dolendum, quàm quòd foris quærat anima quod intus habet, & pulchritudinis vestigiis à pulchritudine ipsa avocetur. *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua & tam nova; serò te amavi. Et ecce intus eras & ego foris, & ibi te quærebam: & in ista formosa quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ si in te non essent, non essent.* Tria hæc sunt, quæ nobis hìc illustranda incumbunt; Quòd Deus ipsissima pulchritudo sit, quòd in communionem & consortium sui animas primùm vocet, quòd denique in corpora usque aliqui ejus rivuli excurrant. Confess. L. 10. c. 27.

II. Et quod ad primum attinet, Hilario idem alibi consentit Augustinus, Verbi Dei id proprium esse ajentis, ut sit species & imago Patris. *In qua imagine speciem nominavit, credo propter pulchritudinem, ubi jam est tanta congruentia, & prima æqualitas, & prima similitudo nulla in re dissidens, & nullo modo inæqualis, & nulla ex parte dissimilis, sed ad identitatem respondens ei cujus est imago. Ubi est summa & prima vita; cui non est aliud vivere, & aliud esse; sed idem est esse & vivere. Et primus ac summus intellectus, cui non est aliud vivere & intelligere; sed id quod est intelligere, hoc vivere, hoc esse est, unum omnia. Tanquam Verbum perfectum, cui non desit aliquid, & ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium & incommutabilium, & omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum qua unum.* Quo summæ pulchritudinis encomio nihil absolutius, nihil summo Theologo, nihil Augustino dignius expectari poterat. Est enim verè & propriè pulchritudo ipsa Verbum Deus, qua imago prima Dei, summa æqualitas, summa similitudo, summa congruentia cum Patre Deo. Est & pulchritudo ipsa, quia prima mens est, cui esse, vivere, intelligere unum idemque est; quæ essendo omnia intelligit, intelligendo omnia est, cùm plena sit & ipsa plenitudo sit omnium formarum, omnium specierum, omnium idearum, unde omnes quaquaversum pulchritudines fluunt. Est & pulchritudo ipsa, quia Verbum & ars est quædam omnipotentis & sapientis Dei. Priùs enim & incomparabiliter præcellentius est pulchritudo in arte, quàm in opere. Denique pulchritudo ipsamet est, quia omnes rationes, seu species, & pulchritudines viventes & incommutabiles ita est, ut omnes unum in ea sint, & unum ipsa sint; quo nihil ad pulchritudinem exaggerandam majus dici potest. Quid enim usquam pulchrius, quàm unum omnia? Hic enim apex est summæ pulchritudinis, ut omnes pulchritudines unum sint in ipsa pulchritudine. Unum autem est pulchritudo ipsa, tum quia de uno est, id est, à summo Parente est, qui summa ipsa unitas est; tum quia unum cum uno est; etsi enim non unus cum Patre est, est tamen unum cum eo, sicut ipse ait, *Ego & Pater unum sumus.* Non abhorrebat ab his, ut vides, doctrina superiori capite proposita, & hausta ab ea quam Ambrosius vocavit Patriciam Platonis Philosophorum prosapiam. *Ut vulgus Philosophorum interpretatur, aut ut illa patricia quædam eorum prosapia Platonis disputat, vel certè ut Aristoteles acri ingenio, &c.* De Trinit. L. 6. c. 10. Epist. 31.

III. Laudat Nazianzenus sæcularem Scriptorem qui Deum Soli comparaverat, ut pulchritudinis totius largitori. *Illud nescio, an abs te animadversum quanti tandem æstimandum est, quod profanus quidam author scribit, idem in sensibilibus Solem esse, quod Deum in intellectilibus? Ut enim hic mentem, ita ille oculos illustrat. Atque ut hic res eas omnes, quæ animo & ratione intelliguntur, pulchritudine vincit; ita etiam ille eas quæ oculorum sensu percipiuntur.* Et mox de Angelicis naturis: *Quæ etiam à summa illa pulchritudine adeo informantur & imprimuntur, ut ipsæ alia quoque lumina efficiantur, ac per primi luminis inflexiones &* Orat. 34.

con-

communicationes, alios illuminare possint. Ejusmodi autem pulchritudo Deus est, quæ omnem superet pulchritudinem, omnesque pulchritudinis amatores ita alliciat, ut eos fugiat, nec comprehendi se sinat, eoque magis illos ad sui prosecutionem inflammet: (Orat. 1.) *Qui & pulchritudo omnis est, & supra omnem pulchritudinem; qui mentem illuminat, & mentis celeritatem ac sublimitatem effugit; quantumque percipitur, tantundem semper se subducit; amantesque sui, ex eo quod fugit, & velut jam comprehensus se proripit, ad superna illicit.* Consentanea & hæc sunt Philosophicis suprà decretis, nec author sæcularis quem Nazianzenus hìc laudavit, alius est quàm Plato. Eandem Dei & Solis comparationem alibi prolixiùs exequutus est idem Nazianzenus. (Orat. 21. 26.)

(In Psal. 44.) IV. His affinia sunt & illa Basilii: *Sagittæ tuæ acutæ. Vulnerata charitate ego sum. Inexplicabilis profectò & ineffabilis Verbi pulchritudo, & sapientiæ species, & forma Dei in ipsius imagine. Beati qui contemplatione inardescunt veræ illius pulchritudinis. Hi enim quasi eisdem astricti vinculis charitatis, cœlestem illum & planè beatum amantes amorem, domesticorum obliviscuntur & amicorum, imò familiæ quamlibet opulentæ.*

(Cap. 5. §. 7.) V. Sed multò affiniora sunt hæc Dionysii librò de divinis Nominibus: *Pulchrum & pulchritudo non sunt distinguenda in causa quæ universa in uno complexa est. Ipsum autem pulchrum superessentiale pulchritudo quidem appellatur, propter illam pulchritudinem quam rebus omnibus pro cujusque modulo communicat, in quantum est causa omnis pulchritudinis & venustatis, dum rebus omnibus pulcrificas fontalis sui radii distributiones lucis in morem afflat; omniaque* κάλεῖ, *id est, vocat; unde &* κάλλος, *id est, pulchritudo dicitur, & tota in totis quasi in se colligit.* Ita ibi de ipsa pulchritudine, quam ut causam & fontem definit totius pulchritudinis. Jam quare Deus dicatur pulcher: *Pulchrum non vocatur, quod ex omni parte pulchrum sit, & plusquam pulchrum, & tanquam semper existens, secundum eadem, & eodem modo pulchrum, neque factum, neque decrescens, neque augescens, neque destructum; nec ex una parte pulchrum, & ex alia turpe; neque aliàs quidem pulchrum, aliàs verò non; neque ad hoc pulchrum, ad illud inconcinnum; nec hìc quidem ita, alibi verò aliter; nec ut aliis formosum, aliis vero deforme; sed ut ipsum secundùm se atque secum uniforme, semper existens pulchrum, atque fontanam universi pulchri pulchritudinem in seipso anticipans eminenter, præhabensque.* Cùm hæc paulò prolixiùs adscripsimus, nostris occurrere vituperatoribus animus erat. Liquet enim hæc Dionysii ex Platonis suprà relatis contextibus derivata esse, ut nec verbum è verbo mutuari illum piguerit. Ne ergo nos studium operamque lusisse, aut à Patrum Theologorumque antiquorum methodo & ratione descivisse criminentur, sicubi illa Philosophorum placita nostris magna ex parte consentientia fusiùs aliquando prosequuti sumus.

VI. Pergit porro Dionysius eodem tenore pulchrum & bonum conjungere atque adunare, omnesque amoris, congruentiæ, pacis & amicitiæ radios ab uno pulchritudinis Sole derivare. *Et propter pulchrum sunt omnes congruentiæ, & amicitiæ, & communicationes; & per pulchrum cuncta conjunguntur, atque pulchrum est omnium principium, ut causa efficiens & movens, & universa propria pulchritudinis amore continens; & ut finis omnium, atque id quod appetimus, tanquam causa finalis, nam pulchri gratia cuncta fiunt; & exemplaris, quia secundùm illud omnia definiuntur.* Si pulchrum ergo est causa efficiens, & finalis & exemplaris omnium, est haud dubiè ipsum bonum. *Quamobrem idem est pulchrum atque bonum, quoniam omnia secundum omnem causam pulchrum & bonum appetunt; & nihil est in rerum natura, quin pulchrum & bonum participet.* Et rursus ibidem, ut unum, bonum, pulchrum omnium causa sit, omniumque rerum efficiat uniones, fœdera, consortia, mutuasque communicationes. *Hoc unum, bonum & pulchrum* (Ibid. n. 10.) *singulariter est multorum pulchrorum & bonorum causa. Ex hoc rerum omnium substantiales existentiæ, uniones, distinctiones, identitates, diversitates, fœdera contrariorum, rerum unitarum impermixtiones, providentiæ superiorum, mutua consortia rerum quæ sunt ejusdem ordinis, conversiones inferiorum, omniumque suimet ipsorum conservatrices immutabilesque mansiones & firmitates. Et rursus omnium in omnibus pro cujusque proprietate communiones & congruentiæ, inconfusæque amicitiæ & consensiones universi, necnon rerum in hoc universo contemperationes, indissolubilesque complexus, &c.* Quæ oppidò luculenta sunt, eoque uno omnia nituntur fundamento, quòd omnium horum causa & author amor sit, amor autem amor sit pulchri. Amore enim pulchri fit ut res omnes mutuò sese complectantur, suique ipsarum unitatis & pulchritudinis curiosæ & amantes sint.

Inde est quòd omnia bonum & pulchrum appetere dicantur: *Et quæcumque sunt & fiunt, propter bonum, & pulchrum sunt & fiunt: & cuncta in ipsum intuentur, & moventur ab ipso & conservantur, & ipsius gratia & propter ipsum, & in ipso omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, materiale, & denique omne principium, omnis conservatio & omnis finis.* Denique: (Ibidem.) *Universis pulchrum & bonum desiderabile & amabile est, & ab his universis diligitur: & propter ipsum, & ipsius causa, & inferiora amant superiora, convertendo se ad ea; & quæ sunt ejusdem ordinis, amant similia, communicando; & majora minora providendo eis; & singula seipsa, conservando se; & omnia pulchrum & bonum expetendo, faciunt & volunt, quæcumque faciunt & volunt.*

VII. Ad secundam jam partem hujus capitis moliamur iter, hoc est ad pulchritudinem animarum à summa Dei pulchritudine dimanantem. Ea non est autem nisi pulchritudo justitiæ, & sapientiæ, quam omnes suspiciunt, omnes amant, etiam minimè justi, minimè sapientes: nec in pulchritudine tantùm juventæ florescentis, ut Philosophi de quibus capite superiori; sed in sene, sed in Martyre, cui senium, cui cruciatus, non formæ tantùm venustatem, sed ipsam penè formam concerpserunt, & quod ad oculos corporeos attinet, fœditatem plurimam, quin & persæpè horrorem quendam circumfuderunt. Et tamen vulgus etiam hominum admiratur & amat in eis sapientiam, temperantiam, constantiam, fidem, totam denique justitiæ pulchritudinem. Non amatur enim nisi pulchritudo, nec alia in his renidet, quàm pulchritudo justitiæ. (In Psal. 64.) Augustinus: *Sanctum est templum tuum, mirabile in justitia. Habes foris oculos, unde videas marmora & aurum; intus est oculus, unde videatur pulchritudo justitiæ. Si nulla est pulchritudo justitiæ, unde amatur justus senex? Quid affert in corpore quod oculos delectet, curva membra, frontem rugatam, caput canis albatum, imbecillitatem undique querelis plenam? Tamen si justus est, si alienum non concupiscit, si de suo quod habet erogat indigentibus, si bene monet & rectum sapit, si integrè credit, si paratus est pro fide veritatis etiam ipsa confracta membra impendere; multi enim martyres, etiam senes; unde illum amamus? Quid in eo videmus bonum oculis carnis? Nihil. Quædam est ergo pulchritudo justitiæ, quam videmus oculis cordis, & amamus, & exardescimus; quam multùm dilexerunt homines in ipsis Martyribus, cum eorum membra bestiæ laniarent. Quid ibi erat quod amaretur, nisi quia erat in illa fœditate membrorum integra pulchritudo justitiæ?*

VIII. Adverte hìc autem 1. hæc ad plebem Christianam concionati Augustinum, ut & ipsam addoceat non Platonicam, sed Christianam hanc Philosophiam philosophari. 2. Non tantùm mirari & amare homines & hominum vulgus, etiam criminosos, hanc in senibus virtute claris, hanc in Martyribus justitiæ pulchritudinem, sed *multum diligere*, sed *exardescere*. Ut minùs mirum sit, si Philosophi superiori capite toties inculcarunt, conspectu pulchritudinis rapi animos in quendam divinum furorem & sanam insaniam. 3. Si quæras autem ubi rude vulgus hominum videat hanc pulchritudinem justitiæ, & quibus oculis, & eccubi didicerit tanto illam amore esse prosequendam: respondebunt Philosophi de quibus supra, juxta commentitium reminiscentiæ suæ decretum; respondebit Augustinus videri hanc justitiæ pulchritudinem in ipsa luce summæ veritatis, cui cognata & connexa mens humana est; inde radios ad videndum, inde ignes aspergi illi ad amandum hoc quidquid est intelligibilis pulchritudinis. A quo nec Plotinus abhorrebat capite superiori. 4. Ex eodem autem Augustino tota hæc animæ per justitiam, tota hæc justitiæ in anima pulchritudo efflorescit ex amore & Dei in nos, & nostro in Deum. Id enim est singulare decus & privilegium amoris divini, quòd pulchritudinem animæ non sequatur, nisi quam ipse dederit; imò quòd ipsemet sit illa pulchritudo. Inter naturas creatas si fœda pulchram amet, non ex eo pulchra efficitur. At ex turpibus pulchri efficimur, Deum amando: Deus enim pulchritudo justitiæ est. Justitia ipsa summa pulchritudo est. Amando justitiam, justi efficimur. Ita amando pulchritudinem justitiæ pulchri evadimus. *Qualis amor est, qui reddit pulchrum amantem. Quomodo erimus pulchri? Amando eum qui semper est pulcher? Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo. Quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.*

Tract. 9. in Epist. Joan.

IX. Rursus idem Augustinus de invisibili pulchritudine justitiæ, conspicua tamen omnibus auditoribus suis, ad quos è suggestu ipse concionem habebat, ad quam omnes excitabantur, delectatione & amore gestiebant, etsi nihil exhiberetur, quod colore, forma, vel lineamentis suis oculos corporis pasceret. *Delectatio est cordis humani de lumine veritatis, de affluentia sapientiæ. Quid est enim modò quod omnes attenditis, omnes auditis, omnes excitamini, & quando verum aliquid dicitur delectamini? Quid vidistis? Quid tenuistis? Quis color apparuit oculis vestris? Quæ forma, quæ figura, quæ statura, quæ lineamenta membrorum, quæ corporis pulchritudo? Nihil horum; & tamen amatis. Quando enim sic laudaretis, si non amaretis? Quando amaretis, si nihil videretis? Me itaque non ostendente formam corporis, lineamenta, colores, pulchros motus, me non ostendente, vos tamen videtis, amatis, laudatis. Si hæc delectatio veritatis dulcis est nunc, multò dulcior erit tunc.*

De diversis, Serm. 27. c. 6.

X. Non mihi tempero, quin hìc Lectorem sistam, moneamque seriò, quid in mentem tunc veniret, quid venire debeat, cum Christiana plebs ab ore concionantis in Ecclesia pendet, attendit, admiratur, laudat, stupet, amat. Quid enim nos quidem nunc in hujusmodi spectaculo, nisi concionatoris ingenium, elegantiam, eloquentiam admirationi & amori esse cogitamus, prædicamusque? Quid ut summum, nisi Christianæ plebis pietatem? At Augustinus & se & auditorum animos rapiebat ad illam veritatis & sapientiæ pulchritudinem, invisibilem, & tamen conspicuam, oculos fallentem corporis, oculis animi præsentissimam, quæ imperitis, quæ omnibus intus affulget, omnes rapit, omnes delectat, omnes movet ad admirationem & amorem sui. Enimverò ita verius, ita æquius est & cogitare & affici. Ipsa est enim præsentissima pulchritudo sapientiæ & justitiæ, quæ & concionatorem & auditores ad se allicit, sibi attentos, sibi amicos facit, sui illis lumen & splendorem, sui amorem injicit, mutuàque omnes castissimæ voluptatis communione delectat.

X. Traditam hactenus doctrinam omnem de pulchritudine justitiæ, de decore animæ inde illuminatæ, de oculo occulto mentis quo videtur illa pulchritudo, denique de cura purgandi hujus oculi, uno constrinxit loco Ambrosius. *Pulchritudo animæ sincera virtus & decor, verior cognitio supernorum, ut videat illud bonum, ex quo pendent omnia, ipsum autem ex nullo. Eo igitur vivit, atque intellectum accipit. Vitæ enim fons est summum illud bonum, cujus in nobis accenditur desiderium; cui appropinquare & misceri voluptas est; quod ei qui non videt, desiderio est; & ei qui videt, vita est; ideoque universa alia despicit, hoc uno mulcetur, & delectatur, &c. Hanc igitur videns pulchram imaginem, ingrediatur intus, foris relinquat vultum corporis. Nam qui intuetur corpora, non debet introrsum intueri, ne more mergentis in gurgite rapiatur atque absorbeatur, & quasi profundo demersus, nusquam appareat. Fugiamus ergo in patriam verissimam. Illuc patria nobis, & illic Pater à quo creati sumus. Sed quæ est fuga? Non utique pedum, qui sunt corporis. Isti enim quocumque currunt, in terra currunt, & de solo ad solum transeunt. Fugiamus animo & oculis, aut pedibus interioribus. Assuescamus nostros videre quæ dilucida & clara sunt, spectare vultum continentiæ & temperantiæ, omnesque virtutes, in quibus nihil scabrum, nihil obscurum & tortuosum sit; & seipsum spectet quis, & conscientiam suam; illum oculum mundet, ne quid sordidum habeat. Quod enim videtur, non debet dissonare ab eo qui videt; quoniam conformes nos Deus imaginis voluit esse Filii sui. Cognitum igitur nobis est illud bonum; nec longè est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus. Ipsius enim & genus sumus, ut Apostolus Gentiles voluit monere. Ipsum est bonum quod quærimus, & solum bonum. Nemo enim bonus, nisi unus Deus. Hic est oculus, qui magnum illum & verum decorem intuetur. Solem nisi sanus & valens oculus non aspicit; nec bonum potest videre anima nisi bona.*

L. de Isaac & anima. c. 8.

XII. Hìc sanè fas est advertere, 1. Etsi fortè hæc non recitabat è pulpito ad populum Ambrosius, sed scribebat ad populum; totus enim popularis est, nec ferè nisi ad docendas plebes literis Christianis incubuit, posteaquam ad Episcopatum abreptus est. 2. Summum bonum, summumque pulchrum unum idemque esse, & ipse sensit; eique nos cognatos, ejus genus esse, & in eo esse, vivere, moveri. 3. Oculo quoque nos interiori munitos esse, ut cognatam nobis & coram præsentem pulchritudinem intueamur. 4. Sed mundandam esse hujus oculi aciem, ut puro purum videamus. 5. Mundandam autem esse fuga temporalium & terrenorum omnium, fuga inquam ea, quæ non pedibus, non navibus fit, sed affectibus. 6. Insuefaciendam porro esse mentem nostram, ut cogitet, ut contueatur vultum continentiæ & temperantiæ, virtutes omnes, conscientiam ipsam nostram, ut ita convalescat ad contuitum summæ veritatis & pulchritudinis justitiæ. 7. In corporea verò pulchritudine non defigendos esse oculos, ne gurgite carnalium cupiditatum anima absorbeatur. 8. Et hìc vides quàm castior sit Christiana Theologia, quàm Philosophia Platonica. Hæc enim in naufragii discrimine proximo ludebat, cum à pulchritudine florida formæ corporeæ assurgere nitebatur ad incorporeæ pulchritudinis contemplationem; illa oculos a corporeæ venustatis flore omnino abducit, eumque ne delibari quidem vel videndo finit; affectat autem potius in fœnum distortis, in Martyrum laceratis corporibus admirari & exosculari justitiæ, sapientiæ, fortitudinis & virtutum denique omnium pulchritudinem. 9. Porro tunc verè amatur homo ex eodem Ambrosio, quia mente censendus est homo, mentisque pulchritudine, non carnis. Ani-

L. de Bono mortis.c.7. *Anima est quæ utitur, corpus usui est; ac per hoc aliud quod in imperio, aliud quod in ministerio, aliud quod sumus, aliud quod nostrum est. Si quis animæ pulchritudinem diligit, nos diligit; si quis corporis decorem diligit, non ipsum hominem, sed carnis diligit pulchritudinem, quæ tamen citò marcescit & defluit.*

XIII. Ex Græcis Clemens Alexandrinus eleganter monet, in pulcritudine corporis castè habenda, pulcritudinem animæ effulgere, & inde grates habendas summo & incorruptibili omnium pulcritudinum exemplari. Admonit. ad Gentes. pag.24. *Tunc tuam agnoscam pulchritudinem, quoniam mundam conservasti imaginem; tunc veram adorabo pulchritudinem, quæ est exemplar pulchrorum.* Miratur & Origenes animæ rationalis pulcritudinem, tot nativis dotibus, tot infusis virtutibus splendidam. In Ezech. Hom. 7. & 8. In Ps. 28. Basilius tantam & à vitiis fœditatem, & à virtutibus pulcritudinem in animam derivari ait, ut inde in corpus & in vultum ipsum exundet; ut nemo possit ambigere, quin oris ipsius & totius corporis pulcritudo & augeatur virtutibus, & vitiis deturpetur. Sed ipsa maximè Dei contemplatio, non qualemcumque, verùm ipsam divinam pulcritudinem animæ quodammodo allinit & appingit. *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Pulchra omnis est anima, quæ in symmetria propriarum virtutum conspicitur. Pulchritudo autem vera, ac proinde amabilissima, quam sola mens omni contagione expurgata possit contemplari, circa divinam ac beatam consistit naturam. Sanè qui in ejus micantissimum fulgorem & inexhaustam gratiam mentem pressius intenderit, nonnihil hinc beneficii in se transumit & derivat, quasi à quapiam tinctura florulentum splendorem illinendæ faciei suæ desumpserit. Unde & Moyses simul atque particeps factus est eximiæ illius pulchritudinis ex familiari cum Deo congressu, glorificatam habuit faciem, &c. Considera mœstum, iratum, tristem, &c. Sicut itaque vestigia quædam pulchritudinis animæ in sancti hominis statu apparent, sic contra in reliquis fœditas quædam.* Ita sanctus Pater philosophatur.

XIV. Qui rursus alibi non minùs luculentè demonstrat amorem & desiderium pulcritudinis inesse naturaliter animæ, & hanc ipsam veram summamque pulcritudinem Deum esse, cujus proinde notitia, admiratio, amor inest naturæ ipsius quasi magisterio & afflatu. Regul. fus. disp. Inter. I. *Cùm igitur præceptum nobis sit, ut charitatem in Deum habeamus, in ipso confestim ortus nostri initio vim quandam nanciscimur, per quam nostra sponte ad ipsum diligendum impellimur. Ad quam rem confirmandam nihil est, cur argumenta foris petamus, cùm per se quisque, atque adeo in seipso facillimè illud possit intelligere. Nam & rerum pulchrarum natura appetentes sumus; neque hoc impedit quòd inter homines de rerum pulchritudine opiniones sint variæ, &c. Verum quid est quæso pulchritudine divina admirabilius? Quæ notio Dei majestate excogitari potest gratior? Quod ejusmodi desiderium quis secum comminisci potest, cujusmodi est illud, quod animæ vitiis omnibus perpurgatæ divinitus ingeneratur, adeo vehemens, adeoque intolerandum? Inexplicabiles prorsus, nec ulli pro dignitate enarrabiles, quæ è fulgurantissimo illo divinæ pulchritudinis fonte intermicant ac prosiliunt fulgetræ. Nulla eas oratio dignè repræsentet, nullus percipiat auditus.* Et aliquantis interjectis: *Sic igitur duce natura sua sponte hominum animi ad rerum pulchrarum expetitionem excitantur. Illud autem propriè verèque pulchrum est, atque expetendum & amabile, quidquid est bonum. At bonus est Deus. Quod autem est bonum, id ab omnibus appetitur. Ergo Deum expetunt omnia.* Sic ille & Deum probat esse ipsum bonum, & ipsum bonum esse ipsum pulcrum, & summi hujus pulcri bonique amore & desiderio naturali imbutas à natura esse omnes animas rationales.

XV. Gregorius Nyssenus hominem ad Dei imaginem conditum esse eò interpretatur, quòd regia statim dignitate, regia purpura, cæterisque regni insignibus exornatus sit: virtutem, justitiam, beatitatem, immortalitatem, hanc fuisse purpuram, hæc insignia regia; denique unum ideo hominem ejusmodi imaginem esse, quæ pulcritudinem divini exemplaris referat. *Hominem divinæ naturæ, cujus omnia parent imperio, imaginem esse,* De hominis opificio. c. 4. 5. *nihil esse putandum est aliud quam regium ei decus in ipsa creatione tributum esse, &c. Sed imago hæc pro purpura virtute amicta est, quo cultu nihil magis esse regium potest; pro sceptro immortali beatitate suffulta; pro regia fascia, justitiæ corona exornata. Denique de omnibus quæ majestati regiæ conveniunt, apparet unam hanc imaginem pulchritudinem principis exemplaris accuratè referre. Cæterùm pulchritudo illa divina in beatitate secundum virtutem ineffabili consistit, &c. Sic nostrum conditorem existimabis indentem virtutes animis nostris, iisdem veluti coloribus imaginem suam ad similitudinem propriæ pulchritudinis ornasse, ut principatus sui imago in nobis perspiceretur.* Et rursus Hom. 4. in Cant. Cant. idem Nyssenus, ut solus Deum sit ipsum pulcrum, ipsum bonum, ipsum esse, reliqua verò usque adeò pulcra non sint, ut penè ne sint quidem: reliqua inquam corporalia, nam de anima ejusque pulcritudine virtutum suam sententiam jam prompsit. *Ecce tu pulcher es, patruelis meus, & formosus. Ex quo enim mihi nihil aliud videtur esse pulchrum, sed aversatus sum omnia, quæ antea reputabantur in bonis ac pulchris, non ampliùs mihi aberrat de bono judicium, ut aliquid præter te existimem esse bonum ac pulchrum; non ullum honorem humanum, non gloriam, non splendorem mundanum, non potentiam. Hæc enim iis qui aspiciunt ad sensum, boni quidem specie sunt illita; sed non sunt id quod putantur. Quomodo enim fuerit pulchrum, quod nullo modo consistit? Nam quod in hoc mundo est honoratum, suam habet essentiam in sola existimatione eorum qui esse existimant. Tu autem verè pulcher, non solum pulcher, sed ipsa boni essentia, semper talis es omnino id quod es; nec in tempore florens, nec in tempore rursus florem abiiciens; sed cum vitæ æternitate simul extendens speciem ac decorem.*

XVI. Pachymeres autem Dionysii sententiam ita elucidat, ab antedictis non discrepantem, circa divinam animæ impressam pulcritudinem: *Etenim* Eccl. Hier. c. 3. n. 7. *primum à bono Deo conditi, & archetypis pulchritudinibus ad deiformitatem efformati sumus. Archetypa verò vocat ea quæ in divina natura conspiciuntur, quorum homines pro captu modoque suo Deus participes effecit, & in Paradiso diviniori quodam ad superna modo surrigebamur.* Primigeniæ porrò & archetypæ istæ seu exemplares pulcritudines, à Conditore animis nostris inscriptæ, non aliæ prorsus sunt, quàm justitia, sapientia, cæteræque virtutes. Atque ita Dionysii Pachymerisque sententia ne tantillum quidem à Basilio & Nysseno discordat.

CAPUT XXI.

De pulchritudine à Deo per mentem in animam, per animam in corpora defluente, sive naturalia, sive artefacta.

I. De pulchritudine Dei per mentes in animas, per animas in corpora naturalia effluente, & animas retorquente ad Deum, cum corporea pulchritudo expenditur ad regulas summæ pulchritudinis intus radiantes.

II. Idem de corporibus artefactis, quibus imprimitur pulchritudo per manus, & per mentes artifi-

cum, ad æterna sursum exemplaria arrectas; quo & mentes suas amoremque arrigere debent artefactarum pulchritudinum admiratores.

III. Seu naturæ, seu artis opera pulchra ex eodem Augustino non admiramur, non amamus, nisi secundum interiores regulas pulchritudinis, seu inscriptas animæ nostræ, seu supernè adradiantes, ex quarum decreto illa probamus, vel improbamus, aliaque aliis postponimus, vel anteponimus. Sed ita omnino necessum est, in his non morari, non oblectari, nisi totum in divinam pulchritudinem & sapientiam reflectatur.

IV. De eodem rursus.

V. Itaque divina pulchritudo in animas prius exundat, & ita demum redundat in corpora.

VI. Suam hanc, & Plotini doctrinam munit Augustinus Scripturarum auctoritate, quæ florum venustatem & purpuram à Deo ipso illuminari docent.

VII. Ambrosius.

VIII. Clemens Alexandrinus & Basilius.

IX. Gregorius Nyssenus.

X. Chrysostomus.

I. EXtremum hoc nobis superest disceptandum de lapsu pulchritudinis à summo sursum fonte ad corpora per medias mentes, animasque, ad corpora inquam sive naturalia, sive arte & industria hominum elaborata.

Et quod ad corpora naturalia attinet, ab his se testatur Augustinus ita ad Deum assurrexisse, dum pulchritudinem eorum oculo corporis perlustratam, mentis trutina examinat, perpenditque & judicat secundùm regulas incommutabilis pulchritudinis Dei supernè menti adrutilantes. *Rapiebar ad te decore tuo, diripiebar abs te pondere meo. Quærens enim unde approbarem pulchritudinem corporum, sive cœlestium, sive terrestrium, & quid mihi præsto esset integere de mutabilibus judicanti, & dicenti: Hoc ita esse debet, illud non ita; hoc ergo quærens unde judicarem, cum ita judicarem, inveneram incommutabilem & veram veritatis æternitatem, supra mentem meam commutabilem.* Incommutabiles ergo illæ leges regulæque divinæ pulchritudinis imprimuntur primò mentibus, ut secundùm eas de sua alienaque pulchritudine judicent, approbando, improbandoque; deinde ad extremas usque corporum naturas exporriguntur. Sic à pulchritudine naturæ corporeæ ad leges pulchritudinis mentibus inscriptas conscenditur, & ab his ad ipsum increatæ pulchritudinis fontem.

Confess. l. 8. c. 17.

II. Quod ad opera verò artis spectat, non minùs manifestum eorum pulchritudinem per manus artificiosas in ea traiici ab anima opificis, cujus in iis foris elaborandis & perpoliendis oculus interior interim ad cœlestes & increatas arrectus est regulas increatæ pulchritudinis. Ita præstantissimè idem rursus Augustinus: *Quàm innumerabilia variis artibus & opificiis, in vestibus, calciamentis, vasis, & hujuscemodi fabricationibus, picturis etiam, diversisque figmentis, atque his usum necessarium atque moderatum & piam significationem longè transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum, foras sequentes quod faciunt, intus relinquentes à quo facti sunt, & exterminantes quod facti sunt!* Hujusmodi sunt pleraque artis opera, vanitatis & superfluitatis hominum ludibria, inanissima curiositatis spectatorum pabula; quibus ab illis imprimitur, ab his suspicitur aliqua supernæ pulchritudinis imago, dum & hi & illi foras sparsi & dissipati, interiùs fulguranti illi pulchritudini summæ terga vertunt. At Augustinus, at Theologus, at quisquis illuminatos luce sapientiæ oculos habet, ab his pulchris exurgit ad summam pulchritudinem, cujus vestigia per animas in manus artificis, per easque rursus in subjectam arti materiam trajecta deprehendit. *At ego, Deus meus & decus meum, etiam hinc tibi dico hymnum, & sacrifico laudem sanctificatori meo; quoniam pulchra trajecta per animas in manus artificiosas, ab illa pulchritudine veniunt, quæ super animas est, cui suspirat anima mea die ac nocte.* Vides hic quo oculo, quo sensu conspicienda, miranda, & magnipendenda sint artis miracula; nimirum ut simulachra quædam summæ & incorruptibilis pulchritudinis Dei, quæ unitatis, convenientiæ, consonantiæ, æqualitatis, & alias istiusmodi pulchritudinis leges ita inscripserit menti hominis, ut à mente in animam imaginantem, ab hac in manus artificis, & per has denique in materiam substratam traiicerentur. Et quidem tum artifices tum spectatores nec approbare, nec improbare possunt opera artis, nisi secundùm illas immutabiles regulas, quas vident supra suas mentes mutabiles; multò & sapientiores & meliores utique futuri, si unde trahunt judicandi, traherent etiam utendi vivendique legem; hoc est si quam sequuntur in opere probando improbandove, fingendo vel refingendo legem, eandem sequerentur in utendo sive artis sive naturæ operibus. Unde ibidem statim Augustinus: *Sed pulchritudinum exteriorum operatores & sectatores inde trahunt approbandi modum, sed non inde trahunt utendi modum.* Et mox: *Et ibi est, & non vident eum, ut non eant longiùs, & fortitudinem suam ad te custodiant, nec eam spargant in deliciosas lassitudines.* Hoc est, modus ille, & lex seu regula pulchritudinis, cui obsequuntur, in judicando, in operando, in approbando, intus est, in ipsa eorum mente intus radiat, & longè pulchrior, longè suavior est illa tota pulchritudine artefactorum, in quæ se foras spargunt, & aberrantes à vera & interiori dulcedine, nequicquam in consectandis ejus vestigiis & umbris defatigantur.

Confess. l. 10. c. 34.

III. Cæterùm tum naturæ, tum artis operum pulchritudinem alibi idem Augustinus contexuit, & ad easdem summas & incommutabiles leges supernè nobis affulgentes à nobis comparari docuit: seu dum eas spectamus, seu dum operamur, & utrumque spectatoris vel artificis munus implemus judicando, approbando, improbando, numerosque corporum sensibiles ad incorporeos incommutabilesque summæ artis summæque sapientiæ numeros referendo. Sic ergo primùm ille de naturæ operibus: *Ostendet se illis sapientia in viis hilariter. Quoquo enim te verteris, vestigiis quibusdam, quæ operibus suis impressit Sapientia, loquitur tibi, & te ad exteriora relabentem ipsis exteriorum formis intro revocat; ut quidquid te delectat in corpore, & per corporeos illicit sensus, videas esse numerosum, & quæras unde sit, & in teipsum redeas, & intelligas te id quod attingis sensibus corporis, probare aut improbare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulchritudinis leges, ad quas referas quæque pulchra sentis exteriùs.* De lib. arb. l. 2. c. 16.

Ita de pulchritudine corporum naturalium. Jam de artis humanæ pulcherrimis conatibus sic idem ibidem: *Et omnium quidem formarum corporearum artifices homines in arte habent numeros, quibus coaptent opera sua; & tandiu manus & instrumenta in fabricando movent, donec illud quod formatur foris, ad eam quæ intus est lucem numerorum relatum, quantum potest, impetret absolutionem, placeatque per interpretem sensum interno judici, supernos numeros intuenti.* Cumque demonstrasset numeris constare seu proportionibus, tum pulchritudinem formati per artem corporis, tum motiones membrorum artificis, & hos numeros à mente artificis in membra ejus, & per membra in opus traiici, subdit: *Transcende ergo & animum artificis, ut numerum videas sempiternum; jam tibi sapientia de ipsa interiori sede fulgebit, & de ipso secretario veritatis.* Refugit primò & resilit animus hac luce intelligibilis veritatis præstrictus, sed assuescit paulatim ad eam subinde recurrando illam contueri, illaque frui: *Quæ si adhuc languidiorem aspectum tuum reverberat, refer oculum*

lum mentis in illam viam, ubi se ostendebat hilariter: id est in artis summæ & æternæ pulchritudinis vestigia corporibus impressa: *Memento sanè distulisse te visionem, quam fortior saniorque repetas.* In illa enim sæpiùs iterata artefactorum comparatione cum sempiternis numeris artis & sapientiæ & pulchritudinis divinæ, roboratur, purgatur & convalescit paulò animus, ut possit ipsam lucem summæ sapientiæ & pulchritudinis sine ullo corporum adjumento contemplari. Beatum est ipsam per sese pulchritudinem artis & sapientiæ creatricis contemplari, silentibus corporeis sensibus. Non pœnitendus profectus est, sensibiles naturæ & artis pulchritudines ad æternam divinæ artis & sapientiæ lucem referre & comparare, ab illis ad hanc, ab hac ad illas iter sæpissimè metiri & remetiri. Miserum & scelestum est in imis summæ pulchritudinis vestigiis, sive naturæ operibus, sive arti impressis ita defigi, ita conquiescere, ut ad lucem supernam, ad quam ista & fabricantur & approbantur, nunquam attollantur oculi mentis. *Væ qui relinquunt te ducem, & oberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant, & obliviscuntur quid innuas, o suavissima lux purgatæ mentis sapientia. Non enim cessas innuere nobis, quæ & quanta sis; & nutus tui sunt omne creaturarum decus, &c. Væ qui se avertunt à lumine tuo, & obscuritati suæ dulciter inhærent. Tanquam enim dorsum ad te videntes, in carnali opere velut in umbra sua defiguntur; & tamen etiam ibi quod eos delectat, habent de circumfulgentia lucis tuæ.* Non probantur enim, non placent pulchra vel naturæ vel artis opera, nisi ob accuratam consonantiam suam cum illis regulis pulchritudinis incommutabilibus, quas omni rationali animæ lux æternæ veritatis demonstrat. Quo magis piaculare est, si illa per hanc probantur, & placent, & suaviter spectantur; hæc verò nec probetur, nec placeat, nec spectetur.

IV. Rursus alibi conjunctim eadem duo illa pertractat Augustinus, non sine novæ lucis additamento. Et primò de corporibus naturalibus: *Non enim frustra & inaniter intueri oportet pulchritudinem cœli, ordinem syderum, candorem lucis, dierum noctiumque vicissitudines, &c. In quorum consideratione non vana & peritura curiositas exercenda est, sed gradus ad immortalia & semper permanentia faciendus, &c.* Jam verò ad artefacta: *Sed cùm in omnibus artibus convenientia placeat, qua una salva & pulchra sunt omnia, ipsa verò convenientia æqualitatem unitatemque appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium, quis est qui summam æqualitatem vel similitudinem inveniat, &c. Proinde ipsa vera æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera & prima unitas non oculis corporeis, neque ullo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Unde enim qualiscumque in corporibus appeteretur æqualitas, aut unde convinceretur longè plurimùm differre à perfecta, nisi ea quæ perfecta est, mente videretur?* Omnino videat anima artificis necesse est, & intus videat regulam quandam unitatis, convenientiæ & æqualitatis, quam in opere suo sequi affectet, & assequi se non posse sentiat. Ubi autem illam videt, nisi in luce veritatis? *Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis.* Si quis ad hæc lumina hebescat, nec quid dicamus capiat, ille est de quo infrà Augustinus idem ait, *Inclinatus enim recumbit oculis; & unde pendeat non intelligit.*

V. Universim ergo constat quod idem alibi rursus commendat Augustinus, summam micare supernè pulchritudinem, quæ priùs in anima superiores, deinde in corporibus inferiores pulchritudines operetur: *Non quærens extrinsecus visibilia quamvis cœlestia, quæ aut non inveniuntur, aut cum magno labore frustra inveniuntur; nisi ex eorum quæ foris sunt pulchritudine, inveniatur artifex qui intus est, & priùs in anima superiores, deinde in corpore inferiores pulchritudines operetur.* Et alibi rursus ait ab illa ipsa sapientia quæ orbem per se fabricavit, fabricari etiamnunc per animas manusque artificum medias, imitamenta omnia artificiosa corporum naturalium; ab illa enim sapientia derivatæ sunt rationes, species & ideæ, tum quæ corporibus condendo ab ea imprimuntur, tum quæ animabus manibusque artificum communicantur, per eas in subjecto aliquo exprimendæ. *Ars illa summa omnipotentis Dei, per quam ex nihilo facta sunt omnia, quæ etiam sapientia ejus dicitur; ipsa operatur etiam per artifices, ut & pulchra atque congruentia faciant, &c. Numeros & lineamentorum convenientiam quæ per corpus corpori imprimunt, cum artifices in animo accipiant ab illa summa sapientia, quæ ipsos numeros & ipsam convenientiam longè artificiosiùs universo mundi corpori impresserit, quod de nihilo fabricatum est, &c. Non omnis numerositas humani corporis invenitur in statua; sed tamen quæcumque ibi inveniuntur, ab illa sapientia per manus artificis traiiciuntur, quæ ipsum corpus humanum naturaliter fabricat.* Quo sanè nihil præclarius dici potuit, nihil magnificentius ad artium artificumque commendationem; sed aspernabiles ipsi seipsos efficiunt, dum materiæ quam elaborant immersi, arti & scientiæ terga obvertunt, cujus luce & regulis opus suum elaborant. *Nec ideo tamen pro magno habendi sunt, qui talia opera fabricant aut diligunt, quia minoribus rebus intenta anima, quas per corpus corporaliter facit, minùs ipsi sapientiæ summæ inhæret, unde istas potentias habet, quibus malè utitur, dum foris eas exercet. Illa enim in quibus ea exercet diligens, interiorem earum formam stabilem negligit, & inanior infirmiorque efficitur.*

VI. Unum non ampliùs locum addam ex Augustino, ubi sententiam Plotini de pulchritudine corporum à divinis numeris & ab intelligibilis pulchritudinis incommutabili sursum forma pendente & defluente, confirmat ex ipsis Christi verbis, docentis flores, lilia, rosas à Deo ipso ea vestiri purpura, quam nec Regum opulentia & splendor possit æquare. *De providentia certè Plotinus Platonicus disputat, eamque à summo Deo, cujus est intelligibilis & ineffabilis pulchritudo, usque ad hæc terrena & ima pertingere, flosculorum atque foliorum pulchritudine comprobat; quæ omnia quasi abjecta & velocissimè pereuntia, decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, ubi forma intelligibilis atque incommutabilis simul habens omnia perseverat. Hoc Dominus Jesus ibi ostendit, ubi ait, Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent; dico autem vobis quia nec Salomon, &c. Quod si fœnum agri sic Deus vestit, &c.*

VII. Ambrosius summam fœlicitatis non in divitiarum seu deliciarum cumulo locat, sed in videnda fruendaque summa pulchritudine, præ qua reliquæ omnes flocci fiant. *Non ergo his uti beatum est, sed illud videre, quo ista despicias, & vana veris refellas, atque inania & cassa judices, illam nudæ veritatis pulchritudinem diligas, quæ has sæculi fucosissimas vanitates redarguat.* Hilarius uno verbo rem absolvit: *Magnorum creator in maximis est: & pulcherrimorum conditor in pulcherrimis est.*

VIII. Clemens Alexandrinus castis oculis ait pulchritudinem corporum videri, tanquam splendorem virtutum animæ, & gradum, quo spectator ad Deum, qui vera pulchritudo est, se attollat: *Qui per castam aspicit dilectionem, non carnem, sed animam pulchram esse existimat; corpus, mea quidem sententia, admirans tanquam statuam, per quam pulchritudinem ipse quoque seipsum transmittit* ad ar-

Marginal notes: De vera Relig. c. 29. — Ibid. c. 31. — Ibid. c. 32. — L. 83. qq. q. 45. — Ibid. q. 78. — Civit. l. 10. c. 14. — Epist. 11. — De Trinit. L. 1. — Strom. l. 4.

ad artificem, & ad id quod verè est pulchrum. A quo non abludit Basilius, dum ait animam veri pulchri desiderio & imagine insignitam, puroque purum prosequi certam, corpus ipsum suum virginitati consecrare, ut vel sic pulcritudini animæ caro famuletur. L. de vera virgin. *Anima veri pulchri desiderio & imagine suscepta*, τοῦ ὄντος καλοῦ φαντασίαν λαβοῦσα, *ad ipsum veluti penna quadam, pudicitiæ sanctitate subvehitur: ac simili simile, hoc est, incorruptibilem Deum inviolabili puritate colere omni studio intenta, corporis virginitatem ad suæ ipsius pulchritudinis famulatum obsequiumque, velut ancillam ducit*.

IX. Nyssenus ipsum bonum, ipsumque pulchrum esse Deum præfatus, tum animam ejus imagine & pulchritudine nobilitatam esse docet, & in corpus quandam etiam suæ pulchritudinis imaginem transfudisse, Rerum ordinem constare, quandiu ad hunc modum defluunt rivuli pulchritudinis à summa natura in mediam, à media in infimam. Si series illa & contextio abrumpatur, omnia pessum ruere. Omnino illud ratum inconcussumque esse, nil pulchri esse posse, quod non summi boni aura aliqua afflatum sit, ad illudque referatur. L. de opific. Hom. c. 12. *Nam cum omnium pulcherrimum ac præstantissimum bonum sit Deus ipse, ad quem omnia respiciunt, quæ boni desiderio tanguntur; idcirco & mentem dicimus factam ad boni pulcherrimi imaginem, quandiu similitudinis cum archetypo particeps est, haud dubio pulchri præstantiam tueri. Porrò quemadmodum indicatum est similitudine principis pulchritudinis ornatam esse mentem, perinde ac speculum figura faciei ex ipso relucentis insignitur; eadem ratione & naturam quæ à mente administratur, erga eandem affectam esse statuimus, ut scilicet & ipsam ornari propinqua pulchritudine dicamus, & quasi speculum esse*. Et infrà: De Virgin. c. 11. *Pulchrum verò censeri debet, quodcumque ad princeps bonum congruit. Quod consentaneum autem ei non est, omnino pulchritudinis expers est*. Et alibi idem ipse præclarissimè ut à corporum animarumque pulchritudine ascendamus ad illud summum pulchrum, quod æternum, quod incommutabile, quod semper eodem modo est; non quo ignorare quis possit Deum esse ipsum pulchrum ipsumque bonum; sed quòd optatissimum sit in illius adytum via & arte aliqua penetrare. *Hic profectò & amore & cupiditate ad illud ipsum solum honestum pulchrumve trahetur, quod non aliunde existere potest, neque aliquando, neque ad aliquid ejusmodi refertur; sed quod ex se, & per se, & in se pulchrum est, hoc sanè est semper pulchrum, neque aliquando non fuit, aut aliquando non futurum; sed perpetuò se uno eodemque modo habet, neque omnino augeri, neque amplificari, neque ulla mutatione mutari potest, &c. Nam propriè & primum & solum pulchrum Deum esse, nemo tam cæca mente est, quin per se intelligat*.

X. Chrysostomus autem prolixè refellit eos, qui suam in creaturarum cultu superstitionem hac causatione excusabant, quòd tam pulchrum Deus mundum condidisset, qui pro Deo haberi posset. Ad popul. Ant. hom. 10. *Nisi magnum & pulchrum fecisset, non ipsum consecrassemus. Nunc verò magnitudine perculsi, & ipsius pulchritudinem admirati, ipsum Deum esse putavimus*. Contrà tendit Chrysostomus, hanc criminationem à se Deum satis superque eo uno propulsasse, quòd nullas non partes mundi corruptibiles condiderit. Hoc ipsum alibi observat in homine, quem ex luto compegit, & eidem tamen luto infundendo animam, immensam quandam infudit circumfuditque pulchritudinem. De prophetiarum obscur. hom. 2. To. 3. p. 951. *Sapientiæ suæ specimen edit, ut qui etiam in luto possit tantam pulchritudinem exhibere. Nam ut statuarium, &c. Ita summum opificem obstupescimus, quod in pulvere ac luto pulchritudinem quandam immensam, & ineffabilis cujusdam sapientiæ specimen in nostris corporibus collocarit*. Multa alibi quoque disserit de animæ pulchritudine præ corporea. In Epist. 2. ad Corinth. *Si talem vitam & talem formam anima corpori præbet, quà ipsa in sese pulchritudine ac vita vivet? Si corpus ita fæculentum continet, quid seipsam?* Hom. 7. & Hom. 55. in Matth. *Nulla enim alia corporis nostri pulchritudo est, nisi staturæ compositio, & flos qui ab anima corpori conceditur. Animam ergo dilige, quæ corpus in pulchritudine & flore continet. Lætitia animus perfusus roseo genas conspersit colore; dolore vexatus omnem oris pulchritudinem statim deformavit. Unde qui assidua gaudent lætitia, in bonam corpora sua reducunt habitudinem. Tranquillitas animi jucundam constituit faciem, &c.*

CAPUT XXII.

De amore quid antiquissimi Philosophi scripserint.

I. Platonis sententia de natalibus amoris ex chao, de duplici amore, puro, & impuro, virtutum & corporum. Et Philosophia, & Religio tota eo contendit, ut amor purgetur. Amor enim invictos facit.

II. Amor pulchritudinis sectator est, & pulcherrimus ipse, animique pulchritudo est.

III. Amore devenitur tandem ad immensum quoddam pulchritudinis pelagus.

IV. Ex Plotino, anima inhærescens Deo, ab eo haurit pulchritudinem, amorem, quietem: & virginali connubio tandem adglutinatur ei; posita aliquando corporis sarcina, erit continuitas videndi pulchrum, imò hoc ipsum evadendi.

V. Amoris, etiam ejus qui in creatas res effunditur, origo est, insita animabus summi pulchri cognitio, appetitio, cognatio.

VI. Maximo Tyrio amor, vel Deus est, à quo omnia bona: vel morbus, à quo mala omnia: charitas, & cupiditas, Paulo dicta.

I. NOn potest vel fingi ulla major affinitas, quàm pulchritudinis & amoris. Ideo & jam non pauca de amore prælibata sunt, cùm de pulchritudine supra disputaremus. Nunc obiter pauca seligemus, quæ hic intexantur, priùs ex Philosophis, post ex sanctis Patribus, ne crimini nobis detur, quòd cùm Deus charitas sit, hanc ejus laudem, hoc nomen tacuerimus. Observat Plato ab Hesiodo Poeta antiquissimo post chaos duo constituta primùm dici, terram & amorem, *Post chaos asserens duo extitisse, terram atque amorem*. In Convivio. Videsis an hic sit ille Spiritus, qui ferebatur super aquas. Hinc Plato infert, *ex antiquissimorum Deorum numero* esse amorem. Cùmque Veneris nomine amorem persæpè designarent Gentiles, ipse observat duplicem illam fuisse. *Nonne una quædam antiquior est, & sine matre Venus, cœlo nata, quam cœlestem Venerem nuncupamus? Altera junior, quam Pandemum, id est, vulgarem communemque vocamus?* Liquet duplicem hic amorem designari, castum & virtutum animi studiosum alterum, alterum sordibus corporeis immersum. Ut fluxa sunt corpora, perennes autem animæ virtutesque, ita se habent & qui his adhærescunt amores. *Pravus est amor ille vulgaris, qui corpus magis quàm animum amat. Neque enim stabilis est, cum rem amet minimè stabilem. Simul atque enim corpus deflorescit, abit atque avolat, nihil eorum quæ promiserat servans. Bonorum verò morum amator, per omnem vitam in amicitia perseverat, utpotè qui rem stabilem sectetur*. Addit invictas fore civitates, si solis ultro citroque amatoribus constarent, quòd invictus sit, & invictos præstet amor. *Supra quàm dici possit fortiter agerent, administrarentque singula, dum per verecundiam à turpibus abstinerent, & ad honesta quadam æmulatione contenderent; talesque homines vel pauci numero, universos ut ita dixerim homines præ-*

lio

lio superarent. Turpis est autem amor quicumque, si vel divitiarum, vel honorum illecebra ducatur, aut alio quovis stimulo, quàm sapientiæ vel edocendæ, vel edifcendæ. *Quoties in idem concurrunt amator atque amatus; & hic quidem ad sapientiam aliasque virtutes conferre potens, ille autem eruditione & sapientia indigens: tunc sanè evenit, ut honestum sit amatos amatoribus morem gerere, aliàs autem nullo modo*. Ideò non Philosophia tantùm, sed & religio tota in hunc finem, in hunc scopum collineat, ut amorem mundet, mundatumque custodiat & tueatur. *Præterea sacrificia omnia, & illa quibus vaticinium præest, communiones videlicet Deorum hominumque invicem, circa nihil aliud versantur, quàm amori curationem atque custodiam. Omnis enim impietas tunc accedere consuevit, quando quis modesto amori haud indulget, nec illum honorans in omnibus veneratur, sed circa amorem alterum pervagatur, nec officio congruo erga parentes vivos & defunctos, & erga Deos utitur. Hos amores discernere atque curare vaticinii propositum est. Et insuper vaticinium amicitiæ inter Deos & homines opifex, ex eo quod intelligit, quis potissimum ex humanis amoribus fas & nefas attingit. Atque ita multam & amplam, imò verò omnem vim summatim quidem omnis continet amor; sed qui circa bona cum temperantia & justitia, tam erga nos, quàm erga Deos versatur, vim summam habet, omnemque nobis beatitudinem conciliat. Nam & nos invicem communi vita conciliat, & Diis humana natura præstantioribus amicos efficit*. Affinia omnino hæc sunt illis sacrarum nostrarum literarum sanctorumque Patrum decretis de charitate Dei & proximi, de charitate & de cupiditate; ut charitas omnium bonorum radix sit, ut omnium malorum fons & caput sit cupiditas, ut tota vitæ probitas legisque plenitudo sit charitas, ut denique charitas una summa sit & perfectæ virtutis, & cumulatæ fœlicitatis. Quæ eo maximè consilio à me inculcantur, ut intelligas, quàm amica, quàm consentanea sint naturæ Christianæ Theologiæ castissima quæque placita, cùm solo naturæ magisterio hæc exteriores Philosophi propalata evulgarint.

II. Ne diutiùs autem te morer, omnino hæc ad pulchritudinem spectant, de qua nobis sermo erat. Indefessus enim pulchritudinis sectator amor est, & ipse longè pulcherrimus. *Assero equidem cum Dii omnes beati sint, amorem, si modò fas est & tolerabile dictu, esse omnium beatissimum, quippè cum pulcherrimus omnium optimusque existat, &c. porro inter deformitatem & amorem pugna est perpetua*. Pergit porrò demonstrare Plato amoris summam quandam esse & fortitudinem, & justitiam, & sapientiam, & temperantiam: ut omnis virtus numeris suis absoluta omnibus, amor quidam sit, & amor pulchritudinis. Quid enim pulchrius his virtutibus, & quæ usquam vera præter virtutes pulchritudo? *Quocirca res Deorum amore interveniente dispositæ sunt, amore inquam pulchritudinis. Deformitatem quippè non sequitur amor*. Et infrà: *Cunctorum Deorum atque hominum decus & dux, pulcherrimus atque optimus amor est*. Porrò cùm bonum pulchrumque idem sit, ut boni, ita & pulchri amor omnibus naturaliter insitus est. *Numquid hanc voluntatem amoremque cunctis censes hominibus esse communem, omnesque velle bona sibi semper adesse? Communem planè, &c. Est igitur summatim amor appetitio, qua bonum sibi semper esse quis cupit*. Nec amor iste ab innato omnibus amore fœlicitatis differt.

Ibidem.

III. Amore autem isto per varios gradus eluctante, devenitur tandem ad immensum quoddam pulchritudinis pelagus, quo tota absorbetur anima. *In profundum pulchritudinis pelagus se mergat, &c. Quicumque huc usque per amatoria gradatim deductur, recto ordine pulchra intuitus, ad finem jam amatorii affectus perveniens, subitò quandam natura mirabilem inspiciet pulchritudinem. Hoc illud cujus gratia labores omnes præcedentes subivimus. Principio quidem semper est, nec fit, nec interit, nec crescit, &c*. Reliqua hujus loci superiùs relata sunt. Hinc porrò claret hanc ipsam pulchritudinem amorem ipsum esse, cùm longè omnium rerum pulcherrima antè diceretur amor.

IV. Nec minùs præclarè Plotinus, ut mens hauriat à Deo pulchritudinem, amorem, quietem, fœlicitatem, & jugiter hauriat illi inhærescens, nec ad punctum temporis ab eo recedens: *In hoc autem choro inspicit anima vitæ fontem, fontem mentis, entis ipsius principium, boni causam, animi radicem, &c. Jam verò neque nos inde sejuncti sumus, neque seorsim vivimus, quamvis natura corporis incidens nos traxerit ad sei psam. Simul enim afflamur inde atque servamur: non adeò tamen ut ille quidem nobis tradiderit, deinde distet à nobis; sed continuè largiatur, quatenus hoc ipsum quod est, perseverat; imò verò quatenus ad illum ipsi vergimus. Hic profectò bonum consistit nostrum; hinc procul abesse, nihil aliud est quàm esse minus; hìc anima requiescit, hìc tantùm animus à malis est liber; hìc verè intelligit, nec ullis obnoxius est passionibus; hìc solùm vivere reverà contingit. Quod enim nunc vivere dicitur sine Deo, vestigium vitæ est, supernam imitans vitam*. Vita autem hæc amor est, quo fervet anima Deo copulari, sed virginali connubio: *Quoniam aliud animus est quàm Deus, & tamen est ex illo, necessariò amat illum. Jam verò cum illic vivit, cœlestem habet amorem; hìc autem communis fit atque vulgaris, &c. Animus ergo in naturali habitu constitutus amat Deum, Deo commisceri desiderans, quasi virgo, pulchri ad pulchrum amore*. Et nunc quidem ob sarcinam corruptibilis corporis fatiscit quandoque anima; sed erit, cùm continuitas erit videndi & amandi pulchrum ipsum, imò hoc ipsum evadendi. *Curnam igitur animus ibi non permanet? profectò quoniam nondum hinc emigravit omnino. Erit autem & quando dabitur continuitas intuendi, cùm scilicet corpus nullo modo intuitum perturbabit, &c. Forsan verò neque videre dicendum, sed fieri ipsum visum. Tunc sanè neque propriè videt, neque tanquam videns ipse discernit, neque duo quædam imaginatur; sed animus tunc tanquam factus jam alius, neque ipse ulteriùs, neque sui dumtaxat, illuc se confert, illique se dedit, factusque totus illius, evadit protinus unum, tanquam centrum cum centro conjungens*. Istud verò est in pulchritudinis & amoris pelagus demergi, nec jam ab eo secerni.

Ennead. 6. L. 9. c. 9.

Ibid. c. 10.

V. Alibi rursum idem Plotinus amoris cujuscumque humani & vulgaris altissimam originem repetit ab antiqua insitaque animabus ipsius pulchri appetitione, notione, cognatione. Consequens enim est, ut qui pulchrum ipsum amat, ejus quoque imagines & simulacra amet. *Si quis igitur principium amoris ponat antiquam ipsius pulchri insitam animabus appetitionem, notionem, cognationem, & quandam sine rationis actu cognationis perceptionem, is à veritate causæ minimè aberrabit, &c. Quisquis autem aliquo delectatur quasi cognato, ad imagines quoque ejus quasi affines afficitur, &c. Proindè penes illos qui ab hoc pulchro in superni pulchri reminiscentiam revocantur, pulchrum hoc velut imago diligitur. At penes illos qui minimè recordantur ob ignorantiam passionis, nostra hæc vera pulchritudo censetur*. Pergit deinde Plotinus retexere quæ disseruerat de amore Plato in Convivio, non sine fabellis quibusdam næniisque anilibus intertextis, quæ eò demum vergunt, ut amor cœlestis in genere dæmonum sit, sed longè pulcherrimus & præstantissimus. Has fabulas & Plato & Plotinus sensu philosophico interpretantur, & ne idquidem sine errorum sibi familiarium contagio: de quibus nos alibi.

Enn. 3. l. 5. c. 1.

VI. Maximus Tyrius luculentè observat, uno amoris nomine duas res diversissimas & maximè pugnantes significari, Deum & morbum: quorum ab altero bona manent omnia, improbitas omnis ab
Differt. 8. altero proficiscatur. *Ut intelligas rem duplicem, quarum altera cum virtute, altera cum improbitate conjuncta est, uno nomine amorem ab hominibus dici. Eadem enim voce & Deum mortales significant, & morbum*. Subiicit castum verumque amorem esse, qui ad id pulchrum quod verè est efferveſcit: adulterinum autem, qui id venatur pulchrum, quod videtur esse, nec est. *Si pulchrum duplex est, quorum alterum videtur esse, nec est; alterum videtur & est; necesse est eos qui pulchrum illud ambiunt, quod videtur, nec est, spurios & adulterinos amatores esse: contrà qui illud quod videtur & est, veros amatores esse, & verum pulchrum amare*. De veri hujus pulchri casto & illimi amore existimat intelligi debere, quod cùm omnium prorsus se nescium ignarumque esse Socrates profiteretur, *so-*
Differt. 9. *lum tamen amatoriæ scientiæ nomen artemque sibi vendicaret, in eaque quotidie se occupari fateretur*. Non ille is erat, qui imagine pulchri ludi se sineret. Nam vulgus hominum *cum nomen audit*
Differt. 10. *pulchritudinis, impellitur; quia autem veram ignorat pulchritudinem, decipitur*. Pravus amor angustias quærit, probus universos complectitur. *Amant unum multi, unus multos. Voluptas quippè libidinosa societatem non admittit. Amor qui ex aspectu vivit, verè socialis est, seseque ad omnia quæ amari possunt extendit. Quid ipso Sole pulchrius? quid pluribus sufficit amatoribus? Et tamen Solem diligunt omnium oculi*. Et ne verba ipsa desideres Christianæ Theologiæ familiaria, vide ut idem infrà amorem à concupiscentia dispescat: *Diximus*
Differt. 11. *amorem ipsius amorem esse; eos qui voluptate ducuntur, non amare, sed concupiscere dicamus, ne fortè voce ambigua, non verba tantum, sed rem ipsam mutemus. Amor igitur pulchrum spectet, voluptatem spectet concupiscentia*. Differt autem amor à concupiscentia, quòd amor sit *idem quod ratio, quod virtus, quod ars. Ratio quod ad veritatem ejus, virtus quod ad naturam, ars quatenus honestum spectat & consequitur*. Denique amorem ait esse summi pulchri, quod antè hanc vitam anima contemplabatur. Denique idem alibi elegantissimè prosequitur, ut virtus, ut amor, ut pulchrum à voluptate sejungi non possit, casta nimirum & intelligibili voluptate. *Pulchrum quamvis dicas, vo-*
Differt. 11. *luptatem nominas. Nisi forte aliquid pulchrum sit, cui non adsit voluptas*. Et paulò pòst: *Quam tu quidem virtutem dicis, ego verò ut virtutem non tollo, ita unum hoc ex te quæram: Utrum sine amore ullo virtutem persequatur animus? Hunc si dicas amorem, voluptatem dedisti. Licet enim nomen permutes, nec voluptatem voces, sed gaudium, diversa admitto nomina, rem tamen ipsam video, voluptatem agnosco*.

CAPUT XXIII.

De amore Dei, & Deo amore, quid Patres Latini senserint.

I. Ex sanctis quoque Patribus, pulchritudo summa Deus est, idemque summus amor. Luculentè ex Augustino.

II. Deus dilectio est, & tam intimum, præsentem, notumque illum habemus, quàm amorem, quo in eum, imò & quo in proximum fervemus. Charitas quippè & virtus qualibet nostra vera, illa summa, exemplaris & divina forma est nobis insculpta, & impressa, ut annulus ceræ: nec semel impressa, sed jugiter & semper imprimenda.

III. Hac charitate adunantur omnes Angelicæ, humanæque mentes; quo nil fœlicius, nil pulchrius, imò hæc ipsa pulchritudo est, charitas Deus.

IV. Quisquis Deum, charitatem & pulchritudinem summam amat, habet, & pulcherrimus ipse est; qui non amat, nisi splendore ejus perfusus & imbutus.

V. Assentitur antedictis Ambrosius, eaque censet Gentiles Philosophos sacris ex litteris hausisse.

VI. Fulgentius Augustini sectatur vestigia.

VII. Qui & docet ita castissimè diligi Deum & proximum, cum diligitur pulchritudo justitiæ sempiternæ, quæ ipsa dilectio est, quam Deum esse, & proximo inesse scimus.

VIII. Ex Bernardo pulcherrimè, ut Deus lex amoris sempiterna sit, qua vivit ipse, qua naturas omnes intellectuales vivere jubet.

IX. Philosophiam Theologiæ, Theologiam priscam novæ conciliat Bernardus, dum charitati substantivæ accidentariam adjungit, seu affectum animæ nostræ Deum diligentis & proximum.

X. Consentit his auctor libelli de amore Dei apud Bernardum.

XI. Et Cardinalis Contarenus, ajens, sola amoris redundantia raptum extra se Deum, mundum condidisse, & etiamnunc conservare.

I. EX Philosophis pauca delibata sunt capite superiori, eaque ex non paucis fabularum & anilium penè deliramentorum quisquiliis, quibus permixta fuerant, à nobis extricata. Nunc pura & defæcata doctrina sanctorum Ecclesiæ primum Latinæ Patrum ob oculos constituenda est, circa amorem summæ pulchritudinis Dei, qui amor ipse quoque & Deus & summa pulchritudo est. Nec enim hic nobis alia obversatur pulchritudo, quàm justitia & sapientia incommutabilis: porrò amor justitiæ justitia est, ex quo illud colligitur, ut & ipsa pulchritudo amor sit. Audi Augustinum: *Deus dilectio est, & fideles in dilectione acquiescent* De Trinit. L. 8. c. 7. 8.
illi, revocati à strepitu qui foris est ad gaudia silentii. Ecce Deus dilectio est. Ut quid & currimus in sublimia cœlorum, & ima terrarum; quærentes eum qui est apud nos, si nos velimus esse apud eum? Nemo dicat, Non novi quid diligam. Diligat fratrem, & diliget eandem dilectionem. Magis enim novit dilectionem qua diligit, quàm fratrem quem diligit. Ecce jam potest Deum habere notiorem, quàm fratrem. Planè notiorem, quia præsentiorem; notiorem, quia interiorem; notiorem, quia certiorem. Amplectere dilectionem Deum, & dilectione amplectere Deum. Ipsa est dilectio quæ omnes bonos Angelos & omnes Dei servos consociat vinculo sanctitatis; nosque & illos conjungit invicem nobis, & subjungit sibi. Quanto igitur saniores sumus à tumore superbiæ, tanto sumus dilectione pleniores. Et quo nisi Deo plenus est, qui plenus est dilectione? At enim charitatem video, & quantum possum, eam mente conspicio, & credo Scripturæ dicenti, Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.

II. Aurea hic omnia sunt, omnia Augustino, omnia summo Christianæ Theologiæ Antistite dignissima, nihil fabularum, nihil nugarum, nihil sordium. Deus dilectio, charitas, amor & est, & dicitur. Nec potest istud ad solius Dei amorem coarctari. De amore proximi agebatur, cum diceretur, Deus dilectio est. Usque adeo autem amor proximi ipse Deus dicitur, ut qui diligit proximum, jam necessariò Deum non diligat tantùm, sed intelligat. Intelligat inquam evidentiùs quàm ipsum fratrem quem diligit. Fratrem enim foras oculo corporis tantùm videt, per defluxam ab ejus corpore imaginem. At dilectionem ipsam suam qua fratrem diligit, oculo mentis intus videt sentitque, non vicaria imagine, sed ipsissimam & præsentissimam. Ita perspicuè Deum, qua Deus amor est, & notiorem

rem & certiorem habere ac videre possumus quàm fratrem, qua præsentiorem interioremque habemus. Sed nonnihil molestiæ est in eo nodo expediendo, quomodo Deus sit ea ipsa dilectio, qua proximos diligimus. Ne longum faciam, unum illud repetam, quod superiùs inculcatum est magnoque testimoniorum pondere approbatum, virtutem, justitiam, sapientiam animæ non infundi, nisi dum incommutabilis forma divinæ sapientiæ, justitiæ & pulchritudinis inscribitur illi, & velut annulus ceræ imprimitur. Hoc semel ita constituto, jam perspicuum est, diligere nos proximum ea charitate, seu dilectione quæ Deus sit, quatenus forma illa exemplaris & divina, qua imprimitur nobis charitas, non instar annuli semel imprimitur, statim amovetur; sed semper imprimitur, præsentiaque sua animam formare & vegetare pergit, priores in suas tenebras lapsuram, si vel puncto temporis luce illa sapientiæ increatæ orbaretur.

III. Nec illud perfunctoriè audiendum est, quod ait Augustinus, hac dilectione Dei & Deo, omnes Angelos bonos, omnes animas pias constringi in unitatem quandam individuam & inter se & cum Deo. Et hoc amore, & hac societate mutua omnium rationalium & intellectualium naturarum, & cum Deo, & sub Deo, quid melius, quid pulchrius? Hæc prorsus summa est pulchritudo charitas Deus. Idem Augustinus: *Non est pulchritudo virtus oris. Ibi sedem figit, ubi pulchra est amica sponsi. Ubi autem hæc pulchritudo? Omnis gloria filiæ Regis ab intus. Non est aliud ea gloria, quàm pulchritudo. Non est aliud ea pulchritudo quàm charitas. Non est aliud charitas quàm vita. Ergo ut vivas, ama. Si amas, pulchra es. Amor bonum, amor pulchrum. Si absit illud pulchrum, non vivis.* Mira prorsus contextio, boni, pulchri, amoris, vitæ. Hanc omnino rerum concatenatam seriem tenuimus hactenus & tenebimus. Rursus idem alibi: *Deus non amatur nisi de Deo.* Quod ipsum de proximi quoque dilectione constat, quem nemo potest diligere, nisi & Deum diligat. Quisquis enim fratrem diligit, ipsam prius dilectionem diligit. Nec enim diligit quis fratrem, nisi quia æquum judicat ut diligatur. Si ergo diligit fratrem, quia æquum justumque censet fratrem diligi, ipsam dilectionis justitiam antè diligit quàm fratrem, & plus diligit quàm fratrem; cùm fratrem non diligat, nisi quia diligit hanc justitiam dilectionis. *Numquid potest diligere fratrem, & non diligere dilectionem? Necesse est ut diligat dilectionem. Quid ergo quia diligis dilectionem, ideo diligis Deum? Utique ideo, quia Deus dilectio est.*

Supp. to. 2. Serm. 19.

Serm. 15. de verb. Apost.

In Ep. Joan. Tract. 9.

IV. Huc sanè pertinet quod tam frequenter ingessit Augustinus, eò distare Dei & cæterorum bonorum amorem, quod cætera bona non statim habet, qui amat; nec semper assequitur, quisquis ea sequitur. At Deum quisquis amat, illico habet. Quisquis enim amat pulchritudinem justitiæ & sapientiæ, statim sapiens est, justus est, pulcher est. Non tantùm quia amare justitiam, hoc jam est legi justitiæ obsequi; sed eo maximè, quòd conversione animi ad præsentem ubique formam exemplarem pulcherrimamque justitiæ, illico illa forma animo imprimitur; quæ ne antè imprimeretur, sola animi ab illa aversio in causa erat. *Aurum diligis, quæsiturus es aurum, & forte non inventurus. Quisquis me quærit, cum illo sum.* Et alibi: *Numquid hoc est aurum amare, quod aurum habere? multi amant, & non habent. Numquid hoc est habere honorem, quod amare honorem? Multi quærunt habere, & antè moriuntur quàm inveniant quod quærebant. Deus nobis de compendio se offert. Clamat nobis, Amate me, & habebitis me; quia nec potestis amare me, nisi habueritis me.* Et rursus alibi: *Qui perfectè novit, perfecteque amat justitiam, jam justus est.*

Tract. 9. in Epist. Joan.

De diverf. Serm. 2.

De Trinit. L. 9. c. 9.

V. A quibus non discrepat Ambrosius: *Amari exigit Deus, qui omnia amat, quia charitas est.* Alibi omnem idem profitetur de fonte divinæ pulchritudinis scaturire amorem seu Dei seu proximi; nec nisi de nostræ Theologiæ rivulis irrigasse suos hortos Gentiles, potuisse scribere quæ nostris tam finitima scripsere, de amore utroque nobis ab æternæ veritatis pulchritudine defluente. *Non mediocris prudentiæ testimonium, quæ ita à sapientibus definitur; bonorum primum esse Deum scire, & verum illud atque divinum pia mente venerari, illam amabilem & concupiscendam æternæ pulchritudinem veritatis tota mentis charitate diligere. Secundum autem in proximos à divino illo fonte atque cœlesti, naturæ derivare pietatem: quod etiam mundi sapientes nostris hausere de legibus. Neque enim derivare ista in hominum disciplinas nisi de cœlesti illo divinæ legis fonte potuissent.*

In Psal. 118. Octon. 6.

De obitu fratris.

VI. Augustini vestigia sedulò sectatur Fulgentius, & familiari sibi elegantia ac suavitate placita ejus evulgat. *Nonne tibi videtur apertè ex Propheticis Apostolicisque doctrinis tracta B. Augustini de diligenda dilectione sententia? Quocirca dilectio Dei & proximi, quæ plenitudo legis finisque præcepti est, & in Deo charitatem diligit, quæ Deus est; & in proximo charitatem diligit, quæ ex Deo est. Tunc enim rectè Deus proximusque diligitur, cùm in Deo & in proximo ipsa charitas diligatur. Ita fit, ut & in Deo ipsum Deum, & in proximo Deum sine dubio diligamus. Neque enim frustra post dilectionem Dei, non alia nisi proximi nobis est mandata dilectio: scilicet ut agnoscamus illam creaturam nos debere diligere, ubi charitatem ipsam possumus invenire. Omne namque animal irrationabile, sicut non habet rationem, sic non habet charitatem.*

Epist. 5.

VII. Duo sunt hìc observanda nobis cum Fulgentio. Primum est, hanc esse viam & rationem tuendi amoris & in Deum & in proximum castissimi, & ab omni privatæ cupiditatis contagio puri, si Deus tanquam dilectio, & proximus propter ipsam dilectionem diligatur. Deus enim tanquam dilectio & charitas ipsa diligitur, cum non aliter diligentis animo obversatur, quàm ut ipsa pulchritudo justitiæ & sapientiæ incommutabilis, utque lex æterna & incorrupta justitiæ & charitatis. Proximus autem propter dilectionem diligitur, cum ideo diligitur, quia ipsa pulchritudo dilectionis, lexque sempiterna justitiæ & amoris mutui animo placet, animum ad se rapit. Quo utroque amore Dei & proximi nihil sanè castius, nihil lucidius optari potest. Alterum quod hìc observari par est, illud est à Fulgentio animadversum, non præcipi æterna lege diligendam aliam naturam, quàm creaturam rationalem, quæ diligere & ipsa potest. Cùm enim diligitur proximus, ipsa potissimùm dilectio diligitur. Ideo non diligitur nisi quod & diligere aptum natum est.

VIII. Scitissimè quoque Bernardus: *Quid tam amabile, quàm amor ipse quo amas, & quo amaris? Amabiliorem tamen juncta æternitas facit.* Et alibi paulò copiosiùs, ut Deus substantiva charitas sit, ut lex charitas sit, ut ea lege & ipse vivat, & naturas omnes rationales vivere jubeat; ut lex sua sibimet ipse sit, utque charitas in unitatem deitatis individuam cogat tres divinas hypostases. *Lex ergo Dei immaculata charitas est, quæ non quod sibi utile est quærit, sed quod multis. Lex autem Domini dicitur, sive quod ipse ex ea vivat, sive quod eam nullus nisi ex ejus dono possideat. Nec absurdum videatur quod dixi, etiam Deum vivere ex lege; cum non alia quàm charitate dixerim. Quid verò in summa & beata illa Trinitate summam et ineffabilem illam conservat unitatem, nisi charitas? Lex est ergo et lex Domini charitas, quæ Trinitatem in unitate quodammodo cohibet et colligat in vinculo pacis. Nemo tamen me æstimet charitatem hic accipere qualitatem, vel*

De consid. L. 5. c. ult.

L. De diligendo Deo.

aliquod accidens. Alioquin in Deo diceremus, quod absit, esse aliquid, quod Deus non est: sed substantiam illam divinam; quod utique nec novum nec insolitum est, dicente Joanne, Deus charitas est. Dicitur ergo rectè charitas & Deus, & Dei donum. Itaque charitas dat charitatem, substantiva accidentalem. Ubi dantem significat, nomen substantiæ est; ubi donum, qualitatis. Hæc est lex æterna creatrix & gubernatrix universitatis. Siquidem in pondere & mensura & numero per eam facta sunt universa, & sine lege nihil relinquitur; cum ipsa quoque lex omnium sine lege non sit, non tamen alia quàm seipsa; qua & seipsam, etsi non creavit, regit tamen.

IX. Magnificè prorsus & verissimè tamen hæc de Deo dicuntur, quòd charitas sit Deus, quòd charitas sit lex sempiterna qua creantur & gubernantur universa; imò qua Deus vivit, qua seipsum regit, qua Trinitatem suam in unitatem colligat, qua lex ipsa omnium sine lege non est; sed ipsamet sibi lex est, & lex charitatis. Et hæc quidem Bernardus ex antiquissimæ Theologiæ sacrario. Jam verò cum charitatem substantialem ab accidentali secernit, illam dantem, hanc donum esse interpretatur, planè hìc delabitur ad sui ævi Philosophicas & Theologicas disputationes, easque locupletissimus ipse testis est hoc ipsissimo loco & exemplo, nihil obstrepere antiquiori sanctorum Patrum doctrinæ. Utriusque enim & antiquæ & recentioris, sive Philosophiæ, sive Theologiæ, decreta hìc connectit consociatque Bernardus, & alia ab aliis diversa esse demonstrat, nequaquam tamen adversa. Quin imò in hac quidem re quam tractamus, nec diversa sunt. Ecquis enim sive Philosophorum sive Theologorum priscorum dubitare potuit, præter charitatem Deum, quæ pulchritudo ipsa justitiæ est, quæ justorum animis cœlitus imprimitur, esse affectum ipsum voluntatis, quæ pulchritudinem illam diligit? Nam & cum sigillum ceræ imprimitur, impressumque hæret, aliud est ipsa sigilli substantia, aliud imago ab ea in ceram impressa.

X. A quibus non dissidet author libelli apud Bernardum de amore Dei: *Sed nos te Domine diligimus*
Cap. 7. *affectu amoris à te nobis indito. Sed amor tuus bonitas tua est, o summe bone & summum bonum, Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio, qui ab initio creaturæ fertur super aquas, id est super mentes filiorum hominum fluctuantes, omnibus se offerens, omnia ad se trahens, inspirando, aspirando, Deum nobis & nos uniens Deo. Amas ergo te o amabilis Domine in teipso, cum à Patre & Filio procedit Spiritus sanctus, amor Patris ad Filium, & Filii ad Patrem, & tantus amor, ut sit unitas. Amas & teipsum in nobis, immittendo spiritum Filii tui in corda nostra, clamantem Abba Pater, & sic nos efficiens amatores tui, imo sic teipsum in nobis amans.* Et infrà: *Tu teipsum amas in nobis, &c.* Hinc pulcherrimè elucidatur illud Scripturæ, illud Augustini, Deus dilectio est, Deus charitas est, non ea tantùm qua seipsum diligit, non ea solùm qua nos diligit; sed illa ipsa qua nos vel Deum, vel proximum diligimus. Cum enim nos vel Deum, vel proximum diligimus, infusa per Spiritum sanctum charitate, imò infuso nobis Spiritu sancto qui est charitas, diligimus; & quoniam Spiritus sanctus utique Dei & Spiritus & amor est, quando Spiritu sancto diligimus, Deus in nobis seipsum diligit. Ita dilucidius etiam illud fit, quomodo qui diligit fratrem, diligit dilectionem, & hæc ipsa dilectio quam intus præsentem novit, Deus est.

XI. Libet hìc etiam Contarenum Cardinalem proferre, qui vehementer assentitur Dionysio, existimanti, sola extasi amoris quasi raptum extra se Deum, ad creandum orbem prosiliisse, & etiamnunc eundem continere ac conservare. *In*
L. 1. de Offic. Epist. p. 413. *præsentia sit satis dixisse, charitatem extasin facere, ita ut extra se diffluat, qui fuerit præditus hac virtute, potiusque in aliis, quàm in se vivat; quod etiam Deo contigisse in rerum creatione Dionysius dixit. Ex amore enim extasin passus, in alias creaturas defluxit, ac eas ita condidit. Nuncque in illis existens, quasi extra se in aliis, continet ac conservat.* Extra se ergo non tunc tantùm amoris æstu abreptus est Deus, cum primum orbem ex se effudit; sed & etiamnum & jugiter illa amoris vehementia durat, parique æstu & raptu amoris conservatur & sustinetur à conditore mundus, quo conditus est. Et hinc rursus magis magisque patet, quomodo Deus charitas est; ut qui non sui tantùm in seipso amor ineffabilis & incomprehensibilis sit; sed & in naturas omnes creatas amoris raptus, amoris fæcunditas, amoris invicta potentia, amoris perseverantia sit.

CAPUT XXIV.

De amore Dei & amore Deo, quid Græci Patres senserint.

I. Ex Dionysio, boni pulchrique amore fiunt, & sunt, & moventur, & operantur omnia, ut principio, exemplari, forma, & fine.

II. Nihil trivialius, quàm boni pulchrique desiderio naturas omnes agi, & agere quæcumque agunt. Sed nihil splendidius, quàm illud idem suæ luci vendicatum, nempe quod summum bonum pulchrumque Deus, jugi sempiternæ bonitatis & pulchritudinis suæ amore naturas omnes pro suo quasque modo excitet, inflammet, ad se convertat, in omnia agat, in quæ aguntur.

III. Rursus ex Contareno, ut raptu amoris penè actus extra se Deus, mundum & creaverit olim, & etiamnunc administret.

IV. Nec reprobos Angelos fraudat Dionysius omni boni pulchrique appetitione.

V. Antedictis de amore Dei Deoque subscribit Gregorius Nyssenus.

VI. Et Origenes; ut natura Deitatis charitas sit, & unaquæque persona charitas.

VII. A quibus non abhorret Chrysostomus, describens, pulchrum invisibile, tot vestitum indumentis & conspicuum jam nobis, quot sunt visibiles creaturæ.

I. Chorum ducet Dionysius, cùm ejus doctrina prælibata jam sit capite superiori à Contareno. Sic ergo ille omnia pulchri bonique amore tradit & fieri, & esse, & moveri, & operari, ut principio, ut exemplari, ut forma, ut fine. *Omne quod ex pulchro & bono existit, & in* De divin. Nom. c. 4.
pulchro & bono est, & ad pulchrum & bonum convertitur. Et quæcumque sunt & fiunt, propter pulchrum & bonum sunt & fiunt; & cuncta in ipsum intuentur, & ab ipso moventur & conservantur, & ipsius gratia, & propter ipsum & in ipso omne principium exemplare, finale, efficiens, formale & materiale; & denique omne principium, omnis conservatio, omnis finis, &c. Et paucis interjectis: *Et propter ipsum & ipsius causa & inferiora amant superiora, convertendo se ad ea: & quæ sunt ejusdem ordinis, amant similia, communicando; & majora minora, providendo eis: & singula seipsa, conservando; & omnia pulchrum & bonum expetendo faciunt, & volunt, quæcumque faciunt & volunt.*

II. Pervagata & tritissima possunt videri hæc omnia; quod naturæ omnes sese & singulæ singulas, & aliæ alias ament, & quod boni pulchrique desiderio agantur, & agant, quæcumque agunt. Sed si seriò, si penitiùs res excutiatur, nihil præstantius, nihil supra mentem, nihil ultra spem hominum exaggeratius dici potuit. Nimirum quod summum

mum illud bonum & incommutabile pulchrum Deus, jugi & æterno bonitatis & pulchritudinis suæ amore naturas omnes, pro suo quasque modulo excitet & inflammet, ut ad ipsum convertantur, ipsum ubique expetant, ipsum in omnibus quærant, ipsius amore & impulsu, & seipsas, & aliæ alias ament, foveant, tueantur; omniumque adeò motionum & operationum ex quibusque naturis prodeuntium, principium & finis, scopusque sit amor Dei, qua summa pulchritudo & inexhausta bonitas Deus est, omnia ex se effundens, omnia ad se miris & ineffabilibus modis revocans.

III. Nec minùs illud egregium ad illuminandos fidei splendore oculos, quibus deinde hunc orbem spectemus, non illecebrosæ voluptatis suavitate deliniti; sed religioso obtutu affectuque radiantem ubique divinæ pulchritudinis & charitatis claritatem contemplantes: non minùs inquam illud egregium observare jam cœpit Contarenus: extaticum Dei amorem ad orbis universi creationem illum impulisse, & ad ejusdem nunc providentiam & administrationem continuato eodem impulsu compellere. *Est præterea divinus amor exstaticus, qui non sinit esse suos, eos qui sunt amatores, sed eorum quos amant, &c. Audendum est hoc etiam pro veritate dicere, quod ipsemet omnium author, pulchro & bono omnium amore propter excellentiam summam amatoriæ bonitatis extra se per providentias omnium rerum existit, & bonitate atque dilectione & amore veluti delinitur & oblectatur; & cum sit supra omnia & ex omnibus exemptus, ad omnia demittitur secundùm potestatem suprasubstantialem, qua extra se non egrediendo exit.* Ita circuli instar est amor divinus, omnia complicans, & omnia eò unde evoluta sunt revolvens. *Tanquam sempiternus circulus divinus amor, propter bonum, ex bono, in bono & ad bonum indeclinabili conversione circuiens, in eodem & secundùm idem, & procedens semper, & manens, & remeans.* (Ibid. n. 13. / Ibid. n. 14.)

IV. Unum addam de apostatis Angelis, quos ait Dionysius nec ipsos destitutos esse omni boni & pulchri appetitione, sive amore, qua appetunt esse, & vivere, & intelligere, quæ utique bona sunt, summique boni eximia & pereximia simulacra sunt. *Expetunt etiam bonum, inquantum esse & vivere & intelligere desiderant.* Sed quatenus bona hæc & pulchra, quæ desiderant & amant, vestigia sunt & imitamenta summè boni summèque pulchri Dei, hoc illi attendere refugiunt, atque ita ab amore Dei, cujus tanguntur luce, avertuntur. (Ibid. n. 14.)

V. Uno Gregorii Nysseni loco multa antedictorum confirmabimus. Telum illud quo Sponsa vulneratam se à charitate dolet gaudetque, existimat ipse ipsum esse Unigenitum, quem ceu sagittam electam, Spiritu sancto illitam, jaculatus est Pater in corda sponsarum suarum. *Vulnerata sum à dilectione. Ostendit hac oratione telum quod altè cordi insidet. Qui telum autem jaculatur, est dilectio seu charitas. Charitatem autem esse Deum didicimus à sacra Scriptura, qui electam suam sagittam, nempè Deum Unigenitum emittit in eos qui servantur, Spiritu Dei illita triplici aculei cuspide. Aculeus autem est fides, ut quæ in quo fuerit, cum sagitta simul adducat sagittarium, ut dicit Dominus, Ego & Pater unum sumus, & veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Vides ut amore amor ipse summus Deusque, & quidem unus trinusque insideat cordi, & ita rursus dilectio Deus sit. (In Cantic. hom. 4.)

VI. Quibus cognata sunt hæc Origenis in Epistolam ad Romanos, ubi notat tribus divinis Personis in Scriptura nomen tribui charitatis; nam & charitas Deus est, & Filius charitatis, & Spiritus charitatis alibi legitur; ex quo conjicere est, eò & Filium & Spiritum sanctum à charitatis exuberantia denominari, quòd fons ipse primus à quo procedunt, totus charitas sit. *Si quia dixit effusam esse Dei charitatem in nostris cordibus, ista potius intelligenda sit charitas, qua diligimur à Deo; certum est quod velut summum & maximum donum Sancti Spiritus charitatem ponat, quo velut munere prius suscepto à Deo, per hoc ipsum diligere possimus Deum, quod diligimur à Deo. Nam & ipse Paulus nominat Spiritum charitatis, & Deus charitas dicitur, & Christus Filius charitatis appellatur. Quod si & Filius charitatis, & Spiritus charitatis invenitur; certum est quod ex uno paternæ Deitatis fonte & Filius intelligendus est, & Spiritus sanctus: ex cujus abundantia etiam Sanctorum cordibus ad participationem capiendam divinæ naturæ, sicut Petrus Apostolus docuit, abundantia charitatis infunditur; ut per istud Sancti Spiritus donum compleatur sermo ille, quem Dominus dixit, Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, divinæ scilicet naturæ participes effecti, in abundantia charitatis per Spiritum sanctum ministratæ.* Non potuit invictiùs probari, quòd ipsissima divinitatis natura sit charitas, quàm dum dicitur à Patre Deo, qui charitas est, progredi Filius, qui statim Filius charitatis est; progredi & Spiritus sanctus, qui & ipse confestim Spiritus charitatis prædicatur; denique dum & nos adsciscimur atque adoptamur in aliquam naturæ divinæ societatem, id omninò fit, infusa nobis per Spiritum charitatis, charitate. (L. 4. c. 5.)

VII. Chrysostomus familiarem sibi facundiam amoris impetu exaggerasse sæpiusculè videtur. Vide ut insaniam quandam sui erga Deum & erga pulchrum invisibile amoris ille descripserit: *Mihi supplicium est tecum non loqui. Insano tui amore flagro. Essentiam quidem tuam videre nequeo, quod ea sub sensum meum cadere non possit; at præ amore, opera tua conspicio, & exulto. Non te vidi, at cœlum vidi, & exultavi, & dixi, Cœli enarrant gloriam Dei. Terram vidi, ac dixi, Domini est terra & plenitudo ejus. Diem ac noctem vidi, atque ad te exclamavi, Tuus est dies & tua est nox, tu perfecisti auroram & Solem. Et quemadmodum qui amat, etsi eum quem amat, non videat; si tamen ejus vestimenta conspiciat, eum sibi videre videtur, atque exultat, ac velut quoddam solatium amoris capit. Eodemmodo ipse quoque circa rerum conditarum corpus, læto animo, ac velut furore percito obambulo, ac sine ulla intermissione his verbis ad te utor: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum.* Potuerant hæc alio opportuniore suprà loco dici, nec importunè tamen hic inseruntur, ut liqueat quo oculo, quo fervore animi, quo amoris æstu, ac penè insania in pulchrum illud summum ferri debeamus, quod nec sua invisibilitas nobis suffuratur. Vestivit enim illud & conspicuum reddidit suus amor nostro amori, vestivit, inquam, illud suus amor tot vestibus, quot creaturis; in quibus jam quodammodo visibile & palpabile amanti sese exhibet. (To. 3. hom. 2. in Ps. 50.)

CAPUT XXV.

De vita Dei ex Græcis Patribus, & antiquis Philosophis.

I. Vita maximè amor est. Vita propriè Deus est, ut qui solus habet immortalitatem, & non precario, sed naturæ suæ vi habet, ex Origene.

II. Ex Nysseno, summi boni & pulchri amor, ea demum verè vita & vita beata est.

III. Hinc vitæ ejusdem instillatur ros in proximas naturas intellectuales; quæ facilè illam bibunt, si à terrenis cupiditatibus expeditæ sunt; difficilè, & cum cruciatu, si his vinculis implicatæ sint.

sint. Auri exemplum, quod purgari nequit, nisi confletur.

IV. Vendicante sibi Deo ex anima, quod sibi cognatum est: & retentante terra, quod terræ coaluit: discerpitur anima, plus minusve, prout alia plus, alia minus cum terrenis coaluerit.

V. Ita Deus animas minus puras cruciat, cum ad vitæ suæ societatem illas trahit.

VI. Ex Irenæo, ad suam Deus vitam omnes trahit; qui usque adeo vita est, ut eum cognoscere, videre, amare vita beatissima sit. Si vivere enim est moveri, sentire, intelligere, amare: intelligere & amare pulchritudinem summam, & æternam veritatem, ea demum verissima vita est.

VII. Si creaturis sentiendo & amando frui, ea vita nunc est: quid Deum sentire & amare, & ita eo frui?

VIII. Ex Clemente & Irenæo vitarum vita Deus est, veritas est; & moritur quodammodo anima, cum privatur veritate. Mutabilitas quædam mortalitas est. Ita solus verè immortalis Deus. Utcumque tamen immortalis est anima, quæ vitæ divinæ, imo & immutabilitatis rivulo quodam donari potest.

IX. Ex Synesio Verbum Deus vita est. Ex Dionysio.

X. Ex eo primùm vitam in Angelos derivat Dionysius, & ad animalcula etiam vilissima effluere tradit.

XI. Cyrillo Verbum Deus est, quia vita est; proprium est enim Dei, proprium vitæ, sese nutu suo movere, agere. Si sapere & intelligere, vivere est; propriè vivit Verbum Deus.

XII. Ex eodem, ut sapiens, non sapientia: ita vivens, non vita potest esse natura quæcumque creata.

XIII. Vivere moveri, vita motio est: ex Plotino Verbi est ad Patrem, ad summum bonum moveri. Ergo ejus est proprium ut vita sit. Quod totum hic explanatur.

XIV. Ex eodem Plotino, ut necessaria fuerit animarum vita ad administrandum universum corporeum.

XV. Denique ut Plotinus vitam animabus nostris vendicet immortalem, ex sapientia & virtutum contubernio.

I. NOn amor pulchro, quàm vita amori conjunctior est. Amor enim hauddubio vita est; & vita summæ pulchritudinis, incommutabilisque sapientiæ, justitiæque amor est. Est ergo proprius hic locus de vita Dei disputandi. Et primùm quidem Origenes unius Dei proprium esse argumentatur, ut vita sit, solusque verissimè vivat, ut qui solus habeat immortalitatem, solus beatitudinem, non precario, sed naturæ suæ vi ac potestate. Vita enim verissimè non est, nisi immortalis & beata, cùm & mors & calamitas vitæ pernicies sit. *Vivo ego, dicit Dominus. Cùm* In Evl.oan. Tom. p. 177. *proprium vivere penes solum sit Deum, qui solus habet immortalitatem, nullo vivente præter Deum, immutabilem & inalterabilem divinitatem habentem, &c. Omne quidquid dixeris rationis capax, non habet substantialiter, ceu inseparabile accidens, beatitudinem. Nam si inseparabilem habeat beatitudinem & præcipuam vitam, quomodo verum erit illud quod de Deo dicitur, Qui solus habet immortalitatem?*

II. At Gregorius Nyssenus præstantissimè executus est, quænam sit divina vita, nimirum amor pulchri & boni summi atque incorruptibilis. Nec enim potest seipsum latere summum pulchrum & summum bonum: & si se non latet, non potest non ex sui contemplatione in sui amorem exardescere, si tamen aliud sit ipsa contemplatio, quàm lucidissima & flagrantissima charitas. Veri autem, pulchri & boni nulla unquam surrepit satietas, aut tædium. Prioris enim voluptatis tædium creat nova illecebra. At nulla vel cogitari potest illecebra aut voluptas, quæ non summi pulchri bonique sinu contineatur. Si nullum autem hujus amoris aut voluptatis subire unquam potest fastidium, ergo illa sempiterna & beata vita est. Hujus porrò vitæ veræ, beatæ & sempiternæ, perinde participes fiunt naturæ intellectuales, ut pulchritudinis, bonitatis, charitatis consortes pro suo quæque modo fiunt. *Nam & vita supernæ naturæ charitas atque dilectio est; quoniam quod ipsum pulchrum est, prorsus ab iis qui id cognoscunt, dilectione dignum habetur. Cognoscitur autem id ab Numine divino. Notitia verò charitas fit, propterea quod pulchrum ipsum est quod cognoscitur. Id verò quod pulchrum est à petulanti satietate non attingitur. Porro satietate charitatem non interrumpente, semper divina vita per charitatem degitur; quæ vita pulchra naturaliter est, & naturaliter ipsum pulchrum amat, finemque non facit amandi, & ex amore operandi. Cum enim ipsum pulchrum finis sit expers, nec charitas & amor pulchri ullo fine claudetur. Solo enim contrario pulchrum finitur. Cujus autem ea natura est, ut deterius non admittat, id in infinitum usque protrahet suum bonum.* Quorum summa hæc est, ipsam per sese pulchritudinem, sui consciam sibi esse, ita & sui amore flagrare; hanc esse ejus vitam, sui luce & amore frui: hanc vitam æternam & incorruptibilem esse, propterea quod summi pulchri summæque fœlicitatis nulla possit esse satietas; & quia nihil ei contrarium fingi potest. L. de anima & resurrect. To. 3. p. 225.

III. Porrò ex hac divinæ vitæ abundantia in proximas sibi conjunctasque rationales naturas stillam aliquam defluere idem mox testatur. *Quoniam autem cujusque naturæ ea vis est, ut affinia, propria, atque cognata attrahat; propinquum autem quodammodo atque conjunctum Deo genus humanum est, quippè ferens in se imaginem principalis figuræ: necessarium planè est ut anima trahatur ad id quod divinum simul atque cognatum est.* Ibidem. Et siquidem animam nulla terrenis vincula, nulla distorti affectus imis voluptatibus affixerint, facilis, & lubens ac expedita trahentem sequetur Deum ad divinæ vitæ consortium. *Jucundus ac facilis ad attrahentem accessus fit.* Si autem pestiferis nexibus inhæserit carni carnalique vitæ, acerbos nimirum patietur cruciatus, & quodammodo dilacerabitur, hinc trahente Deo quod sibi cognatum est, ad spiritalis & divinæ vitæ delicias, inde terrenæ voluptatis glutine miseram animam retardante. Omnis quippè amaritudo & irrequieta jactatio animarum corporeis affectibus hærentium ac discerptarum, ex hac oritur compugnantia terreni ponderis deorsum deprimentis, & cœlestis illecebræ sursum ad Deum trahentis: vendicante sibi Deo quod suum sibique cognatum est, & animam studente non cruciare, sed ad seipsum trahere, & vel per istiusmodi cruciatus expedire à fœdis nexibus vitiosarum cupiditatum. *Lacerabuntur & dilaniabuntur, dum clementissimè divina potentia ex irrationalibus & materialibus ruinis attrahit quod suum est. Nec enim odio aut vindicandæ pravæ vitæ causa, mea quidem opinione, Deus iis qui peccaverint dolorem facientes adhibet affectiones, qui apprehendit & sibi vendicat, & ad se trahit quidquid ipsius gratia provenit in rerum natura. Sed ille quidem meliore animo atque consilio, ad sese qui omnis beatitudinis fons est, animam attrahit: ex necessitate autem ei quod attrahitur, accidit illa affectio animi acerba.* Quod luculento illustrat exemplo auri, quod à sordibus quibus permixtum quandoque est, expurgari nequit, nisi totum excoquatur & liquescat. *Ac quemadmodum illi qui auro materiam immixtam per ignem expurgant, non solum id quod adulterinum est, igne liquefaciunt, sed omninò necessarium est ut purum quoque cum adulterino, improbo atque corrupto liquefaciant, atque hoc consumpto illud maneat; eodem*

plane

planè modo necesse est, ut dum vitiositas purgatorio igni absumitur, anima quoque quæ cum vitiositate unita est, in igne sit, donec id quod inspersum est adulterinum, materiale atque corruptum perpetuo igne aboleatur.

IV. Quoniam verò non omnium animarum par improbitas, non omnium æquè tenacia strictaque vincula, quibus terræ astringuntur, ideò nec omnium par excruciatio, aut dilaniatio; sed aliarum acerbior ac diuturnior, aliarum levior breviorque pro modo ponderis quo retardantur & degravantur in hæc ima, dum ad divina & æterna summi boni summique pulchri gaudia divinamque vitam attrahuntur. Ut si funem per arcti foraminis angustias multa vi trahas, & quidem funem luto plurimo oblimatum: abraderetur lutum, non sine ingenti difficultate. *Tale quiddam mihi videtur circa animam cogitari atque intelligi oportere; eam videlicet materialibus atque terrenis affectibus involutam, laborare atque distendi; dum Deus quidem quod suum est, ad sese trahit; quod autem alienum est, propterea quod cum anima quodammodo coaluerit, violenter abraditur, & abstergitur, acresque ei atque intolerabiles affert dolores. Ergo judicium divinum, ut videtur, non ex causa principali atque præcipua cruciatum adhibet iis qui deliquerunt; sed illud quidem, ut oratio demonstravit, bonum duntaxat operatur, dum illud à malo secernit & eximit, & ad communionem beatitudinis attrahit: divulsio autem coalitionis & coagmentationis, ei quod trahitur, dolorem facit.*

V. Quod in Augustino, idem in Gregorio Nysseno mihi usuvenit, ut non possim aliquando mihi temperare, quin exclamem ad complura eorum dicta, ea esse summis viris, summis Ecclesiasticæ Theologiæ Antistibus dignissima. Quid enim quæso hoc toto Nysseni sermone luculentius expectari potuit? Quis nisi tanto duce ac magistro ausus esset affirmare, ab ipsa Dei vita, à charitate, à bonitate & clementia proficisci animarum non piarum tantùm vitam, charitatem, beatitatem; sed impiarum etiam dolores, lanienas, mortiferosque cruciatus? Et tamen ita res habet, cruces mortiferosque dolores experiuntur scelesti quique, ex hac gemina & contraria tractione, hinc adglutinatæ terrenæ voluptatis, inde castissimæ pulchritudinis, charitatis vitæque divinæ, quod suum, quod cognatum sibi est, ad se infatigabiliter trahentis. Ita Deus vel dum cruciat, amat; & nec morti scelerique implicatas animas cessat ad vitam cœlestem divinamque revocare. Ita sanctitas, pulchritudo, charitas, vita Dei cruciat purgando, purgatque cruciando animas quæ purgari à terrenis sordibus egent possuntque.

VI. Assentitur & Irenæus ad vitam à Deo illici omnes, eos autem perduci, qui visionem tandem ejus assequuntur. Ea est enim demum vita, Deum agnoscere, Deum videre, Deum amare. Usque adeo quippè Deus vita est, ut ejus vel intuitio divinæ jam vitæ usura & fruitio sit. *Sicut* L. 4. c. 37. *qui lumen intuentur, intra lumen sunt, ac ejus splendore fruuntur: sic qui Deum vident, intra Deum existunt, splendoris ipsius participes. Vita ergo participes erunt qui Deum vident. Vivificat autem eos claritas. Perspiciunt ergo vitam, qui vident Deum. Et propter hoc incapabilis & incomprehensibilis visibilem se & comprehensibilem & capacem hominibus præstat, ut vivificet percipientes & videntes. Quemadmodum enim magnitudo ejus investigabilis est, sic & benignitas ejus inenarrabilis: per quam vitam præstat iis qui vident eum. Quoniam vivere sine vita impossibile est; subsistentia vitæ autem de Dei participatione evenit; participatio autem Dei est videre Deum, & frui benignitate ejus. Homines igitur videbunt Deum, & vivent per visionem, immortales facti, & pertingentes usque in Deum.* Nemo hìc verborum phaleras suspicetur, solida sunt hìc omnia & castigata, atque ad Scripturarum saniorisque Philosophiæ normam expensa. Quod Deum videre id demum vivere sit, Christus ipse ore suo prompsit: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Si cognitio Dei jam vita est, quid visio? Quòd claritas illa Dei vitam inspiret, evangelica veritas testatum facit: *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Quid autem certius, quid evidentius, quàm corporei oculi vitam esse visionem lucis corporeæ; & proindè oculis incorporeis vivere, non aliud esse, quàm intueri lucem intelligibilis veritatis? Est enim vita motio quædam, vivere est quoddam moveri & operari. Ecqua autem motio, ecqua operatio animæ rationalis, seu substantiæ intellectualis, vita ejus erit, nisi intelligere, velle, amare? Si intelligere autem, si velle, si amare, hoc vivere nostrum est: quæ vera, quæ optima, quæ pulcherrima vita erit & beata, quàm intelligere, & velle, videre & amare pulchritudinem incommutabilis veritatis? Si autem videre & amare pulchritudinem incorruptibilis veritatis, hæc vita jam vera est: quid aliud ipsa veritatis pulchritudo erit, quàm summa vita & beatissima, in sui visione & charitate exultans, sed ejusmodi visione & amore, cujus nostra visio & amor umbra tantum sit, tenuissimumque vestigium?

VII. Pergit porrò Irenæus ita ratiocinari; Si nostra in his infimis vita, in sola creaturarum, hoc est Dei vestigiorum cognitione & fruitione sita est; quantò magis Dei ipsius visio & fruitio vita erit? Nam nobis vivere non est nisi sentire, & velle, cognoscere & amare. Si creaturas sentire & velle, cognoscere & amare jam aliqualis vita est, quid ipsam exemplarem Creatoris pulchritudinem intueri & amplecti & frui? Sed inter has extremas vitas, illam infimam, hanc summam, media quædam vita est, ut & media quædam Dei manifestatio per Christum facta est; unde & Christus venisse se dicit, ut per ipsum vitam habeamus, & abundantiùs habeamus; habeamus, habeamus inquam jam nunc, dum uberiorem adhuc & æternam ab ipso expectamus; *Ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Audi Irenæum: *Gloria enim Dei vivens homo, vita autem hominis visio Dei. Si enim quæ est per conditionem ostensio Dei vitam præstat hominibus in terra viventibus, multò magis ea quæ est per Verbum manifestatio Patris, vitam præstat his qui vident Deum.* Magni, ut equidem sentio, pendenda sunt hæc Irenæi verba, *Quæ est per conditionem ostensio Dei vitam præstat hominibus in terra viventibus.* Sensus enim est: Sicut Deus beatis immortalibus æternam donat vitam, seipsum sicuti est ostendens præstansque videndum & amandum: ita Deus mortalibus nobis in terra vitam dat seipsum ostendens, & præstans videndum & amandum in suis involucris & vestigiis creaturis omnibus. Vivere enim nostrum est cogitare & velle, seu intelligere & amare: vita terrena est intelligere & amare Deum in vestigiis sui; vita cœlestis & æterna est intelligere & amare Deum in seipso. Si nec seipsum enim, nec sui vestigia Deus præstaret animæ intelligere & amare aptæ natæque: nihil illa intelligere, nihil amare posset, adeoque nec vivere. Hinc alibi Irenæus: *Sicut corpus animale ipsum quidem non est anima, participatur autem anima quoadusque Deus vult: sic* L. 2. c. 64. *& anima ipsa quidem non est vita, participatur à Deo sibi præstitam vitam.*

VIII. Sensit & Clemens Alexandrinus vitarum vitam esse veritatem, & mori suo quodam modo animam, tametsi sui generis vita est, quando spoliatur principe vita veritatis. *Nobis data lex jubet fugere animæ mortem; non ea quæ solvit animam à corpore, sed eam quæ animam dissolvit à veritate.* Strom. l. 1. pag. 374. Justinus Martyr animam negat esse per sese Dialog cum Tryphone. vitam, sed vitæ participem, & quidem tandiù par-

participem, quandiù Deo viſum eſt; propterea nimirum quòd non ita vita ſit anima, ſicut Deus, ſuo ſibi ex fonte ſcaturiens & incommutabilis. Nam & ipſa mutabilitas mortalitas quædam eſt, Mutatione quippè aliquid oritur, aliquid interit. *Aliud ſanè eſt quod participat quidpiam, ab eo unde participat. Anima verò vitam participat, quoad-uſque eam Deus vult vivere. Ita videlicet eam aliquando non participaverit, cum Deus vivere eam noluerit. Non enim ei per ſeipſam vita eſt, ſicut per ſeipſum Deo.* Sed etſi comparatione Dei mortales dici poſſint intellectuales omnes rationaleſque naturæ, quia precariò tantùm & beneficio Dei tum vitam, tum vitæ æternitatem conſequuntur: participatione tamen Dei immortales veriſſimè ſunt, quia non potuit vita incommutabilis Deus & vitæ pelagus incircumſcriptum ſua illas fingere & formare manu, quin immortalitatem illis ceu incommutabilis vitæ ſuæ odorem illis aſpergeret. Quin imo cum hominem ex anima compegit & corpore, cùm tam diſſimilium partium ſolutio facillima & neceſſaria alioqui ſit, immortalem tamen illum fabricavit, quia vitæ incorruptibilis & incommutabilis opus qualemcumque homo, non poterat non à creatrice manu immortalem vitam impetrare. Ita ſcitiſſimè Epiphanius: Hæreſ. 64. ſe. 18. *Neque enim ignorabat Deus, quodcumque ſuaptè manu finxiſſet, neceſſario, utpotè immortalitatis opus, immortale futurum. Nam ab immortalitate immortalia proficiſcuntur, &c. Corruptelam adferre non incorruptionis eſt, ſed corruptionis proprium. Sic immortale facere, non corruptionis, ſed incorruptionis eſt. Atque ut uno verbo dicam, quale eſt id quod agit, tale id efficere neceſſariò ſolet, quod ab eo producitur. Atqui Deus & immortalitas eſt, & vita, & incorruptio; homo vero Dei opus eſt. Quidquid vero ab immortalitate fabricatur, immortale ſit oportet. Quare immortalis eſt homo. Propterea Deus hominem ſua manu finxit; cætera vero animantium genera, aerem, terram & aquam juſſit producere.*

IX. Sed etſi natura ipſa Deitatis vita ſit, eam tamen propriè, ſeu appropriatè quandoque & peculiarius Verbo adſcripſere ſancti Patres. Audi Syneſium ita compellantem Verbum Dei, ceu vitæ flumen, ex unitatis paternæ ſinu profluens, & uſque in omnes, in extremas uſque naturas ſe effundens. Hymno 4. *Ex ineffabili paterno ſinu abdita unitatis, unde vitæ rivus profluens, fertur ad terram uſque tua virtute, per incomprehenſibiles intellectuales mundos; unde recipit deſcendentem bonorum fontem intellectualis mundi imago mundus aſpectabilis.*

X. Quibus apprimè conſonant, quæ de vita Dei diſſerit Dionyſius. Ubi docet uſque adeò vitam & vitam omnium eſſe Deum, ut & Angelicis ſubſtantiis donet, ut ſint immortales; etſi quodammodo nec immortales, nec viventes præ principe vita ſint, cum nonniſi ab ea vitam habeant, & immortalitatem. *Itaque vita atque immortalitas im-* De divin. Nom. c. 6. *mortalium Angelorum, & illa perpetuitas Angelicæ vitæ, quæ omnem effugit interitum, ex ipſa & propter ipſam eſt & ſubſiſtit. Quamobrem ſemper viventes & immortales dicuntur; & rurſus non immortales, quia non ex ſe habent ut immortales ſint, & perpetuo vivant, ſed ex vivifica, & omnis vitæ effectrice & conſervatrice vita.*

Quin & à Deo ut vita eminentiſſima eſt ipſa per ſe vita, αὐτοζωή. Cùm enim non tam vita, quàm ſupra vitam ſit Deus, nomen per ſe vitæ, non ipſi tribuendum eſt, quàm vel primæ & principanti inter creatas vitas, vel efficientiæ ipſi Dei & emanationi, quæ vitæ omnes ab incommutabilis vitæ fonte fluunt. Ibidem. *Et ſicut dicebamus de eo qui eſt, eſſe ævum ipſius per ſe eſſe; ſic etiam hic vita divina eſt per ſe vitæ vivificatrix & effectrix; & omnis vita, vitaliſque motio eſt ex vita, quæ eſt ſupra omnem vitam, & omne principium omnis vitæ.*

Quin & minuſculæ extremæque vitæ, vel vivendi potiùs umbræ in animalculis viliſſimis, ab illa ſumma vita ſunt, illam imitantur, illam æmulantur, & pro ſuo modo & ordine ſummam illam vitæ prærogativam aſſequuntur, ut ſint ſuæ motionis principia, ut agant regantque ſeſe, ut ſuo nutu vivant, & imperio quodam fruantur, dum ſeſe per ſe movent. *Ex ipſa etiam animæ habent, quod non intereant; & animantia germinaque quod ultimo vitæ gradu gaudeant. Hac ſubtracta juxta Scri-* Ibidem. *pturam, deficit omnis vita; & ad ipſam denuo converſa, rurſum vivificantur, quotquot ab ejus conſortio præ imbecillitate deſciverant.* Et infrà: *Ab* Ibid. n. 1. *ipſa vivificantur & foventur univerſa, tam animalia, quam plantæ. Et ſive ſpiritalem dixeris, ſive rationalem, ſive ſenſitivam, ſive nutritivam & auctricem, ſive qualemcumque tandem vitam, vel vitæ principium, vel vitæ eſſentiam, ex ipſa & vivit, & viget, &c.* Si quales ſupra nobis expingebat Chryſoſtomus, oculi affectuſque nobis eſſent, ad divinæ pulchritudinis ſpectacula, & perſpicaces, & incitati; non vilia, non contemptibilia nobis viderentur hæc animalcula, ſed admiranda prorſus ad amorem ſummæ pulchritudinis & ſummæ vitæ incitamenta. Non ſine ſtupore, non ſine voluptate ſobria ſapientiæ & charitatis divinæ ſpectaremus has imagunculas vitæ divinæ, hos extremos ſummæ illius vitæ radios, & primi principii imitationes in ſeſe movendo, in ſibi imperando, ſeſe regendo & adgubernando. Quantus in ſemetipſo eſt ille ſummæ vitæ luciſque principatus, qui in extremis ſui his lineis & fugientibus umbris tantus eſt.

XI. Prolixè Cyrillus Alexandrinus argumentatur, non poſſe Filium, non poſſe Chriſtum meris creaturis annumerari, cùm vita ſit, cùm cuncta vivificare dicatur paſſim in ſacris literis; quæ dotes, quæ munia nulli puræ putæque creaturæ quadrare poſſunt. *Solus ergo unigenitus vita eſt ſecun-* In Evang. Joan. c. 6. *dùm naturam, nec proinde inter creaturas collocabitur, ſed ad Genitoris ſui evehetur naturam. Vita enim quoque eſt ſecundùm naturam ſuam Pater.* Nec immeritò natura vitæ uni adſeritur Deitati, & abjudicatur creaturæ, cùm vivere id ſit, ſeſe movere & agere, ſui motus cauſam & principium eſſe, ſe ſuo nutu agere & regere, quæ omnia principantem naturam declarant. Jam ſi repútes vitam propriè dictam, hoc eſt, intelligere, ſapere, amare, velle, dominari; imò ipſam eſſe ſapientiam, ipſam ſapientiæ charitatem, ipſam hanc eſſe tum vitæ, tum dominationis, & primæ cauſæ, primique principii naturam: jam in eo plus ſatis cauſæ eſt, cur vita ſoli Deo vendicetur.

XII. Alibi verò egregiè prorſus idem Cyrillus negat Filium, ſi vita ſit, creaturis accenſeri poſſe; negat creaturam, quæcumque demum illa ſit, vitam eſſe poſſe. Cùm enim creando educta ſit ex nihilo natura quæcumque creata, particeps quidem vitæ poteſt eſſe, non autem vita. Creando enim aſcita eſt in participationem aliquam & eſſendi, & ſapiendi, & vivendi, non in ipſam eſſentiam & plenitudinem eſſentiæ, ſapientiæ & vitæ. Itaque ſicut creatura poteſt effici ſapiens, non ſapientia; ita poteſt eſſe vivens, non vita. Sapientia enim ipſa eſt tota plenitudo ſapientiæ, non participatio; nec poteſt non eſſe ſapientia: at creatura quævis ſapiens portionem tantùm habet ſapientiæ, utque ex nihilo vocata & ad eam adſcita eſt, ita excidere ab ea poteſt, & relabi in nihilum. Ita & de vita æſtimandum, quæ non aliud quàm ipſa ſapientia eſt. Niſi æterna & incommutabilis & per ſeſe ſit, vita non erit, ſed vitæ delibatio, fluxa & caduca, atque adeò vivens, ſeu particeps vitæ, non vita. *Ergone factam à Patre* Dial. 5. de Trin. pag. 560. & ſeqq. *vitam exiſtiment, citra dementiæ notam & crimen? Alioqui nonne quod factum eſt, ex nihilo productum dicere vel inviti cogentur, & prius non fuiſſe, quàm eſſe inciperet? At iſtud non eſt vita. Multum abeſt.*

est. Vita enim est, non id quod in vitam productum est, sed ei potius convenit semper esse, & existentiam habere principio & fine carentem. Quod si considerate sapienterque se loqui putant, dum Filium asserunt vitæ participem, quamvis censeatur esse vita; audiant vitam quidem dici, id quod vivificat, non quod vivificatur: sicuti nempe lux, & sapientia, & virtus, non id quod lucis indiget, ac opus habet sapientia, & alterius virtutem appetit; sed potius quod illuminat, & sapientes reddit, & corroborat alios. Et infrà rursus Patrem quidem esse ipsammet vitam testatur, quia in ipso vivimus & movemur & sumus: idest, quia ipse nobis donat esse, vivere, moveri. Ita ergo movet sese anima, ut à Deo moveatur; ita vivit, ut à Deo vivificetur. Porrò sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. *Animadverte igitur nos in Deo Patre vivere, & moveri, & esse. Vitæ autem largitor non alius fuerit quàm Filius ex ipso genitus, qui cùm Patris proprietatibus clareat, & vitæ naturalis sit germen vivificum, vitam ceu proprium bonum indit eis qui eo indigent.*

XIII. Libet nunc pauca ex Platonicis Philosophis attexere. Vitam illi ab uno & bono fluere existimabant, quod supra vitam esset, sicut & supra essentiam & mentem. Vitam autem primam, sicut essentiam primam constituebant Verbum, cujus jam esset ad Patrem moveri, Patrem contemplari, & amare, atque adeo vivere. Cùm enim vita motio quædam sit, motio autem ad aliquid sit, & aliquid quærat, Verbi est ad Patrem moveri, primæ mentis est bonum ipsum quærere eoque frui: at bonum ipsum ad quod moventur omnia, quod movet omnia, dum omnia ad se trahit, adeoque quod vivificat omnia, ipsum sanè supra vitam & supra motionem est. *Quid ergo est primum* Plotinus: Enn. 3. lib. 8. c. 9. 10. *Principium? profectò potestas omnium, quæ quidem nisi esset, neque cætera forent. Neque enim intellectus esset, qui prima est omnisque vita. Actus enim vitæ quæ omnia est, ἡ τῆς ζωῆς ἐνέργεια, τὰ πάντα οὖσα, non est ipsum primum, sed ex principio velut fonte profunditur.* Et mox: *Certè nihil horum est, quorum est principium. Est & tale, ut de ipso nihil prædicari queat; non ens, non essentia, non vita. Propterea quod super hæc omnia sit.* Quæ quidem argumentatio id valet, ut Deus non ejusmodi sit vita, imò nec ejusmodi sit intelligentia & sapientia, qualem nos capimus in motione & veri seu boni pulchrique vestigatione positam. Cùm enim istiusmodi cogitatur vita, non potest non hæc motio & inquisitio quieti & opulentiæ esse utcumque adversa; cognata autem inquietæ indigentiæ, bonum suum extra se aucupantis. Ad eum modum nec vita, nec sapientia Deo competunt, imò nec Verbo; estque non Pater tantùm, sed & Verbum Deus supra vitam & supra sapientiam. At si vita cogitetur summum ipsum unum, & bonum, & pulchrum seipso fruens, seipso gaudens, non intelligens, non amans seipsum, ut quid diversum; sed summet intelligentia, sui charitas; ut veritas sui non nescia, ut charitas sui sibi conscia: jam perspicuum est quòd & Pater & Verbum vita sunt, & ipsa vita sunt, & Pater qui habet vitam in semetipso, dedit & Filio habere vitam in semetipso, quia genuit illum non viventem, non sapientem, non amantem, sed vitam, sed sapientiam, & veritatem, & charitatem. Quia tamen Verbi est coaptare se & accommodare naturis creatis, inde id contigit, ut ipsum velis quibusdam & proprietatibus rerum creatarum obumbraremus. Et bellè quidem res habet, quando hæc esse vela & integumenta ascititia intelliguntur.

XIV. Alibi autem Plotinus idem demonstrat necesse est, ut sint præter corpora corruptibilia aliæ naturæ incorruptibiles, quæ illa contineant, forment, reforment administrentque, adeoque viventes sint & incorruptibiles. Ex se enim eas habere oportet, quam aliis indant vitam & perpetuitatem. *Omnino vero necesse est alteram quandam esse naturam præter corpora, quæ esse habeat ex se ipsa, taleque esse omne quod verè ens judicatur, quod quidem neque fit, neque perit. Alioqui cætera omnia dilabentur, neque gignentur iterum, si quando ejusmodi natura perierit, quæ profectò his omnibus salutem præbet, & ipsi etiam universo servato per animam, atque exornato. Hæc enim motus principium est, aliisque præbens motionem, movens interim semetipsam, & vitam animato corpori præstans; ipsa vero ex seipsa possidens, amissura nunquam, utpote quæ hanc habeat à seipsa.* Hæc ille de commentitia anima mundi, quæ æquius est ad Angelicas naturas, mundo corporeo regendo, movendo gubernandoque admotas referri. Enn. 4. l. 7. c. 9.

XV. Gradum ille mox facit ad animas hominum, quas & ipsas divinioris sempiternæque naturæ esse contendit, eo uno discrepantes ab Angelicis substantiis, quòd vegetando corpori devinctæ sint; immortales porrò esse, quæ vitam ex se se habeant, quam & in corpus usque effundant; Ibid. c. 10. denique non posse non esse incorruptibilis substantiæ, quibus sapientia, pietas, cæteræque immortales virtutes & formæ adglutinentur; quarum ex norma si omnes vitam agerent, vitamque degerent immortali virtutum luce rutilantem, nemo prorsus de immortalitate animæ dubitaret. *Animam verò cognatam esse divinioris sempiternæque naturæ, ex eo patet quòd non sit corpus, &c. Cùm constet nobis omne divinum verèque ens frui vita bona atque sapiente, &c. Purificato jam animo inesse comperiuntur optima, scilicet sapientia & virtus reliqua, tanquam familiaria. Si ergo tale quoddam est anima, quoties revertitur in seipsam, quidnam obstat quominus in gradu sit ejus naturæ, quam divini omnis sempiternique esse fatemur? Sapientia enim veraque virtus cùm divinæ res sint, non possunt alicui unquam vili mortalique inesse naturæ; sed necesse est tale quiddam esse divinum, quippe cum compos sit divinorum, ob cognationem quandam communionemque substantiæ. Quamobrem quicumque nostrum sic est effectus, exiguo quodam secundùm animam à supernis distare videtur; in hoc videlicet dumtaxat cedens, quod est in corpore. Quamobrem si omnes homines, vel saltem plurimi talibus essent præditi animis, nullus adeo foret incredulus, ut diffideret aliquando, animæ nostræ naturam esse penitus immortalem. Nunc vero cùm homines animam in plurimis deprehendant vitiis inquinatam, nimirum neque rem divinam, neque immortalem esse facilè judicant.* Permagni istud ponderis est, & Augustino sæpè probatum, nostras rationales animas à cæteris naturis intellectualibus non alio distare, quàm quòd corporibus devinctæ sint. Nec illud etiam parvi faciendum, quod idem censet, non ex alio capite ortas esse suspiciosas hominum de suarum animarum immortalitate dubitationes, quàm quòd plerosque mortales videant ita terrenis affixos, ut nihil divinum, nihil immortale sapiant, nullis virtutibus, quæ æternitatis pignora sunt, inclarescant.

CAPUT XXVI.

De vita Dei ex Latinæ Ecclesiæ Patribus.

I. Ex Augustino propriè vita non est nisi Deus, æterna & incommutabilis vita. Interit quod mutatur; quod emersit è nihilo, morti immersum ante fuit, quàm in vita emergeret.

II. Vitæ fœcunditas Deus est, qui Verbum, vitam ipsam gignit.

III. Errabant tamen qui hanc esse Dei vitam putabant, quod seipsum gigneret.

IV. Tà-

IV. Tametsi nonnulli Patrum ejusmodi aliquid dixisse quandoque videantur.

V. Deus sui genitor, principium & causa dici non debet, etsi ab alio non sit, eoque à seipso sit.

VI. Filius à Patre, Deus à Deo gignitur, & hæc vita longè præstantissima.

VII. Deus vita magis propriè dicitur, quàm substantia, quod vita actus & operatio operosissima sit. Dum cogitatur autem Deus, ut operatio & actus, & essentialiter operatio, penè cogitatur, ut seipsam gignens. Se enim semper quodammodo gignit operatio substantiva.

VIII. Ex Plotino Deus cum contemplatio, & amor, & actus sit, operatio essentialiter est, quæ semper facit, nunquam fit.

IX. Patri magis propriè tribuitur vita immanens, qua & duas alias hypostases suo in sinu producit; magis propriè Verbo vita foris promicans. Ita Augustinus.

X. Et Marius Victorinus; apud quem multa præclarè de vita Verbi.

XI. Item de vita abstrusa Patris.

XII. Elucidamenta nonnulla in reconditam hanc Marii Victorini doctrinam.

XIII. Vita Verbi infinita & inexhausta fœcunditas, quæ vitalibus seminibus omnem prorsus refersit corporeum etiam hunc orbem, à vita remotissimum. Multa hic sunt, quæ meritò observari debeant.

XIV. Platonicam mundi animam repudiavit Victorinus, & illam aliam rationem excogitavit, qua totus mundus etiam corporeus quodammodo vivit.

XV. Ex hac porrò vita in omnes mundi partes disseminata, luculentè assurgitur ad principem Dei vitam demonstrandam.

XVI. Rursus de eadem re.

XVII. Deus usque adeo vita est, ut vitam, hinc ad extremas usque naturæ corporeæ fæces, aspersis ubique animalculorum seminibus profundat: & viventibus vel maximè naturis rationalibus, meliorem de seipso vitam aliam infundat, aut superinfundat, sua illas vita & charitate vivificet.

XVIII. Si potest corpus de anima vivere, multò magis anima de Deo.

XIX. Solus Deus verissimè immortalis vita est.

XX. Claudiano Mamerto Deus vita vitarum est, qua Deo vivunt animæ.

I. UT solus æternus, solus incommutabilis, ita solus verè vita, & vera vita Deus visus est Augustino. Interit enim ex aliqua parte sui, quidquid mutatur. Interit ipso fluxu ætatis suæ, quidquid æternum non est, quidquid temporum lapsui obnoxium est. Interire potest, quidquid potest in illud revolvi nihilum, unde emersit. Vita non est, etsi vitæ particeps sit, quidquid à longissima ut ita dicam nocte nihili emersit tandem in lucem vocante Deo. At verè vita est, qui necessariò est, qui non potest non esse vivere, qui non potest non semper fuisse & vixisse; cujus vita tam non potest desinere, quàm nec potuit incipere: qui denique & æternus & usquequaque incommutabilis est. *Ecce infantia mea olim mortua est, & ego vivo. At tu Domine, qui & semper vivis, & nihil moritur in te; quoniam ante primordia sæcu-*
Confession. L. 1. c. 6. *lorum, & ante omne, quod vel ante dici potest, tu es, & Deus es, Dominusque omnium quæ creasti. Et apud te rerum omnium instabilium stant causæ, & omnium rerum mutabilium immutabiles manent origines, & omnium irrationabilium & temporalium sempiternæ vivunt rationes.* Vita ergo & sua & omnium est Deus, cum in ipso & sint, & vivant rerum omnium & instabilium stabiles, & temporalium æternæ, & commutabilium, atque irrationabilium etiam rationes. Ut quæ in seipsis expertia sunt & vitæ, & rationis, & sapientiæ, in Deo non sint horum expertia.

II. Nec vita tantùm Deus est, sed vitæ fœcunditas est, & vitam semper gignit; cum gignendo det Filio, ut habeat vitam in semetipso, sicut Pater habet vitam in semetipso. Est autem eximia hæc vita, vitam sibi coæqualem semper gignere, & intelligendo amandoque gignere. Si enim vivere est moveri, intelligere, sapere, amare: qualis, quanta, quàm ineffabilis, quàm incomprehensibilis hęc erit vita, vivere gignendo ipsam vitam; intelligere & sapere, generando ipsam sapientiam; amare jugiter & sempiternè profundendo ipsam charitatem? Hęc enimverò vita prima & princeps est. Idem Augustinus: *Sicut habet Pater vitam in se-* De Trinit. L. 1. c. 12.
metipso, ita dedit Filio habere vitam in semetipso. Neque jam existenti, & vitam non habenti dedit, ut haberet vitam in semetipso, cum eo ipso quod est, vita sit. Hoc est ergo, Dedit Filio habere vitam in semetipso, genuit Filium esse incommutabilem vitam, quod est vita æterna.

III. Opinabantur aliqui hanc esse primariam & potissimam vitam Dei, quod seipsum gigneret. Ita enim sibi persuadebant, sui sibi causam & principium esse Deum, & hanc esse ejus originem, ut seipsum semper gignat, tanquam inexhausta scaturigo, suę ipsa plenitudinis causa. Hos abjecit Augustinus non injuria: *Qui autem putat ejus esse po-* De Trinit. L. 1. c. 1.
tentiæ Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errat, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis, nec corporalis creatura. Nulla enim omnino res est, quæ seipsam gignat, ut sit.

IV. Et sunt tamen non pauci, nec aspernabiles Ecclesiastici Scriptores, quibus visum est Deum non absurdè dici posse sui ipsius authorem. Hilarius ipse ante alios: *Quia ad id quod sibi ad id quod est, author esset, nihil necesse est extra se, quod* De Trinit. L. 1.
sui esset præstantius, reliquisse. Quasi dicat, cùm suum sibi Deus esse donaverit, nihil indonatum reliquisse, optima quęque sibi pręsumpsisse, ut nihil extra ipsum ipso pręstantius jam esse possit. Lactantius etiam asseverantiùs idem tradit: *Verùm quia fieri non potest, quin id quod sit, aliquando esse cœperit; consequens est ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus.* L. 1. c. 7.
Ideoque ab Apolline αὐτοφυὴς, à Sibilla αὐτογονὴς, & ἀγέννητος & ἀποίητος nominatur. Quod Seneca vir acutus in exhortationibus vidit: Nos, inquit, aliunde pendemus. Itaque ad aliquem respicimus, cui quod est optimum in nobis debeamus. Alius nos edidit, alius instruxit. Deus ipse se fecit. Nec abludit ab his Zeno Veronensis Episcopus: *Solus Deus est itaque Principium, qui ex seipso dedit sibi esse* Serm. 1.
principium. Et mox: *Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum.* Et Marius Victorinus Afer: L. 2. paulò post init.
Est ipse non ex substantia, sed ipsa substantia, parens omnium, à se sibi esse tribuens, prima substantia.

Possent fortasse plures hinc & inde proferri testes, qui negent, qui affirment fuimet principium & causam Deum esse. Ex his quos adduximus illud mihi quidem liquere videtur, si penitiùs eorum dicta excutiantur, non omninò eos inter se discordare. Tria sunt admodum ad quę revocari posse existimo horum Ecclesię Patrum sententias.

V. Primum est, nequaquam id eos sensisse, ut seipsum gigneret aut procrearet Deus. Quì enim tam absurdum, tam infacetum commentum viros cordatos & rei Theologicę peritos fallere potuisset? Cùm luce meridiana clarius sit, qui nondum sit, non posse eum quidquam efficere, nedum seipsum; qui quidpiam efficiat, necessum esse ut priùs sit. Ergo non alia fuit eorum mens, quàm ut hanc Divinitatis verę singularem & principem pręrogativam extollerent, quòd Deus non ab alio, sed à seipso sit: & à seipso sit, eo uno quod ab alio non est: cùm alia pręter Deum omnia ab alio, nimirum à Deo sint. Una ergo illa Dei proprietas primaria, qua ab alio non est, & à seipso est, aliter & aliter ab aliis & aliis Scriptoribus expressa est,

est, sed ita ut varietas quantumvis licentiosa verborum non alio unquam collimarit, quàm ut ab alio non esse Deum pronuntiaretur. Ita illæ sententiæ, Deus author sui est, principium sui est, à se sibi esse tribuit, unum idemque sonant, quòd à seipso sit. Ut solent enim homines, dum nihil imminet periculi, minùs cavere, minùs suspendere verba, ita plerumque res verbis exprimunt, quæ possint & aliud significare: sed interpretum clementia mentem magis scribentis quàm verba perpendit. Res perspicua est in Lactantii testimonio suprà relato; ibi enim illa Dei nomina vendicat, ut sit ingenitus, infectus sive increatus. Ex quo id consequitur, ut nec ipse seipsum gignat, aut procreet. Cùm ergo Lactantius ait Deum à se procreatum, & cùm ex Seneca illud adduxit, Deus ipse se fecit: sensit ille hæc omnia non aliud sonare, quàm quod Deus & infectus & ingenitus sit, non ab alio sit, suum esse uni sibi debeat. Clementiorem desiderant Lectorem verba Lactantii ibidem illa, quibus æternitatem Dei videtur concutere. Quæ ut equidem existimo, populariter & pingui minerva ab eo ita dicuntur, non invidiosiùs in crimen adducenda.

VI. Secundum est generationem verissimam Dei à Deo, Verbi à Patre, ejusdem Dei ab eodem ipso Deo, abundè esse ut dici possit Deus seipsum gignere, & hanc esse vitam longè divinissimam Dei, Deum diligere, intelligere, producere. Zeno videri potest huc respexisse: *Hic est Deus noster, qui se diligit in Deum. Hic Pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocavit in Filium, ne quid sibimet derogaret. Denique alter in altero exultat, cum Spiritus sancti plenitudine, &c.* Et alibi idem: *Sicut sacra Scriptura testatur, erat ante omnia manens unus & idem æternaliter, ex semetipso in semetipsum Deus, secreti sui solus conscius. Cujus ex ore ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodivit unigenitus Filius, cordis ejus nobilis inquilinus.* Propria est ergo hæc Dei natura, Dei vita, ut Deus Deum pariat, mens Verbum gignat, Verbum Patrem intelligat, diligat, & hæc vita substantia ipsamet Dei est.

Serm. 1.

Ser. de ęter. Filii generat.

VII. Tertium est, quòd seposita etiam divinissimæ & incomprehensibilis Personarum Trinitatis contemplatione, Deus essentia & natura sua totus vita, totus actus, totus operatio sit: & quodam etiam modo magis operatio sit, quàm substantia; quatenus à nobis substantia cogitatur, ut elanguidum quid & exanime semota operatione: vita autem operatio operosissima sit, & motio irrequieta. Cùm ergo Deus & substantia sit, & vita, seu operatio, si cogitatur à nobis ut operatio substantiva, ut vita pervigil & actuosissima, tunc quodammodo exhibetur menti, & calamo repræsentatur, ut seipsum gignens, ut sui author, sui causa & principium. Operatio enim semper fit, semper in actum prosilit, non cessat, non feriatur, non quiescit. Si ergo Deus hujusmodi operatio, seu vita actuosissima, sive ut scholæ loquuntur, actus secundus est, & eo modo cogitatur, propè abest illa cogitatio ab illis vocibus & sententiis, quibus seipsum gignere & procreare suprà dicebatur. Operatio enim semper fieri intelligitur, & cum substantia simul esse dicitur, nimirum inde id colligitur, ut vivens & operans hæc substantia semper fiat. Pertractata luculentissimè est res hæc tota à Plotino Platonicorum Philosophorum facilè Principe.

VIII. Et primò quidem nodosissimam difficultatem ita proponit, quì fieri possit ut idem unumque & jam sit, si gignat, & nondum sit, si gignatur à seipso. *Quid ergo, dicet aliquis, Nonne inde sequetur, Deum priusquam fieret extitisse? Si enim se facit, certè qua ratione seipsum facit, nondum existit; qua verò dicitur facere, jam existit ante seipsum; quippe cùm ipse sit, quod fieri dicitur.* Ita habet objectio. Jam vide quæ adhibeatur confestim responsio à Plotino: *Huic autem objectioni respondendum est, Omninò Deum non esse tanquam factum, sed tanquam facientem existimandum, effectionem ejus absolutam asseverando. Neque talem ut aliud quidpiam ex actione illius efficiatur; sed actio ejus non peragat ultra se quidquam, sed totum hoc simpliciter extet. Non enim duo quædam ibi sunt, sed penitus unum. Neque verendum est actionem primam absque essentia ponere, sed hoc ipsum velut substantiam affirmare debemus. Si quis autem substantiam posuerit actione carentem, certè Principium ipsum deficiens erit, imperfectumque evadet, quod tamen est omnium perfectissimum. At si quis substantiæ adjunxerit actionem, unitatem simplicem non servabit. Quamobrem si actus est perfectior quàm essentia, primum vero perfectissimum est, ipsum certè primum est actus, ἐνέργεια.*

Enn. 6. l. 8. c. 20.

Adnotat hìc multa Plotinus, 1. Cùm Deus sit actus merus purusque, nihil potentiæ admixtum sibi habens, atque ita semper operetur, ut operatio ipsamet sua sit, puta contemplatio & gaudium veritatis, quæ ipsemet est; non tamen ipsum ut factum, sed ut facientem considerari debere. Agit enim, non patitur; facit, non fit. 2. Ejusmodi est hæc operatio, ut nullum alium præterea terminum producat, sed operationis partus est ipsamet operatio; sicut gaudii & contemplationis terminus est ipsamet contemplatio ipsumque gaudium. Unde verè dicitur Deus faciens, non factus. 3. Et ubi Deus actus purus, & vegeta operatio, & vita vivacissima, & operatio operosissima esse prædicatur, non negatur quin sit substantia: sed ita substantia est, ut sit & operatio; ita operatio, ut sit & substantia. Nec substantia operans est, quasi priùs substantia sit, post in actum prosiliat, & ex substantia manet operatio: ita enim substantia anterior operatione, ab eaque sejuncta, emortua videri posset. Sed operatio potius substantiva est; ut simul Deus cogitatur, simul actus merus, simul vita ipsissima & operatio exertissima cogitetur.

Ita fit ut Deus à seipso sit, non ab alio; & seipsum generare quodammodo dicatur, idque non ab aliquo initio, sed ante ipsam æternitatem. Quocirca ne posteriorem Deum existimare possis ex eo quod generat *seipsum*, cogita quod ipsemet *generet*, atque adeo posterior non sit. Sed id totum eò tandem revolvitur, ut Deus non ab alio sit, sed à seipso, in quod facilè omnes assentiuntur. Sicut cum dicitur Dominus esse sui. Nam propriè unus cum sit & simplicissimus, non hinc dominatur, hinc servit. Sed Dominus sui dicitur, quia nulli alii servit. Ita author est sui, quia ab alio authore non est. Dominus est sui, non servitio quo sibi subiicitur, sed authoritate propria & libera potestate. Ita author & causa est sui, non quod efficiatur, aut procreetur, etiam à seipso; sed quod actio, operatio, efficientia, ἐνέργεια, vitaque jugis & indeficiens est. *Perfectus actus est essentiæ minimè serviens; qui sanè actus purè prorsus est liber, atque sic à seipso ipse Deus existit. Jam vero si in suo Deus esse servaretur ab alio, non ipse primus ex seipso prorsus existeret. Si autem ipse se rectè dicitur continere, nimirum & ipsemet se producere judicandus; siquidem quod secundum naturam continet aliquid, idem & ab initio fecit, &c. Quo pacto dicitur sui princeps & dominus, cum non ibi sit, ad quod dominatio referatur? Forsan verò dominator ibi censetur, quantum supernè consideratur; quoniam videlicet nihil superius extet. Si autem nihil est superius, hoc est proculdubio primum, primum inquam non ordine, sed authoritate propria, & purè libera potestate.* Itaque ita Deus ab his scriptoribus dictus est sui author & procurator, sicut conservator & dominator sui; quia nimirum aliis omnibus naturis est, ipsi uni non est superior alius, à quo sit, & servetur, & regatur. Ibidem.

IX. Hæc porrò vita, & actio & operatio, qua de Plotinus, magis propriè vendicanda Patri est ut qui

ut qui ingenitus sit; sed multò magis illa de qua Patres supra laudati, qua contemplando & amando seipsum effundit ex se veritatem & charitatem. Et tamen sacræ litteræ vitam quandoque videntur magis propriè Verbo Deo adserere. Nimirum ut equidem suspicor, illa interior immanensque vita Patri adscribitur, qua vel seipsum Deus humana quadam loquendi licentia gignere dicitur; vel verissimè à Patre procedunt duæ aliæ Deitatis hypostases. At Verbo tribuitur vita jam foris promicans, & ad creaturarum parturitionem explicans sese. Unde Augustinus illud Moysis ante singularum creaturarum unoquoque die productionem, *Et dixit Deus*, ideò toties iteratum censet, ut inculcaretur nobis ab uno & simplicissimo Dei Verbo prodiisse singulas has naturas, in quo jam præcontinebantur, in quo per sui sempiternas & incommutabiles rationes vivebant. Vita enim Verbum est & ratio & sermo. Quocirca vivunt in ipso rationes seu formæ & ideæ naturarum etiam irrationalium & non viventium. Sicut vivit in mente opificis ratio & ars opificii sui, & vita & ratione destituti. *An eo ipso quod scriptum est, fiat firmamentum, hæc ipsa dictio Verbum est Patris, unigenitus Filius, in quo sunt omnia quæ creantur, etiam antequam creentur; & quidquid in illo est, vita est, quia quidquid per eum factum est, vita est, & vita utique creatrix? Quia ergo nihil creari posset, cujus creandi ratio, si tamen ratio rectè dicitur, non in Dei Verbo Patris coæterno coæterna vita viveret; propterea Scriptura priusquam insinuet unamquamque creaturam eo ordine quo conditam dicit, respicit ad Dei Verbum; prius ponens, Et dixit Deus, fiat illud. Non enim invenit ullam causam rei creandæ, quam in Verbo Dei non invenit creari debuisse.* (De Gen. ad lit. l. 2. c. 5.)

X. Philosophicas magis Marius Victorinus Afer seu magis Theologicas indagavit rationes, ex ipsa Verbi, seu Sermonis, seu Rationis, seu Intelligentiæ contemplatione. Hæc enim omnia vitam præ se ferunt, sed foris erumpentem. *Et quod imago substantia, à substantia ejus in qua est vel subsistit genita, in declarationem intus potentiæ. Hinc Pater qui intus, hinc Filius qui foris. Rursus quod Filius logos, est in actionem festinans substantia. Vita enim logos, & intelligentia logos, processit in substantiam eorum quæ sunt intellectilium & hylicorum.* (L. 1. Adver. Arium. Bibl. Patr. To. 4. pag. 195. 196.) Et infrà: *Quod autem Deus potentia est ipsius fontana æterna vitæ. Et propterea Filius est logos, fons vitæ æternæ existens potentia patria, &c. Omne quod in actionem exit, imago est ejus quod est potentialiter; & ejus quod est potentialiter Filius est quod in actione est.*

XI. Inferiùs autem paternum vitæ inenarrabilis fontem sic ille idem describit: *Prima causa omnium principiorum, principium omnium intelligentiarum, præintelligentia omnium potentiarum, fortitudo ipsa motione celerior, ipso statu stabilior. Motione enim ineloquibili status est, statu autem ineffabili superlativa motio est.* (Ibid. pag. 211. 212.) Quippè vita quidem motio est, sed motio tamen stans, non ut motiones aliæ fluens & omninò evanescens. Et mox: *Hic est Deus & Pater, præintelligentia præexistens, & præexistentia beatitudinem suam & immobili motione semetipsum custodiens, &c.* At verò persona Filii *secundum id quod esse dicimus unum, unum vita est, quæ sit motio infinita, effectrix aliorum, vel eorum quæ verè sunt, vel eorum quæ sunt; existens logos ad id quod est esse quæ sunt; omnia à semet movens; semper in motu, in semetipsa habens motum; magis autem ipsa motus est. Sic enim Scriptura divina dicit, Quod dedit ipse Pater Deus in ipso esse &c. Filius semet mota motione, potentia enim progrediente, ex velut immobili præexistentia, & non mota juxta quod potentia fuit. Ita motio nusquam requiescit, & à semetipsa exurgens, & in omne genus motus festinans. Quippè vita quæ sit infinita, & ipsa in vivificatione veluti foris apparuit, Necessario igitur vita nata est. Vita autem Filius, vita motio à vitali præexistentia, vita existentia, in constitutione & apparentia omnium totorum quæ juxta potentiam Pater est; ut ab eorum quæ verè sunt intelligentia, præintelligentia appareat.*

XII. Abstrusa & abrupta hæc sunt, & multis sentibus obsita. Interlucet tamen facula nescio quæ intelligentiæ, quæ quod fide credimus de Personis divinis, det utcumque intelligere. Ex proprietatibus divinarum Personarum deprompta sunt hæc omnia, nec ab illa fidei regula usquam deviant. Ex illius tantùm proprietatis geminæ, hoc est Paternitatis & Filiationis ingenio, illud oritur, ut aliter & aliter Pater & Filius vita sit & motio. Vita enim & motio est Pater, sed intus, sed in recessu, sed potentia, sed fontana, & in sese subducta. At Filius vita est & motio erumpens foris, sese explicans, paternum penetrale referans, & manifestans. Denique Filius vita est, qua vitam Patris propagat, & communicat: *Si igitur æterna vita Filius, elucescentia est præterna vitæ; ipse autem vita cognoscentia perfecta, & æterna vita.* (Pag. 214.) Et infrà: *Ergo ut Pater, ita Filius vita est, & ex se vita. Ipsa est enim vita, quæ sibi & aliis est vis vivendi, non aliunde vita, &c.* (L. 3. p. 217.) *In Christo facta sunt omnia, quia Christus logos est. Vita autem nec cœpit, quia à se sibi semper est; unde nunquam desinit, & infinita semper est, & per omnia & in omnibus usque à divinis & à supracœlestibus usque ad cœlestia, cœlosque omnes, æthera, aera, humida atque terrena, omniaque quæ oriuntur à terra, cæteraque omnia. Ergo & corpus caroque nostra habet aliquid vitale, omnisque materia animata est, ut mundus existeret; unde eruperunt jussu Dei animalia.*

XIII. Quæ postrema Victorini verba declarant derivationem illam non tantùm essentiæ, sed & vitæ à Verbo in naturas omnes gradatim, & ad materiales usque, & extremas in universo, adeò ut Victorinus existimet omnem *materiam animatam esse*, idque efficacissimè probet ex eo quod ex materia, sive ex aqua & terra *eruperunt jussu Dei animalia*, & erumpunt quotidie omnis generis innumerabilia, erumpentque ad finem usque sæculi. Nostri instituti non est arcana Physicæ rimari, & modos singulares vestigare, quibus insunt aquis terræque animalia, quæ inde erumpunt. Unum illud satis est nobis, ut animata quodam sensu dici possint illa corpora, ex quibus erumpunt tam innumerabiles vitæ animæque per tot sæculorum volumina; sive illæ seminaliter, sive alio quocumque demum modo inessent illis quasi animalium matricibus. Si fœcunda autem tot vitarum & tot animantium vita in terrenam usque hanc molem à Verbo vitæ pervadit; quantò magis vita Verbi in angelicas aliasque sibi propiores substantias delabitur; quandoquidem nisi per istas medias ad illa extrema corpora non delabitur? Luculentè id rursus edisserit Victorinus: *Ergo hylica quæ sunt, ut esse videantur, facit vis potentiaque vitalis, quæ defluens à logo illo qui vita est, quem dicimus Filium, per Archangelos, Angelos, Thronos, Glorias, cæteraque quæ supra mundum sunt, primò in corpora, &c. Mox in animam fontemque animæ gradatim veniens. Quia anima imago tou logou est, quasi quadam cognatione majorem defluendi accipit cursum. Et quia in animanda anima properat, sit ei in animanda ejus petulantior appetitus. Hinc in hylen mersa, & mundanis elementis, & postremo carnalibus vinculis implicata, corruptioni atque morti ipsi sese miscens, vivendi idolorum materiæ fœcibus præstat. Vivunt ergo cuncta terrena humida, aerea, ignea, ætherea, cœlestia; non logo illo priore, nec vitæ integro lumine; sed propter copulationem hylicam saucia luce vitali; vivunt supra cœlestia & magis vivunt, quæ ab hyle, & à corporeis nexibus recesserunt; ut puriores animæ, & Throni, & Gloriæ.* (L. 4. p. 241.)

Et

Et mox manifestiùs adhuc ut cuncta etiam corporea, etiam hylica, seu materialia, & materialium fæces vivant per afflatum vitæ Dei ad hæc usque pertingentem, nec tam ad esse, quàm vitam, omnia vocantem. *Ergo cum hæc omnia enumerata vivant, & nihil sit vel in æternis, vel in mundanis & hylicis, quod non pro natura sua vivat; utique confitendum est esse vim quadam, vel potentiam, qua cuncta vivefiant, & quasi vitæ fonte in vitales spiritus erigantur; ut ex hoc & vivant, & quia vivunt, esse sortita sint.*

XIV. Pauca sunt, sed minimè aspernanda, quæ hìc observari velim. Primum est, ex Victorino res omnes & vivere, & quia vivunt, esse sortitas esse. Non ita vulgo hominum videri solet, sed primùm esse res, deinde earum aliquas in vitam protrudi. At contra hic & omnia vivere contendit, & priùs quodammodo esse, ut vivant, quàm ut sint. Non tanti ego facio cogitationes meas, ut eas hìc inserendas putem; sed Victorini mentem aperire, Lectoremque suo judicio deinde permittere, cum meæ partes sint; id unum dicam, non abesse è similitudine veri hanc Victorini sententiam. Si enim vel corporea omnia, vel extrema & impurissima corporum ex eo vivant, aut certè innumerabilibus scateant vitis, & animalculis, quæ per momenta singula inde erumpunt: utique dilucidum est, non has animas propter hæc corpora, sed hæc corpora propter has animas condi à summo opifice debuisse. Et oro te, si animas auferas, quid & quo tota moles & tota pulcritudo corporum universi? Cui usui, cui emolumento? An brutorum corporum & quasi ruderum congeries magnum tibi quid, & pulcrum videtur, si nulli sit usui? An lapidum immensum acervum tu magnifaceres, an conditorem, an architectum mirari posses, si illos nullis unquam usibus, nullis ædibus, nullis incolis profuturos scires? Pulcra sunt hæc, sed oculo, sed auri, sed sensibus animæ nostræ, sed animo ipsi nostro pulchra sunt. Si sensus, si animas, si animos abesse jubeas, vacua, supervacanea, minimè pulcra sunt hæc. Quo obtusiores videri nobis debent, qui acuti sibi quidem videntur, dum mundana undique corpora in infinitam quandam magnitudinem effundi confitentur, & admirantur; at animas rationales, vel intellectuales substantias per hæc omnia diffundi, vel diffidunt, vel negant. Nec advertunt hac tota corporum, ceu lapidum congerie nihil absurdius, nihil inutilius, nihil aspernabilius fore, si rationales vel intellectuales incolæ nusquam sint. Quis ædes laudet nunquam per æterna tempora inhabitandas? Quis architectum laudet tantarum ædium, à nemine unquam incolendarum? Ædium pulcritudo ab incolarum utilitate, ab spectatorum admiratione æstimatur. Nil turpius te tanta, si quanta ipsa est, tanta sit ejus inutilitas. Moras traxi in hac prima observatione, quòd eam momenti esse duxerim oppidò magni, 1. ad illustrandam Victorini sententiam, qui hinc efficit, non nostra tantùm corpora esse propter animas nostras, sed totam corporum universitatem propter animas esse, & prius esse ut vivere debeant, quàm ut sint. 2. Ut vulgari si possem mederer præjudicio, quo fit ut corpora plerumque pluris faciant quàm animas, nec advertunt non posse magni, non posse vel tantuli fieri corpora, nisi propter animas. Quo enim cœlestis arcus pulcritudo tam variegata, si tollas oculos? Quo lucis ipsius tam mirabilis pulcritudo, si oculi, si sensus absint animantium? 3. Ut vel hinc gradus struatur ad demonstrandam Dei existentiam; ut mox liquebit.

Secundùm, quod observari operæ pretium duximus, istud est. Quantumvis ad Platonica placita alludere videatur persæpè Victorinus, hìc tamen illum receptui cecinisse, & ad Christianas se retulisse litteras. Cùm enim id constitueret, animata & viventia esse omnia, etiam materialia, non ad animam ille mundanam & universalem apud Platonicos tantoperè decantatam respexit; sed exsibilato eo commento, eo vivere omnia corpora censuit, quòd ex iis Dei jussu eruperint innumera animàtia, & omnis generis vitæ, quæ seminaliter saltem inerant. Obiter id monebo, quotidianis & recentissimis experimentis, non sine artis adminiculo quo juvatur oculi nostri acies, compertum id nunc esse, imò oculo ipso videri, quàm verè dixerit Victorinus, omnia corpora animata esse, quòd ex ipsis exiliant animantes innumeræ.

XV. Tertium est, quo nostra hìc prolixitas, ut spero, excusabitur, quòd hinc ad demonstrandam divinam vitam, & essentiam, & existentiam validissimum promatur argumentum. Et olim quidem à corporum cœlestium motu, mobilium ordine, motionumque vi, perpetuitate & consensu, Deum esse non inscitè philosophabantur. Maximè cùm quædam corporum vita sit, hæc irrequieta motio. At Victorinus ex alio vitarum genere ad eundem scopum argumentatur, non posse non esse aliquem principem summæ vitæ fontem, unde gradatim minores minusculæque tandem hæ vitæ omnes scaturiant: *Quis est iste, unde in æterna atque in mortalia vitalis spiritus spirat, quo vigent cuncta, quo subsistunt, quo actus proprios sumunt, quo & generata sunt, & generatura proveniunt? Deus, sine dubio Deus, & quod menti nostræ venerationi est vivendi pater, numenque vivendi.* Tot vitarum gradus admensa est suo nutu, & admetitur jugiter summa vita. Sed ante corporeas vitas, anima nostra, quales illæ sint, facilè nobis demonstrat, & quàm necesse sit, ut & ipsa & illæ à summi primi Principii vita prodeant. *Nam & anima autogono, id est, suo & à se sibi orto motu fertur. Autocinitos dicitur, unde & aicinitos. Ergo semper in motu est. Quod est semper agere, esse ipsam energiam, ut sit ei substantia ille motus. Dictum est enim, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Habet ergo autogonon cinisin, id est motum à se ortum, ut Deo est.* Vides ut in anima maximè nostra, tanquam omnium animarum absolutissima; sed & pro suo modulo in qualibet alia etiam anima, sit imago & imitatio primi Principii, quo sese movet, à se sibi orto motu fertur, semper movetur, motus ipse suus est. Ibid. p. 242.

XVI. Si possent absurdissima præjudicia exuere, qui acutuli & perspicaces sibi videntur: si possent æqui probique æstimatores esse corporum animarumque; si possent infinitam quandam animarum supra corpora quælibet præcellentiam intelligere; si possent ita ut verè res habet sibi persuadere, non esse corpora nisi propter animas, & immensam hanc mundanorum corporum congeriem, tanquam inutilem lapidum struem, supervacaneam, & penè ridiculam fore, si nulli intellectualibus, rationalibus, viventibusque naturis usui unquam forent: si hæc inquam possent illi sibi persuadere, facilè postea assentirentur, non ex corporum, sed ex vitarum, animarum & intelligentiarum multitudine atque universitate æstimandam esse hujus universi infinitam quandam & vastitatem & pulcritudinem. Ex quo jam facilè & quasi de proximo adducerentur, ut agnoscerent supra minusculas vitas ordines vitarum & intelligentiarum gradatim meliores beatioresque, donec ad summam aliquam vitam & intelligentiam perveniatur, quæ vita à seipsa sit, & vitam in alia irriget omnia. Illud quippe etiam stultissimum quoque præjudicium expuendum est, quo ferè imaginantur, ex inanimi materiæ seu corporum sinu animas vitasque procreari. Et hic quoque error ortus est vel ex incogitantia, vel ex ignoratione præstantiæ animarum supra corpora. Qui possit enim materia vitæ animæque expers vitas animasque ex suo gremio effundere? Necesse est ergo vitas à vivente principio, & omne vitarum animarumque genus à summa vita proficisci. Unde præclarè Augustinus: *Unde hoc tale animal, nisi abs te Domine? An quisquam* Confess. l. 1. c. 6.

quam se faciendi erit artifex, aut ulla vena trahitur aliunde, qua esse & vivere currat in nos, præterquam quod tu facis nos Domine, cui esse & vivere non aliud atque aliud es; quia summè esse & summè vivere idipsum es? Et infrà, ut vita corporum, seu anima quælibet antecellat omnia corpora: *Sed nec anima es, Domine, quæ vita est corporum; ideo melior vita corporum, certiorque quàm corpora. Sed tu vita es animarum, vita vitarum, vivens teipsa, & non muta res, vita animæ meæ.* (Ibid. l. 3. c. 6.)

Quo in Augustini testimonio duo observabimus, alterum quidem ad antedictorum confirmationem, alterum paucis hoc ipso mox capite confirmandum. Primum est quod ait Augustinus, non tantùm meliorem, sed certiorem esse corporum vitam quàm corpora. Non oculo, non sensui corporeo magis obvia vel conspicua dicitur hic vita corporum, quàm corpora, sed certior. Potest id quidem eò referri, quòd anima quælibet sui sibi intus suæque vitæ sibi conscia certiorque est, quàm de corpore quolibet. Sed non ineptè etiam referetur ad id quod suprà dictum est de corporum omnium relatione & suspensione ad animas. Ex æternis enim rationibus regulisque incommutabilis veritatis, unde nobis manat omnis certitudo, certum nobis est animas potiùs quàm corpora, nec corpora nisi propter animas condi debuisse.

XVII. Alterum verò est quod usque adeo vita Deus est, ut non tantùm vitas profuderit usque ad extremas corporeæ naturæ & materiæ oras; sed & ipsarum jam vitarum vita quædam ulterior ipse adhuc sit & supersit. Discrepant hæc duo quidem mirum quantum, quod Deus & primas vitas ultra vivificet, & extremas materiæ fæces vivificet; sed ad vitæ tamen divinæ commendationem peræquè conducunt. Quòd autem Deus vita sit Angelicarum naturarum jam immortaliter sponte naturæ suæ viventium, quòd vita sit similiter animarum, quòd vita sit vitarum, luculentè exequitur idem Augustinus in Epistola ad Consentium. Eo enim probat justitiam ipsam per sese vivere, quòd per eam & Angelos & animas tametsi immortales necesse sit vivere, ne suo quodam modo moriantur. (Epist. 222.) *Quod posuisti in epistola tua, nihil vivum secundum justitiam inesse justitiæ, ideoque te non posse adhuc Deum, id est, viventem naturam, justitiæ similem cogitare: quia justitia, sicut dicis, non in se, sed in nobis vivit; imò nos potius secundum illam vivimus, ipsa verò per se justitia nequaquam vivit. Ad hoc ut tibi ipse respondeas, intuere illud: utrum rectè dici possit animam ipsam non vivere, qua fit ut vivat quidquid non falsò dicitur vivere. Puto enim absurdum tibi videri, ut per vitam vivatur, & vita non vivat. Porrò si vita ipsa præcipuè vivit, qua vivit omne quod vivit; recole obsecro quas dicat Scriptura divina animas mortuas, profectò invenies injustas, impias, infideles. Nam licèt per illas vivant corpora impiorum, & ibi intelligantur etiam iniquæ animæ non esse sine aliqua vita; non enim aliter ex eis possent corpora vivere, nisi qualicumque vita, qua omnino animæ carere non possunt, unde immortales meritò vocantur: non tamen ob aliud amissa justitia dicuntur mortuæ, nisi quia & animarum, licèt immortaliter qualicumque vita viventium, melior & major vita justitia est, tanquam vita vitarum.* Nec inde decerpitur aliquid huic sententiæ, qua dicitur Deus animarum vita, vita vitarum; quòd Deo orbatæ animæ vivant adhuc, & corpora sua vivificent: sed ex adverso tantò certius invictiùsque vita animarum Deus est, quà justitia ipsa est, quantò nec animæ ipsæ quamvis immortaliter viventes, & corpora sua vivificantes, non possunt tamen effugere, quin aliquo vero modo moriantur, cùm illas vita incommutabilis justitiæ & veritatis deserit. *Quantò magis vera justitia etiam in seipsa vivere intelligenda est, ex qua sic vivunt animæ, ut hac amissa mortuæ nuncupentur, quamvis quantulacumque vita non desinant vivere? Ea porrò justitia quæ vivit in seipsa, proculdubio Deus est.*

XVIII. Si corpus enim potest, quamvis natura sua crassum brutumque, utcumque tamen animari & vivificari ab anima; quantò magis jam vivens anima vitam quandam sui generis inferiorem, poterit superioris vitæ vena benefica irrigari & vegetari? Accedit enim vita sentiens vegetanti, eamque perficit: accedit vita rationalis sentienti, eamque ad consortium quoddam superioris naturæ provehit. Quin ergo possit & vita rationalis ulteriùs formari & perfici à vita divina sapientiæ & justitiæ? Et hac ubi destituetur anima rationalis, ita & morietur, & vivere tamen perget ac vivificare corpus; sicut vita quandoque rationalis antè desinit in homine, quàm sentiens: tuncque vivit homo vitam sentientem, non vivit rationalem. Idem Augustinus: (In Evang. Joan. Tract. 19.) *Cum erigit se anima ad aliquid quod ipsa non est, & quod supra ipsam est, & à quo ipsa est, percipit sapientiam, justitiam, pietatem, sine quibus cum esset, mortua erat; nec vitam habebat qua ipsa viveret, sed qua corpus vivificaret. Aliud est enim in anima unde corpus vivificatur, aliud unde ipsa vivificatur. Melior quippe ipsa est quàm corpus, sed melius quàm ipsa est Deus. Est ergo ipsa etiamsi sit insipiens, injusta & impia, vita corporis. Quia verò vita ejus est Deus, quomodo cum ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum: sic cum vita ejus Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, pietatem, justitiam, charitatem.* Et alibi: (Ibid. Tract.) *Beatitudo qua fit beata anima, non fit nisi participatione illius vitæ semper vivæ, incommutabilis, æternæque substantiæ, quæ Deus est. Ut quomodo anima quæ inferior Deo est, id quod ipsa inferius est, hoc est corpus facit vivere; sic eandem animam non facit beatè vivere, nisi quod ipsa anima superius est.*

XIX. Nec multo pòst ibidem veram vitam, veram immortalitatem illi soli vendicat, qui teste Scriptura solus habet immortalitatem, hoc est, immutabilitatem. Nam utcumque mutari, quoddam mori est, sive in melius, sive in deterius. (Ibidem.) *Immortalis dicitur anima, & est quidem, quia vivit semper anima, & est in illa quædam vita permanens, sed mutabilis vita. Secundùm mutabilitatem vitæ hujus, mortalis dici potest; quia si vivebat sapienter, & desipit, mortua est in deterius: si vivebat insipienter, & sapit, mortua est in melius, &c. Quid est ergo quod ait Apostolus de Deo, Qui solus habet immortalitatem? nisi quia hoc apertè dixit, Solus habet incommutabilitatem, quia solus habet veram æternitatem.*

XX. Quibus consentaneus est Claudianus Mamertus: (De stat. animæ. l.) *Aliud est vita corporum, aliud vita vitarum. Corpus est vivens, anima viva, Deus est & vita: ita scilicet ut anima quæ in se viva est, corpori vita sit; ut sic corpus sine anima non vivat, sicut ipsa sine Deo.* Pleraque hoc toto capite dictorum complexus est Bernardus uno sermone LXXXI. in Cantica, & aliis locis, quæ brevitatis studio referre supersedeo.

LIBER

LIBER QUARTUS.

De Simplicitate Divina.

CAPUT PRIMUM.

Nec corpus, nec corporeus est Deus, ex sanctis Patribus. Qui divinæ simplicitatis fuerint adversarii.

I. Jam inde à lapsu primi parentis inolevit hæc phantasmatum servitus naturæ nostræ, ut divina nisi per sensibiles & corporeas imagines cogitare non possimus. Ex Augustino, & Gregorio.

II. Ex Gentilibus qui Deum corporeum putarint. Ex nostris Tertullianus obliquis suspicionibus non immerito exagitatur. Purgatur tamen ab Augustino.

III. Audiani, & Ægyptii Monachi, Anthropomorphitæ dicti, quod divinam imaginem corpori etiam humano appingerent, in easdem suspiciones incurrere; quas tamen Augustinus & Epiphanius ab eis absterserunt.

IV. Quæ interpretandi indulgentia à Cassiano confirmatur, docente etiam horum Monachorum in defensando errore contumaciam, simplicitati & rusticitati eorum meritò condonandam fuisse.

V. Hæc sanctorum Patrum humanitas in interpretandis aliorum sententiis & verbis, & admiranda, & imitanda meritò Theologis commendatur.

VI. Gilbertus Porretanus divinæ simplicitati infestus, & in Synodo Rhemensi damnatus, resipuit. Purgare illum visus est Otto Frisingensis Episcopus incassum. Bernardo enim fides potius habita, qui novitates Gilberti dissipavit.

VII. Græcorum Monachorum ineptum Commentum de lumine Taboritico, sibi inter orandum conspicuo, increato, & tamen realiter ab ipsa Deitate distincto; & de eo acerbissimæ conflictationes.

VIII. Scotus etiam nova sua distinctione formali in proprietates divinas invecta, divinæ simplicitati subinfestus visus est.

IX. Deum non esse corporeum liquet ex eo, quod melius aliquid cogitari possit, quàm corpus, nempe mens. Qui ergo Deum fingebant corporeum, nil melius corporibus cogitare poterant. Ex Augustino quàm multi etiam ex Philosophis nil melius corporibus cogitare potuerint.

X. Philo demonstrat Deum non esse corpus, ex indigentia omnibus corporibus innata.

XI. Nazianzenus plures naturæ corporeæ maculas recenset, à quibus procul est divinitas.

XII. Expenduntur illa corporum vitia ex mente Nazianzeni.

XIII. Nova ad hoc ipsum argumenta, nova corporum vitia congerit Hilarius.

XIV. Novis argumentis idem urget Augustinus.

De Trinit. l. 12. c. 7. I. VERISSIME ex Augustino: *Cogitatio turpiter vana est, quæ opinatur Deum corporalium membrorum lineamentis circumscribi, atque finiri.* Et quidem ea est hujus hallucinationis vanitas fæditasque, ut plerique imaginentur paucos hominum ita ineptiisse, vel adhuc ineptire: atque adeo actum agi, dum illa refellitur. Sed perperam isti, & humano generi, & sibi forsan ipsis blandiuntur. Non inficior nihil stolidius, sed profiteor nihil vulgatius esse, quàm Deum corporeum imaginari. Postquam ab intelligibilium cœlo ad corporalium rerum fæces per peccatum sumus delapsi, oblimatos deinceps ita gessimus mentis oculos, ut nihil spirituale intelligere ferè, nil nisi corporeum cogitare potuerimus. Cùm Deum etiam nunc cogitare luctamur, impetum facit procella phantasmatum, & corporalium simulacrorum umbris totam mentis serenitatem obnubilat. Hæc jam est simulacrorum servitus, & quædam quasi idololatria, naturaliter omnibus hominibus insita; vel ut emendatiùs loquar, pœnaliter nobis ab ipsis natalibus irrogata; quam nos quidem hoc capite labefactatum imus; sed ut de suo illam quisque animo excindat & extirpet, hoc enimverò totius vitæ operæ pretium est. Augustinus: Epist. 222. *Cui nisi verissimæ rationi fidelis pietas erubescit, ut quandam idololatriam quam in corde nostro ex consuetudine sensibilium constituere conatur humanæ cogitationis infirmitas, non dubitemus evertere?* Sic ille familiares, & altissimè irradicatas cujusdam idololatriæ fibras excindi jubet. Quando autem primùm illæ irrepserint humanæ genti, declarat Gregorius, vel quicumque alius author Commentarii in Psalmos Pœnitentiales, ubi de primo parente eodemque jam prævaricatore hæc habet: *Inter opaca nemorum latere voluit, ut ex hoc quoque patenter ostenderet, quas cæcitatis umbras interius pertulisset. Si enim in umbra non esset, Deum esse localem non crederet; nec ab ejus oculis putaret se abscondi, à quo sciret etiam cordis occulta videri.* In Ps. 4. Pœnit. Ita Gregorius natalitia indigitat & quasi incunabula idololatriæ jam tum exorientis, cùm primus parens statim post peccatum etiam mente carnalis factus, Deum quasi corporalem sibi fingere cœpit, ejusque oculos & conspectum se nemoris latebra declinare posse speravit.

II. Minùs mirum ergo si tam vetusto, si tam diutina consuetudine roborato deinceps errori indulsit genus humanum, & in simulacra tandiu insanivit. Nam etsi Gentilium nonnulli minùs obtusi Deum incorporeum intellectu attigerint, & simulacra vel solo vulgi metu, vel tanquam instrumenta quædam ad exhibendam Dei præsentiam, cultusque sacros excipiendos instituta coluerint: rudes tamen & imperitos, id est, omnes propemodum ethnicos, statuis veram divinitatem inesse, vel militiæ cœli, vel Soli, vel corporeis aliis naturis, adeoque corpoream esse Deitatem, opinatos fuisse, fidem facit inconcussa Scripturarum authoritas, sæpissimè in eos hoc nomine invehentium. Quin & ex Christianis nonnulli in hujus stoliditatis insaniam, alii in solam suspicionem incidere. Ut missum faciam Melitonem Episcopum in Asia Sardicensem, de quo ambigitur ob scriptum ab eo libellum περὶ ἐν σώματι θεοῦ: propior periculo est Tertullianus, cujus hæc sunt verba adversus Praxeam: *Quis negabit Deum corpus esse; etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie.* Cap. 7. Et libro de Carne Christi: *Omne quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est.* Cap. 11. Sic ille & Deum & Angelos & animas ne sint nihil, corpora esse jubet. Quocirca graviter de illo Augustinus cum narrasset ejus deliramenta, circa incrementa animæ, utiq; corporeæ; *Quis hunc crederet cum isto corde tam disertum esse potuisse? sed tremenda sunt ista, non ridenda.* De Gen. ad lit. l. 10. c. ult. Idè tamen libro de heresibus docet meliori

liori interpretatione mitigari & excusari posse tantam illam in tanto viro absurditatem; ut scilicet nominis magis quàm sententiæ errore, corpus appellitaverit quamcumque substantiam, incorporeum
Cap. 86. verò inane, & nihilum. *Non tamen hinc hæreticus factus creditur Tertullianus. Posset enim quoquo modo putari, ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare: non tale corpus, cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant, vel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ propriè diximus corpora; quamvis de anima tale aliquid sentiat. Sed potuit, ut dixi, propterea putari Deum corpus dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis, vel animæ qualitas, sed ubique totus; & per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet. Non ergo ideo est Tertullianus factus hæreticus.* Ita Augustinus Tertullianum hujus labis nota eximit, duplici conjectura fretus: quod nemo illi hactenus hac de causa hæreseos crimen impegisset; quodque ipsa ejus in variis opusculis verba innuant idem ipsi significasse substantiam atque corpus; nec corpori opponi nisi inane & vacuum.

III. Centum amplius post ipsum annis Audius eandem suspicionem incurrit, quod hominem ipso etiam corpore ad Dei imaginem efformatum dixerit. Eodem fundamento nitebantur Ægyptii Monachi desinente quarto sæculo, qui in hanc hæresin turmatim descivere; ideo dicti Anthropomorphitæ, quòd humanam effigiem Deo appingerent, ut homo ad ejus imaginem etiam corporaliter factus dici posset. Sed & istos non Augustinus solus ab hæreseos infamia vindicavit. Epiphanius simplicitati maluit hunc eorum errorem tribuere; & si Audiani ab Ecclesia secessionem fecerunt, lon-
Hæresi 70. n. 8. 14. gè diversam ab ista causam fuisse censet. *Illorum dogmata proposuimus, quæ simpliciori quadam ratione ac pertinaci contentionis studio turpiter asseverant.* Pertinaciam quidem, sed simplicitatis & hebetudinis illis imputat Epiphanius; unde nec hæreticis illos annumerat, sed schismaticis ex causa longè alia. Hanc esse Epiphanii sententiam
L. de Hæres. c. 50. confirmat, nec ab ea abhorret Augustinus: *Audiani quos appellat Epiphanius, & schismaticos, non hæreticos vult videri. Alii vocant Anthropomorphitas, quoniam Deum sibi fingunt cogitatione carnali in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, quod rusticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis, ne dicantur hæretici. Eos autem separasse se dicit à communione nostra, culpando Episcopos divites, & Pascha cum Judæis celebrando. Quamvis sint qui eos in Ægypto Ecclesiæ Catholicæ communicare asseverent.* Vides quid sentiat Epiphanius, nec dissentiat Augustinus; imò quid sentirent Ecclesiæ Ægypti, qui simpliciores illos Monachos rusticitatis suæ tenaciores à Catholica communione non summovebant.

Coll. 10. c. 2. IV. Illustrabit hunc locum Augustini de Ægypti Ecclesiis, & tum ipsius, tum Epiphanii indulgentiorem sententiam confirmabit Cassianus, prolata in medium historia eorum quæ tempore Theophili Episcopi Alexandrini contigerunt. *Theophili Episcopi Alexandrini solemnes epistolæ commearunt, quibus cum denuntiatione Paschali, contra ineptam quoque Anthropomorphitarum hæresin longa disputatione disseruit, eamque copioso sermone destruxit. Quod tanta est amaritudine ab universo propemodum Monachorum genere, qui per totam provinciam Ægypti morabantur, pro simplicitatis errore susceptum, ut è contrario memoratum Pontificem velut hæresi gravissima depravatum pars maxima Seniorum ab universo fraternitatis corpore decerneret detestandum: quod scilicet impugnare Scripturæ sanctæ sententiam videretur, negans omnipotentem Deum humanæ figuræ compositione formatum, cùm ad ejus imaginem creatum Adam Scriptura manifestissimè testaretur. Denique & ab his qui erat in eremo Scythi commorantes, qui perfectione ac scientia omnibus qui erant in Ægypti monasteriis præeminebant, ita est hæc epistola refutata, ut præter Abbatem Paphnutium nostræ Congregationis Presbyterum, nullus eam cæterorum Presbyterorum, qui in eadem eremo aliis tribus Ecclesiis præsidebant, nec legi quidem aut recitari in suis Conventibus prorsus admitterent.* In his sanctissimis Monachis summa pietas, summa erat & imperitia ingeniique tarditas. Itaque ut mox subjicit Cassianus, non errabant nisi *imperitia sola & simplicitate rusticitatis.* Ibid. c.
Extrema erat horum contumacia, sed & hæc de vena eadem rusticitatis & tarditatis ingenij, quæ absolutissimæ alioqui morum sanctimoniæ non repugnabat. Et sanè quotusquisque vulgi fidelium non pari hodie ludibrio vexatur interdum? Abest certè nunc contumacia.

V. Antequam ultra progrediar, juvat hanc inculcare & admirari Epiphanij, Augustini, Cassiani, Ecclesiarum Ægypti, imò & totius orbis, indulgentiam, in tam molliter interpretandis Tertulliani vocibus, sed in tumultuosis maximè Monachorum Ægypti Anthropomorphitarum concertationibus adversùs Episcopos tam clementer ferendis. Quando Theologicus iste tractatus est, nec debet extra has lineas spatiari: hinc occasionem tantùm arripiam monendi, obsequutos nos esse toto in hoc opere sanctorum Patrum ingenio, sicubi ad mitiorem inclinavimus sententiam, etiam quando Scriptorum verba poterant in sequiores sensus trahi, & exasperari. Nec humanitas ista improbanda etiam est, si ad exteros quoque & profanos authores se exporrigat. Possem Augustini exempla proferre complusoula circa doctrinam Platonicorum. Et nobis ergo hinc patrocinium paramus. Porrò illud interest discriminis inter illa duo Tertulliani & Audii exempla, quod Tertulliani sola verba indulgentiùs tractantur, ut sana ipsi doctrina non immeritò possit tribui. At Audii & Anthropomorphitarum certissima erat hæresis, nec nefariam illam doctrinam illis abjudicamus; sed sola eos ignorantia, simplicitate ac rusticitate, non hæretica superbia, aut insania peccasse, eoque nec hæreticos habitos fuisse censemus.

VI. Et hi quidem omnes obtusioribus duntaxat telis divinam impetivere simplicitatem; acutiores nonnulli longo pòst tempore emersere, qui eidem illuderent. In eis principem tenet locum Gilbertus Porretanus Pictaviensis Episcopus, ausus deitatem à Deo, seu à personis naturam realiter distinguere: etsi brevi resipuit, Rhemensis Synodi authoritate, sed in primis fulmineo Bernardi ore compulsus. Supervacaneum esset hic attexere, quod cuivis legere fas est in Annalibus Ecclesiasticis. Nec Porretano defuit qui eum ab hujus accusationis invidia tueretur, ejusque verba in orthodoxum sensum flecteret Otto Episcopus Frisingensis, magni sanè nominis vir, multæ eruditionis, eximiæ sanctitatis. Sed major, ut mihi quidem videtur, fides habenda est Bernardo, qui præsens aderat, Synodoque intererat, Synodi mens & ingenium, quàm absenti Ottoni, & antiquæ cum Porretano amicitiæ nonnihil fortasse indulgenti. Audi Bernardum in Cantica ad fratres ita perorantem: *Recedant à nobis, charissimi, recedant à nobis novelli non dialectici, sed hæretici,* Serm. 80.
qui magnitudinem qua magnus est Deus, & item bonitatem qua bonus, sed & sapientiam qua sapiens, & justitiam qua justus, postremo divinitatem qua Deus est, Deum non esse impiissimè disputant. Divinitate inquiunt Deus est, sed divinitas Deus non est, &c. Unde non immerito nuper in Concilio, quod Papa Eugenius Remis celebravit, tam ipsi quam cæteris Episcopis perversa visa est & omnino suspecta expositio illa in libro Gilberti Episcopi Pictaviensis, quo super verba Boethii de Trinitate, sanissima quidem atque Catholica commentabatur hoc modo, Pater est veritas, id est verus; Filius est veri-

veritas, id est verus, &c. Quàm verius saniusque per contrarium ita dixisset, Pater est verus, id est, veritas, &c. Videbatur ergo Gilbertus abstracta à concretis, & ipsa inter sese forsan Dei attributa sejungere ejusmodi distinctione, quæ non rationis tantùm esset. Non tamen omnino Porretani patrocinium sibi sumpsit Otto, sed quasi dubius hæsit, an fervidiùs illum Bernardus insectatus sit, an ex adverso astutiùs ipse Pontificem & Synodum delinierit, Ecclesiæque judicium evaserit. *Utrum autem prædictus Abbas Claravallensis in hoc negotio* De Gestis Frid. Imp. l. 1. c. 48. *ex humanæ infirmitatis fragilitate tanquam homo deceptus fuerit; vel Episcopus tanquam vir litteratissimus propositum astutè celando, Ecclesiæ judicium evaserit, discutere, vel judicare nostrum non est.* Hæc Otto Frisingensis de persona & libris Porretani. Nam de doctrina ipsa, nec à Bernardo, nec à Synodo Remensi has distinctiones damnante, ipse dissentiebat.

VII. Aliquanto post tempore Græculis Monachis absurdum nescio quid ineptire visum est, affirmantibus, ubi inter orandum caput pectori umbilicoque adpressissent, oculosque ac spiritum compressissent: tum verò splendidissimam sibi lucem affulgescere, ex ejusque contuitu ineffabili se perfundi voluptate. Serpente dein ad plures vesania, hanc lucem illam esse dixerunt, qua Christus dum transfiguratus est, fulsit: nec creatum quid, sed increatum, quasi indumentum Dei, & Deum ipsum; vel potiùs ἐνέργειαν seu operationem Dei, realiter quidem à Deo distinctam, nec tamen aliud quàm Deum ipsum. Principes hujus sectæ fuere Simeon quidam Monasterii præfectus, deinde Gregorius Palamas, ex Monacho Montis Sancti Episcopus Thessalonicensis: tum denique Joannes Cantacusenus Imperator Patronus accessit. Quatuor Synodi Constantinopoli habitæ sunt, quibus non tantùm ineptissimi commenti fides sancita est; sed & Barlaamus ex Monacho Jeracensis in Calabria Episcopus, qui Constantinopolin ea de causa convolaverat, ut Græcas has fabulas ventilaret, tametsi hoc munere egregiè perfunctus, proscriptus est, cum Gregorio Acyndino discipulo & commilitone. Sed & Joannes Episcopus Constantinopolitanus, Nicephorus Gregoras nobilis Scriptor, aliique tum Episcopi, tum laici fede & communione moti sunt, quòd Barlaami & Acyndini sententiæ suffragarentur, divinumque illud lumen & increatum, & tamen reapse à Deo separatum, & dormitantibus potiùs quàm orantibus Monachis aspectabile sugillarent, Monachosque istos Hesychistas, Euchitas, Omphalopsychos, Massalianos aliisque sectarum nominibus appellitando traducerent. Consule de his si vacat Annales Ecclesiasticos Rainaldi, & doctissimi Petavii dogmata Theologica, ubi ista prolixissimè persecutus est.

VIII. Nescio an his adjiciendus denique sit Scotus, qui non hostiliter quidem divinæ insultavit simplicitati, sed minùs forsitan reverenter ingenii sui acumen illi inseruit, novaque distinctione invecta, præter eam quæ rei, & eam quæ rationis est, nimirum formali, divina inter se attributa differre sensit non solo animi nostri conceptu, non reapse, sive ut rem à re, sed formaliter, ut formam aliam ab alia forma unius & ejusdem rei.

IX. Hæc sunt omnino quæ hic diluenda aggredimur, ac primùm crassam illam à Deo corpulentiam depellemus; dein minutiores compositionis nebulas dissipabimus; denique quantum acies nostra juvante Deo se porriget, in illum divinæ simplicitatis summum apicem nos intendemus. Et quidem quod ad primum attinet, quo primùm ex fonte manarit in genus humanum insulsa Dei corporei imaginatio, supra cum Gregorio Magno advertimus: sed rivos ex illo fonte prodeuntes Augustinus aperit, ubi notat, cum anticipatum omnibus sit Deum id esse, quo nihil melius atque sublimius cogitari possit; jam pro moribus quemque suis homines de Deo alios aliter opinatos esse. Qui enim sensibus planè mancipati, sola corpora mirabantur, Deum corporalem sibi finxerunt. Qui intellectui quàm sensibus addictiores fuere, ii Deum tanquam mentem sapientissimam sibi constituerunt, quod nec illi corpore, nec hi mente præstantius quidquam possent cogitare. *Cum ille unus cogitatur Deorum Deus, ab his etiam qui* De Doctr. Christ. l. 1. c. 7. *alios & suspicantur, & vocant, & colunt Deos, sive in cœlo, sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid quo nihil melius atque sublimius illa cogitatio conetur attingere. Sanè quoniam diversis moventur bonis, partim eis quæ ad corporis sensum, partim eis quæ ad intelligentiam pertinent; illi qui dediti sunt corporis sensibus, aut ipsum cœlum, aut quod in cœlo fulgentissimum vident, aut ipsum mundum Deum Deorum esse arbitrantur. Aut si extra mundum ire contendunt, aliquid lucidum imaginantur, idque vel infinitum, vel ea forma, quæ optima videtur, inani suspicione constituunt. Aut humani corporis figuram cogitant, si eum cæteris anteponunt. Illi autem qui per intelligentiam pergunt videre, quod Deus est, omnibus eum naturis visibilibus & corporalibus, intelligibilibus etiam & spiritalibus omnibus mutabilibus præferunt. Omnes tamen pro excellentia Dei certatim dimicant; nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est.* Ita sanctus Pater præsumpto & persuaso apud omnes id Deum esse, quo melius nihil est, ex hoc quasi capite in mille viarum & sententiarum divortia itum esse monstrat, pro cujusque studio & propensione in sensus, vel in intellectum, in hæc vel illa corpora. Et ne solos sensibus deditos & mancipatos fuisse existimes homines de trivio & de textrino; plerique apud Ethnicos Philosophi, ipsi inter eos Theologi, si Platonicos & paucos forsan alios demas, in hoc luto hæserunt. Unde Augustinus: *Non solum ista* Civ. l. 8. c. 5. 6. *quæ duæ Theologiæ continent, fabulosa & civilis, Platonicis Philosophis cedant, qui verum Deum, & rerum authorem, & veritatis illustratorem, & beatitudinis largitorem esse dixerunt; sed alii quoque Philosophi, qui corporalia naturæ principia corpori deditis mentibus opinati sunt, cedant his tantis, & tanti Dei cognitoribus viris: ut Thales in humore, Annaximenes in aere, Stoici in igne, Epicurus in atomis, & quicumque alii corpora causam principiumque rerum esse dixerunt. Hi & cæteri similes eorum id solum cogitare potuerunt, quod cum eis corda eorum carnis sensibus adstricta, fabulata sunt. Cedant ergo & isti Platonicis, &c.* Et paulò pòst: *Viderunt ergo isti Philosophi, quos cæteris non immerito fama atque gloria prælatos videmus, nullum corpus esse Deum: ideo cuncta corpora transcenderunt, quærentes Deum.* Sic ille & unde fluxerit, & quàm latè serpserit hæc contagio, insinuat.

X. Demonstrari autem potest Deum, seu id quo melius nihil est, corpus non esse, ex imperfectionibus iis quæ naturam corpoream consequuntur; quas adeo nemo prudens Deo aspergi patietur. Ita philosophatur Philo libro Quod Deus sit immutabilis; ubi eandem cum Augustino erroris quem confutamus originem cum indigitasset, indigentiam exaggerat, à natura Dei tam alienam, quàm naturæ corporum germanam. *Hominum pars amici sunt animæ, pars verò magis favent corpori. Animæ socii habentes cum naturis corporeis consuetudinem, cum nulla rerum idea comparant eum qui est, sed extollentes eum super omnem qualitatem, sola ejus essentiæ imaginatione contenti, nullam formam affingunt. At fœderati corporis, cum non possint exuere indumentum carneum, quales opiniones de seipsis, tales etiam de rerum omnium authore concipiunt; quippè qui non valent naturam solam, nullius egentem, simplicem, sinceram, incorporalem cernere. Nec reputant, quod qui constat è potentiis compluribus, eget etiam pluribus partibus ad singularum ministeria. Sed Deus utpote ingenitus &*

creator omnium, non opus habet istis creaturarum accidentibus. Quid enim dicemus de usu instrumentalium partium? Pedes ei dabimus progrediendi gratia? at quo ibit, cum impleat omnia? quem accedet, cum neminem honore parem habeat? aut quam tandem ob rem, cum humanis curis careat? Quid manus ad accipiendum, dandumque? Ipse à nemine quidquam accipit: quippe qui non solum non eget, verùm etiam universa possidet. Donat autem Verbo suo munificentiam administrante, per quod mundum condidit. Oculis certè non eget, quibus sine luce sensibili nihil comprehenditur. At sensibilis lux creata est, Deus autem propriæ lucis usu videbat etiam ante mundum conditum. De nutritionis instrumentis quid attinet dicere? Nam si hæc habet, nutritur etiam, & satiatus egerit, & rursum ex intervallo esurit, cæteraque facit, quæ nemo pius dixerit. Ita Philo corporum omnium perfectissimum, nempe humanum, fabricæ suæ miraculo cæteris omnibus longè anteponendum, ideoque ab Anthropomorphitis Deo olim assignatum, & etiamnunc à compluscul is ex consuetudinis corruptela, ubi de Deo minùs cautè cogitant, illi appingi solitum; hoc inquam corpus, quot partibus, tot inopiæ & mendicitatis suæ argumentis constare demonstrat. Adeo ut videatur totum animal corporeum ipsa esse essentialis & inexplebilis inopia, tot membris non alium in usum instructa, quàm ut tota undique mendicet. At ejusmodi non est, id quo nil melius, vel esse, vel cogitari potest.

Orat. 34. XI. Aliquantò plura naturæ corporeæ detrimenta coacervat Gregorius Nazianzenus: *An corpus eum esse dices? Quonam ergo modo immensus, infinitus, figuræ expers est, ac denique ejusmodi, ut nec tangi, nec oculis cerni queat? An hæc quoque in corpora cadunt? O licentiam! Neque enim hæc corporum natura est. An verò corpus quidem esse statues, immensum verò atque infinitum, cæteraque hujus generis esse negabis? O crassitiem! Qua in re Deus nos antecellet? Quid enim afferri potest, ut colatur atque adoretur, si circumscriptus est? Aut quid causæ esse dicemus, quin ex elementis conflatus sit, atque in eadem denuo redigatur, & prorsus intereat? Compositio quippè pugnæ initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis: solutio verò nullo modo in Deum, ac primam illam causam cadit. Quocirca nullum dissidium admittendum est, ne solutio consequatur; nec pugna, ne dissidium oriatur; nec compositio, ne pugna existat; ac proinde ne corpus quidem est, ne compositum eum esse necesse sit.* Et infrà disceptans quomodo Deus corporeus in orbe corporeo esse posset: *Aut enim per vacuam universitatem grassabitur, & res omnes nobis peribunt, ut sic Deus contumelia afficiatur, nimirum & qui corpus sit, & iis quæ procreavit careat. Aut corpus in corporibus erit, id quod fieri non potest. Aut implicabitur, quemadmodum ea quæ liquiditate prædita sunt, inter se miscentur; atque alia secabit, & ab aliis rursus secabitur. Quod ipsis etiam Epicuri atomis absurdius & anilius est.*

XII. Hæc Nazianzenus. Unde explicari possunt plura quæ ille conglobavit argumenta. Nam 1. omne corpus finitum est. Cujus enim natura est, ut semper minoribus minimisque constet, id magnum nunquam erit, nedum maximum aut infinitum. Cujus tot sunt fines, quot partes; quælibet enim pars aliam finit & terminat, vicissimque ab aliis finitur; id nunquam erit infinitum. Cui quantumcumque jam sit, semper addi potest, id infinitum nunquam erit. Cujus natura posita est in exiguitate partium omnium, mutuaque carentia, qua uni deest quidquid universis aliis adest, id infinitum nunquam erit. At Deus cùm maximum summumque sit eorum quæ cogitari possunt, utique infinitus est. 2. Omne corpus figuratum est. Nam quod finitur, figura sanè aliqua definitur. At Deo figuram seu quadratam, seu rotundam, seu quamlibet aliam affingere, quis non videt quàm alienum quàmque ineptum sit? 3. Quodlibet corpus circumscriptum est; ut enim substantia, ita & loco finitum est. Ut quantitatis natura est, partes partibus extrudi; ita uno loco alia corpora excludere, & vicissim excludi. Si enim ejusdem corporis partes sese mutuò excludunt, quantò magis alia excludent corpora? si sese immeare ac penetrare non possunt, quantò minùs alia corpora? Ergo corpus omne si solum non est, circumscriptum est. At Deus incircumscriptus est. 4. Omne corpus corruptibile est. Cùm ex partibus enim pluribus componatur, harum partium ut aliæ ab aliis discernuntur, ita secerni poterunt & separari, ex earumque dissociatione corpus dissipabitur. At Deus si corruptibilis esset, non id esset, quo nil melius cogitari potest. Hunc Gregorii Nazianzeni locum imitatus est Damascenus. L. 1. Orth. fid. c. 4.

XIII. Conjecturas alias suggerit Hilarius, cujus hæc sunt verba: *Intelligendum est, Deum incorporalem esse, neque ex partibus quibusdam, atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, consistere. Spiritus carnem & ossa non habet; ex his enim corporis membra consistunt, quibus substantia Dei non eget. Deus autem qui & ubique & in omnibus est, totus audit, totus videt, totus efficit, totus incedit. Virtus Dei quæ indiscreta est, officiorum & membrorum habet nomina: ut virtus qua videt, oculi sint; virtus qua audit, aures sint; virtus qua efficit, manus sint; virtus qua adest, pedes sint; officiorum diversitates virtutis hujus potestate peragente.* Et infrà: *Ergo quisquis ita valet credere, ut corporalis Deus sit, quia ad imaginem ejus homo factus est, compositum esse Deum statuet, ex potiore scilicet inferioreque natura, quia de talibus homo constat. Quidquid autem compositum est, necesse est non fuerit æternum; quia compositio habet initium, quo componatur, ut maneat. Deum autem semper, & in omnibus manens, & ubique idem, & nusquam ipse non totus est.* Hæc Hilarius, ex quo similiter non pauca metere licet argumenta. 1. quidem primum Principium est Deus, & à nullo pendet. At corpus omne ab alio principio exoritur. Cùm enim partes ejus aliæ ab aliis differant, potuerintque omnino non copulari, vel alio & alio modo situque copulari; superiore aliquo opifice opus est, qui partes in hunc modum situmque potissimùm confœderaverit. Nisi malis partium hanc copulam imputare casui. Omnino enim quæcumque possunt connecti, vel non connecti, alio & alio modo connecti, aut casu, aut artificis alicujus opera & consilio connectuntur. Casui autem qui sobrius imputaverit illam corporum, maximè animantium coagmentationem, quam tota hactenus hominum sapientia vix satis perscrutari, vix aliqua ex parte intelligere potuit? 2. Deus æternus est, at nullum corpus æternum est. Partes enim partibus quia non necessariò cohærent, aliquando cohærere cœperunt; initium dante talis cohæsionis opifice. 3. Corpus omne alia officia aliis membris implet. Quocirca singulis membris modica vis inest, sui compos officii, reliquorum impotens. Surdi sunt oculi, cææ aures. At virtus Dei cùm summa sit, & quanta nec cogitari potest, una ad omnia debet valere, in omnibus debet tota esse, in singulis omnipotens esse, &c. 4. Corpus omne ex deteriore & meliore conflatur: ad hoc ferè instituta compositione, ut deterioris penuriam farciat copia melioris. Eo consilio & fructu anima corpori, forma materiæ copulatur. At in Deo non potest esse melius & deterius, cùm sit totus optimus, & totum optimum.

In Psal. 129.

XIV. Naturam ipsam corporis & quantitatis attendit Augustinus, in eo positam, quòd semper possit crescere & decrescere; quo nihil alienùs & magis dissonum à natura Dei, qui summum magnum est. Augustinus: *Cogitanti tibi de Deo, occurrit*

Inter 17. ferm. à Parif. additos. Serm. 14. *rit tibi aliqua fortasse in humana specie, mira & amplissima magnitudo. Constituisti eam in conspectu cogitationis tuæ tanquam magnum aliquid, amplissimum, grande, ingentissima mole diffusum, &c. Quid agis stulta, & carnalis cogitatio? grandem molem fecisti, & tantò grandiorem, quantò putasti Deum amplius honorare. Addit alius unum cubitum, & fecit majorem.* Hæc Augustinus acutissimè; cùm enim omnibus persuasissimum sit, Deum id esse, quo nihil majus cogitari potest; frustra quæritur Deus inter corpora. Quocumque enim & quantocumque corpore excogitato, majus & majus sine fine cogitari poterit. Id ergo cujus natura est, ut eo nil cogitari possit majus, in eo non est quærendum, cujus natura ea est, ut majus semper majusque cogitari possit.

CAPUT II.

De divina incorporeitate, & simplicitate, quid senserint prisci Philosophi.

I. Luculentissimè à Plotino exponitur naturæ corporeæ infirmitas, inanitas, & à summo ente longinquitas, ac dissimilitudo maxima; apostasia autem quædam infinita ab uno.

II. Ex eodem, ne anima quidem potest corpus esse, nedum Deus. Ideo autem non potest, quia necessariò una est anima una, vita, una cogitatio; corpus autem multa est. Vivere, sentire, cogitare, velle, quasi essentialiter unum quid, & indivisibile est.

III. Ex Plotino sua Deum simplicitas evehit non tantum supra corpora, sed supra animas, supra mentes, supra nomina, supra omnia, quæ de eo vel dici, vel cogitari possunt. Unde & nos arcano tantum quodam sensu illum contingimus; scimusque magis quid non sit, quàm quid sit.

IV. Supra mentem & supra ens etiam Plotinus cum Platonicis aliis Deum extollit, quia simplicius aliquid ente & mente cogitari posse existimat; cum ens & mens omnia sint, unum autem super omnia emineat sua simplicitate.

V. Ut unum & bonum rapido coruscamine videatur, ejusque in animo nostro memoria aliqua resideat.

VI. Deus est ipsum bonum simplicissimum, & nihil præterea. Unde per negationes prolixiùs intelligitur. Uno & simplicitate mentis meliùs Deus attingitur: præsentia magis quàm intelligentia capitur; omnibus præsens, omnibus absens.

VII. Plotino beatitas patriæ cœlestis non in eo est, ut mens Deum intelligat: sed ut Deo adglutinetur, & in unum cum eo coalescat; Deum quippe possidebit quiete, statu, tactu, similitudine, quadam cum eo æqualitate.

VIII. Antedicta omnia Proclus calculo suo approbat, maximè non intelligentia Deum attingi, sed negationibus, amore.

IX. Alcinoi sententia.

X. Et Apuleii.

XI. Superiora omnia è Platonis discipulis hausta, magistri doctrinam abundè declarant.

I. Naturarum materialium & corporearum penitissimè inspexerat angustias Plotinus, cùm scripsit, quò majora sunt corpora, eò minùs minúsque quodammodo esse. *Quæ existimet forsan aliquis esse quammaxime, hæc quammaximè non sunt. Quod autem est quantitate magnum, hoc minus existit.* (Ennead. 5. L. 5. c. 11.) Libet ejusdem Plotini locum alium paulò prolixiorem hìc intexere, quod eo essentiæ corporeæ penitissima medulla, & infirmitas, & inanitas, & à summo ente longinquitas & dissimilitudo maxima aptissimè retegatur. Invictissimè enim inde efficietur non posse vel somniando, naturam corpoream ab ejus gnaris affingi Deo. *Quærendum videtur in primis, numquid multitudo sit discessus distantiaque ab uno, ideoque ipsa infinitas extremus sit ab unitate discessus, propterea quod hæc sit innumerabilis multitudo: atque ob hoc infinitas malum sit, nosque mali simus, quando multitudo sumus. Tunc enim quodlibet multum fit, quando non potens penes idem in seipso manere, diffunditur & extenditur jam dispersum, & quando in ipsa diffusione prorsus uno privatur, fit multitudo, ubi deest quod partem aliam cum alia uniat. Sin autem sit quidam conciliator, tunc quod fusum est permanendo fit magnitudo. Sed quidnam est in magnitudine mali? profectò si præsentiret, pareret in ea malum. Sentiret enim res illa se à seipsa longè abiisse. Unumquodque sanè non aliud expetit, sed seipsum. Progressus autem ad externa factus, vel vanus est, vel certè coactus. Præcipuè autem est unumquodque, non quando fit multum aut magnum, sed quando sui ipsius existit. Sui verò ipsius est, quando solum sibimet annuit.* (Ennead. 6. L. 5. c. 1.) Et infrà: *Veruntamen universum magnum est & pulcrum. Sed idcirco pulcrum est, quoniam non est permissum ad infinitatem prorsus effugere, sed est unitate comprehensum. Jam verò pulcrum est, non magnitudine quidem ipsa, sed potiùs pulcritudine: atque idcirco indiguit pulcritudine, quia factum est magnum. Quandoquidem si hoc foret pulcritudine destitutum, quatenus magnum est, eatenus apparuisset & turpe. Atque ita hoc ipsum magnum pulcritudinis est materia, quatenus multum est quod indiget ornamento.* Sic ille naturæ corporeæ penetralia propalat, positæ in apostasia quadam ab uno. Præ impotentia enim sese in se colligendi, effunditur & diffluit in partes; discerpitur & à seipsa distrahitur, & velut membratim dilaniatur, imo conteritur minutatim, & penè inanescit, sui in tot frustilla dissipatione. Quantò majus ergo fiet corpus, tantò minùs & minus erit, quia tantò longiùs deficiet à seipso; tantò ab uno status & incolumitatis suæ vinculo magis discedet; tantòque membra sua habebit alia ab aliis remotiora, ideoque imbecilliora. Et infinitum si quod foret corpus, quia ab uno entis authore & sospitatore infinitè discederet, fortasse omnino non esset. Igitur quantum boni est in uno, quo unumquodque sistit sese in se, ne diffluat & dispereat; tantum mali est in multo & magno corporeo, quo unumquodque recedit à se, & ubi augescit, augescit inopia; & nisi aliquo unitatis modo adhuc constringeretur, prorsus inanesceret. Hanc Platonicam naturæ corporeæ descriptionem quisquis conspexerit, illi nunquam in mentem veniet Deum corporeum existimare. Deus enim quo nihil melius, corpus est quo nihil inter entia deterius; quia à summo uno longissimè abscedit.

II. Quin imò nec anima ipsa nostra corpus dici, aut existimari potest, ex eodem Plotino: multò ergo minùs Deus, quem animarum natura longè superiorem omnes confitentur. Quod autem anima corpus non sit, probat Plotinus ex eo quod corpus omne multis ex partibus, multis adeo ex corporibus compositum est. Si anima autem esset corpus, singulæ hujus corporis partes vita essent, vel earum una tantùm. Si una tantùm vita est, hæc sola vita & anima erit. Si omnes, supervacaneum id est, cum una vita sufficiat uni animanti, & nihil attineat eidem viventi tot vitas, quot artus tribuere, alias ab aliis separabiles. *Necessarium est, si id corpus quod fingitur anima, ex duobus pluribusve corporibus componatur: aut ambo, aut cuncta simul habere vitam, aut unum, &c. Si uni tantum insit vita, unicum hoc erit anima. Si unumquoque vitam habet, unum jam sufficit.* (Ennead. 4. L. 7. c. 2.) Nihil insulsius autem quàm sibi fingere, ex plurium corporum inanimatorum concursione & copula animam vitamque exurgere. *Omnino autem impossibile est confluentiam corporum vitam facere, & quæ intellectu carent,*

earent, facere intellectum. Luculentè omnino Plotinus demonstrat animam vitamque necessariò indivisibile aliquid esse, atque adeo quantitatis & molis impatiens. Quippe si extensa, si divisibilis instar corporum sit anima, in plures ergo animas divisione facta scindetur. At quorsum plures animæ in uno animali? Deinde ecquis unquam audeat diffinire, quot cubitorum debeat esse longitudo, aut latitudo, aut crassities animæ? Et dempto uno cubito, quantum vitæ viriumque decessurum sit illi animæ? *Si ergo anima tanta quadam fuerit magnitudo,* Ibid. c. 5. *quæ si minor aliquanto fuerit, non ulterius futura sit anima, certè sicut & omne quantum per quandam partium detractionem ex priori essentia permutabitur*. Ne sentire quidem, aut intelligere aliquid posset anima, si corpus, si extensum, si divisibile quid esset. Nec enim per partes sui sentit anima, sed se tota totam sentit, intelligitque quidquid sentit & intelligit, quanquam per varia sensuum organa trajiciantur ad eam species rerum Ibid. c. 6. quas sentit. *Quod autem si anima sit corpus, neque sentire nobis dabitur, neque intelligere, neque scire, neque virtus omnino, neque quidquam egregium nobis inerit, ex his apparebit. Siquidem enim sentire quidquam debet, unum esse ipsum oportet*. Quæ eò tandem redeunt, ut intelligatur anima, quà natura est cogitandi & volendi, necessariò incorporea, immaterialis & indivisibilis esse. Si enim divisibile pluribusque ex partibus compactum est, quod cogitat & quod vult, singulæ partes cogitabunt & volent; totidem ergo erunt cogitationes & voluntates, quod monstri simile foret. Ecqua enim harum vel cogitationum, vel voluntatum, vel animarum principabitur in animante?

III. Verùm longè ulteriùs, nec supra corpora tantùm, sed & supra naturas viventes, rationales, intellectuales, quas animarum nomine significabamus, provehenda est divina simplicitas ex Plotino. Est enim Deus supra omnia, supra animas, supra mentes, supra primam mentem, supra nomina, supra omnia quæ de eo vel dici possunt, vel cogitari. *Quamobrem revera ineffabile* Ennead. 5. L. 3. c. 13. *est. Quidquid enim dixeris, aliquid dixeris. Sed enim quod est super omnia, superque mentem apprime venerandam, ab omnibus segregatum, non habet nomen aliud, neque aliquid omnium. Et omnino nullum est nomen ejus, propterea quod de eo nihil dicitur; sed nos quoad possumus, nonnihil de* Ibid. c. 14. *illo nobis significare conamur*. Et infrà: *Certè de illo quidem aliquid dicimus, ipsum tamen minimè dicimus: neque cognitionem, neque intelligentiam illius habemus. Sed quonam pacto de illo loquimur, si non habemus? Quia etsi non habemus illud cognitione, non tamen propterea nullo modo illud habemus; sed habemus ita, ut de eo quidem loqui possimus, ipsum verò eloqui minimè valeamus*. Quod mox quale sit, exponit. Nimirum arcano quodam sensu sentire nos incomprehensibilem magnitudinem & pulcritudinem Dei, sentire inquam magis quàm intelligere; adeo ut loqui de illo, non illum eloqui valeamus. Propterea quod possimus tantùm dicere quid non sit, non autem quid sit. Nec id autem possemus, dicere quid non sit, nisi aliquo occulto gustu aut tactu ejus amplitudinem contingeremus. Denique fatigatus animus noster longiori ad illud arcanum incomprehensibile suspensione, lubens acquiescit ejus vestigiis & umbris in naturarum creata ab eo universitate refulgentibus. *Quod enim non est, pronuntiare solemus; quod autem est, nequaquam. Quapropter ex posterioribus verba de illo facere consuevimus*. Qualis autem sit sensus ille, quo utcumque attingimus deitatem, ex quo fit ut certò sciamus quid non sit, non autem quid sit, sic ille ibidem confestim edisserit: *Jam verò quemadmodum hi qui divinitus afflantur, atque rapiuntur, animadvertunt quidem se grandius aliquid in se habere, quamvis quid illud sit, minimè noverint. Ex quibus autem concitati sunt, etiam loquuntur, atque ex his sensum quendam moventis accipiunt, cùm ipsi ab eo diversi sint qui concitavit: sic & ipsi ad illud nos habere videmur; quo quoties mentem puram adepti sumus, qua freti vaticinamur, hunc quidem esse intimum intellectum, qui author est essentiæ, aliorumque generis & ordinis ejusdem: illum verò non esse hæc prorsus agnoscimus, sed præstantius quiddam eo quod ens nominamus: quoniam superior ille præstantiorque est sermone, ratione, mente, sensu; hæc quidem præbens, non tamen hæc existens*.

IV. Ratio autem potissima propter quam Deus ab his Philosophis constituatur super id omne quod vel sermone possumus vel mente complecti, quin & supra ipsam mentis naturam, supra ipsum etiam ens evehatur; ea scilicet est, quæ à divina simplicitate depromitur. In nostris enim omnibus de ente etiam & mente cogitationibus, nonnihil à divina simplicitate atque unitate deviamus. Et enti enim & menti primæ inserimus omnium entium multitudinem. Castius autem simpliciusque est Deum nihil omnium esse, quàm omnia cogitare. Non potest autem nisi suo lumine videri, aut sentiri Deus, sicut nec Sol nisi sua luce videri: *Credendum est tunc demum nos vidisse* Ibid. c. 16. 17. *illud, quando animus repentè lumen acceperit. Hoc enim lumen ab ipso bono manat, & ipsum bonum est. Tunc certè putandum est id nobis adesse, quando tanquam Deus alius invocante aliquo domum intrat, & prorsus illuminat; alioqui nisi intraverit, non illuminat. Sic itaque anima vacua lumine est, & vacua Deo; illuminata verò, habet quod quærebat. Hic certè, hic est finis animæ verus, lumen scilicet illius accipere, & ipsum ipso perspicere; non alterius inquam lumine contueri, sed ipsum aspicere per ipsummet per quod aspicit. Neque enim Solem per lumen alienum intueri solemus. Verùm si quæras qua id ratione consequi possis, omnia prorsus è medio tolle*. ἄφελε πάντα.

V. Alibi tamen totum conspici posse Deum censet, ut totum, sed ut totum omnia, imò ut totum nihil omnium, quod videatur ab oculo puro raptim, & statim aufugiat, aut à quo nos potiùs statim delabamur; restet autem post illa coruscamina memoria nescio quæ ejus quod visum est, non aliud exhibens nobis quàm bonum & unum, omnium principium, & nihil omnium eorum quorum est principium: *Verum tu noli Deum pre-* Ennead. 5. L. 5. c. 10. *cor per alia intueri. Alioquin scito te non Deum, sed ejus vestigium inventurum. Sed ipse tecum reputa, quidnam sit hoc potissimum, quod fas est percipere tantùm in seipso consistens, purum nulli permixtum. Ubi certè omnia participant ipsum, nihil tamen id habet. Profectò nihil aliud potest esse tale, & proculdubio necessarium est tale aliquid esse. Quisnam igitur potentiam ejus omnem simul apprehendat? Si quis enim simul apprehendat omnem, quonam ab eo differre censebitur? Num accipit ergo secundum partem? Sed enim tu ipsum intuens ictu quodam toto simul, & unico contuebere, neque tamen tibi totum renuntiabis; alioquin intellectus eris intelligens, si quid modò fueris consecutus. Deus autem te protinus aufugiet; imò tu potius Deum. Cæterum quando inspicis, conspice totum; & cùm primum hunc intellexeris, quidquid ex eo memoria conservaveris, bonum ipsum esse memento. Vitæ namque sapientis intellectualisque causa est; quippe cùm sit ipsa potestas, à qua vita intellectusque nascitur; nempe essentiæ entisque est author, quoniam est ipsum unum. Est enim simplex, est & primum, quoniam est principium. Ab eo namque omnia profluunt*. Quo illud mea quidem sententia significatur, abstersis sordibus cordis & oculi spiritalis, videri quandoque Deum, & totum videri, sed ut super omnia esse, & omnium ablatione intelligi conspiciatur, in ictu tantùm

tùm trepidantes aspectus conspici, & si qua dilapso illo coruscamine memoria supersit, non aliud exhiberi menti, quàm ipsum unum & ipsum bonum, tanquam principium rerum omnium, in quibus jam Deum liceat ut in sui vestigiis divinam magnitudinem contemplari.

VI. Idem infrà demonstrat ipsum bonum nihil aliud esse, nihil omnino habere, ne opulentiæ suæ & simplicitati deroget, si quid aliud vel sit, vel habeat. Non bona enim habere, aut esse, boni non est. Bona habere boni non est, sed esse ipsum simplicissimum bonum. Ergo laudari non debet, nisi reliqua omnia ab eo auferendo.

Ibid. c. ult. *Certè nihil habens, habendo nihil, est ipsum bonum. Si quis igitur huic aliquid addit, vel essentiam, vel mentem, vel pulcrum, ipsa nimirum additione demit ab eo idipsum, quod ipsum existit bonum. Cuncta igitur auferens, nihilque de hoc affirmans, ritè permittit tantum quod est dici, &c.* Monet idem alibi necesse esse, ut unusquisque in unum, purum, primum suæ mentis apicem assurgat, ut eo contingat utcumque poterit illud

Enn. 6. l. 9. c. 3. purum simplicissimumque unum & bonum: *Expedit animum adhibere ab omni malignitate purgatum, dum ad bonum affectat accedere. Præterea in principium sibi insitum se attollere, unum ex multis evadere, si modò principium atque unum sit inspecturus. Oportet igitur animum fieri tunc intellectum, ideoque totam animam menti committere, & in ea penitus collocare, ut quæ intellectus ipse videt, animus experrectus accipiat, ipsoque intellectu unum ipsum contempletur. Sic tamen ut sensum adhibeat nullum, nec etiam aliquid à sensu proveniens: sed pura duntaxat mente, ipsoque mentis primo, purissimum contempletur.* Præsentia Dei ad mentem, vel mentis ad Deum, non scientia, non intelligentia ulla cognoscitur Deus; usque adeo nec corporeum quid ipse est, nec animale, nec intellectuale, sed unum simplicissimum.

Ibid. c. 4. *Neque per quandam scientiam, neque per intelligentiam ullam cognoscimus illum, sicut alia solemus, quæ intelligibilia nuncupantur; sed per præsentiam quandam scientia meliorem.* Et Deus quidem omnibus præsens est, quà omnia ab ipso sunt; & rursus ab omnibus absens, quà ineffabiliter & incomprehensibiliter super omnia est; sed præsentes ei sunt illi demum, qui quadam illi similitudine congruunt, ut illum videant, talesque sunt, quales ab eo processerunt. In si-

Ibid. c. 7. militudinem enim Dei conditi sunt primùm homines. *Deus enim à nullo usquam abest, & quodammodo abesse videtur ab omnibus: adeo ut præsens ubique sit, iterumque non præsens. Nam iis duntaxat est præsens, qui capere possunt, atque ita parati sunt, ut cum illo congruere atque illum attingere valeant per similitudinem, &c. scilicet quando animus sic est affectus, sicut erat cum inde processit.* Maximè autem agnosci potest, in quantum potest, ex animis ipsis nostris, quibus potissimùm præsens est, nisi ipsi sibimetipsis absentes sint, & quasi furore perciti filii patrem non agnoscant. *Ipsi namque fugiunt extra Deum, imo verò extra seipsos. Meritò igitur quem fugiunt, apprehendere nequeunt; & qui seipsos jam perdiderunt, alium indagare non valent. Atqui & filius furore quodam extra se positus non agnoscet patrem: qui verò seipsum didicerit, etiam unde sit jure cognoscet.*

VII. Denique nec beatæ patriæ fruitionem existimat Plotinus in eo sitam, ut videatur Deus quid sit; sed ut mens nostra illi insinuetur, adglutineturque, & unum cum illo fiat, ut centrum centro copulatum, & in unum cum eo coalitum.

Enn. 6. l. 9. c. 10. 11. *Forsitan neque videre videndum, sed fieri potiùs ipsum visum. Siquidem hæc duo quædam esse putandum, scilicet videns atque visum, neque utraque unum; tametsi sermo hic videtur audentior. Tunc sanè neque propriè videt, neque tanquam videns ipse discernit, neque duo quædam imaginatur; sed animus tunc tanquam factus jam alius, neque ipse ulterius, neque sui duntaxat, illuc se confert, eique se dedit, factusque totus illius, evadit protinus unum, tanquam centrum cum centro conjungens.* Itaque hìc quidem Deum possumus quomodocumque ab effectis cognoscere, sive per corporum, sive per animarum pulcritudinem ascendendo ad ipsum; at post mortalem hanc vitam in immortali illa beatitudine, ne ad seipsam quidem mens unquam reflectetur, sed Deum agnoscet, aut possidebit potiùs quiete, statu, tactu, similitudine, identitate denique quadam sui cum ipso; ut jam & ipsa super omnia quodammodo sit, ut unum effecta cum eo, qui super omnia est. *Neque etiam circa seipsam se reflectens, quippe cùm penitus conquiescat, & quasi ipse jam status evaserit, &c. Ipsum verò forsan non est spectaculum judicandum, sed ratio quædam illic est videndi diversa. Exitus videlicet aliquis è seipso, & diffusio quædam profectusque mirificus, studiumque tangendi & denique quies.* Et infrà: *Fit & ipse animus non essentia, sed essentia quoque superior; quatenus videlicet Deo se prorsus insinuat. Si quis igitur seipsum quandoque viderit id effectum, habebit utique seipsum velut quandam illius imaginem. Ac si à seipso pertranseat, tanquam imago ad exemplar usque traducta, erit jam finem ipsum itineris consecutus.*

VIII. Proclus ab his non discrepat, quod ad simplicitatem Dei spectat. Nimirum juxta Platonem, cùm Deus sit supra ipsum esse & supra mentem ipsam, non posse quidquam de eo vel cogitatione capi vel sermone, nisi vel ab effectis ut Principium primum, nihil omnium quæ ab illo orta sunt, nonnullam tamen analogiam ad illa habens: vel per negationes; denique Platonem primam iniisse viam in libris de Republica, cum Soli comparavit summum bonum: secundam verò in Parmenide. Porrò primum illud rerum omnium principium, seu ipsum bonum, cùm non possit scientia & intelligentia, ut verè est, capi; inscripsit omnibus entibus desiderium quoddam & arcanum boni amorem, quo ipsum naturæ omnes appetunt, ipsum sequuntur, ipsum tandem assequuntur, illi adunantur, eo pro suo quæque modulo hac ipsa copulatione perfruuntur. *Omnibus enim rebus ille universorum author suæ perfectæ excellentiæ signa inseruit, & per hæc circa seipsum collocat omnia, & omnibus ineffabiliter adest, ex universis exemptus. Unumquodque igitur in suæ naturæ arcanum ingrediens invenit signum illius omnium Patris. Hunc secundum naturam suam omnia venerantur, & secundùm mysticum illi conveniens signum uniuntur, suam naturam exuentia, & tantum illius signum esse properantia, & solum illum participare, desiderio ignotæ illius naturæ & fontis ipsius boni; & cum ad hanc usque causam ascenderunt, in tranquillitate sunt, fruunturque partuum suorum fructu & amore, quem omnia habent, secundùm naturam illius ignota, & ineffabilis, & imparticipabilis & summè plenæ bonitatis.* Sic ille aperit quo demum modo ad ipsum unum & bonum, sive ad Deum perveniatur, non intelligentia, non intuitione, qua dilucidè & plenè clareat quid Deus sit; sed negationibus, sed amore. Quin imò nec per negationes alibi existimat fieri satis divinæ simplicitati, nisi & ipsæ etiam negationes auferantur. *Hic igitur negationum modus est eximius, singularis, primarius, egressio ex universis entibus, ignota & ineffabili simplicitatis excellentia. Et oportet nos illi, qui primò Deus est, hujusmodi modum attribuentes, rursus ipsum etiam ex ipsis negationibus eximere. Neque enim oratio de uno esse potest, inquit Parmenides, neque sermo. Si nulla verò de eo est oratio, perspicuum est, quod nec negatio.* (L. 2. c. 4.; Ibid. c. 10.)

IX. Alcinous libro de Doctrina Platonica, mul-

tis

tis probat Deum, nec corpus, nec corporeum esse. Hæc referre supersedeo, ne actum agam. Intelligendi verò Dei duas easdem indigitat rationes, quas Proclus, & tertiam denique addit, nempe progressionem à corporibus ad animas, ab his ad artes ac virtutes, & ab his denique ad earum lumen incommutabile Deum. *Quare prima ad intelligendum ratio per abstractionem erit horum; quemadmodum punctum quoque abstrahendo à sensibilibus intelligere solemus. Primo quidem superficiem, deinde lineam, postremo punctum consideramus. Secunda ratio in quadam rationis similis proportione, hoc pacto; quam rationem habet Sol ad visum & ad ea quæ videntur, cum ipse tamen non sit visus, huic verò præstet ut videat, his autem ut videantur; eandem profectò rationem ad eum qui in anima nostra est intellectum, & illa quæ intelliguntur, primus habet intellectus. Neque enim intellectus est; in his tamen intelligendi actum perficit; illis verò dat ut intelligantur, dum eam quæ inest illis, illustrat veritatem. Tertius intelligendi modus hujusmodi est: aliquis cum eam videt quæ in corporibus inest, pulcritudinem, statim ad eam transit quæ est in animo, deinde ad eam quæ in officiis ac legibus, postremo ad immensum pulcritudinis mare: post quæ ipsum bonum considerat, ipsum amabile, ipsum expetendum, quod tanquam lumen aliquod effulget, eique quæ paulatim ita ascendit, occurrit animæ.* Cap. 10.

X. Apulejus libro de Deo Socratis huic subscribit Platonis sententiæ: non verbis, non mente assequi nos posse quid sit Deus, vix sapientissimis rapido velut coruscamine intermicare lumen divinum. *Cur ergo nunc dicere exordiar, cùm Plato cœlesti facundia præditus, æquiparabilia Diis immortalibus disserens, frequentissimè prædicet hunc solum majestatis incredibilis quadam nimietate ineffabili, non posse penuria sermonis humani quavis oratione vel modicè comprehendi; vix à sapientibus viris cùm se vigore animi quantum licuit à corpore moverunt intellectum hujus Dei; id quoque interdum velut in arctissimis tenebris rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicare. Missum igitur hunc locum faciam, &c.*

XI. Jamblichus in Protreptico, sic illud Pythagoræ effatum interpretatus est, *Dei formam & imaginem annulo ne insculpito*; quod Dii corporei credi prohibeantur. *Philosophare, & ante omnia Deos ducito incorporeos. Nam hoc symbolum præcipuum præ cæteris Pythagoricorum dogmatum seminarium est; hoc est ex quo omnia coaptata sunt, & à quo usque in finem firmantur.* Cap. 21.

XII. Supervacaneum jam foret immorari ipsis Platonis de eodem argumento testimoniis, cujus sunt, cùm ejus sectatorum sint, quæcumque toto hoc capite sunt à nobis coacervata. Audisti ut universim ille neget, vel verbis, vel intelligentia capi posse quid sit Deus. Audisti ut in libris de Republica, ex comparatione Solis sensibilis ad qualemcumque summi boni cognitionem lectores promoveat. Audisti ut in Parmenide negationibus maximè incumbat. Ipsamet ejus verba alibi superiùs à nobis prolata sunt. Denique quæ ex eo superiùs de ipso uno, & ipso bono disputata sunt, in eundem hunc scopum collimant. Id enim totum divinæ simplicitati donatur, cùm Deus supra mentem, supra ens esse definitur, in ipsius unius aditum inaccessum, & in arcanum quoddam silentium abstrusus.

CAPUT III.

Rursus ex sanctis Patribus demonstratur Deum incorporeum esse, ex eo quòd nec anima corpus sit. Item quòd solus omnino incorporeus sit Deus. Denique ex eo quòd veritas, sapientia, & justitia sit.

I. Anima potius fuerit Deus, quàm corpus: cum id demum sit, quo melius cogitari nefas. At Deus non est anima, quia non est mutabilis; & anima non est corpus, quia non est divisibilis. Probatur ex Augustino; ex quo triplex visionum genus in anima.

II. Nec in intellectu nostro, quâ sapientiam capimus, quidquam corporeum advertimus, non colores, non lineas, non figuras, non spatium. Nil corporea moles ad vim ratiocinandi.

III. Quidquid sentit anima, tota sentit; ideoque una, & indivisibilis, & incorporea est, etiam sentiens, & imaginans anima. Certè corpus non est.

IV. Multò certiùs ex eodem Augustino horum omnium Magistro, anima rationalis incorporea est. Quàm abhorreat à natura corporea intellectio & intelligentia.

V. Ex Hilario, quàm nòn sit anima rationalis corporea. Explicatur locus Hilarii, qui adversari in speciem videtur.

VI. Non satis assecutus mentem Hilarii Claudianus Mamertus; qui egregiè ipse spiritali animarum natura elucidandæ incubuit.

VII. Gregorius quoque ab anima ad Deum assurgit, de simplicitate agens. Præclarum illud ejus, cur anima plerumque tam prona sit ad corpoream formam sibi affingendam.

VIII. Id ipsum à Bernardo bellè elucidatur.

IX. Ex Nysseno pulcherrimè de animæ simplicitate præ corpore.

X. Vix dubitare quis potest, an sit aliquid incorporeum: cum ipsum dubitare, sicut & intelligere, non possit esse corporeum.

XI. Deus est supra corporeas, & supra incorporeas substantias.

XII. Ævo Bernardi alternabant sententiæ, corporei, an incorporei essent Angeli.

XIII. Etsi incorporei sint, Dei tamen comparatione corporeos illos esse sentit Gregorius.

XIV. Etsi incorporea sit eorum natura, explicat tamen Bernardus, ut à corporum servitute non sit omnino absoluta eorum operatio.

XV. Ut solvantur objectiones Anthropomorphitarum.

XVI. Ex Augustino, supra animæ naturam est Dei simplicitas, ut qui veritas sit, & sapientia. Sic Deo in scripturis membra tribuuntur, ut veritati, ut sapientiæ.

XVII. Rursus ex Augustino de simplicitate Dei, ut sapientia & veritas est.

XVIII. Quæ ratio etsi supra sensus & defæcatissima sit, Christianæ tamen plebi ab Augustino inculcabatur.

XIX. Imo & ab Ambrosio.

XX. Denique his assentiuntur Hilarius, Bernardus, Gregorius Nyssenus.

I. DEmonstrari rursum potest Deum non esse corpus, ex eo quòd nec anima corpus est, sed aliquid melius corpore. Anima ergo potiùs quàm corpus fuerit Deus, cùm id demum sit, quo nihil melius cogitari potest. Sed nec anima est Deus, cùm necessariò illa mutabilis, ipse immutabilis sit. Ita ratiocinatur Augustinus, ubi differens de reliquis Philosophis præter Platonicos, Deum corporeum statuen-

Christ. l. 7. c. 4. statuentibus, ita habet: *Hi & cæteri similes eorum, id solum cogitare potuerunt, quod cum eis corda eorum obstricta carnis sensibus fabulata sunt. In se quippe habebant quod non videbant, sed tantummodo cogitabant. Hoc autem in conspectu talis cogitationis jam non est corpus, sed similitudo corporis: illud autem unde videtur in anima hæc similitudo, jam nec corpus, nec similitudo corporis: & unde videtur, & utrum pulcra an deformis sit judicatur, profectò est melius quàm ipsa quæ judicatur. Hæc mens hominis, & ipsa rationalis animæ natura est, qua utique corpus non est, si jam illa corporis similitudo, cum in animo cogitantis aspicitur atque judicatur, nec ipsa corpus est. Porrò si noster animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est? Cedant ergo & isti ut dictum est Platonicis, &c.* Sic ille ex tribus visionum generibus, illud quidem quod corporis sensibus usurpatur, corporeum esse non dissimulat. At illud secundum, quod silentibus sensibus externis in solo imaginantis hominis cerebro peragitur, jam quodammodo incorporale esse contendit; propterea quod non tam corporibus, quàm incorporeis quodammodo corporum imaginibus, sine mole tumentibus, sine strepitu sonantibus, sine loco magnis, sine tempore longis administratur. Tertium denique quo & de externis illis & corporalibus, & de internis istis ac spiritalibus visis judicatur, omnino incorporeum esse concludit; tum quod secundo jam incorporeo & spiritali melius istud tertium & simplicius est; tum quod judicare de corporibus, non est corporis, sed corporibus melioris naturæ; judicare denique non est rei longæ, latæ & profundæ, seu corporeæ. Ita Augustinus accommodatè ad placita Philosophica, quæ tunc apud doctissimos quosque invaluerant. Viderit Lector an in primo etiam visionum sensibilium genere non sit etiam aliquid incorporeum in ipsa objecti sensibilis perceptione seu cognitione. Nec enim perceptio, cognitio, cogitatio nisi incorporea cogitari potest. Quo enim cogitationi ut sit longa, lata, extensa & divisibilis in partes? Maluit Augustinus ex solo animæ rationalis judicio de omnibus naturis inferioribus argumentari, quia de anima tantùm rationali, ejusque cum Deo comparatione sermo illi erat.

II. Rursus idem Augustinus animæ rationalis, ac consequenter Dei incorporeitatem hoc alibi argumento confirmat: *Quo intellectu Deum capiet homo, qui ipsum intellectum suum, quo eum vult capere, nondum capit? Si autem eum cepit, attendat diligenter, nihil eo esse in sua natura melius, & videat utrum ibi videat ulla lineamenta formarum, nitores colorum, spatiosam granditatem, partium distantiam, molis extensionem, aliquas per locorum intervalla motiones, vel quid ejusmodi. Nihil certè istorum invenimus in eo, quo in natura nostra nil melius invenimus, id est, in nostro intellectu, quo sapientiam capimus, in quantum capaces sumus. Quod ergo non invenimus in meliore nostro, non debemus in illo quærere, quod longe melius est meliore nostro. Ut sic intelligamus Deum si possumus, in quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, &c.* (De Trinit. lib. 5. c. 1.) Sic ille si quod optimum in nobis est, expers est corporis, erit & Deus expers corporis, qui melior certè est optimo nostro. Quod autem optimum nostrum, id est intellectus noster expers sit corporis, id ex eo evincitur, quòd omne corpus habeat lineamenta, figuram, colores, extensionem partium, motus locales; hisque omnibus & perficitur ut sit, & juvatur, ut operari possit. At mens nostra sive ut sit, sive ut operetur, nullo horum indiget. Nam vis judicandi & intelligendi, nec per loca moveri, nec in molem distendi, nec in membra distingui, nec coloribus ullis pingi intelligitur; nec si hæc omnia illi affingantur, ex horum accessione expeditior aut perspicacior fiet ad intelligendum & judicandum. Nec enim mens mentem aliam sagacitate superabit, si fuerit vel mole effusior, vel pernicior incessu, vel colore splendidior: quia hæc omnia nihil omnino pertinent aut conducunt ad naturam intelligendi. Finge tibi quascumque libebit atomorum in cerebro cursitationes, quid hoc ad rectè judicandum, concludendum, affirmandum, negandum, appetendum, recusandum? Notiones istæ incorporales sine illis corporeis, & vicissim illæ corporeæ sine his incorporeis fieri perspicuè intelliguntur.

III. Quocirca idem Augustinus alibi: *Ideo anima simplicior est corpore, quia non mole diffunditur per spatium loci: sed in unoquoque corpore, & in toto tota est, & in qualibet ejus parte tota est. Et ideo cum fit aliquid in qualibet exigua particula corporis, quod sentiat anima, quamvis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet.* (De Trinit. L. 6. c. 6.) Ita sanctus Pater incorporeitatem animæ hoc alio concludit argumento, quod tota in qualibet parte corporis sentiat, atque adeo & in toto corpore, & in qualibet ejus parte tota sit. At corpus omne alia & alia sui parte aliam & aliam loci partem implet. Anima ergo non solùm rationalis, sed sentiens etiam suo quodam & ipsa modo quamvis imperfectissimo incorporea est. Hoc nimirum illud est quod jam monui, nec sentientem, nec imaginantem animam posse suo fungi munere, nisi percipiendo & cognoscendo; at cognitio perceptioque objecti etiam corporei utcumque incorporea est, certè corpus non est. Rei enim per loca extensæ & figuratæ cognitio, perceptio, seu cogitatio prorsus aliena est & ab extensione & à figuris. Quo enim cogitationi, ut tot lineis digitisve sit longa aut lata? Quo illi ut sit quadrata vel rotunda? Inde est ergo quod quidquid sentit, id est percipit, tota sentit, & tota percipit. Nam sentire quoddam percipere est. Unde idem rursus contra epistolam Fundamenti: *Quidquid aliqua crassitudine distenditur, non potest nisi minui per partem, habendo aliud hic & aliud alibi. Minor est enim digitus quàm tota manus, &c. Animæ verò natura, etiamsi non illa ejus potentia consideretur, qua intelligit veritatem, sed illa inferior, qua continet corpus, & sentit in corpore, nullo modo invenitur locorum spatiis aliqua mole distendi; nam singulis sui corporis particulis tota præsto est, cum tota sentit in singulis: nec minor pars ejus in digito, & major in brachio, sicut ipse digitus brachio minor est: sed ubique tanta, quia ubique tota est. Cum enim tangitur digitus, non per totum corpus sentit, & tamen tota sentit. Totam enim tactus ille non latet; quod non fieret, nisi tota præsto esset.* (Cap. 16.) Hæc ille de anima sentiente, quod ipsum statim de imaginante pariter commendat, probatque ex rerum omnium imaginibus, quas penes se habet reconditas. *Si enim non possent esse majores, quàm nostri corporis quantitas tenet, diceret fortè aliquis intra ipsa sui corporis spatia, quibus & illa concluditur, has imagines animam figurare, atque servare. Nunc vero cum perexiguam terræ partem occupet corpus, immensarum regionum & cœli ac terræ imagines animus volvit: quibus catervatim decedentibus ac succedentibus non fit angustus.* (Ibid. c. 17.) *Atque hinc ostendit non se diffusum esse per locos, quia maximorum locorum imaginibus non quasi capitur, sed potiùs eas capit, non sine aliquo, sed vi potentiaque ineffabili: qua licet eis & addere aliquid & detrahere, & in angustum eas contrahere, & per immensa expandere & ordinare, ut velit, & perturbare, & multiplicare, & ad paucitatem, singularitatemve redigere.* Hactenus Augustinus contra Manichæos Dei corporei architectos, à quibus tandiu ludificatus fuerat. Multa de his etiam in libris Confessionum.

IV. At verò è sentiente & imaginante ad rationalem tandem animam progressus Augustinus, multò validioribus machinis incorpoream vallat ejus naturam. *Quid jam de illa loquar potentia, qua intelli-*

intelligitur veritas? qua istis ipsis quæ de corporis sensibus haustæ figurantur corporis imaginibus, sese pro veritate opponentibus, magna vivacitate resistitur? Qua videtur verbi gratia, aliam esse Carthaginem veram, aliam quum cogitans fingit, & pro suo arbitrio tota facilitate commutat? Quid ergo est ista potentia, quæ hæc discernit? Quæ profecto quantacumque sit, & his omnibus major est, & sine ulla tali rerum imaginatione cogitatur. Huic inveni spatia, si potes; hanc diffunde per locos, hanc infinitæ molis tumore distende. Profecto si bene cogitas, non potes. Quidquid enim tibi tale occurrerit, judicas ipsa cogitatione secari posse per partes, facisque ibi aliam partem majorem, aliam minorem quantum placet. Illud autem ipsum, quo ista judicas, cernis esse supra ista, non loci altitudine, sed potentiæ dignitate. Si ergo animam toties mutabilem cernis non diffundi extendique per locos, sed omnia talia spatia potentiæ vivacitate superare: quid de ipso Deo cogitandum, aut existimandum est, qui supra omnes rationales mentes inconcussus atque incommutabilis manens, tribuit quod cuique tribuendum est? Ita Christianæ Philosophiæ apex Augustinus, naturæ corporeæ & intelligentis ingenium & proprietates è diametro sibi opponi demonstrat; ut incorporeum esse necesse sit, quidquid intelligit. Corporum enim est effundi in molem, extendi per loca, secari in membra, de loco in locum migrando juvari, novas partes acquirendo augeri. At quorsum hæc ad potentiam & vim intelligendi? Intellectus est enim judicare, concludere, negare, affirmare, dubitare, meminisse, velle. At quid hæc ad quantitatem corporum? Num intellectio melior, & præclarior erit, si mole diffusior? Num adjectione quantitatis corporeæ augescet? Num in duas, vel tres, vel plures secari potest particulas? Num cogitatio, aut voluntas, aut memoria his vel illis figuris, quadratis aut rotundis juvabitur? Nemo non sentit, quàm absona sint hæc omnia.

L. de Imm. ani. c. 16. De quant. ani. c. 12.

V. Visus est quidem alicubi Hilarius animam corpoream facere, sed non alia mens ejus est, quàm ut non corpus ipsa quidem, sed corpori consociata sit, ut hinc etiam resurrectionis necessitas exprimatur, postquam mortalibus his corporibus fuerint animæ absolutæ. *Nihil est quod non in substantia, & creatione corporeum sit. Nam & animantium species, sive obtinentium corpora sive corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur. Quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est.* Vides ut animas discernat à corporibus, cum alias dicit corpora obtinere, alias corporibus exulare, & tamen urgeat animas opus habere corporibus, ut in aliquo sint, in substantia, hoc est in subjecto sint; ideoque dicat eas substantiam corpoream sortiri, id est, subjectum corporeum, quod illis substat. Pulcherrimè autem idem Hilarius alibi, ut anima nostra, qua imago Dei est, & incorporea sit, & motionum suarum pernicitate incircumscriptam Dei immensitatem æmuletur; *Ergo ad imaginem Dei homo effectus est rationabilis, mobilis, movens, citus, incorporeus, subtilis, æternus: quantum in se est, speciem naturæ principalis imitatur, dum transcurrit, dum circumvolat, & dicto citius nunc ultra Oceanum est, nunc in cœlos evolat, nunc in abyssis est, nunc Orientem Occidentemque perlustrat, dum nunquam ut non sit aboletur. Natura quidem Dei in his omnibus est, neque ut alibi adsit, decedit aliunde. Sed anima humana in hac sensus sui mobilitate ad imaginem opificis sui facta est, dum naturam Dei mobilitas animæ perennis imitatur, nihil in se habet corporale, nihil terrenum, nihil grave, nihil caducum.*

In Matth. Can. 5.

In Ps. 119.

VI. Scripsit tres libros Claudianus Mamertus de Statu animæ, aureolum sanè opus, hoc maximè, hoc unum ferè molitus, ut doceat animam rationalem non esse corpus, adversùs Faustum, qui errore contrario tenebatur. Unum est in quo Claudiano minùs assentiar, ubi Fausto concedit consentaneum ejus sententiæ esse Hilarium Pictaviensem Episcopum, quem addit *opinionis hujus vitium virtute Confessionis abolevisse*. Procul est omnino Hilarius ab hac hallucinatione, illo ipso loco quem Mamertus profert, eundem prorsus quem nos suprà ex Commentario in Matthæum exscripsimus. Sed quando mentio incurrit Mamerti, ex innumeris pulcherrimis contextibus qui possent ex eo hîc congeri, pro spiritali animæ indole & natura: libet hîc unum attexere, quo magis magisque clareat, qua demum cura formandæ poliendæque sint cogitationes nostræ ipsa de anima & cogitatione nostra. *Intellectum tuum si potes intellige, cui soli cum Angelo hæc videre concessum est. Num quicquam in intellectu tuo longum, latum, aut altum vides? Num splendor corporeæ illius lucis ibi rutilat? Num aliquis cantilena modificatus, & per tempus fluens canor illic insonat; aut evanescentis fragrantiæ suavitas halatur; aut aliquid istic corpulentum sapit; aut aliquid molle vel durum localiter tangitur? Visus illic clarescit sapientia, tenebrescit insipientia. Auditus illic fallacia offenditur, veritate mulcetur. Illocaliter illic fragat æquitas, fætet iniquitas. Vanitate tabescit, virtute pinguescit. Miser est contubernio stultitiæ, beatus complexu sapientiæ. Totus igitur oculus est, quia totus videt; & totum quod inspicit videt. Quodlibet autem corpus nec totum videtur, nec totum videt. Totus auditus est, quia totum quod audit, totus audit. Corpus autem nihil totum audit. Et totus odoratur, gustat & tangit, cùm hujusmodi unitas & potentia in corpore esse non possit. Hoc autem illi ideo suapte natura est, quia ibi hoc est videre, quod audire; hoc audire, quod olfacere; hoc olfacere, quod gustare; hoc gustare, quod tangere.* Quæ luculenta sanè est spiritalis animæ naturæ & descriptio & probatio.

Bib. PP. To. 4. pag. 637. l. 3.

L. 1. pag. 618.

VII. Placuit porrò hoc argumentandi genus ab animali ad Deum, etiam Gregorio Magno: *Esse Deum non credunt, quem corporaliter non intuentur. Qui si authorem omnium Deum humiliter quærerent, id quod non videtur, ea re quæ videtur melius esse, in semetipsis invenirent. Ipsi quippe ex anima invisibili & corpore visibili subsistunt; & si hoc ab eis quod non videtur abstrahitur, illico corruit quod videtur. Et patent quidem carnis oculi, sed videre quidquam, aut sentire non possunt. Sensus enim visionis periit, quia habitator recessit; & domus carnis vacua remanet, quia ascessit ille invisibilis spiritus, qui per ejus respicere fenestras solebat. Quia ergo rebus visibilibus invisibilia præstantiora sunt, carnales quippe ex semetipsis pensare debuerunt, atque per hanc ut ita dixerim scalam considerationis tendere in Deum; quia eo est, quo invisibilis permanet; & eo summus permanet, quo comprehendi nequaquam potest.* Sic ille & suam cuique animæ rationali, & ex sua Dei quoque incorporalitatem exploratissimam esse posse demonstrat. Unde autem contigerit, ut homines rarò mentis suæ naturam incorpoream advertant, & stolidissimè existiment, nisi res aliqua sit corporea, hoc est nisi in plures secabilis partes sit, longaque, & lata, & alta, & huc illucque per alia & alia loca agitabilis, fore ut non satis acutè intelligat, judicet, affirmet, neget, ratiocinetur, meminerit, velit, imperet, &c. Unde inquam hominibus tam insulsa cogitatio, rerumque tam dissimilium inepta copulatio in mentem venerit, idem alibi convenienter Augustini doctrinæ docet: *Seipsam anima considerare non valet, quia cogitare se minimè studet. Cogitare verò se mens non potest, quia tota apud semetipsam non est. Tota verò esse apud semetipsam non sufficit, quia per quot concupiscentias capitur, per tot à semetipsa species dissipatur.* Anima ergo se non videt, quia se non

Moral. l. 11. c. 16.

Moral. l. 11. c. 7.

non cogitat; se non cogitat, quia apud semetipsam non est; tota quippe in corporalia prosiliit, iisque adeo inhæsit, ut cùm jam se in se recipere studet, conglutinatas sibi corporum species secum referat, nec sine his unquam sibi occurrat.

VIII. Bernardus similiter docet animam in lutum sensibilium immersam, ubi inde emergit, lutulentam gestare faciem, eoque hallucinari, quod corporalem hanc fæculentiam, quam de corporum contagio contraxit, de naturæ ingenio se traxisse arbitretur. *Ex affectione carnali, & consuetudine corporum sic errat anima, ut seipsam nesciat nisi corpoream cogitare. Ubi est enim thesaurus ejus, ibi est cor. Hoc sapit, quod diligit. Affectionibus siquidem obligata, & illita terrenis, suam ipsius faciem considerare non potest. Infixa est in limo profundi, & seipsam non videt, sed putat formam suam esse luteam illam quam portat imaginem.*

Inter parvos serm. serm. 13.

IX. Paulò aliter Gregorius Nyssenus ab animæ ad Dei simplicitatem argumentatur. Simplicitatem enim animæ præ corpore ex eo concludit, quod cum corpus tanta membrorum supellectile muniendum fuerit, ut tot vitalibus operis aptaretur, animæ vis una & simplicissima ad hæc omnia sufficiat, omnia possit, omnia præstet & impleat, ideoque corporea anima non sit, nedum Deus. *Non enim ita fas est de Deo cujus natura est simplex, cogitare, quasi varia multiplicique facultate agendi præditus sit. Nam ne in nobis quidem multæ sunt facultates per quas agimus, etiamsi diversis modis per sensus omnia suscipimus. Est enim in nobis una quædam vis & facultas, nimirum mens, quæ singulas sensuum sedes permeando, universa efficit. Hæc oculis quidquid offertur videt; quidquid dicitur, aurium ope percipit; hæc quæ grata sunt, amplectitur; quæ ingrata aversatur; hæc manu ministra quamcumque ad rem visum fuerit, utitur; ejusdem ut instrumenti ope res vel rejicit, vel retinet, prout ex usu fore statuit. Quod si igitur in homine unum quiddam est & idem, quod per omnia vi facultateque sua agit & movetur, & vicissim nunc hoc, nunc illo sensu utitur, quodque ob agendi varietatem naturam suam non mutat, utcumque sensuum instrumenta diversa sint à natura condita: quo pacto quis ita demens esse possit, ut Dei naturam per facultates varias quasi multimembrem imaginetur?* Sic Nyssenus animæ, & proinde Dei simplicitatem utcumque adumbrat. Ut enim corporis natura in eo est, ut plures in partes effundatur, ita plura vitæ munia non potest nisi pluribus partibus obire. Penitus enim ab uno deficit. Ex adverso autem cùm animæ vis una pluribus muniis par sit obeundis, necesse est naturam ejus esse à divisione & quantitate alienam. Non potest corpus unitatem retinere in operando, quam non tenet in essendo. At anima ut in operando, ita & in essendo, una & simplex, & indivisa, ideoque incorporea est. Est autem illud obiter observandum, accuratissimè à Nysseno explanari qui fiat, vel visio, vel auditio, vel cujuslibet externi sensus operatio. Nimirum una mens est, una vis cogitandi & percipiendi: oculis videt, in auribus audit, in reliquis omnibus sensibus corporeis sentit, & incorporaliter per corporalia instrumenta sentit, quia nisi percipiendo & cogitando non sentit. Percipere enim & cogitare, incorporeum & indivisibile aliquid est, & quidquid anima cogitat, tota cogitat, indivisibiliter cogitat; quidquid sentit, tota & indivisibiliter sentit, id est percipit. Nec cogitari enim, nec vel fingi potest, quod aliquid anima sentiat, & non tota sentiat.

L. de hom. Opificio. c. 6.

X. Author quæstionum & responsionum ad Grecos inter opera rejectanda Justini Martyris, acutè observat eos qui dubitant an incorporeum aliquid sit, & sciunt tamen quid sit dubitare, quærere, deliberare, cogitare, considerare, suo seipsos gladio jugulare: cùm dilucidum sit non esse corporeæ naturæ, quærere an aliquid sit incorporeum; cùm non possit esse corporeæ naturæ, ipsum dubitare, vel quærere, vel cogitare & deliberare. *Quæstionem instituere & quæstionem solvere non cadit in sensum, neque corporis est.*

Quæst.

XI. Ulteriùs provehitur hic Author, nosque non illibentes cum ipso in hanc quoque finitimam superiori quæstionem delabemur: solum incorporeum esse Deum, imò & incorporeo longè superiorem. Quod incorporei laude longè superior sit Deus, sic ille declarat: *Et divinitatem quidem dicimus incorpoream, non quod incorporea sit: longè namque Deus essentia sua & supra corpus & supra incorporeum est; utriusque scilicet horum conditor; nihil enim fecit Deus, quod idem sit, quod ipse est. Sed quemadmodum soliti sumus in rebus materialibus quæ apud nos sunt, præstabilioribus Deum cohonestare; ita etiam in nominibus facimus: non quod Deus illis indigeat, sed ut per ea nostram de ipso mentem declaremus. Hoc igitur modo illum dicimus incorporeum, non ignari illum esse incorporeo superiorem, utpote opificem ejus.* Sic ille probat & corporeis & incorporeis superiorem esse Deum, quod utrorumque opifex sit, & nihil possit ex rebus à Deo factis idem esse quod ipse. Quocirca rectè dici potest, quo sensu Deus incorporeus vel est, vel dicitur, nullam naturam creatam vel esse, vel dici posse incorpoream.

Ibid. q. 2.

XII. Idque etiam de Angelis demonstrari potest trifariam, nimirum quia vel corporei sunt; vel si natura sua omnino spiritales sunt, Dei tamen comparatione corporei videri possunt; vel denique quia etsi substantiam suam omnem, non tamen operationem etiam omnem habeant à corporibus absolutam. Quòd corporei sint, id est, corpore & anima compaginati, placuit non paucis sanctorum Patrum, maximè Latinis. Hilarii locus in Matthæum suprà relatus hoc moliebatur. Ambrosius idem videtur sensisse: *Nos nihil materialis compositionis immune atque alienum putamus, præter illam solam venerandæ Trinitatis substantiam, quæ verè pura & simplex sincera impermixtaque natura est.* Possem plures accumulare, possem contrariæ sententiæ patronos laudare complures: unum Bernardi locum assuam, qui nos doceat quo loco esset illa quidem quæstio ejus ævo. Cùm Angelos Bernardus definisset corpore æthereos, paulò pòst ita subjicit: *Quanquam de corporibus eorum, non modò unde sint, sed an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorum. Unde si quis inter opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo.* Et idem alibi: *Angelica corpora utrumnam ipsis spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua; & sint animalia sicut homines; immortalia tamen, quod nondum sunt homines; porrò ipsa corpora mutent, & versent in forma & specie qua volunt, quando apparere volunt, densantes & solidantes ea quantum volunt; cùm tamen in sui veritate præ subtilitate naturæ atque substantiæ suæ impalpabilia sint, & nostris omnino inattingibilia visibus; an verò simplici spirituali substantia subsistentes, corpora cum opus est sumant, rursumque expleto opere ponant, in eandem de qua sumpta sunt materiam dissolvenda; nolo ut à me requiratis. Videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse, nec mihi perspicuum est, unde alterutrum doceam, & nescire me fateor; sed & vestris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam.* Is ergo tum status erat hujus quæstionis, ea animorum alternatio. Postea non immeritò, ut equidem reor, Theologi confertim ad eam se contulere sententiam, quæ prorsus incorporeas esse naturas Angelicas confirmat.

De Abra. L. 2. c. 8.

De Consf. L. 5. c. 4.

Serm. 5. in Cant.

XIII. Quòd autem etsi spirituales natura sint, Dei tamen comparatione corporei dici possint Angeli, ita tradit Gregorius: *Angelorum scientia comparatione nostræ scientiæ, valde quidem dilatata est, sed tamen comparatione divinæ scientiæ angusta. Sicut & ipsi illorum spiritus comparatione quidem nostrorum*

Moral. l. 2. c. 2.

ftrum corporum spiritus sunt; sed comparatione summi & incircumscripti spiritus, sunt corpus. Et Origenes qui intercedit ne ultimi judicii finis is sit, omnium corporum interitus; quòd nec intellectuales substantiæ sine corporibus vitam degere possint, & solius Dei sit nulla corporum societate egere. Peri Archo. L. 1. c. 6. *In hoc sanè si quis materialem naturam, id est, corpoream penitus interituram putet, nullo omnino genere intellectui meo occurrere potest, quomodo tot & tantæ substantiæ vitam agere & subsistere sine corporibus possunt: cùm solius Dei naturæ id proprium sit, ut sine materiali substantia, & absque ulla corporeæ adjectionis societate intelligatur subsistere.*

XIV. Quòd denique etsi substantiam, non tamen operationem omnem à corporibus absolutam habeant Angeli, eleganter exponit Bernardus super Cantica; ubi quatuor distinguens spiritus, belluinum, humanum, angelicum, divinum: tres primos corporeo ministerio indigere demonstrat: belluinum, ut vivat; humanum, ut Deum promereat; Serm. 5. angelicum, ut hominem juvet: *Quonam modo impleant Angeli ministerium suum absque corpore, præsertim apud viventes in corpore? Denique non est discurrere, nec de loco ad locum transire, nisi corporum; quod frequenter Angelos facere, tam indubitata, quàm nota probat authoritas.* Et cùm prolixè hoc edisseruisset, inculcassetque Angelos non posse in secretum penetrale animæ rationalis se insinuare, nec illi quidquam nisi per intermedia corporum ministeria insusurrare; hinc rursus concludit proprium Dei solius id esse, ut nullo corpore indigeat ad quodcumque opus; ideoque singulari prorsus modo incorporeum solum ipsum esse. Ibidem. Serm. 6. *Quid proprio de corpore facere habes, cui ad nutum indifferenter universa corpora cœlestia atque terrestria obsequi constat? Planè superfluò haberet suum, qui nullum sibi reperit alienum.* Et alibi: *Demus securi veram soli Deo sicut immortalitatem, ita & incorporeitatem, quòd solus spirituum universam corpoream naturam eò usque transcendat, ut quocumque corpore in quocumque opere non indigeat, solo spirituali nutu cum vult, ad quæcumque vult agenda contentus.*

XV. Non immorabor solvendis Anthropomorphitarum objectionibus maximè duabus, sive ex Scripturæ verbis, ubi membra quædem, vel corporeæ affectiones Deo adscribuntur; sive ex illo singulariter loco, ubi creatus narratur homo ad imaginem & similitudinem Dei. Expeditæ sunt & penè in ore omnium responsiones; possunt etiam ex suprà laudatis sanctorum Patrum testimoniis ferè omnes colligi. Sæpiculè enim in superioribus capitibus duo illa perstrinximus, qui intelligenda sint illa membra quæ in Scripturis Deo affinguntur; & qua sui parte aut potestate homo ad imaginem Dei conditus est.

XVI. Unum hìc addam ex Augustino locum, qui & membra sua elucidet, quæ Deo in sacris litteris tribuuntur, & postremum illudque idem defæcatissimum suppeditet divinæ incorporalitatis argumentum. Poterat hoc in unum seorsim caput rejici, & prolixiùs explanari; sed quia & jam suprà sæpiùs prælibatum est, & multa supersunt inferiùs de eodem dicenda, paucis hìc illud expediemus. Est autem id argumentum ejusmodi. Usque adeo Deus corpus non est, ut nec instar animæ, incorporeæ licèt, habere possit; est enim incommutabilis veritas, sapientia, justitia; omnibus autem compertum est, quàm alienior sit à natura & concretione corporum veritas atque sapientia, quàm anima. Porrò etiam veritati, justitiæ, charitati tribuuntur etiam quandoque oculi, manus, pedes, & cætera id genus membra, ad exercendas harum virtutum operationes convenienter aptata. Tract. 7. in Epist. Joan. Audi Augustinum: *Nemo sibi pro concupiscentia oculorum cogitet Deum. Facit enim sibi aut ingentem formam, aut magnitudinem aliquam inæstimabilem, &c. Aut facit sibi aliquem quasi venerabilis formæ senem. Nihil horum cogites. Est quod cogites, si vis videre Deum. Deus dilectio est. Qualem faciem habet dilectio, qualem formam habet? qualem staturam habet, quales pedes habet, quales manus habet? Nemo potest dicere: Habet tamen pedes, nam ipsi ducunt ad Ecclesiam. Habet manus, nam ipsa pauperi porrigunt. Habet oculos, nam inde intelligitur ille qui eget: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Habet aures, de quibus dicit Dominus, Qui aures habet audiendi audiat.*

XVII. At verò naturam Dei, quà veritas & justitia Deus est, corpoream esse non posse, sic rursus idem Augustinus adversùs Manichæos: Cont. Epist. Fund. c. 15. *Si aereum, vel etiam æthereum corpus diceret esse naturam Dei, profectò irrideretur ab omnibus, qui sapientiæ veritatisque naturam per nulla locorum spatia distentam atque diffusam, sine mole magnam & magnificam, nec in parte minorem, & in parte majorem, sed per omnia æqualem summo Patri; nec aliud habentem hic, & aliud ibi, sed ubique integram, ubique præsentem qualicumque acie serenioris mentis intueri valent.* Et alibi: Serm. 44 de diversis, c. 4. 5. 6. *Non tibi facias quasi aureum Deum; non tibi proponas quia aliquid tale est Deus, quale vides in cœlo, vel Solem, vel Lunam, &c. Sed si videre potes, quid est veritas, quid est sapientia, quid justitia, &c. Conamini fratres cogitare lucem veritatis, lucem sapientiæ, quomodo ubique præsens est omnibus. Conamini cogitare lumen sapientiæ, præsens est enim omni cogitanti. Quid est enim quod cogitat, qui vult injustè vivere? Deserit justitiam: diminuta est? Conversus est ad justitiam: quid, aucta est? Deserit eam, integram eam relinquit. Convertitur ad eam, integram illam invenit. Quid est ergo lumen justitiæ? De Oriente surgit, & in Occidentem vadit? An est alius locus, unde oritur, aut quo venit? Nonne ubique præsto est? Homo certè qui est in Occidente, si vult justè vivere, hoc est, secundùm justitiam, numquid deest illi, quam intueatur, & videat, & vivat secundum ipsam justitiam? Iterum in Oriente positus, si velit justè vivere, id est, secundùm eandem justitiam, numquid deest illi? Ibi enim est justitia, præsto est justè viventi. Quia ergo & huic præsto esse potuit ibi consistenti, nullo loco est, & ubique est. Sic justitia, sic sapientia, sic justitia, sic castitas.*

XVIII. Frequentissimè istiusmodi complura inculcavit Augustinus in suis ad populum tractatibus; non nesciens esse parvulos in Christo, quibus lacte opus sit, & qui ad hæc elimatioris doctrinæ placita torpeant & hebescant; sed gnarus etiam parvulos quandoque à lacte avocandos, & id potissimùm Pastoribus Doctoribusque enitendum, ut inhærentes & penè fallentes intestinæ idololatriæ fibras in animis vulgi persequantur & paulatim excidant. Audiamus rursus Augustinum in id infatigato studio incumbentem: *Interrogo utrum ames justitiam: respondebis, Amo; quod non responderes veraciter, nisi te aliquatenus delectaret. Non enim amatur, nisi quod delectat. Delectare in Domino, inquit Scriptura. Dominus autem justitia est. Non enim tibi fingere debes Deum, quasi idolum. Invisibilibus similis est Deus, & ea in nobis sunt meliora, quæ sunt invisibilia. Melior est fides quàm caro. Melior est fides quàm aurum. Melior est fides quàm argentum. Ista omnia videntur, fides non videtur. Cui ergo similiorem putabimus Deum; visibilibus, an invisibilibus? pretiosis, an vilibus?* De verbis Apost. Subdit exemplum duorum servorum, alterius juvenis & formosi, sed infidelis & furacis; alterius vetuli & deformis, sed probi & fidelis. Ille odio, hic amori est; quia *quid fide pulcrius, quid infidelitate deformius?* ut ait ibidem sanctus Pater. Ergo etiam in rebus humanis & inter sensibilium rerum mancipia, fides, amor, virtus & reliqua ejusmodi invisibilia, pulcriora sunt

sunt & præstantiora æstimantur. Ergo ex invisibilium potiùs quàm ex visibilium æstimatione cogitandus est Deus.

XIX. Et ne soli Augustino hæc arrisisse existimes, sic ante illum Ambrosius: *Sapiens cum illud divinum inquirit, absolvit animam suam à corpore, & ejus ablegat contubernium, cum illam veri tractat ideam, quam velut nudam sibi & apertam desiderat demonstrari; & ideo retibus quibusdam hujus corporis & nebulis se quærit exuere. Neque etiam manibus istis atque oculis aut auribus comprehendere illam supernam possumus veritatem.* Et infrà: *Quis enim oculis potuit videre splendorem virtutis, quis justitiam manibus comprehendere, quis sapientiam oculorum obtutu intueri?* Sic Ambrosius incorporeum ex eo probat Deum, quod ad ejus contemplationem dum se accingit animus, priùs omnes ablegat sensus, nec immeritò: nullo enim corporeo sensu, quo attinguntur corpora, attingitur veritas, sapientia, justitia. (L. de bono mortis, c. 3.)

XX. Nec ab his discrepat Hilarius: *Nil corporale secundum nos, nil inane in Dei rebus est. Quod Deus est, Deus totum est. Nihil in eo nisi virtus, nisi vita, nisi lux, nisi beatitudo, nisi spiritus est. Materias hebetes natura illa non recipit, neque ex diversis constat, ut maneat.* Sic ille probat Deum non esse corpus, quia quidquid in Deo est, totum Deus est. At nulla corporis pars totum corpus est; nec ulla compositi pars totum compositum est. At in spiritalibus, putà justitia, vita sapientiæ, luce veritatis, beatitudine, quodlibet totum est, quodlibet in toto, & totum in quolibet est. (De Trinit. L. 6.)

Bernardus ab his non discessit: *Repatriasse erit hoc, exisse de patria corporum, in regionem Spirituum. Ipsa est Deus noster, maximus Spiritus, maxima mansio beatorum Spiritum. Et ne quid hic sibi usurpet carnis sensus seu imaginatio, veritas est, sapientia est, virtus, æternitas, summum bonum.* Hanc ergo artem ille præscribit frangendæ sensuum & imaginationis petulantiæ, ut ne Deum nisi ut veritatem, ut sapientiam, ut justitiam cogitemus. (De Consid. L. 5. c. 1.)

Denique Gregorius Nyssenus: *Dominus in sua natura idipsum quod est, est essentia veritatis, sapientiæ, & potentiæ, ac virtutis.* Sic ille ostendit alibi quidem occurrere sapientiam & veritatem, sed participatam, deminutam, & quasi frustillatim concisam. At cùm necesse sit, ut alicubi tota sit, non in partes secta, sed secundùm essentiæ suæ plenitudinem, nusquam id nisi in Deo contingere. (Hom. 7. in Cant.)

CAPUT IV.

Simplicitas Dei elimatiùs tractatur, & multa compositionum genera minuscula ab eo abstergentur. Quæ maculæ compositionem quamcumque dehonestent.

I. Præter corpoream, quæ difflata est, supersunt aliæ complures compositiones; eæ enumerantur, gemina ratio illas à Deo abstergendi.

II. Prima cujuscumque compositionis macula est, quod quidquid compositum est, participatum tantummodo est.

III. Ideo quidquid habet Deus, id ipsum est; ne si habeat, compositus sit.

IV. Ideo Deus non tam justus, quàm justitia est; non tam sapiens, quàm sapientia est. Eatenus, ut Deus ea omnia sit quæ habet. Non ita natura animæ, nedum corporis.

V. Ut omnia Dei attributa unum sint, non tantùm cum Dei essentia, sed ipsa inter sese.

VI. Rursus ut plura attributa unum sint, non realiter, aut formaliter tantum, sed etiam ratione. Ex Augustino.

VII. Et ex Ambrosio, atque Hilario.

VIII. Ex Prospero etiam, Leone, Fulgentio, Mario Victorino.

IX. Sanctis Patribus assentitur Boethius, etsi Scholarum tritissimo usui propior.

X. Iterum de corporis, animæ & Dei comparatione, ut incomparabiliter plus emineat simplicitas Dei supra animas, quàm animarum supra corpora.

XI. Vehementer Bernardus contra Gilbertum Porretanum, qui Deitatem à Deo secernebat.

XII. Quaternitatem saltem vix declinabat Porretanus.

XIII. Nullis potest Deus debere formis, quidquid est. Unde & formalis ab eo exulat distinctio.

XIV. Suadet Bernardus ut proprietates divinas enitamur, ne cogitatione quidem dividere, nedum realiter, aut formaliter.

XV. Gregorii Nysseni suffragium.

XVI. Nonnullæ aliæ compositionis labes.

I. Corporea compositio ut quæ crassior sit, primò summovenda fuit. Supersunt aliæ hoc capite proscribendæ; minusculæ illæ quidem, sed quæ propterea incautos magis fallant. Eæ sunt ex materia & forma, ex subjecto & accidente, ex natura & individuo, ex essentia & existentia, ex genere & differentia, ex non ita prisca attributorum inter se divinorum distinctione formali, quæ media incedat inter distinctiones olim in Ecclesia & in Schola tritas, rei & rationis; denique ex essentia & operatione, sive ex essentia divina & lumine increato, illam circumcingente, juxta insulsa Græcorum Palamitarum deliria. Has omnes compositionum minutias sigillatim insectari majoris esset tædii, quàm laboris. Eadem quippè argumenta adversus singulas sæpiùs intentanda recurrerent. Consultius ergo & compendiosius visum est, uno impetu omnes prosternere: hinc quidem indigitando maculas, quibus scatet omnis compositio; inde aperiendo fontes divinæ simplicitatis, quibus omnes illæ concretionis sordes eluantur.

II. Prima itaque macula, quam aspergit quæcumque compositio, ea est, quòd participatum tantummodo sit, quidquid compositum est; atque ideo precariò tantùm, non principaliter; per accidens, non essentialiter tale sit. Ita philosophatur Augustinus: *In rebus quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, quibus est aliud esse, aliud magnas esse, sicut magna domus, & magnus mons, & magnus animus: in his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnitudine magnum est; & prorsus non hoc est magnitudo, quod magna domus. Sed illa est vera magnitudo, qua non solum est magna domus, quæ magna est, & qua magnus est mons, quisquis magnus est, sed etiam qua magnum est, quidquid aliud magnum dicitur: ut aliud sit magnitudo, aliud ea, quæ ab ea magna dicuntur. Quæ magnitudo utique primitus magna est, multòque excellentiùs quàm ea quæ participatione ejus magna dicuntur. Deus autem quia non ea magnitudine magnus est, quæ non est quod est ipse: ut quasi particeps ejus sit Deus, cum magnus est: alioqui illa major erit magnitudo, quàm Deus. Deo autem non est aliquid majus. Ea igitur magnitudine magnus est, qua ipse est eadem magnitudo. Et ideo sicut non dicimus tres essentias, sic nec tres magnitudines. Hoc est enim Deo esse, quod magnum esse. Eadem causa non magnos tres dicimus, sed unum magnum. Quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed seipso magno magnus est, quia ipse est sua magnitudo. Hoc de bonitate, & de æternitate, & de omnipotentia dictum sit, omnibusque omnino prædicamentis, quæ de Deo possunt pronunciari.* Sic Augustinus, si magnitudo Dei (De Trinit. L. 5. c. 10.)

ab ejus essentia differret, meritò infert, per participationem tantùm, non per essentiam, alieno beneficio, non seipso, magnum & æternum illum fore. Priùs enim & principaliùs & perfectiùs ipsi competeret magnitudini quàm Deo, magnum esse, & magnum ipsum esse. Et quod hic in exemplum assumitur de magnitudine, idem sentiendum de quolibet accidente respectu subjecti, de quolibet actu respectu potentiæ, de individuo respectu naturæ, de differentia respectu generis, de operatione respectu essentiæ; si hæc ab essentia distincta forent, eique per compositionem adderentur, per participationem tantùm ea Deo competerent. Ergo ut Deus sua sibi essentialiter magnitudo est, ita sua sibi essentialiter est & singularitas, & existentia, & operatio, & quodlibet aliud attributum.

III. Unde quidquid habet Deus, hoc ipse est, ne si quid habeat, quod non sit, participatè tantùm sit. Gregorius Magnus his verbis hoc argumentum illustrat: *Deus hoc est quod habet. Æternitatem quippe habet, sed ipse est æternitas. Lucem habet, sed lux sua ipse est. Claritatem habet, sed ipse est claritas sua. Non est ergo in eo aliud esse, & aliud habere.* Ita sanctissimus Pontifex, innuens, si quis non est id quod habet, aliunde habere id quod habet. Nam quod quis seipso & essentialiter & identicè non est, non tantùm aliud ab ipso est, sed & aliunde ipsi est; ideoque participatè & precariò. Ideo idem Gregorius: *Aliter venerandum est lumen illuminans, aliter lumen illuminatum; aliter justitia justificans, aliter justitia justificata. Sapientia verò est, & sapit, nec habet aliud esse, aliud sapere; servi verò sapientiæ esse quidem sapientes possunt, nec tamen hoc habent esse quod sapere: nam esse possunt, & sapientes non esse. Habet vitam sapientia, sed non aliud habet, aliud est quippe cui hoc est esse, quod vivere; servi autem sapientiæ cum habent vitam, aliud sunt, & aliud habent; quippe quibus non est hoc ipsum esse quod vivere.*

Moral. L. 14 c. 29.

L. 1. c. 17.

IV. Ex quibus id nimirum efficitur, ut Deus non tam justus, quàm justitia sit; non tam sapiens, quàm sapientia. Justus enim & sapiens vulgò dicitur, qui habet justitiam, qui habet sapientiam; qui particeps est justitiæ & sapientiæ. At Deus non habet, sed est; non partem habet, sed totus tota est justitia & sapientia. Unde Anselmus: *Omne quod justum est, per justitiam justum est. Quare ipsa summa natura non est justa nisi per justitiam; videtur igitur participatione qualitatis justitiæ justa dici summè bona substantia. Quod si ita est, per aliud est justa, non per se. At hoc contrarium est veritati perspectæ; quia bona, vel magna, vel subsistens, quod est omnino, per se est, non per aliud. Si igitur non est justa nisi per justitiam, nec justa potest esse nisi per se, quid magis conspicuum, quid magis necessarium, quàm quod eadem natura est ipsa justitia; & cum justa per se dicitur esse, non aliud intelligitur, quàm per justitiam. Quapropter si quæratur quid sit ipsa summa natura, de qua agitur, quid aliud verius respondetur, quàm justitia?* Ita Anselmus scitè concludit, cùm Deus per se sit, quidquid est, non per aliud, non participatè, illum per se justum esse; est autem justus per justitiam; ergo ipsummet Deum esse justitiam.

Monol. c. 16.

Idem sonant & ista Augustini: *Ut videre valeant in Dei substantia non esse aliquid tale, quasi aliud ibi sit substantia, aliud quod accidat substantiæ, & non sit substantia; sed quidquid ibi intelligi potest, substantia est.* Sed multò præstantiora sunt ea quæ idem sanctus Pater alibi disputat de corpore, de anima, de Deo; ut ostendat à simplicitate longissimè distare corpora, partium suarum numerositate; non tantùm quidem, sed multùm adhuc ab eadem distare animas, quadam non partium, sed virium, & potentiarum, & virtutum multiplicitate. *Sed tamen etiam in anima, cùm aliud sit artificiosum esse, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud lætitia, aliud timor, aliud tristitia, possintque & alia sine aliis, & alia magis, alia minus innumerabilia & innumerabiliter in animæ natura inveniri, manifestum est non simplicem, sed multiplicem esse naturam. Nihil enim simplex mutabile est, omnis autem creatura mutabilis.* Hactenus de corpore, & anima, partes & ipsa quasdam spiritales quidem, sed multiplices habente. Jam de Deo vide ut omnia ipsum esse affirmet, quæ habet; sed & ipsa inter se attributa ejus ita permixta esse, ut omnia unum sint. *Deus verò multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo ejus est quæ sapientia; non enim mole magnus est, sed virtute. Et eadem bonitas, quæ sapientia & magnitudo; & eadem veritas, quæ illa omnia. Et non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.*

L. de fide & symb. c. 7.

De Trinit. L. 6. c. 6. 7.

V. Facilè intelligimus ut ipsa sapientia Dei sit & magnitudo, & veritas, & justitia Dei; quòd finitima, & conjuncta sint hæc ornamenta; at quòd eadem ipsa sit omnipotentia, æternitas, immensitas, non ita clarè nobis dilucet. Et tamen ita affirmat universim Augustinus, ita castior & defæcatior Theologia docet, omnia hæc Dei attributa, non tantùm cum essentia Dei unum & idem esse, sed etiam unum & idem esse inter sese, adeoque inter sese nec reali, nec formali distinctione secerni; ex indulgentia tantùm quadam concedi imbecillitati nostræ, ut cogitatione ea distinguamus, quia non semper ita mentem arrigere & contendere possumus, ut intelligamus, sic omnia Dei attributa unum esse simplicissimum attributum, sicut sapientia, & magnitudo Dei unum attributum est, quoniam non mole, sed virtute magnus est Deus; sicut sapientia & veritas, sicut veritas & justitia, sicut justitia & pulcritudo unum attributum est; quia non alia pulcritudo Dei, quàm justitia; nec alia justitia, quàm lex ipsa sempiterna veritatis & sapientiæ.

Sed illud latissimè patet effatum, quo jam diximus Deum esse quidquid habet; nec id naturæ prætereà ulli, seu corporum seu animorum communicari posse. Unde rursus idem Augustinus: *Sed ideo simplex dicitur Deus, quoniam quod habet, hoc est; excepto quod relativè quæque Persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius; & Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad seipsum dicitur, non ad alterum, hoc est quod habet: sicut ad seipsum dicitur vivens, habendo utique vitam, & eadem vita ipse est.* Corpora & animæ non hoc sunt quod habent, quia id quod habent possunt amittere. Et tum etiam beata anima in æternum sapiet, non erit tamen vel tunc sua sapientia. *Anima quoque ipsa licèt tunc sapiens sit in æternum, participatione tamen incommutabilis sapientiæ sapiens erit, quæ non est quod ipsa. Neque enim si aer infusa luce nunquam deseratur, ideo non aliud est ipse, aliud lux qua illuminatur.* Et alibi de essentia & omnipotentia Dei, quæ unum idemque sunt: *Aliud est esse hominis, aliud posse ipsius. Si enim hoc esset esse ipsius, quod est posse ipsius, cùm vellet posset. Deus autem cui non est alia substantia ut sit, & alia potestas ut possit; sed consubstantiale illi est quidquid ejus est, & quidquid est, quia Deus est; non alio modo est, & alio potest; sed esse & posse simul habet, quia velle & facere simul habet.*

Civ. L. 11 c. 10.

In Evang. Joan. Tr. 20.

VI. In hoc quoque exemplo voluntatis, potestatis & substantiæ Dei liquidum est, quod suprà adnotavimus, hæc tria non realiter, non formaliter tantùm unum esse, sed unum idemque esse etiam ratione, ut nisi accommodatè ad nostræ mentis infantiam nec ratione distingui debeant. Essentialiter enim

enim Deus est actus purus merusque & absolutissimus, unde activitas ipsa summa & omnipotentia ipsamet ejus essentia est. Perinde est & de scientia. Est enim essentialiter Deus ipsa substantia sapientiæ & scientiæ. Idem Augustinus: *Ideo non est ista substantia verissimè simplex, cui non hoc est esse, quod nosse: potest enim esse, nec nosse. At illa divina non potest; quia id quod habet est. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud sit illi scientia qua scit, aliud essentia qua est, sed utrumque unum est. Nec utrumque dicendum est, quod simpliciter unum est.* Cùm ait Augustinus essentiam & scientiam Dei non dici debere *utrumque unum esse*, propterea quod *simpliciter unum sint*: hoc mihi sanè videtur innuere, essentiam divinam & unum ipsum simplicissimum esse, & tamen has omnes dotes, scientiam, sapientiam, veritatem, vitam, potentiam, & alia id genus omnia perfectionum lumina complecti, hoc est esse, & simplicissimè esse; ut absurdum jam sit vel reales, vel realium non valdè dissimiles ibi captare distinctiones, cùm ipsa rationis distinctio non alio ferè nitatur, quàm nostræ imbecillitatis & tarditatis fundamento.

In Evang. Jo. Tract. 99.

VII. Succinit his Ambrosius: *Quæ est substantia Dei? ipsum quod Deus est simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum, totum. An tu putas inane aliquid esse & vacuum, quod est Deus?* Si ergo sapientia Deus est, ut verè est, ne inane quid aut vacuum in sapientia sit, oportet ut ipsamet sit & justitia, & veritas, & magnitudo, & omnipotentia, & pulchritudo. Si quid enim horum non sit, horum vacua & inanis per sese erit. Et Hilarius: *Non enim ex compositis atque inanimis Deus qui vita est, subsistit. Neque qui virtus est, ex infirmioribus continetur; neque qui lux est, ex obscuris coaptatur; neque qui spiritus est, ex disparibus formabilis est. Totum in eo quod est, unum est. Ut quod spiritus est, & lux, & virtus, & vita sit; & quod vita est, & virtus, & spiritus sit. Nam qui ait, Ego sum & non demutor, non demutatur ex partibus, nec fit diversus ex genere.* Cernis quàm apertè omnes Dei dotes in unam conflet, omnia Dei attributa in unum compingat. Itaque non tantùm qui spiritus est, lux quoque & virtus & vita est; sed etiam quod spiritus est, lux etiam est, & virtus & vita. Alioqui ut argumentatur Hilarius, Deus qui lux est, ex multis constaret quæ non essent lux; & vita ex multis quæ non essent vita; & virtus ex multis quæ non essent virtus. Quod abhorret immane quantum à simplicitate Dei, ubi totum singula, & singula totum sunt; ubi vitæ, lucis, quæ essentia est Dei, infinitas simplicitasque, omnes prorsus alias divinas continent proprietates, ut ab infinita vitæ lucisque atque indivisa essentia non discrepantes. Et alibi: *Deus immensæ virtutis vivens potestas, quæ nusquam non adsit, nec desit usquam, se omnem per sua edocet; & sua non aliud quàm se esse significat, ut ubi sua insint, ipse esse intelligatur; non autem corporali modo, cum alicubi insit, non & ubique esse credatur; cùm per sua in omnibus esse non desinat, non aliud autem sint, quàm quod est ipse, quæ sua sunt.*

L. de fide. c. 4.

De Trinit. L. 7.

Ibid. l. 8.

VIII. Augustino accedit Prosper: *Virtus namque principaliter Deus est, cui non aliud est habere virtutem, quàm esse virtutem. Hujus cum participes sumus, habitat Christus in nobis, qui est Dei virtus & Dei sapientia, &c. Ex participatione enim sapientiæ, & justitiæ, & misericordiæ, non sapientia, neque justitia, neque misericordia, sed sapientes, & justi, & misericordes sumus.* Et Leo Magnus: *Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo justitia est; sed multi participes sunt veritatis, & sapientiæ, & justitiæ. Solus autem Deus nullius participationis indigus est. De*

Con. Collat. c. 27.

Epist. 93. c. 5.

quo quidquid dignè utcumque sentitur, non qualitas est, sed essentia. Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit; quia esse illi quod est sempiternum, semper est proprium. Et Fulgentius in responsionibus ad Ferrandum Diaconum: *Christus Deus fortis sic est Deus, ut ipse sit divinitas sua; quemadmodum sic est fortis, ut ipse sit virtus sua.* Et prolato ad hoc Augustini testimonio: *Sic est utique Deus, ut ipse sit divinitas sua; sic est magnus, ut ipse sit magnitudo sua; sic est sapiens, ut ipse sit sapientia sua; sic est fortis, ut ipse sit virtus sua; sic etiam bonus, ut ipse sit bonitas sua.* Et adductis rursus in medium Augustini verbis: *Claret ex his beati Augustini verbis, hoc esse Catholicæ veritatis, ut cum in Deo divinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem & quælibet alia in his quæ ad se proprie dicitur, nominamus: non istis diversis nominibus quædam diversa sicut in homine, qui subjacet qualitati, sed unum illud quod est essentia, vel natura, certissimè noverimus. Inde est enim quod ipse B. Augustinus dicit in libro quinto de Trinitate, intelligendum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum; quia incommutabilitas simplicis atque omnipotentis essentiæ nullis potest accidentibus subjacere, ubi eadem est divinitas, quæ æternitas, & majestas; eadem magnitudo, quæ virtus & bonitas.* Et Marius Victorinus Afer, ut Deus sine substantia, ex eo quod supra substantiam sit, & tamen verè substantia, per quam sunt & stant omnia: *Quæro anousion quomodo, qui substantia non sit omnino? an qui supra substantiam sit, id est uperousion? Sine substantia quis Deum dicat, qui esse fateatur? Esse enim illi substantia sua, non illa nobis nota, sed ipse quod est ipsum esse, est ipse, non ex substantia, sed ipsa substantia, parens omnium, à se sibi esse tribuens, prima substantia, universalis substantia, ante substantiam substantia.* Ergo cùm Deus dicitur id esse omne quod habet, qualitas omnis, omne adjectitium ab eo eliminatur, sola substantia esse asseritur; non tamen illa substantia nobis nota, sed ipsum esse, infinitum simul & simplicissimum.

Quæst. 2.

L. 1. p. 219.

IX. Propiùs accessit ad tritum scholæ usum Boethius, nec à Patrum tamen vel sententia, vel facundia recessit. *Decem omnino prædicamenta traduntur, quæ de rebus omnibus universaliter prædicantur. At hæc cum quis in divinam verterit prædicationem, cuncta mutantur, quæ prædicari possunt, aliquid verò omnino prædicari non potest. Nam substantia in illo non est vera substantia, sed ultra substantiam. Item qualitas & cætera quæ evenire queunt. Quorum ut amplior fiat intellectus, exempla subdenda sunt. Nam cum dicimus Deus, substantiam quidem significare videmur; sed eam quæ sit ultra substantiam. Cum verò justus, qualitatem quidem, sed non accidentem; sed eam quæ sit substantia, sed ultra substantiam. Neque enim aliud est quod est, aliud est quod justus est; sed idem est esse Deo, quod justus. Item cum dicitur magnus, vel maximus, quantitatem quidem significare videmur, sed eam quæ sit ipsa substantia, talis, qualem esse diximus supra substantiam, &c.* Nec omittendum quod interserit; *Homo non integrè ipsum homo est, ac per hoc nec substantia: quod enim est, aliis debet, quæ non sunt homo. Deus vero hoc ipsum quod est, Deus est. Nec enim aliud est, nisi quod est; ac per hoc ipsum Deus est.* Et ibidem: *Rursum justus, quod est qualitas, &c. Aliter homo, aliter justus; Deus vero est idem ipsum quod justum. Magnus etiam homo, vel Deus dicitur; sed homo tantum magnus, Deus verò ipsum magnum existit. Reliqua neque de Deo, neque de cæteris prædicantur, &c.*

L. de Unitate & Trinitate Dei.

X. In his Boethii aliorumque supra laudatorum Patrum testimoniis exscribendis, illud in mentem incidit, quod lectorum censuræ libens subjicio. Ut summa labes naturæ corporeæ ea est, quod di-

stra-

fracta secabilisque sit in partes, quarum nulla in aliis sit; unde partes singulæ aliarum omnium & totius substantia carent. Hujus vitii expers est natura animarum. Est enim substantia animæ individua, nullas in partes secabilis, adeoque tota est ubicumque est; tota operatur, quomodocumque operatur; tota videt, tota audit, tota odoratur, etsi non in toto corpore, sed in singularibus quibusdam ejus membris videt, audit, odoratur. Ita ergo longè simplicior est animæ natura, quàm corporis. At rursus animæ simplicitas longè a divina deflectit. Nam sin minus partes, certè vires animæ aliæ, atque aliæ sunt, nec enim sentiendi & imaginandi, & ratiocinandi, & intelligendi, & memorandi, & volendi eadem vis ac facultas est. Sed ne in his moram trahamus naturalibus insitisque viribus, adjectitiis eget anima multis adjumentis, virtutibusque, sapientia, justitia, pietate, misericordia, beata vita, quibus nunc caret, nunc pollet; & cùm pollet, carere potest; & quando ita pollet, ut carere non possit, alieni beneficii istud est. Est ergo hæc multiplicitas in anima ingens prorsus, & compositio plurium in unum coalescentium dotium, à simplicitate vehementer dissentiens. Id ergo saltem imperemus nobis, ut quantum superiùs animæ simplicitatem supra corpora vendicavimus, tantum hìc Deo supra animas adferamus; & sicut expertem fecimus animam illius partium multiplicitatis, qua laborant & dispergúntur corpora: ita impatientem agnoscamus Deitatem reliquæ numerositatis & compositionis, qua non potuerunt animæ extricari. Igitur sicut tota in toto est corpore, & tota in singulis ejus partibus anima, & tota sentit, tota visus, tota auditus est: ita Deus totus est justitia, totus veritas, totus sapientia: nec ista in eo aliud & aliud sunt, sicut in anima; sed unum ipsum est simplicissimum & perfectissimum essentialiter, in quo non aliud est esse, quàm esse sapientem, quàm esse justum, esse sanctum: imò non aliud est sapientem, quàm esse justum, esse sanctum, & sic de aliis id genus: quia uno suo simplicissimo hæc omnia simul est.

XI. Unus superest è Latinis Bernardus, qui plurium instar esse possit, in vehementissima illa sua confutatione Gilberti Porretani, qui deitatem à Deo secernebat, hoc est, à Patre & Filio & Spiritu sancto; & deitate ceu forma Deum esse affirmabat. Sic ergo Bernardus in libris de Consideratione ad Eugenium: *Quid est Deus? Quo nihil melius cogitari potest. Si approbas, non oportet assentiaris esse aliquid, quo Deus sit, & quod Deus non sit. Hoc enim sine dubio melius. Quomodo non melius Deo, si Deus non est, quod dat Deo, ut sit? At melius illam divinitatem qua dicunt Deum esse, non aliud quàm Deum esse fatemur.* Hoc illud est argumentum quod versamus, hæc macula compositionis quam persequimur, quòd si attitione formæ deitatis Deus fiat Deus, participatè tantùm erit Deus; & forma illa deitatis multò præcellentior illo erit, quæ dabit illi ut Deus sit. Pergit Bernardus adversarii commenta referre & refutare: *Quid inquiunt, negas Deum habere divinitatem? Non, sed quod habet, hoc est. Negas divinitate Deum esse? Non, sed non alia, quàm quæ ipse est.* Vides ut hoc ex illo nectatur. Si Pater compositione & accessione formæ deitatis fit Deus, non est quod habet; habet deitatem, non est deitas. Ita participatè tantùm Deus est. Porro forma illa deitatis Trinitati addita faciet quaternitatem, Christianis auribus inauditam. Unde Bernardus immediatè pòst: *Aut si tu aliam invenisti, adjuvet me Trinitas Deus, adversus illam tota contumacia me erigo. Quaternitas orbem disterminat, non signat deitatem. Trinitas Deus est. Si quartam divinitatem adjicere placet, interim ego hanc quæ Deus non est, persuasi mihi minimè adorandam.* Si verò Deus deitate Deus dicitur, quæ non sit ipse, quin & sapiens & justus & bonus sit, bonitate, justitia & sapientia, quæ non sit idem

L. 5. c. 7.

qui ipse: Jam ergo non quaternitatem in Deo, sed infinitam quandam multiplicitatem nobis obtrudent. At contra totum est. Nam etsi multa in Deo sint, multa unum sunt, & unum quidem simplicissimum. *Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sanè catholicèque, sed multa unum. Alioqui si diversa putemus, non quaternitatem habueris, sed centenitatem. Verbi causa, dicimus magnum, bonum, justum, & innumera talia; sed nisi omnia unum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum. Mihi verò non deest, quod cogitem melius hujusmodi Deo tuo. Quæris quid? mera simplicitas. Vero judicio natura simplex multiplici antefertur.*

XII. Deprecabatur hanc invidiam Gilbertus, quoad alias divinas proprietates, solam divinitatis formam à Deo divellebat, reliquas divinæ permittebat simplicitati. At urgebat Bernardus, nec quaternitatem quidem aut divinitati, aut Trinitati, aut simplicitati conciliari posse. *Scio quod ad hæc respondere solent. Non multa, inquiunt, sed unam tantùm divinitatem, quæ omnia illa sunt, Deo ut sit conferre asserimus. Asseritis ergo, etsi non multiplicem, sed duplicem Deum, & non ad merum simplex pervenistis, neque ad id quo melius cogitari non potest. Tam non est simplex, quod vel uni fuerit obnoxium formæ, quàm nec virgo vel uni cognita viro. Securus loquor, ne is quidem qui vel duplex est, erit meus; habeo enim meliorem. Esto quod hunc numeroso & multiplici anteponam. Sed præ simplici planè sperno.*

XIII. Simplicitas ergo divina id jubet, id cogit, ut omnis compositio amandetur, ut Deus non habeat nisi quod sit; ut formis non constet, & ne una quidem; ut pluribus non constet, ne duobus quidem; aliis quod est non debeat, ne formæ quidem. *Merus Deus ipse catholicè est. Tam non habet hoc & illud, quàm non hæc & illa. Est qui est, non quæ est; purus, simplex, non habens quod ad numerum dividat, non quæ colligat ad unum. Unum quippe est, sed non unitum. Non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut animus; non formis substat, ut omne quod factum est; sed neque formæ, ut istis visum est. Magna laus videlicet Deo, ut se ab informitate vindicet, una forma esse contentum: hoc est dicere, Cætera pluribus, Deum nonnisi uni debere quod est. Quid? Cujus beneficio sunt, quæ sunt, ipse pro suo esse alterius beneficio indigebit? Laus ista, ut vulgo dicitur, blasphemiam valet. An non pluris est, nullo indigere, quàm uno?* Et quàm pulchra sunt ista quæ sequuntur ad commendationem divinitatis! *Ipse sibi forma, ipse sibi essentia est. Non est formatus Deus, forma est. Non est affectus Deus, affectio est. Non est compositus Deus, merum simplex est. Et ut liquidò noveris quid simplex dicam, idem quod unum. Tam simplex Deus, quàm unus est. Est autem unus, & quomodo nihil aliud, si dici posset, unissimus est.*

XIV. Horum non pauca inculcavit Bernardus in sermone octogesimo super Cantica; eo tamen discrimine, quòd hic cæteras etiam proprietates, ut bonitatem, justitiam, sapientiam, perinde ut deitatem à Deo discrevisse asseruntur Gilberti sectatores. Novatoribus usitatissimum illud est alternare, & commenta sua aliter & aliter interpolare. Vide autem ut Bernardus istas omnes deitatis proprietates in unam conflet, horteturque illas ne cogitando quidem distinguere, quando pressiùs & accuratiùs de Deo sermo habetur. *Jam de magnitudine, bonitate, justitia sapientiaque, idem per omnia quod de divinitate sentimus, unum in Deo sunt, & cum Deo. Nec enim aliunde bonus, quàm unde magnus; nec aliunde justus aut sapiens, quàm unde magnus & bonus; nec aliunde denique simul hæc omnia est, quàm unde Deus, & hoc quoque nonnisi seipso.* Recurrit mox ad argumenta & ad authoritatem Augustini: *Sed dicit hæreticus: quid, Deum divinitate esse dicis? Non, sed* ean-

eandem divinitatem qua est, Deum nihilo minus asʃero, ne Deo excellentius aliquid eʃse aʃsentiar. Nam & magnitudine dico magnum, ʃed qua ipʃe eʃt, ne majus aliquid Deo ponam; & bonitate fateor bonum, ʃed non alia quam quæ ipʃe eʃt, ne melius ipʃo aliquid mihi videar inveniʃse. Et de cæteris in hunc modum ʃecurus & liber pergo inoffenʃo ut ajunt pede in ejus ʃententiam, qui dicebat, Deus nonniʃi ea magnitudine magnus eʃt, quæ eʃt quod ipʃe; alioqui illa erit major magnitudo, quam Deus. Auguʃtinus hic eʃt validiʃsimus malleus hæreticorum. Denique cùm Gilbertus in interpretato Boethii libro de Trinitate, illa ejus verba, *Pater eʃt veritas, Filius eʃt veritas, &c.* ita expoʃuiʃſet, *id eʃt verus*; exclamavit Bernardus, *O obʃcuram perverʃamque explanationem! Quàm veriùs ʃaniùsque dixiʃſet, Pater eʃt verus, id eʃt veritas; Filius eʃt verus, id eʃt veritas.* Etenim verus quaʃi particeps veritatis quis dicitur: at veritas ipʃa eʃt quæ in ʃui participationem omnes vocat.

XV. Ex Græcis unum Gregorium Nyʃsenum obiter laudabo. Ille enim ex eo quòd Deus ʃit ipʃum unum, & ipʃum bonum, adeoque ʃimpliciʃsimus qua unum, & omnia in ʃe anticipans qua bonum, negat mutari unquam poʃſe, vel in eʃſentia, vel in operatione ʃua, & voluntate. *Deus qui eʃt unum bonum, τὸ ἀγαθὸν, in ʃimplici & incompoʃita natura, ʃemper ad idem intuetur, neque unquam propoʃiti impulʃionibus commutatur; ʃed ʃemper vult id quod eʃt; & quod eʃt, omnino etiam vult.* Cont. Euno. Orat. 3.

XVI. Tres alias compoʃitionis maculas indicare hic ʃufficiet, cùm primæ jam prolixiùs explanatæ cohæreant, & implicatæ quodammodo ʃint, & ʃupra relatis Patrum contextibus, Auguʃtini maximè & Bernardi, exagitatæ fuerint. Secunda ergo macula ex compoʃitione omni emergens, eʃt minoritas, ʃeu minor & inferior gradus. Si magnitudine enim magnus eʃſet Deus, quæ non eʃſet ipʃe, major Deo eʃſet illa magnitudo. Tertia eʃt indigentia. Si Deitate enim Deus eʃſet, quæ non eʃset ipʃe, utique indigeret Deitate, qua Deus eʃſet. Quarta denique eʃt mutabilitas. Quod enim non eʃsentialiter ʃumus, ʃed compoʃitione & participatione, id mutabiliter ʃumus. Omnis enim compoʃitio, earundem partium diʃsolutione perimi poteʃt.

CAPUT V.

Radices divinæ ʃimplicitatis veʃtigantur, & ex illis compoʃitionis rurʃus omnia genera à Deo depelluntur.

I. Prima radix divinæ ʃimplicitatis eʃt unitas, quæ omnes ab eo elimat ʃpecies compoʃitionis. Ex Bernardo.
II. Et ex Anʃelmo prolixè, & luculentè, ut omnia attributa in unum coaleʃcant.
III. Item ex Cyrillo, vel Damaʃceno.
IV. Divinæ radix altera ʃimplicitatis, eʃt primitas. Nil enim Deo prius eʃſe poteʃt. At componentia ʃunt priora compoʃito. Ita Plotinicus, Cyrillus, Ambroʃius.
V. Tertia radix eʃt ipʃum eʃſe, merum & totum eʃſe; unde ʃit ut nihil aliud quàm ʃit, & totum ʃit.
VI. Quarta radix eʃt veritas. Nullas enim partes habere poteʃt veritas. Pulcherrimè ex Bernardo.
VII. Et ex Auguʃtino, ut omnia Dei attributa diverʃiʃsima, in unum conʃlari poʃſint.
VIII. An & beata Trinitas perʃonarum in unum coaleʃcere eodem modo poʃſit cum attributis.
IX. Rurʃus ut uni attributo veritatis & ʃapientiæ complura alia adglutinentur.
X. Ex aliis compluʃculis Patribus eadem firmantur.
XI. Maximè ex Anʃelmo.

I. NUnc conʃectandæ nobis ʃunt radices aliquæ divinæ ʃimplicitatis, ut ex his omnes omnino compoʃitionis umbras à Deo expungamus. Prima autem & princeps radix divinæ ʃimplicitatis unitas videtur eʃse. Nam ʃumma unitas, & quanta maxima cogitari poteʃt, ea non erit, cui tantilla, vel realis, vel formalis diʃtinctio & compoʃitio cohærebit. Major quippe foret proculdubio unitas, ʃi vel tantilla diʃtinctio exularet. Major foret unitas, ʃi Deus non tantùm Deitate eʃset, ʃed & Deitas. Major foret unitas, ʃi Deus non tantùm eʃsentia, ʃed & operatio ʃua foret. Major foret unitas, ʃi non rerum tantùm, ʃed formarum, & formalitatum identitas eʃset. Id volebat capite ʃuperiori Bernardus his verbis: *Non eʃt compoʃitus Deus, merum ʃimplex eʃt. Et ut liquido noveris quid ʃimplex dicam, idem quod unum. Tam ʃimplex Deus, quam unus eʃt. Eʃt autem unus, & quomodo aliud nihil. Si dici poʃſet, uniʃsimus eʃt, &c. Nihil in ʃe niʃi ʃe habet Deus. Compara huic omne quod unum dici poteʃt, & unum non erit.* In Cantica. Serm. 81.

II. Pulcherrimè etiam hanc divinam ʃimplicitatem ab unitate manantem, & quantulæcumque compoʃitionis inʃolentem deʃcribit Anʃelmus: *Certè vita es, ʃapientia es, bonitas es, veritas es, beatitudo es, æternitas es, & omne verum bonum es. Multa ʃunt hæc. Non poteʃt anguʃtus intellectus meus totum uno ʃimili intuitu videre, ut omnibus ʃimul delectetur. Quomodo ergo Domine hæc omnia es? An ʃunt partes tui? An potius unumquodque horum totum eʃt quod es? Nam quidquid partibus junctum eʃt, non eʃt omnino unum, ʃed quodammodo plura, & diverʃum à ʃeipʃo, & vel actu, vel intellectu diʃſolvi poteʃt. Quæ aliena ʃunt à te, quo nihil melius cogitari poteʃt. Nullæ igitur partes in te ʃunt Domine, nec es plura; ʃed ʃic es unum quoddam, & idem tibi ipʃi, ut in nullo tibi ʃis diʃsimilis. Imo tu es ipʃa unitas, nullo intellectu diviʃibilis. Ergo vita, & ʃapientia & reliqua non ʃunt partes tui, ʃed omnia ʃunt unum: & unumquodque horum eʃt totum quod es, & quod ʃunt reliqua omnia.* Proslog. c. 18. Ita Anʃelmus omnia Dei attributa & unum in Deo, & unum cum Deo eʃse ʃentit; & quodlibet attributum totum Deum eʃse, & omnia alia in ʃe unitiʃsimè continere; ne ʃi qua diʃtinctio, ʃi qua plurium compoʃitio ʃit, Deus unitas non ʃit. Porro cùm ab Anʃelmo dicitur Deus *unitas nullo intellectu diviʃibilis*, & mox dicuntur ʃingula Dei attributa totum Deum eʃse, & totum quod ʃunt reliqua omnia; illud certè mihi videtur innui, ʃi ʃufficeret noʃtra mens, ʃi mentis acies & perʃpicacia ʃingulas Dei proprietates, vitam, ʃapientiam, veritatem, & reliquas ejuʃmodi intueri, ut in ʃe ʃunt, fore ut ne cogitando quidem eas alias ab aliis divideret. Nam exempli gratia, vita ʃi altiùs intelligatur, ipʃamet eʃse ʃapientia, & veritas, & juʃtitia & charitas intelligetur. Idem dixerim de ʃapientia, de veritate & aliis. Inʃunt intimè hæ proprietates aliæ in aliis, non modò ita ut ʃint una res & una forma, ʃed unum ʃimplex, ipʃa ʃimpliciʃsima unitas, ne cogitando quidem, ʃi per noʃtram infirmitatem liceat, partienda, nedum realibus, aut formalibus ʃecanda diviʃionibus.

III. Non diʃcrepat ab his Cyrillus, ʃeu ut malunt alii Damaʃcenus, conʃarcinator Dialogorum de Trinitate: *Simplex & incompoʃita eʃt ʃumma natura, & ʃubʃtantiarum proprietatibus perʃonarumque & nominum dilatata differentiis, & in ʃanctam procedens Deitatem; veruntamen naturali unitate, & invariabili ʃuper omnia identitate, ad unum quoddam contendens Dei nomen ac rem; ita ut & in unaquaque tota intelligatur natura, cum hoc quod adeʃt ei etiam ʃua proprietas.* Dial. 7. Luculentè hic autor agnoʃcit tantam naturæ divinæ unitatem, tam invariabilem ʃuper omnia identitatem, ut perʃonales proprietates, tametʃi realiter jam diʃtinctas, conʃæderet tamen in ʃeipʃa, & ad ʃummæ indiviʃibilitatis ʃimplicitatem ʃibi identificet.

IV. Secunda radix divinæ ʃimplicitatis eʃt primitas; nihil enim Deo prius, ʃed omium ipʃe primus eʃt, utpote primum principium eʃt. At nullum compoʃitum primum eʃt; priora ʃunt enim ipʃo ea velut membra quibus compaginatur. Componentia compoʃito priora ʃunt. Ergo quod primum

est, necesse est simplicissimum esse. Excogitatum est hoc argumentum à Platonicis. E quibus Alcionus: *Caret partibus, eo quod nihil ipso est anterius. Etenim pars & id ex quo aliquid constat, prius est eo cujus est pars. Nam superficies prior est corpore, & linea prior superficie.* Similiter Plotinus: *Constat ipsius boni naturam esse simplicem, atque primam. Nisi enim prima esset, simplex esse non posset. Constat & in seipsa nihil habere, sed esse unum dumtaxat.* Et paulò pòst: *Primum dicitur quoniam simplicissimum; item seipso sufficiens, quia non constat ex pluribus. Alioqui in ea à quibus componitur, referretur.* Ita hi Philosophi causam divinæ simplicitatis assignarunt primitatem ejus.

Cap. 10. — Ennead. 1. L. 9. c. 1.

Similiter argumentatus est Cyrillus Alexandrinus, *Quomodo Pater omnium invenietur esse principium? Atqui nihil anterius principio cogitari potest. Cum igitur nihil ante principium cogitari queat, nulla ex parte continget illi ut sit compositum. Quandoquidem composita quidam simplicium concursus efficit.*

Thesaur. 13.

Denique paucis Ambrosius, sed efficaciter rem conficit: *Compositus esse non potest, cum aliqua eo anteriora praeextitisse putari nefas sit.* Quo elidi ex æquo videntur omnes distinctiones. Nam anterius Deo aliquid ne cogitari quidem potest.

L. de Symbolo c. 1.

V. Tertia radix divinæ simplicitatis est ipsum esse. Ex eo enim id efficitur, ut nihil aliud Deus quàm sit; ut nihil habeat, nisi quod ipse sit. Ubi enim in compositionem plura coalescunt, eorum unum non est aliud, sed habet aliud. Cùm verò Deus sit merum esse, totum est, nihil potest habere quod non jam sit; tum quia tantummodo est, tum etiam quia totum esse essentialiter est. Unde Augustinus: *Ideo simplex dicitur, quia quod habet, hoc est, excepto quod relativè dicitur.* Plura in hanc rem capite superiori ex eodem Augustino & Bernardo.

Civ. l. 11. c. 10.

VI. Quarta radix divinæ simplicitatis est veritas. Natura enim veritatis summam statim simplicitatem præ se fert. Quas enim partes, quæ membra illi affinges? Quid illi unquam vel accedere, vel decedere posse somniabis? An cœpit verum esse, quod non erat? An desiit esse verùm, quod erat? Hæc omnia nulli nisi stolidissimo in mentem venire possunt. Unde Augustinus: *Si enim quod pauci intelligunt, simplex est natura veritatis, hoc est Filio esse, quod nosse. Ab illo ergo habet ut noverit, à quo habet ut sit; non ut prius ab illo esset, & postea ab illo nosset. Sed quemadmodum illi gignendo dedit, ut esset; sic gignendo dedit, ut nosset. Quia simplici ut dictum est naturæ veritatis esse & nosse non est aliud & aliud, sed hoc ipsum.* Sic ille.

In Evang. Joan. Tract. 40.

At Bernardus exponens quomodo tam multa prædicentur de Deo & creaturis communiter, cùm tanta intersit distantia, hæc habet peregregia ad divinæ in his simplicitatis illustrationem, quòd longè aliter naturæ creatæ ex multis compactæ, aliter simplici veritati eædem voces tribuantur. *Quis est iste tam communis in vocibus, tam longe in rebus? Quomodo quem nostris loquimur verbis in sua reconditus majestate, nostros penitus & aspectus effugit & affectus? Audi ipsum quid loquatur hominibus, Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Dicimur nosse, & Deus; & multa in in hunc modum. Sed Deus amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut Majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas. Quæ omnia faciunt & Angeli, facimus & nos; sed longe inferiori modo, non utique bono quod sumus, sed quod participamus.* Hæc Bernardi extrema clausula summam rei totius continet. Illa omnia Deo conveniunt *bono quod est*, Angelis hominibusque eadem conveniunt *bono quod participant*. Veritas ipsa est, & seipsa essentialiter est quidquid est; quæ autem non nisi participatè sunt quidquid sunt, non veritas, sed veritatis imagines sunt & simulacra. Porro veritas non tantum eo simplex est, quod per essentiam est & non participatè quidquid est; sed eo etiam quod omnia simplicissimè est. Æquè enim potuerat Bernardus dicere, quod Deus non tantum novit, ut veritas, sed amat ut veritas; sedet, seu judicat ut veritas, dominatur ut veritas, regit ut veritas, tuetur, operatur, revelat, assistit ut veritas. Omnia quippe illa, charitas, æquitas, majestas, principium, salus, virtus, lux, pietas, uno veritatis nomine continentur.

VII. Apposité hic referetur ille Augustini locus, ubi cùm duodecim nomina Dei percensuisset, ea mox ostendit in tria redigi posse, quorum singula reapse quatuor contineant. Et rursus hæc tria pari facilitate in unum, quod tribus par sit, colligi posse declarat. *Proinde si dicamus, æternus, immortalis, incorruptibilis, incommutabilis, vivus, sapiens, potens, speciosus, justus, bonus, beatus, spiritus, &c. De quatuor primis unum aliquid eligamus, quia unum quatuor ista significant, & illud potius quod est positum prius, id est, æternus. Hoc facimus & de quatuor secundis, quæ sunt vivus, sapiens, potens, speciosus; ex his quatuor unum eligatur sapiens. Nomina enim quatuor, res una est. De tertiis vero ultimis quatuor, hoc potius eligamus quod est beatus. Nunc igitur cum dicimus æternus, sapiens, beatus, hæc tria sunt Trinitas quæ appellatur Deus. Redegimus quidem illa duodecim in istam paucitatem trium; sed eo modo possumus forsitan & hæc tria in unum aliquod horum redigere. Nam si una eademque res in Dei natura potest esse sapientia & potentia, aut vita & sapientia; cur non una eademque res in Dei natura possit esse æternitas & sapientia, aut beatitudo & sapientia? Ac per hoc sicut nihil intererat, utrum illa duodecim, an ista tria diceremus, quando illa multa in istam redigimus paucitatem: ita nihil interest, utrum tria ista dicamus, an illud unum, in cujus singularitatem duo cætera similiter redigi posse monstravimus.* Non tantùm unum re, sed unum notione & conceptu demonstrat sanctus Pater esse quatuor illas proprietates, *æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis*, & sola æternitatis notione & voce posse omnes colligi. Quod enim æternum est, id sola æternitatis vi & immortale, & incorruptibile, & immutabile est. Similiter quatuor istas alias divinæ naturæ proprietates, *vivus, sapiens, potens, pulcher*, unum non re, non forma tantùm, sed etiam notione & intellectu esse evincit, & in unam sapientiæ ideam redigi debere. Nam & sapientia vita est, nec alia Dei vita quàm sapientia. Et ex Augustino alibi, Deus non temeraria potestate, sed virtute sapientiæ omnipotens est, & inter homines etiam ex Scriptura melior est sapiens, quàm fortis; melior, id est fortior. Stultæ enim fortitudini præpollet tandem & dominatur sapientia. Deinde facilè cordatus quisque intelligit non alia pulchritudine quàm sapientiæ venustari posse Deitatem. Postremò quatuor istas alias proprietates, *justus, bonus, beatus, spiritus*, ejusdem facilitatis est in unam beatitudinem colligere. Palam est enim quod justitia bonitasque nihil differant; nec dubium esse potest, quin justitia sit ipsamet beatitudo. Quid enim beatius justitia? aut quid verè beatum nisi per justitiam? aut quis cumulus fœlicitatis, quàm cumulus justitiæ? Adulterina est & fucata quæcumque alia beatitudo, præterquam justitiæ cumulatissimæ. Nemo autem nescit justitiã, bonitatem, beatitatem, non corporã esse, sed incorporeas & spiritales virtutes. At verò neque hìc sistendum est, sed tria illa *æternus, sapiens, beatus*, eodem jure parique fœlicitate in unum redigi possunt.

De Trinit. L. 15. c. 5. 6.

ſunt. Unum inquam non re tantùm, ſed notione. Sapientia enim ipſa per ſeſe ſubſiſtens, non poteſt non & æterna eſſe & beatiſſima. Et rurſus æternitas non eſt vel corporearum naturarum, vel earum denique, quæ creatæ cùm ſint, participes tantùm ſapientiæ ſunt: ſed ſolius ſapientiæ & cæterarum formarum imparticipatarum propria eſt æternitas. Nec aliter ſe habet beatitudo veriſſima, æterna ipſa neceſſariò eſt, nec niſi ſapientiæ & juſtitiæ & veritatis propria eſt. Creatæ enim omnes naturæ, ut ſapientiæ & juſtitiæ, ita & beatitudinis participes tantùm ſunt. At ſapientia beatitudo ipſa eſt, & beatitudo ipſa ipſamet ſapientia eſt, & utraque æternitas ipſa eſt, ac viciſſim æternitas ipſa & ſapientia & beatitudo eſt.

VIII. Hoc ſpecimen edidit Auguſtinus, ex quo conjicere licet perinde poſſe cæteras omnes divinas proprietates & dotes in unam ſimpliciſſimam conflari, ſi noſtræ mentis acies, ſi contentio animi, ſi lux tanta eſſe poſſet. Quin & beatiſſimam Perſonarum Trinitatem eidem ſimplicitati includeremus, ſi quid ſupernæ beatorum civium lucis nobis affulgeret. Unde Auguſtinus ibidem: *Quis itaque diſputandi modus, quænam tanta vis intelligendi atque potentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis oſtenderet, ut alia jam taceam, hoc unum quod ſapientia dicitur Deus, quomodo ſit Trinitas? Neque enim ſicut nos de illo percipimus ſapientiam, ita Deus de aliquo; ſed ſua eſt ipſe ſapientia. Quia non eſt aliud ſapientia ejus, aliud eſſentia; cui hoc eſt eſſe quod ſapientem eſſe.* Hoc ſanè foret operæ pretium & ſummum columen intelligentiæ, ſi quam facilè capimus, ſapientiam ipſam, ipſam quoque eſſe & beatitudinem & æternitatem: tam facilè intelligere poſſemus ſapientiam ipſam eſſe & Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, perſonis diſcretos, indiſcretos eſſentia & natura. Sed inacceſſum nobis hîc eſt illud penetrale; abundè nobis eſt ſi intelligamus ſapientiam ſeu veritatem (duo enim hæc nomina, una res, una notio) uſque adeo ſimplicem, uſque adeo locupletem & effuſam eſſe, ut ampliſſima collectiſſimaque ſui notione omnes illas complectatur divinas dotes, quas ſecare multifariam ſolemus ob anguſtias & imbecillitatem noſtræ mentis.

IX. Cæterùm ſi quartum divinæ ſimplicitatis fontem dixi eſſe veritatem, veritatis vocabulo contineri exiſtimavi & ſapientiam, & juſtitiam, & charitatem, & alias iſtiuſmodi virtutes, quæ nomine magis differunt quàm re, aut etiam quàm notione, ſi notio infinitæ earum amplitudini utcumque conſentiat. Unde Auguſtinus rurſum:
De Cathec. rud. c. ult. *Amandus eſt Deus, non ſicut aliquid quod videtur oculis, ſed ſicut amatur ſapientia & veritas, & ſanctitas, & juſtitia, & charitas, & ſi quid tale dicitur, non quemadmodum ſunt iſta in hominibus, ſed quemadmodum ſunt in ipſo fonte incorruptibilis & incommutabilis ſapientiæ.* Sapientiam, veritatem, ſanctitatem, charitatem, juſtitiam, promiſcuè pro uno habet Auguſtinus; non ut in nobis ſunt, ubi ſanè diſtinctæ qualitates ſunt, ſed ut ſunt in Deo, *in ipſo fonte incommutabilis ſapientiæ*. Prout enim hæc ſunt in ipſo fonte incommutabilis ſapientiæ, nimirum ipſa ſapientia ſunt, unumque cum ea ſunt, non re tantùm, ſed conceptu & notione. Nec enim vera & tota & ipſa per eſſentiam ſapientia erit, niſi ſit vera, juſta, ſancta, id eſt, veritas, juſtitia, ſanctitas. Unde idem ſanctus Pater alibi edisserens ut Platonici
Civit. l. 8, c. 6. Deum intellexerint: *Simpliciter eſt, quia non aliud eſt illi eſſe, aliud vivere, quaſi poſſit eſſe non vivens; nec aliud eſt illi vivere, aliud intelligere, quaſi poſſit vivere non intelligens; nec aliud eſt illi intelligere, quàm beatum eſſe, quaſi poſſit intelligere, & non beatus eſſe; ſed quod eſt illi vivere, intelligere, beatum eſſe, hoc eſt illi eſſe.*
In Pſal. 7. Conc. 2. Et rurſus idem alibi: *Totum quod pulchrum eſt*

in anima, virtus & ſapientia eſt. Sed nec ſapit ſibi, nec valet ſibi, nec ipſa ſibi lux eſt, nec ipſa ſibi virtus eſt. Eſt quædam origo fonſque virtutis, eſt quædam radix ſapientiæ, eſt quædam, ut ita dicam, ſi & hoc dicendum eſt, regio incommutabilis veritatis. Ille fons virtutis, illa radix ſapientiæ, illa regio incommutabilis veritatis, non aliud certè quàm ſumma eſſentia eſt, ubi eſſe unum & eſſe omnia idem ſimpliciſſimum eſt; unde manant in nos & roris inſtar aſperguntur ſapientia, juſtitia, caſtitas aliæque virtutes, quæ de fontis ſui ſapore illud retinent, ut quamvis diſtinctæ ſint, connexæ ſibi tamen ſint; & perfectæ ubi ſunt, indivulsè ſibi cohæreant. Omnes enim iſtæ virtutum dotes in Deo unum quid ſimpliciſſimum ſunt, una ſimpliciſſima veritas & ſapientia, & unica notione ſimpliciſſima, ſed diffuſiſſima colligi poſſunt. Jam ubi creata mens iis irroratur, ne tum quidem eo perfectionis culmine poſſunt eſſe, niſi conſertæ conjunctiſſimæque, & in unam quodammodo virtutem conflatæ ſint.

X. Nec Hilarium latuit hanc eſſe juſtitiam Dei, ut ſit juſtitia, veritas, ſapientia. *Sunt ergo plures* In Pſal. 118. *Domini noſtri Jeſu Chriſti participes. Et particeps ejus erit, quiſquis in juſtitia manet, quia ipſe juſtitia eſt. Et particeps ejus erit, quiſquis in veritate perſiſtit, quia ipſe veritas eſt.* Et Leo Ma- Serm. in illa verba, Videns Jeſus turbas. gnus: *Nihil eſt aliud diligere Deum, quàm amare juſtitiam, &c. Miſericordem te miſericordia, juſtum te vult eſſe juſtitia, ut in creatura ſua crea-* Epiſt. ad Dem. de virgin. ſerv. *tor appareat.* Et Hieronymus: *Felix illa conſcientia & beata virginitas, in cujus corde præter amorem Chriſti, qui eſt ſapientia, caſtitas, patientia atque juſtitia, cæteræque virtutes, nullus alius verſatur amor.* Caſſiodorus, aut potiùs author libelli de Amicitia, qui inter ejus opera editus eſt, explanans, *qualiter cogitandus eſt Deus charitas*, hæc habet valde luculenta: *Credendus itaque & cogitandus eſt Deus, quædam vita æterna, vita vivens in ſe, & omnia vivificans, immutabilis, & omnia mutabilia immutabiliter faciens, omnia intelligens, & omnem intelligentiam creans, ſapiens & ipſa ſapientia, veritas fixa, juſtitia indeclinabilis, ſcientia, virtus, ſumma bonitas, divinitas, æternitas, magnitudo, immenſitas, ſumma eſſentia, quæ eſt eſſe, &c. Continens omnia & diſponens; diſponit enim ut ſapientia, operatur ut virtus, amat ut charitas, revelat ut lux, miſeretur ut pietas, ſcit ut veritas, judicat ut æquitas, præſidet ut majeſtas.* Hæc poſtrema verba compluſcula ex Bernardo ſuprà audivimus, à quo & hujus libelli conſarcinator ea prompſit. Non ergo Caſſiodorus ejus autor habendus.

XI. Anſelmus ergo cùm docuiſſet de Deo dici debere, quidquid melius eſt ipſum, quàm non ipſum; putà quòd ſit ſapiens & juſtus: melius eſt enim eſſe, quàm non eſſe ſapientem & juſtum. Addit præterea juſtitiam potiùs quàm juſtum, & ſapientiam potiùs quàm ſapientem illum eſſe debere: *Quoniam igitur ſumma natura non propriè dici-* Monol. c. 14. 15. 16. *tur juſta, quia habet juſtitiam; ſed exiſtit juſtitia; cum dicitur juſta, propriè intelligitur exiſtens juſtitia, non autem habens juſtitiam.* Ideo non qualis, non quanta ſit, ſed quid ſit divina natura ſemper dicitur; qualitatis enim & quantitatis expers eſt, quæ ſumma ſubſtantia eſt: *Quidquid igitur eorum de illa dicatur, non qualis vel quanta, ſed magis quid ſit monſtratur.* Quidquid autem eſt, ſummè eſt divina natura: *Sed palam eſt, quia quodlibet horum ſumma illa natura eſt, ſummè illud eſt. Illa igitur eſt ſumma eſſentia, & ſumma vita, ſumma ratio, ſumma ſalus, ſumma juſtitia, ſumma ſapientia, ſumma veritas, ſumma bonitas, ſumma magnitudo, ſumma pulchritudo, ſumma immortalitas, ſumma incorruptibilitas, ſumma immutabilitas, ſumma beatitudo, ſumma æternitas, ſumma poteſtas, ſumma unitas, quod non eſt aliud, quàm* ſum-

summè ens, summè vivens, & alia simpliciter. Et cùm hæc tam multa in Deo sint, non ex his tamen componitur Deus, quia illa omnia bona unum bonum simplicissimum sunt. *Cum igitur illa natura nullo modo composita sit, & tamen omnimode tot illa bona sit; necesse ut omnia illa non plura, sed unum sint.* Et denique ita hæc omnia unum sunt, & essentia divina hæc omnia simplicissimè est, ut hæc singula etiam sint illa omnia. *Idem igitur est quodlibet unum illorum, quod omnia sunt simul, sive singula: ut cum dicitur justitia vel essentia, unum significat quod alia, vel omnia simul, vel singula. Quemadmodum itaque unum est quidquid essentialiter de summa substantia dicitur; ita ipsa uno modo una consideratione est, quidquid est essentialiter.*

CAPUT VI.

An ultra promoveri possit divina simplicitas? An de Deo demonstrative aliquid & propriè, vel impropriè tantum & symbolicè dici possit aut cogitari. Ex antiquis Philosophis.

I. Si de Deo nec dici quidquam propriè nec cogitari potest: quomodo tam multa de eo dicantur? Respondet Anselmus, dici impropriè, per speculum, in ænigmate.

II. Quod Deus sit veritas, justitia, sanctitas, verè prædicatur, verissimè dicitur, etsi ænigmaticè, symbolicè, per imagines & per similitudines dicatur.

III. Hic jam summus divinæ simplicitatis gradus, ut non tantum sit supra corpora & supra mentes, quæ veritas & sapientia: sed etiam supra veritatem & supra sapientiam sit.

IV. Inde emicat, quæ de Deo dicuntur, ea illi competere, vel per negationes, vel per modum principii, vel per analogiam.

V. Ita sensit Ammonius, ita Plotinus.

VI. In Plotini verbis multa observantur, ut de Deo nil dicatur, nisi per negationes, & per symbola. Veritas & sapientia, symbolicè de Deo dicuntur. Deus est supra sapientiam, supra vitam, supra ens. Est ipsum unum, imo supra unum.

VII. Omnia conveniunt Deo per modum principii, ex Plotino, vel negationis: nescientia magis, præsentia, conscientia, contactu Deum intelligi, quàm intelligentia.

VIII. Suffragatur Moses Majemonides, ut de Deo negari satius sit, quàm affirmari quidvis; utque perfectissima quæque nostra ab illo deficiant; quod & ex Scripturis firmatur.

IX. Philo Deum evehit supra omnia, supra ipsum unum & bonum.

I. HUnc idem Anselmus nodum expedire ibidem mox adgreditur: Cùm tam multa de Deo dixerit, & de Deo ineffabili & incomprehensibili nec dici quidquam possit, nec cogitari, quomodo in iis quæ dicta sunt veritas constet. Respondet autem Anselmus bifariam de re qualibet verba fieri posse, propriè, vel impropriè & ænigmaticè, ex rei veritate, vel per imagines, & similitudines. De natura incomprehensibili nihil propriè, nihil ut res est, vel fando, vel cogitando exprimi posse; at symbolicè, ænigmaticè & per idoneas similitudines multa dici posse, & verè dici. *Sed ad illud quid responderi poterit, quod jam supra in hac ipsa disputatione constitit; quia sic est summa essentia supra & extra omnem aliam naturam, ut si quando dicitur aliquid de illa verbis quæ communia sint aliis naturis, sensus nullatenus sit communis? Quem enim sensum in omnibus his verbis* Monol. 16. 64. *quæ cogitavi, intellexi, nisi communem & usitatum? Si ergo usitatus sensus verborum alienus est ab illa, quidquid ratiocinatus sum, non pertinet ad illam? An quodammodo inventum est aliquid de incomprehensibili re, & quodammodo nihil perspectum est de ea? Sæpe namque multa dicimus, quæ propriè sicut sunt, non exprimimus; sed per aliud significamus id quod propriè aut nolumus, aut non possumus depromere; ut cum per ænigmata loquimur. Et sæpe videmus aliquid, non propriè, quemadmodum res ipsa est, sed per aliquam similitudinem, aut imaginem; ut cum vultum alicujus consideramus in speculo. Sic quippe unam eandemque rem dicimus & non dicimus, videmus & non videmus; dicimus & videmus per aliud; non dicimus & non videmus per suam proprietatem. Hac itaque ratione nihil prohibet, & verum esse quod disputatum est hactenus de summa natura, & ipsam tamen nihilominus ineffabilem persistere; si nequaquam illa putetur per essentiæ suæ proprietatem expressa, sed utcumque per aliud designata. Nam quæcumque nomina de illa natura dici posse videntur, non tam mihi eam ostendunt per proprietatem, quàm per aliquam innuunt simmilitudinem.*

II. Ita Anselmus convenienter Paulinæ Theologiæ: *Videmus nunc per speculum & in ænigmate.* Itaque cùm antè Anselmus multis disputasset de Deo ut summa essentia est, ut veritas, ut sapientia, ut charitas est; jam hìc confitetur, non ea propriè à se, aut dici, aut cogitari potuisse, sed impropriè, symbolicè, ænigmaticè & per similitudines; quanquam verè dicta atque cogitata fuerint. Nam quod ænigmaticè dicitur, verè dicitur; & quod in speculo videtur, verè videtur; & quod per similitudines prædicatur, verè prædicatur. Subdit Anselmus, quando justitiam divinam vel dicimus, vel intelligimus, etsi sciamus aliter eam Deo, aliter naturæ creatæ congruere; non tamen cogitari, aut intelligi quidquam expresè à nobis, nisi quod creaturæ potest competere. *Etenim cum earundem vocum significationes cogito, familiarius concipio mente, quod in rebus factis conspicio, quàm id quod omnem humanum intellectum transcendere intelligo. Nam valde minus aliquid, imo longè aliud in mente mea sua significatione constituunt, quàm sit illud, ad quod intelligendum per hanc tenuem significationem mens ipsa mea conatur proficere. Nam nec nomen sapientiæ mihi sufficit ostendere illud, per quod omnia facta sunt de nihilo, & servantur à nihilo: nec nomen essentiæ mihi valet exprimere illud quod per singularem altitudinem longe est supra omnia, & per naturalem proprietatem valde est extra omnia. Sic ergo & illa natura, & ineffabilis est, quia per verba sicuti est nullatenus valet intimari; & falsum non est, si quid de illa ratione docente per aliud velut in ænigmate valet æstimari.*

III. Summus hic jam fore videtur apex divinæ simplicitatis, si non tantùm compositio, sed etiam simplicitas creaturarum ab eo summoveatur, & demonstretur simplicitas Dei ipsa simplicitate simplicior. Superioribus capitibus eam primùm compositionem ablegavimus, quæ corporum propria est; deinde eam etiam abstersimus, quæ in spiritalibus substantiis invenitur, plurium qualiumcumque coagmentationem; quo id videbamur consecuti, ut Deus & corporalibus & spiritalibus naturis simplicior esset, & in tertio super illas gradu emineret, ut veritas, ut sapientia, ut æquitas, ut charitas. Nam quantò mens corpore, tantò, imò multò incomparabiliter simplicior mente est veritas, sapientia, justitia, charitas. Sed facem præferente Anselmo, ultra hunc simplicitatis gradum enitendum est, cùm nec veritas, sapientia, justitia, charitas & id genus alia, vel dicatur, vel cogitetur Deus, nisi in speculo & in ænigmate, impropriè & per aliud; ejusque adeo simplicitas,

supra

supra horum etiam nominum simplicitatem, quæ summa nobis videbatur, consurgat.

IV. Hæc porro eò recurrunt, ut quæcumque de Deo dicuntur, triplici tantùm ratione dici interpretanda sint. Nimirum vel per negationes, vel per modum principii, vel per analogiam. Ita cum Deus dicitur vita & sapientia, ea verba hanc habebunt significationem, vel quòd Deus non sit vitæ vel sapientiæ orbus, instar inanimatorum aut brutorum corporum; vel quòd author & principium sit vitæ & sapientiæ totius, qua naturæ gaudent creatæ; vel denique quòd vita & sapientia naturarum creatarum, utcumque imitetur, & infinito quodam ex intervallo sequatur ineffabilem illam Dei lucem & vim, cujus vita & sapientia creaturarum adumbratio tantùm quædam est.

V. In hac sententia fuisse priscos Philosophos jam suprà demonstravimus. Paucula hìc eorum testimonia recensebimus. Ammonius Academiæ columen, sed & Christianæ lumen Ecclesiæ, ita habet in Commentario ad Categorias Aristotelis: *Dicimus definitiones quæ negatione constant, rem subjectam magis ornare. Ita enim cum Deum significare volumus, non de eo affirmamus aliquid, sed ad negationes venimus, ut divinus asserit Plato. Nam cùm Timæum interrogasset Socrates, Quid est Deus? Respondet ille, Quid non sit scio, quid sit autem nescio.* Hæc ergo Timæi, Platonis Ammonijque sententia erat, nec nesciebant illi Deum dici veritatem, sapientiam, justitiam; sed & his ipsis nominibus declarari existimabant non quid sit, sed quid non sit Deus; nempe quòd à mendacio, ab injustitia, ab insipientia alienissimus sit. Plotinus creberrimè eidem suffragatus est doctrinæ: *Cùm horum Deus nihil sit omnino, solum* Ennead. 5. L. 5. c. 6. *dici potest esse, quod super hæc existit. Hæc autem sunt entia, atque ens ipsum. Illud igitur ente superius. Porro quod ente superius est, non dicit hoc aliquid; neque enim ponit aliquid; neque nomen ipsius dicit; sed affert solum hoc ipsum, scilicet, non hoc. Id autem agens, nusquam comprehendit ipsum. Ridiculum est enim moliri immensam illam complecti naturam. Quisquis autem id molitur, seipsum quoque vel à minimo ejus vestigio procul admodum removet. Profectò quemadmodum cognoscere naturam intellectualem cupiens, tunc demum cognoscet quod est super sensibile genus, quando nullam prorsus rei sentiendæ tenebit imaginem. Sic etiam qui naturam intelligibili natura superiorem contemplari desiderat, si modò intelligendum omne dimiserit, contemplabitur; per hoc inquam discens illam existere; qualis verè sit, omnino dimittens. Hoc ipsum vero quod dicitur quale, significat non quale. Cui enim non inest quod dicere quid consuevimus, neque etiam convenit quod quale appellare solemus. At nos nostris quasi cujusdam parturientis angustiis laborantes, quid potissimum dicere deceat ignoramus; & de illo quod dici non potest, dicimus & nominamus, significare aliquid nobis ipsis quoad possumus affectantes. Forsan verò & hoc nomen quod dicitur unum per respectum quendam ad multa, per negationem elevationemque significat. Quapropter Pythagorici quoque Apollinem secretiori quadam significatione inter se nominabant, ipsa scilicet negatione multorum. Si autem nomen hoc unum significatione ponat aliquid & affirmet, tum nomen, tum nominatum erit obscurius, quàm si quis nomen illius esse minimè dixerit. Nam fortè nomen id dictum est, ut indagator exordiens ab eo quod maximè omnium significare potest simplicitatem, eò tandem perveniat, ut hoc ipsum præterea neget. Quasi quantò melius à nominante poni potuit, impositum fuerit; neque tamen & hoc dignum sit, quo natura illa significetur.*

VI. Hactenus Plotinus, in cujus verbis observari licet. 1. Cùm dicitur Deum esse ente superiorem, id perinde esse ac si negaretur dici de ipso quidquam posse, vel intelligi. Nam omne intelligibile est ens. Quod ergo ente, id intelligibili omni superius est, id nihil entium, nihil intelligibilium est. Qua negatione nulla negatio universalior fieri vel excogitari potest. 2. Ut intellectualem naturam quisquis cogitare vult, corporeas omnes proprietates inde amandat; ita quisquis naturam divinam intellectuali multò superiorem contemplari cœpit, inde ablegare necesse habebit omnes intellectualium naturarum dotes, vitam, justitiam, sapientiam. Per has enim ita forsan describitur Deus, sicut per corporea quandoque symbola Angelus. Nec causeris prædicari de Deo non simpliciter vitam, sapientiam, justitiam, sed vitam incorruptibilem, sapientiam incommutabilem, justitiam substantivam. Contra enim æquè de angelica natura dicetur, quòd sit longitudo indivisibilis, soliditas immaterialis, latitudo intellectualis, quæ mera esse symbola nemo non videt, tametsi adjunctis veluti antidotis emendata. 3. His Philosophis Deus non videbatur esse, nisi unum & bonum. Reliqua omnia infra illum jacere existimabant; etiam sapientiam, vitam, veritatem; nec ista de Deo prædicari sinebant, nisi vel negativè, vel per modum principii magis quàm formæ. 4. Quin unum ipsum negativè tantùm de Deo dici sinebat Plotinus; aut si affirmativè diceretur, hanc ipsam affirmationem rursus in negationem resolvebat. Etsi enim primò diceretur Deum esse ipsum unum, mox tamen id quoque agnoscebatur incomprehensibili ejus magnitudini nedum satis congruere, & satius esse id removeri, ut unum tantùm dicatur Deus, quia multa non est. 5. Hinc meritò concludit Plotinus, quærendum non esse quid de Deo dicamus omnino, & quasi id propriè illi conveniat; hoc enim fieri non posse; sed tantùm quo eum designemus, id est, aliquod signum & quasi symbolum, quo illum nobis significemus. Unde rursus idem: *Quando dicimus unum, &* Enn. 6. l. 9. c. 5. *quando dicimus bonum ipsum, intelligendum est unam nos eandemque naturam significare, adeo ut nihil de illa prædicemus omnino; sed nobis ipsis potius illam, quoad possumus, designemus.* Et rursus: *Quod super ens mirabiliter extat, velut miraculum est ipsum unum. Quod sanè non est ens dicendum, ne hic quoque ipsum unum de alio prædicetur; cui profectò nullum revera nomen convenit. Nominamus unum quadam necessitate compulsi, optantes videlicet primam omnium naturam ipso nomine inter nos designare.* 6. Hinc ait Plotinus de Deo sciri posse an sit, non autem vel quare, vel quale, vel quid sit. At si propriè, si non negativè, non symbolicè, non ænigmaticè dici potest, quòd sit veritas incommutabilis, sapientia incorruptibilis, etiam quid sit dici potest. *Omnis quæstio inquirit,* Enn. 6. l. 8. c. 11. *vel quid aliquid sit, vel quale, vel propter quid, vel utrum sit, necne. Esse verò rerum omnium principium, sicut dicimus illud esse, per ea quæ sunt ab illo conjectare solemus. Quæstio verò propter quid principium aliud expetit, sed universi principii nullum potest esse principium. Præterea quærere quale sit illud, nihil est aliud quàm inquirere, quid accidat ei, cui nihil accidit. Ipsum verò quid est, declarat magis ipsum hoc, quòd nihil de illo quærere debeamus.* Ita ille quærentibus quid sit Deus, censet respondendum esse, illum esse, de quo quid sit, quæri & sciri nefas.

VII. 7. Hinc idem Plotinus tam crebrò ait, omnia Deo convenire per modum principii, non per modum formæ; ipsum nihil omnium esse, sed omnium authorem esse & largitorem: itaque non esse bonitatem & veritatem, sed bonitatis & veritatis datorem & opificem. *Ipsius unius natura talis exi-* Enn. 6. l. 9. c. 5. 6. *stit, ut sit fons omnium optimorum, & potestas entia generans.* Et infrà: *Causa non idem est atque quod à causa provenit. Omnium itaque causa nihil prorsus est omnium. Neque igitur eam hoc bonum quod præbet aliis, judicare debemus; sed ipsum alia ratione bonum, cæteris bonis admodum*

modum excellentius. 8. Denique hinc est quod negat idem Plotinus scientia & intelligentia apprehendi posse Deum, sed præsentia, & conscientia, & contactu muto. At vita, sapientia, veritas, justitia & hujusmodi alia per se subsistentia & immutabilia, per intelligentiam nostram apprehenduntur, & per scientiam: ergo non in his, sed supra hæc quærendus Deus. Enn. 6. l. 9. c. 4 7. *Accidit nobis dubitatio & defectus circa cognoscendum Deum, præcipuè quoniam neque per quandam scientiam, neque per intelligentiam ullam cognoscimus illum, sicut alia solemus quæ intelligibilia nuncupantur, sed per præsentiam quandam scientia meliorem*. Et infrà: *Quemadmodum tradunt materiam esse omnium qualitatibus vacuam oportere, si modo sit figuras omnium susceptura; sic & multò magis animam oportet esse informem, si omni carere debet obstaculo, quod forsitan impedire possit, ne ab ipsa prima omnium natura illustretur. Si res ita se habet, operæ pretium est animum ab exteris omnibus segregatum, ad intima penitus se convertere, neque ad externum aliquid revocari; sed jam omnia nescientem; & antea quidem affectione, tunc verò etiam speciebus; nescientem quoque seipsum, contemplationi illius incumbere*. Ita præstantissimus Philosophus mentem instar materiæ primæ omnibus formis nudari jubet & speciebus, seipsam quoque nescire; omnibus speciebus quas vel à seipsa, vel ab aliis rebus impressas gerit, expoliari; ut Deum hac sua nescientia & informitate fœliciùs apprehendat. At inter has formas & species sequestrandas quis non videt esse ipsam quoque sapientiam, justitiam, &c. Nam si has servet formas, non erit omnino informis mens, & materiæ nudæ similis. Si has formas servet, non erit in mera nescientia, non seipsam nesciet. Nam & ipsa mens quædam vita, & sapientia, & justitia est.

VIII. Plotino Platonicisque lubens accedet Rabbi Moyses Mayemonides in More nevochim. Ibi enim universim primò quidem illud affirmat, tanto plura de Deo sciri, quanto plura negantur; tanto plura nesciri, quanto plura affirmantur. Igitur si Deum dicas affirmativè esse sapientiam, justitiam, &c. hac affirmatione proficies ad nescientiam; sed ut proficias ad veram castigatamque scientiam, sumenda sunt illa negativè, ut dicatur sapientia, quia nihil perperam; justitia, quia nihil temerè, nihil præter fas operatur. *Hactenus declaratum est* Par. 1. c. 59. *tanto propiùs te ad Deum accessurum, quo plura sciveris per demonstrationem negare; & è contrario, quo plura de ipso affirmaveris, eo longiùs te à veritate cognitionis ejus recessurum*. 2. Duplicem ejus rei rationem assignat, eamque perquàm eximiam. Prima est quod eæ quas de Deo perfectiones affirmamus, perfectiones quidem apud nos sunt; at quod perfectum est in ultimo gradu, à perfectione longe deviat, si summo componatur. Quæ sunt perfectiones corporum, iis inquinaretur natura intellectualis, uno tantùm gradu corporalem exuperans; quanto magis ergo quæ sunt perfectiones naturarum intellectualium, Deum inquinabunt, si ei aspergantur, tot gradibus naturas intellectuales transvolanti? Secunda est, quod in omni affirmatione est aliqua compositio: unum enim alteri adglutinatur, quoties prædicatum enunciatur de subjecto: ergo simplicitati divinæ pugnat affirmatio. Non item negatio, hæc enim compositionem dissolvit, & ita simplicitati suffragatur. *Dupliciter à Deo elongaris, quando aliquid de eo affirmas. Primo quia omnia quæ de ipso affirmas, perfectiones sunt secundum nos tantum, & apud nos. Deinde quod Deus nullius alterius rei capax est, sed omnes perfectiones ejus nihil aliud sunt, quam essentia ipsius*. 3. Huc adaptat ille, quæ Scriptura suggerit, Deum à Deo solo sciri quid sit, ab hominibus verò nesciri. Quippe qui & affirmando aliquid, tanto magis nesciant; & negando quid sit, apertè nescire se quid sit, profitentur. Unde Paulus, *Quæ Dei sunt, nemo scit, nisi Spiritus Dei*. Et Vates Regius, Tibi silentium laus Deus in Sion. *Omnium præstantissimum est, quod in Psalmis legimus: Tibi silentium laus est; hoc est, Silere apud te vera laus est. Verba emphatica admodum in hoc negotio, quibus Psaltes docet in omnibus verbis nostris, quibus utimur ad Deum Optimum Maximum laudibus extollendum, balbutiem deprehendi, qua majestatem ejus diminuamus, & per consequens longè satius & decentius esse, ut omnino taceamus*. 4. Exemplis probat, quomodo attributa omnia, ne inepta sint, si affirmativo in sensu contineantur, debeant emendari & detorqueri ad sensum negativum. *Quod attinet ad attributa negativa, illa adhibenda sunt ad dirigendum intellectum nostrum ad ea quæ de Deo credenda sunt; quia ex his nulla in Deo planè sequitur multitudo, & deducunt intellectum ad summum cognitionis gradum ad quem pertingere potest. Exemplo rem declarabo. Per manifestas demonstrationes scimus, quod necessario adhuc sit aliquid, præter illas substantias, quas sensibus apprehendimus, & illas quarum cognitionem & scientiam intellectus sibi vendicat; ideoque de eo dicimus, quod sit existens, cujus sensus est, quod privatio ejus sit falsa; id est, falsum esse quod non existat. Deinde dicimus quod illud ens non existat metaphoricè sicut elementa, quæ sunt corpora mortua; ideoque vivens appellavimus, cujus sensus est, quod non sit mortuus. Præterea intelleximus, quod hujus entis essentia, non sit sicut essentia cœlorum, quæ sunt corpora viva; ideoque dicimus de eo, quod non sit corpus. Insuper vidimus ens illud quoque non esse sicut essentias, sive existentias intelligentiarum, quæ quidem neque sunt corporeæ, neque mortuæ, sed tamen sunt aliunde productæ. Ideo de eo dicimus, quod sit æternum; hoc est, quod nullam essentiæ suæ causam habeat*. Pergit ille deinde plura Dei attributa affirmativa in negativa resolvere.

IX. Antequam ad sanctos Patres accedo, paucis Philonem conveniam. Hic astipulator accedit 1. dum Deum supra illa sapientiæ, unitatis & bonitatis præconia extollit; scilicet his longè superiorem. L. de Legat. ad Caium. *Quantum putamus ad honestatem virtutemque præsidium accedere animæ, si emergens supra omnes creaturas Deum increatum spectare didicerit; summum illud bonum, pulchrum & beatum, & quod verè dicere licet, bono melius, pulchro pulchrius, beato beatius, felicitate ipsa felicius; & si quid dici potest perfectius? Non potest enim sermo assequi & attingere Deum se superiorem modis omnibus; sed retro relabitur, cum non possit propriis nominibus, seu gradibus ascendere ad manifestationem ejus*. Ita Philo, etsi sermone superiore dictus esset Deus, non bonus, sed bonum; non pulcher, sed pulchrum; id est, bonitas & pulchritudo ipsa per se subsistens; illum tamen castigat sermonem, Deumque vult dici bonitate & pulchritudine ipsa superiorem. L. de Contempl. vitæ. Idem alibi: *Didicerant à natura, & à sacris legibus colere ens illud bono melius & uno sincerius; & unitate in generando antiquius, atque ut ita dicam principalius*. 2. Hinc merito negat de Deo sciri posse quid sit. Nam cum nostra cognitio eniti atque eluctari non possit nisi ad bonitatem & veritatem usque, & Deus his superior sit, merito illum non nosse dicimur. L. de præmiis & pœnis. *Non invidit Deus sui cernendi copiam, quantum natura humana capax fuit ejus spectaculi, videlicet ut sciret esse Deum, non quis sit etiam. Nam is & bonitate ipsa melior, & unitate antiquior & sincerior, non potest spectari à quoquam alio, ideo ipsi soli fas est à seipso percipi*. Ita ille concludit Deum à seipso solo non a nobis sciri posse quis sit: ex eo quòd non bonitate tantùm creata & accidentali, sed ipsa bonitate melior est, ipsa unitate sincerior. Ergo cum dicitur Deus unitas, bonitas, non demonstrativè, sed ænigmaticè dicitur & symbolicè.

bolicè. 3. Universim affirmat, nil sciri posse de Deo, nisi quod sit: *At ille ne mente quidem comprehenditur, nisi hactenus quod sit*. Si propriè autem, & non ænigmaticè & symbolicè esset Deus veritas, justitia, bonitas, cognosceretur etiam utcumque de eo quid sit.

L. Quod Deus sit immutabilis.

CAPUT VII.

De eodem, an propriè & demonstrativè, vel impropriè tantùm & symbolicè, dici quidpiam & cogitari possit de Deo: cùm sancti Patres censeant Deum meliùs sciri nesciendo; & sciri tantùm de eo posse, quod sit, non quid sit.

I. Etsi Augustinus sæpè inculcarit ut Deum, non ut corpus, non ut mentem, sed ut veritatem & sapientiam cogitemus: docet idem tamen de Deo sciri tantum posse, quod sit, non quid sit; nesciendo & negando, melius ipsum sciri, quàm sciendo & affirmando.

II. III. Eadem doctrina Leonis Magni, Gregorii Magni, Bernardi, & Pheudo-Cypriani. Ex spiritualibus etiam naturis symbola concinnari, ad intelligendum symbolicè Deum. Ejusmodi est sapientia, justitia, &c.

IV. Assentitur Clemens Alexandrinus.

V. Et Origenes.

VI. Et Epiphanius, qui luculentissimè monet, hinc multas incidi posse difficultates, quæ inde tantùm existunt, quod quæ de Deo dicuntur impropriè, quasi propriè dicantur, urgeri sinamus.

VII. Refellit Epiphanius Anomæos, qui tam sibi Deum, quàm seipsos, perspectum esse jactabant. Quomodo his non conveniat cum Augustino.

VIII. Ex eodem Epiphanio, quomodo in Scripturis nunc dicatur Deum visum esse, nunc videri non posse.

IX. De eodem ex Ephræmo Diacono.

X. Et ex Gregorio Nysseno, qui ait Deum in caligine, postquam prius in luce, Moysi apparuisse splendidius; & simulacra Dei vetari, ne cui rei similem illum opinemur.

XI. Supra vitam & sapientiam ex Nysseno Deus est per se sapientia; imo supra hæc ipsa est.

XII. A quibus non abludit Theodoretus.

XIII. Præ cæteris Dionysius huic doctrinæ assensus, huic non parvam lucubrationum suarum partem dicavit. Quæ de Deo dicuntur, ad negationes resolvuntur. Quæ de Deo negantur, ei rursus adscribuntur per exuperantiam quandam inexcogitabilem.

XIV. Ex eodem, omnia de Deo dicuntur per negationes, per præcellentiam, per principii & causæ modum. Perfectissima Dei cognitio, per nescientiam & unionem.

XV. De eodem ex eodem rursum.

XVI. Omnium ablatione & negatione melius intelligitur, qui supra intelligentiam est.

XVII. Suffragatio Maximi.

I. INter sanctos Patres chorum ducet Augustinus, qui licèt plurimus est in hortando, ut Deum non quasi corpus ingens & lucidum, non tanquam mentem mutabilem, sed ut veritatem & justitiam incommutabilem cogitemus: non pauca tamen habet, quibus hanc etiam elimatiorem Dei cognitionem reliquisque præstantiorem, & ipsam tamen impropriam & translatitiam esse demonstrret. Et primò quidem cum disertè docet de Deo nihil sciri posse, nisi quod ipsum nesciamus; sciri posse, quod sit, non quid sit. *Vis scire naturam Dei? Hoc scito, quod nescias. Nec in hoc contristeris quia nescias, quia & Angeli nesciunt, & similiter omnes creaturæ. Sed dicit aliqus, Quomodo ergo credo, quod nescio? Quomodo Christianus sum, qui nescio quomodo sum Christianus? O Christiane qui tibi videris nihil scire, si scias hoc ipsum quod nescias, nonne magis plus videris à cæteris scire: Gentilis homo videt lapidem, & Deum putat. Philosophi vident cœlum, & Deum putant. Alii vident Solem, & Deum putant. Tu verò vide, quam super istos habeas scientiam, qui dicis, Lapis Deus esse non potest, Sol Deus esse non potest; quia alterius imperio currit, &c.* Ita ille hac Dei nescientia, hac Dei per negationes scientia, hac Dei conscientia magis quàm scientia, ingentem & præclaram admodum scientiam contineri demonstrat; sed qua de Deo sciatur quod sit, vel quid non sit, non quid sit. Nam adversus Gentiles, adversus Philosophos, quantumlibet scientiæ suæ jactantia ferocientes, fidenter proclamat Christianus, hac docta ignorantia fretus: Deus non est lapis, Deus non est Sol. Et hæc non proclamaret, nisi conscius gnarusque & Deum esse, & sola incomprehensibili magnitudine sua fieri, ut nesciatur, & non tamen ita nesciri, quin sciatur non esse illa omnia, quæ incomprehensibili huic magnitudini pugnent.

Serm. 189. de temp.

Et rursum alibi Augustinus: *Sic intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine tempore sempiternum, sine sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omnino invenire quid sit, piè tamen cavet quantum potest aliquid de eo sentire quod non sit.* Ita sanctus Pater bonitatem, æternitatem, omnipotentiam, immensitatem perfectissimo quo possumus modo intellectas, negativa tamen ferè attributa esse censet, quibus concipitur, non quid sit, sed quid non sit Deus. Et alibi: *Nunc si non potestis comprehendere quid sit Deus, vel hoc comprehendite, quid non sit Deus. Multum profeceritis, si non aliud quàm est, de Deo senseritis. Nondum potes pervenire ad quid sit, perveni ad quid non sit.*

De Trin. 5. c. 2.

Tract. 23. in Evan. Joan.

II. In eadem fuit sententia Leo Magnus: *Etsi nemo de Deo potest explicare quod est, nemo audeat affirmare quod non est. Excusabilius est enim de natura ineffabili ne eloqui digna, quàm definire contraria.* Et Gregorius Magnus: *Deus ubique præsens, ubique invisibilis, ubique incomprehensibilis, per inhiantem mentem sine aspectu cernitur, sine voce auditur, &c. Hanc Dei substantiam cum animus cogitat, assuetus rebus corporalibus, diversarum imaginum phantasmata sustinet; quæ dum ab intentionis suæ oculis abigit, manu discretionis postponens ei omnia, jam hanc aliquatenus conspicit. Quam si necdum quid sit apprehendit, agnovit certè quid non sit.* Magni faciunt hi Patres nosse de Deo quid non sit, & per negationes ad eum progredi potiùs quàm per affirmationes. Tutiùs enim negantur de Deo quæ indubitatissimè ab eo procul sunt, quàm de eo affirmantur quæ an illum addeceant, non ita compertum est. Deinde hoc ipsum impensissimæ religionis est, & altissimæ Theologiæ, ut quamlibet splendida occurrant nomina & præconia, eo an digna sint diffidamus; imò digna haudquaquam esse sentiamus. Adde quod nec negationes istæ possunt nisi ex arcano quodam & penitissimo sensu divinæ amplitudinis proficisci. Quod genus sciendi etsi nescientiæ speciem præ se ferat, est tamen quodam modo scientia ipsa præstantius. Quæ dici enim, quæ cogitari, quæ sciri possunt omnia, non amoveret mens nostra à Deo, nisi sensu quodam intimo & gustu scientiam quantumcumque antecellente eum sentiret supra hæc in inaccesso quodam majestatis fastigio eminere.

Serm. 1. in Pentecoste.

Moral. l. 5. c. 25.

III. Et Bernardus: *Interim verò tanta hæc forma-*

Serm. 31. in Cant.

marum varietas, *atque numerositas specierum in rebus conditis*, *quid nisi quidam sunt radii deitatis*, *monstrantes quidem quia verè sit à quo sunt*, *non tamen quid sit prorsus diffinientes? Itaque de ipso vides*, *non ipsum*. Et mox: *Verùm hoc genus videndi commune est*; *in promptu enim est juxta Apostolum*, *omni utenti ratione*, *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt*, *intellecta conspicere*. Porro non ex corporeis tantùm, sed ex incorporeis etiam naturis ad Deum assurgitur; ut ex eis cognoscatur magis quod sit, & quid non sit Deus, quàm quid sit. Intellectualium autem naturarum qualitates & dotes sunt justitia, sapientia, prudentia, castitas & id genus alia, ex quibus multò æquius est ad Dei intelligentiam conscendere, quàm ex luce, nitore, concentu & reliqua pulcritudine corporum. Addit denique Bernardus aliam esse Dei visionem, qua se contemplatoribus piis & religiosis indulget, sed ne his quidem apparet Deus sicuti est. *Non tamen adhuc illum dixerim apparere sicuti est*, *quamvis non omnino aliud hoc modo exhibeat*, *quàm quod est*. Et Pseudo-Cyprianus in prologo de cardinalibus Christi operibus: *Nec patitur ad liquidum se videri divinitas*; *quam utique investigatio fidelis aliquo modo odorat vel sentit*; *sed puram ejus essentiam nec conspicit nec comprehendit*. *Affirmatio quippe de Dei essentia in promptu haberi non potest*; *neque enim diffinibilis est divinitas*; *sed veriùs sinceriusque remotio indicat negando quid non sit*, *quàm asserendo quid sit*.

IV. Turmatim in hanc eandem descenderunt sententiam & Græci. Luculentè ante alios Clemens Alexandrinus, solis negationibus affirmat nunc à nobis cognosci Deum posse, nimirum quid non sit, & quòd sit, nequaquam autem quid sit.

Strom. l. 5. p. 424. 225. *Accipiemus autem expiandi quidem & expurgandi modum*, *confessione*; *contemplandi autem resolutione*; *procedentes ad primam intelligentiam per resolutionem*, *ex eis quæ sunt ei subjecta ducentes initium*; *auferentes quidem à corpore qualitates naturales*, *circumcidentes autem eam quæ est in profundum*, *dimensionem*, *& deinde eam quæ est in latitudinem*; *post hæc eam quæ est in longitudinem*. *Quod enim restat signum est unitas*. *Si ergo ablatis omnibus quæ adsunt corporibus*, *& iis quæ dicuntur incorporea*, *ad Christi magnitudinem nos ipsos abjecerimus*, *& deinde in vastitatem ejus immensitatemque sanctitatis processerimus*, *ad intelligentiam Omnipotentis utcumque perveniemus*, *non quod est*, *sed quod non est cognoscentes*. Pulcro sanè exemplo Clemens edocet quomodo per negationes à naturis creatis ad qualemcumque naturæ increatæ intelligentiam enitamur. A corporibus etiam si paulatim cogitando removeas, primò quidem crassitudinem, deinde latitudinem, postremò longitudinem, solum supererit punctum unitati divinæ utcumque repræsentandæ idoneum. Non aliter si à natura incorporea semoveas qualitates omnes quæ naturæ creatæ & circumscriptæ propriè conveniunt, per has negationes multò propiùs accedes ad qualemcumq; Dei notitiam, qua non quid sit, sed quid non sit Deus, intelligas. Addit autem Clemens quo antedicta firmet probetque, seipso tantùm, seu Verbo suo videri & intelligi posse Deum. *Propterea Moyses quoque dicit*, *Ostende mihi teipsum evidentissimè*. *Tacite innuens Deum non posse doceri*, *nec verbis exprimi ab hominibus*, *sed sola ea*, *quæ ab ipso proficiscitur*, *posse potestate cognosci*. *Inquisitio enim est informis*, *& quæ non cadit sub aspectum*. *Gratia autem cognitionis est ab ipso per Filium*. Et

Pag. 428. 429 aliquantis interpositis: *Et si aliquando eum nominamus*, *non propriè vocantes*, *aut unum*, *aut bonum*, *aut mentem*, *aut ipsum id quod est*, *aut Patrem*, *aut Deum*, *aut Creatorem*, *aut Dominum*; *non id dicimus*, *tanquam nomen ejus proferentes*, *sed propter ejus potestatem pulcris utimur nominibus*, *ut in aliis non aberrans his inniti possit cogitatio*. *Non enim unumquodque ex his Deum significat*, *sed omnia simul omnipotentis indicant potentiam*. *Quæ enim dicuntur ex iis quæ ipsis adsunt*, *ut ex ea quæ est inter se habitudine ac relatione dicuntur*: *horum autem nihil potest de Deo accipi*. *Sed neque scientia accipitur demonstrativa*; *ea enim ex prioribus constat & ex notioribus*; *nihil est autem ante Ingenitum*. *Restat utique*, *ut divina gratia*, *& solo quod ab eo proficiscitur verbo id quod est ignotum intelligamus*. Quibus non existimo expressius quidquam aut validius dici potuisse.

V. Origenes his concinit, dum Celsi verba refert, & quo ea sensu nos adoptare possemus demonstrat: *Imo inquit nec aliud quidquam inest ei* Cont. Cels. L. 6. *earum rerum quas ei tribuitis*: *nec tamen explicat quid ei tribuamus*. *Si de membris loquitur*, *ea non corporaliter intelligimus*, *sed accipiendo secundùm communem consuetudinem largiùs*. *Quod si dixit in genere*, *quidquid ei tribuimus*, *ea permulta sunt*, *virtus*, *beatitudo*, *divinitas*. *Quod si sublimius intelligendum est quod dixit*, *Cum omnia quæ ei tribuerimus*, *minora sint ejus dignitate*; *fatemur nihil eorum ei adesse*, *quæ nos agnoscimus*. *Nam quæ insunt ei*, *superant omnem scientiam*, *non humanam solum*, *sed etiam excellentiorum naturarum*. Itaque Celso præ se ferenti, nihil de Deo dignè & propriè dici posse, propterea quòd *omnia quæ ei tribuimus*, *minora sunt ejus dignitate*, vehementer assentitur Origenes, tametsi dixerat jam familiaria nobis esse hæc Dei nomina, virtus, beatitudo, divinitas.

VI. Egregiè quoque Epiphanius hanc firmat sententiam adversùs Arianos, qui naturam divinam ad modum & mensuram naturæ creatæ revocabant. Rogabant illi, volens, an nolens Filium genuisset Pater. Respondet Epiphanius, nec volentem, nec nolentem, quòd hæ sint dotes naturæ creatæ: natura autem Dei sit supra omnem deliberationem, supra consilium, supra intelligentiam. *Itaque quod antea dixeram*, *etiam hoc loco repetam*, *Neque volentem genuisse*, *neque nolentem*, *sed in ea natura*, *quæ omni deliberatione est superior*. Hæresi 69. n. 18. 69. *Ejusmodi quippe natura Dei est*, *ut omne consilium*, *& omnem intelligentiam cogitationemque transcendat*. Quo Epiphanii responso mihi quidem videtur nihil veriùs, nihil aptius, nihil solidius dici potuisse. Eo enim plerumque laboramus in extricandis quæstionum complurium difficultatibus, quòd quæ de Deo dicuntur impropriè tantùm, & ænigmaticè, vel symbolicè, vel analogicè, vel per modum principii, vel per sensum negationis, ea contendimus defendere & effundere in omnia, tanquam quæ verè & propriè ejus essentiam, & quidditatem, ut loquuntur, continerent. Sive nolentem, sive volentem diceres Patrem genuisse Verbum, utrinque mala difficultatum mole instabant & obstrepebant Ariani. Uno verbo has omnes machinas elidit & prosternit Epiphanius: *Natura Dei est supra omne consilium & intelligentiam*. φύσεως γάρ ἐστιν ὁ θεὸς ὑπὲρ βουλήν. Velle quidem & nolle dicitur Deus, sed accommodatè ad nostræ intelligentiæ infirmitatem: est enim ejus natura supra velle, supra nolle, supra omnem naturæ volentis, nolentis & intelligentis altitudinem immenso quodam culmine evecta. Itaque rectè & dicitur & cogitatur velle, quando nihil aptius habemus quod de eo dicamus aut cogitemus; at quando jam quæpiam harum virium proprietas ostenditur naturæ divinæ pugnare, tunc sanè ad id deveniendum est, ut hæc omnia de Deo impropriè dici profiteamur, nec ea nimis molestè urgeri sinamus. Pergit ibidem Epiphanius Arianos objurgare: *Nihilne verò*, *subjiciemus*, *Deus ab vestra conditione*, *natura & essentia discrepat? Non negamus*, *inquiunt*. *Si igitur inter naturam nostram & Dei interest*, *primum natura vestra non potest in Deo comprehendere*, *quæ omni comprehensione majora sunt*.

Dein-

Deinde impium est ex vobis atque ex natura vestra de Deo conjecturam capere.

VII. Insectatur idem alibi Anomæos hæreticos, quorum hæc erat impia & insana jactantia, Deum sibi non minùs, imo multò amplius perspectum esse, quàm rem ullam corpoream, imo quàm seipsos sibi. *Deum se non fidei modo intelligentia, sed perinde animo concipere, ac quilibet aspectabilia ista & tractabilia cognoscit. Ita quidem audax ille Ætius loquitur. Tam Deum intelligo, quàm meipsum: imo non tam meipsum novi, quàm Deum, &c. Hæc omnia corporea sunt, nec à nobis percipi possunt, Deum vero qui hæc ipsa condidit, manifestè cujusmodi sit, quove modo, ac qualis, quisve sit intelligimus.* Insulsa hæc deliramenta hoc argumento refellit Epiphanius, quod summa beatitudo hujus vitæ tenebricosæ & mortalis sit, fide scire Deum; & sacræ litteræ clament, comprehendi ac sciri non posse de Deo, nisi quod sit & amatorum suorum remunerator sit. *Atque utinam fide saltem illum ipsum scire se, non velut contrectare manibus, incredibili audacia prædicarent, &c. Præsertim cum ubique sacræ litteræ de Deo testentur, neque oculis ipsum percipi, neque comprehendi, neque animo cogitari posse, ἀόρατον, ἀκατάληπτον, ἀπερινόητον: sed id unum de illo ex rei veritate percipi, quod sit, quodque diligentes se remuneretur.* Hæresi. 76. n. 4.

Sentio quid in mentem venire possit, & molestiam creare Lectori. Nimirum non abludere hæc Ætii verba ab illis quæ superiùs ex Augustino disputata sunt, Deum nobis præsentiorem, certiorem, notiorem esse, quàm fratres, quàm res istas corporeas. Sed quantacumque sit verborum affinitas, longè alia est sententia Augustini, imo aliam tractabat quæstionem Augustinus. Non enim quid esset Deus, sed quod Deus esset, id Augustinus tractabat: id certum, id notissimum, id multis rebus quas notissimas certissimasque habere nos existimamus, certius notiusque esse contestabatur. At verò Ætius non quod esset Deus, sed quid esset, id sibi ille notius & evidentius esse ineptissimè jactabat, quàm vel seipsum, vel rem ullam aliam corpoream. Contra imminet Epiphanius Augustino consentaneus de Deo sciri non posse, nisi quod est. Nec te moveat quod Augustinus tunc Deum nobis & præsentiorem, & certiorem, & notiorem esse dixit quàm proximum, cum illum dixit ex Joanne Apostolo, esse dilectionem, esse charitatem quo proximum diligimus: dilectione autem quid sit, non tantùm quod sit Deus demonstratur. Cùm enim Deum dilectio seu charitas dicitur, non dicitur omnino quid sit, sed potius quod sit charitatis inspirator & largitor. Qua de re prolixiùs infra.

VIII. Eadem ipsa habet Epiphanius in Anchorato. Nempe genitum esse à Patre Deo Filium nec volente, nec nolente, sed modo illo incomprehensibili, qui naturæ supra omnem voluntatem & intelligentiam exaltatæ consentaneus sit. *At neque minimè volens Verbum Deumque quod ab æterno est, & à seipso genitum, produxit, neque volens; sed excellentiori quadam, & inexplicabili naturæ conditione & præstantia,* Ἐν τῇ ὑπερβολικῇ καὶ ἀφράστῳ αὐτοῦ φύσει. Quod verò sacræ litteræ nunc visum narrent Deum à viris pietate & sapientia præcipuis, nunc negent à quoquam unquam visum: hanc discrepantiam ita elevat Epiphanius, quod cum ænigmaticè & ex parte tantùm visus sit ab illis Deus, verissimè dici possit, & visum illum esse, & non esse visum. Perinde ut si quis mare ex alto & longè dissito monte, vel hominem per rimam angustam obiter viderit, tam verè dici potest vidisse, quàm non vidisse. *Similiter & Prophetæ per angustum veluti corporis sui foramen Deum videre meruerunt, & re ipsa viderunt, non quantum infinita ejus contemplatio postulat. Atque hoc pacto consentientes inter sese, concordesque Scripturæ veritatem ubique præstant; sive Prophetas Deum vidisse testentur; nam re ipsa viderunt; sive quod Salvator asserit, Deum nemo vidit unquam. Non enim quatenus est in sese, viderunt.* Ita Epiphanius. Cap. 51.

IX. Huc pertinet illud sancti Ephræmi Diaconi verbum ad Paulinum Presbyterum, dum illum inter discipulos numeraret, videretque jam tum plus æquo indulgentem ingenii sui acumini & licentiosæ solertiæ, novandique libidini. *Vide Pauline ne te submittas cogitationibus tuis, sed cum te ad purum comprehendisse putaveris Dominum, crede nec intellexisse.* Gennadius L. de Script. Eccles. in Paulino.

X. Disertiùs hoc ipsum Gregorius Nyssenus in libro de vita Mosis. Cùm enim quæritur, eccur Moyses primò in luce Deum viderit, postea autem cum incrementa fecisset, tunc demum viderit illum in montis caligine? Respondet Gregorius, inter initia, & quasi tyrocinia Theologiæ opus esse lucis quasi blandimento aliquo, quo inescata mens proficiat, & incalescat ad vestigandum penitiùs Deum; at suo pòst ipsamet profectu intelligere incipit intelligi non posse Deum, & multò excellentiùs in caligine, quàm in luce videri eum, qui prorsus invisibilis natura est. *In hoc enim consistit vera Dei cognitio, in hoc est ejus visio, ut videas quod videri non possit, quod omnem cognitionem cognitio ejus excedit, quasi caligine quadam ipsa incomprehensibilitate undique contenta. Quamobrem divinissimus Joannes, qui etiam ipse in splendidissimam hanc caliginem pervenerat, non dubitavit exclamare, Deum nunquam ullus vidit: non solum hominibus, sed intellectuali omni naturæ impossibilem divinæ substantiæ cognitionem hac negatione determinans. Quare Moyses etiam cum cognitione major factus fuit, tunc confitetur in caligine Deum vidisse, id est, tunc demum cognovisse, illam esse divinam naturam, quæ cognitionem omnem excedat. Intravit enim Moyses in caliginem ubi erat Deus.* Addit Nyssenus ea re confirmatum fuisse divinum mandatum, quo Dei simulacra prohibentur. Simulacri enim quoddam genus est, si deitatem similem putes rei cujuscumque, quæ in cognitionem veniat. *Vetat enim in primis divinum præceptum, ne alicujus rei quam cognoscas, Deum similem putes. Omnis enim intellectus, qui phantastica quadam cogitatione, quasi conjectura, naturam divinam apprehendit, simulacrum quidem Dei finxit in mente, Deum autem non vidit.*

XI. Aliquantò etiam apertiùs suam alibi idem Nyssenus aperit sententiam; ubi virtutes nostras Hom. 1. in Cantica.
suaviter quidem fragrare docet, sed nihil hæc esse præ divinis aromatibus, per se sapientia, per se justitia. Et mox tamen ne hæc ipsa quidem nomina satis convenire docet divinæ amplitudini, quæ per creaturas utcumque potest & nosci, & dici; ut in se autem est, neutiquam potest. *Aromata intelligimus virtutes, videlicet temperantiam, sapientiam, fortitudinem, &c. Sed tamen hæc omnia nihil sunt, si conferantur cum illa perfecta & omni ex parte absoluta virtute, quæ est ipsa per se sapientia, & ipsa per se justitia, & ipsa veritas, & cætera hujusmodi.* Et mox: *Rursus in iis quæ sequuntur, sublimiorem tangit Philosophiam anima sponsa, ostendens humanis ratiocinationibus non dari aditum ad divinam virtutem, nec illam ab iis comprehendi; cum dicit, Unguentum effusum nomen tuum. Nam per hæc verba mihi videtur, hoc significare, quod immensa natura nominatim perfectè comprehendi non possit; sed omnis vis cogitationum, & omnis significatio verborum & nominum, etiamsi videatur habere magnum quidpiam & quod Deum deceat, non eam habet naturam, ut tangat id quod verè est Verbum: sed velut quibusdam vestigiis & illustrationibus nostra ratio Verbum conjicit per ea quæ comprehenduntur, ex quadam convenientia & proportione conjectans id quod non potest comprehendi. Quodcumque enim, inquit, nomen excogitaverimus, quo cognoscamus unguentum,*

tum

tum tuæ divinitatis, per eorum quæ dicuntur significationem, non ipsum dicimus unguentum, sed parvas aliquas reliquias vaporis boni divini odoris Theologicis nominibus indicamus. Ut in vasis quorum effusum fuerit unguentum, ipsum quidem vasorum effusum unguentum sua natura ignoratur quale sit; ex quadam autem exili & obscura ex vaporibus in vase relicta qualitate, de effuso unguento aliquam facimus conjecturam. Hoc est ergo quod discimus per ea quæ dicta sunt, quod ipsum quidem unguentum divinitatis, quodcumque sit essentia, exuperat omne nomen, & intelligentiam. Quæ autem in universo cernuntur miracula, Theologicorum nominum dant materiam, per quæ Deum nominamus sapientem, potentem, bonum, sanctum, beatum, æternum, servatorem, & quæ sunt hujusmodi. Quæ quidem indicant modicam quandam divini unguenti qualitatem, quam universa creatura per ea quæ cernuntur miracula, instar unguentarii cujusdam vasis, in se impressit. Operæ sanè pretium est hic advertere, 1. universim affirmari à Nysseno, nosci scirique non posse, ipsa quid sit divina natura. 2. Etiamsi potentem, sapientem, bonum, sanctum, æternum noscamus & dicamus, non ipsum noscimus aut dicimus Deum, sed umbras ejus aliquas, atque imagines. 3. Etiamsi ipsa per se sapientia. per se justitia dicatur à nobis Deus, non ipse quid sit aut dicitur, aut intelligitur. Est enim super hæc omnia. 4. Nomina omnia Theologica, seu divina à rebus creatis primùm derivata haustaque sunt, atque ita ad Deum translata. Unde quantamvis dignitatem & amplitudinem præ se ferre primùm videantur, obscurare tamen magis possunt quàm illustrare atque manifestare ipsam substantiam divinitatis. 5. Denique nomina omnia Theologica instar sunt vasis unguentarii, sed vacui; propter illud, *Unguentum effusum nomen tuum.* Itaque ex his nominibus odor aliquis Deitatis percipi potest, quo imbuta sunt: at quid sit ipsa natura Dei, quid sit unguentum ipsum divinitatis, ex illo odore omnino sciri non potest.

XII. Gemina his habet Theodoretus, sed suo more succinctè: *Cùm natura beneficus sit & immutabilis Deus, cur eum invenire non potui? Quantumvis enim bonum & veritatem propterea vocaverim ipsum, non audivit me. Quoniam excellit profectò super hæc. Nam ejus nomen est super omne nomen. Atque ipsa quidem Dilectum meum invenire nondum potui. At sancti Angeli invenerunt me, custodientes & circumeuntes in civitate, &c. Caterùm quia ne à sanctis quidem Angelis comprehendi potest sponsus natura, atque ideo quærenti mihi minimè responderunt, silentio mihi declarantes, eum ne à se quidem ut increatum à creatis comprehendi posse; propterea ab illis discessi, quem desiderabam inquirens. Commodùm ab ipsis recesseram, cum reperi quem diligit anima mea; tenui eum. Paululum concesseram à rebus creatis, mente pertransiens ipsam quoque naturam angelicam, ut increatum Dilectum meum de me optimè meritum invenirem; cum illum sola fide comprehendi. Cum res omnes percurrissem, & ab ipsa essem experientia confirmata, eum qui rerum est omnium causa, rebus omnibus antecellere, neque in ulla natura vel sensibili vel intelligibili per essentiam perspici posse, cùm superessentialis sit.* Quibus nihil expressius dici potuit. At rursus idem Theodoretus, in hæc ejusdem Cantici verba sponsi ad sponsam: *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt*: hæc habet in eandem sententiam: *Quod dicit, ejusmodi est: Cave ne immoderatiùs in me oculos tuos conjicias, ne tibi ex ea re contingat aliquid detrimenti. Inaccessus enim sum, & comprehendi nequeo; omnemque non hominum tantum, sed Angelorum captum supero. Quòd si terminos volueris transilire, & ad ea curiosius contendere, quæ vires tuas excedunt, non modò nihil assequeris, sed aciem etiam oculorum hebetiorem reddes atque obtusiorem. Ea namque lucis natura est, ut quemaadmodum oculum illustrat, sic etiam lædat, si fuerit insatiabilis.*

In Cantica. c. 3.

Ibid. c. 6.

XIII. Unus nobis superest Dionysius, qui omnium studiosissimè & prolixissimè hanc illustravit doctrinam de doctissima Dei per nescientiam & negationes intelligentia. Sic ergo ille primùm, ut intelligibilia per sensibilia, & incorporea per corporum umbras sciri & intelligi non possunt; ita nec Deum, unum, bonum, per ea quæ sunt illo inferiora. *Sicut ea quæ sub intelligentiam cadunt, per ea quæ sub sensus cadunt, comprehendere & contemplari non possumus; ita supra substantias est illa suprasubstantialis infinitas; & supra mentes illa supra mentem unitas; & omnibus ratiocinationibus inscrutabile est illud supra ratiocinationem unum; omnique verbo ineffabile est illud supra verbum bonum: Unitas effectrix universæ unitatis, & substantia supra substantiam, & mens non cadens sub intelligentiam, ratio non effabilis ratione, inintelligibilis, innominabilis. ἀλογία, καὶ ἀνοησία, καὶ ἀνωνυμία; quæ quidem causa est, ut omnia sint, ipsa verò non est, ut quæ quiescit extra omnia quæ sunt, quemadmodum etiam ipsa de se propriè sciteque hec effari potest.* De divin. Nom. c. 1. n. 1.

Et idem alibi: *Supra omnem rationem, & mentem, & sapientiam collocatur Deus.* Et mox: *Quod omnis humana cognitio error quidam sit, si cum divinarum absolutissimarumque cognitionum firmitate stabilitateque comparetur, &c.* Et denique: *Solenne est Theologis, ut in Deo ea quæ privationis sunt, contrario sensu dicant. Sic lucem splendidissimam Scripturæ vocant inaspectabilem; & qui multa laudum insignia nominaque habet, ineffabilem & innominabilem; & eum qui præsens est ubique, incomprehensibilem. Hoc etiam modo divinus Apostolus stultitiam Dei laudare dicitur, dum id quod in ea rationi contrarium & absurdum videtur, ad ineffabilem omnique ratione potiorem veritatem refert.* Duo hic affirmat Dionysius, primò quod quæ affirmationes & positiones sunt, eas Scriptura mox ad negationes referat. Itaque ex Scripturis Deus lux est, sed inaspectabilis; ubique est, sed incomprehensibilis; omnia est, sed ineffabilis, sed innominabilis. Secundò quod ex adverso, quæ privationis sunt, ea Deo si adscribantur, exuperantiam quandam significant inexcogitabilem. Ita stultitia Dei apud Paulum summa quædam est & incomprehensa vis sapientiæ. Infirmum Dei apex est quidam summæ potestatis. Ex quo illud efficitur tandem, ut nihil propriè de Deo dici possit aut cogitari: cùm negationes rapiantur ad ineffabilem quendam cumulum perfectionis, & positiones ad negationes tandem revolvantur. Sic & supra positiones & supra negationes est Deus. Cap. 7. n. 1.

XIV. Hæc inferiùs multis confirmat Dionysius, Deum ut est natura, nec dici, nec cognosci à nobis posse: ex effectis cognosci, vel per negationes, vel per excessum & præcellentiam, vel per modum principii & causæ. *Præterea quærendum est quomodo nos Deum cognoscamus, qui neque sensu percipitur, nec intelligentia, & nihil omnino est ex iis quæ sunt. An non potiùs verè dicatur, quod Deum non cognoscimus ex natura ejus; id enim quod natura ejus est, incognitum est, & omnem rationem ac mentem superat: sed ex ordine omnium rerum, tanquam ab ipso proposito, & imagines quasdam ac similitudines exemplarium ejus divinorum in se habente, ad cognoscendum summum illud bonum, & omnium bonorum finem, via & ordine pro viribus ascendimus in ablatione, & superlatione omnium, & in omnium causa. ἐν τῇ πάντων ἀφαιρέσει, καὶ ὑπεροχῇ, καὶ ἐν τῇ πάντων αἰτίᾳ.* Omnium ablatione Deus celebratur, quia nihil omnium est; omnium superlatione seu excessu, quia omnia est, sed ita eminenter & inenarrabiliter, Ibid. n. 3.

ut

ut nihil omnium eorum propriè sit, quæ dicimus, vel intelligimus; omnium denique causa, quia cùm naturæ omnes ab eo exoriantur, lineamenta certè aut vestigia ejus aliqua necessariò retinent. Ita Deus scitur & nescitur, dicitur & non dicitur; impropriè & adumbratè atque symbolicè dicitur, & scitur; propriè & ut est natura, nec scitur, nec dicitur. *Quocirca Deus in omnibus cognoscitur, & separatim ab omnibus; & per cognitionem Deus cognoscitur, & per ignorationem; & est de Deo cognitio, & ratio, & scientia, & tactus, & sensus, & opinio, & cogitatio, & nomen, & alia omnia; & neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur; nec est aliquid eorum quæ sunt, nec in aliquo eorum quæ sunt cognoscitur; & in omnibus omnia est, & nihil in ullo; & ex omnibus ab omnibus cognoscitur, & à nullo ex ulla re.* Sed omnium præstantissima illa Dei cognitio est, quæ est per nescientiam & unionem; nimirum cùm rerum omnium ablatione facta & negatione, tunc mens seipsam quoque deserens, in Deum immergitur, ejusque radio intimo illustratur in inscrutabilem sapientiæ abyssum absorpta. *Est autem divinissima Dei notitia, quæ per nescientiam accipitur, secundum illam quæ supra intellectum est unionem; quando mens à rebus omnibus recedens, ac demum semetipsam deserens, desuper fulgentibus radiis unitur, quibus in illo inscrutabili sapientiæ profundo illustratur.*

XV. Idem alibi Dionysius ait, *simplicia & absoluta & immutabilia Theologiæ mysteria in* Myst. Theol. c. 1. n. 1. *splendidissima caligine aperiri silentii mystici & arcani, quæ in tenebricosissima obscuritate lucet.* Omnia mox affirmari posse docet, ut de omnium causa; & longè meliùs omnia negari, ut de eo qui super omnia & extra omnia est, estque supra omnes & positiones & negationes. *Cùm oporteret in ea ut omnium causa omnes entium affirmationes statuere, ac de ea affirmare: quin illas ipsas omnes de ea magis propriè negare, tanquam supra omnia superexistente; nec existimare negationes affirmationibus esse contrarias, sed ipsam multo priorem & superiorem privationibus esse supra omnem & ablationem & positionem.* Ita fit tandem ut mens contemplationis cupida, non solùm supra sensus, sed & supra intelligibilia omnia grassetur ad unionem cum eo qui est supra intelligentiam & supra essentiam. *Tu verò in mysticis contemplationibus, & sensus relinque & intellectuales operationes, & sensibilia & intelligibilia omnia, & ea quæ sunt, & quæ non sunt universa, ut ad unionem ejus qui supra essentiam & supra scientiam est, quantum fas est, indemonstrabiliter assurgas.* Istud verò est Deum perfectissimè cognoscere per negationes omnium, & per cognitionis visionisque privationem intelligere, vel sentire, quid, quale, quantum sit illud, Ibid. c. 2. n. 1 quod nec dici à quoquam potest, nec videri, nec cognosci. *Nos in hac supraquam lucente caligine versari exoptamus, & per visionis cognitionisque negationem videre & cognoscere id quod supra visionem cognitionemque existit, hoc ipso quod non videmus neque cognoscimus. Hoc enim est vere videre & cognoscere, & superessentialem superessentialiter laudare per omnium rerum ablationem; non secus ac sui statuam dedolant, auferentes omnia quæ circumposita, claram formæ latentis visionem impediebant.*

XVI. Denique hæc omnia confirmat idem Dionysius in Epistola ad Cajum, ubi docet nequaquam videri, aut intelligi tunc verè Deum, cùm videtur aliquid, vel intelligitur: cùm ipse sit supra omnem videndi & intelligendi facultatem & vim. At verò tunc quantum fas est intelligi & videri, quando omnium facta ablatione, per hanc ipsam omnium negationem sentitur infinito quodam intervallo ipsum eminere super omnia & visibilia & intelligibilia. Epist. 1. *Et si quis viso Deo cognovit id quod vidit, nequaquam ipsum vidit, sed aliquid è rebus ejus quæ existunt, & cognoscuntur. Ipse autem supra mentem & substantiam constanter manens, per hanc ipsam cognitionis & essentiæ negationem & supra substantiam existit, & supra mentem cognoscitur. Et illa perfectissima in bonam partem ignoratio, notitia est ejus, qui est supra omnia, quæ in cognitionem cadunt.*

XVII. Unum non ampliùs fidissimum Dionysii interpretem & sectatorem addam Maximum Martyrem in libro de Ecclesiastica Mystagogia. In Præfat. Sic ergo ille superiùs dicta omnia uno confirmat & illustrat loco: *Ideo non esse tanquam magis propriè de se dictum admittit Deus, propterea quod* Bibl. Patr. To. 12. pag. 431. *quidquid est, immenso intervallo superat. Oportet enim, siquidem Dei & creaturarum nosse differentiam necesse est, statui id quod omnia quæ sunt superat, esse eorum quæ sunt ablationem; & statui ea quæ sunt, esse ablationem ejus, quod omnia quæ sunt superat. Et utramque prædicationem de ipso piè considerare, & nullam propriè Deo convenire, nimirum, quod sit, vel non sit, utrumque propriè. Propterea quod illa quidem ratio de Deo affirmet aliquid, ut de omnium causa; altera autem omnia ab eo auferat, eo quod causa sit longè præcellentissima. Et rursus neutra de Deo loquendi ratio propria est, quod neutra constituat quæ sit essentia & natura ejus de quo quæritur. Habet enim simplicem & ignotam, & ad quam nullus adire potest substantiam, & quæ omnino explicari non potest, & quæ omnem affirmationem & negationem superat.*

CAPUT VIII.

Rursus sciri & intelligi posse quòd sit Deus, non verò quid sit, ex Basilio, Gregorio Nysseno, Chrysostomo.

I. Contextæ sibi implicatæque propositiones plurimæ, de Dei simplicitate, de ejus cognitione & ignorantia unà pertractantur.

II. Ex Basilio Eunobium oppugnante, qui Dei naturam in eo totam ponebat, quod sit ingenitus: ideo, que eam à se videri tam perspicuè dicebat, quàm rem aliam quamlibet; quippe omnia Dei attributa commiscebat conflabatque cum ingenito. Basilius attributa secernit. Quod Augustinus supra laudatus Basilio, non Eunobio consentiat.

III. Pergit Basilius attributa secernere, maximè negativa ab affirmativis.

IV. Ex Scripturis urget Basilius proprium esse Spiritus sancti & Verbi Dei, scrutari profunda Dei.

V. Verbum est supra ipsum esse.

VI. Denique ex Basilio omnia Dei nomina, ad efficientias, & ad beneficentias tantum ejus pertinent.

VII. Eadem Nazianzeni quæ Basilii doctrina est.

VIII. Nyssenus exemplo Abrahami contemplatorum principis, & fide tamen sua maximè commendati, probat totam contemplationis vim eo demum pertingere, ut fide Deum complectamur, certi quod sit, nescii quid sit.

IX. Duplex genus fidei, altera initialis est, altera fructus est altissimæ contemplationis divinorum: utrobique constat quod Deus sit, non quid sit.

X. Nostram de Deo nescientiam consolatur Nyssenus ex Scripturis, quæ ne creatæ quidem naturæ ullius essentiam nobis aperuerunt, etsi eas esse, & à Deo creatas esse docuerint.

XI. Quid sit Deus sciri à nobis non posse, ex Scripturis probat Chrysostomus, & tribus maximè exemplis à Paulo prolatis, parvuli, speculi, ænigmatis.

XII. Cum

XII. Cùm incomprehensibilia sint ex Scripturis Dei opera, judicia, attributa foris spectantia, multo incomprehensibilior ejus essentia, ex Chrysostomo.

XIII. Ne Angeli quidem Deum comprehendunt. Ne Angelorum quidem nomina & officia intelligimus nedum Deum capiamus.

XIV. Propheticæ quoque visiones in corporeis plerumque hærebant symbolis.

XV. Novis argumentis rem urget Chrysostomus. Maximè quod propria Filii laus sit Deum Patrem pernosse.

XVI. Urget etiam, quod Deo nomen proprium nunquam tributum sit ullum, vel in Scripturis, vel à Gentilibus.

XVII. Respondet Eunomianis, sciscitantibus, an ergo Deum coleremus, quem nesciremus? Respondet inquam ab iis maximè sciri Deum, qui illum nesciri optimè sciunt.

I. INtexta implicataque sunt inter se hæc omnia mysticæ Patrum Theologiæ capita; quòd nil propriè de Deo intelligi aut dici possit; quòd sciri possit quòd sit, non quid sit; quòd sciri possit quid non sit, non verò quid sit; quòd affirmari de eo multa possint, imò omnia per modum causæ, quòd omnium causa sit; quòd æquius sit eadem omnia de eo negare, quòd causa sit longè præcellentissima, cujus vix tenuissimam umbram assequuntur omnes ab ea promanantes naturæ; quòd omnes negationes positionem aliquam implicent, non negantur enim de Deo quælibet perfectiones, nisi ex sensu & conscientia perfectionis cujusdam longè eminentissimæ, cujus hæ sint extrema quædam & fugientia vestigia; & vicissim positiones omnes de Deo ad negationes tandem resolvi debeant, propterea quod nil propriè sciri aut affirmari de divina essentia potest; quòd denique natura divina majore intervallo superet naturas intellectuales, quàm istæ corporeas. Quocirca si corpora omnia corporeasque imagines amoliri necesse est, ut natura spiritalis mentium intelligatur; peræquè omnes mentium dotes removendæ sunt, ut summa Dei natura intelligatur. Hæc inquam omnia ita conserta sibi mutuò intextaque sunt, ut nec sancti Patres potuerint in iis elucidandis non ea aliquando permiscere; & nos in suffragiis sanctorum Patrum consarcinandis commentandisque ea promiscuè persæpè inculcaverimus.

II. Basilius ante alios hìc prodibit, cui cum Eunomio manus conserendæ fuere, novorum portentorum authore. Hic enim perinde à se Deum sciri, intelligi, comprehendi jactabat, ac rem quamlibet aliam. Naturam enim Dei eam esse totam, ut sit ingenitus. Hanc ejus esse substantiam, hanc totam opulentiam. Etsi enim varia nomina Deo tribuantur, aliæque & aliæ ei proprietates adscribantur, vocum sola diversitas est, quarum una res, una significatio est, unum cum ingenito, idemque omnes sonant. Itaque qui ingenitum mente & cogitatione complexus fuerit, is totum Deum, is substantiam ejus ipsam omnesque proprietates & dotes intellexerit ac circumscripserit. Hæc fuere portentosa Eunomii placita, quæ convellere adgressus Basilius, & voces quæ de Deo dicuntur, & proprietates quæ illi verè tribuuntur, alias ab aliis diversas esse, nec unum significare demonstravit, & substantiam Dei à ratione ingeniti differre; nec omnes alias proprietates divinas cum ingenito vel cum substantis confundi conflarique posse: ideoque à vero alienissimum id esse, quòd ex his omnibus eliciebatur, naturam divinam propriè intelligi, & verè comprehendi ab homine mortales adhuc corporis hujus exuvias gestante.

L. 1. contr. Eunom. *Quonam igitur pacto deridendus non erit, si creandi virtutem substantiam esse dicat, si providentiam rursus substantiam, eodem modo præscientiam, & omnem itidem operationem substantiam putat? Quæ omnia si ad unum tendunt significatum, necesse est ut inter se idem valeant, sicut fit in eis qui multis nominibus appellantur, sicut Petrum, Simonem & Cepham eundem dicimus. Quare si quis audit inalterabilem esse Deum, ad ingenitum cogitationem subducet; & qui audit indivisibilem, ad creandi virtutem referetur; qua confusione quid unquam absurdius fiet, quàm si cum propriam cujusque nominis potestatem abstuleris, contra communem consuetudinem & Spiritus doctrinam leges ponas?* Hæc verba Basilij nequaquam repugnant Augustini doctrinæ superiùs explanatæ, ubi plura Dei nomina in unum compingenbantur. Augustinus enim finitima tantùm nomina & attributa in unam conglutinabat significationem, utputa æternus, immortalis, incorruptibilis, incommutabilis. Item ista, sapiens, verus, pulcher, justus. Quæ perspicuum est non invita adduci posse ad unam eandemque significationem. At Eunomius omnia prorsus cum ingenito permiscebat, & illa etiam quæ maximè distant. 2. Augustinus assentiebatur in usitato intelligendi & loquendi more differre ea nomina & attributa; tametsi ubi mens simplicius aliquid de Deo sentire connitebatur, nonnulla eorum concinere inter se, & in eandem ideam confluere deprehenderet. At Eunomius non in raris illis duntaxat & exertissimis conatibus, sed in quotidiana cogitandi loquendique consuetudine unum quid simplicissimum & idem cum ingenito in his omnibus vocibus & attributis deprehendi & comprehendi delirabat. 3. Eò nitebatur Eunomius, ut in quotidiana sua cogitandi de Deo consuetudine, Deum comprehendere crederetur, perspecto tantùm eo quod ingenitus est: quandoquidem ingenitum idem est cum substantia & omnibus attributis Dei, idem inquam non re tantùm, sed cogitatione. At contrà Augustinus unum id consequi sperabat, radium aliquem divinæ simplicitatis raptim interlucentem videre, solemniter & frequenter professus, de Deo quid sit nec dici à nobis omnino posse, nec sciri. Valent ergo argumenta Basilij ad Eunomij, non ad Augustini doctrinæ confutationem.

III. Pergit autem ibidem mox Basilius divinas proprietates alias ab aliis & ab substantia ipsa Dei cogitando secernere, earumque alias negantes, alias affirmantes declarare; atque inter negantes locare ingenitum. Ingeniti enim significatio ea est, *A nulla causa, à nullaque origine dependere Dei esse*. At non possunt proprietates quæ positione & affirmatione constant, idem esse & idem significare cum illis quæ in negatione & ablatione positæ sunt. Multò majoris dementiæ est, substantiam Dei dicere idem esse cum ingenito, cùm ingenitum negatio sit. Sed his ita constitutis, insurgit Basilius adversùs stolidam Eunomij jactantiam de comprehensa à se divina substantia; & duplici hoc argumento adversùs illum pugnat, quod communis hominum de Deo doctrina id unum illustrare potuerit, quod sit, non quid sit; & sacræ litteræ utriusque Testamenti passim contestentur imperscrutabilia inaccessaque nobis esse divina omnia seu voluntatis arcana, seu substantiæ & proprietatum ejus fastigia. *Quod verò putat ipsius Dei omnium veram se adinvenisse substantiam, intolerabilis est superbiæ ac tumoris. Ferè enim & ipsum qui dixit, Super astra cæli ponam sedem meam, jactantia superat. Nos verò exquiremus qua ratione substantiam Dei se comprehendisse prædicet? An ex communi conceptione? Sed hæc Deum esse, non quid sit, nobis suggerit. An ex doctrina Spiritus? Nonne magnus ille David, cui incerta occultaque sapientiæ suæ Deus manifestavit, incomprehensibilem esse Dei cognitionem apertè confitetur? Dicens, Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam, &c. Et Isaias, &c. Et Paulus, O altitudo,*

tudo, &c. Subdit Basilius ne terræ quidem quid propriè substantia, quid natura sit, ab Eunomio Eunomijque sequacibus sciri, nedum Dei.

IV. Illud quoque urget vehementiùs idem Basilius, quòd Scripturæ Spiritui Dei & Verbo Dei id singulariter vendicent, ut scrutentur profunda Dei, ut noscant Patrem. Si comprehendat autem Deum Eunomius, ecquod ergo erit Verbi & sancti Spiritus præcipuum decus, ecqua prærogativa? *Quid ergo præcipuum cognitioni Unigeniti, aut sancti Spiritus relinquent, si ipsi divinam substantiam penitus comprehendunt? Nec enim potentiæ, bonitatis, sapientiæ Dei speculationem Unigenito attribuentes, proportionatam sibi accommodabunt substantiæ intelligentiam: cùm ejus oppositum potiùs verisimile sit, ipsam quidem substantiam omnibus præterquam Unigenito, & Spiritui sancto invisibilem esse: ab operationibus autem Dei nos sublevatos, & per ea quæ facta sunt, factorem intelligentes, de bonitate ipsius ac sapientia admoneri; hoc est enim cognoscibile Dei, quod cunctis hominibus Deus manifestavit.* Non poterat magis appositè loqui ad doctrinam firmandam quam hic tractamus. Sed attentos nos esse maxime convenit huic clausulæ Basilii ibidem consequenter, qua summa ejus sententiæ continetur: *Nam quæcumque apud Theologos de substantia Dei conscripta videntur, tropologia quadam vel allegoria ad alias sententias tendunt.* Quod perinde est ac si diceretur, nihil de Deo dici posse, quod ei propriè omnino conveniat, sed omnia de eo dici ænigmaticè, symbolicè, tropologicè, allegoricè, & aliis quibusdam modis, de quibus jam suprà diximus.

V. Excandescit alibi Basilius adversùs eundem Eunomium, propterea quod Filium diceret genitum esse ex non ente, μὴ ὄντων. Urget ex adverso Filium verè esse, qui omnibus ut sint utque vivant, impertit; quique nomen suum olim Moysi edicens, se esse dixit eum qui est. *Non cessabis non existentem,* μὴ ὄντα, *appellare, impie, eum qui verè est, qui fons vitæ est, eum qui omnibus quæ sunt, ipsum esse præbuit? Qui cùm ad servum suum Moysen oracula ederet, convenientem sibi & suæ decoram æternitati appellationem invenit, eum qui est, seipsum nominans.* Subjicit porro in Scripturis pios, tanquam Deo copulatos qui verè est, esse & ipsos; at impios dici non esse. Unde Paulus, *Vocat ea quæ non sunt*; id est Ethnicos. *Nam quoniam Deus est qui est, & veritas, & vita, qui Deo conjuncti per fidem non sunt, non existentes nominati sunt.* Porro hæc dicta Basilii nihil obstrepunt vel Dionysio, vel tot aliis Patribus qui suprà dixerunt Deum esse supra esse ipsum, nec essentiam ejus esse ullam, sed potentiam omnium essentiarum effectricem. Etenim Eunomio uni obturat os Basilius, qui Verbum peræquè ac naturas creatas, ex non entibus, sive ex nihilo genitum esse volebat. Non potest aptiùs validiùsque illa impietas elidi, quàm si probetur Verbum esse ipsum esse. Nam ipsum esse non erupit ex nihilo, non fuit aliquando nihilum. Iam verò longè alia quæstio est, an esse, essentia propriè de Deo dicatur, an Deus supra ipsum esse sit. Nec abhorret ab hac Dionysiana loquendi formula Basilius, qui assensus est sciri posse quòd sit Deus, non quid sit, & nulla nostra intelligentia, nullo sermone capi posse ejus substantiam, soli Verbo, soli Spiritui sancto notam, nobis per naturas tantùm creatas conspicabilem.

VI. Denique idem Basilius alibi negat ipso Dei nomine naturam substantiamque divinam significari; sicut nec his vocibus, bonus, justus, & hoc genus aliis. Hæc omnia providentiam, beneficentiam & operationem aliquam Dei demonstrant, ex creaturis compertam; non substantiam, quæ omnino incomperta & ininvestigabilis est. De Dei nomine perspicua sunt illa Dei ad Moysen verba, *Dedi te in Deum Pharaonis*: quibus liquet hac voce potestatis alicujus significationem objici. *Natura* (Ep.st. 80.) *verò divina, ut in seipsa est, nullis nominibus quæcúmque excogitari possunt exprimitur, sed ut nos arbitramur, ignota & abscondita manet. Quod enim beneficus dicitur Deus, & judex, & bonus, & justus, & quæcumque alia hujusmodi de illo didicimus: his omnibus operationum illius differentiam edocti sumus.*

VII. Nazianzenus paulò aliter rem tractat, sed eodem tandem revolvitur: *Ego verò ita potius dicendum censeo, Dei naturam nullis quidem verbis* (Orat. 34.) *explicari posse, animo atque intellectu comprehendi multo minus posse. Nam quod quis animo complexus est, id quoque fortasse sermone declarare queat; at rem tantam animo comprehendere omnino impossibile est, mortalibus peræquè omnibus, quibus ad veri cognitionem caligo hæc & carnis crassities tenebras offundit, &c. Nec vero hæc verba ita accipi velim, quasi percipi non posse dicam, quod sit Deus, sed quid & quale sit.* Rationes infra suggerit, eccur nos Deus sui intelligentia hìc orbatos voluerit. Prima est: *Ne ob id adipiscendi facilitatem, facilis quoque rei quæsita jactura sit.* Altera est: *Ne idem nobis quod lucifero illi prolapso accidat, id est, ne toto illo fulgore perfusi, cervicem adversus omnipotentem Dominum extollamus.* Postrema est: *Ut pro industria sua illustrisque vitæ præmio uberius aliquid habeant, qui hic sese à vitiorum labe perpurgaverint.*

VIII. Gregorius autem Nyssenus luculentè prorsus & pro suo more, declarat Abrahamum per omnes intelligentiæ gradus ab imis ad summa, à corporeis ad intelligibilia, à creaturis ad creatorem progressum contemplando, eo tandem attigisse, non ut quid sit Deus intelligeret, sed quod sit; nec ut Dei intelligentiam assequeretur substantiæ essentiæque divinæ, sed fidem, quæ jactabunda & superba intelligentiæ præsumptione longè præclarior esset & beatior. *Ex cœle-* (Orat. 12. cōt. Euno.) *stium miraculorum concinnitate formis non expressam pulcritudinem videre expetivit. Sic & alia omnia quæ ratiocinatione procedens comprehendebat, sive potentiam, sive bonitatem, sive ingenitum, sive infinitatem, sive quid aliud tale cogitatum & animo perceptum de natura divina inveniretur, omnia viatica ad supernorum perfectionem faciens, & quasi fulchrum & sustentaculum prajaciens, semperque inventis innixus, & ad ulteriora se extendens, pulcras illas ascensiones, sicut ait Propheta, in corde disponens; & omne quod comprehenditur à propria facultate, ut eo quod quæritur minus, super ascendens; postquam omnem quæ ex nominibus potest ingenerari naturæ conjecturam, circa opiniones quæ de Deo sunt prætercurrit, talibus suspicionibus rationem expurgatam habens, impermixtamque & puram ab omni notitia fidem adeptus; hoc signum erroris nescium & manifestum de Dei cognitione fecit, quod præstantius est & excelsius omni signo ad cognitionem dato, nempe credere quia Deus est.* Omnino sic habet ex Nysseno: tota illa gradatione de qua tandiu supra disputatum est, non tam ad intelligentiam pervenitur, qua pateat quid Deus sit, quàm ad fidem, qua constet quod sit. Ea est enim lex naturarum, ut naturæ incomprehensibili natura & mens creata fide copuletur. Illustri exemplo id Abraham consignavit, qui cum passim celebretur, ut contemplatorum Deitatis quasi dux & princeps; idem tamen in sacris litteris fidei potissimum merito commendatur. Ut hinc eluceat, contemplationis finem & scopum esse fidem. *Et sic lex fidei fit vitæ posteræ, docens hac historia eos qui ad Deum accedunt, quod non aliter licet Deo appropinquare, nisi fide interveniente, & per se copulante intellectum qui requirit, cum natura incomprehensibili. Relicta enim ex cognitione curiositate, Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Porro fides est rerum, quæ

non

non cognoscuntur, sed sperantur. *Quod nostram cognitionem fugit, nostrum fides facit; spondens propria firmitate, quod non apparet. Sic enim ait de fideli Apostolus, Quod invisibilem tanquam videns fortiter sustinuit. Vanus igitur qui per cognitionem frustra inflantem, dignosci posse autumat divinam essentiam.*

IX. Ne Lectorem moretur hæc difficultas ultro emergens, obiter monebo duplex genus fidei distingui debere; alterius rudis & initialis, qua Christianæ Ecclesiæ tyrones statim imbuuntur, longè illi à contemplandi studio adhuc semoti; & hæc fides ad contemplationem gradus primus est, sed infimus. Alterius jam oculatioris & perfectæ, quæ contemplationis scopus & fructus est; hac summi Theologi, contemplatores exercitatissimi beatos se putant, ut naturæ incomprehensibili adhæreſcant. Utrique fidei illud commune est, quod quid sit Deus utrobique nescitur. Sed discrimen & intervallum penè infinitum est utriusque, & tantum denique quantus potest esse summæ Philosophiæ & altissimæ Theologiæ thesaurus. Etsi enim ad id non pertingatur, ut sciatur quid Deus sit, locupletissima tamen scientiæ & sapientiæ supellex in Scripturis divinis, in Conciliorum, in Patrum, in Theologorum sacris monumentis habetur.

X. Porro ibidem Nyssenus ut palam faciat, quàm non sit molestè ferenda hæc divinorum intelligentiæ desperatio; Scripturæ ipsius utitur exemplo & authoritate, quæ sedulò nos admonuit & erudivit de naturarum omnium à Deo procreatione, pulcritudine, admirabilitate; at quid sit cujusque rei natura, omnino non curavit addocere. Et de Deo similiter studiosè inculcavit, & quod sit, & quod opifex rerum omnium sit; ecqua sit autem ejus naturæ quidditas, vel essentia propria, nusquam indicavit; illius gloriam & magnificentiam ex operibus declarare contenta. *Omnia certè facta esse à Deo narraverunt Scripturæ, cœlum, terram, mare, tempora, sæcula, & quæ in eis sunt creaturas. Quid autem horum unumquodque, & quomodo, & unde, taciti prætererunt Prophetæ. Sic etiam de Deo quia est, & quærentibus se sit remunerator, consulunt credere: naturam autem ipsam, quæ est supra omne nomen, neque nominarunt, neque curarunt. Si enim nomen aliquod ad declarationem divinæ cognitionis didicimus, hæc omnia communionem habent & proportionem cum ejusmodi nominibus, ut alicujus hominis proprietatem demonstrant.* Itaque Scripturæ ex divinis operibus *ad divinæ naturæ intelligentiam tanquam manuducunt; essentiæ autem rationem, ut quæ capi nullo modo possit, neque quid afferat lucri & commodi his, qui nimis anxiè & curiosè perquirunt, ineffabilem & non pervestigabilem dimiserunt.* Et denique: *Voces omnes sanctæ Scripturæ ad glorificationem divinam inventæ, eorum aliquid quæ in Deo declarantur significant, per quas docemur quod potens, quod immutabilis, quod incircumscriptus sit, &c. Essentiam autem ipsam, ut neque intelligentia perceptibilem neque oratione effabilem, non curiosè inquirendam dimisit, silentio colendam esse sanciens, dum vetuit profundiorem inquisitionem, &c.*

XI. His consentanea prorsus sunt quæ prolixissimè disputat Chrysostomus in libris de Incomprehensibili; ubi hic ejus scopus omnino est, non ut evincat non posse totum à nobis omnino Deum comprehendi, ut nihil ejus nos prætereat; sed ut demonstret, ne posse quidem à nobis sciri quidditatem ipsam, ut vocant, divinæ naturæ, sive quid propriè sit Deus. Id autem ex Paulo declarat, qui tribus ad id confirmandum exemplis utitur, parvuli, speculi, ænigmatis. *Cùm essem parvulus. Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Etenim *puer tametsi complura videt, audit, loquitur; tamen nihil expressè, nihil dilucidè aut videt, aut audit, aut loquitur, & sapit quidem, sed nihil integrè. Itaque more pueri ego quoque scio complura, tamen modum eorum ignoro. Deum namque esse ubique, totumque esse in quaque orbis terrarum parte novi, sed quemadmodum sit, nescio. Item non inceptum, non genitum, sempiternum esse Deum non ignoro; sed quo pacto ita sit, intelligere nequeo.* At quid sit Deus scire quisquis contendit, insanit prorsus, cùm Prophetæ ne sapientiam quidem aut potentiam ejus in orbe creando regendoque radiantem pervestigari totam à nobis posse pronuntiarint. *Contendere enim scire, quid substantia Deus sit, postremæ esse insaniæ judico.* L. 1. de inc. Dei natura. *Quod ut melius intelligatur, Prophetarum sententias afferam; quos non solum quid substantia Deus sit, ignorare videmus; sed etiam de sapientia ejus quanta sit, prorsus ambigere. Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam. Sapientia Dei comprehendi non potest à Propheta, & substantia comprehendi à nobis potest? Nonne istud perspicua sit insania?* Quin ne particulæ ipsæ divinæ sapientiæ & judiciorum ejus à Prophetis, ab Apostolis comprehendi potuere, quid essentia? *O altitudo divitiarum, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, &c. Quid ais? Judicia inscrutabilia sunt, & viæ investigabiles, pax omnem excedit intellectum, donum inenarrabile; quæ præparavit diligentibus se, non ascenderunt in cor hominis; magnitudo finem non habet, scientia caret numero, omnia ejus incomprehensibilia sunt, & ipse solus est comprehensibilis? Quid ad tantam insaniam possit accedere?*

XII. Ita Chrysostomus conglobatione plurium Scripturæ locorum, tanquam facto cuneo invadit Eunomianos, & cùm incomprehensibilia sint Dei opera, judicia, attributa foras spectantia, multò magis ejus substantiam incomprehensibilem esse demonstrat. Et rursus ibidem ex illis Pauli verbis, *Ex parte cognoscimus*, ita insurgit adversùs cavillationes adversariorum, qui id non de substantia Dei dici, sed de dispensationibus respondebant: *Non id de substantia, sed de dispensationibus dici respondent. Omnino si de dispensationibus Paulus ita dixerit, longè amplius vicimus, quàm sit de substantia loqueretur. Nam si Dei dispensatio incomprehensibilis, multò magis ipse Deus incomprehensibilis esse debet.* Cùm autem ex illis Pauli verbis suspicari posset aliquis, partem saltem aliquam divinæ substantiæ exploratam nobis esse posse, etsi pars alia nos fallat: sic ex adverso Chrysostomus: *Deum igitur ipsum ex parte cognoscit, non tamen ita ex parte, ut partem substantiæ noverit, partem ignoret, cùm Deus natura simplicissima sit. Sed quod esse quidem proculdubio norit; quid autem substantia sit, omnino ignoret.* Vides in quo sit illa Dei simplicitas & incomprehensibilitas, de qua quæstionem hanc instituimus. Nimirum non in eo ut non omnino, sed ex parte tantùm intelligatur quid sit Deus; sed ut ne minima quidem ex parte sciatur & intelligatur illa quidditas. Idque propter divinæ naturæ simplicitatem, authore Chrysostomo. *Cùm enim Deus natura simplicissima sit*, non potest ex parte sciri, ex parte nesciri quid sit.

XIII. Contendit nec ab Angelis & beatis Cœlitibus sciri quid sit Deus, idem ibidem mox Chrysostomus; Ibid. l. 3. sed suo infrà loco quæstio illa aptiùs ventilabitur. Satius est hic illud non reticere ejus argumentum adversùs insaniam Eunomianorum: cœli, terræ, & rerum maximè visibilium substantia quid propriè sit, omnino nos latet; & invisibilem Dei naturam quomodo non magis ignorabimus? *Cœli quod quotidie cernis, naturam reddere nequis, & invisibilis Dei substantiam scire indubie profiteris?* Quid quod Isaias ipse cum ait, *Vidi Dominum sedentem super solium, &c.* Ibid. l. 1. apertè innuit se non Deum, sed Dei condescensum vidisse? Deus enim nec sedet, nec solio continetur aut fulcitur. Et quomodo Deum vidisset, qui ne Angelum quidem videre, aut

vel

vel præsentiam ejus ferre facilè potuisset. Daniel enim ad præsentiam & ad conspectum Angeli sæpiùs corruit consternatus & penè exanimatus. *Si Prophetam dicentem audis, Vidi Dominum, noli quasi substantiam ejus viderit suspicari, sed condescensum ipsum vidisse intellige, &c. Deus non sedet. Corporis enim hic habitus. Et in solio, cùm Deum nullum solium complectatur, &c. Sed cum de beata illa substantia loquar, quando ne Angeli quidem substantiam homo videre liberè valeat? Quod ut ita esse intelligatis, hominem nobis in medium ducam, Deo immortali familiarem, & plurimum confidentem, audentemque cum sapientia & religione, tum justitia cæterisque virtutum officiis, sanctum Danielem: cujus insignem pietatem & probitatem juvat audivisse, ut cum eum ostendam expavescentem, languentem, deficientem, destitutum omninò propter præsentiam Angeli, nemo causa peccatorum malaque conscientiæ hæc accidisse existimet, &c. Isti qui tam longè ab illius justissimi hominis virtute absunt, & jacent sordentque, ipsam substantiam Dei sese diligentissimè nosse profitentur, quæ suprema & prima est, quæ millia Angelorum creavit, quorum unum Daniel videre non potuit.* Quid quòd ne nomina quidem cœlestium atque angelicarum substantiarum scimus? *Animadverte hæreticorum amen-*

Ibid. l. 4. *tiam. Servorum ipsorum nomina ignoramus, & tamen substantiam Domini ipsius exquirunt, contenduntque comprehendere. Sunt enim Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, & Potestates: sed non hi ordines solùm, sed innumera cœlestem regionem incolunt genera, quorum nulla dicendi facultas numerum potest exequi.* Quid quòd & ipsæ angelicæ virtutes nonnulla ignorant divinarum dispensationum arcana, teste Paulo, *Ut manifestetur nunc Principatibus & Potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Ita sanè, quia authore Chrysostomo, *rem de qua apud Imperatorem consultatur, miles nescit.* Si ignorant Angeli partem aliquam divinorum consiliorum, quomodo citra dementiam poterit venditare se homo, quasi ne ipsam quidem Dei substantiam ignoret?

XIV. Excurrit deinde Chrysostomus ad propheticas omnes de Deo visiones, & plerasque per corporea simulacra factas, nullam ad ipsam Dei substantiam pertinuisse declarat, probatque ex Joanne, qui universim docet Deum à nemine unquam esse visum. *Denique multa hujuscemodi testimonia*

Ibid. l. 4. *possunt colligi. Quæ cùm ita sint, quamobrem Joannes negat esse quenquam qui Deum viderit? Nullum vidisse Deum Joannes ait, ut exquisitam illam comprehensionem & expressam cognitionem in nullo contigisse intelligas. Constat enim illa condescensum fuisse omnia, nec vidisse quenquam illorum sinceram ipsam substantiam, eo quòd variè quisque viderit. Deus enim simplex & omni concretione abjunctus, nulla forma aut figura effigiatus est. At verò illi omnes figuras viderunt varias.* Liquet ergo divinam substantiam visam non fuisse, cùm per figuras tantùm, & corporeas, & subinde varias videretur Deus à Prophetis. Si ab illis autem nunquam videri aut intelligi ipsa potuit Dei substantia; quid spei posthac superest aliis hominibus? Concludit ergo Chrysostomus à Filio tantùm & à Spiritu sancto videri Dei substantiam: *Restat ut à Filio tantùm & à Spiritu sancto exquisitè illum cognosci disseramus.*

XV. Expendendæ sunt autem Chrysostomi rationes ex hoc quoque capite petitæ, quòd soli Filio & Spiritui sancto plenè perspectus visusque sit Deus. Sic ergo ille ex Evangelio Joannis & ex

Ibid. l. 5. ipsis Christi verbis argumentatur: *Non quod Patrem quis vidit, nisi qui ex Deo est, hic videt Patrem. Plenè & exquisitè illum novisse, & causam quamobrem noverit, dicit: Quoniam ex Deo est. Et quod ex eo sit, vicissim argumentum istud est, quia illum exquisitè novit. Propterea enim manifestè eum novit, quia ex eo est. Substantia enim substantiam superiorem nunquam perfectè intelligere potest, etiamsi parum intersit. Quid est homo quod memineris ejus, &c. Minuisti eum paulò minus ab Angelis. Veruntamen etsi parum discriminis est, tamen quia interest aliquid, nescimus exquisitè Angelorum substantiam; nec si summè philosophabimur, comperire unquam quid sit poterimus. Sed cur de Angelis loquor, quando ne ipsius quidem animi nostri substantiam satis novimus, imo nullatenus attingere valemus? Sed cur de substantia loquor animi? Quemadmodum insit animus in nostro corpore ignoramus. Tamen qui Angelos nesciunt, qui suos ipsorum animos ignorant, iidem Dominum & conditorem rerum omnium scire exquisitè contendunt.* εἰδέναι μετὰ ἀκριβείας. Hæc verba *exquisitè nosse* significant prorsus accuratam illam & propriam cognitionem, qua intelligatur verè & propriè quid sit Deus, etsi non omninò, nec totus forsan intelligatur. At accuratam illam & præcisam divinæ essentiæ notitiam probat Chrysostomus nobis obtingere non posse, 1. Propterea quòd ea sit Filii propria dos & prærogativa, idque ex eo quòd ex Deo genitus sit. 2. Item quia universim nulla natura inferior superiorem propriè & præcisè videt, etiamsi proxima illa sit. Quod ex eo probat, quòd cùm proximo post Angelos loco sit homo, angelicam tamen essentiam non potest homo exquisitè intelligere. 3. Quin imò nec suum ipse animum potest homo satis nosse & effari quid sit. Quocirca nil jam potest dici luculentius, quàm quod suprà observatum est ex Gregorio Nysseno, & Scripturam & naturam rerum ipsam in eo concinere, ut & Creatoris & creaturarum existentiam & pulchritudinem manifestent, prædicent: naturam verò ipsam & propriam quidditatem prorsus occultent; eo sanè consilio, ut toti simus in admiranda & laudanda pulchritudine Creatoris manifestata per pulchritudinem creaturarum; à scrutanda Dei substantia abstineamus, tum propter reverentiam, tum propter impossibilitatem; in vestiganda denique rerum creatarum natura modum teneamus, cùm in istiusmodi studio quidquid religioni & in Creatorem pietati non datur, superfluitati detur & vanitati.

XVI. Cùm verò Eunomiani pertinaciùs contenderent proprium Dei nomen esse Ingenitum, seu Innascibile, Increatum, ἀγέννητον; contrà argumentatur Chrysostomus, cùm ignota sit Dei substantia, nomen proprium non posse illi indi; cùm nec Prophetarum, nec Apostolorum aliquis nomen Dei publicarit ullum; cùm ne Gentilium quidem quisquam ausus sit Deum nomine aliquo, vel definitione circumscribere. *Ita horum fallacia coarguitur. Quando enim ipsa Dei substantia ignoratur, non inquam an* Ibid. l. 5. *sit, sed quid sit, furoris certè est summi, vel nomen ei attribuere, nedum comprehendere opinari, &c. Jam Deum esse ingenitum, certum est; nomen tamen idipsum esse divinæ illius substantiæ, à nullo vel Propheta, vel Apostolo, vel Evangelista, aut expressè, aut per ambagem propositum est. Et rectè quidem; qui enim ipsam ignorarent substantiam, quo pacto ejus nomen tradere haberent? Sed cur de sacris loquor Scripturis? Quando tam absonè, tam iniquè de Deo proponitur quæstio, ut ne Gentilibus quidem qui à veritate aberraverunt, tale quid unquam placuerit. Nemo enim naturæ divinæ definitionem reddere, unove amplecti nomine Deum ausus est.*

XVII. Quod autem objectabant Catholici Eunomiani, an ergo coleremus Deum quem nesciremus: id refellit Chrysostomus hoc facili responso, abundè esse ad Dei cultum, ut sciamus, quia est, etsi nesciamus quid sit. Unde Paulus: *Credere enim oportet eum qui ad Deum accedit, quia est.* Propheta item impietatis insimulat, non eum qui ignorat quid Deus sit, sed qui negat, quòd sit. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Alibi autem docet Chrysostomus hanc ignorationem Ibidem.

quid sit Deus, summæ cujusdam scientiæ cumulum esse; nec à quoquam veriùs pleniúsque sciri Deum, quàm ab eo cui persuasissimum est, sciri illum non posse. Prorsus ut maris qui fines nesciri sciunt, ii maximè mare quantum sit sciunt. Si quis autem perspectum se habere putat, quantum sit, is minimè omnium scit. *Quid sit autem substantia Deus, & quonam modo sit ejus majestas, & magni-* In Psal.118. *ficentia, & quisnam sit modus eorum quæ dicta sunt, ignorat, Sed ea ipsa ignorantia argumentum est cognitionis, etiamsi sit mirabile quod dictum est. Nam mare quoque quantum sit ignoramus, & tamen propter hoc ipsum mare maximè novimus, quod ejus modum nesciamus. Si quis autem dicat se nosse ejus quantitatem, is est qui id ignorat maximè. Est igitur professio cognitionis quæ arguit nescientiam; & est ignoratio, quæ nobis fert testimonium de scientia.* Et alibi rursus prolato hoc eodem exemplo maris: *Potest enim esse ignoratio in cognitione, & in ignoratione cognitio.* Respondet denique Chry- In Psal.143. sostomus propositæ difficultati, affatim esse ad Deum colendum, ut cognoscatur, vel ex creaturis, quæ annuntiant tantùm, quod sit, non quid sit: *Considera, quot & quanta facta sunt, ut disceremus, non quæ sit Dei substantia, sed quod sit Deus:* vel ex Scripturis, quæ Deum prædicant clementem, bonum, justum, sed Dei substantiam non denudant. *Deum ergo, inquit, ignoras? Absit, sed eum quidem esse scio, scio esse clementem, scio esse bonum, misericordem, providentem, & quæcumque alia dixerunt Scripturæ. Quidnam sit autem substantia Dei, non novi.* Ergo hæc quoque nomina clemens, bonus, sapiens, justus, declarant quod Deus sit, non quid sit. Ratio autem ejus rei ea est, quod hæc nomina Basilius, Nyssenus, Chrysostomusque velint à creaturarum administratione orta esse; atque ita ex iis, perinde ut ex creaturis elucere quod Deus sit, non quid sit.

CAPUT IX.

Ex aliis Patribus Græcis & Latinis, de eodem, sciri posse quod Deus sit, non quid sit. Nihil de Deo propriè dici posse.

I. Ex Cyrillo Hierosolymitano, Deum scire, non hominum est, non Angelorum, sed Filii & Spiritus sancti. Dei nomina, justus, sanctus, efficientias ejus, non essentiam redolent.

II. Ex eodem nec Prophetæ nisi per imagines Deum viderunt. Ne præsentiam quidem Angeli ferrè possumus, ne ejus quidem naturam intelligere, nedum Dei.

III. Hoc ipsum confirmat Cyrillus Alexandrinus.

IV. Ex Isidoro Pelusiota, ne divinis quidem consiliis rimandis pares sumus.

V. Ex Jobio, quidquid Deus dicitur, seu Pater, seu Filius, seu quidvis aliud, condescensio & contemperatio est ad nostros mores.

VI. Suffragatio Joannis Climaci.

VII. Superior tota Græcorum Patrum doctrina ex Damasceno confirmatur.

VIII. Divinorum nominum partitio ex eodem Damasceno, sic tamen ut divina substantia imcomprehensibilitate sua illibata fruatur.

IX. Ex Hilario, de Deo scimus, quod sit; cæterum nec judicia ejus scire possumus, nedum substantiam.

X. Inculcat etiam Augustinus de Deo nihil sciri posse.

XI. Multa rursus ad idem argumenta ex Novatiano, & Minutio.

XII. Ex Hilario ne seipsam quidem accuratè novit anima. Quod opificem & opificium plenè nosse, non opificii sit, sed opificis.

I. ARmabat & plebem Ecclesiæ Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus adversùs serpentem Eunomii vesaniam; & religiosam Dei nescientiam inani cognitionis & comprehensionis ja- Catech.6. ctantiæ præstare ita docebat: *Non enim quid sit Deus exponimus. Nam candidè nos accuratam de eo cognitionem τὸ ἀκριβὲς περὶ αὐτοῦ οὐκ οἴδαμεν, non habere confitemur; quam ignorantiam agnoscentes, magnam de Deo cognitionem profitemur.* Patrem non videt nisi Filius & Spiritus sanctus; ne Angeli quidem plenè vident, quid homines? *Deum nemo vidit unquam, At vident Angeli; Angeli enim eorum semper vident faciem Patris. At vident Angeli, non sicut Deus est, sed quatenus ipsi capere possunt, Nam Jesus est qui ait, Nullus Patrem vidit, nisi is qui ex Deo est, is vidit Patrem. Vident igitur Angeli quantùm capaces sunt, sed minùs quàm majestas illa mereatur. Cum igitur Angeli nesciant, nam pro suis cuique viribus revelat eum spiritu per Spiritum sanctum Unigenitus; nullus hominum suam erubescat inscitiam & ignorantiam confiteri.* Porrò quæ de Deo dicuntur, bonus, justus, omnipotens, hæc efficientias ejus, non substantiam demonstrant. *Non enim quia vocetur bonus, justus, omnipotens, idcircò varius est & diversus: sed unus cùm sit & idem, innumeras divinitatis efficientias profundit.*

II. Alibi autem præludit Chrysostomo, & multa disputat iis gemina, quæ ex eo suprà retulimus. Nec Prophetis videri potuisse Deum nisi per similitudines adumbratas; nec enim videndi aut intelligendi Dei in se ut est, patientem fore hominem; ne Angelum quidem præsentem ad Danielis patientiam accommodari potuisse, nisi postquam imagine hominis se obduxit; denique qui explorata nobis esse possit Dei natura, quibus nec natura Cherubinorum perspecta ac nota est? *Quid* Catech. 9. *autem admiraris si Ezechiel gloriæ similitudinem intuitus cecidit, cùm Danieli visus Gabriel, qui Dei servus est, statim consternarit eum, & in faciem prostraverit, & eo usque, donec seipsum coactus Angelus in similitudinem filii hominis conformasset, ausus non est Propheta respondere? Si verò Gabriel visus terrorem incutiebat Prophetis, ipse Deus si cernatur prout est, nonne perirent omnes? Divinam itaque naturam conspicere nequeunt oculi; ex operibus tamen divinis potestatis ejus informare in animo speciem licet.* Et infrà: *Benedictus es Domine qui intueris abyssos, sedens super Cherubim. Dic mihi, quæso, quæ sit natura Cherubim ipsorum, & tum insidentem spectato.*

III. Cyrillus verò Alexandrinus Episcopus, si tamen is est author Dialogorum de Trinitate, præclarissimè & soli Deo natura docet notam esse divinam substantiam, & Deum natura esse quisquis divinam substantiam novit. Ideò à solo Patre agnosci Filium, à solo Filio Patrem; ideo Deum esse Filium, quem solus Pater noscat; ideò denique nulli naturæ creatæ notam esse naturam divinam. *Ideò à solo Patre cogno-* Dial.p.511. *scitur Filius, & solus cognoscit Patrem suum ac Deum. Cerni enim non potest, neque ulli mortalium patet, quid revera sit ipsa in se natura suprema. Subsistere siquidem & esse Deum credimus; quid autem sit secundùm naturam, absurdum est inquirere, quando capi nequit. Natura enim Dei mentem omnem superat. Jam quomodo si factus & creatus est Filius, ipse solus Patrem agnoscet, & solus item cognoscetur à solo Patre? Nam Dei naturam nosse nulla potest res facta: scire autem quid sit res creata, non cujusvis intellectus captum excedet, licet humanam conditionem quodammodo superet. Igitur si solus ipse Patrem cognoscit, & vicissim à solo Patre cognoscitur, non est jam quod factus putetur & arguatur. Sola enim novit seipsam suprema & ineffabilis natura, & inaccessa omnibus creaturis.* Cyrillus certè ipse libro primo contra Julianum su- Pag. 31.10.6 prà positæ doctrinæ lubens suffragatur, cùm Platonis & Trismegisti verba profert, & commendat,

dat, quæ in hanc eadem sententiam revolvuntur.

IV. Isidorus Pelusiota non absolvit à temeritatis nota eos qui in substantiæ divinæ proprietate scrutanda anxiè & curiosè desudant, cùm ne divinis quidem consiliis rimandis pares simus, & cùm id

L.4. Ep.132. unum abundè sufficiat, scire quòd Deus sit. *Quod si qui ipsius vias, id est, consilia curiosius exquirunt, summæ audaciæ notam non effugiunt: annon illi ultra omnem audaciam progrediuntur, qui impuræ linguæ opera de ipsomet Deo sermonem movent, ac præsertim cum quid sit anxiè inquirunt? Oportet autem non quid sit inquirere, sed quod sit affirmare.*

V. Nec minùs egregiè Jobius apud Photium in Bibliotheca ad illam quæstionem, *Cur Filio Pater*

Cod. 222. *præponatur, ac dehinc tertius Spiritus sanctus constituatur?* respondet, certum esse divinam naturam, cùm nec verbis exprimi, nec mente comprehendi queat, neque ratione neque oratione, hoc ipsum quod est, evulgari ac nominari posse. Quibus verò per ineffabilem dispensationem cognoscenda obiicitur, non sicuti est, sed ut fas est & utile iis quibus apparet, sic pulchritudinis suæ splendorem immittere in fixiùs in se intuentes, & utcumque fruendam dare. Quapropter ut profundiùs & magis Theologicè loquamur, sive Trinitatem, sive unitatem, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum sanctum, sive Deitatem, sive aliud quidpiam incomprehensibilem illam & ineffabilem naturam cogitemus & nominemus; non hæc illa, sed supra hæc est. Quamobrem etiam ineffabilium enarrator clamat, *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum, est, evacuabitur quod ex parte est.* Addit Jobius Dionysium Pauli discipulum his Pauli verbis succinere. Pergit porrò ad propositam quæstionem respondere: *Quando igitur plurima eorum quæ de Deo dicuntur, non id quod est significant, sed potiùs manuducunt, & pro captu nostro per cognatas nobis res atque voces mentem nostram supra nos attollunt; perspicuum est tale quid illud esse, quod primo loco inter loquendum proferatur Pater, deinde Filius, ac post hunc Spiritus sanctus. Quoniam ipsa secundùm se divina natura, neque præponi, neque subiici apta est; sed supra omnem tam numeri quàm singularitatis notionem collocatur. Numerus siquidem & unitas de substantia dicuntur. Divinitas verò substantiam superat universam.* Sic ille edisserit, cur & quo sensu Deus & dicatur & cogitetur, & dicatur Pater & Filius, & personæ divinæ cur in loquendo aliæ aliis præponantur & postponantur. Quæ tota contemperatio & condescensio est ad nostros mores, cùm Deus nec dici, ut verè est, nec cogitari possit, & immenso quodam intervallo hæc omnia superet.

VI. Joannes Climacus uno verbo rem confecit,

Grad. 7. cùm dixit cœlesti tantùm illustratione Deum intelligi, tumque illum non intelligendo intelligi, non videndo videri. *Mundities cœlestis illustrationis radios hausit. Illustratio est inexplicabilis quædam efficacia, quæ latenter intelligitur, & quodammodo non videndo videtur*, ἄῤῥητος ἐνέργεια, νοουμένη ἀγνώστως, καὶ ὁρωμένη ἀοράτως.

VII. Agmen Damascenus claudet, qui totam pau-

Orthod. fid. L. 1. c. 2. cis verbis & Dionysii & aliorum Patrum doctrinam complexus est in hunc modum: *Deum itaque esse dilucidum est, quod autem est secundùm substantiam ac naturam, incomprehensibile id omnimodo est, atque ignotum.* Cùmque multis argumentis evicisset corporeum Deum non esse, *Sed non hoc substantiæ ejus definitivum, ut neque ingenerabile, sine principio, inalterabile, & incorruptibile, & quæcumque de Deo, vel circa Deum prædicantur. Hæc enim non quid est significant, sed quid non est. Atqui oportet eum qui vult alicujus substantiam assignare, quid est dicere, non quid non est. De Deo tamen quid est secundùm substantiam dicere, impossibile est; convenientiusque longè est de Deo per omnium ablationem facere sermonem. Nam nihil est eorum quæ sunt; non ut non ens, sed ut omnia entia supereminens, & super ipsum esse ens. Si enim eorum quæ sunt cognitio est, quod omnem superat cognitionem, supra ipsam quoque substantiam erit; & vicissim quod super substantiam est, id quoque super cognitionem erit. Infinita igitur divinitas & incomprehensibilis; & hoc solum ejus comprehensibile, infinitas & incomprehensibilitas. Quæcumque autem per Theologiam affirmativam de Deo dicimus, non naturam ejus, sed ea quæ sunt circa naturam, insinuant. Nam & si bonum, si justum, si sapiens, si quidvis aliud dixeris, non naturam dicis Dei sed quæ circa naturam. Sunt etiam nonnulla affirmativè de Deo dicta, vim superexcellentis negationis præ se ferentia; ut cum tenebras de Deo dicimus, non tenebras intelligimus, sed quod lux non est, quoniam superexcellit lucem. Et lumen dicimus, quia non est tenebræ.* Ita Damascenus in hanc velut summam contraxit, quæcumque cæteri Patres de hoc argumento prolixè disputaverant.

Idem Damascenus alibi ad simplicitatem divinam hoc pertinere docet, ut nihil de Deo se- Ib. L. 1. c. 12.
cundùm substantiam dici possit, sed tantùm per negationes, vel quæ naturam ejus consequuntur, vel denique quæ relationem ejus ad creaturas insinuant: *Deus simplex est & incompositus. Par est igitur unumquodque eorum, quæ de Deo dicuntur, non quid est secundùm substantiam arbitrari significare, sed quid non est ostendere; aut habitudinem quandam ad aliquid eorum quæ ab eo distinguuntur, aut eorum quæ sequuntur naturam atque operationem ejus, &c. Bonum, justum, sapiens, sanctum & id genus talia naturam consequuntur, non autem substantiam ostendunt. Hæc autem Dominus, Rex & hujusmodi, respectum ad ea quæ ex adverso distinguuntur, monstrant. Nam eorum quibus dominatur, dicitur Dominus: & eorum quos regit, Rex.* Ita ille ibi in varias classes Dei nomina partitur.

Sed aliquantò accuratiùs alibi hanc eandem divinorum nominum & attributorum partitionem facit, hoc præfatus, secundùm substantiam nec fando, nec cogitando attingi posse Deum; tamque nos ejus elimatæ cognitionis, quàm substantiæ expertes esse, quòd nulla substantia inferior ad liquidum & plenè possit substantiam superiorem intelligere. *Cùm Deus incomprehensibilis sit,* L. 1. c. 15.
nomine quoque prorsus caret. Ignorantes quænam sit ejus substantia, non est quod substantiæ ejus nomen investigemus. Nomina siquidem rerum significativa esse debent. Sed bonus existens Deus, & per suæ bonitatis participationem ad esse nos ex nihilo perducens, nec non intelligendi ac cognoscendi facultatem nobis immittens, quemadmodum non fecit nos substantiæ suæ participes, ita nec substantiæ suæ cognitionem nobis reliquit. Impossibile enim est, ut natura perfectè cognoscat superpositam naturam. Deinde cùm Deus sit supra ipsum esse, utique supra quamcumque cognitionem est. *Etsi verò eorum quæ sunt cognitiones sint, supersubstantiale quomodo cognoscetur.*

VIII. His ita præstructis pergit Damascenus ad divinorum nominum partitionem, incolumi semper & illibata substantiæ ejus incomprehensibilitate. Primum ergo à naturis creatis, ut earum author denominatur, & jam omnia de eo dicuntur, ut opifice, opificii sui rationes & perfectiones anticipante; sed cùm contraria etiam de eo dicantur, quia & contrariarum naturarum conditor est, hinc emicat impropriè tantum hæc de eo dici. *Per ineffabilem igitur bonitatem voluit* Ibidem.
se ab iis circa quæ nos versamur nominari, ne expertes omninò cognitionis sui essemus, sed intellectum ejus aliquem, etsi tenuem haberemus. Ut igitur sit incomprehensibilis & nomine certo careat, tamen velut omnium author & omnium quæ existunt rationes & causas in seipso anticipans, ab omni-

bus quæ ſunt denominatur, etiam à contrariis, veluti luce & tenebris, aqua & igni, ut cognoſcamus, quod non hæc ſecundum ſubſtantiam ſit, ſed quod ſuperſubſtantialis ſit. Unde etiam certo nomine caret, ſed tanquam omnium eorum quæ ſunt cauſa, ex omnibus cauſatis nomen deſumit.

At rurſus nomina complura, imò infinita Deo accedunt, ſed negativa, ex eo quòd ſit ſupra omnes ſubſtantias & ſupra omne ens. *Divina nomina alia ſecundum negationem dicuntur, ad ſignificandum ſubſtantiale illud.* Nec negationes aliquam ei detrahunt laudem aut perfectionem, cùm omnium author & largitor ipſe ſit; ſed ſuper hæc omnia ille eſſe demonſtratur. *Non quaſi horum aliquo minor ipſe ſit, aut aliquo horum privetur. Ipſius enim omnia ſunt; ex ipſo quippè & per ipſum omnia facta ſunt, & in ipſo conſiſtunt; ſed quod præcellere omnia ea quæ ſunt dicatur. Nihil enim eorum quæ ſunt ipſe eſt, ſed ſuper omnia eſt.*

Affirmativa ergo nomina de Deo dicuntur ut omnium cauſa & authore; negativa de eodem ut omnia ineffabiliter præcellente prædicantur. Commixtio autem quandoque fit utrorumque ſimul nomine, non ſine ingenti voluptate animi, ut cùm dicitur *ſuperſubſtantialis ſubſtantia, ſupereſſentialis eſſentia, pluſquam divina deitas, ſuperprincipale principium*, & alia id genus.

Denique negationes quædam per exuberantiam perfectionis de Deo dicuntur, ut cùm caligo & tenebroſitas prædicatur eſſe, propter luminis intolerabilem copiam, quæ ſuper omnem lucem ſit.

IX. Ex Latinis Hilarius aſſentitur & ipſe de Deo id ſciri tantùm poſſe quòd ſit; cæterùm nec ſubſtantiam nec judicia ipſa ejus ſcrutari nos unquam poſse. *O altitudo divitiarum, &c. Humanæ infirmitatis religioſa confeſſio eſt, ex Deo hoc ſolum noſſe, quod Deus eſt. Cæterum ſecreta illa & profunda imperſpicabilis judicii decreta mens terrena non penetrat. Inveſtigare quidem ea perſcrutarique pium eſt, ſed inſcrutabilia confitenda ſunt; quorum eſt alterum religioſæ voluntatis, alterum imperſpicabilis naturæ.* Si hæc ille de voluntatis divinæ decretis, quid de ſubſtantia ipſa Dei? Suam ipſe alibi mentem aperit: *Ita pulcherrimus Deus eſt confitendus, ut neque intra ſententiam ſit intelligendi, neque extra intelligentiam ſentiendi:* hoc eſt, ut non poſſit intelligi quid ſit, poſſit ſentiri quòd ſit. *Ut tantum eum eſſe intelligeret, quantus & intelligi non poteſt, & poteſt credi; dum intelligentiam & fides ſibi neceſſariæ religionis aſſumit, & infinitas æternæ poteſtatis excedit.* Et alibi: *Deus ſimplex eſt, religione noſtra intelligendus eſt, pietate profitendus eſt, ſenſu vero non perſequendus eſt, ſed adoratione; quia natura moderata & infirma naturæ infinitæ & potentis ſacramentum intelligentiæ opinione non occupat.*

In Pſal. 129.

De Trinit. l. 1.

Ibid. l. 10.

X. Auguſtinus quoque frequentiſſimè ita pronunciat nihil poſse à nobis propriè de Deo vel dici vel cogitari: *Seipſo magno magnus eſt, quia ſua ipſe eſt magnitudo. Hoc & de bonitate & de æternitate dictum ſit, & de omnibus prædicamentis quæ poſſunt de Deo pronunciari, quod ad ſeipſum dicitur, non translatè ac per ſimilitudinem, ſed propriè: ſi tamen de illo propriè aliquid dici ore hominis poteſt.* Et alibi: *Omnia dici poſſunt de Deo, & nihil dignè dicitur de Deo. Nihil latius hac inopia. Quæris congruum nomen, & non invenis; quæris quoquo modo dicere, omnia invenis.* Et rurſus alibi: *Res igitur quibus fruendum eſt, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, eademque Trinitas, una quædam ſumma res, ſi tamen res, & non rerum omnium cauſa, ſi tamen & cauſa.* Ita ille diſertè negat quidquam congruè dici à nobis de Deo poſse. Et rurſus alibi: *Quid eſt autem illud quod vident? quid, quæſo? Quid arbitremur, quid æſtimemus, quid loquamur? Quotidiana verba occurrunt, & ſordidata ſunt omnia viliſſimis rebus.* Et rurſum: *Excedit ſupereminentia Divinitatis uſitati eloquii facultatem. Veriùs enim cogitatur Deus, quàm dicitur, & veriùs eſt quàm cogitatur.* Tempero mihi, ne plura hìc ex Auguſtino congeram, cùm tam multa jam dicta ſint, tam multa inferiùs ſuperſint dicenda.

De Trinit. L. 5. c. 10.

Tract. 13. in Evang. Jo.

De Doctr. Chr. 5. l. 1.

De Ordin. L. 2. c. 19.

De Trinit. L. 7. c. 4.

XI. Exciderat penè nobis, qui minimè debuerat, Novatianus libro de Trinitate, ubi hæc habet longè pulcherrima in hanc eandem ſententiam: *Sentire Deum taciti aliquatenus poſſumus; ut autem ipſe eſt, ſermone explicare non poſſumus. Sive enim illum dixeris lucem, creaturam ipſius magis quàm ipſum dixeris, ipſum non expreſſeris. Sive illum dixeris virtutem, potentiam ipſius magis quàm ipſum dixeris & deprompſeris. Sive dixeris majeſtatem, honorem ipſius magis quàm illum ipſum deſcripſeris. Et quid per ſingula quæque decurrens longum facio? Semel totum explicabo. Quidquid omnino de illo retuleris, rem aliquam ipſius magis & virtutem quàm ipſum explicaveris. Quid enim de eo condignè aut dicas aut ſentias, qui omnibus & ſermonibus & ſenſibus major eſt? Niſi quod uno modo, & hoc ipſo quomodo poſſumus, quomodo capimus, quomodo intelligere licet, quid ſit Deus mente capiemus; ſi cogitaverimus id illum eſſe quod quale & quantum ſit non poſſit intelligi, ne in ipſam quidem cogitationem poſſit venire.* Quæ ſi perſpicis, id valent, ut non tantùm ſciri à nobis intelligique non poſſit, qualis quantuſque ſit, ſed nec omnino quid ſit. Sua enim illi quantitas & magnitudo eſſentia eſt. Unde tam non poteſt ejus magnitudo ſciri, quàm nec eſſentia; tam non eſſentia, quàm nec magnitudo. Sed illud præterea perſpicuum eſt, quòd hic Scriptor afferat, quidquid de Deo dicamus, non ipſum, ſed rem ejus aliquam dici. Itaque ea ipſa quæ ſubſtantiam Dei videntur deſignare, rem aliquam magis Dei, quàm Deum ſignificant. Novis rurſus idem confirmat argumentis Novatianus: quòd Deus ſit ipſa juſtitia juſtior, ſapientia ſapientior, veritate verior. Quapropter cùm hæc ipſa de Deo prædicantur, ipſa ejus eſſentia non prædicatur, ſed aliquid ea inferius. *Quid de eo condignè dicas, qui eſt ſublimitate omni ſublimior, altitudine omni altior, & omni luce lucidior, omni robore robuſtior, omni virtute virtior, omni pulchritudine pulchrior, veritate omni verior, omni prudentia prudentior, omni benignitate benignior, omni bonitate melior, omni juſtitia juſtior, & omni clementia clementior?* Et ſanè cùm virtutum omnium parens largitorque ſit, omnibus ipſe virtutibus eminentior eſt. *Minora enim ſint neceſſe eſt, omnium genera virtutum eo ipſo, qui virtutum omnium & Deus & parens eſt; ut verè dici poſſit id Deus eſſe, quod ejuſmodi eſt cui comparari nihil poteſt.*

A quibus non diſcrepant hæc Minutii in Octavio: *Deus nec videri poteſt, viſu clarior eſt; nec comprehendi poteſt, nec æſtimari: ſenſibus major eſt; infinitus, immenſus, & ſibi ſoli tantus, quantus eſt notus. Nobis vero ad intellectum pectus anguſtum eſt; & ideo ſic eum dignè æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum ſentio: magnitudinem Dei qui ſe putat noſſe, minuit; qui non vult minuere, non novit.*

XII. Addam in hac capitis hujus calce locum Hilarii eximium, quo ſcitiſſimè docet non tantùm Dei, ſed nec ſui animam poſſe cognitionem accuratiſſimam aſſequi; quòd opificii non ſit vel opificem vel ſeipſum perfectè noſcere: ſed utrumque ſolius opificis ſit & ſeipſum intelligere & opificium ſuum. *Non enim concipiunt imperfecta perfectum; neque quod ex alio ſubſiſtit, abſolutè vel authoris ſui poteſt intelligentiam obtinere, vel propriam: ſe quidem tantum in eo quod eſt, ſentiens, cæterum ulteriùs ſenſum ſuum quàm ſibi conſtituta ſit natura, non tendens. Motum enim ſuum non ſibi debet, ſed authori; & idcirco id quod alio ex authore ſubſiſtit, imperfectum ſibi eſt, dum conſtat aliundè.* De Trinit. L. 4.

CA-

CAPUT X.

Nihil propriè dici de Deo posse, omnia superlatè de eo dici, omnia de eo ut omnium causa & authore dici.

I. Spicilegii instar erit hoc caput, in quod coniiciemus, quæ nos effugerant.

II. Clemens Alexandrinus negat patere nobis posse divinam potentiam: nedum essentiam.

III. Origenes negat Dei nomen sciri, aut esse ullum, quo ejus substantia declaretur. Soli Filio notum censet esse Deum.

IV. Basilius nec mente, nedum sermone assequi nos posse, quid Deus sit.

V. Ex Chrysostomo Angeli Animæque essentia nos præterit. Quantò magis Dei?

VI. Ex Eulogio nec simplices, sive voces, sive cogitationes, divinam assequuntur opulentiam, nec composita simplicitatem.

VII. Dum descendit Deus ad nos, in monte, & in caligine, ut ad Hebræos descendit, ex Cyrillo.

VIII. Theodoretus.

IX. Dionysius iterum ut omnibus quæ de Deo, aut cogitantur, aut dicuntur, triplex hæc regula adhibenda sit, ablatio, superlatio, causalitas.

X. Cui adprimè consentit Marius Victorinus.

XI. Nulla in nostra doctrina conflictatio est, si antè Deus à nobis dicebatur esse ipsa sapientia, nunc autem hoc totum revocamus ad negationes, aut ad superlationem. Duplex enim sapientia distinguenda est: superna, quæ irradiat supernè, seque sapientibus imprimit Angelis hominibusque; & creata, à qua per negationes ad divinam sapientiam conscendimus.

XII. Omnia de Deo dici possunt, ut qui principium omnium sit; & ea ipsa de causa omnia negari de eo possunt, quia non eadem principii natura, & eorum quæ à principio sunt.

XIII. Rursus ex Dionysio triplex ratio quidlibet de Deo prædicandi.

I. HOrum pleraque superioribus jam in capitibus non perstricta solùm, sed pertractata etiam fuere, utpotè iis implicata Patrum testimoniis, quæ ad propositæ materiæ elucidationem depromebantur. Juvabit tamen ad cumulum hoc loco ea afferre, quæ in manum tunc non venerunt, & quæ omitti sine piaculo non possunt in re tam magni ad totam de Deitate doctrinam illustrandam momenti. Nobis certè tantò major incumbit necessitas, quæstionis hujus penitiùs scrutandæ & excutiendæ, quòd hactenus videbamur veritatis & sapientiæ divinæ intelligentiam plerisque concessisse, cui tamen nunc audimus sanctos Patres tam apertè & tam constanter, ut apparet, adversari.

II. Spicilegii ergo instar erit hoc caput, ubi quæ nos supra effugerant, carptim colligentur. Clemens Alexandrinus non semel superiùs laudatus, & iterum laudandus venit. Sic enim præ-
Strom. l. 6. clarè ille in rem istam: *Neque enim qui homo est,*
p. 501. 502. *pro dignitate potest de Deo vera dicere; imbecillus & morti obnoxius de ingenito, & eo in quem non cadit interitus; & opus de eo qui fecit. Deinde qui non potest de seipso vera dicere, an non multò magis nec de Deo ei credendum est? Quantum enim abest homo à Dei potestate, tam est etiam ejus oratio imbecilla, etiamsi non Deum, sed de Deo dicat & Verbo divino. Est enim imbecilla natura humana oratio, & quæ non possit Deum dicere: non dico nomen, est enim hoc commune non solum Philosophis, sed etiam Poetis eum nominare: neque essentiam, neque enim potest fieri; sed Dei vim & opera.* Vides ut impossibile contendat esse, dicere Dei essentiam; cùm ne dicendæ quidem divinæ potestati, & ejus operum magnificentiæ explanandæ par sit homo.

III. Origenes similiter negat nomen, aut cognitionem substantiæ divinæ, obvenire nobis posse: *Nos autem mensuræ quidem ipsius, hoc est,* In Levit.
substantiæ nomen, vel rationem comprehendere, aut hom. 1.
invenire non possumus. Adverte ex Origene non nomen, sed nomen substantiæ divinæ omnino nos latere. Clemens Alexandrinus nomen Dei & Philosophis & Poetis supra dixit exploratum fuisse, non nomen substantiæ, sed quo declaretur, quòd Deus sit. Non ergo pugnant sibi hæc Clementis & Origenis dicta. Obvium enim & familiare omnibus hominibus est Dei nomen, quo declaratur quia est, & summum aliquid magnum est; at impervium & inexploratum prorsus est nomen, quo Dei ipsa substantia, proprietas, quidditasque, accuratè demonstretur.

Et rursus idem Origenes alibi docet à solo Filio propriè & plenè glorificari Deum, quia propriè & plenè à solo Filio cognoscitur; & vicissim hanc esse propriam Filii plenamque gloriam, quòd Patrem solus plenissimè cognoscat. *Nunc glorifica-* In Evang.
tus est Filius hominis, & Deus glorificatus est per ip- Ioan. p. 71.
sum. Agnoscens Patrem Filius glorificatus est ipsa Patris agnitione, quæ maximum bonum, & tale ut Filius glorificetur, in perfecta cognitione existens, qua agnoscit Patrem.

IV. Nec discrepat ab his Basilius: *Dicemus non* Hom. 15.
quantus sit Deus, sed quantus à nobis deprehendi possit. Naturæ verò magnitudini triumphum contra omnem sermonis facultatem concedemus. Nam nec Angelorum linguæ, qualescumque, aut quantæcumque hæ sunt, neque item Archangelorum cum omni rationali natura congregata, vel minimam illius divinitatis partem satis dignè prosequi, nedum toti explicandæ pares esse valebunt. Et alibi: *Considerandum est* Hom. 15.
quantus sit à veritate ad sermonem usque delapsus. Enimvero mens quæ sunt natura indeprehensibilia attingere nequit. Sermonis item naturam adæquantem ea quæ quomodocumque intellecta inventa sunt, invenire impossibile est. Si ergo nec mente attingi potest Deus, & quæ mens conspexerit, sermo vix explicat, multò magis sermone non amplectemur ea, quæ nec mente possumus.

V. Quibus finitima sunt quæ habet Chrysosto- In Epist. ad
mus: *Sedet ad dexteram Majestatis. Majestatis* Hebræos.
usus est nominibus, non invento nomine essentiæ. Ne- Hom. 2.
que enim majestas, neque dextera ostendit nomen quod vult dicere, sed nomen non potest invenire. Hoc est enim quod dicebam ab initio, Aliqua cogitamus & intelligimus, nec possumus eloqui. Nam neque Deus nomen est essentiæ, neque illius essentia potest nomen omnino inveniri. Et quid mirum, cùm nec in Angelo inveneris nomen quod significet essentiam? Fortassis autem nec in anima. Si Angeli, si animæ essentia & quidditas propria incomperta nobis est, idque certissimè in causa est, ut nec nomen quo illa essentia denudetur, excogitare possimus: quantò magis essentia Dei & cogitationes & voces omnes nostras exuperat?

VI. Eulogius Alexandrinus apud Photium egre- Cod. 230.
giè observat, nec simplicibus nec compositis vocibus posse nos assequi opulentissimam divinæ essentiæ simplicitatem: cùm & simplices voces procul sint ab ejus opulentia, & compositæ obstrepant simplicitati. Quod autem de vocibus philosophatur Eulogius, pari forsan jure de cogitatione ipsa & intellectione nostra affirmaretur. Si simplex enim est, parum apta est assequi immensitatem essentiæ divinæ: si composita, minùs consentit ejus simplicitati. Audiamus Eulogium: *Cùm humana mens ob imbecillitatem naturæ non possit assequi entis rationem; verbis aliquo modo compositis uti, & proprium cum communi copulare cogitur. Eo quod esse divinum simpliciter & secundum se prout est explicari non possit. Quod si fieri possit, ut* simplex

simplex illud simplici sermone, non minus quam compositione verborum sufficienter exprimeretur, mens nostra nequaquam compositis abuteretur. Sed vocum imperfectio incomprehensibile non comprehendit.

VII. Acutè Cyrillus rei ejusdem conjecturam venatus est ex Dei ad Hebræos condescensu, quando ad eos allapsus quidem est authore Moyse, sed supra montem, sed in densa caligine. Ut hinc elucescat, quantumvis se Deus nobis infringere & accommodare laboret, eminere tamen illum semper supra mentes nostras, velut editum & inaccessum montem, & multa præterea caligine circumfusum. *Cum autem descendere dicatur Deus, tamen non in planitie, sed supra quodammodo & in monte apparet, ut tale aliquid apud te cogites; nimirum licet natura divina nostris mentibus condescendens, seipsam nobis intelligendam præbeat; altiorem tamen esse, quam aut eam exprimere dicendo, aut assequi cogitando possimus. Sublimitas enim & eminentia divinorum dogmatum per montem significatur, quem fumo totum oppletum dicit. Acres enim sunt profectò, nec admodum clari apud nos de Deitate sermones, qui mentis oculum fumo vellicant. Quapropter Paulus ille sapientissimus in speculo & ænigmate videre nos testatus est. Et alicubi Psalmista Deum tenebras posuisse latibulum suum ait, tenebrarum nomine comprehendi eum non posse significans; cujus incomprehensibilitatis typum esse fumum illum in monte rectè dicimus.*

In Ev. Joan. l. 3. p. 257.

VIII. His convenienter observat Theodoretus, frequenter in Scripturis gloriæ voce naturam divinam significari: *Qui cùm sit splendor gloriæ, Pater gloriæ, Hæc est similitudo gloriæ Domini*: idque propterea quod latet nos omninò divinæ naturæ substantia & quidditas, ut nec mente nec voce includere illam possimus. *Quoniam enim fieri omnino non potest, ut divina natura cognoscatur, eam gloriam nominant, ab adoratione & glorificatione appellationem imponentes.*

In c. 1. Ep. ad Ephes.

IX. Illud quoque superioribus capitibus jam multis testimoniis & argumentis firmatum est, quæcumque de Deo dicuntur, superlatè dici, adeo ut ipsi non convenire intelligantur, nisi modo quodam eminentissimo præcellentissimoque, & nobis quidem inexplorato, ipsi verò soli, qui solus se ut est novit, comperto. Id sanè eò tandem redit, ut nihil propriè à nobis & accuratè dici aut cogitari possit de Deo; utque affirmationes in negationes tandem resolvantur. Nam ratio ista præcellentiæ id tandem efficit, ut quod de Deo dicitur, non ita Deo conveniat, ut à dicente cogitatur & dicitur; sed ut à Deo uno intelligitur, nec à nobis intelligi unquam potest. Ita Dionysius: *Super essentias est illa superessentialis infinitas, & supra mentes illa ultra omnem intelligentiam unitas, & ineffabile omni verbo illud supra verba bonum, &c.* Et alibi: *Supraquam bonus, supraquam Deus, supraquam substantia, supraquam vivens, supraquam sapiens, & quæcumque sunt ablationis secundum exuperantiam*; ϰ̀ ὅσα τῆς ὑπεροχικῆς ἀφαιρέσεως. Hæc est ablatio exuperantem positionem includens, hæc est exuperantia ablationi conjunctissima.

De divin. nomin. c. 1. n. 1.

Cap. 2. n. 3.

Quibus adprimè concinunt quæ idem Dionysius promit ex Theologicis elementis sancti Hierothei: *Causa omnium, & quæ omnia implet, est Jesu divinitas, quæ servat partes toti consentientes; & neque pars, neque totum est; & est totum & pars, quatenus omne & totum & partem in se ipsa comprehendit, & suprahabet, & antehabet. Perfecta quidem est in imperfectis, tanquam principalis causa perfectionis; imperfecta autem in perfectis, tanquam supraquam perfecta, & ante perfecta; forma formæ effectrix in iis quæ carent forma, tanquam principalis causa formæ; sine forma in ipsis formis, utpotè supra formam; substantia totis substantiis insistens impollutè, & ab omni substantia supra substantiam abstracta; in iis quæ plena sunt, exuberat, ineffabilis & inexplicabilis, supra sensum, supra vitam, supra substantiam; supernaturaliter habet supernaturalitatem, & supersubstantialiter substantiam excedit.* Non potuit magnificentius explanari illa, quæ à Dionysio dicitur, omnium negatio, omnium affirmatio, superlatio exuperans & affirmationes & negationes quascumque, ἡ πάντων θέσις, ἡ πάντων ἀφαίρεσις, τὸ ὑπὲρ πᾶσαν ϰ̀ θέσιν, ϰ̀ ἀφαίρεσιν.

Ibid. n. 10.

Ibid. n. 4.

Et rursus idem Dionysius, ut omnia sit Deus, & de eo possint dici omnia, secundùm eundem præcellentiæ incomprehensibilis modum: *Quamobrem universa ipsi entia secundùm unam omnibus eminentem copulationem sunt attribuenda; quandoquidem per omnia dimanat, & universa per semetipsam implet, & in rebus omnibus delectatur; omnia quidem in se præhabet excellentia simplicitatis, omnem duplicitatem refugiens; cuncta verò similiter continet secundùm plusquam simplicem infinitatem suam.* Hæc est excellentia simplicitatis ὑπερβολὴ ἁπλότητος; hæc est plusquam simplex infinitas ὑπερπλωμένη ἀπειρία; qua fit ut Deus superlatè & pereminenter sit omnia, & omnia dicantur de ipso; & rursus propriè & accuratè nihil sit omnium, & de ipso dici aut cogitari nihil possit. Et denique: *Deum non cognoscimus ex natura ejus, id enim quod natura ejus est, incognitum est, & omnem rationem ac mentem superat; sed ex ordine omnium rerum, tanquam exemplarium ejus divinorum similitudines in se habente, ad cognoscendum summum illud bonum, & omnium bonorum finem, via & ordine pro viribus ascendimus, in ablatione & in superlatione omnium, & in omnium causa.* Tria hæc sunt gradationis ad Deum genera, quæ hoc capite summatim percurrenda suscepimus, cùm superiùs sejunctim & conjunctim jam prolixè fuerint disceptata; ablatio, superlatio, causalitas; ἀφαίρεσις, ὑπεροχὴ, αἰτία.

Ibi. c. 5. n. 9.

Ib. l. 7. n. 3.

X. Ex Latinis unum promam Dionysio mirificè consentaneum, Varium Victorinum Afrum, qui plurium numero esse possit: *Sed cum in uno omnia, vel unum omnia, aut cum unum omnia, vel nec unum, nec omnia, sit infinitum, sit incognitum, indiscernibile, incognoscibile: & quod verè dicitur* aoristia, *id est, infinitas & indeterminatio. Etenim cùm omnium esse sit, & omnium vivere, & omnium intelligere, & id unum, & sine alterius phantasia unum, unde nec unum, quia omnium principium; unde & ipsius unius.* Ita prorsus ex eo quod unum omnia Deus sit, id efficitur, ut nihil omnium sit; & nec unum, nec omnia sit; quia omnium principium, ideoque & ipsius unius principium est; principium autem nihil est eorum, quorum principium est. *Ex hoc cogimur jam necessario & illa de Deo dicere, ut ejus incomprehensibile sit & esse, & vivere, & intelligere; & supra omnia sit, quare &* anuparctos, *&* anousios, *&* anous, *&* azon, *id est sine existentia, sine substantia, sine intelligentia, sine vita dicitur. Non quidem per* sterisin, *id est, per privationem, sed per supralationem: omnia enim quæ voces nominant, post ipsum sunt.* Vides ut & hìc negationes adducat ad supralationem, & ob incomprehensibilitatem Dei, ne esse quidem & vivere & intelligere aliter de Deo prædicet, quàm per hanc negationi conjunctissimam exuperantiam. Denique hæc quidem omnia perfectionis insignia antè in Deo esse confitetur, quàm in naturis creatis; sed antè cognosci in naturis creatis, quàm in Deo, ad quem ex illis assurgimus. *Unde nec* on, *sed magis* proon; *eodem modo præexistentia, prævidentia, præcognoscentia horum quæ conficiuntur. Ipse autem præexistens, prævivens, præcognoscens; sed hæc omnia apparentibus secundis & intellecta sunt & nominata. Postquam enim apparuit cognoscentia, & intellecta & appellata est præcognoscentia; eodem modo & præexistentia & præviventia.*

L. 4. adversus Arium. Bibl. PP. To. 4. p. 248.

Erant

Erant quidem hæc, sed nondum animadversa, nondum nominata.

XI. Ex his postremis Marii verbis emergit opportuna lux, solvendæ illi difficultati, quæ jamdiù nobis imminet. Cùm enim libris superioribus creberrimè ostensum sit esse apud Deum sapientiam, justitiam, veritatem, castitatem, per quam ceu formam exemplarem supernè imprimendam efficiantur sapientes, justi, veraces, castique quicumque sunt: hoc jam videmur libro totam illam labefactare doctrinam, & tum Deo auferre sapientiam, veritatem, justitiam, castitatem, ut qui nihil omnium sit, solis negationibus propriè describendus; tum sapientiam, justitiam, veritatem, castitatem & alias ejusdem modi virtutes naturis primum creatis propriè vendicare, à quibus posteà impropriè ad Deum transferantur. Sentio hæc nonnihil dissidere in cortice, at in medulla nihil omninò dissidii, nihil pugnæ omninò subest. Sapientia enim qualis à nobis intelligitur, qualis & dicitur, cùm verba mentem sequantur; sapientia inquam ista, qualis à nobis intelligitur, cùm & finita, & composita, & naturæ nostræ modulo admensa aptataque sit, utique priùs in nobis est, priùs in nobis à nobis observatur, & ab hac postea pergimus ad vestigandam illam Dei ineffabilem & incomprehensibilem sapientiam, cujus hæc nostra sapientia imago tantùm subobscura & adumbratio est. At illa summa sapientia, qua ceu sigillo imprimente se nobis, sapientes evadimus, cujus sapientia nostra levissimum & tenebricosum imitamentum est, illa inquam summa sapientia, quam nec dicere, nec cogitare, ut est, possumus, utique prior est in seipsa, quàm nostra; & longè alio nomine donanda esset, si à nobis intelligi posset; sed non cognoscitur à nobis, nec denominari potest à nobis nisi ex nostra.

XII. Hoc obice amoto, pergendum jam nobis est ad illud quod tertio loco proposuimus hoc capite elucidandum, nimirum omnia de Deo accomodatè dici posse, ut de omnium principio & causa; & rursus auferri eadem omnia posse, quòd propriè non congruant principio, quæ à principio derivantur. Præter testimonia super hac re jam & hoc capite & superioribus congesta, pauca supersunt hìc non omittenda. Idem Marius Victorinus: *Quod verò dictum unum omnia, & nec unum, omnium enim principium, satis apertè dilucidèque declarat, Patrem rerum omnium & principium Deum; qui cum unum non est, magis omnia est, quia omnium causa est, atque principium, & omnibus omnia.*

De Div. nomin. c. 7. n. 1. XIII. Dionysius autem paulò antè trifariam Deo omnia tribui posse docebat, ablatione, superlatione, & causalitate, ὡς τῇ πάντων αἰτίᾳ. Et ibidem paulò antè: *Hanc igitur rationis expertem, & amentem, & fatuam sapientiam superlatè laudantes, ὑπεροχικῶς ὑμνοῦντες, dicamus omnis mentis & rationis, omnisque sapientiæ & intelligentiæ causam esse, & ipsius esse omne consilium, &c.* Vides ut tria illa genera contexta hìc in unum sint. Nam amens & fatua sapientia quæ dicebatur per ablationem, rursus per superlationem celebratur, ob ineffabilem redundantiam sapientiæ, ex qua fit, ut totius sapientiæ fons sit inexhaustus.

Alibi autem Dionysius id primùm profitetur bonum dici Deum, quòd bonorum omnium causa sit, sapientiam & vitam similiter, quòd vitæ totius & sapientiæ author sit & dispensator. C. 5. n. 1. 2. *Siquidem nomen boni de Deo declarat omnes emanationes authoris omnium, & porrigitur hæc nominatio Dei à bono, tum ad ea quæ sunt, tum ad ea quæ non sunt.* Mox adgreditur has Dei bonitatis, sapientiæ & vitæ emanationes celebrare; nam ut ipse sibi Deus bonitas superessentialis est, & sapientia & vita incomprehensibilis, nec voce, nec mente nostra attingi unquam potest. *Has igitur Dei nominationes, quæ providentias Dei aperiunt, propositum est prædicare. Non enim tractatio nostra promittit enodare & aperire superessentialem ipsiusmet superessentialis divinitatis bonitatem & essentiam & vitam & sapientiam, quæ supra omnem bonitatem, & divinitatem, & essentiam, & sapientiam, & vitam in absconditis, ut Eloquia tradunt, sedem posuit; quin potius providentiam patefactam bonorum effectricem, bonitatem excellentissimam ὑπεροχικῶς ἀγαθότητα & bonorum omnium causam laudibus celebrat: ut ens, & vitam, & sapientiam, substantiæ & vitæ effectricem & causam.*

Itaque sapientia & vita dupliciter possunt intelligi, & de cæteris id genus par ratio. Vel ut essentialiter & superessentialiter in Deo sunt, in altum illud divinæ simplicitatis & incomprehensibilitatis pelagus demersa: & eo sensu, nec capiuntur à nobis, nec dicuntur, nec à Dionysio hoc loco attinguntur. Vel ut à Deo in creaturas effunduntur, non sine multa sui ad ipsas contemperatione: & sic intelliguntur & celebrantur à nobis, ut fontes ac principia vitæ & sapientiæ totius, cum prærogativa quadam ineffabilis præcellentiæ. Quod rursus alibi confirmat Dionysius: *Divina omnia etiam illa quæ nobis apparuerunt, solis participationibus cognoscuntur; porrò* Ib. c. 1. n. 7. *ipsa cujusmodi in suo principio suaque sede propria existant, nullus sensus attingit, nulla natura, nullaque cognitio penetrat. Veluti cùm arcanum illud superessentiale, vel Deum, vel vitam, vel substantiam, vel lucem, vel Verbum appellamus, nihil aliud quàm vel vivificas, vel substantificas, vel vivificas, vel sapientificas virtutes intelligimus, quæ ab eo in nos dimanant; ipsum autem omnium mentis operationum cessatione contingimus, cùm nullam cernamus divinitatis affectionem, nullam vitam, aut essentiam, quæ planè similis sit causæ illi, quæ cunctis per omnem excellentiam antecellit.*

CAPUT XI.

Indigna de Deo dici in Scripturis, ut & quæ digna videntur, æquè removeantur. Deus nec justitia, nec sapientia est, ut à nobis capitur & dicitur; sed silentium ineffabili cordis voce laudandum.

I. Tria superesse hoc capite pertractanda; & primo multa in Scripturis palàm indigna de Deo dici, ut admoneamur ab eo illa etiam amovere, quæ in speciem digna videntur. Ita sæpè Augustinus.

II. Ita Gregorius Magnus, & Novatianus.

III. Ita & Dionysius.

IV. Secundo, sapientiam, justitiam & id genus alia dici de Deo symbolicè, ut symbola mendicata à naturis intellectualibus, cùm tam multa desumantur symbola Deitatis ex naturis corporeis. Testimonia Augustini.

V. Luculentiora alia ejusdem testimonia, quæ id evincant de justitia: Deus enim justitia dicitur, cùm supra justitiam sit.

VI. Ex eodem, justitia & sapientia affectiones sunt animarum, ex quibus symbola conflamus Deitatis. Deus porro supra ista est, ut unitas summa, tanquam lux supra colores.

VII. Augustino consentit Gregorius Magnus; qui Deum ut incommutabilem sapientiam nobis observari & præsentem esse. Sed ita imperfectè à nobis intelligi, ut hæc intellectio symbolica jam sit.

VIII. Ex eodem Gregorio, videtur Deus ut veritas & sapientia, & hoc ipse quidem est, sed non videtur, aut intelligitur à nobis, uti est.

IX. Rursus, ut videatur & non videatur; in-

telligatur, & non intelligatur Deus, etiam in momentaneis nostræ ad eum mentis raptibus.

X. Augustino & Gregorio accedit Bernardus.

XI. Item author apud eum Epistolæ de vita Solitaria.

XII. Rursus ipse Bernardus.

XIII. Quibus consentaneus est Boethius, Pseudo-Cyprianus, & Hugo Victorinus.

XIV. Assentiuntur & Græci, symbola tantum hæc esse Deitatis, sapientiam, justitiam, & id genus alia. Dionysius.

XV. Accedit & Nazianzenus eidem sententiæ.

XVI. Et Elias Cretensis.

XVII. Item Damascenus.

XVIII. Et Gregorius Nyssenus, ex quo multa luculentissimè in hanc doctrinam congeruntur.

XIX. Similiter ex Basilio Magno, Eusebio Cæsariensi, & Origene.

XX. Denique ex Chrysostomo.

XXI. Tertiò & postremò Deus ex Augustino propriè est silentium ineffabili cordis voce laudandum.

I. HÆc tria sunt admodum quæ nobis supersint elucidanda, ad divinæ simplicitatis illustrationem; quod affectatè & consultò sacræ litteræ multa de Deo proferant parum indigna; ut vel hinc moneamur, nec illa dignè & propriè de Deo dici, quæ nobis quidem videntur aliquam præ se ferre dignitatem. Item cùm dignissimè de Deo videatur dici, quòd sit justitia & sapientia, tamen ne hæc quidem ejusmodi esse, quæ dignè de eo dicantur. Hinc denique illud effici, ut de Deo nihil dignius dicatur, quàm quòd de eo nihil dignè & propriè dici possit; quòdque silentium sit, ineffabili cordis magis, quàm oris aut mentis voce laudandum. Hæc tria sunt quæ in extremum hoc caput coniicientur.

Et primò quidem ita sanè sentit Augustinus, cùm Scriptura Deo tribuat quandoque pœnitentiam, quam homines etiam de trivio capiunt non posse in Deo esse; quandoque præscientiam, quam homines magnoperè mirantur; id eo consilio fieri, ut perinde istam atque illam à Deo, ut sonat, abstergeri debere discamus. Nobis enim magnificum quid & amplissimum videtur statim futura præscire; at altiùs rem rimantibus elucet tandem æternitati divinæ nihil futurum esse posse quod expectet, nihil absens, nihil præteritum quod meminerit. *Age videamus quomodo dictum sit, Pœnitet me, quod constituerim Regem Saul. Ego verò cum hoc de Deo dicitur, indignum aliquid dici arbitrarer,* (Ad Simpl. l. 2. q. 2.) *si aliquid dignum inveniretur, quod de illo diceretur. Cùm verba omnia quibus humana colloquia conseruntur, illius sempiterna virtus & divinitas mirabiliter atque incunctanter excedat; quidquid de illo humanitus dicitur, quod etiam hominibus aspernabile videatur, ipsa humana admonetur infirmitas, etiam illa quæ congruenter in Scripturis sanctis de Deo dicta existimat, humanæ capacitati aptiora esse, quàm divinæ sublimitati, ac per hoc etiam ipsa transcendenda esse saniore intellectu, sicut ista qualicumque transcensa sunt. Quis enim est hominum, cui non occurrat in Deo cuncta præsciente, pœnitentiam esse non posse? Et certè tamen hæc duo verba sunt pœnitentia & præscientia, quorum quia unum congruè credimus in Deo, id est, præscientiam, negamus in eo esse pœnitentiam. Cum verò aliquis liquidiore consideratione ista pertractans, quæsierit quemadmodum vel ipsa præscientia Deo congruat, & invenerit hujus etiam verbi notionem illius ineffabili divinitate longè latèque superari; non miraretur utrumque de illo propter homines dici potuisse, de quo utrumque propter ipsum incongruè diceretur. Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora?* Cùmque non pœnitentia tantùm, sed & ira, & zelus, & alia apertissimè indecora Deo ascribantur in sacris Codicibus, hinc cogimur suspicari, ne indecora quoque Deo sint, quæ nobis indecora non essent. *Sed illa Scriptura omnibus* (Con. Adim. c. 7. 11.) *consulens, propterea magis ista ponit, ne illa quæ placent, sic intelligantur in Deo, quomodo consueverunt in hominibus intelligi. Per hæc enim quæ displicent, cùm ea non audeamus sic intelligere in Deo, ut inveniuntur in homine, discimus etiam illa sic quærere, quæ apta esse atque convenientia putabamus.*

Eadem regula sæpiùs alibi ab Augustino confirmatur: *Sancta Scriptura nostris verbis loquens, etiam per hæc verba demonstrat nihil dignè posse dici de Deo. Cur enim non etiam verba ista dicantur de illa majestate, de qua quidquid dictum fuerit, indignè dicitur; quia omnes opes linguarum omnium ineffabili sublimitate præcedit?* Et infrà: *Illi hæc verba exhorrescunt, qui nondum viderunt ineffabili majestati nulla verba congruere. Sic enim ab istiusmodi verbis temperandum putant, quasi aliquid Deo dignum putent, cum ista non dicunt. Sanctus enim Spiritus hoc ipsum hominibus intelligentibus insinuans, quàm sint ineffabilia summa divina, his etiam verbis uti voluit, quæ apud homines in vitio poni solent; ut inde admonerentur, etiam illa quæ cum aliqua dignitate Dei se putant homines dicere, indigna esse illius majestate, cui honorificum potiùs silentium, quàm ulla vox humana competeret.* Et infrà: (Ibid. c. 11.) *Quia nihil dignum de Deo dici potest, propterea usque ad ista perventum est, quæ cùm homines indigna esse putaverint, cogantur discere etiam illa quæ convenienter de ineffabili divina excellentia se dicere existimant, indigna esse majestate Dei; cujus sapientia cum descensura esset usque ad corpus huma-* (Con. Adv. Leg. & Prop. l. 1. c. 19. Serm. 40. de Temp. c. 7.) *num, priùs usque ad humana verba descendit.* Quæ non semel alibi idem Augustinus inculcavit.

II. Porrò bipartitam facit hìc Augustinus eorum quæ de Deo dicuntur distributionem; nimirum vel quæ palàm indigna sunt, ut irasci, æmulari, pœnitere: vel quæ humanæ imbecillitatis modulo omnia æstimantibus digna videantur, sed Deo comparata, reapse peræquè illum dedeceant. At cùm justitia, cùm sapientia, cùm veritas, cùm bonitas dicitur Deus, humana hæc quoque verba sunt, & in hac secunda clauduntur Augustini classe, cùm alterutra necesse sit omnia includi. Augustinum suo more imitatus est Gregorius: *Penè omne quippè quod de Deo dicitur, eo ipso jam indignum est, quo potuit dici. Nam cujus laudi non* (Moral. l. 20. c. 13.) *sufficit obstupescens conscientia, quando sufficiet loquens lingua? Sanctus ergo Spiritus hoc ipsum hominibus intelligentibus insinuans, quàm sint ineffabilia summa etiam verba divina, his verbis nonnunquam de Deo utitur, quæ apud homines habentur in vitio; ut ex his quæ indigna videntur hominibus, & tamen dicuntur de Deo, admoneantur scire homines quod nec illa jam digna Deo sint, quæ dum digna habentur apud homines, digna putantur Deo.*

His adprimè concinunt quæ disputat Novitianus libro de Trinitate: vel in novi Testamenti literis, ubi Deus dicitur spiritus, charitas, lux; non ita tamen hæc dici quasi propriè Deo conveniant, aut ejus substantiam & naturam explanent. Supra vires enim hominum, supra intelligentiam id esse, nec ipsa intelligentiæ incrementa, quæ per Christum fecimus, ad hoc valere, sed ut cùm huc usque gradum fecerimus, ut Deum æstimemus esse spiritum, lucem, charitatem, supra hæc quoque ad ipsum conscendere enitamur. *Sed illud quod dicit Dominus Spiritum Deum, puto ego sic locutum Christum de Patre, ut adhuc aliquid plus intelligi velit, quàm Spiritum Deum. Hominibus enim licèt in Evangelio suo intelligendi incrementa facientibus disputet; sed tamen & ipse sic adhuc de Deo loquitur hominibus, quomodo possunt adhuc audire vel capere; licèt ut diximus in agnitionem Dei religiosa jam facere incrementa nitatur.*

tur. Invenimus enim scriptum esse quòd Deus charitas dictus sit; nec tamen in hoc substantia Dei charitas expressa est. Et quod lux dictus est, nec tamen in hoc substantia Dei est; sed totum hoc de Deo dictum est, quantum dici potest. Ut meritò & quando spiritus dictus est, non omne id quod est, dictus sit; sed ut dum mens hominum intelligendo usque ad ipsum proficit spiritum, conversa jam ipsa in spiritu aliud quid amplius per spiritum conjicere Deum esse possit. Id enim quod est, secundùm id quod est, nec humano sermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus colligi potest. Nam si quæ præparavit Deus his qui diligunt illum, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis, aut mens ipsa percepit; qualis & quantus est ille ipse qui hæc repromittit, ad qua intelligenda & mens hominis & natura deficit?

III. Huc quoque referendum est quod ait Dionysius in sacris litteris Deum adumbrari quandoque per similes sacrarum figurarum imagines, ut cùm mens, substantia, sapientia dicitur; aliquando per dissimiles, & has esse convenientiores, tum quòd negationibus propiores sint, quæ Deo magis conveniunt quàm affirmationes; tum quòd nemini imponant, ipsa enim incongruitas statim se prodit. At priori ratione sæpè errat mens, dum congruè de Deo dici putat, quæ etsi utcumque similia sint, procul sunt tamen ab ejus substantia. *Cùm ergo negationes in divinis veræ, affirmationes verò incongruæ sint: arcanorum obscuritati magis propria est rerum invisibilium per dissimiles effectiones explanatio, &c. Quòd verò absonæ similitudines magis mentem nostram erigant, nemo cordatus contradicat, &c.* Et sanè cùm infimæ etiam naturæ à summa pulcritudine prodierint, ejus indubitatissimè lineas & vestigia retinent aliqua, quibus mens nostra ad exemplar ipsum summum pulcritudinis eluctetur; & tantò minùs periclitetur, exemplar illud summum confundere cum ejus imagine, quantò decoloratior est hæc imago. *Licet itaque non incongruas rebus cœlestibus, etiam ex vilissimis materiæ partibus formas effingere. Cùm & ipsa etiam ab eo qui verè pulcher est existens, per omnem sui materialem dispositionem vestigia quædam intellectualis habeat venustatis; fierique possit ut per ea ad immateriales formas primitivas adducamur, dissimiliter ut dictum est similitudines accipiendo.* Cœl. Hier. c. 2. n. 3. 4. 5.

IV. Ad secundam jam partem hujus capitis accedimus, à prima evidentissimè aptam & religatam. Si enim imagines & formæ & similitudines aliquæ accersi possunt ad divinas res nobis repræsentandas, non aliæ magis optandæ sunt, non aliæ similiores sperandæ sunt, quàm quæ à natura rationali, atque intellectuali, & ab ipsis hujus naturæ floribus atque virtutibus desumuntur. Istiusmodi est sapientia, justitia, fortitudo, castitas; hi sunt flores, hi fructus naturæ intellectualis; hæ tempestivæ maximè & simillimæ imagines sunt, quibus natura divina alioqui invisibilis, incomprehensibilis, inenarrabilis repræsentetur. Sed etiam in his locum habent regulæ illæ solemnes, superiùs omnium sanctorum Patrum testificatione confirmatæ: ablationes magis esse proprias, quàm affirmationes, cùm de Deo agitur; affirmationes ipsas ad superlationem quandam & præcellentiam revocari debere, quæ eas quodammodo negationibus coæquet; omnia per modum causæ de Deo dici, ut de omnium principio & authore. Nec tantùm has regulas commendarunt universim sancti Patres, sed inter exempla quibus eas illustrarunt, eas in medium protulere formas de quibus hîc agitur, sapientiam, justitiam, bonitatem & consimiles alias.

Quin & Augustinus ipse, qui omnium impensissimè in id incubuit, ut assuefaceret nos Deum cogitare, ut veritatem, ut sapientiam, ut intelligentiæ lumen, ut justitiam, ut charitatem: non siluit tamen hæc quo sensu de Deo vel dici, vel cogitari æstimanda sint. Scientiam ab omnibus nævis studuit ille alicubi purgare, ut de Deo posset prædicari: & nihilo tamen minùs ita defœcatam scientiam & emaculatam non nisi negativè Deo adscribi sinit, quòd nihil ipsum lateat. *Cùm dempsero de humana scientia mutabilitatem, & transitus quosdam à cogitatione in cogitationem, cùm hæc detraxero, & reliquero solam vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis, una atque æterna contemplatione cuncta collustrantis, insinuatur mihi utcumque scientia Dei. Quod tamen nomen ex eo quod sciendo aliquid non latet hominem, potuit rei utrique esse commune.* Ad Simplic. l. 2. q. 2. Sic ille per illam scientiæ perpurgationem à creatæ naturæ maculis, ait non omnino demonstrari, sed utcumque insinuari scientiam Dei; & de scientia quam intelligimus, nihil Deo competere, nisi non latere, quod planè negativum est. Unde rursus ibidem: *Tamen ad non latere, quoquo modo pertinet communicatio ipsa vocabuli.*

V. Sed longè explicatiùs idem Augustinus alibi de justitia, quam tam frequens ut nomen Deo aptissimum vendicarat; & tamen hîc accommodatè tantùm de eo vel dici, vel cogitari posse demonstrat, translatam videlicet ab affectu animi justitiæ legibus addicti, ad Deum, ut ad causam efficientem, atque exemplarem totius justitiæ: *Dico justum Deum, quia in verbis humanis nil melius, quod de eo dicamus, invenio. Nam est ille ultra justitiam. Dicitur in Scripturis, justus Dominus, &, justitias dilexit. Sed ibi dicitur, & pœnitere Deum, dicitur & nescire Deum. Quis non exhorreat, nescit Deus, pœnitet Deum? Ideò tamen & ad ista verba salubriter Scriptura descendit, quæ & tu exhorres; ne illa quæ magna putas, dignè dicta arbitreris.* Serm. 40. de Temp. c. 7. Ita sanctus Doctor disertis verbis & ex instituto hanc quæstionem versans, negat propriè & accuratè dici posse quòd Deus justus sit, aut quòd justitia sit, propterea quòd supra justitiam est. Quanquam autem nec Scriptura divina, nec mens humana melius sublimiusque quidquam possit de Deo vel dicere, vel cogitare, quàm quòd justitia sit: non tamen hanc esse propriam Dei naturam existimandam. Non capit enim mens humana proprietatem ipsam naturæ divinæ; & Scriptura tam crebrò alibi utitur verbis apertissimè Deo indignis, ut plus satis hinc constare possit, non statim Deo digna esse aliqua vel nomina, vel encomia, si in libris sacris legantur. Est enim Scriptura quasi magistra quædam nostræ infantiæ accommodata, quæ rudimentis his ad perfectiora nos paulatim provehit, ut tandem intelligamus id esse Deum, quod nec intelligi, nec dici possit. *Sic & illud quod dicitur justus, supereminentiæ ipsius non competere intelligat, quamvis hoc Scriptura benè posuerit, ut per qualiacumque verba gradatim animus ad id quod dici non potest, perducatur.*

VI. Aperit autem ibidem Augustinus fontem totius hujus doctrinæ, quòd videlicet justitia, sapientia, intelligentia sint quædam affectiones animarum, quas Deo ideo tribuimus, quia corporeis omnibus superiores sunt, & ipsis nihil melius intelligimus. Ceterùm hæc in Deo non esse, nisi ut in causa & principio, eminentissimè & simplicissimè, & ratione longè diversissima prorsus sicut colores non sunt in luce, & tamen omnes manant à luce. Lux enim simplex, merum, & unum quid est, nec flava, nec rubra, nec viridis; multiformes tamen ex se colores fundit, flavum, rubrum, viridem, aliosque innumeros. Ita Deus unitas est, & unitate sincerior, simpliciorque est; nec justus, nec sapiens, nec intelligens; & tamen ista ex se fundit, & animabus infundit. *In Deo omne quod dicitur, id ipsum est. Neque enim in Deo aliud potestas, & aliud prudentia, & aliud fortitudo, & aliud justitia, & aliud castitas. Quidquid horum de Deo dicis, neque aliud & aliud intelligitur, & nihil dignè dicitur. Quia hæc animarum sunt, quas* Ibid. c. 6.

illa lux perfundit quodammodo, & pro suis qualitatibus afficit. Quomodo cum oritur corporibus lux ista visibilis: si auferatur, unus est corporibus omnibus color, qui potiùs dicendus est nullus color. Cùm autem illata illustraverit corpora, quamvis ipsa uniusmodi sit, pro diversis tamen corporum qualitatibus diverso eos nitore aspergit. Ergo animarum sunt istæ affectiones, quæ bene affectæ sunt ab illa luce, quæ non afficitur: & formatæ ab illa, quæ non formatur. Ita sanctus Pater & sapientiam & justitiam & cæteras ejusmodis species à Deo abesse jubet, perinde ut colores à luce: cùm tamen lux colorum, Deus harum virtutum omnium origo & causa sit.

Nec tibi subrepat frivola illa & cavillatoria distinctio, cùm dicit Augustinus Deum esse ultra justitiam, intelligendum illum esse de justitia nostra accidentali & participata, non de justitia substantiali & per se subsistente, qualis in Deo est. Contra enim primò alibi sexcenties Augustinus inculcat hanc distinctionem justitiæ justificantis & justificatæ, sapientiæ illuminantis & illuminatæ. At in hoc sermone de tempore nec verbum de ea facit ullum, etsi opportunum in primis & necessarium id fuisset, si ea ejus erat mens. 2. Absolutè huc collimat Augustinus hoc loco, ut de Deo dignè & propriè dici & pro ejus dignitate nihil omnino possit; adeòque nec quòd sit justitia justificans & per se subsistens. 3. Cùm in Scripturis Deus vocatur justitia, utique substantialis & per se subsistens justitia hæc intelligitur. At Augustinus manifestè docet, ideò in iisdem Scripturis appingi Deo alia nomina, quæ ipsum minimè addeceant, ut conjectura inde sumatur, utraque perinde abstergenda ab eo esse. 4. Exemplum lucis ab Augustino prolatum omnem cavillationem elidit. Ait enim sapientiam, justitiam, fortitudinem esse affectiones animæ, non Deum; Deum verò sic illas effundere, ut lux colores, utque lux uniformis multiformes effundit colores, ipsa coloris expers; ita Deum, mera unitas & simplicitas cùm sit, omniformes illas affectiones ex se procreare. Ergo ut uniformitas lucis in eo sita est, quòd ipsa, cùm nullus color sit, omnium colorum parens est; ita simplicitas Dei in eo erit, quòd cùm ipse nec justitia, nec sapientia sit, nec hujusmodi quidquam, horum tamen omnium author sit. Postremò denique quòd huc demum totus eo loco fertur Augustinus, ut Deus sit *silentium ineffabili cordis voce laudandum*, sicut infrà dicemus; id argumento est, non hunc unum fuisse ejus scopum, ut id evinceret, Deum non esse, nec dici debere justitiam accidentalem, sed substantialem.

VII. Ab Augustini sententia non dissidet Gregorius Magnus. Ita enim ille sentit, quòd menti nostræ summam sapientiam, incommutabilem veritatem, justitiam substantialem contemplanti Deus quidem ipse obversetur, sine medio ullo, vel corpore, vel phantasmate; nec tamen prout in se est intelligatur, nec propriè videatur: sed propter imbecillitatem mentis creatæ, propter summam mentis à Deo distantiam, hoc est, summam mentis à Deo dissimilitudinem exoriatur caligo, & quasi nebula quædam symboli spiritalis; quo efficitur, ut etsi Deus sapientia & justitia non sit, sed ultra sapientiam & justitiam, menti tamen in Deum tendenti & intuenti, Deus appareat ut sapientia & justitia; sicut oculo in puram lucem arrecto apparet quandoque non pura lux, sed color multiplex. Hanc autem Gregorii esse sententiam, multis liquebit ejus testimoniis. In primis ubi hæc verba Ezechielis, *Et hæc visio similitudinis gloriæ Domini*, exponit in hunc sensum: *Non enim visio gloriæ, sed similitudinis gloriæ. Ut videlicet ostendatur, quia quantalibet intentione se mens humana tendat: etiamsi jam phantasias imaginum corporalium à cogitatione compescat, etsi jam omnes circumscriptos spiritus ab oculis cordis amoveat; adhuc tamen*

Hom. 8. in Ezech.

in carne mortali posita videre gloriam Dei non valet, sicut est; sed quidquid de illa est, quod in mente resplendet, similitudo, & non ipsa est. Et infrà: *Aliter est gloria ejus in rebus factis, aliter in semetipsa. Hæc ergo ejus gloria quæ in rebus est, videri potest: illa verò quæ in ipso est, videri modò nisi per similitudinem non potest.* Ubi perspicuè sanctus Pater mentem attendit supra corpora, supra seipsam, supra Angelos, supra omnes creaturas jam evectam; & ibi tamen ab ea solam Dei similitudinem videri arbitratur. Mens ergo omnes creatas naturas infra se habens, solum Deum supra se & præsentem aspectans, idque sine medio, non ipsum tamen, sed ejus similitudinem videt. Videt autem in illa sui evectione ad cœlestia & divina sapientiam incommutabilem, incorruptibilem justitiam, veritatem sempiternam. Ergo istæ etiam ut à mortalibus contemplatoribus videntur, non sunt nisi spiritales & nobilissimæ similitudines Dei.

Rursus idem Gregorius in illa ejusdem Ezechielis verba, *Ea quæ sub ipso erant, replebant templum*, hæc habet: *Quia quidquid de illo modò conspicitur, non adhuc est ipse, sed sub ipso est.* Et paulò pòst: *Ea quæ sub ipso sunt, implent templum, quia sicut dictum est, & cùm mens in contemplatione profecerit, non jam quod ipse, sed quod sub ipso est contemplatur.* Ex quo claret, quantumvis mens in contemplatione incrementa fecerit, quamvis jam insuefacta sit, authore & hortatore Augustino, Deum cogitare, ut veritatem, ut charitatem; nondum tamen ab ipsa Deum videri, aut intelligi ut est, sed id quod sub Deo est, tanquam volumina vestium, seu spiritalium symbolorum, quibus Deus amicitur.

VIII. Idem non minùs apertè traditur in interpretatione libri primi Regum. In illa enim Pauli verba, *Qui lucem habitat inaccessibilem*, hæc adnotantur: *Quidquid de omnipotente Deo humana mens* L. 4. c. ii
potest cogitare, Deus non est, sed dum cogitando cuncta transcendit; dum quidquid potest intimæ lucis sibi fingere, minus illa esse creditur; ad quandam tamen lucem pervenit, quæ non est Deus, sed quam inhabitat Deus. Et infrà: *Cogitare compellitur quàm ineffabilis lux, dulcedo & delectatio sit, quæ ipse est, si tam immensa est lux illa quam inhabitat, & non est ipse.* Et infrà: *Moyse qui facie ad faciem Deum videre dicitur, & ejus faciem ad videndum postulare, quid rectiùs designat, quam perfectionem electorum, qui jam speculum illius summæ lucis intuentur, sed tamen ad ipsam lucis veritatem pertingere vehementer cupiunt?* Quæso autem quid est illa lux quam inhabitat Deus, & quæ non est Deus; quam vident qui raptibus mentis supra creata omnia evehuntur, nec tamen Deum vident; quæ speculum Dei est, non species; quam etsi viderat Moyses, quando facie ad faciem Deum viderat, postulabat tamen adhuc orabatque, Ostende mihi temetipsum: quid inquam lux ista est, nisi lux illa æternæ veritatis, incommutabilis justitiæ, incorruptibilis sapientiæ, quam quotidie consulebat Moyses, quando responsa dabat ad populos; quam viri mente sublimes jugiter contemplantur? & tamen hæc lux teste Gregorio non est Deus, sed inhabitatio Dei, id est involucrum quo Deus nunc quasi amicitur, dum videtur à nobis, aut intelligitur; non est Deus, sed speculum seu symbolum quo Deus videtur. Unde concludit tandem ibidem Gregorius, quantumcumque in hac vita contemplando oculumque mentis purgando proficiamus, non posse nos lucem divinam in seipsa, etsi possimus illam in speculo contemplari. At ubi proficimus, eò pervenimus, ut Deus non aliter quàm ut veritatem, ut sapientiam, ut justitiam intelligamus. Ergo hæc non sunt nisi specula quædam & symbola spiritalia divinæ naturæ. *Cum multum in ista vita proficimus, videre ipsam lucem conditoris per speculum possumus, in seipsa autem minimè valemus.*

IX. Rur-

IX. Rursus alibi idem Gregorius, ut non sit illa visio Dei, quando mens raris brevibusque, sed beatis momentis in Deum videt veritatem incommutabilem; nec tamen aliud verè videt, quàm videri Deum ut est non posse: *Resplendente raptim coruscatione incircumscripti luminis illustratur; ibi mens ex immenso fonte infusione superni roris aspergitur. Ibi non se sufficere ad id ad quod rapta est, contemplatur; & veritatem sentiendo, videt quia quanta est ipsa veritas non videt.* Et paulò pòst: *Nisi illam utcumque susciperet, nequaquam eam conspicere se non posse sentiret.* Et infrà: *Hæc ipsa tamen per contemplationem facta, non solida & permanens visio, sed ut ita dixerim, quasi quædam visionis imitatio, Dei facies vocatur.* Etiam tum ergo quando rapta in Deum mens veritatem videt, non tamen hæc visio Dei est, sed imitatio visionis; non Deum tunc videt mens, sed videt videri non posse; hoc est, Deum videt in speculo illo spiritalium symbolorum.

Mor. l. 24. c. 5.

Et quando toties ait Gregorius, Quidquid mens perfectè videt, Deum non esse; Deum nonnisi in speculo tunc videri, cùm videri dicitur; etiam dum videtur, non videri; ex solis operibus, non in seipso videri; videri quod est, sed non sicuti est; hæc & alia ejusmodi nostræ huic sententiæ plurimùm favent. *Quidquid de omnipotenti Deo humana mens potest cogitare, Deus non est.* Et alibi: *In hac vita positis contemplatoribus suis nequaquam Divinitas sicut insinuat, sed lippientibus mentis nostræ oculis claritatem suam tenuiter demonstrat.* Et infrà: *Mens cùm in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfectè conspicere prævalet, Deus non est.* Et ibidem: *Tunc verum est quod de Deo cognoscimus, cùm plenè nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus.* Et alibi: *Sic latet in specie, ut tamen cognoscatur in operatione; sic cognoscitur in suo opere, ut tamen comprehendi non valeat à cognoscentis æstimatione; sic adest, ut videri nequeat; sic videri non valet, ut tamen ejus præsentiam ipsa sua indicia testentur; sic se nobis intelligendum præbet, ut tamen ipsum nobis radium sui intellectus obnubilet. Et rursum sic caligine nos ignorantiæ reprimit, ut tamen menti nostræ radiis suæ claritatis intermicet; quatenus & sublevata quidpiam videat, & reverberata contremiscat. Et quia eum sicuti est, videre non potest, aliquatenus videndo cognoscat.* Ita Gregorius. Mens ergo Deum veritatem & justitiam incommutabilem intelligit, sed non sicuti est; videt, sed in nubilo; videt, sed in operatione; videt, sed ut videat videri non posse.

In l. 1. Reg. L. 4. c. 5. Moral. l. 4. c. 36.

L. 22. c. 4.

L. 37. c. 3. Iterum verò Gregorius hæc verba libri Job, *Omnes homines vident eum, & unusquisque intuetur procul*, in hunc modum commentatur: *Procul illum intueri est, non jam illum per speciem cernere, sed adhuc ex sola operum suorum æstimatione pensare. Procul illum hic etiam electi conspiciunt, qui necdum claritatem illius per acumen intimæ visionis apprehendunt.* Et aliquantò etiam disertiùs infrà:

L. 39. c. 20. *Oculi ejus de longè prospiciunt. Quantumlibet in hac vita positus quisque profecerit, necdum Deum per speciem, sed per speculum & ænigma videt.* Et infra: *Quia igitur Sancti in alta se contemplatione erigunt, & tamen Deum sicuti est videre non possunt, &c.* Et paulò pòst: *A luce incorruptibili caligo nos nostræ corruptionis obscurat; cùmque & videri aliquatenus potest, & tamen lux ipsa sicuti est non potest, quàm longè sit indicat. Quam si mens utcumque non cerneret, nec quàm longè esset videret. Si autem perfectè jam cerneret, profectò hanc quasi per caliginem non videret. Igitur quia nec omnino cernitur, nec omnino rursum non cernitur, rectè dictum est quia à longè Deus videtur.* Quid est autem quod Deus videtur, & non sicuti est videtur; in raptu mentis & in corusco videtur, & tamen in speculo tantùm videtur; nisi quia ipse quidem præsto est, & mens in illum intuetur; sed quia de longè, ideo sub caligine videtur: & apparet veritas & justitia, etsi nec veritas nec justitia, quæ à nobis intelligitur, sit Deus ipse, sed ænigma & speculum ac symbolum spiritale divinæ naturæ? Per corporeas enim imagines mens Deum etiam extra raptus & coruscationes videt; at per spiritales imagines, & per intelligibilia symbola veritatis & justitiæ mens Deum non videt, nisi per beata illa momenta, quibus ei raptim intermicat lux divina.

X. Gregorio & Augustino lubens calculum suum adiiciet Bernardus. Et primò quidem cùm mediam quandam fœlicitatem ac visionem Dei mediocrem & quasi umbram vitæ tribuit Adamo & Angelo primùm condito Bernardus, longè imparem illi cumulatæ fœlicitati, quæ voluntariæ perseverantiæ merces est; non potest congruentiùs explicari in quo posita fuerit illa mediocris fœlicitas & visio Dei, quæ nec peccandi potestatem ligabat, nec charitatem penitus solidabat, nisi in contemplatione Dei per spiritalia symbola; quibus verè Deus videretur, non tamen sicuti est videretur; sed ut justitia, ut veritas, ut sapientia, ut castitas, quæ spiritalia sunt symbola, ab intellectuali natura ita ad Deum translata, sicuti ignis, petra, leo, lux, corporalia sunt symbola, à corporum naturis excerpta.

Et rursus idem Bernardus: *Vide tu, ne quid nos in hac verbi animæque permixtione corporeum seu imaginatorium sentire existimes. Id loquimur, quod Apostolus dicit: Quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est. Igitur in spiritu fit ista conjunctio.* Et infrà: *Non ergo sic affecta & sic dilecta anima contenta erit omnino vel illa quæ multis per ea quæ facta sunt, vel ea quæ paucis per visa & somnia facta est manifestatio Sponsi; nisi & speciali prærogativa intimis illum affectibus, atque ipsis medullis cordis cœlitus illapsum accipiat, habeatque præsto quem desiderat, non figuratum, sed infusum; non apparentem, sed afficientem, &c. Non tamen illum dixerim adhuc apparere sicuti est, quamvis non omnino adhuc aliud hoc modo exhibeat, quàm quod est.* Quid est autem menti in summæ contemplationis apicem sublimatæ, exhiberi quod Deus est, sed non sicuti est; nisi videri Deum quidem, non tamen nudum, sed symbolis tenuissimis velatum? Nam si sine symbolo videtur, utique sicuti est videtur, etsi nondum fortassis perfectè videatur: sicut Beati omnes Deum sicuti est vident, etsi non omnes totum æquè perfectè vident. Serm. 31. in Cant.

XI. Author libelli seu Epistolæ de Vita solitaria ad Fratres de Monte Dei apud Bernardum, cognitionem Dei per incommutabiles regulas veritatis & sapientiæ, homini quodammodo naturalem esse docet. At id quod Deus est, nonnisi singulari gratiæ divinæ privilegio cognosci posse. Distinguit ergo illam ab ista, nec per illam agnosci Deum vult, prout est. *Quod sponte venit in mentem, sive ex ipsa vi rationis, sive incommutabilium legum incommutabilis veritatis naturali intelligentia, ex qua etiam impiissimi homines nonnunquam rectissimè judicare inveniuntur; hoc sic inest rationi, ut hoc ipsum ipsa ratio sit. In quo hoc potissimum est, cum quod notum est Dei Deo naturaliter revelante, manifestum est homini etiam impio.* Adverte quæso quòd hìc dicitur, incommutabiles regulas veritatis naturali intelligentia conspici ab hominibus, etiam impiis, & hanc intelligentiam ipsammet esse eorum rationem; & ita naturaliter Deum notum esse hominibus. Atqui hæc tota cognitio Dei, qua notum est illum esse, & naturaliter notum est, & impiis etiam hominibus notum est, non aliud de Deo declarat, quàm quia est, nequaquam autem quid est. *Sicut quæ corporalia sunt discernit animus per corporis sensus, sic quæ sunt rationabilia vel spiritalia, discernere non potest, nisi per semetipsum. Quæ verò sunt Dei, nonnisi à*

Deo quærat vel expectet intellectum. Per sensus ergo anima cognoscit res corporeas; res spiritales & rationales per semetipsam, rationibus regularum veritatis incommutabilis imbutam; at res divinas longè alio modo. Unde mox: *De nonnullis quæ ad Deum spectant, fas est & possibile homini rationem habenti cogitare & disquirere, sicut de dulcedine bonitatis ejus & de dulcedine virtutis & aliis hujusmodi. Ipsum verò quod est idipsum id quod est, cogitari omnino non potest, nisi quantum ab hoc sensu illuminati amoris attingi potest*. Ubi vides de potentia & de bonitate Dei posse hominem naturaliter cogitare. De ipso verò Deo prout est, sine speciali gratia non posse; & hanc cogitationem tunc magis spectare ad illuminati amoris affectum, quàm ad meram intelligentiam.

XII. Sed Bernardus ipse mentem suam aperit ita perspicuè, ut nihil dubitationis posthac residere possit; *Et nunc quidem apparet quibus vult, sed sicuti vult, non sicuti est. Non sapiens, non sanctus, non Propheta videre illum sicuti est potest, aut potuit in corpore hoc mortali: poterit autem in immortali qui dignus habetur. Itaque videtur & hic, sed sicut videtur ipsi, & non sicuti est.* Cùmque monuisset nec Solem hunc visibilem sicut est videri, sed illo luminis & magnitudinis modulo, quem capere possunt oculi nostri: *Ita & Solem justitiæ qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo sicut illuminat, illuminatus potest, tanquam jam in aliquo similis; sicuti est, omnino non potest, tanquam nondum perfectè similis.* Per imagines autem ex rebus ab eo conditis exilientes, utcumque videmus, non quid sit, sed quòd sit earum conditor: *Interim verò tanta hæc formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt radii Deitatis, monstrantes quidem quia verè sit, à quo sunt, non tamen quid sit prorsus diffinientes? Itaque de ipso vides, non ipsum. Cum autem de eo quem non vides, cætera vides, scis indubitanter existere, quem oportet inquirere; ut inquirentem non fraudet gratia, negligentem ignorantia non excuset. Verùm hoc genus videndi commune. In promptu enim est juxta Apostolum omni utenti ratione, invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicere.* Illa ergo incorruptibilis sapientia, & justitia, & castitas, quæ mentibus obversatur, radius est quidam Deitatis, ostendentis se, vel etiam imprimentis illis, non qualis ipsa est, sed quales ipsæ sunt, & qualiter divina pati possunt; & demonstrans quia Deus est, non verò quid est. Denique hac etiam ratione invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intelliguntur & conspiciuntur, non quid in seipsis sunt, sed tantùm quia sunt.

Serm. 31. in Cant.

XIII. Similiter Boethius libro de Trinitate & unitate Dei, dum ait Deum non esse substantiam, sed ultra substantiam; & nihil de Deo propriè prædicari posse; justitiam quoque in Deo esse substantiam, sed illam quæ est ultra substantiam; & sic de aliis: apertissimè nobis suffragatur. Sic enim liquet, si non substantia, sed ultra substantiam sit; non esse quoque justitiam & veritatem, sed ultra; non esse justitiam, & veritatem substantialem, sed ultra. *Hæc cum quis in divinam verterit prædicationem, cuncta mutantur, quæ prædicari possunt. Nam substantia in illo, non est verè substantia, sed ultra substantiam. Item qualitas & cætera, quæ evenire queunt. Quorum ut amplior fiat intellectus, exempla subdenda sunt. Nam cum dicimus Deus, substantiam quidem significare videmur, sed eam quæ sit ultra substantiam. Cùm verò Justus, qualitatem quidem, sed non accidentem, sed eam quæ sit substantia, sed ultra substantiam.*

Pseudo-Cyprianum jam supra audivimus in libro de Cardinalibus Christi operibus, ex cujus præfatione non pigebit hìc aliqua rursus adjicere, quibus doctrina superior confirmetur. *Deus quæritur, nec tamen quæsitus, illico invenitur. Gustamus, delibamus, odoramus, & prope est; cumque accesseris, longè abit. Et quomodo fulgur nubes disrumpit, & repentina coruscatio non tam illuminat, quàm hebetat oculum; ita aliquando nescio quo modo tu tangeris, & tangi te sentis, eum tamen qui te tangit non intueris. Dicuntur tibi quædam arcana verba intrinsecus, quæ efferre non sufficis; ut dubitare non possis, quia juxta te est, imò intra te, qui te sollicitat: nec tamen sicuti est, se tibi videndum concedat.* Equidem non video, quid expressius, quid manifestius dici possit in rem istam. Etiam arrepta in culmen contemplationis mens, etiam beatis divinæ lucis coruscationibus gaudens, etiam arcana cum Paulo verba audiens, non tamen Deum videt, non intelligit sicuti est; illum gustat, odorat, sentit, tangit, non videt; illo coruscationum fulgore hebetatur magis quàm illustratur. Ita affecta anima voces venatur, quibus qua potest exprimat, quod sentit, & Deum vocat justitiam, veritatem, charitatem; sed hæc non assequuntur id quod intus in penetrali sentit. *Quod Verbum in principio apud Deum in suo proprio esse mihi non patet; sed quibusdam nominibus Deum invoco, & dico, justitia, veritas, sanctificatio, charitas; & quæro aliquas species, vel formas, per quas quid sentio quoquo modo intimem.* En ut anima Dei odore & gustu aliquo perstricta, quærat species & formas, seu symbola omnis generis, quibus exprimat id quod sentit.

A quibus non discrepat Hugo de sancto Victore, ex quo pauca hæc attexo: *Non aliud est Deo esse, quàm sapientem esse, immensum esse, æternum, bonum, justum. Cùm autem dicitur justus, sapiens, &c. non diversitatem proprietatum ostendimus, quæ in Deo nulla est, sed diversos effectus quos Deus operatur in creaturis. Cùm enim dicitur justus, intelligitur quod justè judicat; cùm sapiens, quod sapienter omnia facit & gubernat; cum misericors, quod misericorditer peccatoribus parcit.* Sic ille attributa sapientiæ & justitiæ Deo attribuit non in modum formæ, sed per modum principii & causæ. In summ. sent. Tract. 1. c. 4.

XIV. Adeundi sunt jam nobis Græci, & eorum corroganda suffragia. Favet imprimis Dionysius, qui hæc omnia, vitam, sapientiam, justitiam, & id genus omnia, sine anfractu, nudè & candidè vocat sacra figmenta, seu symbolicas figuras, quæ tantò sunt Deo illæ quidem propiores, quòd à natura intellectuali, tanquam de propinquo ad Deum transumptæ sint: sed eò etiam periculosiores, ne nobis imponant, & ob majorem cum Deo analogiam, non symbola, sed attributa Dei vera esse existimentur. Quocirca existimat Dionysius symbola materialia tutiora esse, quòd negationibus propiora sint, & à fraude remotiora. *Venerandam supereffentialis Deitatis beatitudinem elucidantium eloquiorum mysticæ traditiones, aliquandoquidem ut Verbum, & substantiam, & mentem laudant, convenientem Deo rationalitatem atque sapientiam ejus declarantes. Nec non essentialiter existentem existentiam, & rerum existentiæ causam veram, atque instar lucis ipsam effingunt, & vitam appellant. Cujusmodi figmenta sacra, cum quidem magis congrua sint, materialibusque figuris antecellere quodammodo videantur: attamen vel ut sic etiam à divinæ similitudinis veritate deficiunt. Siquidem excedit omnem essentiam, & vitam, neque ipsam ulla lux exprimit, omnisque ratio & vita ab ejus similitudine incomparabiliter discessit.* Et paulò pòst: *Cùm ergo negationes in divinis veræ, affirmationes verò incongruæ sint; arcanorum obscuritati magis propria est rerum invisibilium per dissimiles effictiones explanatio.* Cœlest. Hier. c. 2. n. 1.

Quocirca illa omnia veritatis, sapientiæ, justitiæ, & alia ejusdem generis nomina, quanquam spiritalia quædam symbola, quandoque Dionysius à Deo removet, & negatione abstergit. *Rursum ascendentes* Myst. Theol. c. 5.

tes dicimus quod nec anima sit, nec mens, nec sermo, nec intelligentia: nec intelligitur, nec dicitur, nec habet potentiam, nec est potentia, nec vivit, nec vita est, neque substantia est, nec veritas, neque sapientia, neque unum, neque unitas, neque divinitas, neque bonitas, neque spiritus est, ut nos spiritum cognoscimus; neque filiatio, neque paternitas, neque aliud quidquam eorum quæ nobis, aut ulli eorum qui sunt, cognita sunt. Negat jure meritissimo Dionysius horum quidquam Deo convenire, *ut nos ea cognoscimus.* Nostro etiam modulo ea cognoscimus, & eo modulo, quo creatis naturis hæc conveniunt. Itaque magnæ utrinque angustiæ & maculæ complures imminent his nominibus, tum ex tenuitate mentis nostræ, tum ex naturarum creatarum arctis valdè limitibus. Non possumus enim aliam vocibus significationem adjicere, quàm ut ipsi cogitando res capimus; nec capere res ullas possumus, nisi pro modulo nostrarum virium; nec nomina hæc justitiæ & sapientiæ significare aliam possunt vel justitiam vel sapientiam, quàm qualem nos cognoscimus; nec nos aliam cognoscimus vel justitiam vel sapientiam, quàm quali Angeli hominesque & justi & sapientes esse possunt. Quid autem & qualis sit Dei justitia vel sapientia, omnino non capimus, non intelligimus, nisi quòd nostræ & sapientiæ & justitiæ author largitorque sit.

Hinc universim affirmat Dionysius non patefieri nobis divina omnia, nisi vel per sacra symbola, vel per effectus creatos. *Hæc Deifica lumina nos quoque hausimus, nunc quidem pro captu nostro, dum velaminibus quibusdam sacris utens, Scripturarum sacrarumque Traditionum benignitas, signis sensibilibus res spiritales, substantiisque res supersubstantiales abdit, formasque & figuras rebus forma & figura carentibus addit, necnon supernaturalem omnisque figuræ impatientem simplicitatem dividuorum signorum varietate multiplicat, atque effingit. At quando incorruptibiles & immortales evaserimus, &c.* Et infrà: *Divina omnia, &c. Illa quæ nobis apparuerunt, solis participationibus cognoscuntur. Porrò ipsa cujusmodi in suo principio suaque sede propria existant, nullus sensus attingit, nulla natura, nullaque cognatio penetrat. Veluti cum arcanum illud supersubstantiale, vel Deum, vel vitam, vel substantiam, vel lucem, vel Verbum appellamus; nihil aliud quàm vel Deificas, vel substantificas, vel vivificas, vel sapientificas virtutes intelligimus, quæ ab eo in nos dimanant; ipsum autem omnium mentis operationum cessatione contingimus.*

(De divin. nom. c. 1.) (Ibid. c. 2. p. 7.)

XV. Accedet non invitus Dionysii sententiæ Nazianzenus: *Nonne spiritus & ignis & lux & charitas & sapientia & justitia & mens & Verbum, atque aliis hujusmodi nominibus princeps illa natura nuncupatur?* Cùmque ostendisset Deum, nec spiritum, nec ignem, nec lucem esse, quòd hæc corporalia sint, subdit: *Jam mentem, quam tandem intelliges, an non eam quæ in alio inest, cujusque motus cogitationes nostræ sunt, vel quiescentes, vel sese proferentes? Quod item Verbum? Annon illud quod in nobis quiescit, vel diffunditur? Quam porro sapientiam præter eam quæ habitus est, atque vel in divinis, vel in humanis rebus contemplandis versatur? Quam porrò justitiam & charitatem? Nonne præclaras & cum laude conjunctas affectiones, quarum altera injustitiæ, altera odio adversatur? Nunc sese intendentes, nunc remittentes, nunc accedentes, nunc decedentes, ac certa omnino qualitate nos afficientes, atque immutantes, haud secus ac colores corpora?* Si conscientiam ipsi nostram consulamus, si audiamus, nostra omnis vel cogitatio, vel intelligentia de sapientia, de justitia, de charitate, non alia omnino est quàm qualis à Nazianzeno describitur. Vel nostræ vel Angelicæ mentis affectiones istæ sunt, quas cogitamus, quas cognoscimus, quas Deo appingimus, quia nihil melius, nihil præstantius intelligimus. Sed ut illas Deo adaptemus, negationibus illas copulamus, quæ propriè Deo conveniunt, utpota incommutabilis, incorruptibilis, infinita, inenarrabilis, incomprehensibilis, principio & fine carens. Sed in hac vocum copulatione, sapientia incommutabilis, ipsa quidem negatio propriè & verè Deo congruit; sed positio, seu sapientia non alia in vocibus nostris est, quàm qualis in cogitatione; nec nostra quidem in cogitatione sapientia vel justitia alia est, quàm qualis à Nazianzeno describitur, qualis homini, vel Angelo obvenire potest. Pergit autem Nazianzenus demonstrare, nullum esse proprium Dei nomen; si quod esset, illum esse ipsum dicendum esse; denique nomina pacis, justitiæ & alia id genus, œconomiæ & dispensationis esse, & potestatis, ad creaturarum administrationem spectantia. *Deus rursus vel salvos faciendi, vel ultionum, vel pacis, vel justitiæ, vel Abrahæ, Isaac & Jacob, universique spiritalis Israelis ac Deum videntis, hæc utique œconomiæ sunt nomina. Quoniam enim tribus his rebus gubernamur, nempe & supplicii metu, & salutis gloriæque spe, & cultu virtutum, quibus hæc comparantur; ultionum quidem nomine metus procuratur; salutis autem, spes; virtutum denique, probitatis studium. Ut qui aliquod horum assequitur, perinde ac Deum in seipso gerens, ad perfectionem & familiaritatem eam atque cognationem, qua nos ei virtus conciliat, majori celeritate festinet.*

(Orat. 34.) (Orat. 36.)

Illud sanè præ cæteris Nazianzeni præclarum est, affectari à Deo nomina justitiæ, sapientiæ, charitatis, pacis, castitatis, aliarumque virtutum; non quòd his denudetur ejus natura; sed quòd cùm ea nisi per imagines aliquas & simulacra sive symbola non possit à nobis intelligi, conducibile omnino sit nobis, his maximè virtutum nominibus designari Deum, ut has esse Dei similitudines omnium pulcherrimas, & per eas nos Deo assimilandos esse, & denique his comparatis nos Deum consecuturos esse intelligamus. *Ut qui aliquid horum assequitur, perinde ac Deum in seipso gerens, ad perfectionem, & familiaritatem, & cognationem, qua nos virtus conciliat, majori celeritate festinet.* Et alibi rursus: *Pax & charitas & aliis id genus nominibus appellatur, quo videlicet per ipsa quoque vocabula nos admoneat, ut has virtutes, tanquam Deum consequi studeamus.*

(Orat. 36.) (Orat. 12.)

XVI. Nazianzeni doctrinam pleniùs pandet, & Dionysio conciliabit Elias Cretensis, cujus hæc sunt verba in primam Apologiam Nazianzeni: *Divinum Numen, ut sanctus Dionysius ait, si essentiam spectes, nullo modo cogitari aut comprehendi potest. Neque enim ejus aut sensus, aut imaginatio, aut sententia, aut sermo, aut scientia, aut contactus ullus est. Verùm ex rebus effectis congruenti modo consideratur; alia videlicet ex alia specie ad unum quoddam veritatis simulacrum coeunte; antea quàm teneatur, fugiens; antea quàm cogitetur, sese proripiens; non solum enim cogitatus non tenetur, sed ne perfectè quidem cogitatur.*

XVII. Ex Damasceno bene multa superiùs jam excerpta sunt. Unum hìc addam: *Sunt alia nomina quæ de eo per affirmationem afferuntur; nimirum ea quæ de eo tanquam rerum omnium authore commemorantur. Nam ens & essentia dicitur, ut entium omnium & omnis essentiæ author. Et ratio & rationalis, sapientia item & sapiens, ut rationis omnis & sapientiæ, & ratione præditi ac sapientis origo. Eodem modo & mens dicitur & intelligens, & vita & vivens, potentia & potens, itemque in reliquis omnibus rebus.* Et infrà: *Deus itaque & mens, & Verbum, & spiritus, & sapientia, & potentia, dicitur, ut horum omnium author.*

(Orth. fid. L. 1. c. 6. 15.)

XVIII. Ex Nysseno similiter cùm tam multa superiùs carpserimus, unum hìc, aut alterum insuper locum addam: *Quod boni simile, bonum prorsus est,* (Orat. 6. de Beatit.)

Ergo

Ergo qui seipsum videt, in seipso quod desiderat intuetur; atque ita beatus fit, qui corde puro præditus est, quoniam dum suam puritatem intuetur, per imaginem formam principalem animadvertit. Quemadmodum enim ii qui in speculo Solem vident, etiamsi cœlum ipsum fixis oculis non contueantur, nihilo secius in splendore speculi Solem vident, quàm ipsi qui orbem Solis intuentur; ita etiam vos, etiamsi vires vobis non suppetant ad contemplandum lumen inaccessum; si ad eum qui ab initio vobis constitutus est imaginis decorem ac gratiam reversi fueritis, in vobis ipsis quod quæritis habetis. Puritas enim, & vitiorum affectuumque vacuitas, & malorum omnium alienatio deitas est. Si igitur hæc in te sunt, Deus prorsus in te est. Et paulò pòst: *Per puram cordis serenitatem beatum spectaculum cernis; hoc autem quid est? sanctimonia, puritas, simplicitas, omnesque ejusmodi divinæ naturæ splendores, per quos Deus videtur.* Deum ergo videri & intelligi docet Nyssenus, dum videtur puritas, sanctitas, pietas, veritas; & tamen has esse mentis humanæ virtutes & affectiones profitetur. Nimirum hæc specula sunt, in quæ radios suos Deus ejaculatur, in quibus videtur.

In Cant. Cant. hom. 7. Si obiicias autem quæ Nyssenus idem alicubi habet, *Dominus autem sua natura idipsum quod est, est essentia veritatis, sapientiæ, & potentiæ & virtutis.* ὁ δὲ κύριος κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, αὐτὸ ὅπερ ἐστὶν, ἀληθείας, καὶ σοφίας καὶ δυνάμεως οὐσία ἐστί. Respondebo hæc dici, hæc esse Deum, quòd nihil his præstantius cogitare possimus. At ex eodem Nysseno Deum esse, non id quod optimum cogitare possumus, sed quod omnino quid & quale sit cogitare non valemus. Aut si mavis, essentia Dei essentia veritatis & justitiæ est, non ejus veritatis & justitiæ, quam mente, quam sermone utcumque capimus; sed ejus quæ hujus veritatis & justitiæ nostræ forma exemplaris & efficiens, quæ quid & qualis in seipsa sit, intelligi à nobis omnino in hoc mortali curriculo non potest. Quæcumque superiùs ex Nysseno compilavimus satis prolixè, ita hunc locum interpretandum esse evincunt. Quibus & hunc rursus locum adde valdè eximium: *Universa doctrina de ineffabili natura, etsi maximè Deo convenientem & excelsam videatur ostendere sententiam, Dei sunt similitudines, non autem ipsum aurum. Non potest enim fieri ut plenè & perfectè ostendatur bonum quod superat intelligentiam & mentis conceptionem; etiamsi sit Paulus quispiam qui in Paradiso arcanis mysteriis initiatus fuit, etiamsi audierit verba ineffabilia, manent ineffabiles de Deo intelligentiæ. Dicit enim esse verba ineffabilia harum intelligentiarum. Qui ergo nobis afferunt bonas aliquas considerationes de intelligentia mysteriorum, dicere quidem non possunt quemadmodum se habet ipsorum natura; dicunt autem splendorem gloriæ, figuram substantiæ, formam Dei, Verbum in principio, Deum Verbum. Quæ quidem omnia nobis, qui divinum illum thesaurum non aspeximus, videntur esse aurum: iis autem qui possunt aspicere ad veritatem, sunt auri similitudo non aurum, apparens in subtilibus notis argenti. Argentum autem est verborum significatio; sicut dicit Scriptura, Argentum ignitum lingua justi. Quod ergo per hæc significatur, est hujusmodi: nempe quod divina natura superat omnem quæ comprehendit cogitationem. Quæ autem de ea nobis inest intelligentia, mentisque conceptio, est similitudo ejus quod quæritur. Neque enim ostendit ipsam illius formam; neque novit quispiam, neque nosse aut videre potest: sed per speculum aut ænigma describit quandam illius quod quæritur apparentem speciem, quæ inest animis ex quadam conjectura.* Et infrà: *Quomodo vos non ipsum sincerum aurum divinitatis, sed per eas mentis conceptiones quas capere possumus, nobis donatis auri similitudines; non dilucida oratione, quæ sunt ejus aperientes, sed per exiguas ratione præditi argenti notas, præbentes quasdam apparentes species ejus quod quæritur.*

In Cant. hom. 3.

Vides quàm constanter in eo hæreat, ut Deus hic nonnisi per similitudines, per speculum, per ænigma intelligatur; has autem similitudines maximè ex virtutibus aucupandas esse, idem mox ibidem subiicit: *Una est sententia, nempe quod boni superantis omnem intelligentiam, per virtutes nobis cognitio inest; sicut per quandam imaginem cogitari potest prima pulchritudo. Ita etiam Paulus qui est sponsa, per virtutes sponsum imitans, & per speciem in se describens eam, ad quam non patet aditus pulchritudinem, ex fructibus Spiritus charitate, gaudio, pace, & quæ sunt hujusmodi species, hanc nardum componens, &c.*

Sed quid apertius rursum desiderari potest hoc ejusdem Gregorii Nysseni loco luculentissimo? *Ac mihi videtur Verbum, paucis quæ dixit, Regnum Dei intra vos est, ejusmodi consilium complecti.* De Beatit. Orat. 6. *O vos homines quibus inest aliqua cupiditas contemplandi id quod verè bonum est! cùm audieritis divinam majestatem supra cœlos elatam & exaltatam, & gloriam ejus inexplicabilem, pulchritudinem ejus ineffabilem esse, naturam comprehendi ac percipi non posse; ne prolabamini ad desperationem, quasi non possitis intueri quod desideratis. Nam quod à te capi & comprehendi potest, Dei contemplationis in te modus est. Quippè cùm is qui te formavit, tale bonum statim ita naturæ quasi inessentiaverit, sive consubstantiaverit & incorporaverit; tui enim fabricationi & constitutioni Deus naturæ suæ bonorum simulacra similitudinesque & quasi imitamenta impressit & informavit, veluti ceram quandam sculptili figura præformans & fingens.* Ergo mensura & modus contemplationis Dei unicuique est, quod capi & intelligi ab ipso potest. Potest autem ab unoquoque intelligi illud Dei simulacrum, illud divinitatis fulgidissimum imitamentum, quod Deus homini dum illum crearet, quasi inessentiavit. Imago hæc est Dei impressa primùm homini, cùm sapientia, justitia, charitas, castitas, aliæque virtutes ab exemplari divino, quasi ab annulo in animam ejus velut in ceram impressæ & informatæ sunt. In hac micantissima virtutum imagine videtur & comprehenditur in quantum potest videri ab homine & comprehendi, qui natura & substantia sua incomprehensibilis & invisibilis est. Eo sensu regnum Dei intra nos est, & Deum videmus in speculo. Unde rursum idem Nyssenus: *Ac divina natura in omnibus quæ excogitantur nominibus, sicuti est, ita ejus manet conditionis, ut nulla significatione exprimi & efferri possit, ut nostra fert opinio. Nam cùm benefactorem, & judicem, bonumque & justum, & quotquot sunt alia talia nomina didicerimus, operationum differentias didicimus; ejus autem qui operatur naturam, nihilo magis per efficaciarum & operationum animadversionem cognoscere possumus.* Quod ipsum repetit libello alio, quòd non sunt tres Dii; ubi ne Deitatis quidem nomen ad naturam, sed ad potestatem significandam pertinere contendit. L. de sanct. Trin.

XIX. In eadem fuit sententia Basilius, & Dei, & justi, & boni nomina persuasus ad efficientias aliquas pertinere, ex quibus quid sit natura divina nequaquam detegatur. *Natura verò divina ut in seipsa est, nullis nominibus quæcumque excogitari possunt, exprimitur; sed ut nos arbitramur, ignota & abscondita manet. Quod enim beneficus dicitur Deus, & justus, & bonus, & quæcumque alia hujusmodi de illo didicimus, his omnibus operationum illius differentias edocti sumus. Operantis autem naturam haudquaquam per operationum considerationem cognoscere possumus.* Epist. 2.

Eusebius Cæsariensis Episcopus à trita hac Theologiæ priscæ orbita non recessit, in Ecclesiastica sua Theologia libro primo capite ultimo paulò antè calcem: *Quis non dixerit in Deo sapientiam esse, & potentiam, & vitam, & lucem, & veritatem, & justitiam, & rationem, & quidquid bonum & hone-*

honestum est. Quin potiùs eum esse omnia ista, aut si quid his superius & melius extiterit, quod nobis sit incognitum. Primus gradus est, ut Deus habeat sapientiam & justitiam. Secundus, ut sit ipsa sapientia & justitia. Tertius denique in quo conquiescendum sit, quòd Deus sit non istum omne quo cogitare nihil melius possimus; sed illud optimum, illud incomprensibile, illud ineffabile quod nec cogitare possumus. Quod autem in hoc tertio gradu acquieverit Eusebius, liquet ex alio infrà ejus loco, in libro secundo capite decimo quarto ejusdem Ecclesiasticæ Theologiæ: *Cùm omnino fatendum sit, divinum, ineffabilem, bonum, simplicem, incompositum, uniformem super omnia esse Deum. Ipsum inquam ipsam rationem, ipsam sapientiam, ipsam lucem, ipsam vitam, ipsam pulchritudinem, ipsum bonum,* αὐτόλογον, αὐτοσοφίαν, αὐτοζωὴν, αὐτοφῶς, αὐτόκαλλων, αὐτοάγαθον; *aut si quid hisce nominibus majus aut præstantius excogitari possit. Imò verò potiùs quod excedat mentem omnem, superet omnem cogitationem & disquisitionem animi.*

Quibus adprimè consentiunt, quæ habet Irenæus, dici quidem ex indulgentia quidquid summum optimumque cogitare possumus & dicere; sed intelligi tamen quod longo hoc omne superet intervallo.
L. 2. c. 16. *Multùm distat omnium Pater ab his quæ proveniunt hominibus affectionibus & passionibus. Et simplex est & non compositus, & totus ipse sibimet similis, & æqualis est totus; cùm sit totus spiritus, totus ratio, totus auditus, totus oculus & totus lumen, & totus fons omnium bonorum, quemadmodum adest religiosis & piis dicere de Deo. Est autem & super hæc & propter hæc inenarrabilis. Sensus enim capax omnium benè & rectè dicetur, sed non similis hominum sensui. Et lumen rectissimè dicetur, sed nihil simile ei quod est secundum nos lumini. Si autem & in reliquis omnibus nulli similis erit omnium Pater hominum pusillitati; & dicitur secundùm hæc propter dilectionem; sentitur autem super hæc secundum magnitudinem.* Et alibi: *Igitur secundùm magnitudinem*
L. 4. c. 37. *non est cognoscere Deum; impossibile est enim mensurari Patrem; secundum autem dilectionem ejus.*

Origenes autem Celsi Platonici Philosophi sententiam his omnino consentaneam primò quidem ipsiusmet verbis promit, tum ei subscribit ipse, & hæc Theologica arcana declarat multò antiquiora in Christianis litteris esse, quàm in Platonicorum
L. 7. cont. Celsum. monumentis. Sic ergo Celsus: *Substantia & generatio; intelligibile & visibile; cum substantia veritas, error in generatione. Circa veritatem igitur versatur scientia, circa diversum opinio; & intelligibilis quidem rei est intellectus, visus autem rei visibilis. Cognoscit autem intelligibilia quidem mens, visibilia verò oculus. Quod igitur in rebus visibilibus est Sol, qui nec oculus est, nec visus, sed oculo videndi causa, simulque visui, ut per eum consistat, & visibilibus ut videantur, & omnibus sensibilibus ut fiant, atque etiam sibi ipsi ut cernatur; hoc in rebus intelligibilibus est ille, qui nec mens est, nec intellectus, nec scientia, sed homini intelligendi causa; & intellectui ut per ipsum cognoscatur; & intelligibilibus omnibus ipsique veritati, ipsique substantiæ ut sint, ipse his omnibus superior, ineffabili quadam potentia sua intelligibilibus.* Origenes his vehementer astipulari nos ait, congestisque in eam sententiam multis Scripturarum testimoniis, ait, *Et quid amplius opus est me citatis ex Scriptura locis approbare, quod hæc dicta multò apud nos antiquiora sint?* Porrò hìc disertè Celsus affirmaverat, Deum esse non mentem, non intellectum, non veritatem, non intelligibile quidquam, sed causam & principium unde hæc profluerent.

XX. Ultimo hìc tandem loco profertur Chrysostomus, qui non mentem, non animam, ut à Platone, sed ineffabile principium à Joanne observat Deum nominari: Verbum autem Filium dici, non ob aliud, quàm ut generatio ejus à Patre impatibilis esse declaretur, instar Verbi à mente erumpentis. Cæterùm ipsam Dei naturam inexploratam nobis prorsus esse, nec nisi ex operibus posse cognosci, ut cùm vita, lux, Verbum, veritas, & alia id genus dicitur. *Deum ait esse, non qualem Plato, qui alterum Mentem, alterum Animam esse profitetur.* In Evan. Jo. hom. 1. *Hæc enim longè absunt à divina & immortali natura, quæ nihil habet commune nobiscum; sed secessit à communicatione ad creaturam, secundùm substantiam dico, non secundùm habitudinem. Præterea Verbum ipsum appellavit, ne passibilem quispiam naturam suspicaretur, cùm hoc Verbum unigenitum esse Dei Filium suspicaretur.* Et paulò pòst: *De Deo nobis sermo est, quem neque dicere, neque intelligere pro ipsius magnitudine quisquam potest; ideò Joannes substantiæ* οὐσίας *nequaquam nomen affert. Quippè cùm dici nequeat quænam sit Dei substantia; ubique autem nobis eum ex operibus manifestat. Siquidem hoc Verbum paulò pòst videre licet lumen appellatum, & lumen vitam, & vitam veritatem.*

XXI. Tertia & postrema jam superest hujus capitis pars, quam uno Augustini verbo expediemus, ex eo sermone quem suprà prolixè commentati sumus: *Qui & ista transcenderit, & de Deo quantum* Serm. 40. de Temp. c. 7. *homini conceditur, dignè cogitare cœperit, inveniet silentium ineffabili cordis voce laudandum.* Hic scopus unus est, in quem ea collimabant omnia, quæ in plura superiùs capita, & in hoc maximè jam nimis prolixum congessimus. Finem ergo hìc faciam, nec verbo, ne nimis exsucca & macilenta sit hæc pars, cui cæteræ quodammodo implicata sunt omnes. Quin disertis verbis nonnulli & Philosophorum & Patrum suprà hoc idem silentium laudarunt, quorum hìc refricarem sententias, nisi tædium jam meritò crearet capitis hujus prolixitas.

CAPUT XII.

Summatim perstringuntur rationes doctrinæ suprapositæ de summa & incomprehensibili Dei simplicitate. Solvuntur objectiones.

I. Quatuor priores rationes promuntur ex natura & necessitate symbolorum Dei spiritalium, cujusmodi sunt sapientia, justitia, &c.

II. Quinta & sexta sumuntur ex media statione naturarum intellectualium, quæ & ipsæ suis finibus promuntur.

III. Septima sumitur ex natura mentis & sapientiæ & justitiæ; quæ non aliud est, quàm fames quædam, vel aucupium pulcri & boni.

IV. Octava ex eo quod justitiam, ceu æqualitatem in corporibus, & in animabus capimus; supra hæc ut in Deo est, non capimus.

V. Nona & decima intercapedinem Opificis ab opificio quolibet suo spectant.

VI. Undecima & duodecima removent à Deo perfectiones, seu veritates complexas compositasque; cujusmodi sunt, quæ vocant prima principia scientiarum.

VII. Decima tertia ex symbolis spiritualibus, quæ ex his compinguntur primis principiis scientiarum.

VIII. Decima quarta & quinta ex Scripturis, quæ Deum affirmant videri, & tamen non videri posse: oculo puro videri, hoc est mundo corde, non mentis aciè; à dæmonibus non videri, etsi fortassis multa vera intelligant.

IX. Decima sexta & septima ex eo quod prima principia scientiarum naturaliter animæ rationali

inscul-

insculpta sint, & aliunde vivant in Deo æternæ & incommutabiles rerum omnium rationes: quod utrumque constat, si hæc in Deo sint, à Deo imprimantur nobis, & nonnisi symbolicè in Deo videantur à nobis, quo & modo ab illo nobis imprimuntur.

X. Postrema ratio, quod ita demum hæc non colliduntur, Deum esse veritatem, veritatem palam à quolibet videri posse, eo mentem advertente, & Deum à nemine videri posse.

XI. Tres priores objectiones adversus ea quæ de symbolis disputata sunt.

XII. Quarta objectio petita ex perfectionibus, quas Schola vocat simpliciter simplices, quæque de Deo videantur propriè posse prædicari.

XIII. Quinta objectio exculpitur ex attributis, quæ vix, aut ne vix quidem se sinant in ordinem cogi symbolorum.

XIV. Ad eos qui dolent extinctam, vel offuscatam fuisse his postremis symbolis lucem sapientiæ & veritatis ab Augustino priùs accensam.

XV. Quàm magni facienda sit symbolica Dei cognitio.

XVI. Tota superior doctrina de simplicitate Dei, uno Anselmi loco sub unum quasi conspectum conglobata sistitur.

I. SUmmatim jam perstringendæ sunt nobis rationes, quibus impelli potuere sancti Patres in eam sententiam, ut de Deo cogitari & dici nil propriè possit, nisi vel negativo, vel causali sensu, vel superlato; ita ut causalis & superlatus in negativum & ipsi tandem revolvantur.

Primò igitur naturæ rationales, intellectuales, Angelicæ quæcumque corporis expertes, Deum intelligere possunt symbolicè & per aliquas similitudines. Neque enim necessarium est ut Deum statim videant sicuti est, in ipso sui exordio. Atqui vix ulla possunt eis aptari symbola, per quæ Deum intelligant, nisi spiritalia, & ex spirituali eorum natura desumpta, & illis idcirco valdè obvia & familiaria. At spiritalia symbola vix alia excogitari possunt, quàm justitia, sapientia, vita, castitas, charitas, & id genus alia. Ergo hæc symbola Dei sunt, non ipse Deus.

Secundò, natura intellectualis Deo propior est, quàm corporea; nec tamen ita proxima, quin ingens intersit intervallum. Ergo ex ejus affectionibus & proprietatibus plura & congruentiora Deo significando elici poterunt symbola, quàm ex affectionibus corporum. Plures enim similitudines ex re similiori eduxeris, quàm ex dissimillima. Ergo cùm corpora in ultimam aufugerint regionem dissimilitudinis, si in iis tamen aliquæ similitudines & symbola Deitatis possunt expingi, quantò magis poterunt in naturis intellectualibus, in citimo quasi gradu, & in vestibulo, ut ita loquar, divinitatis consistentibus?

Tertiò, quod Deus dicatur justitia incommutabilis, veritas sempiterna, sapientia per se subsistens; non eo prohibetur, quin hæc symbola sint divinitatis. Nam & ubi per corporeas similitudines cogitabatur Deus, corpori illi quod Deus esse fingebatur, cogitatio detrahere satagebat illas omnes imperfectionum maculas, quæ corporibus aliis adhærescunt. Verbi gratia, Manichæi carnales Deum imaginabantur, ut corpus æternum, immensum, lucidissimum, potentissimum, immortale, immutabile; quæ privilegia certum est nulli corpori creato quadrare posse. Ita si justitia Deus dicatur esse, statim addetur, justitia substantiva, immutabilis, æterna, cujusmodi nulla creata justitia esse potest. Ergo ut corpus quodcumque, ut lux corporea, ut pulchritudo quævis corporum, symbolum tantùm Dei potest esse, non Deus, etsi prærogativæ illi affingantur nulli creato corpori consentaneæ; ita & justitia & sapientia symbolum erit Dei, non Deus ipse, etsi maculis omnibus naturam creatam concomitantibus per cogitationem exuatur.

Quartò, in sapientia incommutabili alterum positio est, alterum negatio. Negatio mutabilitatis propriè & verissimè Deo convenit, & uni illi convenit. At positio ipsa sapientiæ, propterea non potest Deo propriè & verissimè adscribi, sed symbolicè tantùm, quia nec nominatur à nobis, nec dicitur, nisi ut cogitatur à nobis. At cogitari non potest à nobis vel sapientia, vel justitia, vel mens, nisi qualis nostra est, vel ut summum qualis Angelica; nimirum multis nævis implicata, qui procul à Deo sint. Quantumvis ergo infinitam, & immutabilem, & æternam additamento negationum facto dicamus, illa ipsa tamen justitia vel sapientia quam cogitamus, nostri generis est, nostræ compar & simillima est; quid & qualis justitia & sapientia Dei sit, incompertissimum nobis semper est.

II. Quintò, ea lex videtur esse omnium naturarum, ut sui tantùm res generis ordinisque unaquæque norit, aut inferioris; superioris verò nequaquam. Naturæ sensibiles sensibilia tantùm norunt. Intellectuales etiam intelligibilia norunt. At si supra intellectuales sit natura superior, si gradus ulterior, si apex summus superextet, tam hujus summi apicis proprietates non capient naturæ intellectuales suapte vi, quàm nec intellectualium sensibiles.

Sextò, duos dumtaxat in rerum universitate naturarum gradus notavimus, corporeum & intellectualem; & quia hunc illo longè præstantiorem vidimus, ex insito præjudicio quòd Deus sit eorum quæ cogitari possunt maximum, facilè pronunciavimus intellectualem potiùs quàm corporalem esse Dei naturam. At verò etsi rectè concludatur intellectualem potiùs quàm corporalem esse Dei naturam; non tamen rectè concluditur intellectualem esse naturam, quatenus cogitari & intelligi à nobis potest intelligentia vel intellectualitas ipsa. Nam si supra hunc intellectualem gradum sit aliquis superior, planum est quòd in hoc potiùs constituetur Deus. Ecquonde autem nobis constat, aut constare potest, supra nostrum intellectualium naturarum ordinem, nullum præterea alium superiorem & ulteriorem esse? Blandimur sanè nobis, & vel ludimus, vel ludimur, cùm creata ornamenta in Deum transferimus, Deumque in ordinem quodammodo & in classem creaturarum cogimus.

III. Septimò, natura ipsa mentis, & sapientiæ, & justitiæ, qualem capere possumus, perspicuè in fame quadam & in aucupio versatur boni & pulchri alicujus extra se positi; atque ita naturæ creatæ proprietates sanè sunt, eo quo à nobis cogitantur modo. Nam mens & sapientia & justitia, qualem concipimus, tota est in vestiganda, contemplanda amplexandaque veritate & lege quadam sempiterna justitiæ. At hujusmodi dotes Angelicam magis vel humanam, quàm divinam naturam decent. Si dicas Deum quidem non esse mentem veritatis venatricem, aut justitiam legis sectatricem; sed ipsam veritatem, & legem justitiæ: ne sic quidem nodus solvitur. Nam veritas nisi sit & mens, lex nisi sit & vita, non potest divinæ adscribi naturæ; nec enim potest Deus esse ejusmodi lex quæ non vivat, aut veritas quæ seipsam lateat. Relaberis autem in eandem foveam, si Deum dicas esse propriè veritatem quæ intelligat seipsam, & justitiæ legem quæ vivat. Hæc enim iam plurium compositio est, & ejusmodi compositio, quam non satis perspicuè intelligamus. Omnino enim intelligentia, qualem capimus, non est ipsa veritas, sed vestigatrix quædam sedula & infatigata veritatis. Ipsa autem veritas si intelligere dicatur, jam hæc erit alterius generis intelligentia, qualis nobis ne in mentem quidem venire potest. Similiter lex qualem cogitamus, abhorret à vita; si vitam illi addimus, duas res copulamus valdè diversas, & à simplicitate longè peregrinamur. Vita quoque ista non alia à nobis concipitur, quàm intelligentia; intelligentia autem qualem capimus, non

non lex, sed legis contemplatrix esse apta nata est: si verò lex æterna vivere & intelligere dicatur, hæc erit nova ratio quædam vitæ & intelligentiæ à nostra longè diversissima.

IV. Octavò, adnotatum alicubi suprà fuit justitiæ & pulcritudinis totius naturam in æqualitate quadam versari, quæ à summo idearum divinarum fonte defluat in intellectuales rationalesque naturas, & ad corporeas usque pro cujusque modo descendat. Summa in figuris corporeis æqualitas in circulo cernitur, qui sui simillimus in omnibus suis partibus est. Summa in virtutibus animi est æqualitas justitiæ. Ideò advertit Augustinus eleganter à Poeta dictum esse de viro justo, quòd sit *totus teres atque rotundus*; tanquam sui semper simillimus. Porrò hæc lex æqualitatis à summo incommutabilis justitiæ exemplari imprimitur primùm in naturas ratione & intelligentia præditas, inde & in materiales atque inanimas. Quæ & qualis sit hæc sive justitia sive æqualitas in corporibus atque in animabus, satis capimus; quæ & qualis sit in suo sursum fonte & exemplari, capere se quidam ajunt, alii negant; negantibus accessimus cum toto Patrum Ecclesiæ Senatu. Æqualitas & justitia corporum est rotunditas figuræ. Æqualitas & rotunditas animarum mentiumque est justitia indeflexa. Distat æqualitas illa ab ista immane quantum. Si tantundem saltem distet æqualitas exemplaris & justitia divina à nostra, nemo veritatis quàm contentionis studiosior negabit, qualitatem & justitiam divinam, quid & qualis sit, inexploratam nobis prorsus esse.

V. Nonò, inter creaturas ipsas nonnullæ causæ sunt quæ effectus suos tanto superent intervallo, ut nihil idem de utrisque, & vix analogicè quidquam prædicari possit, propter ineffabilem exuperantiam causarum istiusmodi. In opificiis potissimùm artis humanæ id advertere est. Quid enim unquam opifici & opificio humano idem & commune adsignari potest? Usque adeò enim mirabilia molitur & operatur homo, mirabilior tamen ipse est. Ergo Deo & opificio divino nihil idem, nihil commune fingi potest. Nam Deus sua opera longiùs post se relinquit, & creatarum causarum exuperantiam infinitè ipse exuperat, ipse causarum causa; si tamen causa esse & dici dignetur, ut notabat supra Augustinus.

Decimò. Quantò similius veri est talem se Deum exhibere naturis intellectualibus, dum eas ad intelligendum illuminat, atque dum creat. Et creatio & intellectio naturarum rationalium atque intellectualium, illuminatio quædam est, assimilatio quædam est. Omnis causatio assimilatio quędam est. Circulum creat, corpus creat Deus, creatione quę assimilatio quędam est; & corpora enim & corporeę figurę habent in Deo exemplar aliquod summum quod imitantur. Ita Deus mentes creat, justitiam in illis creat & intelligentiam, effectione quę est assimilatio quędam; habent enim & mens, & justitia, & sapientia creata exemplarem aliquam formam & pulchritudinem in Deo ineffabilem, quam effingere conantur. Creando autem Deus infringit se, & attemperat incomprehensibilem magnitudinem suam, ut assimilet sibi qua fieri potest naturas creatas. Creat mentes, illuminat & justificat mentes, quasi mens ipse esset, & lux sapientiæ & justitiæ. Creationi rerum talem se exhibet, talem se imprimit summus artifex, non qualis ipse est, sed quales ipsæ sunt. Similiter ergo & intelligentiæ mentium illuminandarum & justificandarum talem se Deus exhibebit, talem imprimet, quales ipsæ sunt, vel esse debent, non qualis ipse est. Ut videlicet taliter se attemperet & imprimat menti, dum eam illuminat, vel justificat, qualiter dum creat. Modulum enim suum habet mens creata, quo est, quo intelligens, quo sapiens, quo justa est; hunc illi modulum Deus admetitur, huic sese ipse contemperat; ut talis imprimatur creaturæ, quando eam illuminat, qualis imprimitur, cùm illam creat. Qualis insculpitur exeunti à se, talis occurrat redeunti ad se. Seipsum non qualis sibi est, sed qualis illi est, sive ut ideam & exemplar ejus illi semper sese ingerat, semper occurrat; ut ad quod formata semel est, formari pergat: vel reformari, si opus est, valeat.

VI. Undecimò. Quis non videt veritates istas? quòd tria & quatuor sint septem; quòd circulo toti æquidistet punctum medium; quòd si falsum consequens, ergo falsum antecedens; quòd idem nequeat de eodem affirmari & negari; quòd idem simul non possit esse & non esse; quòd honesta turpibus anteponenda; quòd nemo quod pati nolit, facere debeat: quis inquam non videt veritates istas ut complexæ & compositæ à nobis & dicuntur & intelliguntur, nec in Deo, nec Deum esse? sed in eo eminentissimè tantùm & simplicissimè præcontineri. Nobis autem occurrunt & intelligendas se præbent secundùm formalem tantum istam compositionem, non secundùm eminentissimam suam in Deo simplicitatem. Ergo dum ista contemplamur, non Deum sicut in se est eminentissimè simplicissimum intelligimus, & videmus; sed symbola Dei, divinam simplicitatem sua compositione, eminentiam formalitate, unitatem multiplicitate adumbrantia, & umbratiliter imitantia contuemur. Similiter etiam ubi veritatem, ubi sapientiam, ubi justitiam contuemur, justitiam & sapientiam & veritatem ut formaliter in mente creata est, non ut simplicissimè in Deo & Deus est intuemur. Si his autem aliquas dotes appingimus Deitatis proprias, negativas tantum appingimus, quòd non alias verè proprias Deitatis sciamus; interim totum genus, totam essentiam justitiæ & sapientiæ, qualis in creaturis est, cogitare pergimus. Ergo non Deum, sed Dei symbolum tunc contemplamur.

Duodecimò, veritates illas compositas & varia terminorum conceptuumque multiplicitate contextas, quæ prima principia continent omnium disciplinarum, peræquè nos vestimus negativis proprietatibus divinę naturę. Quòd enim tria & septem sint decem, illa veritas immutabilis est, nullo tempore non est, nullo loco abest; in Oriente, in Occidente, ab ortu mundi ad finem sęculi & ultra fulget fulgebitque invariabilis. Hinc etiam persępè Augustinus supra speravit à se demonstratum esse quòd Deus sit, cum demonstrasset esse veritates numerorum ęternas, immutabiles, immensas; veritas enim ęterna, immensa, immutabilis siqua verè est, utique Deus est. Quò ergo evadet res ista, cùm istiusmodi omnis veritas & Deus esse non possit, complexa & composita cùm sit: & Deus necessariò sit, si ęterna, si immensa, si immutabilis est? Nam ęterna, necessaria, immutabilis nobis quidem videtur esse omnis istiusmodi veritas, etiam quà complexa pluribus ex partibus, atque composita est. Æternum quippè, & necessarium & immutabile est, quòd tria & septem sint decem, quòd idem non possit simul esse & non esse. Quò inquam evadet, & quem habebit exitum perplexa quęstio hęc, nisi ut dicamus veritatem istiusmodi omnem non esse Deum, quà composita, & simplicitati adversaria est; & esse Deum, quà ęterna & immutabilis est; esse inquam Deum, non qualis ipse sibi est, sed qualis nobis est; non qualis sibi est, sed qualis nobis apparet; qualem se nobis contemperat; qualem se nobis insculpit, sive dum creat nos, sive dum illuminat, dum sapientes, dum justos facit; esse denique Deum non qualis propriè est, sed qualem capimus, qualem in tanta adhuc longinquitate & dissimilitudine videre possumus? Nam & quæ corporeo videmus oculo, si ex longissimo videamus intervallo, & videmus, & non videmus; non aliquid medium, non simulacrum se interserit, sed ipsa longinquitas efficit, ut non res qualis est, videatur, sed multum sui

sui dissimilis. Ita inter Deum & mentem contemplatricem nihil intercedit medium, nisi longinquitas & dissimilitudo; unde quod præsto est, quod videtur, Deus est; sed non videtur quid est, vel qualis est, quia procul videtur, quia summa ejus qui videt, & ejus qui videtur, intercapedo est. Ergo quod præsto & coram est, & quod videtur, Deus est; ideo æternum, incommutabile, immensum est quod videtur; & potuit ex hoc Augustinus, potuere Platonici Philosophi argumentari ex hoc demonstratam esse Dei existentiam, quòd est, non quid est. Et tamen quia non quid est, nec qualis est videtur, sed longè sui dissimilis propter summam distantiam; ideo Deus non videtur, non intelligitur; symbolicè tantùm & in ænigmate, & in speculo videtur & intelligitur.

VII. Decimò tertiò. Mirifica prorsus sunt hæc sacra symbola postremi generis, hoc est tertii generis. Nam primi generis sunt symbola corpolia à naturis corporeis exculpta, ut cùm Deus dicitur ignis, lux, leo, agnus, fons aquæ vivæ. Secundi generis sunt intelligibilia symbola, à naturis rationalibus vel intellectualibus ad Deum translata, ut cùm Deus dicitur sapientia, justitia, fortitudo, castitas, virtus; quæ dotes cùm sint pulcherrimæ naturarum intellectualium, quæ sunt Deo finitimæ Deique imagines, sunt utique & ipsæ imagines, luculenta & aptissima simulacra, atque symbola naturæ divinæ. Tertii generis sunt veritates istæ, quæ prima vulgo dicuntur principia disciplinarum, Arithmeticæ, Geometriæ, Logicæ, seu Dialecticæ, Ethicæ, Physicæ, Metaphysicæ. Sunt enim istæ veritates non qualitates corporum, ut primi: non dotes & virtutes animarum, ut secundi generis symbola; non Deus ipse ut in seipso est, & qualis vel à se vel à beatis mentibus videtur; sed imagines quædam Dei, seu symbola, quæ ex sola mentium à Deo distantia & longinquitate emergunt, & in mente ipsa efformantur. Videtur enim tanquam in imagine & in speculo, quod tam procul videtur, ut obscurissimè tantùm & confusissimè videatur, adeo ut videns verè affirmare possit vidisse se quod est, non quid est, id quod sibi videnti & contemplanti obversatur.

VIII. Decimò quartò. Hinc est quod Scripturæ tam crebrò prædicant, & Deum visum esse, & Deum videri non posse ab homine mortali. Videtur enim quod est, non quid est; videtur à longè, non propè; videtur in ænigmate, in speculo, per symbola, non videtur in seipso & per essentiam.

Decimò quintò. Hinc est, quod Scripturæ jubent cor mundari, oculos purgari, ut videri Deus possit. Etenim homines impii etiamsi regulas illas incommutabiles veritatis videant, & secundùm eas persæpè; non tamen Deum vident, nisi per similitudines, per symbola & ænigmata.

Hinc est quòd diabolus tam longè arcetur à contuitu & conspectu Dei, tametsi de veris & falsis, de certis & incertis, de justis & injustis persæpè judicat secundùm easdem regulas incommutabilis veritatis. Exulat tamen & æternùm exulabit à contuitu Dei diabolus, quia hæ imagines tantùm Dei sunt, ex sola Dei longinquitate & creaturæ dissimilitudine emergentes.

XI. Decimò sextò. In mente ipsa Angeli atque hominis impressa esse hæc symbola Deitatis, hæc prima disciplinarum principia, hæc rationum æternarum & incommutabilium veritatum lumina, non semel suprà & Platonici Philosophi, & sancti Patres & Augustinus ipse scripserunt. Hæc insculpta cœlitus, hæc inessentiata esse naturæ intellectualis penetralibus scripserunt. Hæc in seipsis videre & contemplari, non foris venari & vestigare scripserunt. Ita constabit & vigebit illa argumentatio superiùs sæpè explanata & tam frequens in ore Platonicorum Philosophorum & ipsius Augustini, pro immortalitate animæ, quòd hæ veritates stabiles sint, & necessariæ, & immortales, & immutabiles, & tamen extra animam non sint. Hinc enim fit, ut & anima immortalis sit, & immutabiliter his regulis assentiatur. Potest enim illa in reliquis à vero deviare, at verò harum regularum veritati indeflexè & invariabiliter assentitur. Denique si res ita habeat, minus etiam negotii nobis facessent impii homines, & nequissimi ipsi spiritus, nec verebimur ne in conspectum & visionem divinæ veritatis irrumpant, cùm has veritates incommutabiles non possint illi intueri, nisi in animæ mentisque suæ veluti speculo.

Decimo septimò. Sed quia constantissimè Augustinus tuetur rationes æternas & incommutabiles regulas veritatis obversari & præsto semper esse animæ rationali, quæ illis naturaliter connexa est; mordicus illud retinendum est, spectamina illa æternarum rationum & regularum incommutabilium veritatis, & formulas illas speciesque incorruptibiles sapientiæ, justitiæ & pulchritudinis, in Deo esse, vivere, radiare, ut in fonte idearum & exemplarium, quæ inde non immigrando, sed inscribendo imprimuntur in anima rationali & in intellectuali quavis natura. Non pugnant ergo nec confligantur inter se duæ istæ rationes, ut sive ideæ, sive formæ & species virtutum, sive rationes æternæ, sive veritates illæ, quibus constant prima omnium disciplinarum principia, conspiciantur, vel in suo sursum sacrario, hoc est in Deo, vel in ipso mentis creatæ penetrali. Hæ sanè cautiones adhibendæ erunt, ut nec in mente esse posse credantur, nisi ab æternis supernè rationibus & ideis illi imprimantur; nec in Deo existimentur posse videri, nisi tam incredibili ex intervallo, ut tota illa visio symbolica & ænigmatica evadat quoad divinam essentiam & quidditatem, tota porrò ejus evidentia ad divinam existentiam spectet. Quanquam autem Augustinus magis propenderet in eam sententiam, ut hæ veritates rationesque æternæ in superno divinitatis lumine cernerentur; non semel tamen significavit & ipse, in ipso quoque mentis sinu inscriptas eas legi, ut suprà aliquoties adnotatum est. Illo præcipuè loco Augustini id evicimus, ubi ait institutam à Deo esse connexionem illarum regularum, quibus ratiocinatio regitur.

X. Postremò denique si cuilibet intueri volenti videndam se exhibet justitia, veritas, bonitas, & hæc omnia non symbolicè, sed propriè Deus est; quid sibi volunt, vel sacri Codices, vel sancti Patres, ubi ajunt nec videri Deum à quoquam, nec videri posse; de Deo sciri, quòd sit, non quid sit; sciri quid non sit, non quid sit; per negationem & ablationem meliùs & cogitari & dici, quàm per affirmationem & positionem; quidquid de Deo dicitur, & cogitatur, indignè dici & cogitari, eo saltem nomine, quod dici & cogitari potuit. Quo spectabunt hæc omnia, si veritas, si sapientia, & Deus ipsemet est, & præsto omnibus semper est, viderique potest? Non constant hæc omnia, nisi assentiaris, quantumvis præsens & conspicabilis adsit semper menti veritas & sapientia incommutabilis Deus; ex sola tamen longinquitate & dissimilitudine caliginem induci, aciemque mentis hebescere; Deum etsi præsentem, non videri ut est, quia procul videtur; ideoque quod eminenter tantùm est, hoc videri esse formaliter; quod simpliciter est, videri esse multipliciter; quod anticipatè est, videri esse participatè; quod causaliter tantùm est, videri esse substantialiter; ideoque non videri, aut quid est, aut sicuti est, sed symbolicè tantùm videri.

XI. Obiiciunt primò hæc tertii generis symbola esse prorsus inaudita, cum nec creatum quid sint, nec increatum; cum nec Deus sint qui videtur, nec mens quæ videt, nec media ulla natura. Respondeo esse apparitiones Dei ostendentes creatæ menti, non quid est, non qualis est, non sicuti est, sed quod est, quid non est, & qualis non est: Ejusdem modi est illa secundum quosdam interpretes

pretes Dionysii, per se vita, per se sapientia, per se justitia, quam modò Deum appellat, modò Deum ejus effectionem appellat. Ejusdem modi est illa lux inaccessibilis apud Gregorium suprà laudatum, quam Deus inhabitat, ad quam mens creaturas omnes prætervecta pervenit, & quæ tamen Deus non est. Ejusdem modi est illa similitudo gloriæ, ex eodem Gregorio, quæ super omnes creaturas cùm videtur, non tamen Deus videtur. Ejusdem modi est illud apud eundem Gregorium speculum & ænigma, quod mentes super omnia creata enixæ vident, & tamen Deum non vident. Ejusmodi denique est justitia, in quam tam frequenter dixit Augustinus Deum videri, qui idem tamen ait Deum esse ultra justitiam, esse inquam non aliud magis propriè quàm silentium ineffabili cordis voce laudandum.

Obiiciunt secundò; Si Deus dicitur justus & justitia, quia justitiæ author largitorque est, ergo & corporeus pariter & corpus dici poterit. Respondetur primò, si corporeus vel corpus symbolicè dicatur, non esse quòd ea quasi novitate moveamur, cùm in Scripturis tam crebrò dicatur Ignis, Leo, Petra, Turris, Mons, & id genus alia. Quin & juxta Dionysium, Maximum, Damascenum & alios Patres, Deus omnia habet nomina & nulla; quia omnium esse præhabet, & nullum habet; ideo omnia habet nomina, si symbolicè; nulla, si propriè sumantur. Secundò, etsi & corporearum & spiritalium naturarum conditor sit Deus; à nobilioribus tamen potiùs nominandus est, quàm ab aliis, qui nunquam satis dignè nominari potest. Tertiò, ex naturaliter insito præjudicio, Deus est, quo nil melius cogitari potest. Cùm ergo nil melius justitia, nil humilius corporea natura in mentem venire nobis possit, ab illa utique non ab ista nominandus est.

Obiiciunt tertiò; Si justitia, ut & corpus, Dei tantummodo symbolum est; quare toties monemur ab Augustino, nedum ut corpus, sed ut justitiam cogitemus; ne ut idolum, sed ut sapientiam, ut castitatem? Idolum a symbolo non magnoperè discrepat; itaque si justitia symbolum tantummodo Dei est & imago, vel simulacrum, periclitatur & ipsa idolis annumerari. Respondetur primò ex Augustino hoc incrementum fecisse nos per Evangelica documenta, ut è carnalibus spiritales efficiamur, & pro corporeis symbolis jam utamur spiritalibus; necdum autem beatam immortalitatem consecuti sumus, ut sine symbolis ipsam speciem contemplemur, nisi si fors raptibus illis inusitatissimis id aliqui assequantur. Monemur ergo abiicere corporalia symbola, ut crepundia aliqua, Judæorum pueritiæ indulta, & nostræ jam adultiori ætati accommodata symbola amplecti. Secundò, ex utroque Gregorio, Nysseno & Nazianzeno, spiritalibus symbolis amat Deus vestiri, ut hac quasi illecebra inescati, ad eum per speciales virtutes toti rapiamur. Vult Deus se justitiam dici & cogitari, ut justitiam tanquam Deum amemus & prosequamur, & hac ejus prosecutione verè Deum consequamur; quod de symbolis corporeis dici nequit. Tertiò, cùm Deus sit id quo nil melius cogitari potest, contumeliosum ipsi est, si ut corporeus cogitetur, cùm tam multa corporibus præstantiora mente versemus. Quartò, tres gradus sunt à Gregorio Magno aliisque Patribus sæpè animadversi, inter sola corpora sese volutantium, hinc ad rerum spiritalium animæque naturam sine corpore contemplandam eluctantium, hinc rursus supra animas ac mentes ad Deum anhelantium. Ubi ergo non jam ut corpus, sed ut sapientiam, ut justitiam cogitare Deum jubemur, à primo ad secundum gradum provehimur.

XII. Objicitur quartò, perfectiones alias esse simplices, quas & simpliciter simplices vocant, quòd ex Anselmo, meliores ipsæ sint, quàm non ipsæ, utpote imperfectionis omnis expertes; & has Deo tribui, utpote sapientiam, justitiam: alias quas secundùm quid vocant, ex parte tantùm perfectas, nonullo imperfectionum contagio afflatas; & has creaturis tribui, Deo abjudicari. At dum naturæ à nobis sinuntur Deo adscribi, utrasque confundi. Respondetur primò, perfectiones illas dici simpliciter simplices, quæ meliores ipsæ sunt naturæ creatæ cuicumque, quàm non ipsæ. Nam creaturæ melius optatiusque est sapere, quàm non sapere. Unde cum de Deo dicendum sit quidquid optimum dici potest, dicitur de eo sapientia. Verùm Deus est supra id quod dici potest, est ultra justitiam, est ultra sapientiam, est denique ei qui perfectiùs puriùsque cogitare de eo cœperit, silentium mentis silentio laudandum. Itaque perfectiones illæ simplices possunt utcumque Deo tribui, quia nihil melius illis cogitatur; possunt aptiùs ab eo auferri, quia nihil dignè de eo cogitatur. Secundò, perfectiones illæ simplices Deo tribui possunt non ex Anselmo, sed ex Dionysio aliisque Patribus plerisque suprà laudatis, affirmationes omnes de Deo impropriæ sunt, negationes magis congruæ sunt. Possunt ergo perfectiones illæ simplices Deo abrogari, magisque propriè de eo negabuntur, quàm affirmabuntur; sed negabuntur sensu superlato; excessu, non defectu; negabitur Deus sapere, non quòd careat sapientia, sed quòd sit ultra sapientiam. Tertiò, perfectiones illæ de Deo affirmari possunt, sed symbolicè, sed causaliter, quomodo non possunt de eo æquè prædicari perfectiones non simplices. Dicetur enim Deus justus, id est justitiæ causa & fons: etsi non dicatur corporeus, tametsi corporum creator; quia tolerabiliter denominatur causa ab effectu utcumque sibi simili, non à dissimillimo.

XIII. Obiicitur quintò, aliqua esse attributa Dei, quæ dici vix possit affectiones esse mentis creatæ, & inde vel symbolicè, vel causaliter, vel superlatè transferri ad Deum. Ejusmodi sunt veritas, esse, æternitas, lex æterna, exemplar universale rerum omnium, & si qua id genus alia. Nam nulla mens veritas est, nulla pelagus essendi est, nulla æternitas est. Imò bonitas, sapientia, justitia ipsa per sese subsistens, nulla mens creata est; non sunt ergo hæc symbola à natura intellectuali ad divinam translata. Respondeo, quòd mens, quòd Verbum, quòd sapientia de Deo negetur magis propriè quàm affirmetur, & symbolum Dei tantummodo sit; liquere id jam ex Dionysii locis suprà relatis, unàque congestis aliorum Patrum suffragiis; & has esse proprias affectiones naturæ intellectualis, omnibus compertum esse. Jam verò ideam & exemplar effectuum in se præcontinere, ideoque esse veritatem primam & idealem, ad quam effectuum omnium veritas admetienda est; item legem esse, omnia ex regulis sapientiæ, & ex primorum exemplarium sinceritate regentem & dispensantem universa, perspicuum est hæc omnia consequi ex natura mentis. Quapropter si mens symbolicè, & non propriè de Deo prædicatur, idem de corollariis mentem concomitantibus, de sapientia, de veritate, de idea, de lege primaria sentiendum erit. Item quòd esse sit aliquid creatum, ideoque symbolum Dei, non Deus; & quòd Deus sit supra ipsum esse, & supra ipsum per se esse, ex sanctis Patribus suprà audivimus. Quod autem esse infinitum, æternum, incommutabile dicitur, non minùs symbolicum id est, sed emendatum per adjectas negationes. Quantumvis enim incircumscriptum & incommutabile dicamus esse, non cogitamus tamen, ideoque nec dicimus, nisi quale esse in nobis & in creaturis aliis perspectum habemus. Denique esse totum, & pelagus essendi, non aliud forsan est, quàm esse, addita negatione finiti. Nec enim vel totalitas vel infinitas illa à nobis intelligitur, nisi ut negatio termini & finis. Æternitas similiter non ferè intelligitur, nisi per negationem fluxus & finis. De-

nique justitia ipsa per se subsistens, vel negativè dicitur, quasi non inexistens alteri; vel causaliter, quasi omnis justitiæ causa; vel superlatè, quasi supra omnem justitiam simplicissimum quid, ipsa justitia justius, ut ex Dionysio & Damasceno suprà ostensum est. Si quid aliud capiatur, verbi gratia, justitia ejus generis quæ creatas mentes afficit, sed major, sed infinita, sed substantiva; nihilo seciùs symbolum est, perinde ac si cogitetur lux infinita, substantiva, incorruptibilis. Hinc ergo liquet vel nulla vel paucissima esse, quæ revocari non possint ad symbolorum genus. Etsi pertinaciùs inficiandum non sit, quin fortassis aliquando in subitaneis illis mentis raptibus, de quibus suprà, aliquid puræ lucis intermicet interdum, extra compositionem & formalitatem symbolorum.

XIV. Cæterùm si quis molestè ferat quòd intelligibilem illum Solem & serenissimam incommutabilis veritatis lucem, quæ priores nostras dissertationes illuminaverat, excitatis hìc postea symbolorum nebulis infuscaverimus, & medium quasi diem ab Augustino accensum nobis ipsi interceperimus: is hallucinari desinet, ubi adverterit cum Gregorio Nysseno Moysen Theologiæ suæ prima tyrocinia posuisse in rubi luce; summa incrementa attigisse in montis caligine; statumque & solemne deinceps fuisse, ut sacræ doctrinæ candidati, luce quasi pueritiæ blandimento primùm lactarentur: adultiores deinde tenebrosa adyta subirent, & sic adirent ad eum qui *posuit tenebras latibulum suum*. Vel hoc ipsum autem nobis condonabit Lectoris indulgentia, quòd tam prolixè diximus de eo ipso, quòd dici non potest Deus. Si obiicias autem vel hoc saltem dici de eo posse, quòd dici ut est non possit, respondebo verbis ipsis oppidò pulcherrimis Augustini: *Ac per hoc ne ineffabilis quidem dicendus est, quia & hoc cum dicitur, aliquid dicitur. Et fit nescio quæ pugna verborum: quoniam si illud est ineffabile quod dici non potest, non est ineffabile quod vel ineffabile dici potest. Quæ pugna verborum silentio cavenda potius, quàm voce pacanda est.* [L. 1. c. 6. de Doctrina Christ.] Est planè in hac responsione, quòd sobrietatem & sapientiam Augustini demiremur; pergit autem ille: *Et tamen Deus, cùm de illo nihil dignè dici possit, admisit humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit.* Addit ipsum Dei nomen inter ejusmodi voces esse, quibus nos Deus gaudere voluit in laude sua, tametsi nihil de eo eloqui unquam possimus. Quo pertinet & illud Justini Martyris: [Apolog. 1.] *Quemadmodum & Dei appellatio nomen non est, sed rei ineloquibilis insita naturæ hominum opinio.* Eo pertinet & illud Dionysii, ubi Deum nominat bonitatem secretissimi silentii, τὴν ἀγαθότητα τοῖς ἐν ἀδύτοις σιγῆς. In quæ magistri verba hæc habet Pachymeres: [De divin. Nom. c. 4. n. 22.] *Silentium quod in adytis est, vocat divinum illud arcanum; siquidem id silent res viles propter suam deformitatem, res verò pretiosæ ac divinæ illud silent propter ejus venerationem, quòdque non valeant enuntiare illa quæ in adytis latent, quo mens nulla penetrat, quantumvis pura sit, & propter sanctitatem perspicacissima.* Hoc est prorsus silentium, cujus naturam & quidditatem nisi per symbola annuntiare non possumus: symbola sunt autem totidem, quot in universo res & naturæ, teste Maximo Dionysii interprete: [In Epist. 6. Dionys.] *Quid quod & ipsa mundi fabrica invisibilibus Dei obducta est, tanquam symbolorum vices gerens?* τρόπον τινὰ συμβόλων τάξιν ἐπέχουσα.

XV. Symbola ergo Dei tot sunt, quot creaturæ, quæ vestigia saltem ejus sunt. At imagines Dei quibus perspiciatur quidditas & substantia ejus, ne summæ quidem creaturæ ullas possunt in seipsis efformare. Audi Chrysostomum: [Serm. 2. in Genes.] *Non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis aut cogitationis hominis divinitatem esse similem. Quod autem dicit, hanc sententiam habet: non modò figuras quæ cernuntur, excedit Numen; sed neque mens efformare tale quiddam potest, qualis est Deus. Qui fieri ergo potest, ut figuram hominis habeat Deus, cùm ne mentem quidem ullam posse dicat Paulus essentiam Dei apud se cogitatione efformare?*

Non ægrè feret quis ad hanc se mediocritatem demittere, qui in Scripturis viros sapientia & pietate & cœlestis Numinis gratia donisque præstantissimos, non tamen ad ullam ferè adverterit Dei visionem, sive intelligentiam sublimari, nisi symbolicam, & quidem corporalibus ex symbolis conflatam. Unde Andreas Cesariensis in Apocalypsin: *Colligitur hìc quoque illud omnium quod homini in terra obtingere potest, summum esse posse, nimirum puro mentis oculo divinam in cœlis gloriam contemplari, non dico divinam essentiam, sed Dei speciem symbolo quopiam externo adumbratam, sive illud sit pretiosorum lapidum varietas, sive multicoloris iridis imago, sive alia aliqua ejusmodi similitudo, peculiari Dei providentia ad hoc munus obeundum efformata.* Ad popularium animos spectabant, quæ in illis Scripturæ locis narrabantur, ideo corporalibus obumbrabantur symbolis; at vel illis corporalibus integumentis velari spiritalia symbola spiritales intelligebant; sed ultra spiritalium symbolorum vix vel ipsi eluctabantur. Unde Nyssenus: *Una est quæ ex omnibus fit sententia, nempe quod boni superantis omnem intelligentiam per virtutes nobis cognitio inest, sicut per quandam imaginem cogitari potest primaria pulcritudo.* [Hom. 3. in Cant.]

XVI. Claudendus hìc nobis denique Tractatus est de simplicitate incomprehensibili & ineffabili Dei, elegantissimis, tametsi paulò copiosioribus Anselmi verbis; ubi superiorem totam doctrinam quasi sub unum aspectum collectam & conglobatam intueri possis: [Monolog. c. 62. 63.] *Sed ad illud quid respondeti poterit, quod jam suprà in hac ipsa disputatione constitit, quia sic est summa essentia supra & extra omnem aliam naturam, ut si quando illa dicitur aliquid verbis quæ communia sunt aliis naturis, sensus nullatenus sit communis? Quem enim sensum in omnibus his verbis quæ cogitavi, intellexi, nisi communem & usitatum? Si ergo usitatus sensus verborum alienus est ab illa, quidquid ratiocinatus sum, non pertinet ad illam. Quomodo igitur inventum est verum aliquid esse de summa essentia: si quod est inventum, longè diversum est ab illa? Quid ergo? An quodammodo inventum est aliquid de incomprehensibili re, & quodammodo nihil perspectum est de ea? Sæpè nempe multa dicimus, quæ propriè sicut sunt non exprimimus, sed per aliud significamus id quod propriè aut nolumus aut non possumus depromere: ut cùm per ænigmata loquimur. Et sæpe videmus aliquid non propè, quemadmodum res ipsa est, sed per aliquam similitudinem aut imaginem, ut cum vultum alicujus consideramus in speculo. Sic quippè unam eandemque rem dicimus & non dicimus; videmus & non videmus: dicimus & videmus per aliud, non dicimus & non videmus per suam proprietatem. Hac itaque ratione nihil prohibet, & verum esse quod disputatum est hactenus de summa natura, & ipsam tamen nihilominus ineffabilem persistere; si nequaquam illa putetur per essentiæ suæ proprietatem expressa, sed utcumque per aliud designata. Nam quæcumque nomina de illa natura dici posse videntur, non tam mihi eam ostendunt per proprietatem, quàm per aliquam innuunt similitudinem. Etenim cum earundem vocum significationes cogito, familiarius concipio mente, quod in rebus factis conspicio, quàm id quod omnem humanum intellectum transcendere intelligo. Nam valdè minus aliquid, imò longè aliud in mente mea sua significatione constituunt, quàm sit illud ad quod intelligendum per hanc tenuem significationem mens ipsa mea conatur proficere. Nam nec nomen sapientiæ*

pientiæ mihi sufficit ostendere illud, per quod omnia facta sunt de nihilo, & servantur à nihilo: nec nomen essentiæ mihi valet exprimere illud, quod per singularem altitudinem longè est supra omnia, & per naturalem proprietatem valdè est extra omnia. Sic ergo illa natura & ineffabilis est, quia per verba, sicuti est, nullatenus valet intimari; & falsum non est, si quid de illa ratione docente per aliud velut in ænigmate potest æstimari.

LIBER QUINTUS.

DE IMMENSITATE, DE IMMUTABILITATE & de Æternitate Dei.

CAPUT PRIMUM.

De immensitate Dei quid senserint exteri Philosophi, & quæ illi fundamenta adsignaverint.

I. Censebant Platonici Deum esse in semetipso; idque multis documentis efficiebant.
II. Ex iisdem inest Deus universo mundo, sed præcellentissimè.
III. Deum esse ubique præsentem, naturali anticipatione omnibus perspectum est.
IV. Fundamentum primarium immensitatis divinæ est ipsum unum, sive unitas.
V. Fundamentum secundum est ipsum bonum.
VI. Fundamentum tertium ipsum esse.
VII. Fundamentum quartum est veritas.
VIII. Fundamentum quintum est pulcritudo.
IX. Fundamentum sextum est omnipotentia.
X. Deus non tam ubique est, quam ipsum ubique est.
XI. XII. Deus ita ubique, & ipsum ubique est, ut nusquam sit.

I. Censebant I. Platonici Deum esse in semetipso. Cùm enim creaturas omnes tota æternitate antecedat, non poterant interim sedem aut locum ei præbere quæ nondum erant. Plotinus: *Est verum universum, est & veri universi imago, visibilis hujus mundi natura. Verum ergo universum in nullo est; nihil enim est ante ipsum. Quod autem ipso posterius est, hoc jam necesse est in universo esse, si modo aliquid sit futurum; præsertim cùm ex illo dependeat, neque sine illo manere valeat vel moveri.* Cùm rursus ens summum non possit esse in non ente, omnis autem creatura & ante conditum suum sit merum non ens, & pòst umbra sit magis & ludibrium entis quàm ens, & mera pronitas in non ens: summo nimirum enti stabilior sedes comparanda est, ipsamet sibi. Idem Plotinus ibidem: *Quod dicitur universum illud ubique esse, intelligendum est in ipso ente existere, id est, in seipso.* Et paulò pòst: *Est enim illud in semetipso, etiamsi quid ei velit adesse.* Sic ille etiam condito orbe, Deum in seipso solum & secretum perstitisse tradit; nec ipsum infudisse se orbi, sed orbem ei affusum adhæsisse. Ennead. 6. l. 4. c. 2.

II. Cùm denique omnium quidem causa sit Deus, sed eminentissima, ideo supereminet & imminet magis suo operi, quàm immanet; sed purissima, ideo superfunditur magis quàm infunditur; sed misceri ac participari nescia, ideo adest magis, quàm inest rebus conditis, proindeque suus sibi in semetipso esse, solusque propria sibi quies & sedes, æquè pòst, atque ante res conditas. Jamblichus: *Quid agunt Superi, quomodo administrant, habitant, curant? Nempè irradiant extrinsecùs omnia, sicut* De Myster. Segm. 1. c. 9. *Sol extrinsecùs universum radiis illustrat. Ut enim lux ipsa ambit ea cuncta, quibus affulget, non aliter divina vis continet exterius quidquid ejus particeps sit. Et velut adest aeri lux, nec tamen eidem admiscetur; ita propemodum divinus fulgor illuminat, puritate servata, absque mixtione. Perstat in sese erectum & stabile lumen divinum, & tamen omnia penetrat; percurrit omnia, à seipso autem nunquam excurit.*

III. Visum est 2. quòd Deus ubique sit, id verò naturali quadam anticipatione omnium mentibus insculptum esse. Omnes enim repentino quopiam casu perculsi, non judicio sed impetu naturæ Deum invocant, ut præsentem ubique opitulatorem. Plotinus: *Unum quiddam idemque numero esse simul ubique totum, communis indicat mentis humanæ conceptio; quando omnes naturali quodam instinctu clamant, in unoquoque nostrum esse Deum; adeo ut unus, idemque sit Deus.* Enn. 6. l. 5. c. 1. Omnes rursus non illa tantùm persuasione imbuti naturaliter, sed & ingenti fiducia præsentissimi ubique vindicis innixi conquiescunt, ab ea divelli se vix ac nec vix passuri. Plotinus ibidem: *Sic conquiescunt, in unum & idem quodammodo connitentes, neque ullo pacto vellent ab hac unione divelli.* Omnes denique & omnia bonum ubique appetunt, bonum autem illud non aliud est, quam Deus unus & ipsum unum, omnia ad se revocando uniens: anterior ergo est illa naturalis anticipatio conscientiæ, quà unum summum bonum ubique esse scimus, quàm concupiscentia qua ubique illud appetimus. Plotinus ibidem ait axioma illud, quòd Deus ubique sit, esse *ante principium illud, quo traditur, omnia bonum appetere. Sic enim principium hoc verum est, si omnia ad unum properent, & unum ipsum extet, & ad ipsum appetitio dirigatur.*

IV. Visum est 3. fundamentum primarium immensitatis divinæ esse ipsum unum seu unitatem Dei, omnia tum corpora, tum corporis expertia sibi uni intimè adunantem, eoque ipsa inter se arctissimè colligantem. Ex quo fit ut omnia collineent in unum, in unumque coalescant; proindeque ut hoc unum omnia pervadat, omnibusque intimum omnia devinciat sibi, & ipsa inter se constringat. Jamblichus: *Secunda quidem manent in unitate primorum, prima secundis largiuntur à seipsis vinculum unitatis. Sed universa mutuam tenent societatem complexus cujusdam indissolubilis & catenæ. Ex hac nimirum causa Dii prorsus incorporei vinculo unitatis adjunguntur Diis, qui sensibus & corporibus vestiuntur. Dii intelligibiles per unitatem suam infinitam continent in seipsis conspicuos Deos. Utrique autem communi quadam societate & unica actione, eodem in statu consident; & hoc eximium est privilegium quod tribuitur causæ & imperio atque administrationi Deorum. Quas ob res communio eadem unitatis, universa percurrit, à supremis usque ad ima, à cœlo ad terram, à capite usque ad calcem ordinis divinorum.* De Myster. Segm. 1. c. 19.

Sic ille posteriora in primorum, corpora in animarum, animas in Angelorum, Angelos in Dei unitate inhabitare, ab eaque inhabitari & in unum reduci perhibet. Quare rursus ibidem: *Quantò magis in altum ascendimus ad identitatem causarum primarum, & quantò magis nos ipsos sustollimus à partibus ad tota, à singularibus ad universa, tantò magis deprendimus unitatem sempiternam prædominantem.*

V. Fundamentum aliud immensitatis divinæ est ipsum bonum, quod unum & idem totumque omnes & omnia expetunt, & pro viribus suis invadunt & complectuntur, ideoque ei præsentissima & conjunctissima esse collaborant; ipsum verò omnibus intimum hanc sui famem inserit & instigat, eamque non quasi corporali in longinquum transmissione, sed spirituali immeatione exaturat. Plotinus: *Considerandum quomodo bonum animabus attingimus. Non enim aliud ego bonum attingo, aliud tu, sed idem. Neque rursus sic attingimus idem, ut inde in me quidem aliud, in te verò aliud affluat: adeo ut illud alicubi supernè sit situm, munera verò ejus ad nos descendant. Sed oportet largitorem ipsum accipientibus prorsus adesse, ut revera illinc accipiant; & qui largitur, non alienis, sed suis elargiatur. Intellectualis namque largitio non more transmissionis cujusdam peragitur.* Et paulò post: *Quamobrem existentes in eodem bonum ipsum videmus, existentes simul cum nostris intelligibilibus.* (Enn. 6. l. 5. c. 10.)

VI. Fundamentum aliud est ipsum esse; cùm enim sit pelagus incircumscriptum essendi, omnia ergo occupat; omnia tum loca, tum locata, imò entia qualibet in se præhabet & anticipat; nec ens ullum est, nisi quia summo enti adest, subestque. Adsunt autem ei omnia, non tam locali præsentia quàm essentiali dependentia; subsunt ei magis quàm adsunt; præest magis illis quàm inest; nexus hic est, non situs; & ordo magis emanandi, quàm locus assistendi. Plotinus: *Judicandum est ens ipsum in omni ente ubique existere, nusquam sibi ipsi deficiens; præsens autem illi fieri quidquid potest esse præsens; & quatenus valet, eatenus illi præsens esse, non loco, sed ut corpus lumini. Ibi prima, secunda, tertia, ordine, virtute, differentiis, non autem loci gradibus.* (Ennead. 6. l. 4. c. 11.)

VII. Fundamentum quartum immensitatis Dei est veritas. Deus enim veritas est qua vera sunt, quæcumque sunt omnia; ergo in omnibus planè entibus est: omnia enim quatenus sunt, vera sunt. Item Deus veritas illa est quæ omnibus ubique gentium contemplari volentibus præsto adest, & nusquam abest: ergo ubique est. Item Deus veritas est, non tantùm quam, sed qua intelligimus, uti luce mentibus ad quidlibet intelligendum adpriméè necessaria: ergo ubique est, nam ubique licet intelligentiæ vacare. Denique Deus veritas est, & idearum fons, & exemplar omnibus entibus, tum corporeis, tum incorporeis, & dum fiunt, & quamdiu sunt, jugiter imprimendum; ergo ubique est. Jamblichus: *Non indigent ad opus (Philosophiæ) instrumentis & locis; sed ubicumque locorum totius mundi aliquis mentem defixerit, undique similiter tanquam præsentem apprehendit, tangitque veritatem.* (In Protrept. c. 7.) Sic ille ut obvias & ad manum appositas facillimèque parabiles Philosophiæ & veritatis opes repræsentat. Plotinus: *Jam verò & ipsa intelligentia est. Neque hæc quidem intelligentia hic propriè, illa verò illic existit; ridiculum namque aliquid erit, si loco quodam indigeat; neque profectò sic passim se habet intelligentia sicut albedo; non enim corporis officium est intelligere. Verum si modò intelligentiæ revera participes sumus, in unum aliquid atque idem, secum ipso totum existens, necessariò conspiramus.* (Ennead. 6. l. 5. c. 10.) Sic ille omnes intelligere satagentes, ad unum aliquod ubique præsens veritatis & intelligentiæ lumen concurrere demonstrat, ut & illud & illo videant; ejusque rei exemplum subjicit esse, ubi cœtus hominum coit, ut in commune consulant verumque dispiciant. Denique ibidem: *Oportet nunc loquentes exactiùs, hæc non ita disponere, ut idea ipsa hinc sit loco seorsum, deinde velut in aqua, sic in materia ideæ fulgor inspiciatur; sed materiam existimandum est undique ideam velut attingere, rursusque nequaquam attingere; atque ita secundum se totam à specie reportare nihil, conferente ad id propinquitate, nulloque interveniente medio; neque rursus ita ut idea per totam discurrat materiam seu superferatur, sed potiùs in seipsa permaneat.* (Ibid. c. 8.) Sic ille veritatem ideis fætam naturæ omni creatæ inesse, eique sese ut exemplar imprimere declarat.

VIII. Fundamentum quintum immensitatis est pulchritudo, ad quam omnia suspirant, & nativo ideoque non irrito amore rapiuntur. Illa verò ad se prolectat omnia, & utcumque irradiat, omnibus præsens ut delectet; & in se refuga tamen ac secreta, ut ampliùs prolectet. Plotinus: *Permanet illud in seipso sapientia pollens, neque aliis unquam hæret; reliqua verò ex eo continuè pendent, utpotè quæ ubi illud sit, ipso inveniant desiderio. Atque hic est ille amor quo plerique affecti, ad amatæ rei fores pernoctare feruntur; amor inquam extrinsecus semper assistens, pulcrumque desiderans, satisque sibi factum existimans, si modò aliquando potiatur. Nam & superni illius amator, ipsam quidem non accipit pulcritudinem, sed quadam propinquitate participat; illa vero in seipsa consistit. Multi unius sunt amatores, amantes totum, & quando habent, pro viribus totum habentes. Totum enim ipsum est quod amatur. Quidnam igitur prohibet, quominus illud sufficiat omnibus, dum permanet in seipso? Quandoquidem ob hoc ipsum omnibus satisfacit, quoniam permanet; & propterea pulcrum est, quoniam omnibus totum adest.* (Ennead. 6. l. 5. c. 10.) Sic ille omnipræsentiam depingit non tam Dei ad res, quàm rerum ad Deum; & præsentiam quidem non tam localem, quàm amatoriam; ut omnia non suo quasi situ Deo adjaceant, sed amoris vinculo & amplexu, quasi summo pulchro inhæreant.

IX. Fundamentum denique immensitatis est omnipotentia, qua quæcumque sunt, totum id quod sunt, à Deo sunt, suum singulis & universis esse primùm impertiente, & deinde jugiter impartiri & protegere ne deficiant, non desinente. Ut causa igitur omnibus adest effectis suis, ut causa intimæ ipsius entis medullæ largitrix, omnibus medullitus inest creaturis suis. Nec tam ratio ista constituendæ immensitatis divinæ reliquis suprà delibatis subnecti debuit, quàm innecti. Etenim si ut unum, ut bonum, ut esse, ut verum, ut pulchrum ipsum Deus, omnia loca, & locata, & loci expertia implet; ideo implet, quia hæc non tam ejus essentiæ attributa, quam omnipotentiæ effluvia sunt. Est enim ipse ipsa unitate simplicior, & bonitate melior, & superessentialis & veritatis pulchritudinisque non tam forma, quàm parens & largitor. Cæterum ubique est, & omnia implet ut unum, quia omnia ad seipsum & inter seipsa colligat; ut bonum, quia omnibus boni & amorem injicit & fructum subjicit; ut esse, quia omnia & ut sint efficit, & ne deficiant reficit; ut verum, & omnibus entibus ut intelligantur, & omnibus mentibus ut intelligant, ideam lucemque imprimit; ut pulcrum, quia summi pulcri desiderio omnia & agunt & aguntur. Persuasum quippè his Philosophis fuit, instinctus illos & amores innatos, quibus res omnes imæ summæque infatigato nisu ad unum, ad bonum, ad esse &c. contendunt, non aliò tendere quàm ad Deum qui ipsum unum est, & summum bonum & esse, &c. & pro modo quasque suo illum ambire & amplexari; & quæ ipsum minùs possunt, ejus saltem umbram & simulacra prehensare. Denique si attentiùs expendantur omnia quæ suprà retulimus Platonicorum loca, planissimum erit eos non aliter spe-

ctasse

ctasse unum, bonum, aliaque Dei nomina & immensitatis fundamenta, quàm ut omnipotentiæ quosdam surculos, ideoque totam omnipræsentiam Dei omnipotentiæ superstruxisse.

X. Visum est 4. non tam dicendum esse quòd Deus ubique sit, quàm quòd sit ipsum ubique. Non enim in rebus ipse est, sed res in ipso; non continetur, sed continet; fulcit, non fulcitur; ipsi ut præexistenti accedunt omnia, ipsi incumbunt, in eoque conquiescunt. Est igitur Deus ipsum ubique, in quo sunt omnia, non locali expansione, sed essentiali adhæsione. Plotinus: *Hoc ipsum quod ubique & quod undique dicitur, ipsemet existit, Non in ipso ubique ipse est; sed ipse ipsum ubique est, aliisque dat, ut in ipso ubique sint. Ipse verò supremum obtinens ordinem, imò non obtinens, sed existens ipse supremus, omnia subjecta habet; non contingens illis, sed illis ipsi contingentibus; nec ipse illa prospicit, sed omnia illum prospiciunt.* (Ennead. 6. l. 8. c. 16.)

XI. Visum est 5. etsi Deus ubique sit, & ipsum ubique sit, propriè tamen nusquam esse; imò verò ideo ubique esse, quia nusquam est. Quod enim in uno aliquo loco est, sic illi affigitur, ut vagari extra non possit; ergo quod ubique locorum esse debet, nusquam locorum propriè esse debet. Item Deus ubique locorum est, quia ab omnibus extensis participatur; at id quod ab omnibus extensis participatur, extensum non est; sicut quod à corporibus participatur, corpus non est, sed anima; quod ab animabus, anima non est, sed mens; quod à mentibus, mens non est, sed unum. Ergo Deus quem videlicet ut animam mundi extensa omnia participant, extensus non est, ideoque nusquam est. Denique sic Deus ut causa ab omnibus participatur, ut imparticipabilis tamen permaneat; sic enim opificem sequuntur opera, ut non assequantur; sic imitantur, ut longissimè deficiant; & id quod proprium Dei est, ne attingant quidem. Ergo si Deus ut causa omnium utcumque participata, ubique est; ut causa imparticipabilis, nusquam est. Oranda hìc iterum iterumque venia est, si barbaris interdum abutamur vocibus, quæ Romana fateor civitate nunquam sunt donatæ; sed nova novè dici cogit necessitas, & philosophica placita philosophicis verbi explanari. Non res verbis, sed verba rebus servire par est. Quid enim putidius, quàm dogmatum majestatem debilitare atque infringere, ne quid Ciceronianæ elegantiæ decerpatur? Ita ergo Plotinus: *Nihil mirandum videri debet, si universum illud divinum cùm ipsum non sit in loco, adest omni quod est in loco. Contrà verò & mirabile & insuper impossibile foret, si illud habens ipsum quoque locum proprium, adesset alicui quod sit in loco. Nunc autem ratio dictat, ut ipsum cùm non habeat locum, cuicumque præsens est, adesse totum; cumque sit universo præsens, sic adesse, ut & singulis adsit totum.* (Enn. 6. l. 4. c. 1.) Rursus idem ibidem: *Ratio dictat hoc ipsum quod dicitur hic & ibi, non significare naturam illam esse hic ibique extensam; sed quidquid extensum est, participare sublime illud, cum tamen ipsum nullam distantiam patiatur. Si quid igitur participat aliquid, constat non participare seipsum; alioquin non particeps foret, sed illud ipsum existeret. Oportet ergo corpus quod alicujus sit particeps, non corporis effici particeps, &c. Si igitur quod dispersum est extensumque in quantitatis molem, aliud quoddam genus participat, oportet illud neque dispersum esse, neque extensum, neque omnino quantum aliquid esse.* (Ibid. c. 11.) Denique Proclus: *Omnis causa separabilis, ubique simul & nusquam est, Nam propter suæ facultatis communicationem ubique est; propter essentiam verò non mixtam cum rebus quæ sunt in loco & propter eximiam puritatem, nusquam est.* (Instit. Th. c. 98.) Et paulò pòst: *Ut igitur causa sit existens in omnibus participare valentibus, ut rursus causa sit in seipsa existens, & omnia effecta præcellens, ubique & nusquam est.*

XII. Visum est denique Deum, quia ipsum unum est, non tantùm magis propriè nusquam esse, quàm ubique; sed ita propriè nusquam esse, ut nec in alio, nec in semetipso sit. Quòd enim in alio non sit, jam suprà abundè declaratum est; quòd verò nec in semetipso sit, liquet ex eo quòd jam ampliùs unum non esset, sed quodammodo bipartitus in comprehendentem & comprehensum, atque ita à summa sua simplicitate degeneraret. Plato: *Si in alio esset, circulo quodam, ab eo in quo esset, concluderetur, &c. sin in seipso esset, ipsum seipsum complecteretur, &c. Annon aliud quiddam esset ipsum ut comprehendens, aliud ut comprehensum? nunquam enim idem ipsum totum utraque hæc simul pateretur & ageret. Quo fit ut ipsum unum non unum ulteriùs, sed duo sit. Nusquam igitur est ipsum unum, quandoquidem nec in alio, nec in semetipso sit.* (In Parmen. Supposit. 1. Si unum.) Sic ille ad meras negationes totam de Deo scientiam revocat, & immensitatem Dei inter negativa ejus attributa recenset.

CAPUT II.

Ut immensitatem Dei imitentur naturæ creatæ, juxta eosdem Philosophos.

I. Incorporeæ naturæ, sive mentes, sive animæ, Platonicis videbantur esse, & omnes in omnibus, & singulæ in singulis, & demum omnes ubique totæ.

II. Mundus totus intelligibilis, mentalis, animalis, videbatur illis in mundo sensibili esse, totus in toto, & totus in qualibet parte ejus.

III. In anima præsertim observabantur ab illis complura divinæ immensitatis imitamenta.

IV. Alia rursus in anima rationali simulacra divinæ immensitatis: quod in sensibili versetur mundo, nec tamen ab intelligibili discedat.

V. Deo præsenti ubique adglutinata anima, & ipsa ubique præsens esse illis videbatur.

VI. Sed immensa evadit maximè anima, cum abducens se à particularium bonorum amore, in charitatem summi & universalis boni demergitur.

VII. Ipsa inhabitatio animæ in corpore imitatio quædam est divinæ immensitatis.

VIII. Anima à corporibus absoluta, jam nusquam locorum sunt, sed in Deum absorptæ, illi præsentissimæ, & cum eo ubique sunt, ex horum Philosophorum doctrina.

I. Visum est 1. Platonicis incorporeas naturas, seu mentes nullis unquam, seu animas aliquibus quandoque immersas corporibus, & alias in aliis esse, & singulas in singulis, & omnes in omnibus, & totas ubique esse. Ineluctabilis ejus rei demonstratio hæc illis esse videbatur, quòd proprium id sit & peculiare corporum, ut alia alium locum occupent, sese mutuò extrudant, partesque suas alias extra alias non possint exporrigere, nisi suo quamque & diverso loco componant. Expertes ergo corporis & quantitatis substantiæ, ut partes non habent, ita nec locum implent, nec proinde sese excludunt. Non distant igitur mentes à mentibus, animæ ab animabus; alioquin assignanda foret aliqua partium & dimensionum intercapedo, quibus prorsus carent. Jamblichus loco quem retulimus Capite superiore, & Plotinus: *Una enim illa tota (mundi anima) nihil prohibet in se multas existere; multæque vicissim unam nihil impediunt. Distant enim inter se interim, non distantes; adsuntque sibi invicem, non alienæ. Non enim terminis ullis inter se separantur; quemadmodum neque scientiæ multæ in una quadam anima congregata, sed est una ipsa talis, ut in se contineat omnes.* (Ennead. 6. L. 4. c. 4.)

omnes. Sic ille exemplo insuper rem illustrat, ut enim scientiæ, ita mentes animæque multæ sese non excludunt ab eodem, quia quantitatis & dimensionum perindè expertes sunt.

II. Visum est 2. totum mundum intelligibilem, mentalem & animalem in mundo sensibili esse, & ubique totum adesse, adeo ut totus in toto, & totus in qualibet ejus parte sit. Consectaneum videbatur hoc esse rationis suprapositæ. Corpus enim ob naturam divisibilem & partes extra partes diffundere necessariò flagitantem, excludit ab eodem loco naturas alias corporeas, non incorporeas; ergo nullum incorporeum ab ullo corporeo excluditur. Hoc prolixè disputat Jamblichus, qui & ibi tandem concludit, cum spiritales naturæ à corporibus toto genere discrepent, non posse illas per hæc distribui, & hic illicque definiri vel coarctari: sed ut superiores infimis imminere & totis adesse. *Quæcumque se totis abjuncta prorsus dissident, quænam in iis excogitari possit reciproca inter se condistributio, aut per omnia commistio, aut particularis circumscriptio, vel localis coarctatio, aut tale aliquid omnino?*

De Myster. Segm. 1, c. 9.

III. Visum est 3. in anima præsertim complura & valdè conspicua observari posse divinæ immensitatis imitamenta. 1. Quòd magnitudinis inops magnitudinem impleat, & quantitate carens quantitatem corporis sui contineat, colligat, edometque. 2. Quòd divisibile corpus indivisibiliter insideat, tota in toto sit, totaque in singulis ejus partibus. 3. Quòd sic in corpore sit ut in semetipsa potiùs sit: sic illud ineat ut à se non exeat; ideoque illud sparsum, fluxum, & dissipabile incolat, nec tamen dispargatur ipsa, aut effluat, aut dissipetur. 4. Quòd corpus vel angustius, vel expansius perinde habeat, nec isto crescat. Quibus quatuor prærogativis vis quædam unitatis infinita & potestas interminata declaratur. Plotinus: *Quisquis hoc inspicit, magnitudinem & potestatem animæ ritè considerans, intelliget quàm divinus, quàmve admirandus animæ sit thesaurus. Quippè cùm magnitudine vacans, universæ magnitudini adsit; & alicubi existens, ibi iterum non existat; non alio quodam modo, sed prorsus eodem; adeo ut & divisa sit in partes, & iterum non divisa: potiùs autem ipsa neque divisa sit, neque divisa fiat. Manet enim secum ipsa tota, sed circa corpora dividitur, &c.* Idem rursus alibi: *Naturæ hujus (animæ) magnitudo non est secundum molem existimanda; moles enim parvum quiddam est, casurum versus nihilum siquis inde detraxerit. At ex illa natura neque fas est detrahere, neque si fortè subtraxeris, ullo modo deficiet.* Et paulò pòst: *Magnitudinem verò animæ hinc licet potissimum conjectare, quod quando moles ipsa fit major, anima eadem per totam illam undique se diffundit, quæ priùs erat in mole minore.* Sic ille infinitam immensamque animæ sine magnitudine magnitudinem patefacit.

Ennead. 4. L. 2. c. 1.

Ennead. 6. L. 4. c. 5.

IV. Visum est 4. nonnulla alia elucescere expressiora divinæ immensitatis in anima lineamenta. 1. quidem quòd anima etsi quia corpori colligata est, in sensibili mundo versetur, in intelligibili tamen adhuc supersit, ibique apice sui seu mente præsens rationes æternas & sempiternæ veritatis regulas contempletur. Mente itaque superis interest, ratione imis præest, ex illorum norma hæc regit, utrisque una sufficiens. Hinc Plato animam ex dividua & individua substantia compegit; dividua quidem qua corporeis regendis adsit, individua qua intelligibilibus intuendis intersit; etsi tota verè individua sit, quia & pars dividua individuam æmulatur, indivisè divisibilia implens, totaque in totis, & tota in partibus singulis. Plotinus: *Non enim illinc (anima ex mundo intelligibili) tota descendit; sed etiam superest ipsius aliquid, quod ad inferiora non venit, cujus natura nullam subire potest partitionem. Quod igitur in Timæo dicitur, animam essentia quadam individua & quadam circa corpora divisibili esse compositam, idem est ac si diceretur, animam essentia quadam constare, partim quidem apud superos permanente, partim verò ad inferiora vergente; quæ quidem simul & inde pendeat, & se interim ad hæc usque propaget; non aliter quam si ex centro linea protendatur. Ad hæc verò profecta, hac insuper parte evidenter totius servat naturam; nam & hic non solum partibilis est, sed etiam impartibilis; siquidem quod in ipsa divisum in partes dicitur, modo quodam indiviso est divisum. Per totum enim se corpus fundens, nec divisa quidem ex eo quod tota est per totum, interim ex eo quod in toto est, dicitur esse divisa.* Sic ille in utraque animæ parte immensitatem quandam observat, dum & pars inferior superiorem, & superior Deum imitatur.

Ennead. 4. L. 2.

V. Dum anima Deum cognoscit, Deo fit præsens; cùmque Deo præsentia sint omnia, fit & omnibus præsens. Deum enim cognoscit anima non per scientiam, sed per præsentiam, non per intellectum, sed per contactum; uno suo quod mente superius est, unum mente superius attingit, sicque non intelligendo, sed tangendo meliùs intelligit. Deum ergo intelligendo, fit illi præsens; quocirca & mentibus animabusque aliis Deum similiter intelligentibus, & intelligendo præsentibus, fit & ipsa præsens. Omnes ergo intellectuales substantiæ ad hunc modum omnes omnibus & singulæ singulis insunt, quia ipsi uni & eidem Deo omnes præsentissimæ adsunt; suntque velut circuli plurimi circa idem centrum defixi, sibique mutuò implexi. Nec aliter constare possit quod suprà numero primo dictum est; etsi enim mentes instar corporum sese non excludant, non tamen statim liquet quomodo sese includant; at nunc perspicuum est, quòd sese mutuò includant, cùm omnes uni communi centro præsentissimæ sint. Plotinus: *Neque per scientiam, neque per intelligentiam ullam cognoscimus Deum, sicut alia solemus quæ intelligibilia nuncupamus, sed per præsentiam quandam scientia meliorem.* Et ibidem: *Nunc vero postquam pars aliqua nostri corpore mergitur, perindè ac si quis in aqua pedes habeat, reliquo autem corpore superet aquam, nimirum eo ipso quod corpore non est submersum, erecti sublimius, per nostrum centrum cum ipso velut omnium centro conjungimur; sicut sæpè solemus circulorum multorum centra circumfusæ & continentis sphæræ centro prorsus affigere. Si igitur animorum orbes, corporei essent orbes, localiter communi inniterentur centro, & circa ejusmodi centrum alicubi situm, orbes animi volverentur. Quoniam verò & animæ ipsæ intelligibiles sunt, & illud est intellectu superius; existimandum est aliis quibusdam viribus, quibus videlicet intelligens intelligibili naturaliter connectitur, copulam ejusmodi confici; atque etiam propinquiùs quàm intelligens adesse, nempè similitudine & identitate, cognatoque copulari, nullo interim sejungente. Corpora enim propter corpora conjungi aliis prohibentur; at incorporea corporum obstaculo disjungi non possunt. Non igitur loco inter se incorporea distant, sed alteritate potius & differentia quadam. Quando igitur alteritas hæc abest, tunc quæ propterea diversa non sunt, sibi invicem adsunt.* Sic luculentè Plotinus non loco, sed alteritate & dissimilitudine distare inter se incorporeas naturas edocet; adesse autem & inesse sibi vel mutua similitudine, vel stabili ad Deum tanquam ad commune centrum copulatione.

Ennead. 6. L. 9. c. 4. 8.

VI. 3. Denique immensa evadit anima, & ubique esse incipit, cum mentem & amorem imprimis suum à particularibus & corporeis entibus avellens, se totam in amplexum entis universi sive Dei transfert; ad illud & cum illo se expandit, in illo diffunditur sine limite, & in infinito sine fine per immen-

immensum dilatatur. Amor enim rerum singularium coarctat animam, earum accessione minor evadit; parvis & minutis adhærendo minuitur & angustatur. At ubi universo bono sese vindicat, universa evadit & ipsa; & tota adhærens ei qui ubique & ipsum ubique est, ubique & ipsa quodammodo est. Plotinus: *Si in universo consistens nihil ultra requiras, ita demum illius ubique præsentiam consequeris. Prius quoque universus eras, sed quoniam aliud insuper aliquid tibi præter universum aderat, minor adjunctione ejusmodi evasisti. Non enim ex universo tibi erat adjunctio, nam nihil illi unquam adjunxeris, sed non erat ex non universo. Jam verò quicumque fit aliquis, isque fit ex non ente, jam est minimè universus. Sed tunc reverà universus existit, quando non ens omninò dimiserit. Tunc itaque teipsum auges, quando dimittis alia; tunc & universum tibi adest, cætera dimittenti. Dum verò es unà cum cæteris, illud tibi minimè fulget; sed enim quando fulget, non accedit ut adsit; imò verò tu inde discesseras, quando non aderat.* Sic ille ex eo quòd entia particularia enti ipsi comparata, non entia potiùs sint, luculentè infert eorum accumulatione & amore utpotè non entium, depauperari & angustari animam, inopia autem & fuga ditari & dilatari; amore autem universi boni & ubique regnantis universam evadere & cum eo jam ubique regnare.

Ennead. 6. l. 5. c. 12.

VII. Visum est 5. immensitatem animarum immensitatis divinæ imitatricem in ipsis corporibus non obscura similiter imitatione adumbrari. Nam 1. ut simplicissimam ipsius unius infinitatem imitantur animæ intelligibili expansione & alteritate; ita animarum intelligibilem expansionem & alteritatem imitantur corpora locali extensione & quantitate. 2. Ut unum, quia simplicius, eò immensius, animas continet, non continetur; ita animæ eò capaciores quò simpliciores, corpora capiunt in se, non capiuntur. 3. Ut unum seipso ubique est; at animæ adhærendo uni & circa illud se movendo, suo modo ubique sunt; ita corpora uni loco affixa, motu omnem locum implere, & celerrima circuitione ubique esse connituntur. Rotantur ergo jugiter circa Deum animæ, circa animas corpora, sicque circa Deum omnia irrequieta vertigine tripudiant, immensitatis præsertim divinæ instigatione, admiratione, æmulatione. Et hinc tam crebræ circulationes in rerum natura, cœlorum circa orbis centrum, syderum præterea circa suum cujusque centrum, spirituum in animalibus, &c. Plato in Timæo: *Postquam secundùm creatoris illius mentem tota animæ constitutio absoluta fuit, mox omne corporeum intra ipsam effinxit, mediumque mediæ accommodans apto modulamine copulavit. At illa à medio per omne usque ad cœli extrema se porrigens, eique extrinsecus circumfusa, seque in seipsa convertens, ita sempiternæ sapientisque vitæ in universum tempus divinum dedit exordium.* Sic ille exponit, ut in anima mundi, tanquam in continente, mundi corpus conditum sit, quod ad alias animas verisimilius trahitur. Plotinus autem: *Mundi anima ubique existens, non diversa per partes, sed ubique tota, dat & cœlo ut ipsum quoad potest, sit ubique. Potest autem duntaxat ex eo quòd pertranseat progrediaturque per omnia.* Et mox: *Quod sit ita est, anima rursus revolvitur circa Deum, affectatque complecti, & utcumque potest, circa ipsum sese habet, cuncta enim à Deo dependent. Quoniam vero non permanet penes ipsum, saltem se versat circa ipsum.* Et infrà: *Forte in nobis etiam spiritale corpus, quod circa animam est diffusum, efficit idem.* Et tandem: *Proinde Plato stellis non solùm attribuit motum unà cum toto orbicularem, verum etiam singulis motionem circa centrum proprium revolutam. Quilibet enim globus ubicumque est, Deum quodammodo circumplectens, prorsus exultat; non utique consilio quodam, sed naturali necessitate.* Denique idem

Ennead. 2. l. 2. c. 1. 2.

Enn. 6. l. 4. c. 1.

Plotinus: *Est enim illud (universum intelligibile) in semetipso, etiamsi quid ei velit adesse. Quo sanè se conferens universi corpus, reperit universum; adeò ut non sibi opus sit ulteriùs progredi, sed revolvi expediat in eodem, tanquam hoc in quo revolvitur, revera sit universum; ubi certè secundùm omnem sui partem toto illo perfruitur.* Sic ille rationem assignat cur mundus circulari, non rectò agatur motu; cùm enim Deum jam attigerit, in eoque totus sit, non debet ultra progredi; sed eodem in loco circulari, ut non se toto tantùm, sed & singulis sui partibus ubique esse studeat, Deoque qui ubique est perfrui.

VIII. Visum est 6. animas corporum vinculo quo tenebantur solutas, jam nusquam esse nisi penes Deum; loco enim alicui priùs per corpus affigebantur; eo extricatæ, nullo jam loco clauduntur; Deo tantùm à quo jugiter fluunt, in quem jugiter refluunt, præsentes sunt, & ubicumque ille est, ipsæ adsunt. Enitendum igitur esse ut animæ à corporum amore eluantur, ne si corporeum aliquid amoris glutine adhærescens post mortem secum trahant, eo adhuc teneantur vinculo, & per immensitatis divinæ campos spatiari prohibeantur. Plotinus: *Proinde animæ corpus habentes, habent etiam ut tormenta corporea patiantur. Animæ verò quæ puræ sunt, nihilque ullo pacto corporei secum trahunt, nullo prorsus situ corporeo cohibentur. Si igitur ad nihil ejusmodi designantur, neque enim ullo modo corpus habent, ibi proculdubio sunt, ubi essentia, ipsum ens, atque divinum in Deo consistens.* Et si non omnis hinc absit error, nec errori unquam assensus dandus sit; laudandi sunt tamen hi conatus processusque ad verum & ad Deum.

Enn. 4. l. 3. c. 24.

CAPUT III.

Ut immensitatem Dei exponant Ecclesiæ Doctores.

I. Deum esse ubique, multis argumentis evincunt sancti Patres, multis exemplis illustrant.

II. Id maximè illustratur exemplo animæ.

III. Idem rursus eodem exemplo animæ illustratur.

IV. Imò & ab exemplo corporum accersitur aliquid lucis.

V. Ubique esse proprium Dei unius est, ex Patribus. Unde & hinc divinitas demonstrata Filii.

VI. Et Spiritus sancti.

VII. Ubique esse proprium est naturæ incircumscriptæ, omnipotentis & dominatricis.

VIII. Sic Deus ubique est, ut totus ubique sit, totus in universis, totus in singulis.

IX. Quod declaratur exemplo sapientiæ, & veritatis.

X. Spiritalis naturæ proprium est, præesse potiùs loco, quàm inesse: imminere magis, quàm immanere.

XI. Sic Deus in universo orbe est, ut etiam extra sit.

XII. Deus sic ubique est, ut ipsum ubique sit.

XIII. Sic ubique est, ut nusquam propriè sit, sed in semetipso tantum propriè sit.

XIV. Summa capita rationum, ut nusquam propriè, nisi in semetipso sit Deus.

I. Docent 1. Ecclesiastici Doctores Deum esse ubique, Idque commendant imprimis, ut naturæ magisterio omnium mentibus præsumptum. Titus Bostrensis: *Quod quidem extra communes notiones est, quæ menti suggerunt, ut eum ubiqui esse noscat, & natura incomprehensum.* Id illustrant 2. exemplo elementorum & principum mun-

L. 1. contra Manich.

mundi partium, quæ immensitatem Dei disertissimè eloquuntur, dum imitantur, eoque majores sunt mole, quo superiores ordine, suo quasi jure Deum de propinquo æmulantes. Philo: *Ante omnem creaturam Deus est, eritque ubique.* L. 2. Legis Allegor. *Itaque nemo potest se ab eo abscondere. Et quid mirum? quando etiam creaturarum capacissimas, quidquid nobis contigerit, effugere & latere non possimus. Aut effugiat quispiam terram, aquam, aerem, cœlum, vel mundum hunc universum. In his enim contineamur, necesse est. Certe extra mundum nemo exulare potest. Et poterit aliquis abscondi à Deo, cum nec mundum, nec mundi partes effugere valeat? minimè gentium.* Id illustrant 3. exemplo Solis, qui tametsi cœlo infixus sit, orbem tamen implet, omnibusque calore & luce præsentem se exhibet, & non contaminatur, dum sordidissima quæque pervadit. Minutius in Octavio: *Ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est Deus. In Solem adeo rursus intende. Cœlo affixus, sed terris omnibus sparsus est. Pariter præsens ubique interest, & miscetur omnibus, nusquam enim claritudo violatur. Quantò magis Deus author omnium, speculator omnium, à quo nullum* In Ps. 118. *potest esse secretum?* Et Ambrosius in illa verba Psalmi, Prope es tu Domine: *An cum de Sole dubitare nequeamus, quod procedens toto orbe radios diffundat suos, & omnibus lumen infundat; quem etiam illi qui videre non possunt, sentiunt tamen aeris ipsius fotu esse præsentem: ubi enim deest calor illius? In cœlo fulget, in mari rutilat, fervet in terris. De Sole ergo non dubitas, quod ubique resplendeat; de Deo dubitas, quod non ubique fulgeat splendor gloriæ ejus & imago substantiæ? Quid non penetret Verbum Dei, splendor æternus, qui etiam occulta mentis illuminat, quæ non potest iste Sol penetrare?* Idem habet Hilarius, eundem versum ejusdem Psalmi elucidans. Et Cyrillus Episcopus Hie- Catech. 18. rosolymitanus: *Si Sol exiguum opus Dei uno radiorum jactu universum orbem calefacit; & aer quem Deus fecit, circumdat mundum: Deus Solis & aeris opifex, non distat à mundo?*

II. Id illustrant 4. exemplo animæ, quæ tametsi suo illigata corpori, immensitatem tamen Dei multifariam imitatur; 1. cùm ipsa tametsi individua dividuum corpus impleat tamen totum; ut enim ipsa corpus, sic Deus orbem insidet regitque. Ambrosius loco citato: *Animæ vigor per corpus omne diffunditur; sive manus, sive pes, sive digitus particeps sensus sit; Dei potest alicubi deesse sapientia, alicubi ejus deesse majestas?* 2. Cùm sensu & intellectu totum orbem perlustrat, imis summisque interest, & intelligibili pernicitate ubique præsens adest. Hilarius: *Ergo ad imaginem* In Ps. 129. *Dei homo effectus est rationabilis, mobilis, movens, citus, incorporeus, subtilis, æternus; quantum in se est, speciem naturæ principalis imitatur, dum transcurrit, dum circumvolat, & dicto citius nunc ultra Oceanum est, nunc in cœlos evolat, nunc in abyssis est, nunc orientem occidentemque perlustrat, dum nunquam ut non sit, aboletur. Natura quidem Dei in his omnibus est, neque ut alibi adsit, decedit aliunde. Sed anima humana in hac sensus sui mobilitate ad imaginem opificis sui facta est, dum naturam Dei mobilitas animæ perennis imitatur.* Sic ille tradit animam immensam fieri operationis suæ mobilitate, ut Deus immensus est omnipotentiæ majestate. Eadem habet Ambro- Epist. 38. Heman. T. 6. c. 8. sius: *Corpus nostrum uno in loco hæret, angusto includitur spatio; omnes feræ latiores sunt homine, omnes etiam velociores. Non ergo caro potest esse ad imaginem Dei; sed anima nostra quæ libera est, & diffusis cogitationibus atque consiliis, huc atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia. Ecce nunc sumus in Italia, & cogitamus ea quæ ad Orientales & Occidentales partes spectare videntur; & cum illis versari videmur qui in Perside sunt constituti, & illos videmus qui degunt in Africa, &c. Ea ergo est ad imaginem Dei, quæ non corporeo æstimatur, sed mentis vigore, quæ absentes videt, transmarina visa obit, scrutatur abdita, huc atque illuc uno momento sensus suos per totius orbis fines, & mundi secreta circumfert; quæ Deo jungitur, Christo adhæret, descendit in infernum atque ascendit, libera versatur in cœlo.*

III, 3. Cùm omnia pervagatur, nec à seipsa tamen digreditur, adeo ut totam illam rerum ac spatiorum infinitatem non tam extra se admirari, quàm suo in sinu & in sui quasi pectoris aula complecti videatur, Cassiodorus: *In corpore po-* L. de Anim. c. 7. *sita anima quàm multa videt, non à se egrediens, quàm diversa circumspicit, ubique quasi distenditur, & animæ fieri discessio non probatur: movetur, erigitur, fluctuari cognoscitur, & in seipsa tanquam in magno currens spatio pervagatur.* Augustinus autem acutissimè sentientis animæ im- Epist. 1. mensitatem examinat, sic tamen ut hic magis ludus & simulatio immensitatis sit; anima enim ibi est, ubi vivit; ibi vivit, ubi sentit; ibi sentit, ubi videt vel audit; videt autem & audit in cœlo, in astris, in locis remotissimis, ergo & ibi est. Duo ergo hi saltem corporalium sensuum primates carnis suæ vinculum excutiunt, animamque secum avehentes, immensitatem Dei umbratiliter saltem & simulatoriè assequuntur. *Quomodo anima quæ sunt extra carnem suam sentit, quæ nonnisi in carne sua vivit? annon ab ejus carne longissimè absunt sydera in cœlo? annon in cœlo videt Solem? An in cœlo vivit, quia & in cœlo sentit, & sensus esse non potest, ubi vita non est? An sentit & ubi non vivit, quia cùm in sua tantùm carne vivat, sentit etiam in eis locis quæ præter ejus carnem continentur, eaque tangit aspectu? Videsne quàm hoc sit latebrosum in sensu tam conspicuo qui visus dicitur? Attende & auditum. Nam & ipse se foras quodammodo diffundit à carne. Unde enim dicimus, foris sonat, nisi ibi sentiamus ubi sonat? ergo & illic extra carnem nostram vivimus. An sentire possumus & ubi non vivimus, cum sensus sine vita esse non possit?* Et infrà: *Visus auditusque afferunt mirabilem quæstionem, aut quomodo anima sentiat ubi non vivit, aut quomodo vivat ubi non est?* Et paulò pòst: *Hæc omnia mira sunt, nihil horum affirmari sine quadam velut absurditate potest, & de sensu loquimur morticino. Quid igitur est ipsa anima, præter corporis sensum, id est in mente quæ ista considerat?* Sic ille non obscurum Nyss. Orat. Catec. c. 10. Philon. l. de Mundi Opificio. quidem argumentum immensitatis divinæ & ejus umbra & veluti ludibrio quod in anima sentiente effingitur; sed longè splendidiùs exprómit ex ejusdem imagine, quam anima rationalis & natura angelica præfert. Vide & Gregorium Nyssenum & Philonem.

IV. 4. Denique quòd & corporum & animarum mobilitas quædam sit immensitatis divinæ imitatio & testificatio, testatur Gregorius Magnus, ubi in Scripturis Deum etsi ubique sit, mobilem tamen dici interpretatur, quia creaturæ non aliter quàm sua mobilitate omnipræsentiam divinam vel imitari possunt, vel intelligere; homo ubique est qui jugiter & celeriter movetur; ut Deus ergo ubique esse intelligatur, mobilis prædicatur: *Magna* Greg. Mag. in Ezech. Hom. 5. *quæstio exoritur, cur iste Spiritus qui implet omnia, simul mobilis & stabilis dicatur? sed si ad usum consuetudinis humanæ recurrimus, sensum citiùs loquentis invenimus. Homo quippe quia in ea regione in qua est, ubique discurrit, proculdubio ubique obviam venit, & repente ubi non creditur, invenitur. Omnipotentis ergo Spiritus ut ubique præsentia signaretur, simul & mobilis & stabilis dicitur. Stabilis, quia per naturam omnia continet; mobilis autem dicitur, quia ubique etiam nescientibus occurrit. Tenens ergo omnia, stabilis; præsentem se omnibus exhibens, mobilis appellatur.* Ad hunc ergo modum invisibilem Dei immensitatem visibilis

ſibilis omnis natura prædica, dum per varios quaſi gradus adumbrat. Alia enim per molis expanſionem, alia per radiorum ſparſionem, alia per motionum velocitatem, alia per ſenſuum & intellectuum pernicitatem diffundere ſeſe ubique & in immenſum dilatare affectant. Probari efficaciùs poterat Deum ubique eſſe, tum ex Scripturarum authoritate, tum ex ejus jugi & omnipotenti operatione; cùm enim rebus in omnibus locisque operetur, ſuum ſingulis eſſe largiens & conſervans, omnibus inſit neceſſe eſt; ſed de his uberiùs infrà ſuo loco.

V. Docent 2. eſſe ubique proprium eſſe Dei, nec ulli planè naturæ creatæ quadrare poſſe. Liquet 1. Inde enim Verbo divinitatem ſuam vindicant, quòd ubique ſit; ubique autem eſſe comprobant ex eo quòd Verbum ut ſapientia, juſtitia, veritas in omnibus ſit hominibus ſanctis & Angelis; nec enim ſancti eſſe poterant, niſi participatione ſanctitatis & ſapientiæ præſentis, inhabitantis, & ſui effigiem jugiter inſculpentis. Accedunt & Scripturæ: An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus? Et: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Ita philoſophatur Origenes paulò ante finem libri IV, Periarchon, Sanctiſque omnibus ſubſtantialiter ineſſe Verbum, ideoque ubique eſſe, & Deum proinde eſſe concludit. *Vivit verò in me Chriſtus. Tunc ergo cùm eſſet in Paulo, quis dubitavit quod ſimiliter erat in Petro & in Joanne, & in ſingulis quibuſque Sanctorum? & non ſolùm in his qui in terris ſunt, ſed etiam in his qui in cœlis. Abſurdum quippè eſt dicere, quia in Petro quidem & in Paulo erat Chriſtus, & in Michaele Archangelo, & in Gabriele non erat. Ex quo manifeſtè deprehenditur, quia divinitas Filii Dei non in loco aliquo concludebatur, alioquin in ipſo tantùm fuiſſet, & in alio non fuiſſet; ſed ſecundùm incorporeæ naturæ majeſtatem cùm à nullo loco concludatur, in nullo rurſum deeſſe intelligatur.*

VI. Liquet 2. Similiter enim Spiritus ſancti divinitatem demonſtrarunt ex eo quòd ubique ſit; ubique autem eſſe ex eo quòd in omnibus ſit viris ſanctis Angeliſque. Si quis enim Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus; aut ergo ſancti non ſunt, aut Spiritu ſancto ſubſtantialiter inſidente pleni ſunt. In diſputatione Athanaſii contra Arium in Nicæno Concilio habita, ſic argumentatur Arius: *Si æternæ Deitatis conſubſtantialis eſſet Spiritus ſanctus, omnino omnibus in locis per eſſentiam præſens eſſet, neque quum emittitur de loco in locum procederet.* Reſpondet Athanaſius: *Age, dic mihi, quatenus Angelos ſanctos eſſe exiſtimas, quatenus non; certum eſt enim in Spiritus ſancti præſentia eos ſanctos eſſe, in abſentia verò ſanctos non eſſe, ſecundùm verbum Dei ita dicentis, Non permanebit Spiritus meus cum hominibus iſtius ætatis, eò quod carnes ſint; & Paulus Apoſtolus ait, Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Et paulò pòſt: *Si igitur Angelis adeſt Spiritus ſanctus, & ſanctis animabus Patrum qui Deo placuerunt, Apoſtoliſque præſto fuit, ipſis inter ſe longa intercapedine ob prædicationem regni cœlorum diſtantibus, certè univerſa implet Spiritus ſanctus, ubique eſſentialiter præſens, non aliter quàm Deus Pater & unigenitus ejus Filius.* Idem prolixè habet & luculentè Cyrillus Hieroſolymitanus. (Catech. 16.) Liquet 3. Mittitur Angelus vel homo in unum aliquem locum, at Spiritus ſanctus in omnem locum in omnemque creaturam, ergo ubique eſſe poteſt; cùmque hinc inferatur ejus divinitas, peculiare ergo Dei hoc eſt ut ubique ſit. Ambroſius: *Cum Dominus ſervulos ſuos Apoſtolos deſtinaret, ut agnoſceremus aliud creaturam eſſe, aliud gratiam ſpiritalem, alios alio deſtinabat, quia omnes ſimul ubique eſſe non poterant. Dedit autem omnibus Spiritum ſanctum, qui licèt ſeparatis Apoſtolis, ſic inſeparabilis gratiæ munus infunderet. Incircumſcriptus igitur & infinitus Spiritus ſanctus, qui ſe Diſcipulorum ſenſibus per ſeparatarum divortia diſcreta regionum ſemotoſque fines totius orbis infudit. Angeli ad paucos mittebantur, Spiritus autem ſanctus populis infundebatur.* (L. 1. de Spir. ſanct. c. 7. §. 10.)

VII. Liquet 4. Ubique eſſe, proprium eſt naturæ incircumſcriptæ, omnipotentis & dominatricis. Jure enim ſuo ædes non incolit niſi Dominus, reliqui precariò; totas non occupat niſi Dominus, reliqui partes. Item naturæ ſpiritales locum non occupant niſi operando, ut infrà planum fiet: ergo ubique eſſe non poteſt, quia nec ubique operari niſi omnipotens. Denique incomprehenſibilitas multiplex cùm ſit, poteſt enim aliquid comprehendi vel non comprehendi ſubſtantia, tempore, loco, intellectu; quod ſubſtantiæ modo clauditur, poteſt & reliquis claudi modis, qui ſubſtantiæ quaſi conſectanei ſunt; ergo loco non circumſcribi proprium eſt ſubſtantiæ incircumſcriptæ. Cùm ergo Dei ſolius natura ſit dominatrix, omnipotens, incircumſcripta, ejus unius eſt eſſe ubique. Ambroſius uno loco ſummatim attingit: *Cùm omnis creatura certis naturæ ſuæ ſit circumſcripta limitibus, ſiquidem & illa inviſibilia opera quæ non queunt locis & finibus comprehendi, ſubſtantiæ ſuæ tamen proprietate clauduntur: quomodo quis audeat creaturam appellare Spiritum ſanctum, qui non habeat circumſcriptam indeterminatamque virtutem? Quia & in omnibus & ubique ſemper eſt, quod utique divinitatis & dominationis eſt proprium. Domini enim eſt terra & plenitudo ejus.* (L. 1. de Spir. ſanct. c. 7.) Sic ille ex naturæ circumſcriptione, loci quoque limites infert. Paulò enucleatiùs diſſerit Anſelmus, ubi omninò circumſcriptum ait eſſe corpus, quia ſic totum uno in loco eſt, ut totum in alio eſſe non poſſit; omninò incircumſcriptum Deum, qui ſic totus alicubi eſt, ut & totus ubique ſit; circumſcriptum verò & incircumſcriptum ſimul Angelum animumque, qui ſic totus alicubi eſt, ut & totus alibi ſit, non tamen ubique: *An creatus ſpiritus ad te (Deum) collatus, ſit circumſcriptus, ad corpus verò incircumſcriptus? nempè omnino circumſcriptum eſt, quod cum alicubi totum eſt, non poteſt ſimul eſſe alibi, quod de ſolis corporeis cernitur. Incircumſcriptum verò quod ſimul eſt ubique totum, quod de te ſolo intelligitur. Circumſcriptum verò & incircumſcriptum ſimul eſt, quod cum alicubi ſit totum, poteſt totum eſſe ſimul alibi, non tamen ubique, quod de creatis ſpiritibus cognoſcitur. Si enim non eſſet anima tota in ſingulis membris ſui corporis, non ſentiret tota in ſingulis.* (Proſl. c. 14.) Sed rem penitùs enucleat Damaſcenus: *Angelus corporaliter non continetur loco, quaſi formam figuramque recipiat. In loco tamen dicitur eſſe, quia adeſt intelligibiliter, & operatur ſecundùm ſuam naturam; & non dicitur eſſe alibi, ſed ibi intelligibiliter circumſcribi, ubi & operatur. Non enim poteſt ſecundùm idem diverſis in locis operari: nam ſolius Dei eſt ſecundùm eandem operationem ubique eſſe. Angelus velocitate naturæ & quia citò promptèque pertranſit, variis in locis operari dicitur: Deus autem ubique exiſtens & ſuper omne, ubique & ſecundùm idem differenter operatur una & ſimplici operatione.* (Orthod. fid. L. 2. c. 17.) Et paulò pòſt: *Circumſcriptum eſt quod loco, tempore aut intellectione comprehenditur; incircumſcriptum autem quod nullo horum continetur. Incircumſcripta igitur ſola divinitas, ſine principio, ſine fine, omnia continens, & nulla intellectione comprehenſibilis. Angelus verò & tempore circumſcribitur, & loco intelligibili, & intellectione.*

VIII. Docent 3. Sic Deum ubique eſſe, ut totus ubique ſit, totus in univerſis, totus in ſingulis locis entibuſque. Liquet 1. exemplo lucis & vocis, quæ tametſi res corporea ſit, à ſingulis tamen æquè tota percipitur atque ab univerſis; item ſeminis, pupillæ, cerebri, aliarumque rerum mole minimarum, & immenſam tamen vim complectentium,

tium, ut minùs mirum jam accidat, si Deitatis majestas in minima qualibet corporum portione inhabitare tota perhibeatur. Augustinus: *Itane jam non illud est potiùs incredibile, si verbum hominis transiens quod exhibetur auribus; Verbum Dei permanens non exhibetur rebus? Ut quemadmodum hoc simul auditur à singulis etiam totum, ita illud simul ubique sit totum? Non itaque metuendum est corpusculum infantiæ, ne in illo tantas Deus angustias passus esse videatur. Neque enim mole, sed virtute magnus est Deus, qui providentia sua meliorem sensum magis apiculis & formiculis dedit, quàm asinis & camelis: qui ex grano minutissimo seminis tantam ficulneæ arboris magnitudinem creat, cùm ex multò majoribus seminibus longè minora multa nascantur: qui pupillam tam parvam ditavit acie, qua per oculos emicante, in ictu temporis, cœlum propè dimidium lustraret: qui ex puncto & quasi centro cerebri sensus omnes quinaria distributione diffudit; qui corde, membro tam exiguo, vitalem motum per corporis cuncta dispensat. His atque hujusmodi rebus insinuans magna de minimis, qui non est parvus in parvis.* Sic sanctus Pater in natura corporea observat latitantia incorporeæ & divinæ proprietatis vestigia. Tanquam enim impotenti quodam æstu & pruritu imitandi Dei ipsa etiam corpora concitentur, sic præfixas naturæ suæ leges transiliunt, in spiritalis substantiæ confinia & privilegia invadunt, & in singulis sui loci partibus tota simul esse affectant simulantque. Sed hanc licentiam non usurpant, nisi quæ ad animalis naturæ fines & societatem evecta, limites legesque corporum contemnere jam audent. Idem Augustinus alibi sanitatem in nostro nunc, immortalitatem in beato olim corpore, aliasque ejusmodi qualitates ita esse vel fore totas tradit in toto corpore, ut & totæ sint in qualibet ejus parte, nec majores in majore, aut minores in minore, sed æquales, quia totæ in qualibet. Unde ita philosophatur: *Absit ergo ut quod potest in corpore qualitas creati corporis, non possit in seipsa substantia Creatoris.* Liquet 2. exemplo animæ quæ tota in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte est. Cùm enim tota sentiat quod cuilibet parti corporis imprimitur, tota ergo ubique est. Ambrosius: *Sicuti Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens & gubernans, sicut Apostolus confirmat, quod in eo vivimus, movemur & sumus; sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens & gubernans. Nec enim in majoribus corporis sui membris major & in minoribus minor; sed in minimis tota & in maximis tota. Et hæc est imago unitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se.*

Epist. 3.

Epist. 57. [illegible]

L. de Dign. c. [illegible] hum. [illegible]

IX. Liquet 3. Ut enim Deum propiùs imitatur anima quàm corpus, ita sapientia quàm anima; at sapientia sic tota alicubi est, ut tota in qualibet sit; non major in majore, minor in minore est, sed par in utroque, si æquè sapiunt; non major in duobus quàm in uno, si tres æquè sapiunt, sed earum & æqualis; sic ergo & Deus qui veritas & sapientia ipsa est, totus est in singulis & tantus quantus in universis. Augustinus: *In eo ipso quod dicitur Deus ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, & mens à corporis sensibus evocanda; ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur. Omnis ejus hujuscemodi magnitudo minor est in sui parte quàm in toto. Sed ita potiùs sicuti est magna sapientia etiam in homine cujus corpus est parvum. Et si duo sunt sapientes quorum sit alter corpore grandior, neuter sapientior, non est illa in majore major, minor in minore, aut minor in uno quàm in duobus, sed tanta in hoc, quanta in illo, & tanta in unoquoque, quanta in utroque.* Sed illa ipsa veritas & sapientia, quæ omnibus ubique gentium sapientibus præsto est, suique non tam irradiatione quàm informatione sapientes facit, propiùs assequitur Deum, nisi Deus ipse est; itaque sic ubique tota est, ut tota in singulis sit; totam singulis se propinat; non uni subtrahit, quod alteri ingerat; tanta cuilibet, quanta universis adest inestque. Idem Augustinus: *Habemus igitur veritatem & sapientiam, qua fruamur omnes æqualiter atque communiter: nullæ sunt angustiæ, nullus in ea defectus. Omnes amatores suos nullo modo sibi invidos recipit; & omnibus communis est, & singulis casta est. Nemo alicui dicit, recede, ut etiam ego accedam; remove manus, ut etiam ego amplectar. Omnes inhærent, omnes ipsam tangunt. Cibus ejus nulla ex parte discerpitur; nihil de ipsa bibis quod ego non possim. Non enim ab ejus communione in privatum tuum mutas aliquid; sed quod tu de illa capis, & mihi manet integrum. Quod te inspirat, non expecto ut reddatur abs te, & sic ego inspirer ex eo: non enim aliquid ejus aliquando fit cujusquam unius aut quorumdam proprium; sed simul omnibus tota est communis. Minus ergo ea quæ tangimus, vel quæ gustamus, vel quæ olfacimus, huic sunt veritati similia, sed magis ea quæ audimus, vel cernimus: quia & omne verbum, à quibus auditur, totum auditur ab omnibus & simul à singulis totum: & species omnis quæ oculis adjacet, quanta videtur ab uno, tanta ab alio simul. Sed multum longo intervallo similia sunt ista.* Et infrà: *At illa veritatis & sapientiæ pulchritudo, nec multitudine audientium constipata secludit venientes, &c. De toto mundo ad se conversis qui diligunt eam, omnibus proxima est; omnibus sempiterna, nullo loco est, nusquam deest; foris admonet, intus docet, &c.* Ita ille luculentiùs quàm prolixiùs.

De lib. arb. L. 2. c. 14.

X. Liquet 4. Loci temporisque natura ita comparata est, ut & ipsa in partes alias, aliasque discerpatur, & res omnes sibi obnoxias eadem partium distractione ac dilaniatione mulctet. Quapropter quæcumque legibus temporis & loci mancipata sunt, non possunt in qualibet loci vel temporis portione simul esse tota, sed cum loci temporisque partibus partes quoque suas dispergere & dissipare compelluntur. At natura spiritalis, & multò fidentius spiritalis naturæ summus apex & author, legibus loci non ligatur; non continentur loco, sed illum continet; non inest illi, sed adest, imò præest; cùm loco magis est, quàm in loco; ideòque naturæ loci non servit, sed imperat; & præter leges & mores rerum locatarum, sic totus in quolibet loco est, ut & totus sit in quantulacumque ejus minutia. Anselmus: *Quoniam loci hæc est & temporis conditio, ut tantummodo quidquid eorum metis clauditur, nec partium fugiat rationem, nec ullo modo possit totum à diversis locis vel temporibus simul contineri: quidquid vero loci vel temporis continentia nequaquam coercetur, nulla locorum vel temporum lege ad partium multiplicitatem cogatur, aut præsens esse totum simul pluribus locis aut temporibus prohibeatur; quoniam inquam hæc est conditio loci vel temporis: proculdubio summa substantia, quæ nulla loci vel temporis continentia cingitur, nulla eorum lege constringitur. Quare quoniam summam essentiam totam & inevitabilis necessitas exigit nulli loco vel tempori deesse, & nulla ratio loci aut temporis prohibet omni loco vel tempori simul totam adesse; necesse est eam simul totam omnibus & singulis locis & temporibus præsentem esse.*

Monol. c. [illegible]

XI. Docent 4. Sic Deum in universo rerum orbe esse, ut & extra sit; sic inesse, ut supersit; sic interiorem infundi, ut & exterior circumfundatur. Continet enim, non continetur; capit, nec capitur; exterior ergo est. Item magnitudinem ejus non adæquat creaturæ magnitudo, superextat ergo: Item implet orbem non mole, sed omnipotentia: sed ultra patet ejus omnipotentia, ergo & extra eminet. Gregorius Magnus: *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.*

Mor. l. 2. c. 8.

rum. Cœlum metitur palmo, & omnem terram pugillo concludit. Sedi quippè cui præsidet, interior & exterior manet. Cœlum palmo metiens, & terram pugillo concludens, ostenditur quod ipse sit circumquaque cunctis rebus quas creavit exterior. Id namque quod interiùs concluditur, à concludente exteriùs continetur. Per sedem ergo cui præsidet, intelligitur esse interiùs supraque. Per pugillum quo continet, exteriùs subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interiùs penetrans. Nec alia ex parte superior, alia inferior; aut alia ex parte exterior, atque alia manet interior; sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. Similiter Isidorus Hispalensis: *Immensitas divinæ* (Sent. l. 1. c. 2.) *magnitudinis ita est, ut intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum. Et ideo interiorem ut omnia contineat; ideo exteriorem ut incircumscripta magnitudinis suæ immensitate omnia concludat. Per id ergo quod exterior est, ostenditur esse creator; per id verò quod interior, gubernare omnia demonstratur. Ac ne ea quæ creata sunt, sine Deo essent, intra omnia est; verùm ne extra Deum essent, Deus exterior est, ut omnia concludantur ab eo.* Vide & Hilarium & Hieronymum. At Dionysius magnificè rem eandem edisserit: *Magnus Deus appellatur secundum sibi propriam magnitudinem, quæ magnis omnibus se communicat, & omni magnitudini extrinsecus superfunditur & supraexpanditur, locum omnem complectens, omnem numerum excedens, omnem infinitatem transiliens, &c.* Et ibidem Deum appellat *immundanum, circummundanum, supermundanum, supercœlestem.*

(Hilar. l. 1. De Trin. Hier. epist. ad Marcell. Tom. 3. Dion. de divin. Nom. c. 9. 7.)

XII. Docent 5. sic Deum esse ubique, ut ipse ipsum ubique potiùs sit. Res enim in illo potiùs sunt, quàm ipse in rebus; illas ipse continet sustinetque, in eo sedem & fundamentum & firmamentum habent, illi jam existenti accesserunt inhæseruntque. Ipsum ergo ubique est, in quo omnia. Arnobius: *Prima tu causa es, locus rerum & spatium, fundamentum cunctorum quæcumque sunt.* Hilarius: *Nullus sine Deo, neque ullus non in Deo locus est.* Tertullianus: *Qui totum orbem manu apprehendit, velut nidum, cui cœlum thronus, & terra scabellum, in quo omnis locus, non ipse in loco, qui universitatis extrema linea est.* Vide & Augustinum lib. 83. quæstionum, quæst. 20.

(L. 1. adver. gent. De Trinit. L. 1. Adv. Prax.)

XIII. Docent 6. sic Deum ubique esse, ut nusquam propriè sit, & in semetipso tantummodo sit. Minutius in Octavio: *Qui ante mundum fuerit, sibi ipse pro mundo.* Tertullianus: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi & mundus & locus & omnia.* Hilarius: *Responsum est mulieri Deum templo & monte claudenti, esse omnia in Deo, Deum in semetipso.* Augustinus: *Quomodo ubique, si in seipso? Ubique scilicet, quia nusquam est absens. In seipso autem, quia non continetur ab eis quibus est præsens, tamquam sine eis esse non possit.* Et idem alibi: *Nec sine cœlo sedis indiguit, nec facto cœlo sedem tanquam finitis erroribus peregrinus invenit. Potens est enim beatissimè manere in semetipso. Templo autem suo quod sunt Angeli & homines, sic impertiri habitationem suam, ut illi ex ipso habeant tale bonum, quo beati esse possint; non ex eis ille talem domum, sine qua beatus esse non possit.* Et rursus idem: *In mundo erat, sic erat hic, ut & antequam mundus esset.* Et Bernardus: *Quæris, si in ipso omnia, ipse ubi? Nihil mirum invenio, quis capiat locus? Quæris ubi non sit? ne hoc quidem dixerim, quis sine Deo locus? Incomprehensibilis est Deus, sed non parum apprehendisti, si hoc tibi de eo compertum est, quòd nusquam sit, qui non clauditur loco; & nusquam non sit, qui non excluditur loco. Suo autem sublimi & incomprehensibili modo sicut omnia in ipso, ita ipse in omnibus est.* Philo: *Deo ne totus quidem mundus dignum* (L. 1. Alleg.) *esset domicilium; qui sibi ipse locus est, & ipse seipso plenus sibique sufficiens; cùm Deus alienam indigentiam, solitudinem, inanitatemque impleat & contineat, ipse verò à nullo alio loco contineatur, quippè cùm unus & totum universum ipse sit.* Ubi advertis plurimas Deo subesse causas ut in semetipso consistat, nec in alienas migret ædes; 1. quidem immutabilem ejus æternitatem, ut enim ante res conditas in semetipso solummodo erat, ita & post, nec enim à seipso discessit. 2. majestatem, neque enim digna ipso aula nisi ipse sibi. 3. independentiam, nullo enim fulciri indiget qui fulcit omnia. 4. sufficientiam, seipso enim plenus omnia implet, nullo indigens omnibus sufficit, beatissimè potens manere in semetipso. 5. amplitudinem & infinitatem; partes enim mundi in mundo sunt, quia partes sunt; mundus in nullo esse potest nisi in seipso, quia totum & universum est; ita Deus ipsum totum cùm sit & ens universum, non potest nisi in semetipso consistere.

(Adv. Prax. De Trinit. lib. 3. Epist. 57. Con. Adv. Leg. & Prop. lib. 1. c. 2. Ser. 8. inter editos à Sirmundo. De consid. l. 5. c. 6.)

Quòd autem nusquam propriè sit Deus, multifariam sancti Patres disputant. Boethius: *Quod ubique est, ita dici videtur, non quòd in omni sit* (L. de Trinit.) *loco; omnino enim in loco esse non potest; sed quod ei omnis locus adsit ad eum capiendum, cùm ipse non suscipiatur in loco. Atque ideo nusquam in loco esse dicitur, quoniam ubique est, sed non in loco.* Athanasius in Decretis Nicænæ Synodi contra Arianos: *Deus per se existit, omniaque in se continet, & à nullo continetur. Et in omnibus est secundùm suam bonitatem & potestatem; idemque extra omnia est secundùm suam propriam naturam.* Et Dionysius: *Quin imò dicere in omnibus rebus ipsum esse, quid minus est ejus infinitate, quæ &* (De div. nomin. c. 3.) *excedit & continet universa.* Maximus autem: *Deum nihil esse ita intelligendum est, ut nihil eorum quæ sunt; superat enim omnia quæ sunt, cum* (In c. 1. de div. Nom.) *sit rerum omnium causa. Ideo Deus & ubique & nullibi esse ab iis qui de Deo agunt, dicitur. Quoniam igitur nusquam est, omnia per ipsum & in ipso sunt, ut qui nihil omnium sit.* Sed pulcherrimè Photius: *Sicut est Deus sapiens simul & supra sapientes, substantia & supra substantiam; sic dicitur esse in omni & supra omne. In sola enim natura quæ supra naturam est, & quæ dici non potest, forma nominum affirmantium significationem habet consentientem cum forma vocum negantium vel privantium. Ex quo fit ut esse in omni non neget esse supra omne, sed potiùs confirmet.* Denique divus Anselmus: *Si usus loquendi admitteret, convenientiùs dici videretur esse cum loco vel tempore, quàm in loco vel tempore. Veriùs enim contineri significatur aliquid cùm dicitur esse in alio, quàm cum dicitur esse cum alio.* Et infrà: *Cur non dicatur esse ubique, hoc sensu ut potiùs intelligatur esse in omnibus quæ sunt, quàm tantùm in omnibus locis? Solemus namque localia verba sæpè irreprehensibiliter attribuere rebus, quæ nec loca sunt, nec circumscriptione locali continentur, velut si dicam ibi esse intellectum in anima, ubi est rationalitas.*

(Dissertat. 1. apud Canis. Antiq. Lect. L. 5. p. 189. Monolog. c. 22. 23.)

XIV. Quibus ex Patrum contextibus & alias licet rationes exprimere ut Deus in semetipso, nusquam autem locorum esse intelligatur. 1. In nullo quolibet est, quia totus extra quodlibet est; nec in toto mundo est, quia & totus extra totum est. 2. Natura sua semper secretus, sibi suus, solusque est, nec ad res conditas descendit, nec iis permiscetur. 3. Beneficiis tantùm suis & operatione præsens sentitur, quasi radios suos longè latèque spargens, ipse autem in beato gloriæ suæ cœlo inaccessus. 4. Operatio qua præsentem se rebus sistit, non ad loca, sed ad res pertinet, & ad loca non

non ut loca sed ut res extenditur; unde magis in rebus quàm in locis est, magis que cum locis quàm in locis, ut acutè monuit Anselmus. Propriè ergo nusquam locorum est, & cum ubique esse dicitur vel alicubi, hæc localia adverbia non localiter habenda sunt, sicut cum dicitur, ibi est ratio, ubi mens. Deus enim cùm operatione tantùm præsens adsit, sic adest locis locatisve rebus, ut adest spiritalibus substantiis; at harum respectu nusquam est, etsi in ipsis sit, quia non ut locis inest; ergo & corporum respectu nusquam est. 5. De summa & incomprehensibili essentia nil affirmari propriè potest; & si quid affirmatur, id negante sensu interpretandum est; nusquam ergo magis Deus est quàm ubique; & ideò tantùm ubique dicitur, quia nusquam. Id est, ideo ubique est quia causa omnium est; ideò autem causa omnium, quia nihil omnium & supra omnia & extra omnia & nusquam est; ideò ergo ubique est quia nusquam est.

CAPUT IV.

Etsi ubique substantialiter adsit Deus, operatione tamen sola præsentem sisti juxta eosdem sanctos Patres.

I. Modus quo locis adest inestque Deus, implicatissimus est, & difficillimè intelligitur.

II. Orta est ea difficultas ex ægritudine ea, quæ animis etiam nostris ex peccato inolevit, ut Deum nisi corporeum cogitare vix possimus.

III. Alii Scholæ Magistri operatione sua, alii substantiæ ipsamet sua citra operationem præsentem locis rebusque corporeis Deum opinantur.

IV. Operationi divinæ superstruunt hanc ad res corporeas præsentiam sancti Patres. Idque claret ex eo quod omnipotentia & operatione sua præsentem rebus omnibus Deum profiteantur.

V. Negant aliter quàm operatione præsentem esse.

VI. Scripturæ, ut eas illi interpretantur, operationi acceptam ferunt Dei præsentiam.

VII. Extendi in longum, latum, & profundum, & coextendi loco, propria dos est naturæ corporeæ.

VIII. Nisi Deus omnibus entibus præsens esset, eaque sustentaret, in nihilum omnia dilaberentur.

IX. Etiam quando concipitur Deus, ut veritas & sapientia, per operationem præsens est.

X. Similiter quando concipitur, ut unum ipsum, bonum, pulchrum.

XI. Deus sibi solus in semetipso est, in silentio habitans; amore autem extatico quasi extra se rapitur, ut per providentiam & amorem adsit consulatque creaturis.

XII. Non debet Deus rebus locisve adesse, quasi ex æquo præsens præsentibus; sed cum majestatis prærogativa, ut creans, conservans, perficiens illas.

XIII. Ideo ut non æqualiter operatur, ita nec æqualiter adest inestque rebus.

XIV. Hinc est quod specialiter viros bonos inhabitat, cœlos, templa sibi dicata.

XV. Hinc malis abest, aut adest ultor.

XVI. Hinc nec nos ad Deum accedimus, nisi operatione, affectu, assimilatione.

XVII. In spatiis porro imaginariis extra cœlos, nec est, nec imaginandus est Deus; quia in illis nihil operatur, ideoque nec sunt.

XVIII. Rursus de eodem.

I. QUàm explicatum est ubique locorum præsentem adesse Deum, tam implicatus est modus ejus præsentiæ. Hinc est enim, quod Gregorius Nazianzenus, ut Eunomianos Deum tam à seipsis quàm à seipso comprehendi ineptè garrientes refelleret, solos eis proponit præsentiæ ad res & loca divinæ nodos explicandos, quos demonstrat planè inexplicabiles; & incomprehensibilitatis Dei singulare specimen vult esse ejus immensitatem. Hinc eleganter explanat Augustinus, quomodo Deus in locis non localiter sit, contineatque illa non contentus; id verò nisi in excessu & raptu mentis divinæque lucis subito coruscamine videri à nullo posse; & à quo videtur, ab illo videri Deum; à quo autem non videtur, ut videatur, prece potiùs cordis quàm acie mentis, & illustratore intus Deo, quàm disputatore forinsecus homine, illi opus esse. *Nusquam absens est, qui cœlum & terram implet; nec spatiis includitur parvis, magnisque diffunditur; sed ubique totus est, & nullo continetur loco. Hoc qui excedente mente intelligit, videt Deum & cum absens putatur. Qui autem hoc non potest, oret, & agat, ut posse mereatur; nec ad hominem disputatorem pulset, ut quod non legit, legat: sed ad Deum salvatorem, ut quod non valet, valeat.* Chrysostomus item: *Oportet omnia suscipere cum fide & pietate & religione. Et cum imbecilla fuerit ratio, ut poterit exactè explanare quæ dicuntur, tunc magis Deum glorificare, quod talem habemus Deum qui mentem nostram sapere & intelligentiam. Multa enim de Deo intelligimus, nec eloqui possumus; & multa eloquimur, nec intelligere valemus. Utputa quod Deus ubique sit, scimus; quomodo autem, nondum intelligimus.* Orat. 34. Epist. 112. Hom. 31. in Ep. ad Hebr.

II. Unde autem irrepserit hæc ægritudo, ut Deum quasi localiter præsentem imaginemur, aperit Philo. Cùm primùm enim primus parens corporum amorem tam altè imbibit, ut & ipse animo corporasceret; jam deinceps ex sceleris sui corruptela simul & pœna, nonnisi corpora cogitare potuit, & nec ipse sibi, nec Deus ipsi, nisi cum corporeo phantasmate occursare. Hinc est enim quod Deum in Paradiso deambulantem imaginatus est, & fuga latebraque ab illo se tutum fore speravit, loci corporisque idolum pro Deo jam in corde gestans; sed id nonnisi post meridiem & vesperascente jam luce contigit, intelligibili nimirum die, qua priùs tanquam meridie ardebat & lucebat, in phantasmatum umbras corporeamque noctem jam inclinata. *Quod autem dicit, Ubi es? plures interpretationes recipit. Unam ut non interrogatio sit, sed affirmatio; acsi dicat, In loco tu es, cum accentu gravi, Ubi, proferens. Quoniam enim existimasti Deum in Paradiso deambulare, contineri que ab eo, disce hoc te jure passum esse, & audi verbum ab Deo qui scit verissimum, Deum esse nusquam.* Gregorius Papa sic exponit illud, Dies mei sicut umbra declinaverunt: *Diem sicut umbram primus homo habuit, quando se à facie conditoris abscondit; nam inter opaca nemorum latere voluit, ut ex hoc quoque patenter ostenderet, quas cæcitatis umbras interius pertulisset; si enim in umbra non esset, Deum esse localem non crederet: nec ab ejus oculis putaret se abscondi, à quo sciret etiam cordis occulta videri. Quæsivit ergo umbram corporis qui prius incurrit umbram mentis. Dies namque ejus inclinata fuerat, & ideo illi lumen sapientiæ interius non fulgebat. Sol enim cum inclinat, majores umbras efficit, & caloris sui magnitudinem paulatim subtrahit. Unde post meridiem Adam vocatus à Deo describitur, ut ab exterioribus agnoscamus, quid interius gereretur. In meridie enim lux est purior, aer limpidior, æstus ferventior. Quasi ergo meridies in Adam pectore inerat, dum lumine divinæ contemplationis illustratus, amoris facibus ardebat: sed tunc miser perdidit meridiem, cum peccavit. Ibi enim amoris refrigiut incendium, caligavit claritas, defecit visio.* Augustinus similiter hoc tribuit infirmitati per peccatum contractæ, per pieta- L. 2. Alleg. In Psal. 4. Pœnit.

pietatem curandæ, per fidem purgandæ, quod Dei in rebus præsentiam corporalibus imaginibus inquinemus: *Locus Christi æternus ubi semper est, ipse Pater est; & locus Patris Filius est. Quia ego, inquit, in Patre & Pater in me est. Et locus noster ipsi sunt, quia sequitur, Ut & ipsi in nobis unum sint; & nos locus Dei sumus, quoniam templum ejus sumus. Sed quis idoneus loca ista vel quæ sunt in locis istis sine spatiosis capacitatibus, & sine corporeis molibus cogitare? Non parum tamen proficitur, si saltem quidquid tale oculo cordis occurrit, negatur, respuitur, improbatur; & lux quædam in qua ista neganda, respuenda, improbanda cernuntur, sicut potuerit, cogitatur, & quàm sit certa cognoscitur & amatur, ut inde surgatur atque ad interiora tendatur. Quæ cum penetrare mens invalida, & minùs quàm illa sunt, pura nequiverit, non sine amoris gemitu & desiderii lacrymis inde pellatur; & patienter ferat, quandiù fide mundetur, atque ut illic habitare valeat, sanctis moribus præparetur.*

Tract. 111. In Joann.

III. His ad hunc modum præfundatis, controvertitur inter Scholæ Catholicæ proceres, quod sit fundamentum præsentiæ Dei ad res locosque omnes. Alii sua proximè substantia Deum locis adesse, & immensitate sua per omnia expandi opinantur, nulla contemplatione operationis qua creat regitque omnia; ideoque affuturum nihilominus etsi non ageret; & adesse reapse spatiis illis inanibus, quæ in immensum suprà cœlos effundi in omnem partem imaginantur. Alii spiritales substantias utpotè quantitatis & extensionis expertes, seipsis ad loca nihil pertinere statuunt; operatione itaque tantùm sua præsentes constitui, agens enim effectui adesse necesse est. Utque corpora locis corporeis adsunt, proximè quidem per contactum & copulam individuam, remotè per quantitatem; ita Deum adesse corporalibus omnibus substantiis & locis proximè per operationem suam, remotè per omnipotentiam; adeo ut si nihil ageret, nec afforet; in iisque spatiis commentitiis in quibus nihil agit, nec adsit. Etsi autem sola Deus operatione sua præsens rebus sistatur, tota tamen adest substantia sua; nam hæc duo, non duo, sed unum sunt; sed ratio constituendæ præsentiæ, non in substantia quasi per se extensa, sed in operatione ut effectum causæ repræsentante stabilitur.

IV. Posterior hæc sententia apud sanctos Patres solemnis & propemodum indubitata constitit. Probatur 1. ex eorum contextibus qui in astruendo præsentiæ Dei fundamento constantissimè solam semper memorant omnipotentiam & operationem, qua res præsens creat regitque. Augustinus: *Quo ibo à spiritu tuo, &c. quia substantialiter Deus ubique diffusus. Sed sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum*. Et alibi: *An fortè quantò magis Deus universæ suæ creaturæ præsens est omnipotentia singulari, &c.* Et rursum: *In mundo erat, & mundus per eum factus est. Ne putes quia sic erat in mundo, quomodo in mundo est terra, in mundo est cœlum, in mundo est Sol, & Luna, & Stellæ, in mundo arbores, pecora, homines. Non sic iste in mundo erat. Sed quomodo erat? Quomodo artifex regens quod fecit. Non enim sic fecit, quomodo facit faber arcam; forinsecùs est arca quam facit, &c. Deus autem mundo infusus fabricat, præsentia majestatis facit quod facit, præsentia sua gubernat quod fecit. Sic ergo erat in mundo, quomodo per quem mundus factus est*. Sic ille. Ubi duplicem advertis discrepantiam modi quo creator, & quo creatura operi suo præsens adest. 1. quod in creatore operatio præsentiam antecedat, in creatura subsequatur. Creator enim rem priùs creet necesse est, quàm illi præsens sit. 2. quod creatoris intima, creaturæ extima tantùm sit ad effectum suum præsentia; Creator enim ipsam entis medullam procreat protegitque, ideò intimus est; at creatura circa rem magis agit quàm in re, ideò extrinsecùs tantùm adest. Et Fulgentius: *Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, &c. Ubique enim adest Deus per potentiam, non ubique per gratiam. Per potentiam qua cuncta Deus implet & continet, per ipsam videt omnia*. Et infrà: *Quantum ergo ad substantiam & potentiam suam, ubique est Trinitas, unus Deus, totus totum complens virtute, non mole*. Isidorus Hispalensis: *Immensus, quia cuncta condidit, sed omnia intra ejus omnipotentiam coarctantur*. Honorius Augustodunensis in Elucidario, paulò post initium: *Quomodo dicitur Deus in omni loco totus esse? Quia in nullo loco impotentior est plus quàm in alio. Ut enim in cœlo, sic potens est in inferno. Simul esse dicitur, quia eodem momento quo in Oriente, eodem cuncta disponit in Occidente*.

Epist. 57.

De Gen. ad lit. l. 7. c. 12. In Evang. Joan. Tr. 2.

Fulgent. l. 2. ad Trasim. c. 8. 11.

Isid. Orig. L. 7. c. 1.

V. Probatur 2. iis Patrum suffragiis quibus negant alio modo esse Deum in locis quàm operatione. Gregorius Nyssenus: *Quum natura intelligibilis fuerit in habitudine ad locum, vel ad rem in loco sitam, abusivè dicimus illam ibi esse, propter operationem ejus quod ibi est; locum pro habitudine & operatione sumentes. Cùm enim dicendum esset, Ibi operatur, dicimus, Ibi est*. Quo nihil expressius in nostram sententiam fingi potest. Sanctus Maximus Dionysii interpres: *Quod finitum est, probabiliter etiam comprehendi ab eo potest, à quo finitum est; etsi verò Deus universorum sit locus, non tamen corporaliter, sed effectivè vel creativè; οὐ σωματικῶς, ἀλλὰ δημιουργικῶς; Cœlum enim & terram atque universa ipse complet, & extra hæc existit. Hinc perspicuè immensitas est, id est potentia finem non habens*. Ubi vides Deum non aliter in rebus esse quàm creando; ejusque immensitatem non aliud esse, quàm potentiam infinitam. Damascenus: *Ipse sui ipsius locus est, cuncta replens & super omnia eminens, & ipse continens omnia. Dicitur autem in loco esse & dicitur locus Dei, ubi ejus manifesta fit operatio. Ipse enim per omnia purè & impermixtibiliter meat; & omnibus suæ operationis consortium tradit, secundum uniuscujusque aptitudinem & capacitatis virtutem. Dicitur igitur Dei locus qui plus participat operationis ejus & gratiæ*. Augustinus: *Quid prohibet intelligere Spiritum sanctum conditoris, qui superferebatur huic materiæ, non locorum gradibus, intervallisque spatiorum, quod nequaquam de ulla re incorporea rectè dicitur; sed excellentia & eminentia dominantis super omnia voluntatis, ut omnia conderentur?* Et alibi rursum: *Qui ubique præsens est, non locorum spatiis, sed majestate potentiæ*. Quibus omnibus non tantùm hîc per operationem modus fundandæ Dei præsentiæ antefertur, sed alius quicumque refellitur.

L. de anim.

In c. 1. de Div. Nom.

Orthod. fid. L. 1. c. 16.

Ad Simpl. L. 1. q. 1.

De sermon. Domin. in Monte. l. 2. c. 5.

VI. Probatur 3. ex Scripturis quæ prout ipsa sonant verba, utque illa commentati sunt sancti Patres, præsentiam Dei in locis rebusque omnibus soli ejus operationi acceptam referunt. Illud Joannis, *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est*, Augustinus paulò suprà ita interpretatus est, ut ratio cur in mundo esset Deus Verbum, hæc subdatur, quia mundus per ipsum factus est. Illud item Pauli, *Omnia per ipsum & in ipso creata sunt*, sic paulò antè visus est intellexisse Fulgentius, quasi ideò in ipso sint omnia, vel ipse in omnibus, quia per ipsum sunt omnia. Adeò ut in priore contextu effectus præmittatur causæ; in posteriore vicissim causa effectui. Illud item Pauli in Actis, *Non longè est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus & movemur & sumus*, eodem spectat; ideò enim adest inestque nobis, quia vim indesinenter illam subministrat, qua sumus, movemur & vivimus; unde Ambrosius in illud Psalmi, Prope es tu Domine: *Apostolus ait non esse longè Deum ab unoquoque nostrum, in ipso enim, inquit, vivimus & movemur & sumus. Vitalem etenim omnibus gratiam subministrans, omnibus præsto est munere boni-*

bonitatis suæ. Illud denique Psalmi 138. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua;* apertiùs est quàm ut hiscere contra quis possit. Ideò enim ultra maria se proripienti affore tamen Deum contestatur, quia eò traiicere nequisset, nisi Deo comite, vitamque & vires per dexteræ suæ omnipotentiam suppeditante. Unde Ambrosius loco citato cùm eum Psalmi præfati versum retulisset, *Quàm citò significavit ubique esse Deum, &c. advertis expressum quod ubique manus & dextera Dei Christus assistat, &c.*

VII. Probatur 4. Extendi in longum, latum & profundum, spatioque coextendi, proprium est naturæ corporeæ, ut Philosophia & ratio ipsa persuadet; ergo substantia divina cùm à corporeæ naturæ vitiis summoperè absit, per se nec extenditur, nec extensis rebus locisque coextenditur, sed solis beneficiis præsentem eam persentiscimus. Gregorius Nyssenus paulò antè jam allatus: *Cùm magnitudinis, & molis, & partium expers sit anima, præstantior est omni descriptione per partes locali. Itaque cùm intelligibile quid in habitudine fuerit ad locum vel rem locatam, abusivè dicimus ipsum ibi esse propter operationem circa rem locatam, locum pro habitudine & operatione nominantes. Et cùm dicendum esset, ibi operatur, dicimus, ibi est.* Idem habet Damascenus. Item Augustinus, ubi toties inculcat magnum esse Deum virtute, non mole, satis insinuat molis corporeæ proprium esse extendi per loca, Dei autem extendi per virtutem & omnipotentiam.

[Margin: L. de Anim. — Orth. fid. L. 1. c. 16. 17.]

VIII. Probatur 5. Eò arguunt sancti Patres Deum entibus omnibus præsentem adesse, quia omne ens iret in non ens, nisi summi entis afflatu indesinenter sustentaretur: ergo summi entis præsentiam ex sola ejus operatione conficiunt. Gregorius Nyssenus: *Proprium est divinitatis omnia pervadere, & cum eorum quæ sunt natura, per omnem partem extendi. Non enim manserit quippiam in essentia, nisi in eo quod est maneat; quod autem propriè est & primo, divina est natura; quam ut necessariò credamus esse in cunctis quæ sunt, nos cogit eorum quæ sunt permansio.* Et opusculo de Professione Christiana ad Harmonium: *Cùm Numen divinum in omnibus ex æquo sit, & per omnem itidem creaturam permeet, & nihil quod ab ente separatum sit, in essentia manere possit.* Anselmus: *In nullo itaque loco vel tempore propriè dicitur esse, quia omnino à nullo alio continetur; & tamen in omni loco vel tempore suo quodam modo dici potest esse, quoniam quidquid aliud est, ne in nihilum cadat, ab ea præsente sustinetur.* Augustinus: *An verò cœlum & terra quæ fecisti, & in quibus me fecisti, capiunt te? An quia sine te non esset, quidquid est, fit ut quidquid est, capiat te? Quoniam itaque & ego sum, quid peto ut venias in me, qui non essem nisi esses in me? An potiùs non essem, nisi essem in te, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia? etiam sic Domine, etiam sic.* Et alibi: *Ea me tenebant longè à te, quæ si in te non essent, non essent.*

[Margin: Orat. Catech. c. 32. — Monol. c. 22. — Confess. l. 1. c. 2.]

IX. Probatur 6. Etiam quà veritas & sapientia omnibus contemplari volentibus ubique obvia, unde immensitatis argumentum suprà deduximus, etiam sic non adest tamen præsens, nisi per operationem, qua menti & enti cuilibet, ut veritas, & idea, formaque formarum, vel lucem, vel speciem, vel formam imprimit, & imprimendo præsens fit. Origenes: *Impossibile est ab incorporeo partem dici, aut divisionem aliquam, sed in omnibus & per omnia & super omnia est; eo modo quo superiùs diximus, & quo vel sapientia, vel Verbum, vita vel veritas intelligitur.* Ac paulò antè: *Hunc igitur Filium Dei, secundùm quod Verbum est Deus quod in principio apud Deum, nemo convenienter putabit in loco aliquo contineri; neque secundùm quod sapientia est, neque secundùm quod veritas est, neque secundùm quod vita est, vel sanctificatio, vel redemptio. Hæc enim omnia non indigent loco, ut agere quid vel operari possint; sed pro his qui virtutis ejus inoperationisque participant, hæc singula intelligenda sunt.* Sic ille præsentiam Verbi ad res & loca, quatenus veritas est, soli operationi superstruit. Augustinus quoque contextu illo prolixiore quem supra intexuimus, de hac veritatis immensitate agens, sic concludit, ut omnibus præsens & intima ideò sit, quia omnes intus docet, omnes in melius commutat: *At illa veritatis & sapientiæ pulchritudo, de toto mundo ad se conversis qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna; nullo loco est, nusquam deest; foris admonet, intus docet; cernentes se commutat omnes in melius, à nullo in deterius commutatur; nullus de illa judicat, nullus sine illa judicat bene.* Adest ergo ubique veritas, quia intus docet; quia ut videatur, lucem formamque suam imprimit; quia cernentes se commutat in melius, ac proindè quia operatur. Idem alibi: *Ubinam sunt istæ regulæ scriptæ, ubi quid sit justum & injustus agnoscit, ubi cernit habendum esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius, quæ veritas dicitur, unde omnis lex justa describitur, & in cor hominis qui operatur justitiam, non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur, sicut imago ex annulo & in ceram transit, & annulum non relinquit?* Ergo veritas illa adest mentibus in eas operando, seque illis uti annulum ceræ imprimendo. Cùmque luci præterea comparetur, instar lucis radios suos vi efficacissima semper ejaculatur, qua & mentales oculos ad se convertit, & conversos illustrat, & pertinaces vellicat, & omninò excæcatos punit. Item Augustinus alibi: *Et respexi alia, & vidi tibi debere quia sunt, & in te cuncta finita, sed aliter; non quasi in loco, sed quia tu es omnitenens manu & veritate; & omnia vera sunt, in quantum sunt.* Ubi vides omnia in Deo esse quia vera sunt; & veritatem esse quasi manum qua tenet, & creat, & conservat Deus omnia. Operatio ergo veritatis Deum ubique præsentem facit esse. Item Eusebius: *Quid enim? nonne absque illo, in quo factus homo versabatur, corpore, etiam omnia pervadens, totamque adeo elementorum & ipsorum corporum materiam, velut quoddam Dei Verbum opifex, sapientiæ suæ rationes, tanquam sigillo imprimit?* Sic ille Verbum divinum non in assumptæ tantùm humanitatis corpore, sed in tota rerum natura præsens esse testatur, cùm toti ubique naturæ rationes & ideas suas imprimere non desistat.

[Margin: In Anacephal. lib. 4. Periarchon. — De lib. arb. L. 2. c. 14. — De Trinit. L. 14. c. 15. — Confess. l. 7. c. 15. — Demonstr. Evang. l. 4. c. 4.]

X. Probatur 7. Etiam quà unum & bonum & pulchrum, ubique Deus est, ut suprà ex Platonicis philosophati sumus; at nonnisi per potentiam & operationem, qua omnibus Deus ut unum, unitatis amorem & fœdus inserit; ut bonum, beatitudinis famem & qualemcumque usuram indit; ut pulchrum, ordinis & speciei formam amoremque ingerit. Augustinus: *Eram enim, & jam tunc vivebam atque sentiebam, meamque incolumitatem vestigium secretissimæ unitatis ex qua eram, curæ habebam.* Sic ille innuit incolumitatem cujusque rei, maximè animantis, ideò in unitate sitam, quia quælibet res vestigium est summæ unitatis rerum omnium parentis; & curam servandæ unitatis seu incolumitatis ingenitam & vehementissimam, esse afflatum & imitationem principis ejusdem unitatis. Ostendit alibi omnes pulchritudinum sectatores & opifices suo in opere æqualitatem quandam & unitatem sectari, ut ipsissimum pulchritudinis fontem. Ex quo concludit & hanc unitatem summam, perinde ut veritatem, menti eorum

[Margin: Confess. l. 1. c. 20. — L. de vera Relig. c. 32.]

eorum ubique semper obversari, & contemplandam se imitandamque exhibere; sic tamen ut suis in opificiis numquam se penitus illam assequi sperent; corpora enim summam unitatem nunquam attingent. *Non ergo ista (unitas) continetur loco, & cum adest ubicumque judicanti, nusquam est per spatia locorum, & per potentiam nusquam non est.*

De bonitate similiter disputat Augustinus, eam nimirum ubique mentibus præsto esse, sui notitiam intellectui, cupiditatem voluntati semper imprimere, nec à veritate & sapientia eam differre: *Num aliam putas esse sapientiam, nisi veritatem, in qua cernitur & tenetur summum bonum? &c. Ut ergo constat nos beatos esse velle, ita constat nos velle esse sapientes, quia nemo sine sapientia beatus est. Nemo enim beatus est, nisi summo bono, quod in ea veritate, quam sapientiam vocamus, cernitur & tenetur.* Sic ille boni ipsius eandem atque veritatis fusam per omnia præsentiam & operationem explanat. De lib. arb. L.2.c.9.

Pulcritudo quoque summa ubique occurrit præsens menti eorum omnium, qui res pulcras vel judicio suo ponderant, vel opificio suo simulant. Nam hæc pulcra, illa non pulcra, vel illa his pulcriora neutiquam pronuntiarent, nisi præsto adesset eorum menti forma ipsa summæ pulcritudinis, cujus imitatione vel defectione reliqua censentur. Item pulcra opera non effingunt, nisi qui pulcritudinem ipsam mente sua, sed supra suam mentem contuentes, illius simulacrum artificiosa manu in externam materiam trajicere moliuntur. Augustinus: *Quoniam pulcra trajecta per animas in manus artificiosas, ab illa pulcritudine veniunt, quæ super animas est, cui suspirat anima mea die ac nocte. Sed pulcritudinum exteriorum operatores & sectatores, inde trahunt approbandi modum, sed non inde trahunt utendi modum.* Ubi sanctus Pater docet ab summa pulcritudine oculis mentis obversante trahi & derivari in opus artis totam operis venustatem, trahi item & derivari in oculum mentis totam judicandi regulam de pulcro vel non pulcro quocumque opere. Sic ergo Platonicis ex illis quinque, uno, bono, ente, mente, pulcro, immensitatem Dei demonstrantibus astipulantur Patres Christiani. Confession. L.10.c.34.

XI. Probatur 8. Deus in semetipso est, solus in silentio habitans, secretissimus, & à rebus conditis longissimè exemptus; amore autem solo eoque extatico, quasi extra se rapitur, effunditur in creaturas, iisque per amoris providentiam infunditur. Nam amor verè amantem extra se in rem amatam rapit. Ergo Deus sola operatione rebus præsens fit, solo nempe amore eum extra secretum penetrale suum deducente & ad nos inclinante. Dionysius: *Est præterea divinus amor exstaticus, qui non sinit esse suos, eos qui sunt amatores, sed eorum quos amant. Atque hoc declarant superiora, quæ inferiorum fiunt per eorumdem providentiam, & quæ ejusdem generis sunt per mutuam cohærentiam, & inferiora per diviniorem ad superiora conversionem. Unde divinus Paulus divino isto amore captus, & virtutis exstaticæ particeps factus, divino ore ait, Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus; tanquam verus amator, & qui excessit è se Deo, & non jam vitam suam, sed amati, tanquam vehementer dilectam vivens. Audendum est hoc etiam pro veritate dicere, quod ipsemet omnium author, pulcro & bono omnium amore, propter excessum amatoriæ bonitatis, extra se per providentias omnium rerum existit, & bonitate atque dilectione & amore veluti delinitur. Et cum sit supra omnia, & ex omnibus exemptus, ad omnia dimittitur secundum exstaticam potestatem supersubstantialem, qua extra se non egrediendo egreditur. Hanc ob causam periti rerum divinarum Zeloten illum nuncupant, quòd magno & benigno rerum amore teneatur, easque ad ipsius amatorii desiderii zelum provocet.* Sic ille Deum sua in arcana adyta alioqui receptum & secretum, amatoria exstasi & operatione benefica creaturis adesse & immisceri testificatur. Eadem habet Pachymeres in eum locum. Idem de Anima probat Gregorius Nyssenus, quòd non aliter in corpore sit, quàm ut amator ab amasia sua detentus & colligatus: *Quando anima in corpore dicitur esse, non ut in loco esse dicitur in corpore, sed tanquam habitudine & inclinatione & affectione ligari dicimus à corpore animam; prout dicimus ab amasia amatorem devinciri, non corporaliter, & localiter, sed habitudine.* De divin. Nom.c.4.n.11. L.de Anim.

XII. Probatur 9. E dignitate Dei est rebus non adesse quasi ex æquo, præsentibus præsentem, effusis infusum, extensis coextensum veluti paribus parem; sed cum peculiari majestatis privilegio quopiam, creatoris supra creaturas prærogativam & magnificentiam significante, videlicet creando, regendo, servando, & modis omnibus munificentiam suam ostentando. Alioqui suus sibi maneat in secreto silentio, in seque receptus; ad inferiora autem se non demittat, nisi creaturæ indigentia, creatoris indulgentia & beneficentia invitante, & omnino nisi beneficiis suis præsentia ejus non sentiatur. Sanctus Maximus: *Nulla ratione, aut cogitatione, aut actione divinum Numen cum rebus conjunctionem vel communionem habet; sed est omnino & per omnia supereminens & secretus, & creaturis sola conservatione & providentia, ut aliquis dixerit, adhærens.* Dionys. de divin. Nomin. c. 5.

XIII. Probatur 10. Ut Deus non æqualiter ubique operatur, ita non æqualiter ubique esse argumentantur sancti Patres; aliter in his, quàm in istis; minus in istis quàm in aliis adesse; ab aliquibus etiam abesse; prout in his quàm in aliis aliter & aliter, plus vel minùs operatur, vel omnino non operatur; ergo sola operatione adesse opinantur, vel inopia operationis deesse. Gregorius Magnus: *Nec ibi deest, ubi longè est; quia ubi non est per gratiam, adest per vindictam; omnia tangit, nec tamen æqualiter omnia tangit. Quædam enim tangit ut sint, nec tamen ut vivant & sentiant, sicut sunt cuncta insensibilia. Quædam tangit ut sint, vivant & sentiant, nec tamen ut discernant, sicut sunt bruta animalia. Quædam tangit ut sint, vivant & sentiant, & discernant, sicut est humana & angelica natura; & cum ipse nunquam sibimetipsi sit dissimilis, dissimiliter tangit dissimilia. Ubique præsens est, & inveniri vix potest, &c.* Sic ille contactu virtutis omnipotentis adesse, eoque inæquali inæqualiter rebus adesse Deum ostendit; plus adesse, quibus plus beneficiorum infundit, minus quibus minus. Fulgentius: *Non omnibus æqualiter adest, ubique enim adest per potentiam, non ubique per gratiam.* Bernardus: *Deus qui ubique æqualiter totus est, per suam simplicem substantiam: aliter tamen in rationabilibus creaturis quàm in cæteris, & ipsarum aliter in bonis quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè est in irrationabilibus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis.* Ita Bernardus præsentiam divinam per varios gradus dispensat. Tametsi enim Deus quia impartilis & summè unus est, substantialiter ubique totus sit: quia tamen nonnisi per operationem præsens ubique constituitur, quo plura alicubi operatur, eo pluribus quasi fundamentis fulcitur, & pluribus veluti vinculis religatur ejus præsentia. Præsentior ergo & conjunctior & intimior est, quibus beneficentior: animantibus ergo quàm inanimis, rationalibus quàm brutis, justis quàm impiis præsentior est. In Ezech hom.8. Ad Trasim. L.2.c.8. Hõ. 3. de Advẽn.

XIV. Hinc est quòd bonos specialiter inhabitare dicitur, quod non moraliter & mysticè dici arbi-

arbitrandum, ideoque extenuandum est, quasi minutè & exiliter dictum; sed physicè & verissimè ita habet, quia sola operatione adest quibus adest, speciali hac & præstantissima operatione qua gratiam & justitiam indeficienter in animas justorum inspirat, specialiter etiam & præstantissimè inest. Augustinus: *Fatendum est ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam*. 2. Hinc est quod bonorum alios magis inhabitet, nempe meliores, ob eandem causam. Augustinus ibidem: *Etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat; nam unde est illud quod Helizæus poposcit, ut dupliciter in eo fieret Spiritus Dei qui erat in Helia: & unde in omnibus sanctis sunt alii aliis sanctiores, nisi abundantiùs habendo habitatorem Deum?* Sic ergo in sanctis excellentiùs est Deus; in sancto sanctorum Christo excellentissimè.

Epist. 57.

3. Hinc est quòd in cœlis non habitet specialiter Deus, corpora sunt enim tantùm, & ne animata quidem: cum ergo oraturi ad cœlum ora oculosque convertunt, figuratè id factitant, ut sicut corpus ad excellentissimum corpus convertitur, ita moneatur mens ad excellentissimam mentium mentem & veritatem converti; utque cœlum terræ anteponit, ita corporibus animas, iniquis justos, omnibus Deum anteponat. Augustinus: *Pater noster quis es in cœlis, id est, sanctis & justis; non enim spatio locorum continetur Deus. Sunt enim cœli excelsa mundi corpora; sed tamen corpora, quæ non possunt esse nisi in loco. Sed si in cœlis tanquam in superioribus mundi partibus locus Dei esse creditur, melioris meriti sunt aves, quarum vita est vicinior, &c. Cum ad orationes stamus, ad Orientem convertimur, unde cœlum surgit; non tanquam ibi sit Deus & quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui ubique præsens est, non locorum spatiis, sed majestate potentiæ; sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est, ad Dominum; cum ipsum corpus ejus quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est, ad corpus cœleste convertitur.* Eadem habet Gregorius Nyssenus.

De serm. Dom. in Monte. l. 2. c. 5.

4. Hinc est quod in templis quoque nihilo specialiùs quàm alibi sit Deus, nisi ob justos illuc crebriùs ventitantes, quos veriùs Deus inhabitat: cum ergo Deus templa lapidea inhabitare dicitur, parabolicè sumendum id est, & accommodè ad populi captum. Author libri de Trinitate apud Tertullianum: *Prophetes tunc loquebatur, non quomodo Deus erat, sed quomodo populus capere poterat. Ut igitur hæc de Deo dicantur, non Deo, sed populo imputetur. Sic & tabernaculum erigere populo permittitur, nec tamen Deus intra tabernaculum clausus continetur: sic & templum extruitur, nec tamen Deus intra templi angustias omnino sepitur. Non igitur mediocris est Deus, sed populi mediocris est sensus; nec angustus est Deus, sed rationis populi angustus est intellectus habitus.*

l. de Perf. Christ.

XV. 5. Hinc est quod à malis abesse Deus dicitur, vel potius mali ab ipso præsente abesse dicuntur, & verè absunt. Cùm enim non localiter, nec dimensivè, sed operatoriè & per beneficentiam Deus adsit, verè & physicè ab illo absunt, qui à benefica ejus operatione se subducunt, quatenus se subducunt, absunt à veritate, sapientia, justitia, &c, mendaces, stulti, injusti, &c. absunt non localiter, sed spiritaliter, physicè tamen & verissimè: sicut & qui adsunt, non localiter adsunt, sed spiritaliter, physicè tamen & verissimè per veram & physicam operationem. Tempestiviùs autem dicitur malos abesse à Deo, quàm Deum ab ipsis, quia penes ipsos stat tota causa vel tota culpa, quæ divinæ in ipsos beneficentiæ & operationis fontem intercipit & avertit. Dicitur item præsentes ipsis esse Deum, sed ipsos Deo absentes esse, quia Deus ut lux, & veritas, & sapientia, & justitia creatrix & moderatrix omnium, semper ubique adest, ubique irradiat, & contemplari volentibus exhibet se; sed sua malos excæcat & avertit perversitas. Ex quo liquidum fit, peccatis solis separationem & divortium fieri posse à Deo, ut habetur apud Isaiam. Fulgentius: *Illa natura separari potest à Deo, quæ potuit, aut potest subjacere peccato; dicit enim Esaias, Iniquitates vestræ dividunt inter vos & Deum vestrum. In libro quoque Sapientiæ ostenditur homines à Deo non locis, sed pravis cogitationibus, & iniquis actibus separari; ibi enim dicitur, Perversæ enim cogitationes separant à Deo.* Dionysius: *Ipsa quidem Trinitas præsens adest omnibus, non autem illi adsunt omnia.* Augustinus: *Non cogitent quasi absentem esse lucem, qui eam videre non possunt, ipsi enim propter peccata tenebræ sunt; & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ergo quomodo homo positus in Sole cæcus, præsens est illi Sol, sed ille Soli absens est; sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius cæcus est corde. Præsens est illi sapientia, sed cùm cæco præsens est, oculis ejus absens est; non quia illa ipsi absens est, sed quia ipse ab illa absens est.* Anselmus: *O tota & beata veritas, quàm longè es à me, qui tam propè tibi sum! Quàm remota es à conspectu meo, qui sic præsens sum conspectui tuo! Ubique tota præsens & non te video. In te moveor, & in te sum, & ad te non possum accedere. Intra me & circa me es, & non te sentio.* Sic ille amarulentè expostulat ipse secum, quod veritatis tot aliunde beneficia corpori & animæ suæ conferentis atque adeo præsentissimæ lucem qua maximè veritas viget, non sentiat, ideoque per cæcitatem suam illi præsenti absens sit.

Isaiæ. c. 59. Cont. serm. fastidiosi. c. 4. De divin. Nomin. c. 3. n. 1. Prosol. c. 16

6. Hinc est quod ipsis etiam malis quibus per operationem sanctificantem abest Deus, adsit iisdem per ulciscentem. Gregorius Magnus: *Nusquam deest, & tamen ab iniquorum cogitationibus longè est. Nec ibi deest, ubi longè est; quia ubi non est per gratiam, adest per vindictam.* Et alibi: *Et si quosdam peccantes deserit, eisdem tamen ipsis adest per judicium, quibus deesse cernitur per adjumentum.* Denique adsunt tamen mali Deo, insuntque, tantò flagitiosiores quod in Deitatis sinu agentes peccent. Hilarius in illud Psalmi 118. Prope es tu Domine: *Ut nos in divinitatis suæ sinu agere credamus: neque eum abesse cum irascimur, cum cædimus, cum contemnimus, cum maledicimus, cum inebriamur, cum libidinamur, cum divina & humana negligimus: majore contumelia ejus intra quem hæc agimus peccantes.*

L. 1. in Ezec. hom. 8. Moral. l. 16. c. 4.

XVI. Probatur 2. Ubi nos longè à Deo sumus, non aliter ad illum accedimus quàm operatione, affectu, assimilatione; neque enim locorum spatiis, aut corporeo progressu ad illum accedimus, aut recedimus ab illo, sed mentis affectu, & similitudine; ergo ut nos Deo præsentes evadimus operatione, absentes cessatione, ita ille nobis. Origenes: *Abiit Rebecca interrogare Dominum. Nonne ubique est Deus, nonne ipse dixit, Cœlum & terram ego repleo? Quo ergo abiit Rebecca? Ego puto quod non de loco ad locum abierit, sed de vita ad vitam.* Hieronymus: *Si Deus cœlum tenet palmo, & terram pugillo, quomodo Filius peregrè proficiscitur, & à Patre discedit? Sciendum igitur non locorum spatiis, sed affectu, aut esse nos cum Deo, aut ab eo discedere.* Et pulcherimè sanctus Prosper: *Non locorum intervallis acceditur ad Deum, vel receditur ab eo; sed similitudo facit proximum, dissimilitudo longinquum. Et nimia miseria est, ab eo bono longè esse, quod ubique est.* Hinc in Scriptura & Patribus identidem memoratur regio longinqua & regio dissimilitudinis, verè enim longè à Deo itur, ubi ab ejus similitudine deficitur. Denique Dionysius: *Ipsa quidem Trinitas præsens adest omnibus, non autem illi adsunt omnia; sed cùm eam sanctis precationibus, & mente tranquilla, & ad divinam unionem accommodata deprecamur, tum demum nos etiam præsentes sumus.* Et ibidem præmisso duplici exemplo, hominis catenam cœlo

Hom. 12. In Genes. Epist. ad Damas. to. 3. Senten. 12. De divin. Nom. c. 3. n. 1.

suspen-

suspensam ad se trahentis, sicque non cœlum sibi, sed seipsum cœlo admoventis; & vectoris religatum è saxo rudentem tenentis, nec saxum ad navim, sed navim ad saxum compellentis; ait ita nos precibus nostris Deum ad nos quasi adducere, sed revera nos ipsosmet ad Deum reducere. *Quapropter ante omnia, maximè in Theologia ab oratione auspicandum est, non ut virtutem ubique & nusquam præsentem attrahamus, sed ut divinis commemorationibus & invocationibus nos ipsos illi dedamus atque uniamus.* Nostra ergo circa Deum operatione, oratione & assimilatione, præsentes illi evadimus, qui alioqui absentes essemus; nec ista ut mysticè dicta, ideo elevanda & extenuanda sunt; quin imo quia arcana & mystica sunt, ideo veriora & certiora & fundatiora sunt. Nec aliud in causa est, cur vacillet apud nonnullos eorum fides, nisi quòd sensuum consuetudine jam olim delusi, non nisi corporea cogitare insuevere; à quibus ubi tantisper abducuntur, ut spiritalia & sempiterna sapiant, desipiunt illis omnia, merisque umbris & inanitatibus pasci, aut potius frustrari se conqueruntur. Cùm ex adverso corporea & temporalia intelligibilibus & sempiternis ubi componuntur, fumi instar habeant & inanis umbræ; & tota præsentia copulaque qua adsunt vel insunt sibi corpora, si ad præsentiam copulamque rerum inter se spiritalium comparetur, absentiæ potius & scissionis speciem habeat: ut infra fusiùs dicetur.

XVII. Probatur postremò. Ubi concipitur Deus per suam substantiam sine ulla operationis contemplatione, loca omnia implens, per vaga illa etiam extra cœlos quæ imaginantur spatia effusus, corporeo planè modo concipitur, ut illum sibi imaginabatur Augustinus cùm adhuc in Manichæorum sordibus volutaretur. Corpus enim est, quod in longum, latum & profundum extenditur. Mens est quæ intelligit, judicat, vult, non vult, &c. Quàm alienum est à natura corporis velle & intelligere, tam abhorret à natura mentis per spatium extendi. Sed cùm supra mentem sit veritas, multò intempestivius est extensionem per loca veritati affingere. Augustinus: *Irruebat in aspectum meum (immunditia phantasmatum) & obnubilabat eum: ut quamvis non forma humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitare cogerer per spatia locorum, sive infusum mundo, sive etiam extra mundum per infinita diffusum: quoniam quidquid privabam spatiis talibus, nihil mihi esse videbatur.* Et cùm dixisset de massa corporum creatorum ingenti, quam sibi fingebat: *Te autem Domine (imaginabar) ex omni parte ambientem eam & penetrantem, sed usquequaque infinitum; tanquam si mare esset ubique, & undique per immensa spatia infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam, quamlibet magnam, sed finitam tamen; plena esset undique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari: sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam, & dicebam, Ecce Deus, &c.* Sic ille exequitur vel detestatur prioris erroris sui ineptias, non absimiles ejus quorundam etiamnunc hominum opinationis quam hic insectamur. Et infrà exponens quomodo ad incorporei Dei notitiam tandem eluctatus sit, ait se in mentem suam ingressum, supra suam mentem mutabilem, vidisse incommutabilem veritatem; quæ superior erat, non locali elatione, sed operatione & creatione; quæ quamvis per spatia locorum etiam vera, nedum imaginaria non diffundatur, sit tamen & tantò vehementiùs sit. *Intravi & vidi qualicumque oculo animæ meæ supra eundem oculum animæ meæ lucem Domini incommutabilem, &c. Nec ita erat supra mentem meam, sicut oleum supra aquam, nec sicut cœlum supra terram; sed superior, quia ipsa fecit me, & ego inferior, quia factus sum ab ea. Qui novit veritatem, novit eam, & qui novit eam, novit æternitatem; charitas novit eam. O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas, &c. Et dixi, Numquid nihil est veritas, quoniam neque per finita neque per infinita locorum spatia diffusa est? Et clamasti de longinquo, Imò vero, ego sum qui sum.* Ubi vides rationem verissimæ cogitandæ immensitatis divinę præscribi, ut cogitetur veritas. Liquet enim statim eam nec per vera nec per imaginaria spatia fundi, sed contemplanti tantummodo adesse, quem nempe suæ efficacitate lucis ad se trahit.

Confession. l. 7. c. 1.

Ibid. c. 5.

Ibid. c. 10.

XVIII. Idem Augustinus alibi quærentibus, cur tunc potiùs cum factus est, quàm antea, factus sit mundus à Deo; respondet similiter quæri posse cur hic potiùs ubi est, & non alibi factus sit; nam ut temporis ante, ita loci extra mundum infinita spatia æquè cogitari posse. Si autem hoc cuneo adacti dicant inaniter & falsò cogitari aliqua extra mundum spatia; respondet æquè inaniter & falsò cogitari aliqua ante mundum tempora. *Quòd si dicunt, inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cùm locus nullus sit præter mundum; respondetur eis isto modo inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, cùm nullum tempus sit ante mundum.* Sensit ergo sanctus Pater tam Deum non esse in ullis extra mundum spatiis, quàm nec in ullis fuit ante mundum temporibus; tam inaniter fingi illa spatia, quàm hæc tempora; mundum enim non in loco, non in tempore, sed cum loco & cum tempore conditum; ut enim creaturæ Dei, ita mundi portiones sunt locus & tempus; partes ergo cùm sint, totum cujus partes sunt, nec excedunt, nec antecedunt. Hujus autem plebeiæ ambiguitatis cur hic potiùs & non alibi, cur tunc potiùs & non antè creatus sit mundus, quòd unica hæc solutio arriserit Augustino, quòd nempe nec extra mundum loca, nec ante mundum tempora ulla imaginanda sint, liquet perspicuè ex hoc alio contextu: *Si cujusquam volatilis sensus vagatur per imagines retro temporum, & te Deum omnipotentem, & omnicreantem & omnitenentem, cœli & terræ artificem, ab opere tanto antequam id faceres, per innumerabilia sæcula cessasse miratur, evigilet atque attendat, quia falsa miratur. Nam unde poterant innumerabilia sæcula præterire quæ ipse non feceras, cum sis omnium sæculorum author & conditor? aut quæ tempora fuissent, quæ abs te condita non essent? &c.* Illam quoque Dei effusionem per imaginarios extra cœlum campos exsibilasse videtur Bernardus: *Deus æternitas, Deus charitas est; longitudo sine protensione, latitudo sine distentione. In utroque pariter locales quidem excedit temporalesque angustias, sed libertate naturæ, non enormitate substantiæ.* Quid enim nisi enormitas quædam foret illa extra omnes cœlos otiantis Dei expansio? at libertas veritatis est nulli loco alligari; nec usquam esse, nisi ubi libet benefacere.

Civ. l. 11. c. 5

Confess. l. 11. c. 13.

De Consid. l. 5. c. 13.

Rursus percunctantibus ubi esset Deus antequam esset mundus, nusquam respondent Patres fuisse in imaginariis illis spatiis, sed fuisse in semetipso. Augustinus in illud Psalmi, Qui habitas in cœlo: *Si cœlum istud corporeum intellexerimus esse habitationem Dei, transitura est habitatio Dei, quia cœlum & terra transient. Deinde antequam faceret Deus cœlum & terram, ubi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus. Et quando dignatur habitare in Sanctis, non sic sunt Sancti domus Dei, ut ipsa subtracta, cadat Deus. Aliter enim nos habitamus in domo, aliter Deus in Sanctis. Tu habitas in domo; si subtracta fuerit, cadis. Deus autem sic habitat in Sanctis, ut si ipse discesserit, ipsi cadant. Quicumque ergo sic portat Deum, ut sit templum Dei, non putet sic à se portari Deum, ut terreat Deum, si se subducat. Væ illi si se subtraxerit Deus, quia ipse cadit, nam Deus in se permanet.* Ubi vides ante mundi conditum, si imaginationi ista ludibria indulgenda quan-

In Psal. 122

quandoque sunt, non alibi quàm in seipso Deum habitasse; & adhuc in semetipso illum habitare, usque adeo illum non capiunt nec sustinent res omnes creatæ, nedum *spatiosum illud nihil*. Item Bernardus: *Ubi erat, antequam mundus fieret, ibi est: non est quòd quæras ultra ubi erat; præter ipsum, nihil erat; ergo in seipso erat*. Eodem spectat locus Tertulliani alibi relatus, ante omnia Deum fuisse sibi locum. Hic planè modus est, de quo Bernardus ait, Omnia in Deo, & Deum in omnibus esse, *suo sublimi & incomprehensibili modo*. Nimirum sic omnia in ipso, sic ipse in omnibus est, ut in semetipso sit tamen, & solus sit. Unde Tertullianus rursum de Deo: *In quo omnis locus, non ipse in loco*.

Augustin. Conf. l. 7. c. 1. De Consid. L. 5. c. 6. L. adv. Prax.

CAPUT V.

Ut immensitatem Dei æmulentur creaturæ potissimùm intellectuales, juxta sanctos Patres, utque in loco sint.

I. Angeli substantia circumscripti sunt; loco autem partim circumscripti, quia finitam operandi vim sortiti, nonnisi uno in loco operari possunt: partim incircumscripti, quia 1. ut à quantitatis, ita à loci lege immunes sunt. 2. in loco non sunt nisi imperitando & benefaciendo. 3. sic in loco vel loci parte sunt, ut & ibi toti, & alibi toti sint; ita ibi toti, ut extra toti sint. 4. loco circumscribitur magis eorum operatio quàm substantia. 5. momento citiùs in quemlibet alium locum remotissimum solo voluntatis nutu, sine medii decursu transvolant.

II. Ex Augustino ostenditur Deum nec per loca, nec per tempora, Angelum non per loca, sed per tempora, corpus per loca & per tempora moveri.

III. Naturæ intellectuales & aliæ in aliis & universæ in singulis sunt, quia 1. corporum est sese excludere. 2. per mutuam sui notitiam sibi adsunt. 3. per amorem item, quo arctiùs mentes quàm complexu corpora adunantur. 4. fortasse etiam per informationem. 5. saltem per amorem, quo uni Deo coalescentes, invicem etiam coalescunt.

IV. Ea quinque capita ex patribus Græcis illustrantur.

V. Item ex Latinis.

VI. Longè tamen aliter Deus inest menti creatæ quàm mens creata quælibet: Deus 1. ut causa essendi, ut in esse permanendi author. 2. ut causa exemplaris semet indesinenter insculpens. 3. ut forma participanda. 4. ut bona non aliunde sumpta largiens, sed creans. 5. ut unum singulariter cum mente faciens, & mentis verus conjux, maritali privilegio penitissimos ejus sinus iniens solus, nulli creaturæ pervios. Hinc negatum quandoque, quandoque concessum à Patribus Angelos in anima esse posse: sunt enim, sed non ita ut Deus.

VII. Si qua alia Platonici de immensitatis per creaturas imitatione garriunt, ea vel parum certa, vel parum tuta, & propè silentio Patrum damnata.

VIII. Quæ hactenus disserimus de immensitate Dei, ex scripturis hausta esse demonstrantur.

IX. Adversus eos, qui Deum certo alicui loco affigebant.

I. STatuendum 1. juxta sanctos Patres, Angelos esse substantia quidem circumscriptos, loco autem partim circumscriptos, partim incircumscriptos; circumscriptos quidem, quia cùm finitam agendi vim obtineant, nec in omnia, nec ubique agere, perindeque nec ubique esse possunt: incircumscriptos autem, 1. quia à loci necessitate & lege seipsis immunes sunt, & extra omnem locum esse possunt: item 2. quia in loco non sunt, nisi quia illi imperitant agendo & benefaciendo: item 3. quia sic in uno loco sunt, ut in singulis ejus partibus toti sint: ideoque in quolibet loco ita sunt, ut & extra sint: item 4. quia in uno loco ita sunt, ut eo circumscribatur magis eorum operatio quàm substantia: 5. denique quia sic loco uno clauduntur, in quo operantur, ut momento citiùs ex eo in quemlibet alium quantumlibet dissitum non medii intervalli trajectione tranare, sed solo nutu & mentis appulsu transvolare possint. Anselmus: *Circumscriptum simul & incircumscriptum est, quod cum alicubi sit totum, potest simul esse totum alibi, non tamen ubique, quod de creatis spiritibus cognoscitur. Si enim non esset anima tota in singulis membris sui corporis, non sentiret tota in singulis*. Sic ille demonstrat substantias spiritales loco circumscribi, & non circumscribi: quia sic in uno loco sunt, ut in ejus singulis partibus totæ sint, sicque in parvo suo hoc velut universo Deum æmulentur. Ambrosius: *Cùm omnis creatura certis naturæ suæ sit circumscripta limitibus, siquidem & illa invisibilia opera, quæ non queunt locis & finibus comprehendi, substantiæ suæ tamen proprietate clauduntur, &c*. Et infrà: *Cujus invenimus Angeli virtutem per plurimos esse effusam? Angeli enim ad paucos mittebantur, Spiritus autem sanctus populis infundebatur*. Sic ille tradit Angelos & substantiæ finibus claudi, & loci non claudi; & quamvis loco non claudantur, non in omnia tamen, sed in aliqua tantùm virtutem eorum & operationem posse diffundi. Idem habet & Athanasius Epistola ab Serapionem.

Proslo. c. 13. De Spiritu san. l. 1. c. 9.

II. Denique Augustinus prolixè docet substantias corporeas moveri per loca & tempora, incorporeas per tempora moveri, non per loca: Deum nec per loca moveri, nec per tempora, & eo modo Deum per tempora movere creaturas omnes, etsi per tempora ipse non moveatur, ut anima corpus suum per loca movet, etsi ipsa per loca non moveatur, & tum ex membrorum corporis nostri structura, tum ex aliarum omnium motionum contemplatione, omnino constare, quæcumque moventur, ab immobili aliquo cardine initia suæ motionis venditare. *Spiritalem creaturam corporali præposuit Deus, quòd spiritalis tantummodo per tempora mutari possit, corporalis autem per tempora & loca. Exempli gratia, per tempus movetur animus, vel reminiscendo quod oblitus erat, vel discendo quod nesciebat, vel volendo quod nolebat. Per loca autem corpus, vel à terra in cœlum, vel à cœlo in terram, &c. Sicut ergo substantiam quæ movetur per tempus & locum, præcedit substantia quæ tantùm per tempus: ita ipsam præcedit illa, quæ nec per locum nec per tempus. Ac per hoc sicut per tempus & locum movet corpus, ipse tantùm per tempus motus conditus spiritus; ita per tempus movet conditum spiritum, ipse nec per tempus nec per locum motus conditor Spiritus*. Et infrà: *Affecta quippe anima carnalium sensuum consuetudine, etiam seipsam cum corpore per locum moveri putat, dum id per locum movet. Quæ si posset diligenter inspicere tanquam cardines membrorum corporis sui, quemadmodum articulatim dispositi sunt, à quibus initia motionum nitantur, inveniret ea quæ per spatia locorum moventur, nisi ab eis quæ loco fixa sunt, non moveri. Non enim movetur solus digitus, nisi fixa sit palma, à cujus articulo velut immoto cardine moveatur: sic tota palma ab articulo cubiti, sic cubitus ab articulo humeri, &c. Et nullius membri motus omnino est quem voluntas movet, nisi ab aliquo articulari cardine, quem motus ejusdem voluntatis primitus figit, ut ab eo quod loci spatio non movetur, agi valeat quod movetur*

De Gen. ad lit. l. 8. c. 20. 21.

Sic Augustinus exemplo fabricæ & motionum corporis nostri demonstrat omne mobile ab immobili cardine & motore moveri; ideoque cùm substantiæ corporeæ ab incorporeis per loca moveantur, per loca non moveri incorporeas, ideoque non loco circumscribi; quippè cùm in loco non sint sui diffusione, sed intentione; nec mole, sed imperio & nutu, ut ibidem subditur: *Cùm anima non sit natura corporea, nec locali spatio corpus impleat, sicut aqua utrem sive spongiam; sed miris modis, ipso incorporeo nutu, commixta sit vivificando corpori; quo & imperat corpori quadam intentione, non mole.* Cùm ergo nutu & imperio & intentione corporeis locis rebusque adsint incorporea, nil mirum videri debet, si momento citiùs in quemlibet remotissimum locum devolent; tam pronum quippe est eò devolare, quàm velle & imperare. Eandem Augustini doctrinam attingit Fulgentius. Postremò tandem Damascenus docet Angelos seipsis ad loca nihil pertinere, & solâ operatione iis adesse, & uni tantùm loco adesse posse, quia in uno tantùm operari valent. *Angelus corporaliter loco non continetur, quasi formam figuramque recipiat; in loco tamen dicitur esse, propterea quod adest intelligibiliter, & operatur secundùm suam naturam: & non dicitur esse alibi, sed ibi intelligibiliter circumscribi, ubi & operatur. Non enim potest secundùm idem diversis in locis operari. Nam solius Dei est secundùm eandem operationem ubique esse. Angelus enim velocitate naturæ, & quia promptè & citò pertransit, variis in locis operari dicitur.* Ubi novam conjecturam suggerit Damascenus, quòd Angeli sola operatione locum impleant; alioquin enim forent figura aliqua præditi, vel rotundi, vel quadrati, &c. quo nihil inficetius fingi potest.

L. de fide ad Petr. c. 3.

Orthod. fid. L. 1. c. 17.

III. Statuendum 2. substantias merè intellectuales, & alias in aliis & universas in singulis quodammodo esse; adeoque in orbe intelligibili immensitatem quandam omnibus competere, cùm omnia per reciprocam immeationem omnibus suo quodam modo insint. Insunt enim 1. quia corporum est ea imbecillitas, ut nec alia suum in sinum admittere, nec se in alia immittere possint, nec per ipsa penetralia inire vel iniri, sed superficie tenus tantùm allambere vel allambi; nec mirum si tam solutè & imbecillè alia aliis uniantur, cùm ipsa secum dissideant, nec partes suas ab infinita dissipatione vindicare queant. 2. Quia spiritales omnes naturæ per mutuam sui notitiam sibi omnes omnibus præstò adsunt & insunt: intelligunt enim singulæ universas, non quasi absentium speciem vicariam & simulacrum obtinentes, sed per præsentiam intimam & indivulsam. 3. Quia etsi alia deessent vincula, amore saltem colligarentur; amor enim præsentiores sibi facit animos invicem sibi esse, quàm contactus corporeus corpora. Complexus enim corporum per contactum imitatio tantùm rudis est complexus animorum per amorem, & illa præsentia hujus præsentiæ adumbrata tantùm simulatio est; sicut & corpora imitamenta tantùm sunt & umbræ animorum. Quàm veriùs ergo & principaliùs sunt animæ quàm corpora, tam verior & intimior est præsentia animorum per amoris, quàm corporum per contactus complexum. 4. Informatione activa quidem insunt superiora inferioribus; passiva autem inferiora superioribus. Ea autem informatione insinuant se omnia omnibus ad luminis & amoris & beneficiorum jugem & inexhaustam reciprocationem. 5. Etsi ad mutuam immeationem beatæ illæ substantiæ suo marte non procurrerent, coalescerent tamen omnes & inhærescerent sibi, quia in ipsum unum & unitatis apicem Deum coalescunt & adhærescunt. Unum enim inter se sunt, quæ cum ipso uno unum sunt.

De divin. Nomin. c. 4.

IV. Dionysius: *Inde ordines supermundani, eorumque inter se uniones, & mutuæ immeationes, & inconfusæ distinctiones.* In quem locum sanctus Maximus Martyr: *Adverte quæ de Angelis dicat: & quod incorporea se invicem sine confusione penetrent, conjungantque & disjungant.* Et infrà: *Per mutuas intelligibilium unitiones, intellige Deo dignum quo se invicem prosequuntur amorem; qui divinus cum sit, unumque faciat, ipsos conjungit, non acervatim comportans, sed amabiliter constringens.* Eadem habet Pachymeres in eundem Dionysii locum: *Nam res materiæ expertes, & se mutuo inconfusè penetrant, & rursum recedunt ac discernuntur.* Rursus idem Maximus: *Diximus superius divinas mentes & seipsas intelligere, & superiores, & inferiora, &c. Sic autem intelligentes divinæ mentes sine dubio uniuntur objectis; quod enim intelligit, per cognitionem unitur cognito ac intellecto; sicut etiam ignorans dividitur, non comprehendens quod ignoravit.* Pachymeres autem: *Ut quæ ordinis sunt ejusdem, velut vicissim amantia & amata, se invicem complectantur; prima verò inferiora moveant & ament, iis providendo ut illa sui similia efficiant; inferiora verò ad superiora amabiliter affecta convertantur, ut & illa quoad fieri potest, superiorem statum consequantur. Est autem amor divinus & exstaticus; à seipsis enim excedere facit amantes, dum vivunt & moventur, non ipsi, sed in ipsis ii qui amantur.* Subdit exemplum Pauli, qui non in seipso, sed in Christo, vel in ipso Christus vivebat; imo & Dei quem sola amoris exstasis extra se rapuit, & creaturis quas condidit, inesse & inhabitare compulit. Amor enim ut ait Pachymeres divinum quid est & immensitatis divinæ æmulum, & mentem ibi esse facit, ubicumque amat; nec metaphorica & impropria hæc præsentia quæ per amorem fundatur, interpretanda est, sed propria. Amor enim mentium quò propior Deo est quàm complexus corporum, eò divinas dotes, imprimis autem immensitatis præsentiam propiùs imitatur. Semel ergo invertenda est tota hujusmodi metaphorarum significatio; utque corporeis sensibus & spectaculis mancipati incorporea tenuiter esse, solisque corporum dotibus per metaphoram translatis & quasi mendicatis vestiri & illuminari imaginantur; ita è converso qui mente sensuum domitrice & corporum contemptrice utuntur, corpora umbraticè tantùm esse, spiritalium extremis tantùm umbris pingi, & eximium quidquid est, spiritalibus propriè & nativè quadrare, ad corpora exiliter tantùm & translatè derivari philosophantur. Denique Gregorius Nyssenus: *Non loci intervallo numen divinum ab humano genere distat, &c. sed virtute à vitio intelligibiliter separata, in solo hominis proposito situm est, ut quocumque cupiditate inclinatus sit, in eo versetur. Licet tibi statim esse in cœlo, ubi Deum in mente sumpseris. Nam si, ut Ecclesiastes inquit, Deus in cœlo est, tu verò Deo secundùm Prophetam adglutinatus es, omnino necesse est, ut conjunctus Deo, illic sit, ubi Deus est.* Ita Nyssenus, in cœlo vel in quocumque demum loco Deus est, eum quoque adesse argumentatur, qui Deo adhæret. Cœlum autem in quo Deus est, & in quo cum Deo Dei amator quilibet adest, etsi utcumque corporeum hoc cœlum possit intelligi, commodiùs tamen & ad Nysseni doctrinam consonantiùs intelliguntur Angeli sancti & animi justorum, ut suprà ostensum est. Et hæc præsentia mentium ad mentes, mentalis omnino est, ut planè ridiculum sit inde conjectari posse & corpus Christi ubique esse, quia divinitas cui personaliter cohæret, ubique est.

In c. 11. Dionysii De divin. Nomin.

In c. 4. Dionysii De divin. Nomin. nu. 12. 13.

Orat. 2. de Oratione Dominica.

V. Nec Latinis Patribus incomperta fuere hæc arcana. Gregorius Papa: *Unde nos quoque à vobis non longè sumus, quia in illo qui ubique est, unum sumus.* Præsentes sibi invicem esse docens, qui Deo ubique præsenti præsentes sunt; nam revera & corpora in unum conspirant, exclusoque vacuo præsentissima sibi mutuò esse adlaborant, quia unitati divinæ omnia ad se unam constrin-

Epist. l. 4. Ind. 13. Epi. 36.

genti certatim adſtringi contendunt; & ſpiritalia omnia eidem uni ſummo cohærentia, ſeſe mutuò Confeſſ. L. 10. c. 34. penetrant. Auguſtinus de intelligibili luce agens: *Ipſa eſt lux, una eſt, & alia non eſt; & unum omnes qui vident & amant eam*, Cum divina ergo luce unum fiunt, & inter ſe ipſi unum fiunt, quotquot eam vident & amant, Similiter Bernardus duo illa Pauli loca quæ confligtari videbantur concilians, Converſatio noſtra in cœlis eſt, & Quandiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino; & quomodo ſimul in cœlis verſari, & ab iis pere- L. de Præce. & diſpenſ. c. 17. grinari poſſimus demonſtrans: *Habemus & unde corpori & unde Domino inhæreamus; illud vivificando, illum credendo, & ſanctificando, & diligendo. Neque enim præſentior ſpiritus noſter eſt ubi animat, quàm ubi amat; niſi fortè putetur eſſe magis ubi invitus & neceſſitate tenetur, quàm quo ſponte & alacri fertur voluntate. Denique ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Item ſi Deum amans anima, ex ipſo vivit, uti corpus ex ipſa; quo pacto quæſo præſentior eſſe contenditur ubi dat, quàm unde accipit vitam? Fons ſiquidem vitæ charitas eſt; nec vivere animam dixerim, quæ de illo non hauſerit: haurire porro quomodo poteſt, niſi fuerit præſens ipſi fonti, qui charitas eſt, quæ Deus eſt? Præſens igitur Deo eſt, qui Deum amat, in quantum amat. In quo enim minus amat, abſens profectò eſt. In ea autem minus Deum amare convincitur, quo carnis adhuc neceſſitatibus occupatur. Illa vero circa corpus occupatio, quid eſt niſi a Deo quædam abſentatio? & abſentatio quid niſi peregrinatio?* Sic Bernardus non moraliter, ſed phyſicè, & verè per amorem præſentiam rerum inter ſe ſpiritalium procurari demonſtrat; unde perſpicuè conſequitur & Deo & inter ſe copulari per amorem intimèque penetrari omnes Angelicas & rationales naturas. Denique Gaſpar Contarenus Cardinalis per informationem activam & paſſivam ſubſtantias omnes intellectuales, ipſaſque orbium cœleſtium animas, & ſeſe mutuò intelligere & reciprocè amare, ideo- Primæ Philoſo. l. 9. que invicem ineſſe & penetrare deſcribit. *Reliquæ quæ item à materia abſtracta ſunt, ut intellectus & ſuperiores animas, ea ratione intelligunt inferiores, quoniam ſuperiorum formas ut perfectiones quaſdam ſui in ſeipſis recipiunt. Nam ſuperiores formæ cum ſint actu intellectæ & perfectiores inferioribus, nimirum formare inferiores poſſunt, ac eo pacto per ſuas ipſarum eſſentias ab eis intelligi*, Et infrà: *Quod videlicet ſuperiores animæ inferiores intelligant per ſui eſſentiam, quæ inferiorum forma eſt intelligibilis. Nam cum forma & perfectio qualibet ſubjectam ſibi materiam penetret, ut ita dixerim; ſuperioreſque mentes inferiores informent, ac in eis recipiantur; neutiquam abſurdum eſſet, ſi ſuperiores quæ unum fiunt cum inferioribus eas formando, per ſuammet eſſentiam inferiores intelligerent*. Et paulò pòſt: *Inferiores ergo mentes ſuperiores intellectas, ut potiora bona ſibique benefica; ſummum vero bonum tantùm amant, quantùm nec excogitari poteſt. Superiores verò viciſſim amant inferiores, ex ſuæ bonitatis ratione & natura, non ex indigentia; ipſiſque bonitatem ac perfectionem ſuam communicant, ſeque eis inſinuant pro earum captu; fitque hoc pacto mirus quidam inexplicabiliſque ſupernarum mentium contextus*. Ita vir eminentiſſimus mentium omnium & animarum reciprocam immeationem explanat, ſuperſtruitque informationi, intellectioni, amori omnium omnibus inſito.

VI. Statuendum 3. Etſi Angeli alii in aliis vel in animabus ſint, modum tamen quo inſunt, à modo quo iiſdem Deus ineſt, longo diſtare intervallo. Sive enim Angelo, ſive animæ, Deus ineſt, ut ſint; Angelus, cùm jam ſint; ille ineſt, ut ſuſtineat; hic adeſt, ut ſimul ſuſtineatur; ille bona ingerit, hic tantùm ſuggerit; ille bona creat, hic ſuadet; ineſt Deus ut participandus, Angelus ut comparticeps; ineſt Deus ut unum cum mente faciens, Angelus ut unitum quid & confœderatum, Evolvit hæc omnia Bernardus: *Non modo adeſt Deus, ſed ineſt. Quod ſi dicas poſſe ineſſe & Angelum, non inficior;* De conſid. L. 5. c. 5. *memini ſcriptum, Et Angelus qui loquebatur in me. Atqui differentia eſt in hoc. Ineſt Angelus ſuggerens bona, non ingerens; ineſt hortans ad bonum, non bonum creans. Deus ſic ineſt, ut afficiat, ut infundat, vel potius ut infundatur & participetur, ita ut unum cum noſtro ſpiritu eſſe dicere quis non timuerit, etſi non unam perſonam, unamve ſubſtantiam. Habes enim, Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt. Angelus ergo cum anima, Deus in anima. Ille ut contubernalis animæ ineſt, Deus ut vita*. Cùm ergo hujus præſentiæ tota ratio poſita ſit in operatione, ut longè alia eſt creatoris quam creaturæ in qualibet creatura operatio, ita & alia præſentiæ exiſtimatio; ſolus enim creator creaturæ vita eſt, & conditor, & ſuſtentator, & exemplar, & forma ſingularis, ſubjectæ ſibi creaturæ penetralia ipſa quædam intimiora, & ſibi ſoli pervia pervadens. Quamobrem cùm in mente qualibet penitior quidam & ſacroſanctior receſſus ſit, quique ſolius creatoris operationi & imperio patere poſſit, meritò idem Bernardus alibi negat poſſe ullam mentem creatam in alia mente inhabitare, ſic nempe ut illam ſui participatione illuminet, ſanctificetque. Propria enim ea eſt veritatis & juſtitiæ incommutabilis prærogativa, ut intimum mentis ſacrarium ineat, in ſecretiſſimumque ejus ſinum ſeſe quaſi maritali licentia infundat. *Illud ſcitote,* In Cant. Serm. 5. *nullum creatorum ſpirituum per ſe noſtris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante ſui noſtrive corporis inſtrumento, ita nobis immiſceatur & infundatur, quo ejus participatione docti ſive doctiores, vel boni ſive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis eſt, nullius ego capax. Nec ipſi Angeli ita ſe alterutrum capiunt. Sequeſtretur proinde hæc prærogativa ſummo ac incircumſcripto ſpiritui, &c.*

VII. Quoad reliqua verò Platonicorum ſtatuta, quibus naturas intellectuales omnibus ſinguliſque etiam corporeis rebus lociſque præeſſe & ineſſe confirmant, prætermiſſa ea ſunt à ſanctis Patribus, aut ipſo ſilentio damnata. Obſervari tamen nonnulla poſſunt quæ eò alludere videantur. Gregorius Nyſſenus animum hominis corpore circumſcribi negat, imò ait extra illud per cœlos terraſque omnes evagari, ideoque minùs mirum eſſe ſi nec Verbum humana quam aſſumpſit carne concludatur, Quod ne perfunctoriè & moraliter ab eo dictum putes, expende quam in rem adducat exemplum immenſitatis animæ. Attende item quæ idem habet libro de Anima: *Neque in corpore eſt anima ut in utre aut vaſe, ſed corpus potius* Orat. Catech. c. 10. *in ea. Cùm enim à corporibus non impediantur intelligibilia, verùm in totum corpus abeant, & liberè ſpatientur, fieri non poteſt ut a corporalibus detineantur: ſed enim cùm intelligibilia ſint, in locis etiam intelligibilibus ſunt, aut etiam in ipſis, aut in ſuperioribus intellectualibus. Ut anima interdum in ſeipſa eſt, ut cùm ratiocinatur; interdum verò in mente, ut cùm intelligit*. Ex Nyſſeno ergo anima non eſt in corpore, ſed corpus in anima: unde extra corpus vagatur anima per intelligibilem mundum ubi lubet curſitans, per ſenſibilem etiam ludibunda. Quin imò libro de anima & reſurrectione per plures paginas diſputat idem Nyſſenus de anima vinculis ſui corporis abſoluta, eamque contendit adeſſe præſentem omnibus ejuſdem corporis cineribus & minutiis, nec ab iis umquam diſceſſuram, donec præſtituto olim divinitus reſurrectionis momento recolligat omnes exuviarum quondam ſuarum reliquias, & in redivivum corpus coagmentet, Quod ſi ita habeat, ingens ſanè & eximium cujuſdam immenſitatis animæ argumentum eſt.

VIII. Quæcumque hactenus vel præluſerunt Platoni-

tonici, vel certiùs & fidentiùs de immensitate Dei disseruerunt Ecclesiæ Patres, ea omnia è sacrarum litterarum fontibus scaturisse, & inde eis affluxisse, hoc postremo capite planum facere adgredimur. Ac 1. quidem quòd ubique sit Deus, Jerem. 23. Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus? 2. Quòd ubique esse proprium sit Dei, indidem iquet, hoc enim sibi jure suo vindicat Deus ut Dominus, totas ut ædes suas incolat; quò etiam spectat illud, interprete, ut suprà audivimus, Ambrosio, Domini est terra & plenitudo ejus. 3. Quòd Deus non tam ubique sit, quàm ipse ipsum ubique sit; nec tam ipse in omnibus, quàm omnia in ipso sint. Act. 17. 18. In ipso enim vivimus & movemur & sumus. Rom. 11. 36. Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula, amen. 4. Quòd ita ubique sit, ut etiam extra & supra sit, ita creaturæ toti infusus ut & extra circumfusus sit. 1. Reg. 8. 27. Si cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc quàm ædificavi? Job 11. 8. Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus & latior mari. 5. Quòd in semetipso tantùm propriè sit Deus, Joan. 14. 10. Ego in Patre, & Pater in me; & Joan. 17. 21. Sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. 6. Quòd non operatione sola præsens sit Deus, & substantia absens; sed sua immediatè substantia omnibus præsens & intimus: Cœlum & terram ego impleo. 7. Quòd non expansione & mole, sed sola operatione præsens ubique constituatur divina substantia, Act. 17. 28. Quamvis non longè sit ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus & movemur & sumus. Et illud Psalm. Quò ibo à spiritu tuo, &c. Si descendero in infernum, ades; etenim illuc manus tua deducet me. Et Joan. 1. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Et illud Pauli, Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. 8. Quòd inexistentia reciproca Creatoris in creatura & creaturæ in Creatore non localis sit, sed intelligibilis, ut sapientia & veritas sunt in mente, ut scientia est in anima, Joan. 17. Sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: Ego in eis & tu in me. Nam & Pater in Filio, & Filius in Patre est non localiter, sed ut veritas in mente, mens in veritate. 9. Quòd ex peccati pœna exorta sit carnalis illa hominum vulgo insita Dei quasi localiter præsentis & corporaliter expansi imaginatio, Genes. 3. 8. Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. 10. Quòd sola dissimilitudine recedatur à Deo, similitudine accedatur. Cùm enim Deus non adsit nisi ut veritas & justitia, per mendacium & peccatum verè & physicè ab eo receditur. Isaiæ 59. 2. Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis. Psal. 72. 27. Qui elongant se à te, peribunt. Psalm. 137. 6. Alta à longè cognoscit. Quòd in Sanctis excellentiùs sit Deus, in Christo excellentissimè: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Anima justi, sedes sapientiæ. 11. Quòd naturæ intellectuales aliæ in aliis sint, Zachar. 4. 5. Et respondit Angelus qui loquebatur in me. 12. Quòd propriè tamen solus Creator habitet in creatura intellectuali. 1. Cor. 6. 16. Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus, Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus. Et loco mox allato, Anima justi, sedes sapientiæ. 13. Quòd per amatoriam extasin sit amans in re amata, ideoque esse possit Deus in creatura, Angelus in Angelo, vel in anima. Galat. 2. 20. Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. 1. Cor. 13. 3. An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? 14. Quòd potissima ratio immeationis mutuę naturarum intellectualium ea sit, quòd omnes cum Deo atque ideo inter se in unum coalescant. Joan. 17. Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut ipsi in nobis unum sint. Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum. 15. Quòd Angeli in uno tantùm loco sint, cùm in eo operantur, liquet ex iis locis, ubi aliquò mitti prohibentur; in aliquem enim illi locum mittuntur, nunquam verò in omnem.

IX. Licet autem ex hactenus disputatis refellere eos qui abjectiùs de immensitate Dei sentientes, certis eum sedibus affixerunt. Inter quos recensendi Manichæi teste Augustino contra epist. Fundam. c. 19. & 23. qui Deum tametsi infinita mole diffusum, non tamen undique, sed tribus quadris infinitum atque intensum, ex una determinatum esse finxerunt. Nuper item Augustinus Steuchus Eugubinus in illud Psalmi 138. Intellexisti cogitationes meas de longè, itemque Vorstius Calvinianus, qui Deum summo cœlorum culmini insidere, terris potentia non substantia interesse fabulati sunt. Verbo tenus eandem sententiam leges apud Clementem Alexandrinum & Lactantium; sed ex aliis eorum locis patentioribus mitigandam molliùsque interpretandam. Justinus Martyr in Parænetico à Platone in summo cœlo, ab Aristotele in quinto elemento Deum circumscribi refert; sed pronum cuivis esset hanc ab utroque hoc Philosopho maculam abstergere. Tertullianus ait: *Positum extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinsecus torqueat hanc molem; intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo intra illud maneat quod regat.* Sic ille & Platonicos purgat, & Stoicos objurgat, huic notæ eò propiores, quòd Deum corporeum imaginati sint. In Apolog.

CAPUT VI.

De immutabilitate Dei doctrina Platonicorum explanatur, & quinque ejus fontes indigitantur, unum, bonum, ens, mens, pulcrum.

I. Immutabilitas Dei fluit primò ab unitate divina.
II. Fluit ex bonitate.
III. Fluit ex ratione primi, & summi entis.
IV. Fluit ex ratione mentis & veritatis.
V. Fluit ex ratione pulcritudinis.
VI. Fluit ex eo quod Deus sui sibi causa quodammodo est, à se est, per se subsistit.
VII. Et tamen maximè propria est immutabilitas ipsi uni & summo bono; magis propriè etiam quàm enti, menti, pulcro.
VIII. Solvitur objectio inde sumpta, quod mundum cœperit Deus condere in tempore.
IX. Item ex eo quod aliàs aliter erga homines se habeat.
X. Summa rationum quibus Dei immutabilitas munitur.

I. Ab iisdem quinque fontibus scaturire visa est Platonicis immutabilitas divina, à quibus & reliqua promanant attributa propemodum omnia; videlicet ab uno, bono, ente, mente, pulcro. Ac 1. quidem fluit immutabilitas ex unitate: nam uni nec accedere quidquam potest, nec decedere; si quid enim accedat, non unum, sed duo jam erit; si quid decedat, non unum; sed duo priùs fuerit. 2. Item si quid accedat, priùs id deerat, si quid decedat, priùs id aderat: at unum ut unum sit, nec prius quicquam habet nec posterius, ne pro uno duo jam sit. 3. Item si uni quidquam accedat vel recedat, erit ergo in eo aliud actu, aliud potentia: duo ergo jam esset, non merum unum.

4. Item nec totum perire potest & evanescere ipsum unum; totam enim suam durationem præhabuit & anticipavit in suo uno; non potest ergo prioribus durationis suæ partibus frui, posterioribus fraudari, cujus ætas tota partium expers, in unum indivisibile collecta est. 5. Denique cum duo tantùm sint motus, nec alteratione mutari potest ipsum unum, unum enim jam non foret, si alterum à seipso foret; nec progressione: quò enim progrederetur, cum ubique sit? unde digrederetur, cum nihil nisi eo præsente & sustentante sit? Quò progrederetur, vel digrederetur, cum nusquam locorum sit, nec nisi in semetipso & in beato suo silentio sit? Omnis ergo mutabilitas ex multitudine manat seu partium compositi, seu partium ætatis, seu actus & potentiæ, seu partium loci; utque omnem multitudinis, ita omnem mutabilitatis umbram dispellit summæ unitatis splendor. Proclus: *Soli Dii cum in hac entium excellentia suas unitates collocarint, immutabiles proprietates, & principaliter sunt & impatibiles. Nihil enim in ipsis est quod non sit unum & existentia. Sed quemadmodum ignis omnem alienam materiam, & contrariam qualitatem delet; & sicut lux omnem obscuritatem expellit; & sicut fulgura omnia pervadunt immixtè & incontaminate, sic Deorum unitas omnem multitudinem adunant, quidquid autem ad dissipationem & divisionem omnimodam fertur, extinguunt.* Sic ille luculentè docet unitatem divinam qualiscumque mutationis impatientem, vi ut collectissima, ita omnipotentissima, cujuscumque multitudinis & pullulantis ex multitudine mutabilitatis ac dissipationis umbram ignis instar vel lucis vel fulguris discutere ac dissipare. Plato in Parmenide, suppositione prima, *si unum*, probat ipsum unum nec latione, nec alteratione, qui duo soli sunt motus, moveri posse eodem modo quo nos supra.

Theolog. Plat. c. 19.

II. Secundò fluit immutabilitas ex bonitate. Si mutaretur enim ipsum bonum, utique vel in melius vel in deterius: at ipso bono nihil melius est, deterius autem mali genus & incrementum cum sit, non magis accidere potest bono ipsi, quàm lux tenebrescere, aut calor frigescere. Neque enim contraria in contrariis inhærescunt. 2. Item summi boni est & nullo bono carere & nullo carere posse, ideoque nullius boni aut accessu aut recessu mutari. 3. Item mutabilitas ipsa absolutè malum est, aptari ergo non potest ipsi bono. 4. Item summum bonum est quo nihil melius, at si mutabile esset, melius aliquid ipso esset, nempe immutabile. 5. Immutabilitas non tantùm bonum est, sed bonorum omnium sigillum, tutela, incolumitas & victoria; nutant enim & pessum eunt omnia bona, nisi immutabilitatis veluti fulcimento stabiliantur. 6. Bonum est ad quod referuntur omnia, ipsum verò ad nullum; at quidquid mutatur, propter aliquid mutatur. Item bonum est quod omnia appetunt, ipsum verò nihil appetit, quia nullo deficit; at omnis mutatio ex alicujus appetitu cietur. 7. Bonum omnia excitat & movet, ad amorem videlicet sui: ipsum ergo immobile est. Nonnisi enim ab immobili moveri possunt omnia. 8. Denique bonum est in quo motus & mutatio omnis conquiescit; omnis enim motus ad bonum comparandum rapitur, bono comparato quiete perfruitur: quiescit ergo ipsum bonum, ut in eo conquiescant omnia; motu omni caret, ut in eo motum sistant omnia. Plotinus: *Si quid igitur ad aliud quidquam minimè agat, optimum cum sit entium, & supra entia, ad ipsum verò agant cætera, constat idipsum esse bonum, cujus virtute cætera quoque boni participia sunt. Cætera verò duobus præcipuè modis ita bonum habent, tum quia illi similia facta sint, tum quia operentur ad ipsum. Proinde si appetitio actioque ad optimum bonum est, consequens est ipsum bonum ad aliud non aspicere, nihilque aliud exoptare; esse vero fontem quietum, principiumque omnium actionum naturalium.* Sic ille declarat à bono immobili & ad bonum immobile moveri quæcumque moventur omnia, & in ejus immutabili quiete tandem conquiescere. Et paulò pòst: *Quia etiam idipsum bonum oportet asserere, ad quod omnia referuntur, ipsum verò ad nullum aliud refertur. Sic enim illud quoque verum esse constat, ipsum bonum esse quod omnia appetunt. Oportet itaque ipsum firmiter permanere, & ad seipsum cuncta convertere; quemadmodum revolvitur circulus circa centrum, à quo lineæ singulæ producuntur.* Quia ergo bonum instar centri immobilis immutabile est, ideo omnis motio & mutatio & ab ipso proficiscitur & in ipsum reflectitur. Plato similiter argumentatur, immutabiles esse Deos, quòd boni cum sint, nec in melius nec in deterius verti possint.

Enn. 1. l. 7. c. 1.

L. 2. de Repub.

III. Tertiò, fluit immutabilitas ex ente. Quod enim mutatur, non est, sed fit; at ens ipsum cum summoperè sit, nequaquam fit. 2. Item quod mutatur, ex potentia & actu constat, ex potentia enim ad actum progrediendo mutatur: at ens ipsum merus & purus actus est, cum tantummodo sit; nec potentiæ vel non entis quidquam permixtum habeat. 3. Item quod mutatur, vel acquirit, vel deperdit aliquid; at enti ipsi nihil accrescere potest, cum totum sit ens & omnium entium coacervatio; nec decrescere, sic enim non ens enti permisceretur, & contrarium in contrario hæreret, quod nefas est. 4. Denique materia quæ mutabilitatis scaturigo est, ut non ens ipsa est, ita ab ente longissimè exulat. Plotinus: *Entis natura & essentia & esse, non ita se habet ut multi opinantur. Est enim ens quod revera ens aliquid dixerit, enter ens; hoc autem est, quod omnino ens est, hoc verò cui esse ipsius nihil deest. Cùm verò perfectè sit ens, nullo indiget quo sit atque servetur; sed ipsum aliis quæ videntur esse, ut esse videantur, est causa. Neque quidquam illic in potentia est quantacumque, alioquin aliquo deficeret. Quamobrem sempiternum est, & eodem modo se habet semper; nihil aliquando suscipit, nihil in ipsum infertur aliquando. Si quid enim susciperet, præter seipsum acciperet aliquid, id verò non ens foret; oportet autem omnino ens existere. Venire igitur ipsum in esse oportet, penes se omnia possidens, & simul omnia, unumque omnia.* Omnis ergo mutabilitas ab ente eliminanda est, ut multiplici non entis contagio delibuta; omnis enim mutatio & materiam & potentiam, & penuriam entis acquirendi, & fluxum per temporis lapsus designat. Plato autem in Sophista essentiam à generatione secernit, id est, immutabilia à mutabilibus, ea quæ sunt ab iis quæ fiunt: *Aliud essentiam, aliud generationem dicitis, alterum ab altero secernentes. Et corpore quidem nos per sensum cum generatione communicare; anima vero per rationem cum vera essentia, quam semper secundum eadem, & eodem modo sese habere, generationem verò alias aliter se habere asseveratis? Asseveramus.*

Enn. 3. l. 6. c. 6.

IV. Quartò, fluit immutabilitas ex mente & veritate Dei. Deus enim intelligit essendo, intelligit omnia, quia est omnia; omnium ergo plenitudo cùm sit, nec effluere ipsi quidquam per mutationem potest, nec influere. 2. Item omnia sunt in Deo, sed ut in exemplari; in exemplari autem ne contraria quidem contrariis adversantur, nulla ergo ibi unquam pugna erit aut mutatio. 3. Item etiam rerum mutabilium immutabiles sunt rationes & ideæ; quanta ergo regnat immutabilitas in mente Dei, cum ea in ipsa mutabilia redundet? 4. Item ut essendo Deus intelligit, ita mens ejus ipsa rerum veritas est; at veritate nihil immutabilius; neque enim unquam potest quod semel verum fuerit, verum postea non esse; aut magis, aut minùs, aut aliter quàm fuerit esse. Has aliasque ejusmodi rationes complures pulcherrimè conglobat Plotinus:

Enn. 5. l. 2. c. 1. nus: *Ipsa mentis entisque natura mundus est, & verus, & primus, à seipso non distans, neque debilitatus divisione, neque deficiens, neque in partes sectus, quippe cùm nulla pars sit à toto secreta. Sed tota ipsius vita, totaque mens, in uno vivens, simulque intelligens, etiam partem reddat ut totum, & omne sibimet amicum. Ubi aliud non est ab alio segregatum, neque solitarium, vel à cæteris destitutum; quo fit ut alterum non noceat alteri, etiamsi sit contrarium. Quum verò ubique sit, perfectumque ubique, permanet nimirum, nec mutationem ullam admittit. Neque enim aliud illic agit in aliud, nam cujus gratiâ in aliud agat, cùm nihil omnino desit? Cur enim ratio illic faciat rationem, vel intellectus alium intellectum? numquid ex eo quod per se possit aliquid facere? sed eatenus tentaret facere & moveretur, quatenus in se nonihil deterius esset. Omnino verò Beatis satis est consistere in seipsis, idque quod sunt, dumtaxat existere. Usque adeo verò beatum est illud mundi hujus exemplar, ut non faciendo, maxima faciat; penesque seipsum permanendo, maxima perficiat.* Sic ille ostendit usque adeo rixam motumque à beata illa idearum officina exulare, ut ibi & contraria pacem agant, & mutabilia consistant, & fluxa constent, omniumque motionum fontem esse quietissimam illam immobilitatem.

V. Quintò, fluit immutabilitas ex pulchritudine. Pulchrum enim boni quasi vestibulum est, ejusque velut aurora, antelucano velut splendore boni adventum prænuncians, ejusque amorem exsuscitans. Vel potiùs pulchrum idem est atque ipsum bonum, prævio quodam fulgore suo præludens exortui; ergo æquè immutabile est atque ipsum bonum. 2. Item ipsum pulchrum à rebus pulchris eò discrepat maximè, quòd hæc nec semper, nec eodem semper modo pulchra sint: ipsum autem pulchrum & semper & eodem semper modo pulchrum est; omnis enim pulchritudo ex unitate quadam efflorescit; summa ergo pulchritudo summam unitatem, ideoque immutabilitatem desiderat. 3. Pulchritudo est quædam victoria formæ supra materiam; forma enim est venustas ipsa; materia ipsum turpe; ergo ut turpitudo materiæ cum mutabilitate, ita pulchritudo formæ cum immutabilitate quadam consociatur, forma & turpitudinem materiæ subjugante, & mutabilitatem ejus coercente. 4. Pulchritudo quasi forma formarum est, & superfusus eis splendor & flos; ergo cùm omnis forma mutabilitatis materiæ repagulum aliquale sit, & immutabilitatis quædam delibatio, ipsa pulchritudo ut forma formarum omnem penitus immutabilitatem sibi vindicabit. Pulchritudo ergo immutabilis est quatenus & boni diluculum est, & unius efflorescentia est, & materiæ ex qua tum turpitudo tum mutabilitas ebullit, debellatrix est, & cùm omnis forma immutabilitatis quoddam specimen sit, ipsa forma formarum est. Hæc omnia complexus

Theolog. Platon. l. 1. c. 18. est Proclus: *Pulchritudo formis invehi solet, & est quasi forma formarum, quæ boni naturam occultam patefacit, & amabilem ipsius vim manifestè demonstrat, & occultum illius desiderium in lucem trahit. Et boni quidem omnia tacitum & arcanum habent desiderium; ad pulchritudinem verò cum stupore & motu excitamur. Ipsius enim splendor & acerrima vis per omnem animam celeriter pervadit, convertitque ipsam ut contempletur ipsum pulchrum bono perquam simillimum. Anima autem id quod est arcanum quasi jam conspicuum conspicata, gaudet & admiratur, & circa illud adstupescit.* Sic ille & prælibata superiùs de pulchri natura tangit, & hoc insuper addit, cùm omnis mutatio ac motio ex boni appetitu exoriatur, ex pulchro magis illam quàm ex bono derivari. Nam boni ut summè arcani arcanus inest & intestinus amor; sed ex sua latebra non erumpit, nec in tot tantasque mutationum omnimodarum intemperias debacchatur hic amor, nisi emicans pulchri fulgor exsuscitet illum & exagitet, & quasi in furorem agat. Ut omnium ergo mutationum causa est pulchritudo, ita immutabilis maximè ipsa est; omne enim mobile ab immobili principio motum suum auspicatur.

VI. Sextus immutabilitatis & incorruptibilitatis fons paulò abstrusior à Platonicis indigitatus nobis est. Quod per se subsistit, id nunquam esse desinit; causa enim essendi ipsum sibi est: ut ergo seipsum nunquam deserit, ita à causa sui esse nunquam deseritur. 2. Hinc corpora citò dissiliunt, quia seipsis divisibilia & dissipabilia cùm sint, vinculum quo consistant & subsistant à seipsis non habent. 3. At animæ ideo immortales, quia vivendi & essendi fontem suo in sinu sibi fundunt, & in corpus usque effundunt. 4. Quoniam tamen ab ulteriore aliqua causa profluunt, & vitæ ac essentiæ fons, quo ipsæ se corpusque suum perfundunt ab superiore aliqua trahitur vena, ideo nec totam assecutæ sunt immortalitatem; arescente enim hujus venæ copia, & ipsæ exarescerent. 5. At Deus ut solus per se subsistit, solusque sui sibi causa est, quia seipsum nunquam deserit, ideò penitus incorruptibilis & immutabilis est. 6. Sui autem causa ipse sibi est, quia est quod vult, & est quia vult; vult enim se esse, & quod est esse; & hanc ipse voluntatem sibi generat; & hæc ejus voluntas, ipsa ejus essentia est; suam ergo sibi essentiam generat quia vult, & prout vult. 7. Nec potuit aut potest velle aliud esse quàm quod est, cum optimus & ipsum optimum sit; optimi enim voluntas non potest non ferri in optimum, nec in aliud potest ferri quam in optimum. 8. Cùm extra ipsum nihil fuerit aut sit, & omnia ipse fuerit & sit, non potuit aut potest ejus voluntas in aliud ferri. 9. Non est quod cætera quæcumque sua in essentia admodum sibi placeant; minora enim bona sunt, & aliquo deficiunt; at ipsa sibi boni essentia placeat & applaudat necesse est, cum nonnisi ex ejus quantulacumque irradiatione reliquæ naturæ sibi placeant. Non potuit ergo aliud velle aut eligere Deus quàm quod est. 10. Voluntas ergo Dei usque adeo immutabilitati ejus non obest, ut prosit plurimum, ejusque radix, non obex sit. Proclus: *Quod sibi ipsi suæ essentiæ causa est, id sibi etiam infinitam ipsius esse facultatem suppeditat. Numquam enim seipsum deserens, nunquam desinit esse. Nam unumquodque eorum quæ corrumpuntur, quum separatur ab ea facultate, quæ ipsum esse illi largitur, corrumpitur & perit. Quod vero sibi ipsi suppeditat suum esse, cum à seipso non separetur, id per seipsum æternam sortitum est essentiam.* Et rursus idem: *Omne quod per se subsistit, est corruptionis expers. Si enim corrumperetur, seipsum desereret & esset sine seipso; sed hoc est impossibile. Cum enim sit unum, simul est causa & causatum. Omne vero quod corrumpitur, quoniam à sui ipsius causa deficit, corrumpitur.* Jamblichus de Deo summo agens ait: *Sibi ipse est Pater, à seipso genitus est.* Plotinus autem hoc argumentum acutissimè pertractat: *Si summo Deo actiones attribuamus, actiones autem ejus tanquam voluntatis suæ accommodemus, non enim operatur nolens; actiones vero sunt ipsa velut ejus essentia, nimirum voluntas ejus essentiaque idem penitus erit. Quod si ita, ergo ut voluit, ita prorsus existit. Ideoque non magis ut sua fert natura, ita vult & agit; quàm ut vult & agit, ita essentia ejus existit.* Et infrà: *Concurrit Deus ipse secum, volens ipse existere, & existens quod vult; voluntasque & ipse unum est; atque ex hoc non minus est unum, quoniam non aliud est quod esse contigit, aliud quod voluisset existere. Quid enim voluerit aliud esse, præter hoc quod nunc existit? Etenim si fingamus in ejus optionem adduci, ut quodcumque velit efficiatur, eique licere naturam suam in aliud commutare, constat sane eum nolle se aliud esse vel extitisse; neque quidquam in se incusare, quasi cogen-*

Theol. Plat. l. 2. c. 11.

Instit. Theolog. c. 46.

Segm. 8. c. 7.

Ennead. 6. l. 8. c. 11.

gente necessitate, idipsum quod est evaserit; propterea quod id propriè ipse sit, quod ipsemet & voluit semper & vult. Est enim revera ipsa boni natura ipsiusmet voluntas; non adeo quidem ut portio quædam illi fuerit assignata, vel propriam quandam secutus naturam; sed ille potius voluerit semetipsum, quoniam nec erat aliud ad quod potius traheretur. Accedit ad hæc quod aliorum nullum in essentia sua rationem sibi placendi comprehendit, nonnihil enim esse potest quod seipsum offendat, sibique displiceat; at in ipsa boni substantia necessarium est electionem sui ipsius & voluntatem contineri; alioquin nihil usquam id assequeretur, ut quandoque valeat sibi ipsi placere; quæ quidem vel participatione quadam, vel imagine ipsius boni sibi ipsis placere solent. Parco plura hic intexere, in eo enim versatur totus hic Plotini liber, ut Deum sua sibi voluntate authorem suæ essentiæ esse comprobet, adeo ut summa essendi necessitas & summa immutabilitas qua Deum esse, & id esse quod est necesse est, in ejus voluntatem tota refundatur. Ex quo fit ut voluntas Dei qua se esse vult, & volendo facit, & semper vult, semperque facit, sit actus purissimus & ipsamet immutabilitatis origo.

VII. Cæterum non abs re erit animadvertere, Philosophos istos religiosos adeo fuisse in quacumque mutationis vel motionis nubecula à Deo propulsanda, ut nec vitam, nec intelligentiam, nec entis, nec mentis, ideoque nec pulchri nomina ei adscribi æquo animo passi sint. Hæc enim omnia vix ac nec vix purgari apud ipsos potuere ab omni suspicione motionis & multitudinis in mutabilitatem brevi & facilè descicentis. Vivere enim & intelligere quidam motus sunt, & quidem ad aliud quiddam venandum pertinentes; ens & mens copiam quandam innumerabilium entium & idearum præ se ferunt. Conducibilius ergo tutiusque ipsis visum est immutabilitatis tutelam & vindictam committere ipsi uni vel bono, cui nulla ejusmodi vel multitudinis vel motionis suspicio aspergi potest.

Rursus non abs re erit advertere scrupulosos adeo illos fuisse in unius summi veneratione, ut ab eo non tantùm mutabilitatem & motionem omnem, sed & statum & identitatem summoverint. Ita enim Plato in Parmenide, probat ipsum unum non tantùm non moveri, sed nec stare; non tantùm non alterum, sed nec idem esse aut sibi aut alii cuicumque. Ne videlicet status & identitas quamvis unitati confœderata & amicissima, ejus solitudinem ac beatum silentium perturbent & contaminent. Semel ergo fides habenda est Plotino, omniaque alia ab uno penitus abstergenda sunt, sic ut deinceps satagas non quid addi illi possit, sed quid adhuc detrahi possit. Cùm enim liceat mente attingere aliquid ita unum, ut de eo præterea nihil dici vel cogitari possit, hoc planè unum in hac sua ab omnibus aliis segregatione & sua secum sanctitate retinendum est. *Tu quoties eum dices vel cogitabis, reliqua inde auferes omnia. Cum autem abstuleris omnia, ipsum vero solum reliqueris, ne quæras ultra quid addas, sed potius ne forte adhuc reliqueris aliquid quod inde cogitatione tua nondum satis abstuleris. Nam licet & tibi attingere aliquid, de quo aliud præterea nec dicere, nec assumere valeas; sed illud desuper extet solum hoc ipsum quod est.*

Suppositio. c. 1.

Ennead. 6. L. 8. c. ult.

VIII. Mutationem autem importare Deo posse duo quædam videntur. Primum est consilium quod demum iniit creandi mundi, cùm tamdiu ante ab eo abstinuisset; alterum est in homines pro ipsorum meritis ira Dei, vel benevolentia, pœnarumque & beneficiorum vicissitudo. Ista enim operum & judiciorum novitas novari aliquid in Deo & demutari suadere videtur. Verùm quod ad primum attinet, tota hæc ambiguitas ex eo coorta est populari commento, quo ante mundi initium plurima temporum volumina fluxisse imaginantur, interimque otiatum fuisse Deum, donec otii sui quasi pertæsus novo quasi consilio in novi operis molitionem eruperit. Cùm autem idem fuerit mundi temporisque exordium, nulla ante mundum fluxere tempora quibus vacarit Deus ab opere. Non ergo priùs cessavit, inde creavit, quia creationem temporum nullum prius, nullum tempus antecessit. Sua Deum æternitas magis extra tempora collocat, quàm ante tempora; nam ante tempora vix esse potest, quin tempora tempore præcedat. Sed extra tempora magis est, suum in ævum & veluti centrum receptus, ex quo omnia creat dispicitque tempora; quæ sibi vicissim comparata dici & videri possunt nova & vetera, priora & posteriora; Deo autem nonnisi præsentia sunt, & eodem semper modo circa ipsum ut circa immobile centrum labentia. Hæc si altè imprimantur menti, tota illa mutationis suspicio penitus dissipabitur. Sed de his plura ubi de æternitate.

IX. Quod ad alterum spectat, cùm æternitas omnibus temporum lapsibus par & ulterior sit, in ejus penetrale colligens se Deus, ut homines hoc tempore probos, alio improbos contuetur; ita alio amat, alio odit; alio munerat, alio plectit; nec magis mirum est immutatum hæc tam varia posse, quàm immutatum tot temporibus coexistere. Sed commodiùs hæc intelliges, si Deum non instar hominis vel Angeli, sed instar veritatis & justitiæ legisque sempiternæ studeas contemplari. Lex enim, veritas & justitia simul & semel & semper sine ulla planè mutationis nubecula & justos amore præmiisque, & impios odio pœnisque prosequitur. Tota ergo mutatio in homines recidit, qui prout libuerit, virtutem sectando vel aversando, incommutabilis legis vel amicitiam sibi cum præmiis, vel offensionem cum pœnis accersunt. Ita Solis indemutata lux aliis modestè utentibus commodum, aliis immoderatè abutentibus detrimentum infert. Jamblichus: *Non cadit in numina affectus ullus perturbatus, nec excandescentia more hominum. Nempe numinum ira, non ut vulgus existimat, inveterata & pertendens quædam bilis est; sed nihil aliud censeri debet, quàm cura benefica Deorum aversio, & abalienatio, qua nos ipsos avertimus, ceu nos à lumine tanquam meridiano abscondentes, & nobismet tenebras offundimus, nosque ipsos Deorum optimis muneribus privamus. Huc pertinet placatio & supplicatio, ut qui prius terga verteramus, vultum frontemque convertamus ad haustum superiorum.* Sallustius: *Quod si quis Deos immutabiles esse rationi veritatique consonum ducens, dubitat quomodo illi bonis quidem lætantur, mala aversantur; & delinquentibus item irascuntur, & delinitionibus eorum redduntur propitii; dicendum est Deum omnino non lætari; nam quod lætatur, etiam mœrore afficitur; neque irasci, irasci enim affectio animi est; neque mulceri muneribus, id enim esset delectationibus vinci; neque fas esse ex rebus humanis numen vel bene vel male se habere. Sed illi quidem boni sunt semper & tantum proficui, noxii nunquam; semperque in omnibus eodem modo se habent. Nos vero dum sumus boni, propter similitudinem Deo conjungimur; dum mali, propter dissimilitudinem separamur; & dum ex virtute vivimus, Diis adhæremus; dum vitiis inquinamur, nobis illos hostes comparamus.* Eadem leges apud Simplicium, qui cùm dixisset totam hanc mutationem esse non amoris & odii divini in nos, sed virtutis & vitii nostri ad Deum, subdit luculentè: *De hac nostra ad Deum conversione perinde loquimur, ac si Deus ad nos converteretur; non secus atque ii qui fune marinæ petræ injecto, qui per illum & seipsos & naviculam ad rupem attrahunt, ob imperitiam ejus rei non se putant ad rupem accedere, sed rupem paulatim ad ipsos appropinquare.*

De Myster. Segm. 1. c. 11.

L. de Diis & Mundo. c. 14.

In c. 38. Epict. pag. 149. 150.

XI. Deus ergo non mutatur, seu quia mens est

in

in æternitatis apice sedens, & malos, quocumque tempore mali sunt, detestatur; & bonos, quocumque item tempore boni sunt, amplexatur; seu quia supra mentis naturam ipsa lex mentium veritas & æquitas est, iram & vindictam malis, benevolentiam & beneficentiam bonis incommutabiliter indicens, & infatigabiliter inferens. Præter duplex autem hoc munimentum, tertium superest longè tutius, quo valletur divina immutabilitas, & ab omni penitus mutationis assultu muniatur. Ejus nimirum simplicitas, & incomprehensibilitas, & segregatio, & suæ in se unitatis solitudo. Quia enim Deum quasi voluntate & consilio & mente uti opinati sumus, instar nostrum aut Angelorum, hinc suspicati sumus eventuram ipsi mutationem aliquam, sive mundum quem non condebat, conderet; sive homines quos oderat, amaret. Sed si Deum uno supra mentem gradu locemus, nempe in æternitatis & veritatis solio, jam illa mutationis suspicio, vel omnino vel magna saltem ex parte evanescit. Quòd si supra veritatem & æternitatem, ut par est, Deum evehamus, & in sua illum unitate, vel unitatem superante silentio suspiciamus, proculdubio non sua tantùm illi sospes & incolumis constabit immutabilitas, sed quando illa veritatis Deo inferioris comes & amica erat, aliquid ipsa immutabilitate melius & superius. Utque uno verbo rem absolvam, si creare, amare, odisse, benefacere, plectere, nævos aliquos indivulsè hærentes sibi habent, nihil horum Deo quadrat; horum effectuum Deus causa est, imò supercausa, & præstantior quàm causa, ineffabiliter & incomprehensibiliter non agendo agens. Sed quia nos illum nisi creaturarum quasi vestibus induamus, conspicere aut effari non valemus, hinc plurimum desudandum nobis est, ut imperfectionum sordes his vestibus aspersas extergamus. Expeditius foret si semel ratum esset, quidquid de Deo dicitur impropriè, & ænigmaticè aut symbolicè dici; ubi autem ex istiusmodi attributo emergit incommodum, non aliunde excusatio petenda est nec longiùs accersenda, quàm ex natura ænigmatis, vel symboli, vel impropriè usurpati verbi. Hic sanè gladius est, quo omnes hujusmodi incidantur nodi.

CAPUT VII.

Immutabilitatis divinæ sparsa per naturas creatas vestigia explorantur, ex eorumdem Philosophorum placito; & primò ut corporum motus & quies ad animæ & Dei stabilitatem imitandam aspiret.

I. Juxta eosdem Philosophos immutabilitatem divinam imitantur corpora, quiete sua.

II. Motu etiam suo, qui vitæ instar est, imitantis vitam divinam, ubi motio & immutabilitas coaluere.

III. Mutationes ipsæ corporum ad immutabilitatem, corruptiones ad incorruptionem anhelant.

IV. Motiones corporum imitamenta sunt & effluvia motionum animæ.

V. Cœlorum circuitus, siderumque, constantiam mentis, & immutabilitatem Dei propius imitantur.

VI. De eodem iterum ex iisdem.

VII. Sed in anima multò expressiora divinæ immutabilitatis vestigia ex iisdem Philosophis. Status & sanitas corporis ab anima.

VIII. Etiam dum sentit & patitur anima per corpus, agit magis quàm patitur, immutabilitatis cujusdam suæ tenax.

IX. Non tantùm à sensibus corporeis nil patitur anima, sed ne ab affectibus quidem. Multis id expugnat argumentis Plotinus.

X. Ne à suis quidem vitiis corrumpitur anima, nedum à corporeis.

XI. Immutabilium & invisibilium naturæ cognatam se sentit anima.

XII. Anima quasi essentialiter numerus est & ratio.

XIII. In mente supra animam lumina immutabilitatis multò splendidiora.

XIV. Operationes mentis multò ad immutabilitatem magis accedunt, quàm animæ.

XV. Nulla substantia creata stat & constat, nisi voluntate Dei.

XVI. Corpora quæ sua Deus manu molitus est, incorruptibilia perstant.

XVII. Sed incorruptionis & immutabilitatis participatæ ubertas maxima ex contemplatione Dei.

XVIII. Etsi non erroris immunia sint hæc omnia; non potest tamen non admirationi esse, quod Philosophi Ethnici tam propè accesserint ad veritatem.

I. Non pauca, nec obscura divinæ immutabilitatis lineamenta naturis creatis inscripta observarunt iidem Philosophi. Observarunt itaque 1. in natura corporea utpote extrema regione dissimilitudinis, non statum quidem ullum esse, sed quietem tantùm, ut aliqualem status & immutabilitatis imitatricem. Stant enim divina corpora irrequieto motu, seu conspicuus ille sit, seu inconspicuus, moventur; ubi autem stare videntur, ob tardiorem & occultiorem motum ita videntur; etsi autem nunquam stent, quiescunt tamen quandoque, sin minùs omni, certè aliquanto ipsorum motu aliquandiu desidente. Plotinus: *Præstat forsitan statum quidem ipsum divinis concedere; hic autem de quiete perquirere. Atque siquidem omnino idem sit status & quies, non rectè hic requiri quies videbitur, quum hic nihil penitus fiet; sed quod stare videtur, tardiore motu feratur. Sin autem quietem aliud præter statum esse dicamus, &c.* Enn. 6. l. 3. c. 27.

II. Observarunt 2. motum quo res corporeæ excitantur ne torpeant, esse quandam imitationem vitæ, quæ & ipsa in motu quodam spiritali sita est; itaque motum esse quasi vitæ corporeæ simulacrum, & nisum ad veram vitam, proindeque ad immutabilitatem. Nam vita omnis cùm per se quodammodo subsistat, jam quendam incorruptibilitatis gradum consecuta est, ut suprà declaravimus. Plotinus: *Est autem motus qui circa sensibilia versatur, stimulus quidam vel impetus ab alio in alium vergens, & excitans & impellens participem motionis ne torpeat, neque maneat in eodem; ut tali quadam inquietudine, & velut distracta circa multa sollicitudine, quandam vitæ imaginem consequatur.* Ennead. 6. l. 3. c. 22. Et alibi: *Motio quæ quasi vita quædam est in corporibus, vel imitatio vitæ, &c.* Ennead. 1. l. 6. c. 6. Immutabilitatem ergo divinam quia non in corpore, sed in actu quodam vivacissimo & constantissimo posita est, æmulatur corporum tum quies, tum motio; quies ejus constantiam, motio ejus actum & vivacitatem ementitur.

III. Observarunt 3. ipsas mutationes & generationes corporum ad immutabilitatem & incorruptionem ementiendam, utcumque possunt, eniti. Omnis enim rerum mortalium generatio immortalitatem affectat; unique per mortem abrepto incunctanter alterum subrogat propè idem, ut non tam alteri alterum successisse, quàm idem sibi ipsi supervixisse, aut quod consenuerat, idem rejuvenescere videatur. Hinc amor divinum quid est & vehementissimum, utpote divinum aliquid nempe immortalitatem parturiens; hinc generatio animalium, quia per corruptionem ad incorruptionem eluctatur, tam mira, tam stupenda est. Plato in Convivio: *Est amor appetitio qua bonum sibi semper esse quis cupit.* Et infrà: *Est*

autem

autem opus hoc divinum, & in animali ipso mortali immortale, conceptio scilicet & generatio. Et paulò pòst: *Amor sempiternum quiddam est & immortale, quemadmodum in ipso mortali generatio. Immortalitatem autem unà cum bono appetere necesse est, quandoquidem amor est appetitio, qua bonum sibi quisque semper adesse desiderat. Ex his concluditur amorem immortalitatis quoque desiderium esse.* Et infrà: *Natura mortalis, semper esse & immortalis esse pro viribus nititur; hoc autem generatione dumtaxat assequitur, quoniam semper alterum juvenem veteris loco substituit.* Et aliquantò pòst: *Hoc pacto omne mortale servatur, non quia semper omnino idem sit, ut divinum, sed quia quod tabescit & abit, novum & sibi simile relinquit. Hoc remedio quod mortale est, sive corpus, sive quodlibet aliud particeps immortalitatis evadit.* Sic Plato demonstrat immutabilitatis legem & imperium tam latè fundi, tamque potenter vigere, ut ipsa etiam mutabilitas ei obsequatur, illam ambiat, & quanquam adversa esse videatur, illi tamen imitandæ & propagandæ se totam impendat.

IV. Observarunt 4. omnes corporum motiones motionum animæ & imitamenta esse & effluvia. Ut enim anima superiorum seu intelligibilium imaginem, & imitari ipsa & ab illis sibi imprimi studet; ita imaginem sui inferioribus nempe corporibus imprimere, ad suique imitationem illa impellere affectat. Cùm ergo motiones animæ quasi immobiliter fiant, statusque & immutabilitatis plurimum redoleant, eandem prærogativam, utcumque fieri potest, corporeis etiam motionibus impertiuntur. Plato: *Recordamur nos in superioribus concessisse, si antiquior corpore anima declaretur, illa etiam quæ animæ competunt, iis quæ corporis propria sunt, priora esse simul declarari? Maxime. Affectus ergo, mores, voluntates, cogitationes, veræ opiniones, curæ, memoriæ, omnia hæc longitudine corporum, latitudine, profunditate, robore prius facta sunt, sicut & anima corpore.* Et infrà: *Universa ergo quæ in cœlo sunt, quæ in terra, quæ in mari, suis motibus anima ducit, quibus nomina sunt, velle, considerare, curare, consultare, rectè & non rectè opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere, & cæteris præterea motibus omnibus, qui horum affines primique sunt; qui & secundos corporum motus suscipientes, omnia in augmentum decrementumque perducunt, concretionem vel condensationem, & discretionem vel rarefactionem, &c.* Nulla ergo in corpore aliquo motio vel mutatio est, quæ non uti exemplar suum consentientem sibi in anima motionem aliquam sequatur, ejusque immobilitatem pro viribus assequatur.

Lib. 10. de Legibus.

V. Observarunt 5. cœlorum siderumque, quæ principatum inter corpora tenent, circuitus constantiam mentis & immutabilitatem Dei propius affectari. Moventur enim 1. circulariter, 2. constantissimè & uniformiter. Circulariter quidem, quia hic motus cùm in eodem & circa idem fiat, ad statum accedit proximè, & incommutabilem mentis circa Deum & Dei circa seipsum motionem de proximo attingit. Constantissimè autem, quia eadem semper celeritate, & nulla unquam cessatione; quæ immutabilitatis in ipsa motione præpollentis significationes sunt. Cùmque inconstantia amentiæ & erroris, constantia mentis & sapientiæ comes sit individua, tanta siderearum circulationum constantia non potest nisi à mente sapientissima proficisci. Plato: *Si universus cœli circuitus, & omnium quæ in eo sunt progressio, mentis motui & circulationi & ratiocinationi similem habet naturam, & simili quadam ratione peragitur, constat optimam animam totius mundi curam habere concedendum esse, unde tali ratione circumvolvatur.* Et infrà: *Oportet meminisse omnium quæ sunt, alia stare, alia moveri. Quin etiam eorum quæ moventur, nonnulla in uno loco, nonnulla in pluribus agitari. Motus autem qui semper in uno fit, necessario circa medium aliquod agitur, & circuli torno confecti similis est; ideoque mentis circuitum pro viribus imitatur. Per eadem certe, eodem modo, circa eadem, ad eadem, una ratione, & ordine uno, ferri utraque assero. Nempe si dicamus mentem motumque qui in uno fit, sphæræ torno confectæ lationibus similes, nequaquam rudes bonarum imaginum opifices erimus.* Et in Politico: *Idem esse semper & secundùm eadem, & eodem se modo habere, solis omnium divinissimis convenit. Corporis autem natura hujus ordinis non est compos. Cæterum id omne quod cœlum mundumque vocamus, multa quidem & fœlicia munera à genitore suscepit, corporis tamen particeps cùm sit, expers omnino mutationis esse non potest; attamen quoad potest, in eodem secundùm eadem, & uno motu movetur. Quapropter circuitum est adeptum, in quo minima agitationis suæ fit permutatio.* Sed omnium luculentissimè idem Plato in Epinomide indeflexibilem illam circulationum siderearum constantiam demonstrat non à natura corporis, sed mentis repetendam esse. Invariatum enim quidquid est, & sibi constans, & semper idem, & immutabile, à prudentissima quadam mente & inexhausta sapientia proficiscitur; ex adverso autem error & inæqualitas à mentis & sapientiæ penuria. Gyrationes ergo cœlorum nusquam sui dissimiles, nusquam discordes; non ut vulgus ineptire solet, à bruta quadam & mentis experte natura aguntur, sed à mente cujus consilium incommutabile & plusquam adamantinæ necessitatis & identitatis est. *Quod absque ordine fertur, amens esse putandum est, quod plerumque faciunt, quæcumque apud nos sunt animalia. Quod autem ordine in cœlo progreditur, id mentem habere sufficienter eo vestigio demonstratur, quod per eadem semper & similiter proficiscitur, agitque & patitur eadem. Animæ enim intellectum habentis necessitas omnium necessitatum maxima est, ducens enim, sed non ducta gubernat. Quando autem anima quæ res optima est, consilio secundum optimum intellectum se gerit, tunc sine persuasione id quod verè secundùm intellectum perficitur, necessario eveniet, nec adamas solidius immobiliusve esse poterit.* Et paulò pòst: *Insanam opinionem sequutum vulgus, genus humanum quia movetur, vitam mentemque habere putavit; divinum vero, quia in eisdem permanet lationibus, mente carere. Decebat autem pulchriora melioraque & Diis gratiora sentire, quod propterea mentem habeant, quia per eadem similiter profecta, eadem semper agunt.*

Ibidem.

VI. Hæc ex Platone paulò prolixiùs inserere non piguit, quia hinc licet validiùs communire id quod capite superiori disseruimus, ubi immutabilitatem Dei ex ejus maximè voluntate pullulare astruximus. Similiter enim hìc Plato omnium necessitatum maximam maximèque incommutabilem eam esse pronunciat quæ fundatur in mente & consilio; & quoties corpora suis in rationibus invariatam illam servant identitatem, argumento id esse quòd à mente sapientissima administrentur. Idem argumentum fusè & eleganter tractat Proclus. Sallustius autem ita habet: *Corporum quæ in mundo sunt, alia mentem imitantur, & circulatim moventur; alia animam, & rectà diriguntur.* Animæ enim discursum recta latio meliusculè exhibet; at mentis eadem eodem semper modo intelligentis motionem immobilem propiùs repræsentat circulatio. Pertractat hoc ipsum Plotinus prolixissimè; sed hæc pauca ex eo excerpam: *In nostris corporibus quando movetur animus, etsi longè aliter moveatur, velut lætitia gestiens opinione boni, motus inde corporis etiam localis efficitur. Illinc igitur anima evadens bono proxima, effectaque sensu sagacior, movetur circa bonum, corpusque pro natura sua secundum localem*

Theol. Plat. l. 1. c. 13.

L. de Diis & mundo, c. 7.

Ennead. 2. l. 2. c. 1.

lem concitat motionem. Et infrà: *Intellectus autem quidnam aget? Sic certè movetur. Manet enim simul & movetur, nam reflectitur in seipsum. Ratione itaque simili universum circulo movetur simul & permanet.* Postremò tandem Rabbi Moses in More Nevochim, hæc habet in eandem sententiam planè aurea: *Isto modo dicit Aristoteles Deum movere cœlum, quia cœlum desiderat assimilari rei illi quam apprehendit, quæ est simplicissima, immutabilis, in qua nihil novi generatur, & à qua bonum semper profluit. Non potest autem istud in sphæram sive cœlum competere quatenus corpus est, sed ratione solum operationis motus circularis (nam hoc est summum quod corpus habere potest, ut operatio ejus perpetuò in ipso permaneat,) qui est simplicissimus omnium motuum in corporibus existentium, omnisque mutationis tam in substantia sua, quàm in bonis ab ipso provenientibus expers.* Sic ille docet immutabilitatem divinam cœlos, quia substantia sua non possunt, operatione saltem sua seu gyratione imitari.

Part. 2. c. 4.

VII. Observarunt 6. lineamenta immutabilitatis in anima quàm in ullo corpore multò magis conspicua. Et primò quidem quod fluxum & corruptibile corpus sistat, & à corruptione tamdiu vindicet anima, quandiu illud vegetat, id argumentum est incorruptibilitatis eximiæ; ut quæ non tantùm animam contineat, sed ab ea in corpus exundet, & materiæ mutabilitatem diutissimè interdum cohibeat. Maximus Tyrius: *Si anima corpus quod natura sua corrumpitur, à corruptione tutum præstat, quandiu simul vivunt, absit ut corrumpi possit ipsa.* Abundat ergo incorruptibilitas in anima, & redundat in corpus corruptibile, ita ut illud incorruptum præstet. 2. Quòd sanitas quæ incorruptionis genus est, ab anima in corpus derivetur; ideoque ut à morbis quibus contabescit corpus, exolvatur, non aliam esse compendiosiorem viam, quàm ut anima à vitiis quibus ægrescit, eximatur. Sunt enim virtutes animæ, quædam immortalitatis medicamenta, vim suam ulteriùs & in corpus ipsum propagantia. Plato in Charmenide: *Ut oculos sine capite curare non decet, neque sine reliquo corpore caput, ita neque sine anima corpus. Eaque causa est cur medicos Græcos morbi corporum multi lateant, quia totum ipsum ignorant, quod in primis curare oportet; quo malè affecto, impossibile est partem aliquam bene valere. Omnia namque vel bona vel mala ab anima in corpus & hominem totum manant, indeque similiter ut ex capite in oculos effluunt. Illam itaque primum & maximè curari jubet, si modò caput & universum corpus bene valere debeat.* Et alibi: *Mihi quidem non videtur benè affectum corpus vi sua bonum animum facere, sed contrà bene affectus animus vi sua corpus quoad fieri potest, optimum reddere.*

Dissert. 27.

L. 3. de Rep.

VIII. 3. Quòd anima cùm sentit per corpus, nihil tamen patiatur, sed agat; & agendo, non patiendo sentiat, proindeque statum & immutabilitatem suam incolumem semper obtineat. Sive enim species objecti sensibilis extrinsecùs tantùm occurrat, anima autem foras prosiliens per missiles quosdam radios illam invadat, & amplectatur & contrectet; sive potiùs species ista in externum sensus organum se insinuet imprimatque, & nervos corporis sensui destinatos exagitet; anima autem sua circa nervos ita affectos & concussos actione, percipiat rem totam, de eaque judicet; alterutro modo sentiat anima, agendo, non patiendo sentit. Passio enim vel nulla omnino erit, vel in nervis & externo tantùm utpote corporeo sensorio erit; at cùm sentire, sit percipere rem de eaque judicare, hoc ut animæ munus est, ita actioni, non passioni tribuendum est. Etenim animam à corporibus pati, id & infra animæ & supra corporum dignitatem est; pati enim à superioribus debet, in inferiora agere & imperare. 2. Item animam substantia sua incorruptibilem, aut situ & torpore, si nihil sentiat, aut corruptione & passione, si quid sentiat, computrescere, præter sapientiam naturæ & præter sapientium fidem est. Ut quid enim substantiæ incorruptibili tot corruptionis venas circumfundere? 3. Item an corpora cùm corruptibilia sint, vires suas agendo exproment, anima nonnisi patiendo? 4. Item corpora cùm ex materiæ contagio passiva sint, agent tamen vehementiùs; anima cùm actus quidam sit, passiva plurimum erit? 5. Cùm sentire, privilegium sit quoddam eximium, & in tota rerum natura amplissimum & admirandum, an inter passiones abjicietur? & inter detrimenta, non ornamenta recensebitur? 6. Item an anima quò plura sentiet, plura patietur, & patiendo infirmabitur & vanescet? an potiùs plura sentiendo plura aget, & agendo roborabitur & invalescet? Parco latiùs per hunc patentissimum campum utpote Philosophis proprium spatiari. Plotinus: *Si sensus dicamus non esse passiones, sed actiones, judiciaque circa passiones; quæ quidem passiones circa aliud quiddam fiant, velut forsan circa corpus tale; judicium verò in anima; neque ipsum passio sit, alioquin oporteat aliud quoque judicium esse, atque per infinitum progredi: si inquam ita dicamus, nihilominus & hìc dubitare continget, utrum judicium ipsum qua ratione judicium est, nihil habeat illius in se de quo judicatur; an formam ejus quandam; quam si habeat, jam passum fuisse videbitur. Licet tamen dicere de his quæ formationes sensuum vel ipsius intelligentiæ nuncupantur, longè aliter fieri, quàm à plerisque existimetur; quod præcipuè in intelligentiis ipsis apparet, quæ quidem ipsæ quoque sunt actiones, potentes aliquid absque passione cognoscere.* Prolixiùs hanc quæstionem versat Plotinus: *Cùm constet animam magnitudini & quantitati non esse subjectam, hinc liquet quidquid est in anima, non passionem esse, sed efficaciam; & omnino quæcumque sunt circa animam, mirabili quapiam ratione alia se habere, quàm suspicentur homines, qui talia nunquam diligenter indagaverunt.* Quomodo denique tum intelligibilia superiùs, tum sensibilia inferiùs cognoscat anima modo quodam incorruptibili & passionis penitus experte sic ibidem exponit: *Cùm igitur sit in medio intelligibilium & sensibilium constituta, nimirum percipit utraque. Et superiora quidem dicitur intelligere, in memoriam revocans, siquidem se illis adjungat; cognoscit enim ipsa quod quodammodo sit ipsa; cognoscit, non illa in se velut in sese collocando, sed quoddammodo illa habendo, & intuendo, & essendo, licèt obscuriùs; sed ex obscuriore velut habitu quodam experrecta, evadit lucidiùs eadem, & ex potentia prodit in actum. Sensibilia similiter quasi coaptata, & hæc ex seipsa quasi effulgescere facit, & ante oculos ponit; quippe cùm vis animæ etiam priùs ad id præparata sit, eademque parturiat.* Ita ille sine ulla novi accidentis accessione vel discessione, atque adeo sine ulla mutatione rerum omnium cogitationem in anima fieri explanat; ex eo uno quòd anima omnia quodammodo fit, superiora obscuriùs, inferiora lucidiùs; ideoque cognoscat omnia per sui ipsius vel quasi seminum in se latentium excitationem.

Ennead. 3. L. 6. c. 1.

Ennead. 4. L. 6. c. 3.

IX. 4. Quòd anima non tantùm à sensibus, sed nec ab affectibus ullis corporeis quidquam patiatur; itaque nec dolore, nec mœrore, nec metu, nec ira, nec cupiditate, nec ulla hujusmodi alia perturbatione exagitetur. Secernenda est ergo anima rationalis à sensibili, quæ veluti lumen est & irradiatio quædam à rationabili anima in corpus resplendens, illud vegetans, ejus affectibus & perturbationibus obnoxia; cùm interim anima rationalis in summo supernè locata pacem teneat, nubes illas despectet, auram veritatis quietissimè hauriat. 1. Cùm enim incorruptibilis sit, impatibilem

lem quoque esse consentaneum est, pati enim est corrumpi. 2. Ab inferioribus quidquam pati aut superari, iniquum est, & naturæ æquitatique dissonum. 3. Quid ad animam spiritalem, intelligentem, immortalem pertinet de implendo vel inaniendo corpore sollicitari, de membrorum læsione discruciari, de vulnerum à quibus nihil pati potest, metu angi, &c. ut his bonis vel malis non afficitur, ita nec his affectibus attingitur anima immaterialis. 4. Non inest, sed adest, nec permiscetur, sed circumfunditur anima corpori; nam res diversissimi generis non permiscentur; ut linea albedini, &c. ergo affectibus passionum corporearum non attingitur anima. 5. Animæ instrumentum est corpus, at passiones instrumentorum non subit artifex. 6. Corpus per animam evadit melius, non anima per corpus deterior: præter naturam enim foret hæc copula, si in partis ignobilioris compendium cum nobilioris detrimento cederet. At anima quæ seorsim à corpore corporearum perturbationum expers planè foret, si suo in illud delapsu iis immergeretur, plurimum detrimenti caperet ex hac copula. Has aliasque in eam sententiam argumentationes accumulat Plotinus Enn. 1. l. 1. per totum; pauca excerpam: *Oportet quod immortale & incorruptibile est, impatibile quoque esse; alteri quidem sui ipsius nonnihil impertiens, ipsum vero ab alio nihil accipiens, nisi quantum à superioribus acceperit quicquam, à quibus profectò præstantioribus minimè segregatur*. Et ibidem: *Quid igitur tale quiddam metuat, cùm exteriorum nihil accipiat? illud certè metuat, quod & potest pati. Cupiditates præterea quæ per corpus explentur, evacuato videlicet corpore vel expleto, non hujus essentiæ sunt, sed alterius quæ evacuari implerique possit*. Et ibidem: *Utens corpore ut instrumento, non cogetur corporeas suscipere passiones, sicut neque artifices passiones instrumentorum*. Et mox: *Ponamus animam esse mistam. At si mista fuerit, illud quidem quod deterius est, id est, corpus, evadet melius; illud vero quod melius, id est anima, evadet deterius; & corpus fiet melius, vitam participando; anima autem pejor, participando mortem conditionemque irrationalem*. Et infrà: *Quærendum de modo mixtionis, ne fortè id fieri nequeat; perinde ac si quis dixerit, misceri albedini lineam, naturam diversam valde diversæ. Potest quod diffusum est per aliud, impatibile permanere; sic fieri potest ut anima corpori se insinuans, ejus non suscipiat passiones, sicut & lumen, &c.* Eadem breviùs perstringit Jamblichus.

Ibid. c. 3. 4.

De Myster Segm. 1. c. 10.

X. 5. Quòd nec à suis quidem, nedum à corporis vitiis corrumpatur anima; neque enim per injustitiam aut pravitatem quamlibet corrumpitur anima. Plato: *Nonne corpus proprium ejus vitium, nempe morbus liquefacit, dissolvit, eoque deducit ut non sit corpus? Ita prorsus. Numquid & animam eodem pacto injustitia & reliqua pravitas cum inest, sua ipsam præsentia dissipat, & tabefacit, quousque in mortem trahens a corpore separet? Nullo modo. At verò absurdum illud est, ut alienum vitium interimat aliquid, cui proprium vitium non præbet interitum*. Alcinous: *Si anima à proprio malo non corrumpitur, neque ab alieno, nec ab ullo simpliciter destruetur malo; cumque sit talis, incorrupta manebit*.

Lib. 10. de Repub.

De doctrin. Plat. c. 25.

XI. 6. Quòd cùm duo quædam sint rerum genera, visibilium & invisibilium, mutabilium & immutabilium, anima invisibili & immutabili generi cognatam se esse sua circa ipsum familiaritate & intelligentiæ frequentatione abundè testificetur. Plato in Phædone: *Duas rerum species ponamus; invisibilium alteram, alteram visibilium; & invisibile quidem modo semper eodem esse, visibile vero nunquam eodem. Utrinam speciei corpus esse similius cognatiusque dicimus? Nemini dubium quod visibili. Quid vero anima?* Et paulò pòst: *Ut cum anima ad aliquid considerandum, socium sibi corpus assumit, vel per visum, vel per auditum, vel per alium sensum: tunc quidem à corpore trahatur ad ea quæ nunquam eodem modo sunt, atque ipsa aberret & perturbetur, quasi ebria vacillet, ut quæ talia quædam attigerit. At verò quoties ipse animus per seipsum excogitat, illuc se confert ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habens; & tanquam ipsius cognatus, semper inhæret illi, quoties ipse redierit in seipsum, eique liceat; cessatque ab errore, & circa illa semper secundum eadem eodem modo se habet, utpote qui talia jam attigerit*. Et paulò pòst: *Animadverte num ex his consequatur, ipsi divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo & secundum eadem seipsum habenti, animam esse simillimam; corpus autem, &c.* Sic ille naturam animæ immutabilibus simillimam & affinem esse concludit, ex eo quòd circa immutabilia tanquam in propria & paterna domo libens versetur, iisque ut consanguineis adgaudeat & alludat, eorumque contubernio melior & vegetior, discessu mœstior & squallidior evadat.

XII. 7. Quòd anima sit essentialiter numerus & ratio; est enim, ut illam Pythagorici & Platonici definire amant, numerus seipsum movens; ejus unius proprium est numerare; ejus intellectio omnis numeratione constat, & affirmatio enim & negatio & syllogismus nonnisi additione & detractione fiunt; denique λογίζεσθαι idem est atque ratiocinari, & computare; tanta inter rationem & numerum identitas est. Atqui nihil menti hominum occurrere potest immutabilius numeris; alicubi enim patefactum est quàm æternæ & incommutabiles sint omnes numerorum rationes & veritates. Ergo & anima de genere incommutabilium est. Plotinus: *Sive numerus, sive ratio, ut solemus dicere, animæ essentia est, quonam pacto passio ulla numero vel rationi continget?* Videlicet cum rerum etiam corruptibilium & mutabilium incorruptibiles & immutabiles sint rationes.

Ennead. 1. L. 6. c. 1.

XIII. Observarunt 7. in mente supra animam lumina immutabilitatis multò splendidiora. Nam 1. Anima ex dividuo & individuo, ex altero & eodem constat; in medio videlicet confinio sita mutabilium & immutabilium, materialium & immaterialium, ex naturæ utriusque extremæ temperamento coagmentari debuit. Unde Plato animæ contemperationem ita describit in Timæo: *Ex ea substantia quæ individua & semper eadem similisque est, & ex ea rursus quæ circa corpora dividua fit, tertiam substantiæ speciem commiscuit mediam, quæ esset identitatis & alteritatis naturæ particeps; eamque per hæc mediam constituit, inter individuam substantiam, & eam quæ circa corpus dividitur*. Sic ille animam ex dividuo & individuo, ex eodem & altero compingit; quatenus ex individuo & eodem constat, immutabilitati: quatenus ex dividuo & altero, mutabilitati agnatam. At mentes à materiali commixtione longissimè semotæ, illa mutabilitatis aura non afflantur.

XIV. Hinc ut substantiæ, ita operationi mentis, quàm animæ, splendor immutabilitatis longè uberior aspergitur supernè. 1. Anima enim nunc agit, nunc otiatur, negotiumque suum crebra feriatione interpungit; at mens insomnis & infatigata nunquam cessat. 2. Anima non omnia simul, sed alia & alia alio & alio tempore cognoscit. Mens simul omnia, omnibus par. 3. Anima ejusdem rei partes plurimas dissecat pari suarum cognitionum dissecatione, ab unisque in alias discurrit, & individibilium amplitudini impar, illa secat, & per segmenta discursitat. Mens & omnia & singulorum omnia complectitur, ipsaque divisibilia & fluentia, stante & individua intellectione constringit. 4. Anima quod semel complexa est, elabi tamen sibi patitur, & oblivione plurima ludificatur; mens invictissimè stringit, quidquid semel invase-

vaserit. 5. Nec suum, nec corporis quod regit, nec materialium inter quæ agit fluxum & instabilitatem sistit anima, nisi cum se ad intelligentiam suam & qualemcumque sibi indultam mentis lucem erigens, incommutabiles ibi regulas formasque suspicit: quanto ergo immutabilitatis vigore perficiuntur mentes, quæ illo incommutabilis veritatis pabulo vescuntur semper & saginantur? 6. Anima corpori & materiæ alligata, cum illo sparso spargitur, cum fluxo fluit, cum mobili movetur; summo tantùm apice unum contingens, inde stillam bibit immutabilitatis qua se suaque figit, ne penitus effluat. At mens ipsi uni tota affixa, cum illo stante stat, cum quiescente quiescit, immutabili adhærendo immutabilis perseverat. Plotinus: *Est intellectus eodem modo semper in actu stabili constitutus; motus autem vel ad ipsum vel circa ipsum, jam animæ est officium.* Proclus: *Et anima quidem hæc in tempore agit, mens verò in ævo, simulque essentiam & operationem stabilem obtinet. Et anima quidem non omnis suam perfectionem immutabilem & non immunitam servare naturaliter potest, mens verò semper est perfecta, & suæ beatitudinis indeficientem habet facultatem.*

Ennead. 1. L. 9. c. 1. Theol. Plat. L. 2. c. 11.

XV. Substantia tamen absolutè incommutabiles non sunt ullæ naturæ, mentesve creatæ; sed sola Dei voluntas totum est quo stant & constant incorruptionis vinculum. Hinc Plato Deos seu mentes ita alloquentem inducit Deum Deorum opificem in Timæo: *Dii Deorum quorum ego opifex & Pater sum; quæ à me facta sunt, indissolubilia sunt, me ita volente; omne siquidem quod vinctum est, solvi potest. Sed mali est, quod pulchrè compositum est, seque habet bene, velle dissolvere. Quapropter quia generati estis, immortales quidem & indissolubiles omnino non estis; nec tamen unquam dissolvemini, nec fatum mortis subibitis. Nam voluntas mea majus præstantiusque vobis est vinculum ad vitæ custodiam, quàm nexus illi, quibus estis tunc cum gignebamini colligati.* Sic ergo natura omnis mensque creata, cum ipsum unum non sit, ideoque ex multis vincta & religata sit, his dissilientibus solvi & mutari proculdubio potest; non stat ergo nisi sua ad ipsum unum adhæsione, & ipsius unius in ipsam benefica voluntate. Sic ergo voluntas Dei tota immutabilitatis origo est. Per illam enim & Deus est, & immutabilis est; per illam mentes creatæ sunt, & suo in gradu immutabiles sunt.

XVI. Quia ergo immortalitatis fons est voluntas manusque opificis summi, hinc incorrupta augurati sunt & in æternum perennatura ea omnia etiam corpora, puta mundum, cœlos, elementa, quæ Deus sua ipse manu molitus esset, & incorruptionem incorruptibili architectæ manus contactu impressisset. Hinc Plato loco Timæi citato refert à Deo summo jussos esse minorum gentium Deos mortalia omnia animantia fingere, ne si ipse illa plasmaret, ex hac fictoris prærogativa immortalitatem sibi suo quasi jure vendicarent: *Hæc si à me fiant solo, vitaque donentur, diis adæquabuntur.* Et longè infrà: *Divinorum quidem ipse est author, mortalium verò generationem natis suis tradidit absolvendam.*

Vide Alcinoum c. 16. Sallustium. c. 17. Plotinum. Enn. 2. l. 1. c. 1. 2. 3. 4. 5.

XVII. Sed immutabilitatis quanta maxima indulgeri potest naturæ creatæ, ubertas & possessio summa in visione beata Dei percipitur. Mens enim beata ipsum unum & omnia simul & semper intelligit, amat, amplectitur, indivulsè & inamissibiliter atque ita immutabiliter. 2. Sine defatigatione, sine satietate, videt & amat. Videt enim & amat unum, ideo sine defatigatione; videt & amat omnia, ideo sine satietate. Si autem infatigabiliter & insatiabiliter, ergo immutabiliter. 3. Non quærendo sed possidendo, non laborando sed fruendo, videt & amat unum omnia: ergo immutabiliter, nam mutatio quærit & laborat, quies & status possidet & fruitur. 4. Non temporis fluxu, sed æternitatis statu videt & amat stantem veritatis æternitatem. 5. Imo non tam videt & amat, nam hæ motiones sunt, ad quærendum magis quàm ad fruendum idoneæ; quàm uni ipsi unitur, & cum uno unum, cum immutabili immutabilis fit. 6. Nec tam unum & immutabile evadit ex adhæsione ad unum, quàm unum cum ipso uno fit, nec aliud jam est quàm ipsum unum; ideoque non tam immutabile quid fit, quàm ipsum incommutabile. Hæc omnia ex Platonicorum monumentis illustrare si vacaret, cresceret in immensum libri moles, paucissima legam ex Plotino. Sic enim ille de animo in Deum penitus abrepto: *Quoniam jam duo non erant, sed ipse videns cum eo quod videbatur, erat unum, &c. Non enim apud eum aliquid movebatur; non ira, non appetitus inerat alicujus, animo jam ad excelsa profecto; sed neque ratio, neque intelligentia quædam; neque omnino ipsemet, si modo id dictu fas esse censetur; sed tanquam raptus, sive Deo penitus occupatus, in tuto quodam secessu, habituque tranquillo, prorsusque immobili jam constitutus est, ab essentia sua nullo modo declinans, neque etiam circa seipsum se reflectens, quippe cum penitus conquiescat, & quasi ipse jam status evaserit.* Sic ille beatam mentem unum cum Deo fieri tradit, ut nec intelligendo jam moveatur, in eoque ita stet, ut status ipse & ipsum incommutabile quodammodo factus sit. Et infrà: *Forsan vero neque videre dicendum, sed fieri potius ipsum visum.* Et paulò pòst: *Tunc sanè neque propriè videt, neque tanquam videns ipse discernit, neque duo quædam imaginatur; sed animus tunc tanquam factus jam alius, neque ipse ulterius, neque sui dumtaxat, illuc se confert, eique se dedit, factusque totus illius, evadit protinus unum, tanquam centrum cum centro conjungens.* Et alibi: *Adeo vero tunc ad votum affectus est animus, ut intelligentiam quoque nihil pendat; quodque prius eam admiratus fuerit, jam minimè probet; quippe cum intelligentiam esse motionem quandam planè cognoscat, ipse vero moveri non optet.*

Ennead. 6. L. 9. c. ult.

Ibid. c. 10.

Ibidem. L. 7. c. 35. Vide & c. 34. & Enn. 5. l. 8. c. 11.

XVIII. Sentio nonnulla esse in his Philosophorum decretis, quæ nostris forsan hominibus minùs arrideant. Fidei periculum penes illos sit; horum decretorum nec author ego sum, nec fidejussor. Ut ea referrem, impulit me non dubia, ut reor, fiducia, & voluptatis & utilitatis plurimæ hinc ad Lectores redundaturæ, citra ullum aberrandi periculum. Quæ mox enim ex sanctis Patribus & ex ipsis Scripturarum oraculis de hac eadem re corrasuri sumus, ea instar erunt regulæ indeflexæ, ad quam probentur & exigantur Philosophica illa omnia decreta. Non potest autem interim non perfundi aliquo sensu voluptatis Lector, dum perpendit homines ab omnibus fidei & religionis veræ adminiculis destitutos, tam altè in ejus arcana cœlestia penetrasse; dum advertit inquam penitissima fidei & Religionis arcana in ipsis hominum præcordiis descripta esse, ubi possent & cæteri ea perlegere, & in schola pectoris sempiternæ veritatis vocem audire legemque addiscere, si dissipatam per sensibilia mentem revocarent, seque in se reciperent. Non potest non & voluptatis & utilitatis plurimum conferre ea res, in qua tantum momenti, tantumque præsidii est ad fidei & Theologiæ Christianæ veritatem illuminandam confirmandamque.

CAPUT VIII.

Immutabilitas Dei declaratur ex sanctis Patribus. Et primò quòd ejus notitia omnium mentibus sit anticipata.

I. Ex sanctis Patribus ad existentiam Dei demonstrandam multa exprimuntur argumenta ex immu-

immutabilitate: cujus notitia quasi innata naturaliter nostris mentibus est.

II. Ex iisdem, radix immutabilitatis divinæ est unitas.

III. Bonitas.

IV. Ipsum esse.

V. Veritas. Multa congeruntur argumenta ad singularum istiusmodi radicum illustrationem.

VI. Denuo radix immutabilitatis est pulchritudo. Multa ad id elucidamenta.

VII. Materia ex adverso fons est totius mutabilitatis, quia maximè adversa est uni, bono, enti, menti, pulchro: cum sit ipsa multitudo, malum, non ens, falsum, turpe.

VIII. Radix alia immutabilitatis, quod sua sibi Deus sit origo.

IX. Vel ex eo quod ingenitus est.

X. An aliæ possint esse radices immutabilitatis.

XI. De identitate divina.

XII. De immortalitate.

I. Visum est 1. sanctis Patribus immutabilitatem usque adeo propriam esse Dei, ut nullum suppetat ad ejus existentiam demonstrandam invictius argumentum, quàm quod hinc depromitur. Namque 1. anticipata quadam præsumptione persuasum est omnibus incommutabile præponendum esse mutabili; at fieri id non posset, nisi entis incommutabilis notitia omnium mentibus aut innasceretur, aut simul obversaretur. 2. Corporibus animas, animabus mentes, mentibus quæ mutabiliter sapiunt, ideoque desipere possunt, mentem præstare incommutabiliter sapientem, ipsamque sapientiam incommutabilem, & hanc Deum esse, nulli non patentissimum & persuasissimum est. 3. Incommutabiles quasdam veritatis regulas de quibus judicandum non est, sed secundùm quas de rebus omnibus judicandum est, omnes vident, omnes consulunt, quicumque quodcumque certò & evidenter intelligunt. At incommutabile quidquid est, supra mentes, supra animas mutabiles est, ideoque Deus est. 4. Mutabilia omnia bona nec bona essent, nec essent, nisi ab incommutabili bono derivata essent. Cùm enim mutabilia simul omnia sint, necesse est ab alio omnia fluxerint, nec possunt omnia simul mutabilia ab alio quàm ab incommutabili fluxisse. 4. Mutabilia quanquam omnia sunt, immutabili tamen ordine ac lege fixa sunt; ergo ab incommutabili causa. Mutabilia omnia suapte sponte eunt in præceps, in non ens; ut ergo tantisper sistantur & figantur, manu incommutabilis opificis & opitulatoris egent. Ergo in ipso fonte lucis Deo, lux quædam eximia est incommutabilitas ejus, cùm ipsa principaliùs nobis affulgeat, sive per innatam sui notitiam, sive per rationes tam dilucidas tamque ineluctabiles. Sed jam ipsi Patrum fontes aperiendi sunt, unde hæc manarunt. Augustinus: *Gradatim à corporibus ad sentientem per corpus animam, atque inde ad ejus interiorem vim, cui sensus corporis exteriora nuntiarent, & quousque possunt bestiæ; atque inde rursus ad ratiocinantem potentiam, ad quam refertur judicandum quod sumitur à sensibus corporis. Quæ se quoque in me comperiens mutabilem, erexit se ad intelligentiam suam, & abduxit cogitationem à consuetudine, subtrahens se à contradicentibus turbis phantasmatum, ut inveniret quo lumine aspergeretur, cùm sine ulla dubitatione clamaret, incommutabile præferendum esse mutabili; unde nosset ipsum incommutabile, quod nisi aliquo modo nosset, nullo modo illud mutabili certo præponeret, ut perveniret ad id quod est in ictu trepidantis aspectus. Tum verò invisibilia tua, per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi.* Ex hoc naturæ magisterio, quo ratum est incommutabile præferendum esse mutabili, infert primò sanctus Pater innatam vel agnatam esse menti entis incommutabilis notitiam; infert secundò veritatem illam incommutabilem Deum esse, cùm corporibus, animabus, mentibus utpote mutabilibus superior sit. (Confess. l. 7. c. 17.)

Et ibidem: *Sic enim nitebar cætera invenire, ut jam inveneram melius esse incorruptibile quàm corruptibile, & ideo te quidquid esses, esse incorruptibilem confitebar. Neque enim ulla anima potuit poteritve cogitare aliquid quod sit te melius, &c. Ubi ergo videbam incorruptibile corruptibili esse præferendum, ibi te quærere debebam.* (Ibid. c. 4.) Hanc viam inveniendi Dei & olim Platonicos tenuisse, & ab ipsis se didicisse, iisque præeuntibus se quoque trivisse, testatur Augustinus locis Confessionum citatis. (Civit. l. 8. c. 6.) At rursus idem alibi: *Judicamus hæc secundùm illas interiores regulas veritatis, quas communiter cernimus; de ipsis verò nullo modo quis judicat. Cùm enim quis dixerit æterna temporalibus esse potiora, aut septem & tria decem esse, nemo dicit, ita esse debuisse; sed tantùm ita esse cognoscens, non examinator corrigit, sed tantùm lætatur inventor. Si autem esset æqualis mentibus nostris hæc veritas, mutabilis etiam ipsa esset. Mentes enim nostræ aliquando eam minus, aliquando plus vident, & ex hoc fatentur se esse mutabiles: cùm illa in se manens nec proficiat cum plus à nobis videtur, nec deficiat cum minus; sed integra & incorrupta & conversos lætificet lumine, & aversos puniat cæcitate, &c.* (L. 83. qq. q. 54. Delib. arb. l. 2. c. 12.) Sic ergo regularum incommutabilium, secundùm quas de omnibus & de ipsis nostris mentibus judicamus, veritatem Deum esse patet. Item opere jam tandem perfecto contra Julianum: *Omnia quæ facta sunt, mutabilia sunt, quia de nihilo facta sunt, id est, non fuerunt. Et Deo faciente sunt, & bona sunt; à bono enim facta sunt; nec omnino essent mutabilia ulla bona in quantum sunt, nisi esset à quo crearentur, immutabile bonum.* (L. 5. n. 60.) Sic ille infert mutabilia omnia ab incommutabili, quæcumque potuerunt non esse, ab eo qui non potuerit non esse necessariò manare; alioqui si semel non fuissent, nec unquam esse potuissent. Fulgentius: *Nec in iis quæ dividuntur, ipse dividitur; nec in iis quæ mutantur, ulla mutatione variatur. Nisi enim naturaliter incommutabilis ipse esset, nunquam in rebus mutabilibus ordo quidam consilii ac dispositionis ejus incommutabilis permaneret.* (L. de fide ad Petr. c. 3.) Ita ex mutabilium immutabili constantia elucescit incommutabilis conditoris existentia. Aelredus: *Videat ergo qui potest, credat qui videre non potest, Videat inquam, quia cum omnis creatura de nihilo sit facta, & mutabilis facta, naturali quodam suæ mutabilitatis impulsu semper ad id de quo facta est, id est ad nihilum vergit. Et revera perfacile est videre, omne quod natura mutabile est, quodam incommutabili indigere, ut non mutetur. Nullum siquidem mutabile in se habet incommutabilitatem, quantò minus alteri confert?* (Speculi Charitatis, L. 1. c. 13.) Ut fluxus ergo mutabilitatis cohibeatur tantisper, incommutabilis causæ retinaculo opus est.

II. Visum est secundò, primariam, ex qua pullulat immutabilitas Dei, radicem esse ejus unitatem. Tandiu enim sunt omnia, quandiu unum sunt; ergo unitas diuturnitatis & perennitatis parens est; ergo unitas quæ corruptionem ab aliis propulsat, incorrupta ipsa perstat. Author libri de Trinitate apud Tertullianum: *Quod immortale est, quidquid est, illud ipsum unum & simplex & semper est. Et ideo quia unum est, dissolvi non potest.* Origenes: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est, Non tantum numero unus designatur, qui utique supra omnem numerum esse credendus est; sed per hoc magis dici unus intelligendus est, quòd nunquam à semetipso alter efficitur, hoc est, nunquam mutatur, nunquam in aliud vertitur, &c. Tu autem idem ipse es, &c. Ego Deus, & non mutor. Immutabilis ergo est Deus, & per hoc unus dicitur, quòd non mutetur. Sic ergo & imitator Dei justus, qui ad imaginem Dei factus est, unus & ipse cum ad perfectionem venerit, appellatur, quia & ipse cum in virtutis summa constiterit,* (Hom. in c. 4. Regul.)

verit, non mutatur, sed unus permanet semper. Ea igitur est cognatio unitatis, & immutabilitatis. Sed aliter rem repetit Boethius libro de Unitate & Uno. Etenim ut omnium primum est unum, ita imum est materia, unde materia ipsa multitudo est; utque mutabilitatis origo est materia, quia multitudo est, ita immutabilitatis fons unitas est, quia unitas est; utque per varios gradus unitas & materia, ita incorruptibilitas & corruptibilitas dispensantur. Etenim spiritalia incorruptibilia sunt, quia materiam spiritalem tantùm & materiæ tantùm umbram sortita sunt, ideoque unitatem uberiorem assequuta sunt; corporalia ex adverso quantùm ab unitate desciscunt, & multitudini materiæ altiùs se immergunt, tantùm mutabilitati se infigunt. *Quia creator unus est, ideo rebus quas condidit, hoc in munere dedit, ut unaquæque esset etiam una. Ac per hoc ex quo res habet esse, una est, Ideo motus substantiarum est ad unum & propter unum. Unitas enim est quæ unit omnia, & tenet omnia, diffusa in omnibus quæ sunt. Quapropter quia materia non habet esse nisi per unionem sui cum forma, forma autem non tenet unitatem cum materia, nisi unitas sit; ideo materia eget unitate ad uniendum se, & de natura sua habet multiplicari, dividi & spargi; unitas verò retinet, unit & colligit; ac per hæc, ne materia dividatur & spargatur, necesse est ut ab unitate retineatur.* Et infrà: *Forma ergo existens in materia, est quæ perficit & custodit essentiam cujuslibet rei, unitas est descendens à prima unitate quæ creavit eam, &c. Sed quia omne creatum diversum est à quo creatum, profectò creata unitas à creante omnino diversa esse debuit, & quasi opposita. Sed quia creatrix unitas non habet principium, neque finem, neque permutationem, nec diversitatem; ideo creatæ unitati accidit multiplicitas, diversitas & immutabilitas.* Et paulò pòst: *Quanto unaquæque unitas propinquior fuerit primæ & veræ unitati, tanto materia formata per illam erit magis una & simplex; & è converso quantò remotior fuerit à prima unitate, tantò erit multiplicior, & compositior. Ex hoc unitas quæ duxit ad esse materiam intelligentiæ, est magis una & simplex, & non multiplex, nec divisibilis essentialiter: sed si divisibilis est, hoc accidentaliter est, & ideo hæc unitas simplicior & magis una est cæteris unitatibus, quæ ducunt ad esse cæteras substantias, eò quod immediatè adhæret primæ unitati quæ creavit eam. Sed quia unitas subsistens in materia intelligentiæ est unitas simplicitatis, ideo necessario unitas subsistens in materia animæ quæ infra eam est, crescit & multiplicatur, & accidit ei mutatio & diversitas; & sic paulatim descendendo à superiori per unum gradum materiæ, inferior unitas augetur & multiplicatur, quousque perveniatur ad materiam quæ sustinet quantitatem, &c.* Sic ille demonstrat unitatem & immutabilitatem per eosdem gradus à summo ad imum dispensari, & descendendo extenuari paulatim, & ex contagione materiæ obscurari, donec ad materiam usque corporalem deveniatur, quæ ut extrema est ab unitate defectio, ita totius mutabilitatis est scaturigo.

III. Visum est 3. radicem immutabilitatis Dei esse ejus bonitatem. Summum enim bonum nec in melius mutari potest, quia ipso nihil melius; nec in deterius, quia item ipso nihil melius; esset autem melius quod immutabilius. Augustinus: *Quidquid ergo & à meliore in deterius, & à deteriore in melius moritur, non est hoc Deus; quia neque in melius ire potest summa bonitas, neque in deterius vera æternitas.* (In Evang. Joan. Tract. 21.) 2. Melius aliquid ipso bono, & superius summo bono esset, nisi illud incommutabile esset. Augustinus: *Neque ulla anima unquam potuit poteritve cogitare aliquid quod sit te melius, qui summum & optimum bonum es. Cùm autem verissimè atque certissimè incorruptibile corruptibili præponatur, sicut jam ego proponebam, poteram jam cogitatione aliquid attingere quod esset melius Deo meo, nisi tu esses incorruptibilis.* (Confess. l. 7. c. 4.) 3. Ideo corrumpuntur quæcumque corrumpuntur, quia bona sunt, nec tamen summa bona sunt; si enim bona non essent, nullo bono possent privari, ideo nec corrumpi; si autem summa bona essent, bonum omne suum ita obtinerent, ut expugnari extorquerique ipsis non posset. Augustinus: *Et manifestatum est mihi, quoniam bona sunt quæ corrumpuntur; quæ neque corrumpi possent, si summa bona essent; neque nisi bona essent, corrumpi possent. Quia si summa bona essent, incorruptibilia essent; si autem nulla bona essent, quod in eis corrumperetur, non esset.* (Confess. L. 7. c. 12.) 4. Tantùm & tandiu res quælibet est, quantùm & quandiu bona est; ut ergo ex afflatu mali corruptibilis est, & ex victoria mali corrumpitur; ita ex afflatu boni non corrumpitur, & ex victoria tandem boni incorruptibilis evadit. Author operis imperfecti in Matthæum: *Malum perdere potest; sed non ipsum malum perdit rem. Sed de illa re in qua est malum, subtrahit se bonum, propter inhabitans malum in ea, & sic bono recedente res vadit ad nihilum. Ergo res in qua solum bonum est, viva & immortalis est; in qua autem & bonum & malum habitat, vivit quidem, tamen pro tempore propter inhabitans bonum, moritur autem propter inhabitans malum, & est res mortalis sicut homo,* (Hom. 41.) Sic ergo iisdem gradibus bonum & incorruptibilitas, malum & corruptibilitas dispensatur. 5. Summum bonum summa idem & sibi & aliis beatitudo est; at beatitudo non est nisi immortalitas & incorruptibilitas; quæcumque enim demum mutatio, miseriæ argumentum est, seu præteritæ si in melius, seu futuræ si in deterius mutatio facta est. Lactantius de falsa sapientia: *Meritò ergo Philosophorum non obscurus Euclides, dissentiens à cæteris, id esse summum bonum dixit, quod simile sit & idem semper. Intellexit profectò quæ sit natura summi boni, licet id non explicaverit, quid sit; id est autem immortalitas, nec aliud omnino quidquam; quia sola nec imminui, nec augeri, nec immutari potest.* (L. 2. c. 11.) Et infrà: *Epicurus Deum beatum vocat, quia incorruptus, & quia sempiternus est. Beatitudo enim perfecta esse debet, ut nihil sit quod eam vexare, aut minuere, aut immutare possit, nec aliter quicquam existimari beatum potest, nisi fuerit incorruptum.* Quàm immutabile ergo sibi est summum bonum, quod ex sola suæ beatitudinis aura ipsis etiam mutabilibus naturis sempiternam incorruptionem aspirat?

IV. Visum est 4. radicem immutabilitatis esse ipsum esse Dei. 1. Quod enim mutari potest, potest quod fuerat non esse; aut quod non fuerat, esse; aliquid ergo non entis vel succedere potest, vel præcedere; at in ipso esse nihil non entis esse potest. Augustinus: *Quod mutatur, non servat ipsum esse; & quod mutari potest, etiamsi non mutetur, potest quod fuerat, non esse; ac per hoc illud solum quod non solum non mutatur, verum etiam mutari omnino non potest, sine scrupulo occurrit, quod verissimè dicatur esse.* (De Trinit. l. 5. c. 2.) 2. Quod mutatur, à contrario mutatur; at enti contrarium non est nisi non ens, quod mutare non potest; nec ergo ens mutari. Augustinus: *Qui est misit me ad vos. Ex quo jam spiritualibus animis patere confido, nullam naturam Deo esse posse contrariam. Si enim ille est, & de solo Deo propriè dici potest hoc verbum: quod enim verè est, incommutabiliter manet; quoniam quod mutatur, fuit aliquid quod jam non est, & erit quod nondum est; nihil ergo habet Deus contrarium. Si enim quæreretur à nobis quid esset albo contrarium, responderemus nigrum, &c. cum autem quæritur quid sit contrarium ei quod est, rectè respondetur, quod non est.* (De fide & Sym. c. 4.) Ipsum esse non potest non esse, ut lux non lucere; at quod mutatur, potest vel ex parte vel ex toto, imo ex toto quia ex parte non esse. Author tractatus de eo, Ego sum

qui sum, ad calcem tomi VI. operum Augustini: *Esse, nomen est immutabilitatis. Omnia enim quæ mutantur, desinunt esse quod erant, & incipiunt esse quod non erant. Esse verum, esse sincerum, esse germanum non habet, nisi qui non mutatur. Ille habet esse cui dicitur, Mutabis ea & mutabuntur, tu autem idem ipse es. Quid est, Ego sum qui sum, nisi æternus sum? Quid est, Ego sum qui sum, nisi mutari non possum?* 4. Mutatio qua fit ut aliquid aliàs alio modo sit, impetus quidam est quo tandem fiet ut omnino non sit. At ipsum ens non potest non esse, ergo nec aliàs alio modo potest esse. Alia entia precariò sunt, ut enim mutentur & corruant, in alterius potestate sunt; at ipsum ens & necessariò est, & necessariò ac independenter est id quod est. Gregorius Nyssenus: *Mihi videtur magnus ille Moyses ea in visione didicisse, nihil earum rerum quæ aut sensu comprehenduntur, aut mente perspiciuntur, præter summam essentiam, quæ omnium causa est, & à qua omnia dependent, verè subsistere. In nullo enim cæterorum independentia perspici potest, ita quod absque participatione veri entis possit esse. Solum id quod eodem modo semper se habet, nunquam augetur, nunquam minuitur, æqualiter ad omnem mutationem tam ad pejus quàm ad melius, immutabile pejus enim ibi aut malum non est; melius vero inveniri non potest. Quare solum nulla re alia indiget, & solius cuncta indigent.* 5. Mutabilitas ut non entis non sit contubernium, certè confinium est; ergo ens summum ut ab non ente est semotissimum, ita à non entis vicinia seu à mutabilitate longè abest. Gregorius Magnus: *Ego sum qui sum; &, Qui est misit me ad vos, solus quippe veraciter est, qui solus incommutabiliter permanet. Nam omne quod modo sic, modo aliter est, juxta non esse est; permanere enim in statu suo non potest. Atque aliquo modo ad non esse itur, dum ab eo quod fuerat, semper ad aliud per momenta temporum ducitur.* Ad hunc ergo modum ens quia merum ens est, nulla non entis societate inquinatum; quia necessarium, necessariò enim est & est id quod est; quia independens, ideoque nulli causæ vel corrumpenti obnoxium; quia totum, ideoque nec profectui nec defectui ulli patens; quia summum, ideoque à non entis etiam vicinia remotissimum; quia contrario carens, & ab hoste suo non ente nihil reformidans, his aliisque nominibus immutabile est.

L. de vita Moysis.

Moral. l. 18. c. 28.

V. Visum est 5. radicem immutabilitatis esse veritatem & sapientiam. 1. Siquidem sapientia mutari nequit, nisi crescendo vel descrescendo. At ipsa per se sapientia nec incrementum capere potest, quia tota est; nec decrementum, quia insipientiæ tam impatiens est quàm lux tenebrarum. Origenes: *Nulla natura est, quæ non recipiat bonum & malum, excepta Dei natura, quæ bonorum omnium fons est, & Christi sapientia. Sapientiæ enim fons est, & sapientia utique stultitiam recipere non potest; & justitia est quæ nunquam profectò injustitiam capiet; & Verbum est vel ratio, quæ utique fieri irrationalis non potest; sed & lux est, & lucem certum est quod tenebræ non comprehendant.* Alexander Alexandriæ Episcopus in Epistola quam refert Theodoretus: *Ipse quidem (Verbum Deus) immutabilis est naturæ, perfectus & nullius rei indigens; hi vero cùm in utramque partem verti possint, illius indigent auxilio. Quid enim est in quo proficere queat sapientia Dei? aut quod potest ipsa veritas amplius adsumere, vel Deus ratio? Quomodo melior effici potest vita, aut lux vera? Quod si ita habet, quanto magis repugnat naturæ, ut stultitiæ aliquando capax sit sapientia?* Formæ ergo istæ sapientia, ratio, &c. non aliis rerum generibus inquinari possunt, quia simplices sunt; nec in suo genere augescere, vel decrescere possunt, quia totæ sunt. 2. Quidquid mutatur ex uno in aliud, & jam aliud, & aliud est, id verum non est, sed adulterinum, & suppositium. Quod verum est, idem semper est; quod varios vultus induit, id subdolum & mendax est. Quidquid mutatur, simile veri est, non verum; ideo enim mutatio instituta est in rerum natura, ut res infimæ veritatem quam assequi non possunt, ementirentur; & alias aliasque experirentur formas, quasi periclitabundæ quænam earum veritati propior esset. Ex fastidio itaque verisimilitudinis & ex desiderio ipsius veritatis tota ebulliit rerum infimarum mutabilitas. In ipsa ergo veritate, summa regnat immutabilitas; unde & naturæ omnes quo veritati sunt propiores, eo à mutatione alieniores; quo autem in regionem dissimilitudinis longiùs amandatæ, eo suæ sortis magis impatientes sunt, & veritatem quam una satis non possunt, pluribus saltem formis ementiri & simulare impotentiùs ambiunt. Athanasius contra Arianos disputatione 2. *Quod enim mutatur alteraturque, neque in uno & eodem habitu consistit, quomodo id verum extiterit? Dominus autem dicit, Ego sum veritas. Si igitur Dominus de seipso hoc dicit, suam immutabilitatem ostendit.* Sic ille Verbum incommutabile esse probat, quia veritas est. Verum enim non est, sed veri ludibrium & fucus, quidquid mutabilitate sua apparet magis esse quàm est, & inter ens & non ens versatiliter alternans, modò illud, modò aliud est; modò est, modò nòn est; & cum maximè stare videtur, fugit, & intuentis oculum ludificat, manum frustratur captantis. 3. Nulli non perspicuum est incommutabilem esse veritatem numerorum, quod duo & duo sint quatuor, quod tria & quatuor sint septem, & alia partim in propatulo, partim in penetrali posita numerorum multiplicandorum, dividendorum & comparandorum miracula. Incommutabilem item esse veritatem regularum sapientiæ, quod virtus vitio præponatur, huic supplicium, illi præmium proponatur, & alia innumera virtutum lumina, quorum veritas incommutabiliter eadem semper fuit, est, eritque nec potest non esse aut aliter esse. Hinc est enim quod eam nos non quasi excogitando fingimus, sed nobis antiquiorem & invariabilem invenimus. Hinc est quod non de illa, sed secundùm illam de reliquis omnibus judicamus, ut scilicet judicium nostrûm commutabile incommutabili fundamento superstruatur. Hinc est quod illam utpote incommutabilem mente nostra mutabili superiorem suspicimus & veneramur. Augustinus: *Jam verò numeri disciplina cuilibet tardissimo clarum est quod non sit ab hominibus instituta, sed potius indagata atque inventa. Non enim sicut primam syllabam Italiæ quam brevem pronunciaverunt veteres, voluit Virgilius & longa facta est; ita quisquam potest efficere cum voluerit, ut ter terna aut non sint novem, aut non possint efficere quadratam figuram, aut non ad ternarium numerum tripla sint, ad senarium sescupla, ad nullum dupla, quia* intelligibiles numeri semisem non habent. Sive ergo in seipsis considerentur, sive ad figurarum aut sonorum, aliarumve motionum leges numeri adhibeantur, incommutabiles regulas habent, neque ullo modo ab hominibus institutas, sed ingeniosorum sagacitate compertas.* Sic ille docet numerorum incommutabilem esse veritatem quia veritas est; veritas enim quæ semel est, eadem eodemque modo invariata semper est, erit, fuit; omnis enim mutatio falsitatis afflatus est. Et libro 2. de Libero Arbitrio, cum multa præmisisset exempla regularum sapientiæ, ut justè esse vivendum, deteriora melioribus esse subdenda, propria cuique esse tribuenda, &c. *Quàm ergo veræ atque incommutabiles sunt regulæ numerorum, quorum rationem atque veritatem incommutabiliter atque communiter omnibus eam cernentibus præsto esse dixisti, tam sunt veræ atque incommutabiles regulæ sapientiæ, de quibus paucis nunc sigillatim interrogatus respondisti esse veras atque manifestas, easque omnibus qui hæc intueri valent, communes ad contemplandum adesse concedis.* Veritas ergo sive numerorum quibus sensi-

L. 1. Periarchon. c. 8.

Eccl. Hist. L. 1. c. 3.

De Doctr. Christ. c. 38.

* impares.

Cap. 10.

sensibiles, sive sapientiæ regularum quibus rationales creaturæ omnes aguntur & gubernantur, incommutabilis est, ut ab immobili cardine nectantur, & agantur mobiles omnes sive naturæ, sive mentes, sive in essendo, sive in judicando. 4. Cùm mentes omnes mutabiles sint, & à veritate aberrare possint: ubi ab errore suo resipiscunt, ab invariabili eadem veritate recolligantur necesse est. Si enim & ipsa æquè mutabilis esset, & vanescere posset, frustra illæ ab erroribus suis se revocarent, ut cum errante veritate iterum exerrarent. Augustinus: *Vivit apud te semper bonum nostrum, & quia inde aversi sumus, perversi sumus. Revertamur jam Domine, ut non evertamur. Quia vivit apud te sine ullo defectu bonum nostrum, quod tu ipse es; & non timebimus ne non sit, quo redeamus quia nos inde ruimus: nobis autem absentibus non ruit domus nostra, æternitas tua.* Confess. L. 4. c. ult.

VI. Visum est 6. radicem immutabilitatis esse ipsam Dei pulcritudinem. 1. Quia pulcritudo non aliud est quàm summa & incommutabilis veritas, illa enim forma formarum est, unde omnis forma fluit & formositas. Augustinus: *Anne ipse (Cicero) sentiebat esse formam & pulcritudinem incorpoream veritati, qua ipse animus informatur, & per quam omnia sapientis facta pulcra esse judicamus; ut verissimè dixerit, quod Deum pulcherrima speciε deceat esse, quia nihil est pulcrius ipsa intelligibili atque incommutabili veritate?* Epist. 56. 2. At pulcritudine sensibilium ad intelligibilem, ab hac ad divinam gradatim consurgit quisquis per visibilia ad invisibilia Dei intelligenda assurgit. At id quod in sensibili vel intelligibili pulcritudine sistere prohibet, & ulteriùs gradum moliri compellit, ipsa maximè est creatæ pulcritudinis mutabilitas, increatæ solius immutabilitas. In lubrico enim & mobili nihil consistit; in immobili stat quidquid constat. Summa pulcritudo non est, quæ mutabilis est: ipsa enim mutabilitas turpitudo quædam est, & totius venustatis corruptela. Quisquis ergo scandit ab imis ad summos pulcritudinis gradus, ad summum apicem non pertinget, donec ipsum contingat incommutabiliter pulcrum. Augustinus: *Quærens enim unde approbarem pulcritudinem corporum sive cœlestium sive terrestrium; & quid mihi præsto esset integrè de mutabilibus judicanti, & dicenti, hoc ita esse debet, illud non ita; hoc ergo quærens unde judicarem cum ita judicarem, inveneram incommutabilem & veram veritatis æternitatem, supra mentem meam commutabilem.* Confess. L. 7. c. 17. Ex comparatione ergo incommutabilis pulcritudinis quæ mentis oculo occursat, vel semper præsto est, mutabiles pulcritudines judicamus, & vel improbamus vel approbamus, prout ad illam alludunt vel abludunt. Et alibi idem: *Nulla est pulcritudo corporalis, sive in statu corporis, sicut est figura, sive in motu, sicut est cantilena, de qua non animus judicet. Quod profectò non posset, nisi melior in illo esset hæc species, sine tumore molis, sine strepitu vocis, sine spatio vel loci vel temporis. Sed ibi quoque nisi mutabilis esset, non alius alio melius de specie sensibili judicaret. Unde ingeniosi, & docti, & in his exercitati homines (Platonici) facilè collegerunt non esse in eis rebus primam speciem, ubi mutabile esse convincitur. Cùm igitur in eorum conspectu corpus & animus magis minusque speciosa essent, & si omni specie carere possent, omnino nulla essent, viderunt esse aliquid ubi prima esset incommutabilis species, & ideo nec comparabilis, atque ibi esse rerum principium rectissimè crediderunt, quod factum non esset, & ex quo facta cuncta essent.* Civ. l. 8. c. 6. Non pervenitur ergo ad veram & germanam pulcritudinem, in qua mentis & amoris intentio sistatur, nisi ad incommutabilem pertingatur. 3. Pulcritudo omnis numerus quidam est & ratio & æqualitas; at hæc omnia de genere incommutabilium sunt. Invariabilis est enim natura & numeri, & rationis, & æqualitatis, & eodem semper modo se habens. Quòd autem pulcritudo in iis sita sit, abundè claret percurrenti pulcra omnia, quibus vel externi sensus, vel interni oblectantur. Augustinus: *Hæc igitur pulcra numero placent, in quo jam ostendimus æqualitatem appeti. Non enim hoc tantum in ea pulcritudine quæ ad aures pertinet, atque in motu corporum est, invenitur, sed in ipsis etiam visibilibus formis, in quibus jam usitatius dicitur pulcritudo. An aliud quam æqualitatem numerosam esse arbitraris, cum paria paribus bina membra respondent, quæ autem singula sunt, medium locum tenent; ut ad ea de utraque parte paria intervalla serventur?* De Musica. L. 6. c. 13. Et alibi: *Unde ipsi architecti jam suo verbo rationem istam vocant, & partes discorditer collocatas dicunt non habere rationem.* De Ordin. L. 2. c. 11. Omnis igitur pulcritudo ratio & numerus quidam est; intima pulcritudo ut pulcritudinis umbra tantùm est, ita rationis & numeri atque adeo incommutabilitatis adumbratio tantùm est; summa pulcritudo immutabilis est, quia summa ratio & summus numerus est, vel numerorum potiùs apex. 4. Pulcritudo omnis ad unitatem quandam collineat; iidemque sunt pulcritudinis & unitatis gradus, vel augescentes, vel descrescentes. Ergo summa pulcritudo summa unitas est, ideoque summa incommutabilitas. Augustinus: *Cùm in omnibus artibus convenientia placeat, qua una salva & pulcra sunt omnia: ipsa verò convenientia æqualitatem unitatemque appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium; quis est qui summam æqualitatem, vel similitudinem in corporibus inveniat, audeatque dicere cum diligenter consideraverit quodlibet corpus, verè ac simpliciter unum esse? Cùm omnia vel de specie in speciem, vel de loco in locum transeunda mutentur, & partibus constent sua loca obtinentibus, per quæ in spatia diversa dividuntur. Porrò ipsa vera æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera & prima unitas non oculis carnis, neque ullo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Unde enim in corporibus qualiscumque appeteretur æqualitas, aut unde convinceretur longè plurimum differre à perfecta, nisi ea quæ perfecta est, mente videretur? Si tamen quæ facta non est, perfecta dicenda est. Et cum omnia quæ sensibiliter pulcra sunt, sive natura edita, sive artibus elaborata, locis & temporibus sint pulcra, ut corpus & corporis motus; illa æqualitas & unitas menti tantummodo cognita, secundum quam de corporea pulcritudine sensu internumero judicatur, nec loco tumida est, nec mutabilis tempore.* De vera relig. c. 30. Sic Augustinus exponit pulcritudinem omnem in aliqua vel unitate, vel unitatis affectatione locatam esse: res creatas autem quia locis & temporibus mutantur, & multiplicantur, eoque ab unitate & immutabilitate elongantur, à germana etiam pulcritudine elongari; at ipsam summam unitatem cui omnia comparantes, magis vel minùs pulcra, quia magis vel minùs una & æqualia æstimamus, summam esse pulcritudinem nec loco nec tempore mutabilem. Et ibidem: *Quæram, quare sint pulcra? Et si titubabitur, subjiciam utrum ideo quia similes sibi partes sunt, & aliqua copulatione ad unam convenientiam rediguntur? Quod cum ita esse compererit, interrogabo utrum ipsam hanc unitatem quam convincuntur appetere, summè impleant, an longè infra jaceant, & eam quodammodo mentiantur? Quod si ita est, quis non admonitus videat, neque ullam speciem, neque ullum omnino esse corpus, quod non habeat unitatis qualecumque vestigium; neque quamtumvis pulcherrimum corpus cum intervallis locorum necessariò aliud alibi habeat, posse assequi eam, quam sequitur unitatem? &c.* Ibid. c. 32.

VII. Minùs mirum autem, si ex his quinque, uno, bono, ente, vero, pulcro, immutabilitatem derivavimus, cùm tota mutabilitatis sentina, materia inquam ex adverso sit quodammodo ipsa multitudo, malum, non ens, falsum, turpe; his enim elogiis illam ejus indagatores Philosophi honesta-

nestarunt. Hujus tam infaustæ sortis adjuncta est illi mutabilitas, levamen potiùs quàm gravamen; ex impatientia enim sui exilii tantæque à summo uno & bono longinquitatis & dissimilitudinis, exagitari & furere, in omnem partem & in omnem modum mutari & nusquam quiescere; meliora ubi non datur invadere, ementiri saltem & simulare; bona quæ adipisci non obtingit, suspirare saltem & æmulari; mala quæ excutere penitùs non licet, irrequieta saltem mutabilitate occulere & alternare; quo pertingere nefas est, conari saltem & eluctari, id verò solatium ex mutabilitate percipitur non mediocre. Quod summum est, omnia incommutabiliter est; quod imum est, ut omnia sit mutabilitate sua assequitur vel enititur. Quod summum est, cùm quo proficiat non sit, incommutabile manet; quod imum est, ut proficere possit, mutabile est, nec manet. Quod summum est, suæ beatitudinis origo sibi immutabilis est; quod imum est, suæ in melius provectionis, sua sibi mutabilitate author & parens est. Quin imò quod imum est, suæ quandoque mutabilitatis beneficio incommutabilitatem adipiscitur; ut hinc liqueat mutabilitatem & homini & toti naturæ ab optimo parente Deo vel ad hoc indultam, vel cùm sponte inesset, ad hoc deflexam, ut imitandæ & tandem consequendæ pro modo suo immutabili-

De perfecta Christiani forma. tati inserviret. Gregorius Nyssenus: *Nunc autem pulcherrimum motionis opus est, ipsum in bonis incrementum, ipsa in melius alteratione semper ad id quod divinius est, transferente fœliciter alteratum Mutabilitas ergo naturæ nostræ quæ reformidanda videbatur, alæ instar est, qua ad majora evolemus; adeo ut damno futurum fuerit, si mutationem in melius suscipere non possemus. Ne quis igitur mutabilitatem naturæ inspiciens conqueratur; sed sese in melius continenter convertens, & de gloria in gloriam transferens, quotidianis incrementis ita vertatur, ut in dies melior & perfectior fiat.* Ita igitur infima natura mutabilitatis tanquam alæ adjumento ad meliora & ad ipsam incorruptibilitatem eluctatur.

VIII. Visum est 7. radicem incommutabilitatis peti posse ex eo quòd Deus vel sua ipse sibi origo causaque sit, vel potiùs quòd omni careat origine. Quòd enim sua sibi Deus origo sit, quòd se ipse genuerit, suaque voluntate ut causa & parente sit id quod est, & sit quod vult esse, & quia vult esse; ideoque immutabilis sit, quia sibi soli obnoxius est, per sese est, nec se unquam potest deserere; quòd inquam hoc ita habeat, etsi valdè inauditum & insolens videri non immeritò possit, nonnullis tamen visum est ita loqui, ut jam suprà monui. Synesius hymno III. ita Deum compellat, *Pater, omnium Pater tui ipsius αὐτοπάτωρ, antè Pater, sine patre,* (προπάτωρ ἀπάτωρ,

L. 1. de falsa relig. c. 7. *fili tui ipsius,* (υἱὲ σεαυτοῦ) *unitas unitate prior, &c.* Lactantius: *Quia fieri non potest quin id quod sit, aliquando esse cœperit, consequens est ut quando ante illum nihil fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus. Ideoque ab Apolline αὐτοφυὴς, à Sibylla αὐτογενὴς & ἀγέννητος & ἀποίητος nominatur. Quod Seneca vir acutus in exhortationibus vidit. Nos inquit aliunde pendemus, itaque ad aliquem respicimus, cui quod est optimum in nobis debeamus. Alius nos edidit, alius instruxit. Deus*

L. 2. de Origine error. c. 9 *ipse se fecit.* Et alibi; *Solus Deus est qui factus non est, & ideo destruere alia potest, ipse destrui non potest. Permanebit in eo semper quod fuit; quia non est aliunde generatus nec ortus, nec nativitas ejus ex aliqua re alia pendet, quæ illum mutata dissolvat. Ex seipso est, ut in primo diximus libro: & ideo talis est, qualem se esse voluit, impatibilis, immutabilis, incorruptus, beatus, æternus.* Ex his liquet nec Christianas aures penitus insolentes esse hujus doctrinæ, quòd Deus ex seipso sit, ex seipso sit procreatus, ipse se fecerit, talis sit qualem se esse voluit, ideoque incorruptibilis sit. Quin imò videri possit nec Augustinum ab hoc philosophandi genere abhorruisse:

Nullo prorsus modo violat corruptio Deum nostrum, Confession. L. 7. c. 4.
nulla voluntate, nulla necessitate, nullo casu, quoniam ipse est Deus, & quod sibi vult, bonum est, & ipse est idem bonum, corrumpi autem non est bonum. Sed & hæc verba possunt in alium planiorem sensum duci, & totum hoc genus philosophandi prætermitti, authore maximè Augusti-

no: *Qui putat ejus esse potentiæ Deum, ut seipsum* L. 1. de Trinit. c. 1.
ipse genuerit, eò plus errat, quòd non solum Deus ita non est, sed nec spiritalis nec corporalis creatura. Nulla enim omnino res est, quæ seipsam gignat ut sit. Quod ergo Lactantius minùs castigatè, quod Seneca, Plotinus alique Philosophi dixerunt audaciùs quàm veriùs, mirabiliùs quàm credibiliùs, ad verborum magis admirationem & affectatam novitatem, quàm ad accuratam Theologiæ rationem de Deo seipsum gignente, seipsum faciente & procreante, vitanda magis sunt, ut insolenter, quàm sectanda ut audacter atque sublimiter dicta.

IX. Vis tamen eadem constat argumentationi, si Deus non jam ut se gignens, sed ut ingenitus spectetur. Quod enim creatum est, ut mutatione cepit esse, ita infaustum mutabilitatis omen invexit in suum esse; ut auspicatum est, ita perget; tamque in progressu quàm in ingressu mutari poterit. Item quod creatum est, alienæ potestati obnoxium est, ejusque nutu ut potuit creari, ita poterit deleri. Denique quod creatum est, portionem totius entis modicam à causa dispensante & admetiente sibi nactum est, mutari ergo poterit vel acquirendo quod deest, vel deperdendo quod adest entis. Quod autem ingenitum est, ob contrarias planè rationes immutabile est, Author libri de Trinitate apud Tertullianum: *Incrementa originem monstrant, & detrimenta mortem atque interitum probant. Et ideo, Ego ait sum Deus & non sum mutatus; statum suum tenens semper, dum id quod natum non est, converti non potest.* Et infrà: *Quod natum non est, mutari non potest; ea enim sola in conversionem veniunt, quæcumque fiunt, vel quæcumque gignuntur, dum quæ aliquando non fuerant, discunt esse nascendo, atque ideo nascendo converti.* Ita ille declarat, quæcumque nascuntur, mutabilitatem nascendo didicisse, minúsque mirum si postea mutationem tam crebram exerceant, cujus rudimenta tam maturè posuerunt. Hilarius:

Manet itaque ut est semper Deus, nec profectu I. 11. de Trinit.
eget: quia id quod est, ex se ac sibi semper est. Et idem alibi: *Deus beatus atque perfectus profectu non eget, cui nihil deest; demutatione non no-*

vus est, qui origine caret. Ipse est, qui quod est, In Psal. 4
non aliunde est, in sese est; secum est, ad se est, suus sibi est, & ipse sibi omnia est, carens omni demutatione novitatis. Qui nihil aliud quod in se posset incidere, per id quod ipse sibi totum totus est, reliquit. Juxta hæc igitur aurea planè Hilarii verba, indemutabilis Deus est, quia origine caret. A quo enim quis mutatur, ab eo saltem ex parte aliqua originem ducit. Quia ingenitus & nunquam novus est; quod autem mutatur, innovatur. Quia fons & vena essendi ipse sibi est; quod autem mutatur, aliunde aliquid sibi influere patitur. Quia ipse sibi totum & omnia est, nihil ergo extra se reliquit, quo tanquam adventitio demutetur. Ad hanc autem Hilarii sententiam revocandus est La-

ctantius, ut suadent hæc ejus verba, *Consideremus* De ira Dei. L. 1. c. 15.
divinam necessitatem. Nolo enim naturam dicere, quia Deus noster nunquam creditur natus. Quo loco docens Deum iisdem affectibus non mutari atque homines, divinam mavult appellare necessitatem quàm naturam, quia Deus nunquam natus est; opponit autem naturæ necessitatem; quod enim natum non est, mutabile est; quod autem natum non est, necessarium & indemutabile est, ideoque nullis affectibus perturbabile.

X. Vi-

X. Visum est denique alia quædam suppetere argumenta immutabilitatis divinæ, puta sufficientiam, identitatem, æternitatem, immortalitatem, sed quæ tamen immutabilitatis radices dici haudquaquam possunt. Nam æternitas rivulus potius est quam fons immutabilitatis. Identitas & immortalitas idem planè sunt cum immutabilitate. Sufficientia radix quidem immutabilitatis est, sed idem planè cum uno, bono, ingenito. Augustinus: *Sibi sufficit incommutabiliter idipsum, copio-* (Confess. l. 11. c. 11.) *sa unitatis magnitudine*. Quo nil brevius, nil magnificentius dici potuit, & ex quo liquet incommutabilitatem sufficientiæ cohærere; sufficientiam scaturire ex unitate, unitate enim nihil copiosius, nihil opulentius. Hilarius: *Quod si Deus cui* (De Trinit. L. 11.) *non aliunde est, quod Deus semper est, profectum habeat ut plus sit aliquando, non potest tamen ad id pervenire, ne sibi nihil desit; quia cui naturæ profectus est reliquus, nunquam intelligitur sine aliquo incremento residuo profecisse, cum natura ad profectum spectans, proficiens licet semper, semper tamen pateat ad profectum. Quod autem in plenitudine perfecta manet, semperque est, non sibi relinquit ut plenius sit, quia acceptionem plenitudinis plenioris perfecta plenitudo non captat.* Ubi immutabilitatis causa in plenitudinem & sufficientiam refunditur, plenitudo autem deducitur ex eo quòd Deus non aliunde, sed à seipso sit. 2. Æternitatem autem ut causam immutabilitatis assignarunt nonnunquam Patres, sed ut causam ejus potiùs intelligendæ. Idem Hilarius: *Nihil ante est,* (Ibidem.) *nihil aliunde, nihil extra est. Quo igitur caret plenitudinis profectu, ut per tempus adhuc Deus omnia in omnibus sit? vel unde sumet, extra quem nihil est? nihil autem ita, ut semper ipse sit. Et qui ipse semper est, extra quem nihil est, quo incremento explendus est, vel quo augmento demutandus est, dicens, Ego sum, & non demutor? Cum non relinquatur vel ad demutationem locus, vel ad profectum causa, vel ad æternitatem anterius, vel ad Deum aliud, præterquam Deus ipse est.* Sic ille probat Deum immutabilem, quia nihil ante est, nihil aliunde, nihil extra, id est, quia est æternus, independens, plenissimus.

XI. 3. Quòd identitas idem sit atque incommutabilitas, liquet ex illo Psalmi, Mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es. In quem locum (De divin. Nomin. c. 9. n. 4.) Gregorius Papa: *Tu autem idem ipse es, homo namque etsi ipse sit, non tamen idem est; quia hoc ex suæ mortalitatis corruptione accepit, ut in eodem statu diu permanere non possit.* Sed in quo consistat idipsum Dei, luculentissimè exponit Dionysius, ubi & omnes ferè hactenus indigitatos immutabilitatis fontes perlustrat, & in identitatem derivat. *Idipsum autem supersubstantialiter æternum, inconvertibile, in seipso manens, semper eodem modo & similiter se habens, omnibus similiter præsens, & ipsum per se in seipso stabiliter & impermixtè in pulcherrimis finibus supersubstantialis identitatis locatum, incommutabile, lapsus expers, permanens, invariabile, immixtum, immateriale, simplicissimum, non indigens, non augescens, non imminutum, ingenitum, non tanquam nondum factum, vel imperfectum, aut ab hoc vel illud nondum factum, neque tanquam nullo modo existens; sed tanquam omnino ingenitum, & absolutè ingenitum, & semper existens, & per se perfectum, & idipsum existens per seipsum, & a seipso uniformiter & identicè definitum, & identitatem à seipso omnibus participare valentibus irradians, & alia aliis coordinans, exuberantia & causa identitatis, in seipso etiam contraria ipsa identicè præhabens, secundum solam unamque causam supereminentem identitatis.* Sic ille pulcherrimis coloribus divinam illuminat identitatem, omnesque illi annectit immutabilitatis causas, æternitatem, ingenitum, simplicitatem, &c.

XII. 4. Immortalitas saltem absoluta suis omnibus numeris idem est atque incommutabilitas. Omnis enim mutatio portio quædam & aura mortis est; moritur enim illud, quidquid deperit; & totum de quo aliquid deperit, quasi membratim & minutatim moritur, assuescitque longam discere mortem. Quot ergo mutationes sunt, tot mortis rudimenta sunt. (De Trinit. L. 1. c. 1.) Augustinus: *Illud quod ait Apostolus, Qui solus habet immortalitatem, cum & anima modo quodam immortalis esse dicatur & sit; non diceret, solus habet, nisi quia vera immortalitas incommutabilitas est quam nulla potest habere creatura, quoniam solius est creatoris.* Et Gregorius: *Omnis namque* (Moral. l. 25. c. 4.) *immutatio velut quædam mortis imitatio est. Id enim quod mutat, quasi ab eo quod erat interficit, ut desinat esse quod fuit, & incipiat esse quod non fuit.* Ubi acutè advertit Gregorius quamlibet mutationem plusquam portionem esse mortis; quod enim mutatur, jam non idem est atque erat; illud ergo quod priùs erat, interiit, & aliud in ejus locum successit. Quod eleganter expressit Bernardus: *Immortalis est anima, & in hoc nihilominus* (In Cant. Serm. 81.) *Verbo similis quidem, sed non æqualis. Nam in tantum superexcellit immortalitas Deitatis, ut Apostolus dicat de Deo, Qui solus habet immortalitatem. Quod ego reor pro eo dictum, quod solus sit natura incommutabilis Deus, qui ait, Ego Dominus, & non mutor. Vera namque & integra immortalitas tam non recipit mutationem, quàm nec finem; quod omnis mutatio quædam mortis imitatio sit. Omne enim quod mutatur, dum de uno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est moriatur quod est, ubi esse incipiat quod non est. Quod si tot mortes, quot mutationes, ubi immortalitas?* Author libri de Trinitate apud Tertullianum: *Sui semper est similis, nec se unquam in aliquas formas vertit, aut mutat, ne per immutationem etiam mortalis esse videatur. Immutatio enim conversionis, portio cujusdam comprehenditur mortis.* Et infrà: *Immutatio tollit illud nomen quod est; quidquid enim aliquando vertitur, mortale ostenditur, hoc ipso quod convertitur. Desinit enim esse quod fuerat, & incipit consequenter esse quod non erat.*

CAPUT IX.

Deus nec cum creare incipit, mutatur; nec cum humanos affectus induit.

I. Hac primum objectione impetitur divina immutabilitas, quod incipiens creare mundum, transierit ab otio ad negotium. Respondet autem primo Augustinus, Deum quiescendo agere, agendo quiescere.

II. Respondet iterum, posse opus novum condi, non novo, sed æterno consilio.

III. Respondet tertio, quæ relativè dicuntur, ut dominus, posse de novo attribui per alterius demutationem.

IV. Ex Tertulliano luculentè, ut dominus de novo dici cœperit Deus, citra ullam sui mutationem.

V. Rursum Augustinus, ex ipsis rerum creatarum mutationibus immutabilitatem Dei tuetur, cum necesse sit, mobilia omnia ab immobili cardine religari & versari.

VI. Nec mutatur Deus, cum humanis illum etiam Scriptura affectibus induit.

VII. Humanæ & plebejæ se in his accommodat Deus intelligentiæ.

VIII. Impatibili quodam & ineffabili modo insunt hi affectus Deo.

IX. Non Deus mutatur, sed hominibus mutatis, alius ipse jam in eos est.

X. Ira, zelus, pœnitentia & id genus alia Deo inesse dicuntur, quando insunt Angelis & hominibus sanctis, quibus inhospitatur.

XI. Irascitur Deus, cum ministri ejus scelera ulciscuntur.

XII. Irascitur Deus vitiis & vitiosis hominibus, ut irascitur lex, ut veritas.

XIII. Affectus adscribuntur Deo, quorum effectus in creatis naturis cernuntur.

I. HInc olim quidam moliti sunt vel mutabilitatem Deo impingere, vel mundo æternitatem, quòd non caperent quomodo Deus citra ullam sui demutationem transisset ab otio ad negotium, à sempiterna hactenus cessatione ad novam novi operis molitionem. Quomodo item sine aliquo sui incremento Dominus esse cœpisset, qui prius non fuerat; tunc enim demum cœpit esse Dominus, cum cœpit esse creatura cujus esset dominus. Plurimus est in elucidanda hac difficultate Augustinus. Respondet autem 1. hanc hallucinationem ex eodem ebullire fonte, unde & reliquæ circa Deum omnes; quòd nimirum Deum nostro modulo metimur, præscriptas creaturæ leges creatori præscribimus, & quia creaturæ aliter se habent cum agunt atque cum quiescunt, eidem necessitati Deum subjugamus. Cùm Deus creatas omnes & naturas & mentes infinito transcendat intervallo, & contraria omnia in se conciliet, & agens quiescat, & quiescens agat; imò nec agat nec quiescat, sed ineffabiliter & in se maneat, & creaturas à se effundat. *Hinc enim isti errant, quod mentem divinam omnino immutabilem, cujuslibet infinitatis capacem, & innumera omnia sine cogitationis alternatione numerantem, de sua humana, mutabili, angustaque metiuntur. Nam quia illis quidquid novi faciendum venit in mentem, novo consilio faciunt, &c. Nobis autem fas non est credere aliter Deum affici cum vacat, aliter cum operatur; quia nec affici dicendus est, tanquam in ejus natura fiat aliquid, quod antè fuerit. Patitur quippè qui afficitur, & mutabile est omne quod aliquid patitur. Non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, inertia, desidia; sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, & agens quiescere.* Et alibi: *Semper agens & semper quiescens.* Et rursum: *Sed quis explicet verbis, homo hominibus, infirmus infirmis, indoctus discere cupientibus? Et fortè si quid sapit, promere & explicare non valens hominibus, difficile fortasse capientibus; etiamsi explicari possit quod capitur? Quis, inquam, fratres mei, explicet verbis, quomodo Deus & quietus operetur, & operans quiescat? Obsecro vos, ut hoc vobis proficientibus differatis.*

(Civ. l. 12. c. 14. & seq. — Ibid. c. 17. — Confession. l. 1. c. 4. Tr. 17. in Joan.)

II. Respondet 2. id quod humanæ etiam intelligentiæ satis dilucidum est, posse ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhiberi consilium, atque ita quod ad consilium Dei attinet, nullum illi immutationis imminere discrimen. Operationem verò quæ mundum parturiit, manare à Deo non priùs cessante & postea operante; nullum enim Deus prius & posterius, nullum ante mundi temporumque creationem prius vel posterius fuit; sed manare à Deo incommutabilis æternitatis & unitatis suæ arcem occupante, & inde tempora & temporalia, in quibus jam prius & posterius est, dispensante. Augustinus: *Potest ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibere consilium, nec pœnitendo quia priùs cessaverat, cœpit facere quod non fecerat. Sed & si priùs cessavit & posteriùs operatus est (quod nescio quemadmodum ab homine possit intelligi) hoc proculdubio quod dicitur prius & posterius, in rebus priùs non existentibus & posterius existentibus fuit. In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutavit aut abstulit voluntatem, sed una eademque sempiterna & immutabili voluntate, res quas condidit, & ut priùs non essent, egit, quandiu non fuerunt, & ut posterius essent, quando esse cœperunt.* Sic ergo ut consilium, ita & voluntas & operatio, quæ tria in Deo unum & idem sunt, in stante æternitatis centro consistunt, nihil in se prius vel posterius intelligi patiuntur, ex se effundunt & tempora & temporalia omnia, ut absurdum jam sit imaginari priùs Deum otiatum, deinde operatum.

(Civ. l. 12. c. 17.)

III. Respondet 3. neutrum sibi satis tutum esse videri, vel quod Deus aliquando Dominus non fuerit, vel quod creatura semper fuerit, & alterutrum tamen necesse esse; nam si semper Dominus fuit, fuit ergo semper, & creatura serva; si semper non fuit creatura, nec semper fuit ejus Dominus. Et quamvis utcumque dici posset & creaturam semper fuisse, quia nullum tempus fuit quo non fuerit; est enim, semper, nota temporis; ideoque Deum semper Dominum fuisse; eo tamen eludi magis quàm complanari difficultatem. Nam cœpit aliquando creatura, cœpit ergo & Dominus esse. Profitetur ergo se imparem esse enodandæ huic perplexitati: *Ideo putavi sine affirmatione tractanda, ut qui hæc legunt, videant à quibus quæstionum periculis debeant temperare, nec ad omnia se idoneos arbitrentur, potiusque intelligant quàm sit Apostolo obtemperandum præcipienti salubriter, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Si enim pro viribus suis alatur infans, fiet ut crescendo plus capiat; si autem vires suæ capacitatis excedat, deficiet antequam crescat.* Hæc sobrietas fuit Augustini, qui tamen nodum illum quo modestè hìc abstinuit, alibi plenissimè absolvit.

Respondet itaque ea quæ relativè dicuntur, sine ulla demutatione posse de novo dici, per alterius tantùm cujuspiam demutationem; ut nummus fit pretium, pignus: aliàs aliter, indemutatus. Ita Deus sine ulla sui demutatione, per solius creaturæ mutationem incœperit Dominus dici. *Si ergo nummus potest sine ulla sui mutatione dici relativè, neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma qua nummus est, mutationis fiat: quantò faciliùs de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere ut ita dicatur aliquid relativè ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ ad quam dicitur?* Idem prorsus tradit Anselmus. Primam item & secundam suprà responsionem conjecit Prosper in sententias.

(De Trinit. l. 5. c. 16. — Monol. c. 24 Prosp. sent. 341.)

IV. Sed quartum hunc respondendi modum præclarissimè edisseruit Tertullianus libro adversus Hermogenem, qui æternitatem materiæ inde augurabatur, quòd ut æternum foret dominium, aliquid ei coæternum sufternendum esset, videlicet materia. Respondet autem vir acutus Deum semper fuisse Deum, non semper Dominum; illud enim nomen naturæ est, hoc potestatis; naturam semper fuisse, potestatem quando, & ubi collibuit erupisse; idque sacras litteras insinuare in exordio Geneseos, ubi Deus primùm sæpiùs appellatur, at absoluta operis totius structura, tum demum Dominus incipit appellari. *Dei nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum & in semetipso, Dominum verò non semper. Diversa enim utriusque conditio. Deus substantiæ ipsius nomen, id est divinitatis; Dominus verò non substantiæ, sed potestatis, substantiam semper fuisse cum suo nomine quod est Deus; postea Dominus, accidentis scilicet rei mentio.* Et paulò pòst: *Naviter Scriptura nobis patrocinatur, quæ utrumque nomen ei distinxit, & suo tempore ostendit; nam Deus quidem quod erat semper, statim nominat, In principio fecit Deus cœlum, & terram; ac deinceps quandiu faciebat, quorum Dominus futurus erat, Deus solummodo ponit, & dixit Deus, & fecit Deus, & vidit Deus, & nusquam adhuc Dominus. At ubi universa perfecit, ipsumque vel maxime hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur. Tunc enim Dominus nomen adjunxit, Et accepit Deus Domi-*

Dominus hominem quem finxit, & præcipit Dominus Deus.

V. Reſpondet denique ad ſuprapoſitam objectionem Auguſtinus; uſque adeo temporalem aliquam mutationem ex temporalium & mutabilium operum molitione in Deum non redundare, ut hinc potiùs incommutabilis ejus æternitas & æterna incommutabilitas validiùs ſtabiliatur. Omnis enim motus ab immoto aliquo cardine primùm exoritur: ſic membra omnia ab exordio & articulo aliquo immobili aguntur; ſic corpus totum per loca effunditur, & movetur ab anima, quæ localiter nec diſtenditur nec movetur; ſic ergo & mutabilia omnia cùm primùm à non eſſe ad eſſe dum creantur, & poſtea ab hoc ad aliud eſſe dum administrantur, per tempora mutantur, ab æterno & incommutabili motore mutantur. *Quiſquis intelligere conatur, quemadmodum verè æternus, & verè immortalis atque incommutabilis Deus, ipſe nec per tempus nec per locum motus, moveat temporaliter & localiter creaturam ſuam, non eum puto poſſe aſſequi, niſi priùs intellexerit, quemadmodum anima, hoc eſt ſpiritus creatus, non per locum, ſed tantùm per tempus motus, moveat corpus per tempus, & locum.* Et paulò pòſt de motione membrorum agens: *Inveniet ea quæ per ſpatia locorum moventur, niſi ab eis quæ loco fixa ſunt, non moveri.* Et alibi: *Stabilis & incomprehenſibilis, immutabilis, mutans omnia; nunquam novus, & nunquam vetus; innovans omnia, & ad vetuſtatem perducens ſuperbos, & neſciunt.* Ubi hæc duo connexa ſunt, immutabilis, mutans omnia; ſi enim mutaretur & ipſe, non immutaret omnia, ſed cum omnibus immutaretur ab aliquo ſuperiùs immutabili.

De Gen. ad lit. l. 8. c. 21.

Conf. l. 1. c. 4.

VI. Supereſt propulſandum diſcrimen alterum, quod immutabilitati divinæ incumbit ab humanis affectibus iræ, pœnitentiæ, miſericordiæ, furoris, &c. quos ipſum veritatis oraculum Scriptura ſacra identidem Deo appingit. Hujuſmodi enim affectus perturbationes quædam ſunt, & cùm alii alios trudant, de ſtatu & quiete mentem planè deturbant. Multifariam huic labi obviarunt ſancti Patres. Reſponderunt itaque 1. conſultò aliqua palam indigna in ipſis etiam divinitus inſpiratis Scripturis de Deo prædicari, ut inde conjectemus alia quoque quæ Deo digna videbantur, indigna pariter eſſe; de Deoque nil dignè dici, eo ſaltem quòd potuerit dici. Auguſtinus: *Age jam videamus quomodo dictum ſit, Pœnitet me quod conſtituerim Regem Saul, &c. Ego cum hoc de Deo dicitur, indignum aliquid dici arbitrarer, ſi aliquid dignum inveniretur, quod de eo diceretur. Cum vero verba omnia quibus humana colloquia conferuntur, illius ſempiterna virtus & divinitas mirabiliter atque incunctanter excedat, quidquid de illo humanitus dicitur, quod etiam hominibus aſpernabile videatur, ipſa humana admonetur infirmitas, illa etiam quæ congruenter in Scripturis ſanctis de Deo dicta exiſtimat, humanæ capacitati aptiora eſſe, quàm divinæ ſublimitati; ac per hoc etiam ipſa tranſcendenda eſſe ſaniore intellectu, ſicut iſta qualicumque tranſcenſa ſunt.*

Ad Simplic. L. 2 q. 2. L. 1. cont. Adv. Leg. & Proph. c. 20.

VIII. Reſponderunt 2. ita humiliter diſſeruiſſe Scripturam de Deo, vel Deum potiùs de ſeipſo, ut humanæ & plebejæ ſe accommodaret intelligentiæ: & quid mirum? cùm ſeipſum aliquando humanæ copulaturus eſſet naturæ; homo futurus aliquando, hominem priùs meditabatur, & fingebat ſe in humanos affectus, intolerabilem vim ſuæ majeſtatis paulatim infringens, & inſueſaciens humanæ mediocritati, tanti item à ſe fieri hominem teſtificabatur, ut ejus cauſa & iraſci & iram mollire dignaretur. Tertullianus: *Simplici & certa ratione proponam, Deum non potuiſſe humanos congreſſus inire, niſi humanos & ſenſus & affectus ſuſcepiſſet, per quos vim majeſtatis ſuæ, intolerabilem utique humanæ mediocritati, humilitate temperaret, ſibi quidem indigna, homini autem neceſſaria, & ita jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum quàm ſalus hominis.* Et infrà: *Ediſcens jam inde à primordio hominem, quod erat futurus in fine.* Iſidorus Peluſiota: *Quòd ſi hanc quoque iram nonnulli eſſe exiſtimant, hinc etiam ipſius erga homines benevolentiam prædicant, dum Deum propter homines, quorum cauſa & homo factus eſt, ad humanos arbitrantur affectus deſcendere.* Origenes autem ait iram Dei in Iſraelitas eo conſilio deſcribi, & exaggerari, ut inde innoteſceret quanti Moyſen facere Deus, cujus prece mitigari, iram ponere, ſuæque immutabilitati quodammodo derogare non gravaretur. *Scribitur iraſci Deus & comminari interitum populo, quo doceatur homo tantum ſibi eſſe apud Deum loci, tantumque fiduciæ, ut etiamſi ſit aliqua in Deo indignatio, obſecrationibus mitigetur humanis; tantumque de eo impetrare poſſe hominem, ut & propria ſtatuta convertat.* Denique Gregorius Magnus: *Quid eſt quod pœnitere Dominus dicitur, cùm mutari affectibus non credatur? ſed quia cum mutabilibus ſumma immutabilitas loquitur, more eorum quibuſcum loquitur, dum pœnitere dicitur, diſplicere ſibi ſuperborum temeritas deſignatur.* Tribuuntur ergo Deo hi affectus, vel quia cum mutabilibus ſumma immutabilitas loquitur: vel ut quantæ authoritatis apud Deum ſit homo, demonſtretur: vel ut dum Deus ad humana deſcendit, hominem ad divina traducat. Tertullianus loco citato: *Ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo poſſet: Deus puſillus inventus eſt, ut homo maximus fieret.*

L. 2. cont. Marc.

L. 1. Ep. 344.

Hom. 8. in Num.

In L. Reg. L. 9. c. 1.

VIII. Reſponderunt 3. hos affectus in Deo eſſe, ſed pro dignitate Dei impatibiliter, & prout beatæ incorruptibilitati conſentaneum eſt; amare ſine æſtu, zelare ſine metu, pœnitere ſine dolore, &c. Tertullianus: *Et illas ſpecies, iræ dico & exaſperationis, non tam fœliciter patimur, quia ſolus Deus de incorruptibilitatis proprietate fœlix. Iraſcetur enim; ſed non exacerbabitur, ſed non periclitabitur; movebitur, ſed non evertetur, &c.* Et libri de Trinitate Author: *Paſſiones iſtæ in hominibus meritò eſſe dicentur, in Deo non meritò judicabuntur. Corrumpi enim per hæc homo poteſt, quia corrumpi poteſt; corrumpi per hæc Deus non poteſt, quia nec corrumpi poteſt. Habent igitur iſta vim ſuam quam exerceant, ſed ubi præcedit paſſibilis materia, non ubi præcedit impaſſibilis ſubſtantia.* Auguſtinus: *Amas, nec æſtuas: zelas, & ſecurus es; pœnitet, te & non doles; iraſceris, & tranquillus es.* Gregorius Magnus: *Dum ergo ad verba mutabilitatis noſtræ deſcenditur, ex eis quibuſdam gradibus factis, aſcendat qui poteſt ad incommutabilitatem Dei, ut videat ſine zelo zelantem, ſine ira iraſcentem, ſine dolore pœnitentem, ſine miſero corde miſericordem, ſine prævi ſionibus præſcientem.* Gregorius Nyſſenus illuſtrans eum locum Pſalmi, *Sicut viventes, ſic in ira abſorbebit vos*, ait & in peccatoribus non eſſe vitam, ſed velut vitam; & in Deo non eſſe iram, ſed velut iram; quia nec illorum vita verè vita eſt, quæ ab incorruptibili vitæ fonte deflexit; nec Dei ira verè ira eſt, quæ ab ipſo incorruptibilitatis apice longè abeſt. *Ut vita peccatorum non verè eſt, quod dicitur, ſed tantummodo talis dicitur; nam quæ à vera vita ſejuncta eſt, illa utique veræ vitæ nomen non meretur; ſic & in Deo ira nihilo magis ira eſt, licèt à peccatoribus talis & habeatur & nominetur. Non eſt ira, ſed, ſicut ira, appellatur retributio, quam Deus rependit, prout jus faſque exigit.*

L. 2. contra Marc.

Confeſſ. l. 1. c. 24.
Moral. l. 2. c. 23.

In Pſ. c. 1 5. Pſal. 57.

IX. Reſponderunt 4. non mutari Deum, ſed mutatis hominibus ipſum quaſi mutatum apparere; ut Sol indemutatus, oculo cui prius blandiebatur ſano, eidem poſtea lippienti quaſi exaſperatur. Auguſtinus: *Cùm Deus mutare dicitur voluntatem, ut quibus lenis erat, verbi gra-*

Civ. l. 22. c. 2.

gratia, reddatur iratus, illi potius quam ipse mutantur; & eum quodammodo mutatum in his quæ patiuntur inveniunt; sicut mutatur Sol oculis sauciatis, & asper quodammodo ex miti, & ex delectabili molestus efficitur, cum ipse apud seipsum [In Psal. 71.] *maneat idem qui fuit*. Et in illud Psalmi, Cum perverso perversus eris: *Quemadmodum Sol oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti, tranquillus apparet; in oculos autem lippos quasi tela aspera jaculatur, intuentem illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, sed mutatum; sic cum cœperis esse perversus, & tibi Deus perversus esse videbitur; tu mutatus es, non ille. Ergo erit tibi pœna quod bonis gaudium.*

X. Responderunt 5. Iram Dei, pœnitentiam, zelum, aliosque ejusmodi affectus non in Deo, sed in animis sanctorum virorum, Angelorumque beatis mentibus excitari. Sanctas enim animas Deus insidet, tam altèque eis se insinuat, ut sicut anima quæ ipsa non posset, per corpus agit, & nihil sine ipsa corpus agit; ita qui ipse in se non posset, in iis Deus afficiatur, & illæ nisi Dei causa & nomine, nunquam afficiantur. Augustinus versans [In Psal. 2.] illa verba, Tunc loquetur ad eos in ira sua, &c. *Ira ergo Dei est motus qui fit in anima quæ legem Dei novit, cum eandem legem videt à peccatore præteriri. Per hunc enim motum justarum animarum, multa vindicantur.*

XI. Responderunt 6. Iram Dei vocari non qua ipse, sed qua ejus ministri ejus jussu & authoritate exardescunt in scelerum vindictam; usitatissimè enim à Rege fieri dicitur, quod per regios fit [In Psal. 6.] ministros. Augustinus in illa verba Psalmi, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: *Non cadit in Deum judicem perturbatio, sed quod in ejus ministris fit, quia per le-* [In Psal. 7.] *ges ejus fit, ira ejus dicitur*. Et in illa verba Psalmi: Numquid irascitur per singulos dies? *Significantiùs fortasse dicitur iram adducens, quàm irascens, & ita in exemplaribus Græcis invenimus. Ut non sit in ipso ira qua punit, sed in animis eorum ministrorum, qui præceptis veritatis obtemperant. Per quos jubetur etiam inferioribus ministris, qui vocantur Angeli iracundiæ, ad punienda peccata. Quos jam non propter justitiam qua non gaudent, sed propter malitiam pœna humana delectat. Non ergo Deus iram adducit per singulos dies, id est, non per singulos dies ad vindictam congregat ministros suos*. Et alibi: *Ira ejus dicitur, ratio* [In Psal. 81.] *justa vindictæ: tanquam si lex dicatur irasci, cum ministri ejus secundùm eam commoti vindicant*. Basilius: *Et qui pœnas contra impios admi-* [In Psal. 17] *nistrant mali dæmones, & famulantes Deo virtutes, ira furorque nominatæ sunt. Sic item dicitur in sermone decem plagarum contra Ægyptios, Immisit in eos iram & indignationem & immissionem per Angelos malos. Sic dextra dicuntur Dei ea quæ per dextras, & bonas virtutes dignis administrantur.*

XII. Respondent 7. Sic Deum irasci ut lex, ut justitia irasci dicitur in sceleratos. Cui enim antea pio frugique lex adgaudebat, & ostentabat præmia, eidem postea flagitioso indignatur & supplicia intentat, cùm illo mutato ipsa immutabilis constiterit. Deus porrò non ut idolum, non ut homo, non ut Angelus cogitandus est, sed ut lex sempiterna, ut justitia incorruptibilis, &c. Ba- [In Psal. 38.] silius: *Ut si quis impendentes ex lege homicidæ pœnas, iram & furorem nominet, non hoc ideo facit, quod lex irascatur & furat; sed quod qui punitur, legis supplicium iram esse putet*. Ambrosius in eumdem Psalmum: *Vindictam autem, iram esse diximus. Denique usus habet ut dicamus de quoquam punito, quia iram incidit legum; non quia legum iram, sed quia legum severitatem incidit. Sic & alibi de decem plagis Ægyptiorum ait, Misit in eos iram per Angelos malos, id est, vindictam. Lex enim nescit irasci, sed scit legum minister. Nescit ergo irasci qui author est legum*. Ita ille Basilii premens vestigia, Deum ut legem, imo ut legum authorem & legibus ipsis immutabiliorem describit. Augustinus: *Nec inimici eramus Deo, nisi quemadmodum justitiæ sunt* [De Trinit. L. 13. c. 16.] *inimica peccata.*

XIII. Responderunt 8. Iræ, misericordiæ, pœnitentiæ, &c. ideo creatori imputari affectum, quia in creatura spectatur effectus. Cùm enim divina natura omnem superet mentis intelligentiam & ab effectis solis utcumque innotescat, irasci dicitur cum vindicat, misereri cum benefacit, pœnitere cum non mutato consilio mutat opus, &c. Anselmus: *Quomodo ergo es, & non es mise-* [Prosol. c. 8.] *ricors Domine, nisi quia es misericors secundùm nos, & non es secundùm te? es quippe secundùm sensum nostrum, & non es secundùm tuum. Etenim cum tu respicis nos miseros, nos sentimus misericordis effectum, tu non sentis affectum: & misericors es igitur quia miseros salvas, & misericors non es, quia nulla miseriæ compassione afficeris*. [De Trinit. L. 3. c. 16.] Augustinus: *Ira utique Dei, quæ nihil aliud est, quàm justa vindicta*. Et alibi: *Omnia sicut* [Con. Adv. Leg. & Prop. l. 2. c. 20.] *Deus. Pœnitentia Dei non est post errorem, ira Dei non habet perturbati animi ardorem, misericordia Dei non habet compatientis miserum cor, unde in latina lingua nomen accepit, zelus Dei non habet mentis livorem. Sed pœnitentia Dei dicitur, rerum in ejus potestate constitutarum hominibus inopinata mutatio, ira Dei est vindicta peccati, misericordia Dei est bonitas opitulantis, &c.* Salvianus: *Ira est autem divinitatis, pœna peccantis*. [L. 1. de gubern. Dei.] Cumulatissima est postrema hæc responsio, quia incomprehensibilitati divinæ maximè consentanea.

CAPUT X.

Ut creatæ naturæ Creatoris incommutabilitatem adumbrent juxta sanctos Patres, non assequantur.

I. Censent sancti Patres nullam à Deo naturam creari potuisse, nisi mutabilem. Complura ad id argumenta & testimonia.

II. Imò ne debuisse quidem creari nisi mutabiles, etsi etiam immutabiles condi quædam potuissent, ne pro Deo colerentur.

III. Ne pro Deo etiam amarentur.

IV. Angeli & rationales animæ, etsi immortales sunt, mutationi tamen obnoxiæ sunt, eoque procul sunt à divino culmine immortalitatis.

V. Immortalitas homini dum conderetur divino beneficio indulta, mortem, mortisque comites miserias ab illo præpotenter arcebat. Nosse Deum incommutabilem ejusmodi res est, qua immortalitas, quasi aura quædam immutabilitatis aspergatur.

VI. Eadem Dei cognitio ab innoxia natura hominum arcebat & illud inquietum malum volubilitatis cogitationum.

VII. Arcebat & corruptelas affectuum.

VIII. Veritas cibus mentium incorruptibilitatem menti longè præstantissimam inspirabat.

IX. Et in naturam universam stillasset aliqua ex hominis innocentis incorruptione participatio incorruptibilitatis: qua per peccatum orbata, juxta Paulum, ingemiscit, & parturit usque adhuc.

X. Mutabilitatis suæ pio usu parare sibi poterat homo tanto illustriorem immutabilitatis imaginem, quanto eam sua sibi industria cum Dei adjutorio parasset.

XI. Naturæ creatæ non alio magis medicamento abstergunt suam mutabilitatem, quàm virtute, & justitia. Multis id illuminatur rationibus.

XII. Plu-

XII. Plura etiam Patrum testimonia accumulantur.

XIII. Incommutabilitas quanta maxima conciliari nobis potest, per beatæ patriæ contemplationem comparatur.

XIV. Tribus id primùm rationibus perficitur, promptis à charitate, à veritate, à vita Dei.

XV. Tres aliæ promuntur rationes, dulcedo boni divini, traductio à tempore ad æternitatem, vehementia impetus quo in Deum se librant.

XVI. Etsi beati nil patiuntur, compatiuntur tamen.

XVII. Ab incorruptibilitate beatæ animæ incorruptibilitas effluit in corpus.

XVIII. Sed hæc tota incorruptibilitas nobis ex immutabilitate Verbi obvenit nunc, nostræ mortalitatis exuviis induti.

XIX. Summatim antedicta omnia à Scripturarum fontibus hausta demonstrantur.

I. OBservarunt 1. sancti Patres naturas à Deo nullas nisi commutabiles creari potuisse. Discrimen enim ingens esse debuit Unigeniti, qui à Deo, sed & de Deo est; & creaturæ quæ à Deo quidem, non tamen de Deo est. Id autem interest discriminis, quod de substantia incommutabili nascens, incommutabilis & ipse est, & paterno fruitur privilegio. 2. Item creaturæ, ut originem suam referant, quia à Deo sunt, ideo sunt, & bonæ sunt; quia ex nihilo sunt, ideo in nihilum dissipabiles & corruptibiles sunt. 3. Item futuræ mutabilitatis augurium & exordium fuit ipsa creatio, qua à non esse ad esse transeuntes, fœliciter mutatæ sunt; unde si suæ illas mutabilitatis pœniteat, pœniteat & nativitatis; quo enim voto cuperent immutabiles esse, cuperent & non esse. 4. Necesse fuit distare media bona à summo; quo distabunt autem media à summo, nisi imitando summum? hoc tamen vehementi solatio, quod quo distant, eo accedunt. Si autem imitatione distant, ergo & mutatione. 5. Rationales naturæ quæ hanc labem deprecari maximè poterant, an gravabuntur à Deo se antecedi? Augustinus: *Superba es in Deum, si indigneris quod te antecedit; & nimis contumeliosè de illo sentis, si non ineffabiliter gratularis tam magnum bonum esse te, ut solus sit ille præstantior.* Et infrà: *Cum dicitur, natura corruptibilis, non unum, sed duo nomina dicuntur; item cum dicitur, Deus fecit ex nihilo, non unum, sed duo nomina audivimus. Redde ergo istis singulis illa singula; ut cum audis naturam, ad Deum pertineat; cum audis corruptibilem, ad nihilum; ita tamen ut ipsæ corruptiones quamvis non sint ex Dei arte, in ejus tamen sint potestate, disponendæ pro rerum ordine & meritis animarum.* Et rursus alibi: *Omnes naturæ corruptibiles, omnino naturæ non essent, nisi à Deo essent; nec corruptibiles esent, si de illo essent; quia hoc quod ipse est, esent. Ideo ergo quocumque modo, quacumque specie, quocumque ordine sunt, quia Deus est à quo factæ sunt; ideo autem non incommutabiles sunt, quia nihil est unde factæ sunt. Sacrilega autem audacia coæquantur nihil & Deus, si quale est illud quod de Deo natum est, tale velimus esse illud, quod ab eo de nihilo factum est.* Gregorius Nyssenus: *Cum necessario esset homo mutabilis naturæ; neque enim fieri poterat, ut qui ab alteratione principium habuerat, non esset omnino mutabilis. Progressus enim à non ente ad ens est quædam alteratio; cùm quæ non est substantia, virtute divina transeat in essentiam. Quin etiam cum alioqui necessario in homine consideretur mutatio, quoniam homo imitabatur naturam divinam; quod autem imitatur, nisi in aliqua esset diversitate, esset omnino idem atque illud cui est assimilatum. Cum ergo ejus quod factum est ad imaginem, in hoc esset diversitas ab exemplari, quod hoc quidem esset natura immutabile, illud vero non sic se haberet, sed consisteret quidem per alterationem, sicut jam diximus, omnino autem alteraretur, propterea quod imitaretur, &c.* Incommutabilis igitur exemplaris non possunt esse nisi mutabiles imagines; tum quia superari debent imagines ab exemplari; tum quia per mutationem defluxerunt imagines ab exemplari; tum denique quia jugi imitatione, ideoque mutatione propiùs in dies accedunt imagines exemplari.

Contra Epist. Fund. c. 37. 38.

L. de nat. bon. c. 10.

Orat. Catech. c. 21.

II. Observarunt 2. ne debuisse quidem, etsi potuissent, naturas ullas incommutabiles creari. 1. quidem ne pro Deo haberentur. Hinc cum duplex sit motus, latio & alteratio, illam cœlestibus, hanc terrenis adjunxit, obviam & invictissimam ascriptitiæ divinitatis confutationem. Gregorius Nyssenus: *Idcirco terram quidem firmam videmus, at mutationibus obnoxiam; cœlum contra cum sit omnis expers mutationis, nunquam quiescit. Voluit nimirum Deus, cum immobili naturæ mutabilitatem, contraque mutabilitatis experti motum adjungeret, utramque inter se, per hanc proprietatum permutationem, quadam quasi cognatione devincire; atque etiam impedire quo minus inesse numen hisce rebus existimaretur. Nam neque res quietis omnino expers, neque item ea quæ mutationi obnoxia est, habere divinitatis aliquid censeri potest.* Chrysostomus autem ait eo consilio mundum à Deo conditum esse, & pulcherrimum, & corruptibilem, ut Deum non esse mundum suaderet corruptio, Deum esse mundi opificem persuaderet pulcritudo; corruptibilitatem detestaturos pulcritudo mulceret, pulcritudinem adoraturos cohiberet corruptibilitas. *Vides quomodo utrinque nobis Deus providit; per elementorum quidem pulcritudinem, nos in divinitatis suæ cognitionem inducens; per infirmitatem vero non permittens in illorum cadere adorationem.* Quod paulò antè hac illustraverat comparatione: *Propterea non tantum mirabilem & magnum fecit mundum, sed & corruptibilem & marcessibilem; & quod in Apostolis fecit, hoc & in toto mundo. Quid autem in Apostolis fecit? Quoniam signa multa faciebant, & miracula magna & mirabilia; ipsos continuè flagellari permisit, pelli, carcerem habitare, corporis morbos subire; ne signorum magnitudo Deos ipsos apud homines putari faceret.* Eadem habet & alibi. Chrysologus ipsa etiam cœlestia per alterationem solutum iri docet, ut eo saltem superstitionis pertinacia frangatur. *Decore deceptus horum (cœlorum,) horum opificem tu negasti, istos rectores mundi, istos confessus es Deos, quos tua Deus verus subjecerat servituti. Necesse est ergo solvi cuncta, novari omnia, ut vel tunc facta credas, cum videris esse reparata.*

L. de opificio hominis.

Hom. 10 ad Pop. Antioch.

To. 2. Serm. de Anna. Serm. 101.

II. 2. Ne pro Deo amarentur. Utenti enim se præstant, fruituro se subtrahunt mutabilia omnia; justum obiter & perfunctoriè delibantem oblectant, impium pertinaciter & voluptuosè inhærentem ludificant; illum titillant, hunc dilaniant; cum fugiunt, locum cedunt Deo, æmulum Deum timent; flagitium execrantur adulterini amoris, scelesta idololatria prophanari erubescunt; extingui malunt quàm pollui, non esse quàm pro Deo esse; Deum esse & amandum unum esse clara voce pronuntiant, inde quasi suis in theatro partibus expletis, evanescunt. Mutabilitate sua ad immutabilem transmittunt; adglutinatos sibi fugacitate sua non vulnerant, sed curant, non cruciant, sed docent alibi quærendam esse requiem quàm in irrequieto fluxu; alibi statum, quàm in rerum tam lubricarum lapsu. Augustinus: *Quaquaversum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi præterquam in te, tametsi figitur in pulcris extra te & extra se, &c. cum oriuntur & tendunt esse, quo magis celeriter crescunt ut sint, eo magis festinant ut non sint. Sic est modus eorum. Tantum dedisti eis, quia partes sunt rerum, quæ non sunt omnes simul; sed decedendo, ac succedendo, agunt*

Confession. L. 4. c. 10. 11. 12.

omnes universum, cujus partes sunt, &c. Laudet te ex illis anima mea Deus creator omnium, sed non eis infigatur glutine amoris, per sensus corporis. Eunt enim quo ibant ut non sit, & conscingunt eam desideriis pestilentiosis. Quoniam ipsa esse vult, & requiescere amat in eis quæ amat; in illis autem non est ubi, quia non stant, fugiunt, & quis ea sequitur sensu carnis; aut quis ea comprehendit, vel cum præsto sunt? tardus est enim sensus carnis, quoniam sensus carnis est, & ipse est modus ejus. Et mox: *Verbum ipsum clamat ut redeas, & ibi est locus quietis imperturbabilis, ubi non deseritur amor, si ipse non deserat. Ecce illa discedunt, ut alia succedant, & omnibus suis partibus constet infima universitas. Numquid ego aliquò discedo? ait Verbum Dei. Ibi commenda quidquid inde habes anima mea, saltem fatigata fallaciis: veritati commenda quiquid tibi est à veritate, & non perdes aliquid.* Et infrà: *Si placent animæ, in Deo amentur, quia & ipsæ mutabiles sunt, & in illo fixæ stabiliuntur, alioquin irent & perirent, &c. State cum eo & stabitis: requiescite in eo & quieti eritis. Quo itis in aspera, quo itis? Bonum, quod amatis, ab illo est; sed quantum est ad illum, bonum est & suave, sed amarum erit justè, quia injustè amatur deserto illo, quidquid ab illo est. Non est requies ubi quæritis eam, quærite quod quæritis, sed ibi non est ubi quæritis eam.* Constat ergo oculo mentis purgato mundum hunc non jam ut inexhaustæ corruptibilitatis sentinam, non ut sordidæ voluptatis illecebram & officinam visum iri; sed ut scholam, Thelogiæ, & morum sanctitati dicatam, ubi ipsa rerum omnium mutabilitas clamat Deum solum esse, illum colendum, illum amandum esse, & incorrupto magisterio à corruptibilium amore omnes avocat, pios alienat, impios & pertinaces flagellat. Augustinus: *Quod in ejus pulcritudinis parte laboramus, cum nos fluentia deserunt temporalia, quæ diligimus: & peccatorum pœnas luimus, & sempiterna diligere commonemur.* Mutabilitas ergo magistra immutabilitatis est, nullaque corruptio est, quæ non fit & corruptibilis amoris tormentum, & incorruptibilis documentum. (Cont. Epist. Fund. c. ult.)

IV. Observarunt 3. Animas quoque & Angelos tametsi immortales sint, mutabiles tamen esse; imò cùm immutabiles sint, verè immortales non esse. Nam vera immortalitas non est, quæ alterius voluntati obnoxia est, quæ aliis & aliis in diem accidentibus variabilis est, quæ quot mutationibus tot mortibus prostituta est, quæ etsi utcumque semper vivat, à vera tamen vita & vitæ fonte Deo, à quo formari & vegetari apta nata est, alienari potest. Ambrosius: *Una sola substantia divinitatis quæ mori nescit. Unde & Apostolus cum sciret animam, & Angelos immortales, quòd solus Deus immortalitatem habeat, prædicavit. Nam & anima moritur; anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur. Nec & Angelus immortalis est naturaliter, cujus immortalitas in voluntate est creatoris. Neque ad præjudicium trahas quod non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Uriel. Et in ipsis enim moritur naturæ capacitas, vitio obnoxia, sed non obnoxia disciplina. Omnis enim rationalis creatura accidentia recipit, & subjecta judicio est, &c. Nec ex immortali natura habet, sed ex disciplina vel gratia, si se in aliquibus ad vitia non mutat. Alia ergo immortalitas quæ donatur, alia quæ sine capacitate mutabilitatis est semper.* Ita ille multiplicem rimam explorat, qua in spiritales etiam substantias mortalitas cum mutabilitate illabatur, quòd precariò tantùm vivant, quòd accidentibus inquietentur, quòd sua sponte defluant & vitium faciant, nisi fulciantur, quòd non qualicumque, sed summa & vera vita spoliari, adeoque extrema morte mori possint. Hieronymus: *Certè legimus immortales Angelos, &c. sed solus Deus est immortalis, quia non est per gratiam ut cætera, sed per naturam.* Omne enim natura mutabile, & mortale est; qua enim rima qualiscumque irrepsit mutatio, eadem sensim magis magisque dehiscente irrumperet & mortalitas, nisi summi opificis manus succurreret, & grassanti malo mederetur, & vulnus obduceret relicta in argumentum cicatrice. (L. 3. de fide ad Grat. c. 2.) (L. 1 adv. Pelagianos.)

Unde Isidorus Hispalensis Episcopus: *Quid est Dei immortalitas, nisi ejus incommutabilitas? nam & Angeli & animæ immortales sunt, sed incommutabiles non sunt; ideoque solus Deus dicitur immortalis, quia solus incommutabilis est. Nam anima moritur, dum deserente Deo, de bono in malum mutatur.* Sed nihil elegantius dici potuit, quàm quod habet Gregorius Magnus: *Humana anima, sive Angelicus spiritus, ita immortalis est, ut mori possit: ita mortalis, ut mori non possit. Nam beatè vivere, sive per vitium, sive per supplicium perdit; essentialiter autem vivere, neque per vitium, neque per supplicium amittit. A qualitate enim vivendi deficit, sed omnimodo subsistendi interitum nec moriens sentit. Ut ergo breviter dixerim, & immortaliter mortalis est, & mortaliter immortalis.* (L. 1. de Summo Bono. c. 1.) (Moral. l. 4. c. 7.)

V. Observarunt 4. ut certo constaret documento, tutius, amplius & compendiosius esse, Dei munificentiæ aliquid, quàm propriæ naturæ necessitati debere: illam animarum tametsi precariam & obnoxiam immortalitatem ita immutabilem fuisse perennaturam, nisi peccati incursu intercepta fuisset, ut & corpus ipsum corruptibile incorruptilitate sua convestiret, à morte illud mortique præludentibus miseriis vindicaret, ipsam cogitationum volubilitatem, quæ instar est indefinentis in anima corruptibilitatis, sisteret, & in unitate veritatis incommutabilis defigeret, affectuum procellas tranquillaret, totumque hominem invariabili quadam animæ corporisque stabilitate atque constantia communiret. 1. Usque adeo enim Deus incommutabilis est, ut ejus sola cognitio incorruptibilitatem spiret; hinc caduca sunt, quæcumque Dei cognitione orbantur; & quidem aliquandiu sunt, quia Deum extima sua specie prædicant; sed diutiùs non sunt, quia intimiùs illum non cogitant. At quæcumque naturæ Deum intelligunt, tametsi aliunde corruptibiles sint, non tantùm hinc incorruptibilitatem hauriunt, sed illam uberiùs pleno quasi ore combibunt, & in circumposita sibi corpora respergunt. Athanasius: *Quum homines naturam non existendi habentes, ad esse Verbi Dei præsentia & humanitate vocati essent, consequens erat ut cognitione Dei vacuati & aversi in non entia (non entia enim sunt mala, entia verò bona, quando à vero ente Deo nata sunt,) ipsa quoque semper essendi natura exuerentur, id est, ut dissoluti in morte & corruptione permanerent. Est enim homo secundum naturam mortalis, ut qui ex non entibus creatus sit; attamen ob suam cum vero ente similitudinem, retulisset naturalem suam corruptionem, & incorruptibilis permansisset, si eam similitudinem Dei cognitione incolumem servasset. Quemadmodum sapientia dicit, Observatio legum stabilimentum est incorruptibilitatis.* Augustinus: *Creaturis præstantissimis, hoc est rationalibus spiritibus hoc præstitit Deus, ut si nolint, corrumpi non possint, id est si obedientiam conservaverint sub Domino Deo suo, ac si incorruptibili pulcritudini ejus adhæserint: si autem obedientiam conservare noluerint, quoniam volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in pœnis.* Naturis ergo omnibus cognitio Dei est semen incorruptibilitatis; quæ eam significare aliis natæ sunt, tandiu sunt, donec munere suo perfunctæ evanescant, quæ eam ipsæ degustare comparatæ sunt, semper aliquo modo sunt; quia munus ad quod natæ sunt, nullo tempore terminatur; quæ eam semper incolumem servant, eamque fovent, ab eaque foventur, nec incorruptibiles tantùm ipsæ sunt, sed & incorruptibilitatem suam extra se latè spargunt. (L. de Incar. Verbi Dei.) (L. de Nat. boni. c. 7.)

gunt. Gregorius Magnus: *Rationalis creatura eo* Moral. l. c. 25. *ipso quo ad imaginem creatoris condita est, ne ad nihilum transeat, figitur. Irrationalis autem nequaquam figitur, sed donec visionis suæ ministerio, universitatis speciem impleat, transeundo tardatur. Nam etsi cœlum & terra post in æternum, in semetipsis tamen nunc ad nihilum properant; sed pro eorum usu quibus serviunt, in melius mutanda perseverant. Stare ergo solius creatoris est, per quem cuncta non transeuntem transeunt, & in quo aliqua ne transeant, retinentur.*

VI. 2. Inquietum illud malum volubilitatis cogitationum quod hic experimur, ex eadem scatebra fluxit corruptibilitatis, ex aversione nempè ab incommutabili bono. In uno enim ob interminatam ejus ubertatem defixa & abundè exaturata stabat mens, nec rivulos consectabunda vagabatur, quos omnes in ipso fonte bonorum potabat. At ubi ab uno fonte defluxit, in multa dissiliit, & eandem boni copiam adhuc quæritans, nec inveniens discursitat, & inquieta lassitudine per inanes umbras dispalatur & ludificatur. Isidorus Hispalensis: *Mutabilis est anima non localiter,* Sentent. l. 1. c. 13. *sed temporaliter suis affectionibus. Corpus autem & loco & tempore mutabile est; quia & tempore mutatur, & loco variatur. Quod est ad corpus mutatio locorum, hoc est ad animam mutabilitas cogitationum. Quæ varietas malæ motionis tunc menti inhæsit, quando ab æternorum contemplatione primus homo recedens, in illo stare noluit, à quo malè recessit, & justa damnatione inconstans, per rerum raptus varietatem defluxit.* Ita Isidorus docet stetisse hominem primum in incommutabilis intuitu veritatis; inde defluxisse amore vanitatis, pariterque deinceps cogitationes ejus fluctuatas esse in inconstantia rerum varietatis, ac posterum ita animam ejus cogitationum alternatione, ut corpus ejus minutissimarum suarum partium dilapidatione dissipabilem fuisse.

VII. 3. Corruptela multò molestior affectuum quibus torquetur & retorquetur animus, tunc etiam irrepsit, cum ab incommutabili bono, in quo priùs insatiabili satietate conquiescebat, in multa defluxit, ubi copia inopia, infarcitur & distenditur, nec repletur; ideoque versat se in omnia, eò inanior, quò plenior, quia umbræ sunt, & mutabilia sunt, nec veri & incommutabilis boni famem satiare idonea sunt. A procellosa hac affectuum jactatione in tutum subduxerat sua primum hominem impatibilitas, à summo uno in mentem ejus, inde in animam, corpusque, & corporis animæque confœderatos motus refusa. Gregorius Nyssenus: *Divinus qui principio in nobis* Tom. 3. Orat. de Mortuis. *conspicuus erat character, non in qualicumque figuræ colorisve proprietate consistebat; sed quibus insignibus pulcritudo Dei conspicitur, iisdem homo decorabatur, per impatibilitatem & beatitudinem & incorruptibilitatem, primigeniam exemplaris gratiam imitando.* Vides ut imaginis divinæ venustatem locet non in corporis flore, sed in mentis beata impatibilitate, quæ Deum propiùs æmuletur. Et alibi: *Erat autem formosus: factus enim erat ad* Orat. Cat. c. 6. *imaginem pulcritudinis exemplaris. Erat autem impatibilis natura: imitator enim erat ejus qui est impatibilis. Dicendi autem fiducia plenus erat, ut qui facie ad faciem cum Deo sibi apparente deliciabatur.* Chrysostomus: *Omnia fecit & operatus est, ut rationale hoc animal à se conditum in omni honore esset, & in nullo Angelorum vita deterius foret; sed & in corpore, illorum possideret impatibilitatem.* Et sanè intempestivum fuisset, animam perturbationibus discerpi, corpore incorruptibili perstante.

VIII. 4. In corpus ergo & animam à mente impatibilitas derivabatur, in mentem autem ipsam irrigabatur à cibo quo saginabatur veritatis incommutabilis. Ut enim corpus suo, nempe terreno; ita suo mens, nempè veritatis cibo sustentatur. Verùm si cibus corruptibilis corruptibili corpori infusus, illud à corruptione aliquandiu tutum præstat; quantò magis cibus incorruptibilis incorruptibilem aliquatenus animam uberiori incorruptibilitate donabit. Si cibus fluens & per dies sæpiùs repetendus, fluxum corpus à fluxu aliquantisper tutatur; quantò magis cibus permanens & simul totus hauriendus, nec unquam exhauriendus, animæ ruinas resarciet aut antevertet? Si cibus qui in corpus mutatur, corpus roborat ne facilè mutetur; quantò magis cibus incommutabilis animam in se commutans, invicto illam robore contra mutabilitatem armabit? Si cibus corruptibilis, diffluens, corrumpendus non tantùm refocillat corpus, sed ad circumjacentia corpora regenda & subjuganda valentius efficit; quantò magis cibus invictissimæ veritatis animam non tantùm ipsam vegetiorem & robustiorem præstabit, sed ad corpus sibi jam subditum validiùs domandum, & expugnandam ejus mutabilitatem abundè corroborabit? Gregorius Nyssenus de iis qui præmaturè abripiuntur: *Efficacitas videndi Dei nihil est aliud quàm vita intellectuali naturæ conveniens & accommodata. Ut enim terrena corpora terrenis conservantur cibis, & corpoream quanquam in his vitæ speciem deprehendimus, quæ in brutis pariter, & ratione præditis exercetur: ita ponere oportet esse quandam intelligibilem vitam, per quam in esse conservatur natura. Quod si carnis alimentum affluere ac diffluere solitum, per transitum ipsum vim quandam vitalem iis subministrat, quibus ingestum fuerit: quantò magis participatio ejus qui verè est, qui semper manet, atque eodem modo semper se habet, in esse conservat eum, qui ejus particeps fuerit?* Tom. 3. Ita Nyssenus, qui statim subjicit, affinitatem, imò consanguinitatem quandam esse debere cibi & rei cibandæ; ideoque mentis, & veritatis cognationem esse magnam, proindeque mentem de incorruptibilium genere esse. *Si igitur participatio Dei, vita est intellectuali naturæ consentanea, &c. sicut oculo competit luce frui, quòd naturalem quandam in se lucem habeat, &c. ita necesse est in Dei participatione cognatum naturaliter esse id quod fruitur, & quo fruitur, &c.* Augustinus autem: *O æterna veritas, &c. tanquam audirem vocem tuam de excelso,* Confess. l. 7. c. 10. *Cibus sum grandium, cresce & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me.* Et verè cibum corporis nos foras quærimus, & intus ingerimus, & ingerendum multipliciter terimus, & intritum ingestumque digerimus, &c. At cibus animæ veritas & ipsas animas foris quærit, & intus pellicit, & multipliciter illas emendat; nec ipsa in earum tenebras it, sed in suam lucem illas trajicit, & excoquit, & in seipsam illas rapit & transmutat, hoc est in substantiam incommutabilem illas quodammodo transmutat.

IX. 5. Quin imò non in corpus tantùm hominis, sed in totam penitùs rerum imarum universitatem incorruptibilitas hominis redundasset; si fides laudandis paulò pòst Patribus habenda sit, & quandiu innocentis hominis corpori & per corpus menti incorruptibili Domino incorruptibiliter servienti serviisset, tandiu incorrupta & ipsa perennasset. Corruptelam mentis ut dominæ, corruptibilitas totius familiæ, id est imæ naturæ consecuta est: & cum homo per resurrectionem pristinæ impatibilitati reddetur, tota rerum etiam natura in incorruptibilitatem redintegrabitur. Ita Patres nec pauci, nec contemnendi commentati sunt illa verba Pauli: *Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe; quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Rom. 18. In quæ verba Chrysostomus: *Quid hoc sibi vult, vanitatis creatura subjacet? corruptibilis effecta est. Quo nomine & quamobrem? propter te hominem.* Hom. 14.

minem. Quandoquidem enim corpus accepisti mortale & patibile, idcirco & terra exsecrationem accepit, & spinas tulit ac tribulos. Et infra: *Liberabitur à servitute corruptionis; hoc est, non amplius erit corruptibilis, sed corporis sui venustatem sequetur. Nam ut corruptibili te effecto, & ipsa corruptibilis effecta est; sic incorruptibili effecto te, & ipsa quoque subsequetur, comesque tibi erit.*

Hom. 19. ad pop. Antioc

Et alibi: *Corruptibilis creatura facta est, Deo sic jubente; jussit autem sic Deus propter genus nostrum; quoniam enim hominem nutrire debebat corruptibilem, & ipsa talis esse debebat; non enim corruptibilia corpora decebat incorruptibili vesci creatura.*

In c. 1. Epi. ad Ephes.

Theodoretus in eundem Pauli locum: *Docet quod omnis visibilis creatura mortalem sortita est naturam; quoniam prævidebat Deus Adæ transgressionem, & in eum ferendam mortis sententiam;* & cætera ut Chrysostomus. Idem docet & alibi. Idem tradit Andreas Cæsariensis, qui hoc ipsum confirmat intextis sancti Irenæi verbis.

In Apocal. c. 64.

X. Observarunt 6. versatilem tamen fuisse, & esse debuisse, illam quam creatis mentibus concessit Deus impatibilitatem; mercedem autem voluntariæ in mandato perseverantiæ desponsam fuisse veram & indefectibilem deinceps incommutabilitatem. Erat enim proculdubio honorificentius, ut ita gradatim consurgerent, mutabilitatem ipsam propulsandæ mutabilitati adlaborare & inservire cogerent, suæ sibi beatitudinis opifices essent, non sine auxilio tamen Dei: & sicut Deus suæ sibi quodammodo author est incorruptibilitatis, quia à seipso est totum quod est, ita & suæ sibi aliquo modo authores essent. Gregorius Magnus:

Moral. l. 5. c. 18.

Mirè autem omnipotens Deus naturam spirituum bonam sed mutabilem condidit, ut & qui permanere nollent, ruerent; & qui in conditione persisterent, tantò in ea jam digniùs, quantò ex arbitrio starent, & eò majoris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis suæ motum voluntatis statione fixissent.

Ibid. l. 25. c. 8.

Et alibi: *Virtute namque propria in præceps posse ire considerat anima; sed ad creatorem suum amoris manu se retinet, ne cadat; quousque ad immortalitatem transeat, & eò verè immortaliter, quo immutabiliter vivat. Ipsi quoque Angelici spiritus mutabiles ex natura sunt conditi; quatenus aut sua sponte caderent, aut ex arbitrio starent. Sed quia humiliter elegerunt ei inhærere à quo creati sunt, hanc ipsam in se mutabilitatem suam standi jam immutabilitate vicerunt, ut hoc ipsum merito transcenderent, quod naturæ suæ ordine mutabilitati subesse potuissent.* Ubi quatuor hujus ordinis adglomerat rationes. Decebat enim 1. ita gradatim progredi, 2. mutabilitate mutabilitatem amoliri, immutabilitatem emereri, 3. ad instar Dei suæ sibi beatæ stabilitatis authores ipsos effici, 4. quia immutabilitas libertati maximè videri potest obluctari, ab ipsa libertate derivanda fuit, eique infulcienda, ut omnis pugnæ suspicio propulsetur; erunt enim immutabiliter liberi, liberè immutabiles, qui libertate gradum sibi ad immutabilitatem muniêrunt, nec libertate libertatem extinxerunt.

Orthod. fid. L. 2. c. 30.

Damascenus similiter: *Par fuit igitur primum probatum hominem, & experientia per observationem mandati perfectum, sic incorruptibilitatem virtutis præmium accipere. Medius enim Dei & naturæ factus, per observationem mandati post liberationem naturalis habitudinis ad entia, unitus Deo per habitum, suscepturus erat intransmutabilem in pulcro firmitatem. Per transgressionem autem ad materiam magis delapsus, & suæ causæ, Dei inquam extrudens intelligentiam, corruptioni traditus est, & passibilis pro impassibili, mortalis pro immortali factus, &c.*

XI. Observarunt 7. Naturas creatas non alio magis medicamento & mutabilitatem suam expungere, & immutabilitatem sibi accersere, quàm virtute & justitia. 1. Per virtutem enim in primævæ imaginis formam restauramur, quæ incommutabilem Dei æternitatem de proximo contingens, temporalia & mutabilia omnia calcabat. 2. Per virtutem spirituales & immateriales evadimus, materiæ exuimus corruptibilitatem, spirituum induimus incorruptionem. 3. Per virtutem nec prosperis extolli, nec adversis deprimi, affectibus nec tumescere, nec inanescere insuescimus, cogitationum vicissitudines, passionum procellas vel antevertere vel sedare vel contemnere, & de statione mentis nunquam dimoveri. 4. Per virtutem quisque è multis unus evadit; malus enim multiplex est; tot vultus induit, tot personas subit, quot vitia fovet, quot affectus sustinet. At virtus in immutabili quadam unitate figitur & figit. 5. Per virtutem verè est, quisquis ejus compos est; ad vera enim entia accedit, cum à non entium umbris recedit; at vitium omne in sensibilium & non entium fumos inanescit. Ut ergo per virtutem incipit quis verè esse, ita incommutabiliter esse. 6. Virtus omnis ratio quædam est, & idea sempiterna, & legis æternæ portio, quæ omnia incommutabilitatem suam apertè prædicant. 7. Virtus omnis adhæsio quædam est ad Deum; incommutabili autem quisquis adhæret, innititur & adglutinatur, evadit & ipse immobilis. 8. Imò virtus omnis Deus ipse principaliter est, & compos hospesque virtutis quisquis est, Dei compos hospesque est: quin ergo qui gestat in sinu ipsum incommutabile, ipso saltem incommutabilitatis sapore respergatur? 9. Ut breve & mortale & corruptibile quid est voluptas, quia corporis corruptibilis bonum est: ita æternum & incorruptibile quid virtus est, quia animæ incorruptibilis bonum est, illa corporis corruptela est, hæc animæ incorruptela. 10. Hinc Philo immutabilem Deum esse probat, quia viri probi probitate sua ad incommutabilitatem evehuntur. 11. Hinc Gregorius Nyssenus tres Personas sanctissimæ Trinitatis æquè incommutabiles esse probat, quia alioquin ab ipsis per baptismum renascentes, in veram immutabilitatem non renasceremur.

XII. Sed jam hæc omnia sanctorum Patrum suffragiis munienda sunt. Bernardus: *Eris inter adversa & prospera mutabilium temporum, tenens quandam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem & inconcussam constantis animi æqualitatem; benedicens Dominum in omni tempore, proindeque vendicans tibi etiam in hujus mutabundi sæculi dubiis eventibus, certisque defectibus, perennis quodammodo incommutabilitatis statum, dum te cœperis renovare & reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quippè sicut ipse est, ita eris & tu in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus.*

Serm. 81. In Cant.

Ubi testatur sanctus Pater per virtutem redintegrari hominem ad oblieratæ per peccatum imaginis primigeniam dignitatem, hoc est ad perennis incommutabilitatis statum. Irenæus: *Nunc partem aliquam spiritus ejus sumimus, ad perfectionem & præparationem incorruptelæ, paulatim assuescentes capere & portare Deum.* Et paulò post: *Si pignus hoc habitans in nobis jam spirituales effecit, & absorbetur mortale ab immortalitate, &c.* Quia igitur per Spiritum sanctum infunduntur virtutes, hinc ipsam non tantùm virtutum, sed Spiritus sancti spiritalem vim induentes & imbibentes, materiæ corruptibilitatem extirpamus.

Adv. hæreses l. 5. c. 8.

Cassiodorus: *Istæ animæ propriè immortales dicendæ sunt, quas nulla pœnitudo discutiat, nullus mœror affligit.* Ubi illam mentis inter prospera & adversa, inter affectuum tempestates invariabilem stationem, ut supra Bernardus, ita hinc Cassiodorus veræ immortalitatis demonstrat beneficium esse.

L. de Anim. c. 18.

Origenes: *Immutabilis est Deus, & per hoc unus dicitur, quod non mutatur. Sic ergo & imitator Dei justus qui ad imaginem Dei factus est, unus & ipse cum ad perfectum venerit, appellatur, quia & ipse cum in virtutis summa constiterit, non mutatur;*

In l. 1. Reg. c. 1.

tur; sed unus permanet semper. Nam dum in malitia est unusquisque, per multa dividitur, & in diversa dispergitur, & dum in multis est malitiæ generibus, dici non potest unus. Virtus igitur omnis immutabilitas est, quia unitas est; at vitium quia multitudo est, ideo mutatio est. Gregorius Magnus in illa verba: *Nec est alius extra te: potest hoc & ad justitiæ statum pertinere, quia electorum esse, est in Deo per justitiam manere.* Ita justitia stat & verè est, quia in ipso esse, id est, in Deo permanet. Philo lib. de Cherubim, ait Deum quidem animarum maritum esse, & contra quàm soleant homines, adeo non earum virginitatem deflorare, ut & illam defloratis redintegret, sicque virginum maritus sit; sed satius esse assentiri Jeremiæ, qui Deum non virginis, sed virginitatis maritum esse tradidit; immortalis enim & sempiterna idea virginitas est, & dignior Deo conjux. *Homo quando liberos sibi quærit, ex virginibus reddit mulieres; at Deus quando incipit cum anima habere consuetudinem, eam quæ modò mulier fuerat, restituit in pristinam virginitatem.* Et paulò pòst: *Ideo firmum manet oraculum quod dicit, Deum virum esse non virginis, hæc enim mutabilis & mortalis est; sed virginitatis, scilicet ideæ, quæ sui semper similis est. Cùm enim generatio & corruptio naturæ ordine cadant in res mortales, illæ archetypæ potentiæ istarum rerum fictrices particularium, immortalitatem sua sorte adeptæ sunt.* Ubi virtutes docet Philo ideas esse æternas & immutabiles. Iis autem ut immutabilitatis seminibus seminari animas, statim subjicit: *Nonne ergo decebit Deum, qui est ingenitus, & immutabilis, virtutum immortalium semper virginum ideas seminare in virginem transformatam ex muliere?* Et libro de Temulentia: *Inde discimus, id quod verè legitimum est, consequenter æternum esse; quando & recta ratio quæ legis vicem obtinet, non est corruptibilis. Nam è diverso quidquid iniquum, vix uno die durabile, à seipso dissolvitur.* Ratio, justitia, virtus, lex, naturæ quædam æternæ & immutabiles sunt. Idem libro de Gigantibus: *Virtus est immobilis, & vir probus immutabilis, quod ambo in recta ratione stabiliantur.* Sanctus Prosper contra Collatorem: *Virtus principaliter Deus est, cui non aliud est habere virtutem, quàm esse virtutem.* Gregorius Nyssenus: *Quisquis sanctam Trinitatem increatam esse confitetur, ingreditur vitam immutabilem, & inalterabilem; creatam autem falsa æstimatione aspiciens naturam in sancta Trinitate, & deinde in ea baptizatus, ingeneratur rursus in vita mutabili & alterabili. Nam quod nascitur, est necessario ejusdem generis cujus est natura eorum quæ generant.* Quibus verbis hortatur immutabilitatem toti Trinitati strenuè vindicare, nostra enim permultum interesse, ut à parente immutabili immutabiles & ipsi per baptismum renascamur. Philo rursus libro, Quod Deus sit immutabilis: *Quæ major impietas quàm credere quod Deus immutabilis mutetur? Cùm existiment quidam, ne veros quidem homines consiliis alternare. Sinceros enim Philosophos hunc præcipuum ex sua scientia fructum decerpere, quod non mutantur cum negotiis, sed indeflexa constantia, stabilique firmitate, omnibus se adaptant rebus.* Sic ille adeo virtute partam stabilitatem immutabilem esse duxit, ut inde astruendæ Dei immutabilitati argumentum peteretur. Denique Lactantius: *Voluptas tam mortalis est, quàm corpus cui exhibet ministerium; justitia verò & beneficentia tam immortales quàm mens & anima, quæ bonis operibus similitudinem Dei assequitur.*

In l. 1. Reg. c. 2.

Orat. Catech. c. 39.

L. de Ira Dei c. ult.

XIII. Observarunt 8. Veram & quantam maximam assequi possunt creaturæ, in beata patria Deique præsentis contemplatione eis demum obvenire immutabilitatem. Unde Irenæus: *Visio Dei efficax est incorruptelæ; incorruptela verò proximum facit esse Deo.* Dionysius de beatis Angelis: *Ordinis sui motum proprium, & uniformem, secundùm divini amoris immutabilitatem, constanter tenentes; nec ullam in deterius agnoscentes imminutionem; sed inconcussam semper, & immobilem Deiformis suæ proprietatis sedem habentes.* Ubi immutabiles jam esse notat κτ͂ τὸ φιλοθέως ἄτρεπτον, Dei amoris immobilitate. Augustinus autem: *Est, videns Deum; quia homo in se non est. Mutatur enim & vertitur, si non participatio ejus, qui est idipsum. Tunc est, quando videt Deum. Tunc enim est, quando videt eum qui est; & videndo eum qui est, fit & ipse pro modo suo ut sit.* Isidorus Hispalensis: *Natura Angelorum mutabilis est, quia inest illis mutabilitas in natura; sed facit eos incorruptos charitas sempiterna. Gratia dicimus non natura esse incommutabiles Angelos. Nam si natura incommutabiles essent, diabolus non utique cecidisset. Mutabilitatem itaque naturæ suffragatur in illis contemplatio creatoris.* Bernardus eò rapit illa verba, *Seraphim stabant super illud: Stant planè Seraphim, quia charitas nunquam excidit. Stant attoniti & suspensi in contemplatione sedentis in throno, stant in æterna incommutabilitate, & æternitate incommutabili. Sola sedet Trinitas quæ sola habet immutabilitatem; sola est apud quam non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Seraphim verò stant immutabiles quidem, sed suo modo, non in ejus comparatione. Stant extendentes se & intendentes in eum, in quem prospicere concupiscunt.*

Irenæus. L. 4. c. 75.

Dion. Cœl. Hier. c. 7.

Augustin. In Ps. 121.

Isidor. l. 1. c. 10. Sentent.

Bern. Serm. 3. de verbis Isajæ.

XIV. Prima ergo hujus immutabilitatis causa est vis charitatis invictissima; charitas enim nunquam excidit, fortis est ut mors dilectio. Si enim terrena cupiditas per peccatum primi parentis illapsa humanum genus ita terræ affixit, ut inde nulla creata vi refigere se, cœloque reddere potuerit; quantò magis divinæ charitatis voluptas beatorum mentes ita Deo adglutinabit, ita astringet, ut inseparabiliter & immutabiliter ei deinceps cohæreant? Secunda est veritatis cui inhærent incommutabilitas, ineluctabiliter mentes omnes in se rapiens, & suæ lucis infinitate illas in se trajiciens. Gregorius Magnus: *Qui per naturam omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent; sed dum immutabili veritati se semper inhærere desiderant, inhærendo agunt, ut immutabiles fiant.* Si enim hujus veritatis lux aliqua, in hujus vitæ nubilo interlucens, & ea quæ prima principia vocamus, irradians, invictissimè tamen subjugat intellectus flexibilitatem, nec nutare patitur; quid ubi fugata nocte Sol ipse conspicuus, quid ubi meridies lucebit & ardebit? Irenæus: *Spiritu præparante hominem in Filium Dei, Filio adducente ad Patrem, Patre autem incorruptelam donante, in æternam vitam, quæ unicuique evenit ex eo quod videat Deum. Quemadmodum enim qui lumen intuentur, intra lumen sunt, & ejus splendore fruuntur; sic qui Deum vident, intra Deum existunt, splendoris ejus participes. Vitæ ergo participes erunt qui Deum vident.* Intimè igitur luce veritatis perfusi & infusi lucescunt & ipsi, naturam incommutabilem lucis induti. Tertia est vita Dei, vel vita Deus qua vivent; omnis enim mutatio mors est; vita mortis, ideo ergo & mutationis propulsatrix est; at vita summa Deus omnes penitùs mortis vel mutationis umbras longissimè amolietur. Id paulò antè insinuavit Irenæus, beatorum incorruptelam superstruens vitæ, qua lux divina illos perfundit. Et ibidem paulò pòst, sic obiter rem conficit: *Homines igitur videbunt Deum, & vivent per visionem, immortales facti, & pertingentes usque in Deum.* Et Gregorius Magnus: *Cumque ad hanc (veritatem) toto affectu se tenent, quandoque accipiunt, ut super semetipsos ducti, vincant hoc quod in semetipsis mutabiles extiterunt. Quid enim mutabilitas nisi mors quædam est? quæ dum rem aliquam in aliud immutat, quasi occidit quod fuerat, ut incipiat esse quod non erat.* Non possunt igitur

Moral. l. 12. c. 17.

L. 4. c. 17.

Moral. l. 12. c. 17.

igitur vitam vivere verè immortalem, nisi vivant immutabilem. Si mors ultra non erit, igitur nec mutatio.

XV. Quarta est dulcedo fœlicissima, & sufficientia exuberantissima boni divini; sic enim illa dulcedine inebriantur, ut alia omnia oblivíscantur, atque adeo ab illa ad ista declinare non possint. Sic illa boni ubertas illis sufficit, sic implet totos, & exhaurit, ut aliud cogitare aut expetere quidpiam non possint extra eum qui omnia est. Augustinus: *Cælum cæli quod in principio fecisti, creatura est aliqua intellectualis, quanquam nequaquam tibi Trinitati coæterna, particeps tamen æternitatis tuæ, valdè mutabilitatem suam præ dulcedine fœlicissimæ contemplationis tuæ cohibet; & sine ullo lapsu ex quo facta est, inhærendo tibi, excedit omnem volubilem vicissitudinem temporum.* Et infrà: *Quoniam tu Deus diligenti te quantum præcipis, ostendis ei te, & sufficis ei; & ideo non declinat à te, nec ad se.* Ideo indeclinabiliter Deo adhærent, quia sufficit Deus; ab eo enim si declinarent, utique desiderio rei alicujus quam in Deo desiderarent, vel alibi suaviùs aut uberiùs fruituros sperarent; at Deus suavitatis & ubertatis totius fons inexhaustus est. Quinta est traductio eorum à temporis lapsu in æternitatis statum; ejurata enim temporum labe, transcribuntur ipsis quodammodo æternitatis jura; Deo ipsis semper præsente, omnia cum ipso præsentia sunt; itaque jam nec meminere præterita, nec expectant futura; sola Dei, omniumque in Deo præsentia perfruuntur; ideoque non mutantur, quia omnis mutatio præteriti & futuri, prioris & posterioris vices importat. Augustinus: *Dixisti mihi voce forti in aurem interiorem, quod nec illa creatura tibi coæterna est, cujus voluntas tu solus es; teque perseverantissima castitate hauriens, mutabilitatem suam nusquam & nunquam exerit; & te sibi semper præsente, ad quem toto affectu se tenet, non habens futurum quod expectet, nec in præteritum trajiciens quod meminerit, nulla vice variatur, nec in tempora ulla distenditur.* Sexta est vehementia impetus quo in Deum se librant, totosque se in ejus amplexum ita rapiunt irrevocabiliter, in eumque ita deficiunt, ut nihil ampliùs supersit virium quo nodum tam arcti complexus solvant, vel ad alia se resolvant. Maximus Martyr: *Non quod secundùm naturam immutabiles sint, sed quod libero arbitrio agentes, per nimiam in bonum cupiditatem, in divinitatem propensæ, ita permanserunt immobilitatem tanquam habitum habentes: solus enim Deus secundùm naturam est immutabilis.* Eadem habet Pachymeres in eumdem locum.

Confess. L. 12. c. 9. 25.

Confess. L. 12. c. 11.

In c. 7. Cœl. H. [illegible]

XVI. 7. Tametsi autem beatæ illæ mentes nihil patiuntur, compatiuntur tamen miseris; affectibus non mutantur, sed opitulantur; citra miseriæ sensum misericordes sunt; Deique quo pleni sunt imitatione, impatibiliter compatiuntur, incommutabiliter afficiuntur, tantòque omnipotentiùs mutabilitati auxiliantur nostræ, quò vehementiùs omnipotentiæ & immutabilitati adhærescunt divinæ. Bernardus: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est, & in divinum quendam totus immutatur effectum; nec potest jam sentire aut sapere nisi Deum, & quod sapit & sentit Deus, plenus Deo. Deus autem charitas est, & quantò quis conjunctior Deo, tantò plenior charitate. Porro impassibilis est Deus, sed non incompassibilis, cui proprium est misereri semper & parcere. Ergo & te* (Gerardum fratrem alloquitur mortuum spectatæ sanctitatis Monachum) *necesse esse misericordem qui inhæres misericordi, quamvis jam minimè miser sis, & qui non pateris, compateris tamen; affectus proinde tuus non est imminutus, sed immutatus, nec quoniam Deum induisti, nostri cura te exuisti, & ipsi enim cura est de nobis. Quod infirmum est abjecisti, sed non quod pium.* Ergo ut Deus tantò potentiùs mutabilia regit, quantò immutabilis est, & miseris succurrit, quantò beatior est, & defectibus nostris opitulatur, quò iis non afficitur; ita Beati, quò ab affectibus, miseriis, & mutationibus tutiores ipsi sunt, eò ab iisdem invictiùs nos tutantur.

Serm. 16. in Cant.

XVII. 8. A cumulatissima autem animæ immutabilitate, absolutissima exundat in corpus incorruptibilitas: ut enim animam vita incorruptibilis Deus incorruptibilem deinceps efficit, ita anima incorruptibili jam vita vivens, eamdem cum vita incorruptibilitatem in corpus suum refundit. Theodoretus: *Cùm resurgant corporalia immortalia, & animarum immutabilitatem adipiscantur, nullus de cætero locus erit peccato.* Vides carnem cum animo non desponsatam, sed insolubili fœdere conjugatam, connubialia jura & maritalia omnia privilegia usurpare. Illud idem ex alio capite efficit Origenes, quia nempè anima sapientiam & verbum ita induitur, ut non incorruptibilis tantùm inde evadat, sed incorruptio; quare cùm rursus anima corpus induatur, incorruptione pariter induitur. Vel si mavis, usque adeo sapientia incorruptio ipsa est, ut non animæ tantùm illam impertiat, sed per animam in corpus illam trajiciat. Et ad hunc modum interpretantur illa verba Pauli: Necesse est corruptibile hoc induere incorruptionem, idest, animam incorruptibilem, & incorruptibilitatis largitricem. *Sicut Christus indumentum est animæ, ita intelligibili quadam ratione anima indumentum dicitur esse corporis. Tale est ergo quod dicitur, Necesse est corruptibile hoc induere incorruptionem, ut si diceret, naturam hanc corruptibilem corporis necesse est accipere indumentum incorruptionis, animam habentem in se incorruptionem, pro eo videlicet quod induta est Christum qui est sapientia & virtus Dei.* Et infrà: *Incorruptio & immortalitas quid aliud erit, nisi sapientia & Verbum & justitia Dei, quæ formant animam & induunt & exornant, & ita fit ut dicatur quia corruptibile incorruptionem induet?* Nec stupebunt Christianæ aures, si materiale idem & incorruptibile corpus audiat; nam quantumvis obstrepant Philosophi, corruptio corporis non natura, sed pœna est, ejusque rei argumentum & futuræ incorruptibilitatis augurium, & præludium est, quòd Sanctorum corpora in ipso etiam pœnalis corruptionis pulvere, quasi in antiquum jus postliminio remigrantia, vel futurum privilegium in antecessum præsumentia, corporum corruptelis medentur, morbos fugant, mortem abigunt, &c. Chrysostomus: *Corpus grave est & molestum, non secundùm suam naturam, sed secundùm mortalitatem quæ postea illi supervenit: veruntamen corpus non est corruptibile, sed incorruptibile. Tanta quippe ipsius est nobilitas, ut in ipsa corruptione suam dignitatem ostenderit. Nam Apostolorum umbræ incorporeas expulerunt virtutes, item pulvis & cinis eorum, & amicula quæ eorum adhæserunt corporibus, morbos fugarunt, sanitatemque contulerunt.* Ut igitur futuræ animorum immutabilitatis prægustationes quædam hìc obtingunt per virtutem inter rerum temporumque procellas stantem, & inconcussam; ita futuræ corporum immutabilitatis quædam præludia anticipantur, per sacros cineres, mortis, morborum, aliarumque hujusmodi pestium exterminatores. Quod autem obgarriunt Philosophi esse contra naturam, ut quod materiale est, dicatur & sit incorruptibile, respondet Pachymeres, id esse non contra naturam, sed supra naturam; & quidem supra naturam rerum, non autem supra naturam Dei; nam supra naturam omnipotentem nihil est. Quod verò secundùm naturam & voluntatem Dei est, id etiam secundùm naturam rerum dicendum est, quia voluntas Dei natura ipsa rerum est. Sed hæc alibi fusiùs.

Hæret. fab. L. 5. c. 21.

Periarch. L. 2. c. 3.

Serm. 35. Tom. 5.

In c. 6. Dionys. de div. Nom.

XVIII. Observarunt 9. hoc immutabilitatis seu rudimentum in hac mortali, seu complementum in beata posthac vita, obvenire nobis non potuisse,

nisi

nisi incommutabile Verbum naturæ nostræ mutabili sese suasque nativas dotes infundens, mutabilitatem & naturæ ultro insitam, & primigenia innocentiæ gratia leviter compressam, & erumpente postea peccati contagio latiùs serpentem, & impunè grassantem penitùs profligaret, nobisque ipsam adunatæ nobis divinitatis suæ immutabilitatem & hìc oppigneraret, & in futura pacis visione omnino transcriberet. Athanasius: *Quum rerum conditarum natura convertibilis esset, aliique pravaricatione, alii inobedientia peccassent, neque in studiis ulla firmitas subsisteret, subinde bono in aliud mutato; adeo ut qui in præsentia esset justus, paulo post talis non appareret, ideo inconvertibilis natura requirebatur, quo homines incommutabilem Verbi justitiam pro formula & exemplari haberent ad virtutem capessendam. Primo enim homine mutato, & morte per peccatum in mundum introgressa, necesse omnino fuit secundum Adam immutabilem esse, quo si denuo serpens eum invaderet, impostura illius vim nullam haberet; Domino autem inconvertibili & inalterabili existente, adversus nos omnes infirmæ sint serpentis congressiones. Ut enim Adamo peccante fraus in omnes homines dimanavit, sic Domino superante eadem virtus in nos refusa est.* Plura ex Irenæo aliisque Patribus congerere supersedeo, ne rem non suo loco prolixiùs persequar, quàm par est.

Orat. 2. Cont. Arian.

XIX. Juvat nunc antedicta omnia summatim constringere, & ad Scripturarum fontes revocare. Scripturæ verba sunt, ut ait Augustinus, alta humiliter, & pauca copiosè. Humiliter & paucis de immutabilitate Dei ibi disseritur, sed hac paucitate nihil copiosius, hac humilitate nihil sublimius; hinc fluxit tota illa & Philosophorum & Ecclesiæ Patrum ubertas & altitudo. Quòd enim immutabilis Deus sit, & hæc singularis sit ejus proprietas, Malach. 3. Ego Dominus & non mutor. 2. Quòd summoperè immutabilis, & ne levissima quidem mutationis umbra ei contingat, Jacob. 1. Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio; quòd talis Sol Deus sit & Pater luminum, in quem non tantùm obscuratio, sed nec obumbratio ulla incidat. 3. Quòd unitas & identitas ejus causa sit & radix immutabilitatis, in Psalmis, Mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es. 4. Quòd bonitas, Jacob. 1. 17. Omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio. Ubi bonorum & optimorum fons, bonum ipsum, nulla transmutatio vel obumbrari posse negatur. 5. Quòd esse, in Psalmis rursum, Mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es, ut suprà Patres exposuerunt. 6. Quòd veritas, Num. 23. v. 19. Non est Deus quasi homo ut mentiatur; nec ut filius hominis ut mutetur. Ubi veritas immutabilitati copulatur. 7. Quòd vita, omnis enim mutatio mors est, Deus autem summa vita, ideoque solus immutabilis ut solus immortalis, 1. Timot. 6. 16. Qui solus habet immortalitatem. 8. Quòd ideo mutabilium omnium author rectorque sit, quòd immutabilis ipse sit, Sap. 7. 17. Et cùm sit una, omnia potest, & in se permanens, omnia innovat. 9. Quòd Deus semper, non semper Dominus fuerit, id observavit Tertullianus ex eo quòd in editione Latina & LXX. Dominus tum demum incipiat appellari, cùm omnium creationem absolvit, maximè hominis, cujus specialiter Dominus est. 10. Quòd ubi irascitur & miseretur Deus, citra ullam mutationem hæc fiant, liquet tum ex iis locis ubi Angeli carnifices malorum vocantur ira Dei, Psal. 77. 49. Immisit in eos iram indignationis suæ, immissiones per angelos malos. Tum ex iis ubi Deo tribuuntur quæ ejus nomine & impulsu à sanctis fiunt, ut Matth. 10. 20. Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Tum denique ex iis ubi ira Dei vocatur non affectus in Deo, sed effectus in reo, ut Rom. 2. 5. Thesaurizas tibi iram in die iræ, id est, vindictam vel pœnam. Unde colligas ab effectis dici quæcumque de Deo dicuntur. 11. Quòd summa spes & radix incorruptibilitatis naturis corruptibilibus adjiciendæ sit justitia, virtus, cognitio Dei, Sap. 1. 15. Justitia perpetua est & immortalis, & c. 15. 3. Nosse enim te, consummata justitia est; & scire justitiam & virtutem tuam radix est immortalitatis; & c. 6. 19. 20. Custoditio legum consummatio incorruptionis est, incorruptio autem facit esse proximum Deo. 12. Quòd vera incorruptibilitas in beata patria sit, efficiunt eadem loca, nam ibi vera justitia regnat, ibi Dei cognitio plenissima, ibi legis custodia seu charitas cumulatissima; ibi denique 1. Cor. 15. Corruptibile hoc induet incorruptionem, & 21. Apoc. Mors ultra non erit. Ergo nec mutatio. 13. Quòd incorruptibilitas corporis ab anima, animæ à justitia, & sapientia incommutabili derivetur, probant loca ex libro Sapientiæ relata. Itemque illud Pauli ab Origene superiùs allatum, Necesse est corruptibile hoc induere incorruptionem, id est, animam sapientiæ incommutabilis incorruptibilitate indutam. 14. Quòd incorruptibilitas sapientiæ per animam in corpus, imò & in universam rerum corruptibilium naturam usque exundasset, nisi peccati labes hujus beneficentiæ excursum intercepisset, probarunt suprà Græci Patres ex illo Pauli contextu Rom. 8. 20. Vanitati creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. 15. Quòd nulla tamen creatura Deo comparata, vel immutabilis, vel incorruptibilis, vel immortalis sit, Patres suprà probarunt ex illo Pauli loco, Qui solus habet immortalitatem. Item ex illo, Seraphim stabant super illud. Seraphim enim stant, Trinitas sedet. 16. Quòd peccatum mortem & corruptibilitatem invexerit, docet Paulus: Et per peccatum mors.

CAPUT XI.

De æternitate quid decreverit antiqua Philosophia.

I. Quid tempus, quid æternitas, sentiunt vel imperiti, ex naturæ magisterio: eloqui vix periti possunt.

II. Priùs de æternitate, postea de tempore inquirendum.

III. Definitio, vel descriptio æternitatis.

IV. Ejus confirmatio ex Plotino.

V. Æternitas Verbo competit, eaque constringitur firmaturque ex Verbi, seu mentis & vitæ adhæsione ad unum, Filii ad Patrem.

VI. Suffragatio Procli.

VII. Et Platonis.

VIII. Temporis definitio, & origo, ex motionibus animæ potiùs quàm corporis.

IX. Natales temporis ex defluxu animarum à summi boni contemplatione ad amorem & gubernationem rerum materialium.

X. Cur priùs & posterius temporis in motionibus animæ potius quàm corporum locaverint.

XI. Non desinet unquam tempus, quia nunquam anima se totam in summi boni contemplationem recolliget.

XII. Alios tamen tempori natales assignat Plato, nempe à summa bono, cui visum est sensibilem mundum effingere ad imaginem intelligibilis mundi.

XIII. Ævum animæ proprium, emergentis supra temporalia, & æternitati veritatis ac mentis primæ sese immergentis.

XIV. Quantum distet ævum ab æternitate.

XV. Æter-

XV. Æternitas, & ante & post omnia tempora est, non tempore, sed eminentia potestatis.

I. Quid tempus, quid æternitas sit, arcanam quandam scientiam ab ipsa natura in omnium penitùs hominum mentibus informatam esse, ex ipsis vulgi sermonibus conjicere fas est. De illis enim passim disserunt conspirantque in eamdem sententiam omnes; tametsi ubi explicatè & enucleatè quid tempus sit, quid æternitas sit, expediendum verbis est, non imperiti tantùm, sed & periti vehementiùs laborent. Quid ergo ea sint, intelligere vel imperiti possunt; eloqui nec periti possunt. Adeo pollet naturæ magisterium, adeo languet hominis eloquentia; potest illa docere plebem, quod nec eloqui potest Philosophus. Plotinus: *Cùm æternitatem, & tempus diversa inter se esse dicamus; & illam quidem circa naturam sempiternam esse, hoc autem circa id quod fit, idque universum versari; existimamus nos quasi sponte, ex naturalique ingenio, & subito quodam intelligentiæ intuitu manifestum quemdam circa hæc habere instinctum, nostris animis penitus insitum: eadem videlicet de his semper dicentes, passimque nominantes. At verò quando conamur propiùs ad hæc accedere, & absolutius explicare, in dubitationes incidimus, atque accipientes priscorum de his sententias, in his immoramur.* (Ennead. 3. L. 7. c. 1.) Rectè colligit insitam naturaliter notitiam ex consensu omnium hominum de iis differentium: sed quia instar fulguris momentanea tantum coruscatione allucere solent res hujusmodi quando nominantur, veritas, sapientia, justitia, æternitas, tempus, &c. ut priscæ diei reliquiæ quædam sospites, in noctem pœnalium phantasmatum fulgurantes; ideo antè avolant & vanescunt, quàm verba illis seligere & coaptare liceat, quibus appositè efferantur.

II. Cæterum utrius alteri præire, & prælucere debeat illustratio, ambiguum est; nam explanata æternitate, lux effundetur tempori ejus imagini; & expedita temporis natura, ad æternitatem quæ ejus exemplar est, mollior gradus sternetur. Plotinus ibidem: *Prius de æternitate quærendum: cognito namque illo quod loco exemplaris habetur, forte plenius illius imago quod tempus nominant, cognoscetur. Si quis autem antequam contempletur æternitatem, quid sit tempus imaginetur, accidet & hoc forsan huic per reminiscentiam quandam hinc illuc progredienti, cui tempus assimilatur, agnoscere, siquidem hoc ad æternitatem similitudinem habeat.* Ut tamen Plotino obsequamur, ad æternitatis indagationem priùs accingamur.

III. Ad naturam igitur seu definitionem æternitatis multa desiderarunt Philosophi. 1. Esse, seu verum esse, non fluens in non esse, non effluens à non esse, non dilabens in aliud & aliud esse, hæc omnia enim aspergines quædam sunt non entis ens inquinantis; sed esse, merum esse, fixumque. 2. Vitam. Æternitas enim duratio quædam est, seu ætas, sicut & tempus; ut ergo tempus rei temporaneæ motum quendam flagitat, ita æternitas veri entis vitam quandam seu intelligibilem motionem postulat. 3. Vitam jam infinitam, id est, totam simul. Ad hoc enim ut tota simul sit, necesse est ut infinita sit. Item ut totam se in se colligat, nec in partes priores & posteriores discerpi se patiatur, infinita vi opus illi est. 4. Et beatam. Ut enim in futurum propendendo non diffluat, opus est tota in præsens beatitudine perfruatur; ut stet & quiescat, opus est ut ad nihil fœlicius moveri possit. Sicut ex adverso temporalia, quia misera semper, & indiga & manca sunt, ideo in futura properant, præsentia effugiunt; quod sibi deest, id assequi, partesque suas omnes colligere festinant. 5. Vitam rursus seipsa promicantem & erumpentem, sese proferentem, suoque quasi ex sinu scaturientem. Vita enim motio quædam est sui generis, quæ æterna non erit, si aliunde impellatur quàm ex seipsa; alterius enim nutu, & precariò vivens, ejus quoque nutu inciperet vel desineret; at si ipsa sibi vivendi & essendi fons est, nec desinet nec incipiet, quia secum semper fuit, semper erit. 6. Vitam denique in uno & circa unum. Ut tempus enim in numero fluit, ita æternitas in uno stat; & movetur quidem, sed in uno; ideo immota movetur, stans movetur, eique non aliud est moveri, quàm quiescere.

IV. Plotinus: *Videtur in rebus generabilibus id potissimum essentia esse, scilicet tractus quidam ab ipso esse ex generationis initio, &c. Quamobrem ad ipsum esse futurum natura festinat, neque vult quiescere, quippe cum esse sibi hauriat, dum aliud quiddam atque aliud agit, moveturque in orbem, quodam essentiæ desiderio, &c.* (Enn. 3. l. 7. c. 3.) Prominent igitur in futurum temporalia, & à præsenti transvolare laborant, quia trunca sunt, nonnullasque suas partes affectant, illisque adventantibus obvia quasi occurrunt; atque ita moventur, non, ut vulgò ajunt, ad non esse, sed ad esse quod deest ipsis in præsenti, quodque aderit futuri adventu. At æternitas quia tota est, non fluit, nihil expectat è futuro, quia nihil sibi deest; ideo stat, præsentibus abundè contenta & beata. Pergit Plotinus ibidem: *Primis autem rebus atque beatis, neque desiderium inest futuri; jam enim totum sunt; & quidquid habere vitæ debent, jam totum possident; ideo nihil quærunt, quia his nihil est futurum.* Quia igitur tota est, & beata sibi est æternitas, ideo stat & quiescit; nec in futurum pendet, quia nihil expectat, omnium beatissimè compos. Hoc autem ideo ita habet, quia est, seu verè est. Ibidem: *Ipsa igitur absoluta entis essentia, & tota, quæ & non discerpatur in partes, sed in partibus suis tota sit, & in nullo deficiat, nihilque sibi desit, & cui nihil omnino quod non ens dicatur, possit accidere: hæc inquam proprietas, ipsiusque natura, æternitas est.* Et ibidem: *Rectè dici potest æternitas esse Deus, fulgens, proferensque in lucem seipsum, qualis potissimum est secundum esse, esse inquam incommutabile penitus atque idem, & ita firmiter in vita consistens.* (Ibid. c. 4.) *Si quis æternitatem descripserit, vitam jam infinitam, ex eo quod sit universa, nihilque amittat, cùm nihil vel præterierit, vel sit futurum, alioquin jam tota non esset, is profectò maximè ad definitionem ejus accedet. Quod enim aditur, totam esse, nihilque amittere, expositio quædam est ejus quod dicebatur, scilicet, vita jam infinita.* Ubi vides æternitatem esse vitam, quæ à seipsa scaturiat & exiliat, & quia sua sibi semper est, sibique ipsi fons est, ideo & nunquam incipit, & nunquam desinit, & tota simul est, & infinita jam est; nec à præterito, nec in futurum fluit; quia cùm à seipsa tantùm erumpat, tanta simul erumpit, quanta unquam potest. Denique idem ibidem: *Quoniam verò natura talis pulcherrima & sempiterna, circa ipsum unum extat, ab illo & ad illud, nullo modo ab ipso digrediens, sed manens circa illud semper, atque in illo, secundùmque illud vivens; idcirco dictum est à Platone non temerè, sed præclare admodum, Æternitas manet in uno. Ut videlicet non solùm ipse eam in unum redigat quod est in ipsa; sed etiam ipsa entis vita circa ipsum unum similiter se reducat.*

V. Ubi arctius adhuc vinculum constringendæ ab omni fluxu sistendæque æternitati comparatur, ipsum bonum, à quo, ad quod, & circa quod tota est. Ens enim primum seu prima vita, seu Verbum cui propriè competit æternitas, tametsi beatissimè & invictissimè potens sit manere & stare, omnemque fluxum longissimè amandare; hæc tamen beatiùs multò & invictiùs consequitur, qua summo parenti, seu uni ipsi affigitur, in illo est, ad illudque vivit; utque ipsi uni affigitur, ita ipso uno figitur. Ens enim seu mens cùm vita & intel-

intelligentia & motio quædam fit, fisti postulat & adunari ab immobili uno, supra vitam, supra intelligentiam, supra motionem, supra mentem, supra ens extante & quiescente in ineffabili silentio beatitudinis suæ.

Theol. Plat. L. 3. c. 18. VI. Nec abludit à Plotino Proclus: *Ævum facultas est infinita in uno manens & stando progrediens.* Vis infinita, quia tota simul & interminabilem ætatem in unum punctum colligens, nec dissipari sinens, idque ea vi quam ab uno cui affi-

Instit. Theo c. 84. 86. gitur, haurit. Et rursus idem alibi: *Omne quod semper est, infinitæ potentiæ est. Si enim indeficiens est ejus substantia, infinita quoque est vis, qua est id quod est, & qua esse potest. Si enim essendi vis finita esset, deficeret aliquando.* Et rursus: *Secundum idem indivisibile illud est & infinitum. Et quanto magis unum est, & indivisibile, tanto & magis infinitum. Virtus enim quæ dividitur, infirma jam est & finita. Extremæ enim & ab uno remotissimæ vires, propter partitionem, finitæ jam sunt.* Infinita est igitur æternitas, tum quia indeficiens, tum quia indivisibilis; utrumque autem assequitur, sua ad ipsum unum cognatione & individua cohæsione. Ut ex adverso quæ à summo & primo uno longè deficiunt, nempe temporalia, in numeri & multitudinis longinquitatem euntia & pereuntia, quantò longiùs ab uno deficiunt, tantò magis viribus deficiunt, & dilacerantur in partes minutiores & minutissimas, & vanescunt tandem. Ut ergo temporalium defectio ab uno, dispersionis ipsorum & extremæ dissipationis origo est; ita æternitatis colligatio & adglutinatio ad unum, status ejus & perennitatis scatebra est.

VII. Eò præluserat Plato in Timæo, ubi tempus definit, *Æternitatis in unitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem.* Et paulò pòst: *Dicimus (de æterna substantia) est, erat & erit; sed illi revera solum esse competit; fuisse vero & fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus. Motus enim quidam duo illa sunt: æterna autem substantia, cùm eadem semper & immobilis perseveret, neque senior seipsa fit unquam, neque junior; neque fuit hactenus, neque erit in posterum, &c.* Ubi æternitatem totam locat in uno & in ente; ex eo enim utroque oritur status & præsentia jugis, præteriti & futuri insolens.

Enn. 1. l. 4. c. 7. Enn. 3. l. 7. c. 10. VIII. Tempus autem definitur à Platone, ut modò dictum, *Æternitatis in unitate manentis æterna quædam in numero fluens imago.* Et à Plotino: *Æternitatis imago, dispersione sua id quod in æternitate permanens est, disperdere cupiens.* Sed longè uberiùs naturam temporis pertractat alibi idem Plotinus, ubi & hanc ejus definitionem adducit: *Animæ (nempe mundanæ) in motu transitorio vita, alia ex alia.* Ubi quinque æternitatis & temporis consonantias paulum dissonantes paucis verbis complexus est. 1. Æternitas est vita, ita & tempus; sed illa entis seu mentis primæ, hæc animæ primæ vita est; illa exemplar istius, hæc illius imago; ut totus sensibilis mundus ad intelligibilem imaginis instar est. 2. In æternitate identitas est, statusque permanens, in tempore aliud & aliud. 3. In æternitate unum est, & indistantia totius à seipso; in tempore unitatis simulacrum est vicissitudo continua, nec usquam interrupta. 4. Æternitas infinita jam est, & jam tota; tempus partes suas aliis alias connectit & propagat. 5. Æternitas est tota simul, tempus est totum per partes diffusum, nunquam simul totum præsens, sed partium consecutione totum suum esse consequitur. Plotinus loco citato: *Si enim ævum est vita in statu, & in eodem similique habitu permanens atque infinita; oportetque tempus esse æternitatis imaginem, quemadmodum & hic mundus est mundi illius imago; certè loco vitæ quæ illic viget, oportet & vitam alteram hic asserere, in quadam animæ mundanæ potentia, tanquam illius æquivocam; & pro intellectuali motu, alicujus animæ partis motum. Item pro identitate habituque simili & permanente, vicissim quod non permanet in eodem, sed aliud semper aliudque exequitur. Rursus pro indistanti proprietate atque uno, unius jam simulacrum in quadam successione continua unum possidens. Præterea vice illius quod infinitum est, jamque totum, quod in infinitum deinceps futurum se propagat. Denique pro eo quod simul est totum, vicissim quod per partes est futurum, semperque futurum totum.* Sic ille temporis & æternitatis consensum dissensumque multiplicem enucleat. Utrobique enim est esse, sed in æternitate esse sincerum, in tempore umbratile; illic esse, tantummodo esse, hìc fieri magis quàm esse. Utrobique est vita, sed illic prima & intelligibilis, hìc extrema & animalis, illic circa summum unum affusa, illique affixa, hìc circa multitudinem sparsa, in eamque dissipata. Utrobique unitas, sed illic vera & castissima, in nullas partes violabilis, suaque cum summo uno copula arctiùs coalescens; hìc simulata, infinitarum & minutissimarum partium colligatione & continuatione sola & quasi concatenatione consistens. Utrobique infinitas est, sed illic vera infinitas, utpote tota simul præsens, seipsaque simul tota fruens; hic infinitas est miserrima, infinitis partibus in præteritum jam delapsis, infinitis aliis in futurum expectandis, in uno puncto præsenti eoque fugacissimo inter geminas hinc & inde infinitæ inanitatis abyssos constans, nec unquam constans. Utrobique totum quoddam est, sed illic totum ens, simul totum existens; hìc totum, sed totum ferè in nihilum jam demersum, totum ferè è nihilo nondum emersum, lubrico inter hæc vestigio seu momento præsenti geminum illud nihili chaos colligans, & adunans.

IX. Natales autem & incunabula temporis sic post Platonem suum exequitur Plotinus. Cum animæ omnes in intelligibili mundo conquiescerent, beatissima primæ mentis & unius contemplatione madentes, tempus nusquam erat, vel cum ipsis in æternitatis sinu conquiescebat; stabant enim omnes apud stantem semper Deum, nec ab illo vel ad se vel ad aliud quidquam defluebant. Cum fluxus ergo nullus esset, nec tempus erat, in invictissimo tum unius principatu. At ubi ejus fœlicissimæ identitatis pertædescere cœperunt, & in seipsas retorserunt sese, suique juris esse, & explicare se in inferiores aliquas naturas, & dominari concupiverunt, ex hoc earum fluxu ebulliit tempus tum in ipsis, tum in earum opificio. Mundum enim sensibilem ad intelligibilis imaginem fabricatæ sunt, sed indivulsam illam exemplaris identitatem & unitatem, nec ipsæ assequi, aut indere potuerunt, nec materia potuit pati; nam & hæc longinqua nimis est ab unitatis solio; & illæ inquieta generandi libidine jam defluxerant, & ægrescebant. Lascivientium itaque hujusmodi animarum Princeps anima mundi, totam intelligibilis ævi fœlicitatem & opulentiam in materia explicare satagens, cogitationes alias post alias expromit, motionesque alias post alias imprimit mundo corporeo. Ita ex motione & cogitatione alia in aliam, & ex vita alia in aliam procedens, tempus sibi ipsa genuit, quod non est aliud quàm vita animæ mundanæ continua cogitationum & provisionum suarum vicissitudine, mundanorum & cœlestium motuum vices librantis, & ad imitationem quantam maximam assequi potest, intelligibilis ævi seu æternitatis quæ in uno quiescit simul & movetur, dispensantis. Plotinus: *Priusquam ipsum prius oriretur, posteriorique indigeret, simul cum ipso, in ipso ente, conquiescebat tempus nondum existens, sed in illo ipsum quoque quietem agebat. Natura verò quædam in multas pronior actiones, & sui juris esse, sibique imperare cupiens, atque eo quod est præsens, plus aliquid habere eligens, jam & ipsa quidem agitata est, & simul effluxit tempus, deinceps semper, atque in posterum, neque per idem,* Ennead. 3. L. 7. c. 10.

ſed in alterum rurſuſque alterum. Cum enim eſſet potentia quadam animæ inquieta, volens videlicet quod illic inſpectum eſt, transferre in aliud, non ſuſtinuit totum ſibi collectum ſimul adeſſe; ſed quemadmodum ratio ſeminalis explicans ſeipſam ex quodam quieto ſemine, diſcurſionem in plurimum, ut putat, agit; diſperdens interea ipſum quod dicitur plurimum, diſperſione & partitione quadam; & pro uno quod in ſe exiſtit, expendens conſumenſque unum in ſeipſo non manens, in debiliorem progreditur longitudinem. Sic & ipſa animæ natura, mundum fabricata ſenſibilem ſuperioris illius imitatione, agitatum motu, non qualis ibi eſt, ſed ejus ſimili & ſimilitudinem affectante: primo quidem ſeipſam reddidit temporalem, pro ævo id jam reportans; deinde operi quoque facto dedit, ut tempori jam ſerviret, diſcurſiones illius omnes in hoc complexa, &c. Actionem namque ſuam adhibens aliam poſt aliam, deinceps que iterum aliam, genuit una cum actione poſterius ipſum. Jam verò vita præſens non eſt omnino ſimilis præcedenti; ſimul ergo alia vita, & quatenus alia, aliud quoque nacta eſt tempus. Diſtantia itaque vitæ atque protractio, tempus ſortita eſt; perpetuaque prorogatio vitæ ſempiternum habet & tempus. Sic igitur fluxus omnis ex defluxu animæ à ſummo uno manavit, ſic tamen ut ab uno defluens, in illud per qualemcumque imitationem quodammodo refluat; adeo non eſt quo ab unius imperio recedatur, ut ab eo nihil abeat, niſi ut redeat; nec diſcedat, niſi ut accedat; abeat defluxione, redeat imitatione.

X. Cæterum in promptu eſt ratio, cur prius & poſterius temporis in motionibus animæ potius, quàm corporum quorumlibet ſeu cœleſtium ſeu ſydereorum collocaverint. Cum enim motiones corporum à motionibus, cogitationibus, & proviſionibus animæ diſpenſentur, & prout exemplaris imitandi præſcripta lex jubet, vel contrahantur, vel protrahantur; cum in utriſque & corporis & animæ motionibus & prius & poſterius reperire ſit; æquum eſt ab animæ potius quàm corporis motibus utrumque derivari. Quia videlicet motiones animæ, 1. priores ſunt corporeis; ante enim in anima peragitur quid quàm in corpore. 2. Cauſæ ſunt corporearum; impellit enim anima corpus, utque ab intelligibilibus movetur ipſa, ita corporalia movet. 3. Nobiliores ſunt; animales enim motiones quantò cedunt intelligibilibus, tantò præeunt corporalibus. 4. Exemplaria ſunt corporearum, ut enim intelligibilia imitantur ipſæ, ita corporalibus imitandas ſe præbent. 5. Denique propiores ſunt æternitati & uni, motionum omnium exemplari. Ita philoſophatur Plotinus: *Si quis autem vitæ inferioris & motionis hujus (nempe merè corporalis) ipſum prius poſteriuſve accipiens, hoc ipſum eſſe tempus affirmet, aſſerens hoc aliquid eſſe: motus autem verioris naturam prius poſteriuſve habentis (id eſt motus animæ ipſius in ſeipſa) neget aliquid eſſe, admodum ridiculus erit. Quippe cum motui cuidam inanimato concedat prius atque poſterius, ac præterea penes ſe tempus habere; motui autem per quem & hic imitatione quadam naſcitur, minimè id concedat: à quo tamen ipſum prius atque poſterius primo manavit, cum ſit motus efficax per ſeipſum; & quemadmodum actiones ſuas ſingulas generat, ſic & continuam ſucceſſionem producat.* Ibid. c. 12. Prius ergo & poſterius priùs eſt in viciſſitudine cogitationum animæ, & inde imprimitur rotationibus corporum cœleſtium; quarum numerus, mora, contractio & protractio tota pendet, & miniſtratur, & diſpenſatur à providentia animæ, eoſdem numeros & moras & intervalla in ſeipſa priùs peragente & dimetiente. Ita quiſquis in modulatum aliquod tripudium corpus librat, in animo priùs ſuo moras omnes, ſaltuſque meditatur. Et omnino corporeus omnis motus cum ab animato aliquo principio oriatur, inde quoque tanquam ab exemplari & efficiente cauſa, prioris & poſterioris numeros legeſque omn s accipit.

XI. Cœperitne aliquando deſituruмve ſit tempus cum cœlo, vel cum tempore cœlum, plurimum alternant titubantque priſcorum Philoſophorum ſententiæ; tanti non eſt ſcire quid ſciverint aut neſciverint in hoc negotio; hæc pauca ſubjiciam quæ obſervari majus operæ pretium ſit.

Obſervarunt itaque 1. deſiturum planè fore tempus, ſi anima mundi ſe totam ad ſuperna retraheret & recolligeret; ceſſaret enim vegetalis infimaque ejus actio, qua & in ſeipſa & conſequenter in mundano corpore motiones in prius & poſterius diſtractas exercet. Quod tamen unquam eventurum deſperavit Plotinus; *Quod ſi rurſus fingeremus vim* Ibid. c. 11. *ejuſmodi quodammodo retrahi, ceſſareque ab hac vita, quam nunc agit interminabilem, nunquamque ceſſaturam; propterea quod ſempiternæ cujuſdam animæ actio eſt; non ad ſeipſam, non in ſeipſa, ſed in effectione, generationeque verſatam: ſi fingamus inquam eam non amplius operantem, ſed actionem ejuſmodi deſinentem, partemque hanc inſuper animæ, ad ſuperna, & ævum, ſtabileque converſam, quidnam erit ulterius præter ævum? quid amplius aliud atque aliud, omnibus in uno manentibus?*

XII. Obſervarunt 2. Temporis exortum non ita à Platone ut à Plotino enarrari. Neque enim tædium ullum animæ ſubrepſiſſe à ſupernis, & pruriginem ad infima generanda miniſtrandaque ad imaginem ſupernorum memorat Plato, nec ex eo defluxu animæ fluxiſſe tempus reſque omnes corporeas; ſed Deum ipſum bonitate ſua incitatum, ut intelligibilis mundi imaginem corpoream & animalem effingeret, & animam mundanam & corpus ejus coagmentaſſe, impuliſſeque, ut numeroſa circulatione, æternitatis in unitate manentis æternam & fluentem in tempore exhiberet imaginem. Id liquet ex Timæo Platonis, ubi mundi natales deſcribit.

XIII. Obſervarunt 3. Etſi æternitas propriè non ſit niſi primæ mentis; in animæ tamen abſtruſo penu eſſe & æternum quid, quo æternitatem contingat, ſicut & temporale quid eſt, quo temporalia adminiſtrat. Ubi autem anima per apicem ſuum, qui æternitatis floſculus quidam eſt, ad ſuperna totam ſe attigit, & æternitati entis veri ſe totam adglutinat, nec ab ea uſquam deflectit, tunc & ipſam æternam evadere, nec tempore jam volutari, ſed Ibid. c. 4. ſtante ævo ſtare fruique. Plotinus: *Quid verò ſi quis nunquam ab ejus contemplatione deſtiterit, ſed aſſiduè perſeveraverit, naturam admiratus, poſſitque indefeſſa quadam natura perſeverare? forſan confugiens ipſe ad æternitatem, ibidem ſiſtit pedem; nuſquam omnino declinans, ut ſimilis æternuſque ſit; dum ſuo æterno æternum æternitatemque contemplatur.* Et infrà: *Quæ hactenus dicimus, numquid alienis teſtificamur, & tanquam de alienis verba facimus? etenim quomodo id fieri poſſet? nam quæ intelligentia in nobis fieri poſſet, niſi tangamus? & quonam pacto aliena intelligendo contrectaremus? Oportet itaque nos ævi ſeu æternitatis participes eſſe.* Ubi ut vides cùm anima æternitatem intelligat, eam participet, & contrectet neceſſe eſt, ejuſque quodammodo conſors ſit; at ubi mente ſua ſe contemplandæ complexandæque veræ æternitati penitus dedicat, & affigit, tum æternitatis conſortium amplius ſtrictiuſque adipiſcitur. Hoc ipſum ſentit & confirmat Proclus, ex eo quod anima ſit media, & quaſi in confinio poſita inter dividua & individua, corporalia & intelligibilia, temporalia & æterna; unde opus eſt utriſque aliquo ſui coaleſcere: nempe ut ſubſtantia quidem ſua inter naturas individuas, intelligibiles, & æternas connumeretur; operatione autem ſua inter ſequiores, id eſt, inter dividuas, corporaſcentes & temporales. Inſtit. Theolog. c. 190. *Omnis anima participabilis, eſſentiam quidem æternam habet, actionem verò in tempore. Aut enim utrumque erit æternum, aut utrumque in tem-*

tempore, vel alterum æternum, alterum in tempore. Sed neque utrumque est æternum; erit enim individua essentia, & nihil differet ab intellectuali hypostasi, ipsa immobilis animæ natura per se mobilis. Neque utrumque in tempore; esset enim generata solum, & neque per se vivens, neque per se subsistens. Restat igitur ut omnis anima partim quidem sit æterna, partim temporis particeps. Omnis igitur anima participabilis, essentiam quidem æternam habet, actionem verò in tempore. Omnis ergo rationabilis natura, non æterna, ut inconsideratiùs à Proclo dictum, sed æternitatis candidata & consors suo modo est, & qua individua est; & qua corporibus ideoque & temporibus superior; & qua æternis & intelligibilibus connexa proximè & naturaliter; & qua invariabili contemplationis tenore summo enti unique adhærescens, cum eo semper stante semper constat.

XIV. Observarunt 4. Tametsi ævum & æternitas nomine tenus idem sint, utrumque enim dicitur, αἰών, quasi ἀεὶ ὄν, semper existens; tempora autem quanquam nunquam desinerent, non tamen semper essent, quia nec essent, sed fierent semper. Tametsi inquam nomine tenus nil differat ævum ab æternitate, longè aliud tamen esse ævum, quæ primæ mentis vita est, ab ævo cæterarum mentium creatarum vel animarum. Istæ enim consortium tantùm quoddam precarium habent æternitatis, seu quia cœperunt aliquando, seu quia desinere quandoque possunt, seu quia tametsi substantia stent, operatione tamen fluunt, seu quia tametsi operatione sua aliqua invariabiliter cohæreant veræ æternitati, alia quapiam rursus operatione temporalibus inseruntur, & suam cum stabili æternitate cohæsionem infatigabilem, non tam suis viribus, quàm superno beneficio debent. Ex duplici hoc ævi seu æternitatis gradu, nata aliis occasio est ævum seu participatam æternitatem, à vera æternitate discriminandi.

XV. Observarunt 5. æternitatem & ante omnia tempora præcedere, & post omnia tempora succedere, non eo tantùm nomine quòd & finem habitura sint tempora, & initium habuerint, sed quòd extra omnia tempora sit æternitas, & ita extra, ut sit ante omne prius, & ultra omne posterius. Nec enim tempora præcedit tempore, aut succedit, sed eminentia potestatis. Etsi itaque & initio carerent tempora & fine, ultra pateret æternitas, & in unitatis suæ patentissimo sinu tempora ante etiam & retro infinita clauderet, & incircumscripta circumscriberet, omni infinito tantò infinitior, quantò unitatis & potestatis majestate sublimior. Ita punctum medium nascenti à se & circumvolutæ in infinitum lineæ exæquatur, ex adversoque respondet; & quocumque se illa, ac quantumcumque circumgyret, ipsum à fronte occurrit semper, cursumque ejus quiescendo assequitur; & quamlibet infinita ejus volumina non adæquat tantùm inexhausta unitatis vi, sed ad ulteriorem etiam excursum provocat. Ita etiam tametsi per loca non extendatur Deus, ultra omnia tamen loca diffunditur, non loco loca excedens, sed omnem locorum corporumque naturam supergrediens. Plotinus: *Neque etiam est in tempore, sed extra omne tempus existit; dum videlicet tempus quidem per intervalla spargitur continuè, æternitas autem in seipsa eodem habitu permanet, continetque & superat, ampliorque existit tempore per potentiam sempiternam, quamvis hoc ipsum in plurima videatur excrescere. Veluti si linea quædam per immensum procedere videatur, veruntamen semper redigatur ad signum, circaque ipsum currat, & quocumque currit, ex ea signum conspiciatur, quod quidem minimè currat, sed illa potius circa ipsum se undique volvat.* Sic ille rem imaginationi operosissimam explanat, ut æternitas antecedat tempora, illaque contineat & superet, ampliorque existat, per potentiam sempiternam. Ennead. 6. l. 5. c. 11.

CAPUT XII.

De Æternitate Dei sanctorum Patrum doctrina, ac primò ejus definitio.

I. Mens nostra, ut naturæ & veritatis soror, quid sit æternitas, naturali anticipatione novit.
II. Æternitatis definitio ex Boethio.
III. Ex Maximo Dionysii interprete.
IV. Ex Anselmo.
V. Prima radix æternitatis unitas, ex Philone, Eusebio & Gregorio Papa.
VI. Rursus ex Philone & Eusebio.
VII. Secunda radix est bonitas.
VIII. Tertia radix est esse. Multæ ad id conglobantur rationes.
IX. Multa etiam Patrum testimonia.
X. Quarta radix est veritas. Multis id argumentis exculpitur.
XI. Patrum suffragiis hoc ipsum roboratur.
XII. Quinta radix est pulchritudo. Rationes ejus rei promuntur.
XIII. Proferuntur & diserta Patrum testimonia.
XIV. Sexta radix est immutabilitas.

I. Quàm verè pronuntiaverit Tertullianus libro de Testimonio Animæ: *Non multùm refert, an à Deo formata sit animæ conscientia, an litteris Dei*; ibidemque animam vocet, *Sororem veritatis*: hic constabit ex præsagio naturaliter omnium mentibus anticipato, quo suam & Dei æternitatem augurantur. Soror itaque & consanguinea veritatis mens quælibet, ejusque proinde non ignara nec peregrina: eodem insuper Dei ore inspirata, eademque manu efformata atque sacra scriptura, minùs mirum si Dei æternitatem, si suam inde delibatam præsagiat, parique præconio prædicet. Sanctus Hilarius: *Sitivit in te anima mea. A Deo igitur penes quem fons vitæ est, anima ipsius sitit, desiderio intenta potandi. Et quidem uniuscujusque mens ad cognitionem æternitatis, naturali quodam fertur instinctu; quia veluti insitum, impressumque omnibus sit, divinam inesse nobis animarum originem opinari, cum non exiguam cœlestis in se generis cognitionem (an potius legendum, cognationem) mens ipsa cognoscat.* Naturali igitur instinctu, Dei æternitatem, suamque cum ea cognationem, proindeque suam immortalitatem anima auguratur. In Psal. 62.

II. Quid sit autem æternitas Dei, definivit Boethius: *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Ubi tria potissimum desiderantur ad æternitatis naturam, 1. ut sit vita seu substantiæ viventis & intellectualis ætas. 2. ut sit interminabilis & infinita; nec principio, nec fine clausa. 3. ut sit tota simul, non frustatim & minutatim ut tempus, sed simul & semel tota sibi præsens, totaque seipsa fruens. Ex his tribus reliqua æternitatis privilegia facilè dimanare intelliguntur. Nam si tota simul est, ergo est, & verè est; non fit, non fluit. Item si tota simul est, beata est; nihil enim ipsi deest, tanquam vel prætterito tempore decisum, vel futuro restaurandum, interimque expectandum. Item si tota simul est, ergo in uno tota religata est. Item si vita est, & quidem infinita, à seipsa est, sibique sui origo est. Ex adverso tempus quia inferioris naturæ vita vel ætas est, sive duratio, nec termino caret, principio enim & fine circumscribitur; nec totum simul est, in prioris enim & posterioris vices fluentes dilabitur; nec verè est, sed fit, desitque seu deficit & reficitur semper; nec beatitudinis nisi umbram obtinet, labile cum sit, fugax, truncumque, nec nisi sui ipsius clade & dilaniatione constans; nec in uno aliquando stat, sed in plura & plura inanescit; nec nisi Consol Philosoph. l. 5. prosa. 6.

nisi precariò est, cùm enim fiat semper, ab alio utique fit, cui semper se ut obnoxium debet. Hinc Boethius ibidem: *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Quod ex collatione temporalium clarius liquet. Nam quidquid vivit in tempore, id præsens à præteritis in futura procedit. Nihilque est in tempore constitutum, quod totum vitæ suæ spatium pariter possit amplecti. Sed crastinum quidem nondum apprehendit, hesternum vero jam perdidit; in hodierna quoque vita non amplius vivit, quàm in illo mobili, transitorioque momento. Quod igitur temporis patitur conditionem, licèt illud (sicut de mundo censuit Aristoteles,) nec cœperit unquam esse, nec desinat, vitaque ejus cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tale est, ut æternum esse jure credatur. Non enim totum simul infinitæ licet vitæ spatium comprehendit, atque complectitur; sed futura nondum, transacta jam non habet, &c. Idque (æternum) necesse est & sui compos, præsens sibi semper assistere, & infinitatem mobilis temporis habere præsentem.* Totum igitur discrimen æternitatis & temporis, illiusque præ isto singularis prærogativa hæc est, quod licèt tempori vita, seu motio donaretur infinita, non staret tamen illa, sed flueret; non tota simul infinitate sua, quanta quanta est, frueretur, sed illam partim jam dilapsam gemeret, partim adventantem opperiretur.

In c. 5. de Dion. de div. Nom. III. Eodem penè verborum contextu æternitatem & definivit & descripsit sanctus Maximus Martyr: *Quod neque erat, neque erit, sed tantum est, habens hoc esse consistens, non mutari in futurum, non transiens ad esse, nec ab esse deficiens, id est æternitas. Non enim tantum entia omnia oportet adesse omni & toti, sed etiam nihil non entis; neque enim aliquid ei adfuit quod non prius adesset, Natura itaque ita comparata, rectè vocaretur & esset* αἰών, *æternitas;* αἰὼν *enim dicitur quasi* ἀεὶ ὤν; *seu quod semper sit. Si quis igitur definierit æternitatem, vitam infinitam quod tota jam sit, nihilque ejus præterito aut futuro consumatur, non enim esset tota; is proximè accesserit ad definitionem æternitatis.* Ubi advertis ab ipso vim æternitatis in hoc potissimum locari, quod ejus infinita expansio tota jam sit, tota simul sit.

IV. Anselmus autem æternitatem pressè magis describit, & à tempore disterminat. Cùm enim Deus temporum conditor sit, nec continetur tempore, & continet tempora; sua lege tempora moderatur, non temporum legi ipse subjugatur; adsunt ergo ei tempora, nec illum distendunt; præsens adest ipse temporibus, nec cum illis dispergitur. Totus ergo simul adest temporibus omnibus singulisque præsens.

Monol. c. 22. & seqq. *Quænam rationalis consideratio, omnimoda ratione non concludat, ut creatricem, summamque omnium substantiam, quam necesse est alienam esse & liberam à natura & jure omnium quæ ipsa fecit de nihilo, ulla loci cohibitio vel temporis includat? Cum potius ejus potentia quæ non est aliud quam ejus essentia, cuncta à se facta sub se continendo concludat, &c. Quare quoniam summam essentiam totam & inevitabilis necessitas exigit nulli loco vel tempori deesse, & nulla ratio loci vel temporis prohibet omni loco vel tempori simul totam adesse, necesse est eam simul totam omnibus & singulis locis & temporibus præsentem esse.* Et infrà: *Quid aliud est vera æternitas, quàm simul & perfectè tota existens?* Ibid. c. 24.

V. Jam verò ut radices æternitatis denudemus, earum prima & penitissima videtur esse unitas. 1. Ut enim tempus numerus quidam est, partiumque priorum & posteriorum multitudo; ita æternitas unitas ipsa est, partium numerum dispersionemque ablegans. 2. Unitas principium est, omnium antiquissimum, & ipsa primitas; at hæc ipsa natura est æternitatis, quæ primi & principii & antiquitatis jura omnia sibi vindicat, anticipatque ante rerum omnium temporumque cunabula. 3. Unitas omnes numeros procreat, omniumque inexhausta scaturigo est; ita æternitas effundit ex se suoque ex sinu parturit numerosos temporum temporaliumque omnium decursus. 4. Æternitas est ætas quædam infinita & tota simul. At quid infinitius uno? omnis enim numerus inops est, eoque inanior quo numerosior; etenim singulis deest, quod cæteris universis adest; unde numerosior turba nihil aliud est quàm numerosior inopia. At unum opulentia ipsa est, cui nihil adjici, nihil detrahi potest. L. de Præmiis & pœnis.

Rursus uno quid simplicius, quid magis totum simul? Quid sibi toti præsentius? Philo: *Nam is Deus & bonitate ipsa melior, & unitate antiquior, & simplicior.* l. de Vita Contemplativa. Et idem alibi: *Didicerunt à natura & è sacris litteris colere illud ens & bono melius, & uno simplicius, & unitate in generando antiquius & principalius.* Ubi cùm Deum vocat μονάδος πρεσβύτερον καὶ ἀρχεγονώτερον, unitate antiquiorem & in generando principaliorem, satis declarat jus antiquitatis summæ, & primæ in rebus generandis principalitatis, quæ singulares sunt æternitatis dotes, proprium esse & peculiare unitatis. Eusebius Demonst. Evang. l. 4. c. 4. Deum similiter vocat *Rerum omnium principium, imo principio superius & prius, primo antiquius, & in gignendis rebus ipsa unitate vetustius,* πρώτου προγενέστερον, καὶ μονάδος ἀρχεγονώτερον. Ubi & notat propriam esse unitatis primitatem, & vetustatem summamque senectam; sed illam nec labilem nec sterilem, sed stantem & rerum omnium parentem fœcundissimam. His addendus Gregorius Magnus: *Ibi quippe est, quod nec initio incipitur, nec fine terminatur; ubi neque expectatur quod veniet, neque percurrit quod debeat recordari; sed est unum, quod semper esse est.* Moral. l. 16. c. 20.

VI. Rursus Philo libro, Quis rerum divinarum hæres: *Unitas nec additionem, nec subtractionem recipere potest; imago Dei qui solus plenus est, &c. Unitati omnis numerus dicere potest illud Poeticum, A te principium, tibi desino. Nam vel infinities infinitus numerus in unitatem desinit, & facto ab hac initio crescit in innumerabilem multitudinem.* Ubi audis unitati assignari plenitudinem, principalitatem, fœcunditatem, qui ipsissimi sunt colores æternitatis. Sed luculentissimè idem rursus Eusebius verba Plutarchi Philosophi Platonici hæc intexit: Præpar. Evang. l. 11. c. 12. *Ridiculè sanè facimus, qui mortem unam timeamus, jam mortui toties, totiesque morientes. Succedente sene vir extinguitur, ut vir juvene, juvenis puero, puer infante extincto succedit; imo hesternus in hodiernum interiit, ut in crastinum interit hodiernus. Manet autem nemo, nemo unus est, sed omnino multi efficimur, dum circa unum aliquod simulacrum exemplarque commune volutatur assiduè, labiturque materia. Enimvero si iidem maneamus, qui tandem alia nobis placent modo, qui aliis antea ducebamur? qui contraria aut amamus aut odimus, vel prædicamus vel damnamus?* Et infrà: *Deus est, nec tamen ipse ullo tempore est, sed æternitate dumtaxat, quæ motu omni, omnique tempore simul & inclinatione caret; cujus nec prius quidquam est, nec quidquam posterius; nihil præteritum, nihil futurum; vetustius nihil, nihilque recentius. Sed qui unus est, idem uno etiam nunc sempiterni durationem implet. Adeoque illud solùm est quod verè per sese est, non autem fuit aut erit, &c. Sic igitur ipsum venerando salutare nos & appellare decet his verbis, unum es, ut priscorum nonnulli factitabant. Nec enim plura Deus est, uti nostrum quilibet, qui congeries quædam sumus ex omni sexcentarum varietatum genere, &c.* Nil expressius dici potuit ad æternitatis originem ex unitate derivandam; Deus enim quia unus, uno nunc totam sempiternitatem implet; quia unus, idem semper est, nec ætatum variatione variatur; quia unus, semper sibi totus præsens est, nec partibus sui aliis fluxit, aliis fluit, aliis fluet; quia unus, interminabili tota simul vita fruitur, nec moritur ætas anterior adventante posteriore, nec

toties iteratis iterandisque mortibus fugacissimè & unius momenti vitæ usuram redimit. Æternitas ergo unitasque aut idem sunt, aut hujus illa tanquam rivulus est, fontis naturam planè redolens; utraque enim prima est, plena, fœcunda, sine principio, sine fine, tota simul, stans nec fluens, vita non moriens, &c.

VII. Secunda radix æternitatis est bonitas. 1. Bonum enim tanquam Sol omnia illustrat, vegetat, format, perficitque; uti ergo Sol & temporalium omnium parens, & temporum ipse temperatumque & dierum moderator est; ita bonum omnium quæ ab ipso manant, ævum, mensura & dies est. Ejusdem enim est largiri rebus suum singulis esse, illudque eis admetiri, ut sint, & quamdiu sint. 2. Bonitas & finis & principium est, unde defluunt & quo refluunt omnia; unde incipiunt, quo desinunt. 3. Bonitas est ipsa beatitas, seu vita jam infinita, suique fruitio tota simul; si quid enim boni aut jam decessisset, aut necdum accessisset, non bonitatis aut beatitatis cumulus hic esset, sed mali & miseriæ nævus; tempora autem & temporalia ut malis & miseriis jam inquinata, meritò non tota simul sunt sibi præsentia. 4. Bonitas perspicuè semper est, quæ semper esse dat; æterna est quæ in æternum donat; dare enim ad tempus, bonitatis penuria & invidia est; bonitas ipsa siquid dat, semper dat; utque semper det, semper esse dat ut sint quibus semper det. Est ergo bonitas etiam aliis fons quidam æternitatis. Dionysius: *Bonitas divinitatis omnia quæ illuminari possunt, illuminat, & creat, & vivificat, & continet, & perficit, & mensura est eorum quæ sunt, & ævum seu æternitas, & numerus & ordo & complexus & causa atque finis. Sic etiam ingens iste, & totus splendidus, semperque lucens Sol, imago expressa est divinæ bonitatis, &c. movet ad vitam, nutrit, auget, perficit & purgat & renovat; & mensura est ac numerus tempestatum, ac dierum & omnis nostri temporis.* Bonitas igitur mensura est omnium rerum, & αἰών, seu ævum, aut æternitas; utque Sol temporalia omnia ut sint, & tempus ipsum quo sunt motu suo parturit; ita bonitas. Origenes: *Valde conveniens & necessarium est omnem substantiam quæ æternæ illius naturæ participium trahit, perdurare etiam semper, & incorruptibilem esse & æternam, ut divinæ bonitatis æternitas in ea intelligatur, dum & æterni sunt hi, qui ejus beneficia consequuntur.*

De divin. Nom. c. 4. nu. 4.

De Princi. piis l. 4.

VIII. Tertia est esse. Nam in ipso esse nihil est non entis, ut in mero nihilo nihil est entis; ergo ipsum esse in nullas partes divisibile est, partes enim singulæ non essent, quidquid reliquæ universæ essent; ergo ipsum esse totum simul est. 2. Sed in eas maximè partes quæ præteriti futurique vicissitudine fluunt, ipsum esse discerpi non potest, quia & præteritæ jam non sunt, & futuræ nondum sunt; unde si ejusmodi partibus constaret, plurimo & penè toto non ente constaret ipsum ens. 3. Ne ipsum quidem temporis momentum præsens verè est. Non est enim, sed fit; & antequam fiat, nondum est; cum factum est, non amplius est; quando fit, vix est, quia fugiendo & avolando fit. Inter prolixissimum non esse præteriti & futuri, scintillat in lubrico & fugacissimo momento præsens, & evanescit. 4. Quod verè est, nec cœpit, nec desinet, sed semper est. Verum ita semper est, ut non fluat, sed instante nunc constet. Nam si cœpisset, aut desineret, priùs non fuisset, aut deinceps non esset, atque ita ens non entis contagio turparetur; si fluendo semper esset, non esset posterius idipsum quod fuisset priùs; nec fuisset prius idipsum quod foret posterius; ergo in non entis tenebras deflueret ens, quod ab ejus natura abhorret. Denique quod æternitatis peculiare jus est, ipsum esse à se est, & ab ipso omnia sunt; sibi & aliis exordium est; nisi à non ente vel ipsum ens vel alia entia essendi primordia nancisci exstimet quis.

IX. Hilarius: *Ego sum. Qui est misit me ad vos, &c. Non enim aliud proprium magis Deo quàm esse intelligitur, quia idipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpit; sed id quod cum incorruptæ beatitudinis potestate perpetuum est, non potuit, aut poterit aliquando non esse; quia divinum omne neque abolitioni, neque exordio obnoxium est. Et cum in nullo à se Dei desit æternitas, dignè hoc solum quod esset, ad protestationem incorruptæ suæ æternitatis ostendit.* Ubi totam rationem æternitatis in solum esse refundit. Bernardus: *Est enim, nec ullam capit ex eo quod fuit, vel erit, mutationem. Tolle namque fuit & erit, unde jam transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio? at quidquid veniens ex eo quod fuit, non cessat tendere in id quod erit, transitum sanè habet per est; sed omnino non est. Nam quomodo est, quod nunquam in eodem statu permanet? Solum proinde verè est, quod nec à fuit præciditur, nec ab erit expungitur; sed solum atque inexpugnabile remanet ei est, & manet quod est. Nec fuit sanè tollit illi esse ab æterno; non erit, esse in æternum; ac per hoc sibi vendicat verum esse, id est, increabile, interminabile, invariabile.* Esse itaque fulcimentum est æternitatis, quia nec præteriti nec futuri volatiles vices patitur, nec præsentis temporis ludibrium, quod esse tantisper simulat & ementitur, & fucum facit; sed rapida fugacitate, infinitaque in non ens demersione ludificationem suam retegit. Augustinus: *In generatione & generationem anni tui. Anni Dei æternitas Dei est. Æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est præteritum, quasi jam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit; sed non est ibi, nisi est. Non est ibi fuit & erit; quia & quod fuit, jam non est; & quod erit, nondum est; sed quidquid ibi est, nonnisi est.* Æternitati nec fuit, nec erit quadrat, sed tantummodo est; & hoc tamen suo sibi modo; neque enim ejusdem modi intelligi debet est præsentis temporis & æternitatis. Est enim temporis præsentis veriùs non est; citiùsque in non ens fluxerit, quàm esse illud dixeris; imo cùm & ipsum temporis pars sit, ejusdemque cum eo naturæ & fugacitatis, constat & ipsum partibus prioribus & posterioribus, seu constat partibus quæ nondum sunt, quæque non amplius sunt. Ita brevissimum illud entis strigmentum quod esse videbatur, inter duplex non ens & ipsum intercipitur; nec in ipso quidquam tam minutum entis seu præsentis momentum designabis, quod non duplici partium priorum & posteriorum seu duplici non entis dispendio elidatur & inanescat. Pulcherrimè Augustinus in illa verba: *Et numerum dierum meorum quis est*, cùm demonstraret nec annum, nec mensem, nec diem, nec horam esse dici posse, quod eorum pars longè maxima vel jam effluxisset, vel nondum advenisset, atque ita vel non amplius vel nondum esset: *Da mihi vel horam tertiam, ipsam mihi da in qua es. Si enim aliquid ejus jam præteriit, & aliquid ejus adhuc restat, nec quod præteriit aliquid mihi potes dare, quia jam non est; nec quod restat, quia nondum est. Quid mihi de hora ista quæ nunc peragitur dabis? Quid de illa mihi dabis, cui committam hoc verbum, ut dicam, est? Cum dicis ipsum est, certè una syllaba est, & unum momentum est, & tres litteras habet in ipso ictu. Ad secundam hujus verbi literam non pervenis, nisi prima finita fuerit. Tertia non sonabit, nisi cum & secunda transierit. Quid mihi de hac una syllaba dabis? & tenes dies, qui unam syllabam non tenes?* Ne præsens quidem momentum temporis ergo est, nec illi committi potest verbum est, quia ut hæc syllaba, ita illa temporis minutia pluribus constat partibus, quæ simul esse non possunt; plurimo ergo constat non ente.

De Trin. L. 1.

In Cant. Serm. 81.

In Psal. 101.

In Psal. 38.

X. Quarta est veritas. 1. Nunquam enim cœpit, nunquam desinet veritas. Si cœpisset enim aliquando, priùs verum fuisset incœpturam, veritate ergo

verum fuisset; fuisset ergo veritas ante exordia veritatis. Si desineret, deinceps verum esset desiisse, veritate ergo verum esset, ergo post extinctam veritatem viveret adhuc & vigeret veritas. Summa ergo & ineluctabilis necessitas cogit fateri, nec cœpisse unquam, nec desituram veritatem, quandoquidem dato etiam quod inciperet & desineret, invictissimè arguitur eam nec incipere nec desinere posse. 2. Non potest non esse, nec aliter potest esse veritas; seu summa illi inest & essendi necessitas, & quod semel est, idipsum semper essendi. Dato enim quod non esset veritas, verum esset non esse, veritate ergo aliqua verum esset, atque ita esset veritas; non potest ergo non esse. Immutabiliter quoque quod verum est, verum semper eodem modo est; nec potest nunc verum esse uno modo, aliàs alio. 3. Tota simul est veritas, quanta maxima est; nec priores, nec posteriores partes habet; sed totum quod est, simul & indivisibiliter sibi præsens est. 4. Hac potissimum ratione laboranti vel ineptienti phantasiæ nostræ occurrendum est, ne Deum quasi per tempora fluere atque ita perpetuari imaginetur. Ut illum tanquam veritatem summam intelligamus à temporum lege penitus absolutum. Veritas enim nec longo tempore diuturnior est, nec brevi brevior; nec cum tempore fluit, aut variatur, aut extenditur; sed sua sibi est, invariabiliter, intelligibiliter, intemporaliter. Utque omnibus locis adest, à locorum lege penitus immunis; ita temporibus omnibus adest, sed eminens & supereminens temporum vanitati.

De lib. arb. L. 2. c. 8. XI. Augustinus: *Quidquid sensu corporis tango, veluti est hoc cœlum & hæc terra, & quæcumque in eis alia corpora sentio, quamdiu futura sint, nescio; septem autem & tria decem sunt, & non solum nunc, sed etiam semper. Neque ullo modo aliquando septem & tria non fuerunt decem; aut aliquando septem & tria non erunt decem. Hanc ergo incorruptibilem numeri veritatem dixi mihi & cuilibet ratiocinanti esse communem.* Et idem alibi de eadem intelligibilium incommutabili veritate verba faciens, circa quam versatur sapientia: *Ad quam pertinent ea, quæ nec fuerunt, nec futura sunt, sed sunt; & propter æternitatem in qua sunt, & fuisse, & esse, & futura esse dicuntur, sine ulla mutabilitate temporum. Non enim sic fuerunt, ut esse desinerent; aut sic futura sunt, quasi nunc non sint; sed idipsum esse semper habuerunt, semperque habitura sunt. Manent autem non tanquam in spatiis locorum fixa veluti corpora, sed in natura incorporali sic intelligibilia præsto sunt mentis aspectibus, sicut ista in locis visibilia vel contrectabilia corporis sensibus.* (De Trinit. L. 12. c. 14.) Æternitas igitur veritatis sicut & immensitas facilè intelligitur merè intelligibilis, ab extensione corporali vel temporali mirum quantum abhorrens. Quis enim nisi excors veritatem extendi & in longum propagari unquam sibi finget? Similiter Gregorius Papa: *Ante Abraham ego sum. Ante, præteriti temporis est; sum, præsentis. Et quia præteritum & futurum tempus divinitas non habet, sed semper esse habet, non ait, Ante Abraham ego fui, sed ante Abraham ego sum. Unde & ad Moysen dicitur, Ego sum qui sum, &c. Veritas semper esse habet, quia ei quidquam nec priori tempore incipitur, nec subsequenti terminatur.* (In Evang. Homil. 19.) Et sanè vulgato etiam imperitorum sermone nunquam aut rarissimè dicitur, verum aliquid fuisse aut fore; sed seu de præteritis seu de futuris rebus verba fiant, verum esse nunciatur; usque adeo omnis penitus veritas esse, & præsens semper esse intelligitur. Sed veritatis immutabilem æternitatem efficaciter concludit Anselmus: *Cogitet qui potest quando incepit, aut quando non fuit hoc verum, scilicet, quia futurum erat aliquid; aut quando desinet, & non erit hoc verum, scilicet, quia præteritum erit aliquid. Quod si neutrum horum cogitari potest, & utrumque hoc verum sine veritate esse non potest, impossibile est vel cogitare quod veritas principium vel finem habeat. Denique si veritas habuit principium, vel habebit finem, antequam ipsa inciperet, verum erat tunc, quia non erat veritas; & postquam finita erit, verum erit, quia non erit veritas. At quia verum non potest esse sine veritate, erat igitur veritas, antequam esset veritas; & erit veritas, postquam finita erit veritas, quod inconvenientissimum est. Sive igitur dicatur veritas habere, sive intelligatur non habere principium vel finem, nullo claudi potest veritas principio vel fine; quare idem sequitur de summa natura, quia ipsa summa veritas est.* (Monol. c. 17.) Sic ille fugitantes illaqueat undique, ut nullo exitu elabi possint, quin occurrat, & irretiat & constringat ipsos veritas æterna, & vera æternitas. Eodem argumentandi genere utitur Origenes: *Credimus ejus verbis dicentis, antequam Abraham natus esset, Ego sum. Itemque, Ego sum veritas. Nec est quisquam nostrum tam illiberali ingenio, ut opinetur quod veritatis essentia non fuerit ante adventus Christi tempora. Itaque religiosè colimus Patrem veritatis & veritatem Filium, &c.* (Cont. Cels. L. 8.) Ubi perspicuè æternitatem ex veritate derivat; & constantem sine præteriti ac futuri lapsu præsentiam eidem veritati vindicat ex illo scripturæ loco, Ego sum veritas; quod illi affine esse vult, Ego sum qui sum. Rursus idem: *Illic sola cogitatur æternitas, ubi sola intelligitur immutabilis veritas.* (Hom. 1. in diversis.) Missos facio Patres alios certatim æternitatem Filii ex eo philosophantes, quod sit veritas.

XII. Quinta est pulchritudo. Omnis enim ætas suo peculiari quodam modo pulchra est; alius enim flos venustatis in puero renidet, alius in adolescente, alius in juvene; nec senectus ipsa sua formæ venustate aut majestate fraudatur. Omnis ergo ut in unum accumuletur pulchritudo, opus est omnem ætatem in unum coalescere, ea autem est æternitas. Summa ergo pulchritudo ipsamet æternitas est, quia omnis ætas, omnisque ætatis venustas est. 2. Intima pulchritudo non tota simul est, sed partibus aliis decedentibus, aliis succedentibus tota constat, & ideo tota nunquam simul constat; sed hic est modus ejus, quia infima pulchritudo est, multoque turpi delibuta. Quid enim turpius quàm semper putrescere, semper interire, jugiter restaurari, sed nonnisi in novas clades jugesque ruinas restaurari, & nec ad momentum stare posse, sed collabascere semper, & plerisque omnibus suis partibus detruncari? Summa ergo pulchritudo ut summa sit, tota simul est, nec fluit, nec fugit, nec decedit, nec succedit, sed tota viget, manetque. 3. Nec semper, nec eodem modo semper est pulchritudo ima; sed ex turpi reformatur, & ex formosa deturpatur, & ex alia in aliam formam deformatur; quæ omnis mutatio turpitudo quædam est, cum corruptela & mors quædam sit. Summa ergo pulchritudo sempiterna & invariabilis est; nec ex turpi cœpit, nec in turpe unquam desinet, quia nec cœpit, nec desinet. 4. Materia ut mutationis, & fluxus, & temporis origo est, ita & turpitudo ipsa est. Summa ergo pulchritudo cum sit prima forma, ut materiæ & turpitudinis expers omnino est, ita mutationis & fluxus & temporis immunis penitus est.

Confession. L. 10. c. 27. XIII. Augustinus: *Sero te amavi pulchritudo tam antiqua & tam nova, sero te amavi.* Pulchritudinem ex senecta juventaque merito commendat, quod utraque hæc ætas speciali prærogativa pulchritudinem, sed aliam & aliam sibi vindicet; pulchritudo ergo divina ut non aliam & aliam sed omnem pulchritudinem, ita non hanc vel illam sed omnem simul ætatem seu æternitatem sibi arrogat. Et alibi: *Quaquaversum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi præterquam in te: tametsi figitur in pulchris extra te & extra se. Quæ tamen nulla essent, nisi essent abs te. Quæ oriuntur & oc-* (Ibidem. L. 4. c. 10.)

& occidunt, & oriendo quasi esse incipiunt, & crescunt, ut perficiantur, & perfecta senescunt, & intereunt. Etenim omnia senescunt, & omnia intereunt. Ergo cum oriuntur & tendunt esse, quo magis celeriter crescunt ut sint, eo magis festinant ut non sint; sic est modus eorum. Tantum dedisti eis, quia partes sunt rerum, quæ non sunt omnes simul.

Ibid. c. 11. Et infrà: *Ecce illa discedunt ut alia succedant, & omnibus suis partibus constet infima universitas. Numquid ego aliquo discedo, ait Verbum Dei? Ibi fige mansionem tuam, ibi commenda, quidquid inde habes, &c. & reflorescent putrida tua, &c. & fluxa tua reformabuntur, &c. & non te deponent quo discedunt, sed stabunt tecum & permanebunt, ad semper stantem & permanentem Deum.* Rei ergo infimæ quia non omnis simul est, pulchritudo hunc accepit modum, ut partium aliarum alias protrudentium vicissitudine procedat; oriatur & occidat, crescat & decrescat, juvenescat & senescat, & minutatim occidendo, penitus interire insuescat, sicque suæ venustatis numeros omnes expleat, dum pulchris decedentibus pulchra succedunt, donec tota pulchritudo excedat. At summa pulchritudo tota simul est, ideo nec crescit, nec decrescit; nec pubescit, nec senescit;

De divin. Nomin. c. 4. nu. 7. nec oritur, nec interit. Dionysius: *Pulchrum verò vocatur, ut omnino pulchrum simul & superpulchrum, καὶ ἀεὶ ὄν, & semper existens, seu sempiternum, secundum eadem & eodem modo pulchrum: neque nascens, neque occidens; neque augescens, neque decrescens; neque partim pulchrum, partim turpe; neque nunc pulchrum, aliàs non, &c. sed ut ipsum secundum se atque secum uniforme semper existens pulchrum, & quasi omnis pulchri fontalem pulchritudinem eminenter in seipso anticipans.* Ubi vides divinæ pulchritudinis leges has esse, ut semper sit; non nascatur, non occidat; non augescat, non decrescat. Cùm enim omnis pulchritudo in uno & ex uno effloresçat, ex hoc uno suo illam æternitatem derivat. Sanctus Maximus in eum locum Dionysii: *Deus immutabiliter ipsum pulchrum, sine principio & sine dissolutione, sine ulla affectione, eodem modo semper est. Ideo dicitur anticipare in se pulchritudinem, ut qui ante creaturas omnes fons est & principium & causa pulchri.* Pulchrum ipsum Deus est, pulchritudines omnes præsumens, antecedens, effundens; ideo sine principio, sine fine, semper pulchrum. Pachymeres autem: *Pulchritudo dicitur quòd omnia ad se vocet, vel quod semper sit, & nunquam minuatur, vel augeatur; nam excessus & defectus, fœditates dici non ignoramus.* Ubi pulchritudinem in sempiternitate collocat, & omne crementum vel decrementum aliqua deformitatis macula notat: quidquid enim formositatis accedet vel decedet, id defuisse vel defore, deformitatis est.

XIV. Sexta radix æternitatis, eaque usitatiùs inculcata, est immutabilitas. Quod enim non mutatur, id nec incipit, nec desinit; id est, nec à non esse ad esse, nec ab esse ad non esse mutatur. Rursus id nec fuit, nec erit, sed solummodo est; id est, nec à præsenti in præteritum, nec à futuro in præsens mutatur. Denique id quantum quantum est, totum simul est, id est ab alio ad aliud esse non mutatur. Suffragia Patrum hìc coacervare supersedebo, quòd supra jam ubi de uno & de esse verba faciebamus, relata sint. Unum Fulgentii &

Ad Monimum. l. 1. c. 11. Augustini abundè erit testimonium: *Quod semper sic est, ut esse non cœperit, proculdubio sic est, ut id quod est non esse non possit. Vera igitur immutabilitas dignè vera vocatur æternitas.* Augustinus

L. de natura boni. similiter: *Illa autem vera est æternitas, quæ est vera immortalitas; hæc est illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet qui solus mutari non potest.*

CAPUT XIII.

Æternitas soli Deo competit; Deus omnia tempora non tempore, sed æternitate antecedit; æternitati divinæ omnia tempora, etiam præterita & futura, coram astant, & præsentia sunt.

I. Æternitas soli Deo jure adscribitur. Rationes, & testimonia Patrum.
II. Alia eorundem testimonia.
III. Deus omnia tempora, non tempore, sed æternitate antecedit. Multis id perficitur argumentis.
IV. Quibus & plurima accedit Augustini suffragatio.
V. Aliorum Patrum consensio.
VI. Æternitas tempora nulla patitur, omnia complectitur.
VII. Tertulliani & Augustini suffragia.
VIII. Item Gregorii Magni, & Anselmi.
IX. Tempora & temporalia omnia Deo pariter præsentia sunt, etiam quæ nobis præterita sunt, vel futura. Multis id rationibus perficitur.
X. Quibus accedit calculus sanctorum Patrum. Tertulliani, & Augustini.
XI. Gregorii Magni & Bernardi.
XII. Anselmi, Leonis Magni, Origenis.
XIII. Æternitas Dei nec affirmationibus, nec negationibus ullis satis explicari potest.

I. CÆterùm ex his liquet 1. æternitatem soli Deo adscribi jure merito posse. Omnis enim creatura, ut de fine jam sileam, saltem cœpit, tum cum ex nihilo per conditoris omnipotentiam emergeret. At vera æternitas tam initio quàm fine, tam termino antè quàm pòst caret. 2. Finem vel habet vel habere potest omnis res condita; quæcumque enim à non esse ad esse semel emersit, eodem mutabilitatis suæ lubrico ab esse ad non esse lapsare & relabi potest; & illam quisquis potuit ex nihilo evocare, potest & in idem revocare. Etsi ergo sempiternitas posterior habeatur, tamen precaria tantùm ea cùm sit, & in pristinum inane lapsabunda, & conditoris tantùm manu suffulta nutuque, longè ab æternitate degenerat. 3. Etsi perpetuitatem sibi posset creatura vendicare, nec initio nec fine ullo circumscriptam, nec ullius beneficentiæ obnoxiam, non tamen hæc germana foret æternitas. Non enim tota simul sibi præsens foret hæc perpetuitas, sed sin minùs substantia, certè operatione sua aliqua flueret, & mutaretur, & dilaberetur, temporisque numeros priores & posteriores non sine suæ ætatis dispendio experiretur. 4. Hinc meritò sancti Patres utramque hæreticorum pestem compresserunt, & eorum qui materiæ, & eorum qui Verbo Dei Filio cùm deitatem abrogarent, æternitatem adrogabant. Et Hermogenianos enim & Arianos hoc maximè telo confoderunt, quòd vera deitas & vera æternitas individuo ita vinculo consociatæ sint, ut divelli omnino non possint. Tertullianus adversùs Hermogenem: *Hinc incipiam de materia retractare, quod eam Deus sibi comparet, proinde non natam, proinde non factam, proinde æternam sine initio, sine fine propositam. Quis enim alius Dei census quàm æternitas? quis alius æternitatis status, quàm semper fuisse & futurum esse, ex prærogativa nullius initii & nullius finis? Hoc si Dei est proprium, solius Dei erit, cujus est proprium.* Et paulò infrà: *Sicut cætera quæ nascuntur aut finiunt, & idcirco æterna non sunt, semel opposita fini, quæ & initio, admittunt ea quæ Deus non capit, diminutionem dico interim & subjectionem, quia nata & facta sunt; ita & Deus ideo ea non capit, quia nec natus omnino nec factus est. Et materiæ au-*

tem status talis est. Igitur & duobus æternis ut innatis, ut infectis, Deo atque materiæ, ob eandem rationem communis status, ex æquo habentibus id quod neque diminui nec subjici admittit, id est, æternitatem, neutrum dicimus altero esse minorem seu majorem, neutrum altero humiliorem, sive superiorem; sed stare ambo, ex pari magna, ex pari sublimia, ex pari solidæ & perfectæ fœlicitatis, quæ censetur æternitas. Non alium ait ille magis proprium Dei censum, quàm æternitatem; quod æternum est, sempiternum esse; quod sempiternum est, carere initio; quod caret initio, innatum esse; quod innatum est, ut à nullo factum, ita nullo inferiorem esse; & Deo ipsi ita coæquale esse, ut coævum, ut æquè innatum & æquè infectum est. Unde claret creaturam tam coæternam seu consempiternam Deo esse non posse, quàm nec coæqualem. Minutius in Octavio: *Cùm palam sit, parentem omnium Deum nec principium habere nec terminum; qui nativitatem omnibus præstet, sibi perpetuitatem.* Solius igitur Dei est vera perpetuitas, creaturæ nativitas; hujus est à principio nasci, & inde ut ab initio ætatem suam numerare. Arnobius: *Si omnes concedimus unum esse rerum Patrem, immortalem atque ingenitum solum, nihilque omnino ante illum, quod alicujus vocaminis fuerit, invenitur: sequitur ut hi omnes quos opinatio credidit Deos esse mortalium, aut ab eo sint geniti, aut eo jubente prolati sint. Prolati & geniti, & ordinis sunt posterioris & temporis; si ordinis posterioris & temporis, ortus necesse est habeant & exordia nativitatis & vitæ. Quod autem habet introitum & vitæ incipientis exordium, necessario sequitur ut habere debeat & occasum. Sed immortales perhibentur Dii esse. Non ergo natura, sed voluntate Dei Patris ac munere.*

I. 2. adver. Gentiles.

Sic ille philosophatur ex eo quòd solus Deus ingenitus sit, omnia alia ab illo orta, eoque & ordine & tempore posteriora esse, utque ab initio aliquo cœperint, ita fine aliquo desitura, nisi conditoris beneficio perpetuentur; ideoque precariam tantùm esse eorum immortalitatem: *Animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare, quamvis eas mors sæva posse videatur extinguere, & ad nihilum redactas irremeabili abolitione delere. Plato ille divinus, multa de Deo digna nec communia sentiens, multitudini, in eo sermone ac libro cui nomen Timæus inscribitur, Deos dicit & mundum corruptibili esse natura, neque esse omnino dissolutionis expertes, sed voluntate Dei Regis, ac principis vinctione in perpetua contineri.* Et hæc igitur qualiscumque in posterum perpetuitas obnoxia est, nec naturæ propriæ creaturæ, sed creatoris munificentiæ innixa.

L. de nat. boni. c. 39.

II. Augustinus iterum: *Æternus ignis non sicut Deus æternus propriè dicitur, quia propterea ignis æternus est, quod sine fine sit: non est tamen sine initio; Deus autem sine initio est. Deinde quia licèt perpetuis peccatorum suppliciis adhibeatur, mutabilis tamen natura est. Illa autem vera est æternitas, quæ est vera immortalitas; hæc est illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet, qui mutari omnino non potest. Aliud est enim non mutari, cùm possit tamen mutari; aliud autem prorsus non posse mutari.* Postera ergo & qualiscumque sempiternitas ignis & creaturæ cujuslibet, longè deficit ab æternitate, tum quia etsi nullo claudatur fine, ab aliquo tamen cœpit initio; & ut initii expers ponatur, immutabilis certè non est, ideo nec æterna. Tametsi enim reipsa non mutetur, mutari tamen potest, at æternitas non est nisi immutabilitas. Boethius: *Quod igitur temporis patitur conditionem, licèt illud, sicut de mundo censuit Aristoteles, nec cœperit unquam esse, nec desinat, vitaque ejus cum temporis infinitate tendatur; nondum tamen tale est, ut æternum esse jure credatur. Non enim totum simul infinitæ licèt vitæ spatium comprehendit atque complectitur, sed futura nondum, transacta jam non habet.*

Consol. Phil. L. 5. prof. 6.

Licèt ergo nunquam cœpisset, nunquam desiturus esset mundus, sempiternus quidem, non tamen æternus esset, quia ætatem & durationem suam non totam simul possideret, sed frustillatim & per momenta tantùm illam degustaret. Parco Græcos omnes Latinosque Patres hìc intexere certatim contra Arium deitatem Verbi ex ejus æternitate, æternitatem ex deitate astruentes. Unus omnium instar erit Ambrosius: *Arbitror quod & Moyses volens proprium Dei, & aliquid de eo speciale cognoscere, quod non esset commune cum cœlestibus potestatibus, interrogavit quod est nomen tuum? Denique cognoscens mentem ejus Deus, non respondit nomen, sed negotium; hoc est, rem expressit, non appellationem; dicens, Ego sum qui sum, quia nihil tam proprium Dei, quàm semper esse. Qui ergo negant Christum coæternum Patri, videant quia Deum negant, cujus est semper esse, nec aliquando non fuisse. Hac ergo cognitione proprietatis divinæ Moyses insurgentes in se volebat spernere.* Ubi advertis perspicuè nomen illud Dei, Ego sum, æternitatem insinuare, æternitatis prærogativam esse sempiternitatem; Moisen percunctatum aliquid quod ita peculiare esset Creatori, ut nulli penitus creaturæ posset competere, esse vel æternitatem, vel sempiternitatem accepisse; eo telo invictissimo unus sempiterni Dei hostes, pluriumque & temporalium Deorum veneratores labefactasse; nec enim æternitatem nisi unam, nec Deitatem sine æternitate esse posse; denique hoc eodem telo sanctos Patres in Arianos insurrexisse, compulisseque eos, ut Verbo aut deitatem cum æternitate abrogarent, aut cum deitate æternitatem ascriberent. Isidorus Pelusita: *Divinæ naturæ nihil est tam* ἴδιον, καὶ χαρακτηριστικὸν, *sicut* τὸ ἀΐδιον. Hinc meritò rejicias priscos illos Philosophos, qui materiam Deo coævam finxere, ex qua ipse orbem condiderit, in quibus recenset Pythagoram, Platonem, Aristotelem Theodoretus.

In Psal. 43.

L. 3. Epist. 18. 61. Serm. 4. de curandis Græcorum affectionib.

III. Liquet 2. Deum omnia tempora non tempore, sed æternitate antecedere. Neque enim ante tempora erant tempora, quorum diuturno lapsu solus regnaret Deus, sicque mundum antecederet. Sed & mundum & tempora omnia utique cum mundo condita, cum eoque fluere & labi exorsa antecessit majestate creatricis omnium æternitatis. 1. Quia ante tempora condita nullum erat tempus quo tempora ventura Deus anteiret. 2. Quia etsi fuissent tempora, non est tamen Dei æterni & incommutabilis, & entis, & veritatis, & boni, & unius, volaticam ætatem agere, ejusque longæva quasi senectute mundi juventam præcedere; ab omni lapsu & vicissitudine longissimè abhorret divinitas. 3. Deus non præterita tantùm omnia præcedit tempora, sed & futuris omnibus, etiamsi sine fine lapsura concedantur, succedit; est enim infinita Dei ætas & ante omne præteritum & post omne futurum; est ante omne quod *ante* dici potest, & post omne quod *post* dici potest. At futuris omnibus temporibus posterior non est aliquo tempore, ergo nec ullo tempore anterior est omnibus præteritis; sed utrisque ulterior est æternitate incommutabili. 4. Etsi sine initio & sine fine semper fuisse & fore mundus statueretur, Deus tamen illo & anterior & posterior esset, ut causa summa effectum suum præcontinens, & concludens, & circumscribens undique, entitatemque & ætatem suam ei admetiens & adnumerans, permagnam quidem illam & prælongam humano sensu, sed ex inexhausto Deitatis pelago veluti guttulam minutissimam. Ergo longè ante omnia tempora & post omnia tempora, antecedit & succedit sine tempore æternitas; & infinitos temporum lapsus sic circumcingit, sic concludit ultraque patet, ut pelagus stillam aquæ. 5. Quod ita est ut non possit non esse, antecedit sin tempore, certè toto genere substantiæ, id quod ita est ut possit non esse. 6. Sempiternitas quæ

tota

tota simul est, longè anterior & ulterior est ea sempiternitate quæ minutatim tantummodo est; nam etsi tempora semper fuissent, forentque, nunquam tamen nisi per minutissima frustula fuissent, forentque; singulisque hujusmodi minutiis responderet ex adverso infinita & tota simul æternitas; hæc ergo hac saltem ratione multò ulterior posteriorque illam superaret. Laboratur tamen non mediocriter in cogitando hoc antecedendi modo, ut qui ab aliis alienus longèque dissitus sit, atque ut par est exemplo careat. Cùm enim quatuor sint rationes modique quibus aliud alio prius, posteriusve est, hic omnium est planè abstrusissimus,& à rerum mortalium consuetudine alienissimus. Aliud est enim præcedere tempore, ut flos fructum; aliud electione, & intentione, ut fructus florem: aliud origine seu natura, ut sonus cantum, aliud æternitate, ut Deus mundum. Duo priora genera utpote usitatissima, nemo non intelligit; tertium philosophicam mentem & aciem flagitat; quartum multa caligine septum est, & rara mens est cui per breve & beatum aliquod momentum repentina coruscatione dilucescat.

IV. Augustinus: *Si modò est idoneus discernere quid præcedat æternitate, quid tempore, quid electione, quid origine. Æternitate sicut Deus omnia; tempore sicut flos fructum; electione sicut fructus florem; origine sicut sonus cantum. In his quatuor primum & ultimum quæ commemoravi, difficillimè intelliguntur, duo media facillimè. Namque rara visio & nimis ardua, conspicere Domine æternitatem tuam, incommutabiliter mutabilia facientem, ac per hoc priorem.* Igitur distat ab aliis hæc præcedendi ratio, longèque supereminet, & magno acumine eget ut dignoscatur. Præcedit autem Deus tempora, quia incommutabiliter mutabilia facit, ac per hoc prior est. Rursus idem alibi: *Si ante cælum & terram nullum erat tempus, cur quæritur quid tunc faciebas? Non enim erat tunc, ubi non erat tempus; nec tu tempore tempora præcedis, alioquin non omnia tempora præcederes. Sed præcedis omnia tempora præterita celsitudine semper præsentis æternitatis; & superas omnia futura, quia & illa futura sunt; & cum venerint, præterita erunt; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Anni tui nec eunt, nec veniunt; isti autem nostri & eunt & veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant; nec euntes à venientibus excluduntur, quia non transeunt; isti autem nostri omnes erunt, cum omnes non erunt. Anni tui dies unus; & dies tuus non quotidie, sed hodie; quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque succedit hesterno. Hodiernus tuus æternitas.* Ubi vides, ut Deus mundo prior intelligatur, non aliquandiu, aut perdiu, aut in antecessum infinito sæculorum lapsu illum fuisse imaginandum esse; sicut ut posterior intelligatur naturis spiritalibus & immortalibus, non fingi debet aliquandiu post illarum desitionem regnaturus; sed toto creaturarum ævo, etiam infinito, prior & posterior est, *celsitudine semper præsentis æternitatis*: & quia stat, & simul totus sibi præsens est, unoque suo hodie concludit & exuperat infinita temporalium sæculorum volumina; & majora diutioraque si ea creare ipsi collibuisset, æquè concluderet, & excederet, omnibus unus, & super omnia unum, & incommutabiliter idipsum. Rursus idem Augustinus: *Ecce infantia mea olim mortua est, & ego vivo. Tu autem Domine, qui & semper vivis, & nihil moritur in te, quoniam ante primordia sæculorum & ante omne quod vel ante dici potest, tu es, & Deus es, &c.* Et infrà: *Summus enim es, & non mutaris, neque peragitur in te hodiernus dies, & tamen in te peragitur, quia in te sunt & ista omnia. Non enim haberent vias transeundi, nisi contineres ea. Et quoniam anni tui non deficient, anni tui hodiernus dies. Et quàm multi jam dies nostri & Patrum nostrorum per hodiernum tuum transierunt, & ex illo acceperunt modos, & utcumque extiterunt; & transibunt adhuc alii & accipient, & utcumque existent. Tu autem idem ipse es, & omnia crastina atque ultra, omniaque hesterna & retro, hodie facies, hodie fecisti.* Ubi vides Deum existere non solùm ante tempora, sed etiam ante ipsum *ante*, & ipso priori priorem esse; ideoque omnia non tempore, sed æternitate præcedere. Item omnia tempora illo Dei hodierno die, seu stante præsenti momento ita contineri & circumambiri, ut ab eo modos existendi accipiant, in eo decurrant, & convolvantur, ut si in patentissimo campo brevis gyrus describatur, aut in vastissimo & stante pelago rivulus excurrat & in se redat; ipsum verò Dei hodie & constans momentum & ultra omnia crastina, & retro omnia hesterna tempora in immensum patere. Idem alibi: *Creaturæ aliæ creaturas alias quadam tempore, quadam causis præcedunt; ille autem omnia quæ fecit, non solum excellentia, qua etiam causarum effector est, verum etiam æternitate præcedit.* Non tantùm natura prior est creator creaturis, ut causæ effectis tametsi coævis, natura tamen, priores sunt; imo non tantùm ut causa præstantissima, & sola propriè causa, & non effectuum duntaxat, sed & causarum omnium causa, prior est natura reliquis omnibus; sed præstantiore etiam ratione, videlicet æternitate prior est. Et alibi: *Cùm sit ipse nullo locorum vel intervallo vel spatio, incommutabili æternitate, excellentique potentia, & interior omni, quia in ipso sunt omnia; & exterior omni re, quia ipse est super omnia. Item nullo temporum vel intervallo, vel spatio, incommutabili æternitate, & antiquior est omnibus, quia ipse est ante omnia; & novior omnibus, quia idem ipse post omnia.* Ut ergo & summis locis superior, & infimis inferior, & omnibus ulterior est, non enormitate substantiæ, sed interminabili omnipotentiæ majestate; ita præteritis omnibus temporibus antiquior, & futuris omnibus posterior est, non temporali excursione, sed incommutabili beatissimæ suæ totius vitæ præsentia. Et rursus alibi: *Si potentiam suam ut ita dicam fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent, non fuerunt. Sed ante dico, æternitate, non tempore.* Ubi rectè notat quoties ante dicitur priusquam mundus conderetur illud ante & prius, non temporis, sed æternitatis interpretandum esse.

V. Rursus sanctus Prosper: *Virtus præteritis prior ulteriorque futuris, nil recipit varium, nil habet occiduum.* Et author opusculi de Providentia: *Ille manet, simul acta tenens & agenda; futuris ulterior, tum præteritis prior, omnibus unus præsens, & solus sine tempore tempora condens.* Item Boethius: *Quidam non rectè, qui cum audiunt visum Platoni, mundum hunc nec habuisse initium, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud est enim per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit; aliud interminabilis vitæ totam pariter complexum esse præsentiam, quod divinæ mentis proprium esse manifestum est. Neque conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ. Hunc enim vitæ immobilis præsentiarium statum infinitus ille temporalium rerum motus imitatur.* Etsi igitur initio caruerit mundus, sempiternus quidem utcumque dici posset, non tamen æternus; illamque sempiternitatem longè antecederet æternitas, non vetustate, sed simplicitate, statu, præsentia, infinitate simul tota vigente; quam ut anteriorem, & superiorem, & exemplaris instar sibi objectam & superjectam imitatur à longè tempus, infinito motu infinitum statum adumbrans. Gregorius Magnus exponens ea verba: *Qui noverunt eum, ignorant dies illius. Hæc de æternitatis diebus loquentes, conamur magis videre, quàm videmus. Dicatur igitur rectè, Qui autem noverunt eum, ignorant dies illius. Quia etsi jam*

Deum

Marginal notes: Confess. l. 12. c. 29. — Confess. l. 11. c. 13. — Confess. l. 1. c. 6. — De Gen. ad lit. c. 8. — Ibidem. l. 8. c. 26. — De Civ. Dei l. 12. c. 15. — Epigram. 3 — Consol. Philo. l. 5. prosa. 6. — Moral. l. 16. c. 20.

Deum per fidem novimus, qualiter tamen sit ejus æternitas sine præterito ante sæcula, sine futuro post sæcula, sine mora longa, sine præstolatione perpetua, non videmus. Ubi cum Augustino confitetur caliginosum nobis esse diem æternitatis; rationemque qua sine præterito sæcula præcedit, & sine futuro illa sæculis omnibus succedit, vix satis à quoquam expediri posse.

VI. Liquet 3. æternitatem nulla tempora pati, omnia tamen complecti; ideoque omnia de illa pronuntiari. 1. Cùm enim tempora omnia condat, illa utique non patitur; nec enim patitur quæ facit. Item tota simul est, non ergo fluxu temporum distrahitur. Denique tempus & quodlibet & totum initio constat & fine, quæ à Deo longè absunt; longè ergo ab illo abest & tempus. Hinc meliusculè diceretur Deus esse cum tempore, quàm in tempore; vel cum re temporali, quàm cum tempore. 2. Tempora autem complectitur omnia, quia ut suprà declaratum est, suo nunc & adæquat, & antecedit, & prætergreditur omnia præteriti, præsentis & futuri temporis intervalla. Item cùm ex suo sinu tempora omnia effundat, illa haud dubio præcontinet. 3. Denique quia pauca propriè loquimur, verbaque omnia conditis rebus addicta, ideoque profana & contaminata, & Deo jam indigna sunt; ideo satius quidem foret omnia temporum vocabula à Deo amoliri. Dignatur tamen qui humanis membris velari & temporalis fieri dignatus est, etiam humanis verbis obvelari vel revelari potiùs, & tanquam temporalis describi qui æternus est, ut quomodocumque insinuetur nostris mentibus. Maluit enim suæ majestati plurimum, quàm nostræ utilitati vel tantillum derogari. Prætextus insuper non deest, quo indigentiam nostram obumbremus. Quidni enim temporum signa Deo adaptemus, qui omnia tempora complectitur? Præterea insolentiam harum vocum mollire licet interpretatione negativa; ut dicatur Deus fuisse, quia non deerat illi esse; fore, quia non desinet esse; esse, quia non excidit ab esse. Sic ablationum sensa menti suberunt, quando minùs idonea positionum vocabula ore erumpent. Rursus tempora omnia æternitatem imitantur; igitur per licentiam metaphoræ *ante* temporis sæpè ad *ante* æternitatis transfertur, itemque *simul & post* temporis ad *simul & post* æternitatis. Et quanquam vulgus hominum verborum arbiter & dictator hæc adverba rebus temporalibus dedicaverit, quidni liceat Theologis & Philosophis eadem ipsa ab imagine ad exemplar, à tempore ad æternitatem transferre, cùm tantò nobiliùs æternitas omnia tempora vel antecedat vel subsequatur, quàm tempus ullum alia tempora? Ita iisdem verbis vulgus vulgata, Theologus divina & ipsa vulgarium temporaliumque rerum æterna exemplaria sibi designabit.

VII. Tertullianus: [Cont. Marci, l. 1.] *Non habet tempus æternitas. Omne enim tempus ipsa est. Quod facit, pati non potest. Caret ætate, quod non licet nasci. Deus si est vetus, non erit. Si est novus, non fuit. Novitas initium testificatur, vetustas finem comminatur. Deus autem tam alienus ab initio & fine est, quàm à tempore, arbitro & metatore initii & finis.* Æternitas igitur non patitur tempus, quia illud facit; & quia omne tempus initio & fine clauditur, quorum omnino impatiens ipsa est. Idem: [L. 2.] *Ergo nec tempus habuit ante tempus, quæ fecit tempus; sicut nec initium ante initium, quæ constituit initium.* Augustinus: [Conf. l. 11. c. 11.] *Quis tenebit illud (cor hominis) & affiget illud, ut paululum stet, & paululum rapiat splendorem semper stantis æternitatis; & comparet cum temporibus nunquam stantibus, & videat esse incomparabilem? Et videat longum tempus nisi ex multis prætereuntibus motibus, qui simul extendi non possunt, longum non fieri. Non autem præterire quidquam in æterno; sed totum esse præsens, nullum autem tempus totum esse præsens, & videat omne præteritum propelli ex futuro, & omne futurum ex præterito consequi, & omne præteritum & futurum, ab eo quod semper est præsens, creari & excurrere? Quis tenebit cor hominis, ut stet, & videat, quomodo stans dictet futura & præterita tempora, nec futura nec præterita æternitas?* Ubi vides longè extra & supra omnia tempora esse æternitatem, nec in ea quidquam præterire, sed ab ea semper stante dictari & stillatim diffundi tempora omnia: sed operosum nimis esse id perspicere oculo mentis, nec nisi raptim & repentinis coruscationibus id allucere per brevissima quædam anticipatæ fœlicitatis momenta. Idem rursus: [Tract. 2. in Epist. Joan.] *Optimè, non ait, Ante Abraham ego fui, sed ante Abraham ego sum. Quod enim dicitur quia fuit, non est: quod dicitur quia erit, nondum est. Ille non novit, nisi esse.* Ubi omnia tempora, temporumque verba à Deo jubet facessere. Sed idem alibi ea rursus egestati nostræ donat: [In Evan. Jo. Tract. 99.] *In eo quod sempiternum est sine initio & sine fine, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive præteriti, sive præsentis, sive futuri non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis & ineffabilis non recipiat fuit & erit, sed tantum est: ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest. Et ideo illi soli convenerat dicere, ego sum qui sum: tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, & mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & est. Fuit in præteritis sæculis, est in præsentibus, erit in futuris. Fuit quia nunquam defuit, erit quia nunquam deerit, est quia semper est. Proinde cum secundum volumina temporum, locutio humana variatur, qui per nulla deesse potest aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cujuslibet temporis verba.* Ubi perspicuè verba temporum & amolitur à Deo ut penitus intemporali, & rursus ea nobis largitur, tum ob mutabilitatem & inopiam nostram, tum quia audaciam ejusmodi verborum ineptum quid Deo impingentium fas est negativo sensu castigare; erit enim Deus, quia nunquam deerit, fuit quia nunquam defuit, est quia est: id est, quia non deest. Gregorius Magnus: [Moral. l. 4. c. 11.] *Liquet omnibus, quia Deo nec præteritum tempus congruit, nec futurum. Tanto ergo in eo quodlibet tempus ponitur liberè, quòd nullum verè. Neque enim quodlibet liberè dici poterat, si saltem unum propriè diceretur. Inde itaque dici in Deo tempus audacter quodlibet licet, unde in eo dici propriè nullum licet.* Quo ineptiùs igitur singula, eò licentiùs omnia Deo affinguntur tempora; si vel unum enim illi propriè quadraret, nullum aliud quadraret: nunc autem perinde est omnia promiscuè ascribere, ac singula proscribere; nemo enim non intelligit hanc esse potiùs licentiam inopiæ nostræ, quàm naturæ divinæ injuriam. Anselmus: [Monolog. c. 22.] *Si usus loquendi admitteret, convenientiùs dici videretur esse cum loco vel tempore, quàm in loco vel tempore, &c. In nullo loco vel tempore propriè dicitur esse, quia omnino à nullo alio continetur. Et tamen in omni loco vel tempore, suo quodam modo dici potest esse, quoniam quidquid aliud est, ne in nihilum cadat, ab ea præsente (essentia Dei) sustinetur. In omni loco & tempore est, quia nulli abest, & in nullo est, quia nullum locum aut tempus habet.* Acutè notat Anselmus aptiùs dici Deum esse cum tempore, quàm in tempore: & tamen suo quodam peculiari modo dici in tempore, vel quia temporis arbiter, artifex & metator est: vel per negationem, quia tempori nulli abest. Denique quia æternitas tempora omnia modo quodam innennarrabili antecedit, & comitatur, & subsequitur, hinc adverbia *ante*, *simul*, *post*, aliaque hujusmodi, quibus res temporales sibi reciprocè comparantur, ad æternitatem translata sunt, ante temporis ad ante æternitatis, ita simul & post temporis ad simul & post æternitatis. Quæ translationis licentia necessariò quidem nobis fuit usurpanda ob indigentiam, sed & necessariò semper est excusanda ob reverentiam.

tiam. Ita philosophabatur olim Scotus Erigena: *Dicimus antè quatuor modis, quorum primus dicitur antè temporis, secundus antè dignitatis, tertius antè originis, quartus antè æternitatis, Illorum exempla sunt hæc. Tempore præcedit flos fructum, dignitate præcedit fructus florem, vox origine præcedit verbum, Deus æternitate creaturam antecedit. Illo igitur modo quo Deus omnia quæ fecit, antecedit, id est, æternitate, eo scilicet præscivit & prædestinavit ea quæ facturus esset. Hinc colligitur talia verba transferri à primo modo ad quartum, à loco videlicet temporis ad locum æternitatis.* Ubi vides quoties priùs & posteriùs, antè & pòst de Deo dicuntur, metaphoram sumi ab antè temporis ad antè æternitatis, idque eo etiam præterea jure, quòd æternitatem imitetur tempus. Cùmque multò præstantiùs tempora omnia præcedat aut subsequatur æternitas, quàm tempus aliquod alia tempora, illic quàm hic magis appositè usurparetur *antè & post:* nisi hæc adverbia ex originali contagio ad res temporales significandas instituta & deturpata, temporalia statim corporeaque nobis phantasmata excitarent, totamque divinitatis cogitandæ sinceritatem contaminarent. L. de Prædc. c. 9.

VIII. Liquet 4. tempora & temporalia omnia, præterita & futura, Deo pariter esse præsentia. 1. Æternitas enim *nunc* est, sed infinitum; quocirca illius *nunc* infinitæ præsentiæ ambitu omnia tempora convolvuntur, pariterque obversantur, & ipsa quidem sibi invicem comparata, antecedunt & succedunt, at stanti puncto æternitatis pariter astant & coram circumque volvuntur. 2. Deus nihil expectat futurum, nihil meminit præteritum, sed omnia coram intuetur præsentia. Variaretur enim vicesque & ipsa suas pateretur scientia, mens & essentia Dei, si nunc res easdem expectaret ut futuras, deinde non ampliùs expectaret, sed præsentes intueretur, ac denique expectare & intueri desineret, nec nisi ut præteritas meminisset. Duplex hinc mutationis dedecus in Deo emergeret, alio enim & alio modo res sciret, nunc expectando, nunc intuendo, nunc memorando, & alio atque alio tempore diversimodè sciret, neque enim simul esse possent ejusdem rei & ut futuræ expectatio, & ut præsentis contuitus, & ut præteritæ recordatio. 3. Deo nihil deest, nihil illi abest, nihil deperit, omnia illi ob oculos & ad manum præsto sunt: si quid autem futurum illi expectandumque esset, hoc illi deesset; si quid item præteritum & elapsum esset, hoc jam illi abesset; non essent in ejus manu & potestate, quorum sola spes subesset, vel sola recordatio superesset. Deo autem nihil elabitur, nihil deest, nihil abest, mutabilia illi immutabiliter stant, currentia tempora illi manent, sibi pereunt res, non authori, sibi non ampliùs sunt, Deo supersunt, sibi nondum sunt, Deo jam adsunt: oculos ejus nihil præterit, manum ejus nihil fugit. 4. Hinc Scripturæ tempora omnia in promiscuo habent, & erudita mysticaque incuria, præteriti & futuri discrimina turbant omnia & confundunt, futura nonnunquam tanquam præterita narrant, ut tam certò futura insinuent, quàm certò præterita sunt quæcumque præterierunt; sed multò sæpiùs eadem futura tanquam præsentia ponunt ob oculos, quia ut à Deo inspiratæ sunt, ita Deum spirant, mores divinos sapiunt; ut Deo nos contemperent, deitati & ipsæ contemperatæ sunt, futura & præterita omnia pro præsentibus habent, quia Deo præsentia reapse sunt. Quin imò futura tanquam jam præterita, non tantùm ut præsentia edisserunt, Deum futura jam fecisse prædicant: quòd quæ nobis futura, ea Deo non tantùm præsentia, sed presentibus præsentiora, id est certiora sint, & tam certa, quàm quæ jam præterierunt. Nihil accuratius hac Scripturæ incuria, nihil explicatius hac temporum perturbatione. 5. Hinc Prophetæ ventura omnia ita prænunciabant, ut præsentia potiùs nunciare & indigitare videantur. In Deum enim abrepti, Deo correpti, divina suo quodam jure præsumebant, & vel Dei oculum sibi, vel suum os Deo accommodabant, ut ventura omnia tanquam præsentia tanquam divino oculo contuerentur & effarentur, vel Deo præsentia contuenti os verbaque sua subministrarent. 6. Hinc quibus fidei vigor magnificè insidet, præterita & futura omnia perinde habent ut præsentia, illa omnia ubi fides expectari vel reminisci jubet, non expectant, non memorant, sed coram intuentur, quasi commodatitio interim Dei & æternitatis oculo fruantur, & in omnia retro & post sæcula contuitum suum amplificantes, omnia sibi sistunt, omnia lustrant, omnia tenent, præteriti lapsum revocant, futuri moram accelerant, præsentis fluxum cohibent, & æternitatis lumen, amplitudinem, omnipotentiam sibi vindicantes, temporibus imminent & dominantur.

IX. Tertullianus: *Duas causas prophetici eloquii adlego agnoscendas ab hinc adversariis nostris. Unam qua futura interdum pro jam transactis enunciantur. Nam & divinitati competit, quæcumque decreverit, ut perfecta reputare, quia non sit apud illam differentia temporis, apud quam in uniformem statum tempora dirigit æternitas ipsa, & divinationi propheticæ magis familiare est, id quod prospiciat, dum prospicit, jam visum, atque ita jam expunctum, id est omni modo futurum demonstrare.* Scripturæ igitur & Prophetæ eloquio & ingenio Dei utuntur, tempora indiscriminatim habent, quia omnia à stante æternitate dictantur, omniaque ex æquo ipsi coram astant. Augustinus: *Tu autem idem ipse es, & omnia crastina atque ultra, omniaque hesterna & retro, hodie facies, hodie fecisti.* Ubi de industria perturbat tempora, aitque Deum præterita hodie facturum, futura hodie fecisse. Quomodo enim hodie faciet aut fecit, nam hodie facit? quomodo futura fecit, quomodo præterita faciet? nam futura nondum facta sunt, nec præterita amplius fient: quomodo futura sunt, quæ cum hodierno & inter se copulantur? si enim hodierna sunt, nec futura nec præterita sunt. Unde meritò subjicit: *Quid ad me si quis non intelligit? gaudeat & ipse dicens, quid est hoc? gaudeat etiam sic, & amet non inveniendo invenire, potius quàm inveniendo non invenire te.* Vix enim scitur, aut nesciendo scitur, & tamen utcumque scitur, hodie Dei, seu nunc Dei patere ultra omnia tempora, & in suo nunc patentissimo jam adesse illi futura, & adhuc adesse illi præterita; illa jam ab eo condita, quia futuris omnibus posterior est; & ista adhuc ab eo condenda, quia præteritis omnibus anterior est. Idem alibi: *Omne præteritum jam non est; omne futurum nondum est; omne igitur præteritum & futurum deest; apud Deum autem nihil deest; nec præteritum igitur, nec futurum, sed omne præsens est apud Deum.* Res nulla temporalis tempusve Deo deest, ergo omne adest, ergo omne præsens est. Ambrosius: *Disce quod non solùm præterita fecit, sed etiam futura, sicut scriptum est, Qui fecit quæ adventura sunt. Et alibi ait Scriptura, Per quem & facta sunt sæcula, &c. sæcula enim & præterita & præsentia & futura sunt. Quomodo ergo facta sunt, quæ futura sunt, nisi quia operatoria virtus & scientia comprehendit numerum omnium sæculorum? sicut enim vocat quæ non sunt, tanquam quæ sint, sic & fecit quæ futura sunt, tanquam quæ sint, &c.* Et idem: *Hæc est consuetudo prophetiæ, ut quæ futura sunt, vel quasi præsentia vel quasi facta dicantur. Deo enim quæ sunt futura, præsentia sunt, & ei cui præcognita sunt omnia, ventura pro factis sunt, sicut scriptum est, Qui fecit quæ ventura sunt.* Ubi ex Scriptura docet futura jam facta esse à Deo, quia illi præsentia jam sunt. L. 5. cont. Marc. Civit. L. 1. c. 6. L. 83. qq. q. 17. L. 5. de fide. c. 8. Ibid. L. 1. c. 7.

X. Sed luculentissimè Gregorius Magnus in illa verba Job, *Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo & tu videbis? Numquid sicut dies hominis,* Moral. l. 9. c. 26.

nis, dies tui, & anni tui ficut humana ſunt tempora? hæc habet: *Oculi carnei facta temporum nonniſi in tempore agnoſcunt, quia & ipſi ad videndum cum tempore prodeunt, &c. Dies quoque & anni hominis à diebus & annis diſcrepant æternitatis; quia vitam noſtram quæ tempore incipitur, tempore finitur, dum intra ſinus ſui latitudinem formæt, æternitas devorat. Cujus nimirum immenſitas quia ultra citraque ſuper nos tenditur, ſine inchoatione & ſine termino ejus æternum eſſe dilatatur; eique nec tranſacta prætereunt, nec adhuc ventura, quaſi nondum appareant, deſunt; quia is qui ſemper eſſe habet, cuncta ſibi præſentia conſpicit; cùmque aſpiciendo poſt & ante non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur.* Omnia igitur æternitati præſentia arguit Gregorius, tum quia æternitas immenſa ſinus ſui latitudine omnia tempora complectitur, tum quia nihil Deo deeſt; omnia igitur illi coràm adſunt; tum denique quia intuitus Dei immutabilis eſt, mutaretur autem ſi res priùs futuras expectaret, dein præſentes conſpiceret, & demum futuras meminiſſet. Et rurſus idem: *Ibi quippe eſt quod nec initio incipitur, nec fine terminatur; ubi neque expectatur quod veniet, neque percurrit quod debeat recordari; ſed eſt unum, quod ſemper eſſe eſt.* Et alibi: *Quomodo eſt præſcius, dum nulla, niſi quæ futura ſunt, præſciantur? & ſcimus quia Deo futurum nihil eſt, ante cujus oculos præterita nulla ſunt, præſentia non tranſeunt, futura non veniunt; quippe quia omne quod nobis fuit & erit, in ejus proſpectu præſto eſt; & omne quod præſens eſt, ſcire poteſt potiùs quàm præſcire, &c. Et quia ea quæ nobis futura ſunt videt, quæ tamen ipſi ſemper præſto ſunt, præſcius dicitur, quamvis nequaquam futurum prævideat, quod præſens videt, &c. In illo nec præterita nec futura reperiri queunt, ſed cuncta mutabilia immutabiliter durant, & quæ in ſeipſis ſimul exiſtere non poſſunt, illi ſimul omnia aſſiſtunt, nihilque in illo præterit quod tranſit; quia in æternitate ejus, modo quodam incomprehenſibili, cuncta volumina ſæculorum tranſeuntia manent, currentia ſtant.* Nihil acutius, nihil ſolidius dici potuit; Deus nihil præſcit, omnia ſcit; quia nihil futurum, omnia ipſi præſentia; tametſi humano eloquio præſcire dicitur, quia ea videt quæ nobis futura; cæterùm ipſi omnia tempora pariter aſſiſtunt præſentia; ipſi tranſeuntia manent, currentia ſtant, mutabilia conſtant; ſimul ipſi aſſiſtunt, quæ ſimul in ſe nunquam exiſtunt. Denique idem ipſe: *Quomodo Deus præteritorum reminiſcitur, cùm ipſa quæ in ſemetipſis prætereunt, ejus nutui ſemper præſentia aſſiſtunt? aut quomodo abſentium recordatur, dum omne quod eſt, per hoc illi præſto eſt, quod in ipſo eſt? Quòd ſi ei præſto non eſſet, omnino non eſſet; nam non exiſtentia videndo creat, exiſtentia videndo continet. Quidquid ergo creator non videt, eſſentia ſubſiſtendi caret.* Deus, ut ait Gregorius, ſcientiam rerum habet, non otioſam, ſed negotioſam; non contemplatricem, ſed creatricem; videndo creat; nihil ergo præteritum aut futurum videt, quia videndo dat eſſe, & præſentia facit eſſe. Omnia videt, videndo creat, ergo jam creata & præſentia videt omnia. Bernardus ſimiliter: *Tempora ſub ea tranſeunt, non ei: futura non expectat, præterita non recogitat, præſentia non experitur.* Opuſculi de Providentia Author:

Ibid. l. 16. c. 20.

L. 20. c. 32.

L. 22. c. 6.

in Cant. Serm. 80.

At verò æternum nihil effugit, omniaque adſunt
Salva Deo; nihil eſt illi tardumve citumve:
Nec dilata unquam, nec feſtinata putemus.
Nam quod ubique agitur, quod geſtum eſt, quodque gerendum,
Ante oculos Domini puncto ſubſiſtit in uno;
Una dies cui ſemper adeſt, cras atque here noſtrum.

XI. Item Author libri de Vocatione Gentium: *Non intelligunt ſcientiam Dei, quæ & præterita, & præſentia, & futura complectitur, tempore non teneri; & tam in conſpectu ejus aſtare ea quæ gerenda ſunt, quàm illa quæ aut geruntur, aut geſta ſunt.* Anſelmus: *Cum ait Apoſtolus, quod Deus præſcivit Sanctos ſuos, prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, magnificavit, nihil horum prius aut poſterius apud Deum eſt, ſed omnia ſimul æterno præſenti ſunt intelligenda. Habet enim æternitas ſuum ſimul, in quo ſunt omnia, quæ ſimul ſunt loco vel tempore, & quæ ſunt diverſis in locis vel temporibus. Ut autem oſtenderet idem Apoſtolus non illa verba ſe pro temporali ſignificatione poſuiſſe, illa etiam quæ futura ſunt, præteriti temporis verbo pronunciavit. Nondum enim quos præſcivit adhuc naſcituros, jam temporaliter vocavit, juſtificavit, magnificavit. Unde cognoſci poteſt, eum propter indigentiam verbi ſignificantis æternam præſentiam, uſum eſſe verbis præteritæ ſignificationis; quoniam quæ tempore præterita ſunt, ad ſimilitudinem æterni præſentis, omnino immutabilia ſunt.* Deſunt nobis verba quibus æternum præſens declaremus; nam verba præſentis, præſentis utique ſunt temporis, quod breve fluxumque eſt, duplici præteriti & futuri infinitate & veluti chao interceptum. Præſens autem æternum nullo verbo declarare poſſumus, ideo per verba omnium temporum illud adumbramus, quia omnia coæquat tempora; & nonnumquam præteriti verba libentiùs uſurpamus, quia illa propiùs immutabilitatem præſentis æterni imitantur. Leo Magnus: *Habet hanc potentiam fides vera, ut ab iis mente non deſit, quibus corporalis præſentia intereſſe non potuit, & ſive in præteritum redeat, ſive in futurum ſe cor credentis extendat, nullas ſentiat moras temporis cognitio veritatis.* Omnipræſentiam æternitatis æmulatur fides, ut æterni luminis quædam delibatio, ſui fontis privilegia retentans. Origenes: *Apud Deum omnia quæ futura ſunt, jam pro factis habentur. Denique dicebat, Dederunt in eſcam meam fel. Quod ſine dubio futurum adhuc erat. Quod ſi & tu imitator es Dei, & imitans Chriſtum, non expectas quouſque & iſte elatus humilietur & extinguatur, ſed apud temetipſum, & in mente atque animo tuo tranſiſſe ea jam cernis, ſi ipſe mente ac ſenſu tranſeas à præſentibus ad futura.* Et iſte confirmat hanc eſſe fidei omnipotentiam, ut & futura anticipet, præterita revocet, utraque ſibi ſiſtat præſtoque eſſe jubeat, & coram intueatur, & in æternitatis confinia & jura invadat pia quadam audacia.

L. 2. c. 14.

l. de Cõcord. præſc. & prædeſt.

Serm. 19. de Paſſione.

Hom. 1. in Pſal. 36.

XIII. Liquet poſtremò Deum nec æternum nec ſempiternum eſſe, nec æternitatem ipſam vel ſempiternitatem; ſed præ æternum eſſe & ſupra æternitatem, nullis poſitionibus decorandum, ſolis negationibus adumbrandum, ſola neſcientia ſciendum, toto mentis linguæ ſilentio & ſtupore venerandum, ut qui ipſe ſilentium ſit ineffabili cordis voce laudandum, ut ait Auguſtinus. Cùm enim æternitatem ſuis ſupra fundamentis ſuperſtruxerimus, unitati, bonitati, enti, veritati, pulcritudini; ut ſupra hæc omnia longè Deus eminet, ita ſupra æternitatem; ut hæc ſymbola, ſpecula, ænigmata, tantùm Dei ſunt, ita & æternitas; ut unitate antiquior eſt, bonitate melior, ente vetuſtior, &c. ita æternitate ſuperior. Dionyſius: *Neque ſtat, neque movetur, &c. neque æternitas, neque tempus, &c. neque veritas, neque ſapientia, nec unum, nec unitas, neque divinitas, neque bonitas, &c. nec eſt ejus in univerſum poſitio, nec ablatio, &c.* Ubi fundamenta omnia æternitatis demolitur & amolitur à Deo. Idem alibi: *Deum autem ut ævum,* (ſeu ut æternitatem, nam idem nomen αἰών, ævo & æternitati deſignandæ addicitur apud Dionyſium alioſque Patres Græcos) *& ut tempus celebrare oportet, tanquam omnis temporis & ævi authorem & antiquum dierum; tanquam ante tempus & ſupra tempus, & ut variantem tempeſtivitatem & tempora, & rurſus ut ante æternitates exiſtentem, quatenus eſt ante æternitatem & ſupra æternitatem.* Et rur-

Myſt. Theo. c. 5.

De divin. Nom. c. 10.

rursum : *Rex sæculorum nominatur* , (item Rex αἰώνων quod interpretari potes Rex sæculorum , ævorum , æternitatum) *ut in quo & penes quem cujuslibet esse & sit, & constet ; & in quo nec erat, nec erit, neque factum est, neque fit , neque fiet , imo nec est ; sed ipse est esse rebus , & non tantùm ea quæ sunt , sed ipsum esse rerum , ex præterno ante . Ipse enim est ævum ævorum, existens ante omne ævum . Atque omne quidem ævum & tempus ex ipso: omnis verò ævi ac temporis reique cujuslibet principium ac causa is est qui præexistit*. Ubi apertè Deum ait non esse, sed præesse; non esse ens, sed præens seu ente superiorem, ideoque & æternitate anteriorem. Ibid. c. 5.

CAPUT XIV.

De tempore & ævo sanctorum Patrum sententiæ.

I. Ex Augustino, quid sit tempus nemo non intelligit, ut sciat: nemo satis intelligit, ut planè edisserat.

II. Tempus non est extensio motionum corporis.

III. Tempus est extensio motionum animæ. Plurimorum ad id argumenortum comprobatio.

IV. Testimonia ejusdem Augustini.

V. Gregorii Magni & Isidori.

VI. Ante mundi conditum nulla tempora imaginanda esse, multis & validissimis argumentis perficitur.

VII. Quibus accedit suffragatio multiplex Augustini, Prosperi, & aliorum.

VIII. Etsi aliqua creatura posset esse sempiterna, nulla tamen æterna. Coacervantur plures in id rationes.

IX. X. Novis idem illustratur argumentis.

XI. Augustini testimonia.

XII. Plura ejusdem Augustini suffragia.

XIII. Cui suffragatur Anselmus.

XIV. Quid differant tempus, ævum, æternitas.

XV. De eodem rursus.

XVI. Suffragatio Gregorii Magni, Augustini.

XVII. Et aliorum Latinorum.

XVIII. Item Græcorum Patrum.

XIX. Temporis definitio ex sancto Maximo, ut sit progressio divinæ bonitatis ad sensibilia procreanda.

I. Prolixissimè omnium & suo more acutissimè de tempore disputat Augustinus lib. 11 Confessionum. Ubi

Observat 1. Nihil familiariùs nominari, & cum nominatur, nihil faciliùs intelligi quàm tempus ; at ubi quod intelligitur, & quod nominatur, enucleatiùs diffiniendum est , tum verò obstupescere mentis acumen , linguam hebescere . *Quid enim est tempus ? Quis hoc facilè breviterque explicaverit ? Quis hoc ad verbum de illo proferendum vel cogitatione comprehenderit ? Quid autem familiarius & notius in loquendo commemoramus , quàm tempus ? Et intelligimus utique cum id loquimur : intelligimus etiam , cum alio loquente , id audimus . Quid ergo est tempus ? Si nemo ex me quærat , scio . Si quærenti explicare velim, nescio.* Adeo latum est inter mentem & linguam interstitium , ut in eo longè plurimæ mentis nostræ cogitationes , ante quàm ad linguæ portum appellant , quotidiano propè naufragio intercipiantur. Quin imò tam longum est intervallum inter summum mentis apicem & ipsam mentem , ut oppidò quàm plurima supremo mentis fastigio contingamus, quæ mens sibi ipsa explanatiùs explicare haudquaquam valet . Ita tempus sublimi mentis acumine omnes intelligimus, sed vel ipsa mente illud accuratiùs expendere & explanare , vel lingua appositè & definitè describere, hoc verò operæ pretium est, sudorisque non mediocris. Confession. L. 11. c. 14.

II. Observat 2. Tempus non esse motum corporis cujusquam. 1. Quia motum corporum, ex quo incipit, donec desinat, quandiu duret, tempore metimur. Eundemque motum & eodem clausum spatio, longiori aut breviori tempore peragi posse intelligimus , prout tardior, celeriorve fuerit . Igitur aliud motus , aliud est tempus , quo motum metimur. 2. Ipsam quietem corporum metimur, & utique tempore metimur ; breviùs enim aut diutiùs quievisse corpus aliquod quandoque pronunciamus Igitur mensura ipsa seu tempus quo tam motum quàm quietem corporum dimetimus , extra ipsa corpora vestigari debet. *Cum itaque aliud sit motus corporis, aliud quo metimur quandiu sit, quis non sentiat , quid horum potius tempus dicendum sit ? Nam etsi variè corpus quandoque movetur, aliquando stat, non solum motum ejus etiam statum tempore metimur ; & dicimus tantum stetit , quantum motum est ; aut duplo vel triplo stetit ad id quod motum est ; & si quid aliud nostra dimensio sive comprehenderit, sive existimaverit, ut dici solet, plus minus. Non est ergo tempus corporis motus*. Sic ille ex eo quod motum tempore metiamur, quodque æquè quietis ac motus intervalla metiamur tempore, rectè concludit tempus non esse motum corporis cujuscumque. Ibid. c. 24.

III. Observat 3. Tempus esse extensionem quandam, non rei alterius quàm ipsius animi. Extendit enim seipsum, suasque cogitationes animus , ad eumque modum metiri potest præsentia tempora longo eorum contuitu ; futura per expectationem, præterita per memoriam ipsorum. Nam 1. Cum tempus sit extra corpora, & eorum motum, quandoquidem nullum est corpus, cujus ætatem & motum non metiamur tempore, utique in animo quærendum est tempus. 2. Ut æternitas vita quædam est, ita tempus vita quædam existimari debet. 3. Ipsa nos experientia docet, nos corpoream quamcumque motionem animo nostro & incorporea quadam affectionum nostrarum cogitationumque extensione metiri ; hæc ergo animi extensio, tempus est. Æquum est enim, ut animus imperator moderatorque corporum, eorum ætatem, motumque omnem regat, dispenset, & dimetiatur. 4. Præterita & futura metimur tempora ; at præterita jam non sunt, futura nondum sunt ; nec tamen metimur ea quæ non sunt; metimur ergo in animo , cum non sint nisi in animo. Superest enim in animo præteritum per memoriam, jam est in animo futurum per expectationem ; recordatione ergo præteritum , expectatione futurum metimur. 5. Præsentia verò sunt quidem tempora, sed ea vix metiri fas est, cum statim diffluant ; non metimur ergo propriè nisi præterita & futura , quæ extra animam nusquam sunt. Mensura ergo temporum in animo est. Denique solemnis est & tritissima distributio temporum in præterita, præsentia, & futura. At præterita & futura non sunt, nisi in animo per recordationem & expectationem, ergo tempora non sunt nisi in animo. Nam si dicas præterita fuisse aliquando præsentia, & futura fore aliquando præsentia, præsentia autem esse etiam extra animum. Contra arguetur, unum ergo tempus tantùm, videlicet præsens computandum fuisse; nam præteritum & futurum prout à præsenti discriminantur, non nisi in animo sunt.

IV. Augustinus : *Videamus ergo anima humana, utrum & præsens tempus possit esse longum. Datum enim tibi est sentire moras atque metiri.* Ubi vim sensumque animæ eo pertinere docet , ut moras temporis metiatur. Et infrà : *Quod autem nunc liquet , & claret , nec futura sunt , nec præterita . Nec propriè dicitur, tempora sunt tria, præteritum , præsens & futurum ; sed fortasse propriè diceretur , tempora sunt tria , præsens de præteritis , præsens de præsentibus, præsens de futuris. Sunt enim hæc* Confess. L. 11. c. 17. 20.

in

in anima tria quædam , & alibi ea non video ; præsens de præteritis memoria, præsens de præsentibus contuitus, præsens de futuris expectatio. Nam futurum & præteritum planè nihil sunt extra animum ; cùm ergo tria tempora esse perhibentur , in animo planè quærenda sunt, ubi tria sunt,sed suo quodam modo præsentia. Adsunt enim & præsentia sunt in animo præterita per recordationem , futura per expectationem sui præsentem ; Ibid. c.26. alibi nusquam ea videre est. Et infrà*: Inde mihi visum est, nihil esse aliud tempus, quàm distentionem, sed cujus rei, nescio ; & mirum si non ipsius animi . Quid enim metior ? Tempus metior , scio Sed non metior futurum , quia nondum est . Non metior præsens , quia nullo spatio tenditur . Non metior præteritum , quia jam non est . Quid ergo metior ?* Ubi disertè tradit tempus esse distentionem ipsius animi , animoque nos metiri tempora; sed laborat in exponendo modo, quo metiamur ; cùm præterita quæ jam non sunt, & futura quæ nondum sunt, & præsentia quæ nullam extentionem patiuntur, metiri non possimus. Et nodum tamen hunc explicat, ad hunc modum ; quòd animus metiatur tempora per affectionem Ibid. c.27. aliquam in animo residentia : *Aliquid in memoria mea metior, quod infixum manet. In te anime meus tempora metior . In te inquam tempora metior , affectionem quam res prætereuntes in te faciunt, & cum illæ præterierint, manet; ipsam metior præsentem , non eas quæ præterierunt , ut fieret. Ipsam metior, cum tempora metior. Ergo aut ipsa sunt tempora, aut tempora non metior.* Tempora igitur sunt extensiones animi, & affectiones quas illi imprimit rerum prætereuntium fluxus. Et tandem*: Sed quomodo minuitur aut consumitur futurum quod nondum est ; aut quomodo præteritum crescit, quod jam non est? Nisi quia in animo qui illud agit, tria sunt; nam expectat & attendit , & meminit; ut id quod expectat, per id quod attendit, transeat in id quod meminerit. Quis enim negat futura nondum esse ? Sed tamen jam est in animo expectatio futurorum. Et quis negat præterita jam non esse ? Sed tamen adhuc est in animo memoria præteritorum. Et quis negat præsens tempus carere spatio, quia in puncto præterit? Sed tamen perdurat attentio, per quam pergat ad esse quod aderit. Non igitur longum tempus futurum, quod non est ; sed longum futurum , longa expectatio futuri est . Neque longum præteritum tempus , quod non est; sed longum præteritum, longa memoria præteriti est .* Non existunt ergo tempora nisi in animo ; non sunt tempora nisi extensiones animi . Præteritum est extensio animi recordantis ; futurum est extensio animi expectantis ; præsens est extensio animi attendentis. Subdit autem sanctus Pater exemplum hominis canticum aliquod recitaturi & recitantis; nam perspicuum est durationem illius cantici ejusque partium, vel futuram, vel præsentem , vel præteritam , in animo priùs expendi , & dispensari ; morasque ex animo in linguam canticumque derivari ; animique partes & imperium hoc esse, ut totum illud carmen admetiatur & moderetur . Illius itaque tempus est in animo . Unde ita concludit : *Hoc in actione longiore , cujus fortè particula est illud canticum ; hoc in tota vita hominis, cujus partes sunt omnes actiones hominis ; hoc in toto sæculo filiorum hominum, cujus partes sunt omnes vitæ hominum.*

V. Augustino consentire videtur Gregorius Ma- Moral. L.16. c. 16. gnus*: Ibi quippe est quod nec initio incipitur, nec fine terminatur; ubi neque expectatur quod veniet, neque percurrit quod debeat recordari ; sed est unum quod semper est.* Æternitatem à tempore distinguens , recordationem & expectationem ut temporis propriam naturam ab æternitate longè Serm. 80. In Cant. semovet. Item Bernardus: *Tempora sub ea transeunt, non ei; futura non expectat, præterita non recogitat, præsentia non experitur .* Ubi in expectatione, contuitu & recordatione, futura, præsentia & præterita locat tempora , eaque omnia ab æternitate amovet . Similiter Isidorus Hispalensis *: Utrum sit præteritum futurumve tempus , sicut præsens; & si est, scire oportet ubi est. Sed* Sent. L.1. c.7. *adverte quod cuncta & futura & præterita & præsentia in animo sunt potiùs requirenda. Tria ista præterita, præsentia & futura , in animo tantum inveniri constat; præterita reminiscendo, præsentia contuendo, futura expectando. Speramus igitur advenientia, intuemur præsentia, recolimus transeuntia. Hæc non ita in Deo sunt, cui simul omnia adsunt.* Non potuit magis expressè sententiam Augustini confirmare, totam temporum naturam collocantis in animi extensione.

VI. Observat 4. seu spiritalis seu corporalis creaturæ mutabilibus motibus tempora peragi;ideoque ante creaturas omnes, seu ante mundi conditum nulla fuisse, nulla imaginanda esse tempora ; ac proinde inaniter mirari qui mirantur, quid ante mundi conditum ageret Deus, quid visum sit ipsi tandiu per tot retro seculorum volumina otiari , quid tandem ipsum impulerit ut novo consilio novum opus moliretur, à quo tandiu abstinuerat.Inanissima est hæc sive admiratio sive querela . Nam 1 tempus utique creatura Dei est, ergo ante creaturas omnes nullum erat tempus, quia ante creaturas omnes nulla erat creatura . 2. Tempus non tantùm creatura Dei est , sed creaturæ quidam partus, ideoque quodammodo posterior creaturis, nedum anterior. Priùs enim necesse est creaturam existere seu corporalem seu spiritalem, quàm ut suis motionibus tempora parturiat. Ergo ante creaturas non erat tempus, cùm nonnisi ab ipsis creaturis quasi posterius effusum sit tempus. 3. Insulsè ergo quæritur , cur tanto tempore seu tandiu ante mundi conditum otiatus sit Deus, cùm nullum tempus antecesserit mundi conditum, cum mundo enim conditum est, vel mundo potiùs condito erupit tempus. Deinde si quod fuisset tempus antè mundi conditum, otiatus tunc non esset Deus; illi enim tempori creando & admoderando vacasset. 4. Insulsè quæritur quid ante mundi molitionem ageret Deus nam mundo nondum condito nullum erat antè,nullum priùs, id est nullum tempus, in quo designari posset ante & post, prius & posterius. Non ergo ista quæstio ingerenda, sed quærentis futilitas corrigenda est, ut advertat imaginationis suæ cruda insomnia esse, omnia illa quæ ante mundum sæcula fluxisse somniat. 5. Insulsè quæritur quomodo non sit mutatus Deus, cum cœpit mundum condere , quem antè non condebat. Nullum enim antè, nullum priùs præcessit mundi primordia: ante enim & prius, sicut & post & posterius,temporis segmenta sunt. Et quisquis hoc quærit, si suæ mentis sinus ipse introspiciat, advertet hoc se ideo quærere, quòd diuturna ante mundum tempora imaginetur, iisque feriatum fuisse Deum, & deinde quasi diutini otii pertæsum, ad operis sui molitionem se accinxisse . Quæstionis ergo hujus non enodationem quærat,sed inanitatem advertat. 6. Futilibus ergo hujusmodi quæstionibus implicatos, humanius est his laqueis quibus irretierunt se ipsi, explicare, quàm vel perterrefacere, vel suggillare, aut cruda , aut falsa responsione , cujusmodi est eorum qui percunctatibus, quid ante mundi conditum ageret Deus, respondebant , Alta scrutantibus gehennas parasse ; item eorum qui solo se munientes Scripturæ silentio, increpabant prophanam curiositatem scrutantium, quæ Deus arcana & intacta, inviaque esse jussisset. Denique si quando nec impiè nec inscitè usurpetur illud, Ante mundi conditum, ut quod ante mundi conditum regnaret, suaque solus beatitudine frueretur Deus, intelligendum esse Ante æternitatis non temporis. Antecessit enim incommutabilis mutabilia, stans fluentia, simul totus divisibilia, antecessit autem non tempore , sed celsitudine totius simul stantis æternitatis.

VII. Au-

Confess. L. 11. c. 13. VII. Augustinus: *Si cujusquam volatilis sensus vagatur per imagines retro temporum, & te Deum omnipotentem, &c. ab opere tanto, antequam id faceres, per innumerabilia sæcula cessasse miratur, evigilet atque attendat, quia falsa miratur. Nam unde poterant innumerabilia sæcula præterire, quæ ipse non feceras, cùm sis omnium sæculorum author & conditor? aut quæ tempora fuissent, quæ abs te condita non essent? Cùm ergo sis operator omnium temporum, si fuit aliquod tempus antequam faceres cœlum & terram, cur dicitur quod ab opere cessabas? Idipsum enim tempus tu feceras, nec præterire potuerunt tempora, antequam faceres tempora. Si autem ante cœlum & terram nullum erat tempus, cur quæritur quid tunc faciebas? non enim erat tunc, ubi non erat tempus.* Ante mundi exordia vel erat tempus, & tunc ab opere non vacabat Deus, tempus enim illud condebat: vel potiùs quia omnino cessabat Deus, tempus tunc nullum erat, nullum erat *tunc*, ideoque queri non debet quid Deus ageret tunc, cum *tunc* nullum esset. Et infrà: Ibid. c. 10. *Nec patiar quæstiones hominum, qui pœnali morbo plus sitiunt, quàm capiunt; & dicunt, Quid faciebat Deus antequam faceret cœlum & terram? aut quid ei venit in mentem, ut aliquid faceret, cùm antea nunquam aliquid fecerit? Da illis Domine bene cogitare, quid dicant, & invenire, quia non dicitur nunquam, ubi non est tempus. Qui ergo dicitur nunquam fecisse, quid aliud dicitur quàm nullo tempore fecisse? Videant itaque nullum tempus esse posse sine creatura tua, & desinant istam vanitatem loqui.* Hujusmodi ergo questiones omnes ex mera incogitantia, aut cogitandi ineptia ebulliunt, unde & in eas crebriùs effervescunt homines de trivio & imperitiores. Et rursus: Ibid. c. 12. *Ecce respondeo dicenti, Quid faciebat Deus antequam faceret cœlum & terram? respondeo non illud quod quidam respondisse perhibetur, joculariter eludens quæstionis violentiam, Alta, inquit, scrutantibus gehennas parabat. Hæc non respondeo. Libentiùs enim responderim, nescio quod nescio; quàm illud unde irridetur qui alta interrogavit, & laudatur qui falsa respondit.* Augustinus idem alibi: Civ. L. 12. c. 15. *Si potentiam suam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent, non fuerunt. Sed ante dico æternitate, non tempore.* Vides sicubi piè & eruditè dicitur *ante* de necdum creatis temporibus, intelligi debere *ante* æternitatis, non temporis. Eodem pertinet & illud Prosperi: Sent. 280. *Factæ creaturæ motibus cœperunt currere tempora. Unde ante creaturam frustra tempora requiruntur, quasi possint inveniri tempora ante tempora. Motus enim si nullus esset vel corporalis vel spiritalis creaturæ, quo per præsens præteritis futura succederent, tempus nullum omnino esset. Moveri autem creatura utique non posset, si non esset. Potiùs ergo tempus à creatura, quàm creatura cœpit à tempore, utrumque autem ex Deo.* Ubi rectè definit, cùm tempora non constent nisi motionibus creaturę seu corporalis seu spiritalis, ea creaturis adeo non anteriora esse, ut origine potiùs posteriora sint. Isidorus Hispalensis Episcopus: L. 1. Sentent. c. 8. *Frustra dicitur per tanta retro tempora Deo vacanti novam pro mundo faciendo ortam fuisse cogitationem, quando in suo æterno maneret consilio hujus mundi constructio, nec tempus ante principium, sed æternitas. Tempus vero à substitutione creaturæ, non creatura cæpit à tempore.* Atanasius: Orat. 4. cont. Arian. *Quòd si autem curiosè inquirant, cur Deus in cujus potestate est operari, non semper operatus sit, furiosorum est ista audacia. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? aut quomodo dixerit figmentum ad suum figulum, cur me ita fecisti?* Hęc responsio terret magis quàm docet, ut & illa superior mordebat magis quàm illustrabat: unde responsioni Augustini ut humaniori immorati sumus. Denique Philo tempus audet appellare Nepotem Dei, qui primogenitus sit à filio Dei juniore, videlicet mundo sensibili, cujus frater major natu est mundus intelligibilis; sed quod sensibili tempus, hoc intelligibili ęvum est. Ex quo liquet nullum tempus mundi primordia precessisse, nisi sicubi natus parente senior fuerit: *Deus vero & temporis est opifex, est enim pater patris ejus;* Lib. Quòd Deus sit immutabil. *mundus vero pater temporis quod motu suo progenerat. Itaque tempus nepotis Dei ordinem obtinet. Mundus enim hic Dei filius junior est, utpote sensibilis; senior autem intelligibilis est, qui pro jure primogenituræ apud patrem manet. Cæterùm junior filius sensibilis motu suo naturam temporis fecit existere.* Sic ille temporis genealogiam & natales texit.

VIII. Observat 5. Etsi aliqua creatura utcumque dici possit semper fuisse, etsi aliqua sit supra tempora, nullam tamen penitus immunem esse à temporum lege lapsuque, nullam omnino creatori coæternam esse. Quòd enim aliqua creatura dici possit suo quodam modo sempiterna ac semper fuisse, liquet 1. quia mundus semper fuit, seu omni tempore fuit: nullum enim tempus mundum antecessit, quocirca nullum fuit tempus quo non fuerit mundus, ergo semper fuit. 2. Si Angeli ante mundum corporeum conditi sunt, spiritalibus utique suis illi motionibus tempus gignebant; ipsi ergo saltem sempiterni fuerint, seu nullo non fuerint tempore. 3. Ipsa saltem tempora quæ utique creaturæ Dei sunt, sempiterna sunt, nullo enim tempore non fuerunt tempora. Quòd rursus possit aliqua creatura utcumque constitui supra tempora, inferiùs quidem suo loco uberiùs declarabitur; id autem liquet 1. quia licèt omnis creatura mutabilis sit, ideoque per tempora agitabilis, potest tamen beneficentia & omnipotentia creatoris ejus mutabilitatem figere, fluxum ejus cohibere, omnem mutationem comprimere; atque ita etsi labilis sit, non labetur; etsi mobilis sit, non movebitur; nullis ergo motionibus agitata, nullum tempus quod motionibus constat, patietur. 2. Ipsa creatura motionibus suis ad aliquem conspirat beatum finem; illum ergo adepta, quidni acquiescat, & moveri desinat, & mutabilitatem suam defigat penitus? 3. Æternitas participari utique potest absolutiùs quàm per tempus, quod dissimilitudo potiùs quàm similitudo æterninatis est; ut ergo propiùs ad æternitatis consortium admoveantur creaturæ nobiliores & beatiores, necesse est illas supra temporum vices assurgere. Atque ad hunc modum seu uberior omnipotentiæ effusio, seu amplior æternitatis divinæ participatio, seu ipsa finis ultimi beatitudo, creaturæ mutabis mutabilitatem ita constringet, motiones omnes ita anteverteret, ut nullam temporum injuriam persentiscat.

IX. Quòd rursum nulla penitus creatura ab omni temporum lapsu legeque absolvi possit, liquet 1. Quia omnis creatura ab aliquo cœpit esse initio, & in potestate creatoris est, ut & aliquo etiam fine desinat; at incipere & desinere temporum & temporalium est. 2. Omnis creatura ut non mutetur, certè mutabilis est: mutationes potest cohibere, mutabilitatem non potest abolere; mutari autem, & mutari posse, temporum & temporalium est; sicut æternitatis laus est, nec mutari, nec posse mutari. 3. Ut creaturæ intellectualis & summam jam assecutæ suam beatitatem, in eaque conquiescentis, nec ultra tendentis, operatio hæc stet, & invariabiliter eadem sine ulla mutatione consistat, eoque excedat temporum volubilitatem. Ut inquam hæc ad hunc modum se habeat operatio, prout illam se habere indubitatum nobis est, & antiquioris Theologiæ consensione roboratum; multiplex tamen operatio ejusdem creaturę superest vel ad seipsam vel ad alias consanguineas & ejusdem gradus, vel saltem ad inferiores quas regit & adgubernat, quæ variabilis est, & temporum vicibus obnoxia. Hinc illa toties

ties inculcata ab Augustito distributio; Deum nec per tempora nec per loca moveri; ipsum autem penitus immobilem movere Angelos per tempora non per loca, per eosque movere corporeas naturas, jam & per loca & per tempora mobiles.

X. Quòd denique nulla creatura quantumvis sempiterna, quantumvis supra temporum volubiles vices sublimis, Creatori vel consempiterna, vel coæva & coæterna sit. Liquet 1. Quia cœpit esse. 2. Quia vel esse desinet, vel saltem sua sponte ad desinendum vergit, & solius creatoris benefico nutu non desinet. 3. Quia vel mutatur vel saltem mutabilis est, & aliqua saltem operatione sua movetur per tempora, etsi aliqua non movetur. 4. Quia etsi nullo tempore, at tota sua æternitate illam creator antecedit. 5. Etsi nullo tempore, at tota sua æternitate illi succedit, eaque posterior viget vivitque creator. 6. Quia etsi non desinit, si tamen tota sua infinitate simul non potiatur, sed per vices & quasi stillatim vitam ætatemque suam delibet, toties finitur, & toties quasi minutatim & membratim definit, quoties partes ætatis ejus aliæ aliis decedentibus & quasi intereuntibus succedunt.

Confef.l.11. c. 14. Ibid. c. 30. XI. Augustinus: *Nulla tempora tibi coæterna sunt, quia tu permanes. At illa si permanerent, non essent tempora.* Et infrà: *Intelligant te ante omnia tempora æternum creatorem omnium temporum; neque ulla tempora tibi esse coæterna, nec ullam creaturam, etiamsi est aliqua supra tempora.* Ubi docet nec tempora quæ utique semper fuerunt, eo sensu quod ante ipsa nullum tempus fuerit, nec creaturam ullam etiamsi sit supra tempora, Deo esse coæternam. Tempora quidem quia non permanent, & quamvis semper sint, strictim & minutatim tantùm sunt. Sed

Civ.l.12.c.15. id prolixiùs & pressiùs disputat alibi: *Si tempus non à cœlo, verum & ante cœlum fuit, non quidem in horis, & diebus, & mensibus, & annis, &c. Sed in aliquo mutabili motu, cujus aliud anterius prætereierit, aliud posterius successerit, eò quod simul esse non possint. Si ergo ante cœlum in Angelicis motibus tale aliquid fuit, & ideo tempus jam fuit; atque Angeli ex quo facti sunt, temporaliter movebantur; etiam sic omni tempore fuerunt, quandoquidem cum illis facta sunt tempora. Quis autem dicat, Non semper fuit, quod omni tempore fuit? Sed si hoc respondero, dicetur mihi, Quomodo ergo non sunt coæterni creatori, si semper ille, semper illi fuerunt? Quomodo etiam creati dicendi sunt, si semper fuisse intelliguntur?* Et paulò pòst: *Sicut dicimus creatum tempus, cum ideo semper fuisse dicatur, quia omni tempore fuit tempus: ita non est consequens, ut si semper fuerunt Angeli, ideo non sint creati, ut propterea semper fuisse dicantur, quia omni tempore fuerunt, & propterea omni tempore fuerunt, quia nullo modo sine his ipsa tempora esse potuerunt. Ubi enim nulla creatura est, cujus mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omnino esse non possunt. At per hoc etsi semper fuerunt, creati sunt: nec si semper fuerunt, ideo creatori coæterni sunt. Ille enim semper fuit æternitate immutabili, isti autem facti sunt. Tempus autem quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum. Ac per hoc etiamsi immortalitas Angelorum non transit in tempore, nec præterita est, quasi jam non sit, nec futura, quasi nondum sit; tamen eorum motus quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum transeunt. Et ideo creatori in cujus motu dicendum non est, vel fuisse quod jam non sit, vel futurum esse quod nondum sit, coæterni esse non possunt.* Et tandem: *Erat quippe ante illam* (creaturam creator;) *quamvis nullo tempore sine illa, non eam spatio transcurrens, sed manente perpetuitate præcedens.* Quo ex contextu prolixiore elicere pronum est ea propemodum omnia quæ suprà philosophati sumus, nempe aliquas creaturas semper fuisse, videlicet cœlos, aut ipsos saltem si cœlum præcesserunt, Angelos, & eorum motibus fluentibus emersisse tempora, nullo ideoque tempore eos non fuisse; saltem ipsa tempora & creaturas esse, & omni tempore fuisse, ideoque semper fuisse; non tamen vel illos vel ista Deo coæterna esse; hæc quia mutantur currendo: hos quia motibus suis temporales sunt, quibus tempora ipsa procreant; utrosque quia manente perpetuitate, illorum exordia Deus antegreditur.

XII. Et rursus idem Augustinus: *Sicut substantiam quæ movetur per sensus & locum, præcedit substantia quæ tantùm per tempus, ita ipsam præcedit illa quæ nec per locum nec per tempus. Ac per hoc sicut per tempus & locum movet corpus, ipse tantùm per tempus motus conditus spiritus: ita per tempus movet conditum spiritum, ipse nec per tempus nec per locum motus conditor spiritus.* De Gen. ad litt.l.8.cap. 20. 24. Ubi substantiam nullam penitus à tempore immunem esse nisi divinam profitetur; sed quomodo & supra tempora sint, & tempori tamen Angelici spiritus obnoxii sint, traditur ibidem: *Proinde illi (beati Angeli) in illo veritatem incommutabilem vident, & secundùm eam suas dirigunt voluntates. Fiunt ergo illi participes æternitatis & veritatis, voluntatem ejus semper facientes sine tempore & loco. Moventur autem ejus imperio etiam temporaliter, illo non temporaliter moto. Nec ita ut ab ejus contemplatione resiliant aut defluant, sed simul & illum sine loco ac tempore contemplantur, & ejus in inferioribus jussa perficiunt, moventes se per tempus, corpus autem per tempus & locum, quantum eorum congruit actioni.* Ubi expressè duplicem distinguit beatarum mentium actionem alteram intemporalem, qua Deum invariabiliter contemplantur, sine vice, sine mutatione; alteram temporalem, qua & se per tempus, & creaturam corpoream per tempus & locum movent. Et rursus alibi: *Dixisti mihi voce forti in aurem interiorem, quod nec illa creatura tibi coæterna est, cujus voluntas tu solus es, teque perseverantissima castitate hauriens, mutabilitatem suam nunquam & nusquam exerit, & te sibi semper præsente, ad quem toto affectu se tenet, non habens futurum quod expectet, nec in præteritum trajiciens quod meminerit, nulla vice variatur, nec in tempora ulla distenditur.* Confessl.12 c. 11. Ubi quomodo supra tempora sint beatæ Angelorum mentes, planissimum facit, quia videlicet nil futurum expectant, nil præteritum meminerunt; ideo autem nil futurum expectant, nil præteritum meminere, quia præsens semper eis Deus est, & omnia in Deo ipsis sunt præsentia, simul & semel; non tamen Deo coæternæ sunt, quia etsi mutabilitatem suam nunquam & nusquam exerant, mutabiles tamen sunt. Unde inferiùs: *Etsi non invenimus tempus ante illam* (creaturam Angelicam) *quia & creaturam temporis antecedit; ante illam tamen est ipsius creatoris æternitas, à quo facta sumpsit exordium: quamvis non temporis, quia nondum erat tempus, ipsius tamen conditionis suæ. Unde ita est abs te Deo nostro, ut aliud sit planè quàm tu, & non idipsum. Quoniam etsi non solùm ante illam, sed nec in illa invenimus tempus, quia est idonea faciem tuam semper videre, nec uspiam deflectitur ab ea, quo fit ut nulla mutatione varietur: inest tamen ei ipsa mutabilitas, unde tenebresceret & frigesceret, nisi amore grandi tibi cohærens, tanquam semper meridies luceret & ferveret ex te.* Ibid.c.15. Ubi Angelos beatos tametsi ante & supra tempora collocatos & æternitatis Dei consortes, ab ea tamen dupliciter deficere indicat, & quod exordium habuerint, non quidem temporis, sed conditionis, & quod tametsi immutabiliter Deo semper præsenti cohæreant, inest tamen ipsis mutabilitas in fluxum dilapsura, ni jugiter cohibeatur.

XIII. Hoc idem luculentissimè confitetur Anselmus: *Tu ergo imples & complecteris omnia, tu es ante & ultra omnia. Et quidem ante omnia es, quia antequam fierent, tu es. Ultra omnia* Profol.c.20. *verò,*

verò quomodo es? Qualiter enim es ultra ea quæ finem non habebunt? an quia illa sine te nullatenus esse possunt? Tu autem nullo modo minus es, etiamsi illa redeant in nihilum; sic enim quodammodo es ultra illa. An etiam quia illa cogitari possunt habere finem, tu vero nequaquam? nam sic illa quidem habent finem quodammodo, tu vero nullo modo; & certè quod nullo modo habet finem, ultra illud est, quod aliquo modo finitur. An hoc quoque modo transis omnia etiam æterna, quia tua & illorum æternitas, tota tibi præsens est; cum illa nondum habeant de sua æternitate quod venturum est; sicut jam non habent, quod præteritum est? Sic quippè semper es ultra illa, cum semper ibi sis præsens, seu cum illud semper sit tibi præsens, ad quod illa nondum pervenerunt. Sic ille multifariam discriminat sempiternitatem & æternitatem creaturarum ab æternitate creatoris; Deus enim est ante & ultra omnes creaturas etiam sempiternas, antè æternitate & initii impatientia; ultra seu post, 1. quia creaturarum omne illi obnoxium est, in ejusque nutu est, ut desinant aut perennet. 2. quia natura creaturæ omnis cogitari potest desinere, non autem creatoris; unde in intellectu desinit natura creaturæ, sin minus in re. 3. & potissimum, quia tota æternitate ut antecedit, ita succedit & posterior est creaturis creator; tota enim & sua & creaturarum æternitate simul sibi præsente fruitur creator; creatura autem etiam æterna æternitatem suam non totam simul amplectitur, sed quasi stillatim lambit.

XIV. Observat 6. aut ex eo saltem observari facilè potest, in quo ævum ab æternitate & tempore differat. Appellitare enim solent Scholastici Doctores durationem seu ætatem naturæ divinæ æternitatem; naturæ verò creatæ spiritalis ævum; corporalis tempus. Æternitatis & temporis naturam supra adumbravimus; ævum ab iis disterminare magnæ molis est. Subodorari tamen licet ex sanctis Patribus in medio quasi locatum confinio æternitatis & temporis utrimque nonnihil derivare ævum. Ac 1. cum æternitate id obtinet, ut substantiæ incorruptibili competat, quæ nullas mutationis vices subeat, nec ab una natura, seu forma in aliam transmigret. 2. Ut nunquam desinat, aut vi & vivacitate saltem insita perennitatem efflagitare & conditoris munificentiam ad id invitare videatur. 3. Si actio æviterna sit, ut contemplatio beatarum mentium, nullo similiter incremento, aut decremento, nulla ab uno ad aliud discursatione varietur, nulla cessatione abrumpatur; sed sempiterna stabilitate vigeat & perennet. Cum tempore autem id patitur ævum, ut substantiæ competat creatæ & obnoxiæ immortalitatis, & a creatoris nutu pendulæ. Hinc enim fit 1. ut illa suum esse non semper habuerit, sed aliquando acceperit & occœperit. 2. Ut esse suum non simul totum hauriat, & exhauriat, & possideat simul totum; sed jugi conservatione, seu perpetuata creatione, & toties iterata & iteranda ex nihilo emersione, illud quasi guttatim percipiat. Quapropter tametsi ipsa substantia nunquam fit in aliam substantiam demutabilis, quamvis nulla, si ita lubet, nova subeat accidentia, quamvis nulla sua operatione, vel quæ non fuerit, exoriente, vel quæ fuerit, senescente & emoriente, varietur; atque adeo non tempore laceretur, sed beato ævo perfruatur; ipsum tamen suum esse ad eum modum incorruptibile, hunc statum suum & fœlicitatem non totam simul aut totum, sed stillatim & minutatim à creatore percipit, momentis singulis renovandum, & à non ente in quod recideret, fabricatoria Dei manu indesinenter extrahendum. 3. Denique ut desinere quando & quoties conditori collibitum fuerit, possit. Vix controverti possunt hæc discrimina, si illud unum demas quod ævum æquè ac tempus labile, nec totum simul declaravimus.

XV. Sed illud probatur 1. Ævum enim Græcis Philosophis Patribusque vocatum est, αἰών, quasi ἀεὶ ὄν, seu quasi semper existens; ævum ergo quod substantiis immortalibus assignarunt, ab incorruptibilitate seu sempiternitate definierunt, non à statu & uno, quod est totum simul. Unde illis αἰών idem est ac αἰδιότης seu sempiternitas. Latinis autem Patribus idem est sæculum, quod Græcis αἰών; sæculum autem longævitatem & sempiternitatem potest utique insinuare, non autem illam constantiam naturæ totam suam ætatem in unum collectam constringentis, totamque simul possidentis. 2. Patres omnes immortalitatem soli Deo vindicarunt, quod omnis creatura creatoris jussu extingui possit; non ergo totum suum esse simul accipit, sed membratim & obnoxiè, ut tamdiu sit, quamdiu opifici collibitum erit. 3. Si fabricatoriam manum rebus à se conditis Deus subtraheret, in confesso est eas in pristinum nihilum relapsuras: ergo non simul totum esse, nec totam simul sui esse ætatem & perennitatem Deus addidit, sed jugiter illud irrorat, & guttatim infundit, ad libitum desiturus. 4. Aliud est recipere aliquid novi, aliud recipere ipsum esse semper novum; illud corruptibili, hoc creatæ cuicumque substantiæ convenit; illud tempus gignit, hoc ævo non pugnat. Tametsi enim æviternas substantias suo esse jugiter & stillatim irrorari ponamus, adhuc tamen multiplex superesset ratio amoliendi ab ipsis temporis, & peculiaris ævi eis assignandi; quod suum esse substantiale idem semper contineant, & quamvis de novo semper, non tamen novum aut novatum illud à conservatore Deo accipiant; quòd non tantùm in substantia nullam, sed & in accidentibus raram aut nullam alterationem suscipiant; quòd finem essendi nullum faciant ex naturæ suæ privilegio, tametsi facere possent ex omnipotentis dominatoris imperio. 5. Ita operatio qua Deum indesinenter & invariabiliter contemplantur beatæ mentes semper præsentem, quamvis non tota simul sit, sed successivè fluat, & utique si Deus auxiliatricem manum subtraheret, desinere posset; multiplici tamen de causa disterminanda est ab aliis earumdem operationibus, & illi ævum, his tempus deputandum est. Illa enim tota simul est, eo sensu quod talis semel est, qualis in æternum perennatura; nullo deinceps augmento, vel decremento, vel cessatione variabilis; aliæ autem intendi vel relaxari possunt, desinere & renovari. Illa objecto semper præsenti fruitur, in eoque omnia semper præsentia contuetur, unde merus contuitus est, nihil præteritum rememorans, nihil futurum expectans; aliæ rebus variabilibus vel speculandis, vel administrandis affixæ, variabiles & ipsæ sunt; nec omnia semper habent præsentia, sed & futura expectant, & præterita memorant. Illa denique immutabili Deo coalescens & verè æterno copiosius haurit æternitatem, aliæ secus. 6. Denique cùm tempus extensio sit cujusdam motionis, prima hauddubio motio est, qua à non esse ad esse trahitur, & quandiù est, tandiù extrahitur omnis creatura; primum ergo tempus hoc est. Utque prima, ita jugis hæc mutatio est, primæque radix mutabilitatis. Quemadmodum ergo æternitas Dei ex immutabilitate, immutabilitas ex innascibilitate oritur; ita tempus ex mutabilitate, mutabilitas prima ex creatione & conservatione oritur. Hinc toties Patres inculcant solùm Dei esse ut stet.

XVI. Gregorius Magnus: *Omnis creatura quia ex nihilo facta est, & per semetipsam ad nihilum tendit, non stare habet, sed defluere. Rationalis vero creatura eo ipso quo ad imaginem creatoris condita est, ne ad nihilum transeat, figitur, &c. Stare ergo solius creatoris est, per quem cuncta non transeuntem transeunt, & in quo aliqua ne transeant, retinentur.* Moral. l. 5. c. 25. Augustinus: *Si potentiam suam ut ita dicam fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent, non fuerunt.* Civit. l. 12. c. 25. Ut ergo à non esse ad esse fuerunt mutabiles omnes crea-

creaturæ, ita adhuc mutabiles sunt ab esse ad non esse; nulla ergo creatura jam habet, nulla jam præsens possidet totum suum esse futurum; si enim jam haberet, nihil illi superesset accipiendum à conditore, seu conservatore Deo; etsi ergo manum ille fabricatoriam subtraheret, nihil deperderet. Idem alibi: *Spiritalem creaturam corporali præposuit, quod spiritalis tantummodo per tempora mutari posset, corporalis autem per tempora & loca. Exempli enim gratia per tempus movetur animus, vel reminiscendo quod oblitus erat, vel discendo quod nesciebat, vel volendo quod nolebat. Per loca autem corpus, vel à terra in cœlum, &c.* Ubi secundam mutabilitatis, seu temporalitatis radicem, denudat, quod nempè operatio plurima naturæ spiritalis non tantùm sicut & ejus esse substantiale, fluat, vicissimque emanet quasi minutatim ab Angelo, vel animo operante, sed multifariam etiam varietur, ab oblivione ad memoriam, & vicissim à consensu ad dissensum, & secus. Et infrà: *Simul illum sine loco & tempore contemplantur; & ejus in inferioribus jussa perficiunt, moventes se per tempus, corpus autem per tempus & locum.* Ubi tertiam radicem fluxus temporalis indigitat, operationes videlicet Angelicas in corpora regenda incumbentes, & temporalia temporaliter moventes, ipsasque temporales. Cùm autem duplex hæc operatio naturæ spiritali connaturalis, alia intima penes animum, alia extima in corporum regimen, lapsum & vices temporum partiatur; consentaneum magnoperè est, ipsam quoque naturam & substantiam spiritalem non usquequaque ab eorumdem temporum lege emancipatam esse. Cùm item operatio ejus quæ supra tempora est, supra vires & naturam ejus extra planè sit, argumento id est, ipsam ejus naturam non usquequaque supra tempora esse. Et rursus alibi: *Mutabilitatem suam nusquam & nunquam exerit; & te sibi semper præsente, ad quem toto affectu se tenet; non habens futurum quod expectet, nec in præteritum traiiciens quod meminerit, nulla vice variatur, nec in tempora ulla distenditur.* Ubi totam immunitatem à temporum conditione refundit in Dei semper præsentis contemplationem; ergo ipsi per se naturæ spiritali non competit illa immunitas; unde nec aliis ejusdem naturæ operationibus competit. Et infrà: *Inest tamen ei ipsa mutabilitas, unde tenebresceret & frigesceret, nisi amore grandi tibi cohærens, tanquam semper meridies luceret & ferveret ex te.* Ubi satis innuit nec illam beatificam contemplationem totam esse simul quoad durationem & perennitatem suam; quamvis tota simul sit quoad lucem, fervorem aliasque ejusmodi dotes; non tota autem simul est quoad perpetuitatem suam, quia inest mutabilitas, unde in tenebras & frigus deflueret, nisi semper à Deo illuminante & succendente foveretur.

De Genesi ad lit. l. 8. c. 20.

Ibid. c. 24.

Confess. l. 12. c. 11. 15.

XVII. Lupus Servatus: *Rerum omnium opifex Deus loci temporisque ac per hoc totius mutabilitatis expers, omnis creaturæ rationes sempiterna apud se immutabilitate custodiens, spiritalem creaturam tantum tempori, corporalem autem non tempori modò, verùm etiam loco fecit obnoxiam; siquidem subjectam se tempori spiritalis natura ostendit, quæ benè utpote à bono Deo condita, partim suo se vitio depravans in veritate non stetit, atque adeo corruit; partim conditori pia subjectione adhærens, & quod lapsus esset capax apparuit, & ne ultra laberetur, compos tantæ fœlicitatis, accepit.* Ubi Angelos tempori obnoxios esse decernit. Anselmus perspicuè hoc ipsum confirmat: *An hoc quoque modo transis omnia, etiam æterna, quia tua & illorum æternitas tota tibi præsens est, cùm illa nondum habeant de sua æternitate quod venturum est, sicut jam non habent quod præteritum est? Sic quippe semper es ultra illa, cùm semper ibi sis præsens, seu cum illud semper sit tibi præsens, ad quod illa nondum pervenerunt.* Ubi æternitatem Dei ab æternitate seu ævo creaturæ ita discernit, quòd ævum non sit simul, sed perennitatem suam partim futuram expectet, partim præsentem decurrat; ideoque æternitas Dei omni ævo ulterior sit. Boëthius quoque ut suprà notavimus, æternitatis quam uni Deo tribuit vim & naturam in eo præcipuè locat, quòd sit tota simul; reliquæ enim partes æternitatis, nempè *interminabilis vitæ possessio*, creaturis sempiternis facilè adaptarentur. Unde ille: *Quidam non rectè, qui cùm audiunt visum Platoni hunc mundum nec habuisse initium, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud est enim per interminabilem duci vitam, aliud interminabilis vitæ totam pariter complexum esse præsentiam, quod divinæ mentis proprium esse manifestum est. Neque Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplici potiùs proprietate naturæ. Hunc enim vitæ immobilis præsentiarium statum infinitus ille temporalium rerum motus imitatur.* Ubi mundum, qui utriusque & spiritalis & corporalis naturæ complexio est, tametsi semper fuisset, semperque futurus esset, longè tamen ab æternitate Dei desciscere arguit, eò quòd perpetuitas Dei tota simul consistat, mundi autem fluat, & partibus præcedentibus & succedentibus constet. Item eò mundum tametsi semper fuisset, à Deo antecedi arguit, quòd singulari proprietate Deus totam simul perennitatem suam obtineat; mundus autem seu spiritalis seu corporalis illam frustillatim & per momenta rorantem colligat.

L. de tribus quæstionib. q. 1. sect. 1.

Prosol. c. 19.

Conf. l. 5 pros. 6.

XVIII. Ex Græcis autem Patribus longè plures & propè omnes ævum seu αἰῶνα à tempore distinxere, illudque spiritalibus, hoc corporalibus creaturis adscripserunt; illud iis quæ sunt, hoc illis quæ fiunt; at spiritalia ideo esse, corporalia, ideo semper fieri dicuntur, quòd hæc ex materiæ contagio in alias & alias formas speciesque substantialiter vertantur; illa utpotè materiæ expertia in eadem semper forma specieque durent. Constabit autem hoc utriusque naturæ discrimen, itemque temporis & ævi discrepantia, tametsi utraque natura à Deo jugiter & stillatim manare existimetur, sicut sisti possit nutu largitoris ille beneficentiæ rivus. Dionysius: *Ex eo qui est, est ævum & essentia, & quod est; & tempus & generatio, & quod fit.* Ex Deo ait esse, videlicet ut vero ente, hinc ævum, & essentiam, & ens, id est, substantias intellectuales quæ sunt veræ essentiæ & verè sunt, ideòque ævo fruuntur; inde tempus & generationem & id quod fit, id est, naturas materiales quæ non habent essentiam, sed generationem, nec sunt, sed fiunt, ideoque tempore distenduntur. Sanctus Maximus in idem caput: *Mensuræ rerum sunt æternitates intelligibilium, tempus sensibilium. Intelligibilia enim velut mensura, ævo mensurantur, &c.* Ubi corporalibus tempus, ævum seu æonem spiritalibus tribuit. Damascenus: *Dicitur ævum, non tempus, neque temporis pars, latione Solis & cursu mensurata, per dies videlicet & noctes constituta; sed quod coextenditur sempiternis, instar cujusdam temporalis motus & spatii. Quod enim iis quæ in tempore sunt, est tempus, hoc sempiternis illis est ævum.* Et paulò pòst: *Unum etiam ævum est, secundum quod dicitur Deus æviternus seu æternus; quin imò & prææternus, ipse enim & ævum fecit. Nam solus sine principio Deus existens, omnium ipse est factor ævorum, & omnium quæ sunt.* Ubi tempus corporeis, ævum incorporeis assignat, Deo præævum seu prææternitatem vindicat; ævum definit sempiternorum durationem, eoque illud a tempore discriminat, non quòd ævum sit totum simul. Tres ergo gradus sunt Damasceno, Deus, Angelus, corpus, ἀναρχὸς, ἀΐδιος, χρονικὸς, προαιὼν, αἰὼν, χρόνος, seu Deus sine principio, & ideò præeviternus; Angeli sempiterni, & ideò ęviterni; corpora cum principio & fine,

De divin. nomin. c. 5. n. 4. 2 1

Orthod. fid. L. 2. c. 1.

& fine, ideo temporalia. Præiverat Damasceno Gregorius Nazianzenus: *Quod nobis tempus, Solis motu definitum, hoc sempiternis est ævum.* (Orat. 43.) Ubi ævo solam sempiternitatem arrogat. Alibi ævum vocat (Orat. 35.), τὸ συμπαρεκτεινόμενον τοῖς ἀϊδίοις διάστημα, *intervallum quod sempiternis coextenditur.* Extensio ergo est ævum, non tota simul præsentia sempiternæ ætatis. Tale autem ævum cui nihil tanquam præteritum effluat, nihil tanquam futurum affluat, est Dei unius peculiare, authore Philone lib. Quòd Deus sit immutabilis: *Itaque apud Deum nihil futurum est, cui subiiciuntur etiam termini temporum. Namque non tempus, sed temporis exemplar ævum, vita ipsorum est. In ævo autem nihil præteriit, nihil futurum est, sed præsens tantummodo.*

Locus ergo ille Augustini cautè interpretandus est (Civit. l. 12. c. 15.): *Etiamsi immortalitas Angelorum non transit in tempore, nec præterita est, quasi jam non sit, nec futura, quasi nondum sit; tamen eorum motus quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum transeunt.* Cautè inquam locus iste exponendus est, ne tot aliis obstrepat & adversetur ejusdem authoritatibus & argumentis. Si enim immortalitas & perpetuitas Angelorum tota simul esset, idemque in illa esset præteritum & futurum, vel potiùs nullum illi præteritum esset, aut futurum, sed solùm præsens: ut fieri non potest quin fuerit, ita fieri non posset quin foret, quia fuisse & fore idem in illo essent; ut posito quod fuerit, carere non potest præsenti, ita nec posset carere futura perennitate, quia futurum idem esset ac præsens. Labaret ergo quod toties inculcat Augustinus, creaturas omnes in nihilum resorbendas, si Deus sustentare vel ad momentum cessaret. Sensus ergo loci illius hic est, substantiam Angeli sicut & animæ immortalem esse, quia nec ex aliis substantiis quæ præcesserint, progenita est, nec in alias substantias quæ succedant, corrumpenda est; sed eadem perstat; cùm motiones Angelicæ singulis temporum quæ inde exoriuntur momentis, aliæ & aliæ sint; sicut etiam substantiæ corporeæ ex aliis præteritis in alias futuras irrequieta transmutatione dilabuntur.

XXI. Observari denique potest, tametsi tempus utcumque describi possit motionum corporalium moræ & intervalla; tametsi rursus describi possit, & quidem digniùs & accuratiùs, motionum spiritalium seu animarum seu Angelorum extensio; accuratiùs adhuc digniùsque forsan definiri posse ut illud definiit sanctus Maximus (Dionys. de divin. nom. c. 5.), *Progressum divinæ bonitatis ad sensibilia procreanda.* Quanquam enim nec substantiæ ullæ corporeæ nec incorporeæ moverentur, sed quiescerent & cessarent omnino, hujus tamen cessationis & quietis alia esset mora, & proinde tempus. 2. Substantiæ incorporeæ si solæ essent, reliquis in nihilum retrusis, eæque in solam Dei præsentis beatissimam contemplationem arrectæ; aliqua tamen & ipsarum substantiæ & hujus contemplationis duratio esset, possetque alia brevior, alia diuturnior cogitari & esse. Ergo esset adhuc tempus. 3. Non tantùm operationis, sed ipsius Angelicæ substantiæ duratio est; nimirum substantia unius quàm alterius Angeli diutiùs vel breviùs per omnipotentis Dei nutum esse & durare potest; ergo sequestrata omni operatione seu motione, tum Angelica, tum corporea, necesse est tempus aliquod seu intervallum indagare, quo duret breviùs aut prolixiùs ipsa rerum spiritalium substantia, imò & corporalium. Hæc autem mensura seu duratio rei cujuscumque creatæ non alia penitior, altior, ulteriorve excogitari potest, quàm progressus divinæ bonitatis ad res creandas. Cùm enim creaturis suum esse largiatur, non totum simul, sed particulatim & guttatim instillando, hic fluxus, hæc jugis instillatio moram & extensionem prodit, & tempus constituit, & tempus ipsa est, seu ævum, quatenus ævum extensio quædam & ipsum est. 4. Ita non absurdè interpretabimur mentem Platonicorum, qui tempus ab anima mundi effundi & dispensari philosophabantur, quòd animæ sit penes seipsam præmeditari & admetiri deinceps moras & intervalla totius motionis & numerosæ mundi saltationis. Illa enim mundi anima Platonicis adeo decantata, vix alia Christianis Theologis quàm Deus ipse videbitur, qui mens universi totius formatrix & moderatrix cùm sit, & toti & totius partibus singulis substantiæ moras dictat, durationis modum dispensat, tempus admetitur tantum vel tantillum, prout æternorum numerorum leges præscribunt. 5. Ita tempus multipliciter expendi poterit, vel enim penes corporum, maximè cœlestium & sydereorum, ut maximè conspicuorum decursiones; vel penes spiritales seu animarum seu Angelorum motiones, quæ corporalium decursionum moderatrices & rectrices sunt; vel denique penes ipsam substantiarum omnium creatarum jugem & continuam è creatoris manu stillatim irrorante defluxionem; quia nullus fluxus ulterior aut anterior excogitari fingive potest. Rectè itaque sanctus Maximus loco citato: *Sic etiam tempus dicimus tum quidem in eo qui semper est,* (*seu in Deo*) *requiescere, apparere verò in subjecto, quando etiam posteà naturam visibilem procedere oportebat. Itaque progressum divinæ bonitatis ad sensibilia ut ea producat, vocamus tempus. Non enim motus interstitiorum ad partes & tempestates & noctes & dies, est tempus; sed vocatur tempus, ut quod mensurat & mensuratur, solemus eodem appellare nomine. Motus igitur astrorum secundùm illud Scripturæ, Sint signa & in tempora & in annos, facti sunt à Deo ad definitionem & manifestationem nobis evidentem.* Syderum ergo motus signa sunt temporum, non tempora; signa enim opus fuit aliqua esse conspicabilia: tempus verò quod priùs in æternitatis sinu quiescebat, quiescebant enim in Dei sapientia leges morarum & intervallorum, quæ observari oporteret in mundani quasi carminis dispensatione; tempus ergo ab illa æterna & ideali quiete tunc emicuit, cum ex intelligibili sensibilis mundus emicuit, & hoc perenniter inde emicante, emicare & ipsum non cessat.

CAPUT XV.

Ut tempus & ævum creaturæ Creatoris æternitatem imitentur, ex sanctis Patribus.

I. Tempus æternitatem imitatus, quia tempus est numerus, æternitas est unitas. Item quia ita habet tempus ad æternitatem, ut vox ad mentem, ut carmen in aere ad carmen in arte.

II. Et tempus & æternitas præsentia quadam est, ibi fluens, hic manens.

III. Et tempus in se semper redit & reflectitur.

IV. Anima nostra expressiùs imitatur æternitatem, cùm Dei imago, cùm immortalis sit.

V. Hinc illi æternæ gloriæ sitis.

VI. Imo hinc illi cum Deo consortium, contubernium, colloquium.

VII. Infunditur ab æternitate Dei immortalitas animæ.

VIII. Ab æternitate maximè virtutum derivatur immortalitas animarum. Rationes ad id.

IX. Et Patrum testimonia.

X. Etiam Græcorum.

XI. Homo ante peccatum maximè particeps erat æternitatis. Rationes.

XII. Et testimonia sanctorum Patrum.

XIII. Æternitatis particeps maximè faciebat bea-

ta Dei contemplatio. Rationes ad id conglobantur.

XIV. Et suffragia Patrum.

I. ANimadvertendum est 1. Tempus ab æternitate non deficiendo, sed imitando discedere, atque adeo discedendo accedere. Hec enim vis est veræ divinitatis divinorumque omnium, ut recedi inde omninò non possit. Ac 1. quidem cùm tempus numerus quidam sit, æternitas autem unitas, nulli obscurum est, totam numerorum naturam ab unitate effluere, & ad unitatem aspirare. Omnis enim numerus unitas quædam est, eatenus est is numerus, quotusquisque tandem sit, quatenus partes suas omnes unitatis vinculo constringit, fluxumque & dissipationem hoc retinaculo cohibet. Augustinus: *Quæ verò superiora sunt, nisi illa in quibus summa, inconcussa, incommutabilis & æterna manet æqualitas? Ubi nullum est tempus, quia nulla mutabilitas est, & unde tempora fabricantur & ordinantur & modificantur, æternitatem imitantia, dum cœli conversio ad idem redit, & cœlestia corpora ad idem revocat, diebusque & mensibus & annis & lustris, cæterisque syderum ordinibus, legibusque æqualitatis & unitatis & ordinationis obtemperat. Ita cœlestibus terrena subjecta, orbes temporum suorum numerosa successione, quasi carmini universitatis consociant.* Imitantur igitur æternitatem tempora, quia numerosa temporum successio ad leges unitatis & æqualitatis summæ administrata & exacta, universitatis carmini & quasi tripudio pulcherrimo adaptatur. 2. Cum tempus ad æternitatem ita componatur, ut vox ad mentem, ut carmen in aere ad carmen in arte, planum est, etsi illud transeat, hoc maneat, illud intus, hoc foris sonet; illud tamen hujus proximum imitamentum esse, hujus vim exprimere, hujus leges modosque tenere. Augustinus: *Quid est sæculum sæculi? nisi cujus effigiem & tanquam umbram habet hoc sæculum. Vicissitudine enim temporum sibi succedentium, dum Luna minuitur & rursus impletur, dum Sol omni anno locum suum reperit, dum vel æstas, vel autumnus, vel hyems sic transit, ut redeat, æternitatis quædam imitatio est. Sed hujus sæculi sæculum est quod incommutabili æternitate consistit. Sicut versus in animo, & versus in voce; ille intelligitur, iste auditur; & ille istum modificat; & ideo ille in arte operatur & manet, iste in aere sonat & transit. Sic hujus mutabilis sæculi modus ab illo incommutabili sæculo definitur, quod dicitur sæculum sæculi. Et ideo illud in arte Dei, hoc est in sapientia & virtute permanet; hoc autem in creaturæ administratione peragitur.* Quamvis ergo tot sint utriusque carminis dissonantiæ, illud enim ab ore, hoc à mente; illud in aere, hoc in arte; illud sonat, hoc sapit; illud transit, hoc manet; utrumque tamen unum carmen est, nihil ibi impressum, quod non hìc expressum; nihil hìc explicatum, quod non ibi complicatum; ita æternitatis & temporis quamvis eædem dissonantiæ sint, eadem rursus consonantia est.

[De Musica. l. 6. c. 11.] [In Psal. 9.]

II. 3. Æternitas semper est, & præsentia quædam indeficiens est. Tempus quoque præsens est, sed quia hoc præsens deficit, illud toties reficit; quia veterascit, illud innovat; & ad eum modum æmulatur præsentiam indeficientem præsentia indeficienter refecta; præsentiam nunquam veterascentem, præsentia semper innovata. Infinitam vitæ plenitudinem habet æternitas, habet & tempus; sed istud mobiliter, illa immobiliter, quia æternitas ut imitandam se præbeat, non movetur; tempus ut ad illam imitandam sese effingat & componat, movetur. Boethius: *Hunc vitæ immobilis præsentiarum statum, infinitus ille temporalium rerum motus imitatur. Cùmque eum effingere atque æquare non possit, & immobilitate deficit in motum, & ex simplicitate præsentiæ decrescit in infinitam futuri ac præteriti quantitatem. Et cum totam pariter vitæ suæ plenitudinem nequeat possidere, hoc ipso quod aliquo modo nunquam esse desinit, illud quod implere atque exprimere non potest, aliquatenus videtur æmulari, alligans se ad qualemcumque præsentiam hujus exigui volucrisque momenti. Quæ quoniam manentis illius præsentiæ quandam gestat imaginem, quibuscumque contigerit, id præstat, ut esse videantur. Quoniam vero manere non potuit, infinitum temporis iter arripuit, eoque modo factum est ut continuaret vitam eundo, cujus plenitudinem complecti non valuit permanendo. Itaque si digna rebus nomina velimus imponere, Platonem sequentes, Deum quidem æternum, mundum verò dicamus esse perpetuum.* Quo nihil elegantius dici potuit, ad exprimendam sedulitatem qua tempus affectat identitatem vitę ęternę infinitate vitæ fluentis ementiri; ut utrobique sit infinitas, sed ibi complicata, hìc explicata; ibi se recolligens, hìc se exporrigens; ibi æternitas, hìc sempiternitas, tanta utriusque cognatione, ut plerique utrumque nomen promiscuè habuerint.

[Conf. Phil. l. 5. Prof. 6.]

III. 4. Præsentiam indistantem & à se nunquam vel tantillum deficientem imitantur tempora & temporalia, dum ubi à se paulisper exierunt, statim in se redeunt; & quasi sui lapsus confestim pœniteat, ad idem caput regredi adproperant; seque ita quantum fas est, unitati & identitati vendicant. Ita sydera ad eadem rursus unde deflexerunt exordia sese reflectere festinant; anni annorumque tempestates ad idem caput revolvuntur; dies & horę ubi excurrerunt aliquandiù, recurrunt; temporalia quoque omnia ubi occidere, exoriuntur rursum, & ubi consenuere rejuvenescunt; arbores in semina pullulant, & ex seminibus repullulascunt. Ita interitus temporum & temporalium cum ad novos exortus conspiret, non tam extinguit quàm exsuscitat & renovat; ęternitatisque adumbrat vetustatem semper novam, novitatem semper vetustam. Luculentè id edocuit Augustinus utroque loco paulò suprà allegato; idem tradit & Philo lib. de Mundi opificio: *Voluit Deus naturam certis horarum spatiis decurrere, consulens immortalitati specierum, & reddens eas æternitatis participes. Quapropter inchoata perduxit ad finem properè, rursumque à fine reflexit ad initium. E plantis enim fit fructus, tanquam è principio finis, & è fructu semen intra se denuo plantam continens, tanquam è fine principium.* Ita tempora & temporalia cum ubi defecisse putas, ibi reficiuntur; ubi consenuisse, ibi rejuvenescunt; ubi interisse, ibi redintegrantur, & in fine principium semper sortiuntur; ęternitatem, nec deficientem unquam, nec senescentem, nec intereuntem, principii & finis expertem adumbrant.

IV. Animadvertendum 2. Animam rationalem, ut quæ primo gradu supra tempora & temporalia consurgat, simulacrum esse expressius ęternitatis divinę, ideoque ęternam & ipsam esse. Nam 1. ęternitatis imago, non vestigium est, ęterna ergo & ipsa est. Gregorius Magnus: *Omnis creatura quia ex nihilo facta est, & per semetipsam ad nihilum tendit, non stare habet, sed defluere; rationalis verò creatura eo ipso quod ad imaginem creatoris condita est, ne ad nihilum transeat, figitur; irrationalis autem nequaquam figitur, sed donec visionis suæ ministerio universitatis specimen impleat, transeundo tardatur.* Vestigia igitur ęternitatis aliquandiu conspiciuntur, inde turbantur, confunduntur & esse desinunt; imagines autem, ut quæ dignæ sunt semper conspici & semper conspicere, perpetuantur. Item Bernardus: *Est rationalis quædam sponsa* (seu animę quę sponsa Verbi est) *spiritalisque effigies, ipsaque æterna, quia imago æternitatis.* 2. Animæ vita cùm sit non simulata, ut brutorum, sed vera & sincera, verę vitę seu ęternitatis imago, mortis expers est; nam vita in mortem declinans, jam moritur, nec vita est; vita suo progressu in mortem festinans, & ad

[Moral. l. 4. c. 21.] [In Cantic. Serm. 27.]

non

non esse proficiens mortis præludium, vitæ ludibrium, non vita est. Vera vita æterna est, quia æternitas ipsa vita est. Unde omnis vita se vivere sentiens, de sua æternitate, de sua cum æterna vi-
In Ps. 118. ta consanguinitate, medullitus conscia & præsaga est. Hilarius: *Ut hoc quod in hanc vitam venimus, cum profectu æternitatis ineamus. Nam nasci ad*
In Psal. 62. *mortem, non vitæ est causa, sed mortis.* Et alibi: *Uniuscujusque mens ad cognitionem æternitatis naturali quodam fertur instinctu; quia veluti insitum impressumque omnibus sit, divinam inesse nobis animarum originem opinari, cum non exiguam cœlestis in se generis cognationem mens ipsa cognoscat.* Ubi vides, vitæ ut vita sit, ad æternitatem, non ad mortem proficiendum esse; & hoc anticipatum esse nobis præsagium æternæ vitæ qua sumus & ex qua sumus.

V. 3. Ex hac æternitatis suæ conscientia & præsumptione naturaliter insita, anima æternitatem nominis famæque posthumæ, elogiorum, sepul-
L. de Anim. c. 8. crorum, posterorum exambit. Cassiodorus: *Nam & hinc immortalem debemus agnoscere, quod appetit de æternitate cogitare. Desiderat enim post mortem corporis sui nominis famam relinquere; cupit sine fine laudari, & bona conscientia plus est de futuris attonita, ne à posteris maculetur relata.* Sed de his alibi.

VI. 4. Verùm radix capitalis ex qua æternitas animæ fruticescit, ejus est cum æternitate Dei consortium, contubernium, colloquium; ut non tam ex animæ penetrali sinu erumpat, quàm ex divinæ æternitatis afflatu & fulgore superfundatur ei æternitas. Spirat enim undique, proximisque sibi substantiis inspirat infinitam quandam & invictam vivacitatem æternitas, Deus. Item usque adeo æternitas viget, ut eam vel vidisse vel internovisse æternitatis munimentum sit. Item cognitio Dei ex genere suo immortale quid est, & immortalitatis fons in anima; & reflectitur hæc argumentatio in primam: hæc enim Dei cognitio, ejusdem est in anima imago. Chrysostomus: *Etiamsi natura mortales, ob Dei tamen con-*
To. 1, Ho. 67. *suetudinem familiarem, ad vitam progredimur immortalem. Etenim qui cum Deo familiariter versatur, morte illum omnique interitu potiorem esse necesse est. Atque ut est omninò necesse, qui Solis radiis potiatur, à tenebris procul abesse: ita omnino Dei consuetudine fruentem, oportet non amplius esse mortalem; nos enim ad immortalitatem ipsa honoris magnitudo traducit. Nam si qui Reges familiariter alloquuntur, & apud illos locum obtinent dignitatis, fieri non potest ut inopia laborent; fieri omnino longè difficilius potest, ut qui supplices ad Deum accedunt, & cum eo colloquuntur, mortales animos nanciscantur.* Cognitio ergo Dei semen est æternitatis. Consecrat animos Dei cognitio, & sacrosanctos ita efficit, ut eos mors prophanare non attentet. Æternitas Dei proseminatrix quædam est æternitatis, solo sui conspectu perpetuitatem largitur. Origenes: *Alioquin conside-*
De Princip. In anaceph. *remus, si non etiam impium videtur, ut mens quæ Dei capax est, substantialem recipiat interitum; tanquam hoc ipsum quod intelligere potest Deum & sentire, non ei sufficere possit ad perpetuitatem. Maximè cum etiamsi per negligentiam decidat mens, ne purè & integrè in se recipiat Deum, semper tamen habeat in se velut semina quædam reparandi ac renovandi melioris intellectus, cum ad imaginem etiam & similitudinem Dei qui creavit eum, interior homo, qui & rationalis dicitur, renovatur.* Nefas est igitur morte multare animas Dei cognitione consecratas; hæc enim cognitio quantumvis obscuretur, subrutilat semper in anima, cùm imaginis divinæ portio sit luculentissima, quæ obsolescere utcumque potest, exolescere omninò non potest.

In Ps. 148. VII. Denique superfundi potiùs animis ab æternitate Dei, quàm fundi & scaturire ex suo ipsorum naturæ sinu immortalitatem docet Hilarius: *Ne forte quod in æternum manerent, naturale illis esse ex substantiæ beatitudine crederetur, subjecit: Præceptum posuit, & non præteribit. Ut hoc quod sunt, id est, quod maneant in æternum, non naturæ suæ esse intelligant, sed præcepti ejus sit, qui potens sit, rebus ex nihilo substitutis, naturam æternitatis afferre. Non enim inquit præteribit præceptum, id est, mandati ejus non erit finis; quia in æternum manent, quibus æternitatem virtus æternitatis indulsit.*

VIII. Animadvertendum est 3. immortalitatem creaturarum ex virtutum maximè æternitate derivari. Nam 1. virtus omnis vera & religiosa, qualis hic à nobis spectatur, cognitio quædam, & imitatio & cultus Dei est; at ejusmodi jam ostensum est esse quoddam fermentum æternitatis. 2. Scripturæ sacræ id passim ingerunt, charitas nunquam excidit, justitia manet in sæculum sæculi, patientia non peribit in finem, ex quibus aliisque ejusmodi liquet virtutes quædam esse æternitatis semina. 3. Virtutis est opus Deum admirari, imitari, venerari; at hoc opus ex genere suo æternum est, nullo fine abrumpendum est; ergo & æterni nulloque fine excidendi sunt quibus id operis incumbit. 4. Virtutes cibi sunt animorum, cibi autem non ingerendi & egerendi, sed incorruptibiles, in anima perpetuandi, animamque ipsam perpetuantes & in sui naturam transformantes. 5. Vitia corruptibilitatis & mortalitatis sentinæ quædam sunt; corpus debilitant, animam tabificant; nec semper exerceri possunt; nisi enim brevia sint, enecant penitus, vel sui fastidio, vel excidio. At virtutes corpus vegetant, animam roborant, utrumque exhilarant, nunquam non exerceri possunt; quo prolixiores, eo suaviores, fastidii expertes, satietatę famem sui acuunt. Ut ergo vitium ægritudo est, virtus sanitas; ita illinc mortalitas, hinc æternitas exurgit. 6. Virtus verissima non alia quàm ipsum Dei Verbum qui factus est nobis sapientia & justitia; animi ad illud coaptatio, tota virtus est, ejusque in animum insinuatio. Quisquis igitur in suo sinu sempiternam summæ veritatis legem & æquitatem & justitiam incommutabilem gestat, eique cohærescit & coalescit, jam mirum non est si æternus & ipse evadat, totam æternitatem medullis intimis imbibens, sinuque gestans.

IX. Bernardus: *Et rationalis quædam sponsæ spe-* In Cant. Serm. 27.
cies, spiritualisque effigies, ipsaque æterna, quia imago æternitatis. Decor ejus, verbi gratia, charitas est, & charitas, sicut legitis, nunquam excidit. Est certè & justitia, &, justitia ejus, inquit, manet in sæculum sæculi. Est etiam patientia, & legitis nihilominus quia patientia pauperum non peribit in finem. Quid voluntaria paupertas, quid humilitas? nonne altera regnum æternum, altera æquè exaltationem promeretur æternam? Eo quoque spectat & timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi. Sic prudentia, sic temperantia, sic fortitudo, & siquæ sunt virtutes aliæ, quid nisi margaritæ sunt quædam, in sponsæ ornatu, splendore perpetuo coruscantes? perpetuo, inquam, quia sedes & fundamentum sunt perpetuitatis. Nec enim perpetuæ beatæque vitæ omninò locus in anima est, nisi mediis quidem interjectisque virtutibus. Ubi vides sedem fundamentumque perpetuitatis prædicari virtutes, idque ex sacris paginis abundè communiri. S. Paulinus Episcopus Nolanus: *Siquidem charitas Christi ista sit, quæ nun-*
quam excidit; quia ex Deo defluit, & in Deo per- Epist. 5.
manet, omnemque in quo maneat hominem sua perennitate perpetuat. Vides charitate animum perpetuari; perpetuitatem autem ejus virtutis oriri ex ejus propagine & sede; Dei enim progenies est, Deique æternæ veluti sedis æterna hospes. Aelredus: *Ii cibi vitalem alimoniam animæ præstant esurienti, transformantes eam in se, & æternitatis*
suæ donantes esse participem. Cibi enim corporei Serm. 8. in Isaiam.
corruptibilitate sua corpus dum reficiunt, tandem

dem conficiunt, vicissimque ab eo conficiuntur; at virtutes cibi sunt incorruptibiles, animam ipsam in sui naturam & æternitatem absorbentes. Sanctus Prosper: *Nullo fine laudatio ejus concluditur; cujus magnitudinis nullus terminus invenitur; & in cujus prædicatione, quidquid laudator poterit cogitare, non sufficit. Qui ergo omni laude semper est major, sine fine laudetur: ex hoc ipso homo spem suæ æternitatis accipiat, quia nunquam non erit, qui Dominum laudare non desinit.* Æternitatis præco æternus sit, necesse est; cui opus nunquam desinendum mandatur, ei haud dubio sempiternitas donatur. Arnobius: *Cum à summo traditum teneamus authore, non esse animas longè ab hiatibus mortis & faucibus constitutas, posse tamen longævas summi principis munere ac beneficio fieri, si modò illum tentent, ac meditentur agnoscere. Ejus enim cognitio fermentum quoddam est vitæ, ac rei dissociabilis glutinum.*

In Psal. 144. L. 2. adver. Gentes.

X. Ex Græcis autem Basilius: *Sicut corpus nisi respiret, vivere nequit: ita nec anima, nisi conditorem cognoscat, subsistere poterit; cum ignoratio Dei mors animæ sit.* Sed prolixiùs præstantissimèque Gregorius Nyssenus: *Hoc à Domino discimus, quod solum virtutis studium in nobis existens, fixa consistensque res quædam sit. Sublimium enim aliquid assecutus, verbi gratia temperantiam, modestiam, aut in Deum pietatem, non transitoriam inde & instabilem lætitiam habet, sed constantem, permanentem, & toto curriculo perdurantem. Quare quia hæc quidem semper licet agere, nullumque in vitæ toto decursu momentum est, quod bonæ vitæ ingeret satietatem. In iis autem qui absurdis cupiditatibus ardent, non semper gaudere licet; nam & immoderatam cibi aviditatem satietas sistit; & bibentis voluptas, unà cum siti extinguitur. At virtutis possessio quibus semel firmiter insederit, non temporis subjacet mensuræ, non satietate terminatur, sed semper purum sincerumque & recentem, ac vigentem secundùm se viventibus sensum suorum bonorum præbet.* Et paulò pòst altissimè virtutis originem & naturam repetens, in Verbo & ipsam & ejus æternitatem esse declarat: *Cæterùm si aliquem audacem attingere sermonem oportet, forsitan per justitiæ & virtutis mentionem seipsum Dominus audientium appetitui proponere mihi videtur; qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio, &c. Hæc igitur, ut mea quidem fert opinio, vera virtus est, bonum quod cum malo permixtum non est, &c.* Et si ergo ipsa virtus qua dos & affectio animæ est, æterna non esset; at quatenus Deum animæ inserit, æternitatem sanè simul inserit. Philo denique lib. de Temulentia: *Ait Propheta non moriturum qui sobrius sacrificat; quod ruditas mortem, immortalitatem afferat eruditio. Nam sicut nostris corporibus interitum morbus, incolumitatem affert sanitas; itidem animas prudentia servat, cum ipsa sit mentis sanitas; imprudentia verò interimit, cum sit morbus earum insanabilis. Addit autem disertè hoc legitimum æternum, docens nos immortalem hanc legem esse inscriptam naturæ tabulis, quæ pronunciat eruditionem rem saluberrimam, inscitiam verò causam mortis & interitus. Quin & hoc inde discimus, id quod verè legitimum est, consequenter æternum esse, quando & recta ratio quæ legis vicem obtinet, non est corruptibilis. Nam è diverso quidquid iniquum, vix uno die durabile à seipso dissolvitur, confessione omnium qui sapiunt.* Virtus & eruditio sanitas animæ est, ideoque mortalitatis propulsatrix; vitium & inscitia ægritudo animæ est, ideoque mortis acceleratrix. Ideo autem virtus sanitas & æterna est, quia ratio est, & rectæ rationis, legisque æternæ portio.

To. 1. Hom. div. Hom. 13. Orat. 4. de beatitud.

XI. Animadvertendum est 4. Hominem primum ante peccatum, temporis & lapsus expertem, æternitatis & status consortem fuisse; per peccatum autem statu æternitatis excidisse, in temporis lapsum defluxisse. 1. Erat enim imago æternæ Dei vitæ, necdum maculata, necdum obscurata; at temporalis vita æternæ imago esse non potest nisi multùm decolor & obsoleta. 2. Tametsi labilis fuisset, tot virtutum tamen quibus locupletatus erat retinaculis utique ita figebatur, ita constabiliebatur, ut labi ac fluere haud posset, quandiu Deo hærebat. Quorsum enim tot virtutum æternitates spectassent, si unius temporalitatis injuriam amoliri haud sufficerent? 3. Semper stanti Deo ita cohærebat, ita coalescebat, ut nusquam & nunquam ab eo deflueret, sed cum eo staret. Amore æternitatis ita inebriabatur, ut & natura æternitatis imbueretur. Ex adverso temporalium amore temporalis evasit; ab unius amore in amorem multitudinis defluens, fluere & per multa variari cœpit. Stabat in uno æterno invariatus; cecidit in temporalis multitudinis mutabilitatem. 4. Mortalitas non natura est instituti hominis, sed pœna damnati. Immortalis ergo cùm esset, erat & intemporalis. Immortalitas enim omnis non sempiternitas tantùm, sed & æternitas quædam est; id est, non perpetuitatem tantùm, sed quodammodo statum & identitatem æternitatis imitatur. Ne enim penitus quid tandem effluat, necesse est ne paulatim diffluat prohiberi.

XII. Gregorius Magnus: *Numquam in eodem statu permanet. Quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem, in cursu vitæ præsentis, ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur, & inde semper deficit, unde se proficere in spatium vitæ credit. Fixum enim statum hic habere non possumus, ubi transituri venimus, atque hoc ipsum nostrum vivere, quotidie transire à vita est. Quem videlicet lapsum primus homo ante culpam habere non potuit, quia tempora eo stante transibant; sed postquam deliquit, in quodam se quasi lubrico temporalitatis posuit; & quia cibum comedit vetitum, status sui protinus invenit defectum. Quam tamen mutabilitatem non solùm exteriùs, sed interiùs quoque homo patitur, dum ad meliora opera exurgere conatur. Mens enim mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur quàm est, & nisi in statu suo arcta custodiæ disciplina teneatur, semper in deteriora delabitur. Quæ enim semper stantem deseruit, statim quem habere potuit, amisit.* Tempora igitur Adamo stante transibant sub eo, non cum eo; stabat enim ipse apud semper stantem; à quo ubi excidit, statu suo excidit, suoque lapsu lapsus est in temporalitatis lubricum. Is autem & status innocentis hominis, & lapsi lapsus, tam ad corpus quàm ad mentem pertinet; mens enim suo apud Deum statu robustior, pollebat invalescebatque ad cohibendum corporis fluxum, atque ita sibi corpus, ut seipsam æternitati semper manenti indefectibiliter religabat. Idem Gregorius: *Ipsa quippe augmenta detrimenta sunt temporum, quia vitæ nostræ spatia quanta esse cœperint, incipiunt jam tanta non esse. Primus verò homo ita conditus fuit, ut manente illo decederent tempora, ne cum temporibus ipse transiret. Stabat enim momentis decurrentibus, quia nequaquam ad vitæ terminum per dierum incrementa tendebat. Stabat tantò robustiùs, quantò semper stanti ardentiùs inhærebat. At ubi vetitum contigit, mox offenso creatore, cœpit ire cum tempore; statu videlicet immortalitatis amisso, cursus eum mutabilitatis absorbuit. Et dum juventute ad senium, senio traheretur ad mortem, transeundo didicit, stando quod fuit.* Ubi apertissimè transeuntibus temporibus non transisse primum hominem docet, sed stetisse; hanc autem standi & manendi vim atque constantiam non aliunde magis emanasse, quàm ex ardentissima adhæsione ad semper stantem æternitatem sapientiæ, cujus symbolum

Moral. l. 11. c. 1. Ibid. l. 25. c. 1.

lum erat lignum vitæ. Ut ergo amor æternorum mentem ejus ita roborabat, ut & suum & corporis fluxum sistere, stantique identitati vindicare se prævaleret; ita postea amor temporalium illam ita enervavit, ut & ipsa deinceps in inquietæ egestatis volubiles solicitudines defluxerit, nec corporis sui labilitatem coercere potuerit, atque ita utrumque temporum vanitate extabuerit. Gregorius Nyssenus: *Nec enim præclarum quiddam fuisset homo, si tristem illum mortis characterem habuisset. Enimvero cum æternæ vitæ simulacrum & plenitudo esset, revera pulcher erat, & valde quidem pulcher, hilari vitæ charactere cohonestatus.* Imago æternæ vitæ si erat homo, vim maximè æternitatis adumbrabat & participabat. Hugo de sancto Victore: *Bonum quidem hominis unum erat; & quandiu homo illi per dilectionem adhæsit, non eguit hac multiplicitate* (sacramentorum.) *Postquam autem mentem suam per concupiscentiam ad multiplicia hæc & transitoria dividi permisit, stabilis esse non potuit; quia sicut multa diligens in his per affectum dividitur, sic mutabilia sequens variatur.* Nihil appositius ad rem nostram philosophari potuit. Ex unitate nascitur immutabilitas, ex immutabilitate æternitas; vicissim ex multitudine mutatio, ex mutatione tempus. Quandiù uni per amorem colligavit se homo, immutabilis cum eo æternusque stetit; ubi diffiluit ad multa, frustatim dispersus est, & circa hæc multa mutabilia & egena divagari, temporumque vices experiri compulsus. Pergit ille: *Primum bonum erat, in summo stare; secundum est bonum, ad superiora ascendere.* Immutabilis æternitas quadrabat primo homini, utpotè beato, cui stare tantùm opus erat; at misero æquè quadrat mutabilis temporalitas, non tantùm ob culpæ pœnalitatem, sed & ad ejus emendationem: *Ut quia stare non potest, ut semper idem sit, moveatur, & promoveatur semper, ut melior sit.*

Hom. 12. in Cantic.

De Sacram. part. 9. L. 1. c. 3.

XIII. Animadvertendum est 5. tum æternitatis cumulatissimæ compotes esse naturas rationales, cùm supremam Dei contemplatione beatitudinem consecutæ sunt. Namque 1. ut Scripturæ oraculum canit, *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Neque enim ibi divinam opulentiam inopes videbimus & invidebimus; sed videndo opulentati, videbimus & possidebimus; ita qui sapientiam videt, videndo locupletatur, & sapiens evadit, & videndo assimilatur ei quam videt, & videndo possidet. Ita intelligibilia bona videre & admirari, amare & æstuare, jam habere est. 2. Decantatum & illud est, tritumque in philosophico pulvere, intellectum intelligendo rei intellectæ assimilari. Tota ergo seu mens seu anima in intellectum ibi suum arrecta & exerta, tota cum illo in intelligibilem veritatis æternitatem transformatur. 3. Ex supradictis liquet prærogativas imaginis Dei in æternitatis maximè consortio sitas esse; at imago tunc omnibus numeris erit absolutissima, ubi se Deus mentibus semper præsens seipsum semper imprimet. 4. Virtutes omnes æternitatis quasdam esse radices, suprà constitit; at in beata dumtaxat vita virtutes sinceræ & incontaminatæ, hìc præludia potiùs vel conamina virtutum, quàm germanæ virtutes obtinentur. 5. Potiuntur Deo beatæ mentes, Deus autem æternitas est, æternitate ergo potiuntur. Ludificatorius autem est potiundi modus, si æternitate ita potiantur, ut temporales persistent; sicut ludibrium esset, non possessio, si quis magnis opibus potiri jactaretur, & tamen inops mendicusque esuriret. 6. Omnis temporalitas in mutatione quadam versatur; at beatæ mentes cùm Deo ut sufficienti abundè acquiescant, mutationis ultrà omnis expertes sunt. Omnis enim mutatio ad beatitudinem adipiscendam conspirat; ea ergo adepta, cessabit. Omnis beatitudo quies est, procul ergo exulat mutatio. Deus abundè sufficit, ergo omnis fames, sitis, appetitio exuberantissimè in illo exaturatur, & exhauritur, & conquiescit.

XIV. Augustinus: *An illud negabis sublimem quandam esse creaturam, tam casto amore cohærentem Deo verè æterno, ut quamvis ei coæterna non sit, in nullam tamen temporum varietatem & vicissitudinem, ab illo se resolvat ac defluat, sed in ejus solius veracissima contemplatione requiescat? Quoniam tu Deus diligenti te quantum præcipis, ostendis ei te, & sufficis ei, & ideo non declinat à te, nec ad se.* Ubi ex sufficientia Dei, ex acquiescentia mentis beatæ, mutationem omnem colligit abrumpi, ut quæ summo adepto, ultra se exporrigere ac fatigari nec debeat nec possit. Et infrà: *Verum est nulla tempora perpeti, quod ita cohæret formæ incommutabili, ut quamvis sit mutabile, non mutetur.* In æternitatem & incommutabilitatem, ut ait Augustinus, assurgunt beatæ mentes, quia forma informantur æterna & incommutabili; imò æternitate ipsa & immutabilitate formantur. Hilarius: *Non est Deus mortuorum, sed viventium. Ergo quorum erat Deus, hi Deum habebant: nihil autem poterant habere, si non erant; quia in natura rei est, ut esse id necesse sit, cujus sit alterum. Atque ita Deum habere viventium est, cùm Deus æternitas sit; non sit eorum quæ mortua sunt, habere id quod æternum est. Et quomodo esse illi, futurique semper negabuntur, quorum se esse profiteatur æternitas?* Argumentatur Hilarius eo quo nos suprà modo; potiuntur æternitate Beati, ergo æterni sunt; illorum est æternitas, ergo æterni sunt. Gregorius Magnus: *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* Qui mox unde hoc fieri valeat, adjungit dicens, *Quoniam videbimus eum sicuti est. Esse enim Dei, æternum hunc atque immutabilem permanere. Nam omne quod mutatur, desinit esse quod fuit, & incipit esse quod non fuit. Dei verò esse est dissimiliter nunquam esse. Unde ad Moysen dicit, Ego sum qui sum. Itaque per Joannem dicitur, Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quia per hoc quod aspicimus ejus essentiam naturæ, à mutabilitate nostra liberati, figimur in æternitatem. Immutabimur quippè in ipso quem videbimus, quia morte carebimus videndo vitam. Mutabilitatem nostram transcendemus, videndo immutabilitatem. Corruptione nulla tenebimur, videndo incorruptionem.* Et idem alibi: *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est; & tamen scriptum est, Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Unde ergo similes & unde non similes? nisi quia huic sapientiæ & similes erunt ad imaginem, & tamen non erunt similes ad æqualitatem. Aspiciendo quippè æternitatem Dei, fit eis ut æterni sint, & dum visionis ejus donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur quod vident.* Contuitus ergo Dei tam exertus erit, ut totam animam secum rapiat in Deum, eique ita affigat, ut cum eo illam quasi conflet & confundat; tam vehemens erit, ut resilire aut relaxari & ad alia aliaque divertere non possit; tam plenus & totus erit, ut totas animæ vires exhauriat & absorbeat, ut ad alia ulteriùs moveri planè non valeat. Idem docet Isidorus Hispalensis in Sententiis. Sed eximiè Hilarius declarat, quomodo per gloriam beatitudinis totus homo ad imaginem Dei consummatam, ideoque ad æternitatem proficiat: *Consummatur itaque homo imago Dei. Namque conformis effectus gloriæ corporis Dei, in imaginem creatoris excedit, secundùm dispositam primi hominis significationem. Et post peccatum veterem que hominem, in agnitionem Dei novus homo factus, constitutionis suæ obtinet perfectionem; agnoscens Deum suum, & per id imago ejus; & per religionem proficiens ad æternitatem, & per æternitatem creatoris sui imago mansurus.*

Confess. l. 12. c. 15.

Ibid. c. 19.

In Evang. Matth.

Hom. 2. in Ezech.

Moral. l. 28. c. 27.

L. 1. c. 6. De Trinit. L. 11.

LIBER SEXTUS.

In quo de Dei Visione agitur.

CAPUT PRIMUM.

De intuitu & fruitione primæ mentis seu Verbi divini, quid decreverit Philosophia sæcularis.

I. Senserunt Platonici animas hominum, mentesque omnes creatas ab exordio sui contemplatas esse, & clara visione contuitas Verbum Dei, veritatem & sapientiam incommutabilem. Ita docet Plato.

II. In Platonis verba animadvertuntur complura magni ponderis.

III. Assentitur Plotinus.

IV. Et Maximus Tyrius.

V. Item Jamblichus.

VI. Plato alicubi animas etiam ante lapsum suum corporibus illigavit.

VII. Inconstantiam ejus aliquam in ea re agnoscit Plotinus.

VIII. Facilè secum concordabit Plato, si duo animarum corpora secernamus, alterum leve ante lapsum, alterum grave & degravans post.

IX. Supersunt aliquæ post lapsum reliquiæ visionis illius, seu contemplationis Verbi. Hinc censet Plotinus non totam animam descendisse, sed ejus apicem esse adhuc in intelligibili.

X. Hinc quidquid moliuntur hic animæ, id ad summorum imitationem effingunt.

XI. Hinc saltem per gradus ab imis pulchris ad summam pulchritudinem enititur anima.

XII. Ita per gradus eluctanti, ipsa se Verbi pulchritudo visendam præbet.

XIII. Hinc est quod pulchra, justa, bona, æqualia non possint inter se ratiocinando comparari, & alia aliis præponi postponique, nisi ea ad æternas sursum horum ideas seu formas in Verbo referendo.

XIV. Hinc scientiæ omnes veræ eo collimant, ut mentem extricent ab his terrenis, & ad æternitatem Verbi contemplandam acuant & confirment.

XV. Primigeniæ illius visionis Verbi supersunt nonnullæ reliquiæ, nempè veritatis velut coruscamina quædam brevia & rara.

XVI. Speciale Plotini commentum est etiam puerorum & amentium mentes semper adesse & vacare intelligibilibus, etsi nec ipsi sentiant.

I. Visum est 1. Platonicis animas hominum, atque adeò mentes omnes creatas, quibus ultimo loco subnexæ sunt animæ nostræ, olim antequam in mortalia hæc corpora defluerent, æternam & incommutabilem veritatem, primam mentem, Verbum divinum, ipsum ens, ipsum pulchrum contemplatas, clarissimaque visione contuitas esse. Plato in Phædro: *Ab humanis autem studiis segregatus, divinoque inhærens, carpitur à multitudine, quasi extra se positus, sed ipse Deo plenus, multitudinem latet. Tendit igitur huc totus sermo, qui est circa quartum furorem, quo quando quis visa hic pulchritudine aliqua, veræ illius reminiscens, alas recipit, receptisque evolare nititur. Hæc igitur divina alienatio, omnium alienationum optima, atque ex optimis fit, &c. Ut enim dictum est, omnis anima hominis, ea quæ verè sunt, contuita est; alioquin in hoc animal non venisset. Ex his verò quæ hìc sunt, recordari illorum, non facile est omnibus, &c. Quamobrem pauca restant, quibus satis memoriæ supersit. Hæ verò quando hic similitudinem aliquam eorum quæ illic inspexerant, intuentur, obstupescunt, & quasi extra se rapiuntur; quæ tamen sit hæc affectio ignorant, quia non satis omninò persentiunt. Justitiæ quidem & temperantiæ, & aliorum quæcumque in animis pretiosa sunt, splendorem nullum in iis quæ hic sunt imaginibus cernimus, sed per obscura quædam instrumenta, vix & perpauci, in eorum imagines accedentes, ejus quod repræsentatur, genus aspiciunt. At pulchritudinem tunc licebat videre clarissimam, quando cum beato illo choro fœlicem visionem contemplationemque secuti, cum Jove quidem nos, alii vero cum alio quodam Deorum, viderunt, & initiati sunt sacris, quæ fas est dicere omnium sacrorum beatissima: quæ * operamur integri quidem nos, & malorum expertes quot in posterum manebant; integra quoque & simplicia, immobiliaque & beata spectacula, initiati, inspectantes, pura in luce puri & immaculati, solutique ab hoc, quod nunc circumferentes, corpus vocamus, in modum ostreæ, huic alligati.*

* Fortè, operabamur.

II. Non piguit locum paulò prolixiùs intexere quòd totius hujus dogmatis cardo inde nexus sit, & inde reliqui Academiæ optimates sua placita exprompserint. Ibi autem advertis 1. Animas hominum priorem vitam inter sydera beatiùs transegisse. 2. Sideribus aliis alias gregatim affixas fuisse, prout sors eas addixerat; quocirca & inde lapsæ, ejus astri ingenium moresque retinent in quo degebant. 3. Animas tunc terreni hujus & fœculenti corporis expertes fuisse, vix tamen omnis corporis immunes; quì enim id fieret, cum sydereo Deo seu astro comites, dignitatisque & muneris consortes adessent? Sydereum itaque seu cœleste & ipsæ corpus, & spiritale magis quàm corporeum gestabant; unde ipsis postea corpus hoc terrenum, quasi ostreæ concha exterior accrevit. 4. Ipsum pulchrum, ipsam veritatem, & justitiam, &c. animas tunc contemplatas fuisse, ejusque intuitu splendidissimo ad satietatem potitas esse. 5. Eamque summam fuisse ipsarum & cumulatissimam fœlicitatem, qua nihil ulteriùs exambirent. 6. Inde decidisse illas in hæc crassa & quasi ostreacea corpora. 7. Prioris contemplationis nonnullas, sed paucas recordari, reliquas altissimam potasse oblivionem; seu quod illæ diutiùs, hæ breviùs illis se deliciis ingurgitassent, seu quod in delabendo, non paria incurrerint infortunia. 8. Quæcumque visam illic pulchritudinem recordantur, hic circa imas pulchritudines obstupescere, insanire salubriter, & sapienter furere, & veluti vestigia summi pulchri allambere & exosculari. Et hunc esse divini amoris enthusiasmum, quasi residuum inter prioris incendii cineres scintillantem igniculum. Nec ipsas tamen satis capere unde tantus eas incessat stupor, unde tanta corripiat amoris in pulchrum insania, donec abstrusiùs delitescens illa recordatio ex illis suis latebris emicet seque explicet, nec in vestigium, sed in exemplar ipsum pulchri se effervescere edoceat. Denique eas quæ visæ olim pulchritudinis nullam omninò memoriam superstitem retinent, infima pulchra, tanquam summa, nec ut simulacra, sed ut vera admirari, in iisque impudenter & insatiabiliter volutari.

III. Plotinus: *Proindè penes illos qui ab hoc pulchro*

chro in superni pulchri reminiscentiam revocantur, pulcrum hoc velut imago diligitur; at penes illos qui minimè recordantur, ob ignorantiam passionis, nostra hæc vera pulcritudo censetur. Omnes ergo animas pulchritudinem ipsam Verbi vidisse, sed ejus memoriam aliàs exuisse, alias servasse, illas temperato amore, has intemperiis agi docet. Paulò antè totam rationem tantæ quantam quotidie omnes experimur, circa pulcrum amoris effervescentiæ, inde repetendam monuerat: *Si quis igitur principium ejus ponat, antequam ipsius pulcri insitam animabus appetitionem, notionem, cognationem, & quandam sine rationis actu cognationis perceptionem, is à veritate causæ ut arbitror minimè aberrabit, &c. Quisquis autem aliquo delectatur quasi cognato, ad imagines quoque ejus quasi affines afficitur. At si quis hanc sustulerit causam, deinde qua ratione, quasve ob causas, passiones amatoriæ oriantur, explicare non poterit; neque etiam in amoribus veneream poscentibus mistionem*. Cur natura duce & magistra, animæ tam impotenter in pulchrum imum insaniant, non aliter exponi posse ait Plotinus, quàm quod olim summi pulchri contuitu, & amore, arctissimoque complexu fruerentur, ejusque exuberantissimæ voluptatis sensus quidam altissimis reconditus fibris, ad quaslibet pulchri scintillas excitetur & exiliat.

Diss. 11. IV. Maximus Tyrius: *Cur ergo pulcrum oporteat esse pulcrum, ut amorem excitet, quale illud dicemus esse, aut quo pacto amorem excitare? Visne ex oraculis Socraticis tibi respondeam? Ipsum pulcrum quod nec humana voce exprimi, nec oculis conspici potest, vidisse olim animam nostram; atque inde in hac vita, non secus atque in somnio aliquo, exiguam ejus conservasse memoriam, cùm vix quasi per rimam, illud nunc intueatur, vel quod loco, vel quod conditione, longè ab eo remota sit, & à pulcherrimo illo procul distracta spectaculo, depressa in terram, variis diversisque inquinata sordibus*. Subdit exemplum fluminis, quod valdè quidem conspicuum terras intersecat; ubi autem mare subiit, vanescit paulatim, vixque internosci jam potest, nisi ab iis qui ejus antea per terras decursum exploratum habebant. Ita pulchrum à summis usque ad infima rerum genera delabens, & in materiæ quasi pelagus dilabens, ita decoloratur paulatim, ut dignosci jam vix possit, nisi ab animis qui ejus in intelligibili mundo imperium, castasque delicias experti erant. Sed præ reliquis pulcris hominis pulchritudo exemplaris pulchritudinis sopitas flammas maximè exuscitat. *In homine verò cum videt pulcritudinem vivam, mente præditam, virtutis futuræ prænunciam, continuò memoriam suscitat; neque illud quod videt, sed revera veriorem longè amat pulcritudinem. Hæc causa est cur tam diligenter inspiceret pulcra corpora Socrates, &c.* Ubi advertis cum Maximo Tyrio, non tam hæc ima pulchra amari cùm amantur, quàm in ipsis ipsorum exemplaria adamari.

Segm. 1. c. 9. V. Jamblichus de Mysteriis: *Melius est hujusmodi negationem illuc traducere, quod quidem animus antequam sese corpori insinuaret, divinam hausit harmoniam. Unde etiam cùm in corpus venerit, quotquot audierit talia carmine, qualia maximè divinum harmoniæ vestigium spirant, hæc omnia exosculatur, atque amplectitur. Hinc memor effectus veteris harmoniæ divinæ, unde ad eam ipsam fertur familiariter & propriè, cupitque ejus fieri particeps, quoad ejus fieri potest*. Et paulò antè: *Eidem harmoniæ ab origine familiaris & cognata, fit particeps ejus juxta mensuras congruas*. Pulchritudinem alteram spectat Jamblichus, oblectandis auribus comparatam; cujus voluptate animos vehementius affici rapique ait, ob suam ipsorum cum ea cognationem, ob eamque quæ tum refricatur, divinæ harmoniæ olim ante ista corpora haustæ memoriam. Parco tempori, ne plures enumerem Platonici hujus dogmatis Patronos: moneo dumtaxat idipsum penitus conjectandum esse de innato illo impetu, quo spontè naturæ rapiuntur animi in admirationem & complexum veritatis, sapientiæ, justitiæ, æqualitatis, &c. sicubi inter res infimas horum quasi lineamenta quædam impressa conspicantur; nam & hæc pulchritudinis & harmoniæ quædam genera sunt, & proinde illis animi in Verbo quondam fruebantur, & ex residuo quodam in eorum medullis hujus fruitionis sapore, pristina prurigo irritatur.

VI. Non abs re autem erit hìc advertere præter illud argumentum quod supra obiter attigimus, & quo efficitur non omnis corporis expertes visas esse Platoni animas tunc hominum, ante etiam quàm facinore nescio quo suo, à beatis illis sedibus deturbarentur: cum enim inter astra agerent, sidereisque animabus tanquam collegæ aut pedissequæ subjunctæ essent, æquè atque suæ duces, tenui saltem aliquo corporis amiciebantur involucro; præter hoc inquam argumentum aliud suppetit non paulò expressius ex Timæo Platonis, Pag. 527. ubi cur mundana anima mundano, & reliquæ omnes suis quæque corporibus animæ illigatæ sint, non aliam refert causam, quàm quòd sua Deum impulerit bonitas, mundum fabricare perfectissimum & ad intelligibilis mundi imitationem absolutissimum. Nec perfectissimus autem extitisset, nisi intelligentia vitaque, atque adeo nisi anima donatus fuisset; nec intelligibilis mundi omnia vitæ animaliumque genera complexi accuratissimum fuisset simulacrum, nisi & ipse omnia animantium genera complecteretur. *Dicamus quam ob causam ille rerum author generationem & hoc universum constituit. Bonus erat, bonus autem nulla unquam aliqua de re invidia tangitur. Ergo cùm livor ab eo alienissimus esset, omnia sibi quantum fieri poterant, similia fieri voluit. Fas autem neque erat, neque est, quidquam nisi pulcherrimum facere, eum qui est optimus. Cùm igitur excogitasset, invenit nihil eorum, quæ aspectui secundùm naturam subjecta sunt, si expers intelligentiæ sit, intelligente alio, totum toto, pulcrius unquam fore: intellectum verò alicui sine anima dari non posse. Hac ratione mentem quidem animæ, animam verò corpori dedit, totumque ita mundum constituit, ut pulcherrimum natura opus, optimumque foret*. Hæc de anima mundi; de nostris autem: *Si imperfecti animalis similis esset factus, pulcher certè non esset. Imò verò illius animalis eum simillimum esse dicamus, cujus animalia cætera & singulatim & generatim partes sunt. Illud siquidem viventia omnia, quæ sola mente percipiuntur, in seipso complectitur, quemadmodum mundus hic nos & cætera quæ cernuntur animalia continet. Volens itaque Deus omnium quæ intelligi possunt pulcherrimo & undique absoluto, mundum hunc simillimum reddere, animal unum ipsum efficit, aspectui subjectum, animalia cuncta naturæ suæ convenientia intra suum limitem continens*. Ubi perspicuum in primis est, nec ante mundum corporeum perdiu animas extitisse, nec ex alicujus criminis vindicta in corpora primùm compactas fuisse: sed ex authoris omnipotentis imperio, & pro mundi corporei ampliore honestamento.

VII. Sed Platonis hac in re fluctuationem nonnullam ejus comparatione & collisione contextuum luculentè exposuit Plotinus: *Reliquus est nobis Plato divinus, qui & alia multa præclaraque de anima tradidit, & de adventu ejus ad nostra in libris suis multa disseruit; ita ut sperare possimus nos ab eo manifesti aliquid accepturos. Quid ergo hic Philosophus ait? Profectò non idem ubique videtur dicere, ut facilè aliquis sensum ejus recipere valeat. Principio sensibile totum ubique contemnit, & commercium animæ cum corpore damnat; asserens eam hic includi di vinculis, & in corpore esse sepultam; item arcanum illud oraculum veneratur, quo traditur animam hic in custodia quadam & carcere sitam esse. Rursum* Ennead. 4.

spe-

ſpelunca apud Platonem, ſicut & antrum apud Empedoclem, univerſum hoc, ut arbitror, nobis ſignificat, ubi etiam ſolutionem è vinculis, & aſcenſum è ſpelunca, in anima eſſe inquit ipſam ad intelligibile cognitionem. In Phœdro quin etiam alarum caſum cauſam eſſe deſcenſionis ad hæc arbitratur, &c. Verum in Timæo de hoc univerſo diſputans, & mundum laudat, & Deum appellat beatum, animamque ab opifice bono, huic ideo traditam eſſe, ut mundus poſſet intellectualis evadere: quando intellectualem quidem hunc oportebat eſse, ſed abſque anima mundanum corpus aſsequi intellectum non valebat. Igitur & ipſa totius animæ hanc ob cauſam à Deo infuſa eſt univerſo, & uniuſcujuſque noſtrum anima ſimiliter ad ipſam totius mundi perfectionem. Oportebat enim quot ſunt in mundo intelligibili, totidem ſimiliaque animalium genera in mundo ſenſibili contineri. Ita magiſtri mentem accuratiſſimè explanat famoſiſſimum academiæ ejus columen; vel magiſtri potiùs ſecum conflictantis ambiguitatem.

VIII. Concordare tamen ſibi ipſe poterit Philoſophiæ parens, ſi duo temporum rerumque ſecernantur momenta, duoque item corporum genera diſcriminentur. Animas enim cùm primùm genuit ſummus Parens, corpore quidem ipſas omnes ornavit magis quàm oneravit, videlicet puro puras, incorrupto incorruptibiles, ſpiritales propè ſpiritali, æthereo, ſi fas eſt dicere, æthereas; eaſque in beatiſſima quadam ſede, ſive illa cœlum, ſive Paradiſum, ſive caſtiſſimæ voluptatis ſacrarium appellare mavis, collocavit. De ea autem fœlicium animarum primæva molitione interpretandus Plato in Timæo. At ubi illas nimiæ beatitatis ſuæ pertæſum eſt, & à lege Parentis optimi reſilierunt, ex illo primùm fœlicitatis domicilio exturbatæ ſunt, corruptæque in corruptibilia, corporumque amore corporaſcentes in ſpiſſiora & terrena corpora degenerarunt. Et hanc degenerem animarum ſortem, & exantlandam in ægris putribuſque corporibus longiſſimam calamitatem, paſſim aliis in libris exaggerat Plato; ut ibi naturam inſtituti hominis, hic pœnam damnati deſcripſiſſe videatur. Sicubi autem nonnulla apud eum diſtinctioni huic tam neceſſariæ videantur obſtrepere, condonanda haud ægrè ea ſunt homini in tam denſam caliginem tantum lucis primùm invehenti. Cæterùm inde perſpicuum eſt, quod rei noſtræ plurimum conducit, corporum involucra criminanda penitus non eſſe, nec ea animabus officere, quominus Verbi Dei & incommutabilis veritatis pulchritudinem clariſſimè intueantur; cùm in prima conditionis ſuæ beatitate & corporibus obvolutæ eſſent, & veritatis ſummæ intelligentia fruerentur.

IX. Viſum eſt iiſdem 2. animas per errores ſuumque in fæculenta hæc corpora lapſum, non omni æternæ veritatis divinæque pulchritudinis contuitu & fruitione ſpoliatas fuiſſe, ſed illius beatæ viſionis reliquias non pœnitendas ſupereſſe. Hinc enim eſt 1. quod creber inculcat Plotinus, non totam animam deſcendiſſe, ſed apicem ejus adhuc intelligibilibus ſpectaculis inſertum, ſupra omnia ſenſibilia eminere, videlicet intellectum; imum ejus in ſenſibilia planè immerſum eſſe, puta vitam vegetalem & ſentientem; medium denique ipſius, ſcilicet rationem, medio in confinio librari, & nunc quidem intellectui ſuo ſe affigere, ſupernisque & ipſam deliciis tum inebriari; nunc infima verſus relabi, & in materialium cœno ſordeſcere. *Animam verò noſtram ponere decet, parte quidem ſui penes illa viventem, parte verò ad hæc noſtra vergentem, parte denique in medio collocatam. Cum enim una in pluribus potentiis natura ſit, aliquando totam unà cum optimo ſui atque univerſi ad ſuperiora ſe conferre; aliquando verò quod eſt in ipſa deterius, tractum ad inferiora, unà ſecum medium quoque contrahere; totum verò ipſius non licere unquam ad inferiora præcipitare; atque* (Ennead. 2. L. 9. c. 2.) *ejuſmodi paſſionem ob id accidere animæ, quod in optimo univerſi non conſiſtit.* Et rurſus alibi: *Neque enim unà cum intellectu animæ deſcenderunt, ſed pervenerunt quidem uſque ad terram, at interim caput earum extat etiam ſuper cœlum. Contigit tamen eis idcircò deſcendere longiùs, quoniam media earum potentia curare diligentiùs cogitur; quippè cùm idipſum in quod deſcendunt, cultu prorſus indigeat. Jupiter verò pater laborantes animas miſeratus, earum vincula quibus laborant, ſolubilia fabricavit, atque ita temporum certis intervallis intermiſſionem laborum inſtituit, in quibus liberæ viverent à corporibus.* (Ennead. 3. L. 4. c. 12.) Ubi perſpicis ſummum animæ faſtigium planè non deſcendiſſe; reliquas autem vires inferiùs deſcendiſſe, quòd in corpus ægrum multæque curæ indigum defluant; ideo mortalitatem in beneficii interim loco numerandam, cùm per eam animæ terreno hoc vinculo expeditæ, in primigeniam libertatem redintegrentur.

X. Hinc 2. quidquid moliuntur in infimis animæ, ad ſummorum imitationem id effingunt; unde neceſſe eſt, dum hic operantur, ut illic contemplentur; ut hæc illorum imitamina ſint, & quaſi contemplamina; & ad hunc modum ad omnia ſe exporrigat & ubique vigeat contemplationis imperium & idearum principatus. Lapſæ enim animæ regunt tamen adhuc, ornantque infima corpora; nec regere autem ſatis idoneæ ſunt, nec exornare, niſi incommutabilis veritatis æternas leges, ſummæque pulchritudinis numeros imitandos ob oculos habeant. Denique nihil molitur ars, nihil natura, niſi ut ſpectaculum aliquod contemplanti admirandum exhibeat; id eſt, ut ſpectaculum intelligibile fiat ſenſibile. Plotinus: *Ex ipſo ſuo intuitu ad ſuperna, mirabili potentia totum ornans. Quò enim magis in ſuo ſe figit intuitu, eò pulcrior atque potentior, atque hinc deſuper hauriens in inferiora transfundit, & tanquam divinitùs ſemper illuſtrata perluſtrat. Semper igitur illuſtrata, lumenque poſſidens ſempiternum, deinceps ad inferiora traducit.* (Ennead. 1. L. 3. c. 2. 1. Ennead. 3. L. 8. c. 6.) Quæ de anima quidem mundi dicuntur, ſed ad alias trahi decet, ex munere quod eis incumbit, ad ſuperiorum normam inferiora diſpenſandi.

XI. Hinc 3. ſaltem per gradus ab infimis pulchris, ad ſummæ pulchritudinis non qualemcumque cognitionem, ſed ad præſentem & dilucidam viſionem evehi animas teſtatur Plato in Convivio, dum mentis oculus paulatim expurgatur, & à pulchritudine corporum flaccida & concreta, ad artium, ſcientiarum, legum virtutumque pulchritudinem gradatim puriorem & defœcatiorem contemplandam inſueſcit, roboratur, mundatur, atque ita illuminatur, ut jam ipſam ſummam pulchritudinem coram effulgeſcentem acie irretorta contueri audeat & poſſit. *Poſt hæc pulcritudinem quæ animis ineſt, corporea præſtantiorem exiſtimet, &c. hinc ad pulcritudinem quæ in officiis & legibus reperitur inſpiciendam ducatur, &c. poſt officia legeſque ad ſcientias tranſeat, &c. Quicumque huc uſque per amatoria gradatim deducitur, recto ordine pulcra intuitus, ad finem jam amatorii effectus perveniens, ſubitò quandam natura mirabilem pulcritudinem inſpiciet. Primò quidem ſemper eſt, nec fit, nec interit, neque creſcit unquam, neque decreſcit, &c. In hoc utique vitæ ſtatu ſi uſquam alibi, homini videlicet ipſum pulcrum ſpectanti vivendum eſt, &c. Quàm fœlix illud fore ſpectaculum putamus, ſicubi contigerit, ut ipſum pulcrum intueatur, ſincerum, integrum, purum, ſimplex, non humanis carnibus, coloribus, non aliis mortalibus nugis contaminatum, ſed ipſum ſecundum ſe pulcrum divinum inſpiciat? Num vitam hujuſmodi parvi facies, hominis videlicet, qui illuc ſuſpicit, qui tam præclarum ſpectaculum contuetur, qui illi cohæret?* Ita ille docet, per frequentem pulchritudinis ad intelligibilia gradatim conſurgentis inſpectionem, ſordes quibus oculum mentis amor ſenſibilium oblimaverat, pau-

paulatim extergeri, mentemque ad increatæ lucis patientiam, & ad æternæ pulchritudinis contuitum roborari.

XII. Hinc 4. observarunt, seu illa gradatio observetur, seu vegetior mens uno saltu eluctetur, affulgere nonnunquam ipsi pulchritudinem, non hanc vel illam, sed omnem & totam; non subjecto alicui mancipatam, sed ipsam per se vigentem & subsistentem; non aliquando esse inceptam vel desituram, sed semper pulcram, nec à turpi exorsam, nec in turpe unquam desituram; non mutabilem per crementi & decrementi alternas vices, sed immutabiliter summam; non alterius pulcritudinis afflatu venustatam, sed sua irradiatione pulcritudines omnes illuminantem. Hæc sanè pulcritudo ipsum est Verbum Deus, & quisquis hanc mente videt, ut omnis saltem Philosophus videt, is sanè Verbum videt. Plato ibidem: *Subitò quandam natura mirabilem inspiciet pulcritudinem. Hoc illud cujus gratia labores omnes præcedentes subivimus. Principio quidem semper est, nec fit, nec interit; neque crescit unquam, neque decrescit; præterea non hac ex parte pulcrum, ex illa turpe; vel tum pulcrum, tum minime; neque ad hoc quidem pulcrum, turpe verò ad illud, &c. neque rursus imaginatione quadam ipsum pulcrum ita fingetur quasi vultus pulcher, vel pulcræ manus, aut aliud quiddam cujus corpus est particeps. Neque ut oratio quædam, neque ut scientia quædam. Neque in alio jacere putabitur, velut in animali, vel cœlo, vel terra, aut alio quopiam. Sed ipsum per seipsum cum semetipso uniforme semper existens. Cætera verò omnia quæ pulcra sunt, illius participatione pulcra, &c. Quàm fœlix illud spectaculum fore putamus, si cubi contigerit, ut ipsum pulcrum intueatur sincerum, integrum, &c. ipsum secundum sepulcrum divinum, &c.* Ipsum ergo pelagus pulchritudinis, idemque sentiendum de sapientiæ, veritatis, justitiæ, &c. ubi mens supra sensus omnes corporeos eluctata conspicabitur, quid nisi Verbum ipsum conspicabitur?

XIII. Hinc 5. observarunt non posse mentem hæc pulcra à non pulcris, minùs pulcra à pulcrioribus, item æqualia ab inæqualibus, vel à minùs æqualibus secernere, nisi ipsam summæ pulchritudinis & æqualitatis regulam ob oculos constitutam habeat, ad eamque hæc ima admetiatur. Cùm vel maximè æqualitatem mens intelligat tam exactam & accuratam, ut nullæ res corporeæ ad illam possint attingere, hanc utique extra corpora alicubi viventem & radiantem contuetur. Quid est autem hæc summa æqualitas, summa pulcritudo, æqualium pulcrorumque omnium exemplar & lex, & supra omnia corpora, supra mentes eminens, mentibusque ubique & semper tanquam secretum & publicum lumen, contemplandam se propinans, nisi ars ipsa, & Verbum Dei omnipotentis, quod ut condendis, ita dijudicandis rebus omnibus præest, ut Ars, ut Lex, ut Arbiter, ut Rex? Plato in Phœdone: *Ipsa essentia utrùm eodem modo & secundùm eadem se semper habet, an aliàs aliter? videlicet & ipsum æquale, ipsum pulcrum, ipsum unumquodque quod est ens, utrùm mutationem aliquando aliquam recipiant; an ipsorum unumquodque semper id quod est, uniforme existens, ipsum per seipsum, eodem modo, & secundùm eadem se habet? necesse est eodem modo & secundùm eadem se semper habere. Quid autem dicemus de multis quæ similiter pulcra dicuntur, hominibus, equis, vestibus, vel aliis talibus, quæ vel pulcra dicuntur vel æqualia, num hæc secundùm eadem se semper habent, an contra quàm illa neque ipsa sibimet, neque invicem unquam ullo pacto secundùm eadem, eodemque modo se habent? hæc nunquam eodem modo se habent. Et hæc quidem tangi viderique, aliisque sensibus attingi possunt: quæ vero semper secundùm eadem permanent, non alio modo quàm sola intelligentiæ ratione percipiuntur.* Et paulò suprà cùm demonstrasset sensibilia omnia quantacumque sedulitate ad summam inter se æqualitatem elaborata sint, multùm tamen deficere ab absolutissima illa æqualitatis amussi quam mente intuemur, hujus notitiam aliunde quam a corporis sensibus haustam esse argumentatur. *Nonne confitemur, quando quis aliquid intuens, animadvertit, appetere quidem hoc quod in præsentia videt, esse tale, quale aliud quiddam ex his quæ sunt; verùm deficere, neque posse esse tale æquale, quale sit illud, sed deterius esse; necesse est eum qui animadvertit, ante cognovisse illud, cui dicit hoc quodammodo simile fieri, sed ad plenam similitudinem non accedere? &c. Necesse est ergo nos æqualis ipsius scientiam ante illud tempus habuisse, in quo primùm videntes æqualia, agnovimus appetere quidem hæc omnia talia evadere, quale est ipsum, attamen à perfectione ipsius abesse, &c. non enim de æquali magis nunc sermo est, quàm de ipso pulcro, ipso bono, ipso justo, atque sancto, &c.* Parco & ex Platone & ex Platonicis plura accumulare. Omnes enim passim inculcant illa quotidiana de bonis pulchrisque, &c. judicia constare non posse, nisi ob oculos mentis præstituta obversetur cernaturque summæ bonitatis & pulcritudinis forma, cujus accessu vel recessu reliqua censeantur omnia.

XIV. Hinc 6. observarunt scientias, maximè mathematicas, eò collineare ut entia vera, seu ipsum ens & ipsam veritatem addoceant & insuefaciant contueri oculo mentis; ut collustrata à Sole corpora corporis oculum corroborant, proliciuntque tandem ad ipsum Solem conspiciendum. Cæterùm humanam rempublicam administrare non alios esse satis idoneos, nisi qui summæ veritatis leges contueantur, ex earumque imperio civitates temperare instituant. Plato: *Nonne hæc jam lex est, quæ per differendi artem ostenditur, quam rursus intelligibilis cùm sit, ea vis imitatur aspectus, quam supra diximus ad ipsa jam animalia sese convertere, & ad stellas, & ad ipsum denique Solem? &c. Ita omnium supradictarum artium studium deducit animum, per umbras non simulacrorum, sed eorum potiùs quæ verè sunt, & dijudicare eas facit ad aliud quoddam lumen, tanquam ad Solem; habetque vim quandam extollendi id quod est in animo præstantissimum, ad contemplationem seu intuitum ejus quod est in ordine rerum optimum.* Et paulò ante finem ejusdem libri: *Quum verò ad quinquagesimum annum pervenerint, quicumque integri inter eos, rebusque gestis & scientiis præcellentes apparent, ad finem jam perducendi sunt, cogendique ut animi radium ad supra dirigentes, ipsum quod omnibus lumen præbet, suspiciant; quumque ipsum bonum noverint, exemplari illo utentes, civitatem, privatos, seque ipsos, per omnem sequentem vitam, & singula vicissim exornent.* Ubi planum est, scientias omnes istas eò conspirare, ut ipsam tandem incommutabilem veritatem in suo sacrario & in ipso Solis intelligibilis lumine intueri obtingat; & quisquis huc pertigerit, eum demum, non alium autem quemvis, reipublicæ clavo admovendum esse, ut divinæ idearum reipublicæ testis oculatus, humanam ad illius modum effingat. De Repub. L. 7.

XV. Visum est iisdem 3. beatissimæ illius visionis nec claritatem, nec copiam superesse tantam quantam olim pleno ore combibebamus; sed paucas & breves reliquias, quasi fontis exarescentis guttulas, incendii sopiti scintillas, occiduæ lucis crepusculum, vel potiùs quasi in intempestæ noctis alta caligine intermicantia subinde fulgurum coruscamina. Ita sensisse Aristotelem conjectatur Contarenus Cardinalis: *Hanc quæstionem puto ego ab Aristotele fuisse solutam, 12. Metaphy. in textu 39. & 40. ubi inquit, Dispositio qualis optima, nobis quidem parvo tempore, &c. Hic enim existimo Aristotelem illud innuisse quod dicit Algazel in sua*

Meta-

Metaphysica, *quod aliquando sapientum bonorumque virorum intellectus adeo elevatur*, *ut pertingat ad fulgorem quendam divinorum capiendum*, *eique divina appareant*, *sed tanquam fulgur*, *quod cito pertranseat*; *sic quoque nos cito decidimus ab intellectione illorum*. *Nam*, *ut inquit Augustinus in octavo de Trinitate*, *statim nobis se objiciunt imagines*, *& nubila phantasmatum*, *sicque ab optima illa dispositione decidimus*. Sic igitur Aristoteles tametsi plus æquo animam corpori, sensibusque mentem subjugaverit, brevia tamen illa & dilucida momenta non denegavit, quibus silente tantisper toto phantasmatum tumultu, repentina divinæ visionis coruscatio raptim intermicat.

Idem de Platone testificatur Apulejus lib. de Deo Socratis: *Cur ergo nunc dicere exordiar? Cum Plato cœlesti facundia præditus*, *æquiparabilia Diis immortalibus disserens*, *frequentissime prædicet hunc solum majestatis incredibilis quadam nimietate ineffabili*, *non posse penuria sermonis humani*, *quavis oratione vel modicè comprehendi*. *Vix à sapientibus viris*, *cùm se vigore animi quantum licuit*, *à corpore moverunt*, *intellectum hujus Dei*, *id quoque interdum velut in artissimis tenebris*, *rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicare*. Ita ille valdè parcum exhibet Platonem, & interlucentes hujusmodi candidi luminis rapidissimas coruscationes non indulgentem nisi sapientibus, longaque exercitatione mentem à sensuum consuetudine abducere & ad intelligibilia totam arrigere condocefactis.

Plato ipse in Phædone suam hanc sententiam satis disertè explanat: *Quando igitur animus veritatem attingit? Quando enim aliquid cum corpore tentat investigare*, *proculdubio decipitur à corpore*. *Annon in ipsa ratiocinatione*, *si usquam alibi*, *certè fit illi aliquid eorum quæ verè sunt*, *manifestum? Ita est*. *Ratiocinatur autem tunc optimè*, *quando nihil horum eum perturbat*, *neque auditus*, *neque visus*, *neque dolor*, *neque voluptas*, *&c. Dicimusne justum ipsum esse aliquid*, *an nihil*, *rursus ipsum pulcrum*, *ipsumque bonum*, *&c. Impedimenta penè innumerabilia corpus præbet*, *propter necessariam ejus alimoniam*; *præterea morbi*, *&c. amoribus*, *cupiditatibus*, *timoribus*, *variisque imaginibus*, *multis denique nugis nos implet*, *&c. Extremum vero omnium est*, *quod si quid ab ipso otii nobis contingat*, *nosque ad considerandum aliquid conferamus*, *investigantibus nobis rursus ubique se opponens*, *tumultu quodam perturbat animum*, *& quasi percutiens reddit attonitum*, *adeo ut hoc obstaculo impediti*, *verum perspicere nequeamus*. Ubi animadvertendum est per scientiam & ratiocinationem quamlibet attingere nos aliquam partem & scintillam ipsius summè & verè existentis veritatis, puta ipsum justum, ipsum bonum, ipsum pulcrum, &c. Sed corpus statim tumultuari, seu fame, seu siti, seu morbo, seu dolore, seu tam multiplicis cupiditatis effervescentia aliqua, seu denique ut ab his omnibus otium, quiesque sit, phantasmatum nugamentis inexhaustis & irrequietis obstrependo, & intellectionis filum protinus abrumpendo.

XVI. Illud ergo Plotini speciale videtur fuisse commentum, quo in pueris etiam ab utero recentibus, in amentibus, in imperitissimis existimavit, intellectum intelligibilibus semper vacare, & à summæ contemplatione veritatis ne ad momentum quidem relaxari; tametsi interim imaginatio tumultuetur, ratio peregrinetur. Ideòque hanc intellectus contemplantis jugem contentionem, ne ipsi quidem in quibus est, advertant. *Quandiu autem pueri sumus*, *operantur quidem quæ in composito sunt*, *pauca verò à superioribus ad ipsum usque refulgent*; *quando autem otiantur quoad nos*, *ad superiora interim operantur*. At infrà ita mentem semper vigilare & speculari jugiter differit, nec tamen à nobis id adverti, sicut vita vegetalis nobis minimè advertentibus jugiter & citra vel unius momenti cessationem in corpore nutriendo fovendoque operatur. *Si substantia sapientiæ in essentia quadam*, *imò potiùs in essentia sita est*, *neque perit hæc ipsa essentia in dormiente*, *vel in eo qui sibimet constare*, *vel conscius esse negatur*; *atque est ipsa essentiæ actus in ipso*, *talisque actus perpetuò vigilans*, *&c. Latebit autem actus ejusmodi non ipsum totum*, *sed partem potiùs aliquam*, *quemadmodum & vegetali actu vigente*, *non transmigrat in reliquum hominem talis actionis animadversio*, *per ipsam sentiendi naturam*. Et infrà: *Multas utique reperiet quis etiam vigilantium speculationes*, *actionesque honestas*, *in quibus constituti*, *speculari nos & agere non advertimus*. *Non enim necesse est legentem quod legat agnoscere*, *præsertim quando attentione maxima legit*; *neque qui fortiter agit*, *necessariò cognoscit se fortiter agere*, *aliaque permulta similiter*; *adeo ut animadversiones videantur*, *actiones quas comitantur*, *debiliores reddere*; *ipsæ verò cum solæ sunt*, *tunc puræ sunt*, *plusque actionis & vitæ habere videntur*. Sic ille satis consentaneè sibi videtur philosophari, ut facultas vegetalis nunquam feriatur, & à corpore alendo vegetandoque ne ad punctum quidem temporis cessat; ita & potiori quidem jure, facultatem mentalem ut natura sua insomnem & exercitissimam otiari nunquam, nunquam cessare à contemplando. Quòd autem hæc ejus actio vehementissima sit, totamque mentem rapiat, inde fieri ut infimæ vires animæ id minùs advertant; ut plerumque usu venit, qui toto attentionis impetu quidpiam agunt, nec ipsos advertere quid agant.

Ennead. 1. L. 1. c. 10.

Ibidem. L. 4. c. 9.

Ibid. c. 10.

Vide & Ennead. 1. L. 4. c. 11.

Verùm, ut jam monui, proprium hoc videtur fuisse Plotini figmentum, à reliquæ Academiæ, saltem ab ipsius Principis sententia alienum. Mentes enim ubi in hæc corruptibilia corpora demerguntur, dementes fieri, nutritionis & augmenti corporei quasi torrente absorberi, curis, morbis, & variis cupiditatibus effascinari, alis suis detruncari, labore, industria & exercitatione plurima indigere ut alas recipiant, & eò pertingant, ut per varios gradus artium & scientiarum eluctatæ, pulcrum divinum repentè quasi coruscans videant, passim inculcat Plato, & locis ex eo supra intextis id abundè testificatus est. Unum addam ex Timæo contextum, ubi docet mentem suo in corpus lapsu dementem fieri, alimenti augmentique corporis quasi stagnante fluvio demergi & totam obstupescere; paulatim sidente materiæ torrente, ipsam sibi recolligi, & ad veritatis intuitum serenari. *Quas ob res ab initio anima*, *cum mortalis corporis vinculis includitur*, *amens efficitur*. *At postquam nutritionis & augmenti rivus*, *lenius minusque fluit*, *animæque circuitus tranquilliore motu iter suum peragunt*, *processuque temporis sedatiores fiunt*, *& in figuram naturæ suæ congruam restituuntur*, *tunc singulorum circulorum directæ conversiones*, *ejusdem & alterius naturam probè discernunt*, *hominemque sic institutum*, *prudentem efficiunt*. Quæ germana planè sunt iis quæ ex Augustino retulimus alibi in hanc eandem sententiam. Pag. 511.

CAPUT II.

Visio, seu potiùs contemplatio æternæ veritatis mentibus creatis, & animabus rationalibus quasi connaturalis est.

I. Probatur id ex cognatione mentis & veritatis: *item ex comparatione Solis corporei & oculi nostri*, *qui ejus lumine recreari & beari aptus natus est*.

II. Probatur illud ipsum ex eo quòd anima mediam quasi stationem obtineat inter intelligibilia & sensibilia,

bilia, ut utrisque intersit, & inferiora ad superiorum exemplat regat.

III. Probatur denuò, quia ne discurrere quidem potest nostra ratio, sine aliquo lumine regularum incommutabilium veritatis.

IV. Probatur & ex eo, quòd scientia distet ab opinione, quòd illa ab intelligibilibus, hæc à sensibibus pendeat.

V. Ab animæ consanguinitate cum Verbo oritur ejus immortalitas.

VI. Illa portio animæ, quæ corporei organi expers est, liberè versari & spatiari potest in intelligibili mundo.

VII. Hinc rursus ad immortalitatem animæ consurgit Plotinus.

VIII. Pulcritudines harmoniasque inferiores concinnare, vel adprobare non posset anima, nisi ex superiorum contemplatione & comparatione. Cæteroqui periculosissimum fuisset eam in sensibilia demergere, nullo ab intelligibilibus retinaculo suspensam.

IX. Superiora inferioribus copiam sui faciunt omnia quantam maximam facere possunt, intelligibilis mundus mentali, mentalis animali, animalis corporeo. Deus ipse in materiam usque radios sui aliquos jaculatur, sed per intermedias naturas omnes eos trajiciendo.

X. Tametsi agnatum sit naturæ intellectuali, ut hac veritatis conspicuæ contemplatione fruatur, divinæ tamen id gratiæ beneficium est. Quatuor probationes depromuntur.

XI. Quatuor probationibus aliis idem efficitur.

I. VIsum est 4. æternæ & incommutabilis pulcritudinis veritatisque intuitum & claram visionem intellectuali naturæ quasi naturali & hæreditario jure competere. 1. Quia cognata est menti veritas, veritati mens; cognatorum est autem se internosse, jugiter & familiariter congredi, mutuoque conspectu & complexu ad satietatem recreari. Cognatio autem mentis cum veritate, nulli seriò cogitanti obscura esse potest. Quorsum enim tota attinet, quorsum tota naturaliter vergit natura mentis, nisi ad veritatem contuendam, veritatis, nisi ad mentem informandam? Mens veritatem esurire, veritas mentem satiare nata est; illa hanc informare cupit, hæc ab illa una informari: hec illam unam cupit, & illam una capit. 2. Sol sensibilis quantumvis & luce fulgens & sede eminens, consanguineo tamen sibi oculo corporeo indulget se, & affatim intuendum fruendumque illi, dum sanus est, se præstat. Ergo & Sol intelligibilis Verbum sano mentis oculo ut cognato contuendum complectendumque se propinabit, nec consanguinitatis vel tantillæ jura imminuet. Plato: *Neque acumen neque memoria faciet unquam, ut qui rei ipsius de qua agitur, non est cognatus, ipsam inspiciat, &c.* Plotinus: *Si quis igitur principium ejus (nempè amoris in pulcrum fervidioris) antiquam ipsius pulcri insitam animabus appetitionem, notionem, cognationem, & quandam sine rationis actu cognationis dicet perceptionem, is à veritate causæ non aberrabit.* Jamblichus: *Eidem harmoniæ ab origine familiaris & cognata, &c.* Plato rursus in Phædone: *Quoties ipse animus per seipsum excogitat, illuc se confert ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habens; & tanquam ipsius cognatus, semper inhæret illi.* Et statim: *Utri igitur speciei (mutabilium an immutabilium) tibi videtur anima esse similior atque cognatior? Arbitror equidem quemlibet quamvis indocilem & pertinacem, concessurum esse animam & per totum & per omne similiorem esse ei quod eodem modo se habet.* Paginis propè singulis ille hanc ingeminat mentis cum immutabili veritate consanguinitatem, indeque exurgentem prærogativam familiaris contubernii & conspectus. Rursus: *Nonne hæc jam lex est, quæ per disserendi artem ostenditur, quam rursus intelligibilis cùm sit, ea vis imitatur aspectus, quam suprà diximus, ad ipsa jam animalia sese convertere, & ad stellas, & ad ipsum denique Solem?* Ut oculus per illuminata à Sole corpora ad ipsum denique Solem contuendum fruendumque enititur, naturæ suæ privilegio; ita mens per intelligibilia ad ipsum denique intelligibilem Solem conspiciendum fruendumque suo jure contendit.

[Epist. 7.] [Ennead. 3. L. 5. c. 1.] [Segm. 3. c. 9.] [De Repub. L. 7.]

II. Rursus anima quasi in confinio intelligibilium sensibiliumque locata, illorum extrema, horum suprema, utrisque connexa cognataque, utrisque interesse debet, & inerrare, & investigare contuerique omnia. Quin imò cùm ita medium limitem insideat, ut substantia tota naturaque sua à sensibilium materia & concretione immunis sit, intelligibilibusque concolor & consubstantialis: in his quàm in illis ut affinior, ita oculatior & perspicacior esse debet. 4. Anima ut quæ ordine suo summis subesse, infimis præesse debeat, hæc regere, ab illis regi; necesse planè est ut illa contempletur, ut ex illorum nutu hæc moderetur. Ad intelligibile & increatum exemplar effingi administratique debent omnia sensibilia; ergo exemplar ipsum intueantur animæ opus est, ut illud in administrando sensibili opere æmulentur. Plotinus: *Animæ namque natura, ratio est omnium; ratio inquam ultima intelligibilium & eorum quæ sunt in intelligibili; prima verò eorum quæ sunt in universo sensibili. Quapropter ad utraque vergit, & à superioribus quidem benè afficitur & reviviscit; ab inferioribus autem quadam similitudine fallitur, & tanquam delinita prolabitur. Cùm igitur sit in medio constituta, percipit utraque; & superiora quidem dicitur intelligere, in memoriam revocans, siquidem illis incumbat; cognoscit autem propterea, quod quodammodo sit ipsa; nempè non cognoscit ea, collocando eadem in se velut in sede, sed quodammodo hæc habendo, atque intuendo; atque ex eo quod anima hæc ipsa est obscuriùs, & ex habitu quodam obscuriore velut experrecta, evadit hæc eadem lucidiùs, & ex potentia prodit in actum. Sensibilia quoque similiter quasi coaptans hæc ipsa secum, efficit ut effulgeant, & ante oculos ponit, &c.* Dilucidè philosophatur Plotinus ex eo quod animæ media in statione locatæ sint, tam summa quàm infima & contueri & suo quodam modo esse debere; ut illa videlicet intueantur, non per ipsorum imagines sibi adventantes, sed per intimas & substantiales naturæ ipsarum vires, ad rerum præsentiam excitatas & reviviscentes. De quo alibi. Et rursus alibi: *Cùm duplex sit rerum natura, & altera quidem intelligibilis, altera verò sensibilis, satius quidem est animæ in intelligibili esse; necessarium tamen est eam, cum ejusmodi natura sit prædita, sensibilem quoque naturam participare. Neque graviter ferre debet, si non est omnino ipsum optimum; quippè cùm medium in rebus obtineat ordinem, & divinæ quidem sortis sit particeps, in postremo autem gradu naturæ intelligibilis posita, velut affinis naturæ sensibili, sic naturaliter instituta, ut de suis aliquid huic exhibeat, recipiat hinc quoque nonnihil, &c. Animæ quoque actio est, tum ad sequentia corporea gubernando, tum ad præcedentia ipsa videlicet entia contemplando.* Nihil expressius dici potuit ad duplicem animæ oculum discriminandum, alterum ad æterna, alterum ad temporalia; illum illa intuentem, hunc ista ad illa refingentem. Et rursus alibi de animarum principe, mundana videlicet: *Ex ipso suo intuitu ad superna, mirabili potentia totum ornans. Quò enim magis in suo se figit intuitu, eò pulcrior atque potentior; atque hinc desuper hauriens, ad inferiora transfundit, & tanquam divinitus semper illustrata perlustrat. Semper igitur illustrata, lumenque possidens sempiternum, deinceps ad inferiora traducit; hæc autem illo lumine semper & continenter & virent, vitamque inde pro sua quæque capacitate suscipiunt.* Ordo ergo animarum hic est, sursum oculos, deorsum manus habeant;

[Ennead. 4. l. 6. c. 3.] [Enn. 4. l. 8. c. 7.] [Enn. 2. l. 9. c. 2. 3.] [Enn. 4. l. 8. c. 3.] [Enn. 4. l. 7. c. 13.]

habeant; illic exemplaria conspiciant, hic imitamina conficiant; illinc regantur, hic regant.

III. 5. Rursus anima de pulcris bonisque, justis verisque judicare, quod ipsius munus est, neutiquam potest; & hæc esse aut non esse, plus minusvè esse pronuntiare non potest, nisi formam illam supremæ pulcritudinis aut bonitatis, justitiæ & veritatis oculo mentis videat coram occursantem, eique hæc comparans, alludere vel abludere animadvertat. Cùm ergo rationis munus sit discurrere ab intelligibilibus ad sensibilia, & hæc ex illorum legibus dijudicare, & ex illis ut incommutabilibus veris utque ex principiis, ad hæc ut inde pendentia utque ad conclusiones progredi; cùm rationis inquam partes sint ita à summis ad ima discurrere, & ex summorum legibus ima dijudicare & administrare; ut infra rationem jacent facultates aliæ merè sensibiles & sensibilibus affixæ, & in sensibilium moderamine illi subministrantes; ita supra rationem necesse est eminere facultatem merè intelligibilem seu mentem vel intellectum, solis vacantem incommutabilibus veris, inde illuminatum, radiosque inde haustos rationi impertientem, leges ei supernas præeuntem, & quasi dictata dantem.

IV. 6. Eo uno maximè discrepant scientia & opinio, quòd à sensibilibus tota pendeat opinio, ab intelligibilibus tota derivetur scientia; illa mutabilibus & incertis, hæc sempiternè immutabilibus & indubitatè veris, solo intellectu conspiciendis, & in luce positis evidentissima nitatur. Illa autem veritas certa, intelligibilis, sempiterna, immutabilis, nisi una summa veritas non est; quæ per scientiam seu scientiarum fontes, quæ vocitant prima principia, evidens & dilucidè conspicabilis fit. Plotinus: *Cùm igitur animus de justis pulcrisque consultet, inquiratque num hoc sit justum, numquid hoc sit pulcrum, necessarium est, stabile quiddam justum esse, similiterque pulcrum, unde ratiocinatio in anima ducet exordium; alioquin discurrere nunquam posset. At si anima interdum circa hæc discurrit, aliàs verò minimè, oportet non naturam hanc discurrentem, sed mentem in nobis esse, quæ justum pulcrumque semper habeat.* Et infrà: *Regulam sanè boni penes se possidet, (anima seu ratio) bonum verò quonam modo apud seipsam habet? quatenus videlicet est boniformis, & corroborata jam ad tale aliquid sentiendum, mente sibi desuper rutilante. Ipsum namque anima purum hoc existit, accipitque impressa à mente vestigia. At curnam hoc ipsum non est intellectus, sed anima est quod reliquum est totum, à virtute sensus exorsum? Quia scilicet animam oportet in quadam rationis discursione versari. Quia munus ei concessimus in externis considerandis, dum in plura insuper sollicitè distrahitur; mentis verò proprium judicamus, seipsam, sibique intima contemplari.* Ubi luculentè distinguit mentem, rationem, sensum; ut sensus à sensibilibus, mens ab intelligibilibus nunquam abscedat, ratio inter utraque discurrat; illinc ut ab immutabili meta & principio discursum auspicetur, huc finiat; illinc sumat unde judicet, hìc quæ judicet; illinc leges regendi, hìc elementa regenda. Et quàm absonum esset rationem judicem rectricemque præficere, nec sensus quibus infima cernat regatque non addere, tam dissonum esset judicandi regendique munus eidem rationi injungere, nec mentem quæ sempiternas intelligibilis veritatis regulas intueatur & dictet, adjungere. Plato: *Quando illi inhæret in quo veritas & ipsum ens emicat, intelligit illud, cognoscitque, & intellectum habere videtur. Sed cùm ad id fertur quod tenebris est permixtum, quod videlicet generatur atque corrumpitur, ejus obtunditur acies, opinionesque versat varias, & mentis expers esse videtur.* Quo aliisque sexcentis apud eum locis liquet ex sensibilium inspectione nonnisi opiniones lubricas & fallaces colligi; intelligi verò nihil, nisi quod mens in ipso ente, & in incommutabili supra se veritate intuetur.

Enn. 5. l. 1. c. 11.

Ibid. l. 3. c. 3.

L. 6. de Legibus.

V. 7. Rursus nisi talis tantaque persuadeatur animæ cum sempiterna veritate, & cum incommutabili Verbo consanguinitas, familiaritas, congressus contuitusque copia, ejus immortalitas magnoperè periclitabitur, aut de ea potiùs omninò conclamatum est. Corpori enim corporeisque sensibus sensibilibusque ita si affigatur, ut incorporeum & insensibile quidpiam ne contueri, ne cogitare quidem possit; quid ipsa nisi æquè corporea & dissipabilis existimabitur? An enim incorporea si esset, incorporeorum ne conspectum quidem sustineret? an cognatorum nec intuitum pateretur? an incorporea si esset, corporum limitibus ita concluderetur, ut eos vel tantillum vel ad momentum transilire non posset? an id quod naturæ maximè incorporeæ est, & cum corporibus insociabilis, nempè cognitionem à solis corporibus mendicaret? An incorporea si esset, nullam operationem nisi corporibus aut immersam aut obnoxiam obtineret, an operatio à natura, rivulus à fonte, fructus ab arbore, proles à parente tantopere diffideret. Immortalis, incorruptibilis, incorporea si substantia est, utique ad naturas affines adgaudebit, ad intelligibilia & incorruptibilia advolabit ultro, ut cognitis adblandietur, ut cognatis adgratulabitur, & inhærebit, & nulla non, aut aliqua saltem consanguinitatis argumenta edet. Ex adverso autem sensibilia aversabitur, fugitabit, ut aliena, & infesta, & indigna.

VI. 8. Illa saltem animæ portio, quæ tota potiùs animæ substantia est, scilicet ratio, organi corporei cùm expers & impatiens sit, non mancipatur corpori, non illi saltem tam arctè constringitur, quin ab ejus vinculo respirare tantillum, & spatiari extra corporum lineas audeat, & in intelligibilium aula diversari. Expers enim organi, & vinculi immunis, quid commodi referet ab hac sua libertate, si incorporea ne intueri quidem, ne à longè quidem salutare permittatur. Plato in Phædone: *Vis ergo duas rerum species ponamus, invisibilium alteram, alteram visibilium? ponamus, inquit. Et invisibile quidem modo semper eodem esse, visibile verò nunquam eodem? hoc quoque ponamus, &c. Annon & hoc evenire in superioribus dicebamus, ut cùm anima ad aliquid considerandum socium sibi corpus assumit, vel per visum, vel per auditum, vel per aliud sensum, tunc quidem à corpore trahatur ad ea, quæ nunquam eodem modo sunt, atque ipsa aberret & perturbetur, &c. At verò quoties animus per seipsum excogitat, illuc se confert ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habens, & tanquam ipsius cognatus, semper inhæret illi, &c. Animadverte jam num hæc ex dictis consequantur, videlicet ipsi divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo & secundùm eadem se habenti, animam esse similimam; humano verò, mortali, nec intelligibili, dissolubili, multiformi, nunquam eodem modo sibimet se habenti corpus esse simillimum?*

VII. Ubi immortalitatem animæ pulcrè expromit ex ejus cum rebus immortalibus, æternis, immutabilibus cognatione, cognitione, amicitia, adhæsione, à mortalibus autem & corporeis aversatione & fuga. Hoc argumentum immortalitatis animæ multò expressiùs tractat Plotinus: *Est igitur nostra insuper anima divinum quiddam, alteriusque naturæ, qualis est universa natura animæ, perfecta verò est quæ mentem habet. Sed mens altera quidem in ratiocinando versatur, altera vim ratiocinandi suppeditat. Hanc utique ratiocinandi virtutem animæ nullo prorsus instrumento corporeo ad discursionem propriam indigentem, sed actionem suam in puro quodam gradu servantem, ut & purè ratiocinari possit, si quis separatam, neque mixtam corpori, & in primo,*

Ennead. 4. l. 7. c. 10. Enn. 5. l. 1. c. 10. Enn. 5. l. 5. c. 2.

mo, scilicet intelligibili mundo locaverit, minimè aberrabit. Neque enim quærendus est nobis locus ubi ponamus, sed extra locum omnem vis talis constituenda est. Sic enim dumtaxat habere potest per se existere, atque agere, & extrinsecus & supra materiam, quando sola fuerit, à corporea natura nihil penitus habens. Hanc ob causam Plato in Timæo Deum ait mundi animam etiam extra mundum circumfudisse, ostendens vim animæ in ipso intelligibili permanentem. De anima quoque nostra in Phœdro ait, tum condere caput intra cœlum, tum extra cœlum caput attollere. Ita ille ex eo quòd facultas rationalis seu substantia animæ rationalis, qua rationalis, impatiens sit organi corporei, nec in corpore ut in subjecto fulciatur, sed per se subsistat; argumentatur illam in corpore non esse, nec ei alligari; nonnisi enim per operationem alligari loco possunt immaterialia; operatio autem rationis nihil ad corpus, nihil ad locum attinet; ideoque non alibi illam quàm in cœlo intelligibili esse, ibique per se subsistere; extrema verò sui quasi lacinia corpus agere & vegetare.

VIII, 9. Imas pulchritudines & harmonias approbare, vel iis oblectari, vel eas imitari in artis operibus, vix aut nec vix posset anima, nisi earum exemplaria olim contuita esset, vel etiamnunc contueretur, & hac vel memoria vel contuitu eorum, suaque cum iis cognatione regeretur. Cur enim hoc ut pulchrum & consonum approbat, illud ut turpe & dissonum improbat, hoc oblectatur, illo offenditur, nisi quia mentis acies supra omnes corporis sensus exerta, videt hoc ita esse debere, illud non ita; hoc ut cognato sibi & consentaneo titillatur, illo ut alieno & infesto exasperatur? Ubi autem videt, hoc ita esse debere, illud non ita, & invariabiliter videt, & indubitatissimè judicat & pronunciat, nisi in ipsa summæ pulchritudinis & harmoniæ forma, ubi sempiternas leges & incommutabiles regulas legit & intelligit, & judicandi, & approbandi, & se oblectandi, & in opificiis suis imitandi. 10. Periculosæ plenum opus aleæ fuisset, animam rudem & imperitam omnium immergere corpori fallacissimisque sensibus, & sensibilium præstigiis committere. Excantant enim propemodum etiam prudentium animos, multaque Philosophia imbutos corporum lenocinia, & vera se esse, nec alia majora aut meliora usquam esse, imò nec alia omninò esse tantùm non persuadent, & incantamentis suis totam illam cordatorum Philosophiam sæpè labefactant. Quantò faciliùs ergo animæ simplicitatem circumvenirent, totamque sibi subjugarent, si nulla veritatis conscientia, si nullo veri entis & exemplaris pulchritudinis contuitu munita, iis permitteretur. Inclementer nimis in animas immerentes consuleret, qui illas statim in tantum discrimen inermes nudasque conjiceret. Plotinus: *Quis vir musicus erit, qui cùm intelligibilem comprehenderit harmoniam, non deinde commoveatur, cùm harmoniam sentit in vocibus resonantem. Aut quis Geometriæ numerorumque peritus, qui ubi prospiciat spectaculum, congrua proportione compositum, non admodum delectetur. Siquidem haudquaquam similiter conspiciunt eadem, vel in descriptionibus ipsis atque picturis, qui per artificiosos oculos contuentur, sed animadvertunt imitationem quandam in eo quod sentitur, illius quod est in intelligentia positum. Itaque quasi stupent, in veritque memoriam revocantur, ex qua affectione amores insuper oriuntur.* Ubi advertit pulchritudinis & consonantiæ nec adprobationem, nec admirationem, nec oblectationem ex alio capite exoriri, quàm ex veræ pulchritudinis & intelligibilis consonantiæ vel contuitu vel memoria, illiusque ad hanc, sensibilis ad intelligibilem proximè alludentis comparatione. Unde harmonia sonorum & æquabilitate opificiorum multò plus oblectantur Musicæ & Geometriæ periti, quàm imperiti; quia illi, non isti, sensibile ad intelligibile, externumque opus ad internam artem legemque conferunt, & componunt. Ergo cùm imperiti, tametsi minùs quàm periti, oblectentur tamen plurimùm, necesse est & istos conferre & comparare externum sensibile, ad internum intelligibile, quod tenuius viderit aut meminerunt. Et ibidem: *Quisquis aliquo delectatur, quasi cognato, ad imagines quoque ejus quasi affines afficitur. Siquis hanc sustulerit causam, qua ratione amatoriæ excitentur passiones explicare non poterit.* Et rursum: *Existens nimirum anima id quod naturaliter est, ac propè & secundùm essentiam in rerum ordine præstantissimam, quandocumque aspexerit cognatum quiddam cognatique vestigium, congratulatur & stupet, refertque in seipsam, suique recordatur atque suorum. Quæ igitur similitudo eorum quæ hic, ad ea quæ illic pulcra? &c.* Res externas anima per sensum in seipsam rapiens, si ipsæ ipsi consentiant, vel ipsa ipsis, iis tum oblectatur easque adprobat. Consensus ergo cognatioque causa est oblectationis; si igitur vestigia summi pulcri animam oblectant, ideo oblectant quia summum pulcrum animæ cognatum, innatum, insitum cognitumque est.

Ennead. 1. L. 3. c. 1.

Ennead. 1. L. 6. c. 2.

IX. 11. Quidquid est in superioribus, est & in inferioribus omnibus suo ordine graduque; in singulis enim omnia quodammodo sunt, & singula compendiosius sunt universum. Totus intelligibilis mundus in mentibus est; totus cum mentali in animabus; totus cum mentali & animali in materia. Cum enim summum bonum, ipsaque bonitatis lex omnibus supereminent, omnibus imperet, ex ejus lege superiora omnia in inferiora se diffundunt, quantum illa dare, quantum ista capere possunt. Itaque mundus intelligibilis mentali & animali impertit præstatque se visendum, hauriendum, fruendumque quantum plurimum fieri potest, vicissimque animalis materiali. 12. Intelligibilis & idealis mundus, seu malis Verbum & ars omnipotentis conditoris omnium Dei, non statim & immediatè in materiam quæ ultima est regio longinquitatis, imprimit se, suique similitudinem. Quomodo enim materia extrema esset à Deo longinquitas, si à Deo proximè imprimeretur & exornaretur. Quomodo ultima esset regio dissimilitudinis, si similitudinis lineamenta ab ipsa Dei manu & arte ipsi immediatè inscriberentur. Ideales ergo radii ab unitatis divinæ summo apice prosilientes, in proximas priùs, & inde gradatim per proximas in longinquiores irradiant, seseque ad extremas usque propagant substantias; id est, in mentes primò, inde in animas, ac tandem in materiam, tanquam in circumjacentia diversi ordinis generisque diaphana. Mentibus ergo & animabus intellectualibus tota illa ars mundi opifex rectrixque priùs exhibet se mentali & animali participandam modo, quàm se exhibeat materiæ corporali utcumque assimilatione adumbrandam. Plotinus: *Est enim anima multa, imò omnia, tum superiora, tum rursus inferiora, usque ad omnem vitæ gradum. Nempe unusquisque nostrum intelligibilis mundus est; ac per inferiora nostra, huic mundo conjungimur; per superiora verò quæ ad intelligibilem mundum pertinent, intelligibilem mundum attingimus; permanemusque in sublimi, per id quod in nobis est prorsus intelligibile; per id autem quod ejus est ultimum, alligamur inferiori.* Anima, ut ait Plotinus, omnia est; est ergo intelligibilis mundus, est & sensibilis; qua sensibilis sensibili, qua intelligibilis intelligibili inhæret interestque mundo, omniaque ibi perlustrat, perscrutatur, admiratur. Et alibi rursum: *Est utique aliquid velut centrum, penes hoc autem circulus ab ipso micans, præter hæc autem & circulus alius, lumen de lumine; ultra hæc insuper non amplius luminis circulus, sed jam luminis indigus alieni, propriæ lucis inopia.* Quæ breviter ita interpretatur Ficinus: *Ipsum bonum est quasi centrum; mens lumen inde micans atque permanens; anima lumen de lumine, se movens, corpus per se opa-*

Enn. 3. l. 4. c. 3. Adde Enn. 3. l. 8. c. 4. & Enn. 4. l. 3. c. 11.

Ennead. 4. L. 3. c. 17.

opacum illuminatur ab anima. Ita illi describunt idealium radiorum propagationem, proximiùs proximiores substantias illuminantem, & per illas ad extremas usque dilabentem. Et rursum Plotinus: [Ennead. 2. L. 3. c. ult.] *Animam totius oportet assiduè optima contemplari, ad naturam intelligibilem, Deumque surgentem. Cumque ipsa impleatur, plenaque jam sit, exundare deinceps in simulacrum suum, atque postremum, idque infimum quendam esse factorem. Quamobrem hic jam effector est ultimus; huic verò præsidet quod primo in anima impletur ab intellectu. Cunctis denique presidet intellectus artifex mundi, qui sane & animæ sibi proximæ formas infundit, quarum vestigia imprimuntur in tertia. Merito igitur mundus hic appellatur imago, quæ semper in assimilatione versatur*.

X. Visum est iisdem Philosophis 5. tametsi naturæ intellectualis hoc privilegium naturale sit, divinæ tamen largitatis gratiam & beneficium esse, ut incommutabilis veritatis visione fruatur qualicumque. 1. Ut enim Sol oculo corporis & essentiam qua est, & vim qua videt, & res illustres quas videt, & lumen quo videt, largitur; ita Sol intelligibilis Verbum, oculo mentis substantiam vimque qua est & intelligit, & veritates quas intelligit, & lumen quo intelligit, munificentissimè subministrat. Rursus ut oculus corporis quantavis acie polleat, res coloresque quantumvis fulgurantes, videre haudquaquam potest, nisi superno solaris luminis auxilio roboretur; ita mens quantæcumque perspicaciæ sit, nisi intelligibilis Solis intelligibili lumine illustretur, nihil unquam veri intelliget. [De Repub. L. 6.] Plato: *Præsente oculis visu ipsisque ad spectandum directis, præsente item colore, nisi adsit & genus tertium, propriè ad hoc natura aptum, neque visus videbit quidquam, neque colores videri poterunt. Quidnam id esse dicis? Quod tu lumen vocas. Quem potissimum Deorum cœlestium hujus causam putas, cujus lumen efficit, ut & visus noster quàm optime cernat, & oculis objecta cernantur? Quem tu putas & alii; nempè de Sole interrogas, &c. Nonne & vim quam habet (visus) ex Sole infusam servat? Prorsus, &c. Hunc (Solem) me vocare boni filium dicito; quem ipsum bonum in hac secum genuit comparatione consimilem, ut quemadmodum ipsum in loco intelligibili ad intellectum, & ea quæ intelliguntur, se habeat; sic & iste in loco visibili ad visum se habet, & ea quæ videntur, &c. Illud igitur quod veritatem iis quæ intelliguntur præbet, & intelligendi vim ad intelligendum porrigit, boni ideam esse dicito, scientiæ & veritatis quæ per intellectum percipitur, causum.* Ubi vides accuratam comparationem oculi & mentis, lucis & veritatis, Solis visibilis & intelligilis, rerum visibilium & intelligibilium; uterque enim Sol suo in orbe lux est, & fons lucis tum ejus quæ videt, tum ejus quæ videtur, tum ejus qua videt & qua videtur. 2. At verò si solaris lucis beneficio opus est ut reliqua inspiciantur, quantò magis ut Sol ipse suspiciatur? Si sine Sole nihil cernitur, quantò magis ipse sine seipso non cernitur? Quin reliqua tantùm illuminat, ut fruendæ luci oculus insuescat, & ad ipsum fontem lucis tandem fruendum pelliciatur & præparetur. [Ennead. 5. L. 5. c. 7.] Plotinus: *Simili ratione mentis aspectus videt quidem & ipse per lumen aliud res illuminatas prima illa natura, atque in illis revera videt & illud; verumtamen ad naturam rerum illuminatarum impensiùs se convertens, minus ipsum interea cernit. At si visas quandoque res dimiserit, & lumen illud per quod videt, attentè respexerit, lumen jam ipsum luminisque principium pervidebit*. Quàm pugnat ergo lumen videri sine lumine, tam pugnat Deum videri sine Dei gratia. 3. Deficit tamen visibilis oculi Solis lucisque ad intelligibilem comparatio; ut enim oculus luci debeat quod per ipsam & illuminata à Sole, & illuminantem Solem videat; nón tamen quod seipsum videat. At verò mens non tantùm quod intelligibilia & ipsum intelligibilium fontem, sed etiam quod seipsam videat, intelligibili debet luci supernè sibi allucenti. Lucis enim illius gratia & ubertate ita imbuitur, adeo inebriatur, ut ab ea jam secernere se non possit, & nec illam jam sine seipsa, nec seipsam sine illa intelligere. Plotinus: [Ennead. 5. L. 5. c. 8.] *Sicut oculus Solis ortum expectat, cui Sol ipse ex horizonte resurgens, & ut Poetæ aiunt, ex Oceano, exhibet se spectandum. Hic autem, hic inquam quem Sol imitatur, undenam supernè fulgebit, quidve transcendens, nobis perspicuè rutilabit? Profectò mentem desuper occupans suspicientem illuminabit. Intellectus itaque in suspiciendo se sistit; nihil aliud quam pulcrum ipsum spectans, seque totum illuc convertens, eique omninio se dedicans. Itaque consistens ac velut vigore repletus, primo quidem seipsum respicit, pulcriorem jam effectum, jamque fulgentem, quippè quum jam sit summo propinquus. Deus autem non accedit, ut forsan aliquis expectaverit, sed venit quasi non veniens*. 4. Ut anima inferiora illustrat, ita à superioribus illustratur; utque quod corpus irradietur, & exornetur ab anima, & naturæ privilegium & gratiæ beneficium est; ita quod anima ab intelligibili cœlo & lumen & ornatum percipiat, & naturæ suæ dignitati, & superiorum largitati debet. Plotinus: [Ennead. 1. L. 9. c. 1.] *Ex ipso suo intuitu ad superna, mirabili potentia totum ornans. Quo enim magis in suo se figet intuitu, eo pulcrior atque potentior, atque hinc desuper hauriens in inferiora transfundit, & tanquam divinitus semper illustrata perlustrat. Semper igitur illustrata, lumenque possidens sempiternum, deinceps ad inferiora traducit; hæc autem eo lumine semper & continentur & virent, vitamque inde pro sua quæque capacitate suscipiunt*. Anima igitur lumen, vitam, ornatum & à superioribus haurit, & inferioribus infundit, beneficiaque illinc affusa, hìc refundit.

XI. 5. Universim lex ista regnat, jam inde à summo bono ad extremam entium usque umbram, ut inferiora superioribus indigeant, superiora inferioribus largiantur, & hoc reciproco indigentie & munificentiæ vinculo omnia sibi apta connexaque quasi concatenentur. Perennis ista beneficiorum irrigatio debetur & naturæ inferiorum, id est, capacitati & indigentiæ; debetur & naturæ superiorum, id est, oculentiæ & munificentiæ; atque ita & naturæ debitum est, & gratiæ beneficium. Plotinus: [Ibid. c. 8.] *Profectò necesse est, unumquodque aliquid de suo cæteris elargiri; alioquin neque bonum ipsum erit bonum, neque intellectus ipse intellectus erit, neque anima rursus erit anima, nisi post illud quod primo vivit, vivat & aliud consequenter, quandiu vivit & primum*. 6. Animabus mentibusque incubat Deus, & ita videtur; animas mentesque suo in sinu gestat, & ita sua illis expandit penetralia; at hæc non gratiæ tantùm, sed gratiæ exuberantissimæ suavissimæque accepta ferenda sunt. Plotinus: [Enn. 1. L. 1. c. 8.] *Habemus igitur & species duplici ratione; in anima quidem velut explicatas atque segregatas; in intellectu verò simul omnes. At Deum quomodo habemus? Forte tanquam intelligibili naturæ, veræque incubantem*. Et idem alibi: [Enn. 5. L. 1. c. 4.] *Ibique intelligibilia cuncta conspiciat, ac penes ipsum sempiterna, in propria intelligentia atque vita, horumque omnium præsidem, intellectum prorsus intemeratum, & inæstimabilem sapientiam, & revera vitam auream sub Saturno; nempè Saturnus ipse intellectus est prorsus immaculatus; omnia enim in se immortalia comprehendit, intellectum omnem, Deum omnem, animam omnem, & hæc omnia penitus consistentia*. Incubare, in sinu gestare, amoris planè teneritudines & gratiæ blandimenta sunt. 7. Ista intellectio visioque Verbi, mentium summa beatitudo & deificatio est, ergo gratiæ munus, imo gratiæ summus cumulus est; gratiæ enim adjumenta qualiacumque non aliò conspirare possunt quàm ad beati-

tatis

tatis consecutionem, proximamque Dei similitudinem adipiscendam. Quod autem hac summi pulchri summique Dei visione pulcher, & beatus, & Deus evadat animus, inde liquet quod pulchrum Deum non extra sed intra seipsum conspiciat, eoque informetur, inebrietur, impleatur, in eumque quodammodo confundatur. Plotinus: *Seipsum intueatur, seque immortalem esse facilè credet, quando scilicet seipsum in mundo intelligibili, puroque loco perspexerit habitantem. Cernet enim intellectum videntem non sensibile quidquam, neque ex his mortalibus aliquid, sed sempiterno suo sempiternum considerantem; & omnia in mundo intelligibili, seque ipsum intelligibilem, lucidumque effectum, veritate videlicet illustratum, quæ quidem ab ipso bono coruscat, quod intelligibilia omnia veritate collustrat. Jam igitur huic animo dictum illud valdè conveniet, valete vos; ego verò immortalis jam Deus, profectus ad divinum, divinæ similitudini prorsus incumbo.* 8. Tandem adeo non laborandum est, ut declaretur visionem eamdem & deberi naturæ, & tamen imputari gratiæ; ut vel unico hoc argumento confici debeat, ideò imputari gratiæ, quia debetur naturæ. Quæ enim gratiæ major largitio, quàm ipsius naturæ procreatio? Quid magis antevenit omne meritum, quàm quod confertur in merum nihilum? Quid magis datur immerenti, quàm quod donatur non enti? Quid magis supra vires cujuscumque naturæ, quàm ut seipsam ex abysso non entis ad ens, & ad entis summum fastigium & beatitatem evehat? Omne ergo meritum præcedit, quod ipsam substantiam antecedit; supra vires naturæ est, naturæ ipsius generatio & beata perfectio.

Ennead. 4. L. 7. c. 10.

CAPUT III.

An omni, an corruptibili tantùm corpore Philosophi sæculares senserint exuendas esse animas ad perspicuam Dei visionem.

I. Visum est Platonicis, cùm terrena hæc corpora abdicaverint animæ nostræ, tum copiosiùs eas intellecturas visurasque incommutabilem veritatem Deum. Compluribus id munitur rationibus.

II. Suffragatur Plato.

III. Suffragatur Plotinus.

IV. Nonnullis tamen eorum visum est non omni prorsus corpore absolvendas esse animas, sed crassiori tantùm, ut Deum intueantur. Multæ coacervantur ad id rationes.

V. Quibus accedit testificatio Augustini de Platonicis.

VI. Assentitur & Proclus.

VII. Quin & assentiebantur Philosophi illi, societate corporis incorrupti nihil prorsus retardari animas a visione Verbi. Multa ad hoc constipantur rationes.

VIII. Specialiter id probatur de anima illa, quæ cœlos rotat & sidera. Ipsa quippe cœlorum motio & circuitio, quasi intellectio quædam est.

IX. Tota hæc doctrina prolixè ex Plotino probatur.

X. Rursus ex eodem Plotino.

XI. Postremò tandem ex eodem Plotino, ut per corpora incorrupta nil retardentur animæ à contemplatione Dei.

I. Visum est 6. Ubi à terreni hujus & corruptibilis corporis vinculo soluti fuerint animi, tum copiosiùs splendidiùsque inspecturos visurosque incommutabilem Verbi omnium opificis veritatem. 1. Si enim quod in entis summi contemplatione intepuissent, ideò tantùm in corporis hujus carcerem prolapsi sunt adeo arctum & tenebricosum; ubi his angustiis tenebrisque mortis beneficio expediti fuerint, in eandem atque priùs sinceræ veritatis, lucisque intelligibilis auram & libertatem respirabunt. 2. Si etiamnunc quantum nos sequestramus à corpore mundoque corruptibili, tantum intelligibiles delicias prægustamus; & quantum illi nos mancipamus, tantum ab his exturbamur; ubi sanè abruptum penitùs erit vinculum, quo corruptibilitati sumus illigati, incorruptibilitate veritatis insatiabiliter satiabimur. Non enim cura & alimonia corporis, non morbi, non cupiditates, non phantasmatum tempestates fatigabunt nos, & à summis avellent. 3. Ideò Philosophia quæ utique intuendæ summæ veritatis meditatio, conatusque jugis & infatigabilis est, nixusquè in eam contemplationis stationem qua excussi sumus, quasi postliminii jure, nosmet restituendi; eadem Philosophia meditatio mortis est, & perpetua cum corpore conflictatio, corporeorum abdicatio, & à sensibus sensibilibusque sequestratio, & tam mortis corporeæ quàm immortalis post mortem in intelligibili veritate contemplationis anticipatio. 4. Ideò virtutes illæ hìc maximè commendatæ & necessariæ cum primis quæ Catharticæ, seu purgatrices appellitantur; quòd non aliter viam sternant ad futuræ visionis beatitatem, quàm purgando animam, & à corpore corporeisque affectibus & à materialibus rebus omnibus abalienando. Denique veritati immateriali, incorruptibili, & intelligibili eò cognatiores erimus, quò à materia, & corruptione, & ab omni corpore concreto immuniores erimus; quò autem illi cognatiores erimus, eò illi contuendæ paratiores; simile enim simili, cognatumque cognato maximè attingitur. Item quò oculus purgatior erit, eò perspicacior; eò autem erit purgatior oculus mentis, quò à terrenis sordibus corporisque contagione alienior.

II. Plato in Phædone cùm declarasset abdicatione omnium corporis sensuum, attingi maximè veritatem, ait: *Quandiu corpus habemus, animusque noster tanto modo erit admixtus, nunquam nos id quod desideramus, abundè consecuturos. Impedimenta enim penè innumerabilia corpus præbet, propter necessariam ejus alimoniam. Præterea morbi, &c. cupiditatibus, timoribus, &c. investigantibus nobis rursus ubique se opponens, tumultu quodam perturbat animum, &c. Tunc ut apparet compotes evademus ejus quod affectamus, cujusve amatores nos esse profitemur, scilicet sapientiæ, cùm videlicet mortui fuerimus, &c. Atque ita puri & à corporis insipientia liberati, ut consentaneum est, cum talibus erimus, cognoscemusque per nos ipsos sincerum quodlibet, id est, forsitan ipsum verum. Nam impuro purum attingere nefas est.* Et infrà de virtute & Philosophia disserens, cujus utriusque unum institutum est, purgare animum, à corpore eum sevocare, atque ita mortem meditari præmorique, sicque ad contuitum veritatis mentis oculum exacuere & illuminare. *Purificatio nonne in hoc consistit, quod jam dudum dicebamus, videlicet, ut quàm maximè possumus, animum à corpore sejungamus, eumque assuefaciamus per se undique à corporis contagione sevocari, & colligi, & ita quoad fieri potest, habitare? Nonne hoc mors appellatur, separatio animæ à corpore? Separare verò ipsum maximè & soli student ii qui rectè philosophantur; atque hæc ipsa Philosophorum meditatio est, solvere & separare animum à corpore.* Marinus Neapolitanus in vita Procli: *Ad purificantes virtutes transeamus, diversas à politicis, quamvis illæ quoque in eo versentur ut animum quodammodo purgent, & quoad ejus fieri potest, efficiant ut quasi solutus & liber, prospiciat rebus humanis, habeatque cum Deo similitudinem quandam, qui finis est optimus animi, &c. Illæ verò quæ sunt his superiores, purificantes nempè, in universum separant ab hac corporis massa, verè plumbea, & ab* hujus

hujus mundi rebus efficiunt facilem discessum. Ubi liquet omne virtutis cujuscumque studium in hoc incumbere, ut animum à corpore solvat segregetque, atque ita ad Dei similitudinem & dimanantem ex similitudine visionem adaptet.

Ennead. 6. l. 9. c. 9. 10. III. Plotinus verò ita habet: *Anima tunc aliam agit vitam, atque progrediens & jam progressa, & Deum penitus consecuta, planè cognoscit jam prorsus affecta, quòd adsit ipse veræ vitæ largitor. Et profectò nullo illic opus est ulterius, sed contrà cætera prorsus deponere debet, & in eo solo consistere, Deusque fieri tantùm, reliquis penitùs amputatis quæ circùm nobis adhærent. Quapropter hinc emigrare properandum est, dolendumque nobis, quòd aliqua hic ex parte alligati vivamus, ut toto penitùs animo complectamur Deum, nihilque reliqui sit in nobis, quo non pariter attingamus.* Et infrà: *Curnam igitur animus ibi non permanet? Profectò quoniam nondum hinc emigravit omninò. Erit autem & quando dabitur continuitas intuendi, cùm scilicet corpus nullo modo intuitum perturbabit.* Ubi perspicuè monet deponendam priùs esse corporis sarcinam, quàm plena Dei & continua visione potiamur; interim autem raptim & ad momentum eam delibari.

IV. Visum est, plerisque saltem eorum, corruptibili quidem hoc & crassiore, non omni tamen penitus corpore exuendas esse animas, ut cumulatissima Dei visione beentur. 1. Antequam enim in lutulentum istud corpus devolverentur, beatissimam degebant vitam penes astrum aliquod, cum eoque & superiora contemplabantur, & inferiora moderabantur; non tamen omni nudæ corporis involucro, cùm astrum ipsum cujus collegæ erant, Deus visibilis & corporeus sit. 2. Animæ hic à vitiis purgatæ, resolutæque à mortali hoc corpore, revolant protinùs in astrum idem unde exciderant, easdem contemplationis partes & providentiæ iterum obituræ; igitur non carebunt penitùs corpore. 3. Astra ipsa Dii sunt beatissimi, & immortaliter tamen suis corporibus implicati; ergo contubernium corporis animam à beatæ visionis fastigio non deponit. 4. Ne quis tergiversari possit & causari corpora astris esse ignea, Jupiter seu anima mundi mundano corpori, cujus pars aliquantula est hæc elementorum conglobatio, illigata est inseparabiliter, & tamen nihil hinc retardatur à contemplatione divinorum vehementissima. 5. Plato in Timæo summi beneficii loco id indultum esse ait Diis sydereis à Deo summo, quòd cum naturaliter dissolubiles essent, utpote ex corpore animaque conflati, voluntate tamen omnipotentissima conditoris nunquam solvendi sint; si autem extricari à quolibet corpore, ad beatiorem vitam aliquod compendium esset, hæc immortalitas dispendio fuisset, nec in beneficii numero habenda. 6. Animas naturaliter corporibus copulandas esse, indeque non tam gravari, quàm levari ipsas, quodammodo senserunt, etiam qui dissenserunt; ideo enim perennes illas invexerunt circulationes animarum è corporibus emigrantium, & in corpora remigrantium alternatim; quòd & mortalitas corporis emigrare cogeret, & naturæ necessitas in alium corpus remigrare compelleret. 7. Denique si non pœna, sed natura est animæ, ut Plato in Timæo memorat ut corpus vivificet; sicut ipsa æterna est, ita æternum corpus ei adjungi necesse est.

V. Hæc omnia prolixè exequitur Augustinus, ubi multis exagitat nonnullos Platonicæ scholæ desertores magis quàm defensores, qui Christianam de corporum resurrectione sempiternaque cùm beatis animabus consociatione sententiam insectabantur. Civ. l. 13. c. 16. *Cùm apertissimè Plato Deos à summo Deo factos habere immortalia corpora prædicet, eisque ipsum Deum à quo facti sunt, inducat pro magno beneficio pollicentem, quod in æternum cum suis corporibus permanebunt, nec ab eis ulla morte solventur: quid est quod isti ad exagitandam Christianam fidem fingunt se nescire quod sciunt: aut etiam sibi repugnantes, adversum seipsos dicere malunt, dum nobis non desinant contradicere?* Deinde cùm verba Platonis in Timæo intexuisset, Ibid. c. 17. *Si ergo animæ pœna est in qualicumque corpore colligari, quid est, quòd eos alloquens Deus tanquam sollicitos ne fortè moriantur, id est dissolvantur à corpore, de sua facit immortalitate securos?* Et infrà: *Contendunt etiam isti terrestria corpora sempiterna esse non posse, cùm ipsam universam terram, Dei sui, non quidem summi, sed tamen magni, id est totius hujus mundi, membrum in medio positum & sempiternum esse non dubitent.* Et infrà: *Verùm non usque adeo decipi debuerunt, non solùm ignorantia, sed etiam pervicacia, ut & sibi apertissimè refragentur, magnis disputationum viribus asserentes, animæ ut beata esse possit, non terrenum tantùm, sed omne corpus esse fugiendum: & Deos rursus dicentes habere beatissimas animas, & tamen æternis corporibus illigatas; cœlestes quidem igneis: Jovis autem ipsius animam, quem mundum istum volunt, omnibus omnino corporeis elementis, quibus hæc tota moles à terra in cœlum surgit, inclusam. Hanc enim animam Plato, ab intimo terræ medio quod Geometræ centrum vocant, per omnes partes ejus, usque ad cœli summa & extrema diffundi & extendi per numeros musicos opinatur, ut sit iste mundus animal maximum, beatissimum, sempiternum, cujus anima & perfectam sapientiæ fœlicitatem teneret, & corpus proprium non relinqueret: cujusque corpus & in æternum ex illa viveret, & eam quamvis non simplex, sed tot corporibus tantisque compactum, hebetare atque tardare non posset.* Ex quibus rectè concludit, *Neque à corporibus separationem audent dare Diis suis, ne illos mortales colere videantur: nec beatitudinis privationem, ne infœlices eos esse fateantur. Non ergo ad beatitudinem consequendam omnia fugienda sunt corpora, sed corruptibilia, molesta, gravia, moribunda, non qualia fecit primis hominibus bonitas Dei, sed qualia esse compulit peccati pœna.* Denique: Ibid. c. 19. *Neque enim quisquam audebit illorum, sapientes homines, sive morituros, sive jam mortuos, id est, aut carentes corporibus aut corpora relicturos, Diis immortalibus anteponere, quibus Deus summus apud Platonem munus ingens, indissolubilem scilicet vitam, id est æternum cum suis corporibus consortium pollicetur. Optimè autem cum hominibus agi arbitratur idem Plato, si tamen hanc vitam justè pièque peregerint, ut à suis corporibus separati, in ipsorum Deorum, qui sua corpora nunquam deserunt, recipiantur sinum?*

Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Quod Virgilius ex Platonico dogmate dixisse laudatur. Ita quippè animas mortalium nec in suis corporibus semper esse posse existimat, sed mortis necessitate dissolvi; nec sine corporibus durare perpetuò, sed alternantibus vicibus vivos ex mortuis, & ex vivis mortuos fieri putat. Postremò tandem Porphyrium perstringit, qui animas ut beatæ essent, omni corpore spoliandas sanxerat, nec tamen corporatorum Deorum cultu eis interdixerat.

VI. Proclus autem animæ cuilibet immortali immortale & indivulsum sempiternè subligat corpus, hoc argumento: Inst. Theo. c. 196. *Omnis anima participabilis corpore utitur sempiterno primò, & æternam ac incorruptam habente naturam. Si enim omnis anima per essentiam est æterna, etiam propter suum esse primò animat aliquod corpus immutabile. Si verò illud quod animatur, semper animatur, etiam semper est particeps vitæ. Quod verò semper vivit, multo priùs semper est. Quod verò semper est, illud est æternum. Ergo illud corpus quod est primò animatum, & primò pendens ex unaquaque anima, æternum est.* Ita ille duplex videtur corpus distinguere, aliud primum, incorruptibile, defæcatissimum, inseparabile ab anima, æternum; aliud

aliud secundum, corruptibile, crassum, quod morte abscinditur & computrescit. De hoc secundo nullus ambigit; primum autem ita astruit Proclus. Natura animæ est non tantùm vivere, sed etiam vivificare; at animæ natura æterna est, nec vivificare potest nisi corpus aliquod sibi conjunctum; ergo æternæ animæ æternum corpus copulandum est, ut in æternum illa vivificet, hoc vivificetur. Cui argumento sanè ut tota sua vis constet, necesse propemodum est corpus illud æternum, quantumvis purius & defœcatius, huic tamen nostro tam multiformibus membris organisque instructo esse simillimum. Hujusmodi enim variegatum & multimembre anima nata est regere & vivificare: & amputatis istiusmodi partibus organisque, totidem in anima vivificandi operandique vires æterno otio contabescent.

VII. Visum est 8. sempiterna illa corporis incorrupti societate, vegetatione, & quacunque demum vel sui vel alieni corporis seu agitatione seu administratione, animas mentesque beatas, sin minùs adjuvari roborarique ad vehementiorem summæ veritatis intuitionem fruitionemque, ab ea certè ne vel tantillum quidem retardari. 1. Si enim ut suprà tradidit Proclus, animæ natura est non tantùm vivere, sed vivificare; tota debilitatur anima, viresque ejus enervantur, ubi vivificandi munus & amor illi excinditur; & tam æquo, tam naturali voto fraudata, non potest non anxiari, & circa reliqua languescere. 2. Corpus animam nunc degravat, & à superiorum contemplatione deponit, quia egenum, ægrum, discors, mortale, moribundum; quocirca animæ solatium & medicinam identidem desiderat, ægritudinibus suis condolentem tabefacit, & à summis avocat. At corpus cœleste & beatum, sanum erit, & vegetum, nec indigum, &c. 3. Corpus ut ipsum sibi, ita animæ discors est, & cupiditatum æstu tum secum, tum cum ipsa tumultuosè conflictatur: at in illa pace quiescenti in veritatis sinu animæ & ipsum acquiescet. 4. Anima nunc tota summis & tota imis vacare simul haud potest, sed ab illis per hæc, ab his per illa retrahitur, quia ægra & ipsa est, & sensibilium amore convulnerata, & pestilentiosis cupiditatibus dilaniata. At ubi sana & tota secum erit, utrisque par erit. 5. Anima nunc quia ægra, corpori tota immergitur, quapropter toto ejus tumultu concutitur. At ibi adest vel præest magis quàm inest; nec infunditur, sed superfunditur; extremoque sui radio illud abundè perlustrans, sibique subligans, ipsa interim supernatat & supereminet, & tota pascitur veritate. 6. Nunc in parte religatur anima & relegatur cum suo corpore, ex universi nempè providentia & regimine exturbata. At providentia universalis nusquam offenditur, nunquam perturbatur, invicta enim & omnipotens & verè regia est; in partibus autem angustiæ, inopia, & egestas sentiuntur. Animæ ergo & universum administrare possunt sensibilem mundum, & intelligibilem simul perlustrare; quia enim nulla ibi offensio, nulla hinc perturbatio, nullus ibi labor, nulla hinc avocatio. At non possunt eædem partem sensibilis regere, & totum intelligibilem speculari; partes enim quia minùs minùsque sunt, egestate & ægritudine sua animam fatigant abducuntque à summis. 7. Animæ beatæ corpora sua ad numerorum sempiternorum leges regunt aguntque, illic exprimunt, quo hinc imprimuntur; illuc refundunt, quo hinc perfunduntur; illic parturiunt, quo hinc fœcundantur. An ergo minùs implentur supernè, quia exuberantis plenitudinis impatientes in inferiora defluunt? an minùs altè supernis imprimuntur ideis, quia ad extremum usque sui vestigium & umbram, id est ad corpus usque & materiam suam iis imprimuntur easque exprimunt? an minùs supernè gravidantur, quia infusa illinc semina, hic parturiunt? Omnia animarum ejusmodi in corporibus suis opera, contemplationum opera sunt, & contemplamina imitamina & verè contemplamina. Quò vehementiùs ergo intelligibilia contemplantur, eò vegetiùs corporalia operantur. Operatio ergo corporalis contemplationis vehementissimæ non obex est, sed index; & sin minùs augmentum, certè argumentum. Utque imaginatio illa robustior est, quæ corpus immutat; ita contemplatio. 8. Universim superiora nunquam debilitantur, dum in inferiora vires beneficentiamque suam convertunt; unum menti, mens animæ, anima corpori sua seque impertit; hoc beneficiorum torrente impletur inferius, non depletur superius; crescit rivus, non decrescit fons; ille semper haurit, hic nunquam exhauritur. Et sanè conclamatum esset de rerum natura, si inferiorum compendium non staret sine dispendio superiorum.

VIII. 9. Omnes ergo naturæ intellectuales quæ cœlestia agitant volvuntque in orbem corpora, adeo non hinc à summo contemplationis æstu abducuntur, ut impellantur potiùs ob cognationem & consanguinitatem corporalis hujus motionis cum intellectuali, tantam & tam expressam, ut circulatio visa sit quibusdam non aliud esse quàm intellectio quędam corporalis, & intellectio dicta ab illis sit circulatio quædam intellectualis. Est enim circulatio corporum cœlestium, 1. Conspiratio quædam in seipsum, sicut intellectio sibi immanet, nec foris dissipatur. 2. Omnium rerum complexio, & intellectio, omnia etiam remotissima suo in sinu capit & recolligit. 3. Motus stans, localiter se movens, nec locum mutans; sicut intellectio motio est immobilis, omnia percurrens, nec à se excurrens. 4. Motus in seipsum reflexus, suaque in se replicatione, unitatem identitatemque immobilem affectans. Sicut intellectio à se exilit, & in se resilit; seque in se retorquendo, simplicissimè multiplicatur. 5. Motus infatigabilis & infinitus, & ex natura circuli, nullibi incipiens & nunquam desinens. Sicut intellectio circa verius centrum, circa unum infatigabiliter versatur, quia delectabiliter, & sine fine delectari non fatiscit. 6. Motus tam rapidæ vertiginis, ut totum corpus & quælibet ejus pars quodammodo ubique sit; sicut & anima tota ubique est, quam ideo ubique assequi, totum toti se ubique sistere corpus laborat. 7. Imò ut anima ubique Deum ubique effusum consectans, ubique & ipsa quodammodo est; ita corpus animæ Deique pręsentiam ubique vigentem æmulatur, & ubique esse festinat. 8. Ut anima circa summum bonum gestit & intelligibiliter tripudiat, ita corpus suum ejusdem lætitiæ exundatione perfusum, in idem tripudium incitat. Denique vitalis magis est ille quàm localis motus; status magis quàm motus. Ubi enim summa beatitudo, quò spectaret motio? Intellectualis potiùs est tripudiatio animæ, sed tam vehemens ut & corpus impellat, secumque rapiat circa summum unum bonumque. Tanta enim est virtus beatæ animę, ut natura corporis sit voluntas animę; vicissimque ut lętitia animę sit gesticulatio corporis. Si motiones omnes aliæ à beatis animabus corporibus imprimendæ, æquè faciles atque ista quam in exemplum adduximus intelligantur, & æquè ad motiones intelligibiles, consentaneę & consectaneę; nulli jam ut arbitror operosum videbitur, nulli non facilè persuadebitur beatas animas corporum societate ad incommutabilis veritatis visionem juvari potiùs, quàm tardari.

IX. Plotinus: *Quare cœlum movetur circulo, quia mentem imitatur, &c. Forsitan circularis motus non videatur alicui esse localis. Quod si secundùm accidens ejusmodi sit, qualisnam igitur per se est hic motus? Profectò conspiratio quædam in seipsam consentiens, suorumque conscia atque vitalis, nec extra ullo modo, vel usquam, nec alio vergens, in qua oportet cuncta comprehendi; quod in animali enim principale est, comprehendit in se cuncta & conflat in unum, &c. Quod si anima circumvolvat, nunquam defatigatur; neque enim vel ipsa trahit,* Ennead. 2. L. 2. c. 1. 2.

hit, vel corpus præter naturam agitur. Id namque ipsum natura est, quod ab anima universi ordinatum est. Præterea mundi anima ubique existens, non divisa per partes, sed ubique tota, dat & cœlo, ut & ipsum, quoad potest, sit ubique. Potest autem dumtaxat ex eo quod pertranseat, progrediaturque per omnia. Quiesceret sanè ipsum, sicubi quiesceret anima; nunc verò cùm anima ipsa quam appetit, totam se per totum fundat, nimirum ipsum quoque passim sequitur animam. Quid igitur? an nunquam animam assequetur? Forsan verò sic eam semper assequitur. Et infrà: *Anima rursus revolvitur circa Deum, affectatque complecti, & utcumque potest, circa ipsum sese habet, cuncta enim à Deo dependent. Quoniam verò non permanet penes ipsum, saltem se versat circa ipsum, &c. Si enim est Deus in cunctis, oportet animam cum illo congredi cupientem, sese fundere circa ipsum. Non enim est dumtaxat alibi. Proinde Plato stellis non solùm attribuit motum, unà cum toto orbicularem; verùm etiam singulis motionem circa centrum proprium revolutam. Quilibet enim globus ubicumque est, Deum quodammodo circumplectens prorsus exultat, non utique consilio quodam, sed naturali necessitate commotus.* Et in-

Ibid. c. 5. frà: *In nostris enim corporibus quando movetur animus, etsi longè aliter moveatur, velut lætitia gestiens opinione boni, motus inde corporis, etiam localis efficitur. Illic igitur anima evadens bono proxima, effectaque sensu sagacior, movetur circa bonum, corpusque natura sua secundùm localem concitat motionem. Sensualis virtus à superiori rursus concita, ipsaque suum percipiens bonum, secumque congratulans id prosequitur, cùmque ubique sit, meritò se per omnia confert. Intellectus autem quidnam agit? Sic certè movetur; manet namque simul, & movetur; nam reflectitur in seipsum; ratione itaque simili, universum circulo movetur simul, & permanet.* His nihil fingi potest elegantius ad declarandum motiones hujusmodi corporum beatorum, intellectuales magis esse quàm corporales, & ad veritatis intelligibilem intuitum plus prodesse quàm

Ennead. 2. L. 3. c. ult. obesse. Et alibi idem Plotinus: *Animam totius oportet optima assiduè contemplari, ad naturam intelligibilem, Deumque surgentem. Cumque ipsa impleatur, plenaque jam sit, exundare deinceps in simulacrum suum atque postremum, &c. Cunctis præsidet intellectus artifex universi; qui sanè & animæ sibi proximæ formas infundit, quarum vestigia imprimuntur in tertia, &c. Quandiu intellectus est atque anima, tandiu in hoc animæ simulachrum seminales effluunt rationes. Quemadmodum quandiu Sol ipse viget, omnia ab eo lumina profluunt.* Uti Sol non minùs sibi lucidus est, etsi lumen omne ex se fundat: ita anima non minùs divino semper plena est & exundat lumine, etsi ejus extremos radios in corpus spargat; imò quia supernè plenissima est, necesse est ut infrà exundet. Et alibi denuò: *Quò magis in suo se figit intuitu, eo pul-*

Ennead. 2. L. 9. c. 2. *crior atque potentior: atque hinc desuper hauriens, in inferiora transfundit; & tanquam divinitus semper illustrata perlustrat.* Adeo non inferiorum regimine debilitatur superiorum contemplatio, ut ex adverso ideo inferiora vehementer & potenter moveat, quia vehementissimè ad superiora se movet. Non ergo ut faciliùs regat inferiora, cogitur cessare à summis; sed nisi enixissimè contenderet ad summa, difficiliùs regeret infima, regendorum enim infimorum non leges tantùm à summis haurit,

Ennead. 2. L. 9. c. 7. sed & vires. Et rursum: *Præter cæteras differentias illud quoque considerare decebat, nos quidem ligari à corpore, utpote vinculo jam effecto; in universo verò animam, natura corporis jam ligata, alligat quidquid apprehenderit; ipsa verò totius anima haudquaquam ab his quæ ligat, ipsa ligatur; ipsa enim tanquam domina præbet exordium; idcirco neque ab ipsis, neque cum ipsis patitur, &c. Quantum ipsius ad divinum quod superius est, erigitur, integrum simplexque manet, nec impeditur; quantum autem ejusdem tradit corpori vitam, nihil ab ipso reportat.*

X. Longè aliter ergo corpori imperat anima vel universi, vel quæcumque illius quasi collega, necdum insano sui & particularis boni amore dementata, necdum à communibus & ab universali providentia, ad privata & ad partis alicujus anxias curas ablegata. Ligat enim sibi corpus, non se illi; in illud agit, nihil ab illo patitur. Et alibi:

Corpora nostra plurimam sollicitamque providentiam exigunt, quibus multa alienaque incidunt; quibus semper opus est multis; quibus in summa difficultate & discrimine positis, omni opus est patrocinio. Corpus verò mundi cùm sit perfectum, plenum, sibi sufficiens, nihil unquam patiens præter naturam, quasi jussu quodam brevi & facili regitur; atque ut anima naturaliter instituta est velle, ita se habet, neque cupiditatibus incitatur, &c. Quamobrem animam quoque nostram inquit Plato, si quando cum illa perfecta vivat, ipsam quoque fore perfectam, seque ipsam per sublimia collaturam, totumque mundum gubernaturam. Quando enim inde non absit, neque se prorsus immergat corporibus, neque sit alicujus, tunc eam quoque velut animæ mundanæ collegam, universum æqua facilitate recturam, &c. Duplex in universo providentia est, communis & propria; & communis quidem jussu quodam à sollicitudine libero, regioque imperio cuncta componit; propria verò singulatim jam opera quadam, ut ita dixerim, manuaria, opificium attrectando, opificem ipsum opificii conditione implet, atque contaminat. Et paulò pòst: *Cùm duo sint propter quæ commercium animæ & corporis culpari solet, tum quia intelligentiam impedit, tum quia voluptatibus, libidinibus, doloribus obruit animum, neutrum profectò incommodum accidit animæ, quæcumque neque corporis penetralibus se prorsus immerserit, neque sit alicujus, neque evaserit corporis; sed vicissim animæ corpus, quod quidem tale sit, ut neque re ulla indigeat, neque defectum alicubi patiatur, quocirca neque animam concupiscentiis timoribusque inficiat. Nihil enim incommodi à tali corpore occurrit animæ metuendum, nec occupatio ulla ad inferiora declinans, à sublimi & beata contemplatione detorquet, sed ejusmodi anima semper divinis incumbit, facultate interim nequaquam sollicita, nec operosa moderans universum.* Ennead. 4. L. 8. c. 2.

XI. Ubi mentes animasque, seu regendis seu animandis præficiantur corporibus, citra ullam à summorum contactu cessationem, aut supinitatem eo munere fungi posse perspicuè demonstrat, ex corporum ejusmodi cœlestium integritate, vigore, opulentia: ex animarum potentia, regioque imperio & eminentia supra corpora, item ex genere providentiæ illius quæ universalis cùm sit, & in summo ordine summoque rerum gradu locata, planè regia & potentissima est, nec ulla offensione perturbabilis. Et rursus: *Oportet singulas* Ibid. c. 4. *animas appetitu utentes intellectuali in ipsa ad authorem suum conversione, habentes quin etiam facultatem ad sequentia dispensanda, quemadmodum lumen, desuper quidem Soli suspensum, sed interim se inferioribus sine invidia porrigens; oportet inquam illas indemnes, illæsasque servari, quatenus unà cum anima tota, in mundo intelligibili vitam agunt. In cœlo præterea unà cum tota, quasi collegas similiter gubernare, sicut reges alii unà cum ipso rege omnium congregati, seu collegæ, unà cum ipso cuncta componunt, nec ipsi quidem è sedibus regiis descendentes, tunc enim in eodem cum ipso rege sunt statu. Cùm verò animæ ab ipso toto ad id deveniunt, ut pars quædam jam suique juris evadant, & quasi pertæsæ cum alio res gerere, singulæ ad propria secedunt. Quando id diutiùs talis animus agit, fugiens totum, & inde discrepantia quadam jam sejunctus, nec ulteriùs intelligibile suspicit, pars aliqua jam evadens, nimi-*

nimirum ſolus relinquitur, & veluti deſtitutus, fit impotens, negotiiſque diſtrahitur. Nam parti cuidam eſt addictus, dum ſegregatus à toto, uni cuidam ſe mancipat, omne reliquum fugiens: & profectus, converſuſque ad unicum illud, à totis, omnibuſque concuſſum, ſic à toto degenerat, & proprium quiddam circa illa quæ undique incidunt diſtractus, curat; contrectans colenſque externa, nec ſolùm aſſiſtens corpori, ſed intra valdè progreſſus. Nihil aptius, nihil luculentius dici potuit ad declarandum totum animarum circa corpora ſtatum. Ad ea enim naturæ ſponte deſcendunt, quia animæ ſunt, non meræ mentes; aptæque non tantùm vivere, ſed vivificare; non tantùm supernè ideis rigari, ſed & infernè eas irrigare; non tantùm ſpeculari exemplaria, ſed imitari. At ubi in ordine ſtant, ad cœleſtia ſeu puriſſima & propè ſpiritalia veniunt corpora, utpotè omnium prima & vitæ proxima, & vivificari digniſſima; & in omnia corpora ſummum obtinent principatum, univerſalemque eorum dominationem & providentiam exercent; imperatoria planè poteſtate, ſummaque facilitate, infima diſpenſantes, de ſummorum intuitu nihil relaxantes. Ubi verò privato ſui amore, & inſana ſuperbia, propriæque libertatis libidine, privata communibus anteponunt, & univerſalis dominationis collegium faſtidientes, privatim dominari malunt; ſolæque in parte, quàm cum univerſi principe in univerſo regnare eligunt; tum ſanè partium incommoda perſentiſcunt. Partes enim ſemper egenæ & imbecillæ, truncæque & ægræ, & crebris offenſionibus obnoxiæ diſcordeſque; his ergo diſpendiis implicatur anima, his ruinis ut occurrat, anxiatur, diſcerpitur; corpuſque fluxum ut ſiſtat, ægrum ut foveat, altiſſimè illi immergitur, & ita ipſa demergitur, ut caput exerere jam, & ad ſumma reſpirare haud amplius poſſit. Longa hæc eſt injuria, longæ ambages, ex quibus anima fractis alis præcipitatur; eadem autem retro relegens veſtigia, alas recipit, & à parte ad totum revolat, & poſtliminio ſeſe in primævam integritatem revocat, contemplandi ſumma, regendi ima.

Vide & Ennead. 4. L. 4. c. 16. Et Jambl. De Myſter. Segm. 1. c. 17.

CAPUT IV.

A beatis mentibus Verbum videri ſenſerunt hi Philoſophi, non alia ſpecie, quàm ipſo Verbo: omnia videri, non tamen æqualiter ab omnibus.

I. Non alia ſpecie quàm ipſo Verbo informari beatas mentes ſenſerunt iidem Philoſophi, ut Verbum videant. Plurimis id rationibus illuſtratur.

II. Quibus accedit Plotini teſtificatio.

III. IV. Ex iiſdem Philoſophis beatæ mentes omnia in Verbo vident, & ſimul omnia. Quod utrumque multis rationibus ſtabilitur, multis vallatur etiam teſtimoniis.

V. Nec æquales, nec pares ſunt omnium contemplationis gradus.

VI. Seſe mutuò, ſuaque invicem omnia videbunt.

VII. Porrò oculi corporei nullæ vires, nullæ partes ſunt in contemplatione Verbi.

I. Viſum eſt 9. beatas mentes animaſque ſummam veritatem & pulchritudinem intueri & intelligere, non per ſpeciem aliquam inde ſibi infuſam, aut per ſimulacrum medium, quod pro illa, aut quo illam videant; ſed ipſam ſine ullo medio contingere, ipſa informari, in ipſam imò transformari: ut unum quid jam cum ipſa ſint, eamque videant, non ut aliquid alterum à ſe, ſed ut unum & idem ſecum. 1. Intelligibilia enim bona videre, idem eſt atque ipſa habere: ita ſcientiam, ſapientiam, veritatem nemo videt, niſi qui habet: & videndo habet: fitque ſciens, ſapiens, verax. Intra enim videntur, non extra; quæ autem intra videntur, utique habentur. 2. Imò intelligibilia bona videre & habere, eſt ipſa eſſe: intus enim in animo videntur & habentur, non foris: intus animum imbuentia, & informantia, non foris rutilantia. 3. Contuitus veritatis cùm ſummum bonum ſit, utique non extimum, ſed intimum & penitiſſimum quid eſt, & ipſas animæ medullas pervadens; nam ſi aliquo tantùm ſui radio & ſimulacro quaſi vicario attingat animum, & extimitus quaſi coloret, nec medullitùs immeet, nec præſens ſe immediatè ei præbeat, non erit planè ſummum hoc bonum, ſed ſummi boni extima & adumbrata delibatio, & imaginaria fœlicitas, imagine Dei ludificante, non ipſa veritate mentem paſcente. 4. Prima quæcumque, ſeu vera, ſeu pulcra, ſeu bona, hac vi, hoc ingenio pollent, ut omnia pro ſuo quæque modo ad ſe rapiant, in ſe reforment. Itaque prima pulcritudo intuentium animos non oblectat tantùm, ſed invadit, pervaditque & pulcros facit, & ſua ipſorum natura ipſos exuit, & ſua ipſius natura ipſos induit, quia prima, & ſumma, & potentiſſima, & beneficentiſſima pulcritudo eſt. Ita ſumma veritas, ſummum ens, &c. 5. Hæc eſt vis, hic impetus mentium in veritatem veramque beatitudinem, ut ubi ejus datur tam impotenter & tandiu concupitæ copia, in eam protinus ſe totas ingerant & immergant, illi ſe immiſceant, cum ea ſe conflent & confundant; ſua omnia abdicent exuantque, & in eam totæ reformentur. 6. Hinc ſeſe ſibi ipſis planè excutiunt, ſui penitùs obliviſcuntur, ſe eſſe aut vivere aut intelligere nec ſciunt, nec ſentiunt, adeo è natura ſua in aliam migrarunt, nec jam ſpectatores ſunt, ſed ſpectaculum, nec veritatis contemplatores & pulchritudinis, ſed ipſa veritas & pulcritudo. Nec mirum eſt ſi ſe ignorent, nam minùs advertitur ſanitas quàm morbus, minùs quod ſecundùm naturam, quàm quod præter naturam eſt. Denique minùs ſummum bonum eſt, quod mentem voluntatemque non ita totam rapit, totamque exhaurit, ut adhuc ſibi vacare, aut ſe ſentire ipſa poſſit.

II. Plotinus: *Rutilant illic omnia, ſpectatoreſque ſplendore colluſtrant, adeo ut ipſi quoque pulchri efficiantur, &c. Quum per totam animam ſe infuderit pulchritudo, non ſolùm ſpectatores evadunt. Non enim ulterius hic quidem ſpectator extra eſt, ibi verò ſpectaculum ſimiliter extra; ſed qui acutè perſpicit, rem perſpectam in ſeipſo habet, &c. Operæ pretium eſt in ſeipſum tam ſpectaculum transferre divinum, ac velut unum prorſus inſpicere, & tanquam ſeipſum penitus intueri. Ceu ſi quis occupatus à Deo, ſeu Phœbo ſeu Muſa potiſſimùm raptus, in ſeipſo Dei ipſius intuitum jam efficiat, ſiquidem in ſeipſo Deum valeat intueri.* Ubi ſatis ſuperque patefacit beatas mentes ab ipſo incubari & informari divino Verbo, quando ait eas in ſeipſis illud habere, ut unum ſecum intueri, & tanquam ſeipſas, & à ſeipſis indiſcretum, nec tam ſpectatrices jam quàm ſpectaculum ipſas eſſe, eoque ita inſideri, ut olim vates Deo corripi fingebantur. Et infrà: *Unà ſecum conſpirans in unum, nihilque ultra ſecernens, unum ſimul exiſtit cuncta unà cum illo Deo qui tacitus influit, &c. Sentit ſeipſum quandiu eſt alter: quum verò ad intima penetraverit, poſſidet univerſum: ſenſuque retro dimiſſo, metuens videlicet ne fiat alter, ibi unus exiſtit, &c. Oportet animum numen ejuſmodi percepturum, figuram quandam illius habere, atque ita perſeverare, dum perſpicuè ipſum noſſe molitur: atque ita cognoſcens qualem quantamque rem ingrediatur, certoque confidens ſe rem beatiſſimam intraturum, ſic denique ſeſe prorſus immergere uſque adeo, ut evadat pro ſpectatore jam ſpecimen alterius ab eo perſpecti, qualis inde venit notionibus abundè refulgens. Sed quonam pacto erit quiſpiam in ipſo pulchro,*

Ennead. 5. L. 8. c. 10. 11.

nisi videat ipsum? Profectò si videat ipsum tanquam alterum, nondum erit in pulcro; verùm si pulcrum ipsum sit effectus, ita erit in pulcro potissimum. Bonum beatificum mentes in se ita rapit, amore beatitatis mentes ita rapiuntur in illud, ut in illud vehementissimo impetu se immergant absorbeanturque penitus, nec jam sibi sint, unumque & idem cum eo sint, nec se jam sciant aut sentiant. Vident ergo, non ut aliud à se, sed ut idem secum, atque eo tantùm modo illud videndo, sese vident ut unum cum illo. Si enim visio non esset nisi ut alterius, conducibilius esset non videre. *Si igitur visio ad rem spectat æternam, non expedit visionem illic esse; vel ita esse, ut idem cum eo quod videtur, existat. Id autem est velut conscientia quædam, suique consensus, caventis ne fortè si magis persentire velit, à seipso discedat, &c. Igitur in mundo divino quando maximè scimus secundùm mentem, ignorare videmur.*

III. Visum est 10. beatas mentes animasque in Verbo omnia videre, tam intelligibilia, quàm sensibilia, tam summa, quàm ima. 1. Fiunt enim unum cum ipso Verbo quod omnia est; nec aliter illi assimilantur aut adunantur, quàm videndo; cùm ergo unum fiunt cum eo quod est omnia, fiunt & ipsæ omnia, videntque omnia. 2. Ipsæ sunt omnia suo quodam speciali modo, propriæque naturæ privilegio, ut sæpiùs jam inculcavimus; ergo seipsas saltem penitissimè introspiciendo, vident omnia. 3. In collegium & societatem animæ mundanæ adsciscuntur ad universum administrandum; administrare autem non possunt, nisi universa & singula videant, videantque simul exemplaria omnium in administrandis omnibus imitanda. Plotinus: *In intellectum ergo profecta, cum eo contemperatur, & contemperata anima mox unitur; ex hoc tamen minimè dissoluta, sed unum ambo sunt atque duo. Sic itaque se habens, minimè permutabitur; sed ad intelligentiam immutabiliter se intendet, simul habens suimet conscientiam sive consensum; utpote quæ unum jam simulque idem cum mundo intelligibili sit effecta.* Et alibi: *Ad mundi hujus principium & exemplar, mundumque veriorem prorsus ascendat, ibique intelligibilia cuncta conspiciat, ac penes ipsum sempiterna, &c.* Et rursum: *Dii tum unusquisque seorsum, tum omnes simul conspiciunt; conspiciunt & animæ quæ illic omnia vident, ex omnibusque tales evadunt, ut ipsæ quoque cuncta à principio usque ad finem contineant.* Ubi perspicuum facit animas omnia videre, quia unum fiunt cum ipso mundo intelligibili in quo sunt omnia; & præterquam quod omnia jam suo proprio modo ipsæ sunt, dilatatur ulteriùs eorum sinus, ut omnia penitus capiant.

Ennead. 4. L. 4. c. 2.

Ennead. 5. L. 1. c. 4.

Ibidem. L. 8. c. 10.

IV. Visum est 11. beatas mentes animasque omnia simul videre, sine discursu ab aliis ad alia, sine præteritorum memoria, sine futurorum expectatione, omnia simul, & oculis coram obversantia intueri. 1. Omnia enim vident, ergo simul omnia; nam si ab aliis in alia excurrerent, nunquam omnia perlustrassent; sed plurima illis efflueret suæ beatitudinis ætas, antequam à primis exorsæ, ad extrema usque evasissent. 2. In illis infima omnia in superiora rapiuntur & absorbentur; corpus in animam, anima in rationem, ratio in intellectum, intellectus in veritatem immergitur & quodammodo devoratur; ergo cùm ratio in intelligentiam abrepta sit, jam nec ipsa discurrit, sed intelligit. 3. Discursus rationis non aliunde exoritur, quàm ex angustiis & debilitatione intelligentiæ; vis enim totam non capiens veritatis amplitudinem, carptim illam & membratim degustat persultatque; & ignorantiam suam multa consultatione, aliorumque ex aliis elucescentium perscrutatione propulsare molitur. At ubi mentis ampliati sunt sinus, viresque amplificatæ, non minutatim, sed totam complectitur veritatem, nec consultat unquam, quia nec ignorat. 4. Ubi omnia simul præsentia sunt, quid opus est meminisse, aut expectare, aut argumentari ex his ad illa? ex his quæ patent, ea quæ latent expromit ratiocinatio; ubi omnia patent, & nulla latent, nullus ergo superest illi locus. Denique rationis munus speciale est, ex æternorum contemplatione & imitatione temporalia gubernare; ex illorum veritate certissima & manifestissima, horum verisimilitudinem elucidare; suoque singula loco ex æternæ legis ordine collocare. In ipso ergo contuitu veritatis præsentissimæ toti ratiocinationi otium indicendum est. Plotinus: *Anima igitur ad divinum mundum profecta, quidnam aget, &c. Si quemadmodum apparet, intelligentia omnis est temporis expers; quippè quum quæ ibi sunt, non versentur in tempore, sed in æternitate consistant: impossibile est illic esse memoriam, non solum nostrarum rerum, sed etiam quarumlibet aliarum. Est enim unumquodque præsens, quoniam neque discursus, neque ab alio, neque in aliud transiens permutatio.* Discursum ergo & memoriam eliminat intelligentia, ejusque comes æternitas; ubi enim omnia simul præsentia intelligis & intueris, quorsum attineret, ad ea tanquam longè posita discurrere, vel tanquam præterita recordari? Et alibi idem Plotinus: *Posthac quærendum, utrum anima discursu rationis utatur, antequam descendat in corpus, & post discessum. Forsan verò discursio naturalis contingit, dum corpus habitat; quippè cùm in ambiguitate posita sit, curisque sollicita & quasi jam enervata. Discursu namque rationis egere, ad vitæ veritatisque sufficientiam, ex quodam mentis detrimento contingit; quemadmodum & consultatio rationis in artibus accidit, quando artifices ambigunt, tanquam à perfecto deficientes: at ubi nihil difficultatis defectusque opponitur, statim ars superat atque agit.* Ubi indigitat verum fontem totius ratiocinationis, nempè hæsitationem, ignorantiam, mentisque detrimentum; unde in artium opificiis non deliberant aut consultant, nisi tyrones ex ignoratione plurima subinde lapsabundi; at artium peritiores uno impetu citra consultationem, plerumque citra ferè advertentiam, omne opus effundunt. Sed quia objectare quis poterat, cur ergo animæ rationales dicantur; respondet Plotinus, rationales nihilo seciùs dici, vel quod ubi opus erit, ratiocinari semper idoneæ sunt, vel quia nobiliori jam methodo discurrunt; non alternatim ab intellectu principia legesque mendicando, quibus infima dispensent; sed jugi adsplendescentia intellectus radiante. *Verum si animæ illic absque ratiocinatione vivunt, quomodo rationales dicentur? respondebit fortasse aliquis ob id rationales dici, quoniam possunt, si quando expediat, ritè considerare, &c. Si quis ratiocinationem accipiat, tanquam dispositionem actionemque stabilem, semper ab intellectu manantem, in animabusque existentem, & quasi quandam inde coruscationem, sic utique illic animæ discursu quodam rationis utentur.*

Ennead. 4. L. 4. c. 1.

Vide Enn. 6. L. 7. c. 15.

Enn. 4. L. 3. c. 18.

V. Visum est 12. nec æquales nec pares esse contemplationis gradus in omnibus. Non æquales, quia quò purgatior erit mentis oculus, eò altiùs se immerget & inebriabit beata illa luce. Nec pares, quia etsi omnes omnia divina contuebuntur entis unius & simplicissimi decora & ornamenta, aliæ tamen in alia se specialiùs & enixiùs intendent; aliæ verbi gratia majore nisu rapientur in pulchri, aliæ in justi, aliæ in veri contuitum. Plotinus: *Divinus ille mundus desuper illis effulget, ex occulto quodam & ab excelsis illis exoriens, illustrat omnia numina, implens singula lumine, tum verò ad se inferiores animos excitat, qui deinceps convertuntur ad ipsum, cernere non valentes, ceu Solem. Sed alii quidem perspiciunt, erecti ab ipso, ejusque intuitum facilè perferentes; alii turbantur, quotcumque longiùs ab ipsius natura distant. Quum verò quicumque possunt, singuli videant, omnes quidem ipsum & quod ipsius est suspiciunt; neque*

Enn. 5. L. 8. c. 10.

que tamen specimen semper idem unusquisque reportat. Sed dum attentè conspiciunt, alius quidem splendentem cernit ipsius justi fontem atque naturam; alius autem abundè temperantiam intuetur, &c. Omnes ergo omnia contuebuntur, sed alij aliis acutiùs omnia, & iidem allia acutiùs quàm alia, prout fortassis præparatus jam animus, aliisque virtutum divinarum radiis antea illustratus & insuefactus fuerat.

VI. Visum est 13. sese mutuò visuras mentes animasque, suaque invicem omnia inspecturas citra ullum linguæ aut vocis usum, solo nimirum contuitu, uti etiamnunc ubi ingenua mens faciesque renidet, omnia cordis arcana explicat, suoque silentio satis facundè eloquitur. Plotinus: *Quando corpora in cœlis habent, non utuntur illic sermonibus, qualibus apud nos ob indigentiam vel ambiguitatem uti consueverunt, & cùm certo ordine, secundùmque naturam singula illic agant, meritò nec imperant nec consultant. Cognoscunt verò mutuò inter se sua, per reciprocam conscientiæ notionem, quando & hic multa etiam in tacentibus solo intuitu perspicimus. Ibi verò omne corpus est pulchrum, & quilibet habitantium totus est velut oculus. Nihil ibi est occultum, nihil fictum; sed priusquam alteri quidquam dixeris, intelligit alter.* Innuit quasi consectaneum hoc elici ex eo quod beatæ illæ animæ non discurrant amplius, ut nec vocibus loquantur amplius. Affinis enim est rationi vox, utraque ab aliis ad alia serpit, & temporis mora peragitur, & consentaneum est, ne sine mora significetur, quod non sine mora cogitatur. At ubi totum incunctanter & simul intelligitur, nutu potiùs quàm voce id eloqui decet, uti totum simul æquè innuatur. Cùmque corpus beatæ animæ in lucem & oculum quodammodo abierit totum, ut oculi loquacissimi sunt, ita illa toto corpore munus linguæ peragit.

Ennead. 4. L. 3. c. 18.

VII. Visum est 14. in contemplatione & contuitu intelligibilis veritatis, oculo corporeo locum nullum penitus esse. 1. Sensus enim corporei opinioni tantùm, non scientiæ, non intelligentiæ gignendæ comparati sunt; superflua ergo penitùs est eorum opera ubi intelligentiæ acies desideratur. 2. Etiamnunc ad qualemcumque veritatis densa sub caligine interlucentis conspectum, non tantum otiosa, sed exitiosa quadantenus est oculi corporei acies, ab eaque abducendus est animus, ut intelligibilia tantùm sub rapido coruscamine emicantia intervideat; quòque obtusiùs oculo, eò acutiùs mente ut plurimum videmus. 3. In illa summa pace, & lege sempiterna, & ordine inexpugnabili beatitatis, non ita rerum paci, legi naturæ ordinique insultabitur, ut sensus imaginibus contemplandis ministrandisque nati ad ipsa exemplaria temerario nisu profananda admittantur. 4. Summa veritas, vix cum corpore, nedum per corpus conspici potest. Parco pluribus, nec loca intexo, quòd res expedita satis superque sit, nec his Philosophis ea de re vel saltem dubitare in mentem venerit.

CAPUT V.

De contactu magis quàm contuitu summi boni & unius, beatis mentibus & animabus competente ultra contuitum Verbi, Philosophorum placita expromuntur.

I. Ex eisdem Philosophis, post Verbi contuitum beatum superest fruitio ejus parentis, ipsius unius & summi boni. Multa ad id congeruntur argumenta.

II. Quibus accedunt testimonia Plotini.

III. Nova rursus ex Plotino suffragia.

IV. Ipsum unum, nec videri, nec intelligi à quoquam posse existimarunt. Idque multis rationibus astruxerunt.

V. Quibus accedit suffragatio Platonis, & Plotini.

VI. Et Procli.

VII. Existimarunt tamen frui beatas mentes ipso uno & summo bono multis aliis modis. Primum innato quodam conscientiæ præsagio.

VIII. Tactu quodam arcano & intestino.

IX. Præsentia ejus intima menti; quod multis elucidat & confirmat Plotinus.

X. Informitate, seu abdicatione formarum omnium.

XI. Fide quadam omnem intelligentiam superante, quæ summo & incomprehensibili bono præcipuè dicanda est; quia ideo multis hic rationibus elucidatur, & Procli testimonio munitur.

XII. Amatoria quiete, & quasi virgineo connubio; cui illustrando egregia multa Plotinus accumulavit.

XIII. Mentis uno, ejusque unione cum ipso summo uno.

XIV. Circam quam summi Dei per ipsum mentis unum fruitionem, multa hic observantur.

XV. Jam hinc dum mortalis vitæ usura fruimur, gaudemus & aliquali fruitione ipsius unius, & summi boni.

XVI. Utcumque videtur summum bonum, suo tantùm lumine videtur.

XVII. Summum principium, ut incomprehensibile, ita & ineffabile est; ideo senserunt negari de eo debere omnia, ipsas quoque negationes negandas esse.

XVIII. Ideo si nec fari licet, ne ineffabilis quidem dici debet. Ad silentium ergo confugiendum est.

XIX. De illo ergo dicimus, magis quàm illum. Designamus magis Deum, quàm explicamus.

XX. Ita omnia tantò Deo digniora, quantò ignotiora nobis.

I. Visum est iisdem Philosophis 1. Ultra primi entis, mentisque, summæ pulcritudinis, & veritatis intuitum & complexum, superesse adhuc ejus Parentis, seu ipsius unius & summi boni contactum & fruitionem, in qua ut in ultima fœlicitatis tandem meta mens quælibet beata conquiescat. 1. Cùm enim ultra ens ipsum sit ipsum unum quo entium omnium copia colligatur, cùm ultra primam mentem sit summum bonum, ad quod prima mens motu intellectuali tendit, cùm ultra veritatem sit Sol qui veritatis ipsam lucem effundit, cùm ultra summam pulcritudinem sit ipsius genitor & author pulcritudinis; ultra beatitatem quæ ex intelligentia veritatis hauritur, superest ulterior exambienda beatitas, nec nisi complexu & fruitione ipsius unius & summi boni exaturanda fames. 2. Ipsius unius est omnia ex se effundere, summi boni est omnia ad se revocare; donec ergo mens quælibet ad eum ipsum fontem à quo exierat redierit, nec beabitur, nec quiescet. 3. Ut per Verbum à summo Parente manavit anima mensque quælibet, ita per idem Verbum ad eundem summum usque Parentem reducenda est. 4. Quantacumque demum ingurgitetur fœlicitas ex contemplatione veritatis, propria tamen & singularis scaturigo germanæ & cumulatissimæ fœlicitatis est summum bonum; inde sugenda, inde pleno ore ebibenda est. 5. Fœlicitas omnis absolutissima motum omnem sedat, & in quiete imperturbabili deinceps sistit; motus enim omnis inquietam anxiamque præfert naturam, & inopiam ejus rei ad quam anhelat: ergo cùm intelligentia motio quædam sit, nisusque & progressio mentis ad aliud, non in ea collocari potest quies illa beatissima & nullius deinceps avida, aut egena. 6. Reliqua omnia, & ipsa mens non appetuntur, nisi ob splendorem aliquem boni sibi superfusum, haud dubiè à summo bono. Unde tritum illud emanavit, Nihil appeti nisi qua

bonum. Ergo ultra & post omnia alia, primamque adeo ipsam mentem, multò concitatiùs appetetur ipsum bonum. 7. Prima pulcritudo primaque veritas, prima forma est & formarum forma est; omnis autem forma ad informe aliquod, sed formæ supereminens principium revocanda est. Forma enim & formositas materialium, afflatur & diffunditur ab anima, animarum à mente, mentium à veritate; sic ut superius careat semper forma inferioris; ergo sistendum est in aliquo tandem supremo principio informi, sed formosissimo; nec pulcro, sed superpulcro.

Ennead. 6. L. 7. c. 35. II. Plotinus: *Adeò verò tunc ad votum affectus est animus, ut intelligentiam quoque nihil pendat; quodve priùs eam admiratus fuerit, jam minimè probet; quippè cum intelligentiam esse motionem quandam planè cognoscat, ipse verò moveri non optet, &c. Positus in intelligibili, & circa ipsum se habens, ipsum intelligibile intelligit; postquam verò Deum illum vidit, omnia prorsus omittit; perinde ac si quis domum ingressus variè exornatam, singula intus ornamenta consideret; & priusquam dominum ejus viderit, admiretur. At postquam inspexerit dominum, pulchritudinem imaginum illarum admodum superantem; utpotè qui non velut imago quædam pulchra, sed revera pulcher occurrat; ideoque supra modum hunc admiretur, illisque dimissis, solum in posterum contempletur, &c.* Ubi post contuitum veritatis, omniumque in ea exemplarium, superesse traditur Deus anterior aliquis longè pulcrior, & in quo mens tandem conquiescat, ideoque moveri, id est, intelligere desinat.

Ennead. 1. L. 6. c. 9. Et alibi: *Oportet eum qui visurus est, ei quod videndum est, cognatum similemque prius efficere, quàm ad spectandum adhibeatur. Neque verò oculus unquam videret Solem, nisi factus solaris esset; neque rursus animus, nisi factus sit pulcher, ipsam pulcritudinem intuebitur. Efficiatur ergo deiformis & pulcher, quisquis Deum & pulchritudinem inspecturus est. Sic enim primùm ascendet in mentem, ibique pulchras omnes species contemplabitur, atque affirmabit pulchritudinem illam ideas esse. Quod autem his superius est, dicimus ipsius boni naturam, pulchrum ante se præmittentem, &c. Si intelligibilia ipsa distinxeris, pulchritudinem quidem intelligibilem esse dices habitaculum idearum; ipsum verò bonum quod superius est, fontem principiumque pulchri.* Vides ut inquieta mens bonum ipsa pulchritudine superius, pulchrique primi parentem complecti exardescat, nec priùs quiescat. Alio argumento

Ennead. 6. L. 7. c. 22. idem conficit Plotinus: *Existit qualibet res hoc ipsum quod est in seipsa; evadit autem optabilis, cum eam bonum ipsum quasi colorat; cùm videlicet rebus quidem expetendis gratias abundè largitur, appetentibus verò infundit amores. Jam verò animus cùm influxum inde susceperit, movetur, debacchatur, stimulis incitatur, atque ita in hunc influit amor. Antea verò neque ad mentem quidem movetur, quamvis pulchram; ipsius enim pulchritudo torpet, priusquam boni lumen acceperit; ipseque animus ex se recidit resupinus, & ad omnia torpet, menteque præsente, ad eam dormitare videtur. Postquam vero inde accensus est calor, corroboratur protinus, excitaturque alisque fulcitur. At dum ad id quod proximum est, vehementer afficitur, ad aliud interim quasi reminiscentia quadam excellentius elevatur. Et quousque aliquid restat, præsente superius natura, sursum attollitur, ab eo sublatus, qui infundit amorem; & intellectum quidem transcendit, nequit autem supergredi bonum, quoniam nihil bono superius esse potest.* Quæcumque, ait ille, appetuntur; & arrident, non tam sua venustate, quam boni ipsius lumine superfusa arrident & appetuntur; ergo appetitus iste quiescet nunquam, nisi cùm ad amplexus ipsius boni contigerit, utpotè ideo summè expetendi, quòd alia non aliter expetantur, quàm quia ab eo colorantur. Et ipsa summa mens, nisi quatenus bona, bonique primo fulgore coruscans, non placet; ultra eam ergo bonum ipsum expetitur. Et infrà: *Age dic anima, ubinam ille sit, qui tam ingentem pulchritudinem procreavit, qui tam excellentem progenuit vitam, qui primam fecit essentiam? Cernis o anima ipsam in omnibus & variis speciebus pulchritudinem coruscantem? Pulchrum quidem est ibi consistere: sed operæ pretium est animum in pulchro jam existentem, undenam hæc sint & unde pulchra fiant, investigare. Oportet sanè ipsum pulchrorum omnium authorem, eorum nullum penitus esse; alioqui si quid eorum sit, pars tantùm quædam erit; igitur neque forma quædam talis est, neque potentia quædam. Neque rursus est cunctæ quæ ibi fiunt existuntque formæ, atque potentiæ; sed oportet super omnes extare potentias atque formas. Est ergo principium ipsum specie carens; non ita ut indigeat forma, sed potiùs à quo omnis forma intellectualis exoritur, &c. Est ipsa super pulchritudinem pulchritudo, &c. Est pulchritudinis universæ potestas ac flos ipse, pulchram efficiens pulchritudinem; ipsam namque generat, & genitam suæ pulchritudinis abundantia efficit pulchriorem; quamobrem pulchritudinis principium est & finis.* Ibid. c. 32. Anima igitur in ipso summæ pulchritudinis sinu inexaturata perstat, & pulchrius aliquid esurit, ipsius nempè parentem pulchritudinis superpulchrum. Cùm enim prima forma & prima pulchritudo, omnimoda forma & omnigena pulchritudo sit, ideoque explicatissima & quodammodo multiplex sit, supra illam eminet simplicitas unitasque summi boni superpulchra, & formosissimè informis.

III. Denique ibidem: *Quodammodo diminuta deprehendes, etiamsi cuncta simul quæ in mundo intelligibili sunt, comprehenderis. Nempè si unumquodque singulatim illic acceperis, formam unam intelligibilem habere videbis; si cuncta simul, velut formam quandam varietate discretam. Jam verò si huc usque processeris, considerare te ulterius oportebit, quale potissimum illud excogitandum sit, quod sane hoc ipso superius est undique pulchro, & omniformi varietate distincto, ipsum tamen nulla varietate discretum, quod animus quidem appetit, neque tamen cur tale quiddam appetat, unquam exprimit.* Ibid. c. 33. In ente primo, primaque mente ex hac sententia Plotini, omnia sunt, omniumque exemplaria & pulchritudines; sed cum explicatione & varietate & multiplicitate omniformi; ideæ si seorsim singulæ spectentur, singulæ & finitæ sunt: si universæ, multiplices sunt. Superiùs ergo appetendum fruendumque restat ipsum unum, quod omnia quidem est, sed simplicissimè, unitissimèque. Postremò tandem ibidem alio idem philosophatur modo: *Forma rei cujusdam informis, ut ita loquar, vestigium est; quæ quidem gignit formam, interim ipsa non forma, &c. Quamobrem si amabile nobis est, non quidem materia, sed quod specie formatum est; species autem in materia fit ab anima; anima verò magis species est magisque amanda; item intellectus magis est species & amabilior quàm anima: proculdubio primam ipsam pulchri naturam oportet informem constituere.* Omnis forma progignitur ab aliquo superiore ejus formæ experte, tametsi aliunde formato, & formoso; sic forma omnis in materia infunditur ab anima, formæ quidem illius experte, sed formosiore tamen, & per intellectum desuper formata; qui rursus intellectus animam format, formatur autem & venustatur ipse supernè à prima veritate & pulcritudine. Ergo ut alicubi tandem sistatur, ipsa veritas & pulcritudo prima, cùm forma formarum sit, ab aliquo superiore summoque principio pulcrescit, & formatur, sed eo informi; ne si forma & ipsi sua sit, hanc ab ulteriore aliquo fonte derivet.

IV. Visum est 2. primum principium, ipsum unum & summum bonum nec videri à quoquam nec intelligi posse. 1. Cùm sit enim supra entis mentisque naturam, supra veritatem & pulcritudinem,

nem, metas omnes intellectionis & intelligibilitatis transgreditur. Non intelligitur enim nisi ens & verum quatenus est & verum est; quacumque ergo intellectione & visione superior est, qui ente & veritate major est. 2. In vestibulo summi boni quasi sedet prima mens veritasque, & per hanc beatæ mentes animæque ad summi boni sacrarium perducuntur; omnis ergo earum intelligendi videndique vis absumitur priùs & exhauritur in primæ mentis & veritatis contemplatione. Quantacumque enim tandem sit amplitudo mentis, primo intelligibili seu summæ veritati haudquaquam par est; non ergo illi sufficit, nedum præterea summo bono contemplando vires sufficiant. 3. Summi principii est, & veritatem rebus intelligendis afflare, & intellectionem intellecturis; amplius enim & magnificentius est ea largiri, quàm ea ipsum habere; ergo summum principium nec intelligit nec intelligitur, sed fundit ex se & veritatem omnem quæ intelligatur & lucem omnem quæ intelligat. 4. Motus omnis & à primo principio exoritur, & in eodem sedatur; ergo & intellectio quæ utique motio quædam est, conquiescet in illo & silebit, suoque magis silentio & cessatione, quàm actione illo perfruetur mens. 5. Et hìc dum mortale hoc ævum corpusque agitamus, enti mentique, vero pulchroque quadam intellectionis luce & saltem coruscatione accedimus; at bonum ante omnem mentis cognitionem appetimus, & auguramur ac præsagimus magis quàm cognoscimus. Ergo & in illo immortali ævo bonum ipsum contingitur non intellectione, non visione, sed magis arcano quodam sensu mentisque contactu. 6. Ut natura intelligibilis capiatur, & forma omnis corporea, & facultas omnis sensibilis exulare jubenda est. Ergo ut intelligibilem naturam transcendens apex & causa omnium capiatur, & forma intelligibilis quæcumque facessere, & cognitio omnis intellectualis conticescere cogenda est, & his simplicius quidpiam anteriusque adsumendum, quo primitas & simplicitas ipsa contingatur. 7. Etsi unum & bonum ipsum supra mentem constituatur, ut nec mens ipsum sit, nec mente intelligatur; quia tamen natura unius & boni utcumque intellectui obvia & patula est, hinc primo principio hoc etiam detrahitur; & nec unum, nec bonum excogitari debet, quasi aliquid de eo intelligatur, aut affirmetur: sed vel per modum principii unum dicitur quatenus omnium entium multitudo ab eo exundat, & bonum quatenus eadem in illud redundat; vel per negationem, qua omni caret multitudine & inopia; atque ita per effectus solos vel negationes innotescat.

V. Plato in Parmenide: *Non ergo nomen illi est, non sermo, non scientia quadam, non sensus,*
Supposit. 1. *non opinio. Non videtur. Quapropter nec nominatur, nec dicitur, nec opinione cogitatur, nec cognoscitur, neque ab aliquo ex iis quæ sunt, sentitur.* Ita ille de uno disserit quod supra ipsum esse locaverat; sentiri enim, cognosci, sciri, nominari
De Republ. L. 6. p. 479. propria sunt entis. Et alibi: *Illud igitur quod veritatem illis quæ intelliguntur præbet, & intelligenti vim ad intelligendum porrigit, boni ideam esse dicito, scientiæ & veritatis intelligibilis causam. Cùm verò adeo pulchra hæc sint, cognitio & veritas, si bonum ipsum aliud quam ista & pulchrius æstimabis, rectè putabis. Et quemadmodum lumen ac visum, speciem Solis quandam habere, existimare decet: Solem verò ipsum esse nequaquam; ita cognitionem & veritatem boniformia esse, ipsum verò bonum minimè. Augustior est boni ipsius majestas.* Subiicit exemplum Solis, qui visibilibus, videntibusque esse lumenque cùm impertiat, nihil horum ipse est; nec oculus enim est quo videmus, nec luminis illa temperies qua videmus: ita ipsum bonum & veritatem qua intelligibilia intelliguntur, & lumen quo intellectualia intelligunt, largitur, cùm ipsum nec veritas sit nec lumen, & nec intelligatur nec intelligat. Augustius enim est supra hæc esse, quàm hæc esse; & hæc procreare extra se, quàm in se continere. Plotinus: *Quemadmodum cognoscere naturam intelligibilem cupiens, tunc demum cognoscet, quod est super sensibile genus, quando nullam prorsus rei sensibilis tenebit imaginem; sic etiam qui naturam natura intelligibili superiorem contemplari desiderat, si modò intelligibile omne dimiserit, contemplabitur, per hoc discens illam existere; qualis verò sit, omnino dimittens.* Tam intempestivum ergo est summum bonum intellectu velle conspicere, quàm summum intelligibile vel intelligibilia quælibet sensu corporeo. Fixæ sunt utrique metæ quas transilire non datur, & nec oculo extra sensibilia, nec menti ultra intelligibilia spatiari fas est; ut hæc autem super illa eminent, ita supra hæc ipsum unum bonumque supereminet. Pergit ibidem Plotinus: *Nos nostris quasi quibusdam parturientis angustiis laborantes, quid potissimum dicere deceat ignoramus; & de illo quod dici non potest, dicimus atque nominamus, significare aliquid nobis ipsis, quoad possumus, affectantes. Forsan vero & nomen hoc quod dicitur unum, per respectum quemdam ad multa, negationem significat; quapropter Pythagorici quoque Apollinem secretiori quadam significatione inter se nominabant, ipsa scilicet negatione multorum.* De ipso ergo uno, ne hoc quidem intelligitur quòd sit unum; & hoc enim non nominatur nisi per negationem.

(Ennead. 5. L. 5. c. 6.)

VI. Proclus ipsum unum si intelligi nequeat, utcumque tamen innotescere disputat, idque bifariam, per analogiam & negationes. Causa enim ita declarari postulat, comparatione ad suos effectus, & negatione omnium quæ suis in effectibus comperiuntur. *Si omninò neque intelligitur, neque intelligit, neque entis ipsius facultatem participat, contemplandum, quinam sint modi reductionis ad ipsum, & per quas animi notiones Plato illam arcanam & ignotam ipsius primi excellentiam pro viribus declaret. Dico igitur quod modò quidem per proportionem & similitudinem secundorum entium ipsum unum indicat, modò verò per negationes, &c. Propterea enim exemplum est ex omnibus quæ ab ipso produntur, quia ubique ipsa causa collocata est supra sua effecta, & ideo nihil est omnium is ex quo omnia prodierunt.* Et paulò infrà: *Vim ad se convertendi omnia habet ipsum bonum, vim procreandi & sustentandi omnia habet ipsum unum. Neque ideo putes id quod ineffabile est, nominari; & id quod unionis omnis causa est, duplicari; nam hæc etiam omnia ad ipsum transferimus, ad ea spectantes quæ sunt post ipsum, nempè ad emanationes ab ipso, vel ad ipsum in orbem reversiones. Quoniam enim ab ipso prodit multitudo, unius appellationem ei tribuimus; & quoniam ad ipsum omnia vel obscurissimæ revertuntur, ipsum appellamus bonum.* Persuasum igitur his Philosophis fuit, nec intelligi, nec dici posse Deum summum, nisi ex contemplatione eorum quæ ab ipso emanant; idque trifariam, vel per anologiam, vel per emanationem, vel per negationem. Per analogiam, ut cùm Plato ait ipsum bonum ita se habere ad veritatem & mentem sicut Sol ad lumen & oculum. Per emanationem, ut cùm causa prima & principium omnium definitur. Per negationem, ut cùm ea omnia de summa causa negantur, quæ effectis ejus competunt. Jam verò ipsum unius & boni nomen arbitrati sunt utroque posteriore modo adscribi Deo, vel negatione multitudinis & inopiæ, vel ob effluxum omnium ab ipso quasi uno, & refluxum omnium ad ipsum quasi bonum. Quocirca nec nomen, nec cogitatio, nec intellectio Dei summi ulla speranda est, quæ quid ipse sit, apertè denudet. Idem Proclus: *Et primus quidem Deus vel ipsa Patris appellatione quemadmodum & aliis nominibus est longè superior. Neque bonum, neque unum propriè dicitur, propter ineffabilem & ignotam sui excellen-*

(Theol. Plato. L. 2. c. 4.) (L. 2. c. 12.)

cellentiam. Et alibi: *Celebremus ipsum, &c. Quod Deus sit Deorum universorum, & unitas unitatum, & supra prima impossibilia, & omni silentio taciturnius, & omni essentia ignotius, sanctus in sanctis, & intelligibilibus Diis occultatus*. Non ergo huic tantùm mortali vitæ quam agimus, sed omni planè vitæ & intellectui denegatam esse voluerunt intellectionem ejus qui supra omnem intelligentiam eminentissimè regnat, omni silentio taciturnior, & omni essentia sublimior & ignotior. (L. 2. c. 11.)

VII. Visum est 3. frui tamen animas & mentes beatas ipso uno summoque bono, sin minùs per intellectum, aliis tamen & compluribus, & miris, & ineffabilibus modis. 1. quidem vaticinio quodam, & quasi conscientiæ innato præsagio; quo mens exterioribus & inferioribus omnibus, tanquam inquinamentis quibusdam expurgata, & sola sibi reddita, naturæ suæ ingenium & præstantiam totam obtinens, naturaliter ominatur sentitque summum aliquid, & inenarrabile, & inexcogitabile principium, illoque quasi afflata & concitata, ut olim solebant correptæ divinitus vates, bacchatur & furit, & saluberrimè insanit, & voluptuosissimè torquetur, intelligens se intelligere non posse, sentiensque se ferre non posse tonitru magnitudinis intolerabilis. Plotinus: *Quo igitur modo de illo nos dicimus? Certè de illo quidem aliquid dicimus, ipsum verò dicere minimè possumus; neque cognitionem, neque intelligentiam illius habemus. Sed quonam pacto de illo loquimur, si non habemus illud? Quia etsi non habemus illud cognitione, non propterea nullo modo habemus, &c. Quemadmodum hi qui divinitus afflantur atque rapiuntur, animadvertunt quidem se grandius aliquid in se habere: quamvis quid illud sit, minimè noverint; ex quibus autem concitati sunt, etiam loquuntur, atque ex his sensum quendam moventis accipiunt, cùm ipsi ab eo diversi sint qui concitavit. Sic & ipsi ad illud nos habere videmur, quo quoties mentem puram adepti sumus, qua freti vaticinamur: hunc quidem esse intimum intellectum, qui author est essentiæ, aliorumve generis, ordinisve ejusdem; illum verò non esse hæc prorsus agnoscimus, sed præstantius quiddam eo quod ens appellamus; & amplius majusque eo quod nominamus ens. Quoniam superior ille præstantior est sermone, ratione, mente, sensu, hæc quidem præbens, non tamen hæc existens*. Ita ille mentes Deo afflatas insessasque, sentire illius intolerabilem magnitudinem perhibet, & quasi sobrio quodam furore exagitari & exultare. (Ennead. 5. l. 3. c. 14.)

VIII. 2. Tactu quodam arcano & intestino, quo præsentissimum & intimis medullis animæ incubantem Deum contrectamus; sed hujus contactus incorporei, imò divini, occultissima disciplina est, & experiendo magis quàm disserendo comprobanda. Mens enim ut nullo intermedio manat à summo principe Deo, ejusque manu, ut ita dicam opifice, contingitur, & tractatur, & formatur; ita & ipsa, quoniam contactus necessariò reciprocus est, sentit illum & tangit, si modò nullo rerum exteriorum & inferiorum amoris visco inhærentium quasi cortice obvolvatur. Plotinus idem: *Est enim ipsius boni sive cognitio sive tactus aliquid proculdubio maximum, cujus disciplinam Plato maximam appellavit; non appellans quidem disciplinam ibi boni ipsius intuitum, sed notitiam quandam hoc intuitu anteriorem*. (Ennead. 6. L. 9 c. 4.)

IX. 3. Præsentia Dei intima in mente; si modò enim non extra seipsam per insani & sensibilis amoris intemperias efferatur anima, tam præsentem sibi Deum medullitus quàm sibi seipsam sentiet, & eodem penè modo sentiet; non sensu, non intellectu, quibus absentia etiam attinguntur; sed intimiore quodam genere, videlicet præsentia & conscientia scientiam antecedente, ut planè seipsam ante sensum sentit, & ante intellectum intelligit. Plotinus: *Accidit nobis dubitatio circa cognoscendum Deum, præcipuè quoniam neque per scientiam, neque per intelligentiam ullam eum cognoscimus, sicut alia solemus quæ intelligibilia nuncupamus, sed per præsentiam quandam scientia meliorem. Anima verò procul evadit ab uno, neque est penitus unum, quando scientiam alicujus assumit. Scientia enim ratio quædam est; ratio verò, multa*. Sic ille scientiæ & intelligentiæ cuicumque hanc inolescere maculam declarat, quòd multiplex sit, non simplex, objectoque suo simplicitatem æquè detrahat; ideoque primum principium ut simplicissimum sit, non scientia, non intelligentia, sed simpliciore quodam modo attingi debere. Ut autem Deus sit præsens animæ, opus esse tantùm ut anima sibi sit præsens, seu ut ab extimis se recolligat, suumque in penetrale se totam colligat; tunc enim semper præsenti Deo, semper erit præsens; præsens autem non intellectuali, sed substantiali quodam, longè superiori & admirabiliori modo. Ibidem Plotinus de animo nondum purgato disserens: *Neque illuc ascendit solus, sed trahit interea secum quod disjungat ab illo, vel potiùs nondum est omninò redactus in unum. Deus enim à nullo usquam abest, & quodammodo adesse videtur ab omnibus, adeo ut præsens ubique sit, iterumque non præsens. Nam iis dumtaxat est præsens qui capere possunt, atque ita parati sunt, ut in illo congruere ac velut ipsum attingere valeant, per similitudinem videlicet quandam insitamque potentiam, muneri inde tributo cognatam; quando scilicet animus omnino sic est affectus, sicut erat cum inde processit; ideoque videre jam potest, sicut ipse Deus est natura videndus*. Fruendus igitur Deus est per præsentiam maximè intimam, sicut anima seipsa fruitur, etiam tum cùm se non cogitat; estque Deus semper præsens, sed abest ab illo anima, dum per simulacra meretricia libidine peregrinatur. Ut autem præsens fiat anima Deo, & eo præsente fruatur, non magno præsidio aut apparatu opus est; imò alia omnia amoliri necesse est, omnibus sese nudare, nudamque qualis à parente suo summo primùm effluxit, illi se reddere & repræsentare. Ex quo minùs mirum fit, si conditæ primùm animæ Deo statim fruebantur, cùm nunc ut ad eandem fruitionem redintegrentur, hoc unum eluctari debeant, ut detersis omnibus quæ ex infimorum affrictu inoleverant, nudæ solæque se sistant, quales à solo solæ effusæ sunt. *Deum extra nullum esse, sed inesse omnibus minimè cognoscentibus. Ipsi namque fugiunt extra Deum; imò verò extra seipsos. Meritò ergo quem fugiunt, apprehendere nequeunt; & qui seipsos jam perdiderunt, alium indagare non valent. Atqui & filius furore quodam extra se positus non agnoscet patrem; qui verò seipsum didicerit, etiam unde sit jure cognoscet*. Vides quàm intimior sit nobis intimo nostro; nam etiam tum dum à nobis ipsi absumus, ille adest; & ubi nos recipimus domum, animæque recessum subimus, ibi jam expectantem nos & præsentem invenimus, & præsente fruimur. Denique idem ibidem: *Quoniam animæ intelligibiles sunt, & illud est intellectu superius; existimandum est aliis quibusdam viribus, qua videlicet ratione intelligens ad id quod intelligitur naturaliter admoveri potest, copulam ejusmodi confici; atque ita propinquius quàm intelligens adesse, similitudine & identitate, ut ita dixerim, quadam, cognatoque copulari, nullo interim sejungente. Corpora enim propter corpora conjungi aliis prohibentur, at incorporea corporum obstaculo disjungi non possunt. Non igitur loco inter se corpora distant, sed alteritate potiùs & differentia quadam. Quando igitur hæc alteritas abest, tunc quæ propterea diversa non sunt, sibi invicem adsunt. Illud sanè cùm nullam in se admittat alteritatem, semper adest. Nos autem tunc præsentes illi sumus, quando alteritatem nullam prorsus habemus*. Deus ergo à mentibus non abest, ut (Ennead. 6. L. 9. c. 4.; Enn. 6. l. 9. c. 7. 8.)

corpo-

corpora à corporibus sua & aliena mole discluduntur; nec ut naturæ intellectuales aliæ ab aliis alteritate sua distant & discrepantia naturæ & affectuum. Deus cùm nec ulla corporea mole, nec ulla alteritate constet, quippè unum ipsum simplicissimum, omnium expers, adest utique semper mentibus, suaque identitate & substantiali, ut ita dicam, immeatione iis illabitur, si modò eæ præsentes sint, & omnem alteritatem per extranea quævis inhærescentem extergant.

X. 4. Informitate seu abdicatione formarum omnium, qua fit ut ipsi uni summo summèque informi, formas nempè omnes largienti, & nullam in se habenti, assimiletur & adaptetur mens, & permisceatur, & informis ab informi quodammodo informetur. Plotinus: *Haud ulterius admiraturi sumus, quod acerrimos amoris stimulos incitat, procul ab omni forma etiam intelligibili esse semotum. Quandoquidem & anima cum ardenti illius flagrat amore, quamcumque formam habet in se deponit, etiam si qua intelligibilis ipsius in ea sit forma. Fieri namque non potest, ut qui aliud quodvis habet, vel circa aliud agit, ut videat illud, aut congruat cum illo atque copuletur; sed oportet neque boni neque mali aliud quidquam in promptu habere, ut quandoque capiat sola solum. Postquam verò id anima consecuta fuerit, &c. cernet in se Deum ipsum subitò coruscantem, nihil enim intervenit medium, neque ibi duo quædam discernentur ulterius, sed ambo jam unum.* Ut igitur Deus quia super omnes formas est, ideò informis est; ita anima informis evadat necesse est, ut super omnia sit, eique cum qui super omnia est, informi per suam informitatem ita coaptetur, ut unum cum ipso evadat. Et infrà: *Neque tunc movetur anima, quoniam neque ille movetur. Nec igitur est anima propriè, cum neque propriè vivat, quoniam nec ille propriè vivit, sed vivendi munus excedit. Sed neque etiam est intellectus, quoniam nec intelligit. Assimilari autem oportet, non illum ergo intelligit, quoniam ne intelligit quidem.* Non ergo exteriores tantùm formæ beatæ animæ exuendæ sunt, sed & suæ & innatæ, & ipsa sibi abscindenda & excutienda est; ut jam nec moveatur, nec vivat, nec anima sit, nec intellectus, nihilque horum sit, quia & Deus nihil horum est; suum itaque esse formatum abdicabit, ut esse divino & superessentiali informitate posthac induatur & potiatur. Denique ibidem quasi fluctu quodam exæstuante supra formas omnes intelligibiles, supra ipsum pulchrum evehi mentem, & in illo undoso & repentino vortice videre id quod videri non potest, ita exponit: *Animus huc usque perductus, & collocatus in pulchro, usque ad illud in quo est, intelligit hactenus; eductus autem inde quasi unda quadam intellectus ejusdem, altiùsque ab illo velut tumescente & exundante sublatus, nesciens quomodo subitò perspicit.*

Enn. 6. l. 7. c. 34. 35. 36.

XI. 5. Fide summum Numen summæ etiam mentes & in summo fœlicitatis apice sedentes, capiunt, eoque hac potissimùm ratione fruuntur. Neque enim fides illa est ejusdem generis, atque illa qua humanas res quia nescimus, saltem opinamur; nec ejusdem modi atque illa sublimior qua communes notiones quia præsumptas & in lucidissima perspicuitate fulgentes prospicimus, sine ulla ratione aut demonstratione tenemus; sed his anterior & superior & abstrusior in animis nostris, qua fidentissimè scitur quod sciri nequit, & videtur quod videri non potest, & tenetur quod comprehendi nequit. Nam 1. quidem quod summum & inexcogitabile est, sola fide teneri potest; non enim quid sit intelligi potest, cùm supra mentem sit; sed tantùm quòd sit credi. 2. Summum magnum & inexcogitabiliter ineffabiliterque summum esse, non intelligitur, non videtur, sed sentitur & creditur; fide autem creditur, intellectum omnem antecellente & antecedente. 3. Summo magno id honorificentiæ consentaneum est deferri, ut in ejus arcanum nemo oculos inferat, nemo audacior mentem ingerat, sed sola fides ei præstetur venerari pronior quàm rimari. 4. Summum illud magnum in silentio habitat, & silentium ipsum est, & silentio fruendum est; huic autem silentio mentis animæque fides accommodatissima est, non rimari nata, non eloqui, sed acquiescere & silere. Fides itaque adprimè accommoda est & parata & quod sit credere, incomperto quid sit; & summum ineffabile & inexcogitabile sentire magis quàm intelligere; & summum magnum venerari magis quàm rimari; & silentium ipsum arcanum arcano silentio prosequi. Proclus: *Fides est quæ ineffabiliter cum ipso bono unit Deorum dæmonumque universa genera, & animas beatas. Oportet enim bonum inquirere, non scienter aut imperfectè, sed nos ipsos contemplari in divina luce, & clausis oculis, ita demum in ignota & occulta ipsorum entium unitate collocari. Hoc enim fidei genus antiquius est ipsa cognitione, non solùm in nobis, sed etiam apud ipsos Deos, & propter hoc, &c. Oportet autem fidem divinam, uniformem & quietam esse, in ipso bonitatis portu perfectè collocatam. Neque enim quod pulchrum est, neque quod sapiens, neque ullum aliud ipsorum entium adeò fidum est & adeo firmum, & ex omni ambiguitate & divisa cognitione ac motione exemptum, ut ipsum bonum. Propter hoc enim & ipsa mens intellectuali operatione antiquiorem aliam, & antiquiorem operatione unionem amplectitur. Ipsum verò bonum semper sectatur, & venatur, & expetit, in summque finum quodammodo immittere properat.* Ubi liquet summo bono hanc unam consecrandam & consecratam esse cognoscendi & fruendi rationem, scilicet fidem; quòd solius fidei ea sit pietas, ea amplitudo, ut & summo principio colendo magis quàm videndo propior sit, & ejus infinitæ incomprehensibilitati comprehendendæ sola par sit. Quantus enim quantus est Deus credi potest, intelligi aut videri non potest. Totum ergo suo in sinu capit & gestat Deum. Pergit autem Proclus: *Unus igitur tutus est iste portus universorum entium, & omnibus entibus maximè fidum est bonum. Ideoque ipsa cum bono conjunctio & unio fides à Theologis appellatur; nec ab illis solùm, sed etiam à Platone in Legibus, &c.* Denique idem ipse alibi: *Quænam verò causa est hujus arcanæ initiationis quàm ipsa fides? non enim per intelligentiam, neque post discretionem hæc initiatio fit, sed per unicum & omni cognitione præstantius silentium, quod ipsa fides inserit, in arcana & ignota Deorum natura collocans & nostras & universales animas.* Silentium & caligo Deus summus est, eoque modo maximè fruendus, cui muneri opportuna maximè fides est.

L. 1. Theol. Plat. c. 25.

Ibid. l. 4. c. 10.

XII. 6. Amatoria quiete, & congressu copulaque quasi maritali. Anima enim tunc extraneo sordidoque omni amore emaculata, & in primævam restaurata virginitatem, Deum summum quem fide jam complectitur, amore castissimo & arctissimo constringit, nudoque nuda, soli sola copulatur. Nec ipsam enim jam, nec ipsum, carnes, aut velamina, aut ascititiæ ullæ formæ tegunt, aut discludunt, quo minùs sine intermedio ullo cohærescant. Sic anima in amantis & amati sinu conquiescens, castas fortesque bibit delicias, quas vix unquam satis exprimet, vix intelliget, nisi qui expertus libavit aut prælibavit. Plotinus: *Quoniam aliud est animus quàm Deus, & tamen est ex illo, necessariò amat illum, &c. Animus ergo in naturali habitu constitutus amat Deum, Deo commisceri desiderans, quasi pulchram virginitatem honesto affectans amore. Postquam verò in generationem lapsus, quibusdam quasi connubiis fallitur, amoremque commutans reportat pro divino caducum, tunc quasi à Patre sejuncta lascivit; sed rursus lascivias humanas exosus, & ab his se castum exhibens, ad Patrem quandoque revertitur, affectione jam beata*

Ennead. 6. L. 9. c. 9.

potitus. *Si quis autem affectionem sive passionem ejusmodi prorsus ignorat, hic cogitet, ex humanis amoribus id conjectans, quanta fœlicitas æstimetur, re ardenter amata potiri. Tametsi quæ hic à nobis amantur, mortalia sunt & noxia, & ad imagines quasdam amores ipsi feruntur, & tandem in contrarium transmutantur. Quippè cum quod sectati sumus amandum, sine nobis amatum non fuerit, neque nostrum bonum, neque quod naturaliter exoptamus. Illic autem ipsum revera viget amatum, qui cum commisceri licet, fierique participem, vereque prorsus habere, quippè cum extrinsecus carnibus non regatur. Quisquis autem id novit, cognovit planè quod loquor.* Quibus verbis multa conglomerat Plotinus. 1. Si enim extranea bona, si minuta, si infima, si nec verè bona, sed umbratilia & boni fuco tantùm adpicta, tanta voluptate insanos amatores perfundunt, & tantùm non beant; quid bonum intimum & naturale, in quod naturæ totus æstus incumbit, totus impetus præceps ruit; quid bonum summum & omne bonum; quid bonum supremum, inferioresque naturas oblectare & beare natum; quid verum bonum & ipsummet bonum, quanto sui amore fœlices animos absorbebit, quantis deliciis exundabit? 2. Si noxia plerumque, si semper fugacia, si summo tenus cortice lambenda bona, quod boni coloribus tantùm illita & adumbrata sint, non medullis impressa, voluptatis tantum & fœlicitatis affundunt; quid bonum semper bonum, & permanens, & perpetuum. & perpetuans, & in altissimum sui penetralis aditum intromittens, & medullitus oblectans? 3. Hoc insinuat rerum ipsa natura, naturæque summus parens, hoc conjectandum præbet; ideò imagines & simulacra boni, umbræque potiùs & fumi quàm verè bona, ideò tamen tantos excitant amoris æstus, tantumque umbratilis fœlicitatis aggenerant; ut hinc conjiciatur, quantum sui amorem, & quantam ex sui amore quàmque exuberantem fœlicitatem importaturum sit ipsum bonorum exemplar & causa, ipsumque bonum. Intempestivè enim natura ad tantillam boni umbram tantas excitet intemperias amoris, nisi hoc monere & insinuare usquequaque decrevisset. 4. Universim hinc elucescit, summum & intimum fruitionis genus & fœlicitatis cumulum non versari in cognitione aut intelligentia, sed in amore & conjugali quodam quasi complexu. Ut concludit Plotinus ibidem: *Profectò nullo illic opus est ulteriùs; sed contra cætera prorsus deponere debet, & in eo solo consistere, Deusque fieri tantum; reliquis penitus amputatis quæ circum nobis adhærent. Quamobrem hinc emigrare properandum est, dolendumque nobis, quod aliqua hic ex parte alligati vivamus, ut toto penitus animo complectamur Deum, nihilque reliqui sit in nobis, quo non pariter attingamus.* Ubi quintam hanc rationem suggerit cur in amore potissimum summi boni fruitio censenda sit, quòd non alia magis vi quàm amoris à nobis ipsis aliisque omnibus diripimur, & in Deum rapimur, cum eoque ita commiscemur, ut Deus ipse evadamus, ipsaque jam Dei beatitate potiamur. Quapropter hinc emigrare properandum est, ut obex omnis quo tantum tardatur boni, protinus abrumpatur.

XIII. 7. Ipso mentis uno, ejusque cum summo uno unione & identitate. Est enim in anima aliquid mente sublimius puriusque, quasi flos & apex summus mentis; in quem sui apicem unumque intimum collecta tota mens, quasi jam ipsi uni cognatissima, illi adunatur, & quasi centrum centro inserens, cum eo confunditur; ut non jam operatione aliqua sua illi adgestiat, & adsultet; sed complexu quodam operationes omnes longè vincente, & supermentali & substantiali, illi adglutinetur & quodammodo identificetur. Plotinus: *Expedit rursus animum adhibere omni malignitate purgatum, dum ad bonum affectat accedere; præterea in principium sibi insitum, se in primis attollere,* Enn. 6. l. 9. c. 3. *& unum ex multis evadere, si modò principium atque unum sit inspecturus.* Ut ipsum primum, ut ipsum unum quod supra primam mentem est, attingat & fruatur mens, opus est ut conscendat tota in principium, in primum, in unum sui. Nam & summus Deus ea in primis ratione ipsum unum vocatur, non quòd unum propriè sit, sed quòd tum maximè illum contingat mens nostra, cum à multitudine & dispersione sese recolligens, in unum se totam conglobat. Plotinus idem: *Ipsius unius natura talis existit, ut sit fons omnium optimorum, ac potestas entia generans, permanens* Ibid. c. 5. *in seipsa, neque diminutionem subiens generando, neque in rebus genitis requiescens. Nempè & quod ante hæc existit nominamus unum quadam necessitat compulsi, optantes videlicet primam omnium naturam ipso nomine inter nos designare, nos ipsos in notionem individuam adducentes, animamque in unum redigere contendentes.* Unionem autem unius in mente cum ipso uno describit in hunc modum: Ennead. 6. l. 7. c. 34. *Postquam animus ita se comparaverit, cernet in se Deum ipsum subitò coruscantem; nihil enim intervenit medium; neque ibi duo quædam discernentur ulteriùs, sed ambo jam unum; neque enim quandiù adest, discernere licet. Id autem apud nos imitari solent amantes & amati, mutuò redamantes, qui conflari nituntur in unum.* Posthac ergo non jam unum & unum vel duo sunt, sed unum tantùm ex utroque uno conflatum. Et infrà: *Animus tunc* Ibid. l. 9. c. 10. *tanquam factus jam alius, neque ipse ulteriùs, neque sui dumtaxat, illuc se confert, eique se dedit, factusque totus illius, evadit protinus unum, tanquam centrum cum centro conjungens.* Qua similitudine nihil aptius occurrit; animus enim suum in centrum totus adunatus, in illo incircumscripto unius centro demergitur & absumitur, ut jam non sit; & in ejus simul simplicissimam infinitatem dilatatur, ut unum cum eo & super omnia in eo jam sit.

XIV. Ex quibus, nec non & ex aliis quæ alibi cursim de hoc mentis uno prælusa sunt, liquet fruitionem Dei in hoc potissimum spectandam esse. 1. Quia ut simplicissimum, ita ipsi uni quod fruendum est, cognatissimum est; est autem simile simili contingendum amplexandumque. 2. Cùm aliæ facultates viresque animi rebus aliis, vel sensibilibus, vel intelligibilibus addictæ sint, hæc una vis summè una summo uni consecrata est, nullo aliarum rerum profanata contactu; ideoque ut nunc illi prægustando, ita olim illi eidem ubertissimè fruendo accommodata est. 3. Fidei & amori quo utroque ex fonte largissimus exundat summi boni voluptatum rivus, unum mentis accommodum cum primis est. Amor enim meditatio & conspiratio in unum est; fides non explicatè scrutatur, sed omnia in unum constricta prehensat & amplectitur. 4. Fruitioni nil attemperatius quàm unio. Cumulus enim summæ fruitionis non alius fingi potest, quàm unio cum re fruenda. 5. Denique operatio omnis præludium tantùm perfectissimæ fruitionis est; operatio enim rei fruendæ alludit tantùm & adgaudet, & ejus tantùm quasi corticem allambit, & animi tantùm vires & quasi brachia quædam explicat; ipsam verò substantiam non attingit, nec satis beat; nec rei fruendæ ipsum penetrale invadit, nec ipsum ejus esse sibi vindicat. Deinde operatio cùm motio quædam sit, inquieta semper est, & enititur ad aliquid quasi alienum extrinsecus, cùm beatitudo in intimo bono gestire debeat, nec ad aliud eniti, sed conquiescere, & suo in sinu delicias suas gestare. Unione autem & identitate qua ipse apex vertexque animi coalescit & coit cum bono fruendo, cessatio jam omnimoda est, & quies, & substantiæ ipsius deificatio & satietas omnimoda.

XV. Visum est 4. fruitionem summi boni, quam hic anticipatè prægustamus, dum in corpore hoc ævo-

ævoque versamur mortali, non magnoperè discrepare ab ea quam corpore hoc soluti consequemur, nisi quòd hæc ob ægritudines corporis, perturbationesque ab eo subinde concitatas, subinde etiam abrumpitur, nec jugis & perpetua permanere conceditur. Hinc ex suffragiis Philosophorum suprà accumulatis, non sanè pauca spectant ad beatitudinem quam purgatiores animi hìc prælibant. Sed expressissimè Plotinus de animo terrenis affectibus planè expiato, & ad Dei contuitum proximè sublimato disserens: *Jam verò in eo vivendi statu videre licet Deum atque seipsum, quemadmodum fas est* Ennead. 6. L. 9. c. 9, 10. *videre seipsum quidem illuminatum, intelligibili jam lumine plenum, imò vero lumen ipsum purum, leve, sublime, Deum tunc effectum, imò vero jam existentem, tunc quidem accensum; si autem gravatus animus rursus inde labatur, jam quasi rursus extinctum. Curnam igitur animus ibi non permanet? profectò quoniam nondum hinc emigravit omnino. Erit autem & quando dabitur continuitas intuendi, cùm scilicet corpus nullo modo intuitum perturbabit.* Ex ejus ergo sententia etiam dum vita hæc corruptibilis agitatur, potest animus qui in corpore implicatur, ita his vinculis explicare se ad breve saltem intervallum, ut in Deum se totum rapiat, & eo fruatur, & Deus fiat; sed diu permanere in illo beatitudinis fastigio non sinunt ærumnæ corporis.

XVI. Visum est 5. Principium primum inquantum videtur, seu fide, seu præsentia, seu contactu, seu uno mentis videatur, suo tantùm lumine videri. Ut Sol suo lumine & reliqua omnia collustrat, & seipsum oculo repræsentat. Non ergo vi aut perspicacia sua, non acumine aut lumine suo mens quælibet valet summum Deum attingere; sed ubi immunditias omnes quibus ipsam res creatæ sordidaverunt, extersit, oculumque suum purgavit, emicat repentè quasi ab intimo penetrali ejus lumen immensum summi boni, quod ipsum summum bonum est, quolibet intimo intimius, & penetrali penitius, seque videndum fruendumque propinat. Plotinus: *Credendum verò est* Ennead. 5. Lib. 3. c. 17. *tunc demum nos vidisse illud, quando animus repente lumen acceperit. Hoc enim lumen ab ipso bono manat, estque ipsum bonum. Tunc certè putandum est id nobis adesse, quando tanquam Deus alius invocante aliquo, domum intrans, prorsus illuminat; alioquin nisi intraverit, non illuminat. Sic itaque anima vacua lumine est, & vacua Deo; illuminata vero habet jam tota quod mente petebat. Hic certè, hic finis est animo verus, lumen scilicet illius accipere, & ipsum ipso perspicere; non alterius inquam lumine contueri, sed per ipsummet aspicere quod & suspicit. Per quod enim illuminatus est, id ipsum est nobis perspiciendum. Neque enim Solem per lumen alienum intueri solemus. Verùm si quæras qua id ratione consequi possis, omnia è medio tolle.* Ut ergo corporeo Soli injurium fuerit, si aliena quapiam luce ad eum conspiciendum oculus instrueretur, & non ipse solus sufficere posset, & quod videndum, & quo videndum est; ita summo Soli superintelligibili contumelia fit, si alieno quopiam lumine conspici posse existimetur. Sed hoc tamen lumen etsi summum bonum sit, non alienum tamen, non ascititium oculo, sed intimum, sed insitum & naturale est; & usque adeo intimum insitumque, ut statim atque exteriorum veluti cortex, seu vitiorum sordes quæ inhæserant, abrasæ fuerint, ex ipso mentis sinu effulgescat, instarque habeat ejus lucis quæ ex oculo corporeo nonnunquam erumpit, densissimasque noctis tenebras illuminat. Idem Plotinus allato oculi corporei exemplo: *Simili ratione mentis aspectus videt quidem &* Ennead. 5. L. 5. c. 7. *ipse per lumen aliud res illuminatas prima illa natura, atque in illis revera videt & illud; veruntamen ad naturam rerum illuminatarum impensius se convertens, minus ipsum interea cernit. At si visas quandoque res dimiserit, & lumen illud per quod videt, attentè respexerit, lumen jam ipsum luminisque principium pervidebit. Quoniam verò mentem oportet ejusmodi lumen, non tanquam extrinsecum aliquid intueri, rursus ad illum oculum accedamus, qui ipse quoque quandoque non extrinsecum lumen, nec alienum videat, sed ante lumen æternum, intuetur proprium aliquod & lucidius in sede quadam inviolata puraque perlucens, aut nocte in tenebris coram se ex se prosilientem quendam aspiciat radium, &c. Sic itaque mens se ab aliis segregans atque cohibens ad interiora, nihilque videns, cernit protinus lumen, non in alio aliud, sed ipsum secundùm seipsum, solum, purum, ex seipso repente coruscans.* Quod permirum videri possit quomodo lumen summi boni, quod ipsum est summum bonum, animo semel à contaminatis affectibus expiato, ab omnibusque aliis segregato, sibique in se recollecto, non quasi extrinsecùs & supernè affulgescat, sed ex suo ipsius sinu exiliat, ut proprium & domesticum & ipsius animi naturale lumen. Et tamen ita habere millies inculcavit Plotinus; Animo ut summum bonum videat teneatque, non ascititiis ornamentis, non alienis præsidiis opus est; quin imò aliena & ascititia omnia amputare longissimèque ablegare necesse est, animumque ab omnibus vacuum, nudumque & solum, qualis ab authore fluxit, præstare. Confestim enim cognata boni natura, & quasi consanguinea, & congenita ipsi, in ejus sinu resplendebit, lumenque profundet, quod boni, an animi lumen sit, dubitari possit; adeo bonum animo intimum, & quolibet intimo intimius est, unumque penitus cum eo est. Et ita semper haberet, nisi exterioribus & inferioribus usque adeo oblineretur & oblimaretur animus, ut Solis quem suo in sinu gestat radios ultro erumpentes obtunderet & retorqueret. Hinc fit ut fruitio summi boni & naturalis omnino sit, & ex singulari tamen supernæ gratiæ beneficio proficiscatur. Quia enim lumen ipsum est summi boni, summumque ipsum bonum, quo tanquam lumine ipsum videtur, non potest amplius excogitari ullum gratuitæ munificentiæ argumentum, quàm si seipsum ita largiatur, ut idem sit quod & quo perfruendum sit. Rursus quia hoc lumen non extrinsecum, non accersititium, sed intimum & ex intimo animi sinu ebullit, hæc ipsa est animi natura, nec unquam tanto bono caret, nisi cùm sordidi amoris contagione & extraneorum contaminatione naturam suam adulteravit.

XVII. Visum est postremò tandem iisdem Philosophis summum Principium, ut cogitari & intelligi, ita nominari & dici non posse, & tam ineffabile esse quàm incomprehensibile. Hinc enim 1. statuerunt omnia de eo neganda esse, ne si aliquid de eo affirmetur, aliquid de eo dicatur qui omnia, imò qui super omnia est; ne affirmatione adjungatur ei aliquid qui simplicissimum unum est; ne de eo aliquid dicatur, de quo nihil intelligitur; ideoque verba spargantur sensus & intellectus inania. Proclus: *Si in unaquaque entium progressione, de causis negantur ea quæ manant ab ipsis, necesse est profectò omnia pariter auferre ab illa* Theol. Plat. L. 2. c. 10. *causa quæ omnium est causa.* Et paulò post: *Illud dico quod conveniat eos qui Platoni credunt, in negationibus permanere, & ipsi uni nihil addere. Quidquid enim addideris, imminuis ipsum unum, & non unum in posterum ipsum esse pronuntias, sed cui unum adveniat, &c. Hic igitur negationum modus unitivus est, eximius, primarius, prætergrediens universa, in incomprehensibili & ineffabili simplicitatis excellentia.* Hinc 2. statuerunt negationes ipsas negandas amoliendasque esse à Deo, quòd omni negatione superior sit Deus, sicut & omni affirmatione: quòd cùm prorsus ineffabilis sit, & omni sermone superior, ne negationibus quidem fandus & maculandus est: quòd uni summo ut nihil addi, ita nihil detrahi possit; ut nihil apponi ita nihil auferri; quod negari de ipso quidpiam vix

jure

jure possit, quin subintelligatur aliquid ipsum esse longè aliud, unde hoc amovendum sit; denique quòd silentio mentis linguæ quoque silentium copulandum sit, ut utraque vis simul obmutescat, simul obstupescat. Idem Proclus ibidem: *Et oportet nos illi qui primo Deus est hujusmodi modum attribuentes, rursus ipsum etiam ex ipsis negationibus eximere. Neque enim oratio illius esse potest, neque nomen, inquit Parmenides. Si verò nulla est illius oratio, perspicuum est quod ne ipsa quidem cogitatio. Omnia enim sunt uno posteriora, & illa quæ sunt nota, & ipsæ cognitiones, & ipsa cognitionum instrumenta, & impossibile quodammodo videtur, quod à Parmenide dicitur sub finem illius hypotheseos.*

XVIII. Hinc 3. statuerunt pugnam quandam necessariò excitari ab ineffabilitatis divinę præconibus, qua secum ipsi conflictentur. Si enim ineffabilis planè est Deus, ne id quidem de eo fandum est quòd sit ineffabilis; nam ineffabilem utique fando pronuntias; si falsò pronuntias, ineffabilis non est, quem ineffabilem falsò dicis; si verè pronuntias, nec sic ineffabilis est, de quo verè fari potuisti quòd esset ineffabilis. Similiter si nihil affirmari de ipso potest, ne hoc quidem de ipso affirmari debet, quòd sit omni affirmatione superior; si hoc de illo affirmari potest, non est ergo omni affirmatione superior. Denique si omni negatione sublimior est, ne hoc quidem negandum erit, quòd negari de eo nihil possit. Ita intestino quodam bello seipsam implicat, suisque se strangulat laqueis humana egestas, nec loqui jam nec silere idonea. Proclus ibidem: *Quodammodo impossibile videtur, quod à Parmenide dicitur sub ipsum ipsius hypotheseos finem. Si enim ne una quidem est ipsius unius oratio, ne hæc quidem oratio, quæ ista contendit, ipsi uni convenit. Et nullo modo mirandum est, nos dum volumus oratione notum facere id quod est ineffabile, ad impossibile deflectere orationem.* Hinc 4. statuerunt, quando nec affirmatio nec negatio satis ulla effando ineffabili quadret, videri quidem posse, ad asylum ergo silentii confugiendum esse; sed ne id quidem satis fœliciter cessurum; & ipso enim silentio magis arcanum & ineffabiliorem esse. Qui enim unitate unitior, & bonitate melior est, & veritate verior, idem silentio quoque taciturnior & ineffabilitate ineffabilior est. Proclus: *Quòd Deus sit Deorum universorum, &*
Theol. Plat. l. 3. c. 2. *unitas unitatum, & supra prima impossibilia, & omni silentio taciturnius, πάσης σιγῆς ἀρρητότερον, omni essentia ignotius, sanctus in sanctis.* Quapropter Deum summum non solo silentio, sed unitate
Ibid. l. 3. c. 7. silentium antecedente coli & æstimari jubet idem: *Sive igitur fontem bonitatis appellare fas est, sive regnum ipsorum entium, sive unitatem omnium unitatum, sive veritatis procreatricem bonitatem, sive ex omnibus his exemptam essentiam, & omnibus causis tam paternis quàm generatricibus superiorem, hæc quidem à nobis silentio, & unitate silentium antecedente colatur.*

XIX. Hinc statuerunt 5. nos de illo sæpè dicere, nunquam illum; & cum unum bonumque appellamus, non hæc tamen esse ejus nomina, quæ ipsi propriè adscribi possint, aut ejus naturæ aliquid significent; sed ipsa quoque hæc quamvis omnium præstantissima vel negativo sensu interpretanda esse, vel rationem causæ innuere, qua ut ab uno prodeunt, & velut in bonum redeunt omnia; vel tanquam signa esse quibus nobis ipsum designemus, etsi quid sit, nullatenus assignemus; vel denique ut commonefaciamus nos nosipsos ad unum recolligere, omnem multitudinem & dispersionem excindere, ut unitate ipsum qui attingi non po-
Ennead. 5. l. 3. c. 4. test, quomodocumque attingamus. Plotinus: *Quo*
Ibid. l. 5. c. 6. *igitur modo de illo dicimus? Certè de illo quidem aliquid dicimus, ipsum tamen minimè dicimus.* Et alibi: *At nos nostris quibusdam quasi parturientis angustiis laborantes, quid potissimum dici deceat ignoramus, & de illo quod dici non potest dicimus atque nominamus, significare aliquid nobis ipsis quoad possumus affectantes. Forsan verò & nomen hoc quod dicitur unum, per respectum quemdam ad multa negationem significat, &c. fortè nomen hoc dictum est, ut indagator exordiens ab eo quod maximè omnium significare potest simplicitatem, eò tandem perveniat, ut hoc ipsum præterea neget, quasi quantò melius à nominante poni potuit, impositum fuerit, neque tamen & hoc dignum sit, quo natura illa significetur. Nempè illud auditu attingi non potest, neque ab audiente ullo potest intelligi: sed si cui patere potest, occurrit potiùs intuenti. Verùm si intuens ipse contendat speciem intueri, neque hoc intelliget.* Nomina ergo cùm ad aures pertineant, angustiores sunt horum sensuum rimæ, quàm ut per illas tantum bonum & ipsummet bonum illabatur. Videri magis illud potest quàm audiri, & ubi tamen videtur, non aliqua species, sed informe & invisibile aliquid videtur. Et rursus: *Nominamus Deum quadam necessitate compulsi, optan-* Enn. 6. l. 9. c. 5.
tes videlicet primam omnium naturam inter nos ipsos nomine designare, nos ipsos in notionem individuam adducentes, animamque in unum redigere contendentes. Nominibus ergo designamus & quasi indigitamus nobis Deum, non declaramus autem, nec explicamus de ipso quidquam. Et ubi unum appellamus, innuimus magis unitatem animæ ad ipsum accessuræ meditandam esse, quàm Deo affingendam. Hinc statuerunt 6. nominibus quibuscumque non tam significari quàm designari, non explicari, sed indigitari Deum; ut nomina sint signa quædam & indicia, quibus Deum innuamus nobis, non autem quid aut qualis sit ullo modo declaremus. Ita enim par est ineffabilem fari, & innominabilem nominare; ita decet eum qui sentiri aliquo modo, intelligi nullo modo potest, indicare, non explicare. Plotinus: *Quan-* Ennead. 5. l. 9. c. 1.
do dicimus unum, & quando dicimus ipsum bonum, intelligendum est unam nos eandemque naturam significare, adeo ut nihil de illa prædicemus omnino, sed nobis ipsis potiùs illam, quoad possumus, designemus.

XX. Hinc statuerunt 7. nomina Dei eò ampliora esse & augustiora, quò ignotiora, & significatione aut vacua aut incomperta. Ea enim linguam menti magis accommodant, ut sicut de Deo nihil mens intelligit, ita nihil lingua significet. Ea informitatem divinam propiùs imitantur, ut sicut Deus ab omni forma habenda alienissimus est, ita nomina ejus ab omni significanda abhorreant. Ea finem magis consequuntur in quem Dei nomina instituta sunt, videlicet ut illum innuant, non denudent; indigitent, non explicent. Ea denique plus ingerunt venerationis quàm cognitionis, ut sanè Deus pietate magis quàm cognitione adeundus est. Postremò tandem ea penitus consentiunt innatis illis prænotionibus, quas anticipatio quædam naturæ in mentibus nostris informavit de Deo, ut summo magno, ineffabili inexcogitabili, incomprehensibili. Jamblichus: *Nomina ipsa divina significant ineffabiliter, præstantissimè & simplicissimè, & portant secum men-* Segm. 7. c. 4.
tem & intelligentiam cum Diis conjunctam. Quæ cum ita sint, à divinis nominibus tollere oportet humana omnia cogitata, logicosque discursus. Auferre item necesse est vocibus innatas physicas similitudines, sumptas ex comparatione naturalium rerum. Nempè sicut intellectualis & tanquam divinus divinæ similitudinis character symbolicus, in nominibus recipiendus est. Et quoties nobis incognitus est nominum sonus, tunc potissimum earum majestas elucet & sanctitas venerabilis. Est nempè melius quoddam atque præstantius, quàm ut in nostram spargatur cadatque phantasiam. Præstantiora igitur sunt hæc ignota nomina, quia minùs sunt nomina, expeditiusque est Deum non nominare quàm nominare; item quia ignota ignotum meliùs indicant; item

item quia mentem non tam condocefaciunt quàm obstupefaciunt, & stupore propiùs aditur quod summum est.

CAPUT VI.

De Visione Dei, seu intelligentia, juxta sanctos Patres Angelo hominique in ipso eorum conditu indulta & quasi congenita.

I. Angeli hominesque dum conderentur donati fuere contemplatione & præsentia Dei tam clara tamque perspicua, ut visio, fruitio, beatitudo à sanctis Patribus vocata sit. Id enim conceptis verbis affirmat Augustinus.

II. Et Gregorius Magnus.

III. Item & Bernardus.

IV. Et Isidorus Episcopus Hispalensis.

V. Quibus accedit Anselmus.

VI. Et Hugo Victorinus.

VII. Ex Græcis assentitur Philo.

VIII. Et Athanasius.

IX. Basilius.

X. Gregorius Nyssenus.

XI. Chrysostomus.

XII. Et Joannes Damascenus.

XIII. Quam nulli tergiversationi locus sit in tam aperta sanctorum Patrum conspiratione.

XIV. Quod hactenus de hominibus primùm à Deo conditis, id nunc de Angelis demonstratur, statim ut conditi sunt, tam conspicua Dei contemplatione donatos fuisse, ut ea visio clara dicta sit: cujus tamen perseverantia libero eorum arbitrio commissa sit. Ita multis tradit Augustinus.

XV. A quo non dissonat Gregorius Magnus.

XVI. Et Bernardus.

XVII. Et Prudentius Episcopus Tricassinus.

XVIII. Idem ex Scripturis exsculpitur, ut eas sancti Patres interpretantur. Et primo ex illis verbis, Fiat lux.

XIX. Item ex Paradiso.

XX. Ex Adami fuga, deambulante Deo ad vesperam.

XXI. Augustino suffragantur Gregorius Magnus & Damascenus.

I. OBserva 1. Angelos hominesque dum conderentur, donatos fuisse, & quandiù qui postea lapsi sunt, in veritate steterunt, potitos fuisse contemplatione & præsentia Dei tam clara & tam perspicua, ut visio à sanctis Patribus dicta sit, quòd ipsa Dei essentia sine medio, sine speculo intuendam se fruendamque ipsis propinaret.

Liquet id 1. ex iis Patrum contextibus, qui verbis conceptis de homine id testificantur. Augustinus: *Dicatur mihi quid illi deerat in paradiso con-* In Psal. 70.
stituto, in media opulentia mediisque deliciis; cui magnæ deliciæ erant ipsa visio Dei, cujus faciem quasi inimici timuit post peccatum? Summas delicias, summam opulentiam, faciem Dei, visionem Dei affuisse pronunciat, non speculare, non phantasticum, non reflexum aliquod luminis detrimentum. Et alibi: *Vivebat homo in paradiso sicut vo-* Civit. l. 14. c. 26.
lebat, quandiù hoc volebat quod Deus jusserat. Vivebat fruens Deo, ex quo bono bonus erat, vivebat sine ulla egestate, &c. Quod alibi visionem, hic fruitionem Dei appellat, ne hæsites qualis fuerit hæc visio.

II. Gregorius Magnus hæc verba explanans, *Per-* In Psalm. 4. Pœnit.
cussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum, sic habet: *Panem suum in paradiso primus homo conditus habuit, quandiù inconcusso mentis vestigio, conditoris sui præcepta servavit. Panis autem ejus fuit visionis divinæ delectatio, Verbi Dei satietas, internæ quietis gaudium, lucis inaccessibilis splendor, sapientiæ refectio, Angelorum societas, jubilum spiritus, contemplationis suavitas, collocutionis desiderium, securitas mentis, præsentia Creatoris. Quem panem tunc profecto perdidit, cùm serpentis suggestioni consensit. Tangens enim vetitum, oblitus est præceptum; unde factum est, ut qui tenebat arcem beatitudinum, in lacum caderet miseriarum; & qui intimæ reficiebatur suavitate dulcedinis, panem postmodum manducaret doloris.* Quibus sanctis Pontificis verbis nihil efficacius dici potuit ad Dei visionem describendam. Quid enim aliud est visionis divinæ delectatio, Verbi Dei satietas, lucis inaccessibilis splendor, Angelorum societas, præsentia Creatoris, arx beatitudinum? an hæc speculari & ænigmaticæ cognitioni fideique caliginosæ quadrare possunt? Idem alibi affirmat, hæc verba illustrans, In Psal. Pœnit. 7.
Memor fui dierum antiquorum: Fœlices antiqui dies, nihil tenebrarum, nihil caliginis præferentes, quos Divinitatis lustrabat præsentia, lætitiæ immensitas decorabat; dies gaudiorum & luminis, dies virtutum & pacis, dies deliciarum & suavitatis. Hos dies in paradiso habuit anima, antequàm à statu rectitudinis per culpam caderet prævaricationis. Dies deliciarum, luminum, pacis, præsentia Divinitatis illuminatus, non utique sine insolenti & insulsa exaggeratione diceretur dies fidei ænigmatum tenebrositate opacatus magis quàm illustratus. Et Gregorius ipse: *Cur faciem tuam* Moral. l. 18. c. 21.
abscondis? Humanum genus contemplationem lucis intimæ habuit in paradiso, sed sibimetipsi placens, quo à se recessit, lumen conditoris perdidit, ejusque faciem declinando, ad ligna paradisi fugit, quia post culpam videre metuebat, quem amare consueverat. Contemplatio lucis intimæ, lumen conditoris, facies, utique visio est: non per effectus excitata causæ conjectura, aut fidei tenebricosa suspicio. Et rursus: *Postquam enim inordinatè cul-* In Psalm. 4. Pœnit.
pam incurrit primus humani generis parens, ab illa in qua positus fuerat mentis celsitudine decidit, claritatem divinæ visionis perdidit, suavissimas verborum Dei epulas, quibus interiùs reficiebatur, amisit. Oculos carnis ad obscœna & turpia videnda aperuit, qui priùs aciem mentis, qua lucis summæ fulgor intuebatur, obscuravit. Si in fide, si in speculo, si in effectis solummodo Deum olfaciebat magis Adamus, quàm conspiciebat, an hæc esset mentis celsitudo, an hæc divinæ visionis claritas, an fulgoris summæ lucis intuitus jactaretur? Sed ineluctabiliter idipsum evincit in Dialogis Gregorius: L. 4. c. 1.
Postquam de paradisi gaudiis culpa exigente expulsus est primus humani generis parens, in hujus cæcitatis atque exilii quam patimur velut ærumnam; quia peccando extra semetipsum fusus, jam illa cœlestis patriæ gaudia, quæ priùs contemplabatur, videre non potuit. In paradiso quippè assueverat homo, verbis Dei perfrui, beatorum Angelorum spiritibus cordis munditia & celsitudine visionis interesse. Sed postquam huc cecidit, ab illo quo implebatur mentis lumine recessit. Ex cujus videlicet carne nos in hujus exilii cæcitate nati, audimus quidem cœlestem esse patriam, audimus ejus cives Angelos Dei, audimus eorundem Angelorum socios spiritus justorum & perfectorum. Sed carnales quique, quia illa invisibilia scire non valent per experimentum, dubitant utrumve sit, quod corporalibus oculis non vident. Quæ nimirum dubietas in primo nostro parente esse non potuit, quia exclusus à paradisi gaudiis, hoc quod amiserat, quia viderat, recolebat, &c. Ac si enim prægnans mulier mittatur in carcerem, ibique pariat puerum, qui natus puer in carcere nutriatur & crescat: cui si fortasse mater quæ hunc genuit, Solem, Lunam, stellas &c. nominet; ille verò qui est in carcere natus & nutritus, nihil aliud quàm tenebras carceris sciat, & hæc quidem esse audiat, sed quia per experimentum non novit, veraciter esse diffidat: ita in hac exilii sui cæcitate nati homines,

dum esse summa & invisibilia audiunt, diffidunt an vera sint; quia sola hæc infima in quibus nati sunt, visibilia noverunt. Nullus hic locus tergiversandi. Nam cœlestis patriæ gaudia videre, Verbo Dei perfrui, cordis munditia & celsitudine visionis interesse cætibus Angelicis, perspicuam Dei visionem perspicuè insinuant; idque invictissimè persuadet exemplum prægnantis incarceratæ, Solem enim verè ipsa vidit, eumque in ipso carcere non credit, sed meminit; puer autem ibi editus Solem nec videt, nec meminit, sed credit, & vix credit. Sic Adamo Dei priùs conspectus, postea non fides, sed memoria; nobis autem non conspectus, non memoria, sed fides competit.

Serm. 3. in Vigil. Nat. III. Bernardus: *Ab illa lucidissima die in qua conditus fuerat Adam ejectus est, & in has rerum contrusus angustias, diem tenebrosum incurrit, penè à veritatis lumine extinctus. In hac die nascimur universi, si tamen dies debet, & non potiùs nox vocari, &c. secunda verò dies erit in splendoribus Sanctorum, in perpetuas æternitates*. Ubi hanc quam agitamus mortalem vitam, noctem ait esse, qua dispescuntur duo dies lucidissimi, alter Adami in paradiso, alter Beatorum in cœlo: illum enim Adami diem & lucidissimum, & lumine veritatis illustrem, adeo huic quo utimur mortales dissimilem, adeo illi quo fruemur immortales consimilem esse, ut ipse venturo comparatus, dies sit; & noster ipsi comparatus, non dies, sed nox sit. Idem sermone de primordiis & novissimis nostris: *Erubesce quod pro consortio Angelorum, consortium sortitus es pecorum, &c. Cum jumentis partiris cibum terræ, quia panem angelicum, panem fastidisti cœlestem, &c. Eras enim aliquando gloria & honore coronatus, incola paradisi, Angelorum civis, & domesticus Domini Sabaoth. Hinc dejecisti teipsum in has interiores tenebras, &c. Ab ista gloria filiorum Dei deposuisti teipsum, à fœlici illa dulcissima patria, ab horto voluptatis exulem te fecisti, &c. Nunc ita contingit, ac si puer in carcere natus sit, & in carcere sit nutritus; & quia nunquam viderit lucem, miretur super tristitia & anxietate matris suæ*. Consortium Angelorum, panis angelicus, panis cœlestis, gloria filiorum Dei, fœlix & dulcissima patria clamant beatam Dei fruitionem eam fuisse: fidei nubilum, & ænigmatis obscurum abfuisse ab illius diei serenitate. Idem inter parvos & varios sermones: *Ut (anima) quæ per inobedien-*
Serm. 123. *tiam de statu trinæ fœlicitatis ciciderat, humiliata afflictione trinæ miseriæ per obedientiam resurgat. Ceciderat enim à semetipsa, à societate Angelorum, à visione Dei, id est à libertate, à dignitate, à beatitudine, &c. recuperet claritatis ejus visionem, &c.* Societas hæc Angelorum, & decantata fœlicitas, & visio Dei, & visionis claritas per peccatum excussa, per Christum recuperanda, cui nisi vecordissimo videatur esse imaginaria Dei cognitio, vel ænigmatica fidei obumbratio, vel per effectus ad causam conjectatio?

Vide & ser. 2. in illa verba Apostoli: Non est regnum Dei, &c. Et serm. 11. in festo omn. Sanct. Serm. de Nat. Domi. c. 6.

IV. Isidorus Hispalensis: *Deus cùm hominem fecisset summa beatitudine præditum, & divinæ imaginis decore ornatum, &c.* Summa beatitudo, non fides, non demonstratio à posteriori, non speculi nebula est, sed contuitus Dei aliqualis.

Prosol. c. 1. V. Sanctus Anselmus: *O durus & dirus casus ille! heu quid perdidit, & quid invenit! quid abscessit, & quid remansit! perdidit beatitudinem ad quam factus est, & invenit miseriam propter quam factus non est, &c. Manducabat tunc homo panem Angelorum, quem nunc esurit; manducat nunc panem dolorum, quem tunc nesciebat, &c. Ille ructabat saturitate, nos suspiramus esurie; ille abundabat, nos mendicamus. Ille fœliciter tenebat, & miserè deseruit, &c. Unde præcipitati, quo obruti? à patria in exilium, à visione Dei in cæcitatem nostram, à jucunditate immortalitatis in amaritudinem & horrorem mortis*. Manducare panem Angelorum, ructare saturitatem, fœliciter tenere beatitudinem, in patria, in visione Dei esse, cui hæc verba assensum non extundant, sanè plus æquo pertinax ille est. Quid enim ad horum magnificentiam jejunæ ab effectis conjecturæ, obscuræ ænigmatum phantasmatumque faculæ, fidei nebulæ?

VI. Hugo de sancto Victore: *Cognovit ergo homo creatorem suum, non ea cognitione quæ foris ex auditu solo percipitur: sed ea quæ potiùs intus per inspirationem ministratur. Non ea quidem qua Deus modo à credentibus absens fide quæritur, sed ea qua tunc per præsentiam contemplationis scienti manifestius cernebatur*. Non ergo aut fidei auditu, aut creaturæ inspectu Deum quasi absentem augurabatur, sed intus præsentem contemplando intuebatur. Et alibi: *Unde nec dubitare de creatore suo poterat, cui semper intus per contemplationem præsens erat. Cujus visio & per cognitionem cor ejus illuminavit, & per amorem stare & requiescere fecit*. Præsens igitur semper erat Deo, ejusque visione beabatur, id est contemplatione clarissima. Tom. 3. de Sacramen. Par. 6. c. 14. Tom. 1. l. 4. De Arca Moralis. c. 5.

VIII. Jam verò non minori consensu in eandem sententiam Græci Patres concesserunt. Quibus præibit Philo, illa Dei verba, Adam ubi es ita exponens: *Quò devenisti ò anima, pro qualibus bonis qualia mala elegisti? cùm frui datum sit arboræ vitæ, id est sapientia, saturata es ignorantia & corruptione*. Et paulò pòst Adamum ita loquentem inducit: *Ubi sim audi, ubi hi qui Deum videre non possunt*. Saginabatur ergo priùs sapientia, Deumque videbat. L. 1. Alleg.

Eusebius Cæsariensis Episcopus: *Addunt sacræ litteræ summum illum Regem ubi primam hominis naturam divinis facultatibus ac divina similitudine decorasset, ei quoque postmodum in cætuum divinorum societatem allecto, suis muneribus donisque congruentem, in bonis omnibus circumfluente paradiso, primam vitæ sedem attribuisse*. In cætus divinos allegi & aggregari, beatitudinis cumulum innuit. Præp. Evang. L. 7. c. 18.

VIII. Sed disertissimè Athanasius: *Mundi opifex & Imperator Deus, qui omnem substantiam humanamque intelligentiam longè superat, utpotè bonus & omnes bonitate præcellens, per suum Verbum Salvatorem nostrum Jesum Christum, humanum genus ad suam ipsius imaginem effinxit; hominemque rerum contemplatorem, peritumque communicatione suæ cum illo similitudinis effecit, tribuens ei suæ æternitatis intellectum & cognitionem; ut dum hanc similitudinem naturæ tueretur, nunquam neque à cognitione imaginationeque Dei absisteret, neque à convictu Sanctorum desiliret. Sed possidens donatoris sui gratiam, possidens quoquè propriam ex Patris ratione vim, exultaret pariter & Deo familiaris esset, vivens innoxiam beatamque, id est immortalem vitam*. Convictus Sanctorum, familiaritas cum Deo, æternitatis divinæ intellectio satis dilucidè demonstrant quantam intelligentiæ claritatem homini condito Deus infunderet. Sed expressiùs id manifestat statim Athanasius, ita pergens: *Nullo enim impedimento implicitus, quod Dei cognitionem remorari posset, spectat quidem semper sua puritate Patris imaginem, Deum Verbum, ad cujus exemplar ipse creatus est, & obstupescit animo ad ejus in rebus creatis providentiam, & celsior jam inde super omnia sensibilia imaginationesque corporeas redditus, ad ea quæ in cœlo sunt divina & intelligibilia, perspicacitate ac viribus animi coaptatur*. Audis quam demum Adamo contemplationis præstantiam largitus sit Deus, ut sine obice Verbum ipsum Deum intueretur, nulloque sensuum aut phantasmatum retinaculo illigatus, sola puritate & acie mentis per ipsa supra cœlos intelligibilia & divina spectamina discursaret; hanc enim ei licentiam permittebat mentis munditiès, quæ instar est oculi quo Deus videtur, ut subjungit Athanasius ibidem: *Ut igitur primum hominem* Orat. contr. Gent.

aiunt sacræ Scripturæ principio liberioris invere-cundiorisque fiduciæ mentem erga Deum habuisse, & cum Sanctis conversatum esse in contemplatione intelligibilium, quam habuit in eo loco quem Moyses figuratè paradisum nominavit. Sufficit enim animæ puritas ut Deum per se speculetur, uti Dominus dixit, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

IX. Basilius Homilia, Quòd Deus non est
Tom. 1. mali author: *Soluta anima ab omni necessitate, & vitam in sua potestate constitutam à Deo accipiens, propterea quod ad imaginem ejus creata est, bonum quidem intelligit, & jucunditatem illius novit, potestatemque habet in contemplatione ipsius pulcri & spiritalium fruitione manendi, ac vitam sibi connaturalem conservandi: habet autem & à bono deflectendi quandoque potestatem. Hoc autem ei contingit quum beatæ oblectationi satietate affecta, & veluti veterno quodam gravata, & à statu superiore delapsa, turpibus se carnis libidinibus immiscet. Erat aliquando Adam in sublimi non loco, sed arbitrio; quando statim anima sumpta, in cœlum lætus aspexit, ex iis quæ vidit maximè gavisus, ac eum vehementer amans, à quo beneficium tantum & æternæ vitæ fruitionem acceperat, qui paradisi interesse deliciis, & æquè cum Angelis & Archangelis regnare ac vivere, & divinæ vocis participem esse dederat.* Non potuit magnificentiùs describi primi parentis beatitudo, qui ipsum bonum intelligeret, ipsum pulcrum contemplaretur, intelligibilibus frueretur, cum Angelis, & Archangelis regnaret, donec tantæ fœlicitatis satietate nauseans in sensibilia præcipitatus est.

X. Gregorius Nyssenus: *Facta quidem est hu-*
Hom. 2. in Cant. *mana natura simulacrum veræ lucis, procul à tenebrosis figuris, fulgens similitudine exemplaris pulcritudinis.* Et aliquibus interjectis: *Factus est homo ab initio, nullius bonorum indigens divinorum; cujus erat solum munus bona servare, non acquirere.* Si veræ lucis imago erat homo, si procul aberat à tenebrosis figuris, non ergo fidei, non ænigmatum, non phantasmatum umbris contenebrabatur, & à divina visione arcebatur. Si nullo Dei bono egebat, si nihil quod deesset, comparare; sed præsentem tantùm copiam servare satagendum ei erat: non ergo Dei conspectu fraudabatur, quod bonum est omnis boni & unum bonum, & quod si abfuisset, tam laboriosè, tam ambitiosè affectandum fuisset.

Idem rursus alibi: *Tantò magis luctum augea-*
Orat. 3. de Beatit. *mus, quod tale ac tantum est bonum à quo disjuncti sumus, ut ne cognitionem quidem ejus capere possimus. Veruntamen hujus boni quod superat omnem vim comprehendendi, nos homines olim participes eramus; ac tantum erat in natura nostra bonum illud, &c. Nam quæ nunc de illo per conjecturas speculamur, hæc omnia circa hominem quoque erant, incorruptibilitas simul & beatitudo, &c. intellectione pura & nuda ab omni involucro, facultas bonum ipsum contuendi.* Primus ergo parens summum bonum intuebatur, nuda mente, sine involucro; summi boni particeps erat, cujus orbitatem nunc lamentamur.
Orat. Catec. c. 7. Idem rursus: *Erat autem impatibilis natura; imitator enim erat ejus qui est impatibilis. Dicendi autem libertate plenus erat ac fiducia, ut qui facie ad faciem divina apparitione delectabatur.* Denique:
L. De Virginit. *Nudus quidem is, necdum mortuis pellibus amictus, liberè autem Dei faciem cernens.* His verbis visio Dei apertissimè asseritur.

XI. Chrysostomus: *Adam ante peccatum cum glo-*
In Matth. Hom. 69. *ria indutus, Deum liberè alloquebatur, & paradisi regionem magna beatitudine plenam habitabat.* Hæc familiaris cum Deo collocutio plusculum quid exposcit, quàm effectuum, vel speculorum, vel fidei nubila.

Orthod. fidei. l. 2. c. 11. XII. Postremò Damascenus Græcorum Patrum sententias & ipsa non rarò verba affectare solitus, perspicuè in primis suffragatur: *Quidam sensibilem paradisum imaginati sunt, alii intelligibilem; veruntamen ego crediderim, quemadmodum homo sensibilis simul & intellectualis est conditus, hunc in modum & ipsius sacerrimum templum sensibile simul & intelligibile fuisse, duplicem præ se ferens demonstrationem. Nam corpore in hoc divino & plusquam pulcro loco (ut juxta historiam loquamur) manens, anima in loco incomparabiliter superiori & pulcriori conversabatur; Deum habens domesticum & inhabitantem, qui & gloriosum illi erat indumentum, quique illi circum amicierat gratiam, solo suæ dulcissimæ fructu contemplationis deliciantі, eratque veluti alter Angelus, &c.* Paradisus ergo duplex Damasceno, alter corporis, alter animæ deliciis comparatus; ille sensibilis, hic intelligibilis; sed quanto anima antecellit corpori, tanto intelligibilium quàm sensibilium deliciarum copia exuberantior affluebat. Idem ibidem: *Hunc* Ibid. c. 3.
posuit in paradiso & intelligibili & sensibili, qui terra in corpore degens, anima cum Angelis diversabatur in divinæ operibus intelligentiæ. Angelica societas, angelica fœlicitas, id est, intelligibilis, quæ in Dei contemplatione versatur, Adamo conceditur: non ergo fidei anxietas, non phantasmatum perplexitas, non creaturarum opacitas, non ænigmatum tenebrositas illum quasi media in noctis caligine titubantem ad Deum deducebant. Tametsi ut ibidem subdit Damascenus, à creaturis ad Deum quandoque conscenderet, ita tamen ut priùs à Deo ad creaturas descenderet, fugientia etiam ultimaque divinitatis vestigia consectando, admirando, & exosculando; & creaturarum inspectione ad voluptatem, nondum ad necessi-tatem utendo.

XIII. Si ergo cognitionem Dei primus parens non aliunde expiscari potuisset, quàm ex creaturis, ex sensibus, ex phantasmatibus, si nonnisi in fidei opacitate, vel demonstrationum amfractu, vel speculorum adumbratione illum vidisset, an jejunam & exilem & caliginosam istam visionem & à vera visione tantoperè distitam exaggeratè adeo admirati & eloquuti essent sancti Patres? An aliam quamvis, nisi claram & intuitivam intelligentiam vocasset Augustinus, magnas delicias, visionem Dei, fruitionem Dei? An aliam quamvis vocasset Gregorius visionis divinæ delectationem, Verbi Dei satietatem, lucis inaccessibilis splendorem, sapientiæ refectionem, Angelorum societatem, præsentiam creatoris, arcem beatitudinum, diem divinitatis præsentia illustratum, diem gaudiorum, luminis & pacis, claritatem divinæ visionis, summæ lucis intuitum, patriæ cœlestis gaudia? An aliam vel tantillum obscuriorem vocasset Bernardus lucidissimam diem ex veritatis lumine, consortium Angelorum, panem angelicum, panem cœlestem, gloriam filiorum Dei, fœlicem & dulcissimam patriam, visionem Dei, claritatem visionis? An aliam vocasset Isidorus summam beatitudinem? An aliam vocasset Anselmus beatitudinem, panem Angelorum, ructationem saturitatis, patriam, visionem Dei? An aliam vocasset Hugo de S. Victore, cognitionem non foris perceptam, sed intus inspiratam; non fide quæsitam, sed contemplationis præsentia, creatoris præsentiam & visionem? An aliam vocasset Philo fruitionem sapientiæ, Dei visionem? An Eusebius cœtuum divinorum societatem. An Athanasius æternitatis intelligentiam, convictum Sanctorum, familiaritatem Dei, sublimationem mentis supra sensibilia, evectionem ad intelligibilia, Dei Verbi contuitum: ex cordis munditia Dei visionem? An Basilius intelligentiam ipsius Boni, contemplationem ipsius Pulcri, intelligibilium fruitionem, regnum cum Angelis & Archangelis? An Gregorius Nyssenus summi boni participationem, ipsius boni sine involucro nuda mente contuitum, Dei apparitionem visionemque facie ad faciem, copiam boni tantam ut illud servare,

non quidquam acquirere, & votum & mandatum esset? An Chrysostomus liberam cum Deo collocutionem? An denique Damascenus intelligibilem paradisum, fructum dulcissimæ contemplationis, alterius velut Angeli delicias? An toties visionem Dei, toties visionis claritatem, toties præsentiam Dei, toties summi boni, pulcrique & Verbi contuitum, toties intelligibilium contemplationem, panem Angelorum, consortium Angelorum, patriam, beatitudinem, sine fide, sine tenebris ullis, sine velo, pura mente, ex cordis munditia, facie ad faciem Dei conspectum, cui nostra omnis vel fide vel demonstrationibus subrutilans lux, sit potiùs nox, carcer tenebrosus, exilium? An inquam tam exaggeratis encomiis tam conspiratè sancti Patres certatim adornassent illam Adamo indultam Dei contemplationem, nisi illa conspicua & intelligibilis sine corporum aut tenebrarum ullo nubilo fuisset Dei optimi maximique intelligentia?

XIV. Liquet id 2. ex eorumdem Patrum contextibus, qui idem ipsum de Angelis testatum faciunt, clara ipsos Dei visione nimirum, seu contemplatione, dum conduntur, donatos fuisse, solamque in ea perseverantiam versatili eorum libertati permissam esse.

Id inculcat creberrimè Augustinus, quem nemo nescit perdiu in hoc dubitationis fluctu alternasse, quomodo Angeli cùm beati conditi fuerint, futuræ suæ perseverantiæ dubii fuerint; aut quomodo dubii non fuerint, cùm ex iis aliqui ciderint. Multùm æstuavit in hoc vado, & in omnem partem se versavit, certus semper Angelos conditos esse beatos, eorumque beatitudini hoc unum deesse potuisse, ejus nimirum amittendæ certitudinem. Rem totam prolixè disputat libr. 11. de Genesi ad Litt. & tandem in quadrivio dubius hæret, aut malos Angelos statim ab initio peccasse, antequam illam certitudinem reciperent, quam alii statim acceperunt; aut inferioris illos esse ordinis, ideoque ancipiti tantùm illa beatitudine donatos fuisse, cùm alii securissima fruerentur; aut cùm in eodem essent ordine, futuræ perseverantiæ securitatem alios accepisse, alios non accepisse; aut denique neutros accepisse dum conderentur, sed ante eam acceptam cadentibus malis, eam in præmium voluntariæ perseverantiæ bonis accessisse. At libr. 11. Civitatis, cùm dixisset cumulum beatitudinis ex hac re duplici consurgere, *ut natura intellectualis bono incommutabili, quod est Deus, sine ulla molestia perfruatur, & in eo se in æternum esse mansuram certissimè sciat:* Cap. 11. Ex illo quadrivio in bivium se reducit, ut nempè vel impares fuerint Angeli conditi, bonis utraque, malis altera tantùm beatitudinis parte concessa; vel pares, concessa utrisque fruitione Dei, suspensa interim desponsaque in voluntariæ perseverantiæ mercedem, ejus nunquam desituræ certa scientia: *Restat ut aut impares fuerint; aut si pares fuerunt, post istorum ruinam, illis certa scientia suæ sempiternæ fœlicitatis accesserit.* Sed tandem nodum omnem incidit, omnemque ambiguitatem deterit libr. de correptione & gratia, ubi pares omnes conditos & beatos omnes, non tamen permansionis suæ securos fuisse docet, nisi bonos post aliorum tandem casum, suamque voluntariam perseverantiam. Tunc enim abundantiore charitate in præmium acceptâ ita accensos esse & collustratos, ut & cadere posthac non possent, & hoc de se certissimè scirent. *Diabolus & Angeli ejus, etsi beati erant, antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent. Donec istam beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est, ut magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissimè nossent.* Ita sanctus Pater etsi bonis Angelis in præmium accreverit æternæ permansionis præscientia, & non cadendi invicta vis, & abundantior charitas, quin etiam visio Dei clarior, unde major exarserit amor, vel quæ ex majore effulserit amore, excrescente utrimque nunquam cadendi & constantia & præscientia; etsi inquam hæc ita habeant, illos tamen & beatos antea fuisse, & Deo perfruitos esse, & sola permansionis securitate caruisse, disertè declarat. Rursus idem ait supernæ civitatis Jerusalem magnam partem esse beatos Angelos: *Eo beatiorem quod nunquam peregrinata est.* Civ. l. 11. c. 9 Et alibi: *Neque sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent: qui ex quo facti sunt, ipsa Verbi æternitate, sancta & pia contemplatione perfruuntur.* De Gen. ad Lit. l. 2. c. 8. Et alibi, de Angelis loquens, & Deum alloquens: *Tua domus quæ peregrinata non est, quamvis non sit tibi coæterna.* Confes. l. 12. c. 11. Et ibidem: *Creatura intellectualis, quanquam nequaquam tibi Trinitati coæterna, particeps tamen æternitatis tuæ, valde mutabilitatem suam præ dulcedine fœlicissimæ contemplationis tuæ cohibet; & sine ullo lapsu ex quo facta est, inhærendo tibi, excedit omnem volubilem vicissitudinem temporum.* Ibid. c. 9. Evidentiùs docere non potuit Angelos in sui conditu visionem, hoc est contemplationem Dei beatam & beatificam accepisse, quàm dicendo ipsos peregrinatos nunquam esse; ad Creatorem non per creaturas gradum molitos, sed ex quo facti sunt, ipsa Verbi æternitate perfruitos esse; ex quo facti sunt, æternitatis participes fuisse, nec ullam passos esse temporum vicissitudinem, à quorum tamen volubilitate ibi per multa capita non eximit Augustinus, nisi semper stantem Dei præsentis contemplationem.

XV. Gregorius Magnus: *Virtutes Angelicæ quæ in divino amore fixæ perstiterunt, lapsis superbientibus Angelis, hoc in munere retributionis acceperunt, ut nulla jam rubigine surripientis culpæ mordeantur, ut in contemplatione conditoris sine fœlicitatis fine permaneant, & in hoc quod sunt conditæ, æterna stabilitate subsistant.* Moral. l. 17. c. 34. Angelis ergo hoc præmii obtigit, non ut conscenderent, sed ut permanerent; non ut novam & inexpertam fœlicitatem acquirerent, sed ut in ea in qua sunt conditi, æternùm stabilirentur. Et rursus: *Cadentibus aliis sancti Angeli in sua beatitudine perstiterunt, atque hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omnino non possent.* Hom. 7. in Ezechi. Ex voluntariæ igitur perseverantiæ mercede hoc accessit sanctis Angelis, non ut ad beatitudinem pertingerent, sed ut in ea persisterent; non ut ad superiorem stationem eveherentur, sed ut à sua posthac omnino non caderent.

XVI. Bernardus: *Porro autem supercœlestis spiritus absque adjutorio corporis, & absque intuitu horum quæ per corpus sentiuntur, sola profectò suæ vicinitate ac vivacitate naturæ, sufficit apprehendere summa, & intima penetrare. An non hoc Apostolus intellexit, qui cùm diceret, invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, adjecit protinus, à creatura mundi: nimirum quoniam à creatura cœli non ita?* Hom. 5. in Cant. Ad Deum ergo Angeli non per creaturas, uti nos, utcumque suspicandum eluctantur; sed naturæ suæ vicinitate & vivacitate, qua utique in ipso jam inde sui conditu ornati sunt, penetrant intima & apprehendunt summa divinorum penetralia & fastigia.

Fulgentius ipso Solis radio fulgidiùs hanc expressit sententiam: *Angeli ergo atque homines pro eo quia rationales sunt facti, æternitatis & beatitudinis donum in se à natura spiritalis creatore (vel ut alia suggerit lectio) in ipsa natura spiritalis creatione acceperunt; ita scilicet ut si dilectioni creatoris sui jugiter inhæsissent, simul æterni beatique mansissent. Si verò propriæ voluntatis arbitrio, contra summum creatoris imperium suam niterentur facere voluntatem, protinus à contumacibus beatitudo* L. de fide ad Petrum c. 3.

disce-

discederet, *&c.* Vides accepisse Angelos hominesque in ipsa sui creatione beatitudinem: si Deo morigeri perstitissent, beatos non evasuros, sed mansuros fuisse; ubi à Deo desciverunt, beatitudinem ab ipsis discessisse.

XVII. Prudentius Tricassinus Episcopus contra Scotum Erigenam de prædestinatione, convellens hanc Scoti propositionem, *Nulla siquidem rationalis natura est, quæ non velit fugere miseriam & pervenire ab beatitudinem; aut gustata beatitate velit recedere, miseraque esse:* sic ait: *Cur non attendis diabolum, & Angelos ejus, gustata beatitate voluntariè recessisse, miserosque factos nunquam à miseria velle recedere, neque ad beatitudinem pervenire?* Si diabolus beatitudinem gustavit, utique non merito partam, sed creatoris dono simul infusam. (Cap. 15.)

Si ergo ex Augustino, Gregorio, Fulgentio, aliisque post tantos duces turmatim conspirantibus Angeli conditi sunt beati, si Deo fruentes, si hoc unum deerat ad ultimum cumulum fœlicitatis, ut cadere à fœlicitate in qua stabant, nunquam possent, & hoc certò scirent: si standum illis tantùm fuit in quo erant, non superiùs enitendum: si in præmium altera tantùm quæ deerat beatitatis pars accessit, certitudo de sua permansione: si peregrinati nunquam sunt: si ex quo facti sunt, ipsa Verbi æternitate fruiti sunt: si participes æternitatis Dei semper fuere, nec ullas unquam temporum vices passi, cohibita omni per fœlicissimam Dei contemplationem mutabilitate: Si ex iisdem, Prudentio aliisque, Angeli mali non à spe, sed ab ipsa beatitudine exciderunt, si beatitudinem ante lapsum gustarunt: Si ex Bernardo, Angeli non per creaturas ad creatorem nituntur, sed sola suæ vicinitate & vivacitate naturæ summa apprehendunt & intima penetrant; quis jam supererit cavillandi, clamque ipsis Dei visionem denegandi locus, id est, intelligentiam & contemplationem tam claram, ut visio & contuitus dici potuerit à santis Patribus, etsi nequaquam par illi visioni Dei, quæ voluntariæ perseverantiæ merces fuit?

XVIII. Liquet 3. ex ipsis Scripturæ verbis, non propatulo, sed abstrusiore sensu & in medulla discussis. Ac primò quidem Augustinus lucem illam primigeniam, quæ his Dei verbis, fiat lux, creata est, constanter interpretari videtur naturam Angelicam, quæ lux intellectualis est, eoque lucis nomine designatur, non tam ob creatam mentis, quàm ob creatricem & informatricem mentis summæ veritatis lucem. *Cum dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux, si rectè in hac luce creatio intelligitur Angelorum, profectò facti sunt participes lucis æternæ, quæ est ipsa incommutabilis sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quem dicimus unigenitum Dei Filium; ut ea luce illuminati, qua creati, fierent lux, & vocarentur Dies, participatione incommutabilis lucis & diei, quod est Verbum Dei, per quod & ipsi & omnia facta sunt.* Angelus creatus est igitur lux, quia statim particeps factus est & illuminatus luce æterna & sapientia Verbi incommutabili. Et ibidem: *Simul ut facti sunt, lux facti sunt, non ita tantum creati, ut quoquo modo essent, & quoquo modo viverent, sed etiam illuminati, ut sapienter, beatèque viverent.* Audis luce sapientiæ beatifica illuminatos simul & creatos fuisse Angelos. Idipsum ex iisdem verbis scripturæ ad hominem torquet: *Satis ostendit Apostolus, ubi sit homo creatus ad imaginem Dei; quia non corporis lineamentis, sed quadam forma intelligibili mentis illuminatæ.* Mens hominis igitur imago Dei est, non tam luce quæ est ipsa mens, quàm luce qua supernè formatur & illuminatur mens. Quocirca ibidem cum dixisset Angelos creari, idem esse atque illuminari, quia natura angelica lux est, & lucem creari idem est atque illuminari; idipsum augurator de homine: *Quia & ipsa natura intellectualis est, & propterea hoc est ei fieri, quod est agnoscere Verbum Dei, per quod fit.* Perinde ergo & homini & Angelo, quia utraque natura intellectualis est, idem est fieri & illuminari, illuminari autem idem atque Verbo Dei informari. (Civit. l. 11. c. 9.) (Ibid. c. 11.) (De Gen. ad lit. 3. c. 20.)

XIX. Secundò idem Augustinus paradisum, stante nihilo secius historiæ veritate, intelligibiliter præterea interpretatur. Erat enim paradisus, id est, nemus immortalium contemplationum arbustis consitum; ad Orientem, id est, ad Solem veritatis intelligibilis apporrectus; in Eden, hoc est in deliciis immortalibus & intelligibilibus; ex quo quatuor flumina, id est virtutes quatuor scaturiebant, inter quos prudentia ineffabilem & conspicuam æternæ veritatis contemplationem continet; quo ex suo fonte irrigabatur abundè, quia de intimis suis manante veritate satiabatur; nec ullis supernè nubibus impluebatur, quia non foris, sed intus, nec sub allegoriarum aut sacramentorum corporalium quasi nubium caligine veritas subrutilabat, sed nuda & serena coram affulgescebat. *Jam videamus ipsam beatitudinem hominis, quæ paradisi nomine significatur; nam quoniam in nemoribus deliciosa quies hominum esse solet, & corporeis sensibus nostris de Oriente lumen oritur Solis cœlumque consurgit, quod superius corpus est nostro corpore atque excellentius; propterea his verbis etiam spirituales delicias quas habet beata vita, figuratè explicantur, & ad Orientem paradisus plantatur. Intelligamus autem nostra gaudia spiritalia significare omne lignum formosum ad aspectum intelligentiæ, & bonum ad escam quæ non corrumpitur, qua beatæ animæ pascuntur. Nam & Dominus dicit, Operamini escam quæ non corrumpitur, ut est omnis ratio, quæ cibus est animæ. Ad Orientem, id est, lucem sapientiæ. In Eden, id est, in deliciis immortalibus & intelligibilibus.* Et ibidem: *Flumen autem quod procedebat ex Eden, id est, ex deliciis & voluptate, &c. dividitur in quatuor partes, & quatuor virtutes significat, prudentiam, fortitudinem temperantiam, justitiam, &c. Prudentia significat ipsam contemplationem veritatis, ab omni ore humano alienam, quia est ineffabilis: quam si eloqui velis, parturis eam potius, quam paris; quia ibi audivit Apostolus ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui.* Et ibidem rursus: *Ante peccatum cum viride agri, & pabulum fecisset Deus, quo nomine invisibilem creaturam significari diximus, irrigabat eam fonte interiore, loquens in intellectu ejus; ut non extrinsecus verba exciperet, tanquam ex supradictis nubibus pluviam; sed fonte suo, hoc est, de intimis suis manante veritate satiaretur.* Quibus Augustini verbis & sententiis nihil expressius fingi potest ad designandum primi parentis ante peccatum intelligibiles delicias, beatam vitam, manantis in intimo pectore veritatis satietatem, ineffabilem & qualem nec Apostolus eloqui potuit, veritatis contemplationem. (De Genesi con. Manic. L. 2. c. 9. 10.) (Ibid. c. 4.)

XX. Tertiò idem Augustinus ad vesperam demum voce Domini in paradiso deambulantis conterritum & objurgatum ex sacra Genesi notat Adamum jam transgressorem, rectè ad vesperam quod ei Sol intimæ veritatis quo antea fruebatur, jam occidisset, rectè voce Dei deambulantis, nempe exteriore & corporea voce increpitum: cui non jam amplius veritas in aurem mentis sicut priùs loqueretur, sed per phantasmata, cæteraque ejusmodi corporum instrumenta; denique Adamum cum Eva cui præter fas consenserat, ejectum è paradiso, id est, mentem æternorum contemplatricem, quod rationi temporarium dispensatrici, tanquam vir uxori, prælata, in scelus indulsisset, ab æternorum visione pariter exturbatam esse. *Et verè ad vesperam, id est, cum jam ab eis Sol occideret, id est, auferretur ab eis lux illa interior veritatis.* Et alibi: *Ea quippe hora, tales jam convenerat visitare, qui defecerant à luce* (De Gene. con. Manic L. 2. c. 16. De Gen. ad lit. l. 11. c. 33.)

luce veritatis. Fortassis enim in aliis intrinsecus, vel ineffabilibus modis Deus cum illis antea loquebatur, sicut etiam cum Angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, &c. forte inquam sic cum eis loquebatur, etsi non tanta participatione divinæ sapientiæ quantam capiunt Angeli, tamen pro humano modulo quantumlibet minus, sed ipso genere visitationis & locutionis. Denique idem alibi: *Immoderato progressu (ratio) nimis in exteriora prolabitur, consentiente sibi capite suo, id est, non eam cohibente atque refrænante illa quæ in specula consilii præsidet, quasi virili portione, inveteratur inter omnes inimicos suos, virtutis invidos dæmones, cum suo principe diabolo; æternorumque illa visio ab ipso etiam capite cum conjuge vetitum manducante subtrahitur, ut lumen oculorum ejus non sit cum illo. Ac sic ab illa illustratione veritatis ambo nudati, &c.* Sol ergo veritatis ante peccatum coram affulgebat, incommutabilis veritas per seipsam mentes alloquebatur, æternorum visio affluebat; sed post peccatum demum Sole occidente ad vesperam, vox Dei jam corporea & terrifica, de paradiso seu de æternorum visione ejecit.

De Trinit. l. 12 c. 31.

XXI. Quartò, Gregorius Magnus observat inquinatum peccato hominem statim à facie Dei declinasse, faciem ergo Dei priùs conspiciebat; inter opaca nemorum delituisse, ergo priùs in ipsa Solis intelligibilis luce versabatur; inclinata jam ad vesperam die, mens enim ejus peccato nubilata vesperascebat: post meridiem à Deo vocatum esse, ergo deficiebat tunc quæ priùs lucebat ardebatque meridiana lux visionis, & flamma charitatis Dei. *Dies mei sicut umbra transierunt. Diem sicut umbram primus homo habuit, quando se à facie conditoris abscondit. Nam inter opaca nemorum latere voluit, ut ex hoc quoque patenter ostenderet, quas cæcitatis umbras interiùs pertulisset. Si enim in umbra non esset, Deum esse localem non crederet; nec ab ejus oculis putaret se abscondi, à quo sciret etiam cordis occulta videri. Quæsivit ergo umbram corporis, qui priùs incurrit umbram mentis. Dies namque ejus inclinata fuerat, & ideo lumen sapientiæ interiùs illi non fulgebat. Sol enim cum inclinat, majores umbras efficit, & caloris sui magnitudinem paulatim subtrahit. Unde post meridiem Adam vocatus à Deo describitur, ut ab exterioribus agnoscamus quid interiùs gereretur. In meridie enim lux est purior, aer limpidior, æstus ferventior. Quasi ergo meridies in Adam pectore inerat, dum lumine divinæ contemplationis illustratus, amoris sui facibus ardebat; sed hunc miser perdidit meridiem, cum peccavit. Ibi enim amoris refriguit incendium, caligavit claritas, defecit visio.* En satis clara intelligentia & contemplatio exprimitur, quæ dicitur visio, claritas, amoris incendium, lux & flamma tanta, quantam accendit meridianus Sol.

In Psal. 4. Pœnit.

Postremò tandem utrique astipulatur Joannes Damascenus locis supra laudatis, ubi paradisum geminum commentatur esse, sensibilem & intelligibilem, illum corporeis, hunc intelligibilibus deliciis exundantem: sed hunc quàm illum, tantò exuberantiùs, quantò intelligibiles deliciæ præeunt sensibilibus.

CAPUT VII.

Variæ ex sanctorum Patrum testimoniis exprimuntur rationes, ad eandem Dei claram contemplationem, seu intelligentiam Angelo hominique dum conderentur vendicandam.

I. Nunc exculpendæ sunt rationes aliquæ ex suprapositis Patrum testimoniis. Prima ea est, quod creari non debuit homo, Angelusve, nisi perfectus & beatus. Multis id evincitur argumentis.

II. Multis item rationibus demonstratur, nisi ex Dei contemplatione clara constare non posse etiam naturalem Angeli hominisque beatitudinem.

III. Augustini suffragio confirmatur hæc utraque propositio.

IV. Quin & misera quodammodo fuisset Angeli hominisque natura, si clara divinorum intelligentia orbata fuisset. Probatur ex Augustino.

V. Quin etiam stulta quodammodo & informis creata fuisset, si sine Dei intelligentia ex opificis manu erupisset. Complura ad id Augustini testimonia.

VI. Vitiosa etiam fuisset, qua informis, qua stulta, qua ignara, utraque natura. Ita docet idem Augustinus.

VII. Imagini divinæ debetur contemplatio & intelligentia divinorum, ex Augustino & Athanasio.

VIII. Idem probatur ex eo quod à Dei contuitu separant, non corpora, sed peccata. Variis id rationibus munitur.

IX. Et astipulatione Gregorii Magni.

X. Et Bernardi.

I. Liquet 4. rationibus complurimis, quas ad hoc statuendum aggerarunt sancti Patres. Ac primò quidem perfectus creari debuit homo & beatus; at nulla beatitudo ne naturalis quidem nisi Dei contemplatio fruitioque, ergo in Dei contemplatione & fruitione creari debuit. Major propositio quòd perfectus & beatus creari debuerit, hinc plana fit, quòd non deceat ullum opus ex arte & officina omnipotentis opificis proficisci, nisi perfectum, suoque in genere beatum, & omnibus numeris absolutum; quantò minùs hominem, opus ejus palmare? Item si corpore perfectus & beatus fuit homo, quantò magis anima? Item si ad sensibiles delicias instruxerat Deus paradisum iis ita affluentem, ut desiderari nihil posset; quid ad intelligibiles animi delicias, tanto & Deo largitore & homine digniores? Item si vitam corpori immortalem ab anima exundantem concesserat, nonne animæ ipsi vitam incorruptibilem ab ipso Deo animam animante & beante multò copiosiùs infundi par erat? Denique si reliquæ mundi partes in suæ perfectionis, ejusque quam capere possunt, beatitudinis fastigio conditæ sunt, ut nullo præterea opus eis sit incremento, sed stabilimento tantùm in ea quam à conditore obtinent pulcritudine; de principibus mundi partibus multò æquius est id æstimare, ut sin minùs in apice summo, certè in beatitudinis gradu sublimi quopiam statim creatæ sint. Si causetur aliquis suam beatitatem naturis aliis statim addendam fuisse, quòd libertatis, cujus orbæ sunt meritò, ad eam grassari non possint; at naturæ intellectuali & liberæ id ad gloriæ cumulum permittendum fuisse, ut sua sibi industria beatitudinem pararet. Ex adverso respondebitur multò conducibilius fuisse, ut & natura intellectualis conderetur beata, & in hac beatitate stare ejus libertati permitteretur. Ad eum enim modum consulitur libertati creaturæ, dum sua in beatitate permansio illi committitur; dum autem beata creatur, consulitur dignitati, & Creatoris, nequod opus, ne operum apex rudis & imperfectus illi excidat, nequod opus plus sibi quàm opifici debeat, ne sua industria opificis artem superet; & creaturæ denique spiritalis dignitati consulitur, ne prærogativa fraudetur, aliis naturis indulta, & ne corpore beatior quàm mente, deteriore sui parte melior sit, quàm meliore.

II. Minor autem propositio, quòd ne naturalis quidem ulla sit beatitudo, nisi Dei aliqualis fruitio per contemplationem, inde suadetur quòd nulla natu-

natura nisi per superioris copiam & participationem perficitur & beatur; sic terram fæcundant sydera & ditant; sic corpora vegetant animæ & beant. At natura intellectuali solus superior est Deus, ergo & unus tota ejus beatitas est. Deinde naturali pruritu exardet mens etiam humana, tam mirabilium quæ corporeis occursant sensibus effectuum, causam tantò nimirum mirabiliorem palam contueri; frustrari autem voto quod natura inseverit, nefas est; noverca enim, non parens, & ludificatrix quædam foret natura, si votum ipsa insereret & frustraret; famem accenderet, nec sedaret. Deinde satis experimur ipsi, mentem nostram inquietam semper & inexaturatam jactari & nauseare inter particularia vera & bona, iisque quantumlibet refertam, adhuc tamen tanquam inanem hiare; naturalem ergo hunc inexaturabilis famis hiatum sola summi veri, summi boni fruitio implere potest. Denique natura ipsa mentis infinitatem suam abundè prædicat, sibique non coæquari testatur, nisi veritatis infinitatem. Quantumcumque enim de veritatis amplitudine nudaveris menti, si quid adhuc superest non nudatum, hoc illa æquè & capit & cupit.

III. Utramque hanc propositionem multis astruxit Augustinus. Primùm quòd Angelus & homo beati condi debuerint: [Civit. l. 11. c. 11.] *Quis primos illos homines in paradiso negare audeat, beatos fuisse ante peccatum; quamvis de sua beatitudine, quàm diuturna, vel utrum æterna esset, incertos?* [De Gen. cõt. Manich. c. 8.] Et alio loco: *In paradiso, hoc est in beata vita constitutus*. [De lib. arb. L. 1. c. 11.] Et rursum: *Credamus hominem perfectè conditum à Deo, & in beata vita constitutum*. Et quàm necesse sit beatitudinem naturis illis integris vindicare, inde etiam magis clarescit, quod ea ne Diabolo quidem & Angelis ejus denegata sit, quamvis ab ea desciturì utique præscirentur. [L. De Correptio. & Grat. c. 10.] *Diabolus igitur, & Angeli ejus etsi beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant; erant tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent*. Quod verò beatitudo ne naturalis quidem ulla sit, nisi ex Dei contemplatione, & complexu, id multò fundatius est in Augustini doctrina. [De Mor. Eccles. c. 3. 8.] *Restat ut video, ubi beata vita inveniri queat, cum id quod est hominis optimum & amatur & habetur. Quid enim est aliud quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis? Neque quisquam beatus est, qui non fruitur eo quod est hominis optimum: nec quisquam qui eo fruitur, non est beatus. Præsto ergo nobis esse debet optimum nostrum, si beatè vivere cogitamus.* Quodnam sit autem illud optimum nostrum, declarat: [L. de Nat. boni. c. 8.] *Bonorum autem summa Deus nobis est; Deus est nobis summum bonum*. Et alibi: *In rebus à Deo factis tam magnum bonum est natura rationalis, ut nullum sit bonum, quo beata sit, nisi Deus*. [L. de fide. ad Petrum. c. 3.] Utrumque simul complexus est Fulgentius: *Angeli ergo hominesque, pro eo quia rationales sunt facti, æternitatis ac beatitudinis donum in se à naturæ spiritalis creatore divinitus acceperunt, ita scilicet ut si dilectioni creatoris sui jugiter inhæsissent, simul æterni beatique mansissent*. Beatitudo ergo eis adjuncta est, ut naturæ rationali debita perfectio; & ea in contemplatione & dilectione creatoris beatifica versabatur; sed ejus perpetuitas libero permissa est ipsorum voluntatis arbitrio.

IV. Secundò, saltem misera creari non debuit natura rationalis, miseriæ enim amaritudo cum tanta sit, à dulcissimo Deo manare quì tandem possit? Bonorum omnium, mali nullius scatebra est ars & manus optimi opificis; præter naturam est, naturæque sicaria quædam omnis miseria, non ergo ulli naturæ aggenita; denique culpæ umbra & comes indivulsa est & esse debet miseria, nec ab authore naturæ, sed ab ultore culpæ infligenda est. Postremò denique inane nomen & ludificatorium est donum libertatis, si creatura libera miseriam vel sons non incurrat, vel insons incurrat; ea enim lex versatili libertati præstituta est, ut nec malè illi, nec benè sit, nisi quantum ipsa sibi, vel malo, vel bono sui usu sibi consciverit. Hoc autem ita præfundato, quod misera creari non potuerit natura rationalis, jam profitemur miseram fuisse si Dei præsentis intelligentia fraudabatur: Nam si, ut jam præstruximus, una beatitudo mentium est Dei contemplatio, hujus cassæ mentes, utique miseræ sunt: miser enim est, qui beatus non est, miser est qui summo bono seu beatitudine caret. Deinde inquietum est cor nostrum donec in illa beatitate ad quam factum est, quiescat: si autem inquietum, ergo miserum. Deinde tantùm bonum est Deus, ut eo carere non possit non esse miserum, imo miserrimum. Deinde tam sublimis est natura rationalis, ut ei malè sit, nisi summi boni satietas adsit. Denique universim illi malè est, cui meliùs esse potest, ergo menti omni malè est, quandiu summi boni contemplatio, qua frui potest, procrastinatur. Augustinus: *Illa namque visio Dei tantæ pulcritudinis visio est, & tanto amore dignissima, ut sine hac, quibuslibet aliis bonis præditum atque abundantem, non dubitet Plotinus infœlicissimum dicere*. [Civit. l. 10. c. 16.] Et alibi: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. Et rursum: *Magna sunt mutabilia bona, quæ adhærere possunt, ut beata sint, immutabili bono; quod usque adeo bonum est eorum, ut sine illo misera esse necesse sit*. [Confession. L. 1. c. 1. Civ. l. 12. c. 2.] Hinc ergo dilucidum fit miseram esse mentem quamcumque, quamdiu summi boni conspectu caret, quod ea sit majestas summi boni, quod ea sit dignitas mentis, quod ea sit naturæ vis & instigatio. Quod autem miseria culpam antecedere non potuerit: *Neque enim sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest*. [Oper. ult. con. Jul. l. 1.] Et alio loco: *Pœna est non esse in patria. Si amatur patria, magna pœna; si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna, &c. Si non desiderat, pœna est de perversitate: si autem desiderat, pœna est de fraudata charitate. Sed si, quod vis, parva est pœna, & ipsa parva, magna est, si nulla culpa est. Hic defende justitiam Dei; quare vel parva pœna infligitur innocenti, in quo omnino nullum invenitur peccatum?* [De Verb. Apost. serm. 14.] Præter justitiam Dei est, præter libertatis prærogativam est, præter legem æternam est, ut miseriam vel tantillam innoxius quis experiatur, nedum istam omnium tantò acerbissimam: nam Angelus, & homo statim conditus, vel ad Dei congruam sibi fruitionem æstuantissimè anhelasset, atque ita fraudato voto miser interim fuisset, vel minùs in tanti boni cupiditatem exarsisset, atque ita ex cordis perversitate miser nihilominus fuisset.

V. Tertiò, nec Angelus nec homo stultus creari potuit, hæc enim summa fuisset miseria, summa à beatitudine longinquitas; hæc demum fuisset naturæ perversitas, si mens crearetur amens, & ratio irrationalis. At stultus uterque fuisset, nisi ab increata Verbi sapientia tanquam forma informatus fuisset. Ut enim necesse est informari corpus ab anima ut vivat, ita animam à sapientia, ut sapienter vivat; est nimirum sapientia vita animæ, ut anima est vita corporis; utque corpus ab anima destitutum, mortuum est; ita anima orbata sapientiæ vegetatione, stulta est. Deinde ut Solis corporei luce viduatus aer tenebrescit; ita Solis intelligibilis seu sapientiæ luce nudatæ mentes desipiunt & stultescunt. Ipsa luce informandus & inebriandus est aer ut luceat; ita ipsa sapientia informandæ & animandæ sunt mentes ut sapiant. Universim enim naturæ superioris substantiali informatione natura semper inferior vegetanda & formanda est, ut ad gradum seipsa superiorem sublimetur; corpus animæ, aer lucis, mens sapientiæ non qualicumque afflatu, non aliquali irradiatione, sed præsenti vegetatione informari postulat.

tulat. Deinde inter mentem creatam & sapientiam increatam nihil interponitur: propria ergo & immediata mentis forma qua sapiens fiat, ipsa est sapientia; cujus expers, non potest non esse insipiens, utpote propria carens & immediata sapientiæ forma. Denique quacumque alia illustretur sapientia mens quælibet, præter increatam, tenebrosa semper remanet; ut quacumque luce præter solarem aer illuminetur, caliginosus nihilominus est. Utrobique solatium noctis est, non jubar diei; utrobique nox adhuc obtenditur, tametsi sublustris. Noctem quippe non dissipat nisi solaris ipsa lux, quantam aer capit; nec stultitiam debellat, nisi veritatis & sapientiæ ipsa lux & substantia, quia & hanc mens capit. Augustinus: *Si stultus factus est* (*primus homo*) *quomodo non est Deus author vitiorum, cum sit stultitia maximum vitium?* Non potuit ergo creari stultus, ne non naturarum tantùm, sed & vitiorum author esset Deus. Ergo sapiens creatus est, quia inter stultitiam & sapientiam nihil interjacet. *Nemini dubium est, omnes homines aut stultos, aut sapientes esse*. Si autem sapiens fuit, ergo informatione sapientiæ Verbi. Et alibi de anima agens, ait: *Participatione incommutabilis sapientiæ sapiens, quæ non est quod ipsa, &c. Ut non inconvenienter dicatur, sic illuminari animam incorpoream luce incorporea simplicis sapientiæ Dei, sicut illuminatur aeris corpus luce corporea; & sicut aer tenebrescit ista luce desertus, ita tenebrescere animam sapientiæ luce privatam*. De Angelis autem: *Creatura ergo spiritalis & intellectualis, perfecta & beata qualis Angelorum est, ut dixi, quantum attinet ad seipsam quo fit, sapiensque ac beata sit, nonnisi intrinsecus adjuvatur æternitate veritatis, charitate creatoris*. Denique cum dixisset aliqua tantùm esse, alia prætera vivere, aliqua etiam sapere, hoc tertio gradu nullum Deo propinquiorem esse ait; unde quæ sunt, à forma sua sunt; quæ vivunt, ab anima quasi desuper afflata vivunt; at quæ sapiunt, cum nihil super illa sit nisi sapientia creatrix omnium, necesse est ab ea formentur: *Jam vero quæ sapiunt, ita illi similitudine proxima sunt, ut in creaturis nihil sit propinquius. Quare cum homo possit particeps esse sapientiæ, secundum interiorem hominem, secundum seipsum ita est ad imaginem Dei, ut nulla natura interposita formetur, & ideo nihil sit Deo conjunctius*. Ut corpus, quod vivat, desuper habet ab anima; ita anima, quod sapienter vivat, desuper habet à sapientia; superior autem non alia supra animam est quàm sapientia creatrix; hac ergo informatur ut sapiat; qua se negante, stultesceret.

L. 3. de lib. arb. c. 24. — L. De util. cred. c. 12. — Civit. l. 11. c. 10. — De Genesi ad lit. l. 8. c. 25. — L. 83. qq. q. 51.

Quartò, Nulla mens informis creari potuit; at informis foret nisi per ipsam Verbi intimè præsentis, seque fruendum præbentis sapientiam formaretur, quod plus satis jam eluxit rationibus superiori numero coacervatis; unde Augustinus: *Nulla interposita substantia, ab ipsa veritate formatur*. Et paulò pòst: *Ergo iste spiritus ad imaginem Dei nullo dubitante factus accipitur, in quo est intelligentia veritatis; hæret enim veritati, nulla interposita creatura*. Ubi præter pondus authoritatis, adverte pondus rationis; ea enim lex naturæ est, ut inferiora superioribus indigeant, inferioribus superiora benefaciant, illa ab his informentur. Cùm ergo mentes jam in summo sint apice rerum conditarum, à nulla natura superiore informari & beari possunt, nisi ab ipsa sapientia. Rursus Augustinus: *Neque ejus informitas* (*naturæ scilicet Angelicæ*) *placeret tibi, si non lux fieret: non existendo, sed intuendo illuminantem lucem, eique cohærendo. Ut & quod utcumque vivit, & quod beatè vivit, non deberet nisi gratiæ tuæ, conversa per commutationem meliorem ad id quod neque in melius, neque in deterius commutari potest*. Perspicuè ait informem fore naturam intellectualem, nisi lucem Verbi intueretur, eique cohæreret. Et alibi denuò; *Ipsa primò creabatur lux, in qua fieret cognitio Verbi Dei per quod creabatur; atque ipsa cognitio illi esset ab informitate sua converti ad formantem Deum, & creari, atque formari*. Creari ergo his naturis idem est atque formari à Verbo, & tam informes sunt nisi à Verbo formentur, tametsi sua propria forma formatæ sint: quàm informe est corpus, nisi ab anima; quàm informis est aer, nisi à luce formetur, tametsi speciali sua non careat forma.

Ibidem. — Confession. l. 13. c. 2. — De Gen. ad lit. c. 10.

VI. Quintò, Non potuit intellectualis natura creari vitiosa. Nam quod quidque creatur, hæc ejus natura est, vitium autem præter naturam est. Deinde vitiorum non est author Deus, sed emendator: vitia nec in arte nec ab arte sunt opificis: sed præter artem quidquid est, id verò vitiosum est. At vitiosa fuisset, nisi per ipsam Verbi sapientiam formata beataque fuisset: nam informitas vitium est, stultitia vitium est, miseria naturæ vitium est, vel vitii consectarium, beatitudinis & perfectionis debitæ inopia vitium est, ergo quatuor superiores rationes hanc corroborant. Deinde ut cæcitas oculorum, surditas aurium vitium est, quia oculorum auriumque nativa vis lucem sonumque percipere debet; ita mentium natura cùm sit veritatem ipsam per se contemplari, eo bono si caruisset, vitiosa interim fuisset. Deinde sola increatæ sapientiæ visio famem mentium satiat, sola implet: ergo hæc est naturalis ejus perfectio, ergo si hac fraudetur, imperfecta & vitiosa est. Denique ut vera & bona particularia omnia possideat natura mentium, indiga adhuc est, & inquieta, & nauseabunda; ergo aliquo naturali bono orba, ergo vitiosa; nempe & cæca est, quæ suum Solem non videat; & surda quæ intimum verbum non audiat. Augustinus: *Huic naturæ quæ in tanta excellentia creata est, ut licet ipsa sit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, id est summo Deo, beatitudinem consequatur, nec expleat indigentiam suam, nisi utique beata sit, eique explendæ non sufficiat nisi Deus, profectò non illi adhærere vitium est. Omne autem vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est*. Vides vitiosam esse naturam quæ indiga sit, quæ beata non sit, quæ plena non sit tanto bono quantum capit. Et alibi: *Sicut ergo cum vitium oculorum dicitur cæcitas, id ostenditur quod ad naturam oculorum pertinet visus; & cum vitium aurium dicitur surditas, ad earum naturam pertinere demonstratur auditus; ita cum vitium creaturæ dicitur quod non adhæret Deo, ut ei vivat, inde sapiat, illo gaudeat, tantoque bono sine morte, sine errore, sine molestia perfruatur, hinc apertissimè declaratur ejus naturæ, ut Deo adhæreat, convenire*. Ex his verbis uno illo capite contextis abundè liquet natura hominem Angelumque ita comparatum esse, ut Dei contemplatione complexuque coram & ad satietatem perfruatur; trunca ergo & vitiosa natura est, quæ tanto bono viduata est.

Civit. l. 12. c. 1. — Cont. Epist. Fund. c. 1.

VII. Sextò. Utraque natura imago Dei fieri debuit, ut apud omnes in confesso est; at imago Dei germana & intaminata non esset, nisi Dei Verbum contemplaretur, sibi præsentissimum intimumque; nam id Paulus docet, ubi ait nos renovari nunc in agnitionem Dei, eoque redintegrari in nobis imaginem Dei ad quam primùm conditi fueramus; renovamur autem per Christum, non in qualemcumque agnitionem Dei, sed in contemplationem claram & conspicuam: in hac ergo per imaginem Dei primùm inditam conditi fueramus. Deinde homo imago Dei est, non quasi picta aut ficta, sed ut filius imago patris est. Ecquis autem filius conspectu & contuitu patris unquam arcetur?

Deinde homo imago Dei est, non exanimis, non iners, sed viva & vegeta, exemplar nempe suum jugiter contuens, & ad illud semetipsum effingens. Denique hac defuncti mortalitate, ubi in pristina naturæ

turæ integræ privilegia per Christum reparatorem restituti fuerimus, similes Deo erimus, quoniam videbimus eum sicuti est; similitudo ergo & imago absolutissima visionem Dei consequitur. Augusti-
l. de vera Relig. c. 23. nus: *Rectissimè dicitur factus ad imaginem & similitudinem Dei; non enim aliter incommutabilem veritatem posset mente conspicere.* Et rursus alibi: *Non rectè dicitur imago Dei, nisi illud quod inhæret contemplandæ incommutabili veritati.* Et ibidem: *Unde & Apostolus dicit, Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui renovatur in agnitione Dei, secundùm imaginem ejus qui creavit eum; satis ostendens ubi sit homo creatus ad imaginem Dei, quia non corporeis lineamentis, sed quadam intelligibili forma mentis illuminatæ.* Hæc intelligibilis forma mentis illuminatæ quæ imaginem Dei constituit, forma formarum est, summus apex intelligibilium, ipsa imago consubstantialis Dei, quæ mentibus se infundens, suarum prærogativarum consortes facit, filiosque & imagines Dei constituit. Athanasius: *Mundi opifex & humanum genus ad sui ipsius imaginem effinxit, hominemque rerum contemplatorem peritumque communicatione suæ cum eo similitudinis effecit, tribuens ei suæ æternitatis intellectum & cognitionem, &c. Nullo enim impedimento implicitus, quod Dei cognitionem remorari possit, spectat quidem semper sua puritate Deum Verbum, ad cujus exemplar ipse creatus est, &c. Quum enim temporalibus commerciis non immiscetur mens humana, neque ullam ex rebus extraneis admixtam habet cupiditatem, sed sibi tota adest, ut à principio condita fuit: tunc sensibilia & omnia humana transcendens, in sublime evolat, & Verbum intuens, videt quoque in eo ipso & Verbi Patrem, delectaturque istiusmodi spectaculo, & ejus desiderio rejuvenescit.* Ex imaginis Dei privilegio hoc existimat Athanasius consequi, ut æternitatem Dei intelligat mens, Verbum videat ut exemplar suum, & in Verbo Patrem quoque intueatur. Basilii & Nysseni suffragia ad hoc idem muniendum suprà relata sunt.

(De Gen. ad lit. l. 3. c. 22. 20. — Orat. Cont. Gentes.)

VIII. Septimò. A contuitu Dei non corpora mentem separant, sed peccata; aut si & corpora separant, non quæcumque, sed mortalia, cupiditatum ægritudinumque tempestatibus mentis serenitatem inquinantia. Ita enim sacræ paginæ quibus authoritates sanctorum Patrum Interpretum-
Isaiæ 59. 2. que subnectemus, constanter testificantur: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret.* Ergo Dei faciem & contuitum non abscondunt, nec nos à conspectu Dei sum-
Sapient. 9. 15 movent nisi peccata. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitanem. Et difficilè æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore; quæ autem in cœlis sunt quis investigabit? sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, &c.* Vides mentem deprimi non à corpore, sed à corpore corruptibili, propter peccatum in terram redire jusso, suaque egestate in multas curas cogitationesque animam distrahente, ideoque à summis deponente: ex eoque fieri ut mens cœlestia lustrare nequeat, sensum & sapientiam Dei non videat, imò quæ ante pedes & in prospectu sunt vix intelligat.

Deinde corpus nimio plus officeret animæ, si illi divinorum contuitum intercluderet: præter naturam esset hæc copula quæ partis ignobilioris nonnullo compendio, nobiliori longè majori dispendio fieret: præter æquitatis legem, præter ordinem universi foret hæc animæ corporisque confœderatio, si ut inferior natura exornaretur, superior spoliaretur, si summorum jactura crescerent ima, si ad corporum emolumentum ornatumque qualemlibet divinus mentium & animarum ordo summi boni visu fructuque exturbaretur.

Deinde non corpus animam à summis deponere, sed anima corpus ab imis seponere, sibique vendicare debet, ut æterna lex & ordo incommutabilis æquitatis vigeat. Agere superiorum est, pati inferiorum: illa præpollere fas est, hæc obsequi. Suo sibi jure & innato imperio anima corpus vindicat, subjugatque, sibique religatum, secum ab imis abstrahit, ad summa pertrahit, non ex adverso ipsa in illius sordes tenebrasque revolvitur. Et hoc sapientissimæ naturæ consilium est, animabus subligare corpora, ut per illas ista ad divinorum etiam evehantur fruitionem, cujus alioqui impatientia forent. Denique adeo corporis regimen animam à summis sevocare non debet, ut intercidat & labefactetur totum illud regimen, nisi in summorum & divinorum exemplarium contuitu anima perseveret. Non corpus enim solùm regere & fingere debet anima, sed ad divinorum imitationem dirigere & effingere, ut quidquid in imis geritur, summorum adumbratio sit, ut temporalia ad æternorum leges dispensentur, ut corporalia intelligibilium sint simulacra, ut mutabilia ad immutabiles legum æternarum cardines religentur. Ut igitur ratio legitimè temporalia, corporalia & mutabilia moderetur, necesse est ut simul mens æterna intelligibilia & immutabilia contempletur, idque sine corporum velo, sine involucro. Rectricem enim corporum mentem nec juvare debent, nec turbare possunt corpora, dum regendi leges contuetur æternas.

IX. Gregorius Magnus: *Obtenebrentur stellæ* Moral. 4. l. c. 22.
caligine ejus, intelligi & aliter potest. Nox quippe illa, consensus videlicet ad culpam, quæ ad nos primi parentis est excessu propagata, menti nostræ oculum tanta obscuritate perculit, ut omnis homo in hujus vitæ exilio, cœcitatis suæ tenebris pressus, quantalibet vi ad æternitatis lumen intenderit, penetrare non possit. Post pœnam namque damnati peccatores nascimur, atque ad hanc vitam cum mortis nostræ merito venimus, & cum ad superna lucis radium aciem mentis erigimus, ipsa infirmitatis nostræ obscuritate caligamus. Et paulò pòst: *Constat quia dum corruptibili adhuc carne gravati sunt, æternum lumen sicut est, nequaquam videre possunt.* Et paulò infrà: *Etsi jam ad summa exiliunt, adhuc tamen in infimis primæ culpæ pondere gravantur. Unde fit ut & foris exempla lucis velut astra præbeant: sed tamen intus usque ad fixæ visionis certitudinem, pressi noctis caligine non ascendant. Sæpè autem ita mens accenditur, ut quamvis in carne sit posita, in Deum tamen omni subjugata carnali cogitatione rapiatur: nec tamen Deum sicuti est conspicit, quia hanc nimirum, sicut dictum est, in carne corruptibili pondus primæ damnationis premit.* Causam ergo totam cur quantumlibet enitatur mens nostra nunc, seque aliquantillum supra phantasmata arrigat, Deum tamen sicuti est conspicere necdum possit, nec in ejus visione aciem figere, nec æternum lumen videre: refundit Gregorius, non in corpus, sed in carnem corruptibilem, in pondus primæ damnationis, in pœnam peccati; ergo ante culpam homo nullo hujusmodi obice à contem- Ibid. c. 23.
platione Dei discludebatur. Ibidem rursus: *Expectet lucem, & non videat. Quantalibet namque intentione adhuc peregrina mens satagat, videre lucem æternam sicuti est, non valet, quia hanc ei damnationis suæ cæcitas abscondit.* Visionem igitur Dei non naturæ mentis infirmitas, non corporis sensuumque corporeorum opacitas, sed damnationis cæcitas intercludit. Mens ergo quæcumque Deum non videt, ex pœna culpæ non videt; quæcumque pœnæ culpæque non subjacet, planè Deum videt.

X. Et Bernardus: *Sanè non simpliciter corpus,* Serm. 2. in Septuag.
sed corpus quod corrumpitur aggravat animam; ut immunem ab hoc gravamine primi parentis animam noveris extitisse, donec adhuc corpus gereret incorruptum. Nimirum in libertate posuit eum Deus, ut inter summa & infima versans, & in illa excederet sine diffi-

difficultate, & ad hæc sine illecebra aut necessitate descenderet. Illa penetrans naturali vivacitate & puritate mentis; hæc authoritate dijudicans præsidentis. Non sic in nobis libera ratio, sed undique ei luctandum est. Sic enim & ab infimis visco quodam captiva tenetur, & à summis indigna repellitur; ut nec ab his sine dolore possit avelli, nec ad illa sine magno gemitu vel raro queat admitti. Vides non corpore, sed corpore post peccatum corruptibili gravari animam; vides Adamum libertate, vivacitate & puritate mentis ad summa sine difficultate escendisse, eaque penetrasse; vides id flagitare naturam animæ mediam inter summa & infima stationem tenentis, ut summa penetret, quo ima dijudicet; nec ima dijudicare satis possit, nisi æternas judicandi leges in æterna lege, in incommutabili veritate legat. Idem sermone in festo sancti Martini: *Quid causaris homo, quid sententiam quereris duriorem? Terræ addictus es, factus e terra; ut ipsa tibi sit patria, quæ materia fuit. Sed audire, inquies, velim, quia spiritus es, & ad spiritum ibis; siquidem etiam spiritus sum, quod ad animam pertinet, nec portionem mei hanc dubitaverim potiorem, &c. ut quid ergo tenet me mater carnis, quia caro ex parte; spirituum Pater non recipit, cum ex parte sim spiritus? Scio, agit hoc non tam substantia ipsa, quàm culpa: sicut enim peccatores spiritus inter cœlum & terram, ventosum hoc medium tenent, unde & potestates hujus aeris nominantur; sic peccata nostra inter nos & Deum separant, inter creatorem Patremque spirituum, & spiritualem utique creaturam, &c. Corpus enim aggravat animam, sed utique quod corrumpitur; corrumpitur autem, imo etiam Apostolo teste, mortuum est propter peccatum. Itaque licet quodammodo cœlum sit homo, cœlestibus sine dubio spiritibus similis, substantia simul & forma, substantia quidem, quoniam spiritualis, forma verò quia rationalis est, &c.* Vides hominem, quia terra est, inter terrena in terra versari; quamvis spiritus sit, non tamen inter Angelicos spiritus in cœlo cum summo Patre spirituum versari; idque eam unam ob causam, quia peccata inter ipsum & Deum separant, & quia corpore per peccatum mortuo amicitur. Idem Bernardus alibi: *Unicuique nostrum qui desideramus adventum ipsius, puto illum nihilominus post parietem stare, dum corpus hoc nostrum quod certe peccati est, abscondat interim nobis faciem ejus, & præsentiam intercludat. Denique quandiu sumus in hoc corpore, inquit, peregrinamur à Domino; non quia in corpore, sed quia in corpore hoc, quod utique de peccato est, & sine peccato non est. Et ut scias quoniam obstant non corpora, sed peccata, audi Scripturam, Peccata nostra, inquit, separant inter nos & Deum.* Perspicuè faciem & præsentiam Dei non alio nobis intercipi repagulo docet, quàm peccati & corporis per peccatum tabefacti. Denique idem alibi: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Hæc visio vita æterna est, &c. Odibilis macula quæ beatam nobis adimit visionem, &c. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit, &c. In utroque tamen solum quod hebetat & confundit obtutum, peccatum est; nec aliud inter oculum & lucem, inter Deum & hominem separare videtur. Quandiu enim in hoc corpore sumus, peregrinamur à Domino. Non utique corporis est culpa, hujus scilicet, quod gerimus corpus mortis; magis autem quod corpus peccati sit caro, in qua bonum non est, sed potius lex peccati.* Si solum peccatum discludit oculum à luce, mentem à Deo; si solum peccatum visionem Dei intercipit, quis non videt quid æstimandum sit de homine ante peccatum?

Hom. 56. In Cant.

De Conver. ad Cleric. c. 25.

CAPUT VIII.

Aliæ rursum rationes ad eandem intelligentiæ divinorum claritatem adserendam Angelis hominibusque, in primo sui ortu.

I. Perspicua illa divinorum intelligentia, seu contemplatio, debebatur cognationi, intimæque præsentia veritatis incommutabilis & mentis creatæ Conglobantur rationes ad hoc variæ.
II. Conglobantur & testimonia Augustini.
III. Et Bernardi.
IV. Et Athanasii.
V. Debebatur illa Dei visio, seu potius intelligentia & contemplatio menti positæ in confinio naturæ creatæ & increatæ. Multis id argumentis efficitur.
VI. Quibus adstruuntur Augustini testimonia.
VII. Et Gregorii Magni.
VIII. Item Bernardi.
IX. Et Isidori Hispalensis.

I. OCtavò. Qualiscumque veritatis divinæ contuitus intellectuali naturæ vix potuit denegari; videlicet propter intimam præsentiam veritatis & mentis, quibus nihil conjunctius esse potest, nihil medium interesse potest; incorporea enim sunt, ideoque non localiter dissita, sed naturæ similitudine copulata sunt. Nam quod rebus corporeis proximitas & longinquitas est, id spiritalibus est similitudo & dissimilitudo. Mens ergo Angeli hominisque ad imaginem & similitudinem veritatis cùm sit, necesse est, illi proxima & conjunctissima sit. Qui igitur fiet, ut lux oculo, id est veritas menti adsit, & insit, nec utcumque videatur? Deinde æquum erat, donatum oculo corporis ad lucem corpoream, donari & oculo mentis ad lucem mentalem non minùs conspicuè intuendam. Et sicut caligante ad Solis lucem oculo, hæc non natura est, sed ægritudo; ita cæcutiente ad veritatis Solem mente, hæc non natura, sed pœna est: & sicut lippitudinis vitium est, impatientem Solis oculum opacis tantùm corporibus & mediocri Solis lumine perfusis oblectari; ita pœnalis cæcitatis supplicium est, impatientem lucidissimæ veritatis mentem, solis sensibilibus intelligibilis lucis aliquali & quasi furtiva luce respersis inhærere. Ergo ante supplicium, ante vitium seu ante peccatum, sana natura non minùs, imò multò plus valebat oculo mentis quàm oculo corporis; clariùs videbat Solem justitiæ, quàm Solem naturæ; ampliùs & faciliùs oblectabatur ipsa Solis intelligibilis luce, immediatè & directè irradiantis, quàm corporeo Solis fulgore. Visio porro ista Dei, sicubi & à nobis quoque visio dicitur, quæ contemplatio & intelligentia aptiùs dicitur; ista inquam visio id tantùm valet, ut videatur Deus quòd sit, non quid sit: nam & oculo corporeo videtur quòd sit Sol sensibilis, non autem quid sit. Ejusmodi est ergo visio, quade hic agitur. Deinde cùm lux propriè nonnisi mentalis sit, cujus umbra est lux corporea, cùm visio propriè mentis sit, cujus adumbratio est visio corporea; quid portenti fuisset, naturam intellectualem luce & visione corporea locupletare, incorporea ludificare, id est, illustrare umbra, obscurare lumine? Quid portenti fuisset naturæ corporeæ à natura & vi cognoscendi adeo abhorrenti, cognitionem per vim quasi invitæ & reluctanti inserere; naturæ autem incorporeæ cognitionem maximè consentaneam excutere, corporumque tenebris undique illam obsepire; hoc est, cœlum terræ miscere? Denique Deo videndo sola cordis munditia necessaria esse à Scripturis, à sanctis Patribus, ab ipsa veritate prædicatur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum

vide-

videbunt. At corde mundissimus in prima sui creatione fuit & homo & Angelus. Cordis igitur nunc immunditia culpanda est, non naturæ infirmitas, quòd Dei visionem obsepiat.

De Verbis Dom. Serm. 18. c. 6. II. Augustinus: *Solem quem sanis oculis videre volumus, Deus fecit; multò est utique lucidior, ille qui fecit; nec hujus generis lux est, quæ pertinet ad oculum mentis. Lux illa est æterna sapientia. Fecit autem te Deus, ò homo, ad imaginem suam. Daretne tibi unde videres Solem quem fecit, & non tibi daret unde videres eum qui te fecit, cùm te ad imaginem suam fecerit? Dedit & hoc, utrumque dedit tibi; sed multum hos oculos exteriores diligis, multum illum interiorem negligis. Detritum portas atque sauciatum. Pœna est tibi, si se voluerit ostendere fabricator tuus; pœna est oculo tuo, antequam curetur atque sanetur. Nam & in paradiso peccavit Adam, & abscondit se à facie Domini. Cùm haberet ergo cor sanum puræ conscientiæ, gaudebat ad præsentiam Dei; postquam peccato oculus ille sauciatus est, cœpit lucem formidare divinam, refugit in tenebras atque in densa lignorum, veritatem fugiens, umbras appetens.* Quo ex sancti Patris testimonio liquet monstri simile fore, si oculo donatus homo ad videndum Solem, oculo non donaretur ad videndum Deum. Liquet oculum ad videndum Deum nobis datum, peccato detritum & sauciatum esse. Liquet ideo nunc visionem faciemque Dei ferre nos non posse, non quia natura imbecilla est, sed quia per peccatum excæcata est. Liquet Adamum ante peccatum puro mentis oculo ad lucem divinam non caligasse, ad Dei præsentiam exultasse. Liquet ut Deum videre rursum possimus, non aliud quàm oculum cordis mundandum, ægritudinem sanandam, naturam redintegrandam.

Serm. 5. In Cant. III. Bernardus: *Supercœlestis spiritus absque adjutorio corporis, & absque intuitu horum quæ per corpus sentiuntur, sola profectò suæ vicinitate ac vivacitate naturæ, sufficit apprehendere summa, & intima penetrare. Annon hoc Apostolus intellexit, qui cum diceret, invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, adjecit protinus, à creatura mundi; nimirum quoniam a creatura cœli non ita? Quo enim is involutus carne & terræ incola spiritus ex consideratione sensibilium proficiens, gradatim quodammodo paulatimque nititur pervenire; eo ille cœlestium habitator ingenita subtilitate ac sublimitate sua, in omni velocitate facilitateque pertingit, &c. Cur enim inter corpora spirituales scrutetur sensus, quos in libro vitæ & absque contradictione legit, & absque difficultate intelligit?* Hìc vides mentem angelicam sola suæ vicinitate ac vivacitate naturæ, ingenita subtilitate & sublimitate sua, sufficere ut apprehendat summa, intima penetret, invisibilia Dei videat, in libro vitæ seu in incommutabili veritate legat & intelligat. Idem ergo de homine quandiu alter Angelus fuit, & creatura paradisi fuit, non mundi.

Orat. cont. Gentes. IV. Athanasius: *Quum corporalibus commerciis non immiscetur mens humana, neque ullam ex rebus extraneis admixtam trahit cupiditatem, sed sibi tota adest, ut à principio condita fuit, tunc sensibilia & omnia humana transcendens, in sublime evolat, & Verbum intuens, videt quoque in eo ipso & Verbi Patrem, delectaturque istiusmodi spectaculo, & ejus desiderio rejuvenescit. Ut igitur primum hominem ajunt sacræ Scripturæ principio liberioris fiduciæ mentem erga Deum habuisse, & cum Sanctis conversatum esse in contemplatione intelligibilium, quam habuit in eo loco quem Moyses figuratè paradisum nominavit. Sufficit enim animæ puritas ut Deum per se speculetur, quemadmodum & Dominus dixit, Beati mundo corde, quonam ipsi Deum videbunt.* Ubi perspicuum est, purgato à sordibus oculo mentis, Verbum Verbique Patrem videri, & mentis munditiam ad id sufficere, & Adamum ante lapsum ea visione beatum fuisse, & ea beatam statim fore naturam intellectualem, quæ se sibi reddiderit, seque in eum statum revocaverit, in quo primùm condita fuit.

V. Nonò, jubet ordo legis sempiternæ, ut natura rationalis in confinio mundi sensibilis & intelligibilis posita, utrique immediatè adhæreat; utque infra sensibilibus, ita suprà intelligibilibus radiis informetur; imò tantò plus his quàm illis, quantò hi efficaciores fulgidioresque sunt. Etenim si non consurgit mens hominis ad intelligibilia, nisi per sensibilia; ergo non ipsa media est inter utraque, sed inter intelligibilem orbem & hominem media sunt sensibilia; quod quantum à veritate abhorreat, nemo non videt. Igitur lex sempiterna jubet, ut qui medius est, summo sui summis, infimo sui infimis, id est, intellectu intelligibilibus, sensu sensibilibus adhæreat; nec minùs illo illa, quàm isto ista videat; imò tantò plus, quantò ille perspicacior, illa perspicuiora; & videre proclivior mens, quàm caro; videri paratior lux, quàm umbra. Lex sempiterna jubet, ut qui medius est, summa contempletur, ima moderetur, in imis summa imitetur: illinc regatur, hic regat; sicque mediatoris & conciliatoris partes impleat. Alioqui si non ex summorum contuitu infima dirigat, sed ex infimorum conspectu ad summa surgat, non jam inter summa & infima medius est, sed infimis infimior est, per hæc gradatim ad illa scandens, & totum naturæ ordinem subvertens. Non naturalis ergo, sed pœnalis hic status est in quo nunc versamur, qui summa in infimis, incorporea in corporeis, in sensibilibus intelligibilia, in temporalibus æterna, id est, lucem in tenebris, Solem in nocte vestigamus. Parentali flagitio ab intelligibilibus dissiluimus, sensibilibus allisi sumus, totoque amore ab illis aversi, his affixi: sive ex naturali voluntatis & intellectus consensione, sive ex communi ut culpæ, ita & pœnæ contagione, ut non alia quàm sensibilia diligere, ita vix alia possumus intelligere. Cùm enim mens & voluntas res adeo una, vel propè una sit, fieri nequit ut voluntate infimis adglutinata, mens interim per serenum veritatis libera & sublimis spatietur; fieri nequit ut amentur sensibilia, nec cogitentur; fieri nequit ut semper & impotentissimè amentur, quin semper & vehementissimè cogitentur. Sic voluntatis vincula mentem ligant; amoris vitia intellectum contaminant; purgarique amorem necesse est, & cor purgari, ut redditus sibi intellectus videat Deum. Voluntas ergo quæ prior cecidit, prior surgat; quandiu enim infima diliget, summa non intelliget; quia quæ amabit, illa tantùm cogitabit. Quocirca priùs summa diligi necesse est quàm intelligi; nec diligi tamen poterunt, nisi noscantur; ita ergo nosci primùm debent, ut nondum intelligantur. Quæ igitur debent nosci, nec intelligi, debent credi; ne opinioni, lubrico nimis fulcimento, tanti ponderis machina, salus tota innitatur. Hinc ergo duplex adminiculum suppeditatur reparandæ ruinæ mentium, in hanc collapsarum dissimilitudinis regionem. Primum quidem si his ipsis in quæ cecidere innitantur, ut inde surgant; id est, si ex sensibilium scrutatione intelligibilia utcumque ibi radiantia à longe conspicere assuescant, & lippientem mentis aciem terreno amore veluti pulvere inde excusso, paulatim corroborent ad ea propiùs & immediatè contuenda. Alterum verò si quæ nesciunt, à scientibus audiant; quæ non intelligunt, ab intelligentibus accipiant, accepta credant, credita ament, amata cogitent, cogitata intelligant. Divina igitur vel sensu colligere, vel fide credere, præclarum est, quia medicinale est: æquum est, quia pœnale est. Ita lapso præclarum est surgere, & ægro beatum est convalescere, etsi nec ille sine pudore surgat, nec iste sine amaritudine pharmaci convalescat. Sed quisquis cecidit, olim stetit; quisquis ægrescit, olim valuit. Igitur ante lapsum,

ante

ante morbum, qui necdum amore se subjecerat infimis, necdum mente à summis caligaverat; isque nec ab infimis ad summa gradum moliri, nec fidei nubilosa caligine contra intolerabilem summorum lucem sese præmunire necesse habebat.

L. de util. creden. c. 15. VI. Augustinus: *Cum sapiens sit Deo ita mente conjunctus, ut nihil interponatur quod separet; Deus enim est veritas, nec ullo modo sapiens est quisquam, si non veritatem mente contingat; negare non possumus inter stultitiam hominis & serenissimam Dei veritatem, medium quiddam interpositum esse, hominis sapientiam.* Et paulò pòst: *Id nunc agitur ut sapientes esse possimus, id est, inhærere veritati; quod profectò sordidus animus non potest. Sunt autem sordes animi, ut breviter explicem, amor quarumlibet rerum præter animum & Deum; à quibus sordibus quanto est quis purgatior, tantò verum faciliùs intuetur. Verum igitur videre velle, ut animum purges, cùm ideo purgetur ut videas, perversum certè atque præposterum est. Homini ergo non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, purgarique se sinat, authoritas præsto est.* Ubi vides mentem puram à veritate contuenda nullo interstitio separari; solo sensibilium amore hunc contuitum intercipi; purgando huic amori necessariam fidem authoritati innixam; purgata per fidem mente, veritatem rursum videri; ideo ergo fidem medicinalem esse; homini igitur sano illam necessariam non fuisse. Idem Augustinus alibi: *Quia in temporalia devenimus, & earum amore ab æternis impedimur, quædam temporalis medicina, quæ non scientes, sed credentes ad salutem vocat, non naturæ & excellentiæ, sed ipsius temporis ordine prior est.* Vides fidem non necessariam fuisse, nisi post peccatum; vides illam medicinalem esse, ideoque homini sano minimè congruam; vides solo amore temporalium impediri nos ab æternis. Idem alibi: *Quia igitur ad æterna capessenda idonei non eramus, sordesque peccatorum nostrorum nos prægravabant, temporalium rerum amore contractæ, & de propagine mortalitatis tanquam naturaliter inolitæ, purgandi eramus. Purgari autem ut contemperaremur æternis, nonnisi per temporalia possemus, &c. Mens rationalis sicut purgata contemplationem debet rebus æternis, sic purganda temporalibus fidem, &c. Nunc ergo adhibemus fidem rebus temporaliter gestis propter nos, & per ipsam mundamur, ut cùm ad speciem venerimus, quemadmodum succedet fidei veritas, ita mortalitati succedat æternitas.* Sexcenta ejusmodi accumulari possent Augustini testimonia, quibus dilucidum fit fidem temporalium medicinam esse à Deo institutam sanando amori temporalium, mentisque oculo purgando, præparandoque ad contuitum æternorum; ideoque ante flagitiosum temporalium amorem, nullum fuisse temporalium fidei locum, sed nudæ contemplationi æternorum.

De vera Relig. c. 24.

De Trinit. l. 4. c. 18.

Moral. l. 26. c. 8. VII. Nec minùs luculentè Gregorius Magnus: *Si vigilanter exteriora conspicimus, per ipsa eadem ad interiora revocamur. Vestigia quippe creatoris nostri sunt mira opera visibilis creaturæ. Ipsum nempe adhuc videre non possumus, sed jam ad ejus visionem tendimus, si eum in his quæ fecit miramur. Ejus ergo vestigia creaturam dicimus, quia per hæc quæ ab ipso sunt, sequendo imus ad ipsum: unde Paulus ait, Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, &c. & in Libro Sapientiæ, Per magnitudinem enim creaturæ, &c. Menti enim nostræ peccato suo exteriùs sparsæ, necdum Deus sicut est, interiùs innotescit; sed dum facturæ suæ decus exteriùs proponit, quasi quibusdam se nobis nutibus innuit, & quæ intus sequamur, ostendit. Et miro modo ipsis formis exterioribus nos ad interiora perducit, &c. Quocumque se verterit anima, si vigilanter intendit, in iis ipsis Deum invenit, per quæ reliquit; ejusque potentiam ex eorum rursus consideratione cognoscit, quorum amore deseruit; & per quæ perversa cecidit, per hæc conversa revocatur. Ubi enim lapsi sumus, ibi incumbimus ut surgamus; & quasi ibi surgendo manum considerationis figimus, ubi pede amoris lubrici corruentes negligendo jacebamus. Quia enim ab invisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est ut ad invisibilia ipsis rursum visibilibus innitamur; ut quo casu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa; atque eisdem quibus corruit, passibus surgat; dum sicut dictum est, illa nos ad Deum benè considerata revocent, quæ nos ab eo male electa diviserunt.* Ita sanctus Pontifex studiosè inculcat, quod invisibilia Dei ex visibilibus colligere adigamur; quod Creatorem non in se ut est, sed in creatura, uti in speculo videamus, eam non naturam esse nostram, sed culpæ pœnam simul & medicinam; ut per ea surgamus, per quæ cecidimus; tam bono Deo, ut per pœnam sanet; tam justo, ut per medicinam puniat. Ante culpam ergo homo qui se necdum per exteriora sparserat, necdum per visibilia insano se amore effuderat, necdum etiam per eadem ad Deum conscendebat; necdum præpostero gressu priùs descendebat, ut ascenderet; necdum è medio in imum se devolvebat, ut ad summa se retorqueret. At ubi amore subjecit se imis, jam ipsis infimis infimior, pœnaliter & medicinaliter simul per eadem infima gradum sibi struere ad summa compulsus est. Idem alibi: *Isaias gloriam Dei in terra vidit; Ezechiel verò gloriam in cœlo sicuti est videre non potuit. Quia aliter est gloria ejus in rebus factis, aliter in semetipso. Hæc ergo ejus gloria quæ in rebus est, videri potest; illa verò quæ in ipso est, videri modò nisi per similitudinem non potest.* Et paulò pòst: *Qua in re cum magno mœrore pensare, & considerare cum lacrymis debemus, in quantam miseriam & infirmitatem cecidimus, qui & ipsum bonum ferre non possumus, ad quod videndum creati sumus.* Quod ergo Deum nonnisi ex rebus factis, quod nonnisi in similitudinem speculi videre possimus, hæc non natura, non corporis & animæ copula, non modus intelligendi, modo essendi consentaneus; sed miseria, sed lapsus, sed infirmitas est, gemitu lacrymisque prosequenda. Hæc præiverat Gregorio Augustinus, qui & ipse non semel hujus à creaturis visibilibus ad invisibilia Dei vestiganda progressionis necessitatem emersisse à peccati culpa & pœna profitetur: *Nam in quemcumque locum quisque ceciderit, ibi debet incumbere ut resurgat; ergo ipsis carnalibus formis, quibus detinemur, nitendum est ad eas cognoscendas quas caro non nunciat.* Et infrà: *Invisibilia Dei à creatura mundi per ea, &c. hæc est à temporalibus ad æterna regressio, & ex vita veteris hominis in novum hominem reformatio.* Et rursus alibi: *Quoquo te verteris, vestigiis quibusdam, quæ operibus suis impressit, loquitur tibi; & te in exteriora relabentem, ipsis exteriorum formis intro revocat.* Vides quàm religiosè vestigia Augustini legat Gregorius, & ejus non tantùm sensa, sed verba propè ipsa seligat. Denique idem Gregorius: *Humana anima primorum hominum vitio à paradisi gaudiis expulsa, lucem invisibilium perdidit, & totam se in amorem visibilium fudit; tantoque ab interna speculatione cæcata est, quanto foras deformiter sparsa; unde fit ut nulla noverit nisi ea, quæ corporeis oculis ut ita dixerim palpando cognoscit. Homo enim qui si præceptum servare voluisset, etiam carne spiritalis futurus erat; peccando factus est etiam mente carnalis, ut sola cogitet quæ ad animum per imagines corporum trahit.* Si invisibilium lucem perdidimus, si per sola phantasmata cogitamus, si mente carnales quodammodo sumus, originis corruptæ vitium hoc est, non naturæ mediocritas, non animæ in corpore degentis necessitas. Si natura enim esset integra, ut æterna lex jubet, mens carnem ad se sublimaret, non caro ad se mentem deprimeret; esset homo carne spiritalis, non mente carnalis.

Hom. 8. in Ezech.

L. de vera relig. c. 24. 52.

De lib. arb. l. 2. c. 16.

Moral. l. 6. c. 25.

VIII. Bernardus Augustino & Gregorio hæret

indi-

In Cant. Serm. 28. indivulsus: *Audi filia & vide. Quid intendis oculum? aurem para. Videre desideras Christum? oportet te prius audire eum, audire de eo: ut dicas cum videris, Sicut audivimus, sic vidimus. Immensa claritas, visus angustus, & non potes ad eam. Potes auditu, sed non aspectu. Clamantem denique Deum, Adam ubi es? non videbam jam peccator, tamen audiebam: sed auditus aspectum restituet, si pius, si vigil, si fidelis praecesserit. Fides purgabit, quem turbavit impietas; & quem inobedientia clausit, aperiet obedientia. Denique à mandatis tuis intellexi, inquit, quod intellectum reddat observatio mandatorum, quem tulit transgressio.* Ubi advertis, intellectum, visum, claritatem peccato Adami amissa esse; auditum solum superesse, ut audiamus quæ videre jam non possumus, audita credamus, credita diligamus, diligendo tandem intelligamus & videamus; ita auditus visum restituet, & observatio reddet quod abstulit transgressio. Adamus autem post peccatum tunc demum cœpit Deum audire, quem non amplius poterat videre. Sed aureum planè ejusdem alium contextum libet hìc licèt paulò prolixiorem intexere: De Consid. L. 5. c. 1. *Toties peregrinatur consideratio tua, quoties ab illis rebus ad ista deflectitur, inferiora & visibilia, &c. Si tamen ita versatur in his, ut per hæc illa requirat, haud procul exulat. Sic considerare, vel approbare, repatriare est. Sublimior iste præsentium, ac dignior usus rerum est, cum juxta sapientiam Pauli, invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sanè hac scala cives non egent, sed exules. Quod vidit ipse hujus sententiæ author, qui cum diceret invisibilia Dei per visibilia conspici, signanter posuit, à creatura mundi. Et verè quid opus scalis, tenenti jam solium? Creatura cœli illa est, præsto habens per quod potius ista intueatur. Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum. Nec opus habet ex iis quæ facta sunt, factoris notitiam mendicare.* Sic ille declarat à creaturis ad Creatorem conspiciendum assurgere, non esse nisi exulum, tametsi propiùs jam exulantium & repatriantium; hanc esse scalam exulum, non civium; creaturæ mundi, id est, in mundo exulantis, non creaturæ cœli, nunquam peregrinatæ. Cujus rei rationem invictissimam subjicit: *Optimum videndi genus si nullius egueris; ad omne quod nosse libuerit, te contentus. Alioquin juvari aliunde, obnoxium fieri est; minusque à perfecto istud & minus liberum. Quid quod & inferioribus eges? nonne præposterum hoc & indignum? Planè superiorum quædam injuria est, inferiorum operam desiderare, à qua injuria nemo hominum perfectè vindicabitur, nisi cum quisque evaserit in libertatem filiorum Dei. Nempe erunt hi omnes docibiles Dei, & nulla interveniente creatura, solo beati Deo. Repatriasse erit hoc, exisse de patria corporum, in regionem spirituum.* Præposterum ergo est, & indignum, & naturæ intellectuali contumeliosum, ideoque non naturale, sed pœnale est, quod inferioribus nempe visibilibus indigeat ad invisibilia Dei conspicienda; ab hac contumelia, ab hac pœna tum perfectè vindicabimur, cum in pristinam libertatem, cum in Patriam unde exulamus, recepti fuerimus.

In Gen. c. 3. IX. Consentit & Isidorus Hispalensis: *Post hæc fecit Deus hominem ad imaginem suam; perfectum scilicet virum, qui non quemlibet sanctorum virorum imitando, sed ipsam veritatem contemplabiliter intuendo, operatur justitiam, ut ipsam intelligat & sequatur.* Innuit Isidorus ut verè imago Dei & verè perfectus foret primus homo, necesse fuisse ut non per creaturas, non per exempla etiam Sanctorum ad Deum pergeret, sed ipsam sine medio veritatem intueretur & imitaretur, ad eamque se totum effingeret ut nativam ejus imaginem.

Vide Hugon. Victor. Tom. 1. pag. 327. Tom. 3. pag. 560. 561. 416.

CAPUT IX.

Aliæ ad hoc ipsum rationes; ut clara æternorum intelligentia conditis statim Angelis hominibusque concedatur.

I. Idem rursus probatur ex eo quod tum demum opus fuit, ut carne velaretur Deitas Verbi, postquam peccato carnales facti sumus. Multis id argumentis elucidatur.

II. Quibus accedit suffragium multiplex Augustini.

III. Et Bernardi.

IV. Et Hugonis Victorini.

V. Probatur idem rursus ex eo, quod eodem per Christum restituimur, unde per Adamum excideramus. Multis id illustratur rationibus, & Cyrilli Alexandrini suffragatione.

VI. Dei visio quam consecuturus erat Adamus si non peccasset, & in quam nos Christus sanguine suo revocavit, multo præclarior ea, qua donatus est in sui exortu, intelligentia magis quam visione divinorum. Plurimarum ad id rationum accumulatio.

VII. Accedit suffragator Augustinus.

VIII. Et Hugo Victorinus.

IX. Illa prior Dei seu visio, seu potius intelligentia, tametsi quodammodo naturalis, erat tamen donum gratiæ, idque variis rationibus astruitur.

X. Et authoritate Augustini.

XI. Quæ Augustini loca supraposita ejus doctrinæ adversari videantur.

XII. Ejusmodi locorum elucidatio, ubi expenditur, an corporeo aliquo simulacro indueret se Deus, ut Adamo præsentem se sisteret.

XIII. Nova ex Augustino suffragia, ad illustrationem supradictorum.

XIV. In his rursus sancti Patris verbis multa animadversione dignissima, ut intelligatur, quo demum modo loqueretur ad Adamum Deus, lex & veritas sempiterna.

XV. Eodem intelligentiæ lumine gavisi essent Adæ posteri, si peccatum non esset.

I. Decimò. Ut sempiterna veritas, Verbi deitas carne velaretur, tunc demum necesse fui, cum homo per peccatum amissa invisibilium luce, & mente carnalis factus, non amplius ipsam veritatem deitatemque Verbi conspicere, sed solas corporum imagines cogitare potuit. Culpa hæc fuit, ut mens carnalis fieret; medicina statim affuit, ut Veritas caro fieret. Sola enim Veritas mentem formare, sola reformare potest. Formabat nuda Veritas mentem nudam, & à vitiis puram beabat, reformat incarnata Veritas mentem carnalem vitioque quasi corporatam. Sensibilibus ergo involucris veritatem nobis obnubi, & ita contrectandam nobis dari, non naturale, sed medicinale est: igitur ante ægritudinem, ante medicinæ necessitatem nuda veritas sine medio, sine involucro conspiciebatur.

Deinde sacrarum paginarum instrumenta & sacramenta corporalia nonnisi post peccatum usui esse cœperunt. Istæ enim, ut sancti Patres commentati sunt, istæ sunt nubes, quæ terram jam contaminatam irrigaverunt, cùm antea fons limpidus & illimis ex ipso terræ sinu ebulliens totam irrigaret. Id est ante culpam, fontem luminis beatæque visionis homo suo in sinu jugiter & inexhaustè manantem gestabat: at ubi is peccato exaruit, nubibus opus habuit, quæ veritatem opacarent, infirmoque jam ejus attemperarent oculo, per scripturas allegoriis & sacramentis corporalibus addensatas, veritate illum jam stillatim tantùm irrorarent.

Dein-

Deinde reliqua etiam quæ in quotidiano sunt usu Ecclesiæ sacramenta, eidem superstruuntur fundamento, ut per quæ homo cecidit, per hæc resurgat; ubi lapsus est, ibidem innitatur ut surgat; vel ut aliis visum est, ut superbia ejus illudatur & emendetur, dum qui veritatis fontem ipsum largissimè fluentem fastidiit, jam ejus guttulas à rebus sensibilibus exprimere cogitur & mendicare. Denique quisquis nudam & apertam veritatis sempiternæ intelligentiam primo parenti in prima sui conditione denegat, is in ipso Theologici stadii limine impingit, ut deinceps titubare & lapsare non sit unquam desiturus. Nec enim veram causam introspiciet vel sacramentorum Ecclesiæ necessitatis, vel Scripturarum opacitatis, vel assumptæ à Verbo humanitatis; vel fidei, vel creaturæ, quæ duæ ad Deum agnoscendum nobis prælucent faces, obscuritatis. Complicata sunt enim omnia hæc, & ab eodem nectuntur capite. Nimirum postquam amore sensibilium caligavit acies mentis nostræ, & nec intelligibilium lucem, nec summæ Veritatis visionem ferre ampliùs potuit; eandem veritatem quæ una & summa est mentium forma & beatitas, necesse fuit, vel naturarum corporearum pulchritudine obumbrari, ut per has menti sola jam corporalia capienti, se sensim insinuaret; vel historiis temporalibus dissimulari, ut per Scripturas sacras æterna sub involucro temporalium insereret; vel ipsa nostra humanitate obvelari, ut infantiæ nostræ lactesceret; vel sacramentis reliquis corporalibus obnubi, ut per hos se nutus innueret, & sibi utcumque copularet purgaretque, & purgatis se rursus palam ostenderet; vel denique authoritate & fide credi se juberet, quæ videri necdum valeret; ut purgata per fidem mente, videri rursus posset. Non naturalia, sed medicinalia sunt hæc omnia, nec naturæ imbecillitati, quæ ad divina contuenda non sufficiat; sed culpæ nostræ imputanda sunt, qua à divinorum contuitu nauseavimus, & per hæc rursus pharmaca ad eundem reformamur.

De lib. arb. L. 3. c. 10.

II. Augustinus: *Ex quo factum est, ut illud Dei Verbum per quod facta sunt omnia, & quo fruitur omnis angelica beatitudo, usque ad miseriam nostram clementiam suam porrigeret, & Verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Sic enim posset panem Angelorum homo manducare, nondum Angelis adæquatus, si panis ipse Angelorum hominibus dignaretur adæquari. Nec sic descendit ad nos, ut illos desereret; sed simul integer illis, integer nobis, illos intrinsecus pascens, per id quod Deus est; nos forinsecus admonens, per id quod nos sumus, idoneos facit per fidem, quos per speciem pascat æqualiter. Quia enim rationalis creatura Verbo illo, tanquam optimo cibo suo pascitur: humana autem anima rationalis est, quæ mortalibus vinculis peccati pœna tenebatur, ad hoc diminutionis redacta, ut per conjecturas rerum visibilium ad intelligenda invisibilia niteretur: cibus rationalis creaturæ factus est visibilis, non commutatione naturæ suæ, sed habitu nostræ; ut visibilia sectantes, ad se invisibilem revocaret. Sic eum anima quem superbiens intus reliquerat, foris humilem invenit; imitatura ejus humilitatem visibilem, & ad invisibilem altitudinem reditura.* Ubi vides ex peccati pœna ortum esse, quòd per conjecturas visibilium ad invisibilia nitimur; quòd per fidem purgari priùs cogimur, quàm ad speciem contingamus; quòd cibo visibili seu Veritate carnem induta priùs pascimur, ut ad eundem cibum, sed invisibilem & incommutabilem roborari redeamus. Et rursus alibi: *Quia igitur ad æterna capessenda idonei non eramus, sordesque peccatorum nostrorum nos prægravabant, temporalium rerum amore contractæ, & de propagine mortalitatis tanquam naturaliter inolitæ, purgandi eramus. Purgari autem ut contemperaremur æternis, nonnisi per temporalia possemus, qualibus jam contemperati tenebamur.* Et paulò pòst: *Cùm fides nostra videndo fiet veritas, tunc mortalitatem nostram commutatam tenebit æternitas. Quod donec fiat, & ut fiat, quia rebus ortis accommodamus quidem fidem credulitatis, sicut in æternis speramus veritatem contemplationis: ne fides mortalis vitæ dissonaret à veritate æternæ vitæ, ipsa Veritas Patri coæterna de terra orta est, cum Filius Dei sic venit ut fieret filius hominis, & ipse quidem in se exciperet fidem nostram, qua nos perduceret ad veritatem suam, &c.* Ex quo constat ideo æternitatem Veritatis carne indutam, ut à carnalibus per fidem teneri posset; ideo fide tenendam, ut ita purgatos ad æternitatis suæ fruitionem trajiceret; ideo autem purgandos, quia non naturæ exilitate, non corporis gravamine, sed peccatorum sordibus & sensibilium amore contenebrati, ad æterna capessenda idonei non eramus. Sexcenta ejusmodi loca passim obvia apud Augustinum possent hìc aggegari. Idem rursus: *Quia & nunc viride agri Deus facit, sed pluendo super terram; id est cum facit animas reviresc ere per Verbum suum. Sed de nubibus eas irrigat, id est de Scripturis Prophetarum & Apostolorum. Rectè autem appellantur nubes, quia verba ista quæ sonant, scisso & percusso aere transeunt. Addita etiam obscuritate allegoriarum, quasi aliqua caligine obducta, velut nubes fiunt. Quæ dum tractando exprimuntur, bene intelligentibus tanquam imber veritatis infunditur. Sed hoc nondum erat antequam anima peccaret, &c. Ante peccatum irrigabat eam fonte interiore, loquens in intellectu ejus, ut non extrinsecus verba exciperet, tanquam ex supradictis nubibus pluviam; sed fonte suo, id est, de intimis suis manante veritate satiaretur.* Et infrà: *Propter illam Dominus nubilum carnis nostræ dignatus est assumere, imbrem sancti Evangelii largissimè infudit, promittens etiam quod si quis biberet de aqua ejus, rediret ad illum intimum fontem, ut forinsecus non quærat pluviam.* Hinc liquet quò spectent Scripturæ, quò allegoriæ, quò utriusque Testamenti paginæ, quò ipsa Christi humanitas; nempe ut lucem veritatis caliganti ob peccatum mentis oculo obnubilent, & accommodent, insinuentque quantum potest ita opacatam, ut ita purgatus nudam rursus sine velo, sine nubilo intueri possit, qualem sine nubibus ante peccatum excipiebat. Omnino enim pœnale & medicinale est naturæ intellectuali per temporalia, per corporalia, per exteriora ad veritatem deduci; tum quia hæc veritatem opacare nata sunt & suffurari, non irradiare vel elargiri; tum quia præposterum alioqui & contumeliosum est, per inferiora naturam superiorem adjuvari, ab infimis summa mendicare, veritatem, quæ intimum menti, oraculum esse debet, forinsecus quærere, & auribus corporis auscultare vocem, quæ soli menti, nisi obsurduerit, insonare nata est.

De Trinit. L. 4. c. 18.

L. 2. de Gen. c. 4. 5.

Vide Isid. Hispal. In Gen. c. 4. & serm. de Nativ. c. 6. Serm 35. In Cant.

III. Sanctus Bernardus: *Habitabat in Paradiso, & in loco voluptatis conversatio ejus, &c. Erat illi sors & societas cum plebe Angelorum & cum omni militia cœlestis exercitus. Sed mutavit illam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum. Inde est quod panis Angelorum factus est fœnum, positum in præsepio, appositum nobis tanquam jumentis. Verbum quippe caro factum est, &c. Heu tristis & lacrymosa mutatio, ut homo Paradisi accola, terræ dominus, cœli civis, domesticus Domini Sabaoth, frater beatorum spirituum, & cœlestium cohæres virtutum, repentina se conversione invenerit, & propter infirmitatem jacentem in stabulo, & propter pecorinam similitudinem indigentem fœno, &c. Cognosce pecus, quem non cognovisti homo. Adora in stabulo, quem fugiebas in paradiso. Comede fœnum, qui panem & panem angelicum fastidisti.* Audis hominem ante peccatum civem cœli, domesticum Dei, fratrem, cohæredem, convivam Angelorum, angelico pane vescentem; quem quia fastidiit, comparatus est jumentis insipien-

pientibus, fœnoque deinceps vesci in pœnam compulsus, id est, solis sensibilibus affici; necesse fuit panem Angelicum fœnum fieri, & in stabulo in præsepio reclinari, ut Veritas caro brutum hominem cibaret, mundaret, roboraretque ad ipsam rursus Veritatem comedendam.

[L. 1. de Sacram. Part. 9. c. 3.] IV. Sed enucleatissimè rem banc totam expedivit Hugo de sancto Victore: *Triplici ex causa sacramenta instituta esse noscuntur: propter humiliationem, propter eruditionem, propter exercitationem. Propter humilationem quidem, ut dum homo rationalis creatura sensibilibus elementis (quæ natura infra ipsum condita fuerunt) ex præcepto creatoris sui subjicitur, ex hac ipsa sua humiliatione, creatori suo reconciliari mereatur. Homo namque ita factus erat, ut bonum ejus solus ille esset, à quo erat; cætera omnia sub ipso facta sunt, non ut in eis esset ejus bonum, sed ut ex eis esset illius obsequium. Omne enim bonum majus est illo cujus est bonum; quia verè bonum non est, nisi quod bonum facit illud cujus est bonum, &c. Si ergo bonum hominis supra hominem erat, solus ille bonum hominis erat, qui supra hominem erat. Huic ergo bono homo quandiu in ordine conditionis suæ perstitit, immediatè jungebatur, & ex eo liberè fruebatur; quia & voluntate ad illum ibat, & libertate in illo stabat. Postquam autem per concupiscentiam abstractus à superiori avertebatur, ad inferiora conversus præcipitabatur; & illi se subjiciebat, quod bonum suum faciebat. Justa igitur recompensatione, qui suo superiori per obedientiam subjectus esse noluit, per concupiscentiam suo se inferiori subjecit: ut jam ipsum inter se & Deum, medium inveniat divisionis, non mediatorem reconciliationis. Hoc enim medio dividente, humana mens & obnubilatur ne creatorem suum agnoscere valeat, & refrigescit ne ipsum per dilectionem requirat. Justum ergo est ut homo qui prius superbiendo Deum deserens, se terrenis per concupiscentiam subdidit, nunc per humilitatem Deum requirens, eisdem se propter præceptum Dei per obedientiam inclinet.* Quo quid planius, quid in nostram sententiam vehementius dici potuit? Homo immediatè Deo jungebatur, illo liberè fruebatur; bonum enim ejus solus Deus est, qui solus bonum illum facere potest. Sed quia sensibilibus licèt inferioribus homo se amore intempestivo subjecit; inde factum est ut sensibilia ipso homine jam superiora essent, mediaque inter ipsum & Deum invenirentur, ut ad Deum nisi per illa jam progredi non valeret. Hoc malo quod sibi homo consciverat in ægritudinem, Deus utitur ad ejus sanationem; nam per eadem sensibilia in sacramenti vim & intelligibilium involucrum evecta, hominem purgat, & eò sublimat, ut non amplius sensibilibus indigeat. Purgat autem & sublimat maximè humiliando, sicut inquinatus & dejectus fuerat

[Miscell. I. 1. c. 13.] superbiendo. Idem alibi: *Quandiu homo intus Deum audire loquentem potuit, doctrina exteriori opus non habuit. Sed postquam librum vitæ oculo interiori inspicere jam non valet, Scriptura foris apponitur, ut ejus saltem inspectione ad cognitionem veritatis renovetur.* Verbum audire, veritatem intueri, hominis primùm conditi privilegia erant; ubi hinc excidit, Scripturis & sacramentis corporalibus exceptus est.

V. Undecimò. Eò per Christum restituimur, unde per Adamum excidimus; at per Christum in contemplationem Dei revocamur, inde igitur excideramus. Inculcatius nihil est apud sanctos Patres, quàm primi peccati ruinas à Christo resarciri; eoque consilio illum ad nos descendisse, ut omnia juxta Apostolum recapitularet in seipso, id est juxta sanctos Patres, ut in eam nos beatam sortem redintegraret, qua in primo parente potiti & exturbati eramus; hoc est ut primi capitis cui tanquam membra cohæseramus, peccatum emendaret, fœlicitatem repararet, melius & divinius caput.

Deinde ideo Verbum incommutabile carne nostra obnubi, nobisque caput præstitui opus erat, ut fœlicitatem qua ob mutabilitatem suam excussus fuerat Adamus, eam immutabilitate sua inconcussam sibi nobisque servaret secundus Adam. Immutabilis ergo Verbi ad nos descensu opus minimè fuisset, si beatitatem qua fruebatur Adam, inamissibiliter tenuisset. Adde quod ad nos qui venit Christus, nisi ut ad ægros? & nos quid aliud per ipsum, nisi sanamur? & quidem diu curamur, ut tandem sanemur. Sanati autem aliquando tandem & persanati, quo nisi ad pristinam qua ante ægritudinem florebamus, integritatem restituemur? At sanati absolutissimè tum erimus, cùm mortalitatis cursu peracto, corpore incorruptionem, mente ipsissimam Dei visionem consequemur. Quò ergo per curationem revocamur, inde per ægritudinem delapsi sumus. Et sanè ut eam corporis beatitudinem, qua ante lapsum utebatur primus parens, nonnisi in patria reddita per resurrectionem immortalitate, recipiemus; ita fœlicitatem tum eandem mentis veritatisque contemplationem adipiscemur, quam ille in paradiso gustabat. Denique illa ipsa immortalitas Adamo ante culpam concessa, fluxisse videtur à vero immortalitatis fonte, seu Dei visione. Dei enim visio, ut sancti Patres iterum iterumque inclamant, incorruptelæ scaturigo quædam est. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Videndo immutabilem fiunt immutabiles, videndo æternum fiunt æterni, videndo immortalem fiunt immortales. Ergo & suo quodam modo idem contingebat in Adamo. Utrobique enim par ratio. Videlicet quòd anima ex visione Dei tantum roboris ebibat, tantùmque inde convalescat, ut corpus suum indivulsè sibi constringat, nec divelli sibi aut ipsum aut quidquam ex ipso patiatur. [In Evang. Joan. l. 9.]
Cyrillus Alexandrinus Episcopus: *Quocirca unam quidem veram & generalem incarnationis Unigeniti causam divinus Paulus nobis exponens*, ajebat: *Placuit enim Deo ac Patri recapitulare omnia in Christo; ubi recapitulandi nomen & res significat, in pristinum statum renovare & restituere, ut erant in principio, ea quæ in diversum planè exitum ceciderant.* Ubi, ut vides, Christi Redemptoris beneficia id moliuntur, ut in eam ex qua per Adamum & cum Adamo excussi eramus beatitudinem, nos redintegrent. Idem in Thesauro: *Quemadmodum* [Assert. 20.] *igitur non quatenus est Deus, sed quatenus homo propter nos & pro nobis portas cœlorum ingreditur, nos in eas per se introducens, eamque propter nos viam instauravit; ita etiam cùm sit altissimus, exaltatur propter nos ut homo, ut nos exaltemur in ipso gestante similitudinem nostri; atque ita reformaret nos in seipsum, ad imaginem Creatoris renovans naturam, sicut erat in principio.* Ergo ubi nos Christus secum in beatificam patriam, in ipsam Dei Patris gloriam invexit, tunc innovavit naturam, & in eum statum in quo fuerat condita, restauravit. Sexcenta hujusmodi apud Cyrillum passim occurrunt. Quòd autem immortalitatis causa sit visio Dei, jam edisseruimus, cùm de immutabilitate & æternitate Dei dissereremus.

VI. Observandum rursus beatitudinem Deique visionem illam quam adepturus erat Adamus si mandato Dei obtemperasset, quamque adepti sunt sancti Angeli quicumque in veritate perseveranter steterunt, in quam denique nos Christus sanguine suo revocavit, multò uberiorem clarioremque fuisse, ea quam in sui creatione perceperunt. Ex voluntaria enim perseverantia, non minora in animam quàm in corpus beatitatis incrementa, ut credere par est, redundatura erant. At perseverantiæ merces immortalitatem importatura erat corpori, non tantùm qua posset non mori, sed etiam qua non posset mori, quod amplius multò & beatius est. Ergo & beatitas animæ seu visio Dei amplior concedenda erat. Deinde immortalitas corporis per lignum vitæ præstabatur, nec à corruptibilium ciborum

usu

usu necessario eximebatur; cum interim alia in præmium desponderetur ab hac necessitate quotidianas corporis ruinas resarciendi immunis; ergo & beatitas animæ magnificentior perseverantiam cumulatura erat. Adde quod cum immortalitas corporis ab anima potissimum fluat, quæ quo potentior est, eo invictiùs subligat sibi suum corpus continetque; eo autem potentior est, quo patentiùs omnipotentis essentiam videt & videndo imbibit; major illa corporis immortalitas ex majore animæ potentia, ideoque ex uberiore Dei visione profluxisset. Deinde certitudo quæ saltem accessisset perseveranti de nullo posthac amplius lapsu formidando, augmentum beatitudinis animæ fuisset multò maximum. Denique non certitudo tantum, aut præsentia suæ posthac permansionis in præmium accessisset, sed vis invictissima & robur inexpugnabile quo in veritate inconcussè stabiliretur, ut ab ea dimoveri aut excuti nulla deinceps vi possit. At vis illa intima, & robur intimum invictumque, aut à charitatis incremento fluxisset, aut ipsa fuisset charitas auctior & robustior. Charitas autem incrementa vel accipit à visione, vel confert visioni. Igitur fuisset visio Dei absolutior ampliorque in homine post perseverantiam, eritque in homine per Christum reparato, quàm in statu naturæ innocentis.

L. de Correp & grat. c. 10.

VII. Augustinus: *Diabolus & Angeli ejus etsi beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent; donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipsius permansionis acciperent: id est, ut magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei cadere ulterius omnino non possent; & hoc de se certissimè nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant, sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur.* Deerat ergo Angelis proindeque homini non quidem beatitudo, sed beatitudinis plenitudo; ea autem in præmium voluntariæ permansionis accrevit plenitudo, infusa per Spiritum sanctum abundantiore charitate; qua non tantùm se nunquam casuros nossent, sed qua omnino cadere non possent. Plenitudo igitur beatitudinis fuit charitas abundatior, & vis invicta & inexpugnabilis bono adhærescendi, quæ sine copiosiore visione Dei consistere haud sanè potest. Sanctus Bernardus nec parcus, nec rarus præco naturæ innocentis, ejus tamen beatitatem ab ea accuratè discriminat, quam expectamus per Christum comparatam, imo & ab ea quam expectabat Adamus suo obsequio comparandam. Sermone in illa verba, Omnis qui se exaltat humiliabitur: *Si consideramus diligenter, fratres, gradus hominum quatuor inveniemus. Dico autem summam fœlicitatem in cœlo ad quam suspiramus; mediam fœlicitatem in paradiso unde cecidimus; itemque mediam infœlicitatem in hoc mundo pro qua gemimus; & in inferno extremam infœlicitatem quam merito formidamus. Brevius tamen dicere possum, vitam, & umbram vitæ, umbram mortis, & mortem.* Media igitur erat fœlicitas primi parentis, & longè infra illam summam ad quam suspiramus. Idem sermone de obedientia, & patientia, & sapientia: *Erat quando in actione & meditatione positus erat homo, sine passione habens actionem, habens etiam sine labore meditationem. Dico autem quando positus est in paradisum, ut operaretur & custodiret. Verum hinc quoque si non caderet, erat aliquando promovendus ut sola frueretur contemplatione, &c. Felix quidem cujus animam corpus non aggravabat, quia nec corrumpebatur; sed longè felicior, si ad hoc pervenisset ut minoratus actu, plenius perfectiusque perciperet sapientiam, gratis diligens corpus, tanquam in nullo indigens corpore. Esset enim hic pulcherrimus ordo; & erit adhuc, quando erit.* Non dubitat Bernardus quin corpore Adami in alium & superiorem incorruptibilitatis evecto statum, anima quoque in contemplationis exuberantiam quandam beatiorem evehenda fuisset.

Vide Damasc. l. 2. c. 30.

De Sacram. par. 6. l. 1. c. 16.

VIII. At Hugo à sancto Victore: *Cognovit homo Creatorem suum, non ea cognitione, quæ foris ex auditu solo percipitur, sed ea quæ potius intus per inspirationem ministratur. Non ea quidem qua Deus modo à credentibus absens fide quæritur, sed ea qua tunc per præsentiam contemplationis scienti manifestius cernebatur. Sciendum tamen est, quod illam primam cognitionem hominis quam de creatore suo habuit, sicut majorem & certiorem ea cognitione quæ nunc in sola fide constat, veraciter dicimus; ita etiam illa quæ postmodum in excellentia contemplationis divinæ manifestè revelabitur, minorem necesse est fateamur. Cognovit ergo creatorem suum homo, non tamen ita excellenter, sicut postea cognoscere debuisset, si perstitisset. Sicut enim inobedientia hominis per subsequentem ignorantiam primæ cognitioni multum abstulit; sic eidem cognitioni si in obedientia homo perstitisset, per subsequentem revelationem plurimum addendum fuit.* Igitur & supra hanc quam fides suppeditat nobis Dei cognitionem, & infra illam quam futura vita largietur, in meditullio locanda est Adami contemplatio; sed qui ejus fines, quæ vis, quanta claritas, id diffinire operosissimum est: unde pergit ibidem Hugo, *Modum vero cognitionis divinæ quam ille primus homo habuisse creditur, explicare difficile est; excepto eo quod diximus, quod per internam inspirationem* visibiliter edoctus, nullatenus de ipso creatore suo dubitare potuit.* Id ex Hugone indubitatissimum est, non ab externis, non per sensibilia, præposterum enim id fuisset, sed ab ipso immediatè Deo, Dei notitiam ei affuisse, quæ proinde non possit non esse quædam visio Dei, quæ ostenderet, quòd Deus esset, non quid esset. Id enim sonant illa Hugonis verba, *Nullatenus de Creatore suo dubitare potuit.*

* lege invisibiliter.

IX. Observandum tertiò illam Dei visionem tametsi cum natura ipsa insitam, & naturaliter quasi debitam, ex mera tamen Dei gratia profectam fuisse. Nam & ipsa natura cujus conspicua illa Dei contemplatio summum decus & honestamentum erat, donum Dei singulare, & gratia est gratiarum omnium maxima. Quid enim magis gratis & immerenti datur, quàm ipsum esse? Promereri enim nemo potest ut sit, nisi promereatur ante quàm sit. Ergo ut natura, ita naturæ supellex omnis singulari Dei munificentiæ imputanda est.

Deinde nulla natura creata est ipsa natura veritatis, aut sapientiæ, sed superno veritatis & sapientiæ afflatu formatur & beatur. Quod ergo ex seipsa non est, ejus superno beneficio particeps est. Indigentiam quidem & capacitatem sapientiæ ex seipsa habet; aut ut emendatiùs loquar, indigentiam sapientiæ ex seipsa & in seipsa habet, capacitatem verò ejus participandæ in seipsa, non ex seipsa habet; formam autem sapientiæ nec ex seipsa, nec in seipsa habet, sed ex ipsius sapientiæ sese misericorditer impertientis beneficentia. Quando igitur contemplatio veritatis & informatio sapientiæ creaturæ rationali deberi prædicatur, id non sine aliqua fit hominum sibi suppalpantium assentatione. Debetur enim tantum boni creaturæ rationali, non meriti, sed inopiæ nomine; debetur non exigenti, sed indigenti. Hoc uno jure nititur, paupertate & fame sua. Aut si quod meliusculum jus suppetit, non multùm priori tamen absimile, beneficium illud est creando jam impensum, quod absolvi postulat, & hac superna sapientiæ informatione cumulari. Hoc ergo tantùm duplici nomine natura intellectualis agere in Deum potest, & tanta illi bona extorquere, suoque quasi

sibi

sibi jure vendicare, primò quod illis indigeat, secundo quod illi jam plurimum debeat, ideoque in dies magis magisque illi debere debeat, ne tam munifico conditori se mendicam & inopem, ne tam opulento largitori se truncam & informem debeat. Sed si blandiri nobis, & fucum ultro facere desinamus aliquando, tum intelligemus hæc beneficia debere Deum non nobis, sed sibi; non nostræ mendicitati, sed suæ largitati; ne benefaciendo fatigetur: ne munera sua minùs absolvat: ne insigne suæ artis opus inornatum jacere sinat.

Deinde quantumvis sanus oculus, & vegetus, nisi infuso desuper lumine collustretur, frustra est; & hoc illi lumen è cœlo affulgens, utique gratiosè illabitur. Si cunctaretur enim illud aut si allucere aliquando gravaretur, an litem cœlo oculus intentaret? Lumine ergo egere potest, exigere non potest; lumen capere potest, promereri non potest. Non suo sibi jure vendicare, sed precario usurpare potest, ut à quo habet ut sit, ab eo habeat ut bene sit. Rursus ne longum faciam si per exempla passim obviantia excurram, omnis forma superior ubi inferiori se naturæ infundit, hæc superioris dignatio est, non inferioris usurpatio; non hæc in illam violentè grassatur, sed in hanc illa gratiosè illabitur. Ita anima corpori, lumen oculo, veritas menti se ostendit impertitque, tam necessaria & irrevocabili superiorum munificentia, quam obnoxia & inexaturabili inferiorum indigentia. Deinde nihilo minus hæc inferiorum natura pronunciari potest, ut à superioribus informentur. Quid enim est natura inferiorum, nisi gratia superiorum? Hac lege stat & constat ordo & pulchritudo universi, ut inferiorum indigentia, superiorum indulgentia; illorum insatiata inopia, horum inexhausta opulentia, cohæreant & constringantur sibi invicem universa. Quod ergo dicitur deberi naturæ inferiorum, perinde est ac si dicatur deberi gratiæ superiorum.

Adde quod cum veritatis, cum sapientiæ lumen Deus ipse sit, quæ talis ac tanta natura est, quæ Deum sibi deberi dicere audeat? Quæ Deum non exoret, sed invadat? non hæc fiducia foret, sed inverecundia, sed protervia. Quo enim jure in Deum agat, qui ipsum jus est? qua lege illum conveniat, qui ipsa lex est, & legum author, & supra leges? Nullo jure obstringitur, nulla lege ligatur, idque ut ita habeat, jus summum, & lex æquissima est. Non ergo ulli debetur, nisi sibi; & nullius est, nisi suus sibi, cujus sunt omnia, à quo & in quem omnia. Deinde cum forma veritatis & sapientiæ Deus sit, naturæ intellectuali debetur Deus, an illa Deo? Vendicare sibi illa illum, an ille illam debet? Despondebitur Deus creaturæ cuicumque, ut ornamentum ipsius, an creatura Deo, ut mancipium nimis obnoxium? Deus creaturæ, an creatura Deo se debet uter utri accedere, & instar corollarii adhærescere debet? Enimverò debet se non veritas menti, sed mens veritati, ut in illam infundatur, & immergatur, & absorbeatur. Ita enim comparatum est lege sempiterna, ut appendices sint infima summorum, non summa infimorum. Itaque ut veritatem sibi vindicet mens, nec jus nec dignitas ulla ejus est; ut autem veritas mentem mentesque omnes sibi substringat, & summum jus, & summa ejus dignatio est. Denique id accuratè monuit Apostolus, ideo gentiles Philosophos evanuisse in cogitationibus suis, & in insipientiam portentosam transversos abiisse, quod ejus quam per creaturas de Deo hauserant cognitionis gloriam laudemque sibi ipsis, non Deo hujus etiam qualiscumque luminis largitori tribuissent. Eo etiam Augustinus cæteris anteposuit Platonicos Philosophis, quod suam de Deo cognitionem omnem, non suo acumini, sed divino lumini acceptam retulissent.

Civit. l. 11. c. 25. X. Augustinus: *Si enim natura nostra esset à nobis, profectò & nostram nos genuissemus sapientiam; nec eam doctrina, id est, aliunde discendo percipere curaremus; & noster amor à nobis profectus & ad nos relatus, ad beatè vivendum sufficeret, nec bono alio, quo frueretur, ullo indigeret. Nunc verò quia natura nostra ut esset, Deum habet authorem, proculdubio ut vera sapiamus, ipsum habere debemus doctorem; ipsum etiam ut beati simus, suavitatis intimæ largitorem.* Hoc itaque semel præstructo, quod quidquid per naturam sumus, per conditoris gratiam sumus; omnia deinceps ejusdem naturæ consectanea & ornamenta ab eodem gratiæ fonte promanabunt. Quid enim suum habebit, qui nec seipsum sibi habebit? Quid non precario obtinebit, qui & seipsum precario obtinebit? An sua esse ulla æstimabit, qui nec se sui esse juris existimabit? Nonne sua omnia illi debebit, cui & se debebit? An posset sine illo bene esse, sine quo nec posset esse? Idem alibi: *Dic quia tu tibi lumen non es. Ut multum, oculus es, lumen non es. Quid prodest patens & sanus oculus, si lumen deest? ergo dic a te tibi lumen non esse, & clama quod scriptum est, Tu illuminabis lucernam meam Domine.* Homo sanus, oculus erat sanus; homo lapsus, oculus est lippus & saucius; ut multum ergo homo sive sanus sive lapsus, oculus est, lumen non est; aliunde ergo lumen ipsi arcessendum est; & undecumque affluet, ex gratia fluet. Et alibi rursus: *Sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, &c. ut videat adjuvatur ab ea; neque hoc omnino nisi illa adjuverit, potest &c.* Et rursus: *Quanto quisque magis minusve potuerit, pro suæ capacitatis modo divinitus adjutus, internis æternisque rationibus, ut possit.* Adjumento igitur Dei opus est, ut homo rationes æternas contempletur. Et alio rursus loco: *Quapropter nullo modo negaveris immutabilem veritatem, hæc omnia quæ incommutabiliter vera sunt continentem, omnibus incommutabilia vera cernentibus, tanquam miris modis secretum & publicum lumen, præsto esse ac se prabere communiter.* Veri cum simillimum sit visionem Dei Adamo Angelisque unà cum ipsa natura indultam, non aliam fuisse, quam rationum æternarum incommutabilis veritatis nudam & apertissimam sine velo, sine nubilo intelligentiam; hinc rectè advertit Augustinus non a creaturis invadi, sed in ipsas ultro allabi lumen veritatis; præsto illud esse & se præbere communiter; uti lux solis non expectat, ut ab oculo in cœlis conveniatur, sed ipsa è cœlis ad oculum exporrigitur. Et alibi rursus: *Intelligat homo non se gaudere debere de sapientia sua, sed de sapientia quam accepit à Deo. Nihil plus quærat, & non amittit quod invenit. Multi enim ideo facti sunt insipientes, quia dixerunt se esse sapientes. Arguit illos Apostolus, & dicit de ipsis, quia quod notum est Dei, ait, manifestum est illis, Deus enim illis manifestavit, &c. Si enim Deum cognoverant, simul cognoverant quia non eos fecerat sapientes nisi Deus; non ergo sibi tribuerent quod à se non habebant, sed ei à quo acceperant. Non autem agendo gratias, insipientes facti sunt; ergo Deus quod dederat gratis, tulit ingratis.* Si vel tantilla strigmenta luminis, quod ex circumfulgentia lucis divinæ in creaturis subrutilat, cùm delibassent Philosophi, inde tamen grates Deo agere debuerunt; idque cùm non præstitissent, tam gravi objurgatione ab Apostolo perculsi sunt, imo tam gravi pœnæ à Deo ipso addicti: quid si lucem ipsam divinam cum pleno ore hausisset Angelus & homo ante lapsum, si non Deo, sed sibi id ascripsisset gloriæ, quantæ se pœnæ reum astrinxisset? Denique idem Augustinus: *Quicumque igitur Philosophi de Deo summo & vero ista senserunt, quod & rerum creatarum sit effector, & luminis cognoscendarum, & bonum agendarum; quod ab illo nobis sit & principium naturæ, & veritas doctrinæ, & fœlicitas vitæ: sive Platonici accommodatius nuncupentur, sive quodlibet aliud sectæ suæ nomen imponant; &c. eos omnes cæteris anteponi-*

[Margin notes: De Verb. Dom. serm. 8. — L. de Nat. & Grat. c. 26. — De Gen. ad lit. l. 5. c. 12. — De lib. arb. l. 2. c. 12. — In Joan. Tract. 14. — Civit. l. 8. c. 9. 10.]

ponimus, *eosque nobis propinquiores fatemur*. Et infrà: *Isti Deo cognito repererunt ubi esset causa constitutæ universitatis*, *& lux percipiendæ veritatis*, *& fons bibendæ fœlicitatis: sive ergo isti Platonici*, *sive quicumque alii quarumlibet gentium Philosophi*, *de Deo ista sentiunt*, *nobiscum sentiunt*. Dei solius ergo est ut naturas creare, ita mentes illuminare, & illuminatas beare. Naturæ enim perfectio & perfectionis fastigium est hæc illuminatio & beatitudo; à quo ergo est natura, ab ejusdem gratia est & naturæ summa perfectio & extrema beatitudo.

XI. Observandum 4. nonnulla esse apud Augustinum loca quæ adversari videantur doctrinæ hactenus prolixissimè fundatæ. Deum enim nonnisi corporea aut visum aut locutum esse forma Adamo, addubitat L. 8. de Gen. ad litt. c. 27. & L. 11. c. 33. affirmat autem L. 2. de Trin. c. 10. Quæ si ita sint, jam in fumo evanescit tota illa visionis intelligibilis claritas hactenus illi asserta. Verùm sicui familiarior sit Augustini lectio, is facilè advertet, multa illum suæ mentis arcana ratasque sententias exponere in modum dubitantis; & hanc frequentem apud illum esse non tam opinionis ambiguitatem, quàm modestiam. Ubi enim in medium proferuntur quæ nullo expresso fidei aut Scripturæ dogmate sancita sunt, quorsum attinet ea tam asseveranter effari, quàm si indubitata essent Veritatis oracula? Temperatius utique foret hujusmodi tanquam conjecturas afferre, ac proinde subdubitando. Cæterùm allegato loco Lib. 2. de Trinit. affirmat quidem Augustinus corporea specie Deum Adamo & visum & locutum, sed prævaricatori jam, quando post meridiem in paradiso deambulans latitantem exterruit. At duobus aliis locis Librorum de Gen. ad lit. disertè distinguit hominem integrum à transgressore; & transgressori quidem corpoream tantùm à Deo & speciem & vocem intonuisse certus pronunciat: integro autem, sicut & Angelis per intelligibilem tantùm veritatis æternæ lucem intelligibiliter alluxisse, verbo tenus dubitat, reapse affirmat. *Fortassis intrinsecus aliis effabilibus vel ineffabilibus modis Deus cum illis antea loquebatur*, *sicut etiam cum Angelis loquitur ipsa incommutabili veritate*, *illustrans mentes eorum*, *ubi est intellectus nosse simul quæcumque etiam per tempora non fiunt simul*. Fortè inquam *sic cum eis loquebatur*, *etsi non tanta participatione divinæ sapientiæ*, *quantam capiunt Angeli: tamen pro humano modulo quantumlibet minus*, *sed ipso genere visitationis & locutionis*. *Fortassis etiam illo qui fit per creaturam*, *sive in extasi spiritus*, *corporalibus imaginibus*, *sive ipsis sensibus corporis aliqua specie præsentata*, *vel ad videndum*, *vel ad audiendum*, *sicut in Angelis suis solet videri Deus*, *vel sonare per nubem*. *Nunc tamen quod audierunt vocem Dei deambulantis in paradiso ad vesperam*, *nonnisi per creaturam visibiliter factum est*. (In Genesi ad lit. l. 11. c. 33.)

XII. Quo in loco advertis 1. Adamo per peccatum corporascenti, nec intelligibilium jam patienti, Deum non aliter quàm corporaliter, aut videndum, aut audiendum exhibere se potuisse. 2. Sed longum esse intervallum inter ipsum transgressorem & innocentem, ideoque non levia esse rationum momenta ad visionem illi merè intelligibilem innocenti adscribendam. 3. Etsi hoc ipso loco quasi dubius videatur Augustinus, libentiùs tamen affirmare, tametsi dubitanter, ut rem nullo fidei decreto constantem. 4. Huic uni aut alteri loco in quo dubitat, componi & anteponi non immeritò debent complura alia, ubi & verbis conceptis, & rationibus ad id conglobatis, indubitanter pronunciat. 5. An corporalis aliqua Dei præsentia homini mente intellectuali prædito magna esset beatitudo, & Dei visio, & claritas visionis? an ad extremum beatitudinis cumulum sola illi deesset tunc, & in obedientiæ præmium sponderetur permansionis securitas? an hoc esset consortium Angelorum, an panis angelicus, an cœlestis patria, an Verbi divini satietas, an contemplationis dies? An dejectio ab illa fœlicitate, talisque Dei præsentiæ orbatio, tam ingens esset calamitas, & exilium, & cœcitas, & nox, & umbra mortis? Rem tantillam, & beatitudinem tam umbratilem, tam magnificis inflare verbis, tot accumulare argumentis, quo ore, qua fronte aggressi essent cum Augustino alii plerique omnes Ecclesiæ Græcæ & Latinæ Patres? 6. Utut sit de primo patente nostro, at Angelis saltem ne his quidem contextibus id prærogativæ denegat Augustinus. Non ergo tam prolixo hujus capitis contextu oleum planè operamque luserimus; sed sin minus parentum, certè tutorum nostrorum causam egerimus; nec pœnitendum intulerimus ad Dei visionis ampliorem intelligentiam elucidamentum. 7. Denique utroque forsan hoc loco non absolutè de omni agit Augustinus visione Dei primis parentibus indulta, sed de ea tantummodo, qua præcepta juris positivi eis intimarentur. Nam præcepta naturali jure sancta, & quidquid lex æterna necessariò præscribit, ea ab omnibus planè ratione & mente utentibus naturis in ipsa legi & intelligi, ac conspicuè videri incommutabili veritate, nec ullam ad hoc interponi debere creaturam sive corpoream sive incorpoream, tam constanter, tam asseveranter, tam frequenter inculcat Augustinus, ut qui hoc apud eum non videat, penitus nihil videat, & in ipsa luce cæcutiat. At præcepta positiva ut in voluntate magis Dei libera, quàm in necessitate legis æternæ conscripta sunt, ita operosius multò est intelligere quomodo sine interpositione creaturæ alicujus significentur. An ergo istud est genus rerum in divinæ magis libertatis voluntate, quàm in æternæ veritatis necessitate positum, de quo dubitasse videtur Augustinus, an Adamo innotuerit per creaturas aliquas corporales; an ei sicut & Angelis in ipso etiam veritatis æternæ contuitu illuxerit? Potest enim, sed acie acutiore, sed lumine uberiore etiam quidquid positivi juris est in libro legis æternæ legi; sed illud acumen, illud lumen Angelis affuisse, Augustino indubium; Adamo affuisse, dubium fuit. Verùm veritatis æternæ à voluntate libera sepositæ librum omnem & Angelo & homini patuisse indubitatum planè fuit.

XIII. Hanc autem esse germanam Augustinianæ sententiæ interpretationem, ex ipsis ejus verbis perspicuum fiet: *Cum audimus Scripturam dicentem*, *Et præcepit Dominus Deus Adæ dicens*, *Ab omni ligno quod est in paradiso escam edes*, *de ligno autem*, *&c. Si modum quærimus quomodo ista locutus sit Deus*, *modus quidem ipse à nobis propriè comprehendi non potest*, *&c. Si ergo Adam talis erat*, *ut posset capere illam locutionem Dei*, *quam mentibus Angelicis per suam præbet substantiam*, *non dubitandum est*; *quod ejus mentem per tempus moverit miro & ineffabili modo*, *non motus ipse per tempus*, *eique utile ac salubre præceptum veritatis impresserit; quæque transgressori pœna deberetur*, *ea ipsa ineffabiliter veritate monstraverit*; *sicut audiuntur vel videntur omnia bona præcepta in ipsa incommutabili sapientia*, *quæ in animas sanctas se transfert ex aliquo tempore*, *cùm ipsius nullus sit motus in tempore*. *Si autem ad eum modum Adam justus erat*, *ut ei adhuc opus esset alterius creaturæ sanctioris & sapientioris authoritas*, *per quam cognosceret Dei voluntatem atque jussionem*, *sicut nobis Prophetæ*, *sicut ipsis Angeli*; *cur ambigimus per aliquam ejusmodi creaturam ei esse locutum Deum talibus vocum signis*, *quæ intelligere posset?* (De Gen. ad lit. l. 8. c. 27.)

XVI. Quibus in Augustini verbis plurima sunt quæ nostram hanc conjecturam suffulciant & certam faciant. 1. Ineffabilem & incomprehensibilem deprædicat modum locutionis hujus; quòd autem æterna veritas leges æternas & necessarias mentibus nostris

nostris insusurret immediatè, id capere non adeo arduum est, id ab Augustino sexcenties explicatum est. At quomodo præcepta temporalia & positiva legantur in æterna veritate, quæ in sola sunt voluntate, id verò operæ pretium est; id nobis ineffabile & incomprehensibile planè est. 2. Exemplum adfert Augustinus à præcepto juris positivi sumptum & illud solum pertractat, ut vetuerit Deus ligni alicujus esum, pœnamque certam indixerit. 3. Si creatura aliqua opus fuit ad Adamum, opus fuisse ait ad declarandam ei non legem æternam, sed Dei jussionem atque voluntatem, ergo de solis agit præceptis positivis. 4. Ait, opus si fuit hujusmodi, ita opus fuisse ut nobis Prophetæ, Prophetis Angeli opus sunt; at nec nobis Prophetæ, nec Prophetis Angeli opus sunt, nisi ad revelanda mandata quæ legis æternæ ambitu non continentur. 5. Ait, si nullo ejusmodi auxilio opus habuit Adamus, sic eum hæc præcepta ineffabiliter legisse in æterna veritate, sicut in eadem nunc animæ sanctæ legunt & vident bona præcepta. Discriminat ergo hæc præcepta bona, seu per se bona & naturalia, ab iis quæ per se indifferentia sunt, à Deo tamen præfixa, ut abstinentia illius pomi; aitque sic fortasse ista indifferentia vidisse Adamum in æterna veritate, sicut illa per se bona vident nunc animæ sanctæ in æterna veritate. Tota ergo dubitatio Augustini non attinet nisi ad præcepta positiva. 6. Denique cùm hic animabus sanctis concedat ut audiant & videant omnia bona præcepta in incommutabili sapientia sine interpositione ullius creaturæ, an illud idem privilegium primo parenti non concesserit?

XV. Observandum quintò & postremò, quod de Adamo, idipsum de ejus posteris omnibus, non adultis tantùm, sed & ab utero recentibus, imò & in utero adhuc delitescentibus sentiendum esse; & ratione videlicet libera in illo etiam corporis ergastulo, & Dei cognitione & intelligentia, sibi certè contemperata, fruituros fuisse. Id disertissimè profitetur Augustinus: *Nasceretur etiam natura humana in paradiso, ex Dei benedictione fœcunda, etiamsi nemo peccasset, donec Deo præcognitus Sanctorum numerus compleretur; sed illi parvuli nec flerent in paradiso, nec muti essent, nec uti ratione non possent, nec sine usu membrorum infirmi & inertes jacerent, &c. Sed excepta propter incapaces uteros matrum, sui corporis quantitate, tales omnino qualis Adam factus est, gignerentur.* Omnino enim non nascendi conditio, sed peccati contagio nunc est, quòd tales nascantur parvuli, ut ratione uti non possint; quòdque tales non sint mente, qualis Adamus conditus est. Nascendi enim lex ob angustias uteri materni brevius corpusculum pueris præscribit, mentis autem magnitudinem sapientiamque nihil coarctat. Mens nec nascitur, nec puerascit, nec adolescit, si natura ejus, non pœna spectetur. Propria sunt corporum hæc incrementa ætatum; cùm enim corpora corporibus excidantur, genita gignentibus; exigua mole nasci necesse est, ne gignentia exinaniantur & pereant; illamque deinde molem sensim augescere & maturescere. At verò mens tanta nascitur, quanta esse potest; à Deo enim nascitur incorruptibiliter & indeminutè omnipotente; & quod ad operandum attinet, si adsit necessarium auxilium, tam vegeta, tam robusta est, cum primùm nascitur, atque longo pòst annorum excursu. Nihil ad illius itaque naturam pertinent ætatum vices & augmenta. Si seipsa itaque statim frui non potest, si ratio ligata est, si intelligentia hebes, si sui generis spiritalia & intelligibilia spectamina adire & perlustrare vetatur, si talis non est, qualis Adamus conditus est, non natura hæc est instituti hominis, sed pœna damnati. Postremò tandem rationes suprà disceptatæ non Adamo privatim, sed toti naturæ mentium & animarum rationalium id vindicabant, ut cibo sibi cognato veritatis incommutabilis pascerentur.

Operis ultimi con Julian. l. 3. n. 199.

CAPUT X.

De visione Dei, juxta sanctos Patres mortalibus post peccatum hominibus, vel instar crepusculi ex priori die residua, vel instar diluculi ex futuro anticipata. Et primò etiamnunc multa à nobis intelligi sine phantasmate, sine sensuum ope.

I. Multa etiamnunc sine corporeo phantasmate intelligi, non prorsus extincto priori illo lumine integræ naturæ, probatur primò ex gradatione per visibilia creaturæ ad invisibilia Creatoris conspicienda.

II. Idem probatur ex inspectione veritatis æternæ numerorum & figurarum. Rationibus complusculis tota ea res illuminatur.

III. Loca Augustini huic doctrinæ consentanea.

IV. Rursus accumulantur alia Augustini loca.

V. Idem rursus probatur ex inspectione Legis æternæ, quæ rerum temporalium administrationi prælucere debet, ut multis hic probationibus declaratur.

VI. Augustinus in hanc doctrinam dux fuit.

VII. Idem confirmatur ex consultatione Legis æternæ, ad quam de singulis percontandam identidem recurrimus, etiam inopini. Multæ in eam rem probationes.

VIII. Quibus adduntur exempla & testimonia Augustini.

IX. Idem denuo probatur ex inspectione formarum incommutabilium veritatis, sapientiæ, justitiæ, &c.

X. Idem probatur ex lumine, quo videt mens, & quo videre se videt æterna & immutabilia.

XI. Idem probatur ex cura purgandæ mentis, ut Deus videatur, ut ejus contemplatio recuperetur. Rationes ad id, & suffragia ex Augustino.

I. Observandum hìc rursus 1. emendato tantisper, vel penitus amandato sensibilium rerum amore, oculum mentis seu subtiliore visibilium speculatione, seu puriore invisibilium fide purgatum, in pristinum vigorem sensim redintegrari; convalescere ut invisibilia videat; sine corporeo phantasmate multa intelligere; ubi potissimùm accedit acumen mentis, cura exercitationis, puritas amoris. Et quamvis turmatim irruant & tumultuentur phantasmata, iis tamen veluti nubeculis per aliquot momenta abactis, intermicare interim incommutabilis veritatis Solem, & sine medio, sine nubilo per se videri. Has autem residuas ex tanto primigeniæ beatitatis Deique visionis naufragio nobis superesse reliquias, dum corpore hoc gravamur corruptibili.

Declararunt 1. sancti Patres ex gradatione per visibilia creaturæ ad invisibilia creatoris conspicienda. Docet enim Apostolus gradaria illa progressione eò pertingi, ut invisibilia Dei, sempiterna quoq; ejus virtus & sapientia intellecta conspiciantur. Deinde nihil in creaturis nisi numerosum occurrit, idque ideo oblectat quia consentaneum est legibus numerorum, quas in mente nostra exaratas, sed & quia æternæ & immutabiles sunt, supra mentem nostram mutabilem, immutabiliter radiantes conspicimus; ex iisque ad numeros venustatis corporeæ vel approbandos, vel improbandos, nostraque oblectatione vel dignandos, vel abdicandos procedimus. Deinde gradatim à corporibus ad animas, & ab his sentientibus ad rationales consurgimus, & ad rationalium apicem ultimum, nempe intelligentiam; quę cum suo ad sapientiam accessu vel ab eadem recessu sapere se vel desipere posse, proindeque mutabilem esse advertit, ad ipsam supra se immutabilem sapientiam con-

contuendam tandem eluctatur. Denique ita à creaturis ad animam, ab anima ad Deum conscenditur, sibique ipsi anima scala est, ut eò unde excidit, remigret. Ut enim à Deo in se primùm collapsa est, inde in extima; ita ab extimis ad se, à se in Deum eandem viam fœlicius remetitur. Augustinus: *Quoquo te verteris, vestigiis quibusdam quæ operibus suis impressit, loquitur tibi: & te in exteriora relabentem, ipsis exteriorum formis intro revocat: ut quidquid te delectat in corpore, & per corporeos illicit sensus, videas esse numerosum, & quæras unde sit, & in teipsum redeas, atque intelligas te id quod attingis sensibus corporis, probare aut improbare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulcritudinis leges, ad quas referas quæque pulcra sentis exterius.* Numerosa corporum pulcritudo revocat nos ad leges numerorum mentibus inscriptas, & hæ ad ipsos in incommutabilis veritatis sinu coruscantes numeros mentem manuducunt; ut ideo oblectent numeri sensibiles, quia intellectualibus consentiunt, & divinis, quos intellectu conspicimus, consentanei judicantur. Rursus idem: *Commemorati ab iis quæ judicamus, intueri quid sit secundum quod judicamus, & ab operibus artium conversi ad lumen artium, eam speciem mente contuebimur, cujus comparatione fœda sunt quæ ipsius benignitate sunt pulcra. Invisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, & sempiterne ejus virtus & divinitas. Hæc est à temporalibus ad æterna regressio.* Vides quò tandem assurgat, quò oculos inferat opificiorum seu humanorum seu divinorum contemplatio, ad intuitum nempè speciei summæ, pulcritudinis divinæ & artis artium; ex cujus contemplatione & comparatione opificia omnia probamus vel reprobamus, anteponimus vel postponimus.

De lib. arb. L. 2. c. 16.

L. de vera Relig. c. 52.

II. Declararunt 2. ex inspectione veritatis æternæ & incommutabilis numerorum & figurarum. Nam quoad numeros, cùm omnes numeri unitate sæpiùs replicata constent, nec sensu nec phantasia videntur numeri, quia nec sensu nec phantasia videtur propriè unitas, sed mente sola; cumque immutabilis & sempiterna videatur, videtur ergo Deus. Quòd autem unitas nec sensu nec phantasia propriè sentiatur, perspicuum ex eo est quòd quidquid phantasia vel sensu capitur, corpus est, & moles est, & in partes plures secari potest, imas, summas, dextras, sinistras, &c. ac proinde non unitas, sed multitudo est; nec unum, sed plura unita.

Deinde numerorum proprietates, copulationes, complicationesque innumeræ veritatem præferunt, quam nec sensu & phantasmate ullo capimus, sed mentis acie sola, eaque purgatissima.

Denique unitatis, & numerorum, & innumerabilium, & ineffabiliter mirabilium, quibus scatent, proprietatum veritas, & hujus veritatis necessitas, quæ non potuit non esse, ac immutabilitas quæ non potest aliter esse, & æternitas quæ non potest non semper esse, evidentissimè cernitur & clarissimè videtur, & aliud tamen quàm Deus, quum tot divinas prægestet dotes, esse non videtur.

Jam quoad figuras similiter æqualitas illa summa ad quam figuræ omnes collineant, nec in sensibilibus unquam accurate exprimitur, nec sensibus nostris proinde imprimitur, nec phantasiæ; mente tamen nostra illam attingimus, alioquin ab illa multùm discrepare sensibilia qui tam certò pronunciaremus? In ipsum ergo summæ æqualitatis & summæ unitatis sensibilia omnia & creata omnia longo antecedentis intervallo sacrarium, mens nostra se inserit, & ibi videt regulas legesque secundùm quas de corporibus judicet, & à quibus quantumvis accurata opificia multùm deficere judicet.

Deinde nulli in rerum natura sunt circuli, nullæ sphæræ, nullæ hujusmodi figuræ, quæ apprimè & exactissimè definitionibus legibusque consentiant, quas ipsis præscriptas esse sola mente contuemur. Nam & circuli omnes sensibiles rectis constant lineolis, cùm acumen circini quo describuntur, non punctum, sed linea sit, & omnes aliæ figuræ cùm & laterum & angulorum æqualitatem quandam summam exposcant, eamque sensus nostri nec ipsi capere, adeoque nec materiæ inscribere possint, perspicuum est quòd nullæ esse possint in corporum natura satis exactæ expensæque ad leges quas sola mente contuemur. In Deo ergo ut in principatu summo numerorum, ut in ipsa unitatis & æqualitatis arce, ut in arte artium, & artium lege, hæc omnia conspiciuntur, & quidem cum summa evidentiæ luce perspiciuntur.

Denique harum figurarum ipsisque inhærentium proprietatum & numerositate & admirabilitate inenarrabilium veritas, & veritatis necessitas, immutabilitas, æternitas, creatam naturam omnem exuperat, & tamen oculo mentis perspicuè certissimèque videtur: Deus ergo videtur.

IV. Augustinus: *Ipsos quoque numeros non per corporis sensus, attractos esse facilè videbis, si cogitaveris quemlibet numerum tot vocari, quoties unum habuerit, &c. Unum verò quisquis verissimè cogitat, profectò invenit corporis sensibus non posse sentiri. Quidquid enim tali sensu attingitur, jam non unum, sed multa esse convincitur, Corpus enim est, & ideo habet innumerabiles partes, &c, aliam partem dextram, aliam sinistram, aliam superiorem, aliam inferiorem, &c. Cum quæro unum in corpore, & me non invenire non dubito, novi utique quid ibi quæram, & quid ibi non inveniam, & non posse inveniri, vel potiùs ibi non esse. Ubi ergo novi quod non est corpus unum, quid sit unum novi; unum enim si non nossem, multa in corpore numerare non possem. Ubicumque autem unum noverim, non utique per corporis sensum novi: quia per corporis sensum non novi nisi corpus, quod verè pureque unum non esse convincimus. Porrò si unum non percipimus corporis sensu, nullum numerum eo sensu percipimus, eorum dumtaxat numerorum quos intelligentia cernimus.* Deinde cùm aliquas numerorum proprietates percensuisset, *Hoc ergo quod per omnes numeros esse immobile, firmum incorruptumque conspicimus, unde conspicimus? Non enim ullus ullo sensu corporis omnes numeros attingit, innumerabiles enim sunt; unde ergo novimus per omnes hoc esse, aut qua phantasia vel phantasmate, tanquam certa veritas numeri per innumerabilia tam fidenter, nisi in luce exteriore conspicitur, quam corporalis sensus ignorat?* Et ibidem: *His & talibus multis documentis coguntur fateri, quibus disputantibus Deus donavit ingenium, & pertinacia caliginem non obducit, rationem veritatemque numerorum, & ad sensus corporis non pertinere, & invertibilem sinceramque consistere, & omnibus ratiocinantibus ad videndum esse communem.* Veritas ergo ista cùm intelligibilis, invertibilis, æterna sit, Deus est; & tamen sola ratione & mente videtur tam conspicuè, ut nihil clariùs videri possit. Et in Retractationibus agens de libro VI. de Musica à se conscripto, *Res in eo digna cognitione versatur, quomodo à corporalibus & spiritalibus, sed mutabilibus numeris perveniatur ad immutabiles numeros, qui jam in ipsa sunt immutabili veritate: & sic invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Vides numeros qui tam conspicuè videntur, incommutabiles videri, & in Deo qui incommutabilis veritas est, videri. Et alibi: *Incommutabilem veritatem numerorum, quasi cubile & penetrale, vel regionem quandam, habitaculum sedemque numerorum.* Et infrà: *Omnibus incommutabilia vera cernentibus, tanquam miris modis secretum & publicum lumen, præsto esse ac se præbere communiter.* Et infrà: *Transcende ergo & animum artificis, ut numerum sempiternum videas. Jam tibi sapientia de ipsa interiore sede fulgebit, & de ipso secre-*

De lib. Arb. L. 2. c. 8.

L. 1. c. 1.

secretario veritatis; quæ si adhuc languidiorem aspectum tuum reverberat, &c. Constantissimè ergo asseverat videri numerorum veritatem æternam & immutabilem Deum. Quoad figuras autem: *Cùm in omnibus artibus convenientia placeat, qua una salva & pulcra sunt omnia: ipsa verò convenientia æqualitatem unitatemque appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium; quis est qui summam æqualitatem vel similitudinem in corporibus inveniat, audeatque dicere, cum diligenter consideraverit, quodlibet corpus verè ac simpliciter unum esse, cum omnia vel de specie in speciem vel de loco in locum transeundo mutentur, & partibus constent sua loca obtinentibus, per quæ in spatia diversa dividuntur? Porrò ipsa vera æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera & prima unitas non oculis carneis, neque ullo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Unde enim in corporibus qualiscumque appeteretur æqualitas, aut unde convincerentur longè plurimùm differre à perfecta, nisi ea quæ perfecta est, mente videretur? si tamen quæ facta non est, perfecta dicenda est: & illa nec loco tumida est, nec mutabilis tempore.* Principalem ergo æqualitatem non sensu, non phantasmate, sed sola mente videri ita arguit, ex eaque uti lege omnia artium opera dijudicari; in corporibus autem ejus aliqualem imitationem, nunquam absolutam similitudinem inveniri.

L. de vera Rel. c. 30.

IV. Cùm autem æqualitas illa immutabilis & immensa sit, nec tempori, nec loco obnoxia, cum perfecta nec tamen facta sit, cum lex sit de qua non judicant, sed secundùm quam ut longè superiorem & supremam judicant mentes omnes creatæ, hauddubio Deus ipse est, & lex artium, & ars omnipotentis artificis, ut subdit ibidem Augustinus: *Hæc autem lex omnium artium, cùm sit omnino incommutabilis; mens verò humana, cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur.* Et rursus: *Hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis.* Hinc ergo patescit Deum videri cum lex illa & veritas æqualitatis & unitatis per solam mentem videtur, indeque qualiscumque æqualitatis & unitatis imitatio, per mentes, an animas; in manus artificiosas, ac denique in materiam opificiis nostris substratam transvehitur, aut transvecta ab exemplari lege plurimum abludere judicatur. Et alibi rursum: *Hæccine amare facile est animæ, in quibus nihil nisi æqualitatem & similitudinem appetit, & paulo diligentius considerans, vix ejus extremam umbram, vestigiumque cognoscit? Deum vero amare difficile est, quem in quantum potest, adhuc sordida & saucia cogitans, nihil in eo inæquale, nihil sui dissimile, nihil disclusum locis, nihil variatum tempore suspicatur? An extruere moles ædificiorum & hujuscemodi operibus delectat extendi, in quibus quid nisi numeri placeat? non enim aliud invenio quod in his æquale, ac simile dicatur, quod non derideat ratio disciplinæ. Quod si ita est, cur ab illa verissima æqualitatis arce ad ista delabitur, & ruinis suis terrenas machinas erigit?* Vides æqualitatem ipsam Deum esse, & illam mente nostra videri, & usque adeo clarè certòque videri, ut plus quodammodo quàm corpora videatur. Non possunt enim nobis imponere, non possunt fucum facere corpora, ut æqualia se esse & verè numerosa persuadeant; alios numeros supra videmus, præ quibus hi non sint; aliam supernè æqualitatem intuemur, præ qua hæc infima æqualia non sint. Multum ergo summa illa videmus, cum ex illorum visione visionem infimorum omnium nihili faciamus; multum numeros illos videmus incommutabiles, cum eorum comparatione hi mutabiles evanescant, nec amplius videantur; multum unitatem & æqualitatem ipsam videmus, cum ad ejus conspectum & fulgorem omnis hic unitas & æqualitas velut umbra dissipetur.

Ibid. c. 31.

De Musica. l. 6. c. 16.

V. Declararunt 3. ex inspectione legis æternæ, quæ rerum temporalium administrationi præire & prælucere debet. Nam cùm homo mediam occupet stationem inter æterna & temporalia, utique utrisque suo quodam jure & modo debet interesse; illinc agi debet, ut hæc agat; illinc regi, ut hæc regat; illuc oculos, huc manus contendere; illic videre, quæ hîc imitatur; hîc operari, quæ ibi contemplatur. Si ut æqualia, ut numerosa in opificiis suis moliatur, in ipso principatu numerorum, in ipsa æqualitatis arce oculos defixos habeat, supra ostensum est, necesse esse; cum quidquid in temporalibus transigitur, æternorum imitatio sit, æquè necesse est, æternas leges intueatur, ut ad earum normam corporalia moderetur. Deinde quàm perversum, quàm intempestivum foret, ut in infimis summa imitetur, homini mandare, & ista summa ei non monstrare? rectorem illum temporalibus præstituere, nec regendi leges ostendere? judicem sensibilibus omnibus præponere, & judicandi regulas ab ipsis sensibilibus mendicandas imponere? Quis unquam judex judicandi leges ab iis ipsis quæ judicanda sunt, sciscitatus est? Deinde omnis ratiocinatio ut certo fundata sit, principiis superstruenda est evidentissimis & immutabilibus; at veritas ista immutabilis primorum principiorum, cum æterna & immutabilis sit, jam sæpissimè demonstrata est, non aliud quàm Deus ipse esse. Cum ergo nec temporalia nisi recta ratione & ratiocinatione gubernari queant, nec ratiocinatio ulla sit, nisi evidentissimæ primorum principiorum & inconcussæ veritati innitatur, nec ista veritas aliud quàm Deus & lex æterna sit, non possunt ergo temporalia gubernari nisi ex evidentissima contemplatione seu ex visione legis æternæ. Nec mirum cuiquam accidat, si nulla ratiocinatio vel tantilla, si nullius rei quantumvis despicatissimæ administratio dicatur constare posse, nisi supernè ab ipso usque summæ veritatis sacrario, ab ipse intelligibili sole lux divina & aliqua æternitatis visio affulgeat. Nam nec corporei oculi vel vilissimorum animalculorum contueri quidquam possunt tametsi minutissimum, nisi ab ipso usque Sole cœleste jubar adsplendeat; nec in terris nasci, vel augescere, vel moveri omnino quidquam tametsi contemptissimum potest, nisi ex ejusdem Solis siderumque nutu. Lux summa à summis ad ima corporum delabitur ad ea vel illuminanda, vel omni modo movenda; lux quoque summa intelligibilis ad minimas usque mentium se exporrigit & illustrandas & regendas. Solaris luminis radius purissimus illabitur, ostendit, inseritque se oculis extremis, ut videant & agantur & agant; intelligibilis veritatis lumen ipsum sincerissimum illabi viderique similiter debet ab omnibus mentibus, ut eas collustret regatque, dum alia regunt.

Denique hinc in homine triplex facultas distinguenda, intellectus seu mens, ratio, sensus; triplex item operatio, intelligentia, scientia, sensio. Mens ut æterna intelligat, sensus ut temporalia sentiat, ratio ut de temporalibus secundùm leges æternas judicet, ut mentem audiat, sensum judicet; illi obtemperet, huic imperet; ex æternis regatur, temporalia regat. Sic media est inter mentem & sensum ratio; media est inter intelligentiam & sensionem scientia. Scientia enim ab æternis principiis quasi temporales extundit conclusiones. Prolixè hæc exequutus est Augustinus, & allegoricum hunc sensum aptavit primorum parentum in paradiso constitutioni. Mens enim quasi vir per Adamum, ratio tanquam materfamilias per Evam, sensus per serpentem adumbratur. In tuto fuerunt omnia, quandiu Eva serpentem, id est, ratio sensum audivit, nec assensit; Evam Adamus, id est, mens rationem coercuit, & ne serpenti seu sensui obsequeretur, inhibuit. At ubi serpens Evam,

Evam, Eva Adamum, id est sensus rationem, ratio mentem decepit, & in præceps egit, omnia pessum ierunt.

De Trinit. L. 12. c. 2. VI. Augustinus: *Sublimioris rationis est judicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales & sempiternas. Quæ nisi supra humanam mentem essent, incommutabiles profecto non essent; atque his nisi subjungeretur aliquid nostrum, non secundum eas possemus judicare de corporalibus, &c. Illud vero nostrum quod in actione corporalium atque temporalium tractandorum ita versatur, ut non sit nobis commune cum pecore, rationale quidem est: sed ex illa rationali mentis nostræ substantia, qua subhæremus intelligibili atque incommutabili veritati, tanquam ductum, & inferioribus tractandis gubernandisque deputatum est.* Rectè advertis non posse legitimè tractari temporalia nisi ex imitatione, ideoque contemplatione æternorum; & rationem quidem tractandis temporalibus deputatam esse; mentem autem nostram contemplandis quidem æternis subjungi, regendæ autem rationi præstitui. Et rursus ibidem: *Sicut de* Ibid. c. 7. *natura mentis diximus, quia & si tota contempletur veritatem, imago Dei est; & cum ex ea distribuitur, & quadam intentione derivatur ad actionem temporalium, nihilominus ex qua parte conspectam consulit veritatem, imago Dei est: ex qua verò intenditur in agenda inferiora, non est imago Dei.* Vides mentem soli æternorum contemplationi vacare, rationem temporalium tractationi; illam huic præesse & præire, ideoque mentem viri, rationem fœminæ nomen & partes subire; ideoque virum ab Apostolo Paulo ad imaginem Dei formatum dici, non item fœminam. Ibidem: *Quia sexu corporis distat à viro, ritè potuit in ejus corporali velamento figurari pars illa rationis, quæ ad temporalia gubernanda deflectitur, ut non maneat imago Dei, nisi ex qua parte mens hominis æternis rationibus conspiciendis, vel consulendis adhæserit.* Et infrà: Ib. c. 12. 13. *Sensu quippè corporis corporalia sentiuntur, æterna verò & incommutabilia spirituali ratione sapientiæ intelliguntur; rationi autem appetitus scientiæ vicinus est, quandoquidem de ipsis corporalibus quæ sensu corporis sentiuntur, ratiocinatur ea quæ scientia dicitur actionis.* Vides ut triplicem hanc vim discernat, & suas cuique partes secernat. Denique ibidem: *Apparet tamen cum secundum Deum vivimus, mentem nostram in invisibilia ejus intentam, ex ejus æternitate, veritate, charitate proficienter debere formari. Quiddam verò rationalis intentionis nostræ, hoc est ejusdem mentis, in usum mutabilium corporaliumque rerum, sine quo hæc vita non agitur, dirigendum, &c. ut quidquid in usu temporalium rationaliter facimus, æternorum adipiscendorum contemplatione faciamus.* Ubi notat periculosissimum alioqui futurum, animam vorticoso temporalium pelago committi, simulque cœli syderumque contuitu fraudari, quo uno auspice ex tantæ discrimine tempe- De lib. Arb. L. 3. c. 5. statis enatare potest. Idem habet breviùs alibi: *Humana anima naturaliter divinis ex quibus pendet connexa rationibus, cum dicit melius hoc fieret quàm illud, si verum dicit, & videt quod dicit, in illis quibus connexa est, rationibus videt.* Vides nihil ratiocinari, nihil concludere posse rationem nostram, nisi videndo rationes æternas seu primam & incommutabilem veritatem, quæ prima principia subministrat, ex quibus conclusiones omnes pullulascunt.

VII. Declararunt 4. ex veritatis consultatione ad quam identidem etiam inopinantes recurrimus. Nam quidquid audimus ab homine, ubi de intelligibilibus agitur, etiamsi magistri authoritatem & præjudicium invehente, an tamen verum sit, non statim præcipitamus assensum, sed intus consultamus, & domesticum adimus veritatis oraculum, ad ejusque nutum assensionem vel dissensionem liberamus; atque ubi assentimur, non authoritati extrinsecus loquentis, sed luci veritatis intimæ ita esse ostendentis assentimur. Ergo veritas illa intima coram auditur, & palam videtur; nec ut absens sentitur, sed præsens intelligitur in quadam luce interiore, & clariùs videtur, quàm homo extrinsecus docens, cùm illi tantoperè antehabeatur. Deinde ut sensibilia aliqua nuncianti, credis si ea absint, aut videri non possint; si autem præsentia sint & videantur ipsa, jam non credis nuncianti, sed tibi videnti; imò non credis, sed scis & vides. Ita intelligibilia aliqua commemoranti magistro potes credere; sed si in scholam pectoris te recipias, & ibi expendas audita, jam illa ut præsentia contuberis, nec credes quia tanquam absentia audisti, sed intelliges quia tanquam præsentia didisti. Videtur ergo palam intima illa veritas & incommutabilis, solaque intelligentium magistra.

Deinde quid est quod de sensibilibus vel contingentibus interrogati vel commoniti, verbi gratia, de Roma à Barbaris capta, intimum illud oraculum non consulimus, non videmus, non audimus veritatem intus pronunciantem, vel ostendentem quid verum sit? At de intelligibilibus & immutabilibus veris commonefacti, statim confugimus ad illam intimam magistram & præsidentem mentibus veritatem, & ubi serena est mentis acies, intuemur statim, quid verum, quid certum sit? Unde hoc discrimen, nisi ex eo quod ut oculo corporis sensibilia, ita oculo mentis intelligibilia obversantur? eadem facilitate & luce contuenda, sed sensibilia nec semper sunt, nec simul sunt, id est, nec eodem loco nec omni tempore omnia sunt, sed multa non amplius sunt, vel nondum sunt, vel longè absunt, ideoque à sensu corporis adiri viderique non possunt, ideoque credi possunt, sed sciri non possunt, an ita sint qualia nunciantur, nisi pauca illa quæ & loco & tempore præsentia sunt. At intelligibilia vera à loci temporisque legibus & limitibus expedita, menti semper omnia præsentia sunt, consulique possunt, ut non jam monitori auribus insonanti, sed veritati ipsi sese mentium oculis ostentanti assentiamur.

Denique eò distant hæc tria, opinari, credere, intelligere; opinioni subest quod non videtur, sed conjectatur ratiuncula verisimili; fidei subest quod soli affirmantis authoritati donatur. Intelligitur verò quod in radio illo interiori coram positum cernitur. Nec fides vel ab ipso Christo ad aliud præstructa est, quàm ut ad intellectum mentes perduceret, ut nempe quod per ejus carnem foris insonuit, crederetur, & intus quæreretur, & in ejus Verbo inveniretur, id est, clarè videretur. Eoque sensu unus magister Christus est; humanitate sua fidem, veritate sempiterna intelligentiam unus suadens & largiens.

VIII. Augustinus: *De universis quæ intelligimus,* L. de Magistro. c. 11. *non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortasse ut consulamus admoniti. Ille autem qui consulitur docet, qui in interiore homine habitare dictus est, id est, incommutabilis ac sempiterna sapientia, quam quidem omnis rationalis anima consulit.* Et paulò pòst: *Omnia quæ percipimus, aut sensu corporis, aut mente percipimus, illa sensibilia, hæc intelligibilia, sive ut more nostrorum authorum loquar, illa carnalia, hæc spiritalia nominamus. De illis dum interrogamur, respondemus, si præsto sunt ea quæ sentimus: velut cum à nobis quæritur intuentibus lunam novam, qualis aut ubi sit. Sic ille qui interrogat, si non videt, credit verbis, & sæpè non credit. Discit autem nullo modo, nisi & ipse quod dicitur, videat, ubi jam non verbis, sed rebus ipsis & sensibus discit, &c. Cum verò de iis agitur, quæ mente conspicimus, id est, intellectu atque ratione, ea quidem loquimur, quæ præsentia contuemur, in illa interiore luce veritatis, qua ipse qui dicitur homo interior, illustratur & fruitur; sed tunc quoque noster auditor, si & ipse ille secreto ac* simpli-

simplici oculo videt, novit quod dico sua contemplatione, non verbis meis. Ergo ne hunc quidem doceo, vera dicens, vera intuentem; docetur enim non verbis meis, sed ipsis rebus, Deo intus pandente manifestius. Ex quibus sancti Patris verbis planum est, ut sensibilia sensui, ita intelligibilia vera menti contuenda coramque videnda se præbere; utque illa, ita & hæc, credi vel non credi posse, quando audiuntur; sed tunc verè disci & intelligi, quando videntur; posse quidem nos ab homine commoneri & excitari ad consulendam ipsam rerum intelligibilium præsentiam & præsidem veritatem, doceri autem & illuminari omnino non posse nisi ab ipsa visione rerum præsentium, ipsoque contuitu incommutabilis veritatis. Itaque vera discunt, non qui audiunt, sed qui vident; nam qui audiunt, credere possunt; at qui vident, ii demum sciunt & intelligunt. Rursus idem sanctus Pater ibidem: *Quamobrem in iis etiam quæ mente cernuntur, frustrà cernentis loquelas audit, quisquis ea cernere non potest, nisi quia talia quandiu ignorantur, utile est credere. Quisquis autem cernere potest, intus est discipulus veritatis, foris judex loquentis.* Vides quàm certò videat veritatem intus se ostendentem, cum illam ita videat intus apparentem, quando audit foris magistrum insonantem, ut illa visio judex & arbitra sit hujus auditionis. Vides interim tutò credi, quod nondum potest cerni, donec possit cerni; eoque spectare omnem fidem, ut in hujus etiam viæ decursu intellectio visioque quæratur ejus rei
Confession. L. 11. c. 8. quam interim credimus. Quapropter idem alibi: *Principium qui & loquitur nobis. Sic in Evangelio per carnem ait, & insonuit foris auribus hominum, ut crederetur, & intus quæreretur, & inveniretur in æterna veritate, ubi omnes discipulos bonus & solus magister docet, &c. Quis porrò nos docet, nisi stabilis veritas? quia & per creaturam mutabilem cum admonemur, ad veritatem stabilem ducimur, ubi verè discimus, cum stamus & audimus eam.* Ubi hoc uno exemplo docet, Christum hominem in carne dixisse quæ crederentur, & credita intus quærerentur, quæsita invenirentur & intelligerentur in æterna veritate Verbi, qui idem Christus est. Quàm suavis autem & quàm necessaria sit & quàm crebrò usurpanda voluptas ista consulendæ intimæ summæque veritatis, & quàm certa sit hæc futuræ beatitatis prægustatio, & beatæ visionis prælibatio, docet idem Augustinus: *Ubi*
Confess. L. 10. c. 40. *non mecum ambulasti veritas, docens quid caveam & quid appetam, cum ad te referrem interiora visa mea, quæ potui, teque consulerem? &c. Lux es tu permanens, quam de omnibus consulebam, an essent, quid essent, quanti pendenda essent. Et audiebam docentem ac jubentem; & sæpè istud facio. Hoc me delectat, & ab omnibus actionibus necessitatis, quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio, &c. Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsum, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit.* Ubi advertis quàm frequenter ventitaret ad istud pectoris oraculum Augustinus, quanta inde veritate irrigaretur, quanta perfunderetur voluptate, quanta futuræ fœlicitatis prægustatione initiaretur.

IX. Declararunt 5. Ex inspectione regularum formarumque incommutabilium justitiæ, sapientiæ, veritatis, &c. Quas mens omnis intima quadam luce fulgentissimas intelligit & videt: nam quod intelligitur, utique videtur; quod enim videre corpori, hoc idem menti vocatur & est intelligere. Credere enim & opinari quasi caliginosi quidam & ambigui contuitus vel contactus rerum sunt; at intelligere visio rei est perspicua & præsentissima.

Deinde nisi intelligerent, nisi viderent omnes quasi ante oculos positam sapientiæ & justitiæ formam, quomodo tam fidenter, tam unanimiter judicarent proclamarentque illud justitiæ & sapientiæ consonum, illud dissonum esse? Nimirum quàm conspicuè vident ob oculos corporis præsentem rem judicandam, tam conspicuè vident ob oculos mentis præsentem formam ex qua judicandum est. Deinde hæc forma justitiæ & sapientiæ nullo corporis sensu in mentem irrepsit. Quo enim? cùm nec colore ullo fulgida, nec sono stridula, nec odora sit: si nullo sensu; proindeque nullo sensu, nullaque corporea imagine menti insperpsit, per seipsam ergo illi se præstitit, præstatque semper præsentem. Ut quid enim vicaria sui specie illi adesset, quæ ubique adest, & nusquam abest, cùm volatiles ejusmodi species absentium dumtaxat vicem interim suppleant? Denique cùm totam se componere debeat mens quælibet & fingere ad formam sapientiæ & justitiæ, idque lex æterna jubeat, qui tandem id assequeretur, nisi formam ipsam sapientiæ & justitiæ contueri posset? neque enim imitabitur, nisi intuebitur. Augustinus: *Quasi non multa ac propè innumerabilia cogitentur incorporaliter, atque intelligibiliter ab eis qui talia cogitare noverunt, sicut ipsa sapientia & veritas. Quam si isti non cogitant, miror quomodo de illa utcumque disputent. Si autem cogitant, vellem mihi dicerent, vel de quo corpore vel qualis in eorum animos veniat imago veritatis.* Et alibi: *Justitiam & sapientiam & quidquid ejusmodi est, non aliter imaginamur, aliter contuemur. Sed hæc invisibilia simplici mentis atque rationis intentione intellecta conspicimus sine ullis formis & molibus corporalibus, sine ullis lineamentis figurisque membrorum, &c.* Justitia non quasi absens per sui imaginem, sed quasi semper præsens per seipsam videtur, intellectaque conspicitur solius mentis oculo, nullo sensu quidquam mutiente. Et rursus: *Est aliquid quod animus ipse corporis dominator, rector, habitator videt, quod non per oculos corporis sentit, non per aures, non per nares, &c. quod neque color sit, neque sonus, neque odor, &c. Dicatur mihi quem colorem habeat sapientia? cum cogitamus justitiam, qua ejus intus in ipsa cogitatione pulcritudine fruimur? quid tanquam sonus ad aures, quid tanquam vaporeum surgit ad nares?* Et rursus: *Tria sunt rerum genera quæ videntur, unum corporalium, sicut hoc cælum & terra, & quidquid in eis corporeus sensus cernit & tangit. Alterum simile corporalibus, sicut sunt ea quæ spiritu cogitata imaginamur, &c. Tertium ab utroque discretum, quod neque sit corpus, neque habeat ullam similitudinem corporis, sicut est sapientia quæ mente intellecta conspicitur, & in cujus luce de his omnibus veraciter judicatur.* Ex his aliisque ejusmodi sexcentis apud Augustinum locis constat mente ipsam veritatem, sapientiam cæterasque ejusmodi formas videri coram & præsentes, quæ tamen non aliud sunt, quàm Deus ipse. Isidorus Hispalensis: *Fecit Deus hominem ad imaginem suam, perfectum scilicet virum, qui non quemlibet sanctorum virorum imitando, sed ipsam veritatem contemplabiliter intuendo, operatur justitiam, ut ipsam intelligat & sequatur, ad cujus imaginem factus est secundum veritatem.* Ut igitur homo qua justitiæ & veritatis imago est, ad sui exemplar sese ipse componeret, debuit ejus formam non in quolibet alio relucentem, sed in seipsa contemplari & intueri.

Epist. 56. Epist. 85. In Psal. 41. Epist. 85. In Gen. c. 3.

X. Declararunt 6. Ex inspectione luminis ipsius quo videt mens & videre se videt, quidquid videt. Non tantùm enim intelligibilia, & æterna vera videt mens; sed ut illa videat, aliquo supernè lumine respergi se videt, & lumen ipsum quo videt, intelligit & videt. Ita quippè & oculi corporei ipsum maximè lumen vident, quo cætera vident. Deinde sentit & experitur mens in aliqua interiori luce se discernere multa, verbi gratia, quid certum, quid ambiguum sit; quid discrepent sentire, imaginari, intelligere; quo distent credere, opinari, scire; hæc aliaque ejusmodi cernit mens, & discernit aliquo

aliquo lumine, quod ipsa non est, sed quo juvatur, ut & alia & ipsum videat.

Deinde cum lumen illud tam splendidum sit, ut & reliqua omnia ejus aspergine resplendeant; & intimum menti sit, quid obstabit quin videatur? nam nimia luce præstringet quidem mentis oculum infirmum, ut fixa acie videri diutiùs non possit; sed momento saltem aliquo, aliquo saltem ictu trepidantis aspectus videbitur. Denique lumen istud est quod illuminat mentem omnis hominis venientis in hunc mundum; at mentem illuminat eo consilio, ut ipsum ante alia, non ut ipso tantùm alia videantur. Mentis quippe officium bonumque est, non tam hoc lumine alia contueri, quàm hoc ipsum lumen supra omnia alia contemplari. Plus enim multò voluptatis & fœlicitatis ex hujus luminis contuitu hauritur, quàm ex aliorum omnium quæ hoc lumine collustrantur. Augustinus: *Ipsumque lumen quo cuncta ista discernimus, in quo nobis satis apparet quid credamus incognitum, quid cognitum teneamus: quam formam sensu recordemur, quam cogitatione fingamus; quid corporis sensus attingat, quid imaginetur animus simile corpori, quid certum & omnium corporum dissimile intelligentia contempletur: Hoc ergo lumen ubi hæc cuncta dijudicantur, non utique sicut hujus solis & cujusque corporei luminis fulgor, per localia spatia circumquaque diffunditur, mentemque nostram quasi visibili candore illustrat; sed invisibiliter & ineffabiliter, & tamen intelligibiliter lucet, tamque nobis certum est, quàm nobis efficit certa, quæ secundum ipsum cuncta conspicimus.* Epist. 85.

Lumen ergo illud non tantum intelligibilia illuminat omnia ut videantur, sed ipsum etiam videtur; nec videntur alia ulla, nisi quia ipsum videtur, & in eo alia videntur. Prælucet aliis, lucet sibi; ostendit alia, præostendit se; nec alia ostendit, nisi ut se ostentet; ut nec nostra interest, ipso alia videre, nisi ut ipsum videamus. Et alibi: *In illo genere intellectualium visorum, alia sunt quæ in ipsa anima videntur, velut virtutes quibus vitia sunt contraria; aliud autem est ipsum lumen quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo veraciter intellecta conspiciat. Nam illud ipse Deus est, hoc autem creatura, quamvis rationalis, & intellectualis, ad ejus imaginem facta; quæ cum conatur lumen illud intueri, palpitat infirmitate, & minus valet; inde est tamen quidquid intelligit sicut valet. Cum ergo illuc rapitur, & à carnalibus subtracta sensibus, illi visioni expressius præsentatur, non spatiis localibus, sed modo quodam suo, etiam supra se videt illud, quo adjuta videt, quidquid etiam se intelligendo videt.* De Gen. ad litt.l.12.c.31 Audis hoc lumen quo mens videt, Deum esse; & illud à mente videri quando supra omnia sensibilia assurrexit. Eodem spectat illud: *Erexit se (ratio) ad intelligentiam suam, ut inveniret quo lumine aspergeretur, cum sine ulla dubitatione clamaret incommutabile præferendum esse mutabili, &c. & perveniret ad id quod est in ictu trepidantis aspectus.* Confess.l.7. c. 17. Videtur igitur lumen illud, tametsi nictitante oculo, nimiaque splendoris vi præstricto.

XI. Declararunt 7. ex purgatione mentis quæ per Philosophiam, per morum disciplinam, per fidem ad id instituitur, ut purgato mentis oculo Deus confestim videatur. Ac primùm quidem mentis oculus per peccatum sauciatus est, non effossus; sordidatus est, non extinctus; obnubilatus est, non excæcatus; videt ergo adhuc licèt obscuriùs & imbecilliùs & cum dolore; nam nihil penitùs videre, non peccati sanabile vulnus, aut ægritudo, sed extremæ & irreparabilis damnationis pœna & mors est. Deinde purgantur hîc multifariam oculi à sordibus, sanantur à vulnere, seu per fidem, seu per Philosophiam, seu per morum sanctimoniam; ergo tametsi summum puritatis & sanitatis columen hîc non obtingat, pro modulo tamen suæ purgationis, impetrare debent & modum usuramque divinæ visionis. Videntur enim complura, videtur lumen, sol, sidera, oculo nequedum persanato, nequedum purgatissimo; tametsi minùs copiosè & minus voluptuosè videtur. Iidem certè sunt gradus, eadem incrementa purgationis & visionis. Deinde eò spectabat olim Socratis institutum moribus primùm per Ethicam expiandis enixissimè incumbentis, quòd non aliter fas esset rerum omnium causas in æternis Dei rationibus viventes intueri, quàm oculo mentis à vitiis ita expiato. Denique eodem spectat & fidei Christianæ intentio, ut per fidem sanetur, sanata mens intelligentiam & intuitum divinorum consequatur, hîc quidem prægustandum, in patria pleniùs ebibendum, pro gradibus sanitatis & munditiei utrobique dispensandum. Bernardus: *Nunc quidem apparet quibus vult, sed sicuti vult, non sicuti est. Non sapiens, non sanctus, non Propheta videre illum sicuti est, potest, aut potuit in corpore hoc mortali; poterit autem in immortali qui dignus habebitur. Itaque videtur & hîc, sed sicut videtur ipsi, & non sicuti est. Nam neque hoc luminare magnum, Solem loquor ipsum quem quotidie vides, vidisti aliquando sicuti est, sed tantùm sicut illuminat, verbi causa, aerem, montem, parietem. Quod nec ipsum quidem aliquatenus posses, si non aliqua ex parte ipsum lumen corporis tui pro sui ingenita serenitate & perspicuitate, cœlesti lumini simile esset. Non denique alterum membrum corporis capax est luminis, ob multam utique dissimilitudinem. Sed nec ipse oculus cùm turbatum fuerit, lumini propinquabit, nimirum ob amissam similitudinem. Qui ergo turbatus nullatenus Solem videt serenum propter dissimilitudinem, serenus aliquatenus videt propter nonnullam similitudinem. Profectò si pari prorsus puritate vigeret, videret omnino inoffensa facie eum sicuti est, propter omnimodam similitudinem. Ita & Solem justitiæ, illum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo sicut illuminat, illuminatus potest, tanquam jam in aliquo similis; sicut est, omnino non potest, tanquam nondum perfectè similis.* Serm. 31. In Cant. Ubi planissimum est & sensibilem & intelligibilem Solem oculo videri ob nonnullam puritatem & similitudinem, eosdemque gradus, eadem incrementa esse visionis & similitudinis; proindeque cùm hîc jam puritas oculi, jam munditiès cordis, jam similitudo cum Deo nonnulla comparetur, visionem quoque nonnullam parari; imò cùm nulli menti omnis similitudo cum Deo expuncta sit, nulli etiam non aliqua superesse hujus visionis frustilla. Sed quamvis dum purgatur oculus, nonnihil obiterque Solem videre possit, totum tamen & sicuti est nonnisi purgatissimus videbit. Hoc illud est porrò quod non semel jam monuimus, hanc totam quæ hîc à Sanctis Patribus astruitur Dei visio, contemplationem potiùs, & intelligentiam esse, quàm visionem Dei: eaque videri quòd sit Deus, non quid sit, ut prolixè demonstratum est, ubi de simplicitate Dei tractatum est, utque rursus infrà hoc ipso Tractatu de visione Dei declarabitur. Augustinus autem: *Socrates primus universam Philosophiam ad corrigendos componendosque mores flexisse memoratur, &c. Non mihi autem videtur posse ad liquidum colligi, utrùm Socrates, ut hoc faceret, tædio rerum obscurarum & incertarum ad aliquid apertum & certum reperiendum, animum intenderit, &c. An vero sicut de illo quidam benevolentius suspicantur, nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos se extendere in divina conari: quandoquidem ab eis causas rerum videbat inquiri, quas primas atque summas nonnisi in unius veri ac summi Dei voluntate esse credebat. Unde non eas putabat nisi mundata mente posse comprehendi; & ideo purganda bonis moribus vita censebat instandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus animus, naturali vigore in æterna se attolleret; naturamque incorporei & incommutabilis luminis, ubi causæ omnium factarum* Civ.l.8.c.3.

rum naturarum stabiliter vivunt, intelligentiæ puritate conspiceret. Juxta sinceriores itaque Socratici instituti interpretes tota Philosophia eò pertinet, ut mores purget primùm, quo purgata mens rerum omnium causas in æternis Dei rationibus videat; purgata enim semel mens naturali vigore in æterna se attollit, & incommutabile lumen conspicit. Omnis igitur germana Philosophia ad aliquam Dei visionem hìc saltem prælibandam suspirat. Rursus idem Augustinus: *Ad quod videndum (summum bonum) mundemus cor per fidem Domini nostri Jesu Christi, qui ait, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, &c. Illum aspectum aciemque purgemus, quo cernitur, quantum in hac vita licet, quid sit justum, quæ sit sapientiæ pulcritudo, quæ quisquis cernit, præponit longè omnium localium spatiorum plenitudini, & sentit ut ista cernat, non per bonorum spatia diffundi aciem mentis suæ, sed incorporea potentia stabiliri*. Ergo ut videatur Deus, purgandus est oculus, quo etiam nunc videmus pulcritudinem justitiæ & sapientiæ, id est, quo Deum jam, sed exiliùs minùsque videmus. Cont. Epist. Fund. c. 1.

CAPUT XI.

Ejusdem argumenti continuatio de reliquiis primigeniæ in Paradiso contemplationis divinæ. Nempe de raptibus piarum mentium in Deum.

I. Ex gratiæ dono mens in Deum quandoque rapitur, & strictim aliquid ejus intervidet. Multæ ejus rei illustrationes probationesque ex Bernardo.

II. Et ex Augustino.

III. Et ex Gregorio Magno.

IV. Rursus de iisdem repentinis in Deum excessibus mentis, tanquam in diluculo diei, & vitæ futuræ. Variæ argumentationes.

V. Variæ & Patrum testificationes. In primis Augustini.

VI. Et Gregorii Magni.

VII. Et de iisdem denuo coruscationibus lucis supernæ, tanquam in crepusculo ejus diei, qui naturæ innocenti allucescebat, ex Augustino & Gregorio.

VIII. Rapida tantum & momentanea futuræ Dei visionis nunc coruscamina conceduntur, ex Scripturis & Patribus.

IX. Ex quibus maximè Scripturæ locis id exculpant sancti Patres?

X. Argumentis etiam rem conficiunt, quæ satius est in aliud caput conjici.

I. Declararunt 8. ex assumptione gratiæ, qua mens in Deum quandoque rapitur, & in summo contemplationis æstu strictim obiterque Deum intervidet. Ita enim obiter divinam pulcritudinem raptimque videndo, ad eam magis magisque inardescit; ut hæc repentina statimque abrupta visionis ostentatio, desiderii sit potiùs & amoris exstimulatio. Deinde mens obiter strictimque videndo, magis inardescit, & inardescendo magis videt; nam desiderium videndi aciem exacuit ad videndum. Ita reciprocis sese accumulant incrementis, & ut visio auget amorem, amor auget visionem. Deinde ægritudines maculasque suas, quibus sanandis eluendisque mens, ut Deum videat, incumbit, non alibi meliùs notare & deprehendere mens potest, quàm obiter Dei pulcritudinem intuendo, eique se componendo. Denique cùm tota immunditia oculi divinam intercludens visionem, sit rerum infimarum cupiditas, non potest ad eam everrendam accommodatius quidquam adhiberi, quàm supernæ illius voluptatis aliqua vel tantilla irrigatio; statim enim vilescit omnis terrena delectatio, statim fastiditur, & ad supernas illas delicias inescata mens interdiu noctuque suspirat. Author Epistolæ de Vita solitaria ad Fratres de Monte Dei: *Electo & dilecto Dei aliquando vicissim lumen quoddam vultus Dei ostenditur: sicut lumen clausum in manibus patet & latet ad arbitrium tenentis; ut per hoc quod quasi transcursu vel in puncto permittitur videre, inardescat animus ad plenam possessionem luminis æterni & hæreditatem plenæ visionis Dei. Cui ut innotescat aliquatenus id quod ei deest, nonnunquam quasi pertransiens gratia perstringit sensum amantis, & eripit ipsum sibi, & rapit in diem qui est, a tumultu rerum ad gaudia silentii, & pro modulo suo ad momentum, ad punctum, idipsum ostendens ei videndum sicuti est, interim etiam & ipsum efficit in idipsum, ut sit suo modo sicut illud est. Ubi cùm didicerit quid intersit inter mundum & immundum, redditur sibi & remittitur ad mundandum cor, ad visionem, ad aptandum animum ad similitudinem; ut si aliquando rursum admittatur, sit purior adhuc ad videndum, & stabilior ad fruendum. Nusquam enim se meliùs deprehendit modus humanæ imperfectionis, quàm in lumine vultus Dei, in speculo divinæ visionis. Ubi in die qui est, plus & plus videns quid sibi deest, emendat in dies similitudine, quidquid deliquit dissimilitudine. Et sic expressiorem visionem expressior semper similitudo comitatur. Impossibile quippe est videri summum bonum & non amari; nec non tantum amari, quantum datum fuerit videri*. Notat ergo ideo aspergi pias mentes hujusmodi visionis divinæ luminibus, ut videndo plus ament, & plus amando videant; ut summum bonum videndo, & ad illud amplius inflammescant & ad bona infima amplius nauseent; ut visa pulcritudine summa, nævos suos immunditiasque diligentiùs observent, & abstergere satagant, Deoque videndo tantò digniores, quantò mundiores similioresque evadant. Bernardus autem ipse: *Excessum puræ mentis in Deum, sive Dei pium descensum in animam, nostris, quibus possumus, exprimimus verbis, &c. Non ergo sic affecta & sic dilecta, contenta erit omnino, vel illa quæ multis per ea quæ facta sunt, vel illa quæ paucis per visa & somnia facta est manifestatio sponsi; nisi & speciali prærogativa, intimis illum affectibus, atque ipsis medullis cordis cœlitus illapsum suscipiat, habeatque præsto quem desiderat, non figuratum, sed infusum; non apparentem, sed afficientem, &c. facies est, non formata, sed formans; non perstringens oculos corporis, sed faciem cordis lætificans: grato quippe amoris munere, non calore. Non tamen adhuc illud dixerim apparere sicuti est, quamvis non omnino aliud hoc modo exhibeat, quàm quod est*. Vides puris mentibus jam hinc apparere Deum non per creaturas oculo corporis blandientes, non per imagines phantasiæ illudentes; sed ipsum per sese illabi, infundi, apparere quod est, etsi nondum quid est, vel sicuti est. Quid hæc nisi inusitatam Dei & anticipatam visionem manifestant, tametsi ea qua beati fruuntur inferiorem? Serm. 31. in Cant.

II. Augustinus: *Aliquando intromittis me in affectum multùm inusitatum introrsum, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, scio quòd vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor; & multùm fleo, sed multùm teneor. Tantum consuetudinis sarcina degravat. Hic esse valeo, nec volo: illic volo, nec valeo; miser utrobique*. Ex contemplatione veritatis hoc deliciarum torrente se aliquando inundari ait Augustinus, ut in aliam & beatam vitam migrasse se speret, nisi torrens ille statim exaresceret. Contemplatur ergo veritatem alio quopiam oculo quàm quo solemus; & Deum videt clariùs, quàm per fidem aut per ænigma. Nam ex ejusmodi tenebricoso visionum genere excuti se non lamentabiliter adeo ejularet. Confess. L. 10. c. 40.

Moral. l. 5. c. 26. III. Gregorius Magnus: *Humanitatis nostræ modulo, qua infantiæ imbecillitate præpediti, Deum aliquatenus balbutiendo resonamus. Quia verò & in magna contemplatione sublevati, subtile quid de æternitatis cognitione pertingimus, sacræ historiæ verbis ostenditur. Spiritui commotionis & igni non inesse Dominus dicitur; esse verò in sibilo auræ tenuis non negatur. Quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfectè conspicere prævalet, Deus non est; cum verò subtile aliquid conspicit, hoc est quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit. Quasi enim sibilum auræ tenuis percipimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus.* In fastigio igitur contemplationis, sine velo, sine ænigmate de substantia Dei aliquid intermicat, aliquid videtur; sed non perfectè, sed subtile quid tantùm, sed raptim solummodo, videtur tamen non quid est, sed quòd est, sine imagine, sine ænigmate. Possent alia sine numero suffragia ex iisdem Patribus hìc conglobari, sed infrà commodiùs digerentur.

IV. Declararunt 9. ex anticipatione quadam futuræ in patria visionis, qua hìc aliquando in antecessum quasi inescamur. Nam ut sensibilis, ita intelligibilis Solis exortum antelucanus quidam splendor antecedit; plenam diem anteit diluculum; adventanti Soli præit aurora, tenebrasque abigere occupat. Ita ergo clarissimam illam beatæ in cœlo visionis diem quasi jam appetentem, suum diluculum quasi quoddam præludium antecedit, mentemque beato illo lumine recreare præcipit.

Etenim si tota se dies statim infunderet, & in insuefactos tenebris oculos improvisus Sol irrueret, infirmam obtunderet aciem, vulneraretque magis quàm juvaret. Ad tanti igitur luminis patientiam prævio auroræ temperamento roborandi sunt oculi, & ad experiundas eorum vires necesse est paulatim clarescere diem, aut si totus se aperit, intermicare tantùm raptim, & ad momentum coruscare. Deinde virtutes omnes quas hìc meditamur, ex uno efflorescunt amore justitiæ & veritatis quæ Deus est. Hæc autem forma justitiæ & veritatis longè pulcherrima nisi videretur, non utique tantoperè amaretur. Videtur autem non corporis oculo, non phantasmatis nubilo, sed mentis serenitate. Eædem virtutes seu virtutum cardines in beata patria splendidiùs multò effulgescent ex eodem fonte charitatis luminosæ. Ergo ut virtutes istæ illarum præludia sunt, ut charitas ista illius initiatio est; ita visio ista veritatis & justitiæ quam charitate complectimur, quam reliquis virtutibus osculamur, visionis illius beatæ æquè anticipatio est. Nam iisdem virtutibus, eidem charitati quidni eadem fax præluceat, sed disparibus lucis incrementis?

Denique ad inflammanda desideria & obsequia nihil efficacius est, quàm futuræ mercedis non pollicitatio sola, sed ostensio; etsi ad momentum ostendatur, & surripiatur.

De Gen. ad lit. l. 12. c. 26. V. Augustinus: *Si quemadmodum raptus est à sensibus corporis, ut esset in istis similitudinibus corporum, quæ spiritu videntur; ita & ab ipsis rapiatur, ut in illam quasi regionem intellectualium vel intelligibilium subvehatur; ibi sine illa corporis similitudine perspicua veritas cernitur, nullis opinionum falsarum nebulis obfuscatur, &c. Una ibi & tota virtus est amare quod videas, & summa fœlicitas habere quod amas. Ibi enim beata vita in fonte suo bibitur, unde aspergitur aliquid humanæ vitæ, ut in tentationibus hujus sæculi temperanter, fortiter, justè, prudenterque vivatur.* Ubi liquidum est tum veritatem videri, & videri sine speculi corporei nubilo, & videri ut videtur in patria beatitudinis, quando sine sensu corporis, sine phantasmate videtur. Item ex illo fonte beatæ vitæ aliquas nobis hic adhuc exulantibus guttulas aspergi, unde germinant virtutum summi cardines. Ex visione enim qualicumque justitiæ & veritatis pullulat ejusdem amor, & ex amore virtutes reliquæ succrescunt. Sed pulcherrimè idem Augustinus suam cum matre dissertationem narrans: *Quærebamus inter nos apud præsentem veritatem quod tu es, qualis futura esset vita æterna Sanctorum, &c. Perambulavimus gradatim cuncta corporalia, &c. & venimus in mentes nostras, & transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in æternum veritatis pabulo, & ibi vita sapientia est, &c. Et dum loquimur & inhiamus illi, attingimus eam modicè, toto ictu cordis, & suspiravimus, &c.* Confess. l. 9. c. 10. Vides attigisse ipsos illum diem, illam patriæ suavitatem vidisse, gustasse; sed raptim, sed furtim, statimque pondere carnis excussos inde esse: si enim durasset illa visio, jam æterna, jam beata hæc vita fuisset; ut pergit ibidem: *Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasiæ terræ & aquarum, &c. & ipsa sibi anima sileat, &c. & loquatur ipse solus, non per ea, sed per seipsum, ut audiamus Verbum ejus non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, neque per sonitum nubis, neque per ænigma similitudinis, sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem, si continuetur hoc & subtrahantur aliæ visiones longè imparis generis, & hæc una rapiat, & absorbeat, & recondat in inferiora gaudia spectatorem suum, ut talis sit sempiterna vita quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspiravimus, nonne hoc est, Intra in gaudium Domini tui?* Fieri ergo potest, ut æterna veritas per seipsam loquatur animæ hìc exulanti, ut sine phantasmate, sine ænigmate similitudinis corporeæ illi appareat, ut mens rapida coruscatione attingat æternam sapientiam, & tam perspicuè videat, ut si continuetur hoc, ea quodam modo sit beata vita; denique talis sit sempiterna vita, quale est hoc breve momentum intelligentiæ.

VI. Hoc ipsum frequentissimè inculcavit Gregorius Magnus: *Ad altiora nos suspendit contemplatio, in præsentis vitæ tenebris jam de lumine æternitatis intermicans, &c. Nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia dum per intellectum mysticum studiosa mens reficitur, jam in ea vitæ præsentis obscuritas, fulgore Dei subsequentis illuminatur, ut etiam in hujus corruptionis caligine in intellectum illius vis futuri luminis erumpat, & verborum deliciis pasta, prægustando discat quid de pabulo veritatis esuriat.* Moral. L. 16. c. 16. In altissimo contemplationis vertice jam videtur Sol æternitatis, etsi loca minùs edita nox adhuc inumbret; illic fulgor diei subsequentis jam mentem illuminat, vis futuri luminis quasi tantæ moræ impatiens jam erumpit, seque illi furtim raptimque ostendit. Quid hæc porrò innuit nisi præcoces futuræ Dei visionis primitias? Complura alia ex eodem Gregorio hìc coacervare supersedeo, nonnulla in locum opportuniorem rejicio, ut unum hoc intexam: *Quantum præsens sæculum propinquat ad finem, tantum futurum sæculum ipsa jam quasi propinquitate tangitur, & signis manifestioribus aperitur, &c. Quemadmodum cum nox finiri, & dies incipit oriri, ante Solis ortum, simul aliquo modo tenebræ cum luce commixtæ sunt, quousque discedentis noctis reliquiæ in luce diei subsequentis perfectè vertantur: ita mundi hujus finis jam cum futuri sæculi exordio permiscetur, atque ipsæ reliquiarum ejus tenebræ, quadam jam rerum spiritalium permixtione translucent. Et quæ illius mundi sunt, multa jam cernimus, sed necdum perfectè cognoscimus; quia quasi in quodam mentis crepusculo hæc velut ante Solem videmus.* Dial. lib. 4. c. 41. Sic ille desinentis noctis & adventantis diei confœderationem describit, lucisque æternæ sensim sese inferentis, tenebrasque nostras quodam quasi crepusculo illuminantis exortum.

VIII. Declararunt 10. ex superstite luce & quasi

crepu-

crepusculo post beatam illam Adami in paradiso diem. Nam dies non tota simul extinguitur, senescit paulatim & vesperascit, in multam quoque noctem quandoque subrutilat, quandoque futuræ diei diluculo hesternæ crepusculum implicat se, immiscetque. Et hoc cum primis solatio invecta per primum peccatum nox, noctemque alioqui consequuta mœstitia levari postulabat.

Deinde & posterior & minor in culpa fuit intellectus quàm voluntas, ideoque clementiùs mulctandus fuit. Etsi ergo tota Dei fruitione spoliata sit voluntas, non tamen tota visione orbatus est intellectus.

Deinde conducebat & hoc tum ad faciliorem bonorum resipiscentiam, tum ad acerbiorem malorum vindictam, bonum ex quo exciderant non meminisse, non audire & credere tantùm, sed intervidere, ut hinc exulceraretur vel salutaris lamentatio, vel cruciabilis indignatio.

Denique beata illa, sed brevia, sed rara momenta, de quibus paulò pòst prolixè disputabimus, non alio decurtantur pondere, non alio obtenebrantur nubilo, quàm cupiditatum phantasmatumque è cupiditatibus ebullientium. Igitur hi sunt prioris & primigenii boni reliquiæ, ita per peccatum peccatique pœnas accisæ & truncatæ. Nisi enim pœnalis ista nox ingruisset, non crepusculum, non coruscamina, non illustria momenta interlucerent, sed serena & plena dies & meridies coruscaret.

[De Trinit. L. 8. c. 2.] Augustinus: *Ecce vide si potes, ò anima, prægravata corpore quod corrumpitur, & onusta terrenis cogitationibus multis & variis; ecce vide si potes, Deus charitas est. Hoc enim scriptum est, quoniam Deus lux est. Non quomodo isti oculi vident, sed quomodo videt cor, cum audit, Veritas est. Noli quærere quid sit veritas, statim enim se opponent caligines imaginum corporalium, & nubila phantasmatum, & perturbabunt serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum dicerem, Veritas. Ecce in ipso primo ictu quo velut coruscatione perstringeris cum dicitur, Veritas, mane si potes, sed non potes; relaberis in ista solita atque terrena; quo tandem pondere quæso relaberis, nisi sordium contractarum cupiditatis visco, & peregrinationis erroribus?* Dilucidum est, quòd brevi illo momento sine phantasmate, sine umbraculo veritas ipsa diluceat & videatur, non exertæ contemplationis præmium esse, non inusitatæ gratiæ donum, non futuræ vitæ præceptum quid esse, sed omnibus ferè hominibus usitatum, & ex primævo innatoque naturæ bono residuum frustulum. Parco plura insuere ex Augustino, cùm huc conferri possint quæ acervatim alibi ex ipso congessimus; nam ubi veritatem incommutabilem & æternam numerorum figurarumque geometricæ, & arithmeticæ, regularum ethicæ, connexionum logicæ, principiorum primorum & cardinalium physicæ & metaphysicæ, videri à nobis & intelligi sine corporei sensus adminiculo, sine phantasmatis involucro, atque ita Deum à nobis intelligi demonstravit, quid nisi residuas aliquas decoctæ per peccatum hæreditatis, congenitæque beatitatis reliquias enumeravit?

Cumque in constabilienda hac aliquantula adhuc Dei visione plurimus sit post Augustinum Gregorius, inter utrumque hoc discriminis interesse observa, quòd hanc superni luminis evidentiam hic magis ut sequentis diei diluculum, ille magis ut præteritæ crepusculum depinxit. Cum enim ab uno immortalitatis & beatitudinis primigeniæ ad alium ejusdem reparatæ diem pergamus, & interim per obscuram sensibilium & imaginabilium noctem iter peragamus, utrimque adradiare potest aliquid puræ lucis, vel illius reliquiæ, vel hujus primitiæ, vel illinc residuum, vel hinc præceptum, atque ut jam dixi, vel illius crepusculum, vel hujus diluculum. Illud magis attendit Augustinus, hoc Gregorius. Quapropter hic solis pia contemplatione sublimibus viris venturæ diei anticipatos radios aspergit; ille omnibus omnino hominibus aliquas, sed acumine, sed exercitatione instructioribus longè uberiores originalis luminis reliquias assignat. Nam venturæ claritatis & dies & diluculum solius pietatis præmium est; at naturæ primævæ lumen in multis plurimum superest, in nullis omnino extinctum est: industria & exercitatione proficit, in nullis omnino deficit, quandiu sanè hìc vivitur, ut sentire videtur Augustinus in Psal. 6.

VIII. Observandum 2. Dum corpus hoc ævumque corruptibile agitamus, futuræ visionis non posse nisi rapidas quasdam coruscationes nobis allucere, quæ simul effulgescunt, simul evanescunt. Non jugis ergo, non fixa, sed ne diuturna quidem hæc visio est; sed scintillatio quædam momentanea, raptusque beatissimus, sed brevissimus.

Primò quidem id satis disertè astruit sanctorum Patrum consensus. [De Trinit. L. 12. c. 14.] Augustinus: *Ad intelligibiles corporalesque rationes cum pervenitur, quantum fieri potest, non in eis manet ipse perventor, sed veluti acie ipsa reverberata repellitur, & fit rei non transitoriæ transitoria cogitatio.* [Moral. l. 5. c. 25.] Gregorius Magnus: *Ipse est qui transit, ipse qui stat. Transit enim, quia teneri cognitus non valet; stat autem, quia inquantum cognoscitur, immutabilis apparet. Quia ergo raptim is qui semper idem est, cernitur, simul Deus & transiens & stans videtur.* [In Cant. Serm. 23.] Bernardus: *Sed est locus ubi verè quiescens & quietus cernitur Deus, locus omnino non judicis, non magistri, sed sponsi, & qui mihi quidem, nam de aliis nescio, planè cubiculum sit, si quando in illum contigerit introduci. Sed heu rara hora & parva mora, &c. Mihi visus sum tanquam unus ex illis beatis esse. O si durasset! Iterum, iterumque visita me Domine, &c. Visio ista non terret, sed mulcet, &c.* [L. de Amicitia.] Cassiodorus: *Cum scriptum sit, Deum nemo vidit unquam: Deus tamen qui lucem habitat inaccessibilem, nostris cordibus sæpè aliquantulum suæ lucis clementer infundit. Cum ipse sit charitas, per Spiritum sanctum se nobis pro modulo nostræ infirmitatis insinuat.* [Sentent. l. 2. c. 12.] Isidorus Hispalensis: *Quomodo mens hominis justi ex vera compunctione rapiatur, & quomodo infirmata revertatur, degustatæ lucis magnitudine, illum nosse posse, quia jam aliquid exinde gustavit.* [Cap. 13.] Ælredus in Compendio Speculi charitatis: *Hac gemina dilectione purgata mens, tanto devotius, quanto securius ad ipsius divinitatis felices gestit amplexus, ita ut nimio desiderio succensa, velamen carnis excedat, jamque ab illo ineffabili lumine, ab illa inusitata dulcedine penitùs absorbeatur, factoque silentio ab omnibus corporalibus, ab omnibus sensibilibus, ab omnibus mutabilibus, in id quod est, & sic semper est, & idipsum est, in illud unum perspicacem figat intuitum, vacans & videns quoniam Dominus ipse est Deus, & inter charitatis illius suaves amplexus, sabbatizans sine dubio sabbathum sabbathorum.* Et paulò pòst: *Primo requies in puritate conscientiæ, deinde in multarum mentium dulcissima conjunctione, postremo in ipsius Dei contemplatione, &c. In primo gustat quam dulcis est Jesus in humanitate, in secundo videt quam perfectus in charitate, in tertio quam sublimis in Deitate.* Ubi raptu mentis supra omnia creata Deum hìc videri apertè docet, sed raptum ejusmodi momentaneum tantùm esse tradit alibi: [Serm. 2. in c. 13. Isaiæ.] *At illa radiantem in se lucem illam inaccessibilem, oculo infirmiori non ferens, ad dominicæ passionis intuitum revocari se, ut potuit, postulavit. Cum ergo vidisset quasi raptim id esse, quod est, à superioribus ad inferiora delata, in illam spiritalem visionem transfertur, videtque in spiritu Jesum in cruce pendentem.* [Proslog. c. 14] Anselmus: *Si ergo vidit lucem & veritatem, vidit te; si non vidit te, non vidit lucem nec veritatem. An & veritas & lux est quod vidit, & tamen nondum te vidit? quia vidit te aliquatenus, & non vidit*

vidit te ficuties, &c. Videt se non plus posse videre propter tenebras suas. Cur hoc Domine, cur hoc? tenebratur oculus ejus in infirmitate sua, aut reverberatur fulgore tuo? sed certè & tenebratur in se, & reverberatur à te. Quo nil expressius dici potuit, ut declararetur, hanc totam Dei visionem eò spectare, ut videatur & intelligatur Deus quòd sit, non quid sit, qua de re infrà. Inter Græcos autem Synesius de insomniis: *Neque enim intellectiones à phantasia sejunctas formamus, nisi quis fortè brevi aliquo momento, expertem materiæ formam cogitatione contrectaverit. Phantasiam autem penitus transcendere, difficile non minus quàm beatum.* Basilius Magnus: *Tibi autem divina dispensatione quandoque nec admodum sæpè contingit illud gaudium, ut per brevem degustationem admonearis, quibus bonis sis privatus.*

In Psal. 12.

IX. Secundò hoc ipsum ex variis Scripturæ locis sancti Patres expresserunt. Gregorius Magnus: *Factum est silentium in cœlo quasi dimidia hora. Cœlum quippe Ecclesia vocatur electorum, quæ ad æterna sublimia dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit. Quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum dimidia hora dicitur. Nolenti quippe animo dum cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intendentem, rursum ad respiciendà terrena cordis oculum violenter trahunt.* Ubi silentium illud Apocalypsis capite VIII. horæ dimidiæ, interpretatur contuitum Dei, sedatis admomentum curarum, phantasmatum sensuumque tumultibus. Bernardus eò trahit, quod Moses Deum viderit, & nemo tamen hominum videre possit; vidisse enim ait, sed adeo raptim, ut ferè non viderit. *Qui adhærent ipsi, aliquando videre possunt, sed raptim, & non continuè, nec plenè dum adhuc sunt in via. Attamen quantum ad alios, ipsi magis facie ad faciem eam vident, juxta quod verè de Moyse scriptum est, quia cæteris quidem Prophetis per visiones & somnia, Moysi verò facie ad faciem loquebatur. Quantùm ad plenam sanè visionem, nec ipse Moyses dum viveret in hoc mundo impetrare potuit faciei ipsius visionem. Quia sicut ipse ait, Non videbit me homo & vivet.* Idem rursus quod alibi ex Gregorio retulimus de Elia qui Deum vidit quidem, sed in sibilo auræ tenuis obiter pertranseuntem, homilia de duobus discipulis euntibus in Emmaus: *In sibilo auræ tenuis visus est pertransisse. Hic est ille radius suavissimus contemplationis, quo anima per cincinnum capitis elevatur, cùm meditatione exardescente & oratione scintillante nascitur in corde jubilus quidam, scilicet mellifluus cordis rivus, quem nemo scit, nisi qui sentit, nec etiam ipse qui sentit, quia cito pertransit. Felix hora, sed brevis mora, qua factum est in cœlo silentium quasi media horæ.* Idem illud Apostoli, *Sive excedimus Deo*, eò torquet, ut mens a creatis omnibus rapta, in Dei visionem fruitionemque raptim gustandam evehatur: *In hoc ultimo genere interdum exceditur & seceditur etiam à corporeis sensibus, ut sese non sentiat, quæ Verbum sentit. Hoc fit cum mens ineffabili Verbi illecta dulcedine, quodammodo se sibi furatur, imò rapitur atque elabitur à seipsa, ut Verbo fruatur, &c. At quando hoc aut quandiu hoc? Dulce commercium, sed breve momentum, & experimentum rarum, &c. Pergat quis forsitant quærere à me etiam Verbo frui quid sit? Respondeo, quærat potius expertum à quo id quærat. Aut si & mihi experiri daretur, putasne posse eloqui quod ineffabile est? Audi expertum, Sive, inquit, mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis. O quisquis curiosus es, scire quid sit hoc Verbo frui, para illi non aurem, sed mentem.*

Moral. l. 30. c. 12.

Serm. 2. in Dom. 1. Quadragesimæ ... [margin: Serm. 2. in ... Pasch.?]

In Cant. Hom. 85.

X. Tertiò variis rationibus id illustrarunt, quas hìc obiter non pigebit expendere, in easque digerere cumulum testimoniorum quæ aliorqui tumultuariè congerenda fuissent. Nec debet quisquam ad harum deliciarum prolixitatem pertædescere, sed vel ad eas fruendas eniti, vel fruentibus congratulari.

CAPUT XII.

Rapida tantùm & momentanea futuræ visionis Dei nunc coruscamina concedi, argumentis compluribus evincitur.

I. Non possunt nisi brevissima hæc esse coruscamina visionis beatæ, quia mens statim sensibilium phantasmatum assultu, & corporis curis degravatur.

II. Quia amoris in Deum nostri nondum perfecta, nondum invicta vis est.

III. Splendorem Deitatis intolerabilem vix ad momentum ferre possumus.

IV. Hæ supernæ fulgurationes eò spectant, ut animæ repatrianti clarescat, quod Deus est, non quid est.

V. His probatur, roboratur & insuescit oculus mentis, ut lucem divinam ferat.

VI. His efficitur, ut mens sentiat, quàm procul absit ab ea puritate, qua fulgere debet, ut plenè videat.

VII. Ita fides cum claritate momentanea visionis constat.

VIII. Inveniendo quod quærunt, & id statim amittendo, acriùs exardescunt in illud.

IX. Prægustationes hæ sunt summi boni, vehementiùs deinceps expetendi.

X. Ut de tanto bono non infletur mens, quæ olim de ejus exuberantia superbiit.

XI. Ut contemplatione summi boni, quod degustavimus, creata omnia fastidiamus.

XII. De summi boni fonte aspergimur, ne inter tanta hìc mala deficiamus.

XIII. Hinc efficitur, ut sciat mens Deum non esse, quidquid vel per fidem, vel per visibilia creatura conjectatur Deum esse.

XIV. Harum beatarum fulgurationum duplex est genus; alia ex veritate, alia ex charitate existunt.

XV. Postquam illæ dilapsæ sunt, superest earum memoria.

I. PRima rationum illarum quæ momentaneas tantùm indulgeri nobis mortalibus posse Dei visiones persuadent, hæc est quod mens tota rapi debeat supra sensus, & supra phantasmata, & supra seipsam. At nisi ad breve momentum id non potest. Detrahitur enim statim & deorsum præcipitatur sensibilium assultu, suis vel doloribus, vel blanditiis obstrepentium, corporis ægri & mortalis morbosissima egestate, phantasmatum inveterata jamdiu licentia regnantium intemperiis, cupiditatum quæ in ipso animæ sinu scaturiunt & exundant vorticibus, mentis denique ipsius infirmitate, oculique mentalis hebetudine; umbris enim sensibilium innutritus, summa mollitie jam, lucisque impatientia laborat. Hos tot tantosque obices transilire ad momentum mens potest, & vix potest, perrumpere autem penitùs & dissipare nec vix potest. Augustinus: *Ipsa mens cui ratio & intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis & veteribus invalida est, non solum ad inhærendum fruendo, verum etiam ad perferendum merendo incommutabile lumen, donec de die in diem renovata, atque serenata fiat tantæ fœlicitatis capax.* Et alibi idem: *Ubi ad divina perventum est, avertit sese, intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reverberatur luce* Civit. l. 11. c. 2. De Morib. c. 18.

veritatis, & ad familiaritatem tenebrarum suarum, non electione, sed fatigatione convertitur. Gregorius Magnus: *Perfectè animus conspicere non valet, quod adhuc quia caligo corruptionis prædedit, raptim videt. Ecce enim electorum mens, jam terrena desideria subjicit, &c. gustu incircumscripti luminis pascitur, & ultra se evecta, ad semetipsam relabi dedignatur. Sed quia adhuc corpus quod corrumpitur, aggravat animam, inhærere diu luci non valet, quam raptim videt. Ipsa quippe carnis infirmitas transcendentem se animam retrahit, atque ad cogitanda ima ac necessaria suspirantem reducit.* Bernardus: *Heu rara hora & parva mora. In hoc arcanum & in hoc sanctuarium Dei si quem forte vestrum aliqua hora sic rapi, & sic abscondi contigerit, ut minime avocet, vel perturbet, vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certè quæ difficilius amoventur irruentia imaginum corporearum phantasmata, poterit quidem hic cum ad nos redierit, gloriari, & dicere, Introduxit me rex in cubiculum suum.* Vide ejusdem locum luculentissimum, ubi describit quantæ molis, sed quantæ laudis sit, phantasmata abigere omnino à mentis obtutu.

Moral. l. 8. c. 18. — In Cant. Hom. 31. — Serm. 52. In Cant.

Secunda est amoris in Deum nostri necdum satis adulta, nequedum invicta vis. Oculus enim quo videtur Deus, charitas est, ut infrà suo loco patefiet. Vis saltem qua oculus Deo infigitur, amor est; utque oculus tam altè infigatur, ut refigi, revellique & ad alia detorqueri non possit, amoris impetu vehementissimo & robore invictissimo opus est. Cum ergo languescat adhuc amor noster, multoque subinde concutiatur & huc illucque exagitetur adulterinæ cupiditatis congressu, nec seipsum, nec mentis oculum in Deo immobiliter sistere, nec indivulsè figere potest, sed jugi & irrequietæ alternationi servit. Augustinus: *Nam & illam singularem veramque pulcritudinem cum viderit, plus amabit; & nisi ingenti amore oculum infixerit, nec ab aspiciendo uspiam declinaverit, manere in illa beatissima visione non poterit.* Ut ergo Beati ideo Deum semper vident, quia ingenti amore adeo illi infiguntur, ut ab eo nunquam declinent; ex adverso nos ab illa eadem visione statim defluimus, quia languidiùs amamus. Et alibi: *Quis enim in hac vita nisi in ænigmate & per speculum videt? Nec ipse amor tantus est, ut carnis dirupta caligine, penetret in æternum serenum, unde utcumque fulgent etiam ista quæ transeunt.* Amoris ergo tepiditas totam hujus cæcitatis culpam sustinet; amoris est enim infringere omnia quæcumque obstant repagula, & in ipsam lucis æternæ serenissimam speciem mentis oculos indeclinabiliter defigere. Et alibi: *Quia est idonea (natura Angelica) faciam tuam semper videre, nec uspiam deflectitur ab ea, quo fit ut nulla mutatione varietur. Inest tamen ei ipsa mutabilitas unde tenebresceret, atque frigesceret, nisi amore grandi tibi cohærens, tanquam semper meridies luceret & ferveret ex te.* Si ergo immutabiliter Deum vident & semper vident Beati, in causa est amor indeclinabilis quo illi adhærent. Ex adverso igitur versatilitas amoris nostri à repentina illa Dei visione statim nos deponit.

Soliloq. l. 1. c. 7. — De Catech. rud. c. 2. — Confess. l. 12 c. 15.

III. Tertia est, splendor Deitatis nimius & intolerabilis, quem ideo ad punctum temporis ferre oculus intellectualis utcumque potest, diutiùs perferre haud sanè potest. Gregorius Magnus: *Nobis præsentibus spiritus transit, quando invisibilia cognoscimus, & tamen hæc non solidè, sed raptim videmus. Neque enim in suavitate contemplationis intimæ diu mens figitur; quia ad semetipsam immensitate luminis reverberata revocatur. Cumque internam dulcedinem degustat, amore æstuat, ire super semetipsam nititur; sed ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabitur, & magna virtute proficiens videt quia videre non possit hoc quod ardenter diligit; nec tam ardenter diligeret, nisi aliquatenus videret.* Raptim videt mens, quia immensitate luminis reverberatur: videt autem, quid videre non possit; videt quòd est Deus, & est id de quo videri non potest quid sit. Anselmus: *Videt se non plus posse videre propter tenebras suas. Cur hoc Domine, cur hoc? Tenebratur oculus ejus infirmitate sua, an reverberatur fulgore tuo? Sed certè & tenebratur in se, & reverberatur à te. Utique & obscuratur sua brevitate, & obruitur tua immensitate. Verè & contrahitur angustia sua, & vincitur amplitudine tua.*

Proslo. c. 14.

IV. Quarta est, animæ repatrianti repentinas ejus generis fulgurationes ad id conducere, ut Deum esse certissimè sciat, & eo seu summo bono, suoque bono orbatam se gemat. Ostenditur ergo illi Deus ut esse intelligatur, sed raptim ostenditur ut ad ejus bonum impotentius æstuetur. Augustinus: *Ecce jam quadam interiore dulcedine lætati sumus. Ecce acie mentis aliquid incommutabile, etsi perstrictim & raptim perspicere potuimus. Quare adhuc conturbas me, quare adhuc tristis es? non enim dubitas de Deo tuo. Numquid enim non est quod tibi dicas contra illos qui dicunt, Ubi est Deus tuus? Jam aliquid incommutabile persenti, quare adhuc conturbas me? Spera in Dominum. Et quasi responderet illi anima ejus in silentio: Quare conturbo te, nisi quia nondum sum ibi, ubi est dulce illud quo sic rapta sum quasi per transitum?* Quantò igitur clarius intelligit Deum esse, quem vidit, tantò acerbiùs gemit in se excuti, ubi raptim vidit.

In Psal. 41.

V. Quinta est, mentis aciem probandam esse his brevissimis coruscationibus, an jugem luminis immensitatem pati possit; & ut possit, insuefaciendam. Sic enim periclitari solemus an quibus curantur oculi, satis jam convaluerint ad luminis patientiam, lumine ipso ad momentum inducto abductoque. Augustinus: *Lippientes cum producuntur ad videndum lumen, si forte antea visum omnino non habebant, & incipiunt eundem visum per diligentiam medicorum utcumque reparare. Et cum probare vult medicus quantum salutis eis accesserit, tentat eis ostendere quod videre desiderabant & non poterant cum cæci essent, & redeunte jam utcumque acie oculorum producuntur ad lumen. Et cum viderint, fulgore ipso reverberantur quodammodo & respondent medico demonstranti: Jamjam vidi, sed videre non possum.* Nihil expressius fingi potuit, per hæc coruscamina videtur Deus quòd sit, non quid sit; ut qui Solem ita raptim viderit.

In Evang Ioan. tr. 18

VI. Sexta est, ut mens rapido coruscamine reverberata, sentiat immunditiam adhuc suam ægritudinemque, & mundari sanarique mordacibus etiam collyriis adlaboret & adproperet, & vel levissimas maculas suas in tantæ lucis sereno deprehendens, abstergere eas satagat. Item Augustinus idem post verba relata consequenter subdit: *Cum viderint, fulgore ipso reverberantur quodammodo, & respondent medico demonstranti, Jamjam vidi, sed videre non possum. Quid ergo facit medicus? revocat ad solita, & addit collyrium, ut ad illud quod visum est, & videri non potest, desiderium nutriat, & ex ipso desiderio curetur plenius; & si qua mordacia reparandæ sanitati adhibeantur, fortiter ferat, ut amore illius lucis accensus, dicat sibi, Quando erit ut illud firmis oculis videam, quod sauciis infirmisque non potui? urget medicum & rogat ut curet. Ergo, fratres, si forte tale aliquid factum est in cordibus vestris, si utcumque erexistis cor vestrum ad videndum Verbum, & ipsius luce reverberati ad solita recidistis; rogate medicum, ut adhibeat collyria mordacia, præcepta justitiæ. Est quod videas, sed non est unde videas. Non mihi antea credebas, quia est quod videas; duce quadam ratione adductus es, propinquasti, intendisti, palpitasti, refugisti. Scis certè*

esse

esse quod videas, sed idoneum non te esse qui videas. Ergo curare. Eadem propè habet Author libri apud Bernardum de Vita solitaria loco sup. rà relato. Porrò his verbis, *Est quod videas*, liquidò claret, per hæc puræ lucis coruscamina id unum videri, quòd Deus sit, non quid sit.

VII. Septima est, ut fides cum visione constet. Quia enim momento tantùm rapta mens videt, statimque in tenebras relabitur; adhuc per fidem, necdum per speciem ambulat. Intervidet enim magis quàm videt; non videt, sed vidit; non videt, sed videre se non posse videt. Caligat ergo adhuc in nocte, tametsi fulgura rara & repentina intermicent. Augustinus: *Dum in hoc corpore est anima, etiamsi plenissimè videat, hoc est intelligat Deum; tamen quia etiam corporis sensus utuntur opere proprio, nihil quidem valente ad fallendum, non tamen nihil agente, potest adhuc dici fides ea qua his resistitur, & illud potiùs verum esse creditur*. Mens momento summa attingit, sensus perpetim ima suggerunt; his perpetim ergo obluctandum est, non visione summorum, cùm ea perpes non sit, ergo fide. Sed luculentè Bernardus: *Divina sunt, & nisi expertis prorsus incognita quæ effamur; quomodo videlicet in hoc mortali corpore, fide adhuc habente statum, & necdum propalata perspicui substantia luminis, jam tamen interim puræ interdum contemplatio veritatis partes suas agere intra nos vel ex parte præsumit: ita ut liceat usurpare etiam alicui nostrum, cui hoc datum desuper fuerit, illud Apostoli, Nunc cognosco ex parte: item, Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem divinitus aliquid raptim, & veluti in velocitate corusci luminis interluxerit menti spiritu excedenti: sive ad temperamentum nimii splendoris, sive ad doctrinæ usum; continuò nescio unde adsunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum similitudines, infusis divinitus sensibus convenienter accommodatæ, quibus quodam modo adumbratus purissimus ille ac splendidissimus veritatis radius & ipsi animæ tolerabilior fiat, & quibus communicare illum voluerit capabilior*. Vides fide habente adhuc statum, intermicare strictim lumen ipsum veritatis; sed inde animam statim in corporeas retro labi divinorum similitudines, quibus & se diutiùs & alios pascere & oblectare possit; ideoque nihilominus illam per fidem & in speculo videre.

Soliloq. L. 1. c. 7.

In Cant. Serm. 41.

VIII. Octava est, ut inveniendo quod quærant, statimque amittendo, ad quærendum vehementiùs accendantur. Elanguesceret enim fortasse tam diuturna mora studium quærendi, nisi hujusmodi illecebris inescaretur, & de novo recalesceret. Ubi enim quod quærit quis, intervidit, tantò æstuantiùs quærit; ubi quod quæritur intermicuit, certa inveniendi spes quærendi laborem edulcat; ubi quod sequitur quis, jam propè contingit, & manu prehensat, & jamjamque tenere se sperat, insequitur ardentiùs & infatigabiliùs. Rei enim visæ quàm creditæ spes major, & amor vehementior accendi solet. Augustinus: *Lætetur cor quærentium Dominum, &c. Quærite faciem ejus semper. Videtur enim, quod semper quæritur, nunquam inveniri; & quomodo jam lætabitur, & non potiùs contristabitur cor quærentium, si non potuerint invenire quod quæritur?* Et paulò pòst: *Nam & quæritur, ut inveniatur dulcius; & invenitur, ut quæratur avidiùs. Secundum hoc accipi potest quod dictum est in libro Ecclesiastici dicere Sapientiam, Qui me manducant, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Manducant enim & bibunt, quia inveniunt; & quia esuriunt ac sitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus invenit; propter quod ait Propheta, Nisi credideritis, non intelligetis. Et rursus intellectus eum quem invenit, adhuc quærit*. Fides Deum quærit, intellectus invenit; sed ita invenit, ut statim amittat: quocirca opus est ut per fidem rursus quærat; sed tantò ardentiùs quærit, quantò jam sæpiùs se invenisse meminit. Bernardus homilia de duobus discipulis euntibus in Emmaus: *Nonnisi ad horam, nec ad horam quidem esse possunt in anima tales deliciæ; citò transeunt, abeunt, evanescunt. Ideo fugiunt ut earum plenitudinem quæ debetur in patria, ferventiùs appetamus: ideo animum alliciunt & inflammant, ut surgamus, &c.*

De Trin. L. 15. c. 2.

IX. Nona, ut certissima spes suggeratur totius fontis olim hauriendi, jam nunc ex illo irroramur & prægustatione quadam ejus initiamur. Augustinus: *Unde tibi ros inspersus est, ad fontem venies. Unde radius per obliqua & per anfractuosa tibi ad cor tenebrosum missus est, nudus ipsam lucem videbis, cui videndæ ferendæque mundaris*. Cassiodorus: *O felix anima, si benevolentiam ejus & inspirationem gratiæ cœlestis, suam circa te præsentiam tibi certis liqueat indiciis experiri. Tanget enim te in ipsius recordationem suavitas, afficieris nova & inexperta dulcedine, ut quasi abstracta & à te prorsus aliena, exultes quadam amœnitate cœlesti, &c. Sic primitias, non plenitudinem suæ dulcedinis, non ad satietatem, sed ad degustationem tibi exhibet, ut tali experientia probes quàm dulcem, quàm suavem, quàm jucundum, quàm delectabilem se tibi præbebit, cum apparuerit gloria ejus, cum apparuerit revelata facie*. Bernardus serm. 2. in ea verba Apostoli, Non est regnum Dei esca & potus: *Loquar quod expertus novit, inexpertus ignorat, &c. Numquid non plerumque orantibus nobis omnia viscerum succutiuntur occulta ad memoriam gaudii illius, quod est in Jerusalem, quæ sursum est, quæ est mater nostra, & lachrymarum unda vultus meditantium superfundit? O si duraret! Si oblitus fuero in Jerusalem, &c. Si non proposuero Jerusalem tui principio lætitiæ meæ. Verè in principio lætitiæ, quia finis illic repositus est, &c. Principium gaudii illius quod hic quandoque sentimus, stilla est, guttula est, de flumine illo descendens, cujus impetus lætificat civitatem Dei. Quandoque veniet tempus, ut perennibus gaudiis nos in ipso Divinitatis fonte profundiùs immergamur, ubi unda undam sine intercapedine & interpolatione continuet*.

In Evang. Joan. tr. 15. L. de Amicitia.

X. Decima est, ut tanto bono non superbire discat mens, quæ olim ex ejus fruitione superbiit, & superbiendo excidit. Nunc autem eo perstrictim viso reverberatur, & in familiares sibi tenebras repercutitur, ut ægram sauciamque se esse sentiat, & gemat, sordibusque suis hanc repulsam imputet; iteratisque hujusmodi coruscationibus & repulsis, antidotum superbiæ longum fugat. Gregorius Magnus: *Quia enim per illas (phantasiæ imagines) infra se lapsa est, sine illis supra se ire conatur; & postquam per multa indecenter sparsa est, in unum se colligere nititur; ut si magna vi amoris prævalet, esse unum atque incorporeum contempletur. Unde aliquando ad quandam inusitatam dulcedinem interni saporis admittitur, ac raptim aliquo modo ardenti spiritu afflata renovatur, tantòque magis inhiat, quanto magis quod amet degustat; atque hoc intra se appetit, quod sibi dulce sapere intrinsecus sentit; quia videlicet ejus amore dulcedinis sibi coram se viluit, & postquam hanc utcumque percipere potuit, quid sine illa dudum fuisset, invenit. Cui inhærere conatur, sed ab ejus fortitudine, sua adhuc infirmitate repellitur. Et quia ejus munditiæ adhuc contemperari non valet, flere dulce habet, sibique ad se cadenti infirmitatis suæ lacrymas sternere. Neque enim mentis oculum potest in id quod intra se raptim conspexerit, figere: quia ipso vetustatis suæ usu, deorsum ire compellitur. Inter hæc anhelat, æstuat, super se ire conatur, sed ad familiares tenebras suas victa fatigatione relabitur*. Ubi advertis quàm multa ad superbiæ odium, ad sui contemptum animam impellant; quòd toties in tantæ lucis secretarium admissa, toties ut immunda, ut indi-

Moral. L. 11. c. 11.

indigna exturbatur; quod tam clementer, tam frequenter invitata, ſuis ſordibus, ſuo pondere deprimitur; quod ejus lucis quam vidit munditiæ contemperari nequit; quod ſuum bonum, ad quod nata, quod olim fruita eſt, ferre non poteſt; quod nec illo frui poteſt, nec illo carere; quod illic eſſe velit, nec valeat; hìc valeat, nec velit; miſera utrobique. Unde ibidem Gregorius; *A vultu oculorum Dei projectum ſe eſſe cognovit, ſublevatus quippè videt, quod ſe hic videre non poſſe, ad ſe relapſus ingemuit.* Et Auguſtinus; [Confeſſion. L. 10. c. 41.] *Vidi ſplendorem tuum corde ſaucio, & repercuſſus dixi, Quis illuc poteſt? projectus ſum à facie oculorum tuorum. Tu es veritas ſuper omnia præſidens, &c.*

XI. Undecima, Ut contemplatione boni incommutabilis cujus ſtillam guſtavit, commutabilia omnia anima faſtidiat. [In Pſal. 32.] Baſilius: *Si quando tuo cordi quaſi lux quædam illapſa, multam de ſe Deus cogitationem atque intelligentiam peperit, tuamque mirum in modum illuſtravit animam, ut in ejus amorem magnoperè venias, res verò mundi iſtius & corporis ut vilia deſpicias, ex illa brevi & obſcura ſimilitudine, omnem juſtorum ſtatum facilè noſſe poteris, quo illi æqualiter nec interciſè in Deo lætitiam ſunt aſſecuti. Tibi autem divina diſpenſatione quandoque nec admodum ſæpè contingit gaudium, ut per brevem deguſtationem admonearis, quibus bonis ſis privatus.* [Moral. l. 23. c. 13.] Et Gregorius Magnus: *Ego dixi in pavore meo, Projectus ſum à facie oculorum tuorum. Sublevatus in ecſtaſi quod noſtri interpretes pavorem non propriè vocaverunt, à vultu oculorum Dei vidit ſe eſſe projectum. Poſt interni quippè luminis viſionem quæ in ejus anima per contemplationis gratiam, radio claritatis emicuit, ac ſemetipſum rediit; & cognitione percepta, vel quibus illic bonis deeſſet, vel quibus malis hic adeſſet, invenit. Neque enim quis præſentis vitæ mala ſicut ſunt, conſpicere prævalet, ſi bona æternæ patriæ per contemplationis guſtum conſpicere necdum valet.* Ut igitur bona quæ hìc ſunt, umbratilia fugaciaque eſſe intelligat, eorumque nec in bonis copiam, nec in malis penuriam eſſe numerandam, quin imò non tam bona quàm mala eſſe, pluſque amaritudinis quàm voluptatis inferre, ſummi boni incommutabilitatem ſummis tantùm labris delibare permittendus eſt.

XII. Duodecima, Ne hìc in bonorum ut tantillorum nauſea, in malorum ut tantorum experientia, deficiamus & deſperemus; ex illo verorum bonorum fonte aſpergimur ſubinde, ut & quæ hìc bona ſunt faſtidire, & quæ mala fortiter ferre, & ad vera illic bona infatigabiliter eluctari ſufficiamus. [In Evang. Joan. Tr. 21. Ib. Tract. 5.] Auguſtinus: *Inſpiret, & donec de fonte illo vitæ, nunc aliquid irrorare dignetur & ſtillare in ſitim noſtram, ne in hac eremo areſcamus.* Et rurſum: *Si quid homo habet veritatis atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati, & in hac peregrinatione interim conſolati, ne deficiamus in via, venire ad ejus requiem ſatietatemque poſſimus.* [In Cant. Serm. 32.] Bernardus: *Sicui noſtrum cum ſancto Propheta adhærere Deo bonum eſt, & ut loquar manifeſtiùs, ſi quis in nobis eſt, ita deſiderii vir, ut cupiat diſſolvi & cum Chriſto eſſe, cupiat autem vehementer, ardenter ſitiat, aſſiduè meditetur; is profectò non ſecus quàm in forma ſponſi ſuſcipiat Verbum, in tempore viſitationis, hora videlicet qua ſe aſtringi intus quibuſdam brachiis ſapientiæ, atque inde ſibi infundi ſenſerit ſancti ſuavitatem amoris. Siquidem deſiderium cordis ejus tribuetur ei, etſi adhuc peregrinanti in corpore. Ex parte tamen, idque ad tempus, & tempus modicum. Nam cum vigiliis, & obſecrationibus, & multo labore, & imbre lacrymarum quæſitus affuerit, ſubitò dum teneri putatur, elabitur; & rurſum lacrymanti & inſectanti occurrens, comprehendi patitur, ſed minimè retineri, dum ſubitò iterum quaſi è manibus evolat, &c. Ita ergo & in hoc corpore poteſt eſſe de præſentia ſponſi frequens lætitia, ſed non copia; quia etſi viſitatio lætificat, ſed moleſtat viciſſitudo.* Vides dum differtur copia, interim præſentiam Verbi impartiri, ne penitus defatigemur; ſed ex parte, & ad tempus, & ad tempus modicum.

XIII. Decima-tertia, Ut intelligat mens Deum non eſſe quidquid vel per fidem vel per viſibilia creaturæ conjectatur Deum eſſe, & per hæc ſciri quòd ſit & quid non ſit, neutiquam autem quid ſit. His enim ſubitis exceſſibus ſupra ſe & ſupra creatas omnes naturas rapta audit ineffabilia, videt quod videri non poteſt, intelligit quod ſupra intellectum eſt, ejuſque deinceps ſibi reddita non ſervat niſi amantem memoriam, & quaſi olfacta deſiderantem, quæ tenere necdum poteſt. Ex hac autem reſidua poſt interceptam viſionem memoria, vel ex reſiduo potiùs ſtupore, potis eſt dijudicare perfectiones omnes quæ in mentem poſtea veniunt, quantæcumque dicantur, longo diſtare intervallo, nimiùmque deficere ab illa ineffabili & incomprehenſibili quam ſemel vidit, & ad quam jugiter ſuſpirat pulcritudine. Quod enim alibi animadverſum eſt, non ſatis poſſumus de re ulla diſcernere quid non ſit, niſi aliquatenus detur cernere quid ſit. Cur enim alia ab eo amovebis, alia non amovebis, aut cur omnia penitus amovebis, niſi ex magnitudinis ejus aliqua prænotione? Ita ergo ut de Deo ſcire poſſimus ſaltem quid non ſit, id præſtant hujus generis fulgurationes, carptim utcumque & ex aliqua parte, & tenuiſſimè oſtendentes quid ſit, altamque ejus incomprehenſibilis majeſtatis conſcientiam & ſtuporem in anima imprimentes. Denique cùm ſummo conatu evecta & enixa mens Deum penitùs videre aut ferre nequiverit, inde delapſa utique multò minùs poterit. Auguſtinus: *Fortè quiſquam noſtrum cui fulgor veritatis aliqua mentem quaſi coruſcatione perſtringit, poteſt dicere verba illa, Ego dixi in ecſtaſi mea. In ecſtaſi tua quid dixiſti? Projectus ſum à facie oculorum tuorum. Etenim videtur mihi iſte qui hoc dixit, levaſſe ad Deum animam ſuam, & effudiſſe ſuper ſe animam ſuam, cùm ei diceretur quotidie, Ubi eſt Deus tuus? perveniſſe quodam ſpiritali contactu ad illam incommutabilem lucem, eamque infirmitate conſpectus ferre non valuiſſe; & in ſuam quaſi ægritudinem atque languorem iterum recidiſſe, & comparaſſe ſe illi, & ſenſiſſe adhuc contemperari non poſſe aciem mentis ſuæ luci ſapientiæ Dei, &c. Vidi neſcio quod in ecſtaſi quod diu ferre non potui, &c. Dixi, Projectus ſum à facie oculorum tuorum, longè ſurſum es, longè deorſum ſum. Quid ergo dicamus, fratres, de Deo? Si enim quod vis dicere, ſic cepiſti, Non eſt Deus. Si comprehendere potuiſti, aliud pro Deo comprehendiſti. Si quaſi comprehendere potuiſti, cogitatione tua te decepiſti. Hoc ergo non eſt, ſi comprehendiſti: ſi autem hoc eſt, non comprehendiſti. Quid ergo vis loqui, quod comprehendere non potuiſti?* [De verbis Dom. ſerm. 63. c. 6.] Authore igitur Auguſtino, ineffabilitas & incomprehenſibilitas Dei his maximè fulgurationibus lucis divinæ & reverberationibus repulſiſque mentis noſtræ ſentitur; ſentit enim mens Deum ſe vix ad momentum ferre potuiſſe, quantumvis enixa ſit; ſentit ſe illum intervidiſſe tantùm, nec aciem figere potuiſſe; ſentit quod extra hos raptus intelligit, longè obſcurius & jejunius eſſe rapida illa viſione, qua tamen nec ipſa Deum ut eſt capiebat. Et Gregorius Magnus: *Ibi mens ex immenſo fonte infuſione ſuperni roris aſpergitur; ibi non ſe ſufficere ad id ad quod rapta eſt contemplatur; & veritatem ſentiendo, videt, quia quanta eſt ipſa veritas non videt. Cui veritati tantò magis ſe longè exiſtimat, quantò magis appropinquat; quia niſi illam utcumque conſpiceret, nequaquam eam conſpicere ſe non poſſe ſentiret. Adniſus ergo animi dum in illam intenditur, immenſitatis ejus coruſcante circumſtantia reverberatur, &c. Hæc ipſa tamen per contemplationem facta, non ſolida & permanens* [Moral. l. 24. c. 5.]

manens visio; *sed ut ita dixerim, quasi quædam visionis imitatio, Dei facies dicitur.* Vides quàm necessarium fuerit Deum ita videri, ut videri non posse sentiretur; videri ex parte & ad momentum, idque vix, ut omnino & jugiter & perfectè videri non posse videretur. Et rursus: *Sic se nobis intelligendum præbet, ut tamen ipsum nobis radium sui intellectus obnubilet: & rursum sic caligine nos ignorantiæ reprimit, ut tamen menti nostræ radiis suæ claritatis intermicet; quatenus & sublevata quippiam videat, & reverberata contremiscat; & quia eum sicuti est videre non potest, aliquatenus videndo cognoscat.* (Ib. l. 16. c. 4.)

XIV. Observandum 3. hujusmodis raptus saltem antelucanos quos supra descripsimus, quique futuræ fœlicitatis veluti diei præludunt, duplicis generis esse, vel magis duplici afflatu constare, altero intellectum, altero voluntatem aspirante; altero claritatem eximiam, altero ineffabilem suavitatem infundente; altero beatam visionem, altero charitatis fuitionem anticipante. Sed hæc est ut jam monui matutinorum excessuum prærogativa, futuræ vitæ totum fontem jam quodammodo mentibus pietate conspicuis præbibendum propinans. Nam vespertini raptus coruscant, sed frigent: illuminant, non inflammant, oblectant mentem, non afficiunt voluntatem, extincta videlicet per peccatum tota face charitatis, non tota luce veritatis. Hinc apud Augustinum, qui in vespertinis coruscationibus elucidandis plurimus est, ubi eas ex instituto prolixeque disceptat, nunquam cum illuminatione intellectus, copulatur flamma & voluptas charitatis. Sed apud eundem non rarò, apud Bernardum, Gregoriumque frequentissimè ubi excessus matutini commemorantur, inusitata quædam dulcedo, quidam æstus voluntatis, suavitas quædam intima unà cum veritatis coruscamine insinuatur. Parco operæ, ne loca eadem intexam quæ plurima superiùs collata sunt, in quibus id advertere licet. Unum adjungo ex Bernardo: *Cum duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu unus, & alter in affectu; unus in lumine, alter in fervore; unus in agnitione, alter in devotione.* (In Cant. Serm. 49.)

XV. Observandum 4. Evanescente hac Dei momentanea coruscatione, ejus superesse in mente memoriam, & admirationem, & stuporem, & desiderium. Ut videlicet ad easdem delicias illecta mens suspiret præ desiderio; & quidquid de Deo deinceps cogitabitur aut dicetur, id amoveat & refellat præ elapsæ visionis stupore: Et denique ut ad eandem visionem cujus memoriam retinet, recursare sæpiùs possit. Etenim incommutabilia vera quorsum attineret aut quid conduceret rapido coruscamine strictim vidisse, si statim & visio & visionis memoria oblitteraretur: non liceret per otium ratiocinari, & ex inconcussa principiorum veritate discurrere, non numeros & figuras geometricas earumque incommutabilem veritatem diutulè contemplari, non mores omnes rerumque temporalium administrationem ex æternorum intuitione & imitatione admoderari, non denique Deum recordari, aut ab eo vel indigna quælibet removendi, vel si qua digna non removendi regulam ullam observare? Cum hæc omnia enim in mediis, & sensuum lascivientium & phantasmatum tumultuantium fluctibus moliamur sæpissimè, non possunt tunc vel adradiare vel tandiu adradiare beata illa & coruscantia momenta, ex eorum ergo saltem memoria regi debent hæc omnia. Augustinus: *Ut perveniret ad id quod est in ictu trepidantis aspectus. Tum verò invisibilia tua per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi; sed aciem figere non valui, & repercussa infirmitate redditus solitis, non mecum ferebam, nisi amantem memoriam, & quasi olfacta desiderantem, quæ comedere nondum possem.* (Confession. L. 7. c. 17.) Vides raptum Augustinum ad illa Dei coruscantis sesesque demonstrantis momenta, postquam inde repercussus est; servasse tamen memoriam, qua ad eadem remetienda vestigia stimularetur. Itaque exinde Deum se habuisse in memoria frequenter dixit: *Ubi te inveni, ut discerem te? neque enim jam eras in memoria mea priusquam te discerem. Ubi ergo inveni te, ut discerem te, nisi in te supra me?* (Confession. L. 10. c. 16.) Deum ergo didicit raptus ad momentum supra se, & exinde illum in memoriam habuit. *Ex quo vero didici te, manes in memoria mea, & illic te invenio cum reminiscor tui, & delector in te.* (Ibid. c. 14.) Et alio loco; *Nonne manifestum est, eum qui alio interrogante sese citiùs ad veritatem movet, ut verum incommutabile intelligat, nisi eundem motum suum in memoria teneat, non posse ad intuendum illud verum nullo extrinsecus admonente revocari?* (Musicæ l. 6. c. 12.) En ut visionis ejus qua quis incommutabile verum raptim vidit, vestigia & notæ manserint in memoria, quo veluti filo ad eandem visionem cum voluerit reducatur. Et rursus alibi: *Manent non tanquam in spatiis locorum fixa veluti corpora, sed in natura incorporali sic intelligibilia præsto sunt mentis aspectibus, sicut ista in locis visibilia vel contrectabilia corporis sensibus, &c. Ad quas (intelligibiles corporalesque rationes,) mentis acie pervenire paucorum est, & cum pervenitur quantum fieri potest, non in eis manet ipse perventor, sed veluti acie ipsa reverberata repellitur, & fit rei non transitoriæ transitoria cogitatio. Quæ tamen cogitatio transiens, per disciplinas quibus eruditur animus, memoriæ commedatur, ut sit quo redire possit, quæ cogitur inde transire, &c.* (De Trinit. L. 12. c. 14.) Rationes itaque sempiternæ & intelligibiles, non diu à mente videntur, sed diu in memoria retinentur. Gregorius Magnus: *Sic fit ut ipsis suis bonis actibus ad superiora rursus in contemplationem surgat, & amoris pastum de pabulo contemplatæ veritatis accipiat. In qua quia diu se tenere ipsa corruptionis infirmitas non potest, ad bona rursus opera rediens, suavitatis Dei memoria pascitur, & foris piis actibus, intus vero sanctis desideriis nutritur. Hinc etenim de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur, Memoriam suavitatis tuæ eructabunt: dulcedinem quippe suavitatis intimæ, quia utcumque possunt, velut quodam ex corusco, prægustando tangere, ejus memoriam student recolendo semper & loquendo eructare.* (In Ezech. Hom. 5.) Et paulò pòst: *Bene autem revertentia animalia coruscanti fulguri comparantur; quia sancti viri cum ad superna contemplanda evolant, cum primitias sui spiritus in cœlestis patriæ amore ligant, sed gravati humanæ conversationis pondere ad semetipsos redeunt; bona cœlestia quæ saltem per speculum contemplari potuerunt, fratribus denunciant, eorumque animos in amorem intimæ claritatis accendunt, quam nec videre sicut est, nec loqui prævalent sicut viderunt.* Visæ in corusco veritatis memoriam superstitem servari ait, ut ea pascatur qui vidit tam breviter, seque soletur, & aliis visa narret, & alios & se inflammet. Bernardus lib. de gradibus humilitatis: *Ibi modicum, hora videlicet quasi dimidia, silentio facto in cœlo inter desideratos amplexus suaviter quiescens, ipsa quidem dormit, sed cor ejus vigilat, quo utique interim veritatis arcana rimatur, quorum postmodum memoria statim ad se reditura pascatur. Ibi videt invisibilia, audit ineffabilia, quæ non licet homini loqui.*

CAPUT XIII.

Visio illa quæ raptim fit, non fit nisi immediatè, hoc est sine specie creata impressa.

I. *Probatur id primò, quia sensibilia per vicariam sui speciem, intelligibilia per semetipsa adsunt insuntque animæ. Multæ ejus rei rationes.*

II. Pa-

II. Patrum testimoniis illa fulciuntur.

III. Sentimus ipsi præsentes & intimas nobis semper esse veritates numerorum, principiorum primorum quorumlibet: non item sensibilium; quæ nunc adsunt, nunc absunt; quæ longè aliud est videre, & habere, cum sapientiam habeat quisquis novit; denique inter mentes & Deum nihil intermedium.

IV. Muniuntur hæc verbis Augustini.

V. Non possunt sensibilia, utpote crassa & lutea, inesse menti nisi per sui speciem; at Dei & veritatis incommutabilis ea est præcellentia, ut nullius speciei adminiculo repræsentari possit. Veritatis imago, veritas non esset, sed falsitas. Intelligentia à sensu & opinione eo distat, quod nulla specie consimili ludificare potest.

VI. Rationes istæ omnes authoritate Augustini confirmantur.

VII. Species, imago, & similitudo Dei non alia est quàm Verbum. Creatura quæcumque præ eo dissimilitudo potius est. Hæc ratio compluribus rationibus illustratur & roboratur.

VIII. Roboratur & suffragio Augustini.

IX. Nova ejusdem sancti Patris suffragia.

X. Quibus & Gregorius Magnus accedit.

XI. Novis argumentis probatur non posse aliam Dei esse speciem & formam, qua intelligatur, qua affulgeat intellectui, quàm Verbum; quavis enim alia obscuraretur potius & obtegeretur magis, quàm asplenderet, aut aperiretur.

XIII. Augustini suffragium.

I. OBservandum 5. Omnem Dei perspicuam visionem, sive intelligentiam, seu continuam illam qua Angeli primique parentes dum conduntur, donati sunt; seu intercisam & momentaneam qua carptim & raro etiamnunc gaudemus, non aliter tamen obtingere quàm citra ullius speciei creatæ infusionem, ipso immediatè Verbo divino sistente se & ostendente, & mentem miro quodam & inexplicabili modo informante. Hujus doctrinæ & ab authoritate & à ratione munimenta non pauca petenda sunt.

Primò quidem hoc discrimen est sensibilium & intelligibilium, quod illa per vicariam sui speciem, hæc per seipsa menti infunduntur; unde supra sensus externos interna eminet facultas, specierum per sensus illapsarum speculatrix, judex, emendatrix, interpolatrix, proma conda; at supra mentem qua intelligibilia percipiuntur, nulla vis superior est, imaginum intelligibilium dominatrix. 2. Sensibilia absunt, unde nonnisi per sui simulacrum animæ immeare possunt; at intelligibilia, at divina ubique sunt, præsentia sunt, intima sunt, & ipso intimo intimiora. Quorsum ergo imaginem sui immittent? Quorsum imago ubi præsentia? Sensibilia ex absentibus per sui speciem fiunt præsentia; intelligibilia ex præsentibus per sui speciem fierent absentia. 3. Sensibilia ob quantitatem qua naturaliter compaginata sunt, distrahuntur in longum, & dissipantur in immensum, & distare ac abesse coguntur. At intelligibilia cum quantitatis & dimensionum expertia sint, nusquam absunt. 4. Sensibilia etsi adsint alicubi, fieri potest ut absint, fieri potest ut non amplius sint; unde tutius est imaginem aliquam expingere, quæ ipsis aliò transeuntibus vel intereuntibus nostro in penu supersit. At intelligibilia & incommutabilia & ubique adsunt, & semper adsunt, quia semper sunt; supervacaneum ergo fuerit rei semper præsentis, semper futuræ, quasi absentis vel interituræ imaginem elaborare.

II. Augustinus discriminans tria illa apud eum tam crebrò inculcata visionum genera: *Genus intellectualium visionum eas res continet, quæ non* De Gen. ad lit. c. 24. *habent imagines sui similes, quæ non sunt quod ipsa. Nam homo, vel arbor, vel sol & quæcumque alia corpora sive cœlestia, sive terrestria, & præsentia videntur in suis formis, & absentia cogitantur imaginibus animo impressis; & faciunt duo genera visorum, unum per corporis sensus, alterum per spiritum quo illæ imagines continentur. Dilectio autem numquid aliter videtur præsens in specie qua est, & aliter absens in aliqua imagine sui simili? Non utique, sed quantum mente cerni potest, ab alio magis, ab alio minus ipsa cernitur.* Tertii ergo generis visorum id peculiare est, ut sine imaginibus, per ipsam rerum intus præsentiam transigatur, quia intelligibilia non absunt usquam vel unquam. Et rursus idem: *Quid sit literatura, quid* Adde Aug. de Ordine. l. 2. c. 1. *peritia disputandi, quot genera quæstionum, quidquid horum scio, sic est in memoria mea, ut non retenta imagine, rem foris reliquerim: aut sonuerit & præterierit, sicut vox impressa per aures, &c. aut sicut odor dum transit & evanescit in ventos, &c. Istæ quippe res non intromittuntur ad eam,* Confess. l. 10. c. 9. 10. *sed earum solæ imagines mira celeritate capiuntur, & miris tanquam cellis reponuntur, & mirabiliter recordando proferuntur. At verò cum audio tria esse genera quæstionum, an sit, quid sit, quale sit; sonorum quidem quibus hæc verba confecta sunt, imagines teneo, &c. res vero ipsas quæ illis significantur sonis, neque ullo sensu corporis attigi, nec uspiam vidi præter animum meum, & in memoria recondidi non imagines earum, sed ipsas.* Ubi sensibilium quia absunt, quia transeunt, imaginem necessariò retineri; at intelligibilium, quæ nec usquam absunt, nec unquam non sunt, veritatem ipsam, non imaginem in anima servari docet. *Ista quorum non per sensus haurimus ima-* Ibid. c. 11. *gines, sed sine imaginibus sicuti sunt, per seipsa* L. de Imm. *intus cernimus.* Et alibi: *Hæc autem quæ intelli-* anim. c. 10 *guntur eodem modo esse habentia, cum ea intuetur animus, satis ostendit se illis esse conjunctum, miro quodam eodemque incorporali modo, scilicet non localiter: namque aut in illo sunt, aut ipse in illis.* Et rursum: *Ecce jam potest homo notiorem Deum* De Trinit. *habere quàm fratrem; planè notiorem, quia præ-* L. 8. c. 8. *sentiorem; notiorem, quia interiorem; notiorem, quia certiorem.* Intimior ergo cùm sit Deus animæ, quorsum species quæ absentiæ supplementum est? De Gen. ad Lit. l. 5. c 16. Et alibi: *Propinquior nobis qui fecit, quàm multa quæ facta sunt. In illo enim vivimus, movemur, & sumus; istorum autem pleraque remota sunt à mente nostra propter dissimilitudinem sui generis, quoniam corporalia sunt. Remota etiam sunt à sensibus corporis nostri, quoniam longè sunt, vel interpositis, vel oppositis aliis, &c. Ignota enim sunt fundamenta terræ oculis nostris, & qui fundavit terram, propinquat mentibus nostris.* Ob dissimilitudinem ergo sui generis distant corporalia à mentibus, dissita sunt à sensibus nostris, quia corporea & quanta sunt; at veritas æterna præsto ubique & semper est, in nobis est & nos in ipsa; hæc ergo per imaginem sui absentior fieret, cùm ipsa præsto sit; illa per speciem sui repræsentantur, cùm absentia sint. Denique negat idem Augustinus memoria specierum quasi promâ condâ opus esse ad Deum, ad divina, ad intelligibilia; quòd ea semper præsentia sint. *Quibus memoria necessaria est, ni-* De Ordine. *si prætereuntibus, & quasi fugientibus rebus? Ille* L. 2. c. 2. *igitur sapiens amplectitur Deum, eoque perfruitur qui semper manet, nec expectatur ut sit, nec metuitur ne desit, sed eo ipso quo verè est, semper est præsens, &c. Quid memoria opus est, cùm omnes res suas præsentes habeat ac teneat? Non enim vel in ipso sensu, ad id quod ante oculos nostros est, in auxilium vocamus memoriam. Sapienti ergo ante illos interiores intellectus oculos habenti omnia, id est, Deum ipsum fixè immobiliterque intuenti, cum quo sunt omnia, quæ intellectus videt & possidet, quid opus est quæso memoria?*

III. Quintò rursus ipsa penes nos experientia sentimus veritates intelligibiles numerorum, figurarum, regularum legis æternæ, primorum principiorum coram adesse, mentis oculis cerni, & contingi, non aliquo sui simulacro in anima nostra adumbrato, sed

to, sed ipsa rei præsentia intima. 6. In sensibilibus experimur longum quod interest discrimen, quando adsunt & quando absunt; visio præsentium enim per sensum corporis, & visio absentium per solum phantasma mirum in modum discrepant, & hæc discrepantia vehementer sentitur. At veritas æterna & intelligibilis non aliàs alio modo sentitur; non aliter absens, aliter præsens intelligitur; semper adest, semper inest ipsa menti, non semper illi mens adest, quia non semper illi vacat. 7. Sensibilia non statim habentur, ubi videntur; possunt videri, nec haberi; nam videntur absentia, non tenentur, nisi per umbram & inane sui simulacrum. At intelligibilia videre & habere, simul est, idem est. Veritatem habet, quisquis videt; sapientiam & scientiam habet, quisquis videt; ita Deum habet, quisquis videt; nec habetur, nec possidetur, nisi videndo; unde Deum quisquis videt, similis illi est, quia quem videt, habet; quia non alibi, sed in seipso videt, seque illo informatum videt. Ergo æterna & intelligibilia & divina omnia non per speciem sui, sed per seipsa videntur; quandoquidem cum videntur, non ipsorum umbræ, sed ipsa tenentur. 8. Quod jam iterum iterumque monuimus, inter naturam intellectualem & Deum, inter mentem & veritatem nihil interponitur, nulla creatura interposita mens veritati copulatur, nihil affinius, nihil cognatius veritati quàm mens; si qua alia vel species, vel imago, vel creatura quævis intersit, ea non conciliatricula quædam mentis & Dei erit, sed obex; nec amicitiæ glutinum, sed interstitium; mentemque à veritate sejunget, unoque saltem gradu amovebit.

[De Musica. L. 6. c. 1. L. De vera relig. c. 55.] IV. Augustinus: *Qui humanis mentibus nulla natura interposita præsidet*. Et alibi: *Inter mentem nostram qua intelligimus Patrem, & veritatem, id est lucem interiorem, per quam illum intelligimus, nulla natura interposita est*. Et rursus alibi: [De utilit. cred. c. 15.] *Cùm sapiens sit Deo ita mente conjunctus, ut nihil interponatur quod separet; Deus enim est veritas, nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat*. Nullo igitur medio mens copulari postulat veritati, eo enim quocumque tandem [Ibid. c. 13.] sejungeretur potiùs quàm conjungeretur. Et rursus ibidem: *Non enim ut aurum & argentum cæteraque id genus & cognoscere cum videas, & non habere concessum est: ita sapientiam mentis ejus oculo qui eà careat, videri fas est. Sensu enim corporis quæcumque attingimus, forinsecus nobis offeruntur; & ideo licet quoque res alienas oculis cernere, cum earum vel ejus generis nos nihil habeamus. Quod autem intellectu capitur, intus apud animum est, nec id habere, quidquam est aliud quàm videre*. En discrimen sensibilium, quæ videntur etsi non habeantur, quia foris videntur, nec nisi per vicariam sui imaginem tenentur; & intelligibilium, quæ cum videntur habentur, quia non foris sed intus videntur; nec sui simulacro, sed per seipsa tenentur.

V. Nonò, rursus sensibilia utpote materiæ penitus immersa, animæ spiritali per seipsa infundi haudquaquam possunt; ideò per tenuissimam sui efflorescentiam, & defæcatissimam suæ formositatis speciem & quasi lucem emicant extra se, & animæ illabuntur. At intelligibilia ab omni materiæ concretione satis superque expurgata cum sint, non indigent exiliori aliqua sui effigie immateralia fieri, & idonea animæ contubernio. 10. Quin imò veritas sempiterna & incommutabilis Deus, ejusmodi est, vel ita supra omnem modum est, ut nulla imagine repræsentari possit. Nihil enim tale est, qualis ipsa est; sola ipsa est, sicuti est; reliqua omnia infinito & inenarrabili ab ea distant intervallo, infinita & inexcogitabili ab ea discrepant dissimilitudine; quocirca locum ejus supplere, absentiam ejus repræsentare, speciem exhibere nullatenus possunt; nisi si non ente ens, tenebris lux, mendacio veritas suppleri & repræsentari potest. Tanta est enim veritatis & Deitatis infinitas, immutabilitas, æternitas & omnimoda perfectio, ut eam ne in repræsentando quidem creatura ulla ne propè quidem attingere possit, nedum omnino assequi. Item tanta est veritatis divinæ immaterialitas, intelligibilitas, actualitas & actualitatis puritas & sinceritas, ut omnis creata species eam ne longissimè quidem, ne ex infinita quidem distantia imitari, aut exhibere possit, & ab ea in immensum deficiat; cum tamen omnis species rei quam supplet intelligibilitatem, & actualitatem, vel æquare, vel etiam superare debeat. Item tanta est veritatis & Deitatis summitas, ut nulla ipsius præter ipsam similitudo esse queat; sola sui similis est, sola talis est qualis est. Omne ens aliud cum creatum sit, ejus umbratiliter similitudo, verissimè dissimilitudo; nulla ejus lineamenta, nisi obsoletissima; nullum collorem præfert, nisi decoloratissimum; ideòque exhibere quidem poterit quid Deus non sit, non verò quid sit; obscurare illum poterit, non illuminare; obnubere, non denudare. Quis enim in re dissimillima veritatem videre speret? Quis in re longissimè distante veritatem sibi præsentem sisti flagitet? Quis visa umbra lucem videri ipsissimam postulet? 11. Veritatis imago non tam veritas quàm falsitas est; cùm enim veritas ipsa non sit, quadantenus ergo falsitas est; cum veritatem imitetur, & ementiatur, mendacium ergo & falsitas est. At veritatem in falsitate & mendacio non conjectari, non subodorari, sed ipsissimam videre quis speret? Non potest ergo per ullam speciem mendacio suo & veritati & menti illudentem veritas ipsa à mente videri. Et quo propiùs aberit à veritate, quo ingeniosiùs illam ementietur, eo mendacior aliquatenus erit, & imponere fucumque facere paratior, eoque veritati ipsi exhibendæ imparatior. Sic omnis species veritati illudit, vel ab ea abludit, & utroque modo a veritate repræsentanda deficit. 12. In pervagato illo visionum ternario, sensibili, imaginario, intellectuali, primus & secundus visionis modus aberrare & hallucinari potest, quia species objecti vicem supplens pro objecto ipso haberi potest. Errandi igitur in utroque hoc genere occasio ex speciei mendacio exoritur. At in tertio genere nunquam erratur; ut enim habet Augustinus, vel intelligitur quid, & verum est; vel falsum est, & intelligitur; erratur ergo non malè intelligendo, sed omnino non intelligendo. Quod igitur in intelligendo nunquam erretur, in causa est, quod per nullam speciem, sed per ipsam rerum præsentiam intelligatur. Igitur intelligibilia sine ulla intermedia specie uniuntur intellectui, omnemque amputant hallucinationis ansam.

VI. Augustinus: *In hoc uno præcepto cum legitur,* [De Gen. ad lit. l. 12. c. 6.] *Diliges proximum tuum tanquam teipsum, tria genera visionum occurrunt. Unum per oculos, quibus ipsæ litteræ videntur; alterum per spiritum hominis, quo proximus & absens cogitatur; tertium per contuitum mentis, quo ipsa dilectio intellecta conspicitur, &c. Tertium illud quo dilectio intellecta conspicitur, eas res continet quæ non habent imagines sui similes, quæ non sunt quod ipsæ*. Et infrà: [Ibid. c. 14.] *Et per corporalem visionem & per imagines corporalium quæ demonstrantur in spiritu, & boni instruunt, & mali fallunt. Intellectualis autem visio non fallitur; aut enim non intelligit qui aliud opinatur, quàm est; aut si intelligit, continuò verum est. Quid enim faciant oculi non habent, cum simile corpus viderint, quod ab alio discernere non possint: aut quid faciat animi intentia, cùm in spiritu facta fuerit corporis similitudo, quam non valeat distinguere à corpore*. Et infrà: [Ibid. c. 25.] *Illuditur anima similitudinibus rerum, non earum vitio, sed opinionis suæ; cum approbat quæ similia sunt, pro iis quibus similia sunt, ab intelligentia deficiens. Fallitur enim in visione corporali, cum in ipsis corporibus fieri putat, quod fit in corporis sensibus, sicut navigantibus videntur in terra moveri quæ stant, &c.*

In

In visione autem spiritali, id est in corporum similitudinibus quæ spiritu videntur, cum ea quæ sic videt, ipsa corpora esse arbitratur. At verò in illis intellectualibus visis non fallitur; aut enim intelligit, & verum est; aut si verum non est, non intelligit; unde aliud est in his errare quæ videt; aliud ideo errare, quia non videt. Ubi perspicis totam scatebram errorum in sensibili & imaginario genere manare à similitudinibus, quæ utrobique rerum ipsarum vices obeunt. Erratur enim in sensu, cum unum corpus non discernitur ab alio, vel cum in sensu quod fit, in corpore fieri putatur; & utrobique similitudo rei pro re ipsa, vel pro alterius similitudine sumitur. Erratur in phantasia, cum fieri putatur in ipsis extra corporibus, quod non fit nisi in ipsis intus corporum similitudinibus. In intellectu autem nunquam erratur, quia nulla intervenit similitudo, sed res ipsæ adsunt & continguntur. Rursus idem Augustinus: *Ipsa verò forma & veritas non est quomodo aliunde diligatur. Neque enim invenimus aliquid tale præter ipsam, ut eam cum incognita est, credendo diligamus, ex eo quod jam tale aliquid novimus. Quidquid enim tale perspexeris, ipsa est; & non est quidquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est.* Veritas ergo nullam sui similitudinem habere potest qua videatur; quidquid enim tale est quale veritas, non similitudo veritatis, sed ipsa veritas est; quod autem veritas non est, nec talis est qualis ipsa, nec ejus est similitudo, sed dissimilitudo. Nulla species intelligibilis potest esse tam intelligibilis, tam immaterialis, tam actualis, tam pura & sincera, quàm veritas; nulla ergo talis est, qualis ipsa est; nulla non infinito ab eo discrepat intervallo. Nulla species potest esse tam ampla, tam universalis, tam infinita & incircumscripta etiam in repræsentando, quàm est veritas in essendo; nulla ergo talis est qualis ipsa est, nulla locum ejus implere potest. Nulla species, nulla imago veritatis locum implere vicesque ejus perfungi potest. Ea enim est supereminentia, ea summitas veritatis, ut locum suum sola implere, vices suas sola obire possit, quia sola ipsa talis est, qualis ipsa est. Nulla species, nulla imago veritatis prærogativas veritatis potest usurpare; est autem veritatis prærogativa, ut sola seipsam ostendere, sola seipsam videndam præstare, sola se repræsentare possit; est veritatis prærogativa, ut sola mentem illustrare, sola informare, sola beare possit; est veritatis prærogativa, ut suam & summam intelligibilitatem sola obtineat, nulli speciei, nulli imagini impertiat; quia sola talis est, qualis ipsa est.

De Trinit. L. 8. c. 6.

VII. Decimotertiò. Rursus species, imago, & similitudo Dei non alia est quàm Verbum Dei, ipse Deus. Reliqua enim omnia similitudinem Dei appetunt, non attingunt; sequuntur, non assequuntur; ideoque etsi nonnihil imitentur, quia tamen longissimè distant, & in infinitam dissimilitudinem delabuntur, falsa sunt, falluntque. At Verbum Patris similitudinem penitus implet, estque quod ille est; ideoque germana similitudo & imago Dei est, proindeque non fallit, sed ipsa veritas est. Deus ergo nec aliam habet, nec per aliam videri potest similitudinem speciemque, quàm per Verbum suum seu veritatem. Nam similitudo omnimoda si sit, ipsa veritas est; si omnimoda non sit, sed deficiens, & fallens dissimilitudo & falsitas est. Quomodo videbitur autem Deus verus per falsitatem, per dissimilitudinem? 14. Quia Verbum Deus prima veritas & summa unaque similitudo est, ideo quæcumque vera sunt, veritate vera sunt; & quæcumque similia sunt, similitudine illa summa similia sunt. Cùm ergo intellectus ut Deum intelligat videatque, debeat fieri similis Deo, prima illa summaque similitudine informari debet; non autem specie creata similitudinis, quæ ipsa rursus per primam illam similitudinem formetur. Quid enim tanto opus est anfractu? 15. Quæcumque de Deo dicuntur, causali magis quàm substantiali sensu dicuntur, ut alibi declaratum est. Ergo quòd Verbum imago & similitudo dicatur, id causaliter interpretandum est dici, quòd seipsum imprimendo, imaginem & similitudinem Dei imprimat, quòd tanquam similitudinem Dei se videndum fruendumque præstet. 16. Veritas quam purgato mentis oculo videmus, quam ante culpam perspicuiùs fœliciùsque videbat Adamus, Verbum est, imago & similitudo Dei; quorsum autem imaginem imaginis invehere; quorsum similitudinem similitudinis? Ubi imago & similitudo prima & princeps præsto est, expungenda est omnis alia minutior & tenebrosior; sola enim præstabit omnia, & pro viribus plus minùsque fruendam se cuique menti dispensabit. 17. Verbum, imago, similitudo Patris ideo Filius dicitur crediturque, quia non aliter Pater quàm per Filium demonstratur, intelligitur & videtur. Quod videtur perinde esse atque si tritis in schola vocibus diceretur, Filium esse speciem intentionalem seu potiùs intelligilem Patris, esse ipsum esse intelligibile Dei. Cùmque res aliæ, saltem corporeæ, suum esse reale habeant per substantiam suam, suum esse autem intentionale vel intelligibile habeant per accidens aliquod vel à se effusum, vel aliunde infusum; Deus ex adverso esse suum intentionale seu intelligibile non aliud habet quàm Verbum substantiale, sibique consubstantiale, quod ea de causa appellitatur subinde in sacris monumentis, seu Patrum, seu Scripturarum, facies, nomen, species, forma imago, similitudo, Verbum Patris. Hæc enim omnia nomina speciem intelligibilem apertissimè demonstrant. Ideo autem esse intelligibile in Deo cum esse reali idem est, & substantiale, ipsique consubstantiale est, cùm secus habeat in creaturis omnibus, saltem corporeis: quòd creaturæ omnes, maximè si Deo comparentur, materiales sunt, seu physica, seu metaphysica materiæ contagione, ideoque minùs intelligibiles sunt; quòd creaturæ intelligibilitatem ut & reliquas complures perfectiones per accidens habeant; quòd creaturæ sparsim habeant & acervo quod Deus unitè & in idipsum; quòd creaturæ esse unitum minutumque sit, ideoque non omne esse sibi vindicet, unde ejus esse reale non vindicat nec recolligit sibi esse intentionale seu intelligibile; quòd similitudo creaturæ imperfecta sit, ut & ipsa creatura imperfecta est, ideoque non omnimoda similitudo aut veritas sit; at similitudo Dei perfectissima cùm sit, omnimoda similitudo est, & veritas est, & idipsum proinde cum Deo est; quòd denique supra & omnes similitudines summa esse debeat & prima similitudo, quæ ab omnibus aliis participetur, & quæ impleat penitus & assequatur principium cujus similitudo est. 18. Eò collineant crebra illa in sacris paginis, Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Qui videt me, videt & Patrem. Ego in Patre, & Pater in me. Manifestavi nomen tuum hominibus. Et reliqua hujusmodi passim obvia, quæ apertum habent hunc sensum, quòd Filius sit esse intellligibile, seu speciesintelligibilis Dei. Eò etiam pertinet illud crebrum apud Patres, potissimùm Græcos, Intelligibile Patris est Filius, Incomprehensibile Filii est Pater. Quod ita commodissimè interpretamur, quòd natura quidem ipsa Dei quæ in Patre principaliter spectatur, & quam Filius habet à Patre, incomprehensibilis usquequaque sit, atque ita incomprehensibile Filii sit Pater; sed quantùm demittit se Deus, & inclinat se ad nos, videndumque se præstat, per Filium ut per Verbum speciemque intelligibilem & similitudinem sui id præstet.

VIII. Augustinus: *Sed cui saltem manifestum est, falsitatem esse qua id putatur esse quod non est, intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id quod est. At si corpora in tantum fallunt, in quantum non implent illud unum quod convincuntur imitari, à quo principio*

De vera Relig. c. 36.

pio unum est, quidquid est; ad cujus similitudinem quidquid nititur, naturaliter approbamus, quia naturaliter improbamus quidquid ab unitate discedit, atque in ejus similitudinem tendit; datur intelligi esse aliquid, quod illius unius solius, à quo principio unum est, quidquid aliquo modo unum est, ita simile sit, ut hoc omnino impleat, ac sit idipsum; & hoc est veritas, & Verbum in principio, & Verbum Deus apud Deum. Si enim falsitas ex iis est quæ imitantur unum, non in quantum id imitantur, sed in quantum adimplere non possunt: illa est veritas quæ adimplere potuit, & id esse quod est illud: ipsa est quæ illud ostendit sicuti est: unde & Verbum ejus & lux ejus rectissimè dicitur. Ubi adverte præter Deum Verbum, quamcumque aliam Dei similitudinem, falsitatem esse & dissimilitudinem, quod illud quidem imitetur, sed mirum quantum deficiat. Adverte veram similitudinem Dei esse ipsam veritatem; vera enim similitudo est quæ adimplet & id est quod est illud. Adverte Verbum solum quia similitudo & veritas est, esse solum idoneum, Deum ostendere sicuti est, ut habent verba Augustini; quia enim ita Dei similitudo est, ut veritas sit, & idipsum quod Deus est, sit: se ostendendo, ostendit id quod Deus est; at quævis alia similitudo ut non est id quod Deus est, ita nec ostendere Deum potest, sicuti est. Adverte denique Verbum seu veritatem ita nobis ostendi, ut & ipsa ostendat Patrem; ita videri, ut in eo Pater videatur; videri ut quod videtur, & quo videtur; id est & objectum esse intelligibile quod videtur, & speciem intelligibilem qua videtur. Pergit autem ibidem Augustinus: *Cætera illius unius similia dici possunt, in quantum sunt, in tantum enim & vera sunt; hæc autem ipsa ejus similitudo, & ideo veritas. Ut enim veritate sunt vera quæ vera sunt, ita similitudine similia sunt, quæcumque similia sunt. Ut ergo veritas forma verorum est, ita similitudo forma similium est. Quapropter vera, quoniam in tantum vera sunt, in quantum sunt; in tantum autem sunt, in quantum principalis unius similia sunt; ea forma est omnium quæ sunt, quæ est summa similitudo principii, & veritas est, quia sine ulla dissimilitudine est.* Ubi adverte quæcumque creata sunt, similia Dei esse posse, similitudines Dei esse non posse, ideoque nec species intelligibiles quibus Deus videatur. Nam quæcumque creata sunt, participant Dei similitudinem, non ipsa sunt similitudo; partim similia, partim & multò plus dissimilia sunt; at ipsa similitudo non partim similis, partim dissimilis est. Atqui species intelligibilis non aliquid simile, sed ipsissima est similitudo rei; est enim totum esse intelligibile rei; ergo species intelligibilis Dei nulla creata esse potest. Adverte rursus, cùm Verbum summa primaque sit Dei similitudo, creata omnia ejus participatione similia esse posse, non autem similitudines Dei; sicut & ejus participatione vera esse possunt, non autem veritates; ideòque nec species Dei intelligibiles esse posse. Adverte denique speciem intelligibilem seu omnimodam similitudinem Dei esse non posse, nisi quæ sine ulla dissimilitudine sit, ideoque nisi veritas ipsa & Deus ipse sit.

Ibid. c. 43. Ibid. c. ult. IX. Idem Augustinus infrà: *Summè unus est Pater veritatis; Pater suæ sapientiæ, quæ nulla ex parte dissimilis, similitudo ejus dicta est, & imago, quæ de ipso est.* Et rursus: *Religet ergo nos religio uni omnipotenti Deo; quia inter mentem nostram, qua illum intelligimus Patrem, & veritatem, id est, lucem interiorem, per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est. Quare ipsam quoque veritatem nulla ex parte dissimilem in ipso & cum ipso veneremur, quæ forma est omnium quæ ab uno facta sunt, & ad unum nituntur. Unde apparet spiritalibus animis per hanc formam esse facta omnia, quæ sola implet quod appetunt omnia.* Ubi adverte inter Deum Patrem & mentem nostram, qua illum intelligimus, nullam aliam intercedere speciem, qua eum intelligamus, quàm ipsum Verbum, summam speciem summamque Patris similitudinem. Adverte, cùm Verbum dicitur lux interior per quam Deum intelligimus, perinde esse ac si species intelligibilis diceretur; statim enim lux illa describitur esse imago & similitudo Dei. Adverte rursus mentem nostram Deo Verbo per nullam creaturam interpositam, ideoque per nullam speciem creatam copulari. Adverte denique religione id nos consequi, non ut religemur Verbo, sed ut religemur Patri per Verbum; in quo Verbum seu veritas, non tam attenditur ut quod intelligimus, quàm ut quo intelligimus, id est ut species intelligibilis, etsi & ipsum intelligatur quando per ipsum Pater intelligitur.

X. Gregorius Magnus in eandem descendit sententiam, & eam qualemcumque Dei visionem, quam raptim coruscantem mortales hìc rarò prægustamus, per Verbum & per speciem intelligibilem fieri disertè tradit: *Quia verò quisquis jam aliquid de contemplatione æternitatis apprehendit, hanc per coæternam ejus speciem conspicit, rectè subjungitur, Imago coram oculis meis.* Moral. l. c. 25. *Imago quippè Patris Filius est, sicut de condito homine Moyses insinuat dicens, Creavit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum. Et sicut per expressionem Sapientiæ de Dei Filio quidam sapiens dicit, Candor est enim lucis æternæ. Et sicut Paulus ait, Qui cùm sit splendor gloriæ, ac figura substantiæ ejus. Cùm ergo æternitas ejus cernitur, prout infirmitatis nostræ possibilitas admittit, imago ejus, mentis nostræ oculis antefertur: quia cum verè in Patrem tendimus, hunc quantum accipimus, per suam imaginem, id est, per Filium videmus: & per eam speciem, quæ de ipso sine initio nata est, eum aliquo modo cernere, qui nec cœpit nec desinet, conamur. Unde & hæc eadem veritas in Evangelio dicit, Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Quibus verbis ne fingi quidem expressiora potuerunt; agit enim Gregorius de visione Dei, quæ nobis viatoribus per rapida & dilucida momenta affulget; in iis ait Deum videri per Filium ut per speciem ab ipso natam nativamque imaginem; eòque spectare verba Scripturæ, quæ & nos superiùs in eum sensum traximus.

XI. Decimo nonò, Species intelligibilis seu intentionalis non eo modo à re & natura qualibet erumpit, quo reliqui ejus effectus. Nam in rebus corporeis id advertere est, rei cujuslibet speciem ab ea partu quodam longè præcellentiore & mirabiliore manare, tanquam ejus flosculum & delibationem purissimam, & venustatis primitias & verè speciem seu formositatem exhalantem, & radium lucis intimæ effulgentem, & eo speciali modo erumpentem qui nulli alteri effectui competat. Ita ergo si qua Dei species intelligibilis sit, sic à Deo procedat opus est, ut sola eo modo procedat, ergo non alia est præter ejus Verbum. Unde Augustinus & Gregorius locis suprà citatis ubi Verbum tanquam speciem Patris prædicabant, specialem quoque originis ejus à Patre modum indicabant. 20. Mentibus creatis ea forma imprimenda est, eaque forma sufficit ut intelligant, quæ imprimitur, sufficitque ut fiant. Imo cum aliquantò perfectius sit perficere quàm facere, quæ forma ad faciendum requiritur, ea saltem, ea multò magis ad perficiendum desideratur. At effici non potuere ad aliam vel per aliam imaginem & similitudinem Dei quàm Verbum, ergo nec perfici, id est, illuminari. Si alia esse queat præter Verbum Dei species & imago qua intelligant Deum, quidni alia sit, ad quam vel per quam fiant à Deo? Ex adverso autem si ne primùm quidem formari potuere ut essent quàm per formam æqualem Deo, nec ultimò formari potuerunt ut perfecti sint, nisi per eandem. 21. Naturæ superiores, seu intellectuales, non tantùm ut Deum intelligant, sed etiam ut creaturas inferiores intelligant & administrent, veri-

veritate sempiterna imbui & formari postulant. Idque tum quia natura superior inferiores modo quodam nobilissimo intueri debet, atque adeo eas non in seipsis cum fiunt aut factæ sunt, sed in ipsa arte Dei qua fiunt ante quam factæ sint, intueri debet: tum quia nisi artem qua factæ sunt, & ordinis totius legem propter quam factæ sunt, coram intueatur, vix aut nec vix poterit eas regere & in ordine constabilire. 22. Hinc expressè Augustinus statim ut conditi sunt Angeli, duplicem in eis rerum etiam necdum ferè conditarum cognitionem discernit, maturinam qua res omnes in Verbo antequam factæ essent, alteram vespertinam qua res in seipsis post quam factæ essent, viderent. Usque adeo persuasum illi fuit, è dignitate esse naturæ intellectualis & angelicæ hoc esse, ut rerum cognitionem non à rebus mendicet, sed ab ipso fonte hauriat, & ab ipsa arte discat.

De Gen. ad lit. l. 2. c. 8. XII. Augustinus: *Neque enim sicut pecora, solo sensu corporis vident Angeli hæc sensibilia; sed si quo sensu tali utuntur, agnoscunt ea potius, quæ meliùs noverunt interius in ipso Dei Verbo, à quo illuminantur ut sapienter vivant, &c. Quemadmodum ergo ratio qua creatura conditur, prior est in Verbo Dei quàm creatura ipsa quæ conditur: sic & ejusdem rationis cognitio, prius fit in creatura intellectuali quæ peccato tenebrata non est, ac deinde ipsa conditio creaturæ postea in genere proprio. Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicerent, qui ex quo facti sunt, ipsa Verbi æternitate, sancta & pia contemplatione perfruuntur; atque inde ista despicientes, secundùm id quod intus vident, rectè facta approbant, vel peccata improbant.* Ubi perspicua est Augustini sententia, statim atque facti sunt, Angelos ipsa Verbi æternitate perfrui, in eaque videre rerum omnium rationes æternas, etiam antequam fiant, idque duplici hac quam supra allegavimus ratione. Quòd naturæ intellectualis ea sit dignitas, ut naturas inferiores non in seipsis, sed in ipsa arte qua fiunt, videat; quòdque nisi in arte summa qua factæ sunt, illas videat, nec judicare de illis nec administrare illas satis tutò possit; qui enim approbabit ut ad artem expolitas, vel improbabit ut ab arte degeneres, vel gubernabit juxta artis leges, nisi artem ipsam summam conspiciat qua formatæ, qua reformandæ, qua ordinandæ sunt? Et rursus: *Multum quippe interest inter cognitionem rei cujusque in Verbo Dei, & cognitionem in natura ejus, ut illud merito ad diem pertineat, hoc ad vesperam. In comparatione enim lucis illius, quæ in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio qua creaturam quamlibet in seipsa novimus, non immerito nox dici potest.* Duplicem rerum cognitionem Angelis simul cum natura indultam docet, alteram rerum in seipsis postquam factæ sunt, alteram in Verbo etiam antequam fierent. Et alibi: *Tenebrosa fluitaret (natura Angelica) similis abysso, tui dissimilis, nisi per idem Verbum converteretur ad idem à quo facta est, atque ab eo illuminata lux fieret, quamvis non æqualiter, tamen conformis formæ æquali tibi.* Et rursus: *Neque ejus informitas placeret tibi si non lux fieret, non existendo, sed intuendo illuminantem lucem eique cohærendo.* Ubi dilucidè philosophatur informes remansuras fuisse naturas intellectuales, nisi eadem Verbi forma informarentur ad illuminationem, qua formatæ fuerant ad creationem; informes remansuras fuisse, nisi ipso Verbo omnia vidissent.

(Margin: Ibidem. L. 4. c. 23. — Confess. L. 13. c. 2. — Ibid. c. 13.)

CAPUT XIV.

De visione Dei, Angelis post perseverantiam, & animabus sanctis hac mortalitate defunctis competente; & primò quòd Dei visio sit una & tota beatitas naturæ rationalis.

I. Ultima & cumulatissima felicitas naturarum intellectualium in perfecta Dei visione sita est, ut ex Scripturis probat Augustinus.

II. Probatur id rursus, quod ea sit præstantissimæ facultatis præstantissima operatio. Item quod ea sit præstantissimi boni possessio.

III. Dei solius est, ut sit summum bonum, & suum sibi sempiternum gaudium: at creaturæ est de Dei bono gaudere, & ejus gaudio beari. Illustratur id ex Philone.

IV. Ex Basilio item, Gregorio Nysseno & Theodoreto.

V. Naturæ creatæ cujuslibet essentia servitus est: est autem servi, non suam, sed domini gloriam videre, & inde beari. Probatur ex Patribus.

VI. Probatur idem ex eo quod intelligibilia bona videre idem est atque possidere.

VII. Item ex eo quod Deum videntes in eum rapiuntur, & in ejus dotes quodammodo adoptantur.

VIII. Item ex eo quod Deus videtur non per suã speciem, sed per seipsum menti illapsum; atque ita videri, possideri est.

IX. Corporeis oculis videri non potest Deus. Ecquid de ea re Augustinus. Tribus rationibus id primum probatur.

X. Quinque aliis rationibus idem efficitur. Quomodo Deus Patriarchis & Prophetis visus sit.

XI. Solvitur objectio, petita ab oculis beatorum corporum. Solutio ex Augustino confirmatur.

XII. Quandiu Augustinus fluctuaverit in hac quæstione.

I. Observandum hic rursus 1. Ultimam & cumulatissimam naturarum rationalium beatitatem in ultima & cumulatissima Dei visione à Scripturis & sanctis Patribus constitui, quam nonnisi in liberæ perseverantiæ mercedem consequantur. Liquet id primò testimoniorum è sacris paginis petitorum cumulo, quem congessit Augustinus in unum sermonem: *Epulæ illæ veritas incommutabilis erit: epulatio illa, vita æterna erit: id est, ipsa cognitio. Quia hæc est, inquit, vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Jesum Christum. Nam quia illa vita in contemplatione veritatis non solùm ineffabiliter, sed quia & delectabiliter permanebit, multis locis Scriptura testatur, quæ omnia commemorare non possumus. Inde est illud, Qui diligit me, mandata mea custodit, & ego diligam eum, & ostendam meipsum illi. Tanquam enim fructus & merces ab eo quæreretur, quia mandata ejus custodiuntur, Ostendam inquit meipsum illi, perfectam beatitudinem ponens, ut cognoscatur sicuti est. Inde est & illud, Dilectissimi Filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Ideo & Apostolus Paulus, Tunc inquit facie ad faciem. Qui etiam dixit alio loco, In eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu. Et in Psalmis dicitur, Vacate & videte, quia ego sum Dominus. Tunc ergo optimè videbitur; quando summè vacabitur.* Ita ille Scripturæ testimonia conglomeravit, summam hominis beatitudinem in Dei visione collocantia. (De divers. Serm. 121. c. 29. 30.)

II. Liquet 2. Est enim beatitas posita in operatione præstantissima præstantissimæ facultatis; nec mentis operatio ulla præstantior Dei contemplatione.

tione. Cyrillus Alexandrinus contra Julianum: *In confesso est summam fœlicitatis humanæ in contemplatione consistere; est enim hæc operatio facultatis in anima præstantissimæ, sive mentis.* L. 3.

Liquet 3. Quid est beatitudo nisi boni præstantissimi possessio? quid autem præstantius veritate æterna? & quo bonum præstantissimum possidere possimus, nisi eo quod in nobis præstantissimum est, sive mente? Augustinus: *Quid est aliud beatè vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere? æternum est enim de quo solo rectè fiditur, quod amanti auferri non potest: idque ipsum est, quod nihil sit aliud habere quàm nosse. Omnium enim rerum præstantissimum est quod æternum est: & propterea id habere non possumus, nisi ea re qua præstantiores sumus, id est, mente.* L. 83. qq. q. 35.

III. Liquet 4. Beatum esse, quiescere, gaudere, solius Dei jus & privilegium est; solus enim bonorum omnium cumulus, summumque bonum est, ideoque sibi jure meritissimo adgaudens, & adquiescens & beatus. At creatura quælibet essentialiter inops, ad boni quo deficit consecutionem sese fatigat, summumque bonum etsi potest habere, non potest esse. Dei ergo est summum bonum esse, creaturæ est summum bonum videre, & videndo habere; Dei est beatum esse, creaturæ est beatitatem ejus videre, & adgratulari, eoque beari. Hinc Apostolus Dei attributa complura contexens ei peculiaria, orditur à beatitate; inter laudes enim divinas primum quodammodo locum tenet quòd sit beatus & ipsa beatitudo. Inde enim fluunt, & ibi implicantur reliqua omnia Dei encomia. Hinc item est authore Philone, quod Sabbathum Domini crebrò in Scripturis vocitatur, quod quiescere & diem festum agere & lætari Dei solius sit. Hinc denique est eodem teste, quod Abraham risum, seu Isaacum Deo immolare jussus est, & Sara se risisse vehementer negavit; quod risus & gaudium & beatitudo soli Deo tribuenda sit, & ingentis piaculi instar sit, eam creaturæ vindicari. Tametsi Saram risisse confirmet Deus, id est, ex sui risus gaudiique beatissimi pelago inexhausto nonnullas stillulas creaturis suis irroret, addoceatque quantum & quam summum bonum sit is, quem vel vidisse beatitas est, quem vel vidisse summum bonum est. Philo lib. de Cherubim: *Solus Deus verè festum agit. Solus enim gaudet, lætatur, hilaritate paceque fruitur, ab omni bello semotissima. Præterea timoris expers, nihil cum malis habens commercii, nemini cedit, non dolet, non lassatur, plenus fœlicitate sincerissima. Ipsius natura perfectissima, imo ipse fastigium est, extremaque linea fœlicitatis ac perfectio, non egens alio per quem fiat melior, sed ultro omnibus particularia bona ceu è fonte impartiens. Nam quæ in mundo sunt bona, non essent talia, ni ad archetypi illius verè boni ingeniti, beati incorruptibilisque similitudinem facta fuissent. Et ideo Sabbathum quod interpretatur quies, Dei esse Moses dicit in multis Legis locis, non hominum; attingens Philosophiam necessariam. Quod enim in rebus quiescit, si vera fateri oportet, nihil præter Deum est.* Et paulò pòst: *Quoniam quæ mutantur, propter fatigationem mutari solent. Deus autem mutari vertique non potest, naturam habet infatigabilem. Quod verò non debilitatur, etiamsi faciat omnia, id in æternum non desinit quiescere. Itaque soli Deo maximè proprium est requiescere. Demonstravi autem etiam festum agere, ipsi convenire. Solius igitur summæ causæ & festa sunt & Sabbatha, hominum autem nullius omnino.* Si solius Dei Sabbatum est, quantò magis Sabbatum illud Sabbatorum. Idem rursus lib. de Abrahamo: *Qui adducitur pro victima, Chaldaicè Isaac, id est, risus vocatur. Hanc lætitiam vir sapiens merito sacrificare Deo dicitur, per istam figuram docens quod gaudium soli Deo sit proprium.* Et infrà: *Sicut lux in cœlo sincera semper est, & pura à tenebris; in sublunari autem aere, miscetur caligine: & hoc est opinor, cur & antea virtutis cognomen habens Sara, cum risisset, roganti risus causam se risisse negavit, verita ne fortè gaudium quod nulli creaturæ convenit, solius Dei rem usurpasse videretur. Quapropter confirmans eam divinum eloquium, ait, Ne timeas, risisti verè, & particeps es lætitiæ. Non permisit enim Pater humanum genus exagitari tristitiis, doloribus ac molestiis insanabilibus; sed admiscuit eis etiam de meliore natura nonnihil, æquum censens serenam interdum ac tranquillam esse animam; præcipuè vero sapientem, majore vitæ parte gaudere, lætarique mundi hujus contemplationibus voluit.* Sic ille tradit risum gaudiumque rem esse Dei; sed ex illa meliore natura stillari nonnihil in nos, ut & ipsi carptim, subsultimque & per beata quædam momenta rideamus; imo & aliquando in mundi opificisque mundi contemplatione æternum risum rideamus.

IV. Basilius Magnus: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Est sanè quiddam quod primaria ac peculiari acceptione beatitudinis prædicari debeat beatum, quod verò bonum est, hoc ipsum est Deus. Quare & Paulus memoriam facturus Christi ait; Secundum manifestationem beati Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Revera id denique beatum, quod per se bonum est, ad quod respiciunt omnia, quod universa cupidè expetunt, natura immutabilis, dominatrix dignitas, &c.* Ubi beatus esse solus Deus evincitur, quod solus ipsum bonum sit, reliqua ad ipsum suspiciant, suspirentque. Gregorius Nyssenus: *Finis vitæ secundum virtutem institutæ est beatitudo, &c. Quod autem verè & propriè in hac tam sublimi beatitudinis notione concipitur, id jure optimo dixerit quis, ipsam naturam divinam esse. Sic enim magnus ille Paulus Deum nominat, cùm ex omnibus divinis appellationibus Beati nomen in quadam ex suis Epistolis primo loco ponit, his verbis, Beatus & solus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, cui honor & imperium sempiternum. Hæc enim omnia tam sublimia de Deo cogitata & pronunciata meo quidem judicio definitionem beatitudinis continent. Nam si quis quærat quid sit beatitudo, haud sanè à recta & pia responsione aberraverit, si vocem Pauli secutus, dicat, beatum quod propriè & primariò tale dicitur esse naturam illam quæ est super omnia. Beatum verò quod inter homines reperitur, tale esse communione ejus quod verè est. Ergo definitio humanæ beatitudinis est similitudo cum divina.* Sic ille ex authoritate Apostoli docet beatitudinem, summam esse & capitalem Dei prærogativam, inter ejus dignitates primum locum tenere, suo sinu reliquas omnes complecti, & nonnulla ex parte nobis aspergi, qua tantillam cum Deo similitudinem assequimur. Nusquam autem majorem assequemur similitudinem, quàm quando videbimus eum sicuti est, ut oculus Soli tum simillimus fit, cum ipsum videt. Theodoretus: *Nomen Beati divina appellatio est. Quod testatur divinus Apostolus exclamans, Beatus & solus potens Rex Regum & Dominus dominantium. Dominus autem Deus fecit homines ut aliarum, sic etiam hujus appellationis participes.* In Psalm. 1. In Psalm. 1.

V. Liquet 5. Creatura omnis serva est, & hæc servitus ipsa ejus essentia est; et autem Domini beatitas gloriam gaudiumque possidere, servi beatitas gloriam gaudiumque Domini videre & adgaudere. Domini est bona omnia obtinere, servi est Domini opulentiæ applaudere. Sed summi Domini est tantum bonum non habere, sed esse, ut ejus vel sola visio servos beatissimos præstet. Eò pertinent Scripturæ loca à sanctis Patribus illustrata ad hunc sensum: *Volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum, ut videant claritatem meam.* Ait enim Joan. 17.

enim ut sint mecum, non ut sedeant mecum; sint ubi ego, non quomodo ego; claritatem meam videant, non habeant. *Ut videam voluptatem Domini*.
Psalm. 92.
Est enim Domini solium, claritatem, voluptates, divitias habere sibi, & servis ostendere; servorum est Domini bona videre, non possidere; adgaudere, non habere, aut nonnisi videndo habere. Gloria item servorum est in Domino gloriari, est enim Dominus gloriæ; & gloria Domini, non servorum; unde Paulus, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Ambrosius: *Volo, inquit, ut*
Li. 5. de fide.
sint mecum, non ut sedeant mecum; & ubi ego, non quomodo ego. Deinde sequitur, ut videant claritatem meam. Nec hic dixit, ut habeant claritatem meam, sed ut videant. Servus enim videt, Dominus possidet. Sicut & David docuit dicens, Ut videam voluptatem Domini. Et ipse Dominus in E-
Ho. 22. To. 1. De humil.
vangelio revelavit dicens, Beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt. Videbunt, inquit, non super Cherubim cum Deo sedebunt. Basilius: *Quænam est vera gloriatio, & qua in re magnus est homo? In hoc, inquit, glorietur qui gloriatur, si sciat & cognoscat me esse Dominum. Hæc est hominis sublimitas, hæc gloria & magnificentia, verè cognoscere hoc quod magnum est, & illi conglutinari, & gloriam à Domino gloriæ quærere. Dicit autem Apostolus, Qui glorietur, in Domino glorietur.* Et Gregorius Nazianzenus: *Alia longo prorsus ab ea Dei-*
Orat. 13.
tate intervallo distant; alia propius quodammodo ad eam accedunt, atque accessura sunt, idque non vi naturæ, sed gratiæ. Nempe cum servitus Trinitati rectè præstita, supra servitutem assurrexerit: nisi tamen hoc quoque ipsum libertas & regnum est, dominationem probè agnoscere; nec ea quæ inter se distincta sunt, per animi abjectionem confundere. Porrò quibus tantum tamque honorificum est serviisse, quanta tandem horum dominatio censenda est? Et cùm cognitio ipsa beatitudo sit, quantum quæso illud est quod cognoscitur? Tam beatus est Deus, ut illi servire libertas sit, illi parere regnum sit, illum videre beatitudo sit.

VI. Liquet 6. quia intelligibilia bona videre idem est atque possidere; mente enim possidentur, qui autem nisi intelligendo? Quin & sensibilia sensu possidentur, ergo & intelligibilia intellectu. Sensibilium enim possessio ab ipsorum sensu secernitur, quia non semper nec cuilibet adsunt, nec frui volenti præsto sunt; cui ergo ita præsto sunt, ut sentire volenti protinus adsint, is dicitur possidere; sed is verè possidet, qui non tantùm eorum sensu oblectari potest cùm vult, sed qui oblectatur. Intelligibilia autem cùm semper & cuilibet adsint, non possunt nisi intellectuali sensu & actuali oblectatione possideri. Hinc non rarò in sacris litteris videre sumitur pro possidere. Gregorius Nyssenus: *Qui per hæc deducitur ad ejus quod est in-*
Hom. 1. in Eccles.
telligentiam, & per ea quæ prætercurrunt, stabilem intelligit naturam, & mente agitat id quod semper similiter & eodem modo se habet, & videt quod verè bonum est, & quod videt, possidet; est enim possessio, hujus boni contemplatio. Et rursus: *Bea-*
Orat. 6. de beatit.
ti mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Videre in usu Scripturæ idem significat quod habere; quemadmodum illud, Videas bona Jerusalem, id est, invenias. Et, Tollatur impius, ne videat gloriam Domini; per non videre, non participem esse Propheta significante. Ergo qui Deum vidit, quidquid in bonis numeratur, per hoc quod vidit, adeptus est; vitam sine fine, æternam incorruptibilitatem, immortalem beatitudinem, regnum interminatum, lætitiam indesinentem, verum lumen, spiritualem & dulcem vocem, gloriam inaccessam, perpetuam exultationem, omne denique bonum. Æterna itaque & intelligibilia bona, quia semper & cuivis præsto sunt, non possidet nisi qui sentit videtque; ut nec sensibilia, siqua in publico & omnibus communia sunt, ut sidera & elementa, non possidet nisi qui videndo & sentiendo fruitur; quandoquidem & privatorum bonorum possessio quælibet ad illam quæ sensu fit possessionem contendit. Et quia inter sensus principatus oculis defertur, optimum possidendi genus per oculos usurpatur. Quantò magis intelligibilia videndo fruenda sunt?

VII. Liquet 7. Videndo possidetur Deus, quia videndo invaduntur & usurpantur omnia ejus bona, & videndo videntibus vindicantur. Æternum enim videntes fiunt æterni, immutabilem videntes fiunt immutabiles, immortalem videntes fiunt immortales; & ne singula percenseam, totum Deum per oculos ebibunt, eoque se proluunt, & perfundunt, ejusque totam naturam sibi adglutinant inseruntque. Similes quippè ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est; totam nempè formam speciemque respiciendo assumemus, vel totam mentem ei infigendo, in eam absorbebimur; sicut oculus lucem ita haurit, ut & lux ipse eva-
Hom. 8. in Ezech.
dat. Gregorius Magnus: *Quomodo inhærendo beatitudini sint beati, quomodo contemplando semper æternitatem sint æterni, quomodo conjuncti verò lumini facti sint lux, quomodo aspicientes semper incommutabilem mutati sint in incommutabilitatem.*
Ibidem. Hom. 2.
En ut Deus per oculos in beatas immigrat mentes, cum tota suarum laudum opulentia, in easque se transfundit. Et rursum: *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: qui mox unde hoc fieri valeat, adjungit dicens, Quoniam videbimus eum sicuti est. Esse enim Dei est æternum hunc atque immutabilem permanere, &c. Per hoc quod aspicimus ejus essentiam naturæ, à mutabilitate nostra liberati, figimur in æternitatem. Immutabimur quippè in ipso quem videbimus, quia morte carebimus videndo vitam, mutabilitatem nostram transcendemus videndo immutabilitatem, corruptione nulla tenebimur videndo incorruptionem.* Essentia igitur divina infundens se menti, luce sua effugat omne obstantium genus tenebrarum, nempè & mortis umbram, & corruptionis, & mutabilitatis, &c. Sed pulcherrimè idem Gregorius Magnus: *Justi anima*
Moral. l. 24. c. 1. 2.
in jubilo faciem Dei conspicit, quia tantum de lætitia interna percipit, quantum capere vel assumpta vix possit. Ibi igitur lucem vivens videt, quia spiritalem oculum in radios interni Solis infigit. Ibi lucem vivens videt, quia omni jam mutabilitatis vicissitudine atque obumbratione calcata, veritati æternitatis inhæret; eique inhærendo quem cernit, ad similitudinem incommutabilitatis assurgit; atque in semetipsam authoris sui inconvertibilem speciem, dum respicit, assumit. Quæ enim ad mutabilitatem per semetipsam lapsa est, ad immutabilitatis statum immutabilem videndo formatur. Vel igitur totam se mens in aciem suam colligens, Deo se ita infigit atque ita adhærescit, ut cum eo concrescat quodammodo, & coalescat in ejus naturam. Vel divinam speciem ita rapit in se totam & assumit, ut ea intimè tota induatur & formetur.

VIII. Liquet octavò & postremò. Deus enim videtur non per derasam aut defluam ab ipso imaginem aliquam, aut omnino per ullam speciem creatam; sed per suam ipsius essentiam menti beatæ infusam speciei que vices supplentem. Ubi ergo videtur, habetur; cùm videtur, possidetur; quia nonnisi habendo & possidendo videtur. Possunt quidem corpora videri, nec possideri, quia nonnisi per volatilem & effusam ab ipsis imagunculam videntur, & absentia videntur, aut saltem distantia: at Deus cùm nusquam absit, cùm nusquam distet, cùm per suam essentiam menti medullitus incubans videatur, utique videndo possidetur. Imò cùm in Deo esse reale & intelligibile non differant, cùm natura Dei ipsamet sit intelligibilitas; non potest ut forma intelligibilis beatas mentes formare, quin naturæ simul divinæ dotibus ipsas formet, & æternitate sua æternas, immortalitate immortales, immutabilitate immutabiles efficiat, quantum & Dei gratia indulgere se dig-

natur, & quantum natura creata divinorum munerum largitatem patitur.

IX. Observandum 2. corporeis oculis Deum videri omninò non posse. Consentiunt omnes Ecclesiæ Patres, in primis Augustinus, qui epistola VI. multis convellit eos qui Christo primùm, inde Sanctis post resurrectionem donaverant, imò & impiis, ut Deum oculo corporeo intuerentur. *Antea dicebant carni suæ tantum hoc præstitisse Christum, ut corporeis oculis videret Deum: deinde addiderunt etiam omnes Sanctos, receptis in resurrectione corporibus eodem, modo Deum esse visuros. Nunc jam istam possibilitatem etiam impiis donaverunt. Donent sane quantum volunt & quibus volunt. Nam quis audeat contradicere hominibus de suo donantibus? Qui enim mendacium loquitur, de suo loquitur.* Sic ille referendo sugillat ineptum commentum; quod referendo approbat Gennadius & ipse ineptiens in Catalogo: *Servus Dei Episcopus scripsit adversus eos qui dicunt Christum in hac vita degentem non vidisse carneis suis oculis Patrem; sed post Resurrectionem ex mortuis & Ascensionem in cœlis, cum translatus est in gloriam Dei Patris, profectum scilicet ei dantis in remunerationem martyrii. In qua scriptura ostendit & disputatione sana & sanctarum Scripturarum testimoniis dominum Jesum, ab ipso ejus conceptu per Spiritum sanctum facto, & partu ex Virgine, quo Deus verus in homine vero, ipse quoque homo Deus factus natus est, semper carnis suæ oculis & Patrem vidisse & Spiritum sanctum, per specialem & unitam Dei & hominis societatem.*

Hujus opinionis absurditatem multis argumentis manifestavit Augustinus. 1. Non videtur oculo corporis, nisi quod corporeum est, & in loco extensum, partesque alias aliasque, & alias aliis majores vel minores habet; nam & impartile corpus si quod esset, utique invisibile esset, tametsi corpus esset. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ; sed lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum. Erit ergo tunc mens idonea quæ illam lucem videat, quod nunc nondum est. Hoc autem oculus videre corporis neque nunc potest, neque tunc poterit. Omne quippè quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum; sed minori sua parte, minorem locum occupet, & majore majorem.*

2. Non videtur ab oculo corporis, nisi quod ab eodem distat aliquantulùm; at Deus ubique cùm sit, nusquam distat. *Istius corporis oculos dixi non visuros Deum, hoc intuens quod istius corporis oculi omnino non possunt cernere, nisi corpora quæ ab eis aliquo loci intervallo separata sunt: nam si nullum intervallum sit, nec ipsa corpora per eos videmus.* Epist. III.

3. Quidni ergo & per corporis aures audiatur & per nares olfiat, & palato sapiat, & manu palpetur Deus? atque ita & sonus & odor & sapor & moles sit Deus! Nam & Christi Beatorumque non minùs aliis corporeis sensibus, quàm oculis gratificandum est: & omnipotentiæ Dei si libeat ita indulgere, æquè illa aliis sensibus ac oculis se propinabit. *Cur solis oculis corporeis Christi hoc donum attributum esse contendunt, non etiam cæteris sensibus? Sonus ergo erit Deus, ut possit etiam auribus percipi? & halitus erit, ut sentiri possit olfactu? & liquor aliquis erit, ut possit & bibi? & moles erit, ut possit & tangi? Non, inquiunt; quid ergo? an illud potest Deus & hoc non potest? Si non posse dixerint, cur derogant omnipotentiæ Dei? Si posse & nolle responderint, cur solis oculis favent, invident autem cæteris sensibus corporis Christi? An quousque volunt, desipiunt?* Ita ille utrumque cuneum quem urgebant adversarii retundit; tam enim nihil detrahitur vel omnipotentiæ Dei, vel beatitudini Christi humanitatis, si Deus oculis, quàm si aliis corporeis sensibus attingi posse denegetur. Epist. 6.

X. 4. Si Deus corporalibus oculis videndus est, excolendi sunt ergo sensus corporis, non mentis; & anima sensibus altissimè infigenda est, non refingenda; nec fide cor mundandum, nec menti uni incumbendum, sed dissuavianda caro, &c. Ibidem: *Ad hoc fide corda nostra mundantur, quia nobis fidei merces visio Dei promittitur. Quæ si per corporis oculos erit, frustra ad eam percipiendam Sanctorum animus exercetur: imo vero tam perversè sentiens animus, non in se exercetur, sed totus in carne est. Ubi enim tenaciùs habitabit & fixiùs, nisi unde se Deum visurum esse præsumit?*

5. Charitas oculo corporis nec videtur, nec videri potest, ea inquam charitas quæ inest insidetque menti nostræ: ergo nec videri poterit Deus qui charitas dicitur, vel quia fons charitatis ineffabiliter existit, vel quia charitatem per Spiritum sanctum infundit. *Deus charitas est, sive tanquam ejus fons ineffabiliter existendo, sive illam nobis per Spiritum suum largiendo. Si ergo doceri potest quòd charitas corporalibus oculis aliquando videbitur, poterit fortassis & Deus. Si autem ista numquam poterit, multo minùs ipse fons ejus, vel si quid dici excellentius & convenientius de tanta re potest.* Epist. III.

6. Id Scripturæ passim pronuntiant: Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est; eo ergo videbimus quo similes erimus; ergo mente, non corpore videbimus. Item, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; inde videbimus facie ad faciem, unde nec videmus per speculum in ænigmate: videre per speculum in ænigmate, nunc mentis munus est; ergo & videre facie ad faciem mentis solius opus est. Item, Spiritus est Deus, & eos qui adorant Deum, in spiritu & veritate oportet adorare; si adorare, quantò magis videre? Hæc Augustinus testimonia citat, & in hunc sensum refert. Item illa, Deum nemo videt unquam; &, Quem nemo hominum vidit, nec videre potest; &, Regi sæculorum invisibili: hæc aliaque allegat ille, & ad eliminandam corpoream Dei visionem contorquet. Quin & sanctorum Patrum Ambrosii, Hieronymi, Athanasii, Gregorii Nazianzeni authoritatem & testimonia invisibilitatem plurimam Deo asserentia, ad hoc ipsum allegat. Sed de iis tempestiviùs infrà suo loco agetur. Epist. 6. Epist. III.

7. Universim totum genus invisibilium visibilibus summoperè antecellit; charitas, veritas, sapientia, mens ipsa nostra, invisibilia cum sint, visibilibus multò præstant; lumen ipsum quo hæc ab illis secernimus, & hæc illis planè postponenda cernimus, invisibile est; quin & invisibiles ac occulti oculi nostri, visibilium judices & rectores & emendatores sunt. Quis ergo ambigat in optimorum ac proinde in invisibilium genere, imo in hujus generis apice Deum sedere? Quis ambigat optimo oculo ac proinde occulto mentis, non patulo corporis Deum videndum esse? Quis ambigat quo oculo nempè mentis optimum nostrum nempè mentem videmus, eo saltem videndum esse Deum optimo nostro meliorem? *Cùm ergo interiores oculi judices sint oculorum exteriorum; isti autem illis quodam officio nunciandi & ministerio famulentur, multaque illi videant quæ isti non vident; nihil isti videant, unde non illi tanquam præsides judicent; quis non illos istis incomparabili æstimatione præponat?* Et infrà: *Ecce charitas quantulacumque in nostra voluntate consistit, nobisque conspicua est, nec in loco videtur, nec corporalibus oculi quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu: quanto magis Deus ipse cujus hoc pignus in nobis est?* Et infrà: *Cùm sit aliquid nostrum visibile sicut hoc corpus; aliquid vero invisibile sicut homo interior: & cum optimum nostri, hoc est, mens, atque intelligentia invisibile sit oculis corporis: quomodo id quod est melius optimo nostri, visibile erit inferiori nostro?* Epist. III. c. 17. Ibid. c. 18.

8. Quan-

8. Quando ergo Deus Patriarchis, vel Prophetis visus est, assumpta aliqua corporea specie visus est, non in suæ proprietate naturæ; idque dilucidum fit ex eo quod apparuisse identidem ajunt sacræ litteræ; apparet autem is cujus naturæ est non videri, voluntatis videri. Item ubi apparuit, quibus voluit tantùm apparuit, etsi aliis præsentibus non apparet. Denique Moyses apertè Deum orat, Ostende mihi temetipsum; Deus ergo verè apparebat, cum non diceret, Ostende mihi Deum, sed temetipsum; nec tamen in propria natura apparebat, alioqui, cur instaret, Ostende mihi temetipsum. *Si non esset ipse, non ei diceret, Osten-*
Ibid. c. 8. *de mihi temetipsum; sed, Ostende mihi Deum. Et tamen si ejus naturam substantiamque conspiceret, multò minus diceret, Ostende mihi temetipsum. Ipse ergo erat in ea specie, qua apparere voluerat: non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat.* Et ibidem verba insuit
Ibid. c. 6. Ambros. in Luc. l. 1. c. 1. Ambrosii super Lucam: *Bene apparuisse dicitur ei, qui eum repente conspexit. Hoc specialiter aut de Angelis aut de Deo Scriptura divina tenere consuevit, ut quod non potest videri, apparere dicatur. Sic habes, Apparuit Deus Abrahæ ad Ilicem Mambræ. Nam qui ante non præsentitur, sed repentino videtur aspectu, apparere memoratur. Non enim similiter sensibilia videntur, & is in cujus voluntate situm est videri, & cujus natura est non videri, voluntatis videri. Nam si non vult, non vi-*
Epist. 111. *detur; si vult, videtur.* Et rursum: *Hoc est quod etiam noster dicit Ambrosius, & Patrem & Filium & Spiritum sanctum ea specie videri, quam voluntas elegerit, non natura formaverit.* Ex quo tam multiformiter apparuisse narratur; nam si ipsa natura videretur, uniformiter semper videretur.

XI. Objectabant nonnulli Deum quidem cum corpus non sit, oculo isto corporeo videri haud posse; sed corpus beatorum per resurrectionem spiritale futurum, spiritales vires induendum, atque ita spiritales tunc fore qui nunc corporales sunt
Epist. 111. c. 11. & seqq. oculi, proindeque spiritalia visuros. Ad hæc respondet multipliciter Augustinus. 1. Tolerabiliùs hoc dici quàm illud, quia tolerabiliùs de creatura, quàm de creatore erratur. 2. Corpus in spiritum convertere, etsi fortasse irritum, non illaudabilem tamen esse conatum; at Deum in corpus vertere, & irritum & criminosum esse. 3. Ita semper constabit infracta vis superiorum argumentationum, quod corporalibus oculis Deus non videatur. 4. Sic tota quæstio in eo jam vertetur, an corpus in spiritum & corporei oculi in intellectualem aciem per resurrectionem sint convertendi. Quod à vero sanè plurimùm abesse videtur; tum quia sic spiritus hominum resuscitatorum conduplicaretur, superfluè & insolenter; tum quia ad eum modum corpora non reviviscerent, sed evanescerent; nec deinceps immortalia, sed nulla forent. *Sunt alii, Deum quidem ipsum corpus non esse, minimè dubitantes; sed ideo eos qui ad vitam æternam resurgent, etiam per corpus Deum visuros putant, quoniam talem sperant spiritalis corporis qualitatem, ut etiam ipsa quæ caro fuerat, spiritus fiat. Quod si ita est; quantum distet à superiori opinione, & quàm hoc tolerabilius sit, etiamsi verum non sit, puto facillimè judicari. Primò quia multum interest, utrum de creatore, an de creatura aliter aliquid sentiatur, quam veritas habet. Deinde quia conatus mentis utcumque ferendus est, volentis corpus convertere in spiritum; non in corpus Deum. Postremo quia id quod ego in illa epistola mea dixi de istis nostræ carnis oculis, quia neque nunc possunt, neque tunc poterunt Deum videre, etiam sic verum est. Non enim dictum est, nisi de oculis corporalibus, quod tunc non erunt, si corpus ipsum spiritus erit; ac per hoc corporei oculi nunquam Deum videbunt, quia cum videbitur, spiritus eum non corpus videbit.* Et infrà: *Sed cogitandum est, ne quid insolenter audiamus, si dixerimus corpus non solum mortalitatem & corruptibilitatem, verum etiam hoc ipsum quod corpus est per gloriam resurrectionis amittere, & spiritum fieri. Eo modo quippe aut conduplicabitur substantia spiritus, si & corpus spiritus erit; aut si verus erit spiritus hominis, ita ut commutato & converso in spiritum corpore, neque geminatione neque incremento conduplicetur, nec omnino ullius accessu quantitatis augeatur, metuendum est ne nihil aliud dici videatur, quàm corpora non illa mutatione immortalia mansura, sed nulla potius futura & omnino peritura.* Et concludit tandem abundè esse quod Christus ita videat Patrem, sicut videtur à Patre; ut & nos ita Deum visuri sumus, ut videtur ab Angelis, hoc est intellectuali tantùm oculo; nec oculorum concupiscentiam in cœlos usque invehendam esse.

XII. In hac sententia indubitanter stetit Augustinus, quantumvis in libro XXII. Civitatis Dei, quem postea scripsit, nonnullis visus sit fluctuare. Eo enim loco asseverantissimè pronunciat corporeis oculis Deum omnino non videri, nec visum iri; eo tantùm modo visum iri à beatis, quo nunc à nobis in corpore per corporeos oculos videtur vita aut anima hominis; ita tunc viso orbe videbitur in ejus ordine, constantia, pulchritudine Deus, ut vita, & anima, & mens orbem miro modo formans. Tota Augustini ibi fluctuatio non in eo alternat, an corporeis oculis videri Deus possit, sed an oculus & totum corpus per resurrectionem in spiritalem penitus naturam evehendum sit; in quo tamen ita alternat, ut in negantem sententiam totus propendeat, ut ejus verba palam faciunt: *Aut ergo per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo & incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis sive scripturarum testimoniis divinarum, vel difficile vel impossibile est ostendere. Aut quod est ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu à singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in seipso, videatur in cœlo novo & in terra nova, atque in omni quæ tunc fuerit creatura; videatur & per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritalis corporis oculi acie perveniente directi.* Et paulò suprà: *Aliorum quisque vitas cum sint invisibiles, per corpus videt. Nam unde viventia discernimus à non viventibus corpora, nisi corpora simul vitasque videamus, quas nisi per corpus videre non possumus? Quamobrem fieri potest, valdeque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora cœli novi & terræ novæ, ut Deum ubique præsentem, & universa etiam corporalia gubernantem per corpora quæ gestabimus & quæ conspiciemus, quaqua-versum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus.* Non aliud ergo unquam dubitavit Augustinus, quàm utrum per omnipotentiam creatoris, & obedientiam creaturæ ad omnes Creatoris nutus expeditissimam, fieri posset, aut foret aliquando, ut corpus in spiritum & oculi corporei in intellectuales converterentur. Quod librata perpensaque incomprehensibili Dei omnipotentia dubitari posse nemo sanus non sentit; sed ita ille hoc dubitavit, ut hoc tamen nunquam fore satis expressè pronunciarit. Nec aliud canit sermo CII. de Diversis, Ex fidissimo saltem discipulo liceret Augustini mentem colligere, Fulgentio inquam, cujus hæc sunt verba ex ipsis Augustini sententiis vocibusque contexta in responsione tertia ad Ferrandum diaconum: *Quisquis putat Deum posse oculis corporalibus cerni, prius est ut eum dicat ab ipsis oculis corporali spatio separari. Quisquis autem vult agnoscere quibus oculis Deus videatur, ipsum Deum cogitet, quia sapientia est, veritas est, charitas est. Quocirca quibus oculis videtur sapientia, veritas, & charitas, ipsis oculis vide-*

videtur illa sapiens veraque divinitas. Non itaque corporis, sed oculis animæ Deus suam visionem promittit, quam capacem sapientiæ, veritatis, charitatisque constituit. Reliquos Patres in hanc sententiam conspirantes adferre supersedeo, ut in re planissima ne tempus teram.

CAPUT XV.

De gradibus divinæ visionis. De cumulo gloriæ ultra merita. De siti in fonte ipso Beatitudinis.

I. Etsi Beati omnes Deum videant, inæqualiter tamen vident. Ita definiit Ecclesia adversus Jovinianum.

II. Probatur visionis inæqualitas primùm ex Scripturis.

III. Item ex instituta divinitus inæqualitate tot graduum muniumque, olim in Synagoga, nunc in Ecclesia, cœlestis patriæ imagine.

IV. Inæqualium meritorum inæqualem necesse est esse mercedem.

V. Ut pœnas, ita & præmia ordinat Deus, pro diversitate meritorum.

VI. In regno summæ charitatis quàm non sit formidanda inæqualitas.

VII. In regno Dei vel ultimo loco sedere, ineffabilis & dignitatis & gaudii res est.

VIII. Bonos melioribus subiici, ordo justitiæ est. At beati beantur ordine justitiæ.

IX. Ea charitate conglutinantur Beati omnes, ut omnium sint, quæ sunt singulorum: & tantundem de aliorum, quantum de sua fœlicitate gaudeant.

X. Elucidatur Evangelii parabola de denario diurno, unde contrariæ sententiæ præsidium frustra aucupantur.

XI. Ultra merita cumulatur merces gloriæ, ex Hilario, Fulgentio, Chrysostomo, Isidoro.

XII. Ita exaturantur Beati, ut semper sitiant fontem vitæ. Multæ id rationes comprobant.

XIII. Quibus & testimonia Patrum multa accedunt. Gregorii Magni & Bernardi.

XIV. Irenæi, & Gregorii Nysseni.

XV. Rursus Nysseni, ut in cœlesti patria progressus quidam esse possint.

I. OBservandum 3. Etsi omnes Beati Deum videant, inæquales tamen esse videndi gradus; & disparitati meritorum in hujus vitæ usura cumulatorum disparem rependi visionis divinæ munerationem. Id catholica fide cautum est contra Jovinianum, qui Stoico contagio laborans, ut virtutibus & vitiis, ita præmiis & suppliciis omnimodam æqualitatem indicebat, atque ita seipsum jugulabat. Cùm enim leves culpas saltem sibi aspergi dissimulare non posset, maximorum criminum quibus levissimas exæquabat maculas, suppliciis se obligabat. Hieronymus: *Qui in coitu &* L. 2. Adver. Jovinian.
saturitate Epicureus est, subito in retributione meritorum Stoicus efficitur. Videtur Origenes hac in re non parum exerrasse, cum justos tanquam stellas à stellis, alios aliis lumine visionis beatæ antecellere ante judicium; post judicium autem & resurrectionem in unum quasi Solem omnes conflatum atque ita exæquatum iri opinatur, minutè putidèque in eam insaniam contorquens illud scripturæ, Tunc justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum. *Opinor equidem quod in exordiis beatitudinum quæ sunt in iis qui salvi fiunt, quoniam nondum purificati sunt, qui tales non sunt, differentia sit luminis eorum, qui salvi fiunt. Cæterum ubi quemadmodum diximus collecta fuerint à toto Christi regno omnia scandala, & cogitationes quæ gignunt iniquitatem conjectæ fuerint in caminum ignis, consumptaque fuerint deteriora; & dum hæc geruntur, ad se redierint, qui receperant sermones mali illius filios, tunc justi unicum solare lumen facti, fulgebunt in regno Patris sui.* Exhalant hæc ut vides ex illa Origeniani erroris sentina, qua scripturas omnes cœlumque ipsum conspurcavit, & damnatos diabolosque omnes absolvit à pœna tandem, beatisque cœlestis patriæ cœtibus invexit, imò beatitudinis fastigio imposuit, dum ita Beatos omnes in unum conflando exæquavit.

II. Stabiliendæ autem & illuminandæ orthodoxæ huic doctrinæ, diversis meritorum gradibus inæqualia præmia admetienti, multa à sanctis Patribus acervata sunt, 1. Visionis inæqualitatem Scriptura sacra palam deprædicat; ut illud: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum, stella enim à stella differt in claritate. Sic erit & resurrectio mortuorum.* Quo 1. Corin. 15.
loco allegato ita Hieronymus invehitur in Jovinianum, ejusque præposteram interpretationem
exibilat: *Quod tu scilicet doctus interpres sic exposuisti ut diceres, spirituales differre à carnalibus. Ergo & spirituales & carnales in cœlestibus erunt; & jam non solum oves, sed etiam hirci tui conscendent regna cœlorum. Stella inquit à stella differt in claritate; non oves & hirci, sed oves & oves, id est stella & stella. Denique alia inquit claritas Solis, & alia claritas Lunæ. Ne stellam & stellam totum humanæ multitudinis assereres genus, Solem posuit & Lunam, quos certè inter hircos non poteris numerare. Sic erit inquit & resurrectio mortuorum; ut justi in claritate Solis luceant, & qui in sequenti gradu sunt, Lunæ splendore rutilent; ut alius lucifer sit, &c.* Item illud: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*; multis videlicet meritorum gradibus & crementis coaptatæ. Hi- Joann. 14.
larius: *Multas mansiones Dominus in cœlis esse testatur; sed Patrem orat, ut Apostoli, ubi & ipse sit, maneant; dicens, Pater quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, ibi & illi sint mecum. Ex multis ergo mansionibus, Apostolis suis eam quæ sibi est propria communicat, &c. Sed non ob id bonorum cœlestium spes adimitur, si non omnes ad cohabitationem Dei eligentur. Plures enim mansiones diversæ dignitati habitantium præparantur.* Sic ille gloriæ gradus varios dispensat, sed hanc Apostolis prærogativam vendicat, ut in ipsa Christi sede sedeant.

Item: *Qui vult inter vos major esse, sit omnium minimus.* Unde Hieronymus loco citato: *Si omnes in cœlo æquales futuri sumus, frustra nos hîc humiliamus, ut ibi possimus esse majores.* Congessit Sanctus hic Pater eo loco loca Scripturæ propè innumera quæ id conficiunt.

III. 2. Ut quid tanta inæqualitas & in Synagoga olim & in Ecclesia etiam nunc, munerum graduumque à Deo ipso digestorum, nisi ad præsignandam beatæ patriæ cui hæc veluti præludia præsultant, parem diversitatem? Imo ut quid tanta inter Angelos nominum dignitatumque discrepantia, si beati omnes in unum quasi dimensum redigendi sunt? Cùm ergo beatarum animarum Ecclesia & angelicos cœtus æmuletur, vel illis potius inseratur, eandem inæqualitatis æquissimam legem subibit. Hieronymus: *Si autem non sunt plurimæ mansiones, quomodo & in veteri Testamento & in novo, alium ordinem Pontifex tenet, alium Sacerdotes, alium Levitæ, alium Janitores, alium Æditui? Et in volumine Ezechielis ubi futuræ Ecclesiæ & cœlestis Jerusalem ordo describitur, sacerdotes qui peccaverant regradantur in æditios & ostiarios, & cum sint in templo Dei, id est, à dextris non sunt inter arietes, sed inter minimas oves? In fluvio quoque illo qui de templo egreditur & irrigat salsum mare, & universa vivificat, multæ species piscium describuntur? Quare in regno cœlorum Archangeli sunt, Angeli, Throni, Dominationes,*

Pote-

In Psal. 64 Matth. 20 L. 2. Adv. Jovinian.

Potestates, Cherubim & Seraphim, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro? Sine causa diversitas nominum est, ubi non est diversitas meritorum. Archangelus utique aliorum minorum est Angelorum Archangelus, & Potestates & Dominationes habent alia, per quæ exerceant potestatem, & in quæ subjecta dominentur. Hoc in cœlis est, hoc in mysterio Dei, ne nos solito more irrideas atque subsannes, si Imperatores posuerimus, & Præfectos, & Comites, & Tribunos, & Centuriones, & Manipulos, & reliquum militiæ ordinem.

IV. 3. Visio Dei merces est laborum meritorumque hujus vitæ, ergo tanta esse debet mercedis, quanta est meritorum inæqualitas. Quis autem non intelligat summam esse in justis etiam hominibus virtutum meritorumque & horum fontis primarii, id est, charitatis inæqualitatem? Hinc Paulus plus omnibus laborabat, & concessa licentia uti detrectabat, ut majorem sibi mercedem cumularet. Hieronymus: *Dominus disposuit, ut qui prædicant Evangelium, de Evangelio vivant. Apostolus autem qui non abutitur hac licentia, sed laborat manibus suis, ne quem gravet, & die ac nocte operatur, & ministrat his qui secum sunt, utique ideo hoc facit, ut plus laborans, plus aliquid mercedis accipiat.* Et Gregorius Magnus: *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum; ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Unde in Evangelio veritas dicit, In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

Ibidem.

Moral. l. 4. c. 31.

V. 4. Multò amplius bona quàm mala, præmia quàm supplicia ordinat Deus. Sed pœnas reproborum ordinari à Deo scripturæ clamant, ratio persuadet: *Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio.* Et, *Quantum exaltavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Deinde ordo justitiæ vindictam culpæ admetitur; quàm disparia sunt peccata, tam disparia esse jubet supplicia; & tam injuriosum foret legi sempiternæ, si leviores gravioribus, quàm si graviores levioribus pœnis culpæ animadverterentur. Qui mala ordinat Deus, quanto amplius bona? Qui tam bonus est ut de malis faciat bene, quomodo de bonis faceret male, quosdam infra, alios supra meritum compensando? Gregorius Magnus: *Mirum est valde quod dicitur, Ubi nullus ordo. Neque enim omnipotens Deus, qui mala bene punit, inordinata esse ullo modo vel tormenta permittit; quia ipsa quoque supplicia quæ ex lance justitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque juxta modum criminis, retributio sequitur ultionis? Hinc quoque scriptum est, Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio. Hinc in Babylonis damnatione dicitur, Quantum exaltavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Si igitur juxta modum culpæ pœna distinguitur, constat nimirum quod in suppliciis ordo servatur. Et nisi tormentorum summam meritorum acta dirimerent, nequaquam judex veniens dicturum se messoribus esse perhiberet, Colligite primum zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum. Si enim nullus in suppliciis ordo servabitur, cur comburenda zizania in fasciculos ligantur? Sed nimirum fasciculos ad comburendum ligare, est hos, qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare; ut quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat. Sicut enim in domo Patris mei mansiones multæ sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subjicit disparilitas criminis.*

Sapien. 6.

Apocal. 18.

Moral. l. 9. c. 39.

VI. 5. Inæqualitas ibi formidanda non est, ubi unusquisque tantum accipit, quantum capit, & quantum sufficit. Quis enim nisi lymphatus plus cupiat, quàm capiat? Quis plus sitiat, quàm sufficiat? Nullum ergo sentitur damnum disparitatis, ubi infunditur omnibus tantæ saturitatis copia. Quin imò supereminet tantæ inæqualitati æqualitas, & æqualis omnibus merces rependitur, quia æqualis saturitas, æqualis plenitudo. Tametsi enim de illo voluptatis torrente, diverso ex charitatis æstu plus alii aliis sitiant, plus alii aliis bibant; quia tamen quantum quisque sitit & capit, tantum bibit, æqualis omnium est saturitas, æqualis plenitudo, æqualis miro quodam modo beatorum & beatiorum beatitudo. Ita corporeis cibis æquè infarti, æquè distenti saturique sunt, qui etsi plus alii aliis comederint, omnes tamen æquè exaturati fuerint. Gregorius Magnus: *Apud Patrem quippe mansiones multæ sunt, quia in illa beatitudinis vita non dispari, unusquisque juxta dispar meritum, locum disparem percipit; sed ejusdem disparilitatis damna non sentit, quia tantum sibi quantum perceperit, sufficit.* Sed luculentissimè Julianus Pomerius: *Quicumque ibi erunt, etsi differentibus mediis ab invicem distabunt, omnes tamen una perfectione beati erunt; quia singulis præmia sua sufficientia erunt, & capere amplius præmiis suis jam perfecti non poterunt. Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint; ita omnes sancti etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia & una perfectione beati futuri sunt.* Ita ille describit in impari capacitate parem saturitatem, & eo modo parem beatitudinem.

Moral. l. 15. c. 15.

De vita Cõtempla l. 1. c. 4.

VII. 6. In regno Dei vel ultimum esse, ineffabilis & dignitatis & gaudii res est. Nam vel ultimus Deum videbit, & videndo habebit, & habendo Deum intra se, Deus fiet. Cui ergo invideat, qui tantum in se boni & summum in se bonum esse videat? Vel ultimus, in Christo erit, ut ejus membrum, ut eo indutus, ut in eum transfusus: quis tantæ compos lætitiæ aliquid ultra concupiscat? Vel ultimus, primus erit, quia in Deo, in Christo, qui primus, qui principium est, erit. Vel ultimus, summus erit, quia nihil ibi non summum est, ubi Deus omnia in omnibus est. Gregorius Magnus: *Et quidem gaudendum cuique summoperè est, in regno Dei esse vel ultimum.* Et Prosper: *Ut sacri templi quacumque in parte locetur: Magnum erit, in capitis corpore quidquid erit.* Cujus corporis caput est Deus, cujus caput est Christus, nullum est membrum, quod non magnum, summumque sit. Omnia ergo ibi quodammodo æqualia, quia omnia maxima, & pulcherrima, & beatissima; omnia prima sunt, nulla ultima in illa Ecclesia primitivorum; omnes quodammodo primogeniti sunt, qui Christi unigeniti & primogeniti nomen & personam, gloriam & lætitiam omnes induerunt.

In Evang. Hom. 19.

Epigram. 66.

VIII. 7. Bonos melioribus subjici ordo justitiæ & lex veritatis fixit; quo autem alio beati beantur, quàm veritatis & justitiæ contemplatione & amore? ergo hac sua subjectione magis beantur, quia amore justitiæ subjectionem hanc indicentis, beantur. Minùs beati forent, si boni melioribus æquarentur; justitiam enim quam summoperè diligunt, offendi & labefactari ægerrimè ferrent. Quin hic etiam ubi amoris justitiæ rudimenta sunt duntaxat aliqua, boni melioribus subesse tantoperè gratulantur, coæquari vel præesse tam illibenter ferunt, quid æstimandum est de illo regno ubi amor justitiæ ad summa se intendit incrementa? Gregorius Magnus: *Si vellet (Paulus) humana tamen quomodo dicere posset locutione, illius tertii cœli pulcritudinem, intimæ illius claritatis lucem referre, Angelorum fulgorem inenarrabilem & inaccessibilem claritatem? Quàm dulciter de plenitudine illius electi & beati illi æterni cives omnes accipiant, quàm desiderante jumant, quàm pleniter repleantur, quàm suaviter divinæ*

In I. Regum L. 4. c. 5.

vinæ bonitatis dulcedinem gustent, quàm delectabili plenitudine satientur, &c. Qua excellentia dignitatis alii præmineant aliis, qua sint boni melioribus ineffabili justitiæ jucunditate subjecti. De illa ergo æquissima inæqualitate plus gaudent qui subsunt, quàm qui præsunt; plus hilarantur, qui superantur, quàm qui superant. Cùm enim justitia totius fons sit illius beatæ jucunditatis, quanto plus justitiæ, tanto plus jucunditatis est in eo qui subesse, quàm in eo qui præesse se gaudet. Hujus enim restringit, illius dilatat gaudium modestia; superiorum lætitia aliquo limite sepienda est ne insolescat; inferiorum autem ultra omnem limitem effundenda est, quia quo major, eo sanctior. Julianus Pomerius: *Cæterum in illa tantæ* (De vita Cõtemp., l. 1. c. 4.) *beatitudinis regione, nec majoris meriti sibi aliquid quis arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit; nec superiori inferior invidebit, quia ibi invidus nullus esse poterit. Et ideo etsi ibi erit distantia mansionum, summa in illis erit unius perfectionis æqualitas, quibus erit regni cœlestis una fœlicitas.* Sic omnis illa mansionum inæqualitas ad æqualitatem revocatur; qua loco qui cedunt, gaudio non cedunt; & quod aliis loco cedant, id suo gaudio cedere cogunt.

IX. 8. Denique tanto inter se amoris glutino beatæ illæ mentes compaginantur, ut omnium sint quæ singularum sunt; nec minùs de aliarum quam de sua beatitate hilarescant. Ita fit ut quantam quæque fœlicitatem non capit in se, capiat in aliis; nec sua tantum, sed aliarum etiam omnium fœlicitate fœlix fit. Ita unaquæque infinities, eoque quodammodo infinitè fœlix est, quia toties fœlix est, quot sunt aliæ fœlices; aliarum enim omnium fœlicitates lege charitatis sibi vendicat, nec minùs quàm de sua exultat. Ita fit, ut nulla ab aliis superetur, ut nulla inæqualitas sentiatur; non superatur enim qui & quo superatur, & à quo superatur plenissimè possidet; nec ulla inæqualitas sentitur, ubi quidquid ab universis, id à singulis possidetur. Minus mirum autem videri debet si tanta dicatur in beatis esse vis charitatis, ut quod singulorum est, omnibus communicet; & quod omnium, singulis. Deus enim charitas est, beatos omnes succendens, secumque ipsos & inter se ipsos conflans; ut invictissima charitatis omnipotentia, aliorum omnium beatitate, imò & summa summi ipsius boni fœlicitate, tanquam sibi propria, & plusquam sibi propria fœlix sit unusquisque beatus. Diligit enim alios tanquam se, & Deum supra se; tantum collætatur ergo de aliorum quàm de sua; & immane quanto plus de Dei quàm de sua fœlicitate. Gregorius Magnus: *In domo Patris mei mansiones* (Moral. l. 4. c. 31.) *multæ sunt; sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors, quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Unde & non æquè laborantes in vinea, æquè cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem mansiones multæ sunt, & tamen eundem denarium dispares laboratores accipiunt: quia una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ.* Cassiodorus libro de Amicitia: *Dilectio sanè se transfundit in alium, quia esse solitaria dedignatur. Nam vult communicari alii, ne sit sola. Quia igitur illo summo & beatissimo bono, cum illud obtinuerimus, unusquisque pro sua capacitate fovetur; capaciores autem erunt omnes simul, quam singulariter si per se censeantur, proculdubio cumulatior erit illa fœlicitas. Sed quod plenè habere in se non potest, habere possit in altero.* Sed omnium præclarissimè Anselmus exundantem illam beatorum ex reciproca charitate lætitiam describit: *Sed certè si quis alius* (Prosol. 25.) *quem omnino sicut teipsum diligeres, eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum; quia non minus gauderes pro eo, quàm pro teipso. Si verò duo vel tres, vel multo plures idipsum haberent, tantumdem pro singulis, quantum pro teipso gauderes; si singulos, sicut teipsum amares. Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum beatorum & hominum, ubi nullus minus diliget alium quàm seipsum: non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis, quàm pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet gaudium suum, quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum? Et utique quoniam quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet: sicut in illa perfecta fœlicitate unusquisque plus amabit sine comparatione Deum quàm se, & omnes alios secum, ita plus gaudebit absque æstimatione de fœlicitate Dei, quàm de sua & omnium aliorum secum.* Unde autem dimanet tanta vis charitatis, universorum beatitudinem in singulos refundentis, declarat Bernardus: *Tanto siquidem majori ad se invicem dilectione copulantur, quanto ipsi charitati, quæ Deus* (Serm. 1. in Dedic. Eccl.) *est, viciniores assistunt.*

X. Contrariæ sententiæ ingens munimentum videtur esse illa Christi in Evangeliis parabola, de operariis tam inæqualiter laborantibus, eodem tamen denario muneratis. Missas facio interpretationes complures quæ obviæ sunt omnibus, & apud Evangelii commentatores legendæ. Unicam hîc enodationem subjicio quæ compluribus Patrum plus arrisit, eo denario qui par omnibus repræsentatur, æternitatem beatitudinis designari, quæ individua est, nec gradibus constat, nec in uno brevior quàm in alio, aut diuturnior esse potest. Augustinus: *Denarius ille* (Serm. 59. de Verbis Domini.) *vita æterna est; & in vita æterna omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus; quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longius, alteri brevius quod pariter sempiternum est. Quod non habet finem, nec tibi habebit, nec mihi.* Hieronymus: *Unus autem denarius non unum est præmium, sed una vita & una* (L. 2. Adv. Jovin.) *de gehenna liberatio.* Fulgentius de fide ad Petrum: *Ubi diversa erit Sanctorum gloria, sed una* (C. 28.) *erit omnium vita æterna.* Gregorius Magnus aliquid specialius notat: *Quanti Patres ante legem, quanti sub lege fuerunt, & tamen hi qui in Domini adventu vocati sunt, ad cœlorum regnum sine aliqua tarditate pervenerunt. Eundem ergo denarium accipiunt, qui laboraverunt ad undecimam, quem expectaverunt toto desiderio qui laboraverunt ad primam; quia æqualem vitæ æternæ retributionem sortiti sunt, cum his qui à mundi initio vocati fuerant, hi qui in mundi termino ad Dominum venerunt.*

XI. Observandum 4. Etsi visio Dei merces sit meritis anteactæ vitæ coaptata eoque dispar, non ita tamen illam coaptari quin effluat & exundet, & ultra meritorum omnium mensuram superinfundatur. Id insinuant sacræ litteræ cùm misericordiam Dei ultra hanc etiam vitam propagant, & in sæculum sæculi, id est, in beatius usque illud sæculum protendunt. Cùm gratiam Dei appellitant vitam æternam, non enim eo tantum nomine gratia vocatur, quod gratis dentur merita quibus datur, sed quod ultra omnia merita exuberantiùs detur. Cùm non esse condignas demonstrant passiones hujus vitæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; nec leves & momentaneas quæ huic vitæ ingruunt tribulationes exæquari æterno illic gloriæ supra modum modo. Denique id consentaneum magis videtur esse Dei bonitati, ut infra meritum pœnas, supra meritum præmia constituat. Hilarius: *Expectabo nomen tuum, quoniam* (In Psal. 51.) *bonum est ante conspectum Sanctorum tuorum. Spes in misericordia Dei in sæculum & in sæculum sæculi est. Non enim illa ipsa justitiæ opera sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiæ voluntate humanarum demutationum & motuum vitia non reputet.* Hinc illud Pro-

pheta

phetæ dictum est, Melior est misericordia tua super vitam. Quia quamvis probabilis per justitiæ operationem vita justorum sit, tamen per misericordiam Dei plus meriti consequetur. Ex hac enim vita in vitam proficit æternam: operationem justitiæ in tantum misericordia Dei muneratur, ut miserans justitiæ voluntatem, æternitatis quoque suæ justum quemque tribuat esse participem. Idcirco in sæculum & in sæculum sæculi misericordiæ spes est. Ubi ex misericordiæ indulgentia, ultra cumulum meriti, cumulari remunerationem disertè affirmat; eam enim plurimùm imminutum iri, nisi leves maculas quantæcumque hìc hominum justitiæ adhærescentes condonaret misericors præmiator. Sed præstantissimè id docet probatque Fulgentius: *Hæc autem utraque gratia, id est, & vita bona & vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro est. De plenitudine nempe ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia; scilicet gratiam sanctificationis æternæ pro gratia justificationis indebitæ, &c. Gratia autem ipsa (vita æterna) ideo non injustè dicitur, quia non solùm donis suis Deus dona sua reddit, sed quia tantum etiam ibi gratia divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum quamvis bonæ & ex Deo datæ humanæ voluntatis atque operationis excedat.* Vides qua duplici de causa dicatur gratia retributio gloriæ, quòd meritis gratis datis rependatur, & quòd ultra hæc etiam merita impendatur. Pergit autem id stabilire ex Apostolo: *Illam tamen futuræ vitæ gratiam omnibus præsentis temporis passionibus anteponit dicens, Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Et alio loco, Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Hanc gratiam non solum in præsentis vitæ justificatione, sed etiam in futuri sæculi remuneratione, dicit gratiam permanere, & super nos, hoc est, super omnia bona cujuslibet hominis merita in Dei bonitate asserit abundare dicens, Ut ostendat in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu.* Item Chrysostomus: *In rectè factis quidem remunerandis, Deus præmiis suis modum excedit; cum autem peccata castiganda sunt, præ nimia sua benignitate, modico supplicio delicta vindicat.* Isidorus Pelusiota: *Adamemus Deum, qui solus & vult honore afficere, & habet unde non tantùm pro dignitate, sed etiam supra meritum honoret. Non enim, ait Scriptura, condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.*

L. 1. ad Monim. c. 10.

Tom. 5. hom. 65.

L. 3. Epist. 371.

XII. Observandum 5. Tametsi cumulatissima mercede, Deique visione donati sint Beati omnes; plus tamen insatiabiliter illos sitire, & implacabiliter ac interminatè amplius ampliusque concupiscere. Ita Scripturæ tradunt: *In quem desiderant Angeli prospicere*; vident nimirum illi semper faciem Patris, & tamen prospicere ulteriùs exardescunt. Ita fit ut tantarum deliciarum nulla unquam surrepat satietas vel nausea; fastidium enim plus satis abigit sitis æstuantior. Ita fit ut legi amoris inserviant & ingenio; amor enim inquieta res est & procax, donec totum se totumque quod amat exhauserit, inquies semper & luctabunda. Ita denique fit, ut summi boni pulcritudini utcumque faciant satis: cùm enim illam nec quantum vera est intelligere, nec quantum bona est diligere possint, implent quodammodo quod implere non possunt, dum implere posse vehementissimè volunt.

2. At si sitis hæc inexpleta, si cupiditas inexaturabilis æstuat in Beatis, quomodo beati sunt? An pium est velle quod non valeas, an beatum est non habere quod cupias? An quod quisque solus non valet, per alios valet, & quantum universi Deum vident amantque, tantum singuli se videre & amare gratulantur? Bonum enim omne eorum quos æquè ac seipsum diligunt, suum esse interpretantur. Atque ita vel minimus Beatorum (si minimus quisquam est, ubi maximi omnes ex optimi maximique consortio evadunt) tantum Deum videt & amat, quantum maximus, imò & quantum omnes simul; nempe quem vel suæ mentis vel suæ charitatis oculo videt: quem vel commodatitio aliorum, vel suo ipsius toto corde amat.

3. An quod aliis, seu rarioribus & titubantibus, eoque magna cum cautela audiendis, vel magna humanitate castigandis visum est, quo plus cupiunt videre, plus vident; & quo plus vident, plus amant; & quo plus amant, plus videre cupiunt; atque ita vicissim alternis semper incrementis visio & amor augescunt sine fine, dum visio amorem succendit, amor visionem exacuit? Ita constaret illud non infrequens in antiqua Theologia, amorem esse oculum quo Deus videtur; & quo plus cupiunt videre, plus videre, quia illa cupiditas amor est. Ita constaret illud Pauli, de gloria in gloriam fieri progressum. Ita constaret, non frustrari juge illud Beatorum votum, quo quem prospiciunt, amplius ampliusque prospicere desiderant. Ita constaret hanc esse fruitionem boni interminati, cùm proficiens sine termino illius fruitio, nunquam tamen totum assequeretur. Ita denique constaret Beatis voluptas omnigena, si non tantùm fruantur, sed in fruitione proficiant. Plus enim ferè voluptatis parit recens rei concupitæ adeptio, quàm jamdiu adeptæ antiqua fruitio.

4. An denique cum immani intervallo plus Deum quàm seipsos diligant, de Dei bono quàm de suo plus ineffabiliter exultant? Atque adeo nec tantum videri quantus est, nec tantum à se amari posse, quàm bonus est, summoperè gaudent; & plus gaudent, quàm si sua illud visione vel amore coæquarent. Incomprehensibile enim & inexhaustum Dei bonum eo modo magis sentiunt, magisque proinde & illi adgratulantur & sibi gaudent. Non gravatè igitur ferunt præfixum suæ visioni & amori limitem; uni enim definit amor, non definit gaudium; ubi finitur visio, non finitur beatitudo; de eo enim ipso quod non vident, de eo quod incomprehensibiliter ultra patet Deus, de eo ipso sentiunt, & crescere Dei bonum, & crescere suum de Dei bono plusquam de suo gaudium.

XIII. Gregorius Magnus: *Nam tam jucunda res est, ut ineffabiliter concupiscatur, & tam plena ut qui jam semper hanc in magno desiderio viderunt, semper ineffabili plenitudine satientur.* Et alibi: *Nunquam profectò de altari ignis iste deficiet, quia etiam post hanc vitam eorum mentibus fervor charitatis accrescit. Æterna quippe contemplatione agitur, ut omnipotens Deus, quo magis visus fuerit, eo amplius diligatur.* Sed præclarè in primis nodum hujus quæstionis & demonstrat & enodat author libri de amore Dei apud Bernardum; item Soliloquiorum apud eundem: *Sed est ne aliquando aut alicubi Domine hæc amoris tui perfectio, hæc in amore tuo beatitudinis consummatio, ut sitiens anima ad Deum fontem vivum, sic satietur, sic impleatur, ut dicat, Sufficit? Miror quicumque ubicumque ille sit, si non deficit, ubi dicit, Sufficit. Sed ubi istius sufficientia est defectio quæ potest esse perfectio? Nusquam igitur & nunquam perfectio. Sed & justi Domine regnum tuum possidebunt? Injustus autem est qui non tantum desiderat & debitorem se sentit & intelligit te amare, quantum ab aliqua creatura rationali possibile est amari te, &c. Hoc forsitan est, In quem desiderant Angeli prospicere. Desiderat ergo beatus ille minor quicumque ille est, tantum te amare, quantum amat, quicumque plus te amat, non æmula insectatione, sed pia & devota imitatione. Si verò & in amore proficit, quanto fœlicius illuminatis oculis in interiora procedit, tanto dulcius sentit, &c. & te plus posse amari &c. & se debitorem plus amare, vel quantum te amant Cherubim & Seraphim. Sed qui desiderat quod assequi non potest, miser est. Mise-*

In Lib. Reg. L. 4. c. 5.

Moral. L. 25. c. 7.

L. de Amore Dei. c. 3. Soliloq c. 7.

Miseria vero à regno beatitudinis prorsus aliena est; assequitur ergo quod desiderat, quisquis ibi aliquid desiderat. Quid dicemus ad hæc? &c. Numquid & magni & parvi omnes qui sunt in regno Dei, unusquisque in suo ordine amat & amare desiderat; & amoris unitas non finit ut sit diversitas, dum amat, cui datum est hoc, ardentiùs? Minor autem in amore, sine invidia bonum ubicumque videt amat, quod ipse sibi desiderat; & habet utique amorem quantuscumque est, quem in amante habet & amat, &c. Illuminas eos ut dicit Apostolus ex claritate in claritatem, ut in lumine videant lumen, & in amore concipiant amorem, &c. Numquid obsecro Domine hæc est via æterna, de qua cantat Psalmus, Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna? Hæc est affectio, hæc est perfectio: sic semper ire, hoc est pervenire. Sic ille dupliciter nodum incidit, vel quod in aliis Beatis quisque habeat & videat & amet quod deficit in se; vel quod semper proficiat de claritate in claritatem, ut hæc sit via æterna, in qua semper ire, idem sit ac pervenire.

L. 2. adver. hæref. c 47. XIV. Irenæus ab his non dissonat: *Quid mali est, si & eorum quæ in scripturis requiruntur, universis scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absolvamus secundum gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo? Et non solum in hoc sæculo, sed & in futuro; ut semper quidem Deus doceat, semper autem homo discat quæ sunt à Deo: sicut & Apostolus dixit, reliquis partibus destructis hæc tunc perseverare, quæ sunt, fides, spes, & charitas. Semper enim fides, quæ est ad magistrum nostrum, permanet firma, asseverans nobis quoniam solus verè Deus, & ut diligamus Deum verè semper, quoniam ipse solus Pater: & speremus subinde plus aliquid accipere & discere à Deo, quia bonus est, & divitias habens interminabiles & regnum sine fine, & disciplinam immensam.* Audisti quàm apertè in futuro etiam sæculo ex Apostolo probet manere cum charitate fidem etiam & spem; ut nimirum quæcumque de Deo incomprehensibili latent Beatos, ea cum non videant, credant; & quæcumque amoris interminabilis incrementa, ea qui non habent, sperent. Atque ita illic quotidiana sint per fidem & spem visionis & amoris augmenta, Deo tam inexhausto Magistro, ut nova semper doceat; & tam interminabili bono, ut nova semper donet. Nec minùs expressè Gregorius Nyssenus lib. de anima & resurrectione, ubi acutissimè advertit amoris & visionis Dei hanc esse indolem & vim, quam hic utcumque experimur, ut capacitatem mentis dum implet augeat; & auctam rursum impleat, implendoque sine fine augeat. Ita hic quo plus amamus, plus amandi cupidi & potentes evadimus; quo plus noscimus Deum, plus ad videndum acuti validique emergimus. Advertit rursus cibo intellectuali Beatos pasci, uti nos hic corporali; sed cibum corporalem utpote corruptibilem semel ingestum semper effluere, ideoque sisti tandem nostra corporum incrementa; at cibus intellectualis incorruptibilis cùm sit, semper influit, nunquam effluit; semper ingeritur, nusquam egeritur; incrementa ergo confert in infinitum interminata. *Hujusmodi est divini boni participatio, ut majorem atque capaciorem faciat eum in quo existit, dum ad potentiæ magnitudinisque incrementum sumitur à recipiente, ut semper crescat is qui alitur, & nunquam crescere desinat. Nam fonte bonorum indesinenter scaturiente, natura participantis, quia nihil ex eo quod sumitur, excrementosum & inutile est: dum quidquid influit, suæ magnitudini adiicit: simul & ad attrahendum quod melius est aptior, & ad id capiendum spatiosior fit: utroque invicem altero unà cum altero crescente: tum virtute quæ alitur, propter abundantiam bonorum, in majus proficiente: tum vi alimentorum suppeditatrice, unà cum incremento crescentium abundante. Est igitur verisimile in eam evasuros esse magnitudinem, in qua nullus terminus interrumpat incrementum.* Sic ille cibo spirituali & corporali hoc convenire, hoc interesse docet, quod uterque capacitatem quam implet, adauget & dilatat, auctaque capacitate largior ingeritur, largiùsque ingestus magis magisque dilatat, ita ut alterni incrementi nullus sit finis; sed corruptibilis cibus plurimus egeritur, eoque incrementa confert haud sanè magna; at intellectualis & incorruptibilis esca cum & semper influat & nunquam effluat, in immane & interminabile augmentum excrescit.

XV. Idem Nyssenus lib. de vita Mosis: *Id ergo vult audax in monte illo Moysis petitio, ne per specula & imagines, sed per veram faciem frui pulcritudine possit. Divina verò vox quod petitur negando concedit, paucutis verbis immensam sententiarum profunditatem subaperiens. Annuit enim facturum se quod petebatur; finem autem atque cessationem hujus desiderii futurum non promisit: nec enim ita quisquam Deum videre potest, ut videndi desinat desiderium. Nam in hoc profectu Deus videtur, ut nunquam desinas ad eum respicere, &c. Sic igitur desiderium Moysi adimpletur, ut insatiabile permaneat; discit enim ex istis quod Deus natura interminabilis est, nulloque termino comprehensus, &c. Est ergo interminabilis divina natura, & interminabile comprehendi non potest. Quare qui divinam pulcritudinem videre desiderat, & ad id tendit, in hoc cursu semper consistat. Et id est verè Deum videre, ut nunquam id desiderium terminetur. Quare necesse est ut cum videamus sicut nobis possibile est, majore videndi desiderio exardescamus, & sic nullus unquam terminus abscindet nobis itineris hujus progressum: cùm neque ipsius boni terminus aliquis sit, nec satietas desiderii hujus possit fieri.* Senserunt itaque Patres isti in vita etiam æterna esse viam æternam, qua semper progrediantur ulteriùs, nempe de claritate in claritatem, manentibus fide & spe, faciemque Dei quam vident patentem, nonnihil tamen latentem, patentiùs prospicere desiderantibus, & quod desiderant consequentibus. Præter hæc autem quatuor aliaque ejusmodi corrasa & in hunc sensum contorta Scripturæ loca, senserunt cibum intellectualem quo Beati saginantur, semper influere, nunquam effluere, ideoque æterna augmenta aggerare. Senserunt cibum intellectualem æquè ac corporalem non implendæ tantùm, sed magis magisque dilatandæ capacitati sufficere, & latiori largiorem se ingerere, ampliusque & amplius dilatare. Senserunt desiderio videndi exacui aciem oculi, & quo plus Beati desiderant, etiam plus videre; & quo plus vident, plus desiderare, atque ita alternatim utrumque augescere. Senserunt miserum esse, qui quod desiderat, non assequitur; utque magis magisque Deum videre & amare non possunt Beati, non desiderare, ita non posse non impetrare. Senserunt ingentem esse & quodammodo majorem proficiendi voluptatem, & nec ista fraudandos esse qui torrente voluptatis illo potantur. Senserunt denique interminabilem summi boni infinitatem magis elucescere, si in ejus visione & fruitione indefinenter proficiatur, & nunquam ad ullum ejus terminum pertingatur. Nam ubi sistitur proficiendi conatus, haud satis intelligitur rei infinitas; nam res etiam finita potest non tota capi; sed ubi quantumvis indeficienter proficias, ultra semper patet quo proficias, tum veram experiris incomprehensibilitatem. Verùm hæc de jugi Beatorum in beatitudine profectu, speciosa fortasse magis quàm rata sunt; cùmque Patrum complurium suffragia aliud sanciant, cohibendus planè est à curiosa novitate assensus.

CA-

CAPUT XVI.

Non alia intelligibili specie quàm Verbo ipso Deus videtur à Beatis. De lumine gloriæ.

I. Probatur id primùm, quia illa est indoles, & proprietas Verbi, ut species & imago sit Dei Patris.
II. Tres aliæ ad hoc ipsum rationes.
III. Luculentum Origenis testimonium.
IV. In quo permulta observantur.
V. Ab eo non dissentit Gregorius Nazianzenus.
VI. Item Chrysostomus & Augustinus.
VII. Præter speciem intelligibilem desideratur etiam lumen gloriæ. Qui ejus usus.
VIII. Quæ apud Patres antiquos ejus vestigia. Ut Verbum species intelligibilis, ita lumen gloriæ Spiritus sanctus in eorum sententia. Ita Basilius.
IX. Ita Gregorius Nyssenus.
X. Ex quo multa hujus sententiæ elucidamenta promuntur.
XI. Adglomerantur & alia Patrum testimonia.

I. OBservandum 6. Videri Deum à Beatis non alia specie intelligibili quàm Verbo ipso mentem informante. Satis superque præstructum jam hoc est superiùs. Pauca hìc ex nonnullis Patribus retexam obiter, quæ eo maximè spectant ut ejus rei ratio sumatur ex natura ipsa Verbi. Est enim Verbum, imago, similitudo, facies Patris, definitio Patris, manifestatio Patris, nomen Patris, species Patris: est ergo species intelligibilis & tota intelligibilitas Patris. Hinc ubicumque Pater se manifestat, per Filium se manifestat, ut in creando mundo, ut in condenda lege, ut in reformando & reconciliando orbe, ut in eodem judicando. Ubique Pater per Filium sese manifestat.

Hic in medulla sensus est verborum hujusmodi in sacris litteris frequenter occurrentium, Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Deum nemo vidit unquam, Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit. Qui videt me, videt & Patrem. Nemo venit ad Patrem nisi per
L. 14. c. 14. me. Irenæus adversus hæreses: *Neque enim cognoscere Patrem quis potest, nisi Verbo Dei, id est, nisi Filio revelante, &c. Et Patrem quidem invisibilem & interminabilem quantum ad nos est, cognoscit suum ipsius Verbum; & cum sit inenarrabilis, ipse enarrat eum nobis, &c. Filius revelat agnitionem Patris per suam manifestationem. Agnitio enim Patris est Filii manifestatio. Omnia enim per Verbum manifestantur.* Et infrà: *Edocuit Dominus quoniam Deum scire nemo possit, nisi Deo docente, hoc est sine Deo non cognosci Deum. Cognoscunt enim eum quibuscumque revelaverit Filius.* Et paulò pòst: *Per legem & Prophetas similiter, Verbum & semetipsum & Patrem prædicabat. Et audivit quidem universus populus similiter, non similiter autem omnes crediderunt, & per ipsum Verbum visibilem & palpabilem factum. Pater ostendebatur, etiamsi non omnes similiter credebant ei. Sed omnes viderunt in Filio Patrem, invisibile enim Filii Pater, visibile autem Patris Filius.* Et
Ibid. c. 6. infrà: *Agnitio enim Patris, Filius, &c. Ab initio enim assistens Filius suo plasmati, revelat omnibus Patrem, quibus vult, & quando vult, & quemadmodum vult Pater.* Et rursus: *Hunc ergo ostendimus à nemine cognosci nisi à Filio, & quibuscumque Filius revelaverit. Revelat enim omnibus Filius quibus velit agnosci Pater. Et neque sine bona voluntate Patris, neque sine administratione Filii cognoscet quisquam Deum. Et propter hoc dicebat discipulis Dominus, Ego sum via, veritas & vita; &, Nemo venit ad Patrem nisi per me. Si cognovissetis me, & Patrem meum cognovissetis, & amando cognovistis eum, & vidistis eum. Ex quibus manifestum est, quoniam per Filium, id est per Verbum cognoscitur.* Et rursum: *Deus visus* Ibid. c. 17.
quidem tunc per spiritum prophetiæ, visus est autem & per Filium adoptivè, videbitur autem & in regno cœlorum paternaliter; Spiritu quidem præparante hominem in Filium Dei; Filio autem adducente ad Patrem; Patre autem incorruptelam donante in vitam æternam, quæ unicuique evenit ex eo quòd videat Deum. Et paulò pòst: *Gloria enim Dei, vivens homo. Vita autem hominis, visio Dei. Si enim quæ est per conditionem ostensio Dei, vitam præstat hominibus in terra viventibus; multò magis ea quæ est per Verbum manifestatio Patris, vitam præstat his qui vident Deum.* Abstrusus hic est priscæ Theologiæ recessus. Quæcumque Dei cognitio à Verbo arcessenda est. Est enim Pater invisibile Filii; est Filius visibile Patris. Est Pater tota incomprehensibilitas Filii; est Filius tota intelligibilitas Patris. Quod invisibilis & ineffabilis & inexcogitabilis sit Filius, cum Patre & à Patre habet; quod visibilis & intelligibilis creaturæ suæ fiat Pater cum Filio, id habet à Filio, vel magis id donat per Filium. Refundi enim debet magis in primum Principium illa incomprehensibilitas; effundi magis debet à Verbo hæc intelligibilitas.

II. 2. Rursus Pater seu faciendæ seu perficiendæ suæ creaturæ non aliter quàm per Verbum suum infundit se; & facit & perficit opificia sua, Verbum suum imprimendo; sed ultima & absolutissima perfectio per beatam Dei visionem accedit: ultima & absolutissima ergo esse debet Verbi ejusdem impressio, ut species impressa creaturæ perficiendæ sit ipsum Verbum.

3. Rursus gradatim Deus se creaturis manifestans, gradatim absolutiores quoque Verbi sui imagines exhibuit. In naturis primùm condendis visibilem primò invisibilis suæ artis imaginem insculpsit; in Patriarchis invisendis, in legibus promulgandis, in Prophetis illuminandis, assumendæ humanitatis imagines præmonstravit; in hominibus redimendis seipsum simul & imaginem sui, id est, seipsum in humanitate ut præstantissima Deitatis imagine exhibuit; in iisdem ergo ultimò beandis haud dubio seipsum ut imaginem Patris veram & germanam repræsentabit.

4. Denique si necdum purgatis hominibus seipsum tamen impertiit & contrectandum dedit Dei Verbum, non aliquam imaginem sui: nonne purgatissimis non imaginem sui, sed seipsum infundet? Si purgandis se tamen ipsum verè palpandum præbuit, tametsi in humanitate assumpta, quam solam pati poterant immundi: purgatis nonne seipsum citra ullius imaginis operam exhibebit?

III. Rursum Origenes in Evangelium Joannis, in illa verba: In principio erat Verbum: *Tum una erit actio, nempe cognoscendi contemplandique Deum, eorum qui ad Deum pervenerint, duce Verbo eo quod est apud Deum, ut sic sint in cognitione Patris, formati omnes accuratè per Filium, ut nunc solus Filius novit Patrem, &c. Haud aberrabit, si dixerit neminem novisse Patrem, etiamsi Apostolus, etiamsi Propheta quis fuerit; sed tum Patrem ab his cognoscendum esse, cum unum erunt, sicut Filius & Pater unum sunt.* Et infrà, in illa verba: *Si me sciretis, & Patrem meum sciretis: Eo quòd qui Patrem agnoscit, ascendat ad cognitionem Filii, ad cognitionem Patris, nec alio modo videatur Pater quàm visione Filii. Qui enim vidit me, inquit, vidit Patrem, qui misit me. Nec tamen dixisset, Qui vidit Patrem, vidit me: quoniam qui sermonem Dei videt, videt Deum, ascendens à Filio ad Patrem. Fieri enim nequit, ut videat quis Deum, non habens ducem λόγον seu sermonem & Filium Dei. Et qui cognovit sapientiam [quam creavit Deus ante sæcula ad opera sua, à cognitione sapientiæ ascendit ad ipsum sapientiæ Patrem; fieri etiam nequit, ut sine hujus sapientiæ ductu intelligatur sa-*

pientiæ

pientiæ Deus. Quod idem de veritate dices. Non enim intelligit aliquis Deum, vel videt ipsum & postea veritatem; sed antea veritatem, ut isto modo veniat ad contemplandam essentiam, vel essentia superiorem potentiam & naturam Dei. Ac profecto fortasse quemadmodum gradus quidem erant in templo, per quos ingrediebatur aliquis in Sancta Sanctorum, ita omnes gradus nostri unigenitus est Filius Dei. Et paulò antè: *Vide verò an non alio etiam modo Scriptura dicat, eos qui alicui rei commixti, unitique fuerint, illam agnoscere cui commixti fuerint, communicaverintque: ante talem verò unionem & communionem, etiamsi rationes aliquas de re assequantur, non agnoscere illam. Hinc Adam cum diceret de Eva, Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea, non agnoscebat conjugem; cum verò illi adhæsit, tum dictum est illud: Agnovit autem Adam Evam conjugem suam, &c. Qui adhæret meretrici, unum est corpus, & qui adhæret Domino, unus spiritus, &c. Si verò isto modo non exponamus, Verbum agnoscere, pro eo quod est commisceri & uniri, exponat aliquis illud, Nunc autem agnoscentes Deum, magis autem agniti à Deo; & illud, Agnovit Dominus eos qui sunt ejus. Judicio enim meo agnovit Dominus eos qui sunt ejus, commixtus illis, & suam ipsius divinitatem illis participans.*

IV. Ubi liquidum est non satis accuratè cognosci, nisi quod commiscetur substantialiter, & informat intellectum; utque cognitiones aliæ, quæ adumbratæ tantùm & quasi prælusoriæ sunt, per objecti non præsentiam, sed imaginem fiant; at illa cognitionum summa & beatissima, per ipsam objecti præsentissimi informationem & commixtionem perficienda est.

2. Ubi species cognitionem perficit, locum illa tenet objecti; at aliquando saltem objectum suum locum implere debet: absentia enim ut per vicariam speciem excusari quandoque potest & suppleri; ita aliquando tandem recusata specie, res ipsa præsens esse suasque partes ipsa obire, non alii mandare debet. Unde cum nobis quandoque excidit ut diceremus, Verbum vice fungi speciei intelligibilis, abrepti sumus vulgi torrente; species enim ubicumque datur, objecti vice fungitur absentis; non ubi præsens est objectum, speciei absentis vices fungitur. Sic Legatus Regis, non Rex Legati absentis vices implet. Cùm ergo si qua aliàs datur, qua Deus intelligatur, species, ea Dei locum teneat, necesse est, Deus ipse aliquando suum locum impleat.

3. Ubi agnitio, ipsa est fruitio, ipsa est indubitanter cum re fruenda commixtio. Ergo cum visio beata ipsa sit Verbi fruitio, erit consequenter mentium beatarum cum Verbo marito commixtio.

4. Luculentè Origenes ait, quia solus Filius novit Patrem, illi soli Patrem vident, qui cum Filio unum sunt, Filio nempe Verbo formati.

5. Ut nunc Deo oculo fidei, & amore desiderii adhærere non possumus, nisi quatenus humanitate Christi formamur, in eamque reformamur; ita tunc oculo visionis, & amore fruitionis illum complecti haudquaquam poterimus, nisi Verbi ejusdem divinitate informemur.

6. Denique cum Verbum, qua Patri æqualis & æquè incomprehensibilis est Filius, non tam veritas & sapientia, quàm supra sapientiam & veritatem sit; ut ad suam Patrisque invisibilitatem utcumque videndam nos deducat, exhibet se nobis tanquam veritatem & sapientiam. Est ergo Verbum species, quæ iis obvia occurrit, qui ad Patris visionem pergunt, & in qua Patrem vident.

Orat. 42. V. Gregorius Nazianzenus: *Verbum porrò vocatur, quia ita se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem: non modò propter generationem passionis omnis expertem: verum etiam propter conjunctionem ipsius cum Patre, vimque enunciatricem. Fortasse etiam quia eodem modo se ad Patrem habet, quo definitio ad definitum. Nam definitio quoque λόγος dicitur. Qui enim Filium intellexit, ait Christus (hoc enim significat illud, Qui vidit) Patrem quoque intellexit, & compendiosa facilisque paternæ naturæ declaratio est Filius.* Verbum ergo hoc nominis sibi adscivit, quòd Patris definitio sit, quòd paternæ naturæ demonstratio sit. Quid præterea esse potest species intelligibilis, aut quid minus? res enim quælibet, verbi gratia, conspicabilis, dum speciem ex se oculo immittit intuenti, sui demonstrationem, & ut ita dicam, definitionem immittit. Si ergo Verbum per aliam speciem putà creatam videretur, incassum inveheretur demonstratio demonstrationis, definitio definitionis, species speciei, & Verbi verbum.

VI. Chrysostomus: *Alibi rursus ait Scriptura, Non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis aut cogitationis hominis divinitatem esse similem. Quod autem dicit, hanc sententiam habet; Non modò figuras quæ cernuntur excedit Numen, sed neque mens efformare tale quiddam potest, qualis est Deus. Qui fieri potest ergo ut hominis figuram habeat Deus, cùm ne mentem quidem ullam posse dicat Paulus essentiam Dei apud se cogitatione informare?* Ubi videtur Chrysostomus aut ex Chrysostomo aliquis ita philosophari: Deus solus talis est, qualis ipse est: itaque ut est, expingi aut efformari nullo penitus modo potest. Nec corporea, nec intelligibilis ulla ejus similitudo esse potest, quæ ipsum repræsentet, ejusque vices gerere possit. Adeo enim supra omnia est, ut quidquid idipsum non est, ejus dissimillimum sit. Ex quo licet elicere nec expressam nec impressam ullam Dei speciem esse posse; quia nihil tale est quale Deus, præter Deum Verbum; at similitudo seu species, qua seu impressa seu expressa videatur Deus qualis est, debet talis esse qualis Deus est. Tom. 2. Serm. 2. in Gen.

Augustinus: *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, divinitatis naturam atque substantiam insonabiliter narrat; & ideo dignis idoneisque tanto conspectu oculis, etiam invisibiliter monstrat.* Epist. III. c. 15.

VII. Observandum 7. ad visionem Dei beatificam desiderari præterea lumen gloriæ. Ita sanxit Clemens V. in Concilio Viennensi, ut refertur in capite *Ad nostrum, De Hæreticis*, ubi inter complures Hæreticorum errores hic proscribitur: *Quintò quòd qualibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata: quòdque anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante ad Deum videndum & eo beatè fruendum.* Ad hunc modum fundata luminis gloriæ necessitate, varii ejus usus excogitati sunt à Scholæ Theologicæ Magistris. 1. Ad præparandam mentem ornandamque, quo dignius essentiæ divinæ tanquam speciei intelligibili copuletur. Tantæ enim formæ majestatem quì ferret, nisi præmunita? tantam venustatem quì subiret inornata? Nonne minusculis etiam formis sui præeunt ornatus, & dispositionum prælusoria supellex? Uni menti quàm alteri quì arctiùs uniretur, seque per varios gradus dispensaret, nisi pro variis luminis gloriæ crementis? Denique essentia divina ex absente quì fieret præsens, ex non informante informans, nisi hac mentis in melius demutatione?

2. Ad visionem Dei eliciendam, mentemque roborandam; cùm enim alii actus supernaturales à supernaturalibus habitibus elici postulent, quid hic omnium summus? Ita quæ tria sunt in visione Dei spectabilia, in tres ejus causas refundentur; quòd visio sit in intellectum: quòd visio sit Dei, in essentiam divinam ut speciem; quòd visio supernaturalis sit, in lumen gloriæ.

Verùm Concilii suprapositi authoritas non aliud jubet quàm ut visionem Dei, saltem illam quæ beatitudinis summa est, non posse citra speciale Dei auxilium consequi nos profiteamur; quod jam non de beatitudinis tantùm fastigio, sed de prældio quoque, & vel de subobscura, vel de momentanea

tanea Dei visione professi sumus superiùs. Unde illud Augustini mordicus tenemus: *Quomodo anima quæ inferior Deo est, id quod ipsa inferius est, id est, corpus, facit vivere; sic eandem animam non facit beatè vivere, nisi quod ipsa anima est superius.*

In Joann. Tract. 23.

VIII. Cæterum illius luminis gloriæ, quod in Scholis jam quingentis circiter ab hinc annis increbuit, aliqua vestigia in antiquioribus Patrum monumentis venanda nunc nobis sunt. Utque missa faciam, quæ de luce illa meminerunt frequentissimè Patres, quæ visioni ut objectum obversatur, non ut causa, cujusmodi est Deus ipse; operæ pretium est qui locum illum Psalmi, *In lumine tuo videbimus lumen*, commentati sint sacri Interpretes, expedire; illi enim maximè loco superstruunt hanc totam de lumine gloriæ disceptationem.

In Psal. 35.

Itaque Basilius ita habet: *Quum autem per vim illuminatricem intendimus oculos in pulcritudinem imaginis Dei invisibilis, perque hanc subvehimur ad pulcherrimum spectaculum archetypi; ibi videlicet adest inseparabiliter cognitionis spiritus, vim imaginis speculativam in sese præbens, iis qui veritatis contemplatione delectantur, non foris ostendens, sed per seipsum inducens ad agnitionem. Quemadmodum enim nemo novit Patrem nisi Filius, sic nullus potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto. Non dixit per spiritum, sed in spiritu: & Spiritus est Deus: &, Qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare: sicut scriptum est, In lumine tuo videbimus lumen: hoc est, in illustratione Spiritus videbimus lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Itaque in seipso ostendit Unigeniti gloriam, & veris adoratoribus in seipso Dei cognitionem præbet. Proinde via ad Dei cognitionem est ab uno Spiritu, per unum Filium, ad unum Patrem.* Hìc adverte illud: In lumine tuo videbimus lumen, idem sonare ac, in Spiritu Sancto videbimus Verbum; ideoque lumen gloriæ quo videtur Deus, esse Spiritum sanctum. Adverte rursus ut per Filium videtur Pater, ita per Spiritum sanctum videri Filium; id est, ut per Verbum tanquam speciem & imaginem Patris videtur Pater, ita per Spiritum sanctum ut per lumen gloriæ suscipi in intellectu Verbum. Adverte rursus Spiritum sanctum hìc opitulari ut vim efficientem & potentiam adjutricem, id enim valent illa scripturæ verba: Nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto: &, In Spiritu & veritate oportet adorare, in Spiritu utrobique, id est, per adjutorium & impulsum Spiritus sancti; atque ita Spiritus sanctus, quâ charitas est luminosissima, intellectum adjuvat & efficienter roborat, tum ad excipiendam formam incommutabilem Verbi, tum ad visionem eliciendam. Adverte denique sic partes suas singulis in Deo Personis congruè assignari, ut videatur Pater per Filium in Spiritu, id est, ut Spiritu roborata mens, formam Verbi ineat, per quam videat Patrem; seu ut charitate vigens Veritatem excipiat, per eamque Veritatis Parentem intueatur.

L. De Spiritu sancto. c. 18.

IX. Gregorius Nyssenus uberiùs hoc ipsum tractat, ubi objectionem diluit Macedonianorum, Spiritum sanctum ex solio Deitatis detrudentium, quòd Stephanus Jesum à dextris Dei Patris sedentem viderit, Spiritum sanctum non viderit. *Quæris, o Pneumatomache, si gloria Patris apparuit, & Filius à dextris stationem obtinens, ubi Spiritus, &c. Quomodo Stephanus supercœlestem gloriam vidit? Quis ei portas cœlorum patefecit? Numquid humanarum virium id opus erat, num quis ex Angelis ad illam sublimitatem evexit naturam infimam? Non hæc ita sunt, &c. Sed quid dicit? Stephanus autem cum esset plenus Spiritu sancto, vidit gloriam Dei & unigenitum Dei Filium. Non enim fieri potest, ut inquit Propheta, ut lumen videatur, nisi per lumen conspiciatur. In lumine enim, inquit, tuo videbimus lumen. Si igitur nonnisi per lumen fieri luminis contemplatio potest, quomodo si quis extra radios versetur, Solem contueri potest? Quoniam igitur per lumen Patris, hoc est per Spiritum sanctum illinc procedentem, Unigenitum conspicitur lumen; idcircò gloria Spiritus prius illuminatus, gloriam Patris & Filii plenè intelligit. Nam quomodo alioquin dictum Evangelicum, Deum nemo vidit unquam, verum esse dicemus? Qua ratione item Apostolum non contraria iis quæ memoriæ prodita sunt, clamare, cum dicit, Nec quisquam hominum vidit, neque videre potest? Nam si ab humana vi atque natura & Patris & Filii gloria percipi possit, mendax & vanus prorsus esset is qui dixit, homines divini spectaculi capaces non esse, &c. Testimonio Scripturarum probatum est, à similí similia cerni. Nam non in humana vi atque natura manens Stephanus numen divinum cernit: sed cum gratia Spiritus sancti permixtus & contemperatus, per illum evectus est ad Dei contemplationem. Quocirca si absque Spiritu, neque Dominum Jesum dicere licet, neque paternam gloriam contemplari, &c.*

Tom. 3. pag. 593. orat. in S. Steph.

X. Advertis 1. hìc agi de lumine quo mens creaturæ cujuslibet, ad Deum videndum invalida ex se, & elanguida, convalescat & corroboretur.

2. Lumen ejusmodi & auxilium esse Spiritum sanctum, quod nullæ creatæ vires ad id pares sint, quodque ea sit mens Davidis Patrem invocantis, In lumine tuo, id est, in Spiritu qui à te Patre procedit, videbimus lumen.

3. Lumen istud non tam donum esse aut lumen aliquod creatum à Spiritu sancto infusum menti, quàm ipsum Spiritum sanctum menti illapsum; videtur enim lumen in lumine tuo, id est, in Spiritu, quia à Patre procedit; videtur Deum in lumine quod Deo par sit & consentaneum, omnis autem res creata longè dispar est; videtur Deus à Stephano in tribus Personis, ergo lumen in quo Patrem Filiumque videbat, ipsemet erat Spiritus sanctus. Videtur Deus ita, ut constet Evangelicum Apostolicumque axioma, quòd nulla creatura Deum videre possit; mens enim ipso Spiritu sancto informata, eique contemperata, jam supra creaturas evecta, jam in Deum provecta est.

4. Ita liquet quomodo Beati Deum videant, & Deus tamen videri non possit nisi à seipso; hæc alioqui discordantia ita concordant: Non videtur Deus nisi à Deo, quia vis & potentia qua videtur, est Spiritus sanctus; species in qua videtur, est ipse Filius; & tamen mens creata sub hac specie, in hoc lumine delitescens Deum videt.

5. Denique & hìc in exilio, & ibi in patria, nec Pater nisi per Filium, nec Filius nisi per Spiritum sanctum percipitur; aut veriùs, non intelligitur Pater nisi per Filium in Spiritu sancto; id est nisi Spiritu sancto semetipsum commiscente & contemperante, ut eo roborati feramus & suscipiamus Verbum, seu speciem in qua & per quam Deus videtur.

XI. Adglomerari hic possent & alia Patrum testimonia complura, quibus Spiritus sanctus declaratur esse imago Filii, vultus Filii, Verbum Filii, sicut Filius imago, Verbum, vultusque Patris est. Ex quo perspicuè conjectari potes quantum Filius ad Patris, tantum Spiritum sanctum ad Filii visionem conferre. Athanasius: *Imago Filii dicitur & est Spiritus. Quos enim cognovit & prædestinavit conformes imaginis Filii sui.* Et Basilius: *Imago quidem Dei Christus, Qui est imago, inquit, Dei invisibilis; imago vero Filii Spiritus, & qui hujus sunt participes, Filii conformes fiunt: sicut scriptum est, Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Cyrillus Alexandrinus: *Quemadmodum igitur quoniam exactissima imago Patris est Filius, qui ipsum recipit, Patrem etiam habet; ita servata eadem analogiæ ratione qui imaginem Filii recipit, nempe Spiritum, omnino*

Epist. ad Serap.

L. 5. adv. Eunom.

Thesauri. l. 33.

nino per ipsum habet Filium & Patrem qui est in eo. Ergo nec hìc dum inchoatur & expolitur, nec ibi cum perficitur adoptio filiorum, imago Filii aliter menti imprimitur, quàm per Spiritum sanctum.

L. 5. Con. Eunom. Rursus Basilius: *Dei quidem Verbum* (λόγος) *est Filius; Filii autem ῥῆμα seu sermo est Spiritus*. Et

In Evang. Joan. l. 9. Cyrillus Alexandrinus: *Si vultus ipsius Filii, hoc est Spiritus* (*nam* πρόσωπον *vultus Filii appellatur Spiritus*) *omnia replet, fieri non posse ut Filius intra comprehensionem sit*. Et alibi: *Signatum est su-*

In Evang. Joan. l. 1. *per nos lumen vultus tui Domine. Quemnam vultum Dei Patris intelligit, cujus lumen supes nos signatum est? An patet omnibus quia unigenitus Dei Filius, vultus Patris appellatur, nulla re discrepans illa imago, qui de se dicit, Qui videt me, videt Patrem*. Et rursus, *Signatum est super nos lumen*

Ibid. l. 3. *vultus tui. Vultum Dei Patris Filium appellat, id est, Patris characterem: lumen vero illius gratiam Spiritus, quæ ad omnes penetrat creaturas*. Igitur cùm Verbum Filii, cùm vultus Filii fit Spiritus, sicut Patris Verbum vultusque est Filius; ut per Filium Pater videtur, ita per Spiritum Filius videndus excipitur. Imò cùm vultus Patris, id est Filii lumen sit Spiritus; est ergo ille lumen ipsum út appellitant gloriæ, quo collustratur mens, ut Patris vultum sustinere & contueri possit.

CAPUT XVII.

Beati in Deo omnia vident, an res creatas in seipsis, an nostras ærumnas, an damnatorum pœnas.

I. Beatorum mentium visio ad omnia se exporrigit; maximè ad Deum unum trinumque.
II. Vident in Verbo creaturas omnes. Multa ad id rationes.
III. Testimonia Augustini, Gregorii, Bernardi, Juliani Pomerii.
IV. Vident & creaturas in seipsis, & seipos, & nos. Rationes & Patrum suffragia.
V. Omnia prorsus alii in aliis vident, perinde ut in seipsis. Ad id argumenta.
VI. Et testimonia Patrum, Augustini, Bernardi, Gregorii, Pomerii.
VII. Vident nos Beati in hujus vitæ procellis æstuantes, & curant, & miserantur.
VIII. Vident & damnatorum pœnas.
IX. Testimonia Patrum.
X. Simul & semel omnia vident.

I. Observandum 8. Visionem beatarum mentium ad omnia quodammodo se exporrigere. Ac 1. quidem vident in Deo Deum ipsum unum trinumque; hoc est, tum essentiales, tum personales ejus dignitates. Cùm enim Deus unum ipsum sit merum & simplicissimum, vix videri potest, quin videatur totus. Deinde per fidem nunc in speculo trinum unumque & complurimis attributis refulgentem conspicimus, longè copiosiùs ergo in beata illa Patria videbimus sicuti est. Deinde non illa foret beatitudo, sed miseria, nisi totum se æstuantibus videndi desiderio Deus aperiret. Deinde cum nonnisi per lumen gloriæ, & speciem ipsam suam, id est, per Spiritum sanctum ut auxilium infatigatum, & Verbum ut imaginem Patris, possit Deus videri, non potest non videri tota Trinitas. Denique hoc arcanum est beatis & beandis mentibus quasi peculiariter ostendendum, hìc interim obvelatum, ut tria unum sint; ut ergo hoc fidei meritum hìc est, ita visionis illic præmium erit. Postremò tandem videre Deum sicuti est, quæ beatis desponsa merces est, non aliud est quàm unum trinumque cum tota proprietatum & attributorum suorum opulentia contueri; ita enim videtur non sicut in nobis, sed sicuti in se est.

Augustinus: *Illi quippè Angeli sancti non per verba sonantia Deum discunt; sed per ipsam præsentiam immutabillis veritatis, hoc est Verbum ejus unigenitum, & ipsum Verbum & Patrem & eorum Spiritum sanctum; eamque esse inseparabilem Trinitatem, singulasque in ea personas esse unam substantiam: & tamen omnes non tres Deos esse, sed unum Deum ita noverunt, ut eis magis ista, quàm nos ipsi nobis cogniti simus*. Ita ille notat in Verbo veritatis mentem informante, non posse non videri & Patrem cujus imago est, & Spiritum qui ejus Spiritus, in ipsoque est. Gregorius Magnus: *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis. Palam quippe de Patre annuciare se asserit, quia per patefactam tunc majestatis suæ speciem, & quomodo ipse genitori non impar oriatur, & quomodo utrorumque Spiritus utrique coæternus procedat, ostendit. Apertè namque tunc videbimus quomodo hoc quod oriendum est, ei de quo oritur, subsequens non est; quomodo is qui per processionem producitur, à proferentibus non præitur. Apertè tunc videbimus quomodo & unum divisibiliter tria sit, & indivisibiliter tria unum*. Hoc ergo caput, hæc summa est summæ beatitatis, videre in uno tria, in tribus unum.

Civit. l. 11. c. 29.

Moral. l. 30. c. 5.

Bernardus: *Sacramentum hoc magnum est, & quidem venerandum, non scrutandum: Quomodo pluralitas in unitate & hac unitate, aut ipsa in pluralitate: scrutari hoc temeritas est, credere pietas est, nosse vita & vita æterna est*. Et rursus alibi: *Ostendet nobis Filius, ut pollicitus est, semetipsum, non in forma servi, sed in forma Dei: ostendet etiam nobis Patrem & Spiritum sanctum: sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis: nam hæc est vita æterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum, & quem misit Jesum Christum, & in eis, quod non est dubium, etiam Spiritum utriusque*. Sic ille in unius trinæque Deitatis visione specialem beatitudinis illius summæ prærogativam locat, quæ sola sufficit implendæ siti naturarum intellectualium: Rursus ibidem paulò pòst: *Tripliciter in æterna illa & perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, & quod his omnibus ineffabiliter jucundius sit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, & gloriam illam sine ullo ænigmate, mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita æterna & perfecta, ut cognoscamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu: & videamus Deum sicuti est; id est, non modò sicuti inest, nobis videlicet, aut cæteris creaturis: sed sicut est in semetipso*. Ex gemino illo Scripturæ loco hoc ergo efficitur, ut vita æterna sit videre Trinitatem Deum, non ut inest creaturis, sed ut sibi est.

De Consid. L. 5. c. 8.

Serm. 5. In festo omnium Sanctorum.

II. 2. Vident in Verbo creaturas omnes. Cùm enim Verbum sit ars & ratio & forma seu idea summa rerum omnium, ubi mentibus Beatorum imprimitur, simul ratio imprimitur & ars & forma ideaque creaturarum omnium; ubi Verbum videtur, simul ars & ratio & forma omnium videtur. 2. Item cum Verbum sit veritas qua vera sunt omnia, ubi imprimitur menti vel à mente videtur Verbum, imprimitur & videtur veritas creaturarum omnium. 3. Item cum Verbum sibi ipsi forma sit Patrique sive formalis sive eminentialis, qua ab ipso & Patre videntur omnia, & videntur secundum rationes & formas proprias & peculiares, quidni & Beatis forma sit satis idonea qua intelligant videantque omnia secundum proprias etiam rationes? 4. Item cum Beati videntem omnia videant, omnia vident; cum scientem omnia sciant, omnia sciunt; cum facientem & vel jubentem vel permittentem omnia conspiciant, omnia

omnia conspiciunt; itaque in scientia, in visione, in voluntate Dei omnia complectente, omnia & ipsi complectentur. 5. Item in summo fœlicitatis vertice sedentibus injuriosum esset, si à rebus rerum notitiam mendicare compellerentur; acerbum esset, si rerum tantùm simulacris & imaginibus creatis pascerentur & quodammodo ludificarentur; contumeliosum aliquatenus esset, si ab aula & sacrario summi Principis arcerentur, & à consilio quo cuncta reguntur, & ab arte qua formantur, & à ratione qua dispensantur omnia. Denique tum erit Deus omnia in omnibus. Totum ergo spectaculum Deus erit, creatura quoque ipsa in Creatore spectabitur. Alioqui tota creaturæ cognitio beatis illis mentibus vilesceret; sed mutabilia in immutabilibus, temporalia in æternis, mortua & irrationalia in semper viventibus apud Deum rationibus contueri, hoc enimverò magnificum & beatum est.

Civit. l. 9. c. 22. III. Augustinus: *His igitur Angelis bonis omnis corporalium temporaliumque rerum scientia, qua inflantur dæmones, vilis est; non quod earum ignari sint, sed quod illis Dei, qua sanctificantur, charitas chara est: præ cujus non tantum incorporali, verum etiam incommutabili & ineffabili pulchritudine, &c. Et ideo certius etiam temporalia & mutabilia ista noverunt, quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus. Dæmones autem non æternas temporum causas & quodammodo cardinales in Dei sapientia contemplantur, &c. Aliud est temporalibus temporalia & mutabilibus mutabilia conjectare, &c. Aliud in æternis atque incommutabilibus Dei legibus, quæ in ejus sapientia vivunt, mutationes temporum prævidere: Deique voluntatem quæ tam certissima quàm potentissima est, divini Spiritus ejus participatione cognoscere, quod sanctis Angelis recta discretione donatum est.* Beatas ergo mentes vix alia satis decet rerum creatarum scientia, quàm quæ fit per principales & veluti cardinales earum causas in Dei Verbo; ibi pro dignitate & beatitate sua omnia eos contemplari æquum est.

Moral. l. 2. c. 2. Gregorius: *Interius quippe (Angeli sancti) exteriusque sciendo diffusi sunt, quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt?* Et alibi: *Quis ibi aliquid nesciat, ubi ipsum omnes simul fontem scientiæ Deum vident?* Et alibi: *Quamvis eis sua gaudia ad perfruendum plenè sufficiant, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt. Quia qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint.* Sic ille non posse non videri omnia creata à Beatis docet, quòd qui creatorem videre sustinent, quantò magis creaturas omnes? Quòd quibus summa illa & immanis visio conceditur, minuscula hæc ejusque quasi appendix quin negaretur? Quòd qui fontem ipsum scientiæ bibunt, creaturæ cognitio instar guttulæ iis qui negaretur? Quòd scientiam, visionem, voluntatem Dei omnia videntis, scientis, moderantis cùm videant, qui non omnia simul contueantur?

Hom. 34. In Evang. Hom. 40.

Sermone de Triplici genere bonorum. Bernardus: *Quæ est ista copia, ubi nihil quod nolis sit, totum sit quod velis? Quòd si nihil deerit nobis, aliquid autem nos latuerit, numquid ergo gloria consummata? Ideo nihil latebit nos: & ecce sapientia qua curiositas hominis satietur. O sapientia qua tunc omnia quæ in cœlo & quæ in terra sunt, perfectissimè cognoscemus, in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes!* Sic ille sancit, ne quid desit cumulo illius fœlicitatis, opus esse ut nihil penitus lateat, omniaque non quomodocumque, sed in ipsa arte summa, in ipso fonte sapientiæ videantur.

De vita contempl. l. 1. c. 31. Julianus Pomerius: *Non solum creaturarum omnium rationes, sed etiam ipsam sui creatoris eminentiam facie revelata conspicient!* Multò enim æquiùs, multò procliviùs creaturarum quàm creatoris inspectio patescere debet.

Sentent. l. 1. c. 10. Isidorus: *Angeli in Verbo Dei cognoscunt omnia, antequam in re fiant: & quæ apud homines adhuc futura sunt, Angeli jam revelante Deo noverunt.* Omnia ait cognosci & in Verbo, & omnia simul.

IV. 3. Vident res omnes non tantùm in Verbo per ipsum Verbum, sed & in seipsis ipsas easdem per species creatas, & vel congenitas, vel infusas à Deo, vel quocumque demum alio modo tantæ fœlicitati consentaneo. Res enim videre in Verbo, gratiæ summæ seu gloriæ fastigium est: easdem videre in seipsis, naturæ spiritalis necessarium ornamentum est. Item utroque modo videri par est, ut utriusque concordia inspiciatur, & stupor ac oblectatio non mediocris exurgat ex contemplatione & comparatione rerum omnium ad leges divinas tam accuratè congruentium. Item seipsos saltem non possunt non videre in seipsis, cùm sibi præsentissimi sint. Item naturarum complurium rationes & ideas in sua ipsorum natura utpote superiore eminentissimè vigentes non possent non contemplari. Item visio rerum in Deo, propria Dei est, ei uni debita, creaturis indulta precariò dumtaxat: est ergo præterea in Angelis cognitio quædam rerum Angelicæ naturæ connaturalis. Item cùm Angeli per tempora moveantur in rebus corporalibus per tempora & loca movendis, congruere debet huic administrationi temporalium temporalis aliqua cognitio consonantior & accommodatior naturæ temporum, videlicet in plures species pluresque cogitationum vicissitudines secta. Denique ut avidiùs rerum cognitionem bibant ab ipso sapientiæ fonte, æquum est ut intelligant quantum ab illa deficiat rerum in seipsis conspectus. Hæc est duplex illa apud Augustinum solennis cognitio in Angelis, matutina in Verbo, vespertina rerum in seipsis: *Angeli sancti proculdubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo per quod facta sunt omnia; ac deinde in ipsa creatura quam sic noverunt, tanquam infrà despicientes, eamque referentes ad illius laudem, in cujus incommutabili veritate rationes secundùm quas facta est, principaliter vident. Ibi ergo tanquam per diem, unde & concordissima unitas eorum ejusdem veritatis participatione, dies est primitus creatus: hic autem tanquam per vesperam, & continuò fit mane.* Et alibi: *Ipsam quoque creaturam, melius ibi, hoc est, in sapientia Dei, tanquam in arte qua facta est, quàm in ea ipsa sciunt, ac per hoc & seipsos ibi meliùs quàm in seipsis; veruntamen & in seipsis. Facti sunt enim, & aliud sunt quàm ille qui fecit. Ibi ergo tanquam in cognitione diurna, in seipsis autem tanquam in vespertina, sicut suprà jam diximus. Multum enim differt utrum in ea ratione cognoscatur aliquid secundùm quam factum est, an in seipso. Sicut aliter scitur rectitudo linearum, seu veritas figurarum, cùm intellecta conspicitur, aliter cum in pulvere scribitur. Et aliter justitia describitur in veritate incommutabili, aliter in anima justi.* Et rursus: *Cognitio quippe creaturæ in seipsa decoloratior est, ut ita dicam, quàm cum in Dei scientia cognoscitur, velut in arte qua facta est. Ideo vespera, &c.* Ubi perspicuè duplicem rerum cognitionem Angelis sanctis, quibus nos post resurrectionem coæquatum iri consultò commonet, sanctus Pater assignat, in arte summa, & in seipsis; & aliam præterea hanc rationem subinnuit, quòd plurimum intersit inter cognitionem rei in seipsa & in arte sua; quòd longa intercapedine forma artis antecedat formam rei. Similiter Isidorus Hispalensis: *Dum se creatura meliùs in Deo quàm in seipsa noverit, ipsa sui cognitio, quæ major in Deo est, dies & lux dicitur. Cognitio verò sua in seipsa, ad compen-*

De Gen. ad lit. l. 4. c. 24.

Civit. l. 11 c. 29.

Ibid. c. 7.

Sentent. l. 1. c. 8.

sationem cognitionis illius quæ est in Deo, quia longè inferior est, vespera nominatur. Ideoque post vesperam mane fiebat. Quia dum suam in se cognitionem sibi satisfacere non agnosceret, ut se plenius nosse potuisset, ad Deum sese referebat creatura, in quo dies, se agnoscendo melius, fieret. Expediebat itaque creaturam in seipsa cognosci, ut hinc stimularetur mens ad tantò præstantiorem ejusdem in Deo cognitionem avidiùs bibendam.

V. 4. Vident maximè seipsos invicem, aliique alios æquè ac singuli seipsos, ut nihil in ullo ullum lateat, vel cogitationum cordis vel affectuum. Nihil enim erit quod lateat, quia nihil erit quod latere debeat; omnia in luce erunt, quia omnia lucis opera & lux erunt. Item nihil erit quod lateat, quia nullus erit, quem latere quid debeat; nullus quidquam celandus erit, quia nullus extraneus erit; non ipse sibi quisquam magis, quàm aliis omnibus, aut amicus, aut proinde conscius erit. Item tanta erit cordis munditia, ut omnia omnium omnibus niteant, omnibus pateant. Nunc & mentis intimam lucem ne erumpat, corporis opacitas intercipit; & alienæ mentis aciem, ne irrumpat, reflectit. At ibi tanta erit corporum tenuitas & perspicuitas, tanta erit mentium & claritas & perspicacitas, ut nulla corporum compage discludantur, quin medullitus & in ipsis penetralibus mutuò sese videant & videantur. Item in ipso vultu tanquam in speculo arcana cordium patentissimè conspicabilia erunt, corpus enim ita obsecundabit animæ, anima ita dominabitur corpori, animales motus ex corporalibus signis conjectandi tanta erit sagacitas, ut non magis facies nunc sit, quàm tunc erit in facie conscientia cujusque conspicabilis. Item intelligibilis radius divinæ claritatis tunc omnia illa ita pervadet, ita illustrabit, ita patefaciet, ut nihil penitus tenebrarum, nihil latebrarum superesse possit. Utque in hujus Solis sensibilis luce nihil corporeum latere potest, ita in splendore Solis illius mentium, nihil latitare poterit. Denique intererit vel maximè, ut nihil quenquam in quoquam lateat. Cùm enim singulorum fœlicitas, omnium sit; & tantumdem gaudii cæteris importet suum cujusque bonum, quantum ipsi: plurimo fœlicitatis cremento frustraretur, si quem lateret aliquid bonorum & rerum alterius.

Epist. 6. VI. Augustinus: *Cùm venerit Dominus, & illuminaverit abscondita tenebrarum, & manifestaverit cogitationes cordis, tunc nihil latebit proximum in proximo; nec erit quod suis quisque aperiat, abscondat alienis, ubi nullus erit alienus. Lux verò ipsa qua illuminabuntur hæc omnia, quæ modò in cordibus reconduntur, qualis aut quanta sit, quæ lingua proferat, quis saltem infirma mente contingat? Profectò lux illa Deus ipse est, quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ, sed lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum.* Scrutari corda proprium est Dei jus; sola enim Dei lux id valet; Beatos ergo ubi sua luce, suo etiam jure donat Deus, ut mentium penetralia introspiciant. Quid mirum enim si corda scrutetur lux Dei, sive illa ut Deo innata, sive ut Beatis commodata De divers. Serm. 6. c. 5. spectetur? Idem Augustinus: *Cogitationes quas modò non videt nisi Deus, omnes invicem videbunt, in illa societate Sanctorum. Nemo ibi vult tectum esse quod cogitat, quia nemo ibi malè cogitat.* Et infra: *Nihil ibi nisi bonum, &c. Quomodo vis videri modò faciem tuam, sic tunc voles videri conscientiam tuam.* Moral. l. 16. c. 25. Gregorius Magnus: *Tenebræ vitam præsentem non inconvenienter exprimunt, in qua alienæ conscientiæ non videntur. Lux verò nostra, patria æterna est, in qua dum vultus aspicimus, corda in nobis nostra vicissim videmus.* In vultu ergo conscientia relucebit, tanta erit corporis ad imperia nutusque mentis obedientia, tanta erit mentis ingenuitas, in corporisque sui naturam omnem potestas, tanta erit perspicacitas in visu etiam corporeo, tanta erit in mente sagacitas conjectandi ex corporalibus incorporalia. Idem alibi: Ibidem. L. 18. c. *Ipsa vero civitas aurum mundum, similis vitro mundo. Quia enim Sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebunt, instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa eorum claritas vicissim sibi in alternis cordibus patet; & cum uniuscujusque vultus attenditur, simul & conscientia penetratur: hoc ipsum aurum vitro mundo simile esse memoratur. Ibi quippe uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus: patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia: sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi. Nunc autem corda nostra quandiu in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, non intra vitrea, sed intra lutea vascula concluduntur.* Nunc igitur & corpora crassiora opacant animos, & animi nubilosi hebetesque opacitatem corporum irrumpere non valent, ut transluceant, aut introspiciant. At ibi ea erit corporum tenuitas, ea mentis luciditas, ea intelligentiæ acies, ut paries intermedius & arcana cordis obsepiens, aut nullus sit, aut irrumpatur. Unde ut ait ibidem Gregorius, erit tota illa civitas, *Auro clara, vitro perspicua.*

Serm. 1. in Dedic. Eccl. Bernardus: *Nec ulla separare eos ab invicem suspicio potest; ubi nihil omnino quod in altero sit, alterum latere patitur, penetrans omnia radius veritatis.* Ut Solis radius nulla corpora occultari permittit, omnia ostendit, & propalat; ita Sol cordium omnia pervadit, omnia denudat, & in sua luce versantibus omnia conspicua, omnia conspicabilia facit. Et rursus alibi: *Non metuam suspi-* Serm. de Triplici genere bonorum. *ciones, non timebo consilia, quia civitas illa juxta Joannem, purissimo vitro similis erit, ut sicut per vitrum lucidissimè cernimus, sic aliorum conscientias clarissimè videamus.* Julianus Pomerius: *Ibi* De vita cōtempl. l. 1. c. 4. *ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subjacent facies corporales &c.* Dialog. l. 4. c. 33. Specialius quid adnotat Gregorius: *Fit autem in electis quiddam mirabilius, quia non solum eos agnoscunt, quos in hoc mundo noverant, sed velut viros visos & cognitos recognoscunt bonos quos nunquam viderunt.* Noverant illos non vultu, sed virtute; noverant non corporum facies, sed animorum laudes. *Nam cum antiquos Patres in illa æterna hæreditate viderint, eis incogniti per visionem non erunt, quos in opere semper noverunt.* In illo quippe spiritali regno, amicitiæ argumenta, & agnitionis indicia non alia erunt quàm virtutum lineamenta; unde tametsi vultus non agnoverint, quorum virtutes viderint, his ut pridem notis adgratulabuntur.

VII. 5. Vident nos in hujus vitæ procellis adhuc æstuantes, nostraque norunt omnia, & curant, & miserantur. Tametsi enim tam mortui viventium quàm mortuorum viventes statum sortemque ignorent, ab ea tamen caligine, & caliginis comite incuria necesse est beatas animas mentesque vindicare. An aliquid enim nesciant, qui Deum sciunt? An aliquid nesciant, qui scientem omnia sciunt? An aliquid obscurum sit iis, qui divina claritate imbuuntur? An aliquid lateat, divina luce omnia scrutantes? An fratres suos periclitantes non videant, non curent? An qui Deum toti & totum sapiunt, cum Deus charitas sit, charitatis exortes sint? An nostra non satagant, cum Deus satagat? An misericordi adhærescentes, immisericordes sint? Planè quantumvis Deum bibant, in Deumque absorbeantur, nec nostri tamen oblivia bibere, nec curam ponere valent; bibunt enim charitatem & misericordiam, absorbentur in eum qui curam nostri maximam agit. Gregorius Magnus exponens verba Jobi: *Sive nobiles fuerint fi-* Moral. l. 11. c. 14. *lii ejus, sive ignobiles, non intelliget*; hæc habet: *Sicut enim hi qui adhuc viventes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant; ita mortui vitam in carne viventium, post eos qualiter disponatur, nesciunt: quia & vita spiritus longè est à*

vita

vita carnis, & sicut corporea atque incorporea diversa sunt genere, ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est: quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent. Sic ille dilucidè, etsi ea de re plurimum dubitasse visus sit Augustinus lib. de cura pro mortuis habenda; dubitasse inquam, non aliquid pronunciasse. Accessit & Gregorio Bernardus, nostrarumque rerum non curiosos tantùm & scientes, sed sollicitos docet Beatos esse; ubi fratrem suum Gerardum amicitia & vitæ sanctimonia spectabilem recentissimè defunctum, & in cœlos ut indubia fides erat, abreptum ita compellat: *Si tamen licet adhuc cogitare de miseris, ingresso abyssum luminis, atque illo pelago æternæ fœlicitatis absorpto. Fortè enim etsi nosti nos secundum carnem, sed nunc jam non nosti; & quoniam introisti in potentias Domini, memoraris justitiæ ejus solius, immemor nostri. Cæterùm qui adhæret Deo, unus spiritus est, & in divinum quendam totus immutatur affectum: nec potest jam sentire aut sapere nisi Deum, & quod sapit & sentit Deus, plenus Deo. Deus autem charitas est: & quanto quis conjunctior Deo, tanto plenior charitate. Porro impassibilis est Deus, sed non incompassibilis: cui proprium est misereri semper & parcere. Ergo & te necesse est misericordem esse, qui inhæres misericordi, quamvis jam minimè miser sis; & qui non pateris, compateris tamen: affectus proinde tuus non est imminutus, sed immutatus: nec quoniam Deum induisti, nostri cura te exuisti: & ipsi enim cura est de nobis. Quod infirmum est, abjecisti, sed non quod pium. Charitas denique nunquam excidit.* Sic ille demonstrat Beatos dum Deum insatiabiliter bibunt, non oblivia nostri, non incuriam potare, sed memoriam, sed curam quæ in Deo est summa præsentissimaque.

(Cap. 16. — Serm. 26. in Cant.)

VIII. 6. Vident damnatorum pœnas, coram intuentur, nec miserentur; quin imò hinc uberius gaudium decerpunt. Ita cecinit Isaias, Beatos egressuros nimirum per scientiam, ad videndas impiorum pœnas. Item qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur quod non videant. Item gaudium hinc amplius in Beatos exundat, pensitantes quantum malorum evaserint, & quàm securi ab omni eorum metu jam sint, & tantæ infœlicitatis comparatione, in quantæ beatitudinis copia stabiliti sint; ut enim nigro colore substrato reliqua magis splendescit pictura, ita beatitas tantæ calamitati composita magis dulcescit. Item amor carnis tum amore spiritus absorbebitur; humanæ affectiones in divinas migrabunt; una erit ipsorum cum Deo voluntas; quod volet Deus, ipsis libebit; Dei voluntas, ipsorum etiam voluptas erit. Item tanto tum amore zeloque justitiæ succendentur, ut ipsis quidquid justitiæ discordat, protinus displiceat; quidquid concordat, statim collibeat. Item mala ordinari, justum, pulchrum, bonumque esse conspiciunt, ac proinde gaudiorum suorum inde incrementa hauriunt. Denique cumulatissimæ illius fœlicitatis est, in universis gaudere, nec ex alienis miseriis mœrorem ullum sustinere; nil denique usquam, nil unquam occurrere, quod non ipsorum lætitiam alat & amplificet.

(Cap. 65.)

IX. Augustinus: *Sed quomodo egredientur boni ad videndas pœnas malorum? numquid corporis motu, &c. Absit: sed egredientur per scientiam, &c. Qui enim erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio Domini nescient: qui verò erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus scient. Ideo dictum est, Egredientur, quia eos etiam qui foris ab eis erunt, utique non latebunt. Si enim hæc Prophetæ nondum facta nosse potuerunt, per hoc quod erat Deus, quantulacumque erat in eorum mortalium mentibus: quomodo immortales sancti jam facta tunc nescient, cum Deus erit omnia in omnibus?* Gregorius Magnus: *Quid mirum, si dum justi injustorum tormenta conspiciunt, hoc eis veniat in obsequium gaudiorum, quando & in pictura niger color substernitur, ut albus, vel rubeus clarior videatur? Nam sicut dictum est, tantò bonis sua gaudia excrescunt, quantò eorum oculis damnatorum mala subterjacent, quæ evaserunt. Et quamvis eis sua gaudia ad perfruendum plenè sufficiant, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt: quia qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint.* Hinc patesit cur malorum supplicia Beati debeant conspicere, nec debeant miserari. Idem alibi: *In vastitate & fame ridebis. In vastitate ergo & fame justus ridebit: quia cum iniquos omnes extrema ultio percutit, ipse de gloria dignæ retributionis hilarescit. Nec damnatis jam tunc ex humanitate compatitur, quia divinæ justitiæ per speciem inhærens, inconcusso districtionis intimæ vigore solidatur. Erectas namque in claritate supernæ rectitudinis electorum mentes nulla misericordia afficit, quia has à miseriis altitudo beatitudinis alienas reddit, &c. Videbunt justi & timebunt, & super eum ridebunt, &c. Iniquos enim justi nunc vident & metuunt; tunc visuri sunt & ridebunt: quia enim modo ad eorum labi imitationem possunt, hinc habent formidinem: quia verò damnatis tunc prodesse nequeunt, illic non habent compassionem. Æterno itaque supplicio deditis non esse miserendum, in ipsa qua beati sunt, justitia judicantis legunt.* Et rursus: *Ut justi omnes & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in istis respiciant supplicia quæ evaserunt: ut tantò in æternum magis divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, &c. Sic eorum mentes per hoc quod justissimo Judici inhærent, vis districtionis absorbet, ut omnino eis non libeat, quidquid ab illius internæ regulæ subtilitate discordat.* Nunc ergo miseros miserari fas est, insultare nefas, quia summæ justitiæ per speciem necdum hæremus: quia paribus miseriis conflictari & ipsi quandoque possumus; quia commiserando prodesse miseris valemus; quia in illam beatitatis celsitudinem, summamque ab omni miseriæ seu nostræ seu alienæ abalienationem necdum conscendimus. Bernardus: *In omnibus gaudet, &c. Nam & bona ei placent in seipsis, & delectatur nihilominus bona ordinatione malorum. Diligit misericordiam & judicium, nec modò in bonorum gloria sibi complacet, sed in ipsis quoque utpote justis suppliciis impiorum, &c. In gaudium ejus meretur intrare, & cum eo dinceps lætari in universis, in cunctis gaudere, in omnibus delectari. Etenim qui adhæret Deo, Apostolo teste, unus cum eo spiritus efficitur; & voluntas ejus omnino divinæ adhærens voluntati, fit una cum ea, &c.* Et rursus idem alibi: *Lætabitur justus cum viderit vindictam: ut quid ita? manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Planè non inquinabit in sanguine, sed lavabit: ut unde ille cruentus magis, inde iste nitidior videatur: unde ille plus sordet, inde iste pulchrius elucescat.* Et paulò pòst: *Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, &c. Quid ergo in insipientium interitu sapientiæ credimus placiturum, nisi justissimam suam dispositionem & irreprehensibilem ordinem rerum? Sanè quod sapientiæ tunc placebit, sapientibus quoque placeat necesse est universis, &c. Ridebit in eorum interitu, non quòd velut quadam immanitate crudelitas in ipsa tibi ultione complaceat, sed quòd modus ipse pulcherrimus divinæ ordinationis, ultra quàm credi possit, justitiæ zelatorem & amatorem æquitatis oblectet. Ubi optime omnia constituta, & suum cuique cessisse locum, imò in suum quemque cessisse, pleniùs & perfectiùs illustrante veritate cognosces.* Et tandem quæ prolixè disseruerat, summatim contrahens: *Oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis; primò quidem ob tuam evasionem, secundò ob omnimodam securitatem, tertio quoque ob comparationem,*

(Civit. l. 20. c. 22. — In Evang. Hom. 40. — Moral. l. 6. c. 16. — Ibid. l. 34. c. 16. — Serm. 3. in festo omnium Sanct. — Serm. 8. in Psal. Qui habitat.)

quartò ob ipsius justitiæ perfectam æmulationem. Consule reliqua quæ ibidem præstantissimè edisserit. Eodem spectat & quod habet Bernardus idem Tractatu de diligendo Deo: *Tunc pro certo singula Christi membra dicere poterunt de se quod Paulus ajebat de capite, Etsi cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Nemo ibi se cognoscet secundùm carnem, quia regnum Dei caro & sanguis non possidebunt. Non quod carnis illic substantia futura non sit, sed quod carnalis omnis necessitudo sit defutura: carnisque amor amore spiritus absorbendus: & informes quæ nunc sunt humanæ affectiones, in divinas quasdam habeant commutari. Tunc sagena charitatis quæ nunc tracta per hoc mare magnum & spatiosum ex omni genere piscium congregare non desinit, cùm perducta ad littus fuerit, malos foras mittens, bonos solummodo retinebit.* Quandiu ergo in carne sumus, carnalibus affectibus nonnihil indulgere sinimur; tunc carnis amor amore spiritus absumetur. Quandiu miseri sumus, miseriis vel alienis indolere permittimur; tunc nec pati quidquam nec compati poterimus. Quandiu ex malis quidam boni fiunt, maloscum bonis complecti una charitate jubemur: tunc mali quia resipiscere omnino non poterunt, nec eorum pœnis boni poterunt condolere.

X. 7. Vident omnia simul; nec verbis sive intus sive foris prolatis, ab aliis ad alia discurrunt; nec volubiles cogitationum fluctus alternant; nec à notis ad ignota aliqua proficiunt: sed unico Verbo quo informantur, unica specie qua illustrantur, omnia audiunt, omnia vident, & simul & semel omnia. Quid enim opus vel ad se vel ad alios, verbis orientibus & occidentibus, ubi Verbum æternum adest inestque quod unum implet omnia? Quid opus ab aliis ad alias rerum imagines speciesque discursare animo, ubi adest animo una & summa species rerum omnium exemplar simplicissimum? Quid opus à notis ad ignota discursu spinoso tentare viam, ubi omnia nota, omnia præsto sunt? Quid opus priùs hæc, deinde illa pensitare, ubi nec priùs nec deinde quidquam est, sed simul omnia coram adsunt? Moral. l. 30. c. 5. Gregorius Magnus: *Postquam per mortem in pulverem caro resolvitur, & per resurrectionem pulvis animatur, tunc de Deo audire verba non quærimus: quia unum ipsum quod implet omnia, jam per speciem Dei Verbum videmus. Quod nobis tanto altiùs sonat, quantò & mentes nostras vi intimæ illustrationis penetrat. Sublatis namque orientibus & occidentibus verbis, quasi quidam sonus æternæ prædicationis fit ipsa imago internæ visionis.* Ibi ergo Verbum est quod simul & semel omnia dicit; species est quæ simul & semel omnia ostendit: non ergo ab aliis ad alia fas est cursitare, ubi omnia simul coram præsto sunt. Bernardus in Sententiis paulò ante finem: *Quanta est miseria nostra, & indigentia nostra quàm multiplex! etiam verbis opus habemus: & cùm utrumque sit miserum, non jam mirum quod inter nos, mirum magis quod ad nos ipsos. Nemo scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui est in ipso. Chaos magnum inter nos firmatum est, nisi interveniente quasi instrumento verborum, fiat ad invicem transitus quidam cordium, in communicatione cogitationum. Hac necessitate inventa sunt verba, quis nesciat? veruntamen & nos ipsos verbis jam alloqui necesse est, &c. Nempe cor meum dereliquit me, & necesse habeo ad meipsum, imò ad me alterum loqui. Atque id interim tantò ampliùs, quantò minùs sum adhuc reversus ad cor, reversus in me, unitus denique mihi ipsi. Nam ne invicem quidem erit jam verbis uti, ubi in unum utique virum perfectum occurremus omnes. Opportunè itaque linguæ cessabunt, nec medius requiretur interpres, ubi usque adeo medium omne charitate constraverit ille unicus mediator, ut nos in unum facti simus.* Ex Bernardo itaque verbis jam opus est, ut nos etiam ipsos intus conveniamus, quasi alteros quosdam; à nobis enim ipsis dissilimus, & foras excessimus, & frustillatim dispersi sumus; unde per verba discursitare opus est, ut nosmetipsos recolligamus. At ubi in unum virum perfectum coaluerimus, ne ad alios quidem verbis egebimus; quia unus omnes erimus, & unum omnia nobis erunt, & omnia in uno coram aderunt; nec sermone demonstrari, nec discursu anxio perlustrari, sed unico intuitu conspici postulabunt.

CAPUT VIII.

An res sensibiles videant Beati ante resurrectionem. An Deum videant ante resurrectionem, an æquè perfectè.

I. Hæsitatio Augustini in prima quæstione.

II. De secunda magnæ olim concertationes efferbuerunt. Patrum nonnulli Chiliastis consentanei.

III. Sed longè plures etiam ante resurrectionem Deum à beatis videri consenserunt. Idque ita habere probatur primò ex Scripturis.

IV. Quin hoc Novi Testamenti privilegium fuisse existimarunt.

V. Alternarunt tamen aliquando nonnulli eorum.

VI. Nunc verò in fidei dogma id receptum est.

VII. Hæc inter Patres conflictatio sedari forsan possit, si aliquantò perfectius post quàm ante resurrectionem Deum visum iri statuamus. Ejus porro doctrinæ rationes proferuntur hic multæ, & suffragationes Patrum.

VIII. Rursum rationes & suffragia, cur perfectiùs post resurrectionem quàm ante Deus à beatis videatur.

IX. Idque rursus confirmatur ex Bernardo & Augustino.

I. 8. AN ante resumpta corpora animæ beatæ sine ullo corporis quo carent instrumento, sensibilia per seipsas nosse valeant, id ignorare cum Augustino libentiùs, quàm cum aliis affirmare aut negare profitemur. Ille enim sic habet: Epist. 111. *Utrum si corporis, quamvis jam immortalis atque incorruptibilis, natura servabitur, adjuvet tunc aliquid spiritum ad videndum ipsa visibilia, id est corporalia, sicut nunc tale aliquid nisi per corpus videre non possumus: an verò etiam tunc sine organo corporis valeat spiritus noster nosse corporalia; neque enim & Deus talia per sensus corporis novit; & multa alia quæ in hac quæstione movere possunt, fateor me nondum alicubi legisse, quod mihi sufficere existimarem, sive ad dicendum, sive ad docendum.* Ubi non tantùm ambigit, an beatæ animæ nunc corporibus carentes, sed etiam cùm corpora sua receperint, noscant sensibilia per corporis tantùm organa, an etiam per seipsas sine medii instrumenti opera.

II. Observandum 9. ingenti & animorum pugna & sententiarum discrepantia altercatum perdiu inter Ecclesiæ Patres fuisse, an animabus sanctis & ab omni macula pœnæque reatu puris, statim ac à corpore migrarint, clara Dei visio concedatur, an post extremum judicium, corporumque resurrectionem donanda differatur.

1. Chiliastæ seu Millenarii ne post resurrectionem quidem statim, animas sanctas ea visione donabant, sed carnali regno in terris cum Christo Domino annis mille potitas interimque roboratas, ut Patris visionem ferre possint, tum demum eo quasi tyrocinio expleto, ad Dei contuitum promovebant. Fulciebant suam hanc sententiam versu Apocalypsis satis expresso, ut videbatur quidem viris

ris doctrina & sanctitate conspicuis, & qui magisterii traduce ad ipsos usque Apostolos pertingebant. Papias enim horum omnium antesignanus, Joannis Apostoli auditor fuerat. Unde Hieronymus de Papia disserens: (L. de Scrip. Eccl. c. 18.) *Hic dicitur mille annorum Judaicam edidisse δευτέρωσιν, quem secuti sunt Irenæus & Apollinarius, & cæteri qui post resurrectionem ajunt in carne cum Sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in libro de Spe Fidelium, & Victorinus Petabionensis, & Lactantius hac opinione ducuntur*. Sic ille Antistites enumerat hujus commenti; ideo autem hoc regni terreni interstitium invexerant, ut interim assuescerent ferre gloriam & conspectum Dei, ut ait Irenæus: (L. 5. c. 35.) *Crescentes ex visione Domini, & per ipsum assuescentes capere gloriam Dei Patris & cum sanctis Angelis conversationem*.

III. 2. Complures tamen sanctorum Patrum statim abrupto corporis vinculo, in Dei sicuti est contuitum evolare animas consenserunt. Capita ipsa tum è Græcis, tum ex Latinis ad hoc conspirant, passimque inculcant, ut abundè per eos jam patefactum est qui scriptis suis controversata ab Hæreticis Ecclesiæ Catholicæ dogmata nostra hac ætate contutati sunt. Actum agam si testimonia hìc intexam ab iis cumulatè adeo coacervata.

3. Id planissimè contestantur scripturæ oracula. (Philipp. 1.) *Cupio dissolvi & esse cum Christo*. Quid properabat dissolvi, si post resurrectionem tantum Christo fruiturus erat? Si non cohærent, sed tanta temporis intercapedine distant hæc duo, dissolvi & esse cum Christo? (2. Cor. 5.) *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, sed æternam in cœlis*. Vides soluta terrena domo, in cœlestem statim immigrari. (2. Cor. 5.) *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum*. Quorsum hæc si exutæ corporibus tamdiu adhuc peregrinari à Domino animæ compelluntur? Gregorius Magnus in Dialogis, (Dial. l. 4. c. 24. 25.) roganti Petro ad hunc modum: *Nosse vellem si nunc ante restitutionem corporum in cœlo recipi valeant animæ justorum?* Respondet his verbis: *Hoc neque de omnibus justis fateri possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt quorumdam justorum animæ quæ à cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur. In quo dilationis damno quid aliud innuitur, nisi quod de perfecta justitia minus aliquid habuerunt? Et tamen luce clarius constat quia perfectorum animæ mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cœlestis regni sedibus recipiuntur. Quod & ipsa per se veritas attestatur dicens, Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Quia ubi ipse redemptor noster est corpore, illuc proculdubio colliguntur justorum animæ. Et Paulus, Cupio dissolvi & esse cum Christo. Qui ergo Christum in cœlo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo negat. Qui etiam de dissolutione sui corporis, atque de inhabitatione cœlestis patriæ dicit, Scimus quoniam si terrestris domus nostra, &c. ut supra*.

IV. 4. Quin hoc plerique consenserunt novæ legis privilegium esse, quod nunc qui labis expertes hinc excedunt, statim in cœlestem patriam concedant; cum olim quantumcumque intaminati oppeterent mortem, imos subtus specus peterent, aut in sinum Abrahæ involarent, cœlique januas per Christum aliquando tandem reserandas ibi opperirentur. Christi quoque descensum ad inferos eò pertinuisse indubitatum penè fuit, claustra illa ut perrumperet, quibus sanctissimi Patres detinebantur, solutosque secum in cœlum perduceret. Ergo non eadem nunc quæ olim procrastinatio supremæ beatitudinis. Gregorius Magnus: (Moral. l. 13. c. 14.) *Sed ecce quia authoris nostri gratia redempti sumus, hoc jam cœlestis muneris habemus, ut cum à carnis nostræ inhabitatione subtrahimur, mox ad cœlestia præmia ducamur: quia dum conditor ac redemptor noster claustra inferni penetrans, electorum exinde animas eduxit, nos illò ire non patitur, unde jam alios descendendo liberavit. Hi verò qui ante ejus adventum in hunc mundum venerunt, quantumlibet justitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti, in sinu cœlestis patriæ statim recipi nullo modo poterant: quia necdum ille venerat qui inferni claustra sua descensione solveret, & justorum animas in perpetua jam sede collocaret*. Si post extremum tandem judicium, & non priùs videbitur Deus, quid juvat inferni carceres à Christo effractos, quid juvat paradisi januas reseratas? Quid præstitum Patribus ab inferno specu eductis? Quid prærogatum nobis, tamdiu differendis?

V. 5. Iidem tamen ipsi Patres numero & authoritate spectabiles subinde in contrariam sententiam vacillare visi sunt: & ut in re ambigua, in unam modò, modò in aliam partem inclinare. (L. de bono mortis, c. 10) Ambrosius alludens ad caput libri IV. Esdræ: *Denique & Scriptura habitacula illa animarum, promptuaria nominavit, &c. Coronæ enim dies expectatur ab omnibus, &c. Ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectant animæ remunerationem debitam. Alias manet pœna, alias gloria; & tamen nec illæ interim sine injuria, nec istæ sine fructu sunt*. Et infrà inter fructus quos piorum animæ præ aliis degustant interim, hos recenset: (Ibid. c. 11.) *Incipiunt intelligere requiem suam & futuram sui gloriam prævidere, eaque se consolatione mulcentes, in habitaculis suis cum magna tranquillitate requiescent, stipatæ præsidiis Angelorum*. Et paulò pòst: *Sine ulla cunctatione confidant, & sine trepidatione lætentur, festinantes vultum ejus videre, cui &c*. Visionem itaque Dei suspendit Ambrosius, donec corporum resurrectio compleatur; tametsi aliis locis secus sensisse videatur. Similiter Augustinus quanquam pluribus locis statim à morte ad Dei conspectum pias animas induxerit; nonnullis tamen ambiguum se ea in re vacillare docuit: (Enchirid. c. 109.) *Tempus quod inter hominis mortem & corporis resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est, vel requie, vel ærumna*. Ubi illa eadem cum Ambrosio probat animarum promptuaria. Idem alibi: (In Psal. 43.) *Illa visio facie ad faciem liberatis in resurrectionem servatur*. Et rursus: (In Psal. 36.) *Post vitam istam parvam nondum eris, ubi erunt Sancti quibus dicetur, Venite benedicti, &c. Nondum ibi eris: quis nescit? sed jam poteris ibi esse, ubi illum quondam ulcerosum pauperem dives ille superbus & sterilis in mediis suis tormentis vidit à longe requiescentem. In illa requie positus, securus expectas judicii diem*. Complura id genus apud eundem occurrunt, quibus fluctuasse in hoc negotio dignoscitur.

VI. 6. Verùm utcumque hæsitaverint Patres nonnulli, in fidei dogma post Decreta Joannis XXII. & Benedicti XII. Romanorum Pontificum, Florentinam Tridentinamque Synodum jam receptum est, æterna jam fœlicitate, Deique visione ante extremum resurrectionis & judicii diem potiri piorum animas.

VII. 7. Unum est quo hæc conflictatio sedari fortasse possit, quod videlicet tametsi visionem Dei etiamnunc consequantur justi quicumque hinc ab omni nexu liberi emigrant; non tamen tantam nec tam perspicuam uberemque, quàm receptis per resurrectionem corporibus consecuturi sunt. Cujus sententiæ munimentum validissimum illud est ex Apocalypsi: (Cap. 6.) *Vidi subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant dicentes, Usquequo Domine sanctus & verus non judicas & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec complean-* tur

tur conservi eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt, sicut & illi. Ubi adnotandum 1, animas Martyrum non super altare collocari, sed sub altari: verùm altare illud in cœlo esse, non in antro sub terris. Quod argumento est illas in ampliore supra modum luce & fœlicitate versari, quàm olim ante Christum quæ in inferno & umbroso specu recipiebantur; sed nondum tanta luce & beatitate inebriari, quàm olim cum corporibus receptis, non sub altari, sed supra altare erunt. 2. Dari illis singulas interim stolas, id est, animæ fœlicitatem; altera stola donandis post resurrectionem, per corporis tum parem gloriam. 3. Rationem duplicem innui ejus dilationis, quod æquum non sit summa & absoluta mercede donari, vel animam sine corpore, laborum & meritorum omnium commilitone; vel imperfectam Ecclesiam sine reliqua sui parte adhuc desudante, adhuc præliante. Hæc omnia eruditissimè exequitur Bernardus: *Interim quippe sub altari eos esse,*
Serm. 2. in festo omn. San. & seq. *& non supra, ipse nos doceat, &c.* Licèt *non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos lætitia cum*
Ibid. serm. 3 *vultu suo.* Et infrà: *Advertistis tres esse sanctarum status animarum; primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata. Primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Multo tamen magis atria concupiscibilia, secundùm quod addit, Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Sed quoniam in ipsis quoque atriis nonnullus, ut audis, defectus est, beati omnino qui habitant in domo tua Domine.* Deinde ejus distributionis authoritates & rationes subnectens, *Quod si quæritis unde id tam fiducialiter præsumam, inde sine dubio, quòd jam multi ex nobis in atriis stent expectantes, donec recipiant corpora sua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatissimam domum nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis; id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Nec enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur, nec perfectione donari Ecclesiam imperfectam, &c. Acceperunt jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus donec vestiamur & nos. Quomodo de Patriarchis & Prophetis ait Apostolus: Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur. Stola enim prima ipsa est quam diximus, fœlicitas & requies animarum, secunda*
Ibid. serm. 4 *vero immortalitas & gloria corporum.* Quin idem accuratè discriminat locum quo nunc recipiuntur, ab eo quo olim demittebantur animæ justorum: hunc enim sub terra, illum sub altari; hunc in inferno, illum in cœlo; hunc in tenebris & umbra mortis, illum in luce; hunc in sinu Abrahæ, illum cum Christo; hunc uti carcerem à Christo illuc descendente effractum, illum non aliud
Vide Cassiodor. lib. de anim. c. 19. quàm corpus ipsum Christi liberatoris. Quæ omnia confirmat concinnissimè aptatis ad id argumentum sacrarum litterarum locis.

VIII. 8. Tandem quanquam corporibus nondum receptis Deum videant, cur tamen non plenè, nec perfectè videant, in causa est corporis recipiendi naturale desiderium; quo retardantur ab eo impetu, quem alioqui effunderent vehementiorem.

Deinde non naturale tantùm eas sollicitat desiderium, sed & æquitatis judicium, ut laboris meritique socium in præmii quoque societatem sibi adjungant. Ita non penitus solutæ sunt à corporibus, quibus non jam quidem sensu, sed affectu hærent, ideoque minùs liberè in Deum tendunt. Ita rursus etsi sine macula sint, nondum tamen sine ruga omni, quòd sui necdum planè oblitæ, necdum Deo penitus inebriatæ sint; sui curam adhuc agunt, nonnihil ad seipsas adhuc reflectuntur, eoque à Deo absolutissimè videndo deflectuntur,

Bernardus: *Sed unde tibi, ò misera caro, unde tibi hoc? Animæ sanctæ quas propria Deus insignivit imagine, te desiderant! quas redemit proprio sanguine, te expectant! & ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota eorum affectio liberè pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui, &c. Sine macula, inquit, sunt ante thronum Dei: sine macula, inquam, sed necdum sine ruga; donec veniat dies cùm sibi gloriosam Christus exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam.* Paulò prolixiùs idem argumentum tractat libro de diligendo Deo: *Sed si quod non negatur, velint sua corpora recepisse, aut certè recipere desiderent & sperent, liquet proculdubio necdum à seipsis penitus immutatas, quibus constat necdum penitus deesse de proprio, quo vel modicè intentio reflectatur. Donec ergo absorpta sit mors in victoria, & noctis undique terminos lux perennis invadat, & occupet usquequaque, quatenus & in corporibus gloria cœlestis effulgeat, non possunt ex toto animæ seipsas exponere & transire in Deum: nimirum ligatæ corporibus etiam tunc, etsi non vita vel sensu, certè affectu naturali, ita ut absque his, nec velint, nec valeant consummari, &c. Absque profectu animæ nec ponitur corpus, nec sumitur, &c. Valet Deum diligenti animæ corpus suum infirmum, valet & mortuum, valet & resuscitatum; primo quidem ad fructum pœnitentiæ, secundo ad requiem, postremò ad consummationem.* Et tandem ita pulcherrimè concludit: *Merito sine illo perfici non vult, quod in omni statu in bonum sibi subservire persentit. Bonus planè fidusque comes caro spiritui bono: quæ ipsum aut si onerat, juvat; aut si non juvat, exonerat; aut certè juvat, & minimè onerat. Primus status laboriosus, sed fructuosus; secundus otiosus, sed minimè fastidiosus; tertius & gloriosus.*

Serm. 1. in festo omn. Sanct.

IX. Postremò non possum quin adnectam locum ejusdem pulcherrimum ex sermone III. inter sermones parvos, ubi disertissimè ante resurrectionem videri per speciem Deum, sed ideo minùs plenè videri tradit, quòd corporum desiderio animæ nonnihil adhuc graventur. *Comedite amici & bibite & inebriamini. Prius comedunt, dum in carne adhuc corruptibili degunt. Postmodum verò corpore exuti, & in cœlum translati jam bibere dicuntur, eadem quæ prius comederant: quia jam per speciem contemplantur sine labore, quæ prius per fidem crediderant, &c. In hoc ergo statu positi Sancti bibere quidem possunt, sed inebriari non possunt: quoniam à perfectissima contemplatione divinitatis quodammodo retardantur, dum adhuc resurrectionem sui corporis in fine seculi præstolantur. Qua facta ita corpus menti, & Deo mens inhærebit, ut jam deinceps nihil sit, quo ab interna ebrietate contemplationis revocari possit.* Ubi perspicuè clara Dei visio hujusmodi animabus ante receptionem corporum vindicatur. Vide & ser. 42.

Luculentam hanc doctrinam hauserat, unde solet Bernardus, ex fontibus Augustini, qui ita philosophatur: *Si quem movet, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si potest eis etiam sine corporibus summa illa beatitudo præberi: difficilior quidem quæstio est, quàm ut perfecte possit hoc sermone finiri. Sed tamen minimè dubitandum est, & raptam hominis à carnis sensibus mentem, & post mortem ipsam carne deposita, & transcensis etiam similitudinibus corporalium, non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti Angeli vident: sive alia latentiore causa, sive ideo quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi: quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, quandiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat. Porro autem si tale sit corpus, cujus sit difficilis & gra-*

De Gen. ad lit. l. 12. c. 35

& gravis administratio, sicut hæc caro quæ corrumpitur & aggravat animam, de propagine transgressionis existens, multò magis avertitur mens ab illa visione summi cœli: unde necessariò abripienda erat ab ejusdem carnis sensibus, ut ei quomodo capere posset, illud ostenderetur. Proinde cùm hoc corpus jam non animale, sed per futuram commutationem spiritale receperit, Angelis coæquata: perfectum habebit naturæ suæ modum, obediens & imperans, vivificata & vivificans: tam ineffabili facilitate, ut sit ei gloriæ, quod sarcinæ fuit. Radix hujus rei altior aliqua non potuit erui; ex penitissima enim animæ natura hæc depromitur. Quippe animæ ut mediam quandam in entibus stationem tenentis, id proprium est, ut supernè regatur, infernè regat; illic obediat, hic imperet; illinc vivificetur, hic vivificet. Alterutro horum si fraudetur, trunca veluti & orba gemit languetque. Nisi itaque habeat inferius quod regat & vivificet, dolet & ægrescit quodammodo, languidiùsque supernè se regi & vivificari sustinet. Rursus si habet quidem infra se corpus, sed rebelle & corruptibile & egenum, eoque regi & vivificari difficile, huic nimio plus intenta à supernis avocatur. Tunc itaque uberrimè plenissimèque intelligibilem supernè vitam hauriet, quando facillimè sensibilem vitam corpori impartiet, nempe redivivo & à corruptibilitatis ærumnis penitus vindicato.

CAPUT XIX.

De invisibilitate & incomprehensibilitate Dei.

I. Quomodo videatur, nec comprehendatur Deus, aliæ aliorum sententiæ.

II. Scripturæ & Patres eo magis propendent, ut visio beatarum mentium suis finibus concludatur, invisibilitati autem Dei & incomprehensibilitati vehementer faveamus.

III. Etsi clarè & intuitivè videatur Deus, nec totus tamen, nec ex toto videtur, ex Scripturis, & Patribus.

IV. De invisibilitate Verbi, antequam carnem assumeret.

V. Ex Scripturis rursum & Patribus, quàm multa Angeli per Christum, & per Ecclesiam didicerint.

VI. VII. Alia rursus, & alia ex Scripturis & Patribus argumenta.

VIII. IX. Quomodo nec Angeli Deum videant, sed solus Filius.

X. Deus lucem habitat inaccessibilem. Et vel consilia ejus inscrutabilia sunt.

XI. Non propter creaturas tantum possibiles, & judiciorum abyssos, Deus incomprehensibilis est, sed propter suam ipsius essentiam. Multis id efficitur argumentis.

XII. Multis id & Patrum testimoniis roboratur.

I. SEquor, inquit Paulus, si quomodo comprehendam. Ad hunc modum comprehenditur Deus, quia quem in hujus vitæ via sequimur, in gloriæ tandem meta consequimur. Veruntamen authore Jeremia Deus, *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*. Ita ergo comprehendi non potest Deus, quia tametsi consequamur illum, non tamen totum assequimur, non totum complectimur, incircumscriptum intellectu non circumscribimus. Sed quàm perspicuum est incomprehensibilem esse Deum, tam caliginosum est, cur incomprehensibilis sit. Illud vel apud imperitos in confesso est, istud apud peritissimos controversatur. Quocirca eruditè Pachymeres: *Deum quidem incomprehensibilem esse, nostramque exuperare cognitionem, norunt plerique omnes. Quibus autem de causis talis sit & quomodo, illorum est dum-* (In Epist. 5. Dion.)

taxat nosse, qui divina hac & suprà hominum naturam cognitione digni habiti fuerunt, qualis erat David, qualis Paulus, & hujusmodi. Nec mirum id cuiquam accidat: Quid enim incomprehensibilius esse decet ipsa incomprehensibilitate? an enim quæ cætera occultat, se denudabit? an quæ cætera occultat, sese elucidabit? an videri poterit invisibilitas: an finiri infinitas?

Alii ideo opinantur incomprehensibilem, quia etsi totus videatur à Beatis Deus, nihilque ipsos vel essentialium vel personalium lateat proprietatum; non tamen tanta claritate luminis, non tanta vi acuminis, non tanta certitudine videtur, quanta videri & potest & postulat. Ita rem quampiam minùs comprehenderet, qui topico tantùm argumento conjectaret, quam demonstrativo alioqui scire posset. Alii ideo incomprensibilem æstimant, quia non omnia Dei consilia, non illa quæ Paulus adstupescit inscrutabilia judicia, non omnes saltem quæ ab inexhausta Dei omnipotentia effundi possunt, nec effundentur tamen unquam naturæ, beatis mentibus patefiunt; sed horum pleraque ipsos latent, etsi nulla Dei intima attributa eos latent. Alii hoc utrumque connectunt, ajuntque lumen & acumen beatarum mentium non usque adeo intendi, ut omnia dispiciat omnino, totumque pervideat Deum & ex toto; sed eo quasi deficiente suis in finibus, nec ultra se exporrigente, superesse eorumdem Dei attributorum quæ videntur, gradus in infinitum plures plurésque qui non videantur, & judiciorum Dei abyssos quæ non pervadantur, & creaturarum possibilium thesauros qui non exhauriantur.

II. Si Scripturarum oraculis, si Patrum sententiis auscultare libet, his postremis accedendum esse videtur, Dei visionem nonnihil extenuantibus, invisibilitatem plurimùm exaggerantibus. Quin imo sanctos Patres parciores fuisse liquebit in admetiendo Beatis divinæ visionis modo, & mirum quantum effusiores in amplificando divinæ incomprehensibilitatis omnem modum superante modo. Adeo ut visio Dei clara & conspicua citra omne dubium, concedatur quidem; sed quantum fas erit, circumscribatur; ne vel divinæ invisibilitati illudatur: vel Patrum authoritas quæ illam exaggeratè adeo extollit, infringatur. Et sanè nostrum est divinæ dignitati, Dei est nostræ utilitati consulere; Dei est visionem sui indulgere prolixiùs, nostrum est invisibilitatem Dei impensiùs promovere.

III. Demonstratur itaque 1. quantumvis Beati clarè & intuitivè Deum videant, nec tanto tamen lumine, nec tanto acumine videre, ut totum videant, vel ex toto: sed multa ipsos præterire, & plura quàm vulgo soleant suspicari.

Primò eo spectat illud Jobi: *Columnæ cœli contremiscunt & pavent ad nutum ejus.* Adstupent & præ admiratione contremiscunt mentes Angelicæ, nec audent ulteriùs eluctari, quàm pro præstituto sibi visionis divinæ modulo; ulteriora omnia suspicari quàm intueri, obstupescere quàm scrutari, contremiscere quàm invadere malunt. Gregorius Magnus: *Columnæ cœli contremiscunt & pavent ad nutum ejus: de Sanctis quoque Angelis nihil obstat intelligi, quia ipsæ quoque Virtutes cœlestium, quæ hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt. Sed idem tremor, ne eis pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis.* (Moral. l. 17. c. 17.) Sed pulcherrimè Dionysius: *Radium illum supersubstantialem sibi perseveranter insitum, cuilibet rei Deus congruis illuminationibus clementer attemperat, nec non ad quantam fas est contemplationem ac communionem similitudinemque sanctas mentes evehit: quæ ad ipsum quoad possunt, connituntur: dummodo non sublimiùs quàm pro eorum captu divina fert illustratio, insolenter aliquid præsumant; nec in præceps perversa propensione labantur: at constanter & irreflexis oculis illucentem* (De divin. Nom. c. 1. nu. 2.)

radium contueantur, nec non amore indultis sibi collustrationibus commenso, cum sacra quadam reverentia, modestè sanctèque sursum evolent. In quem locum Pachymeres ait, si Sancti vellent ultra præfixum sibi modum conari, à concesso etiam lumine casuros: *Non secus ac qui integrum solem oculo corporeo excipere contendit. Hoc cum divinæ virtutes insinuare vellent, Cherubim & Seraphim facies tegunt, declarantes se non inhærere contemplationi sublimiori quàm ipsis concessa sit. Atqui hoc est, Deum nemo vidit unquam. Unde qui divina sapiunt, gloriam Dei, non autem ipsum Deum visum asserunt.* Quæ Patrum dicta parum constabunt, si nihil penitus lateat Beatos.

Secundò rursus Esaiæ cap. VI. scribuntur Seraphimi coram Deo stare, pedes tegere, facies velare suas, nec sine tremore gloriam Deo canere. Ex quo multa exculpserunt sancti Patres argumenta ad suas Deo latebras cuilibet creaturæ impervias asserendas. Chrysostomus: *Dic quæso quamobrem alas prætendunt, & suas operiunt facies? quid aliud dixeris causæ quam splendorem procursantem è solio illo, & fulgur prosiliens ferre nequire? quanquam non ipsam meram videant lucem, nec ipsam sinceram substantiam, sed quod videbant condescensus erat. Quid nomen hoc condescensus significat? Cùm Deus non ut est, se ostendit, sed quoad videre is potest, qui aspectum ejusmodi meruit; eatenus firmitate videntis suam repræsentationem metitur. Illa autem condescensum fuisse, constat ex ipsis verbis, Vidi Dominum, inquit, sedentem: at Deus non sedet, corporis enim hic habitus: &, In solio, cum Deum nullum solium complectatur. Attamen ne condescensum quidem ferre potuerunt.* Ait Chrysostomus non videri ab Angelis beatis Dei ipsam substantiam, non ipsam ejus lucem, non Deum ut est, sed condescensum tantùm, eumque trepidante aspectu videri, nec ferri posse, ideoque faciei illos suæ alas manusque prætendere. An qui hæc sensit, Deum ab illis totum videri sensit, aut ex toto videri, & nihil substantialium, vel personalium latere sensit? an consilia tantùm Dei aliqua, vel creaturas possibiles latere sensit? minimè gentium. Rursus idem Chrysostomus: *Declarat quia id quod videbatur, etiamsi esset tantum condescensus Dei, sicuti certè erat, neque tamen supernæ illæ Virtutes ad eam usque mensuram pertingere poterant, quantalibet sua capacitate. Nam quod velabant pedes, quodque operiebant terga, utrumque indicat admiratione eos fuisse perculsos, & ad fulgorem tantæ majestatis intremuisse, non ferentes ejaculationem tanti splendoris è throno prosilientis. Quamobrem facies suas obtentu alarum quasi pariete quodam obumbrabant; id quod pro more sustinemus facere, cum aut tonitru cum vehementi fragore decidit, aut fulgura erumpunt, terram versus prono vultu inclinati.* Eadem habet infrà Hom. I. in illud, Vidi Dominum. Theodoretus in Ezechielis illa verba, Duæ alæ tegebant corpora eorum: *His declarat ne à divinis quidem potestatibus omnia comprehendi; sed alia ipsis perspicua esse, alia ignota: nec sibi positos terminos transgredi. Sed duas alas, concesso sibi contemplandi munere exultantes, extendunt: & duabus corpus contegunt, eorum quæ occulta sunt, ignoratione contentæ: neque contendentes ut ea percipiant, quæ percipere nefas est.* Vides quàm fidenter asserat aliqua ignorari à beatis Angelis. Athanasius in hoc dictum, Omnia mihi tradita sunt: *Quid propinquius Cherubimis & Seraphimis? illi non intuentur, nec pedibus insistunt; imo ne facie quidem nuda sunt, sed ea obvelata gloriam Deo canunt, &c.* Non intueri, faciem velare, aliqua ignorare, condescensum tantùm videre, non sicuti est videre, non nudam substantiam videre, condescensus ipsius fulgorem ferre non posse, sed tanquam ad tonitru contremiscere, & manum oculis obtendere, hæc plusculum aliquid significant, quàm aliquas tantùm non videre in Deo naturas nunquam creandas, vel judiciorum abyssos non vestigandas; hæc plusculum significant etiam fortassis, quàm tametsi videantur omnia in Deo, non tamen videri tota luminis & acuminis perspicacia qua videri possent.

Serm. 3. De incomprehensibil.

Ennar. in c. 6. Esaiæ. Tom. 1.

In Ezech. c. 1.

IV. Tertiò, illud Pauli de Christo, Apparuit Angelis, plerique sanctorum Patrum ita commentantur, quod Verbum natura divina invisibile cum sit, videri ab Angelis beatis non potuisset; sed in natura assumpta videri demum ab iisdem potuit. Athanasius: *Antea invisibilis etiam Potestatibus sanctis, qui in cœlo sunt; nunc autem visibilis redditus, per ipsius cum homine qui visibilis est, unionem. Visibilis inquam non invisibili Deitate, sed Deitatis per humanum corpus operatione.* Chrysostomus: *Quod ipse invisibilis sit non solum hominibus, sed & supernis Virtutibus, cum dixisset Paulus manifestatum esse in carne, subdidit, Visum ab Angelis: Ergo ex quo carnem induit, tunc visus est ab Angelis; antea autem non ita videbatur, cum ipsis quoque invisibilis esset substantia.* Statimque exponens quomodo Angeli semper videant Patrem, ait ita fieri, quia ob insomnem naturam semper Deum imaginantur, φαντάζονται, id est, mente agitant. Theodoretus Dialogo I. de Immutabili: *Sic ergo de Angelis intelligamus, audientes quod semper vident faciem Patris: non enim vident divinam substantiam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest: ἀπερίγραπτον, ἀκατάληπτον, ἀπερινόητον; & quæ universa comprehendit: sed δόξαν, id est, speciem quandam ipsorum naturæ accommodatam. Post incarnationem verò visus est etiam Angelis secundum divinum Apostolum, non in similitudine gloriæ; οὐκ ὁμοιώματι δόξης, sed vero ac viva utens quasi velamine, carnis integumento.* Vide & eundem in eundem locum Apostoli. Quæ cum ita sint, quis non intelligat visionem Dei Beatis concessam intra breviorem gyrum à Græcis istis Patribus concludi, quorum hoc in negotio sacrosancta, ut mihi quidem videtur, debet esse authoritas, tantòque majoris ponderis, quod causam Ecclesiæ & veritatis columnam contra hæreticos invisibilitati & incomprehensibilitati Dei insultantes defensarent. Ariani quippe, invisibilitatem Filio abrogatam Patri soli adrogabant; Eunomiani Deum à se absolutissimè comprehendi blatterabant. Milites Ecclesiæ, veritatis vindices, proindeque spiritus veritatis compotes extitere Patres isti. Nec enim satis tutum esset patrocinium veritatis, quod à mendacio peteretur; nec satis cautè errores erroribus debellarentur.

Orat. 5. Adv. Arii.

Hom. 14. In Joan.

1. Ad Timoth. c. 3.

V. Quartò, ita habet Paulus; Ut innotescat Principatibus & Potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Hinc liquidum est, multa Angelos beatos celari; aliqua non priùs ipsis quàm hominibus revelari; nonnulla ipsis per homines revelari. Quod argumento est non omnia Dei ipsis patescere; aliqua esse adyta eis impervia; sapientiæ inquam & potentiæ adyta invia; sed quidni & substantiæ? an enim abstrusior est sapientia & potentia Dei quàm quævis alia ejus proprietas, dignitasque? an abstrusior, an sublimior, an sacrosanctior Deus qua creator est, quàm qua Deus est? qua noster est, quàm qua suus est? qua se potest in nos effundere, quàm qua nec effundere se potest? Chrysostomus cum locum illum Apostoli præmisisset: *Audis quemadmodum nunc non ante cognoverint hoc illæ Virtutes, & rectè quidem. Non enim de quo apud Imperatorem consultatur, miles nescit. Vide quantum honoris in genus humanum Deus immortalis contulerit: nobiscum & per nos Virtutes supernæ Regis summi secreta cognoverunt.* Sed præclarissimè Gregorius Nyssenus: *Revera enim per Ecclesiam innotescit super mundanis potestatibus varia & multiplex Dei sapientia, quæ per contraria res efficit magnas & admirabiles.* Prolixè dein-

Ephes. 3.

Hom. 4. De incomprehensibil.

Hom. 8. In Cant.

deinde differit vidiffe hactenus Angelos Deum ordine congruo cuncta moderari; at per Christi myfterium jam videre ordine præpoftero, fed multò magis mirando, vitam è morte, libertatem è fervitute moliri. *Illi fortè cum per fponfam, fponfi vidiffent pulcritudinem, admirati funt id, quod omnibus quæ funt eft invifibile & incomprehenfibile. Deus enim quem nemo vidit unquam, ut dicit Joannes, nec poteft aliquis videre, ficut teftatur Paulus, corpus fuum fecit Ecclefiam, &c. Si ergo Ecclefia eft corpus Chrifti, Chriftus autem eft caput corporis, fuo charactere formans faciem Ecclefiæ, fortè per hoc ad ea afpicientes amici fponfi, corde donati funt; quoniam per eam clarius afpiciunt invifibilem. Et quomodo ii qui ipfum orbem Solis non poffunt videre, per aquæ fplendorem ipfum vident: ita illi tanquam in mundo fpeculo, in facie Ecclefiæ intuentes, juftitiæ Solem vident, per id quod apparet, intelligendum.* Multa ergo Angelos Deum videntes latent, quæ eifdem corpus Chrifti feu Ecclefiam tanquam fpeculum intuentibus patent; aliqua docet illos ut homo Chriftus, quæ non oftendit ut Deus; aliqua videntur à Beatis in ejus humanitate & Ecclefia vifibili, quæ non videntur in ejus Deitate invifibili; & hoc non aliquale, fed totum illud & præ cæteris mirabile genus operum eft, quo ex contrariis contraria exprimit.

De Cœleft. Hier. c. 7. §. 11. Dionyfius myfticos baptifmi ritus evolvens, vel evolvi humano intellectu non poffe docens: *Quomodo divina omnia nequaquam noftra intelligentia menfuranda fint: fed plurima quæ nos latent, caufas habere Deo dignas, quas nos quidem ignoremus, verùm ab Ordinibus nobis præftantioribus perfpicuè cognofcantur. Plurima item latent fupremas illas fublimiffimafque fubftantias, quæ foli fapientiffimæ fapientificæque divinitati nota funt.* Non tantùm ergo de invifibili Deitate, fed etiam de vifibili Chrifti corpore plurima latent Angelos. An ergo totum, vel ex toto Deum vident, & tantum non tantundem vident quantum Deus, nifi quòd obfcuriùs vident, & naturas ab ipfo nunquam creandas non vident? an tantillum deficit ne Deum comprehendant, cùm tantum deficiat ne Ecclefiam comprehendant? an plura ipfos in Ecclefia vifibili, quàm in Deitate invifibili latent? Rurfus Chryfofto-

Hom. 1. In Joan. mus: *Aliud narrantem audiemus, nempe Joannem Evangeliftam: hoc eft, quæ in cœlo funt & quæ nemo unquam antehac intellexit, &c. imo neque omnes quæ in cœlo funt, fcire ea credendum eft, ut jam diximus.* Quanquam defint hæc poftrema verba in Græcis.

Cap. 11. VI. Quintò, eò pertinet & illud Job, Excelfior cœlo eft, & quid facies? profundior inferno, & unde cognofces? longior terra menfura ejus, & latior mari. Quæ cùm fpiritualiter intelligi debeant, tam ergo plurima de Deo latent oculos mentis cujufcumque creatos, quàm de cœlo, mari, terra, latent plurima oculos corporis, quantumvis acutos. Ita philofophatus eft Gregorius Ma-

Moral. L. 10. c. 7. gnus: *In retributionis culmine reperiri omnipotens per contemplationis fpeciem poteft, fed tamen ad perfectum non poteft: quia etfi hunc in claritate fua quandoque confpicimus, non tamen ejus effentiam plenè contuemur. Angelica enim vel humana mens cum ad incircumfcriptum lumen inhiat, eo ipfo fe, quo eft creatura, coanguftat: & fuper fe quidem per provectum tendit, fed tamen ejus fulgorem comprehendere nec dilatata fufficit; qui & tranfcendendo & portando omnia, & implendo concludit. Unde & adhuc fubditur, Excelfior cœlo eft, & quid facies? profundior inferno, &c.* Audis non confilia, non judicia, non poffibilium naturarum miracula, fed ipfam Dei effentiam non plenè videri à Beatis, plurima illius latere, ficut oculos corporis plurimæ cœli terræque latent plagæ.

VII. Sextò, non femel in Scripturis invifibilis prædicatur Deus; at quòd oculo corporeo invifibilis fit, inde parum commendaretur amplitudo Deitatis, cùm & Angeli & animæ & nonnulla etiam corpora tenuiora oculum corporeum fallant. Invifibilis ergo Deus eft, quia nulla eum creatura totum vel ex totò videre poteft & plenè; ejus inquam effentia invifibilis eft, non tantùm providentia, non tantùm omnipotentia. Hieronymus in Comment. ad cap. 1. Ifaiæ, ut citatur ab Auguftino: *Homo igitur* Epift. 111. *Dei faciem videre non poteft. Angeli autem etiam minimorum in Ecclefia femper vident faciem Dei. Et nunc in fpeculo videmus & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus, & potuerimus cum Apoftolo dicere: Nos autem omnes revelata facie gloriam Dei fpeculantes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam quafi à Domini fpiritu. Licèt faciem Domini juxta naturæ fuæ proprietatem nulla videat creatura, tamen tunc mente cernitur, quando invifibilis creditur.* Quæfo te; quid apertius; approbat videri Deum ab Angelis, & ab hominibus beatis fimiliter vifum iri, & quidem facie ad faciem; fed ita tamen, ut faciem Dei juxta naturæ fuæ proprietatem nulla videat creatura; fed fimul videatur, fimul invifibilis credatur. An hæc folam judiciorum vel creaturarum nunquam creandarum vifionem occludunt? an hæc totum & totaliter videri concedunt? an hæc de Deo nihil penitus latere innuunt? Gennadius: *Nihil incorporeum & invifibile natura credendum, nifi folum Deum, & ideo* De Dogmat. Eccl. c. 11. *invifibilem omnibus creaturis, quia incorporeus eft.* Sic ille fpecialem quamdam & quavis incorporea creatura longè præftantiorem incorporeitatem, proindeque invifibilitatem vendicat. Eucherius Lugdunenfis libro de formula fpiritualis intelligentiæ: *Invifibilis eft, quia in effentia fua videri omnino non poteft, Apoftolo atteftante, qui ait, Quem nullus hominum vidit, fed nec videre poteft.*

VIII. Septimò, illud item Joannis expendendum: Deum nemo vidit unquam: Unigenitus qui eft in finu Patris, ipfe enarravit. A vifione Dei faltem perfecta & tota non folus arcetur homo, fed omnis creatura penitus, quum id effe privilegium Unigeniti memoratur. Ambrofius: *Is in* In c. 1. Luc. *cujus voluntate fitum eft videri, naturæ vero eft non videri, &c. Et quid de hominibus loquimur, cùm etiam de ipfis cœleftibus Virtutibus & Poteftatibus legerimus, quia Deum nemo vidit unquam, & addidit quod ultra cœleftes eft Poteftates, Unigenitus Filius qui eft in finu Patris, ipfe enarravit, &c. Et ideo Deum nemo vidit unquam, quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem divinitatis nemo confpexit, nemo mente aut oculis comprehendit.* Vides à vifione Dei etiam Angelos excludi; vides eam foli Unigenito tribui; vides id ideo fieri, quia plenitudinem Divinitatis nemo unquam confpexit; cùm enim ea plenitudo infinitatis fit non adventitia Deo, fed ipfamet effentia Dei, & propria Dei qua Deus eft proprietas, cùm ea non videatur, rectè dicitur quòd Deus non videtur. Si ergo plenitudo Deitatis ex Ambrofio, fi proprietas Deitatis ex Hieronymo non videtur, utique totus & ex toto Deus non videtur, utique aliquid latet quod non videtur; fi tantùm eft & tam immenfum quod à Beatis non videtur, ut Scripturæ Patrefque abfolutè quandoque dicant non videri, utique aliquid latet, non tantùm de providentia & potentia, fed de ipfa effentia Dei. Nam plenitudo & proprietas Divinitatis non eft providentia vel potentia.

IX. Octavò, apud eundem Joannem 6. Non quia Patrem vidit quifquam, nifi is qui eft à Deo, hic vidit Patrem. Ubi quod Unigenito arrogatur, creaturis penitus omnibus abrogatur; imò ratio memoratur, cur id Unigenito foli competat, ut

Patrem

Patrem videat, nempe quia ex Deo est. Unde hoc divinitatis Verbi à sanctis Patribus contra Arianos intentatum est argumentum, quòd Deum videat, quod nulli creaturæ concessum est. Chrysostomus: *Nec ubi, Nullus vidit Patrem, dixisset, tacuit: ne quis de hominibus tantum hoc dici existimaret: sed quum ostendere vellet, nec Angelos, nec Archangelos, nec Virtutes omnino supernas cognoscere, certum hoc ipsum ex his quæ adjunxerat, reddidit. Quum enim præposuisset, Non quia Patrem vidit quisquam, addidit, Nisi is qui ex Deo est, hic vidit Patrem: ea Unigeniti adjunctione omnem secludit creaturam*. Et infrà: *Qui est ex Deo, hic vidit Patrem. Plenè & exquisitè illum novisse, & causam quamobrem noverit, dicit, Quoniam ex eo est. Quænam autem causa? Quòd ex ipso sit. Et vicissim quod ex ipso sit, argumentum est, quia eum exquisitè cognoscit. Substantia namque substantiam superiorem nunquam perfectè cognoscere potest, etiamsi parum intersit*. Advertis reciprocum esse argumentum, Ex Deo est, ergo Deum accuratè novit; Deum accuratè novit, ergo ex Deo est; nulla ergo creatura μετὰ ἀκριβείας εἶδεν accuratè novit. Idem alibi: *In sinu Patris esse, majus quiddam est, quàm videre; qui enim tantùm videt, non omnino habet ἀκριβῆ τῶν φαινομένων τὴν γνῶσιν; qui verò in sinu immoratur, nihil ignorat*. Ergo nihil ignorare, argumentum est naturalis in sinu paterno moræ; qui ergo in sinu non sunt, plurima ignorant, & adeo plurima, ut quamvis videant, dici possint non videre. Rursus Atanasius: *Quòd si rebus creatis Patrem aut videre aut cognoscere impossibile est, quum tale spectaculum ejusmodique cognitio omnes transcendat: quemadmodum Deus de se locutus est, Nemo inquiens videbit faciem meam & vivet; quod ipsum quoque à Filio dictum est, Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius. Aliud igitur fuerit à rebus creatis Verbum, ut quod solum ex omnibus cognoscat, solum conspiciat Patrem, ut ex ipsis verbis colligere licet, Neminem videre Patrem, nisi eum qui est ex Patre*.

Hom. 4. De incomp. — Hom. 14. In Joan. — Orat. 3. con. Arian.

X. Nonò, lucem Deus habitat inaccessibilem, judicia ejus investigabilia, consilia inscrutabilia sunt; ergo ipse invisibilis saltem ita est, ut totus & ex toto non videatur. Nam si ne accedere quidem fas est, quomodo totus videbitur? imò si ne ad lucem quidem quæ non ipse, sed quam inhabitat ipse, accedere fas est, quomodo convenietur ipse tam familiariter & tam propè, ut totus & ex toto inspiciatur? Si judicia ejus, si consilia non tantùm comprehendere, sed ne vestigare quidem, ne scrutari quidem licet, quomodo substantia ejus non vestigabitur tantùm, sed tota pervidebitur? Chrysostomus: *Et lucem inhabitat inaccessibilem. Attendas velim diligentiam Pauli. Non enim dicit, Qui lux inaccessibilis est; sed, Qui lucem inaccessibilem habitat, scilicet ut intelligas, quàm ipse habitans Deus inaccessibilis sit, quando domicilium quod inhabitat, inaccessibile est. Nec, Lucem incomprehensibilem habitat dicit, sed inaccessibilem; quod longè plus quàm incomprehensibile est. Quod enim inquisitum investigatumque comprehendi non potest, id esse incomprehensibile dicimus. Quod autem ne investigandi quidem ullam operam patitur, & ad quod nemo propius accedere potest, id inaccessibile est*. Dionysius: *Multos quoque Theologos invenias non modo illam ut invisibilem & incomprehensibilem laudasse, sed ut imperscrutabilem & ininvestigabilem, nullo scilicet extante vestigio eorum qui ad reconditam ejus infinitatem pervaserint*.

Hom. 3. de incomp. — De divinit. nomin. c. 1. n. 12.

XI. Demonstratur 2. præter naturas nunquam creandas, præter judiciorum abyssos, nonnulla in ipso essentiæ divinæ sinu beatis mentibus non propalari. Si enim judicia incomprehensibilia sunt, quia latent: ergo & ipse ut incomprehensibilis sit, aliqua saltem ex parte latet. Si judicia & consilia de creaturis tanti sunt, ut ne Beatis quidem omnibus propalari debeant, aut aliqua nullis: ergo & essentia Dei tanti erit potiùs, ut non omnis propaletur. Si consilia de creaturis ne vestigabilia, ne scrutabilia quidem sunt, nedum comprehensibilia; ergo & essentia Dei aliqua saltem ex parte ne vestigabitur quidem, nedum videbitur. Si judiciorum abyssus tam stupenda est, si prædestinationis consilium tam horrendum est, ut ferri non possit ab ulla creatura: ergo & essentiæ divinæ ac majestatis tonitru omnibus creaturis intolerabile erit. Rursus si inintelligibilia novit Deus facere, quantò magis esse? Si creaturæ possibiles non omnes videntur, multò minùs creator ipse totus videtur. Si potentia Dei non tota videtur, ergo nec bonitas, nec sapientia, nec sanctitas tota videbitur; cur enim incomprehensibilior erit potestas reliquis attributis? Si tantum acuminis tantumque luminis in beata mente sit ut totum Deum videat & pervideat, quidni ut & omne ens creabile videat? quantilla enim est hæc accessio? an infatigabiliter sufficiens toti Deo lustrando, ubi ad creaturas devenit mens, tum fatiscit & deficit? Si creaturæ in essentia Dei videntur, nec omnes videntur, ergo nec omnis essentia videtur: nam si omnis videtur, quidni ut omnino participabilis videtur?

Denique si ad comprehendendum Deum plus luminis, plus acuminis, plus moliminis desideretur, quàm in creaturis ullis inveniatur, ideo plus desideratur, quia horum defectu aliqua latent, quæ horum profectu paterent. Ad quid enim lumen uberius, si nihil amplius aperiat? ad quid acumen & molimen majus, si minori tantundem pateat? Si nihilo plus vides majori acie & luce quàm minori, perinde est majori videas, an minori. Si perfectiùs vides majori lumine, ideo id fit quia majori lumine plura vides, multa in objecto discernis, minuscula quæque secernis, particulas quasque & minutias latitantes discriminas, ut quotidie in visu corporeo periclitamur.

XII. Augustinus: *Qui potens est facere supra quàm petimus aut intelligimus. Si autem facere, quantò magis esse?* Basilius: *Nam si judicia ejus abyssus multa, ut Propheta dicit, & viæ ejus investigabiles & inscrutabiles omnino secundùm Paulum, quantò magis ipse cujus talia sunt judicia & tales viæ? Nec mirum si ipse Deus talis est, ubi quæ ipsius sunt, talia sunt*. Cyrillus Jerosolymitanus: *An vestigium Domini reperies, inquit Job, aut ad extrema pervenies, quæ fecit omnipotens? Si extrema & minima Dei opera non comprehenduntur, is qui omnia fecit comprehendeturne? Oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se: si quæ præparavit Deus nostris nequeunt mentibus comprehendi, eumne qui præparavit, animo comprehendere possumus? O altitudo divitiarum & sapientiæ Dei, quàm inscrutabilia judicia ejus & investigabiles viæ ejus! ait Apostolus. Si judicia & viæ comprehendi non possunt, ipsene comprehendetur?* Ubi hoc contendunt sancti Patres, & judicia Dei incomprehensibilia esse, & ideo incomprehensibilia quia latent & ignorantur, & Deum iis incomprehensibiliorem esse, atque adeo aliquid etiam latere ejus, aliquid ignorari. Chrysostomus: *Non de substantia, sed de sapientia disserens Paulus, ea quæ in providentia versetur, non de illa universali, qua Angelis, Archangelis ac omnibus supernis Virtutibus providetur, sed de ea providentiæ parte qua hominibus terræ incolis consulitur, & de ejus ipsius parte; nec enim totam eam scrutatur, qua Sol oritur, qua anima inspirantur, &c. sed ejus particulam inquirens, qua Judæos neglexerit, Gentiles autem amplexus sit; ad hanc ipsam particulam veluti ad mare immensum, & gurgitem prægaltum inspiciens, conturbatur, deficit, & recedit, illico voce magna exclamat, O altitu-*

Epist. 174. — L. 1. adv. Eun. nom. — Catech. 6. — Hom. 2. de incomp.

altitudo, &c. Non incomprehensibilia dicit, sed inscrutabilia, &c. Vias ejus investigabiles audis, & ipsum comprehensibilem putas. Sed cur loquor de viis; præmia quæ nos manent, comprehendi non possunt; oculus enim non vidit, &c. Et munus ejus inenarrabile est: Gratias enim Deo, inquit, pro inenarrabili ejus dono. Et pax ejus omnem exuperat intellectum. Quid ais? judicia ejus inscrutabilia sunt, & viæ investigabiles, & pax omnem excedit intellectum, donum inenarrabile; quæ præparavit diligentibus se, non ascenderunt in cor hominis: magnitudo finem non habet, scientia caret numero, omnia ejus incomprehensibilia sunt, & ipse solus est comprehensibilis. Ubi perpetuò id observatur, ut hæc omnia ideo incomprehensibilia sint, quia ex parte latent & ignorantur, & Deus iis omnibus longè incomprehensibilior sit.

CAPUT XX.

Incomprehensibilitas Dei novis argumentis astruitur.

I. Incomprehensibilitas Dei hinc rursus patet, quòd nunquam natura inferior superiorem totam, aut ex toto capit. Multæ ejus rei elucidationes.

II. Multæ & Patrum suffragationes.

III. Usque adeo Deum totum, vel ex toto non vident Beati, ut Deum nosse & videre solius Dei proprium esse non pauci Patrum dixerint.

IV. Infinitum sibi soli totum patet, nulli finito.

V. Quod totum tenetur, vel videtur, id comprehenditur. At Deus non potest comprehendi, ergo nec totus videri. Augustinus, Hilarius, Epiphanius, Cyrillus.

VI. Patribus Græcis Deum non comprehendi, idem est ac non videri, non intelligi, ignorari.

VII. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quantum illa similitudo, tantum hæc visio à perfectione deficit.

VIII. Deus est supra essentiam, supra mentem, melius capitur ignoratione, melius exprimitur silentio.

IX. Patrum ad id testimonia.

X. Summa antedictorum. Ubi & tentatur concordia nonnullorum, quæ collidi mutuo videbantur.

I. Demonstratur 3. Natura inferior superiorem, imò infima supremam plenè, exquisitè & ex toto videre nequaquam potest. Creatura enim quamlibet summa, creatori composita infima est; nec ita infimum summo coæquari & coaptari unquam potest, ut illud adæquet, & totum vel ex toto capiat.

Rursus ut essentiæ suæ, ita cognitionis suæ non plenitudinem, sed portionem largitur Deus creaturis etiam beatis; ergo ut essentiæ partem tantùm accipiunt, ita ex parte tantùm eam conspiciunt: ut ex toto non sunt quod Deus est, ita nec ex toto vident quod Deus est; ut enim plenitudo essentiæ, ita plenitudo cognitionis propria Dei est; creaturæ est utramque participare tantùm.

Rursus hinc supra ex Scripturis & Patribus declaratum est, ideo Unigenitum videre Deum & Patrem, quia ex Deo est, quia in sinu Patris est; nam qui ex Deo est, ut essentiam Dei hinc totam, ita totam Dei visionem haurit; qui in sinu Patris est, merito omnes sinus, omnes recessus, omnia arcana perlustrat; at creatura quæ ex nihilo est, tam tota visione, quàm tota essentia Dei non donatur; creatura quæ extra sinum est, quæ quantumvis citima Deo, multùm tamen longinqua est, non videt omnes sinus, non perlustrat omnia arcana Deitatis.

Rursus hinc Spiritus sanctus scrutatur profunda Dei; ut enim hominis conscientia soli hominis spiritui tota patet; ita Dei penetralia soli Dei Spiritui tota patent.

Rursus Beati nobis quàm Deo propiores adhuc sunt; quantumlibet enim supra nos emineant, plus eminet incomparabiliter supra ipsos Deus. Ergo similius veri est quod aliqua de Deo ut nos, ita ipsos lateant; quàm ut omnia de Deo, ut Deo ita ipsis pateant.

Denique quod natura inferior quantumvis robusta superiorem totam videre non sustineat, liquet exemplo virorum, viribus gratiæ & sapientiæ supra reliquos mortales maximorum, qui tamen ad contuitum Angeli expaverunt, obstupuerunt, exanimati essent, si diutiùs tanti spectaculi stupor incubuisset. Ita Daniel ad Angeli conspectum extabuit. An Propheta maximus Angelo videndo impar est, & Angelus quicumque, Beatus quicumque Deo toti vidende & ex toto par erit, nec caligabit, nec nictabit, nec deficiet?

II. Gregorius Magnus: *Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest. More suo homines vocans, omnes humana sapientes, quia divina sapiunt, videlicet supra homines sunt. Videbimus igitur Deum, si per cœlestem conversationem supra homines esse mereamur. Nec tamen ita videbimus, sicut videt ipse seipsum. Longè quippe dispariliter videt creator se, quàm videt creatura creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis; quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus. Sed profecto non ita conspicimus Deum, sicut ipse conspicit se; sicut non ita requiescimus in Deo, sicut ipse requiescit in se.* Omnis enim quamlibet beata, creatura tamen est, ideoque à creatoris visione longè deficit, tantum videlicet quantum à reliquis creatoris privilegiis. Moral. l. 18. c. ult.

Hieronymus ab Augustino citatus, *Videre Deum sicuti est in natura sua, oculus hominis non potest; non solum homo, nec Angeli, nec Throni, nec Potestates, nec Dominationes, nec omne nomen quod nominatur. Neque enim creatura potest aspicere creatorem suum.* Vides quàm nefas sit creaturæ cuilibet tota adyta Deitatis, totum sinum creatoris denudare, ut tantumdem jam sciat creatura quàm creator. Epist. 111.

Damascenus: *Quum Deus incomprehensibilis sit, nomine quoque caret, &c. Sed bonus existens Deus, & per suæ bonitatis participationem ad esse nos ex nihilo perducens, & facultatem cognoscendi nobis immittens, quemadmodum non substantiæ suæ participes nos fecit, ita nec substantiæ suæ cognitionem nobis reliquit: impossibile est enim ut natura perfectè cognoscat superpositam naturam.* En quàm perspicuè plenam visionem naturæ superioris inferiori neget; nam plenè videre, & omnium conscium esse, & omnia pervidere, non est nisi aut ejusdem de seipso, aut superioris, aut saltem comparis; sed sua aliqua inferioribus occultare, jus est & amplitudo superiorum; omnia superiorum nec capere nec ferre posse, ingenium est & conditio inferiorum; omnia ergo pernosse, non est nisi aut eandem aut comparem aut superiorem substantiam obtinentis. Ortho d. fid. l. 1. c. 15.

Gregorius Nazianzenus: *Quamlibet cœlestis ac supercœlestis res aliqua condita sit, sublimioreque quàm nos natura prædita, Deoque vicinior; longiori tamen intervallo & perfecta comprehensione distat, quàm quo compositam hanc nostram & abjectam, & humi vergentem massam superat, &c. At rem tantam intelligentia capere omnino impossibile est, non modo ignavis & languidis, sed magnis etiam & excelsis viris, &c. Atque haud scio, an hoc quoque sublimioribus illis & intelligentibus naturis negatum sit: quæ quia Deo propius junctæ sunt, ac toto illo splendore collucent, cernere utique fortasse queant, si non prorsus, ac* Orat. 34.

certe

certe plenius & expressius, & alia aliis pro cujusque ordine, vel uberius, vel parcius. Angelorum ergo ut substantia, ita visio Dei, nostræ quàm divinæ propior est; atque adeo propius est, ut plurima de Deo nobiscum nesciant, quàm ut omnia cum Deo sciant.

Chrysostomus de Filio Patrem vidente agens: *Propterea ipsum novit evidenter, quoniam ex eo est; & argumentum quod ex eo sit, est ipsum evidenter nosse. Substantia namque substantiam superiorem nunquam potest καλῶς εἰδέναι, etiamsi parum intersit.* Idem ibidem: *Sed cur de beata illa substantia loquor, quando ne Angeli quidem substantiam homo videre liberè valeat, &c. Daniel quem venerati sunt oculi leonum, belluarum ferocissimarum, Daniel qui plus quam natura pateretur humana efficere potuit, præsentiam Angeli sui conservi ferre nequivit, sed defectissimus viribus atque exanimatus jacuit. Sunt enim conversa, inquit, intestina mea in visione mea, & nihil in me spiritus remansit. Isti qui tam longè ab illius justissimi hominis virtute absunt, & jacent & sordent, ipsam substantiam Dei sese diligentissimè nosse profitentur, quæ suprema & prima est, quæ millia Angelorum creavit, quorum unum Daniel videre non potuit.* Cùm ergo plus distet Angelus beatus à Deo quàm ab homine mortali, tam illum saltem totum ferre & videre non potest, quàm nec ab isto totus ferri & videri.

Hom. 5. De Incom.

Ibidem. Hom. 3.

III. Declaratur 4. Usque adeo Deus totus, vel ex toto non videtur à creaturis, vel beatis, ut Deum nosse, Deum videre, absolutè Dei solius esse pronunciaverint non pauci sanctorum Patrum. Nempe præeuntes sacras paginas audiebant, soli Verbo & Spiritui sancto vindicantes Patrem nosse & scrutari profunda Dei. Si Spiritus sancti est, quia Spiritus Dei divinorum omnium conscius utique est, profunda Dei scrutari, an creatæ quoque mentes omnia scrutabuntur? Imò an scrutandum nihil habebunt, quia omnia ultro patescent? Si Filii unius est Patrem vidisse, an creatæ mentes Patrem non tantum videbunt, quod ex gratia eis indultum est, sed totum & ex toto videbunt? Si quod effantur Patres sibi soli nota est Trinitas, an in conscientiæ hujus suæ intimæque cognitionis consortium creaturas asciscet?

Isidorus Hispalensis: *Quid est ergò, faciem meam videre non poteris? Nisi quia quamvis usque ad parilitatem Angelicam humana etiam post resurrectionem natura proficiat, & ad contemplandum Deum indefessa consurgat, videre tamen ejus essentiam plenè non prævalet, quam nec ipsa perfectio Angelica in toto vel integrè attingit scire: secundum Apostolum qui ait, Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, ut subaudias, & Angelorum. Sola enim sibi integre nota est Trinitas & humanitati susceptæ, quæ tertia est in Trinitate persona.* Eadem verbatim repetit alibi, similiterque concludit, *Sola enim Trinitas sibi integrè nota est.* Ubi expressè negat Angelos videre, aut beatas animas etiam post resurrectionem visuras Deum plenè, integrè, ex toto; sed Deum soli sibi notum esse. Quod constare vix potest, si nihil divinæ essentiæ beatos latet. Cyrillus Jerosolymitanus: *Qui enim est ex Deo, ipse vidit Deum; cujus faciem Angeli perpetuo vident in cœlis; vident autem unusquisque secundum ordinis proprii mensuram; splendorem autem purum paternæ visionis, propriè tantum Filio cum Spiritu sancto intueri licet.* Chrysostomus: *Id quod est Deus, non modo Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli: sed si eos percontaberis, nihil ab eis de Dei substantia audies, sed tantum referentes, Gloria in altissimis Deo, &c. Solus ipsum videt Filius & Spiritus sanctus. Quod si omnis natura creata est, quanam ratione increatum videre poterit?*

In Exod. c. 19

Sent. L. 1. c. 3.

Catech. 7.

Hom. 14. In Joan.

IV. Declaratur 5. Infinitum sibi solummodo totum patet; nulli finito, quacumque demum ex parte finitum sit, totum se valet infundere. At Deitas infinita & ipsa infinitas est; mens quælibet creata quantovis illustrata lumine, confortata robore, finita tamen est: totam ergo non capiet illam infinitatem. Ergo ultra fines mentis beatæ latè exporrigitur, extra sinum ejus nimis angustum longè effunditur, infinitas divinitatis; ergo non tota videtur, & tum optimè videtur, cum tota videri non posse sentitur. Quod enim totum videtur, ei à quo videtur, finitur; mente terminatur, intellectu circumscribitur.

Tertullianus: *Invisibilis est etsi videatur: incomprehensibilis etsi per gratiam repræsentetur: inæstimabilis etsi humanis sensibus æstimetur: adeo verus & tantus est. Cæterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est & oculis quibus occupatur, & oculis quibus contaminatur, & sensibus quibus invenitur. Quod verò immensum est, sibi soli notum est, hoc quod est, Deum æstimari facit, dum æstimari non capit.* En ut Deus quia infinitus, ideo etiam dum videtur, invisibilis est; quia totus ex toto non videtur; quod enim totum videtur, circumscribitur. En ut Deus quia infinitus, ideo sibi soli notus est, quia solus sibi par est, solus sibi coæquatur, solus sibi finitus est. Hilarius: *Neque enim aliud quid dignum esse Deo arbitrabatur, quàm ita eum ultra intelligentias rerum esse, ut in quantum se ad aliquem præsumptæ licet opinionis modum mens infinita protenderet, in tantum omnem prosequentis se naturæ infinitatem infinitas immoderatæ æternitatis excederet.* En ut infinitum etiam lumen & conamen mentis beatæ frustretur & excedat, & longè post se relinquat longè immoderatior, & infinities infinitior divinitatis infinitas. Epiphanius: *Neque verò dubium est, quin Deus videri comprehendique nequeat, &c. Deum videri præsertim ab humanâ natura non posse fatemur; neque invisibile à visibili videri fas putamus. Sed idem tamen invisibilis Deus pro sua humanitate, & potentia, imbecillam aciem ita virtute sua corroborare dignatur, ut videat id quod videri non potest. Porro cum invisibile illud & infinitum aspicit, non quatenus infinitum est, illud intuetur, sed quantum illius quod imbecillum est natura capere potest.* En ut infinitum quà infinitum videri non possit, ideoque nec totum videri. Quin imo si infinitum in animi creati angustias infundere totum se vellet, non beatitas hæc ejus esset, sed pernicies; nec enim reficeret illum, sed disperderet; nec recrearet, sed penitus dissiparet. Maximus Martyr: *Itaque immensa quidem Dei cognitio, nos autem mensuris egemus. Si enim absque mensura nobis revelaretur, minimè servari possemus, sicut neque corporeus oculus totum capiens Solem.*

In Apolog.

De Trinit. L. 1.

Hæres. 70.

In c. 1. De div. Nom.

V. Demonstratur 6. Comprehendere nihil aliud est quàm totum videre, ita ut nihil lateat videntem; atqui divinitas incomprehensibilis est, nec tantum quà per potentiam vel providentiam creaturas parturit & regit, sed maximè quà sua sibi est, & absolutis suis attributis incomprehensibilis est; ergo à nullo intellectu creato ita videri potest, quin aliquid lateat. Major propositio perspicua est ex trita significatione ejus verbi. Dicitur enim comprehendi, quod totum tenetur; manu comprehenditur, cujus extra manum nihil est; oculo comprehenditur, cujus fines circumspiciuntur; mente comprehenditur, cujus nihil latet. Rursus hinc ubi sancti Patres generationem Verbi ipsis etiam Angelis incomprehensibilem prædicant, aiunt ab iis sciri quod genitum sit, nesciri modum quo genitum sit; neque enim si modus ejus totus sciretur, dici de ea posset quod non comprehenderetur. Rursus hinc iidem tendunt, id quod nemini non indubium est, non omnia quæ videntur comprehendi, nec enim omnia quæ videntur, tota videri; cœlum non comprehendis, tametsi vides, quia totum non vides; mare non comprehendis, tametsi illud vides;

vides, quia à longè & modicam tantùm ejus plagam vides; ita ergo oculo mentis Deus videbitur, nec totus tamen videbitur, ideo non comprehendetur. Denique hinc pronum est loca scripturæ palam alioqui dissonantia conciliare, Deum enim nunc posse, nunc non posse videri ubi asserunt, verè asserunt, quia Deus videri potest, totus videri non potest; ita verè diceretur ex alta & longinqua rupe mare videri & non videri, quia mediocris ejus portio videtur.

Epist. 112. c. 8. 9. Augustinus: *Non quia Dei plenitudinem quisquam non solùm oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendit. Aliud est enim videre, aliud totum videndum comprehendere: quandoquidem id videtur quod præsens utcumque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt: sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ; circumspicere autem potes fines annuli tui. Exempli gratia, duo posui, quorum alterum ad mentis obtutum, alterum ad corporales oculos pertinet.* Ut annuli nihil latet oculum, ut voluntatis suæ nihil hominem latet, ideo comprehenditur; comprehenditur ergo cujus nihil latet. Epiphanius: *Cum invisibile illud & infinitum aspicit creatura, non quatenus infinitum est, illud*

Hæresi. 708. *intuetur; sed quantum illius quod imbecillum est natura capere potest, &c. Quemadmodum si quis cœlum per angustum foramen transpiciat, ac cœlum videre se dicat, non utique mentietur, videt enim revera cœlum. Quòd si quis prudenter ei dicat, Non vides cœlum; nec is quidem mentietur: neuter inquam mentitur, neque qui vidisse dicit, neque qui negat. Non enim extensionem cœli ac latitudinem aspexit. Sæpè accidit ut ex alto montis vertice mare prospiciamus; quòd si nos illud vidisse dicamus, non mentiemur; neque si contradixerit aliquis, ac vidisse nos negaverit, non verum ille dixit. Propterea quod quæ est hominis imbecillitas, quò illius amplitudo aut longitudo aut profunditas pertingat, quamque alti sint illius voraginis recessus, sed neque illius effecta pervidere potest.* En quàm perspicuis exemplis Deum videri, non totum tamen ab ulla creatura videri contestatur, atque ita pugnantes in speciem Scripturæ contextus elucidat. Rursus Augustinus: *Attingere aliquantum mente Deum, magna*

De Verb. Domin. c. Serm 3. c. 3. *beatitudo est: comprehendere autem, omnino impossibile. Ad mentem Deus pertinet, intelligendus est; ad oculos corpus, videndum est. Sed corpus oculo comprehendere te putas? omnino non potes. Quidquid enim aspicis, non totum aspicis. Cujus hominis faciem vides, dorsum non vides eo tempore quo faciem vides. Et quando dorsum vides, eo tempore faciem non vides: non sic ergo vides ut comprehendas, &c. Ecce de corporibus dicimus subjacentibus oculis nostris: non illa possunt comprehendere aspectu: quis ergo oculus cordis comprehendat Deum? sufficit ut attingat, si purus est oculus: si autem attingit, tactu quodam attingit corporea, & spiritualia, non tamen comprehendit: & hoc si purus est, & homo fit beatus, contingendo corde illud quod semper beatum manet.* Quàm disertè explanat, ut aliquid comprehendatur, non aliud opus esse, quàm ut totum aspiciatur; & vicissim ut non comprehendatur, id desiderari, ut totum non conspiciatur. Item nec oculo corporis multa comprehendi, quamvis eo tam multa videantur; quia non tota, sed ex parte videntur. Denique creaturarum beatitudinem hanc esse, non comprehendere, non totum aspicere, sed aliquantum attingere Deum, sed tactu incorporeo illum contingere. Hilarius ostendens generationem Verbi comprehendi non posse vel in-

De Trinit. l. 2. telligi ab ulla creatura: *Ego nescio, non requiro, & consolabor me tamen: Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, sæcula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit. Cesset dolor querelarum.* Audis quid sit non comprehendi? nempe ignorari, nesciri. Audis incomprehensibilitatem Dei petendam non ab ignoratione judiciorum Dei, vel creaturarum nunquam creandarum; sed ab ignoratione nonnulla essentialium & personalium Dei proprietatum. Cyrillus Jerosolomytanus: *Sufficit nobis scire quòd* Catech. 11. *genuit Deus Filium unum solum. Non te pudeat ignorantiam confiteri: quandoquidem cum Angelis id ignoras. Qui genuit, ille solus novit; & qui ab illo genitus est, novit genitorem. Qui genuit, novit quem genuit.*

VI. Demonstratur 7. Patribus Græcis Deum non comprehendi idem est ac non videri, non spectari, non intelligi, non cognosci, ignorari; incomprehensibilem esse idem est ac invisibilem, inintelligibilem incognoscibilem esse. Chrysostomus: *Vocemus ipsum τὸν ἀνέκφραστον, τὸν ἀπερινόητον θεὸν, τὸν ἀόρατον, τὸν ἀκατάληπτον, &c. τὸν ἀνεξιχνίαστον ἀγγέλοις, τὸν ἀθέατον τοῖς σεραφὶμ, τὸν ἀκατανόητον τοῖς χερουβὶμ, τὸν ἀόρατον ἀρχαῖς.* Ubi vides promiscuè sumi ἀπερινόητον, ἀκατανόητον, ἀόρατον, ἀθέατον, ἀκατάληπτον. Idem liquebit ex aliis innumeris ejusdem Chrysostomi locis, ex Theodoreto, ex Athanasio, Gregorio Nysseno, & aliis. Si ergo non comprehendi idem est ac non intelligi, non videri, haud dubio necesse est aliqua ex parte non videri Deum, ut incomprehensibilis statuatur.

Chrysost. Hom. 33. de Incompreh. Chrisost. to. 1. pag. 351. 336. 358 376. 371. 379. To. 2. pag. 156. T. 3 pag 837. Theodoret. To. 4. pag. 12 13. 14. 15. Athan. pag. 203. Nyssen. Tom. 1 pag. 221. &c.

VII. Demonstratur 8. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est: intantum videbimus, in quantum similes erimus: at quantumvis similes evadamus, nonnihil tamen dissimiles erimus; unus enim sibi perfectè similis Deus, vel Patri Filius. In quantum ergo non omnimoda erit etiam tunc similitudo, nec omnimoda erit visio. Augustinus: *Quocirca in quantum Deum novimus,*

De Trinit. l. 9. c. 11. *similes sumus; sed non ad æqualitatem similes, quia non tantum eum novimus, quantum ipse se.* Bernardus: *Porro jam præsentibus non aliud est videre sicuti est, quàm esse sicuti est, & aliqua dissimilitu-*

Serm. 31. In Cant. *dine non confundi.* Quantum ergo à totius similitudinis, tantum à totius visionis consequutione absunt Beati; ita vident sicut est, quemadmodum sunt sicuti est; at non sunt sicuti est totus & ex toto, sed ex parte tantùm: ergo nec totum & ex toto vident, sed ex parte. Itaque quanquam comparati nobis ex toto videant, comparati tamen Deo ex parte vident, sed magna, sed maxima si velis ex parte, ex parte tamen; participant enim Dei de seipso visionem, partem itaque ejus capiunt tantùm.

VIII. Demonstratur 9. Deus ex constantissima suffragatione Patrum, maximè Græcorum, quorum potissima videtur esse authoritas in tota invisibilitatis & incomprehensibilitatis divinæ disceptatione, utpote qui hæreticos hac in parte Ecclesiam oppugnantes compresserint, Deus inquam est supra essentiam & supra veritatem; ac proinde supra quancumque intellectionem. Nec enim intelligitur, nisi quod est & quod verum est; quod ergo supra essentiam & supra veritatem est, nec intelligitur nec videtur. Plus æquo ergo deficiunt à sanctorum Patrum vestigiis qui Deum & videri & intelligi posse ita totum & ex toto dicunt, ut nihil lateat; at utcumque saltem iis obsequuntur, ii qui totum ex toto videri aut intelligi posse negant, ut aliquis saltem Deitatis quasi apex sit, supra omnem substantiam, supra mentem incomprehensibiliter sublimis.

Rursus hinc Deus à sanctis Patribus incomprehensibilis prædicatur, non ex anfractu inexplicabili cogitationum aut proprietatum, sed simplicissima sua proprietate & sublimitate, qua supra substantiam, supra veritatem, supra mentem est.

Rursus hinc decantatum apud Patres Deum tunc videri cum invisibilis creditur; tunc videri cum videri non posse sentitur; non ex toto ergo patet, ex parte ergo saltem latet, ut ex parte invisibilis perstet & credatur.

Rur-

Rursus hinc apud eosdem Patres frequentissimè inculcatum, Deum à beatis etiam mentibus cessatione intelligentiæ intelligi, cessatione visionis videri, ignoratione sciri. Quibus omnibus nihil insulsius, si totus & ex toto, ita ut nihil videntem lateat, videtur.

Denique hinc unione magis quàm intellectione aut visione Beatos frui Deo, inculcatissimum est apud eosdem sanctos Patres. Etenim stupendis illis & latitantibus in abysso lucis inaccessę Dei dignitatibus frui non alio possunt modo, quàm unione & supermentali copulatione.

De divin. Nom. c. 1. IX. Dionysius: *Superanti sermonem, mentem, essentiam omnem superessentialitati divinæ, superessentialem quoque scientiam tribuere oportet, &c. Pro singularum captu mentium divina revelantur & spectantur, dum summa Dei bonitas, justitia salutari, rebus mensuratis immensitatem suam, divino quodam decore, quod comprehendi nequeat, commensurat. Ut enim à sensibilibus intelligibilia nec capi nec videri possunt; ita essentias omnes superat illa superessentialis infinitas, & mentes superat supermentalis unitas, & intelligentias illa supra intellectum inintelligibilis unitas, &c.* Et ibidem: *Cùm notiones omnes sint entium, & ad entia terminentur, is qui omni ente sublimior est, omnem quoque effugit cognitionem.* En ut dilucidè de-

Ibid. c. 4. monstret videri non posse Deum ab ullo intellectu, quòd supra essentiam & supra veritatem, ideoque supra omnem intelligentiam sit. Necesse est ergo per condescensus tantùm videri Deum, ut aiebat Chrysostomus, utpote natura sua incomprehensibilem. Necesse est ergo non totum videri Deum à Beatis, cùm Dei hæc sit genuina proprietas, non ex toto videri.

Ibid. nu. 7. Rursus ibidem: *Divina enim omnia etiam illa quæ nobis apparuerunt, solis participationibus cognoscuntur; porro ipsa cujusmodi in suo principio suaque sede propria existant, supra mentem, supra essentiam, supra cognitionem est. Veluti cum arcanum illud superessentiale vel Deum, vel vitam, vel essentiam, vel lumen, vel Verbum appellamus, nihil aliud quàm vel deificas, vel substantificas, vel vivificas, vel sapientificas virtutes intelligimus, quæ ab eo in nos dimanant: ipsum verò omnium mentis operationum cessatione contingimus.* Omnino igitur cùm ens, veritas, & hujusmodi alia non dicatur Deus, nisi ut causa horum, sed ipse supra hæc eminentissimè sublimis, nec tamen scientia & intellectio & visio esse possit, nisi entium & verorum; quæcumque ergo videri vel intelligi possunt, effectus magis Dei & fulgores ab eo emanantes & condescensus sunt, quàm ipse Deus; aut ut hæc Deus ipse sint, sed in Deo arcanum saltem aliquod ulterius, inaccessum, nulli nisi Deo pervium suspicandum est, quod supra essentiam & supra mentem sit, quod Beati non videant, quod invisibile credant, ut ait Hieronymus, quod admirando contremiscant, ut ait Gregorius, quod mentis cessatione contingant, ut ait Dionysius, cujus fulgorem intolerabilem facie velata, trepidaque lætitia glorificent, ut ait Chrysostomus.

In c. 1. de div. Nom. Rursus Pachymeres: *Supra omnes cœlestes intelligentias collocetur; quoniam cognitiones, aliquorum sunt cognitiones, verbi gratia, entium, & si qua alia definiuntur nota, quæ & ipsa entia sunt. Quod igitur omni essentia omnique ente eminentius est, utique ab omni quoque cognitione eximitur.*

Ibid. c. 1. Sed rursus Dionysius visionem Dei quæ Beatis obtinget describens: *Quando incorruptibiles & immortales evaserimus, Christiformem beatissimamque sortem adepti, tum semper, uti scriptum est, cum Domino erimus, visibilis quidem ipsiusmet Dei apparitionis castissimis contemplationibus pleni, &c. Intelligibilis verò illius illustrationis participes secundùm mentem passionibus, materiaque carentem, & radiorum lucidissimorum incognitis beatissimisque jactibus, ad diviniorem supercœlestium intelligentiarum imitationem, unione quadam intelligentiam superante ipsi conjungemur.* Ita ille declarat palam quidem à Beatis videri humanitatem Christi, ejus verò divinitatem incognitis tantùm radiorum jactibus seu coruscationibus & supermentali unione participari. Quippe cùm Deitas supra essentiam sit, ut ibidem subdit, ideoque & supra intelligibilitatem, non tam intelligentia quàm unione vel ignotissima quadam copula fruenda est. Gregorius Pachymeres in eum locum: *Quomodo autem participabimus? jactibus incognitis radiorum: quantum enim accedemus, in tantum nobis incognitum erit: & quantum nos contemplationi vacabimus, tantum etiam infinitatis ejus pelagus dilatabitur, ad diviniorem Angelorum imitationem.* Eò pertinent ergo radiorum jactus incogniti, quibus ait Dionysius Divinitatem à beatis mentibus participari, ut quantum Deo accedent, tantum incognitum sentiant, ejusque infinitatis pelago absorbeantur. Et paulò pòst: *Usque ad Angelica specula sistimus intelligentiam, quasi in Deo omnis notio deficiat, ut qui nihil sit eorum quæ mentis notione percipiuntur, &c. Intelligentiam sistentes, scilicet circa Dei incomprehensibilitatem, quæ intellectus cessatione percipitur.* Idem infrà: *Sacri Doctores, ut in aliis dixi, divinas uniones vocant, essentiæ incomprehensibilis notiones. Ipsam autem essentiam incomprehensibilis Trinitatis quid sit, nemo cognoscet unquam.* Divina ergo essentia quà incomprehensibilis est, non tam cognitione attingitur, quàm unione, quàm cognitionis cessatione, quàm quiete & silentio. Et infrà: *Mens enim sacra non aliter iis intendit quàm per omnem cessationem motus intellectualis entium; hoc enim declarat illud quod dixit Dionysius, Supra mentis operationem, id est, quando undique Dei incomprehensibilitate comprehenditur, tunc assequitur quod quærebat.* Et paulò pòst: *Ipsa autem divina supraquàm existentia sic quodammodo laudabitur, quando ab efficacia omni validissima & intelligente absoluta, suscipiet nos in sancto silentio.* Maximus Martyr: *Ignotus enim est Deus non propter varietatem ratiocinationum nobis ignotam; sed secundùm unam aliquam in nobis simpliciter & absolutè incomprehensibilem ignorationem.* Superessentialitas Dei una est & simplex ratio cur incomprehensibilis sit, nec mente conspici possit accuratè quid sit. Gregorius Nyssenus de vita Moysis: *Mens hominis ad majora semper & perfectiora procedens, quantò magis ad Dei speculationem accedit, tantò magis perspicit quòd divina natura invisibilis atque incomprehensibilis est. Nam cùm reliquerit non solùm omnia quæ sensu percipiuntur, verùm etiam omnia quæ mente conspiciuntur, semper ad interiora progreditur, donec intelligentiæ defatigatione subeat ad ipsum invisibile & incomprehensibile, & ibi Deum videat. In hoc enim vera est cognitio ejus quod quæritur; & hoc est videre, nihil videre; quod enim quæritur, omnem cognitionem superat, quasi caligine quadam incomprehensibilitate sua circumseptum. Quapropter divinus etiam Joannes qui in splendidissimam hanc caliginem intraverat, non dubitavit exclamare, Deum nullus unquam vidit; non solùm hominibus, sed intellectuali omni naturæ impossibilem divinæ substantiæ cognitionem hac negatione determinans.* Si totus videtur, si ex toto, si nihil latet, quomodo dicitur videri, dum non videtur? quomodo dicitur impossibile esse ut videatur, & incomprehensibilitate sua, tanquam caliginosa nube obvolvi? Theodoretus in Cantica: *Paululum cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Cur eum invenire non potui? quantumvis enim bonum & veritatem propterea vocaverim ipsum, non audivit me. Quoniam excellit profectò super hæc. Nam ejus nomen est super omne nomen.* Et infrà: *Paululùm*

Margin notes (right column): In c. 1. n. 47. — In c. 11. Cœlest. Hier.

lulùm excesseram à rebus creatis, mente pertransiens ipsam quoque naturam Angelicam, ut increatum dilectum meum de me optimè meritum invenirem, cum illum fide sola comprehendi. Cùm res omnes percurrissem, & ab ipsa essem experientia confirmata, eum qui rerum omnium causa est rebus omnibus antecellere: neque in ulla natura vel sensibili vel intelligibili per essentiam perspici posse, cùm superessentialis sit. Germana hæc est ratio cur videri, cur intelligi usquequaque Deus non possit, quòd supra bonitatem, supra veritatem, supra essentiam sit; & hæc sola tamen sint, quæ intelligi possint.

X. Videntur ergo Patres Græci incomprehensibilitatem divinam in eo collocare, quòd exquisitè & accuratè quid sit Deus, ne à Beatis quidem intelligi aut videri possit. Nec enim in longo anfractu intellectionum, vel in numerosissimo aggestu proprietatum intelligendus est Deus, ut cum eæ percurri & perlustrari non poterunt omnes, sua hac fatigatione experiatur intellectus quàm finitus ipse sit, & quàm infinitus Deus sit; quando tot supersint adhuc Dei attributa & attributorum fastigia perlustranda, sibi autem vires fractæ jam & exhaustæ sint. Non ita capi decet incomprehensibilitatem Dei, quasi aliqua Dei perspicuè pateant Beatis, alia lateant; sed simplicissimè incomprehensibilis est, quia totus supra essentiam, supra veritatem, supra mentem est; quocirca ἀκριβῶς, μετὰ ἀκριβείας, ut Chrysostomus sexcenties & alii Patres Græci loquuntur, quid sit Deus intelligi impossibile est; tunc videtur cum videtur nihil, ut ait Nyssenus; unione, mentis cessatione, silentio, incognitis radiorum jactibus videtur, ut ait Dionysius, Maximus, Pachymeres. Sed ut ut sit, cùm nihil incomprehensibilius sit ipsa incomprehensibilitate divina, ex his abundè demonstratur non ita Deum videri à Beatis, ut totus & ex toto videatur; & sic, ut nihil vel essentialium vel personalium lateat.

Cùm porro iidem Patres Græci assentiantur à Beatis Deum videri, & per Verbum in Spiritu sancto Patrem videri, & omnia in Deo videri; & his adprimè consentanei sint Patres Latini, sicut superiùs demonstratum est, una restat ineunda nobis concordiæ via & ratio; ut consenserint omnes Deum à Beatis videri, & sicut est videri, & totum videri; sed non ex toto, non plenissimè, non accuratissimè videri, non ut à seipso videtur videri; videre ipsum in seipso, quæ non videant Beati; ideoque comparatione visionis qua seipsum Deus videt, ex parte, non ex toto videri à Beatis Deum, & quatenus videt in se Deus quæ nullus Beatorum videat, dici posse illum invisibilem esse, & nec à Beatis videri, aut comprehendi. Ita enim sanè vox illa interpretanda est, cùm Patres aiunt videri non posse Deum: quod perinde est ac si diceretur, non posse ita videri, ut ex toto videatur, ut videndo comprehendatur, ut tantùm à creatura, quantùm à seipso videatur.

CAPUT XXI.

Objectiones nonnullæ solvuntur.

I. Quatuor objectiones proponuntur.
II. Respondetur ad primam, quæ Eunomii vesaniam spectat.
III. Respondetur ad secundam, quæ petitur ex hæresi Begardorum & Beguinarum.
IV. Respondetur ad tertiam, circa visionem seu contemplationem Dei Adamo concessam.
V. Respondetur ad quartam, qui peccare potuerint Angeli, si jam Deo fruebantur.
VI. Nova objectio ex Scripturis negantibus Deum in hac vita videri à nobis posse; unde videntur diffl ari beata illa & rara momenta. Multiplex responsio.
VII. Cui ex Augustino nova munimenta astruuntur.
VIII. Et ex Gregorio.
IX. Ex Bernardo.
X. Alia Scripturæ loca à Patribus illustrata.
XI. Nova objectio petitur ex eo quòd dæmones in partem rapidorum divinæ visionis coruscaminum admitterentur. Responsio multiplex.
XII. An & quatenus Moyses & Paulus Deum viderint.
XIII. Quantum discriminis interesset inter visionem Dei Adamo concessam, & eam qua fruuntur Beati, quæ verè visio, non contemplatio solum est.
XIV. Si frui dicantur Deo Beati, apice magis mentis, quàm mente: tactu magis quàm intellectu: gustu magis quàm visu, multæ præciduntur difficultates.

I. Objicitur primò videri posse nos parum abesse ab errore Eunomii & ejus asseclarum in quos tam vehementer Chrysostomus, Basilius, Nyssenus, Nazianzenus, aliique Patres stomachati sunt, quod ita se Deum comprehendere jactitabant, ut se ipse comprehendit. Et nos enim claram Dei visionem nobis & cuilibet creaturæ rationali saltem innocenti usurpavimus.

2. Propiùs etiam nos alludere ad insanias Begardorum & Beguinarum in Concilio Viennensi circa annum Christi 1300. proscriptorum, quorum hunc geminum inter alios complures errorem refert & damnat Clemens V. Capite Ad nostrum de Hæreticis: *Quartò quod homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata. Quintò quod quælibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata: quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* Et nos enim naturalem quandam Dei visionem induximus. In 1. p. disp. 16. c. 4.

3. Videri nos ex adverso nimio plus deflectere à trita Scolæ jamdiu via, & à sententia quæ ita percrebuit jam, ut nullus hiscere contra audeat; nec Angelos nec primum hominem in beatitudine supernaturali, Deique visione conditos primùm esse, sed ad eam meritis suis conscendisse; adeo ut Gabriel Vasques dicat unicum in hac nostra sententia fuisse Ludovicum Vivem, reliquos omnes Scholasticos in contrariam conspirasse.

4. Enimverò si in Dei visione clara conditi fuissent, nec aliquid præmii promereri, nec peccare deinceps potuissent. Quid enim promereri potest, qui summam mercedem, qui meritorum omnium cumulum jam consecutus est? Qui item peccaret, qui Deum videret? ut enim à beatitudinis amore nunc declinare non potest libertas nostra, ita à Dei qui summa beatitudo est, clarè visi charitate deviare non potest libertas ulla.

II. Respondetur ad primum, versipelles Eunomianos in eo totam constituisse naturam divinam quod ingenita sit, nempe ut ea faciliùs Verbum exturbarent. Jam ingenitum, simplex cum aliquid sit, facillimè capi nugabantur; quod enim impartile est, aut totum tenetur, aut omnino non tenetur: itaque ingenitum comprehendi à se totum, ideoque tantum, quantum ab ipso Deo. A qua vesania mirum quantum abhorreamus: nam nec Deitatis naturam totam in ingenito collocamus, nec ea Verbum spoliare molimur, nec simplicis naturam aut totam capi, aut omnino non capi philosophamur; imo ex parte, & in speculo & per symbola videri posse contestamur, Deum autem non tantum ut se ipse comprehendit, sed ullo modo comprehendi posse, vehementer inficiamur: ideque non tantùm mortalibus, ut illi, non permittimus, sed ne immortalibus quidem homini-

bus,

bus, Angelisque beatis. Quin imò cum incomprehensibilitatem Dei plusculum etiam quàm vulgo soleant, & latiùs propagaverimus, & visionem Dei in Beatis quatenus incomprehensibilitati divinæ nonnihil officiebat, aliquantulum coarctaverimus, nullo eorum dispendio inde emersuro, quod in Dei compendium sit, longiùs cæteris ab Eunomianæ pestis suspicione absumus.

III. Respondetur ad secundum, Hæreticos illos de statu naturæ lapsæ, non integræ ita sensisse, cum illa quàm hæc à beatitudine Deique visione non paulò longiùs abscesserit. Item naturæ lapsæ æquè perfectam & finalem & cumulatam beatitudinem adscribebant, ac eam quæ in patria post resurrectionem obtinget, quod nos ne naturæ quidem innocenti concessimus. Visionem enim Dei qua Angeli, qua homo primùm donati sunt, ea quam in patria consequemur, multis nominibus inferiorem declaravimus. Denique lumen gloriæ, id est, auxilium supernaturale explodebant illi, solisque suis viribus fretos se ad Deum videndum grassari posse confidebant; quod nos ne integris quidem & sanis & robustis ante peccatum naturis rationalibus indulsimus; sed eis auxilium Dei supernaturale ad id necessarium esse, vel ex Philosophorum dogmate astruximus.

IV. Respondetur ad tertium, tametsi secus sentiat Vasques, hujus nostræ sententiæ astipulatores esse eos omnes in Schola Theologica nominatissimos, qui negant Angelos priùs meruisse, & postea consecutos esse beatitudinem patriæ; aiunt simul tempore & beatos fuisse & beatitudinem meruisse, etsi natura & causalitate meritum prius esset beatitudine. Quam sententiam non dissimulat Vasques amplexos esse Magistrum, Antisidorensem, Albertum, Bonaventuram, Ægidium, Richardum, Marsilium, Mayronium, & sub fide Marsilii ipsum Præpositivum. Sive enim in primo, sive in secundo suæ creationis instanti præfati authores Angelis visionem Dei beatificam annuant, non adeo laboramus; nec enim de illis instantibus aliquid nobis certi constitit, aut eluxit in Commentariis sanctorum Patrum; unde & ea controversia supersedemus. Sed quod rei caput est, hi omnes consentiunt Angelos nunquam viatores ita fuisse, quin simul comprehensores fuerint; cùm beatitudinem Deique visionem promererentur, illam in antecessum jam habuisse, & à Dei contuitu nunquam peregrinatos esse. Una in re ab iis forsitan dissentire nos nemo ægrè feret, quod illi quod promerituri erant, jam anticipatè obtinuisse Angelos sentiant, & totum consecutos priùs esse quàm quidquam promeritos. Veri enim similius, molliusque creditur, beatitudinem quidem Deique visionem à conditore Deo eis primùm inditam fuisse, sed mediocrem; ut nempe eam qua carebant promererentur, visionis ejusdem & claritatem longè uberiorem, & perpetuitatem indefectibilem. Ita enim omnibus obviatur incommodis, nam & beati perfectique creantur, & eorum libertati merces proponitur, nec nisi post meritum rependitur merces.

V. Respondetur ad quartum, ratum esse fixumque omnibus orthodoxis beatos nunc, seu Angelos, seu homines peccare omnino non posse; at unde oriatur tam beata, tam potens peccandi impotentia, id verò in primis controvertitur. Scotus enim, OKam, Gabriel, Gregorius ab extrinseco tantùm eam accersunt Dei protegentis munimine, obicemque ne peccetur, quod integrum alioqui esset, opponentis; aut certè charitatem jugem & indefectibilem in beatas mentes irrigantis, atque ita peccato viam occludentis. Quod si ita habet, visio ergo Dei cum peccandi potestate sociari poterit, visio inquam illa plenissima qua nunc fruuntur. Quid mirum ergo si idem de visione illa primordiali & quasi prælusoria sentiamus? Si autem id genus visio non pugnat cum peccandi, multo minus pugnabit cum promerendi potestate. Tametsi autem non possit voluntas non appetere beatitudinem, potest tamen à Dei utcumque visi amore cessare; vel quia à Dei visione tali, utpote necdum consummata & necdum absorbente totum intellectum, cessare & feriari potest, ad alia intendendo & insidiis ad hunc modum latus aperiendo: vel quia bonum & qua verum & qua apparens & qua summum & qua imum tota est amplitudo objecti voluntatis, unde extra hanc excurrere haud sanè potest: non autem solum verum & summum bonum.

VI. Objicitur 2. ab exulantibus in hac adhuc mortalitate, imò & à peccatoribus Deum videri vel ad momentum raptimque posse, inauditum esse propemodum, & reluctari scripturis apertè contestantibus & creberrimè, *Non videbit me homo & vivet*; *Videmus nunc ex parte, per speculum, in ænigmate, tunc autem* nempe post hanc vitam *facie ad faciem*; *Quem nemo hominum vidit, nec videre potest*.

Respondetur, quantacumque sive per vesperam residua, sive per auroram præsumpta lux nobis adsplendeat divinæ naturæ, eam tamen quandiu in umbra mortis seu mortalis hujus vitæ sedemus, nonnisi ex parte, in speculo & in ænigmate, id est, minutè, obliquè & caliginosè videri. Nam fidei disciplina, ænigma est; creaturæ repræsentatio, speculum est; intellectionis scintillatio, frustillum est; sic partiliter, imaginariè, ænigmaticè Deus videtur, quia hac triplici tantum facultate videtur. Quocirca certissimè sentiendum & asseveratissimè pronunciandum est, Deum in hac vita non videri, nisi obscurè & ænigmaticè, atque simpliciter non videri.

1. Quia genus humanum in sola fide, id est, in caligine ambulat; pauci, & si reliquæ turbæ comparentur, paucissimi ad intelligendum assurgunt. Pronunciandum ergo non ex eo quod paucis, sed ex eo quod omnibus evenit. Ita videmus in ænigmate juxta Paulum, nempe omnes; sed juxta eundem invisibilia Dei per visibiles creaturas intellecta conspiciuntur, nempe à paucis sapientibus, quorum exceptio non præjudicat regulæ.

2. Quia qui rari nantes in gurgite tenebroso sensibilium, caput exerunt, clarèque & dilucidè Deum intelligunt, serò, raró, & ad momentum intelligunt. Serò quia totam vitæ juventam ut plurimum sensibilium voluptatum fluctus absorbent; rarò, quia etiam ubi mens æternis vacare cœpit, terrenis subinde curis, & ærumnosæ hujus vitæ egestatibus distrahitur; ad momentum, quia ubi caput oculosque ad intelligibilem Solem incipit attollere, statim illum phantasmatum procella resorbet. Quod itaque tam serò, tam rarò, tam breviter videtur, non videtur; quod simul datur, simul subtrahitur, id non datur, sed subtrahitur; ostenditur, non exhibetur.

3. Quia brevis illa divinæ intelligentiæ claritas, multa phantasmatum undique insilientium caligine circumfunditur & confunditur. Quippe ubi rara & repentina fulgurant lumina, nox nihilominus est: ubi subtile quid tantùm & subitum intermicat, non cedunt tenebræ: nunquam de fulguribus quantumvis crebrescentibus illuxit dies: itaque in ænigmatum nocte Deus videtur, tametsi coruscum aliquod subinde interluceat, sed fugiendo & vanescendo.

4. Quia quod à longè conspicamur, magis suspicamur; non videmus, sed ad videndum invitamur: illud quidem præsto est, coram est, splendidum est: sed ut videatur tamen accedendum est. Videtur ergo & non videtur. Si enim vidisti, cur ad videndum rursus accessisti? si nihil vidisti, quin ut nihil videns præteristi? Ergo quod accesseris, argumentum est, quod videris & non videris. Ita Deum ex hac longinquitatis & dissimilitudinis regione, & ideo longinquitatis, quia dissimilitudinis, Deum videmus, sed à longè, quia adhuc dissimiles, necdum satis purgati;

gati; videmus à longe, ideoque non tam videmus, quàm ad videndum prolectamur.

5. Quia quod ex parte tantùm & quidem minima videtur, propriè non videtur; ex parte enim sui conjectari aliquid magis potest, quàm videri. De Deo ergo quia nunc modicum patet, plurimum latet, omnino Deus latet. Quod videtur, ex parte est; quod non videtur, reliquum est; & hoc reliquum, totum est. Qui ergo aliquid non vides, Deum non vides; quia quod non vides, totus Deus est. Dei esse, totum est, plenitudo & universalitas est; ubi ergo totum & tota plenitudo non videtur, Deus non videtur. An potest enim partiliter videri, in quo pars nulla est? cujus quodlibet, totum est? cujus ideo siquid latet, totum latet? Nec statim autem siquid patet, totum patet; tum quia simul ac partitè aliquid est, Deus non est; simul ac totum non est, Deus non est: tum quia si unum quid patet, ejus ut ita dicam millecuplum latet: unde si semel verum est te vidisse, millies verius est te non vidisse. Igitur Deum eo non videmus, etsi quid clarè & distinctè videmus, quia ut ait Apostolus ex parte videmus: ut Solem non viderit, qui unum aut alterum ejus radium, tametsi clarè viderit.

6. Illud ipsum quod ex parte de Deo videtur, seu justitia, seu sapientia, seu veritas, &c. vix Deus est. Tum quia eo ipso Deus non fuit, quo videri potuit; Deus non fuit, quo intelligi potuit; Deus enim supra visum, supra intellectum est; nec quanta & qualis intelligitur à nobis sapientia, ea Deus est; quia angustiæ mentis nostræ quæ eam sapientiam capiunt, Deum non capiunt. Tum rursus quia quidquid affirmamus de Deo, non satis dignè affirmamus, nisi simul aliquid negemus. Nam cum sapientiam dicimus, nihil Deo dignum dicimus, nisi increatam, incommutabilem, infinitam, &c. esse addamus; nam & sapientia in Angelo est, & in eo forsan major est, quàm quanta à nobis intellecta est. Affirmationes ergo negationibus emendandæ sunt. Ergo Deum quem nisi affirmando & negando nec videmus nec intelligimus; videndo non videmus, & intelligendo non intelligimus. Si enim qua affirmamus, videmus: qua negamus, non videmus: si quod affirmamus, lucescit; quod negamus, tenebrescit: & quanto veriùs negamus quàm affirmamus, tanto veriùs non videmus, quàm videmus. Tum denique quia nec quod affirmamus, nec quod negamus, eo dignum est, qui supra omnes positiones & supra omnes ablationes est. Nam nec quod affirmando intelligimus, summo incomprehensibili dignum est; nec quod negando non intelligimus, summo intelligibili dignum est. Quapropter & ponendo & auferendo, & videndo & non videndo, ab ente summè incomprehensibili & summè intelligibili, à Sole summè invisibili & summè visibili nimium deficimus.

7. Denique propriè non videtur Deus, nisi à seipso, & per seipsum; nam nec alia mens est quæ possit videre Deum quàm Deus: nec alia lux qua possit videri Deus quàm Deus: solus enim ipse sibi usquequaque par est. Beatæ mentes Deum vident, sed minus vident: vident, quia luce & specie divina formantur ut videant: minus vident, quia mente divina non donantur ut videant: unde illinc pares, hinc impares sunt Deo videndo. At nos utrinque impares, nec mente divina donati, & à specie divina abjecti, potius informes, quàm formati; nec videmus, nec minus videmus, sed minimè videmus, quantumlibet alioqui clarè & dilucidè nobis videre videamur. Sic lucerna lucescit nocti, tenebrescit diei comparata. Sic Deus sibi tantum plenè visibilis; beatis mentibus visibilis & invisibilis; nobis hìc interim planè invisibilis. Sed hæc jam, ne tantas inter ambages pessimo duce utamur, præsumptione nostra, à sanctis Doctoribus nostris audienda sunt.

VII. Augustinus: *Magnum est & admodum rarum, creaturam corpoream & incorpoream, consideratam compertamque mutabilem, intentione mentis excedere, atque ad incommutabilem Dei substantiam pervenire, & illic discere ex ipso.* (Civit. l. 11. c. 2.) Vides quàm operosum, quàm rarum hoc esse prædicet. Et alibi: *Ubi ad divina perventum est, avertit sese, intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reverberatur luce veritatis, & ad familiaritatem tenebrarum suarum non electione, sed fatigatione convertitur.* (De Morib. Eccl. c. 7.) Mens ita comparata, etsi raro intervidet, tamen tam raro, tam strictim, tam ægrè videt, ut potiùs non videat. Et rursus: *Quantumvis excolat cor suum, & ad interiora intelligenda refugiat, quandiu per corruptibilitatem carnis hujus videmus, ex parte videmus.* (In Psal. 48.) Ex parte ergo est quidquid hic in illis excessibus clarè videtur. Et alibi: *Unde tibi ros inspersus est, ad fontem venies. Unde radius per obliqua & per anfractuosa tibi ad cor tenebrosum missus est, nudus ipsam lucem videbis, cui videndæ ferendæque mundaris.* (Tract. 35. in Joan.) Fontem non gustavit, qui ejus stillula irroratus est; Solem non videt, qui radium ejus rimulæ anfractu infusum sensit. *Ubi est sanctis & perfectis cordibus nota ineffabilis pulcritudo, cujus plena visio est summa fœlicitas.* (Enchir. c. 5.) Fœlicitas summa est Dei non aliqualis, non repentina, sed plena visio. *Si ille magister interior, qui cùm adhuc discipulis exteriùs loqueretur, ait, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, vellet nobis id quod de incorporea Dei natura dixi, intrinsecus ita dicere, sicut sanctis Angelis dicit, qui semper vident faciem Patris, nondum ea portare possemus. Proinde quod ait, Docebit vos omnem veritatem, vel deducet vos in omni veritate, non arbitror in hac vita in cujusquam mente posse compleri. Qui enim vivens in hoc corpore quod corrumpitur & aggravat animam, possit omnem cognoscere veritatem, cùm dicat Apostolus, Ex parte scimus?* (Tract. 98. In Joan.) Et alio loco de pio quocumque divinorum contemplatore disserens: *Ita ut ea quoque ipsa quæ nunc quomodocumque cognoscit, nondum se scire sciat, sicut scienda sunt, in ea vita, quam nec oculus vidit, nec auris auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quo sciendi modo si nunc ea vellet interior magister dicere, id est, nostræ menti aperire, atque monstrare, humana infirmitas portare non posset.* (Tract. 97. In Joan.) Parcè ergo, non plenè nunc videmus; & ea ipsa quæ utcumque videmus, videbimus in illa die ineffabiliter & inexcogitabiliter copiosiùs præstantiùsque; nam illam veritatis pulcritudinem & claritatem, hujus vitæ corporisque fragilitas ferre non potest. Docet alibi in Dei Verbo eventa futurorum, ordinem contingentium, contextum universi corporei, & sæculorum temporalium à Beatis solis videri posse, ab aliis non posse: *Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoscuntur ab Angelis, ubi habent causas rationesque suas, id est, secundùm quas facta sunt, incommutabiliter permanentes; aliter in seipsis: illic clariore, hic obscuriore cognitione; velut artis atque operum.* (Civit. l. 11. c. 29.) Et alibi: *Idonea non est ipsa mens nostra in ipsis rationibus quibus facta est, ea videre apud Deum, ut per hoc sciamus quot & quanta qualiaque sint, etiamsi non ea videamus per corporis sensus.* (De Gen. ad lit. l. 5. c. 16.) Et alibi rursus prolixè ostendit Philosophos acie mentis ad lucem usque incommutabilis veritatis pertigisse, non in ea tamen potuisse contextum sæculorum conspicari. *Cùm idonei non essent in æternitatem spiritalis incommutabilisque naturæ aciem mentis tam constanter infigere, ut in ipsa sapientia conditoris atque rectoris universitatis viderent volumina sæculorum, quæ ibi jam essent & semper essent, hìc autem futura essent ut non essent, &c.* (De Trinit. L. 4. c. 15. 16. 17.) Jejuna ergo est valdè visio quæ hìc præcipitur & ab illius quæ speratur plenitudine mirum quantum deficiens; ideoque non visio, sed intelligentia dicenda est.

VIII. Gregorius Magnus: *Lux inaccessibilis est revelatio divinitatis; lux quippe est, quia à mun-* (In l. 1. Reg. L. 4. c. 5.)

mundis cordibus qualitercumque videri poteſt; dum videtur & non comprehenditur, lux inacceſſibilis eſt, &c. Quidquid enim humana mens de Deo cogitare poteſt, Deus non eſt. Sed dum cogitando cuncta tranſcendit, &c. ad quandam lucem tamen pervenit quæ non eſt Deus, & quam inhabitat Deus; & cogitare compellitur quàm ineffabilis lux ſit quæ ipſe eſt, ſi tam immenſa eſt lux illa quam inhabitat, & non eſt ipſe. Et paulò pòſt: *Cognoſcitur Deus per ſpeculum, cognoſcitur per ſeipſum. Per ſpeculum hìc, per ſemetipſum in cœlo. Speculum verò eſt illa lux quam inhabitat Deus; ipſe autem lux illa quæ ipſe eſt.* Supra omnes ergo creaturas eluctanti non ſtatim videndus occurrit Deus, ſed Dei ſpeculum, lux inacceſſibilis; Dei ſedes, non ſubſtantia; videtur ergo tum non tam Deus, quàm ſpeculum

Moral: L. 32. c. 11. Dei. Et alibi: *Mirari poſſumus, ſed intueri minimè valemus. Illius autem nativitatis Verbi vim mirari poſſe, aliquatenus videre eſt. Sed quomodo videmus quod nequaquam comprehendimus? Eſt autem quod de uſu carnis pertrahere ad ſenſum ſpiritus debemus. Nam ſi quis in tenebris clauſis oculis jacet, atque ante eum ſubitum lucernæ lumen erumpat, clauſi ejus oculi ipſo adventu luminis feriuntur ut pateſcant. Cur ergo turbati ſunt, ſi clauſi nil viderunt? nec tamen aliquid perfectum fuit, quod videre clauſi potuerunt. Nam ſi perfectè totum vidiſſent, cur aperti quærerent quod viderent? Sic itaque, ſic ſumus cum de incomprehenſibili nativitate intueri aliquid conamur. Eo ipſo enim quod fulgoris admiratione percutitur animus, & quaſi videt quod videri non valet, velut in tenebris poſitus, vim lucis oculus clauſus videt.* Quo exemplo nihil opportunius. Ut enim qui clauſis jacens oculis, & illato repentè lumine excitatus, illud ita vidiſſe dicendus eſt, ut non viderit: ita non vidiſſe ut viderit; vidit enim qui lumine excitatus eſt; non vidit qui clauſis jacebat oculis: Ita repentinis æternæ veritatis coruſcationibus excitata mens, videt & non videt Deum: videt, quia ad lumen intermicans excitatur; non videt, quia perfectum eſſe non poteſt, quidquid in hoc ſtatu videre poteſt. Cæterùm quod videt, perfectum non eſſe dicitur, non quòd perfectum non ſit, & Deus non ſit, ſed quia perfectè non videtur: ſicut lumen quod oculos clauſos ferit, perfectum eſt; ſed quatenus oculis clauſis videtur, imperfectum eſt. Et alibi:

Moral. l. 31. c. 20. *Oculi ejus de longè proſpiciunt. Quamlibet enim in hac vitæ poſitus quiſque profecerit, necdum Deum per ſpeciem, ſed per ænigma & ſpeculum videt. E vicino cum reſpicimus, veriùs cernimus: cum verò longiùs aciem tendimus, ſub incerto viſu caligamus.* Et paulò infrà: *A luce incorruptibili caligo nos noſtræ corruptionis obſcurat; cumque & videri aliquatenus poteſt, tamen videri lux ipſa ſicut eſt non poteſt, quàm longè ſit indicat: quam ſi mens utcumque non cerneret, nec quàm longè eſſet videret: ſi autem perfectè jam cerneret, profectò hanc quaſi per caliginem non videret. Igitur quia nec omnino cernitur, nec rurſum omnino non cernitur, rectè dictum eſt, quia à longè Deus videtur.* Qua rurſus Gregorii aptiſſima ſimilitudine advertis videri nunc à nobis & non videri Deum; videri enim in ænigmate & in ſpeculo: non quòd non ipſe præſto ſit & coram adſit, & ſine medio fulgeat, & per ſe conſpiciatur; ſed quia longè cernitur, & ſola longinquitas inducit caliginem. Itaque etſi ſine reflexo per creaturas lumine, etſi ſine phantaſmate, etſi tranſcenſis creaturis omnibus mens Deum videat, tamen ænigmaticè videt, quia de longè ideoque ca-

In Ezech. Hom. 8. liginosè videt. Et rurſum: *Quantalibet intentione ſe mens humana tendat: etiamſi jam phantaſias imaginum corporalium à cogitatione compeſcat: etſi jam omnes circumſcriptos ſpiritus ab oculis cordis amoveat, adhuc tamen in carne mortali poſita, videre gloriam Dei non valet, ſicut eſt: ſed quidquid de illa eſt quod in mente reſplendet, ſimilitudo & non ipſa eſt.* Supra omnes creaturas ergo tam corporales quàm ſpiritales evecta mens videt, & ſolam tamen Dei ſimilitudinem videt, necdum Deum ſicuti eſt videt; videbit autem ſicuti eſt, & ſine ſimilitudine incorruptibilem veritatem, cùm corruptibilis corporis exuvias abjecerit.

IX. Bernardus: *Quieti contemplationis poſt ſudo-* Serm. 18. In Cant.
res actionis incumbat. Dormiens in contemplatione Deum ſomniat: per ſpeculum ſiquidem & in ænigmate, non autem facie ad faciem interim intuetur. Tamen ſic non tam ſpectati quàm conjectati, idque raptim & quaſi ſub quodam coruſcamine ſcintillulæ tranſeuntis tenuiter vix attacti, inardeſcit amore, & ait, Anima mea deſideravit te in nocte. Sic ille coruſcationes eſſe tradit inſtar ſcintillulæ in alta nocte intermicantes, nec noctem tamen diſcutientes; unde & in iis conjectari magis Deum quàm ſpectari; nec facie ad faciem, ſed in ſpeculo videri & in ænigmate. Et alibi: *Vide au-* Ibidem. Serm. 31.
tem tu, nequid nos in hac Verbi animæque commixtione corporeum ſeu imaginatorium ſentire exiſtimes. Id loquimur quod Apoſtolus dicit, Quoniam qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt. Exceſſum puræ mentis in Deum, &c. Et aliquibus interjectis quibus exceſſum illum, ſine medio, ſine velo, animæ Deo ſe conglutinantis, Dei in animam illabentis deſcribit: *Non tamen adhuc illum dixerim apparere ſicuti eſt, quamvis non omnino aliud hoc modo exhibeat quàm quod eſt.* Videtur ergo Deus id quod eſt, ſed non ſicuti eſt. Multùm ergo diſcrepat hæc viſio ab illa quam in patria Beati experiuntur.

X. Superſunt autem & alia eorumdem Scripturæ locorum elucidamenta non ſpernenda. *Non videbit me homo, & vivet. Quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt.* Nempe oculo corporis; nam oculo mentis utique purgato & videre poteſt, & videt & videbit. 2. Nempè ſuis viribus; nam Dei auxilio videri utique Deus poteſt; Patrem nemo novit niſi Filius, ſed & Filius cui vult revelat. 3. Nempe quandiu homo eſt, carnalis utique & carnalium luto immerſus; ſi emergat enim, & ſpiritalis fiat, videbit. Auguſtinus: *In eo quod* L. 4. De Symb. ad Catech. c. 1.
dictum eſt, Non enim quis poterit videre faciem meam & vivere, oſtenſum eſt neminem his oculis corporeis Deum poſſe videre. Et alibi: *Sicut vi-* Epiſt. 111. c. 9.
dentur iſta viſibilia, corporis ſenſibus nota, Deum nemo vidit unquam: quoniam ſi aliquando eo modo viſus eſt, non ſicut iſta natura videtur, ſed voluntate viſus eſt; ſpecie qua voluit apparens, latente natura, atque in ſe incommutabiliter permanente. Ubi perſpicuum eſt de corporali viſione loca ejuſmodi interpretatum eſſe Auguſtinum. Rurſus: *Sic illud dictum eſt, Deus habitat lucem inacceſſi-* In Pſ. 118. Conc. 6.
bilem, & audivimus tamen, Accedite ad eum & illuminamini. Quæ utique ſic ſolvitur quæſtio, ut inacceſſibilis ſit viribus noſtris, accedatur autem ad Deum muneribus ſuis. Denique Gregorius Magnus: *Scriptura ſacra omnes carnalium ſecta-* Moral. l. 18. c. ult.
tores humanitatis nomine notare ſolet, &c. Secundùm hominem ambulatis, &c. Nonne homines eſtis, &c. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe; & cùm hoc hominibus dixiſſet abſconditum, mox ſubdidit, Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſanctum: ipſum ſe ab hominis vocatione diſcernens, qui raptus ſuper hominem, divina jam ſaperet. Ita etiam hoc loco cùm lucem Dei inacceſſibilem perhiberet, ut oſtenderet quibus, ſubdidit, Quem vidit nullus hominum, ſed nec videre poteſt. More ſuo homines vocans humana ſapientes: quia qui divina ſapiunt, videlicet ſupra homines ſunt. Videbimus igitur Deum, ſi per cæleſtem converſationem ſupra homines eſſe mereamur. Videri igitur ab homine mortali utcumque poteſt Deus, ſed divinis non humanis viribus; ſed raptu & exceſſu ſupra hominem & humana omnia ipſum evehente.

XI. Obii-

XI. Obiicitur 3. pari privilegio videndi raptibus subitaneis Dei nobiscum dæmones ipsos donari: imò quam Dei visionem nos momentaneo excessu prælambimus, illos per otium degustare. Etenim regularum Ethicæ, connexionum Logicæ, principiorum cujuscumque scientiæ veritatem æternam, incommutabilem, infinitam, ubique se præbentem, illi perspicaciùs quàm nos intuentur, & nullo obnubilantur phantasmate, utpote corporis expertes; vident ergo Deum copiosiùs & otiosiùs quàm nos, quibus illam lucem imagines corporales intercipiunt statim & infuscant. An ergo dæmones Deum vident clarè, jugiter, aut saltem quantum libet & sine velo interposito?

Respondetur 1. Quidquid veritatis menti cuicumque affulget, à Deo affulgere minùs mirum est; sed menti magis magisque depravatæ minùs & minùs affulget; depravatissimæ minimùm affulget; ut jam non tam ab hujusmodi veritas videri, quàm audiri æstimanda sit. Quocirca Augustinus luculentè docet nihilo plus mirum esse quòd Deus, teste libro Job, locutus sit cum diabolo, quàm quòd animas impiorum quotidie intus alloquatur.

L. 2. de ser. Dom. in Monte. *Quapropter si hominis anima rationalis, etiam cupiditate cæcata, tamen cum cogitat & ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis, à quod vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, ut verum aliquid in ratiocinando sentiat. Quid mirum si diaboli anima prava cupiditate perversa, quidquid tamen verum de justo viro cogitavit, cum eum tentare vellet, ipsius Dei voce, id est, ipsius veritatis voce audisse perhibetur?* Veritas & Verbum idem est, videre & audire idem est, nisi quod obscuriùs auditur quid quàm videtur; ideo cùm obscurissimè veritatem videant impiorum animæ dæmonesque, audire potiùs quàm videre prædicantur.

Respondetur 2. si totum illud genus videndi, cum Veritas æterna & immutabilis, cum justitia, cum sapientia videtur, symbolicum est, & hæc non aliud quàm sacra figmenta & spiritalia symbola sunt, quibus quod eminus conspiciatur Deus, ab ipsa longinquitate obnubitur; non usque adeo exhorrescere debet quisquam hujus symbolicæ visionis radium aliquem obliquè & anfractuosè ad dæmones usque perlabi. Neque enim inde fiet ut Deum videat diabolus; quocirca rectè Augustinus advertit in libro Job cautissimè dici, quòd diabolus venerit in conspectum Dei, non Deus in conspectum diaboli: unde constantissimè negandum est quòd diabolus ullo pacto videat Deum.

Serm. 26. De divers. *Scriptum est enim, quòd in conspectum Dei venerit; non scriptum est, quod Deum ipse conspexerit, &c. Quomodo ergo venit in conspectum ejus? Quomodo cæcus in conspectum videntis, quem ipse non conspicit.* Et infrà cùm multos edisseruisset modos, quibus Deus loquitur: *Loquitur etiam Deus in bonorum malorumque conscientia; nam & approbare quod bene facit, & improbare quod peccat, nemo rectè potest, nisi ad eadem illa, in silentio cordis vel laudante vel clamante voce veritatis. Veritas autem Deus est. Quæ cùm tam multis modis loquatur hominibus tam bonis, quàm malis: quanquam non omnes quibus tot modis loquitur, possint quoque ejus substantiam naturamque conspicere: Quis hominum potest conjiciendo aut cogitando colligere, quot & quibus modis eadem veritas loquatur Angelis, sive bonis, qui ejus ineffabili specie & pulcritudine per mirabilem charitatem contemplando perfruuntur: sive malis, qui depravati per superbiam suam, & ab ipsa veritate in inferioribus ordinati, possunt quibusdam latentibus modis vocem ejus audire, quamvis faciem videre digni non sint?* Ita sanctus Pater dæmones à visione Dei omnino arcet, non omnino ab ejus voce: quanquam miri in primis & reconditi sint modi, quibus Veritas mentes eorum alloquitur, nec tamen videtur, cùm eorum auris oculusque non differant, cùm ejus Verbum lumenque non discrepent. Utcumque fieret satis, si per interpositam tantùm creaturam corporalem eos conveniret: sed quo authore id nobis constabit? non sanè Augustino, qui secus sensisse videtur.

Respondetur 3. cupiditatum suarum tempestate, & pœnarum suarum carnificina ita exagitari, ita stupefieri, ita dementari, ita obbrutescere malos Angelos, ut opinari, conjectarique aliquid, vel suspicari possint; ratiocinari autem, vel philosophari & intelligere nihil plenè possint. Intelligere enim vel ratiocinari, veritatem æternam & incommutabilem seu numerorum, seu connexionum, seu principiorum contueri, mentis est stantis, & serenatæ, & sibi vacantis, non statu suo emotæ, tumultuantis, cupiditatibus affascinatæ, cruciatibus obstupefactæ. Unde Augustinus: *Cavendi sunt ergo inferiores inferi, id est post hanc vitam pœnæ graviores: ubi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio: ideo nulla ratiocinatio, quia non eam perfundit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quare festinemus & ambulemus cum dies præsto est, ne nos tenebræ comprehendant. Festinemus à secunda morte liberari, ubi nemo est qui memor Dei sit, & ab inferno, ubi nemo confitebitur Deo.* L. de vera Relig. c. 52. Ubi manifestè apud inferos negat Augustinus ullam esse Dei memoriam, ullam veritatis commemorationem, ullam denique ratiocinationem, quia in illis tenebris exterioribus nulla est Verbi illuminatio.

XII. Obiicitur 4. Nullam penes nos fore Moysis & Pauli prærogativam, quòd Deum facie ad faciem vidisse, quòd in tertium usque cœlum conscendisse in sacris litteris memorantur; nam & omnibus aliis pietate & contemplatione conspicuis hominibus idem obtingit, ut ad Dei intuitum rapiantur.

Respondetur 1. Nec Moysi nec consequenter Paulo genus aliud videndi Dei contigisse, quàm repentinis ejusmodi raptibus, quanquam uberiùs fortasse tamen, existimavit Bernardus: *Olim sanctus Moyses quoniam multum præsumebat de gratia & familiaritate quam invenerat apud Deum, aspirabat ad quandam visionem magnam, ita ut diceret Deo: Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi teipsum. Accepit autem pro eâ visionem longè inferiorem, ex qua tamen ad ipsam quam volebat, posset aliquando pervenire.* In Cant. Serm. 34. Non omnino voti sui compotem factum Moysen docet, sed visione longè impari recreatum. Sed alio loco disertiùs mentem suam explicat: *Qui verò adhærent ipsi, aliquando videre possunt, sed raptim, & non continuè, nec plenè, dum adhuc sunt in via.* Serm. 3. in Ramis Pal. *Attamen quantum ad alios, ipsi magis facie ad faciem eum vident, juxta quod verè de Moyse scriptum est, quia cæteris quidem Prophetis per visiones & somnia, Moysi verò facie ad faciem loquebatur. Quantum ad plenam sanè visionem, nec ipse Moyses dum viveret in hoc mundo, impetrare potuit faciei ipsius visionem, quia sicut ipse ait, Non videbit me homo & vivet.* Ita ille Moysi repentinas tantùm illas, & aliis plerisque etsi parciùs fortasse concessas, visionis divinæ fulgurationes concedit, colligitque satis probabiliter ex eo quod Moysi figuratis Dei visionibus non acquiescenti, postulantique vehementiùs ut ostenderet Deus semetipsum, responderit Deus, Non videbit me homo & vivet, nec aliud postea illi super petram constituto ostenderit quàm posteriora sua.

Respondetur 2. paulò liberaliorem fuisse Augustinum, plenamque & beatam Dei visionem Moysi & Paulo annuisse, idque ille argumentatur ex Num. cap. XII. ubi ait Deus, Moysi se per speciem non sicut aliis Prophetis per visiones, somnia, & ænigmata, apparuisse. Vide ipsum Augustinum. Epist. 112. c. 13.

Ne sic quidem urgemur ulla difficultate; nam singulari suo privilegio Paulum & Moysen frui concedimus; quanquam & hoc nonnullis aliis non negat ibidem Augustinus.

Respondetur 3. Longè plures alios tum Græcos maximè, tum Latinos Patres, non aliud Moysi concessisse, quàm figuratas Dei visiones, atque adeo illud privilegium abrogasse. Vide si vacat Ambrosium, Hieronymum, Nazianzenum, Nyssenum, Chrysostomum, Cyrillum Hierosolymitanum & alios.

XIII. Obiicitur 5. Non satis dilucere, quid discriminis intercedat, inter visionem Dei, quam Angelo & Adamo innocenti, quam vitam hanc mortalem agentibus, quamque Beatis indulgemus. 2. Si Deus est supra essentiam & supra veritatem, si hæc ejus symbola tantùm sunt, ergo ne à Beatis quidem videri, aut intelligi potest, quia nec videri, nec intelligi quidquam potest nisi ens & veritas.

Respondetur ad primum, hæc discriminare operosum in primis esse, quod ii quorum insistere vestigiis professi sumus, non adeo scrupulosè & minutè hæc omnia consectati sint; nec nostri instituti ratio patiatur aliquid præter eorum authoritatem novare. Si quis tamen conjecturis nostris locus esse possit, Adami quidem adhuc stantis contemplationem ab ea quæ residua adhuc luce quandoque in nobis scintillat, eo capitaliter discrepare arbitramur, quod illa jugis, & ad libitum ejus perennis esset, vel esse posset; quandocumque & quandiu mens ejus summis intendere se vellet, nullo interim vel phantasmatum fluctu, vel curarum æstu obstrepente: hæc autem nec sit, nec esse possit, nisi brevis & momentanea, compressis quidem ad punctum temporis imaginum curarumque corporalium procellis, sed statim recurrentibus. Illa itaque jugis erat, hæc momentanea; illa prona semper & semper ad manum, hæc rara & difficillima; illa copiosa, hæc raptim, parcèque obtingit.

Rursus utraque hæc videri potest quasi symbolica tantùm fuisse, nulla quidem interposita vel imagine, vel creatura alia; sed ipsa longinquitate caliginem inducente, nec Deum sicuti est videri permittente. At illa qua potiuntur in patria Beati Deum videt sicuti est; nec jam tantùm ut veritatem incommutabilem, ut justitiam & legem æternam, si hæc figmenta sacra sunt, & symbola spiritalia; sed sicuti in se est, illum intuetur. Sed quomodo videri possit vel intelligi, quod non intelligitur ut ens, ut veritas, profiteor me non videre, non intelligere; & hoc esse suspicor quod Scripturæ canunt, quod sancti Patres succinunt; Oculus non vidit, auris nec audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Et Pax Dei quæ exuperat omnem sensum. Julianus Pomerius: *De qualitate ipsius vitæ futuræ quid dicam, quæ potius debet credi quàm dici?* Videri à Beatis Deum certò scio, quia fides docet; Deum supra essentiam & veritatem esse scio, quia Patrum authoritas & rationum veritas docet; quomodo autem videatur quod supra essentiam & supra veritatem est, nescio, non video. Evectus enim raptusque supra vires & extra limites suæ naturæ intellectus Beatorum, plura poterit quàm nunc sibi polliceri audeat; videbit itaque quæ invisibilia sunt, intelliget quæ supra intellectum sunt.

L. 1. de vita contem. c. 2.

XIV. Nisi sicuti videatur conducibilius ad illum ipsius intellectus apicem confugere, qui tangit potius quàm videt; qui unum magis est quàm mens; qui unione potius sentit quàm intellectione; qui non videndo videt, ignorando scit, nesciendo fruitur; qui nescire dicitur, scientiæ non inopia, sed exuberantia; qui non videre fertur, non caligine, sed luce nimia; qui denique copulatione & adunatione potiùs quàm intellectione Deum attingit, & imbibit, & eo se inebriat, & diffluit, & satiatur, & deliciatur, & cum Deo commiscetur, conflaturque, nec tam laborat Deum videre, quàm gaudet Deus esse.

Proclive enim ita foret discriminare visionem beatam ab illa quam Adamus innocens prælibabat, & ab ea quam raris brevibusque haustibus gustamus; utraque enim hæc posterior symbolica est; at prima illa & summa, impatiens & longinquitatis, & symbolorum ex longinquitate resultantium, intellectus summum columen Deo ipsi adunat & immergit.

Proclive rursus foret causam assignare cur omnem peccandi potentiam non extirparet visio Dei Adamo indulta, cum eam funditus excindat qua beantur cives patriæ cœlestis; hæc enim adunat & commiscet & conflat intellectum cum Deo, ut dissilire ab eo vel defluere jam potis haud sit.

Proclive rursus foret explanare quomodo Deus cum supra essentiam & supra veritatem adeoque supra intelligendi vires, & extra intelligentiæ limites sit: intelligatur tamen & videatur à Beatis; per illam videlicet intellectus partem quæ supra intellectum est, apexque mentis summus est.

Proclive rursum foret prima ultimis connectere seu prima divinæ in nobis intellectionis rudimenta summo ejusdem in beatitudine fastigio colligare. Utrobique enim Deum non tam intellectione explicita, quàm conscientia, & sensu intimo, & substantiali quasi contactu & unione sentitur; sed longè aliter in summo cumulo, quàm in primo tyrocinio.

Proclive rursum foret causam propalare, cur antelucanæ coruscationes, seu quæ pias mentes prævia & anticipata futuræ vitæ luce aspergere raptim occupant, afficiant magis quàm illuminent; plus suavitatis inspirent quàm luminis; charitatis potius quàm veritatis incrementa provehant. Cùm ex adverso residuæ de pristinæ diei crepusculo fulgurationes plus illuminent quàm afficiant; curiositatem magis alant quàm charitatem; veritatis plurimum, minimum suavitatis inspergant. Apud Augustinum enim, Gregorium, Bernardum *passim id* observare fas est, illas de fruge suavitatis, *has* de luce veritatis perpetuò commendari. Quod nimirum hæ ad intellectum pertineant, qui nihil aliud quàm illustrari potest; illæ ad unum intellectus quod Deo copulat & commiscet, qua ex plusquam maritali copula minùs mirum si tantus exundet torrens deliciarum, magis quàm luminum.

Proclive rursum foret causam approbare cur & Ecclesiæ Patrum & Scholæ Theologicæ Antistitum complures studuerint præter visionem Dei, alias excogitare & exaggerare delicias quæ supremam illam beatitudinem accumulent, derivatas nimirum ex illapsu substantiali totius Deitatis in ipsam animæ beatorum substantiam. Hic enim illapsus non aliud est quam illa à Platonicis primùm Philosophis, inde uberiùs & luculentiùs à Græcis potissimum Patribus inculcata, unius & apicis mentis cum Deo copula unioque.

Proclive rursum foret mitigare aliquantulum rixas in Schola Theologica ferventes circa principalem ultimæ beatitudinis cardinem; alii enim pro visione sola, alii pro sola charitate, alii pro illapsu substantiali depugnant. Si hoc unum mentis non inaniter Philosophi Patresque Græci commenti sunt, in eo hæc tria confluunt; eo enim ut apice intellectus, videtur, vel nobiliùs quàm videndo sentitur Deus: eo ut uno animæ copulatur anima cum Deo, & totas haurit charitatis conjugalis voluptates; eo ut flore substantialiter Deitatem subit excipitque.

Proclive rursum foret illam Patres inter Latinos Græcosque verborum magis quàm sententiarum compugnantiam sedare circa visionem vel invisibilitatem Dei. Cùm enim nefas sit à Latinorum authoritate desciscere, quod ii nos in Christo id est in veritate genuerint, & apertis nitantur Scripturarum

ora-

oraculis & Conciliorum scitis, claram Dei visionem despondentibus. Cùm rursus piaculare sit Græcorum Patrum authoritatem detrectare in eo dogmate, quod pro Ecclesia bellando, quod hæreses debellando, quod veritati militando construxerunt; in quod tam unanimiter consenserunt, in quod Latinorum Patrum nec paucos nec ignobiles ad se traxerunt; cùm neutrarum partium desertores esse possimus, una salus superest, utrasque conciliare. Alii ergo invisibilem, alii visibilem fore prædicant Deum, & utrique verè prædicant, verbisque magis quàm sententiis pugnant. Uno enim mentis videtur & non videtur, quia præstantiore quàm per visionem modo videtur Deus. Quia enim hoc unum mentis est, ejus est videre; & quia apex mentis & supra mentem est, ejus non est videre.

Proclive rursum foret & verbalem in Scripturis pugnam componere, dum nunc videri, nunc non videri posse Deum absolutè pronunciant.

Proclive rursum foret altius fortasse totius indagare hujus fontem dissidii. Platonici enim Philosophi quorum doctrinis innutriti & imbuti erant plerique primordialium Ecclesiæ sæculorum Patres, ab uno & bono discreverant primam mentem, seu primum ens, seu veritatem, seu Verbum, seu Filium, seu quocumque demum alio nomine Patrem æternamque ejus prolem indigitarent. Discreverant autem, sed plus æquo, non personæ tantùm, sed naturæ discriminio; omnemque Filii cum Patre æqualitatem & consubstantialitatem desperaverant. Jam verò Filii ut qui ens, & mens, & veritas & ratio, Verbumque esset, visionem & intellectionem propriam esse philosophabantur, in eoque beatas omnes mentes animasque contemplando & per contemplationem fruendo quiescere. Patris autem ut qui supra essentiam & veritatem esset, ut qui proinde supra vim & extra lineas intelligentiæ esset, nec visionem nec intellectionem ullam esse aut esse posse; sed augurium, sed conscientiam, sed occultum contactum, sed ignorantiam quavis scientia præstantiorem, sed caliginem quavis luce splendidiorem, sed per unum & apicem mentis copulam & sensum intimiorem, & hoc esse summum columen beatitatis, summamque mentium beatarum quietem voluptatemque in ineffabili silentio fluentem constituebant. Totam ergo visionem & intellectionem in Filio, id est in ente & veritate conquiescere: totam incomprehensibilitatem in Patre consistere; illum mente, hunc mentis uno: illum intellectione, hunc unione intellectum superante fruendum esse autumabant.

Jam verò è Christianis Latini quidem Patres in primam illam dogmatis Platonici partem, Græci verò in secundam magis propendisse, & ad suam quisque sententiam Scripturas inclinasse videntur. Illi itaque Deum ut ens summum, ut veritatem incommutabilem, & hìc & in patria, sed longè dispari luce, utrobique tamen & videri & intelligi prædicant, & in hac Dei sicuti est visione totam locant beatitudinem. Hi autem Deum ut ente & veritate superiorem, ut his symbolis multò abstrusiorem, nec hìc nec in patria videri aut intelligi posse sicuti est; sed unione mentis ineffabili tamen fruendum sese præbere.

Siqua non verborum tantùm, sed rerum esset inter tantos Ecclesiæ magistros conflictatio, utris accedendum potiùs fuerit, definire non opis est nostræ. Fidenter tamen profitebor vix aut nec vix desciscі penitus posse a Patribus Græcis, tum quòd tota Ecclesia posteriorem partem dogmatis Platonici priori anteposuerit: & consubstantialitatem æqualitatemque Patris & Filii decernendo, non Patrem ad minoritatem Filii inclinaverit, sed Filium ad summitatem Patris provexerit; ideoque non Patrem ad visibilitatem Filio ascriptam depresserit, sed Filium ad invisibilitatem Patri semper attributam promoverit. Tum rursus quòd Græcis potissimum Patribus hac in parte patrocinium veritatis & Ecclesiæ tutelam Deus mandaverit, ideoque & spiritum veritatis inspiraverit, ut Arianos visibilitatem Filio perperam ascribentes, ut Eunomianos invisibilitatem & incomprehensibilitatem Patri impudenter detrahentes profligarent. In eo ergo eos ipsos à veritate aberrasse, in quo veritatis vindices à Deo instructi fuerant, errorem errore, mendacium mendacio labefactasse, Ecclesiæque fidem falsitate constabilisse vix quisquam doctrinæ Christianæ bonus æstimator persuaderi sibi patietur.

Satius ergo fuerit verborum totam pugnam existimare, eamque unius sententiæ quæ omnes devinciat declaratione consopire. Incomprehensibilem invisibilemque cum Patre Filium Græci commemorant, nec videri tamen penitus negant: visibilem Beatis cum Filio Patrem Latini prædicant, sed modum quo videtur, videri aut intelligi non posse affirmant. Mente non videri, aut ex toto non videri; mentis uno & apice summo, & sensu visionem omnem superante videri, & ineffabili modo non videndo videri, id est, non comprehendi, utrique sentient, & ad hunc modum consentient. Ex quo responsio liquet ad secundum.

LIBER SEPTIMUS.

De Scientia & Voluntate Dei.

CAPUT PRIMUM.

An in Deo sit scientia. Ut sciat omnia, qua summa veritas, qua prima mens, qua ipsum esse.

I. Suffragia Scripturarum de scientia & sapientia Dei.

II. An ea sit sapientia genita, Filius? an creata, quæ operibus Dei omnibus infusa & superfusa est?

III. Scientia Dei quam procul à nostra sit, & supra nostram.

IV. Quædam palam Deo indigna tribuunt sacri Codices, ut cordati quique hinc olfaciant, peræquè indigna eo esse, quæ in speciem digna videri solent. Quid scientiæ nostræ abstergendum sit, ut Deo possit appingi.

V. Quàm immane distet scientia nostra à divina.

VI. Dei scientia hinc primùm astruitur, quod Deus veritas sit. Variæ veritatis descriptiones, maximè ex Bernardo.

VII. Ex Proclo incomprehensibilis est nobis divinæ scientiæ modus.

VIII. Omnia scit Deus, etiam ut prima mens, ut summum esse, ut prima summa causa.

IX. Ex Dionysio luculentè illustratur triplex illud divinæ scientiæ fundamentum.

X. Ex eodem ut Deus, tanquam ipsum unum, omnia & cognoscat, & procreet. Quomodo nostra, vel

vel Angelica mens res noscat corporeas, incorporea cum sit.

XI. Ex Cyrillo Alexandrino, & Synesio de scientia Dei.

L. 1. Reg. 2. 3. Psal. 146. Job. 12. Psal. 138.

I. CElebratur in sacris litteris *Deus scientiarum Dominus*; utpote cujus *sapientiæ non est numerus*. Et alibi: *Apud ipsum est sapientia. Ipse habet consilium & intelligentiam.* Et rursum: *Ecce Domine tu cognovisti omnia, novissima & antiqua.* His aliisque hujusmodi compluribus testimoniis aptanda sunt ea, quibus Deus sapientiæ & scientiæ parens, author & largitor describitur. Quale est
Job. 28. 12. illud, *Sapientia ubi invenitur? Et quis est locus intelligentiæ? Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius. Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia*
Baruch, c. 3. *quæ sub cœlo sunt, respicit.* Et alibi: *Quis ascendit in cœlum, & accepit eam*, sapientiam, *& eduxit eam de nubibus? Qui scit universa, novit eam, & adinvenit eam prudentia sua.* At in Proverbiis Salomonis sapientia describitur, ut primus Dei partus ante conditum, & ad condendum or-
Proverb. 8. bem: *Ego sapientia habito in consilio, &c. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio, &c. Ante colles ego parturiebar, &c. Quando æthera firmabat sursum, &c. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Sed multò apertiùs in libro Sa-
Cap. 7. pientiæ, sapientia *emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest; & in se permanens, omnia innovat.*

II. Postremis his verbis exhibetur sapientia, ut proles, sive ut donum Dei potius, quàm ut Deus ipse, nisi si proles Dei & ipsa Deus sit. Jaciebantur jam tum quidem fundamenta hujus fidei de sapientia Dei genita, quæ & ipsa Deus est; sed tam obscurè, ut plerosque fallerent; idque consultò, ne rudes & impatientes tanti sacramenti homines offenderentur & resilirent. Sensus ergo ille magis obvius horum verborum, nec improbandus ille erat, quod sapientia Dei inventum & munus sit;
Eccl. 1. *Prior omnium creata est sapientia, &c. Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, &c. Unus est altissimus Creator omnipotens, &c. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, &c. Et effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum, præbuit illam diligentibus se.*

III. Est ergo in Deo scientia, id est, fons & principium totius scientiæ. Est Deus sapientia, hoc est, author largitorque sapientiæ. Nec enim qualis vel in nobis est, vel à nobis intelligitur scientia & sapientia, istiusmodi Deo ascribenda est, nisi in modum principii & causæ, ut qui totius sapientiæ & intelligentiæ dator, dispensatorque sit. Et eò fortassis pertinet illud Pauli: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.* Ea sanè Augustini sententia est, qui scientiam, uti & pœnitentiam Deo in Scripturis tribui ait, miro & ineffabili modo, sed longè diversissimo ab eo, quo hæc eadem nobis congruunt. Scire enim dicimur, quæ cum semel sensu, vel intellectu attigerimus, memoria retinemus, & ubi volumus recolimus, ex his quasi promptuariis memoriæ educendo. At nemo istiusmodi scientiam, nihilo plus quàm pœnitentiam Deo verè adscripserit. *Non*
Ad Simpl. q. 2. *enim scientiam solumus dicere in nobis, nisi cum sensa & intellecta memoria retinemus; id est, cum meminimus aliquid sensisse nos, vel intellexisse, & id cum volumus, recolimus. Quod si ita in Deo est, ut possit propriè dici, Intelligit & intellexit, sensit & sentit; admittit tempus, & subrepit nihilominus illa mutabilitas, quæ longè à Dei substantia removenda est. Et tamen & scit Deus, & præscit ineffabili modo. Sic eum & pœnitet ineffabili modo. Cum enim scientia Dei longè distet ab humana scientia, ita ut irridenda sit comparatio; utraque tamen scientia vocatur.*

IV. Ita Augustinus demonstrat pœnitentiam, præscientiam, & scientiam de Deo in Scripturis dici, sed ineffabili modo debere intelligi. Non omnibus statim claret, quid maculæ sit vel in scientia, vel in præscientia, ut non possint hæc propriè Deo tribui. Sed nemini non exploratum est, non posse nisi impropriè illi affingi pœnitentiam. Monuit ergo nos & hic, & alibi idem sanctus Pater, eo consilio Scripturas aliqua Deo adscribere palam indigna, ut & hæc quæ alioqui nobis eo digna videri possent, ab ejus inexcogitabili & inenarrabili simplicitate removenda & ipsa esse coniiciamus. Id in ipso scientiæ exemplo declarat Augustinus, quæ ut Deo aptari possit, ita adhærentium macularum abstersione ab eo expurgatur, ut ad solas ferè negationes redigatur tandem, nec aliud sit, quàm summæ veritatis lux, quam nihil lateat. *Longum est percurrere cætera, & sunt innumerabilia, quibus ostenditur, multa divina iisdem nominibus appellari, quibus humana, cum incomparabili diversitate sejuncta sint. Nec tamen frustra eadem sunt rebus utrisque indita vocabula; nisi quia hæc cognita, quæ in quotidiana consuetudine versantur, & experimentis usitatioribus innotescunt, nonnulla ad intelligenda illa sublimia præbent viam.* Hoc illud est, quod supra diximus ex Græcis maximè Patribus, multa de Deo prædicari, quæ illi non conveniant, nisi per analogiam: quòd ex his velut vestigiis, aut umbris, utcumque de proprietatibus divinis ut in Deo sunt, conjecturam capiamus. Pergit porrò ille eadem nomina ad negationes depellere: *Cùm enim dempsero de humana scientia mutabilitatem, & transitus quosdam à cogitatione in cogitationem, cum recolimus, ut cernamus animo, quod in contuitu ejus paulo antè non erat, atque ita de parte in partem recordationibus transilimus: unde etiam ex parte dicit esse Apostolus nostram scientiam: cum ergo hæc cuncta detraxero, & reliquero solam vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis, una atque æterna contemplatione cuncta collustrantis: imò non reliquero, non enim hoc habet humana scientia; sed pro viribus cogitavero: insinuatur mihi utcumque scientia Dei. Quod tamen nomen ex eo quod sciendo aliquid non latet hominem, potuit esse rei utrique commune.*

V. Itaque communi nomine dicitur scientia Dei atque hominis, quod utrumque res non lateant. Cætera quæ scientiæ nobis notæ voce continentur, demenda atque abroganda sunt, cum de Deo agitur. *Vivacitas illa inconcussæ veritatis, una atque æterna contemplatione cuncta collustrantis*, quà utcumque insinuatur nobis Dei scientia, ne competere quidem potest homini, nec ulli menti creatæ. Ab humana ergo ad divinam scientiam intelligendam per solas negationes provehimur. Contemplatio illa vivax, & una, & æterna, & cuncta collustrans, Dei scientiam non insinuat nisi utcumque, & imperfectè; quia ne venire quidem nobis potest in mentem contemplatio, nisi ex nostris cogitationibus, aut nostrarum similibus conflata; quæ fluxu, mutabilitate, & compositione sua, immane quantum deficiunt à simplicitate, incommutabilitate & æternitate divina.

VI. Sed cùm Scripturæ tam multa de Deo prædicent, etsi nec dici nec cogitari ut est posse profiteantur: hinc nobis & via panditur, & additur fiducia, ut de divina scientia dicamus, tametsi quæcumque de ea dicentur, *ineffabili modo* ei congruere jam præfati simus. Hinc ergo ordiemur, unde jam exorsi sumus, divinæ scilicet scientiæ certitudinem, infinitatem & æternitatem ex eo demonstrare, quòd Deus ipsa sit æterna & inconcussa veritas. Veritas porrò est, ut superiùs patefactum jam est, qua vera sunt, quæcumque sunt omnia. Item veritas est, ut modò edisserebat Augustinus, quam nihil latet; quæ

una

una & æterna contemplatione cuncta collustrat. Veritas vita est vivacissima, & vita vitarum, qua vera sunt quæcumque sunt; qua vera intelligunt, quæcumque intelligunt omnia. Nec enim aut otiosa & sterilis, aut languens & emortua fingenda nobis est veritas, qualem vulgus hominum imaginatur, quasi rebus, aut cogitationibus, aut sermonibus inhærentem. Hæ sunt vel umbræ vel effluvia veritatis. Veritas autem ipsa summa quædam & incorruptibilis lux est, quæ quaquaversum radios & beneficentiam spargit in eas sive res, sive mentes, sive propositiones omnes, quæ utcumque veritatis participes sunt. Ipsa autem non potest seipsam latere, per quam vera patent omnibus omnia. Quo sanè modo seipsam illa, vel cætera, aut cogitet, aut contempletur, aut videat, aut sciat, id verò nec mente, nec sermone consequi possumus; unum hoc certò intelligimus, unum tutò dicimus, quòd illam nihil lateat, quòd nec seipsam
De Consid. L. 5. c. 5. & 4. lateat. Bernardus: *Lucent Cherubim, & scientia eminent, sed participio veritatis, ac per hoc non ut veritas, nec quantum.* Vel Cherubimorum ergo scientia nec tanta est, quanta veritatis, *nec quantum*: nec ejusdem modi: *non ut veritas*. Sciunt enim illi cogitando & sciendo, penè ut nos: at Deus veritas scit, ut ipsa veritas se non latens. Modum sciendi divinum ibidem paulò antè ex aliqua parte aperuerat Bernardus: *Cernere est in Cherubim, qui plenitudo scientiæ dicuntur, Deum scientiarum Dominum esse; qui solus solam nesciat ignorantiam, qui totus sit lux, & tenebræ in eo non sint ullæ; totus sit oculus, & qui minimè aliquando fallitur, quia minimè clauditur; qui extra se non quærat lumen cui admoveatur ut videat, ipse qui videt, ipse unde videt.* Et ista ferè ab humano videndi & sciendi modo, etsi per negationes castigata. At idem infrà: *Dicimur amare, & Deus; dicimur nosse, & Deus; & multa in hunc modum: sed Deus amat ut charitas, novit ut veritas.* Si plura cupis, vide quæ superiùs disputata sunt de veritate.

Theol. Plat. c. 21. VII. Proclus omnium unus instar erit Platonicorum Philosophorum, hujus doctrinæ astipulator idoneus. Cùm gradus enim omnes & scientiæ & veritatis percensuisset, omnibusque anteposuisset divinam cognitionem, hoc est, ipsam veritatem; incomprehensibilem tandem & ineffabilem fatetur esse modum hujus sive divinæ scientiæ, sive veritatis. *Si verò modum quæris cognitionis & veritatis Deorum in omnibus quomodocumque existentibus, ineffabilis est & incomprehensibilis humanis cogitationibus.*

VIII. Nec tantùm ut veritas, sed ut prima mens, ut ipsum esse, ut prima & summa causa novit omnia Deus. Poterant hæc tria sejunctim tractari; sed usque adeo finitima consertaque sibi sunt, ut brevitatis ergo promiscuè illa enucleari consultius visum sit. Jamblichus huc spectasse videtur, quando in hunc modum edisseruit, qua ratione preces nostras divinæ aures exaudiant: *Verum si*
Segm. 1. c. 15. *tibi id incredibile esse videatur, nec satis intelligere quo pacto res incorporea vocem exaudiat; cum ea quæ à nobis in preculis proferuntur, sine sensu & sine auribus excipi nequeant; libenter oblivisceris, quanta sit amplitudo, quàm magnifica excellensque majestas præstantiaque causarum primarum. Ipsæ eminentissimæ in seipsis, & à seipsis, & sciunt omnia & continent. Nec tamen partitè & diffutè, sed in unum jam pridem unitatis fasciculo universa comprehensa collegerunt, simul & semel.* Hæc est prorsus majestas veritatis, ut qua prima causa, qua ipsum esse, omnia sciat, quia omnia est, omnia continet, omnia in seipsa videt, & simul semelque omnia videt, in simplicissimæ unitatis suæ apice collecta. Mens enim creata, ut res ediscat, extra se egreditur. *At tum planè ipsa divinitas, cum preces & sacrificia offeruntur, ipsissima secum habitat, secum est, nunquam à sua sede dimota; & quoties præbet preculis aures, seipsam audit, non aliud quidpiam, seipsam intelligit, seipsam exorat.* Denique has ipsas cogitationes & preces à Deo infundi, ac proinde intelligi docet. *Si quis interim sacras supplicationes intelligat immissas esse hominibus à Diis ipsis, easque Deorum esse simulacra, &c.*

IX. Sed hæc eadem multò præstantiùs Theologi nostri exequuti sunt. Quærit Dionysius quomodo Deus, cùm Sapientia, & Verbum, & Mens sit, intelligibilia & sensibilia sciat, cùm nec intelligendi, nec sentiendi motus actusve ulli congruere illi possint. *Quomodo Deus ipse supraquàm sapiens sapientia, & mens, & Verbum & cognitio* De div. Nom. c. 7. n. 2.
prædicatur? Quomodo enim intelliget quidquam intellectilium, si non habet intellectiles actus? aut quomodo percipiet sensibilia, si supra sensum omnem sit collocatus? Atqui eloquia tradunt Deum omnia nosse, nihilque divinam effugere cognitionem. Respondet autem negationes intelligendi & sentiendi, peræquè ut cæteras Deo tribui non per defectum, sed per excessum. Itaque præcellentissimo modo Deus omnia novit ante etiam quàm sint, ut omnium causa præcellentissima, non res à rebus ediscens, sed in seipso illas videns primùm faciendas, pòst factas. *Verùm ut sæpenumero dixi, divina prout Deo competunt accipienda sunt. Nam amentia & insensibilitas per excessum, non per defectum Deo tribuuntur. Itaque mens divina comprehendit omnia cognitione quadam eminenti, qua secundùm ipsammet omnium causam in se omnium cognitionem anticipat; priusquam Angeli fierent, cognoscens Angelos, eosque creans; cæteraque omnia intus & ab ipso, ut ita dicam, exordio noscens, & in rerum naturam proferens; idque arbitror Scripturam significare cum ait, Qui novit omnia priusquam fiant.* Daniel. 13. 42. *Non enim ex rebus ipsis res discens, novit eas divina mens; sed ex seipsa & in seipsa, secundùm causam, scientiam omnium, & notionem, & essentiam præhabet & antè comprehendit.* Ubi perspicis tria illa complicati, quæ & nos censuimus consui debere, ut omnium scientiam Deus obtineat, & qua summa mens, & qua ipsum esse, & qua prima causa. Essendo enim omnia mens divina intelligit omnia, & essentiæ summæ mentisque fœcunditate nativa procreat omnia. Ita fit, ut non extra, sed intra se intueatur omnia, sive antequam fiant, sive postquam facta sunt, & uno simplicissimo intuitu omnia videat. *Non singulis secundùm cujusque speciem intendens, sed secundùm unicam causæ complexionem cuncta sciens & continens. Seipsam igitur divina sapientia noscens, noscit omnia, materialia sine materia, & indivisè divisibilia, & unicè multa.*

X. Sed illud in primis observandum, unitatis suæ simplicissimo apice omnia à Deo & nosci & creari. Ut enim cùm esse ejus unum, & ipsum unum sit, eo tamen omnia parturit & profundit ex se entia: ita unitatis suæ contemplatione & intelligentia rerum prorsus omnium scientiam habet. *Ipso uno omnia & cognoscens & producens:* αὐτῷ τῷ ἑνὶ τὰ πάντα καὶ γινώσκουσα, καὶ παράγουσα. *Nam si secundùm unam causam Deus omnibus esse impertit; secundùm eandem unicam causam sciet omnia tanquam ex se existentia, & in seipso ante præexistentia. Non habet itaque Deus peculiarem scientiam sui, aliam verò communem, res omnes complectentem; ipsa enim omnium causa seipsam cognoscens, nullo modo ea quæ ab ipsa & quorum causa est, ignorabit. Hac igitur Deus res cognoscens, non scientia rerum, sed scientia sui ipsius ipsas novit.* Addit Angelos ipsos rerum terrenarum & sensibilium cognitionem adipisci, non sensu aliquo, *sed virtute & natura mentis deiformis*, κατ' οἰκείαν τῆς θεοειδοῦς νοῦ δύναμιν καὶ φύσιν. Modus ille quo Angeli sensibilia sine sensu ullo corporeo norunt, stupendus omnino & inexcogitabilis nobis est;

nec fortassis minùs stupendus, aut minùs inenarrabilis est ille modus, quo mens humana angelicis mentibus cognata, sensu corporeo res corporeas percipit & intuetur, incorporea ipsa cùm sit. Denique si præjudicia seponantur, non multò forsan operosius erit intelligere, quomodo sine sensu corporeo sentiant Angeli quid in corporibus agatur, quàm quomodo mens humana sentiat videatque quid in sensu corporeo transigatur. Corpus enim est sensorium organum. Eccur ergo non tam facilè sentiet angelica mens quid in corpore quolibet, quàm sentit humana mens in sensorio suo organo quid novæ rei accidat? Postremò denique Dionysius scitè monet aliqua à Deo sciri posse, ea ratione, qua potest lux ex seipsa tenebras intelligere. Causa enim quodammodo etiam tenebrarum lux est, non effundendo seipsam, sed contrahendo. *Sicut & lux secundùm causam tenebrarum notionem anticipat, non aliunde quàm ex luce tenebras noscens.* Infrà liquebit esse quæ Deus ita sciat, & non aliter sciat, cujusmodi sunt opera tenebrarum.

Thesaur. L. 31.

XI. Ab his non dissonat Cyrillus Alexandrinus, ubi argumentatur in nobis aliud esse substantiam, aliud intelligentiam; Dei simplicitate id perfici, ut unum idemque sit illi esse & intelligere, tum seipsum, tum omnia. *Sed ipse quidem tanquam hoc ipsum mens omnium suprema, itidem ut Deo convenit, tum ea quæ sunt, tum se ipse contemplabitur.* Quo referendum & illud Synesii, ubi ait, *Sapientem occupari intelligentia, quæ est ipsa Dei substantia.* ἢ τὸ θεῖον ὃ οὐσίται. Quasi dicat Deum ipsa intelligentia substantiari. Id faciliùs intelligitur, quando Deus cogitatur ut veritas sese non latens. Substantia enim ipsa veritatis intelligentia est.

L. De Insomniis.

CAPUT II.

Ut naturas omnes, naturalia omnia & necessaria sciat & intueatur Deus in seipso, ut in causa prima & universali omnium & naturarum & motionum.

I. Omnes & naturas, & naturarum motiones, quas semel creavit, administrare non cessat Deus, ideoque eas nescire non potest. Ex Augustino.

II. Ex eodem rursus Dei providentia, ideoque & scientia exporrigitur ad infimas quasque res.

III. Ad animantium etiam, maximè rationalium motiones, quæ non paulò forsan cœlestibus antistabunt, si æquum habeant æstimatorem.

IV. Illa eadem qua creavit operatione producta & continuata, regit omnia Deus, ex eodem Augustino.

V. VI. Sapientia omnium creatrix & administratrix, immota movet naturas omnes, vel per tempora tantùm, vel per loca & tempora, ut ipsis congruit.

VII. Omnia scit Deus, non ut curiosus, aut otiosus spectator, sed ut creator, motor, sospitator, scientiam & operationem obtinens æternitati suæ consentientem, atque omnia simul complectentem.

VIII. Illustrantur antedicta ex Hilario, Gregorio, Novatiano, & Dionysio.

IX. A Deo & in Deo, ut causa omnium exemplari, sciuntur omnia præstantissimè, & luculentius multò, quàm à seipsis, vel in seipsis. Matutina est rerum in Verbo cognitio, vespertina in seipsis.

X. Aliquot exemplis id illustrat Augustinus.

XI. Idem ex Anselmo; quantò illustrior sit rerum in Verbo cognitio, quàm in seipsis.

XII. Elucidantur nonnulla Hieronymi & Chrysostomi testimonia, quæ omniscientiæ divinæ videntur subinfesta.

XIII. Rursum Hieronymus ex Hieronymo elucidatur.

XIV. Idem ex Augustino & Damiano confirmatur, ut Deus singula norit citra scrupulosam numerandi morositatem.

XV. Idem ex Ambrosio confirmatur.

I. Naturas naturalesque effectus omnes à Deo non creari tantùm primò, sed postea etiam regi & administrari, atque adeo nesciri ab eo non posse, res est compertissima. Unde Augustinus: *Nunc per temporum moras, quibus videmus sidera moveri ab ortu ad occasum, &c. animalia nasci, & per ætates decurrere, & cætera hujusmodi temporalia. Quis enim operatur ista nisi Deus, etiam sine ullo tali suo motu?* Quam jugem & perpetuam Dei efficientiam in regendo orbe inferiùs probat ex Scripturis adversus eos, qui creato semel orbe quiescere prorsus Deum, nec amplius quidquam operari opinabantur. *Jam nunc ergo discernamus opera Dei, quæ usque nunc operatur, ab illis operibus, à quibus in die septimo requievit. Sunt enim qui arbitrantur tantummodo mundum ipsum factum à Deo, cætera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit & jussit; Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini, Pater meus usque nunc operatur. Pater in me manens facit opera sua. Et, Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult vivificat. Deinde quia non solum magna atque præcipua, verum etiam ista terrena & extrema ipse operatur, ita dicit Apostolus: Stulte tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum fortè tritici, aut alicujus cæterorum: Deus autem dat illi corpus quomodo voluerit, & unicuique seminum proprium corpus. Sic ergo credamus, vel si possumus, etiam intelligamus usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus operatio ejus subtrahatur, intereant.* Ita ergo cessat & quiescit Deus ab operibus novis condendis, non ab administrandis explicandisque, quæ primùm creaverat. *Novum genus instituere credi rectè non potest, quoniam tunc omnia consummavit. Movet itaque occulta potentia universam creaturam suam, & explicat sæcula, quæ illi, cum primum condita sunt, tanquam implicita indiderat: quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit, provido motu administrare cessaret.*

De Gen. ad lit. l. 5. c. 11. 20.

II. Et quoniam tergiversabantur alii, & providentiam administrationemque divinam non sinebant explicari nisi in cœlestibus corporibus: ad ima usque terrarum eam exporrigi, ita ex sacris codicibus idem mox ibidem evincit Augustinus: *Nec omnino audiendi sunt, qui putaverunt sublimes quidem mundi partes, id est, à confinio corpulentioris aeris hujus & supra, divina providentia gubernari: hanc autem imam partem terrenam & aquarum exhalationibus humescentem, in qua venti nubesque consurgunt, casibus potius & fortuitis motibus agitari. Contra hos enim loquitur Psalmus, qui cum explicasset laudem cœlestium, se etiam ad ista inferiora convertit dicens, Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus. Nihil enim tam videtur casibus volvi, quàm omnes istæ procellosæ ac turbulentæ qualitates, quibus cœli hujus inferioris, quod non immeritò etiam terræ nomine deputatum est, facies variatur & vertitur. Sed cum addidit, Quæ faciunt verbum ejus, satis ostendit earum quoque rerum ordinem divino subditum imperio, latere nos potius, quàm universitatis deesse naturæ.* Quin imò nec aviculas sine

Ibid. c. 21.

sine providentiæ divinæ nutu cadere, & flosculos herbasque ab ipsa Dei manu expingi, concinnari, vestirique, testatum faciunt eædem sacræ paginæ, ut vel hinc pateat nec vilissimas minusculasve naturas, aut nasci, aut crescere, aut moveri, aut interire posse, nisi ex primæ causæ imperio. *Quod autem ore suo Salvator dicit, unum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate, & quod fœnum agri post paululum mittendum in clibanum, ipse sic vestiat: nonne confirmat, non solum totam istam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verum etiam vilissimas ejus abjectissimasque particulas divina providentia regi?*

III. Et quoniam circa mores & eventa hominum maximè nutabat providentiæ fides, hanc quoque partem invictissimo hoc tuetur argumento Augustinus, quod animæ rationales corporeæ naturæ antestent infinito quodam intervallo; eoque digniores sint, quibus incumbat & invigilet divina Ibid. c. 11. providentia. *Et cum animæ natura naturæ corporis antecellat, quid est dementius, quàm putare nullum esse providentiæ divinæ judicium de moribus hominum, cum in eorum carne tanta ejus solertiæ clareant, & demonstrentur indicia?* Potuerat non multùm dissimilis argumentatio pro terrenis omnibus animantibus & naturis divinæ providentiæ & curæ vindicandis aptari. Nam quæ nobis vulgi præjudicia & consuetudinem sectantibus vilissima videri solent, sive animalcula, sive virgulta agri & fruteta, præ cœlestium corporum magnitudine, splendore & pernicitate: ea ad æquioris judicii trutinam revocata, multis partibus antecellent & præponderabunt. Anima enim & vita qualibet, & totum corporeum vitæ instrumentum, si æquum nanciscantur æstimatorem, majoris indubiè erunt & momenti & pretii, quàm inanima quævis corpora, tametsi cœlestia.

IV. De Providentia alius erit opportunior disserendi locus. Hic illam tantùm urgemus operationem Dei jugem, & nullo temporis puncto feriantem, qua naturas naturarumque motiones actionesque omnes ita servat, ita administrat, ita regit, ut & operetur. Hæc enim operatio est primæ causæ, cui divinam scientiam sancti Patres superstruunt. Porrò quæ suprà Augustinus attigit Scripturæ oracula, ea non qualemcumque Providentiæ curam, sed operationem commonstrant. *Pater meus usque modo operatur. Si fœnum agri Deus sic vestit. Deus dat corpus quomodo voluerit*, seminibus omnibus terræ mandatis. Nec minùs perspicuè eandem infatigatam Dei operationem ex aliis alibi Scripturæ locis elicit idem sanctus Pater. Ibidem. L. 4. c. 12. *Potest intelligi Deum requievisse à condendis generibus creaturæ, quia ultra non jam condidit aliqua genera nova. Deinceps autem usque nunc & ultra operatur eorumdem generum administrationem, quæ tunc instituta sunt. Creatoris namque potentia, & omnipotentis atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ. Quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul & eorum cessaret species, & omnis natura concideret?* Scitissimè autem subjicit Augustinus illis Christi verbis, *Pater meus usque modo operatur*, illud significari, eandem prorsus operationem, qua creata sunt omnia, continuari, & nec ad momentum cessare, ut & esse & operari pergant, sicut à conditore primùm & esse & operationem acceperunt. *Proinde & quod Dominus ait, Pater meus usque nunc operatur, continuationem quandam operis ejus, qua universam ejus creaturam continet atque administrat, ostendit. Aliter enim posset intelligi, si diceret, Et nunc operatur: ubi non esset necesse, ut operis continuationem acciperemus. Aliter autem cogit intelligi, cum ait, Usque nunc: ex illo scilicet, quo cuncta cum conderet, operatus est.*

V. Et rursus hæc Apostoli verba expendens, *In ipso vivimus, movemur & sumus*, hinc quoque ingens præsidium comparat huic Dei perpetuæ operationi. *Cùm aliud simus quam ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur. Et hoc est opus* Ibidem. *ejus, quo continet omnia, in quo ejus sapientia pertendit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Per quam dispositionem in illo vivimus, movemur & sumus. Unde colligitur, quod si hoc opus suum rebus subtraxerit, nec vivemus, nec movebimur, nec erimus. Claret igitur nec uno quidem die cessasse Deum ab opere regendi quæ creavit, ne motus suos naturales, quibus aguntur atque vegetantur, ut omnino naturæ sint, & in eo quod sunt, pro suo quæque genere maneant, illico amitterent, & esse aliquid omnino desinerent, si eis subtraheretur motus ille sapientiæ Dei, quo disponit omnia suaviter.* Est ergo iste *motus* sapientiæ Dei, quo moventur creatæ naturæ omnes, ut primùm sint, & ut deinceps in motiones omnes sibi congruas impellantur, juxta nutum & legem sapientiæ, suaviter & fortiter omnia disponentis. Hoc munus, hoc imperium est primæ causæ primique *moventis*, mentes moventis per tempora, non per loca; corpora moventis & per tempora & per loca; cùm nec per loca nec per tempora ipsum moveri fas sit, in summo beatæ incommutabilitatis fastigio locatum. Has motionum classes & leges descripsit non semel Augustinus verbis tam perspicuis, ut referri tantùm egeant, non elucidari: *Spiritalem creaturam corporali præposuit Deus,* De Genesi ad lit. l. 8. c. 20. *quod spiritalis tantummodo per tempora mutari possit, corporalis autem per tempora & per loca. Exempli gratia, per tempus movetur animus, vel reminiscendo quod oblitus erat, vel discendo quod nesciebat, vel nolendo quod volebat. Per loca autem corpus, vel à terra in cœlum, vel à cœlo in terram, vel ab Oriente in Occidentem, &c.* Et paucis interjectis: *Sicut per locum & tempus movet corpus, ipse tantum per tempus motus conditus spiritus: ita per tempus movet conditum spiritum ipse nec per tempus nec per locum motus conditor Spiritus. Sed spiritus creatus movet seipsum per tempus, & per tempus ac per locum corpus; Spiritus autem creator movet seipsum sine tempore ac loco; movet conditum spiritum per tempus sine loco, movet corpus per tempus & locum.*

VI. Agens alibi idem Augustinus de natura & medicina, per cibos & per medicamenta exhaustas vires effœtasque carnes reparante in ægris meliusculè jam se habentibus: *Natura id agit interiore motu, nobisque occultissimo. Cui tamen si Deus subtrahat operationem intimam, qua eam substituit & facit, continuo tanquam extincta nulla remanebit.* Et alibi de dæmonum hominumque naturis agens post earum lapsum, *Non sane Creatoris desistente bonitate, & malis Angelis subministrare vitam, vivacemque potentiam; quæ subministratio si auferatur, interibunt: & hominum quamvis de propagine vitiata damnataque nascentium formare, seminare, & animare & ordinare membra per temporum ætates, per locorum spatia, vegetare sensus, alimenta donare.* Vides ut ad singulares minutias naturarum naturaliumque operationum descendat, omnibusque operationem motionemque divinam præstituat. Quin imò motiones omnes illas particulares & corporeas, quibus in incruento Ecclesiæ sacrificio celebrando moventur sacrifici, à Deo movente corpora per animas fieri existimat: *Cùm hæc omnia quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur, movens primitus invisibilia ministrorum, sive animas hominum, &c.* Sed de his animarum rationalium & liberarum voluntatum motionibus suo posteà loco agemus.

Ibidem. L. 9. c. 15.

Enchir. l. 7.

De Trinit. L. 3. c. 4.

VII. Hæc ad scientiam Dei ut pertineant, in aperto est. Primi Moventis & primæ causæ scientia hic expenditur. Scit enim Deus non ut otiosus vel curiosus rerum observator, sed ut creator earum & sospitator & motor æternus, æternam temporalium rerum

rerum scientiam sive præscientiam habens. Audi
De Trinit. c. 12. Hilarium præclarissimè hæc exponentem: *Nihil enim non semper cum Deo fuit, quidquid in rebus est. Quæ etsi ad creationem sui cœpta sunt, non sunt tamen à Dei præscientia vel potestate inchoata. Et testis est nobis Propheta dicens, Deus qui fecisti omnia quæ futura sunt. Quæ enim futura sunt, licèt in eo quod creanda sunt, adhuc fient; Deo tamen qui in creandis rebus nihil novum ac recens est, jam facta sunt; dum & temporum est dispensatio, ut creentur; & jam in divinæ virtutis & præscientiæ efficientia sunt creata.* Quasi diceret suam cuique scientiam pro ejus ævi & durationis modo æstimandam ac metiendam esse; ac proinde nobis res nunc præsentes, nunc futuras esse, sciri vel præsciri, pro temporis portione in quam incidimus: at Deo cùm duratio sua tota, cùm tota æternitas sua semper præsens & præsto sit, temporа & temporalia omnia complexa: ideo præsentia semper illi esse omnia; creata illi esse quæ nobis creanda adhuc sunt, sciri ab illo omnia magis quàm præsciri, etsi & præsciri dici possint, non tanquam futura illi aliqua sint, sed propter majestatem æternitatis tempora omnia antecedentis, & ex suo sinu effundentis: antecedentis inquam omnia tempora, non tempore: qui enim id fieri possit? sed supereminentia incommutabilis causæ, mutabiles omnes effectus suos ineffabiliter prævertentis, ut infrà prolixiùs edisseremus. Tametsi ergo omnia Deo præsentia semper sint, nihilque illi vel futurum vel præteritum sit, eo tamen ineffabili modo ante sæcula & præscit & præparat opera sua. *Perpetua enim & æterna re-*
Ibidem. *rum creandarum est præparatio, &c. Omnis horum præparatio Deo est coæterna.*

VIII. Nec naturalium tantùm, sed & humanarum motionum ac vicissitudinum momenta à Deo regi probat Hilarius ex illis Sapientiæ verbis: *Per me Reges regnant, & potentes scribunt justitiam.*
Prov. 8. *Per me Principes magnificantur, & tyranni per me tenent terram.* Ad quæ Hilarius: *Suis itaque modis, suis constitutionibus universa agi, intelligi, laudari, teneri docet: & intra se regna Regum, & potentium prudentiam, & Principum famosa opera, & jus terram obtinentium tyrannorum contineri ostendit.*

Ex Gregorii Papæ Dialogis non pigebit unum hîc afferere locum oppidò luculentum, & Augustini sententiæ valdè consentaneum: tam dilucidum autem, ut explanatione non indigeat. *Po-*
L. 4. c. 6. *namus ante oculos mentis ædificari domum, immensas moles levari, pendere magnas in machinis columnas: quis, quæso te, hoc opus operatur, corpus visibile, quod illas moles manibus trahit, anima invisibilis quæ vivificat corpus? Tolle enim quod non videtur in corpore, & mox immobilia remanent cuncta quæ moveri videbantur, sicut visibilia metallorum. Qua ex re pensandum est, quia in hoc quoque mundo visibili nisi per creaturam invisibilem disponi potest. Nam sicut Deus omnipotens aspirando vel implendo ea quæ ratione subsistunt, & vivificat & movet invisibilia; ita ipsa quoque invisibilia, implendo movent atque sensificant carnalia corpora quæ videntur.* Quæ prorsùs revolvuntur in illud Augustini axioma, moveri corpora ab anima per tempora & loca, moveri corpora animasque à Deo motore immobili & invisibili.

Quibus assentitur Novatianus paulò post initium libri de Trinitate: *Considerata operum magnitudine, tantæ molis dignè mirari possemus artificem. Super quæ omnia ipse continens cuncta, nihil extra se vacuum deserens, intentus semper operi suo, & vadens per omnia, & vivificans universa, & conspiciens tota.*

Dionysius omnia à Deo effici, moveri, regi, contineri, sciri ita declarat. Cùm dixisset Deum meritò laudari, ut sapientiam, ut Verbum, ut mentem: *Sic igitur ei qui omnium rerum causa est, & supra omnia congruit carere nomine, & congruunt* De div. nomin. c. 1. n. 7.
rursus omnia rerum omnium nomina, ut sit profectò regnum universitatis rerum, & circa ipsum sint omnia, ex ipso tanquam ex causa, principio, & fine cuncta pendeant; & ipse sit, ut ait Scriptura, omnia in omnibus, verèque laudetur ut omnia procreans, inchoans, perficiens, continensque custodia, ac domicilium, eademque ad se convertens.

IX. Si Deum porrò contemplemur, non tantùm ut efficientem, sed ut exemplarem rerum omnium causam, jam non paucæ nec leves suppetent rationes, ad scientiam Dei illustrandam, nec aliundè quàm ab ipsa Deitatis essentia eliciendam. Rei enim cujusque multò præstantior cognitio hauritur ex illa principe architectatricis mentis idea, ex qua prima fluxit ejus origo. Hinc illud ratum Augustino fixumque fuit, illam rerum in Verbo, ut in arte summi opificis cognitionem multò splendidiorem esse, eoque matutinam dici debere, præ ea quæ res in seipsis intuetur, quæ subobscurior utique est, & vespertina meritò nuncupatur. *Cognitio creaturæ in seipsa decoloratior est, ut ita dicam, quàm cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte qua facta est.* Quocirca inferiùs de angelica rerum cognitione loquens ita censet: *Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoscuntur ab Angelis, ubi habent causas rationesque suas, id est, secundùm quas factæ sunt, incommutabiliter permanentes, aliter in seipsis: illic clariore, hic obscuriore cognitione, velut artis atque operum.* Quin & Angelos sanctos multò præclariùs ille existimat semetipsos cognoscere in Verbo, quàm in seipsis: *Ipsam quoque creaturam meliùs ibi, hoc est in sapientia Dei, tanquam in arte qua facta est, quàm in ea ipsa sciunt; ac per hoc & seipsos ibi meliùs quàm in seipsis. Facti sunt enim, & aliud sunt, quàm ille qui fecit. Ibi ergo tanquam in cognitione diurna, in seipsis autem tanquam in vespertina.* Sunt enimverò Angeli teste & authore ipso Augustino lux, nec seipsam potest latere lux intellectualis; cùm & nos tenebricosi corporis ergastulo conclusi, non aliam ullam lucidiorem assequi possimus cognitionem, quàm illam qua nos ipsos intimè in sinu animæ & esse, & vivere, & intelligere, & amare, & meminisse, & ejusmodi innumera alia sentimus & intelligimus. Illustrior est certiorque adhuc Angelorum de seipsis in seipsis cognitio; & tamen hac ipsa incomparabiliter splendidior ampliorque illa est eorum sui cognitio in Verbo. *Multùm enim differt utrùm in ea ratione cognoscatur aliquid secundùm quam factum est, an in seipso. Sicut aliter scitur rectitudo linearum, vel veritas figurarum, cum intellecta conspicitur, aliter cum in pulvere scribitur. Et aliter justitia describitur in veritate incommutabili, aliter in anima justi.*

Civit. l. 11. c. 7.

Ibid. c. 29.

X. Quæ duo Augustini exempla non leviter & perfunctoriè transilienda nobis sunt. Sive rectæ enim lineæ, sive figuræ quælibet in pulvere describantur, mirum quantum illæ deficiunt ab illa accuratissima rectitudine, & ab elimatissima veritate, seu linearum rectarum, sive figurarum, quam in seipsa, vel supra seipsam in summa luce veritatis incommutabilis mens nostra contemplatur. Exarata enim in pulvere linea recta, non potest non subinde huc atque illuc à rectitudine tantillum saltem deflecti; qui error etsi sensum corporis fallat, mentem tamen contemplantis non fallit. Ita & figuræ in pulvere scriptæ, nec laterum, nec angulorum normam legesque ita pressè & accuratissimè servant, ut non aliquantulum deficiant. Certior ergo accuratiorque harum & linearum & figurarum cognitio est in mente, quàm in pulvere. Non aliter & Angelicarum & quarumlibet aliarum naturarum creatarum cognitio in arte Dei, quàm in seipsis splendidior est.

Nec minùs luculentum aliud exemplum justitiæ

tiæ quæ in veritate incommutabili sursum radiat, & quæ in anima justi describitur. Hæc enim animæ justi justitia, præ illa veritatis incommutabilis justitia, tenebrescit prorsus & evanescit, nec apparet, tantæ majestatis luce obruta. Porrò hinc elucet, quàm necesse sit, ut Deus res omnes videat & intelligat in seipso, non in ipsis, ne & decoloratior ac vespertina aliqua sit Dei cognitio. Nec illum tamen latet, ut res sint in seipsis, cum ex cognitione lucis ultro emicet cognitio tenebrarum. Omnia ergo Deus in se, in Verbo suo videt, & scit, ut in causa efficiente & exemplari omnium & naturarum, & naturalium motionum. Unde idem Augustinus: *Primus ac summus intellectus, cui non est aliud vivere, & aliud intelligere; sed id quod est intelligere, hoc vivere, hoc esse est, unum omnia; tanquam Verbum perfectum, cui non desit aliquid, & ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium, atque incommutabilium, & omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum. Ibi novit Deus omnia quæ fecit per ipsam; & ideo cum succedant & decedant tempora, non decedit, vel succedit aliquid scientiæ Dei. Non enim hæc quæ creata sunt, ideo sciuntur à Deo, quia facta sunt; ac non potius ideo facta sunt vel mutabilia, quia immutabiliter à Deo sciuntur.* (De Trinit. L. 6. c. 10.)

XI. Egregiè hæc omnia confirmavit Anselmus in Monologio, ubi illud adnotavit, quantò præcellentiùs in Deo sint, quàm in seipsis, atque ita quantò præclariùs cognoscantur in Deo, quàm in seipsis, sive à Deo, sive à seipsis naturæ omnes creatæ. *Etenim in seipsis sunt essentia mutabilis secundum mutabilem rationem creata. In ipso verò sunt ipsa prima essentia, & prima existendi veritas; cui prout magis utcumque illa similia sint, ita veriùs & præstantiùs existunt.* (Cap. 3.) Et rursus: *Cum ergo & hoc constet, quia omnis creata substantia tantò veriùs est in Verbo & intelligentia Creatoris, quàm in seipsa; quantò veriùs existit creatrix, quàm creata essentia, &c.*

XII. Unus videtur Hieronymus aliquando obstrepuisse huic Dei omniscientiæ & providentiæ circa res singulares. En ejus verba in Habacuc Prophetam. (Cap. 1. 14. 15. 16.) *Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia, sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem & ordinem cursumque rerum intelligere possumus. Verbi gratia, quomodo nascatur piscium multitudo, & vivat in aquis: quomodo reptilia & quadrupedia oriantur in terra & quibus alantur cibis. Cæterum absurdum est, ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur: quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationinabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.* Ut providentiam, ita & scientiam Dei generalem tantùm agnoscere videtur hic Hieronymus, quæ non se demittat ad singulas quasque irrationales animantes. Periclitatur porrò hic & scientia Dei, quæ ex operatione colligitur, & providentia. Nec multùm discrepant ab his verba Chrysostomi in illa verba Christi apud Matthæum: (In Matth. Hom. 35.) *Nonne duo passeres asse venduntur, & unus ex ipsis non cadet in laqueum sine Patre vestro qui est in cœlis? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Quibus verbis hinc scientia Dei astruitur, capillos etiam nostros, rem omnium vilissimam, in numerato habentis: inde firmatur ejus providentia, in passerculorum cura adversus insidiantium laqueos. Non poterat non occurrere hic locus Hieronymo, unde sensus ejus aliquis expiscandus unde unde est, qui tam trito & tam perspicuo oraculo non refragetur. Juvabit forsan hunc conatum nostrum Chrysostomus, ita locum illum elucidans: *Quid enim vilius passeribus ait? sed tamen nunquam ignorante Deo capientur. Non enim cooperante Deo cadere ait, quod divina majestate indignum est; sed nihil prorsus eorum quæ geruntur, Deum latere ostendit. Quod si nihil penitus eorum quæ accidunt, Deus ignorat; vos autem verè ac sincerè magis quàm Pater amat, & ita amat, ut pilos quoque capitis vestri non negligat; quid timendum vobis est? Hoc autem dicebat, non quia Deus capillos numerat, sed quia perfectam cognitionem rerum omnium & summam de omnibus Dei providentiam ostendere voluit.* Manifestè Chrysostomus cognitionem rerum quarumlibet singularium & vilissimarum Deo vendicat; & tamen negat capillos à Deo numerari. Vult ergo non nesciri eorum numerum, sed vetat eos à Deo numerari. Verba quippe ipsa Christi disertè capillos capitis nostri Deo numeratos esse affirmant. Ergo non aliud à Deo amolitur Chrysostomus, quam illam anxiam & scrupulosam, ac per singula discurrendo morosam enumerationem, qualis nobis homuncionibus familiaris est, non accuratissimam totius multitudinis intelligentiam, citra exilem & ad calculos omnia revocantem scrupulositatem. Similiter ergo & cum Deo cooperante negat Chrysostomus illaqueari aviculas, tanquam divina id indignum sit majestate, non alia mens ejus est, quam ut neget Deum nostro more insidias struere, & quasi in partes venire cum venatoribus, ut irretiantur passerculi, aut telo configantur. Nec scientiam, nec motionem Dei ista effugiunt; atque ita ad has usque minutias se porrigit ejus & scientia, & providentia, & operatio, motioque; sed non ea anxietate qua homines ad hæc vel computanda, vel exequenda se intendunt.

XIII. Et quoniam mollior procliviorque est Chrysostomi conciliatio, cum cæterorum Patrum ipsiusque Canonicæ Scripturæ sententia; ad Hieronymum redeo, cujus verba non paulò post molestiæ facessebant. Sic ergo ille hæc ipsa Christi de passeribus & capillis verba illustrans, & scientiæ & motioni divinæ patrocinatur, nec has rerum minutias aspernanti: *Nonne duo passeres, &c. Et est sensus, Si parva animalia & vilia, absque Deo authore non decidunt, & in omnibus est providentia, & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt; vos qui æterni estis, non debetis timere, quod absque Dei vivatis providentia. Iste sensus & supra dictus est: Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester pascit illa: nonne vos pluris estis illis? Ac deinceps, Considerate lilia agri, quomodo crescunt; si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* (Comm. in Ev. Matth. c. 10.) Ita ille de passeribus; jam de capillis ibidem: *Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Immensam Dei erga homines ostendit providentiam, & ineffabilem signat affectum; quod nihil nostrum lateat Deum, etiam parva & otiose dicta ejus scientiam non fugiant.* Perspicuè igitur assentitur Hieronymus illi divinæ & scientiæ & providentiæ immensitati, quæ in has sese usque rerum vilissimarum minutias effundit.

XIV. Deprompsit alicubi Augustinus effatum illud universale & inconcussum, quod præ oculis habebant, quodque in exemplis singularibus consignarunt Hieronymus & Chrysostomus. A Patre & Filio affirmat Augustinus omnia & singula sciri, sed simul & semel, uno contuitu simplicissimo omnia complectente, non ab his ad illa alternante, aut sigillatim singula percensente, & ex aliis ad alia cursitante mentis intentione. *Omnia quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt, non particulatim aut sigillatim velut alternante conspectu hinc illuc, & inde huc, & rursus inde,* (De Trinit. L. 15. c. 14.)

de, vel inde in aliud atque aliud; ut aliqua videre non possit, nisi non videns alia; sed ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est quod non semper videt. Negat hìc Augustinus singula à Deo videri *particulatim & sigillatim*: & tamen verissimè particulatim & sigillatim videntur à Deo singularia quæque quarumlibet naturarum. Sed eo sensu ille non finit particulatim à Deo videri singula, quasi ab aliis ad alia alternante conspectu, non simul omnia complectente. Eadem ergo erat mens sive Chrysostomi, sive Hieronymi. Et nos ipsi minusculos rerum numeros uno intuitu deprehendimus, non computandi morositate. Immensitas divinæ scientiæ ita innumerabiles multitudines citra numerandi fatigationem uno conspectu pervidet, sicuti nos binarium, ternarium, vel non multò auctiores numeros. His succinit Petrus Damiani: *Nec diversis obtutibus diversa considerat Deus; ut cum intendit præteritis, vacet à præsentibus vel futuris; vel rursus cum præsentia sive futura considerat, oculos à præsentibus avertat; sed uno dumtaxat ac simplici præsentissimæ majestatis intuitu simul omnia comprehendit, &c. In illa igitur ineffabili suæ majestatis arce persistens, sic omnia in præsentia suæ constituta conspectu, uno ac simplici contemplatur intuitu, ut sibi nunquam penitus vel præterita transeant, vel futura succedant.* Opusc. 36. c. 7. & 1

XV. Nonnihil forsitan lucis ab Ambrosio his affulgebit. Nam & ipse sic negat, ut tandem affirmet has rerum etiam quisquilias à Deo non nesciri. Nimirum quantulæcumque sint res, est tamen majestatis summæ ejus qui veritas est, qui sapientia ipsa est, ut nihil prorsus ipsum lateat. *Ait Dominus, Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt, spiritualium videlicet significans facta virtutum. Neque enim de capillis nostris cura est Deo. Quanquam & illud non absurdum sit æstimare, quia pro majestate divina eum latere nihil possit.* Et alibi rursus explanans illa ipsa Christi verba. *Fortasse dicat aliquis, Quomodo Apostolus dixit, Nunquid de bobus cura est Deo, cùm utique bos passere pretiosior sit? Sed aliud est cura, aliud scientia. Denique numerus capillorum non in actu computationis, sed in fœlicitate cognitionis accipitur. Non enim sollicitam Deus curæ numerantis extendit excubiam: sed cui cognita sunt omnia, quasi numerata sunt omnia. Bene autem numerati dicuntur, quia illa quæ volumus servare, numeramus.* Adstruit prorsus Deo recularum quarumcumque & scientiam & curam; etsi perinde ut Hieronymus, subinfestus in speciem ei scientiæ videri possit.

CAPUT III.

Eventa libera & futura contingentia quomodo sciat aut præsciat Deus. Multa ab eo sciri, & præsciri, quorum causa & author non est; sciri, quia sunt; non esse, quia sciuntur.

I. Ex Scripturis à Deo sciuntur libera & contingentia eventa, etiam præsciuntur.

II. Et in his locum habent rationes supra enucleatæ de eventis necessariis.

III. Propria Dei dos cognitio futurorum, ut qui solus possit qua æternus, futura invadere, nondum edita anticipare.

IV. Arcana etiam cordium penetrat summæ naturæ privilegio, quæ inferiores omnes sola inire & pervadere potest.

V. Hilarii authoritati accedunt Leo Magnus & Bernardus.

VI. Ex Augustino & Prospero multa Deus scit, & præscit, quæ non facit; ejusmodi sunt peccata omnia. Ut homo videns, ita Deus præsciens quæ fiunt, videt, non cogit fieri.

VII. Idem ex Ratramno, utque Deus rebus dominetur, quæ non ideo sunt, quia ab eo sciuntur; sed sciuntur, quia sunt.

VIII. De eodem ex Ratramno.

IX. Et ex Origene.

X. Ex Theodoreto.

XI. XII. Ex Auctore Quæstionum ad Orthodoxos apud Justinum, & ex Photio.

XIII. Græci Latinis Patribus consentiunt in quæstionibus de gratia & de prædestinatione, utrique Augustino, nihilo segniùs, quàm in aliis Theologici dogmatis partibus.

XIV. Gaudentii calculo confirmantur antedicta.

I. NOn naturales tantùm ac necessarias, sed liberas etiam & contingentes causas, earumque motiones à Deo videri & & pervideri, apertissimè constantissiméque profitentur Scripturarum oracula. *Domine probasti me, & cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam & funiculum meum investigasti, &c. Ecce Domine, tu cognovisti omnia novissima & antiqua.* Et alibi Job de seipso: *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Et Ecclesiasticus: *Non cognovit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, antequam omnia crearentur, sunt agnita. Sic & post perfectum respicit omnia.* Et alibi: *Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus.* Istiusmodi plurima in sacris Codicibus passim occurrunt. Psalm. 138. C. 31. 4. C. 23. 24. C. 39. 24.

II. Quæ superioribus duobus capitibus disceptata sunt, ad hoc ipsum valent, ut veritas ipsa, ut prima mens, ut ipsum esse, ut primam causa non possit nescire, quidquid causæ contingentes & liberæ, perinde ut & necessariæ moliuntur. Et motiones enim liberæ veræ sunt, nec nisi veritate veræ sunt; intelligibiles sunt, eoque primam mentem fallere non possunt; sunt, eoque summæ & universalis essentiæ sinu vastissimo continentur; denique motiones sunt, quas nefas est summi principisque moventis imperio absolvere. Sed tota in eo vertitur difficultas, quomodo præsciri possint antequam sint, cum liberæ, contingentes ac indeterminatæ sint, nec ante determinentur, quàm ubi fiunt & sunt; aut sicubi fixæ & præfinitæ ante sunt, quàm in seipsis sint, quomodo liberæ adhuc & ancipites pendeant, & contingentium ingenio semper lubrico nutent.

III. Hilarius certè futurorum præscientiam quasi proprium Dei censum vendicat: *Proprium Deo quid aliud, quàm cognitio futurorum est? ut res nondum manentes, mansurasque posterius, invibilium ac nondum extantium generum capax natura contineat.* Perelegans omnino hæc ratio est, cur cognitio futurorum Dei propria dos sit. Nempè sola Dei natura potest invadere futuras ætates, anticipare & præcontinere ea quæ nondum sunt; omnibus ante & post sæculis adporrigi, & simul omnibus interesse, singulari æternitatis privilegio. Id sonant verba Hilarii. Itaque si non potest Deus non scire præsentia, qui totus oculus, totus veritas, totus mens est; non potest non etiam præscire futura, quia quæcumque demum futura sunt, illi præsentia jam, illi præsentia semper sunt. De Trinit. L. 9.

IV. Quomodo autem arcana cordium scrutetur, & sciat Deus, atque ita præsciat, paulò post idem Hilarius enucleat; idque ex eo fieri docet, quòd natura superior inferiorem suo jure invisat medullitus, lustretque & perlustret totam; quæ licentia inferiori in superiorem, vel pari in comparem non con-

concedatur. *Potente quidem Deo cogitationes humanorum cordium nosse, quia natura potior moribus se naturæ inferioris admisceat, eamque tanquam imbecillam vehementi virtute transcurrat: sed impotens sit vehementiorem se naturam infirmior ipsa penetrare.* Ultra eluctatur Hilarius, & futuras animæ rationalis cogitationes affectionesque liberas à Deo præsciri autumat jam inde à primis rudis ejus infantiæ tyrociniis, per quandam ineffabilem recessuum voluntatis altissimorumque ejus sinuum penetrationem, & propriam summæ mentis perspicaciæ comprehensionem. *Secundùm Pauli Evangelium secreta hominum Deus judicat, voluntates hominum Deo jam in ipsis humanæ nativitatis exordiis contuente. Nam cum naturæ potentis virtus, non tam viscerum fibras, quàm appetitus mentis introeat; necesse est, ut non per motus sensuum perspiciendi sumat exordium, sed per naturæ scientiam etiam futuros motus sensuum præsciens apprehendat.* Magnificè prorsus hæc & exaggeratè Hilarius, pro suo more.

V. Arrisit sæpiùs illa causa hujus præscientiæ sanctis Patribus, quam primo loco ex Hilario deprompsimus. Leo Magnus ad immensitatem æternitatis sibi omnia prorsus tempora & temporalia sistentis spectasse videtur: *Cùm omnia quæ in Christum Judaica admisit impietas, tanto antè prædicta sint, ut non tam de futuris, quàm de præsentibus propheticus sermo sit contextus: quid aliud nobis quàm sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo reseratur, apud quem & discernenda jam dijudicata, & futura jam facta sunt?* (Serm. 16. de Pass. c. 2.) Futura jam facta sunt ei, cui præsentia sunt: præsentia sunt autem immensæ & omnia tempora in indivisibile suum ævum colligenti æternitati. Videri tamen potest Bernardus allusisse ad posteriorem illam Hilarii rationem: *Non ex toto credo me vel ipsi conscientiæ meæ, quippe cum ne ipsa quidem queat me comprehendere totum. Nec potest judicare de toto, qui totum non audit. Qui autem judicat me, Dominus est. Dominus, inquit, cujus utique scientiam non effugit, sententiam non subterfugit, etiam quod propriam latet conscientiam. Audit Deus in corde cogitantis, quod non audit vel ipse qui cogitat. Tremenda prorsus auris & reverenda, cui non cessat quies, non tacet silentium.* (Epist. 42.) Ergo quia conscientiam hominis comprehendit Deus, quæ non comprehendit semetipsam, videt auditque Deus in ipsa quod ipsam fallit. Sed de præsentibus tantùm consiliis affectibusque animæ loquitur hìc Bernardus, non de futuris. Nec enim affirmat expresse, ità à Deo pervadi totas ac comprehendi medullas animæ, ut futuras etiam voluntates motionesque ejus intueatur. Ergo ut in futurum quoque id valeat, ad æternitatis infinitam indivisibilemque præsentiam referendus est animus. Porrò nec Hilarius nec Bernardus ajunt, ut futuras liberæ voluntatis motiones Deus sciat vel præsciat, in causa id esse, quòd ipse eas operaturus sit, quòd eas sese operaturum in tempore, ante tempora definierit. Et hic sanè cardo est operosissimæ difficultatis, in quem nunc incumbendum nobis est.

VI. Illud porrò ante omnia constituendum firmandumque jam hinc est, multa à Deo sciri & præsciri, quorum ipse causa & author non est; multa ab eo sciri, quia sunt; non esse autem, quia ab eo præsciuntur. Id disertissimè profitetur Augustinus, & totidem verbis ab eo mendicatis Prosper in Sententiis: *Non continuo tu peccare cogeres, quem peccaturum esse præscires. Ita Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt: sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti, meministi: nec tamen quæ meministi, omnia fecisti; ita Deus omnia quorum ipse author est, præscit; nec tamen omnium quæ præscit, ipse author est. Quorum autem non est author, justus est ultor. Hinc ergo jam intellige qua justitia Deus peccata puniat, quia quæ novit futura, non facit.* (De lib. arb. l. 3. c. 4. Sent. 379.) Aperta dilucidaque ista sunt, nec ullum tergiversandi locum relinquunt. Nonnulla futura sunt quæ Deus non facit, non facturus est; quorum ultor futurus est, quia author non fuit; quæ sciuntur quia sunt, non sunt quia sciuntur; denique non omnium absolutè Dei scientia aut præscientia causa est.

VII. His consentit Ratramnus Monachus in libris de Prædestinatione, ad gustum Augustini temperatis: *Numquid cogitare debemus, quod impiorum profanatio tunc primum Deo nota facta fuerit, quando ipsi peccaverunt? cùm de eo scriptum sit, quod noverit omnia priusquam fiant; & Psalmista proclamet, Intellexisti cogitationes meas de longè. Si cogitationes à longè non solùm cognoscit, verùm etiam intelligit, humanorum actuum seriem antequam fiant, sine dubio à longè cognoscit; qua de re eorum quos spumante diluvio perdidit, antè novit opera, quàm facta sint. Non tamen propter ejus notitiam, qua gesturos illos talia, qualia gesserunt, à longè cognovit; sed propter suæ malignitatis adinventiones ea fecerunt, pro quibus perire meruerunt. Nam si considerentur facta illorum & Dei præscientia, non facta eorum ex Dei præscientia descenderunt; sed intra divinam scientiam quæ universa comprehendit, etiam illa fuerunt. Causam verò & originem non ex illa sumpserunt, sed humani cordis præsumptione. Non enim de fonte bonitatis nisi bonitas manare potest; nec vitium aliquando de virtute sumpsit originem.* (De prædest. L. 2.) Observandum hìc primò disertè negari quòd ejusmodi rerum sive actionum, quæ æternæ legi adversantur, causa sit scientia aut præscientia Dei. Secundò causam exprimi hujus doctrinæ, quòd de fonte bonitatis manare non possit nisi bonitas, nec de virtute vitiositas sumat originem. Tertiò nec tamen res sive motiones istas, causas esse scientiæ Dei, sed eas intra divinam scientiam comprehendi, vel ut infrà dicitur, *intra latitudinem divinæ scientiæ concludi.* Itaque cum dicimus non eò res istiusmodi esse, quia sciuntur à Deo, sed eò sciri a Deo, quia sunt, nequaquam scientiam Dei obnoxiam rebus ipsis facimus; quin res ipsas rerumque causas etiam liberas divinæ veritati, & sapientiæ, & æternitati omnino subjugamus. Hæc est enim non scientiæ divinæ dependentia à rebus, sed naturarum, causarum, rerumque omnium dependentia à veritate, ab intelligentia, ab omnipotentia Dei, ut agere & esse omninò non possint, quin Deo adsint, & ab eo videantur; quin earum penetralia invadat, perlustret & perscrutetur Deus; quin earum essentiam comprehendat, videatque in penitissimis earum medullis quidquid futurum est; quin denique futuras omnes earum mutationes quantumvis contingentes & liberas æternitatis suæ immensitati sistat, & præsentes usque esse cogat. Hæc *præscientia veritatis*, hæc *omnisciens sapientia Dei*, ut loquitur idem Ratramnus, non servit rebus, sed dominatur: nec eas sequitur, sed tota æternitatis amplitudine antecedit.

VIII. In eadem versabatur doctrina Prudentius Tricassinus Episcopus, addictissimus & ipse Augustini placitis, in Tractatu de Prædestinatione adversùs Scotum Erigenam: *Prædestinatio Dei, sicut & præscientia, nullam vim futuris ingerit, nullam necessitatis violentiam importat. Quamvis enim quidquid Deus præscivit & prædestinavit, ita, nec omnino aliter necesse sit fieri: non tamen ideò quia præscita, vel prædestinata sunt, fiunt: sed quia futura indubitabiliter sciebantur, præscita, ac prædestinata potentissimè intelliguntur. Non ergo ideo fit aliquid, quia Deus præscivit: sed ideò ille præscivit, quia futurum scivit.* (Cap. II.)

IX. Ex Græcis autem perspicuè huic sententiæ suffra-

suffragatur Origenes: *Nam inquit & si communi* In c. 8. Ep. ad Roman. pag. 171. *intellectu de præscientia sentiamus, non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, scitur à Deo antequam fiat. Nam etsi, verbi gratia, fingimus Deum non prænoscere aliquid, futurum sine dubio erat quod ita utputa Judas proditor factus est, & hoc ita futurum Prophetæ prædixerunt. Non ergo quia Prophetæ prædixerunt, idcirco prodidit Judas; sed quia futurus esset proditor, ea quæ ille ex propositi sui nequitia gesturus erat, prædixerunt Prophetæ.*

Et rursus idem Origenes in Commentariis suis in Genesin, prout refertur ab Eusebio Cæsariensi in Præparatione Evangelica, inepta Gentilium commenta de Fato convellens: *Concludunt, inquit,* Præpar. Ev. l. 6. c. 11. *si semel Deo futurorum prænotio concedatur, arbitrii nostri potestatem continuo funditus esse tollendam. Quibus in hunc modum respondendum erit. Deus, quod nulla res causam non habeat aliquam, dum sub ipsum orbis moliendi principium, futura sigillatim omnia mente percurrit; videt illico si factum hoc erit, illud proinde sequuturum; quod ubi extiterit, tertium ex eo quidpiam aptum fore; hoc item si positum erit, & consequens illud futurum; itaque ad rerum finem omnium cognitione perducta, quidquid futurum est intelligit, nec tamen cujuslibet omnino rei, cur hoc illove modo eveniat, causa dicendus est.* Quibus verbis Origenis illa eadem vis describitur comprehensionis divinæ, qua jam inde ab exordio mundi, imò & ante sæcula, voluntates etiam liberas ita penetravit, ita invasit, ita perlustravit medullitus, ut jam tum perviderit, quo eæ demum evasuræ usquam essent, quo liberam assensionem suam deflexuræ. At hæc Dei præscia futurorum comprehensio spectatrix speculatrixque tantummodo est, non effectrix rerum. Sunt enim res, & ideo sciuntur à Deo: non autem quia sciuntur, ideo vel fiunt, vel sunt. Quin imò non dubitat Origenes, adeo non esse causam eventorum istiusmodi præscientiam divinam, ut res potiùs istæ causa sint præscientię divinę. Quę certè audacior loquendi formula sobriè usurpanda, clementer interpretanda est, eo quem supra diximus modo; ut imperiosa semper & dominatrix sit illa Dei potestas, qua futura etiam illa videt, quorum causa non est; res verò ipsæ siquando causa dicantur divinę scientię, ideo tantùm fiat, quod nisi res in se essent, nisi causæ liberę ad has se motiones ipsę impellerent, nec à Deo pręscirentur. Accipe ipsa Origenis verba: *Quemadmodum enim si quem imperitia temerarium aut præcipitem videas esse, eaque temeritate impulsum lubrico se itineri committere, ut eum labente fallenteque vestigio ruiturum intelligas, ipsi tamen prolapsionis causa non es. Ita planè sentiendum est, Deo quod cujusmodi quisque sit futurus præviderit, causas etiam quamobrem ejusmodi sit futurus, quæque ab eo vel improbè vel præclarè gerenda sunt, esse perspecta. Atque ut liberè quod res est eloquamur, non Dei modo prænotionem rerum causam non esse, nec enim quem peccaturum Deus esse prævidit, eum dum reipsa peccat, ad facinus quasi manu deducit; sed etiam, quod à communi sensu remotius quidem, sed verum tamen est, id ipsum quod futurum sit, ejusmodi prænotionis causam esse. Neque enim idcircò fit, quod futurum esse cognoscatur; sed quod futurum sit, ideò futurum esse* Cap. 21. *cognoscitur.* Eadem leges in Philocalia.

X. A quibus non discrepant hęc Theodoreti in Cap. 8. Epistolam ad Romanos: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, &c. Cæterum nemo præscientiam horum causam esse dicat. Non enim præscientia eos tales effecit, sed Deus ea quæ futura erant, procul prospexit ut Deus. Neque enim, si ferocem equum videns frænum mordentem & sessorem minimè tolerantem, dixerim eum præcipitio appropinquantem casurum, deinde id quod dixi evenerit, equum ego in præcipitium conjeci; sed quod futurum erat prædixi, ex equi ferocia conjecturam faciens. Deus autem universorum omnia procul videt, ut Deus; non tamen huic affert necessitatem ut virtutem exerceat, illi autem ut otiosam vitam agat. Etenim si ad utrumque eorum ipse vim affert, non jure vel hunc laudat, & coronat, vel in illum supplicium decernit.* Ubi duo quędam advertenda magnoperè nobis videntur. Alterum est, istiusmodi eventa futura à nobis prę-sciri, quantum conjectura possumus assequi, à Deo autem pręsciri, ut Deo; hoc est, ea luce & certitudine quę Dei majestatem & scientiam addeceat. Alterum verò est, non in malorum tantùm pręscientia locum habere hęc Theodoreti verba, sed in pręnotione etiam bonorum, & quidem eorum etiam quę ab electis exercentur. Tametsi enim ad prędestinatam ipsis gloriam invictissimè aliquando tandem perducendi sint; ancipiti tamen rerum turbine persępè rotantur, & in singulis non rarò actionibus eventisque suis huc illucque titubant, nunc divinę gratię obsecundantes, nunc innatę concupiscentię ęstu abrepti, sic tamen excubante pro eis divina Providentia, & quasi clavum moderante, ut non antè vita excedant, quàm pietati se totos addixerint. Sed de his infrà prolixius. Quæcumque ergo hujusmodi sunt etiam electorum vel actiones vel motiones, liberæ eorum indifferentiæ lubrico permissæ, etsi certissimè pręsciantur à Deo, non tamen invictissimè ab eo efficiuntur; nec ab eo fiunt quia pręsciuntur, sed pręsciuntur quia fiunt.

XI. Author Quęstionum & Responsionum ad Orthodoxos apud Justinum Martyrem disertè & ipse pronunciat malarum actionum causam non esse Dei pręscientiam, sed ipsasmet causam esse, cur à Deo pręsciantur. *Non est præscientia causa ejus* Quæst. 18. *quod futurum est; sed id quod futurum est, causa præscientiæ. Siquidem non præscientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur præscientia; & haudquaquam præscius causa est futuri. Quocirca non Christus causa est proditionis Judæ, verùm proditio est causa Domini præscientiæ. Atque de diabolo & primo homine eadem est ratio.* De sola Christi per Judam proditione sermo hic erat, & tamen universaliter ut vides pronuntiatur, non futuri pręscientiam, sed pręscientię futurum causam esse. Quod referri posse videtur ad sententiam Theodoreti, quod in bonis etiam sint, quæ non indeclinabili divini adjutorii impulsu fiant, sed molliori adjumento, & ea pręsciri à Deo, quia sunt, non esse quia pręsciuntur.

XII. In eadem erat sententia Photius, ubi de peccatis quæ pręsciuntur & prędicuntur à Deo ita disputat: *Si quem evaginato gladio in proximum* Bibl. 178. *furentem videam, occisum videbo, sed non ut actor pœnas dabo. Quod si hoc ridiculum sit & amentia plenum; quomodo non audax furor censebitur, cum culpari debeant, qui id patrarunt, mali alicujus causam ad divinam attrahere præscientiam? Sin præscientia vacet culpa, an prædictio reatu teneri poterit? Non ideo fit aliquid quod præscitur & prævidetur: sed quia spontaneo motu facturi fuerant, quæ facere non deberent homines, ea minimè latere possunt omnia permeantem & retegentem Dei oculum. Quocirca & beatus Petrus, non quia prædixit Dominus, negavit eum; sed quoniam exorbitare per abnegationem volebat, ideo Magister ejus id præscivit, & prædixit palam.*

XIII. Futilibus & iniquis suspicionibus exagitati sunt aliquando Ecclesię Grecę Patres, ut qui à recto veritatis tramite, & ab illa quam tuitus est Augustinus doctrina exorbitassent, circa divinę gratię, pręscientięque & prędestinationis spinosissimas quęstiones. Dabimus infra operam, ut hanc ab eis injuriam arceamus. In antecessum id unum hic observamus, Nullam Latinorum maximèque Augustini sequacium Patrum sententiam designari posse, quam non possimus Grecorum suf-

fraga-

fragatione munire: nullam Græcorum, quæ alicujus momenti sit, quam non similiter Latinorum consensione firmemus. Id ergo quod jam hinc cœpimus, posthac laborabimus & persequemur, ut Latini Græcis, Græci Latinis semper consocientur, & unanimi conspiratione Theologicum quodlibet dogma confirment.

XIV. Græcis ergo unum adhuc subjungemus è Latinis, qui nos penè effugerat. Is est Gaudentius Brixiensis Episcopus, qui hanc Latinorum Græcorumque concordiam suo suffragio extremus communiet: *Synagoga Judæorum quod erat crudeliter factura, prædictum est; non ut fieret, jussum est.* Serm. 3. *Nec ideo factum est, quia prædictum erat; sed ideo prædictum est, quia erat futurum; ut præscientiam suam Deus in his quæ per libertatem arbitrii hominum futura erant, ostenderet. Libertatem diximus arbitrii, quia voluerunt Judæi facere, quod fecerunt; & utique si noluissent, non fecissent. Certe ingentis sacrilegii est, vel cogitare, quod Deus qui non solum bonus & justus, sed ipsa bonitas est, & ipsa justitia, vel jubeat aliquid, vel cogat fieri, quod factum damnet.* Quo non video quid dici possit, vel manifestius, vel vehementius.

CAPUT IV.

Multa à Deo sciri & præsciri, quæ ab eo nec fiunt, nec prædestinantur.

I. Quæstionum hìc ventilandarum connexio, series, & summa.

II. Multa Deum scire, & præscire, quæ ab eo nec præfiniuntur, nec efficiuntur, novo hoc argumento probatur, quòd plura Deus præsciat, quàm prædestinet, quamvis nil prædestinet, quod non præsciat. Aperta Augustini authoritas. Cur is in exemplum adduxerit sola peccata.

III. Refellitur eorum responsio, qui peccata, quæ præsciuntur, nec prædestinantur à Deo, volunt esse privationes solas justitiæ, quæ peccaminosis actionibus inhærescunt. Nova Augustini congeruntur testimonia.

IV. Novis idem firmatur Augustinii testimoniis.

V. Suffragatur Augustino Prosper, nec sinit tam latè patere prædestinationem, vel præfinitionem Dei, quam præscientiam.

VI. Fulgentius voluntates malas à Deo præsciri censet, non prædestinari, non effici. Istiusmodi præscientia eorum quæ non facit, nec præfinit Deus, summæ ejus & invictissimæ potestati quo sensu tribuatur.

VII. VIII. Idem rursus astruit Fulgentius ex Scripturis, Augustino, & Prospero.

IX. Scripturis ergo & Patribus adversantur, qui totam Dei præscientiam decretis ejus superstruunt, & omnia prorsus eventa ab eo & præfiniri & perfici contendunt.

X. Astipulatores alii rursus Augustino accersuntur. Fausti hallucinatio. Flori Magistri calculus.

XI. Suffragatio Prudentii Tricassini Episcopi, & Lupi Servati.

XII. Nemini copiam fecere secus sentiendi Scriptores isti.

XIII. Carisiensis Synodi, & alii eo ævo Galliarum Episcopi, eandem sanxere doctrinam, à qua nefas esset deflectere.

XIV. Synodi Valentinæ astipulatio.

XV. Assentitur Hugo Victorinus.

XVI. Suffragatio Græcorum Patrum, Justini, Cyrilli Alexandrini, Damasceni.

I. Conjuncta est hæc argumentatio superiori, interest tamen nonnihil discriminis. Ibi enim comparabatur præsentia Dei existentiæ rerum, hìc prædestinationi. Utraque autem in eo versatur, ut evincat non omnem Dei vel scientiam vel præscientiam ejus efficientiæ superstrui debere. Naturalia & necessaria effecta omnia, ab eo ut prima & universali omnium causa effici in tempore, & antè præfiniri, Capite hujus libri secundo patefecimus. Eventa libera & contingentia non omnia ejusmodi esse, ut ab eo similiter ideo sciantur, quia ab eodem & ante sæcula præfiniuntur, & suo quæque perficiuntur tempore, Capite tertio declarare cœpimus. Eidem nunc orbitæ insistimus, eandemque doctrinam multis deinceps Capitibus & argumentis communiemus. Inter effecta autem libera & contingentia, quænam illa sint, quæ soli præscientiæ subjiciantur, quæ præterea & prædestinationi æternæ & temporali efficientiæ indeclinabili, infra suo loco aperiemus. Id unum maximè impræsentiarum urgebimus, multa esse, atque in primis criminosa & peccaminosa quæque opera, quæ tametsi à Deo & sciantur & præsciantur, nôn tamen à Deo vel definiuntur ante tempora, vel in tempore efficiuntur.

II. Illud ergo est, quod novo argumento molimur, inde prompto, quòd aliud sit Deum præscire, aliud prædestinare; plura ab eo præsciri, quàm prædestinari; etsi omnia quæ prædestinat, præsciantur. Manifestissima hæc est Augustini doctrina: *Prædestinatio sine præscientia esse non potest; potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus; præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit; sicut quæcumque peccata.* De prædest. Sanct. c. 10. Non hoc suum effatum coarctat Augustinus ad sola peccata, ut ea sola sint, quæ dicantur à Deo præsciri, quanquam ab eo non prædestinentur. Sed in exemplum adducit sola peccata, etsi non neget latiùs manare hujus effati vim. Ideo autem peccata potius, quàm ulla bona opera protulit, ad rem exemplo illustrandam: quia omnia prorsus peccata ejus generis sunt, ut non possint non præsciri à Deo, etsi ab eo non possint prædestinari. Bona verò opera diversi sunt generis, nec omnium una ratio est. Alia sunt enim quæ Deus insuperabili adjutorio perficit in tempore, eaque prædestinavit ante tempora, & prædestinando præscivit; id genus est, ut alia sileam, perseverantia nunc justorum. Alia sunt ad quæ Deus inclinat, non invictissimè prædeterminat voluntates creatas, atque ita illa Deus non prædestinavit, etsi præscivit ante sæcula: cujusmodi fuit perseverantia sanctorum Angelorum ex eodem Augustino. Sunt & alia ejusdem generis, quæ longum esset pernumerare; ideo hoc exemplo abstinuit sanctus Pater; nec nos nunc quidem in eo immorabimur, solas actiones & consensiones peccaminosas expendere contenti.

III. Peccata ergo potens est Deus ab æterno præscire, etsi ea non præfiniat, non prædestinet. Si non prædestinat autem ante tempora, non ergo ea perficit in tempore, atque ita eorum præscientia nulli potest Dei, ut primæ causæ, efficientiæ inniti. Si dicas autem peccata non dici nisi privationes rectitudinis debitæ, quas non efficit Deus, nec prædestinat; etsi actiones ipsas physicas quibus illæ inhærescunt, & præfiniat ante tempora, & in tempore efficiat. Si hæc, inquam, dicas, verendum tibi est, ne austeriores aliqui, quàm nos simus, censores, quiritentur à te Augustinianam Theologiam ad pueriles penè ineptias devolvi. Hoccine est enim grave illud Augustini effatum, extremumque eundemque gloriosissimum de Pelagianis triumphum agentis; aliqua à Deo præsciri, nec tamen prædestinari; quia privationes istæ actionibus malis hærentes, ab eo præsciuntur, nec tamen prædestinantur? An erit præscientia sine prædestinatione, si præsciatur actio prædestinata quidem ipsa, sed cui inhæret inseparabiliter privatio non prædestinata? An potest non prædestinari consequen-

sequenter privatio, cum prædestinatur actio, cui indivulsè conglutinata est illa privatio? An serio dicetur Deus ab Augustino *potens præscire etiam quæ non facit*, quia præscit illas privationes inseparabiles ab actionibus quas facit? Non deerunt fortasse superciliosi censores, quibus hæ videantur aniles nugæ, procul amandandæ à Christiana, & ab Augustini maximè Theologia. Eadem vi pollent, quæ superiori Capite retulimus ex libris ejusdem Augustini de Libero Arbitrio: L. 3. c. 4. *Omnia quorum Deus est author, præscit; nec tamen omnium quæ præscit, ipse author est. Quorum autem non est author, justus est ultor.* An author non est peccati, qui author actionis est, cui indivulsè inhærescit peccatum? An qui æterna lege peccatum vetat, damnat & ulciscitur, idem author erit & quidem princeps atque indeclinabiliter urgens in actionem, cui malitia peccati ineluibiliter appicta est? An ultor erit, quia author non erit peccati, & ideo author non fuit, quia etsi ad actionem peccati indeclinabiliter impulit, ad malitiam ei actioni cohærentem non impulit? Nemo præjudiciorum fascinatione absolutus non videt quantum hæc abhorreant ab Augustini mente & gravitate.

IV. Et rursus alibi idem Augustinus: Epist. 120. c. 19. *Non omnia Deus quæ prædicit, promittit; prædicit enim etiam illa quæ non ipse facit, quia est omnium præscius futurorum. Prædicit ergo peccata hominum, quæ potuit præscire, non facere. Promittit autem quæ ipse facturus est, nec ea mala, sed bona.* Et facit ergo, & promittit, & prædestinat Deus bona, ideoque ea præscit: at mala nec facit, nec promittit, nec prædestinat, & tamen præscit prædicitque, quia *potens est* præscire etiam quæ non facit. Si totum hoc quod non facit Deus, non promittit, non prædestinat Deus, & tamen præscit, prædicitque, ad supradictas negationes refers, cavendum est ne inclementior aliquis censor exclamet sanctissima Theologiæ arcana ludibrio propinari. Idem alibi: De anima & ejus origine, l. 1. c. 7. *Præscientia Dei eos quos sanaturus est, peccatores prænoscit, non facit. Nam si eas animas liberat à peccato, quas innocentes & mundas implicuit ipse peccato, vulnus sanat quod intulit nobis, non quod invenit in nobis.*

V. Par fuit omnium Augustini assectarum diligentia in sejungenda ad eundem modum præscientia Dei ab ejus sive operatione, sive prædestinatione, quòd præscientia latiùs pateat. Prosper in responsionibus ad Capitula Gallorum: Cap. 12. *In talem sensum trahuntur, qui idem putant in omnibus esse præscientiam Dei, quod & voluntatem: cùm voluntas ejus numquam velit nisi bona, præscientia autem & bona noscit & mala; sed bona quæ aut ipse facit, aut etiam ut nos faciamus imperat; mala autem quæ omnino ipse non fecit, neque fieri suasit aut impulit.* Si mala interpretaris non consensiones ipsas malas voluntatis, sed solas privationes, insulsum est dicere quòd Deus eas *non fecit, non fieri suasit, non impulit*. Sed multò præclariùs Cap. 15. idem Prosper paulò inferiùs: *Qui præscientiam Dei in nullo ab ejus prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc etiam de malis conatur ascribere.* Viderint an huic censuræ Prosperi non sint obnoxii, qui totam Dei præscientiam, & universam ejus scientiam æternis & immutabilibus ejus decretis superstruunt, & tam latè patere contendunt prædestinationem & decreta Dei irrevocabilia, motionesque ac præmotiones causarum creatarum indeclinabiles, quàm divinam præscientiam. Ego sanè non video qui possint illi hujus censuræ jacula declinare. Pergit porrò Prosper: *Sed cùm bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint: dubium non est sine ulla temporali differentia Deum & præscisse simul & prædestinasse quæ ipso erant authore facienda, vel quæ malis meritis justo erant judicio retribuenda. Præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse quæ non ex ipso causam erant operationis habitura. Potest itaque sine prædestinatione esse præscientia, prædestinatio autem sine præscientia esse non potest.* Adverte hic primò, ut vestigia legat, & verba ipsa mutuetur Augustini Prosper. Adverte rursus, ut præsciri simul & prædestinari dicat à Deo non omnia bona, non omnia mala, sed ea tantùm bona quæ ipso authore & invictissimo adjutore fiunt, & ea mala quæ mala pœnæ sunt; quia bona tam verè sunt, quàm justa, tametsi dicantur mala. Adverte denique ex Prospero præsciri à Deo, non prædestinari quæ non ex ipso causam operationis habitura sunt, cujusmodi sunt peccata omnia, & illa etiam bona ad quæ Deus non insuperabili aliquo adjutorio torquet voluntates liberas, quod genus erant adjutoria omnia naturæ innocentis, & si qua ejusdem modi supersunt in naturæ lapsæ & reparatæ statu. Qua de re alibi.

VI. Fulgentius autem libro ad Monimum penè toto totus in eo est, ut ostendat malas voluntates à Deo præsciri, non prædestinari, quia mala voluntas seu superbia à Deo non est, sed recessus à Deo est; denique mala voluntas, seu concupiscentia ex Joanne à Patre non est. L. 1. c. 14. *Quia initium malæ voluntatis superbia est*, quæ ex Deo non est; perspicuè claret non ex Deo esse initium malæ operationis, *sed à justo judice retribui malis interitum ultionis. Mala quippe voluntas non pertinet ad optimum creatorem; justa vero injusti Angeli hominisque damnatio pertinet ad æquissimum cognitorem ... Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædestinavit, quia homini eam laturus ipse non fuit. Quomodo enim Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit, prædestinaret ad malam voluntatem quam ipse non fecit? Itaque peccare in* Cap. 14. *hoc homo cœpit, in quo à Deo discessit.* Et infrà: *Deus omnia hominum opera, sive bona, sive mala præscivit; quia eum latere nihil potuit: sed sola bona prædestinavit, quæ se in filiis gratiæ facturum esse præscivit; mala verò futura opera illorum quos non prædestinavit ad regnum, sed ad interitum, præscivit potentissima Deitate, & ordinavit provida bonitate. Et quia præscius fuit, quod eadem mala non solum ipse facturus non esset, sed nec homo, in quantum ei adhæsisset, in eo nobis insuperabilem potentiam præscientiæ suæ magis ostendit, quia nec in malis prædestinationem justitiæ suæ vacare permisit.* Ita ille non in eo tantùm consentaneus est Augustino, quòd præscientia Dei latiùs se effundat quàm prædestinatio, cum hæc in bonis tantùm, illa etiam in peccatis regnet; sed in eo etiam quod hanc Dei præscientiam eorum quæ ipse facturus non est, singulari vendicat & insuperabili cuidam potestati, quam nihil latere, quam nihil effugere possit. Non ergo ea tantùm præscit Deus, quæ ipse facturus est, sive justa opera, sive justa malorum operum supplicia in Angelis & hominibus; sed illa etiam opera mala, quæ non facturus, sed ulturus est. Hæc verò præscire posse quæ facturus ipse non est, specimen haud dubio est præpotentis naturæ sempiternæ veritatis. Et ibidem rursus: *Sic autem Deus non omnia promisit, quæ prædixit, quamvis prædixerit omnia quæ promisit, sicut non omnia prædestinavit quæ præscivit, quamvis omnia prædestinata præsciverit. Præscivit enim voluntates hominum bonas & malas; prædestinavit autem non malas, sed solas bonas.*

VII. Oraculum mox Augustini promit Fulgentius, illud ipsum quod supra ex libro de Prædestinatione Sanctorum protulimus; subditque in hunc modum: *Puto in his dictis B. Augustini evidenter ostensum, bona opera sua Deum præscisse &* Cap. 19. 20. *prædestinasse, hoc est sive quæ ad misericordiam, sive quæ ad justitiam pertinent. Mala vero opera,*

hoc

hoc est peccatum, præscisse tantum, non etiam prædestinasse; quia ibi non opus Dei esse dicitur, sed judicium. Quin & Prosperi testimonio utitur Fulgentius, non illo solùm quod supra attexuimus, sed hoc præterea ex iisdem ad Gallos Responsionibus : Cap. 14. *Infidelitas non credentium Evangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus author est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. Universæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est; quæ non ideo necessitatem non credendi intulit, quia falli de ea, quæ futura erat, infidelitate non potuit.* Denique ex Scripturæ, Augustini, Prosperique authoritate ita concludit Fulgentius: *Ut facilè possint divinorum librorum testimoniis instrui, & sancti Augustini libris, & Prosperi eruditissimi viri responsionibus informari, quibus agnoscant prædestinationem Dei nihil aliud esse, nisi præparationem operum ejus, quæ in æterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum esse præscivit, aut justè: Et quia in peccatis nec misericordia invenitur, nec justitia, ideo omnium iniquorum malam voluntatem qua peccant, præscitam, non tamen esse à Deo prædestinatam.* (Ibidem. L. 3. c. 1.)

VIII. Denique idem Fulgentius in libro tertio de veritate Prædestinationis & Gratiæ, ita rursus suam hanc sententiam confirmat : *Proinde apud Deum sicut nunquam defuit futurarum præscientia rerum; sic nunquam defuit sempiterna & incommutabilis operum vel donorum prædestinatio futurorum. Apud ipsum quippe in quo æterna incommutabilitas, & incommutabilis æternitas manet, sicut inchoandarum rerum scientia nunquam potuit inchoari, sic mutabilium operum nunquam potuit æterna dispositio commutari. Deus itaque sicut nunquam futurarum rerum fuit inscius, ita nec misericordiæ, aut judicii sui fuit ignarus: sed sicut semper omnia futura, & bona & mala præscivit, sic omnia opera gratiæ atque justitiæ sua incommutabili prædestinatione disposuit.* Constantissimè ut vides, & Augustinus & Prosper & Fulgentius præscientiam Dei ad res absolutissimè omnes effundunt, nec ullo eam finunt limite concludi: at verò prædestinationem ad sola coarctant, vel bona opera, quæ ipse facturus est, vel justa supplicia, quæ peccatoribus est repensurus. (C. 1. 3.)

IX. Frustra sunt ergo, qui scientiam Dei causam esse rerum infinitè & indiscriminatim pronunciant; quique nullas res vel esse, vel fore usquam opinantur, nisi quas æterno decreto ante sæcula prædefinierit Deus, & ineluctabili adjutorio, sive motione in tempore effecerit. Conserta quidem & jugata hæc duo sunt, ut si rerum prorsus omnium scientia Dei causa est, res eædem omnes ab omnipotente ejus voluntate præfiniantur ante tempora : & vicissim si æternis ejus consiliis & decretis res omnes præfiniantur, præscientia ejus omnium prorsus sit causa. Sed horum inter se contextio id unum præstat, ut uno & eodem ariete pulsentur & corruant, velut apertissimè infesta doctrinæ Scripturarum & Patrum supra expositæ, & infra prolixiùs adhuc explanandæ. Ex adverso enim Augustinus, Prosper & Fulgentius, quorum in hac maximè Christiani dogmatis parte dominatur authoritas, consentiunt arctioribus limitibus prædestinationem & decreta Dei claudi, quàm præscientiam; prædestinatione contineri tantum, quæ Deus ipse facturus est; præscientia comprehendi multa, quæ facturus ipse non est, ac præ cæteris peccata omnia. Porro huic Augustini sententiæ cæteri quoque Patres & Scriptores Ecclesiastici deinceps accessere.

X. In his non numero Faustum Rejensem Episcopum, qui hac præsentiæ & prædestinationis distinctione ad oppugnandam prædestinationem gratiæ abutebatur. *Apostolus ait, Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Aliud est præscire, aliud prædestinare. Præscientia itaque gerenda prænoscit, postmodum prædestinatio retribuenda describit, Illa prævidet merita, hæc præordinat præmia.* Si de malis tantùm operibus ageret Faustus, ut primigenium statum describeret, vel Angeli, vel hominis innocentis, bellè haberent hæc dicta: præscientia prævideret merita, prædestinatio præordinaret præmia. At verò si statio ista expenditur lapsæ nunc & reparatæ naturæ, aberrat omnino à vero Faustus, qui merita soli præscientiæ, & non etiam prędestinationi accepta refert prædestinationi autem sola præmia arrogat, non etiam merita. Sed de his infrà. (L. 2. de lib. arb. c. 3.)

Sinceriùs Scripturarum doctrinam ex Augustini mente interpretati sunt Scriptores sæculi IX. in quibus eminebat Florus Magister Ecclesiæ Lugdunensis Diaconus, cujus hæc sunt verba in Sermone de Prædestinatione: *Omnipotens Deus, quia verissimè verus & solus Deus est, omnino in sua æterna & incommutabili scientia præscivit omnia antequam fierent, sicut Scriptura testatur, dicens, Deus æterne, qui es absconditorum cognitor, qui nosti omnia antequam fiant. Præscivit ergo sine dubio & bona, quæ boni erant facturi, & mala quæ mali erant gesturi: sed in bonis ipse fecit sua gratia, ut boni essent; in malis verò non ipse fecit ut essent mali, quod absit; sed tantùm præscivit eos proprio vitio tales futuros. Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem ut aliud esse non possent; sed tantùm illi futuri erant ex propria voluntate, ille ut Deus prævidit ex sua omnipotenti majestate.* Hoc ergo stupet jure merito Florus stupendumque prædicat, non quomodo præsciat Deus quæ ipse facturum se in tempore ante tempora decrevit & prędestinavit; sed quomodo ea præscivit, quæ nec ipse facturus erat, nec ullo decreto suæ voluntatis consequenter præfiniebat, nec adhuc ipsa usquam erant aut fiebant. Hæc ergo ab eo sciri ait, quia Deus est, quia solus Deus est, quia ex sua omnipotenti majestate hæc etiam prævidere potens est. Et infrà : *Ecclesiæ Catholicæ fides, cujus filii & sectatores esse debemus, ita nobis firmissimè tenendum insinuat, ut superiùs juxta Scripturæ sanctæ authoritatem breviter designavimus: Videlicet omnipotentem Deum in malis ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est; non prædestinasse, quia ex illo non est: pœnam verò eorum & præscisse, quia Deus est; & prædestinasse, quia justus est; ut & in illis sit meritum suæ damnationis, & in illo potestas & judicium justè damnantis. Non enim prædestinat Deus, nisi quæ ipse facturus est; præscit vero multa, quæ ipse facturus non est; sicut omnia mala; quæ mala utique mali faciunt, non ille.* (Vind. Prædest. & gra. pag. 25. Tom. 1.)

XI. Et Prudentius Trecensis Episcopus libro de Prædestinatione adversus Scotum : *Jam diximus Deum veraciter præscire tantum peccata, non etiam prædestinare : pœnam vero illorum & præscire & prædestinare liberè confitemur.* Et infrà : *Possunt multa præsciri absque prædestinatione, id est, quæ præsciantur tantum, & non prædestinentur ; nulla vero possunt prædestinari, nisi præsciantur. Nusquam sanè vel Augustinum vel cæteros Patres dixisse invenimus, omnem præscientiam esse prædestinationem, vel omnem prædestinationem esse præscientiam; sed posse præscientiam esse sine prædestinatione, prædestinationem verò sine præscientia nunquam.* (C. 10. 12.)

Et Lupus Servatus Moguntinensis Præsbyter ejusdem ævi Scriptor, in libro de tribus Quæstionibus: *Prædestinat Deus quæcumque immutabiliter facere statuit; imò cuncta quæ facturus erat, tunc prædestinavit, quando cuncta quæ futura erant, fecit. Proinde prædestinatio nunquam est sine præscientia: nihil enim quod nesciat se facturum Deus prædestinat. Præscientia verò est plerumque sine prædestinatio-* (Quæst. 2. de Prædest. Ibid. To. 1. pag. 28.)

natione, quia crimina perversorum præscit Deus, quæ utique ut se facturum non prædestinavit, ita nec fecit.

XII. Illud potissimum in his Scriptoribus observandum, quòd non ut in re ambigua, vel ad fidem Catholicam nihil attinente, ita liberam ultro citroque opinandi facultatem in hac quæstione permisere. Sed quam ipsi promulgabant doctrinam, eam ut à Scripturis Patribusque sancitam, ratam fixamque in omnium Catholicorum animis esse voluerunt. Ita suprà jam Florus pronuntiavit, qui idem rursus inculcat in alio opusculo adversus Joannem Scotum edito: *Nos repudiato hujus novitatis errore teneamus certissimam & firmissimam* Ibid. To. I. pag. 594. cap. 2. *fidei regulam, & Deo adjuvante fideliter discernamus, aliquando dici præscientiam, quæ omnino prædestinatio esse non possit. Quia omnipotens Deus sicut bona, sic etiam mala, id est, peccata hominum vel Angelorum futura præscivit, quæ tamen ut fierent, justus & sanctus prædestinare non potuit.* Prædestinationi ergo sive decretis Dei nefas est non arctiores limites præfigere, quàm præscientiæ; nefas est eam ad voluntates seu consensiones quaslibet peccaminosas extendere; nefas est divinam ad has motionem sive impulsionem ullam Deo tribuere, ne pariter & prædestinatio, sive decretum Dei ad eas effundatur; denique nefas est hanc solam præscientiæ divinæ ultra prædestinationi & decretis affixos limites expatianti, adscribere perspicaciam, quòd ex actionibus malis videat aut prævideat emersuras illas privationes, in quibus peccati naturam, sive malitiam locant. Verendum enim est, ne hoc demum sit in re valdè seria ludos agere, & divinæ illudere præscientiæ.

XIII. Usque adeo autem Catholicis tunc omnibus altissimè infixa erat hæc & præjudicata doctrina, ut in eam hinc & hinc consentirent illæ Episcoporum Gallicanorum turmæ, quæ in diversis regnis penè in duas tunc partes secessionem fecerant, aliis pro Gothescalco Monacho, aliis contra eundem, omnibus pro veritate certantibus, & verbis magis quàm sententia dissidentibus. Itaque Carisiacensis Synodus, in quam una cum Hincmaro Remensi Archiepiscopo confluxerant multarum Provinciarum Episcopi, adversus Gothescalci doctrinam, ita decrevit convenienter antedictis: *Deus bonus & justus elegit ex massa perditionis secundùm præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, & vitam illis prædestinavit æternam. Cæteros autem quos judicio justitiæ in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit; pœnam autem illis, quia justus est, prædestinavit æternam. Ac per hoc unam tantum Dei prædestinationem dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ.* Hincmari doctrinam & verba adscribere supersedeo, quòd cùm ejus primæ essent partes in hac Synodo, possit ille hujus Canonis scriptor authorque non injuria videri.

Ann. 848.

Can. 1.

XIV. Adversùs hanc Episcoporum Carolo Calvo Regi subditorum Synodum coisse videtur Valentinum paucis pòst annis Concilium jussu Lotharii Imperatoris, ubi commendata tamen est eadem prorsus de præscientia Dei & de prædestinatione doctrina. *Deum præscire & præscisse æternaliter, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali sunt gesturi, quia vocem Scripturæ dicentis habemus: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant; fideliter tenemus & placet tenere, bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos; malos præscisse per propriam malitiam malos futuros, & per suam justitiam æterna ultione damnandos. Nec prorsus ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset; sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus qui novit omnia antequam fiant, præscit ex sua omnipotenti & incommutabili majestate.* Ita Synodus de Præscientia, quam loco suprà laudato Florus imitatus est. Jam de Prædestinatione Synodus in hunc modum: *Prædestinatione autem Deum ea tantùm statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel justo judicio facturus erat, secundùm Scripturam dicentem, Qui fecit quæ futura sunt. In malis verò ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est; non prædestinasse, quia ex illo non est; pœnam sanè malum meritum eorum sequentem, uti Deum, qui omnia prospicit, præscivisse & prædestinasse, quia justus est; apud quem est, ut sanctus Augustinus ait, de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia.*

Ann. 855.

Can. 2. 3.

XV. Totidem pene verbis Hugo Victorinus hanc sententiam consignavit in libello de Potestate & Voluntate Dei, utra major sit. Tom. 3. pag. 56. *Præsentia Dei ad mala & ad bona se habet: Prædestinatio ad bona tantùm. Omnia quippe futura præscivit, electos autem tantùm prædestinavit. Præscientia Dei & ad ea quæ facturus est pertinet, & ad ea quæ permissurus; prædestinatio autem ad ea quæ facturus est tantùm. Ambrosius enim dicit, Prædestinavit Deus impiorum gehennam, sed non prædestinavit impiorum culpam. Quod enim facturus fuit prædestinavit; quod autem facturus non fuit, sed permissurus, non prædestinavit, sed præscivit.* Et alibi: *Potest prædestinatio generaliter aliquando intelligi, ipsa faciendorum dispositio; ut dicatur* De Sacram. L. 1. Part. 2. c. 21. *Deus quidquid sic facturus fuit prædestinasse: quod autem facturus non fuit, sed permissurus, non prædestinasse, sed præscisse solùm.* Prædestinatio usitatiùs pro gratiæ & gloriæ præparatione usurpatur; sed ut advertit hic Hugo, utque in omnibus ferè Patrum testimoniis suprà relatis observari potuit, sumitur etiam pro quacumque dispositione divina, seu pro quibusdam Dei decretis, & eo sensu à præscientia distinguitur, & ea utriusque intercapedo est, quòd prædestinatio non sit nisi eorum quæ Deus invictissima potestate facturus est, præscientia autem & eorum sit quæ facturus, & eorum quæ permissurus est.

XVI. Græcorum eadem prorsus doctrina. Cyrillus Alexandrinus in Thesauro Arianos convellit, generationem Verbi à mundi creatione non sejungentes, & infando errori simplicitatem Dei prætexentes. Urget Cyrillus eadem ratione præscientiam & prædestinationem, sive operationem Dei unum idemque futuras, & ita fore, ut Deus mala faciat, quæ prænoscit. Pag. 184. *Si quoniam Divinitas composita non est, eadem ratione generat, qua creat; eadem etiam ratione prænoscit, qua faciet; ut nimirum etiam hac ratione sit non composita. Quod si ita est, erit omnino etiam faciens mala quæ prænoscit, si modò idem sunt hæc in ipso, quod quidem est non esse compositum.* L. 1. c. 10.

Damascenus in Orthodoxa fide exponenda ita hanc eandem doctrinam perspicuè declaravit, ut Græcorum neminem ab ea dissensisse fidejussor quodammodo ipse sit. *Operæ pretium est agnoscere, omnia præscire Deum, non omnia præfinire, aut prædestinare. Præscit enim ea etiam quæ in nobis sunt, non prædefinit autem. Non enim vult mala fieri, neque vim adfert virtuti. Itaque divinæ præscientiæ & jussionis opus est præfinitio, seu prædestinatio.* Scitissimè ait prædestinationem existere ex præscientia & voluntate divina.

Quibus præluxerat Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone paulò ante finem: *Si Scriptura præmonstrat fore omnino, ut Angeli quidam & homines excrucientur; id prædixit Deus eo quod præscierit illos immutabiliter malos futuros; non autem eo quod Deus illos tales fecerit.*

CAPUT V.

Prædestinat Deus ad supplicia, non ad peccata. Ultor peccatorum est, quia non est author. Multa scit, præscitque, non ut causa, non ut author. Nullo Dei Decreto præfiniuntur actiones malæ.

I. Prædestinat Deus malos ad pœnam, non ad culpam, ex Fulgentio Augustinum interpretante.

II. Prædestinat Deus ad id quod facit, non ad id quod permittit.

III. Non prædestinavit, non juvit, non movit Deus Angelum, vel hominem hactenus innocentem ad primam voluntatem malam, Ex Fulgentio.

IV. Rursus idem probat Fulgentius. Distinctio actionis physicæ & malitiæ moralis hic exploditur.

V. VI. Ex eodem Fulgentio, non movet, non agit, non urget voluntatem ad peccandum, qui peccari vetat, qui peccantes objurgat, & atrociter plectit.

VII. Idem ex Augustino probatur, non peccatum, sed peccati pœnam ex Deo esse.

VIII. Idem ex Novatiano.

IX. Leo Magnus exponit, quid manus & consilium *Dei decreverit feceritque in Christi Optimi Maximi interfectione.*

X. Eadem Boethii doctrina. Qui vetat tamen res temporales æternæ Dei præscientiæ causas esse, vel dici.

XI. Ex eodem Boethio tam non cogit fieri res, qui eas prævidet, quàm qui videt. Præfinitionis & præmotionis divinæ ad peccata, ne suspicio quidem in mentem venerat priscis Philosophis Theologisque.

XII. Denique Boethius non decretis divinis, sed ex sola rerum in æternitate præsentia præscientiam divinam astruit.

XIII. Ex Augustino, malorum Deus præfinitor & author non est, quia mala non sunt, quæ mala sunt: Deus autem est ipsum esse.

I. PRædestinari à Deo aliquos *ad interitum* dixerat alicubi Augustinus; cumque id de peccato interpretarentur nonnulli, hanc eorum hallucinationem validissimè refellit Fulgentius libro primo ad Monimum, & *ad interitum supplicii, non delicti*, homines à Deo prædestinari demonstrat. *Nihil aliud accipiendum existimo, in illo B. Augustini sermone, quo ad interitum quosdam prædestinatos firmat, nisi ad interitum supplicii, non delicti; neque ad malum, quod injustè admittunt; sed ad cruciatum, quem justissimè patientur.* Et infrà: *Scimus quia ille apparuit, ut peccata tolleret, & peccatum in eo non est. Sicut ergo peccatum in eo non est, ita peccatum ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus ejus itaque non est. Quod autem nunquam est in opere ejus, nunquam fuit in prædestinatione ejus.* Ex quibus evidentissimè efficitur, nec à Deo prædestinari peccata, nec à Deo effici peccata, nec motione Dei ulla impelli homines ad peccandum, nec divinam futurorum peccatorum præscientiam ullo Dei decretoniti, nec denique vim harum probationum eludi, aut infringi posse frigida illa distinctione malitiæ moralis, seu privationis rectitudinis debitæ, & actionis physicæ peccati. L. 1. c. 26.

II. Unde rursus infrà idem Fulgentius: *Quos prædestinavit Deus ad gloriam, prædestinavit ad justitiam. Quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam. Posset enim peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum justè peccare. Nullus autem hominum justè peccat, quamvis eum justè Deus peccare permittat. Justè enim deseritur à Deo, qui deserit Deum.* Et mox: *Hoc itaque prædestinavit Deus, quod erat ipse facturus, aut quod fuerat largiturus. Illud vero nullatenus prædestinavit, quod sive per gratiam, sive per justitiam facturus ipse non fuit.* Futilia sunt hæc omnia, si facit Deus in peccato, quidquid facit peccator ipse; si vult, quidquid vult peccator ipse. Solam enim actionem physicam peccati facit, solam vult homo vel Angelus prævaricator, ex qua resultat illa sive malitia moralis, sive privatio rectitudinis; istam autem sive privationem, sive malitiam, nec vult, nec facit, nisi inquantum actionem ipsam vult & facit, ex qua resilit illa sive malitia, sive privatio. Tantumdem ergo Deus facit, & tantumdem vult peccatum, atque peccator, si actionem peccati physicam & vult, & prædestinat, & facit. Cap. 16.

III. Si primam autem perpendamus malam voluntatem sive Angeli, sive hominis hactenus innocentis, horrescit animus, & vix potest non aversari eorum opinionem, qui ajunt à Deo prædestinatos invictissimis decretis ante sæcula, & indeclinabilibus motionibus impulsos in tempore fuisse Angelos hominesque, priùs innoxios, postea prævaricatores. An sperant austeritatem hujus sententiæ molliri posse, si dicant, ad actionem physicam peccati prædestinatos à Deo illos, præmotosque fuisse, non ad privationem justitiæ ab istiusmodi actione inseparabilem? Non ita sanè Fulgentius vel Scripturas, vel Augustinum suum interpretatus est: *Proinde quia initium malæ voluntatis superbia est, quæ ex Deo non est; perspicuè claret non ex Deo esse hominibus interitum malæ operationis, sed à justo judice retribui malis interitum ultionis. Mala quippe voluntas non pertinet ad optimum Creatorem, justa verò injusti Angeli hominisque damnatio pertinet ad æquissimum cognitorem. Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædestinavit, quia homini eam daturus ipse non fuit.* Ibid. c. 19.

IV. Et infra rursum manifestiùs de eodem primo Angeli hominisque peccato: *Quæro autem, cur primum hominem, quem sicut scriptum est, Fecit Dominus rectum, prædestinare potuerit ad peccandum, id est, ad voluntatem malam, quæ est totius origo peccati? Quam utique aut tribuisse Deum nondum peccanti homini, aut retribuisse credendum est peccatori. Hanc itaque si nondum peccanti homini tribuit, ipse, quod absit, author iniquitatis extitit, qui malam voluntatem dedit homini bono, per quam peccans æterno meretur puniri supplicio. Et ubi est, quia Deus mortem non fecit? Et quia non est iniquitas apud Deum? Et quia justus Dominus, & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus? Si autem malæ voluntatis initium peccatori homini non tribuit, sed retribuit Deus, ut ab homine credatur cœpisse peccatum, à Deo autem tanquam à justo judice redditum malæ voluntatis initium dicatur: quod peccatum homo facere potuit, in quo voluntas mala non fuit?* Non diverticulis, non tergiversationibus ullis effugient vim hujus argumentationis. Si Angelo hominive hactenus innocenti, & maculæ puro, purissimoque, occupavit Deus prædestinare ante tempora, & dare in tempore malam voluntatem, seu actionemque motionemque physicam consensionis in malum, est ergo Deus primus author peccati; facit ergo Deus quod vetat, punit quod facit, ultor est criminis cujus est author. Nec effugies invidiam hujus consequentiæ, actionem physicam à malitia morali distinguendo; tum quia nec homo aut Angelus sui ipse author peccati est, nisi quia actionis physicæ est perpetrator; tum rursus, quia nec malitiam moralem efficit aliter prævaricator, quàm actionem physicam cui illa inhærescit efficiendo; tum rursus quia non malitiam tantùm illam moralem, seu privationem justitiæ vetat lex æterna, sed actionem ipsam physicam malæ voluntatis: denique quia Ibid. c. 23.

quia ut clementissimè rem dicam, consentaneum non est Christianæ Theologiæ majestati, arcana Deitatis, fidei sacramenta, salutis nostræ præsidia hoc genus distinctiunculis committi.

V. Quid enim & ab hominum sensu, & à Dei sapientia atque bonitate magis alienum fingi potest, quàm æternis decretis Dei præverti homines Angelosque hactenus inculpatos; & non dico ad peccandum, sed ad malam voluntatem, ad consensionem in malum, ad superbiam, ad inobedientiam prædestinari, præmoveri, impelli, & deinde propter hæc ipsa æternis suppliciis tradi? *Quis ergo putet à bono ac suavi Deo prædestinatum hominem, aut ad malitiam voluntatis, qua bonum Deum relinqueret, aut ad amaritudinem contumaciæ, qua suavem Dominum non timeret? Proinde fidelibus congruit credere & fateri, Deum bonum & justum præscisse quidem peccaturos homines, quia nihil eum latere potuit futurorum; nec enim vel futura essent, si in ejus præscientia non fuissent; non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum, quia si ad peccatum aliquod Deus hominem prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret. Dei enim prædestinatione, aut peccatorum præparata est pia remissio, aut peccatorum justa punitio. Nunquam igitur Deus hominem ad hoc potuit prædestinare, quod ipse disposuerat & præcepto prohibere, & misericordia diluere, & justitia punire.* Ibid. c. 13.

VI. Et infrà ibidem: *Nec Deus peccanti homini justè inferret iram, si homo ex prædestinatione Dei cecidisset in culpam.* Et rursus: *Quando peccanti servo iram justus Dominus intulisset, si servus ex Domini prædestinatione peccasset?* Et infrà: *Peccata itaque hominum cuncta quidem Deus in peccatoribus præscivit futura; & quia ipse non ea prædestinavit facienda, justè prædestinavit judicio punienda.* Quin & verba ipsa Augustini hæc infrà attexit: *Extolli quippe in superbiam propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei. Neque enim ad hoc eos compellit aut adjuvat Deus.* Ibid. c. 16. 26. 28.

VII. Qua porrò constantia aut puniret Deus quæ ipse prædestinasset æternis decretis opera mala, aut vetaret æterna lege sua, quod à se faciendum, quod prædestinandum sciret? Non hæc in Deo, sed in hominum opinationibus inconstantia est vel inhumanitas, qui Deum ejusdem peccati & prædestinatorem, & promotorem, & ultorem faciunt, & sperant inanis distinctiunculæ obtentu hanc totam sententiæ obumbrare sævitiam. Contra Augustinus: *Iniquitatem quam rectissimè veritas improbat, damnare novit Deus, non facere. Sicut enim voluntati ejus tribuitur humana natura, nullo dubitante laudanda; sic hominis voluntati culpa tribuitur, nullo recusante damnanda.* Et alibi: *Nam omnia Deus & bona fecit, & bene ordinavit: peccatum autem non fecit. Et hoc est solum quod dicitur malum, voluntarium nostrum peccatum. Est & aliud genus mali, quod est pœna peccati. Cum ergo sint duo genera malorum, peccatum & pœna peccati, peccatum ad Deum non pertinet, pœna peccati ad vindicem pertinet.* Epist. 105. Disp. 1. con. Fortunat.

VIII. His adprimè concinunt illa Novatiani in libro de Trinitate: *Quæ à bono institutore sunt, aliud quàm bona esse non possunt, ex quo omne malum facessat à Deo. Nec enim potest fieri ut sit initiator aut artifex ullius mali operis, qui nomen sibi perfecti vendicat, & parentis & judicis. Maximè cum omnis mali operis vindex sit & judex. Quoniam & non aliunde occurrit homini malum, nisi à bono Deo recessisset.*

IX. At Leo Magnus illud Actorum, *Convenerunt adversus Jesum Herodes & Pilatus, cum Gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri:* ita commentatur, consentaneè iis quæ à nobis hic inculcantur: *Numquid iniquitas persequentium Christum ex Dei orta est consilio? & illud facinus, quod omni majus est crimine, manus divinæ præparationis armavit? Non hoc planè de summa justitia sentiendum est. Quia multum diversum multumque contrarium est id quod in malignitate Judæorum est præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum.* Igitur facinus Judæorum à Deo nihil aliud quàm *præcognitum* est; at inde eventura Christis mors ad salutem universi *disposita* & prædestinata ab eodem Deo est. *Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit; nec præsciendo quod faciendum esset, coegit ut fieret; cùm tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret.* Apertissimè solam Deo vindicat præscientiam tam facinorosæ grassationis, non prædestinationem, non dispositionem, non motionem, sive impulsionem, nisi ad bonum ex illo malo emersurum. C. 4. Serm. 16. De Passion.

X. Quibus convenienter Boethius in Consolatione Philosophiæ ita philosophatur: *Imperante florenteque nequitia, virtus non solum præmiis caret, verùm etiam sceleratorum pedibus subjecta calcatur, & in locum facinorum supplicia luit. Quæ fieri in regno scientis omnia, potentis omnia, sed bona tantummodo volentis Dei, nemo satis potest nec admirari, nec conqueri.* Vides ut Deo scientiam omnium, etiam malorum, voluntatem bonorum duntaxat tribuat. Prosa. 1. L. 4.

Pertractat idem Boethius eandem de præscientia quæstionem multò prolixiùs alio loco; & illud primum constituit, non debere dici, quòd res & eventa causa sint præscientiæ divinæ: cùm rei divinæ & æternæ causa non possit esse caduca res & temporalis. *Jam verò quam præposterum est, ut æternæ præscientiæ temporalium rerum eventus causa esse dicatur? Quid est autem aliud, arbitrari ideo Deum futura, quoniam sunt eventura, providere; quàm putare, quæ olim acciderunt, causam summæ illius esse providentiæ?* Ita Boethius hanc verborum injuriam à præscientiæ divinæ amplitudine propulsat, ne ejus causa dicatur quælibet res aut natura creata. Sed ea de vocibus quæstio est. Nam qui suprà abutebantur hac voce *causæ* Scriptores Ecclesiastici in hoc ipso negotio, sola verbi licentia utebantur, & ab hac insulsitate procul erant, ut res temporales & creatæ æternam gignerent præscientiam creatoris. Prosa. 3. L. 5.

XI. Deinde verò Boethius argumentatur, tam non ullam inferre rebus futuris necessitatem, qui eas præscit: quàm nec præsentibus, qui eas scit videtque. *Nam sicut scientia præsentium nihil his quæ fiunt; ita præscientia futurorum nihil his quæ ventura sunt, necessitatis importat.* Futurorum ergo omnium eventuum liberorum solam præscientiam tunc Philosophi Theologique Christiani Deo adserebant, non præfinitionem aut prædestinationem æternam, non præmotionem temporalem; quandoquidem in sola præscientia cum libertate hominis concilianda laborabant. Quantò enim potiùs ad prædestinationem vel ad præmotionem libertati accommodandam incumbendum fuisset? Porrò exemplum ipsum ejus qui videt, nec videndo cogit rem fieri, aut præposterum, aut ludificatorium fuisset, si is ipse qui rem fieri videt, & fieri antè decrevisset, & vim ineluctabilem adderet ad eam perficiendam. Prosa. 4. L. 5.

XII. Denique prolixè mox ratiocinatur Boethius in æternitate Dei elucidanda, & præscientia coaptanda æternitati. Cùm enim voluntatis liberæ motiones in suspenso tandiu sint, quandiu futuræ sunt, adeoque nec certò præsciri possunt; non aliter Boethius nodum hunc expedit, quàm quòd quæ nobis futura sunt, ea Deo semper præsentia sint, utpote æterno & simplicissimo unitatis & æternitatis suæ sinu omnia tempora complectenti. Si qua essent autem Dei de omnibus liberis eventis

futuris decreta, siqua prædestinatio, hinc potiùs Boethius rerum contingentium & incertarum certam determinationem derivasset, quàm ex rerum omnium præsentia in æternitate divina: aut certè utramque sejunctim extricandæ hujus difficultatis rationem indigitasset.

XIII. Addam extremo hìc loco aliud genus argumentandi ex Augustino petitum. Deus author est seu prædestinando, seu movendo, bonorum, quia sunt; non autem malorum, quia non sunt; cùm ipse summum esse sit: *Quisquis omnium quæ sunt author est, & ad cujus bonitatem id tantùm pertinet, ut sit omne quod est, non esse, ad eum pertinere nullo pacto potest. Omne autem quod deficit, ab eo quod est esse, deficit, & tendit in non esse. Boni igitur tantummodo causa est Deus, & propterea ipse summum bonum est: Quocirca mali author non est, qui omnium quæ sunt author est, quia in quantum sunt, in tantum bona sunt.* Hunc locum retractavit Augustinus, veritus ne ex eo quod author Deus negatur esse mali, existimarent aliqui à Deo non esse pœnam malorum; multò magis reformidandum illi fuerat, ne existimarent à Deo non esse actiones physicas peccati. Istæ enim potiùs quàm pœnæ in mentem veniunt, ubi mali author quæritur: *Ubi videndum est, ne malè intelligatur quod dixi, Mali author non est, &c. & ne hinc putetur ab illo non esse pœnam malorum, quæ utique malum est iis qui puniuntur. Sed hoc ita dixi, quomadmodum dictum est, Deus mortem non fecit; cùm alibi scriptum sit, Mors & vita à Domino Deo est. Malorum ergo pœna quæ à Deo est, malum quidem est malis, sed in bonis Dei operibus est, quoniam justum est ut mali puniantur, & utique bonum est omne quod justum est.*

L. 83. qq. q. 21.

Retract. l. 1. c. 26.

CAPUT VI.

Creat Deus mala, non aliter quàm pœnas irrogando malis. Mala pœnæ facit, non culpæ. Effatum illud, Quidquid est, in quantum est, bonum est; & proinde à Deo est; ad naturas pertinet, non ad actiones, apud sanctos Patres.

I. Ex Augustino damnatus meritò Colluthus, qui negabat; item & Florinus, qui ajebat mala à Deo creari. Creat enim mala Deus, non culpæ, sed pœnæ ex Scripturis. Non ergo actiones physicas peccati adscribere quisquam illi potest.

II. Objicitur quædam peccata pœnas esse peccatorum; ergo hæc saltem à Deo erunt, cum ab eo sint pœnæ. Respondet Augustinus ex Scripturis, & ab exemplo Achabi, hæc peccata à Deo esse, ut permittente, & relaxante dæmonem, mali instigatorem authoremque.

III. Ex Gregorio Magno Deus creat mala, dum quæ bona sunt, in pœnam nobis vertit.

IV. Ex eodem peccata peccatis plectit Deus, cum excæcat & indurat; quod non aliter facit, quàm non liberando à peccatis.

V. Ex Ratramno actio, præfinitio, prædestinatio pœnæ à Deo est, non culpæ.

VI. Jam olim Tertullianus Marcionem refellebat, qui peccata & malitiam Deo impingebat: cui sola pœnæ mala ipse adscribebat, eo bona, quo justa.

VII. Idem ex Irenæo.

VIII. Nyssenus nec excæcationem, nec obdurationem tribui Deo finit, nisi permittenti. Vix Deum finit esse justi supplicii authorem.

IX. X. Eadem Chrysostomi & Damasceni, imo Græcorum omnium sententia.

XI. Ex Damasceno peccatum inter naturas & substantias numerari non potest, quarum dumtaxat auctor est Deus.

XII. Idem ex Chrysostomo. Peccatum actio est, non natura, non substantia, cujusmodi auctor est Deus.

XIII. Idem ex Basilio, alia mala culpæ, alia pœnæ. Aliud naturæ, sive substantiæ, aliud actiones. Non omnium causa est Deus.

XIV. Idem ex Athanasio.

XV. Ex Clemente Alexandrino, aliisque.

I. Superiori Capiti istud quasi contexetur, ad motiones tamen magis ipsas deflexum, quàm ad præfinitiones & decreta Dei. Utque ne ab inchoata argumentatione discedam, illud primum ex eodem Augustino monebo, duas olim hæreses ab Ecclesia proscriptas pariter esse, etsi ipsæ inter se è diametro pugnarent, & unius occasu excitari altera videretur. Rem dilucidè exponit Augustinus in libro de Hæresibus: *Coluthiani à quodam Colutho, qui dicebant Deum non facere mala, contra illud quod scriptum est, Ego Deus creans mala. Floriani à Florino, qui è contrario dicebant Deum creasse mala, contra id quod scriptum est, Fecit Deus omnia, & ecce bona valde. Ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrogando, quod Coluthus non videbat; non autem malas creando naturas atque substantias, in quantum sunt naturæ atque substatiæ; ubi Florinus errabat.* Duæ hinc emergunt probationes nobis valdè opportunæ. Altera est, ratum id esse fixumque ex Scripturis, vero aliquo & catholico sensu, mala à Deo creari; at id non aliter quàm de malis pœnæ intelligi debere. Si physicæ autem actiones peccati, & æterno decreto, & temporali præmotione Dei perficerentur, hæc præterea, hæc potissimum mala à Deo creari dicenda essent. Alterum est, axioma illud, Quæcumque sunt, in quantum sunt, bona sunt, ac proinde à Deo sunt; ad substantias & naturas, non ad actiones quaslibet, vel liberæ voluntatis consensiones trahi debere. Cap. 65. 66.

II. Ea duo nobis hoc capite enucleanda proponuntur. Et primò quidem adversus primum illud effatum, Sola pœnæ mala esse à Deo, non culpæ; objicitur ex ipso Augustino, esse quædam peccata quæ pœnæ sint etiam peccatorum. Ergo cùm pœnæ peccatorum à Deo non præsciantur tantùm, sed prædestinentur & creentur, hæc quoque saltem peccata quæ sunt etiam pœnæ peccatorum, à Dei & prædestinatione & motione proficiscentur. Tantæ molis est hæc quidem difficultas, ut ei solvendæ unum seorsim Caput dedicandum sit; sed in antecessum unum hìc ex Augustino eodem locum apponemus, ubi & nodum ostendit, & ejus explicandi artem atque rationem insinuat: *Cum peccatum etiam pœna peccati est, non Deus peccatum facit opere iniquo; sed ut peccatum sit pœna peccantis, facit opere justo.* Oper. ult. Cont. Jul. l. 5. c. 34. *Quis enim neget esse peccatum, Prophetis mendacibus credere? Et tamen hæc fuit pœna Regis Achab, divino inflicta judicio, sicut Regum testatur historia. Nec ideo quisquam ita desipit, ut Pseudoprophetarum putet laudanda esse mendacia, aut mendacii Deum dicat authorem, cùm judicio justo, ubi tali pœna perspicit dignum, facit decipi quemque mendacio.* Itaque quamvis Deus hujus pœnæ quæ peccatum est, author sit, non tamen vel peccati vel mendacii author est ex Augustino; & ideo author non est, quia ut in Regum historia narratur, nihil aliud Deus, quàm permisit ab immundo spiritu Prophetas exagitante decipi Achabum. Nec enim Deus nefarium seductionis ministrum excivit, sed ultro in facinus prosilientem, & illudendi licentiam enixissimè flagitantem relaxavit, cohibere destitit, permisit ut esset spiritus mendax in ore omnium Pseudoprophetarum, quorum mendacio Achabus delusus in præceps ageretur. Sed copiosiùs infrà id explanabitur, ut Deus seducat, excæcet, induretque pecca-

tores, quandoque etiam per potentiam, sic tamen ut hinc non convellatur, sed magis magisque roboretur suprapofita doctrina.

III. Eodem penitus sensu creari à Deo mala sensit Gregorius Magnus, quia quæ bona creata sunt, nobis peccantibus in mala, id est, in supplicia vertuntur; quæ & ipsa quà supplicia sunt, bona sunt; sed quà torquent, mala dicuntur. *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans mala. Neque enim mala, quæ nulla sua natura subsistunt, à Domino creantur; sed creare se mala Dominus indicat, cum res bene conditas nobis malè agentibus in flagellum format; ut ea ipsa & per dolorem quo feriunt, delinquentibus mala sint, & per naturam qua existunt, bona.* Creat ergo Deus mala, id est, naturas & substantias illas, quibus mali homines justè cruciantur: non autem illa mala, seu peccata, *quæ nulla sua natura subsistunt.* Et rursum Gregorius: *Faciens pacem & creans mala; quia tunc nobis pax cum Deo redditur, cum hæc quæ bene sunt condita, sed malè concupita, in ea quæ nobis mala sunt, flagella vertuntur. Hæc ita flagella beatus Job mala nominat, &c.*

Moral. l. 3. c. 7.

IV. Nec Gregorium fefellit esse peccata, quæ eadem pœnæ sint peccatorum: *Ipsam verò furtum, quo rem concupitam diripuit, & peccatum ei factum est, & pœna peccati, quia ex retributione jam non repressæ concupiscentiæ factum est, ut veniret ad furtum, & culpa cordis excresceret in opere & ultione cæcitatis.* Sed statim aperuit Gregorius, quo tandem modo per peccata plectantur. Nimirum excæcat obduratque Deus peccatores, quod haud dubio est peccata peccatis punire, sed non aliter quàm à peccatis non liberando: *Unde Dominus dicit, Si conversus justus à justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo: ac si apertè dicat, quia videre pœnitendo noluit, ubi jam impingit; justo eum judicio deserens, ponam ei, ut & alibi impingat. Quod tamen Domini ponere, est nequaquam ad peccandum premere, sed nolle à peccato liberare. Sicut de Pharaone dicitur, Ego indurabo cor ejus. Non enim cor peccantis obdurat, sed obdurare dicitur cum ab obduratione non liberat.* Sed operosiùs infrà hæc argumentatio explicabitur.

Hom. 11. In Ezech.

V. Ratramnus Monachus Corbejensis exponens Augustini sententiam, non dissimiliter mala culpæ & mala pœnæ discriminat, ut illorum non sit, horum sit author & prædestinator Deus: *Hac sententia ostendit Augustinus malos propter iniquitatem superbiæ damnationi prædestinatos, non autem ad peccatum: quoniam peccatum non est ex Deo. Neque enim author mali est Deus, pœna verò redditio ex Deo est. Unde prædestinatio Dei ad pœnam est, non autem ad peccatum; quia Deus author mali non est, neque placet Deo iniquitas; & eorum quæ operatur Deus prædestinator est, videlicet vel bonorum quæ redditurus est Sanctis, vel pœnarum quas iniquis puniendis illaturus est; at verò malorum sicut non est author, ita nec prædestinator. Non enim peccatum ex Deo est, sed ex diabolo. Atque propterea suorum operum, quæ vel misericorditer respicit, vel justè punit, prædestinator est; eorum autem quæ non agit, sicut vindex est, ita prædestinator non est.* Anxiè ut vides & scrupulosè hic Scriptor persequitur, quarum rerum author vel prædestinator possit dici Deus; & nec ex sua, nec ex Augustini sententia venit unquam in mentem, ut aliud quidvis memoraret, quàm vel bona electorum opera, vel justa peccatorum supplicia; nunquam vel uno verbo illas attigit actiones criminosas, quarum solam moralem malitiam, vel privationem debitæ rectitudinis censeret non esse à Deo.

De Prædest. L. 2. p. 68.

VI. Sed ut ad priora retro flectamur Ecclesiæ sæcula, hanc eandem ut constantissimam fidei Catholicæ regulam statim objecerat Tertullianus Marcioni, Deum authorem malorum, id est, peccatorum esse insanienti. Contrà repugnat Tertullianus, non alia mala creari à Deo, quàm supplicia; ut quæ reapse justa, atque adeo bona sint. *Condens mala, sed pacem faciens. Ut etiam & hic respondeam Hæreticis. Ecce enim, inquiunt, ipse se conditorem profitetur malorum, dicens, Ego sum qui condo mala. Amplexi enim vocabuli communionem, duas malorum species in ambiguitate turbantem, quia mala dicuntur, & delicta, & supplicia, passim volunt eum conditorem intelligi malorum, ut malitiæ author renuncietur. Nos autem adhibita distinctione utriusque formæ, separatis malis delicti & malis supplicii, malis culpæ & malis pœnæ, suum cuique parti definimus authorem; malorum quidem peccati & culpæ, diabolum, malorum verò supplicii & pœnæ Deum creatorem: ut illa pars malitiæ deputetur, ista justitiæ, mala condenti judicia adversùs mala delicta. De his ergo Creator profitetur malis, quæ congruunt Judici. Quæ quidem illis mala sunt, quibus rependuntur; cæterùm suo nomine bona, quà justa & bonorum defensoria, & delictorum inimica, atque in hoc ordine Deo digna.* Hactenus Patrum Theologia, hactenus subtilitas penè scholastica distinguendi mala à malis, ut sola pœnæ mala quia sola justa, Deo adscriberentur authori.

L. 2. con. Marcion.

VII. Nec aliter Irenæus eosdem refellebat Hæreticos, Scripturis eundem prorsus sensum adsignans: *Qui abstiterunt à paterno lumine, & transgressi sunt legem libertatis, per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrii, & suæ potestatis facti. Deus autem omnia præsciens, utrisque aptas præparavit habitationes; eis quidem qui inquirunt lumen incorruptibilitatis, & ad id recurrunt, benignè donans hoc quod concupiscunt lumen: aliis verò id contemnentibus præparavit tenebras, & subdidit convenientem pœnam, &c. Et hoc est quod à Propheta dictum est, Ego Deus zelans, faciens pacem, condens mala; in eos quidem qui pœnitentiam agentes convertuntur ad eum, faciens pacem, & amicitiam & unitatem componens; super eos verò qui pœnitentiam non agunt, sed fugiunt ejus lumen, ignem æternum & tenebras exteriores præparans, quæ quidem sunt mala his qui incidunt in ea, sed bona ex justitia Dei.* Itaque malorum id est peccatorum solam Deo vendicat Irenæus præscientiam & vindictam. Si qua autem mala creare dicitur, ea sunt mala pœnæ.

L. 4. c. 76. 77.

VIII. Nyssenus autem tam non putat Deum authorem culpæ, quàm nec Sol causa est prolapsionis, si quis lumen ejus haud videns, in foveam inciderit. Quin imò non aliter indurari cor à Deo censet, quàm inopia ejus gratiæ qua cor emollitur: *Nam quemadmodum si quis de homine qui in foveam decidit, quoniam Solem non vidit, idcirco in foveam incidisse asseveraret, nullo nobis modo in mentem veniret, ab irato Sole in foveam ipsum depulsum: sed statim intelligeremus ideo in foveam lapsum, quoniam cæcitate sua Solis lucem aspicere non potuit. Sic oportet illud Apostoli dictum intelligere, Eos nimirum qui Deum non cognoverunt, ignominiæ passionibus traditos esse, & induratum à Deo fuisse tyrannum Ægyptium, non quia divina voluntas duritiem in animum ejus induxerit, sed quia cùm ipse vitiosè vivere maluerit, non suscepit rationem, qua induratum in vitio cor emollitur.* Vides quàm procul sit Nyssenus ab ea opinione, qua Deus dicitur, & æternis decretis prædestinasse, & temporariis impulsionibus promovisse peccata; quàmque nec excæcari nec indurari homines sinat, quamvis ob anteriores culpas, nisi subducto luminæ gratiæ, cui terga tandiu verterunt, & quo mollescere atque illuminari potuissent. Quin imò vix patitur ipsa supplicia quamvis justissima à Deo decerni, mavultque ut ea quisque sibi ipse accersat & congerat, spontanea impœnitentia, quod ex Apostoli verbis confirmat:

L. de vita Moysis.

Non

Non decet historiæ litteram ita sequi, ut Deum putemus cruciatus causam; sed unumquemque sua electione sibi dolores præparasse ac fecisse, credere debemus, ut etiam Apostolus ad hujusmodi hominem dicit, quod secundùm duritiam tuam, quia cor tuum non pœnitet, iram tibi in die iræ, ac revelationis, & justi judicii Dei congregas.

IX. Chrysostomus quoque duplicem discrevit malitiam, alteram criminis, alteram pœnæ criminum emendatricis; & postremæ hujus duntaxat Deum authorem esse sanxit. *Malitiam igitur hanc dicit, quæ corrigit, quæ reddit illustres, quæ* Tom. 5. Hom. 60. *diligentiores efficit, quæ Philosophiam inserit, non illam accusationi & reprehensioni obnoxiam. Nam illa opus Dei non est, sed nostræ voluntatis inventum; hæc autem ad illam tollendam instituta est. Malitiam igitur hanc appellat afflictionem, quæ nobis ex suppliciis oritur; non ex sua natura, sed ex hominum opinione tale illi nomen imponens.*

X. Postremò denique Damascenus hanc veluti summam doctrinæ Græcorum nobis proposuit, cujus duo sunt capita. Alterum, quæ Deus permittit tantùm, ea ut dicantur ab eo effici, usitatissimum esse in Scripturis loquendi modum. Alterum est, non creari mala à Deo, nisi illa quæ verè bona sunt, cùm justa constent malorum ultione, sed L. 4. c. 20. mala dicuntur, quia dolori sunt & cruciatui conjuncta. *Operæ pretium est agnoscere, moris esse divinæ Scripturæ, permissionem Dei actionem ejus vocare. Concludit Deus omnia in incredulitate. Dedit illis Deus spiritum compunctionis, ut non videant, & auribus non audiant; hæc omnia non ut Deo agente accipienda, sed ut Deo permittente, ob liberam animi facultatem, quod sine violentia bonum esse debeat. Permissionem igitur ejus, ut actionem & operationem ejus dicere, consuetum est sacræ Scripturæ. Verum enimverò & cum dicit eum creare mala; & non esse in civitate malum, quod non fecit Dominus; non malorum causam Deum esse ostendit: sed quia anceps est nomen mali, duo significans. Nam quandoque natura malum ostendit, quod quidem virtuti contrarium est, & divinæ voluntati; quandoque quod ad sensum nostrum malum est & laboriosum, ut tribulationes. Hæ enim existimatione malæ sunt, cum dolorosæ existant; re autem vera bonæ; nam conversionis & salutis intelligentibus causæ fiunt; & has per Deum fieri dicit Scriptura.* Quinetiam Gregorio Nysseno prorsus consentiens Damascenus ægrè patitur vel hæc ipsa mala, quæ verorum malorum, id est criminum medentur vulneribus, authori Deo imputari; cùm nos ipsi potiùs nobis authores harum simus calamitatum: *Sciendum etiam quod & nos horum causæ sumus; nam voluntariorum malorum involuntarij sunt effectus.*

XI. Sed nec illud alterum Damascenum latuit elucidamentum, quod isto quoque Capite complexi sumus. Nimirum malitiam, crimen, peccatum non esse substantiam, non esse naturam, nempe ex illis naturis quas Deus condidit; adeoque malum esse, nec ullatenus inter bona, vel inter entia numerari debere, quorum Deus author & creator est, qui omnium quæ sunt, & in quantum sunt bona sunt, L. 1. c. 21. author est & creator. *Dicimus quod malum nihil aliud est, quàm boni privatio, & ex eo quod est secundum naturam, in id quod præter naturam prolapsio. Nam nihil malum secundùm naturam. Cuncta enim quæcumque fecit Deus, bona sunt valdè, secundum quod facta sunt; sic igitur manentia quemadmodum creata sunt, existunt valdè bona. Cum autem voluntarie discedunt ex eo quod secundùm naturam, in id quod præter naturam prolabentia, in malo statuuntur. Secundùm naturam igitur omnia subdita sunt opifici; at quando aliqua creaturarum voluntariè rebellaverit, in seipsa parit malitiam: malitia enim neque substantia est, neque substantiæ proprium,* οὐκ οὐσία, οὐδ' οὐσίας ἰδίωμα, *sed accidens,* συμβεβηκὸς, *id est, ex eo quod secundùm naturam in id quod præter naturam voluntaria aversio; quod quidem est peccatum.* Vides ut ex una parte statuat omnes naturas, essentias, substantias creatas; ex altera peccatum, quod nec substantia, nec essentia, nec natura est, sed prolapsio aversioque ab obedientia Creatoris. Cum autem *accidens* hìc vocatur peccatum, non entitatula illa intelligitur à Damasceno, quam solemus nunc substantiis appingere; hæc enim sui generis etiam natura & essentia est, puta lux, calor, color; sed accidens vocatur id quod naturæ puta rationali accidit, adjiciturque de novo.

XII. His valdè consonant illa Chrysostomi: *Diabolus dictus est, id est, accusator. Porrò accusare* Tom. 1. Hom. 25. *& non accusare, natura non est, sed actio, quæ fit & esse desinit: quæ accidit, & accidere desinit. Res autem ejusmodi nec naturæ, nec substantiæ conditionem sunt nactæ:* οὐδ' φύσεως, οὐδ' οὐσίας τάξιν. *Vultis & ad alterum nomen diaboli veniam? videbitis illud quoque neque substantiæ, neque naturæ nomen esse. Malus vocatur, malitia verò non est naturæ, sed propositi atque arbitrii. Nam & ipsa nonnunquam inest, & nonnunquam inesse desinit. Noli enim dicere in illo eam perpetuo manere. Nam & in illo ab initio non fuit, sed postea accessit.* Ita ille ut demonstret Deum mali non esse authorem, id unum expugnare nititur, ut naturæ tantùm, & essentiæ seu substantiæ à Deo sint; peccatum enim nec natura, nec substantia est, nec essentia; sed res arbitrii & voluntatis est etiam in ipso diabolo, cujus solam naturam substantiamve Deus creavit, non malitiam, quæ à natura defectio quædam est. Unde rursus idem Chrysostomus: *Peccati porrò nomen cum au-* In Epist. a Rom. hom. 12. *dis, cave putes potentiam aliquam esse stabilem ac firmam,* δύναμιν ἐνυπόστατον; *sed actionem* πρᾶξιν, *malam, succedentem, ac decedentem; quæ neque antequam existat, sit; & postquam extiterit, extinguatur.* Id abundè Chrysostomo est, ut ne Deus dici possit author, & causa peccati, quod peccatum, non natura, non substantia ulla sit, sed actio volatica & fugax. Sed infra rursus aliquantò etiam manifestiùs, ut nullus effugio locus relinquatur: *Vides ut tum animæ, tum car-* Ibidem. Hom. 13. *nis naturam criminibus liberans, omnem culpam in sceleratam transtulit actionem. Nam si anima à malo abhorret, liberata illa est; & si id minimè perpetrat, liberatur & corpus. At quæcumque culpa esse potest, ea omnis voluntatis est. Neque enim unum idemque sunt animæ natura, & corporis, & voluntatis; sed illa quidem sunt Dei opera, hoc autem ex nobis ipsis exoriens motus, quocumque deducere illum voluerimus. Voluntas enim res est à Deo insita; at hujusmodi voluntas nostrum & nostræ mentis opus est.* Quo quid evidentius optari potuit? Aliud est natura animæ, & natura corporis, aliud voluntas προαίρεσις. Naturæ illæ opus Dei sunt; at voluntas istiusmodi est motus à nobis exoriens, nostrum opus est. Voluntas quidem, seu facultas volendi, βούλησις, à Deo insita est naturæ; sed hujusmodi voluntatis actio, motiove, ποιὰ δὲ βούλησις, nostrum opus est; & si criminosa est, non est inde invidia Deo veluti causæ facienda.

XIII. Eadem Basilii sententia est, in Homilia, *Quod Deus non sit author mali.* Et primùm quidem sic ille mala culpæ, quorum Deus author nequaquam est, à malis pœnæ secernit: *Nosce unum omnino verè malum esse peccatum, cujus finis perditio est; & alterum apparens tantùm malum, sensibus afflictionem præbens, vim alioqui boni habens, quemadmodum sunt calamitates & incommoda, quæ vim peccata coercendi habent, quorum fructus salus est animarum æterna.* Deinde verò illa verè mala, seu peccata, negat esse substantias, sive naturas; hæ enim omnes bonæ sunt, utpote à Deo olim cum orbe ipso conditæ. *Desine divinam*

incusare providentiam, nec omnino velis Deum subsistentiæ ὑπάρξεως mali putare authorem, aut aliquam mali subsistentiam ὑπόστασιν imaginari. Non enim subsistit ὑφεσὸς velut animal iniquitas, neque ipsius essentiam subsistentem, οὐσίαν ἐνυπόστατον statuere possumus. Nam malum boni privatio est, &c. Lege mundi creationem, & ibi invenies cuncta bona, imo valdè bona. Non enim malum cum bonis creatum est. Itaque unum satagit Basilius, ut malum non sit una aliqua ex illis naturis, seu substantiis essentiisve, quas Deus orbem condendo creavit. Non est autem malum seu peccatum una ex illis naturis, cùm peccatum non sit nisi casus ab illo rectitudinis statu, in quo unamquamque Deus naturam creaverat.

XIV. Nec minùs luculentè Athanasius animam rationalem, & facultatem volendi, seseque quo libuerit movendi, à Deo creatam docet; porrò hanc movendi sese pernicitatem, ubi à Deo ad res creatas & minùs consentaneas convertit anima, tum illam peccare; sed hanc à Deo non esse motionis perversitatem.
Con. Gent. Orat. pag. 5. *Anima avertens se ab orbita, qua ad Deum itur, & impellens membra corporis sui, imo & ipsa seipsam cum illis impellens ad ea quæ minimè decent, peccat, & malum ipsa sibi creat, &c. Ethnicorum aliqui aberrantes, & Christi ignari substantiam esse, ἐν ὑποστάσει, & per se in rerum natura consistere malitiam pronunciarunt: duplici ratione à vero deviantes, vel quia mundi opificem defraudant creatione rerum omnium, quæ in natura sunt; non enim rerum Dominus haberi posset, si pro illorum dogmate malitia res solida esset, & vera essentia subsisteret. ἢ ὑπόστασιν ἔχει καθ' ἑαυτὴν, καὶ οὐσίαν, &c.* Planum est ergo ex Athanasio, naturas substantiasque non dici, nisi naturas quas Deus condidit, dum orbem crearet; & in his non esse peccatum, atque adeo exturbari à numero eorum quæ sunt, sive naturarum & essentiarum. Nam motiones omnes sive naturales, sive liberæ, si naturæ consentaneæ sunt, quasi flores ipsius naturæ sunt, & in ipsa naturarum creatione implicantur. Nam ut arbores fructibus floribusque suis onustas creavit Deus; ita & naturas omnes viventes & animales propensionibus, motionibusque omnibus sibi congruentibus ex seipso simul effudit, ut essent omnia bona valde, & à tanti opificis manu ad accuratissimas perfectionis nativæ leges perpolita. At par ratio non est motionum naturæ adversantium. Nec cum naturis conditis, nec à naturarum conditore illæ prodierunt.

Strom. l. 4. pag. 372. XV. Sed quid brevius, quid absolutius hoc uno Clementis Alexandrini effato? *Peccare certè inter actiones ponitur, non inter substantias. Quamobrem nec Dei opus est. τὸ ἁμαρτάνειν ἐν ἐνεργείᾳ κεῖται, οὐκ οὐσίᾳ· διὸ οὐδ' ἔργον Θεοῦ.*
Euseb. Præpar. Evan. pag. 250. Phot in Bibliot. Cod. 192. Omitto pulcherrima loca & Eusebii, & Maximi Monachi, & Confessoris. Maximus sanè Athanasio concinit, agnoscitque motiones omnes, & propensiones animæ à Deo creatore inditas ad Deum ipsum; sed arbitrii liberi potestate ac defectione eas ad bona creata detortas, ita aberrare, & peccare, dum quærunt, quod quærebant, sed non jam ubi quærendum est.

CAPUT VII.

Rursum idem demonstratur ex Augustino & aliis Latinis Patribus; nempe axioma illud, Quæcumque sunt, in quantum sunt, bona sunt, & à Deo sunt; &, Entia omnia à Deo sunt; ad naturas & substantias, non ad actiones quaslibet motionesve distortas pertinere.

I. Hæc effata, entia omnia à summo ente esse: & quæcumque sunt, in quantum sunt, bona esse, & à summo bono esse: non ad actiones, sed ad naturas & & substantias, quas Deus creavit, à Sanctis Patribus revocata esse.

II. Probatur ex Augustini variis contextibus.

III. Ex eodem rursus, à Deo sunt naturæ & substantiæ omnes, non omnes autem vel actiones, vel voluntates, seu voluntatum motiones.

IV. Naturæ, substantiæ, & essentiæ voces, quando & quo sensu usurpatæ sint: eæ omnes à Deo sunt, non omnes actiones, vel motiones. Ex Augustino.

V. VI. Ex eodem rursus Augustino, de eodem.

VII. Actiones bonæ, quæ naturæ consentiunt, & velut genuini fructus accrescunt, possunt naturis annumerari.

VIII. Pelagiani peccato vitiari naturam negabant, quòd peccatum substantia non sit. Contra insurgebat Augustinus.

IX. Cum iidem peccato originali obstreperent, ne natura mala crederetur; rursus peccata à naturis discrevit Augustinus, & bonas actiones naturis accensuit.

X. Cælestius peccatum non rem, sed actum esse causabatur, ut sine gratia vitari posset. Ab Augustino refellitur ea cavillatio.

XI. Rursus eadem confirmantur ex eodem.

XII. Obiter ad alios Patres excurritur. Leo Magnus, Chrysologus, Claudianus Mamertus.

XIII. Etherius & Beatus. Peccatum non substantia, sed qualitas, ut nox, ut tenebræ; ideoque non necesse est, ut à Deo sit.

I. Quod superiori Capite ex Græcorum Patrum testimoniis jam evicimus, id nunc Latinorum quoque, atque in primis Augustini suffragatione expugnare conabimur; nimirum ad naturas tantùm & substantias à Deo creatas primùm cùm orbis conderetur, non ad actiones quaslibet earum & motiones distortas pertinere illa axiomata recepti ssima, Quæcumque sunt, à Deo esse, ut ab eo qui summè est; &, Quæcumque sunt, in quantum sunt, bona esse, ac proinde à summo bono esse. Et hæc quidem effata nos profitemur velut inexpugnabilia quædam fuisse munimenta, quibus Ecclesiæ fidem tutati sunt sancti Patres adversùs Manichæorum grassationes; sed illud contendimus ad solas naturas seu substantias illa esse ab iisdem sanctis Patribus exporrecta, non ad voluntates voluntatumque motiones distortas, quas illi à naturis in hoc negotio studiosissimè discreverunt. Non ergo in peccato seu in consensione ad malum duo distinxere, actionem physicam & turpitudinem moralem, ut illam tantùm à Deo, utramque ab homine esse causarentur, atque ita intercederent, ne Deus mali author diceretur; sed naturas seu substantias à voluntatibus seu consensionibus discrevere, & illas à Deo, has si malæ essent, à peccatore solo esse sanxerunt.

II. Augustinus ante alios innumeris penè locis hanc doctrinam commendavit: *Ergo quæcumque sunt, bona sunt; malumque illud quod quærebam unde esset, non est substantia; quia si substantia esset, bonum esset; itaque vidi quia omnia bona tu fecisti, & prorsus nullæ substantiæ sunt, quas tu non fecisti.* Confess. l. 7. c. 12. 16.
Et infrà: *Quæsivi quid esset iniquitas, & non inveni esse substantiam, sed à summa substantia te Deo detortam in infima voluntatis perversitatem.* Et denuo inferiùs: *Dixisti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quod omnes naturas atque substantias, quæ non sunt quod tu es, tu fecisti; & hoc solum à te non est, quod non est; motusque voluntatis à te qui es, ad id quod minus est, quia talis motus delictum atque peccatum est.* L. 12. c. 11.
Perspicuè ergo regula illa, Quidquid est, in quantum est, bonum est, & à Deo est; ad naturas solas & substantias pertinet; perspicuè à naturis & substantiis distinguuntur voluntates voluntatumque consensiones, ut il-

ut illæ omnes à Deo sint, non similiter istæ; perspicuè negatur à Deo esse non tantùm moralis malitia, aut privatio aliqua, sed motus ipse voluntatis à creatore ad creaturas detortus; perspicuè ad purgandam Deitatem ab invidia peccati id sufficit Augustino, ut motus iste non sit substantia, non sit natura, seu una illarum naturarum quas Deus primò condidit; perspicuè denique peccatum eo dicitur non ens, quòd motus sit à Deo qui summè est, ad id quod minùs est.

De lib. arb. L. 2. c. ult.

III. Et rursus idem: *Tu pietatem inconcussam tene, ut nullum tibi bonum, vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo; ita enim nulla natura occurrit, quæ non sit ex Deo.* Et paulò pòst: *Omne autem bonum ex Deo, nulla ergo natura est quæ non sit ex Deo. Motus autem ille aversionis quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus est, omnis autem defectus ex nihilo est, vide quo pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites.* Et rursus alibi naturas, voluntates, & motiones voluntatum quasi tripartitò distinguens, à Deo profitetur esse & naturas, & voluntates, seu volendi facultates, non autem illas motiones liberas voluntatum, quibus à summo bono ad infima bona convertuntur. *Ita fit ut neque illa bona quæ à peccantibus appetuntur, nullo modo mala sint: neque ipsa voluntas libera, quam in bonis quibusdam mediis numerandam esse comperimus; sed malum sit aversio ejus ab incommutabili bono, & conversio ad commutabilia bona.* Et alibi: *Deus prima atque summa essentia, ex qua est omne quidquid est, in quantum est; qua in quantum est quidquid est, bonum est.* Et aliquantis interjectis: *Est quoddam bonum, quod si diligit anima rationalis, peccat, quia infra illam ordinatum est. Quare ipsum peccatum malum est, non ea substantia quæ peccando diligitur, &c. Vitium ergo animæ est quod fecit, & difficultas ex vitio pœna est quam patitur, & hoc est totum malum. Facere autem & pati non est substantia; quapropter substantia non est malum.* Et in confutatione Manichæorum, ita ex adverso eorum insaniam & Ecclesiæ Catholicæ doctrinam ob oculos ponit: *Quis ita est mente cæcus, qui non videat id cuique generi malum esse, quod contra ejus naturam est? Sed hoc constituto evertitur hæresis vestra. Nulla enim natura malum; sed quod contra naturam est, id erit malum. Vos autem asseritis quandam naturam atque substantiam esse malum.*

De lib. Arb. L. 2. c. 20.

De vera Relig. c. 11. 20.

De moribus Manic. l. 2. c. 2.

IV. Et ne quis in naturæ, substantiæ & essentiæ vocibus aberraret, hac ille ratione voces illas elucidat, earumque retegit originem: *Natura nihil aliud est, quàm id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque ut nos jam novo nomine ab eo quod est esse essentiam vocamus, quam plerumque substantiam etiam nominamus; ita veteres, qui hæc nomina non habebant, pro essentia & substantia naturam vocabant.* Eadem ergo est trium illarum vocum intelligentia, eadem significatio, sed non eadem origo atque antiquitas. Uno enim naturæ nomine antiqui utebantur, additum postea substantiæ vocabulum, Augustini denique ævo nomen essentiæ excusum de novo est. His ita constitutis, ita pergit Augustinus Ecclesiæ doctrinam Manichæis adversam propalare: *Idipsum ergo malum est, si præter pertinaciam velitis attendere, deficere ab essentia, & ad id tendere, ut non sit. Quocirca cum in Catholica dicitur, omnium naturarum atque substantiarum esse authorem Deum, simul intelligitur ab eis qui hoc possunt intelligere, non esse Deum authorem mali. Quomodo enim potest ille qui omnium quæ sunt causa est ut sint, causa esse rursus ut non sint, id est, ut ab essentia deficiant, & ad non esse tendant? quod malum esse generale, clamat verissima ratio.* Quid his quæso apertius, quid accommodatius, quid validius? Ut Deus author mali non sit, satis id est, ut malum non sit substantia, non sit natura, non sit essentia, earum aliqua, quas conditor creavit. Est autem manifestum quòd peccatum sit tantùm actio seu aversio à Deo, seu conversio ad creaturam, seu defectio ab eo quod est secundùm naturam. *Facere autem & pati non est substantia.*

V. Et alibi idem Augustinus: *Quamvis peccata non fecerit, naturas tamen ipsas, quæ per seipsas sine dubio bonæ sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia peccatorum, & in multis talia quibus esset æterna pœna reddenda, quis nisi Deus creavit?* Itaque peccata Deus non facit, sed naturas tantùm creat, quibus postea ex propria ipsarum libertate accidunt & peccata & supplicia. Et rursus: *A se habent voluntatem malam, ab illo autem & naturam bonam, & justam pœnam.* Non ait à Deo haberi actionem ipsam physicam consensionis in malum, ab homine solo esse malitiam moralem; sed à Deo esse naturam bonam & justam pœnam, ab homine peccatore voluntatem malam. Et infrà: *Non valent intelligere Hæretici, omne quod est, in quantum aliqua substantia est, & bonum esse, & nisi ab illo vero Deo, à quo omne bonum est, esse non posse; malam verò voluntatem inordinatè moveri, bona inferiora superioribus præponendo.* Vides ut omnes substantias essentiasque à Deo esse & bonas esse dicat, & ab iis secernat inordinatos motus voluntatis liberæ, qui nec substantiæ sunt, nec boni sunt, nec à Deo sunt. Et rursus: *Naturæ igitur omnes quoniam sunt, bonæ sunt, &c. Deus qui summè est, atque ob hoc ab illo facta est omnis essentia, quæ non summè est, nec ullorum vitiorum offensione vituperandus, & omnium naturarum consideratione laudandus est.* Et alibi: *Væ voluntati malæ, si mala est; pax bonæ voluntati, si bona est. Sive autem bona sit, sive mala sit, voluntas est. Bonam voluntatem sequitur corona, malam sequitur pœna. Deus judex voluntatum est, creator naturarum.*

Epist. 106.

De Gen. ad lit. l. 11. c. 9.

Ibid. c. 13.

Civit. l. 12. c. 5.

L. 1. de Act. cum. Felice Man. c. 12.

VI. Et libro contra Secundinum Manichæum: *Certè omnis inter nos discretio est, quod vos substantiam quandam malum esse dicitis; nos verò non substantiam, sed inclinationem ab eo quod magis est, ad id quod minùs est, malum esse dicimus.* Et paulò infrà: *Restat igitur, ut tam incredibilia deliramenta vitare nequeamus, nisi illam consensionem, quam constat malam esse atque culpabilem, fateamur non esse substantiam, sed in aliqua substantia esse dicamus. Deinde in qua substantia sit, diligentissimè requiramus. Anima cum consentit malo, ipsa substantia est; consensio verò ejus non est substantia. Jam cernis, ut arbitror, in qua substantia sit; id est, in anima esse istam consensionem profectò vides: quam consensionem peccatum esse, ac per hoc malum esse non dubitas. Ex quo intelligis fieri posse ut in bona substantia, sicuti est animo, sit aliquando malum, quod non est substantia, sicuti est consensio, ex quo malo appelletur etiam anima mala.* Num illustrius, num expressius, num inculcatius aliquid potuit desiderari? Hic porro vides quid sit illa substantia bona, in qua sit malum quod non est substantia, cùm creator & prædestinator sit Deus naturarum omnium & substantiarum, nequaquam autem malorum. Substantia est anima rationalis, hæc substantia est, bona est, à Deo est; at verò ejus consensio in peccatum, jam nec à Deo est, nec bona est, nec substantia est. Nec ultra hos fines subtilius aut scrupulosius aliquid prosequuntur sancti Patres.

Contra Secund. c. 12. 14. 15.

VII. Idem Augustinus alibi rursum eosdem exagitans Manichæos: *Cum autem audimus, Omnia ex ipso, & per ipsum, & in ipso: omnes utique naturas intelligere debemus, quæ naturaliter sunt. Neque enim ex ipso sunt peccata, quæ naturam non servant, sed vitiant; quæ peccata ex voluntate esse peccantium testatur Scriptura.* Hic rursum illud observari æquum est, non omnes voluntatis motiones ejusdem esse generis. Malæ enim motio-

De natura Boni. c. 28.

motiones, seu aversiones à Deo, conversiones ab eo quod magis est, ad id quod minus est, cùm naturam vitient & depravent, nullo possunt modo in naturis numerari. At motiones quæ naturæ consentaneæ sunt, quæ bonæ & laudabiles sunt, quæ denique cum ipsis naturis à creatore creatæ pariter sunt, eæ in naturæ voce quodammodo complicantur.

VII. Contra autem Pelagiani ex eo quod peccatum non est substantia, non res, non corpus, sed actus perperam factus, argumentabantur, non posse ab eo naturam vitiari. En verba ipsa Pelagii ab Augustino relata: *Primò de eo disputandum est, quod per peccatum debilitata dicitur, & immutata natura. Unde ante omnia quærendum puto, quid sit peccatum, substantia aliqua, an omnino substantia carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperam facti actus exprimitur. Credo, ita est. Et si ita est, quomodo potuit humanam debilitare, vel mutare naturam, quod substantia caret?* Frivolam hanc ratiocinationem refellit Augustinus exemplis eorum, quæ cum substantiæ non sint, conficiunt tamen substantias & tabefaciunt. Nec enim inedia substantia est, qua tamen protracta languet, & fatiscit corpus. Nec peccatum aliud est, quàm incorruptibilis cibi inedia. *Scripturis credentes animam peccato esse vitiatam, quomodo id fieri potuerit inquiramus; quoniam peccatum jam didicimus non esse substantiam. Nonne attenditur, ut alia omittam, etiam non manducare non esse substantiam? A substantia quippe receditur, quoniam cibus substantia est. Sed abstinere à cibo non est substantia; & tamen substantia corporis, si omnino abstinetur à cibo, ita languescit, ita exhauritur viribus, &c.* (L. de nat. & grat. c. 19. 20.)

IX. Ubi verò de peccato originali concertandum fuit cum Pelagianis, tum rursus hæc eadem argumenta retractanda fuere, cum Catholicam illi Ecclesiam fidemque aspergerent infamia insanæ Manichæorum hæreseos. Hanc accusationem abstersit Augustinus, naturas similiter secernendo à vitiis & peccatis, quæ naturæ adversantur. *Ut quantacumque, aut qualiscumque natura sit, & in quantum natura est, bonum sit, &c. Quæ vitia licèt intelligamus, non esse naturas, sed vitia naturarum, &c. Nulla natura, in quantum natura est, malum est, &c. Quapropter bonorum author est Deus, dum author est naturarum; quarum spontaneus defectus à bono, non indicat à quo factæ sunt, sed unde factæ sunt. Et hoc non est aliquid, quoniam nihil est, &c.* (Cont. Jul. L. 1. c. 8.) Et infrà: *Ac per hoc Deus author est omnium bonorum, hoc est & naturæ bonæ & voluntatis bonæ, quam nisi Deus in illo operetur, non facit homo, quia præparatur voluntas à Domino.* (Ibid. c. ult.) Vides ut expressiùs jam affirmet, non naturarum tantùm authorem & causam esse Deum, quia omnes bonæ sunt, in quantum naturæ sunt: sed etiam voluntatum, quando bonæ sunt. Nec tamen hic locus tot aliis supra coacervatis contextibus infestus est, quia voluntates bonæ secundùm naturam sunt, naturæque quodammodo sunt concretæ & concreatæ, ideoque à Deo authore omnes sunt. Simul enim Deus Angeli hominisque naturam condidit, simul largitus est gratiam, ut infra docebit nos Augustinus; gratia porro hæc utique charitas, & bona voluntas fuit.

X. Rursum Cælestius, ut vitari posse humanis viribus peccatum revinceret, non naturam, non rem ajebat esse peccatum, ne res esset quæpiam, quæ à Deo non esset authore. Actum igitur esse, ac proinde vitari posse. Verba ipsa ejus inserit Augustinus: *Quærendum est, quid est peccatum, actus, an res. Si res est, necesse est, ut authorem habeat; & si authorem habere dicitur, jam alter præter Deum rei alicujus author induci videbitur. At si hoc dici impium est, confiteri necesse est, peccatum omne actum esse, non rem. Si igitur actus est, imo quia verè actus est, vitari potest.* (L. de perfect. just. c. 2.) Vide autem quid respondeat Augustinus: *Respondemus peccatum quidem actum dici & esse, non rem. Sed etiam in corpore claudicatio eadem ratione actus est, non res. Quoniam res pes ipse, vel corpus, vel homo est, qui pede vitiato claudicat: nec tamen vitare potest homo claudicationem, nisi habeat sanatum pedem.* Distinguit mox tamen Augustinus vitium claudicationis, quo claudus claudus est, etiam tunc cum sedet, aut cubat; ab actu claudicationis dum ambulat. Et hujusmodi vitium in corpore, similiaque vitia animæ, hoc est habitus vitiosos, facilè quidem patitur dici res, vel actus; sed mavult tamen dici qualitates malas, quibus fit actus de formis. *Quærat ergo quod eidem vitio nomen imponat, utrum rem velit dicere, an actum, an rei potius qualitatem malam, qua deformis actus existit. Sic & in homine interiore animus res est, rapina actus est, avaritia vitium est, id est, qualitas secundum quam malus est animus, etiam quando nihil agit unde avaritiæ suæ serviat.* Et hìc vides manifestè, ut inter res recenseri vetet Augustinus peccata, seu actus peccati; & si non prohibeat, quin res dicatur vitiositas animi, puta avaritia; & si malit eam dici qualitatem, qua fit malus animus.

XI. Denique idem rursus Augustinus eandem doctrinam ad nauseam usque inculcans: *Naturæ ipsæ substantiæ dicuntur: Deus est quædam substantia. Nam quod nulla substantia est, nihil omnino est, &c. Per iniquitatem homo lapsus est à substantia, in qua factus est, &c. Naturæ omnes per ipsum factæ sunt, iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitas facta non est. Substantiæ illæ per eum factæ sunt, quæ laudant eum, &c. Vitia ex nobis & ex nostra voluntate habemus, & vitia non sunt substantia.* (In Psal. 68.) Et alibi: *Deus nihil eorum odit, quæ fecit. Naturarum enim, non vitiorum conditor, mala quæ odit, ipse non fecit.* (Tract. 110. in Joan.) Sicui hæc copia non satis fit, nescio quid satis fit. Nobis sanè necesse fuit ad fastidium hæc ingerere, ut constet evidentissimè, seu hæreses aliæ, atque aliæ oppugnandæ fuerint, seu defensanda fides Ecclesiæ, seu edocendi populi, seu denique quæstiones Theologicæ pertractandæ, eandem semper orbitam trivisse Augustinum, & constantissimè id semper affirmasse, vitia & peccata à Deo non esse, à sola voluntate libera esse, nec naturas, nec essentias, nec substantias esse, eaque de causa à Deo authore non esse; item non esse necesse, ut omnium actuum, sive motionum liberæ voluntatis Deus causa dicatur, dummodo prædicetur author & causa omnium naturarum.

XII. Nunc cursim perlustrandi sunt Patres reliqui Latinæ Ecclesiæ, ut & ex his constet, naturas omnes à Deo esse; peccata & vitia à Deo non esse, quia naturæ non sunt; denique mirum proinde non esse, si præscientiam tantùm habeat Deus peccatorum, nec ullis suis decretis, vel prædestinatione ea præfiniat. Leo Magnus Priscillianistas, de Manichæorum residua insania furentes, & diaboli naturam malam, ipsumque malum esse blaterantes, ita concerpebat: *Cùm fides Catholica omnium creaturarum, sive spiritualium, sive corporalium, bonam confiteatur substantiam, & mali nullam esse naturam, &c. A veris in falsa proruunt hæretici, quod utique in ipsis malum erit, & ipsum malum non erit substantia, sed pœna substantiæ.* (Ep. 91. c. 6.) Et Chrysologus aliquantò disertiùs: *Peccatum intravit in hunc mundum. Per quem? Per hominem. Et quid peccatum, natura, an substantia? Nec natura est, nec substantia, sed accidens.* (Serm. 111.) Id est adventitium aliquid, ut *febris corpori*, sicut idem mox habet. Claudianus Mamertus: *Nec repugnat anterioribus nostris disputationibus, quod ita se movere animam dicimus: cum principalem motionum cardinem in Deo esse dicamus. Quoniam idipsum illi ferè à Deo est, ut sponte moveatur, videlicet,* (De Statu animæ. L. 2. c. 8.)

cet, ut sit causa motus animi, voluntas est ejus; sic substantiæ quæ utitur voluntate, causa sit Deus. Quia etsi posse & velle ex Deo est, non omnis voluntatis nostræ motus erit ex Deo. Vel tunc reor cum voluntate peccamus, nostri causa motus ex nobis est, ne peccatorum Deum faciamus authorem. Quasi dicat omnium animæ motionum Deum posse dici utcumque authorem & causam, quia creavit ipse animam & voluntatem sese moventem. At earum actualium animæ motionum, quæ peccata sunt, jam non aliam requiri debere causam, quàm voluntatem creatam.

XIII. Ab hac doctrina non recesserunt posteriora Ecclesiæ sæcula. Etherius & Beatus mordicus eam retinuerunt suo ævo, iisdemque propemodum cum Augustino verbis consignarunt. *Mendacium nihil aliud est nisi absentia veritatis: Mendax verò substantia est; mendacium autem non est substantia, sed qualitas in substantia. Omnis ergo substantia quæ à Deo bono creata est, bona est; vitium vero non est à Deo creatum, sed à diabolo inventum, &c. Diabolus est author mendacii, ipse enim genuit mendacium. Non enim mendacium substantia est, sed tantùm qualitas. Solus tamen diabolus substantia est, quia pater qualitatis est, non substantiæ. Et quid est qualitas? Quæ facit unumquemque qualis sit.* Et paucis interpositis: *Nullum malum substantia est, sed tantùm privatio boni; sicut tenebræ nulla substantia est, sed tantùm absentia lucis. Sicut mors nulla substantia est, sed tantùm absentia vitæ. Sicut fames, &c. sicut nuditas, &c. Sic superbia nulla substantia est, sed absentia humilitatis. Sic discordia nulla substantia est, sed absentia charitatis. Sic mendacium nulla substantia est, sed absentia veritatis.* Et infrà: *Non est ipsa superbia substantia, sed qualitas in substantia. Deus bonus fecit hominem bonam substantiam; superbia verò qualitas est in substantia de diabolo nata.* Et tandem: *Malum non est substantia, sed privatio boni.* Ex his clarescit Scriptoribus istis certum illud fixumque fuisse, ideo Deum non esse mali authorem, quia substantiarum creator est, quæ omnes omnino bonæ sunt; non vitiorum, quæ substantiæ non sunt, etsi sint in substantiis. Item mala seu vitia non esse substantias, sed qualitates, & ideo posse à diabolo & ab homine peccatore esse. Rursus mala esse non substantias, sed privationes boni, ideoque rursus à voluntate peccatoris vel hominis vel Angeli esse, non à Deo. Denique perinde esse, sive peccata & vitia dicantur qualitates, sive privationes boni. Qualitatis enim nomine non aliud hic intelligitur, quàm id quo substantia qualis denominatur. At privationibus etiam qualis denominatur, putà tenebris, morte, nuditate, fame. Quæ exempla ab his authoribus proferuntur. Itaque privationes istæ perinde qualitates sunt atque mendacium, superbia, cæteraque vitia & peccata.

Bibl. Patr. To. 4. part. 2. pag. 530. 531. &c.

CAPUT VIII.

Ex Anselmo & Augustino demonstratur, ut ad actiones quoque pertineat illud, Quæcumque sunt, quà sunt, bona sunt, & à Deo sunt; utque voluntas creata à Deo simul mota, hinc ut creaturis utatur, hinc ut Deo fruatur, eo peccet quòd motiones has frustretur, illis obsequatur. Ita peccatum nihil est, peccati causa deficiens est.

I. Ævo Anselmi cœpta distingui essentia à substantia; & actio peccaminosa, seu consensio in malum annumerari, non substantiis, sed essentiis.

II. Utebatur Anselmus exemplo voluntatis & actionis bonæ, quæ essentiis accensebatur.

III. Malum ille in sola privatione justitiæ locabat.

IV. Nec malas, seu voluntates, seu actiones, à Deo fieri statuebat, nisi permittente.

V. Ut animas, ita actiones à Deo esse idem censebat, etsi malæ fiant ex privatione debitæ justitiæ.

VI. Ita fit, ut nihil utcumque sit, quod non ex Deo sit.

VII. Permittente tantùm Deo fiunt actiones malæ ex Anselmo, quia cum ipse ad agendum voluntatem juvet, sinit ut ipsa semet ad malum determinet.

VIII. Cœperat Augustinus condonare, ut actio peccati, res, & qualitas diceretur. Hanc rem, seu qualitatem Anselmus essentiæ voce donavit.

IX. Prolixè declaratur ex Anselmo, ut simul Deus moveat voluntatem ad bonum honestum, & ad bonum commodum, & peccet voluntas, dum huic tantùm, non illi etiam simul obsequitur motione. Ita tota actio à Deo est, peccatum in mera cessatione vel privatione est, Deoque tantùm permittente fit.

X. Proferuntur Anselmi verba.

XI. Cui præluxerat Augustinus, dum censuit, crimina, vitiaque nostra omnia, divinarum perfectionum præpostera & tenebrosa esse imitamenta.

XII. Prolixiùs hoc ipsum ex Augustino demonstratur; ut ad imitandum Deum ubique moveamur, peccemusque cum aliqua tantùm ex parte obsequimur.

XIII. Ex eodem peccatum nihil est, quia sola cessatio est obsequendi illis motionibus quæ ad Deum rapiebant.

XIV. Eodem pertinet quod sanctus Pater dixit, peccati causas non efficientes, sed deficientes quæri debere.

XV. Cessat porro voluntas à motionibus divinis, libera, & quia ex nihilo est.

I. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi ætate cœptum est subtiliùs acutiùsque disputari de tota hac actionum peccati & privationum justitiæ efficientia; tunc enim jacta sunt fundamenta Scholæ Theologicæ, seu Scholasticæ Theologiæ, quæ dialecticis subtilitatibus plusculum indulsit. Itaque Anselmus ipse cœpit distinguere substantiam ab essentia, & actionem peccaminosam, seu conversionem consensionemque voluntatis in peccatum, non quidem substantiis, sed essentiis annumerare. *Nec voluntatem, nec voluntatis conversionem puto negari posse aliquid esse. Nam etsi non sunt substantiæ, non tamen probari potest eas non esse essentias; quoniam multæ sunt essentiæ præter illam quæ propriè dicitur substantia.* Suprà audisti ex Augustino, solum naturæ nomen usitatum primò fuisse; advectum postea fuisse substantiæ nomen; tum accessisse nomen decentius essentiæ, quibus tribus vocibus una res significaretur. Cæteri Scriptores Ecclesiastici ab eo usu non deflexerunt ævo Beati & Etherii, hoc est, sæculo octavo & nono. Desinente undecimo sæculo novatum aliquid in voce essentiæ, quæ cœpit latiùs patere quàm vox substantiæ, & ea etiam complecti, quæ meræ sunt actiones.

Dialogo de Casu Diaboli. c. 8.

II. Astruit Anselmus novam hanc loquendi magis quàm sentiendi rationem exemplo voluntatis, consensionis & actionis bonæ, quæ utique aliquid est, proindeque essentia est, etsi substantia non est; & nihilo plus tamen magis aliquid est, aut magis essentia est, quàm voluntas, consensio & actio mala: *Denique bona non magis est aliquid, quàm mala voluntas; nec est ista magis malum, quàm illa bonum. Non enim magis est voluntas quæ vult dare misericorditer, quàm illa quæ vult rape violenter, &c. Hoc quod dixi de voluntate,* potest

potest considerari in conversione voluntatis. Non enim magis est aliquid conversio illa quæ convertit voluntatem de rapina ad tribuendum, quàm illa quæ convertit eandem voluntatem de largitate ad avaritiam. Peræquè certè physica est actio, conversio consensioque voluntatis in vitium atque in virtutem; itaque ex Anselmo, si aliquid est, si essentia est, ubi ad virtutem: erit & ubi ad vitium declinabit.

III. Sed malum negat esse Anselmus, nisi pri-
Ibid. c. 9. vationem boni & injustitiam: *Injustitiam verò ipsum malum esse dicimus, quod nihil aliud dicimus esse, quàm privationem boni, quod malos & malam voluntatem facit. Et ideo eandem injustitiam non aliud esse asserimus, quàm privationem justitiæ.*

IV. An ergo à Deo fiunt actiones, consensio-
Ibid. c. 20. nes & conversiones voluntatis ad malum? Respondet Anselmus fieri à Deo permittente: *Quid mirum si quemadmodum dicitur inducere in tentationem, quando non liberat de ea: ita fatemur eum dare voluntatem malam, non prohibendo eam cum potest; præsertim cùm potestas volendi quodlibet nonnisi ab eo sit?* Et paulò pòst: *Quid ergo dicimus contra veritatem, si dicimus, Cùm diabolus voluit, quod non debuit, hoc illum & à Deo accepisse, quia Deus permisit; & non accepisse, quia Deus non consensit? Nihil hoc repugnare videtur veritati.* Et ibidem statim: *Cùm ergo diabolus convertit voluntatem ad quod non debuit, & ipsum velle, & ipsa conversio fuit aliquid; & tamen nonnisi à Deo, & de Dei voluntate aliquid habuit. Quoniam nec velle aliquid, nec movere potuit voluntatem, nisi illo permittente, qui fecit omnes naturas substantiales & accidentales, universales & individuales.* Vides quàm inculcatè testetur Anselmus, non ultra se progredi, quàm ut istas actiones peccaminosas à Deo permittente fieri dicat.

V. Addit porrò mirum id magnoperè non esse, quoniam verè & simplex malum non est nisi injustitia seu privatio justitiæ, quæ utique non fit,
Ibid. c. 20. cùm nihil fit. *Simplex quippe malum est injustitia; quoniam non est aliud quàm malum quod nihil est.* Item quoniam, ut censuit Augustinus, malas dici substantias, putà animas, quia malum, sive injustitia & privatio boni in illis est; ita dici peræquè potest, malas esse actiones, quoniam in eis est privatio debitæ justitiæ: etsi & substantiæ illæ & actiones istæ interim per sese bonæ sint, & à Deo sint, quà bonæ sunt. *Quid mirum si dicimus Deum facere singulas actiones quæ fiunt mala voluntate, cum fateamur eum facere singulas substantias quæ fiunt injusta voluntate & inhonesta actione?*

VI. In hanc sanè doctrinam contrudi se sensit Anselmus ea necessitate, ne quid essentiæ esset quod Deum non haberet authorem. *Quippe nec negare possum verè aliquid esse quamlibet actionem, nec fateri volo non fieri à Deo quod verè aliquam habet essentiam.* Hujus autem sententiæ illam existimavit laudem esse potissimam, quod culpæ & peccati invidiam totam à Deo repelleret, & soli aspergeret creaturæ. *Ista ratio omnino Deum excusat, & accusat diabolum.*

VII. Si quæras autem quomodo dicat Anselmus fieri à Deo sive actionem sive consensionem malam, quia eo permittente fit: cùm qui permittit, rem non faciat, sed fieri tantùm non prohibeat. Respondeo istiusmodi actiones ex Anselmo à Deo esse, & à Deo permittente esse; hoc est à Dei motione aliqua oriri, quæ à Deo fit, & ad malum non determinet, etsi non prohibeat quin ad malum ipsa se voluntas determinet. Quocirca rursus alibi idem Anselmus: *Ipsum quoque velle, quod aliquando justum est, aliquando injustum; nec est aliud quàm uti potestate volendi & voluntate, quas Deus dat; in quantum est, bonum est, & à Deo est.* Et infrà: *Sic itaque facit*
Deus in omnibus voluntatibus & operibus bonis, L. de Concord. grat. & lib. arbit.
& quod essentialiter sunt, & quod bona sunt. In pag. 196.
malis vero, non quod mala sunt, sed tantùm quod per essentiam sunt. Constanter igitur Anselmus profitetur à Deo esse totam essentiam actionum motionumque illarum voluntatis, quibus inest privatio justitiæ. Nec minùs constanter à Deo tantùm permittente hanc essentialem malorum operum esse idem Anselmus rursum alibi confirmat: *Velle secundùm essentiam bonum est, sed* De casu
quoniam non justè factum est, malum; & tamen diab. c. 28.
à Deo fuit, à quo est omne quod aliquid est. Nempe non solum hoc habet aliquis à Deo, quod Deus sponte dat, sed etiam quod injustè rapit Deo permittente. Et sicut dicitur Deus facere quod permittit fieri, ita dicitur dare quod permittit rapi. Quoniam igitur permittente Deo Angelus malus per rapinam usus est potestate à Deo sponte data, à Deo habuit uti, quod non est aliud quàm ipsum velle.

VIII. Si quis minùs acquiescat huic Anselmi responsioni, negetque satis constare quomodo à Deo sit illa jam essentia, quæ actionibus omnibus etiam malis vendicatur, si illo tantùm permittente à voluntate creata fiat, nec effluvio ullo primæ essentiæ primæque causæ auxilio juvetur; poterit fortasse ulteriùs ex eodem Anselmo aliquid tentari, quo illa elevetur difficultas, & hæc recentior opinandi ratio priscæ Theologiæ concilietur. Jam olim enim consenserat Augustinus, ut vitiositas animæ, putà avaritia, res & qualitas diceretur. Amplexi & alij erant hanc qualitatis vocem. Rem & qualitatem si Anselmi ætate Theologi donarunt nomine essentiæ, non est adeo stupendum.

IX. Sed quod attinet ad impulsionem sive motionem Dei, qua fiet ut essentia operis mali ab illo sit, quanquam ab illo non sit, qua malum est: quod ad istam inquam attinet motionem Dei, illud ex eodem Anselmo observandum nobis accuratissimè est, quod ille ait, velle beatum, velle esse similem Deo, velle voluptatibus naturæ suæ congruentibus frui, nequaquam malum esse; quin imò si modus teneatur, bonum naturæ istud esse. Ad ista ergo moveri potuit à Deo Angelus & homo conditus, ad ista moveri & juvari debuit, ut quę naturæ in primis consentanea sunt. Sed movebatur simul uterque ad obedientiam, ad religionem, ad temperantiam, & ad modum, creaturæ intellectuali & rationali sub æternæ legis imperio tenendum. Non collidebantur inter se motiones istæ, sicut nec propensiones istiusmodi omnes aliis aliæ confligantur; sed ad bonum creaturæ rationalis & intellectualis omnes conspirant. Cum ergo ad hæc omnia à Deo uterque moveretur, & ita moveretur, ut assentiri, & dissentire posset, volente Deo ut assentiretur, permittente verò, ut si vellet dissentiret: cum prioribus illis motionibus Dei, & propensionibus suis, esse similem Deo, voluptatibus frui, assensus est, sive Angelus, sive homo, eisque prolixè indulsit; cæteris verò Dei motionibus, proclivitatibusque suis Deo parendi, modum tenendi, moderatè de se sentiendi, vel assensum sustinuit, vel dissensit: tunc certè peccavit uterque, & ita peccavit uterque, ut evidentissimè constent, quæcumque supra admonebat Anselmus. Nam 1. tota illa essentia mali operis à Deo verè fuit, influente & movente, quia ad Dei similitudinem & ad voluptatem aucupandam movebat Deus. 2. Et à Deo permittente fuit, quia permittebat Deus ita prioribus his motionibus assentiri, ut à posterioribus cohiberetur assensus. 3. Et aliud fuit essentia mali illius operis, aliud injustitia illi adjuncta, quia longè aliud est, naturæ aliquas pronitates, consentaneasque illis motiones divinas sequi; aliud vel negato assensu, vel expresso dissensu, non sequi pronitates alias motionesque divinas, quibus priores illæ pronitates in officio continerentur; prius illud opus ipsum fuit, sive essentia operis; posterius hoc jam malum

malum fuit, & absentia boni, & privatio justitiæ. 4. Ita malum & injustitia à Deo non fuit, etsi ab illo fuit opus, cui hæc malitia inhæsit; quia Deus perinde movebat interim juvabatque ad eas pronitates, quæ Deum sequi, modum tenere, legis æternę jugo subesse suadebant; atque ad eas, quæ ad Dei similitudinem inclinabant, vel ad delectationes naturæ congruentes. Penes creatam voluntatem tota resedit culpa, quæ non omnibus his motionibus simul obsecuta est. 5. Denique ita patet, quomodo peccatum sit privatio, nihilum, non ens. Nimirum tota peccati ratio est in sustinendo negandoque assensu, quem motiones istæ Dei posteriores flagitabant.

X. Hæc nobis videtur sententia Anselmi fuisse. Præter antedicta, quæ huc omnino vergunt, vide ut ille apertissimè hanc doctrinam confirmet: *Si velle similem Deo esse malum esset, Filius Dei non vellet similis esse Patri. Aut si velle quaslibet infimas voluptates esset malum, mala diceretur voluntas brutorum animalium. Sed nec voluntas Filii Dei est mala, quia est justa; nec voluntas irrationalis mala dicitur, quia non est injusta. Unde sequitur nullam voluntatem esse malum; sed esse bonum, in quantum est, quia opus Dei est; nec in quantum est injusta, malam esse. Et quoniam nulla res mala dicitur, nisi mala voluntas, aut propter malam voluntatem, ut malus homo, & mala actio; nihil est apertius, quàm nullam rem esse malam, nec aliud esse malum, quàm absentiam justitiæ derelictæ in voluntate, aut in aliqua re propter malam voluntatem.* (De Casu diab. c. 19.) Ubi Deus movet voluntates creatas ad excellentiam sectandam, & ad eandem summæ Dei excellentiæ subjiciendam; & ubi easdem movet ad delicias spiritales animæ, & ad delicias corporales sensui simul modestè aucupandas; si voluntates istæ motioni ad excellentiam sectandam se totas dedant, motioni ad eam Deo subjiciendam obsequi abstineant: si delicias corporeas degustare suadenti motioni assentiantur, spiritales avidiùs ebibere urgenti restiterint: manifestè hic bona est motio divina quęcumque, bona est affectatio excellentię, bona est degustatio voluptatis corporeę, mala non est nisi dissensio ad motiones alias divinas, seu assensionis abstentio. Ita nulla res mala est; quod malum est, nihilum est; opus & actio ipsa essentia est, & à Deo est: qua essentia, à Deo movente est; sola suspensio assensionis malum est, & hæc à Deo non est, nisi permittente; denique ut ajebat Anselmus, hæc rapina est, Deo non volente, sed permittente: cùm natura rationalis invitata ad excellentiam & ambiendam & Deo subjiciendam, illam ambit, nec Deo subjicit; aut mota ad delicias gustandas, sed potioribus veritatis deliciis adjungendas & posthabendas; illis hauriendis se totam mancipat, has prorsus omittit; hæc omnino rapina est.

XI. Hæc porro quam Anselmo vendicavimus, pura putaque est Augustini doctrina. Nimirum naturales omnes naturæ Angelicæ humanæque propensiones ad Dei imitationem vergere; has ubi ad Deum attinguntur, virtutes esse religiosissimas; ubi à Deo divertunt ad Dei vestigia in naturis creatis emicantia, in vitia degenerare, quæ non aliud sunt quàm distorta quædam & perversa Dei divinarumque virtutum imitamenta. Quis dubitet autem quin Deus ad se trahat creaturam rationalem, illam movendo secundum insitas illi naturaliter proclivitates, & ita alliciendo? Dei est enim & beneficentiæ, ut summi boni; & constantiæ, ut primæ causæ, naturas omnes jugiter movere & juvare, modo ipsarum indoli, & propensioni consentaneo. Ubi his motionibus obsecundat voluntas, hæ sunt ejus virtutes; ubi illis vel in totum, vel ex parte refragatur, hæc sunt ejus vitia. Unde sic ille ad Deum in Confessionibus (L. 2. c. 6.): *Ita fornicatur anima, cum avertitur abs te, & quærit extra te ea, quæ pura & liquida non invenit, nisi cum redit ad te. Perversè te imitantur omnes qui longè se à te faciunt, & extollunt se adversum te. Sed etiam sic te imitando indicant te creatorem esse omnis naturæ, & ideo non esse, quo omnimodo à te recedatur.*

Hęc Augustinus subtexit prolixæ complurium vitiorum enumerationi, quæ omnia hominem eo uno exercent, ut Deum perversè imitetur, & eas in creaturis quęrat vel delicias, vel divitias, vel curiositates, vel sublimitates, quas illimes & sinceras reperire non est nisi in Deo. Itaque creatam mentem movet instigatque Creator ad hęc amanda & comparanda, possidendaque, sed in seipso: ut ita Deo simillima sit; sed cum peccat anima, hęc eadem quęrit, amat, in seipsa & creaturis aliis, atque ita non nisi simulatam deformemque Dei similitudinem assequitur. Et vel sic tamen illum Creatorem, se creaturam ejus esse contestatur, cùm nec in erroribus suis possit omnino aberrare ab imitatione qualicumque summi boni, primi pulcri, & principis causæ. Ita in suo furto, quod non ex inopia, sed ex quodam fastidio justitiæ, & quasi ex sagina iniquitatis prodierat, advertebat suprà hic Augustinus se perversè Deum imitari statuisse: *Ut mancam libertatem captivus imitarer, faciendo impunè, quod non liceret, tenebrosa omnipotentiæ similitudine. Ita superbia celsitudinem imitatur, cum tu sis unus super omnia Deus excelsus. Curiositas affectare videtur studium scientiæ, cum tu omnia summè noveris. Ignavia quietem appetit; quæ verò certa quies præter Dominum? Avaritia multa possidere vult, & tu possides omnia.* Et ne omnia cum eodem Augustino percurram, universim *est quædam defectiva species & umbratica vitiis fallentibus.* Ut enim ille alibi ait, Deus fecit nos ad se, & inquietum est cor nostrum donec in eo conquiescat; quia innata naturaliter desideria ad Deum suspirant; motionibus consentaneis à Deo excitata, ad eundem urgentur; terrenis ludibriis occupari ac fatigari possunt, non satiari, quippe Dei tantùm vestigiis.

XII. Cùm ergo Deus moveat voluntatem creatam ad celsitudinem, ad quietem, ad scientiam, ad opulentiam amandam in Deo sine modo, utque in fine; in creaturis cum modo, utque in mediis: si priores illas motiones illa aspernetur, si his obsecundet, tunc peccatur in Deo perversè imitando; tunc motio divina bona est, tunc actio ipsa voluntatis per sese bona est, tunc mala est frustratio piorum motionum ad Deum prolectantium; verùm hęc non actio, sed actionis, putà consensionis suspensio est, privatio justitiæ. Unde alibi idem (L. de vera Relig. c. 45.): *In appetitione nobilitatis & excellentiæ, & in omni superbia vanaque pompa hujus mundi, quid aliud homo appetit, nisi solus esse, si fieri possit, cui cuncta subjecta sint; perversa scilicet imitatione omnipotentis Dei? Quem si subditus imitaretur secundum præcepta ejus vivendo, per eum haberet subdita cætera, &c. Invicti esse volumus, & rectè; habet enim hoc animi nostri natura post Deum, à quo ad ejus imaginem factus est. Sed ejus præcepta erant servanda, quibus servatis nemo nos vinceret.* Hæc ergo vis est, hæc præcellentia imaginis divinæ naturaliter nobis inscriptæ, ut simus & velimus esse post Deum, & sub Deo invicti, excellentes, sapientes, opulenti, & id genus alia. Movet juvatque nos Deus ut imagines suas, secundùm eas pronitates, quas ipse creando infundit. His motionibus sequaces sumus, quæ impellunt nos ad excellentiam opulentiamque amandam; motionibus ad hæc in Deo uno, vel propter Deum unum, & sub Dei lege & obedientia quærenda urgentibus immorigeri sumus, quando peccamus. Ita à Deo Deique motione est, quidquid rei & essentiæ est in opere nostro; à nobis est, à Deo non est, nihilum est, privatio

est,

est, quod malum, quod peccatum est, cùm non aliud sit quàm non paruisse iis motionibus hæc omnia ad Deum retorquentibus. Si utrisque motionibus obsequentes essemus, quæ vitia nunc sunt, virtutes forent. Unde idem rursus Augustinus: *Nam & anima in ipsis peccatis suis nonnisi quandam similitudinem Dei superba & præpostera, & ut ita dicam, servili libertate sectantur. Ita nec primis parentibus nostris persuaderi peccatum posset, nisi diceretur, Eritis sicut Dii.* Non potest non movere & adjuvare Deus naturas rationales ad similitudinem ejus amandam captandamque: sed eo vitiosa, superba & præpostera fit hæc divinæ similitudinis affectatio, quòd contumaciter simul respuantur motiones aliæ, quibus sub obedientia, sub imperio & lege Dei has similitudines amare, & affectare admonentur & excitantur.

De Trinit. L. 11. c. 5.

XIII. Huc referenda sunt illa Augustini, ubi docet malum, hoc est peccatum, nihil esse: *Etenim ipsam nequitiam matrem omnium vitiorum, ex eo quod nequicquam sit, id est, ex eo quod nihil sit, veteres dictam esse voluerunt.* Sic ille secutus Tullium. Et alibi: *Deus qui paucis ad id quod verè est refugientibus, ostendis malum nihil esse.* Et rursus alibi: *Vita voluntario defectu deficiens ab eo qui eam fecit, & cujus essentia fruebatur, & volens contra Dei legem frui corporibus, quibus eam Deus præfecit, vergit ad nihilum; & hæc est nequitia, &c. Vita quæ fructu corporis delectata negligit Deum, inclinatur ad nihilum, & ista est nequitia.* Hæc natura & statio est animæ rationalis, ut utatur corpore rebusque creatis, fruatur Deo: illis propter Deum, Deo propter seipsum. Huic naturæ & stationi animæ consentiunt motiones & adjutoria Dei. Quisquis sequax ad motiones quæ ad usum creaturæ juvant, negligit motiones quæ ad fruendum Deum, omniaque ad eum referendum vocant juvantque: næ ille peccat, & sola otiositate ac supinitate sua peccat. Supinitas porrò & negligentia divinarum motionum, nihilum est.

L. De beata vita.

Soliloq. l. 1. c. 1. L. de vera relig. c. 11.

XIV. Huc referenda sunt & illa Augustini, ubi ait, peccati causas quæri debere, non efficientes, sed deficientes. Nec enim quà efficiens aliquid & divinis motionibus obsequens voluntas libera peccat: sed quà deficiens, ad divinas motiones obstupescens & nihil faciens peccat. *Nemo ergo quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens; quia nec illa effectio est, sed defectio. Deficere namque ab eo quod summè est ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porrò defectionum istarum, cùm efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire, tale est, ac si quisquam velit videre tenebras, vel audire silentium; quod tamen utrumque nobis notum est, non sanè in specie, sed in speciei privatione.* Et infrà: *Ea scio posse deficere, quæ ex nihilo facta sunt, quæ tamen quanto magis sunt, & bona faciunt; tunc enim cum aliquid faciunt, causas habent efficientes: in quantum autem deficiunt, & ex hoc mala faciunt, quid enim tunc faciunt nisi vana? causas habent deficientes.* Efficientes manifestè, causæ sunt, quæ morem gerunt divinis motionibus ad bona naturæ aptata urgentibus: deficientes ex adverso causæ sunt, quæ his motionibus refragantur omnino, vel ex aliqua saltem parte, nimirum, qua motiones istæ ad honesta & ad divina propellunt. Ex hac enim frustratione motionum ad divina propellentium, solaque efficacitate earum quæ ad bona commoda utiliaque adjuvant, id nimirum consequitur, ut aversa à Creatore & ad solas creaturas conversa sordescat voluntas creata. Quod ex causa efficiente hìc existit, bonum est; quod ex causa deficiente, malum est, & hæc mera privatio est. Unde ibidem mox Augustinus: *Deficitur enim non ad mala, sed malè; id est non ad malas naturas, sed ideo malè, quia contra ordinem naturarum, ab eo quod summè est, ad id quod minus est. Neque enim auri vitium est avaritia, sed homines perversè amantes aurum justitia derelicta, quæ incomparabiliter auro debuit anteponi.* Vides in quo sit perversitas tota ordinisque perturbatio, nimirum in eo quòd cùm ferri debeat voluntas non solùm ad id quod minus est, sed etiam & multò magis ad id quod summè est; torpeat ad motiones sursum protrudentes, quod utique justitiam deserere est, & eam rebus caducis postponere. Bonæ sunt naturæ ad quas movetur, aurum, excellentia, scientia, oblectatio; & ad has moveri bonum est, & naturæ consentaneum est, si modò moveatur simul voluntas ad justitiam, ad temperantiam, ad obedientiam divinis legibus dependendam. Si verò in his motionibus sursum impellentibus deficiat & cesset, nec nisi ad bona creata moveatur, & his adhærescat neglectis bonis divinis, ordinem perturbat non alio quàm defectione sua hac & cessatione. *Nec luxuria, est vitium pulchrorum suaviumque corporum*; adde nec motionum divinarum ad ea, vel consensionis liberæ ad has motiones, servato modo temperantiæ, & horum ad æternum pulcritudinis Solem respectu: *sed animæ perversè amantis corporeas voluptates, neglecta temperantia, qua rebus spiritaliter pulchrioribus & incorruptibiliter suavioribus coaptamur.* Et similiter se res habet in omnibus vitiis. Non illud & illud bonum amore prosequi in vitio est, sed non illud vel sic posthabere summo bono, incomparabiliter flagrantiùs amando & prosequendo. *Ac per hoc qui perversè amat cujuslibet naturæ bonum, etiamsi adipiscatur, ipse fit in bono malus, & miser meliore privatus.*

Civit. l. 12. c. 7.

Ibid. c. 8.

XV. Cur cesset autem voluntas hactenus bona, & sustineat assensum suum, nec se agi sinat motionibus illis divinis quæ sursum vocant, causa non alia est quàm ipsa, nec efficiens utique causa, sed deficiens. *Cùm ergo malæ voluntatis efficiens naturalis, vel si dici potest, essentialis nulla sit causa; nec talem voluntatem facit nisi defectio, qua deseritur Deus, cujus defectionis etiam causa utique deficit, &c.* Et alibi: *Quapropter bonorum author est Deus, dum author est naturarum, quarum spontaneus defectus à bono, non indicat à quo factæ sunt, sed unde factæ sunt. Et hoc non est aliquid, quoniam nihil est, & ideo non potest authorem habere, quod nihil est.* Itaque cùm è nihilo orta sit voluntas creata, mirum non est si cesset quandoque & deficiat; cessatio enim & defectio nihilum & ipsa est.

Ibid. c. 9.

Adv. Jul. L. 1. c. 8.

CAPUT IX.

Non prædeterminari voluntates creatas ad consensionem mali à Deo, nec inde peccatorum futurorum præscientiam illi tribui posse, probatur ex bipartita secundùm sanctos Patres Dei providentia, in ea quæ ipse facit, & ea quæ fieri permittit.

I. In superioribus id eminebat Capitibus, voluntates liberas ubi à Deo moventur, non moveri invictissimè, sed ita ut motio sæpè irrita cadat.

II. Novo nunc id argumento astruitur, nempe bicipitis providentiæ, quæ in eo est sita ex Augustini sententia, ut omnia sint à Deo, vel faciente, vel fieri sinente.

III. Diluitur frustratoria eorum responsio, qui solas privationes justitiæ permitti à Deo ajunt, reliqua omnia fieri.

IV. Omnipotentia voluntatis Dei magis elucescit, si non ad singula voluntates creatas determinet; sed quoquo se vertant, in ea quæ ipse vult, eas retorqueat.

V. Rur-

V. Rursum ex Augustino, invictius est & præpotentius regnat Dei voluntas, voluntates sibi permittendo, mala fieri sinendo, & ex malis bona eliciendo potiora,

VI. VII. Quanta vis omnipotentiæ divinæ in eo, ut sinat, vel non sinat res quaslibet fieri: quantum hinc promoveatur salus electorum.

VIII. Naturæ author omnipotens æquum est ut quasque naturas sinat suo obsequi ingenio.

IX. Bicorni providentiæ subscribit & Prosper.

X. Gregorius Magnus in eadem sententia.

XI. XII. XIII. Item Honorius Augustodunensis, Anselmus, Hugo Victorinus.

XIV. Clemens Alexandrinus.

XV. Et Origenes. Ni mala fieri permitteret Deus, bona multa præfocaret.

XVI. Cur calamitates quandoque dicantur, non à Deo fieri, sed permitti.

XVII. XVIII. XIX. Suffragatio Chrysostomi, Theodoreti, & Damasceni, pro bicipiti providentia Dei, alia definientis, alia permittentis; alia facientis, alia fieri sinentis.

I. Illud eminebat in omnibus superiori Capite congestis Anselmi atque Augustini, sive testimoniis, sive argumentis: etsi aliqua Dei motio constituatur ad actiones criminosas, non tamen eam ejusmodi esse, quæ voluntatem creatam prædeterminet invictissimè, ut hinc, id est, ex æterno dandæ hujus præmotionis decreto existere possit horum præscientia Dei æterna. Ostensum est, quoties peccatur, voluntatem creatam obsequi motionibus ad bonum creatum pellentibus, reniti motionibus ad bonum increatum simul propellentibus. Motiones ergo istæ ejusmodi sunt, ut voluntatem non insuperabiliter agant. Sed alio nunc idem ipsum adgredimur firmare argumento; scilicet ex illa Augustini cæterorumque Patrum doctrina receptissima, qua Providentiam Dei quasi bipartitam faciunt, in ea quæ facit, & quæ fieri sinit. Si qua porrò sunt, quæ non faciat, sed fieri sinat, ea maximè sunt opera voluntatis liberæ mala & criminosa. Ex quo consequens est, ut ad hæc voluntas à Deo vel non moveatur, vel non saltem ita moveatur, ut indeclinabiliter ad ea determinetur.

Each. c. 95. 96. II. Manifestissimè Augustinus hanc Dei quasi bicipitem providentiam describit: *Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri, quæcumque fiunt male.* Alia ergo facit, nempe bona: alia fieri sinit, videlicet mala: Mala ergo opera non facit, nec ad ea voluntates determinat. Quantæ enim absurditatis foret, ut permittere tantùm fieri ea mala diceretur, ad quæ indeclinabili impulsione voluntates creatas torqueret? Et rursus idem alibi: *Nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiore invisibili atque intelligibili aula Imperatoris summi aut jubeatur, aut permittatur, secundùm ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque Republica.* De Trinit. l. 3. c. 4.

III. Quod porro excipiunt aliqui, ad actiones ipsas malas prædeterminari invictissimè voluntatem à Deo, sed ad privationem justitiæ quæ illis adhærescit, non prædeterminari, permittente tantùm Deo ut ea resultet: id ejusmodi est, ut refelli vix indigeat. Non dico ad hæc animum exhorrescere, ut ad flagitia, & facinora quævis prædeterminet Deus voluntates creatas, cum ea ipse tam sedulò prohibeat, cum tam acerbè plectat; ut voluntates hactenus innocuas, nihil male meritas, imo bene de Deo meritas, ipsemet impellat in ruinam primi peccati; ut frivola hac distinctiuncula diluatur hæc tanta invidia, ne Deus auctor opifexque peccati sit, quòd ad actionem præmoveat peccati, non ad malitiam ab actione inseparabilem: ut his inquam supersedeam, quæ alibi attingimus, & concludam me in gyrum propositæ argumentationis; An hæc erit æqua partitio providentiæ divinæ, in ea quæ facit, & ea quæ fieri sinit, si cætera prorsus omnia faciat; fieri autem hoc unum sinat & permittat, ut ex actione facinorosa resultet malitia moralis & privatio justitiæ? Hoccine est arcanum illud regnandi sacramentum & consilium, quod in interiori, intelligibilique summi Imperatoris Dei aula libratur, quo immensa creaturarum omnium Respublica gubernatur, ut alia faciat Deus, alia non faciat, sed permittat: id porro eo tandem evadat, ut omnia prorsus faciat, solas autem privationes aliquas, quæ non possunt non exilire ex istiusmodi actionibus, exilire permittat? Ne tanta insulsitas Patrum Theologiæ illinatur, confiteamur potius omnia facere Deum, & nulla esse opera, quæ tantùm fieri permittat: aut malis, hoc est malo consentientibus voluntatibus nullam ab eo motionem adhiberi, quo ad id prædeterminentur.

IV. Quod autem suspicantur non satis consultum fore divinæ omnipotentiæ majestati, si non omnia ipse indeclinabilibus decretis & præmotionibus faciat, sed aliqua fieri permittat tantùm, creatæque tunc voluntati habenas laxet, ut ipsa se determinet: frustra suspicantur, nec satis advertunt hoc ipsum esse ex Augustino certissimum invictissimæ Dei omnipotentiæ argumentum, quòd nihil usquam fiat nisi ipso volente, hoc est, nisi ipso faciente, vel fieri permittente. Nam quidquid eo permittente fit, utique eo volente fit, Nec enim fieri sineret, nisi vellet. Itaque voluntas Dei biceps est; vult Deus quæ facit, vult que fieri sinit, quia hanc licentiam, ut infra dicetur, hanc eo permittente peccandi potestatem ipse bene vertit, & bonorum ex ipsis malis uberiorem quendam proventum colligit. Audi rursus Augustinum: *Tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur: quàm certa & immutabilis & efficacissima sit voluntas Dei, quàm multa possit & non velit, nihil autem velit quod non possit; quàmque sit verum quod in Psalmo canitur, Deus autem noster in cœlo & in terra omnia quæcumque voluit fecit. Quod utique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit; & quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Vides ut totus insurgat & exardescat sanctus Pater ad defendendam voluntatis divinæ omnipotentiam, & ad hanc propulsandam ab ea injuriam, ne voluntatis humanæ contumacia illius decreta perfringat. Atqui ex hac divinæ voluntatis omnipotente & invictissima efficacitate id unum concludit, id unum urget Augustinus, ut nihil usquam fiat, nisi Deo faciente, vel fieri permittente. *Non ergo fit aliquid nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Invictus est ergo Deus & omnipotens, & omnia eo volente fiunt, etiam tum cum voluntas creata jussis ejus contumaciter obluctatur, quia id totum fit ipso fieri sinente & volente, ut hac sua versatili libertate utatur, vel abutatur natura rationalis. Enchirid. c. 95.

V. Quocirca ita luculentè pergit Augustinus, nihil deteri de imperio divino, quando fiunt mala quæ ipse non facit, sed fieri sinit: quia æquum bonumque est ut sinat fieri. Ita volens sinit fieri, & bene vult permittere ut fiant mala: quia ea est conditio & lex libertatis creatæ, ut sibi permittatur, Deo juvante regenteque, ut ipsa inquam sibi permittatur, ut quo se cumque volet flectat, sive in bonum, divinis jussis & motionibus morigerando, sive in malum, eisdem renitendo. *Nec dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcumque fiunt malè. Non enim hoc nisi justo judicio sinit. Et profectò bonum est omne quod* Ib. c. 96.

justum

justum est. Quamvis ergo ea quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen ut non solùm bona, sed etiam sint & mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono. Ergo cùm bonum sit mala esse, cùm bonum sit, inquam, creatam libertatem sibi permitti, quantumvis in malum aliquando ruitura sit; voluntas Dei quæ sinit mala fieri, bona est, invicta est, omnipotens est; nec omnipotentiæ Dei satis Theologicè & ad Patrum gustum patrocinatur, qui hanc voluntatem Dei aliqua facientem, aliqua fieri sinentem, utraque volentem; non enim fieri sineret, quod fieri omnino nollet; qui hanc inquam voluntatem Dei non intelligunt bipartita hac providentia omnipotenter regnare. Non sanè Augustinus cum his sapiebat, cùm hæc tandem suprapositis
Con. Faust. L. 22. c. 75. subjungebat: *Nisi esset hoc bonum, ut essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono Cui proculdubio quàm facile est quod vult facere: tam facile est, quod non vult, esse non sinere, &c. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis prohibetur effectus.*

VI. Perpende quæso quàm longè alia hæc ratio præstandi, ut voluntate creata non prohibeatur effectus omnipotentis Dei voluntatis; non invictissima Dei prædeterminatione id fit, qua ad omnia bona malave opera impellat voluntates creatas; sed vel bona ipse faciendo quæ vult, vel sinendo fieri quæ non vult ipse facere, & vult tamen permittere ut ab aliis fiant, certus fore ut ea cedant in suæ voluntatis & magnificentiæ laudem, quod e infrà. Eo ergo invicta est Dei voluntas, quòd etiam ubi contra ejus jussa fit quidpiam, non fit tamen præter ejus voluntatem, quia non fit nisi eo permittente & volente sinere ut fiat. Unde idem Augustinus alibi ait, Electis Dei neminem nocere posse, quod nemo in eos accipit potestatem, nisi à Deo vel ju-
De dono per. l. c. 6. bente vel permittente: *Sed nec Sanctis ejus obesse aliquid potest, &c. Neque enim habet in eos quisquam ullam potestatem, nisi cui data fuerit desuper. Non est enim potestas nisi à Deo, sive jubente, sive sinente.*

VII. Aperit alibi idem Augustinus quantum præsidii sit in hac Dei voluntate sinente vel non sinente fieri, ad Electorum salutem, ad Justorum in bono perseverantiam, quæ utique sunt palmaria omnipotentis voluntatis Dei & efficacissimæ gratiæ documenta. Cùm enim adversarii divinæ gratiæ aliqui objicerent fore ut quos gratis electos & indubiè perseveraturos jactabat Augustinus, ii voluntatis suæ lubrico Deum desererent, & à Deo proinde desererentur: respondet sanctus Pater in solius Dei potestate totum id esse, cujus est tentationes permittere, vel arcere, quibus qui stant evertantur. *At enim voluntate sua quisque deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo. Quis hoc negaverit? Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et si exaudimur, utique non fit, quia Deus non permittit ut fiat. Nihil enim fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit.* Biceps ergo illa Dei providentia, vel faciens, vel fieri sinens, utrinque omnipotens est: nam ea etiam parte qua fieri sinit, vel non sinit, electorum suorum salutem invictissimè promovet, tentationes arcens quæ supra patientiam essent, & eas tantùm excitari sinens, quas facilè superandas videt. *Nam tentari, & in tentationem non inferri, non est malum, imò etiam bonum est, hoc est enim probari. Quod itaque dicimus Deo, Ne nos inferas in tentationem, quid dicimus, nisi, Ne nos inferri sinas? Unde sic orant nonnulli, & legimus in codicibus pluribus, & hoc sic posuit B. Cyprianus, Ne patiaris nos induci in tentationem.*

VIII. Denique hinc arripit occasionem Augustinus, divinam justitiam admirandi, ut nobis imperscrutabilem, & à nostra justitia longè disparem. Scelus enim qui potest prohibere, nec prohibet, propè scelestus ipse est inter homines. At cùm in potestate Dei sit omnia prohibere scelera, sinit ille ea perpetrari, non tantùm citra injustitiæ suspicionem, sed cum incomparabili quadam justitiæ suæ laude. Summæ enim illius æquitatis est, ut naturas quaslibet suis permittat viribus uti, suo obsequi ingenio; adeoque ut voluntates liberas libertate se sua, huc illucque vertere, prout libuerit. Ex quo id nimirum efficitur, ut justitiæ Dei sit, ut naturas liberas sinat ex suo ipsarum ingenio, injustitiæ se dedere, si velint; exinde haud dubio puniendas; sicut præmiandæ indubitatissimè fuissent, si ad justitiam juvante Deo se contulissent. *Quid quod dicis, homo qui multùm desipis?* L. 3. n. 24. Oper. ult.
Sic sanctus Pater affatur Julianum Pelagianum. cont. Jul.
Quantò excelsior, tantò inscrutabilior divina, quàm humana justitia, tantoque ab hac illa distantior. Quis enim homo justus sivit perpetrari scelus, quod habet potestatem non sinere? Et tamen sinit hæc Deus, incomparabiliter justis omnibus justior, & cujus potestas est incomparabiliter omnibus potestatibus major.

IX. Prosper suo more in Sententiis sententiam amplexus est Augustini, verbaque ipsa exscripsit: *Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium spiritaliumque motionum. Nihil enim* Cap. 58.
fit visibiliter & sensibiliter, quod non de invisibili & intelligibili summi Imperatoris aula aut jubeatur aut permittatur, &c. Adverte ut actiones motionesque omnes etiam spiritales & liberas velit post Augustinum Prosper pendere religatas à bipartita illa providentia summi Dei, vel jubentis omnia, vel permittentis. Igitur quas etiam motiones non prædeterminat, quas permittit tantùm, eas quoque in potestate sua habet regitque.

X. Observat Gregorius Saulis Regis exemplo liquere, nonnulla à Deo mala permitti & ordinari, quæ ipsemet prohibuerat. Improbaverat enim Regem tunc Judæis præfici, quem mox ipse tamen sinens fieri designavit. *Et abjectum ergo se Dominus* L. 6. in L. 1. Reg. c. 4.
conqueritur, & tamen ordinare in quo abjicitur concedit: quia cum districtæ æquitatis suæ virtutem exequitur, ab eo carnalium desideria impleri per ejus misericordiam nequaquam prohibentur. Mox enumerat mala & flagitia, quæ si prohibuisset Deus, prævertisset & præfocasset quodammodo multò majora bona, quæ illorum occasione malorum extiterunt. *Districto siquidem judicio permittit mala fieri, sed misericorditer providet de his malis, quæ per judicium irrogat, quæ bona fieri disponat.* Si perlustres animo seriem, & malorum, in quæ voluntates liberas Deus ferri sivit, & bonorum quæ exinde singulari Dei beneficentia exuberarunt; tum sanè constabit tibi quàm providè Augustinus in hæc duo membra providentiam divinam secuerit.

XI. Honorius Augustodunensis libro de Prędestinatione & libero Arbitrio: *Quæcumque à reprobis per liberum arbitrium contra instituta commit-* Cap. 2.
tuntur, à Deo quidem fieri sinuntur, & in laudem ejus vertuntur, dum justè ab eo pœnis subiguntur. Igitur Deus omnia operatur, aut faciendo, aut sinendo.

XII. Sed luculentissimè Anselmus in Dialogo de Veritate ita colloquentes inducit magistrum & discipulum: M. *Quid mirum est, si eadem res debet esse & non esse?* D. *Quomodo potest hoc esse?* M. *Scio te non dubitare quia nihil omnino est, nisi Deo aut faciente, aut permittente.* D. *Nihil mihi certius.* M. *An audebis dicere quia Deus aliquid faciat aut permittat non sapienter aut non bene?* D. *Imò assero quia nihil nisi bene & sapienter.* M. *An judicabis non debere esse, quod tanta bonitas & tanta sapientia facit aut permittit?* D. *Quis intelligens audeat hoc cogitare?* M. *Debet igitur esse pariter, & quod*

& quod faciente & quod permittente Deo fit. D. *Patet quod dicis*. M. *Dic etiam, An putas esse debere malæ voluntatis effectum?* D. *Idem est ac si dicas, an debeat esse opus malum, quod nullus sensatus concedit*. M. *Permittit tamen Deus aliquos malè facere, quod malè volunt*. D. *Utinam non tam sæpè permitteret*. M. *Idem igitur debet esse, & non esse. Debet enim esse, quia bene & sapienter ab eo, quo non permittente fieri non posset, permittitur; & non debet esse, quantum ad illum, cujus iniqua voluntate concipitur*. Et alibi idem Anselmus, *Prædestinatio non solùm bonorum est, sed malorum potest dici. Quemadmodum Deus mala quæ non facit, dicitur facere, quia permittit. Nam dicitur hominem indurare, cum non emollit: ac inducere in tentationem cum non liberat*.

L. de Cõcord. grat. lib. arb.

XIII. Hugo Victorinus huic eidem doctrinæ suffragatus est: *Secundùm hanc universalem providentiam cunctorum, Deus non solùm suis quæ bona fecit; sed alienis quoque, quæ ipse mala non fecit, sed permisit, quod debitum est, dispensat, ut nihil in regno suo justam ordinationem evadat, &c. Hæc est providentia: utrinque operatur, in suo & in alieno; in suo, quod fecit; in alieno, quod permisit. Cuncta illi subjecta sunt, & providet omnibus, præsidens omnibus*.

De Sacr. L. 1. Part. 2. c. 19.

XIV. E Græcis disertissimè idem astruit Clemens Alexandrinus: *Neque enim Dominus passus est voluntate Patris; nec qui patiuntur persecutionem, eam Dei voluntate patiuntur. Nam ex duobus alterum. Aut bonum quid & honestum erit persecutio propter Dei voluntatem, aut erunt innocentes, qui eos afficiunt & affligunt. Sed nihil fit sine voluntate Domini universorum. Restat igitur, ut breviter dicamus, ea quæ sunt ejusmodi, evenire Deo non prohibente. Hoc enim solum servat & providentiam, & Dei bonitatem. Non est ergo existimandum, eum operando exercere afflictiones: absit enim, ut hoc vel cogitemus; sed non prohibere eos qui eas exercent, persuasum habere convenit, & ad bonum uti audacibus cœptis adversariorum*. Supervacanea hìc foret interpretis opera, usque adeo perspicua sunt hæc in antedictorum confirmationem.

Strom. l. 4. pag. 570.

XV. Origenes ab his non discreptat: *Nos dicimus dispensatione quadam & sapientia Dei ita omnia in hoc mundo esse disposita, ut nihil prorsus otiosum sit apud Deum, etiamsi malum illud sit, etiamsi bonum. Sed planiùs quod dicitur explicemus. Deus malitiam non fecit; tamen cùm ab aliis inventam possit prohibere, non prohibet; sed cum ipsis à quibus habetur, utitur ea ad necessarias causas. Per ipsos enim in quibus est malitia, claros & probatos efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Nam si perimeretur malitia, non esset utique qui contrariret virtutibus. Virtus autem non habens aliquid contrarium non claresceret, nec splendidior & examinatior foret*. Et rursus idem alibi ex historia Job idem comprobat: *Ex quibus omnibus illud ostenditur, quod omnia hæc quæ fiunt in hoc mundo, quæ media existimantur, sive illa tristia sint, sive commoda sint, non quidem à Deo fiunt, non tamen sine Deo; dum magnas & contrarias virtutes talia volentes operari, non solum non prohibet Deus, sed & permittit facere hæc, sed certis quibusque temporibus & personis; sicut & in ipso Job dicitur, quia ad certum tempus paratus est cadere sub aliis, & domus ipsius deprædari ab iniquis*.

Hom. 14. In Numer.

Periarchon, L. 3. c. 2.

XVI. Duo quædam hìc veniunt cursim advertenda in Clemente & Origene. Alterum est cum illi de calamitatibus ærumnisque verba faciunt, easque aiunt non à Deo fieri, sed permitti, de illis calamitatibus intelligendum id esse, quarum causa est voluntas mala & pestifera, sive hominis, sive dæmonis. Hæc enim nefaria consilia, scelestas has voluntates non facit Deus, sed cum posset prohibere, non prohibet. Quidquid præterea potestatis est, vel actionis, id totum in authorem refundi Deum nihil prohibet. Alterum verò est quod Scriptores isti affirmant, non omnia fieri à Deo, sed nihil fieri fine Deo, in eandem sententiam id revolvi. Nam perinde est ac si diceretur, non omnia fieri faciente Deo, sed aliqua permittente tantùm ipso, & non prohibente fieri.

XVII. Idem ipsum iisdem penè verbis confirmat Chrysostomus, aiente Christo *non sine Patre cadere in terram vel passerculos*. *Nonne duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet in terram sine Patre vestro, qui in cœlis est? Hæc verò dixit, ostendens quia nihil fieret eo nesciente, sed spectante quidem cuncta, non tamen cuncta faciente. Ac si diceret, Nihil omnino turbemini, neque paveatis: ille enim qui & prævidet ista omnia quæ sustinetis, & potest profectò prohibere, vobis utique prospiciens, curamque vestri gerens, non prohibet*. Nec minùs luculentè idem Chrysostomus alibi: *Hoc solum scito, quod Deus omnia providet, quod liberi arbitrii conditi sumus, quod alia quidem operatur, alia verò permittit; quod nihil mali vult fieri; quod non ex sola ipsius voluntate fiunt omnia, sed ex nostra quoque; mala omnia ex nostra tantummodo fiunt, bona omnia ex voluntate nostra & ipsius adjutorio; quod nihil ipsum latet; non tamen quia nihil ipsum latet, idcirco omnia operatur ipse. Hæc sciens, quænam sint bona, quæ mala, quæ media, disce. Ut puta bonum virtus, nequitia malum, media vero divitiæ, paupertas, vita, mors. Cum ista didiceris, adde quod ideo premuntur justi, ut coronentur; peccatores verò, ut pœnas exolvant*. Nihil dici potuit aut lucidius, aut absolutius.

Hom. 9. In Matthæ.

Hom. 8. in Epist. 2. ad Timoth.

XVIII. His porro consonant illa Theodoreti in Ezechielem: *Propterea beatus Hieremias dicebat: Novi Domine, quia non est hominis via ejus, neque ambulabit homo, & diriget viam suam; docens nihil hujusmodi absque superno Dei auxilio, aut permissu fieri: qui quidem ea efficit, quæ decent: alia verò diverso administrationis more permittit, & libero hominis concedens arbitrio, & in hunc modum peccatorum exigens pœnas*. Vides ut cum Augustino & Chrysostomo bicipitem & ipse faciat Dei providentiam, alia facientem, alia fieri sinentem; alia auxilio, alia permissu suo regentem? Et aliquantò antè agens de Achabo per Pseudoprophetarum mendacia deluso, prout Deus comminatus fuerat se facturum: *Et Propheta si erraverit, & locutus fuerit sermonem, Ego Dominus errare feci Prophetam illum*: Scitè & solerter monet Theodoretus, alienum esse ab officio justi Judicis, ut Prophetam ipse & decipiat, & deceptum plectat; ideoque non de imperio, non de impulsu aliquo divino, sed de solo permissu hæc interpretanda esse: cum indubitatissimum sit fore, ut si Deus permittat, in errorem inducantur à patre mendacii, & Prophetæ, & versatiles ad Prophetarum vaticinia Reges. *At non est justi judicis proprium & decipere Prophetam, & in errorem inductum punire. Non igitur secundum efficaciam ait se Prophetam in errorem inducturum esse, sed secundum permissionem. Hoc est, Cum possim statim ipsius mendacium redarguere sustineo, & divina lenitate usus permitto, ut dolo utatur, quem voluntate, non autem ulla necessitate exercet. Idcirco etiam par supplicium comminatur, & malè interroganti, & malè respondenti*.

In c. 1.

Ibid. In c. 4

XIX. Damascenus denique prolixè totam hanc doctrinam prosequitur: *Providentiæ verò hæc quidem sunt secundum acceptationem, seu beneplacitum; hæc autem secundum permissionem. Secundum acceptationem sunt, quæcumque bona sunt. Sunt & quædam secundum permissionem. Nam sinit justum incidere in calamitatem, & sinit quidpiam absurdum fieri, &c. Permittitur quis in turpem incidere actionem, &c.* Quod & alibi expressissimè inculcat.

Orthod. fid. L. 2. c. 29. L. 4 c. 20.

CAPUT X.

Prima Angeli, hominisque antè innocentis voluntas mala, non potuit à Deo esse, nisi permittente. Ex quo uno efficitur, non præmotione, non prædeterminatione, non decreto ullo Dei efficacissimo, actiones malas aut ab voluntate creata fieri, aut à Deo præsciri.

I. Argumentationes complusculæ deinceps pertractandæ, utpote aptæ religatæ æquè aliæ ex aliis, & cum superioribus contextæ.

II. Augustini & Patrum ævo, quæsitum cur Deus condiderit liberos Angelos, hominesque, cur ad malum flexiles, cur quos peccaturos præsciebat Cur vel hos, vel illos ad mali consensionem moverit, cur prædeterminarit, cur id se facturum præfinierit, quæsitum non est, quod nemini tum quidem id venisset in mentem.

III. IV. Ad eas quæstiones quæ tum excutiebantur. Augustini responsiones, ex quibus antedicta firmantur.

V. VI. Ex his Augustini responsionibus oppugnantur Decreta absoluta Dei, & præmotiones in malum; cùm Augustino authore, mala Deus præsciat tantùm, non præfiniat, non prædeterminet.

VII. Idem elucet ex alia ejusdem responsione, qua Angelos hominesque, etiam peccato contaminatos, luce corporea pulcriores esse respondet, ideoque nihilo minus condendos.

VIII. Ad aliam quæstionem cur Adamum tentari permiserit Deus, multa respondet Augustinus, doctrinæ de Decretis & præmotionibus infestissima.

IX. Rursus ad hanc dubitationem, Cur non crearit voluntates quæ peccare non possent, ita respondet S. Pater, ut hinc æquè expugnentur præfinitiones & prædeterminationes physicæ ad malum.

X. XI. Eædem rursus quæstiones ventilatæ, & ex doctrina Augustini exculpitur non prædestinatio Dei, non prædeterminatio ad malum; sed sola præscientia; sola permittendi, vel faciendi providentia; sola bonum ex malis quibuslibet eliciendi omnipotentia.

XII. Post exortam Pelagii hæresin ab hac eadem doctrina nec tantillum deflexit Augustinus.

XIII. XIV. Eadem Gregorii Magni, & Lupi Servati sententia, condi debuisse flexibilem ad malum voluntatem, cum tam multa inde bona scateant.

XV. Ante Augustinum eadem sententia erat Irenæi.

XVI. Et Basilii.

XVII. Et Gregorii Nysseni.

XVIII. Denique Cyrilli Alexandrini & Theodoreti, qui Augustino superstites fuere.

I. Non potuimus ita nos coarctare intra terminos superioris Capitis argumento præfixos, ut non subinde exiliremus in conjunctas illi argumentationes, suo jam singulas loco sejunctim pertractandas. Sunt enim hæc omnia ita apta contextaque sibi, ut vix possint tractando prorsus sejungi. Sunt porro omnia religata ex eo uno capite, quòd multa sint, imò providentiæ divinæ pars altera earum sit, quæ Deus non facit, sed fieri sinit; non facit, sed permittit. Hoc enim placito ita semel fixo ac præfundato, jam id consequitur, ut non omnis naturæ creatæ voluntas à Deo sit, sed omnis ab illo sit potestas exequendæ voluntatis malæ. Id consequitur rursus, ut Deus voluntates malas cum indurare & excæcare dicitur, id intelligatur facere, non faciendo, sed permittendo. Id consequitur, ut malas voluntates si Deus non facit, certè ordinet permittendo, sed quousque permittat illas evagari, ipse præfiniendo. Id prætereà consequitur, ut in pœnis maximè ordinet voluntates malas, quas malas fieri permisit. Hæc ergo omnia uno ex illo veluti cardine nexa sigillatim hìc expendenda nunc nobis sunt, sed illud ante omnia & consequitur indidem, & hic expendendum nobis est, primam Angeli hominisque malam voluntatem, seu consensionem in malum, à Deo esse non potuisse, nisi permittente, nequaquam faciente, nequaquam præmovente, aut prædeterminante.

II. Quanquam de uno tantùm primoque malæ voluntatis actu disputatio hic instituatur, manabit tamen illa ad omnes prorsus malas voluntates; cùm uno ex illo primo consequuti id fuerimus, ut ejus præscientiam habuerit Deus, non ex decreto, vel præfinitione aliqua æterna, non ex præmotione aliqua temporali, sed alio præcellentissimo modo, jam superiùs delibato, inferiùs autem rursum copiosè explanando. Ab Augustino igitur aggrediamur, qui pluribus locis insudavit in hujusmodi quæstionum solutionem, Cur Deus dederit Angelo atque homini liberum arbitrium, per quod peccarunt, sine quo non peccassent? Cur dederit liberum arbitrium flexile ad malum, & non potiùs indivulsè bono affixum? Cur denique eos crearerit sive Angelos, sive homines, quos præsciebat & peccaturos, & æternis ea de causa addicendos ærumnis? Hæ olim difficultates fatigarunt ingenia calamosque sanctorum Patrum. Porro status ipse quæstionum jam apertissimè prodit, quantùm abhorreret tunc Ecclesiastica Theologia ab istis, quæ posterioribus sæculis exortæ sunt opinionibus de decretis & motionibus Dei invictissimè ad actiones peccaminosas voluntatem creatam prædeterminantibus. Si istæ enim, si harum vel suspiciones tunc extitissent ullæ, quantò ista potiùs & objectassent hæretici, & elucidassent Catholici Scriptores, Cur ante sæcula præfiniret Deus æternis decretis ad consensionem in peccatum præmovere & impellere voluntatem vel Angeli vel hominis, nihildum de se malè meriti, hactenus innocentis? Cur in tempore Deus Angelum lege primùm humilitatis constrinxisset, & statim ad superbiendum prædeterminasset? Cur Adamum jussisset abstinere pomo, & ad pomi esum mox prior ipse ejus voluntatem movisset, & indeclinabiliter movisset? Cùm potissimum non possit hæc tum esse pœna prioris alicujus culpæ, cùm de prima vel Angeli vel hominis culpa hic agamus, quæ illa demum cumque fuerit. Hi erant nodi longè digniores, & tantis tamque diutinis fidei adversariis, & invictissimis tum Ecclesiæ defensoribus. Sed de his altum utrobique silentium, quo solo argumento exertissimè vociferantur priora illa Patrum sæcula, has tum doctrinas inauditas prorsus fuisse, & ne in mentem quidem venisse, sive defensoribus, sive hostibus Ecclesiæ.

III. Audiamus jam ut hæc controversia Augustini ævo, & ab ipso Augustino tractaretur: *Jam si fieri potest, explica mihi quare dederit Deus homini liberum voluntatis arbitrium, quod utique si non accepisset, peccare non posset.* Et rursus infra cùm respondisset Augustinus, datam esse liberam voluntatem, quòd sine ea non bene vivatur: *Satis ergo causæ est, cur dari debuerit, quoniam sine illa homo non potest rectè vivere*: rursus inquam nova objicitur quæstio: *Nonne tibi videtur, si ad rectè faciendum data est, quod non debuerit ad peccandum posse converti?* Hæc altera quæstio est, quam prolixè deinceps elucidare laborat Augustinus. Cùm respondisset autem sanctus Pater immutabilem justitiæ constantiam Dei propriam esse, sicut & ipsam incommutabilitatem; siqua ejus autem participatione donanda sit creatura hanc ejus esse debere beatitatem, quæ meritis per flexibilem huc illucque voluntatem partis rependatur: De lib. arb. L. 2. c. 1.

tur: rursus tertia quæstio excitatur, cur creaverit Deus naturas, quas peccaturas prævidebat?

IV. Respondet autem 1. Augustinus ad hanc tertiam quæstionem, non cogi aliquem ad peccan-
Ibidem L. 3. c. 4. 5. dum ab illo, à quo præscitur peccaturus. *Quia nisi fallor, non continuò tu peccare cogeres, quem peccaturum esse præscires. Neque ipsa præscientia tua peccare eum cogeret, quamvis sine dubio peccaturus esset.* Respondet 2. justè à Deo puniri peccata, quia illa etsi præscit, non tamen facit. *Cur ergo non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti meministi; nec tamen quæ meministi, omnia fecisti: ita Deus omnia quorum ipse author est, præscit; nec tamen omnium quæ præscit, ipse author est. Quorum autem non est author, justus est ultor.* Respondet Augustinus 3. tam justè Deum peccantes plectere, quos peccaturos præscivit: quàm justè remunerat justos, quos præscivit pietati se dedituros. *Hinc ergo jam intellige qua justitia Deus peccata puniat, quia quæ novit futura, non fecit. Nam si propterea non debet retribuere supplicium peccantibus, quia prævidet peccaturos; nec rectè facientibus debet præmia retribuere, quia & rectè facturos nihilo minus prævidet.*

V. Ludificatoriæ sunt responsiones istiusmodi omnes, si persuasum erat Augustino Deum non præscire tantùm peccata futura, sed præfinire; & prout æterno præfiniit decreto, ad ea impellere & indeclinabiliter prædeterminare voluntates creatas. Hæc enim illi quæstio potiùs adgredienda, hæc solvenda fuerat de decreto absoluto, de præfinitione & motione inevitabili, non illa de præscientia, puerilis & levissima jam difficultas præ ista. Nec effugies, si dicas eos ab Augustino solvi nodos, qui ab adversariis objiciebantur, ab his porro nihil tum controversiæ excitatum fuisse nisi de divina præscientia. Ut enim hostes Ecclesiæ de sola præscientia litem moverent, id erat in causa, quòd Magistri Ecclesiæ peccata à Deo præsciri tantùm, & nihil præterea prædicarent. Fuerant enim plerique Novatorum in castris Ecclesiæ eruditi, nec poterant ejus doctrinam in quæstionibus famosissimis de malo nescire. Adde quòd hos libros de libero Arbitrio Augustinus inter prima conversionis suæ rudimenta, sibi potiùs in fide firmando scripsit, quàm ejus hostibus debellandis. Quidquid ergo molestiam sibi creaverat aliquando in hac materia de malo, studiosissimè ille persequitur, & pro virili extricat, eò ut videtur connitens, ut fidem ad intellectum promoveat.

VI. Sed quid oris, quid pudoris superesse posset Ecclesiastico tractatori toties inculcanti, mala à Deo justè plecti, etsi illa præscierit, quia præsciit tantùm illa, non fecit; quia quorum præscius est, horum author non est: si ex adverso non præsciit tantùm illa, sed præfiniit, sed fecit, & præmovendo, & ineluctabiliter voluntates creatas ad illa impellendo? Denique qua fronte dici posset, quòd *Deus non omnium quæ præscit author est*, quòd *peccata punit, quia quæ futura novit, non facit*; si ideo tantùm Deus præscit futura peccata, quia præfinit ab æterno, quia ad illa indeclinabiliter movet voluntates creatas; si denique tota præscientia Dei his decretis atque motionibus divinis superstruitur, ut volunt?

VII. Respondet 4. Augustinus, ideo Deum creasse & Angelos & homines, quos peccaturos præsciebat, quia utraque illa natura etiam peccatrix & misera, majus tamen utique bonum est, quàm corporeæ omnes naturæ, quàm lux ista visibilis, quàm animantes omnes rationis orbæ. Si bonum fuit has omnes naturas inferiores condere, eccur non condidisset naturas rationales his meliores & præstantiores, tametsi & peccato & peccati pœnæ immersas? *Quapropter non te jam moveat, quod vituperantur animæ peccatrices, ut dicas in corde tuo melius fuisse, si non essent. In sui enim comparatione vituperantur, dum cogitatur quales essent, si peccare noluissent. Institutor tamen earum Deus præclarissimè pro humana facultate laudandus est, non solum quoniam peccantes eas justè ordinat, sed etiam quia tales instituit, ut etiam peccatis sordidatæ, nullo modo lucis corporalis dignitate superentur, de qua tamen luce laudatur.* Qua rursus responsione liquet Augustini nunquam eam fuisse mentem, ut peccata aliud opinaretur quàm à Deo præsciri. Ex eo enim quòd naturæ rationales etiam peccato implicatæ, amplius aliquid boni sunt, quàm naturæ cæteræ omnes expertes rationis: id certè optimè concluditur, creandas illas fuisse, etsi peccaturæ præscirentur. At non præsciri tantùm, sed prædefiniri & præmoveri ut peccent, quia etiam peccantes eminent adhuc & antecellunt naturis omnibus merè corporeis, id verò nec aures catholicæ ferre possunt. Ibid. c. 5.

VIII. In libris de Genesi ad litteram, easdem & novas præterea quasdam movet solvitque quæstiones idem Augustinus, ex quibus non parum præsidii accedet supradictis. Quærit primò cur Deus tentari permiserit hominem, quem superatum iri non nesciebat. Ne locus quidem fuisset huic quæstioni, si decretis & motionibus prædeterminantibus suffragatus esset Augustinus. *Si ergo quæritur cur Deus tentari permiserit hominem, quem tentatori consensurum esse præsciebat: altitudinem quidem consilii ejus penetrare non possum, & longe supra vires meas hoc esse confiteor.* L. 11. c. 4. Æstuat ad tantæ difficultatis molem: ad istam quæso an æstuasset, si illas antè eluctatus fuisset de decretis & de motionibus? Vide autem quid respondeat, & quàm procul sit hæc responsio à mente hominis, qui doctrinæ adhæserit decretorum & præmotionum invictissimè prædeterminantium. *Quantum vel donat sapere Deus, vel sinit dicere, non videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene vivere, quia nemo malè vivere suaderet.* Et rursus: *Cur tentari non sineret, quem consensurum esse ipse præsciebat, cùm id facturus esset propria voluntate per culpam, & ordinandus esset illius æquitate per pœnam?* Respondet rursus, *Nec credendum est quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quam de se falsò præsumpserit, disceret.* Ibid. c. 5.6 Respondet iterum malos bonis prodesse, ideo non prohibendum hoc boni fuisse, quod à malis boni exprimunt. *Cum ergo etiam per injustos justi, per impios pii proficiant, frustra dicitur, Non crearet Deus quos præsciebat malos futuros. Cur enim non crearet quos præsciebat bonis profuturos, ut & utiles eorum bonis voluntatibus exercendis admonendisque nascantur, & justè pro sua mala voluntate puniantur?* Quæ responsiones omnes argumento sunt alienissimam fuisse Augustini sententiam à decretorum & motionum prædeterminantium doctrina.

IX. Nec minùs id evincitur manifestè ex illis rursum ibidem responsionibus ad perstrictas jam quæstiones duas: *Talem, inquiunt, faceret hominem, qui nollet omnino peccare.* Ibid. c. 7. Respondet ad hanc interrogationem Augustinus, utramque à Deo factam esse naturam, & eam quæ peccare nollet, & eam quæ peccare quidem posset, sed posset & non peccare, & de coercita peccandi potestate æternam laudem fœlicitatemq; reportare. Istud verò nec quæri, nec responderi potuisset, si vel suspicio extitisset tunc aliqua de ineluctabili voluntatis creatæ determinatione ad peccandum per præfinitiones & præmotiones Dei. *Sicut ratio vera docet meliorem esse naturam, quam prorsus nihil delectat illicitum; ita ratio vera nihilominus docet, etiam illam bonam esse quæ habet*

bet in potestate illicitam delectationem, si extiterit ita cohibere, ut non solum de licitis recteque factis, verum etiam de ipsius pravæ delectationis cohibitione lætetur. Cum ergo hæc natura bona sit, illa melior, cur illam solam, & non utramque potius Deus faceret? Rursus urgebant: *Sed posset etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est.* Ad quam dubitationem respondet similiter Augustinus, utcumque melior sit creatura, quam ad bonum indeclinabiliter convertat omnipotentia Conditoris; sed bonam tamen esse etiam illam, quæ cum ad utrumque flexibilis sit, ad bonum suo se ipsa nisu non sine Conditoris auxilio possit convertere: & ne hanc quidem ab illo condi non debuisse, ab eo qui bonorum omnium universitatem condidit, summis, mediis, imisque bonis contextam. Ibid. c. 10. *Posset plane. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipsum est. Debemus enim non plus sapere, quam oportet sapere. Puto autem paulo ante satis nos ostendisse, non parum boni esse rationalem creaturam etiam istam, quæ malorum comparatione cavet malum. Quod genus bonæ creaturæ utique non esset, si omnium bonas voluntates in bonum Deus convertisset.*

X. Quæ omnia rursus confirmavit conglobavitque idem sanctus Pater in aureolo libello de catechizandis rudibus, ubi & hanc videri potest insinuasse doctrinam, quasi pervulgatam Ecclesiæ fidem, & ipsis fidei rudimentis implicatam: Cap. 18. *Præsciebat Deus eos transgressuros, sed tamen quia conditor est & effector omnis boni, magis eos fecit quando fecit & bestias, ut impleret terram bonis terrenis. Et utique melior est homo etiam peccator, quam bestia, &c. Cur ergo non faceret Deus hominem, quamvis peccaturum prænosceret, cum & stantem coronaret, & cadentem ordinaret, & surgentem adjuvaret, semper & ubique ipse gloriosus bonitate, justitia, clementia? Maximè quia & illud præsciebat, de propagine mortalitatis ejus futuros Sanctos, &c.* Et in libro de Continentia: Cap. 6. *Non autem potestas Deo defuit talem facere hominem, qui peccare non posset; sed maluit eum talem facere, cui adjaceret, peccare, si vellet; non peccare, si nollet; hoc prohibens, illud præcipiens; ut prius esset illi bonum meritum non peccare, & postea justum præmium non posse peccare.* Et in libris de Civitate Dei, de diabolo agens: L. 11. c. 17. *Et quoniam Deus cum eum conderet, futuræ malignitatis ejus non erat utique ignarus, & prævidebat quæ bona de malo ejus esset ipse facturus; propterea Psalmus ait, Draco iste quem formasti ad illudendum ei: ut in eo ipso quod eum finxit, licet per suam bonitatem bonum, jam per suam præscientiam præparasse intelligatur, quomodo illo uteretur & malo.* Cap. 14. Et in libro primo contra Adversarium Legis & Prophetarum, Manichæorum machinas perfringens, adversus Ecclesiæ Catholicæ fidem constructas: *Quibus autem videtur, sic hominem fieri debuisse, ut peccare nollet, non displiceat sic esse factum, ut non posset peccare, si nollet. Nunquid enim si melior esset, qui non posset peccare, ideo non bene factus est, qui posset & non peccare? Aut vero usque adeo desipiendum est, ut homo videat melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet? aut putet vidisse, & credat facere noluisse? aut voluisse quidem, sed minimè potuisse? Avertat hoc Deus à cordibus piorum.* Et ibidem mox: *Quæ cum ita sint, nec Deus occultare debuit lignum, &c. Cur enim occultaret, de quo mandatum dabat, & per quod obedientiam commendabat? Nec ignarus fuit hominem peccaturum; sed simul etiam, quid justi & boni fuerat de peccante facturus, summa utique divinitate præscivit.*

XI. Hoc gyro se circumscripserat sanctorum Patrum de his Theologia, non aliæ tum de malo, de mala creaturæ voluntate, de primo peccato, de Dei ad prævertendum peccatum diligentia, de ejusdem permittendi sapientissima providentia: nec in Adversariorum, nec in Ecclesiæ Castris ulla vox adhuc eruperat, vel de decretis Dei ante sæcula præfinientibus actiones physicas peccati futuras, quas ideo consequenter præsciret futuras, vel de motionibus Dei temporalibus ad eas efficacissimè voluntatem creatam propellentibus. Certum omnibus erat de futuris his peccatis solam præscientiam Deum habuisse, & præscientiæ hujus, quam sola Dei permissio præiisset, consectaria fuisse Dei decreta omnia de peccatis vel ordinandis in pœna, vel expiandis per gratiam.

XII. Postquam autem exorta est Pelagiana lues, etsi multum operæ tum posuit Augustinus in indaganda & exaggeranda voluntatis & motionis divinæ omnipotentia: non recessit tamen ille à priore sententia, quod attinet ad istas quas hic versamus quæstiones. *Quapropter saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum Dominunque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura esse præscivit, & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala esse non sinere, sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.* L. De Corrept. & Grat. c. 10. Vides in quo admirari nos jubeat omnipotentiam divinæ voluntatis; non in eo nimirum, ut voluntates creatas antevertat decretis suis, aliasque decernat præmovere invictissimè ad assensum boni, alias ad assensum mali, & tum quod ita decreverit, præsciat futurum, tum denique aliis præmia prædestinet, aliis supplicia. Longè alia & his omnino adversa est Augustini sententia, & omnipotentis Dei voluntatis elucidatio. Voluntates Angeli hominisque ipsas sibi statim permisit, utrisque obedientiæ legem, præmia, supplicia ostendit, satius ducens mala permittere & bene vertere, quàm mala nulla esse sinere. Quocunque se vertat creata libertas, invicta & omnipotens est voluntas Dei. Si ad obedientiam se convertat, hoc Deus præceperat, hoc Deus justo præmio statim prosequitur. Si ad superbiam & inobedientiam deflectat, hoc Deus permiserat, hoc præscierat, hoc justis pœnis insequitur. Ibid. c. 11. *Ut perseverare, vel non perseverare in hominis primi relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati & bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium; Deo quidem præsciente, quid esset facturus injustè, præsciente tamen, non ad hoc cogente; sed simul sciente, quid de illo ipse faceret justè.* Mera sunt hæc ludibria, si cum hæc scriberet Augustinus, tot jam palmis, tot de Pelagiana hæresi victoriis nobilitatus, clam in animi sui penetrali opiniones longè diversissimas, quales illi recentiores aliqui adscribunt, fovebat. Qui enim decreverat ante sæcula ad consensionem malam voluntatem Adami prædeterminare invictissimè, an ille hoc tantùm præsciebat, non faciebat, non cogebat? An ille vires libertatis creatæ periclitabatur, utpote permagnas, & quibus nulla concupiscentiæ carnalis rixa obstrepebat? An aliquid momenti erat in hac concupiscentiæ carnalis absentia, si multò violentior, imo insuperabilis Dei præfinitio & præmotio ad malum trahebat?

XIII. Ab his Augustini Placitis non abhorret Gregorius Magnus: In I. Reg. L. 4. c. 1. *Districto judicio mala fieri permittit, sed misericorditer providet, de his malis quæ per judicium irrogat, quæ bona facere disponat. Nam quæ major culpa, quàm illa, qua omnes morimur? & quæ major bonitas, quàm illa, per quam à morte liberamur? Et quidem si Adam non peccasset, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret. Si peccata ad quæ delenda venisse creditur, per justitiam Dei permissa esse sentiuntur, &c.*

Quæst. 1. De lib. arb. XIV. Et multò expressiùs ad Augustini mentem Lupus Servatus: *Sed insurgat aliquis ex numero mordaciter querulorum, & dicat, Non fecisset Deus hominem, quem peccaturum sciebat. Quanto rectiùs diceret, Non fecisset homo quod summa facilitate vitare poterat peccatum, quo se, si verbis Dei fidem habebat, cognoverat moriturum? Quanquam esset divinæ bonitati non congruens, hominem quem bonum post lapsum, aut etiam ex quo bonum facere posset, non condere, aut talem fecisse, qui peccare non posset. Quid ita non queratur, quod homo cum talis factus esset, ut posset non peccare, si vellet, in hoc statu manere noluit, ut quandoque tantum de Deo mereretur obediendo, ne peccare vellet, aut posset? Verum cur homini negaretur illa voluntas, qua vel bene utens expectaret præmium, vel malo excedens, præmonstratum pati cogeretur tormentum? Constanter dixerim, nullam Deum creaturam, quæ mala peccando futura esset, facturum fuisse, nisi aut eam iterum bonam, aut ex ea aliquid boni facere decrevisset. Maluit enim ex malis bonos vel bona facere, quàm mala nulla esse permittere.* Constantissimè ut vides hæret in tradita ab Augustino doctrina, & nec transversum ut aiunt unguem ab ea deflectit.

XV. Inoleverat porro jamdiu in Ecclesia hæc tota de malo & de primo peccato sententia ante Augustinum, ut ex Græcis nunc Patribus confirmare licet. Irenæus copiosissimè hanc edisseruit adversùs hæreses scribens: *Sed oportebat, inquit,*
L. 4 c. 72. *eum neque Angelos tales fecisse, ut possent transgredi, neque homines.* Hoc urgebant adversarii. Vide autem ut se hinc expediat Irenæus: *Sic autem nec suave esset eis quod est bonum, neque pretiosa communicatio Dei, neque magnoperè appetendum bonum, quod sine suo proprio motu, & cura, & studio provenisset, sed ultro & otiose insitum. Ita ut essent nullius momenti, eo quòd natura magis quàm voluntate tales extiterint.* Et infrà: *Bonus agonista Paulus ad incorruptelæ agonem adhortatur nos, uti coronemur, & pretiosam arbitremur coronam, videlicet quæ per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam. Et quantò per agonem nobis advenit, tantò est pretiosior.* Instabant rursus fidei hostes: *Si autem dicat aliquis, Quid enim, non poterat ab initio Deus perfectum fecisse hominem?* Respondet autem Irenæus, Dei unius eam esse naturam, quæ statim in summo potestatis, perfectionis & beatitatis cacumine stet; creaturas eò eluctari debere per versatilis libertatis co-
Ibib. c. 73. 74 75. 76. namina. *Sciat quoniam Deus quidem cùm semper sit idem & innatus, quantùm ad ipsum est, omnia possibilia ei; quæ autem facta sunt ab eo, secundum quod posteà facturæ initium habuerunt, secundum hoc & minora oportuit esse eo qui se fecerit.* Parco plura exscribere ex Irenæo, quòd abundè hinc clareat quàm ne somniantibus quidem incideret eo ævo illa cogitatio, vel saltem suspicio, de æternis Dei prædestinationibus, temporalibusque motionibus voluntates Angeli hominisque peccaturi prævertentibus, & quodammodo præcipitantibus ad assentiendum sive superbiæ, sive gulæ, sive cuicumque demum peccato.

XVI. His consentanea sunt illa Basilii in libro cui hunc titulum præfixit, *Quod Deus non est author mali.* Sic autem ille habet de primi parentis lapsu: *Erat aliquando Adam in sublimi, non loco, sed arbitrio, quando statim anima sumpta in cœlum lætus aspexit, ex iis quæ vidit maximè gavisus, ac eum vehementer amans, à quo beneficium tantum & æternæ vitæ fruitionem acceperat, qui paradisi interesse deliciis, & æquè cum Angelis & Archangelis regnare & vivere, & divinæ vocis participem esse dederat. Cùm his omnibus per Deum potiretur, statim rebus omnibus refertus, quasi præ satietate luxurians, quod corporeis videbatur oculis delectabile, intellectuali pulcritudini prætulit, ac ventris saturitatem spiritali delectatione potiorem habuit. Ex quo statim è paradiso pulsus, extra beatam illam vitam fuit. Non ergo ex aliqua necessitate, sed suapte temeritate malus est factus, &c. Quamobrem apparet Deum mortem nequaquam fecisse, &c.* Cum hæc scribebat Basilius, non poterat non alienissimus esse à doctrina illa novella præfinitionum Dei æternarum, & præscientiæ inde emergentis actionum malarum. Quod & infra similiter liquet: *Sed cur in structura, inquis, non habuimus ut peccare non possemus, ita ut ne volentibus quidem contingeret ut peccaremus? Quoniam inquam & tu servos, non quando vinctos in custodia retines, benevolos esse tibi existimas, sed cum sponte omnia quæ erga te, videris agere. Sic item Deo eum puta fore amicum, non qui coactus, sed qui sponte sua virtuteque illi obtemperat. Virtus enim ex voluntate perficitur, non ex necessitate, &c. Qui ergo factorem reprehendit, quod non tales nos natura facit, qui peccare nequeamus: nihil aliud opinari videtur, quàm naturam ratione carentem, ea quæ rationis est particeps esse potiorem; & ea quæ non moventur, nec mente ducuntur, iis quæ eligunt, judicant, conferunt, omnino præstare.*

XVII. Nec aliter sentit Gregorius Nyssenus, qui negat Deum authorem esse peccati, propterea quòd ab illo nobis additum quidem liberum arbitrium quo peccamus; sed ipsum per sese liberum arbitrium est, & permagnum bonum est; malum bonum autem non est nisi malus usus liberi arbitrii, qui ab homine solo est. *Bonum est donum Dei, hoc autem est motus liberi arbitrii, qui, dum eo abusi sunt homines, peccans* In Eccles. Hom. 1.
fuit in hominibus instrumentum ad peccatum. Bonum enim est natura, & servituti non obnoxium liberum arbitrium. Quod autem necessitati est subjectum, in bonis nemo numeraverit. Sed libera mentis appetitio cùm ad vitium deflexisset, &c. Idem & alibi prosequitur, imaginem Dei futuram hanc non fuisse, nisi libera ei ad utrumlibet facultas indulgeretur; id verò ingentis boni loco esse, ideoque non esse hinc invidiam Deo conflandam, quasi authori malorum. *Non est tibi Deus author & cau-* Orat. Catechis. c. 5.
sa malorum præsentium, constructa tibi natura quæ Domino non paret, estque libera & soluta; sed malum consilium, quod elegit pro meliori id quod est deterius. Ibid. c. 8.
Denique paulò inferiùs futuri Adæ peccati solam Deo vendicat præscientiam Nyssenus, solam præterea ejus curandi benevolentiam, non præterea aliud quidquam, ex quo possit in invidiam adduci, quasi author peccati. *Sciebat futurum, & non prohibuit eam, quæ ad id quod fit, erat, propensionem & inclinationem. Quod enim à bono homo esset avertendus, non ignoravit, qui omnia suo dominatu continet, sua prævidendi virtute æquè intuens futurum atque præteritum. Sed quomodo vidit aversionem, ita excogitavit ejus ad bonum revocationem. Quid ergo erat melius, an nostram naturam ad ortum non deducere, quoniam videbat futurum, ut bono aberraret; an cùm aberrasset, & morbo laborasset, revocare ad gratiam quam habuit ab initio?* Quàm consultius fuisset Nysseno tota hac disputatione supersedere, & in eam potiùs incumbere difficultatem, cur non abstinuisset Deus ab illis præfiniendis actionibus malis, & motionibus eo impellentibus; aut cùm his non abstinuerit, quomodo non sit tamen author peccati? Invidiosius enim incomparabiliter est, his decretis & motionibus indeclinabilibus ad actiones physicas peccati urgere creatas innocentis hominis Angelique voluntates, quàm creare liberas & versatiles ad utrumque.

XVIII. Nec minùs constanter Cyrillus Alexandrinus: *Liber est Deus, ad cujus imaginem factus est homo. Ita siquidem, neque aliter laudem consequi poterat, quàm si voluntarius cerneretur virtutis operator &c. Converso semel ad peccatum homine, &c. Quod enim hoc homini eventurum esset, ut interitum subiret, nequa-* Glaphy. 1. 1. pag. 8. 9.

nequaquam ignorabat creator, sed sciebat subsecuturam postea mali solutionem, & interitus ablationem, restitutionemque in melius, ac pristinorum bonorum receptionem.

His consonat etiam Theodoretus, addita & soluta quæstione alia, quæ non minùs prodit, qui esset tum sensus & consensus Patrum circa quæstiones, quas hìc versamus: Negat enim causam peccati refundi in Deum posse, qui etsi peccati præscius, non abstinuit à præcepto dando; quo non dato peccatum non esset. *Si enim, inquiunt, quod erat futurum ignorabat, quomodo Deus, qui futura non præscit? Si autem prævidens transgressionem, dedit mandatum, ipse est causa transgressionis.* Respondet Theodoretus & liberi arbitrii condendum fuisse hominem, & divina regendum lege; denique non solam transgressionem, sed & hujus medicinam à Deo esse præscitam: *Quare & illius transgressionem sciebat, & futuram medicinam præparavit.*

In Epist. ad Rom. p. 53. 55.

Vide & in Gen. q. 24. Et in Exod. q. 8.

CAPUT XI.

Non omnis voluntas, sed omnis potestas etiam mali à Deo est. Ideo Deus author peccati non est. Ideo Omnipotens est, quia omnium potestatum dator est, non voluntatum.

I. Ut biceps Dei providentia astruatur hoc effato, quod omnis potestas à Deo sit, non item omnis voluntas.

II. Probatur hoc effatum ex Augustino, quod voluntas mala peccatum sit, ideoque non sit à Deo; ejus autem exequendæ potestas, pœnaque peccati jam sit, eoque à Deo possit esse.

III. Idipsum probatur ab eodem variis Scripturæ testimoniis & exemplis.

IV. Ut omnipotentiam divinam tueatur idem Augustinus, etsi Deus non omnes voluntates faciat, non prædeterminet, non prædefiniat.

V. Contra Pelagianos hanc eandem doctrinam defensitavit Augustinus. Voluntas peccati ab ipsa voluntate est, potestas ejus exequendæ à Deo datur, vel negatur.

VI. Voluntas mala ab homine, vel Angelo malo est: potestates omnes à Deo dispensantur per sanctos Angelos, in summæ veritatis luce æterna Dei consilia contemplantes.

VII. Prosper & Leo Augustino suffragantur. Omnipotens est & semper victrix Dei voluntas, quia utcumque furat mala voluntas hominis, vel Angeli, nil potest, nil exequitur, nisi quod voluntati Dei consentit.

VIII. Omnium maximè consentaneus Augustino Gregorius Magnus.

IX. Ab eo describitur luculentè aula summi Imperatoris Dei, ubi potestates omnes Angelis bonis, malisve dispensantur; & ex Scripturis, atque exemplo Achabi illustratur.

X. Rursum ex Gregorio, ut malorum hominum voluntas injusta sit, justa potestas; justèque permittat Deus fieri, quæ injustè fiunt.

XI. Assentitur Isidorus Hispalensis Episcopus.

XII. Similiter & Bernardus, & Agobardus.

I. ET hoc unum est ex illis Corollariis, quæ manare diximus ab illa Dei omnipotentis Providentia bicipiti, qua vel facit ipse omnia, vel fieri permittit. Non facit enim omnia ipse, si non omnis voluntas à Deo est; & rursus nihil fit usquam, nisi ipso saltem fieri permittente, si omnis potestas à Deo est. Omnem enim potestatem à Deo esse, disertis verbis contestatur Scriptura. Voluntates malas à Deo non esse, ipsa veritatis lux declarat. Non est autem idem voluntas ac potestas, cum tam multa velimus, quæ non possumus; nec pauciora possimus, quæ nolumus. Hanc Deus libertati creatæ potestatem dedit, volendi, & nolendi pro suo arbitrio; non autem exequendi quæcumque voluisset. Hinc porro illud idem efficitur, quod hic tam operosè astruere laboramus, non omnem Dei præscientiam ejus decretis superstrui, non omnes actiones liberas creaturæ ab eo ante sæcula prædefiniri, non denique ineluctabili præmotione voluntates creatas ab eo ad actiones singulas incitari.

II. Admovendæ jam aures sunt Augustino hanc doctrinam stabilienti, aliud esse voluntatem, aliud potestatem: omnem potestatem à Deo esse, non similiter omnem voluntatem. *Cum duo quædam sint, velle, & posse; unde nec qui vult, continuò potest; nec qui potest, continuò vult; quia sicut volumus aliquando, quod non possumus; sic etiam possumus aliquando, quod nolumus, &c.* Et aliquantis interpositis: *Sed sicut Apostolus dicit, Non est potestas, nisi à Deo, &c. Nusquam autem legimus in sanctis Scripturis, Non est voluntas, nisi à Deo. Et rectè non scriptum est, quia verum non est; alioquin etiam peccatorum, quod absit, author est Deus, si non est voluntas, nisi ab illo; quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiamsi desit effectus, id est, si non habeat potestatem. Porro cum voluntas mala potestatem accipit implere quod intendit, ex judicio Dei venit, apud quem non est iniquitas. Punit enim etiam isto modo, nec ideo injustè, quia occultè.* Ubi perspicis cur possit esse à Deo omnis potestas, non autem omnis voluntas. Nempe quia mala voluntas jam ipsa peccatum est, etsi inefficax sit; peccatum verò à Deo esse non potest. At potestas exequendæ malæ voluntatis, jam ejusdem pœna quædam est. Potest autem à Deo peccati pœna decerni infligique.

L. De Spir. & lit. c. 31.

III. Idem alibi confirmat, pluribusque communit Scripturarum exemplis Augustinus, voluntatem malam à solo diabolo, à solo homine esse; ejus perficiendæ potestatem à solo Deo concedi. *Utitur Deus ministris etiam spiritibus malis, ad vindictam malorum, vel ad probationem bonorum, alio modo ad illam rem, alio ad istam. Quamvis enim inde sit quisque malignus Spiritus Domini, quia mala voluntate nocere appetit; tamen nocendi potestatem non accipit nisi ab illo, sub quo sunt omnia certis & justis meritorum gradibus ordinata. Quia sicut non est mala voluntas à Deo, sic non est potestas nisi à Deo. Quanquam enim sit in cujusque potestate quid velit, non est tamen in cujusque potestate quid possit, vel facere cuiquam, vel à quoquam pati.* Idem valent & illa Christi passuri verba: *Non haberes in me potestatem, nisi tibi data esset desuper.* Et nisi licentia ac potestate à Deo accepta ne tantillum quidem potuit in Jobum sævire diabolus, quantumvis vehementissimè cuperet, & hanc nocendi voluntatem suo ipse in sinu ebullientem semper haberet. *Diabolus etiam volens nocere justo viro Job, nocendi quidem voluntas diabolo erat, sed tamen à Domino Deo potestatem petebat, &c. Cui congruit illud in Evangelio, Postulavit Satanas vexare vos sicut triticum.* Dictus est autem in Scripturis Spiritus Dei malus, quia malitiam quidem nocendique voluntatem à semetipso cum habeat, potestatem nocendi non accipit nisi à Deo. *Dictus est ergo Spiritus Dei malus, hoc est minister Dei ad faciendum malum in Saul, quod cum pati judex omnipotentissimus judicabat: quoniam Spiritus ille voluntate qua malus erat, non erat Dei; creatura verò qua conditus erat, & potestas, quam non sua, sed Domini omnium æquitate acceperat, Dei erat, &c. Per se ipsum velle nocere habebat; posse autem non habebat, nisi summa justitia sineret.*

L. 2. ad Simpl. q. 2.

IV. Et rursus idem Augustinus: *Optimè & veracissimè Dcreditur eus, & cuncta scire antequam fiant,*

Civit. l. 5. c. 8. 9.

&

& nihil inordinatum relinquere; à quo sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates. Et infrà: *In Dei voluntate summa potestas est, qui creatorum spirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat, & quibusdam tribuit potestatem, quibusdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* De præscientia divina & de omnipotentia divinæ voluntatis agit Augustinus hoc loco, omniaque ab eo præsciri, omnia in ejus potestate esse demonstrat ex hoc ipso axiomate, omnes à Deo esse potestates, quanquam non omnes voluntates. Itaque ut suprà omnipotentem Dei esse voluntatem evincebat in illis etiam rebus quas non facit, sed fieri tantùm permittit, quia nisi eo volente, hoc est permittente non, fierent: ita hic eandem divinæ voluntatis omnipotentiam constituit in voluntates creatas, ex eo quòd quantumvis ex seipsis malæ sint, & ad malefaciendum effervescant, cohibet tamen illas Deus, & velut arctissimo carcere, ferreisque compedibus constrictas coercet, ut nec ad momentum, nec vel tantillum exilire possint, aut sese
Ibidem. exerere, nisi potestate ab eo accepta. *Omnia maximè Dei voluntati subdita sunt, cui etiam voluntates omnes subjiciuntur, quia non habent potestatem, nisi quam ille concedit.* Frustra sunt ergo & à Patrum regula exorbitant, qui alias consectantur vias explicandæ omnipotentiæ Dei voluntatis. Voluntates malas à Deo esse, à Deo impelli, à Deo effici, à Deo ante sæcula decerni ac præfiniri, nec minùs has voluntates, quàm earum exequendarum potestates à Deo esse, & hanc esse divinæ voluntatis omnipotentiam, nusquam dixit, nunquam sensit, nusquam Scripturas in hunc sensum detorsit Augustinus; rationem longè diversissimam iniit & approbavit tuendæ omnipotentiæ divinæ.

V. Nec discessit ab hanc ratione sanctus Pater, dum Pelagianos refelleret. Vide ut paucissimis verbis totam hanc doctrinam complexus sit, in libro
Cap.16. de Prædestinatione Sanctorum: *Est ergo in malorum potestate peccare; ut autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei, dividentis tenebras, & ordinantis eas, ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non*
In Psal. 29. *impleatur nisi voluntas Dei.* Et alio loco manifestissimè: *Quandoquidem in ipso suo exemplo Mediator demonstravit, quando nobis desuper permittit homines nocere, non voluntatem nocendi desuper dari, sed potestatem. Unusquisque enim malus apud se habet voluntatem nocendi; ut autem possit nocere, non habet in potestate. Ut velit, jam reus est; ut possit, occulta dispensatione providentiæ Dei in alium permittitur ad pœnam, in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam.* Tota ergo peccati perversitas in mala voluntate, seu in malæ voluntatis nefaria consensione est: ideo Deus author peccati non est, quia ad hanc nec decretis nec motionibus suis excitat, aut impellit quenquam. At verò potestas malæ voluntatis exequendæ jam à Deo est, & ab illo justè conceditur ad malorum ultionem, vel ad probationem bonorum.

VI. Denique ut hæ potestates omnes à Deo per Angelos sanctos dispensentur, & ex æternæ legis dictatis ab illis in cæteros bonos malosque deriventur, luculentissimè alibi idem Augustinus edisse-
In Psal. 103. Conc. 4. rit: *Præpositi enim sunt Angeli cœlorum super potestates aereas, & inde procedit verbum quod fit hic. Intuentur enim legem fixam, legem æternam, jubentem sine scriptura, sine syllabis, sine strepitu, fixam semper & stantem, intuentur Angeli mundo corde, & ex illa faciunt quidquid hic fit, & potestates ex illa ordinantur à summis usque ad ima. Et si Potestates summorum cœlorum reguntur Verbo Dei, quantò magis inferiores atque terrenæ? Remanet ergo in malis sola nocendi cupiditas. Hanc habet homo in potestate cupiditatem nocendi, voluntatem ad perniciem. Si autem cuiquam nocere potuerit, non glorietur, non ipse nocuit, data est ei potestas. Semel dictum est, sententia firma est, Non est potestas nisi à Deo.* Hæc est illa aula, ut suprà loquebatur Augustinus, summi Imperatoris Dei; ubi Angeli Dei legis ejus & decretorum contemplatores vident quid ferat æterna voluntas ejus, quid jubeat, quid vetet, quid permittat: ex ea lege Angeli sancti potestates deinceps dispensant omnes, ut nihil fiat, nisi quod Deus jusserit, aut permiserit. Potestates inquam omnes ab illa summa aula proficiscuntur, non voluntates: nam *remanet in malis sola nocendi cupiditas: hanc habet homo in potestate cupiditatem nocendi, voluntatem ad pernicem.* Si hæc mala voluntas omnino à Deo non sit, non ideo minùs providus aut minùs omnipotens Deus est, sed author peccati non est, & voluntatis suæ omnipotentiam ostentat, non in facienda vel excitanda voluntate mala, sed in ea cohibenda, ne quid possit nocere, nisi accepta cœlitus potestate, ad exequenda divinæ legis decreta.

VII. Magistri vestigia sectatus est Prosper, similiterque voluntatem & potestatem peccandi discrevit, prolatis ut videtur ipsius Augustini verbis: *Quid inconveniens ait admirabilis disputator, Est,* Ad excerpta Genuen. c.7.
inquiens, in malorum potestate peccare: ut autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras & ordinantis eas, ut hinc quod faciunt contra voluntatem Dei, non fiat nisi voluntas Dei. Malè enim velle facillimum est malis; at eorum damnabilem voluntatem non dubium est à Dei potestate concludi, ut effectum cupiditatis suæ, nisi ille permiserit, habere non possint. Uti autem sapientiam & justitiam Dei etiam malorum operibus, quæ ex ipsorum prodeunt appetitu, ad implenda consilia & judicia sua, nullus vel tenuiter secundum pietatem doctus ignorat; qui videt Dei Patris optimam voluntatem, non parcentis Filio suo, sed pro nobis omnibus tradentis eum pessima traditorum Judæ & Judeorum voluntate completam. Vides & hic qua arte, qua ratione omnipotens & invicta sit Dei voluntas; non eo sanè quòd voluntates malas impiorum faciat, determinet, præfiniat; sed quòd sua ipsorum sponte malas sua potestate concludit, nec exequi quidquam finat, quàm prout sempiternis suis decretis consentaneum est. Idem Prosper in Sententiis: *Nocendi cupiditas potest esse à suo cuique animo pravo. Non est au-* Cap.258.
tem potestas nisi à Deo, & hæc abdita altaque ejus judicia, quoniam non est iniquitas apud Deum. A quibus non penitus abludit illud Leonis Magni de Christo: *Quod itaque Dominus Jesus Christus furo-* Serm. 16. de Passione.
rem frementium pati voluit, in nullo author eorum criminum fuit. Nec egit ut hæc vellent, sed cessit ut possent.

VIII. Sed nemo altiùs in hujus doctrinæ penetralia pervasit, nemo illa copiosiùs explanavit, quàm Gregorius Papa. Sic enim ille de nequissimo spiritu cruciandi sanctissimi viri potestatem flagitante à Deo: *Sciendum verò est, quia Satanæ voluntas semper iniqua est, sed nunquam pote-* Moral. l. 2. c. 6.
stas injusta; quia à semetipso voluntatem habet, sed à Domino potestatem. Quod enim ipse facere iniquè appetit, hoc Deus fieri nonnisi justè permittit. Unde bene in libris Regum dicitur, Spiritus Domini malus irruebat in Saul. Ecce unus idemque Spiritus, & Domini appellatur, & malus; Domini videlicet per licentiam potestatis justæ, malus autem per desiderium voluntatis injustæ. Formidari ergo non debet, qui nihil nisi permissus va- Cap. 12.
let. Et infrà in illa Jobi verba, *Dominus dedit, Dominus abstulit*, cùm opes & fortunas omnes abstulisset diabolus Domino permittente: *Sanctus vir tentante adversario cuncta perdiderat. Sed tamen sciens quia contra se Satan tentandi vires nisi permittente Domino non habebat, non ait, Dominus dedit,*

dedit, diabolus abstulit; sed, Dominus dedit, Dominus abstulit.

IX. Idem Gregorius paulò inferiùs convenienter sacris litteris in historia Regum, describit aulam illam summi Imperatoris Dei, Angelorum sanctorum innumerabili collegio frequentem, unde nec procul sunt Angeli mali, varias ministerii partes, sibique congruas obituri, juxta sempiternæ sapientiæ & voluntatis leges. *Quid enim solium Dei nisi*
Ibid. c. 15. *Angelicas potestates accipimus, quarum mentibus altiùs præsidens, inferiùs cuncta disponit? Et quid excercitus cœli, nisi ministrantium Angelorum multitudo describitur? Quid est ergo quod exercitus cœli à dextris & à sinistris ejus stare perhibetur? Dextra Dei, Angelorum pars electa: sinistra autem Dei, Angelorum pars reproba designatur. Non enim ministrant Deo solummodo boni, qui adjuvent: sed etiam mali, qui reprobent.* Porro Scriptura teste, sua sponte ibi prosilit Spiritus mendacii, spondetque, si licentia detur, se decepturum Achab: annuitur à Deo, potestasque illi fit voti sui implendi, & in fraudem præcipitandi Achabi, hanc pœnam dudum promeriti. *A dextra ergo Dei & sinistra Angelorum exercitus stat, quia & voluntas electorum Spirituum divinæ pietati concordat; & reproborum sensus suæ malitiæ serviens, judicio districtionis ejus obtemperat. Unde & mox fallax spiritus in medium prosiliisse describitur, per quem Achab Rex exigentibus suis meritis decipiatur. Neque enim fas est credere bonum spiritum fallaciæ deservire voluisse, ut diceret, Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Sed quia Achab Rex & præcedentibus peccatis dignus erat ut tali debuisset deceptione damnari, quatenus qui sæpè volens ceciderat in culpam, quandoque nolens raperetur ad pœnam: occulta justitiæ licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant.* Non instigat igitur Deus, non excitat, non movet malum Angelum ab fraudem Achabo struendam: sed malitiæ suæ impetu ultro prosilientem, & eas sibi partes malignitatis permitti flagitantem, relaxat, inhibere cessat: nisi hactenus enim Deus cohibuisset, jam pridem ab eodem & ab aliis compluribus fraudum invisibilibus archictetis illusus deceptusque fuisset Achabus. Nihil aliud ergo quàm permittit Deus exitiali fraude irretiri Achabum; & ne id quidem permittit, nisi exigentibus criminibus ejus prioribus, & hanc justissimam pœnam deposcentibus. Quid æquius est, quàm ut qui per scelera sua, potestati se dæmonum volens subjecerat, eorum fraudulentiæ in pœnam nolens subjiceretur? Denique adeo non Deus per semetipsum vel decretis vel motionibus suis apostatam Angelum ad fraudem nectendam vel Achabum ad fraudi assentiendum impellere potuit, ut authore Gregorio, imò Scriptura ipsa magistra, ne Angelo quidem bono illud, quidquid erat ministerii, demandari potuerit.

X. Alibi Gregorius permissionem divinam ipsam
Ibid. l. 3. c. 3. rimatur, & in ea modum teneri observat, ne tentator ultra vires sævire permittatur. Et rursus alibi ut Deus author dici possit eorum, quæ
L. 8. c. 13. fieri permittit: *Deus mirabiliter cuncta dispensat, & ipse facit, quod malignus Spiritus injustè facere appetit, qui hoc fieri nonnisi justè permittit.* Venatur hic Gregorius modos viasque, quibus possit Deus omnia facere dici: & tamen non ali-
L. 11. c. 2. ter quàm permissione ejus id fieri approbat. Et alibi: *Quod prædones perversè faciunt, hoc dispensator æquissimus fieri nonnisi justè permittit, &c. Quod prædo injustè petiit, hoc æquissimus justè fieri permisit, ut & ille reciperet, quod injustè fecerat, & iste graviùs quandoque feriatur, per cujus nequissimam voluntatem, culpam omnipotens Deus in alterum justè vindicavit.* Et mox: *Omnipotens itaque Deus, quod fieri prohibet, justum est, ut fieri sinat.* Permittere autem, non aliud quàm potestatem facere. Unde idem rursus infrà: *Si voluntas & potestas malignorum Spirituum discer-* L. 14. c. 18.
natur, cur latrones Dei dicantur, aperitur. Maligni quippe Spiritus ad nocendum nos incessabiliter anhelant; sed cum pravam voluntatem ex semetipsis habeant, potestatem tamen nocendi non habent, nisi eos voluntas summa permittat. Et cum ipsi quidem injustè nos lædere appetunt, quemlibet tamen lædere nonnisi justè à Domino permittuntur. Quia ergo in eis voluntas injusta est, & potestas justa; & latrones dicuntur, & Dei; ut ex ipsis sit, quod inferre mala injustè desiderant; & ex Deo, quod desiderata justè consummant. Et alibi denique: *Diabolus licet afflictionem justorum semper ap-* L. 18. c. 5.
petat, tamen si ab authore nostro potestatem non accipit, ad tentationis articulum nullatenus convalescit. Unde & omnis voluntas diaboli injusta est, & tamen permittente Deo omnis potestas justa, &c. Spiritus Domini malus irruebat in Saul. Duobus verbis comprehensa est potestas justa in diabolo, & voluntas injusta. Nam & ipse dicitur Spiritus malus per nequissimam voluntatem, & idem Spiritus Domini per acceptam justissimam potestatem.

Si ne inveteratissimæ quidem malitiæ spiritus istos potest Deus, vel decretis, vel motionibus suis ad ullam instigare, aut urgere voluntatem malam: sed hanc necesse est creata libertas à seipsa tantummodo habeant; Deus autem nisi ejus exequendæ potestatem & permissionem, addere nihil præterea potest: quid tandem æstimandum nobis erit de hominibus necdum cum improbitate penitus coalitis? Quid de hominibus nunc piis, cum primùm peccant & retro labuntur? Quid denique de Angelo, vel homine ante primum lapsum in innocentia stante?

XI. Isidorus Hispalensis Episcopus eandem pre- Sentent. l. 3. c. 17.
mit orbitam: *Malignantium hominum voluntas nequaquam potest impleri, nisi Deus dederit potestatem. Nam cum homines Deo permittente malum quod concupiscunt perficiunt, ipse dicitur facere qui permittit. Inde est quod scriptum est per Prophetam, Si erit malum, quod Dominus non facit. Verumtamen quod iniqui mala ex voluntate quærunt, idcirco Deus perficiendi dat potestatem per suam bonam voluntatem; quia de nostro malo ipse multa bona operatur.* Idem alibi Isidorus varias artes tentatoris diaboli persequitur, ac voluntatis & potestatis discrimen iisdem penè verbis describit, quibus supra Grego- L. 1. c. 5.
rius: *Omnis voluntas diaboli injusta est, & tamen permittente Deo omnis potestas justa. Ipse enim tentare quoslibet injustè appetit: sed eos qui tentandi sunt, & prout tentandi sunt, nonnisi tentari Deus justè permittit, &c.*

XII. Mordicus & hanc doctrinam retinuit Ber- Serm. 48 inter fer. parvos.
nardus: *Nihil quippe adversus nos malignus spiritus potest, nisi missus aut permissus. Unde cum ejus semper sit voluntas mala, nunquam potestas est nisi justa. Nam voluntas quidem mala ex seipso sibi inest, potestatem verò non aliunde, quàm à Deo habet. Quam tamen potestatem semper moderatur Dominus, ne scilicet ex nequitia voluntatis plus puniat, quàm eorum exigunt merita, qui puniuntur.* Et alibi: *Cæ-* Epist. 190.
terum etsi justam dicimus diaboli potestatem, non tamen & voluntatem, &c.

Exciderat penè nobis Agobardus, cujus hæc sunt verba, in Epistola ad Bartholomæum Episcopum scripta: *Talibus exemplis plenæ sunt Scripturæ, si-* Bibl. Patr. Tom. 9. pag. 1256. 1258.
cut & illud quod legitur de Saule, quod spiritus malus arripuerit eum. In quibus verbis admirabiliter ostendit Scriptura divina, & potestatem Domino tribuentam esse, & malitiam diabolo, quam utique non accipit, sed à semetipso habet; quod autem non habet, accipit, id est potestatem.

CAPUT XII.

Deus usque adeo voluntates peccandi non decernit, non facit, ut nec excæcare, nec indurare existimandus sit, nisi vel permittendo, vel occasiones excitando, ob peccata præcedentia. Ex Augustino.

I. Biceps Dei providentia, alia permittentis, alia facientis, hoc rursus effato munitur, quod ab eo ne indurentur quidem homines, nisi permittente, deserente, ad summum occasiones excitante.

II. Probatur ex Augustino, obdurari à Deo homines, permittendo tantùm, non miserando, gratiam non impertiendo.

III. Et ne sic quidem obdurat Deus, nisi ob præcedentes culpas.

IV. Eidem inhæsit sententiæ Augustinus, cum Pelagianos exagitaret.

V. Etiam per patientiam Deus indurat, quod eodem revolvitur.

VI. Etiam per potentiam excæcat & indurat Deus.

VII. Sed ne tum quidem, nisi occasiones excitando, vel excitari permittendo, quibus mali pejores fiant. Unde liquet, nec decreta prædeterminantia, nec præmotiones in malum approbasse Augustinum.

VIII. In Augustini verbis & exemplis aliqua perpenduntur.

IX. Eodem pertinet relaxatio dæmonum jam malorum in homines jam malos.

X. Vel sic etiam per potentiam Deus indurat, sed permittendo tantùm, & ob pristinas culpas.

XI. Hi sunt germani ostendendæ Dei omnipotentiæ modi.

XII. Rursus Augustinus de causis & occasionibus à Deo excitis, quæ per sese in bonum vergunt, sed malos tamen illiciant ad malum.

I. Numerandum & istud est inter consectaria solennis illius axiomatis, quo biceps Dei providentia constituebatur, eorum altera quæ Deus faceret, altera eorum quæ fieri permitteret. Actiones enim peccati, seu consensiones in malum, quæ voluntates malæ dicuntur, Deus non facit, non præfinit, non decernit, sed permittit tantùm; si pessimarum voluntatum duritiem, vel excæcationem non facit nisi permittendo, nisi eas sibi dimittendo, aut certè, quod eodem penè revolvitur, misericordiam & gratiam, qua illuminarentur & emollescerent, non impertiendo. Nam quid est aliud misericordiam illis & lucem gratiæ non impertiri, nisi ipsas sibi ipsis permittere? Quod ipsum tamen nunquam fit, nisi ubi ingenti peccatorum mole omnes divinæ gratiæ aditus sibi ipsæ intercluserunt.

II. Vide autem ut Augustinus obdurationem & excæcationem malæ voluntatis neget à Deo fieri, nisi permittendo ipsam sibi, aut opem divinæ gratiæ sæpiùs & contumaciùs jam contemptæ subtrahendo: *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult obdurat. Quærimus meritum obdurationis, & invenimus. Merito namque peccati universa massa damnata est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur; ac potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur.* Et alibi: *Ita dictum est hoc, Per Dominum factum confortari cor eorum, hoc est, obdurari cor eorum, sicut de Pharaone: quod divino altoque judicio justè fieri minimè dubitandum est, cum deserit Deus, & possidet inimicus.* Et rursus: *Quorumdam peccatorum perpetrandorum facilitas, pœna est aliorum præcedentium.* Epist. 105. In l. Iosue q. 18. L. 83. qq. q. 79.

Sed quid apertius locis illis ad Simplicianum? *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult obdurat: ut obduratio Dei sit nolle misereri; ut non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior; sed tantùm quo sit melior, non erogetur.* Et mox: *Sit hoc fixum atque immobile, quod nulla est iniquitas apud Deum; atque ita tenacissimè firmissimèque credatur, idipsum quod Deus cujus vult miseretur, & quem vult obdurat, hoc est, cujus vult miseretur, & cujus non vult non miseretur, esse alicujus occultæ, atque ab humano modo ininvestigabilis æquitatis.* Et rursus: *Quasi quenquam Deus peccare cogat, si tantummodo quibusdam peccantibus misericordiam justificationis suæ non largiatur, & ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent; eorum autem non miseretur, quibus misericordiam non esse præstandam æquitate occultissima & ab humanis sensibus remotissima judicat.* L. 1. q. 2.

III. Duo ergo sunt, quæ fixa esse jubet & inconcussa Augustinus; cum obdurare corda dicitur Deus, id illum facere tantummodo, non impertiendo gratiam, subtrahendo misericordiam; denique idem esse obdurare, atque non misereri. 2. Id non facere Deum impertiendo malitiam; vel cogendo peccare; vel impellendo, ut peccent. Adde postremò ne id quidem fieri, ut misericordia subtrahatur, nisi æquitatis judicio, in pœnam præcedentium delictorum. Unde idem alibi: *Multi precantes ita dicunt, Ne nos patiaris induci in tentationem: exponentes videlicet quomodo dictum sit, Inducas. Non enim per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum, quem suo auxilio deseruerit, ordine occultissimo & meritis.* Et in Expositione quarundam Propositionum Epistolæ ad Romanos: *Quod autem dicit, Tradidit, intelligitur, dimisit in desideria cordis eorum.* Et infrà: *Unde sequitur de Pharaonis supplicio testimonium, cum ait Scriptura de Pharaone, Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam. Sicut enim legimus in Exodo, obduratum est cor Pharaonis, ut tam evidentibus signis non moveretur. Quod ergo tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de supplicio veniebat. Non autem quisquam potest dicere obdurationem illam cordis immerito accidisse Pharaoni, sed judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam. Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate.* Et mox, ut deserendo tantùm Deus induret: *Istorum impietatem obdurans deserendo, ut malè operentur.* Et rursus alibi: *Nec dubitavit Apostolus addere & dicere, Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Deus enim mittet, quia Deus diabolum facere ista permittet, justo ipse judicio, quamvis faciat ille iniquo malignoque consilio.* Et enucleatissimè contra Faustum Manichæum, congestis in unum pluribus Scripturæ locis, ubi Deus nunc mala facere, nunc nequaquam facere dicitur, postea hæc subjicit: *Hic perturbati homines non intelligunt in uno eodemque opere malo, non postea consequente alia, quæ manifesta erit, sed quadam continuò comitante vindicta, aliud venire de astutia suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de justitia punientis; cum diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit.* De serm. Dom. in Mon. l. 2. c. 8. C. 5. 62. Civit. l. 20. c. 19. L. 10. c. 11.

IV. Nec alia fuit Augustini doctrina, dum Pelagianos insectaretur. Nam libro de Natura & Gratia, cùm sermo esset de vindicta peccati, qua fit ut plura quis peccata committat, ita habet: *Fortasse respondeat, Deum ad ista non cogere, sed dignos deseri, tantùm deserere. Si hoc dicit, verissimè dicit; deserti quippe luce justitiæ, & per hoc contenebrati, quid pariant aliud quàm hæc omnia?* Cap. 21.

Et

L. 5. c. 3. Et contra Julianum Pelagianum: *Cùm ergo dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus à Deo, cedit eis atque consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur.* Et ad Bonifacium: *Respondemus nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi; sed Deo deserente pro meritis ire in malum, & Deo juvante sine meritis converti ad bonum.*

L. 1. c. 18.

In Psal. 77. Et alibi rursum: *Nam illud quod Propheta Esaias dicit, Domine, ecce tu iratus es, & nos peccavimus, propterea erravimus & facti sumus sicut immundi omnes: ea ratione intelligitur. Praecessit enim aliquid unde Deus justissimè iratus, eis suum lumen auferret; ut in peccata, quae nulla tergiversatione defendi possunt non esse peccata, caecitas humanae mentis offenderet, ab itinere justitiae deviando & errando.* Et in Evangelium Joannis, cùm ea protulisset Esaiae & Joannis verba durissima, Tract. 53. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excaecavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & intelligant corde:* Et illa Pauli, *Caeteri excaecati sunt, sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, & excaecavit oculos eorum, & induravit cor eorum:* Tandem haec omnia sic interpretatur Augustinus, ut prioribus peccatis repensa sit ista vel excaecatio vel obduratio; & vel sic, permittendo & deserendo tantùm, Deus author ejus fuerit. *Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excaecat, sic obdurat Deus, deserendo & non adjuvando; quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest, &c. Sive quando adjuvat, misericorditer facit; sive quando non adjuvat, justè facit, quia omnia non temeritate, sed judicio facit.* Deinque: *Ira Judicis donavit quosdam concupiscentiis suis, & dicit Apostolus, Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis illorum. Quomodo tradidit? Non cogendo, sed deserendo.*

Serm. 9. De divers.

V. Ad eandem hanc rationem permittentis Dei homines malos, & relaxantis in desideria cordis sui, & ita indurantis, referri videtur & illa ratio alia quae à patientia Dei depromitur. Suspendente enim Deo vindictam, & patientiam commodante ad poenitudinem, ex adverso quandoque scelesti ingravescunt & obdurantur. Unde Augustinus: Q. 36. in Exodum. *Beneficium certè Dei commemoravit Scriptura, quo abstulit locustas: & secuta dixit indurasse Dominum cor Pharaonis, beneficio utique suo, & patientia sua, qua illa fiebat obstinatio, dum ei parceretur: sicut omnia mala corda hominum patientia Dei malè utendo durescunt.*

VI. Nec dissimulanda tamen alia ratio est aliquando diversa, tametsi priori nequaquam adversa, qua ex Augustino Deus excaecat & indurat ob antecedentes culpas gravissimas hominum voluntatem, non deserendo tantùm, non patientia tantùm, sed per potentiam. Neganti enim Juliano Pelagianorum Primipilo Deum per potentiam aut excaecare aut indurare quenquam, & totum hoc revocanti ad patientiam, permissionem & derelictionem Dei: respondit primò Augustinus, non ea tantùm forsan ratione hoc fieri, sed miris etiam aliis & aegrè explicabilibus modis: Adv Julia. L. 5. c. 3. *Curavit Apostolus dicere, quanta poena sit à Deo tradi passionibus ignominiae, sive deserendo, sive alio quocumque vel explicabili vel inexplicabili modo, quo facit haec summè bonus & ineffabiliter justus.* Respondit rursus Augustinus, & ex Scripturis probavit, non per patientiam tantùm, sed & per potentiam id facere Deum. *Quid est autem quod dicis, Cum desideriis suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi? quasi non simul haec duo posuerit idem Apostolus, patientiam & potentiam, ubi ait, Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa irae, quae perfecta sunt in perditionem. Quid horum tamen dicis esse quod scriptum est; Et Propheta si erraverit & locutus fuerit, Ego Dominus seduxi Prophetam illum, &c. patientia est, an potentia?*

VII. Triumphos hic prorsus agunt, & huic Dei seducentis, indurantis, excaecantis, in desideria nefaria tradentis potentiae, sua praedeterminantia decreta, suas ad consensionem mali praemotiones indeclinabiles superstruunt. Sed frustra sunt, & vel hinc maximè labefactatur & dissilit tota haec doctrinae novellae machina. Ediscendum enim ab Augustino, non tantùm quòd per potentiam, sed quomodo per potentiam Deus seduceret, excaecaret atque induraret malas voluntates. Nec enim rem tantùm affirmavit Augustinus, sed modum rei explanavit ex earundem Scripturarum praevio lumine. Ejusmodi autem hic modus, haec ratio est potentiae divinae, ut vel hinc maximè clarescat, quàm nihil unquam in mentem venerit Augustino de his decretis motionibusque praedeterminantibus. Opportunus enim hic omnino, imò & necessarius erat locus haec decreta, has praefinitiones aeternas, has motiones indeclinabiles ingerendi, ut per potentiam Deus ostenderetur aliquos vel excaecare vel indurare. At contra totum est. Ita enim rem istam expedit Augustinus, ita potentiam illam indurantis & excaecantis Dei extricat, ut haec ratio à superiori nihil discrepet, & quod ad ipsam malam voluntatem, seu voluntatis consensionem in malum attinet, nihil amplius Deus, quàm deserat, permittat, lucem gratiae & misericordiae suae subtrahat; potentiam verò suam non exerceat, nisi occasiones & objecta varia excitando, quibus voluntas jam sponte mala, suo vitio magisque obdurescat. Id porro non aliud est, quàm quod superiori capite adprobatum est, voluntatem malam à peccatore solo esse, potestatem exerendae exercendaeque malae voluntatis à Deo totam esse. Quippe haec occasionum externarum excitatio ad hanc pertinet potestatem.

Advertamus nunc aures animosque ad Augustini verba, totum hoc arcanum potentiae Dei ita explicantis: In Exod. q. 18. *Assiduè Deus dicit, Indurabo cor Pharaonis, & velut causam infert, cur hoc faciat, Indurabo cor Pharaonis, & implebo signa mea & portenta mea in Aegypto: tanquam necessaria fuerit obduratio cordis Pharaonis, ut signa Dei mutiplicarentur vel implerentur in Aegypto. Utitur ergo Deus bene cordibus malis, ad id quod vult ostendere bonis, vel quod facturus est bonis. Et quamvis uniuscujusque cordis in malitia qualitas, id est, quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio, quod inolevit ex arbitrio voluntatis: ea tamen qualitate mala, ut huc vel illuc moveatur, cum sive huc sive illuc malè moveatur, causis fit quibus animus propenditur.* Vides hic perspicuè malitiam voluntatis creatae ab ipsamet dumtaxat esse, seu voluntatem malam. At exequi hanc malam voluntatem, & huc vel illuc cordis malitiam insitam effundere, non esse id in potestate peccatoris, sed Dei, qui causas, id est, occasiones excitat, quibus animus jam malus, & malum quo se cumque vertat facturus, huc potiùs impellitur quo Deus vult. *Quae causae ut existant vel non existant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occulta providentia, justissima planè & sapientissima, universum quod creavit disponentis & administrantis Dei.*

Jam ut his causis vel occasionibus per potentiam Dei excitis, cor Pharaonis, non malum effectum sit, id enim jamdiu ex semetipso erat, sed obduratum sit, sic ille pergit declarare: *Ut ergo tale cor haberet Pharao, quod patientia Dei non moveretur ad pietatem, sed potiùs ad impietatem, proprii vitii fuit; quod verò facta sunt ea, quibus cor suo vitio tam malignum resisteret jussionibus Dei, hoc est enim quod dicitur induratum, quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat; dispensationis fuit divinae, qua tali cordi non*

solum

solùm justa, sed evidenter justa pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur. Et ne quis resi- dere possit in cujusquam animo scrupulus, hoc exemplo mentem suam apertissimè declarat Augustinus. Proposito lucro aliter afficitur, aliter movetur avarus, aliter pecuniæ contemptor; ille ad iniquam cupiditatem, hic ad usum honestati consentaneum. Data occasione eadem alius aliter utitur, unusquisque pro vitioso vel laudabili affectu animi sui. Causas hujusmodi sive occasiones dispensat providentia Dei, per easque non affectus ipsos animorum efficit, sed huc illucque circumagit pro sapientia & potestate sua. *Proposito sibi lucro, verbi gratia, propter quod homicidium committatur, aliter avarus, aliter pecuniæ contemptor movetur; ille scilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cavendum: ipsius tamen luchri propositio in alicujus illorum non fuit potestate; sed hoc de illis faciunt, quales eos invenerint jam factos propriis vitiis ex præterita voluntate.*

VIII. Ex quibus liquet 1. etiam quando per potentiam Deus indurat & excæcat homines malos, non ulla tamen efficientia sua malas eorum voluntates, seu malitiam ipsorum, vel creare ipsum, vel excitare, vel promovere & impellere; sed extrinsecas tantùm causas seu illecebras subministrare, quibus latitans eorum malitia prorumpat, & latere desinat. Liquet 2. has ipsas causas seu illecebras ejusmodi esse, quæ & malam voluntatem adducant ad moliendam pravitatem aliquam, & bene moderatéque affectam ex adverso incitent ad aliquod honestum facinus. Id apertum est in exemplo lucri propositi, quo & avarus ad homicidium, & vir frugi ad pecuniæ contemptum excitatur. Id apertius fit exemplo mirabilium tot ostentorum, quibus suam Deus omnipotentiam demonstrabat. Iisdem enim portentis & Israelitæ ad divinæ virtutis admirationem propensioremque religionis cultum adducebantur, & Pharao ad impietatem magis magisque exasperabatur. Liquet 3. causas illecebrasque istiusmodi infinitas & diversissimas in potestate Dei esse, quibus voluntates hominum quomodocumque affectas quo ipse cumque voluerit contorqueat, illas opportunè irradicatis altissimè affectibus propensionibusque contemperando. Obsequuntur enim utplurimum homines suis affectibus & inveteratis cordis sui pronitatibus, ut non difficile sit ei qui omnia exteriorum rerum momenta in potestate habet, voluntates creatas, quocumque visum ipsi fuerit, inclinare, non novos affectus in illis ingenerando, sed pridem infixos per hæc incitamenta eliciendo.

IX. Ad eandem obdurantis Dei potentiam pertinet quod alibi disserit Augustinus de malis Angelis, quos immittit, aut quos ultro prosilientes relaxat, ut homines proprio vitio suo jam ipsis subditos & consentientes, urgeant, impellant & præcipitent in flagitia & facinora quæque. Et hic porro illud quoque necessum est, ut propria jam improbitate pœnam istiusmodi hi commererentur, & spiritibus nequissimis jam ipsi sese ultro vitio suo mancipassent: & malitiam intimam non creet, non adaugeat nequam spiritus, ut qui voluntatis liberæ adyta penetrare neutiquam possit; sed suggestionibus duntaxat suis, illecebrisque & tentationum procellis extrinsecùs oppugnando, expugnet tandem, & in præceps agat. Eò torquet Augustinus illud Psalmi: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos.* In Psal. 77. In quæ verba hæc habet sanctus Pater: *Si ea quæ mirabiliter de creaturis facta sunt, malis Angelis tribuere non audemus: habemus quod eis tribuere sine dubitatione possumus, mortes pecorum, mortes primitivorum, & illud maximè, unde religata sunt omnia, obdurationem cordis illorum, ut populum Dei nollent dimittere. Hanc enim iniquissimam & malignissimam obstinationem Deus cum facere dicitur, non instigando, & inspirando, sed deserendo facit, ut illi operentur in filiis diffidentiæ, quod Deus debitè justèque permittit.*

X. Observandum sedulò hìc nobis illud est, hoc quoque tribui Deo *deserenti*, cum immittit malos Angelos, qui operentur in filiis diffidentiæ, quæcumque ipse *permiserit*. Itaque vel sic per potentiam indurando, per tot & tam prævalidos vindictæ suæ satellites exagitando, nihil aliud Deus, quàm deserit & permittit, quia malitiam *non inspirat*, quia ad malitiam *non instigat*, sive peccantes homines, sive dæmones ad peccandum incitantes. Pergit Augustinus: *Præcessit enim aliquid unde Deus justissimè iratus ab eis suum lumen auferret, ut in peccata, quæ nulla tergiversatione defendi possent non esse peccata, cæcitas humanæ mentis offenderet, ab itinere justitiæ deviando & errando. Et quod in alio Psalmo scriptum est de his ipsis Ægyptiis, quod Deus convertit cor eorum, ut odissent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus, bene creditur Deus fecisse per illos Angelos malos, ut etiam vitiosæ mentes filiorum infidelitatis, per eos Angelos quibus eadem amica sunt vitia, excitarentur in odium populo Dei, atque ad terrendos & corrigendos bonos illa mirabilia sequerentur.*

XI. Summæ prorsus est istud specimen insigne potestatis, Angelos nequitiæ innumerabiles coercere, ut quantumvis maximè cupiant, nemini nocere, aut vim afferre possint: & eos aliquando relaxare ad ulciscenda aliquorum scelera, velut satellites iræ vindictæque divinæ; ut malitiam suam qua possunt spargant, affectus vitiosos hominum sibi permissorum excitent, inflammentque, & ea faciant permittente Deo, quæ ultrix justitia fieri postulat. Unde rursus ibidem Augustinus: *Illa etiam mala morum, quæ his temporalibus plagis significata esse prædiximus, per malos Angelos exerceri in eos, qui illis divina æquitate subduntur, convenientissimè creditur. Neque enim cum sit quod ait Apostolus, Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, ut faciant, quæ non conveniunt; non illic mali Angeli tanquam in materia sui operis versantur, & gaudent; quibus justissimè subdita est vitiositas humana, præter eos, quos liberat gratia.*

Luculentè Augustinus monet vitia quædam Angelis malis quibusdam amica esse, ut his Angelis meritò subdantur, qui his se vitiis illaqueari passi sunt. Et in ipso enim principatu malitiæ ordo quidam & lex est, ut inferioribus dominentur superiores, & ad suum illos nutum agant; carnifices iidem, qui domini, carnificinam hanc suam non ante, non acerbiùs in alios, quàm in seipsos exercentes; & tanto miseriores ipsi, quàm ii quorum miserias exaggerant, quanto & sceleftius & miserius est, facere malè, quàm pati. Nec minùs luculentè rursum ibidem monet Augustinus, etsi Angeli nequitiæ non possint irrepere in ipsum penetrale mentis & voluntatis creatæ, quod uni Deo pervium adytum est; etsi non possint ibi creare, vel aspirare affectus ullos malos; possunt tamen ita extrinsecùs irruere, oppugnare, tumultuari, ut latitantes affectus malos in apertum prodire faciant, & in manifesta scelera erumpere, quibus jam atrociores pœnæ infligantur. *Viam fecit semitæ iræ suæ: cujus tandem acies sufficit penetrare, ut intelligat, capiatque sententiam in tanta profunditate latitantem? Erat enim semita iræ Dei, quæ Ægyptiorum impietatem occulta æquitate puniret; sed idem semitæ viam fecit, ut eos tanquam ex abditis per malos Angelos in manifesta scelera perducens, in evidentissimos impios evidentissimè vindicaret.* Ibidem.

XII. Ad causas & illecebras vitiorum extrinsecas, unde digressa erat, nunc se reflectat disputatio, quòd iis & Deus, & Angeli nequitiæ utantur permittente Deo, ad scelestorum voluntates quocumque vertendas & præcipitandas. Præclarissimè id rursus elicit Augustinus ex illo Psalmi loco:

Con-

In Ps. 104. *Convertit cor eorum, ut odissent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus.* Et primùm ita præfatur Augustinus, nequaquam hinc argumentandum esse, quòd Deus convertat voluntates hominum ad peccandum: *Nunquidnam intelligendum est, vel credendum, quod Deus cor hominis ad facienda peccata convertat? An peccatum non est, vel parvum peccatum est odisse populum Dei, & dolum facere in servos ejus? Quis hoc dixerit? Nunquid ergo istorum tam gravium peccatorum author est Deus, qui nullius vel levissimi peccati author credendus est? Quis sapiens, & intelliget hæc?* Extricandæ huic difficultati jam manum admovens sanctus Pater, duo illa eadem jam sæpiusculè animadversa constituit. Primum est, cum hæc Deus facit, nullam malitiæ vel scintillam ab eo gigni in malorum sive hominum, sive Angelorum mentibus; sed eorum mentes jam malas & totum intus malignitatis suæ virus concoquentes, ab eo provocari in hæc vel illa malitiæ suæ argumenta, per occasiones extrinsecus objectas. Alterum est has ipsas occasiones sponte sua ad bonum potius invitare, bonos reapse iis ad bonum excitari; sed malos homines his exacerbari, & ad manifesta rapi scelera. Id ex ipso Psalmi contextu planum est; ubi illud præmittitur: *Et auxit populum suum vehementer, & firmavit eum super inimicos ejus:* Et statim subditur, hac Dei in suos beneficentia, qua pellici debuerant Ægyptii ad fidem cultumque Dei veri amplexandum, quo paribus beneficiis cumularentur; incitatos ex adverso illos fuisse, præ invidentia & malignitate qua dudum fervebant, ad Israelitas odio, dolis & aperta tandem vi insectandos.

Ibidem. Vide porro ut hæc edisserat Augustinus: *Nam ipsa est illa mirabilis Dei bonitas, qua bene utitur etiam malis, vel Angelis, vel hominibus. Cum enim ipsi vitio suo mali sint, ille de malo eorum benefacit. Non enim antequam odissent populum ejus, boni erant, sed maligni & impii tales erant, qui facilè incolis suis fœlicibus inviderent. In eo ergo quod populum suum multiplicavit, hoc beneficio suo malos ad invidendum convertit. Invidia est enim odium fœlicitatis alienæ. Sic ergo convertit cor eorum, ut per invidentiam odissent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus. Non itaque cor illorum malum faciendo, sed populo suo benefaciendo, cor illorum sponte malum convertit ad odium. Non enim rectum cor pervertit, sed sponte perversum, ad odium populi, ubi eo malo bene uteretur, convertit, non illos malos faciendo, sed istis bona, quibus mali facillimè possent invidere, largiendo. Quo illorum odio & ad exercitationem populi sui, & ad gloriam nominis sui, quæ nobis est utilis, quomodo sit usus, consequentia docent.* Vides quàm inculcatè Augustinus contestetur, non malos effici homines à Deo, sed eorum malitiam è latibulis suis quasi extrahi, datis occasionibus & excitamentis quibusdam extrinsecis, & ita Deum malitiam hanc totam omnipotenter torquere ad usum boni.

CAPUT XIII.

De eodem ex aliis Patribus Latinis, Deum excæcare & indurare, non inspirando malitiam, non instigando, non decretis, non motionibus suis: sed deserendo, & occasiones excitando, quibus voluntates jam olim malæ & criminosæ huc vel illuc ferantur. Item ex antiquis Scholæ Theologicæ Proceribus.

I. Superior Augustini doctrina de induratione confirmatur à Prospero.

II. A Fulgentio, & Cassiodoro.

III. A Gregorio Magno.

IV. Ab Isidoro Hispalensi.

V. A Ratramno.

VI. A Primasio. Ob anteriora peccata Deus impiorum corda excitat ad malum, id est, commovet per occasiones exhibitas, ut malum virus quod intus premunt, promatur.

VII. Ab Honorio Augustodunensi, & Ruperto.

VIII. Migravit tota hæc doctrina in Scholam Theologicam. Hugo Victorinus & sententiam, & verba penè ipsa Augustini & aliorum Patrum retinuit.

IX. Eidem doctrinæ prolixissimè astipulatur sanctus Thomas, alienus prorsus à Decretis prædeterminantibus, ac præmotionibus in malum. Indurari quippe per potentiam aliquos non aliter censet, quàm occasiones ingerendo, quæ & ipsæ natæ aptæque sunt ad bonum.

X. Ex eodem, ad plura simul Deus movet bona, voluntas motionibus his obsequitur, aliis reluctatur: ita peccat.

XI. Ex eodem cum per potentiam indurat Deus, per occasiones objectas tantùm id facit, easque per sese ad bonum invitantes.

XII. Idem Paulum elucidans, mala omnia Deo tribuit deserenti, vel permittenti: diabolo excitanti, trahenti.

XIII. In Summa Theologica constantissimè eandem ubique doctrinam præ se fert.

I. QUod superiori Capite ex Augustino perfecimus, id nunc ex aliis turmatim Patribus Latinis Græcisque firmabimus, non excæcari, non indurari, non tradi in desideria & passiones ignominiæ voluntates hominum ulla Dei physica efficientia vel præfinitione æterna, sed sola Dei patientia, vel luminis auxiliique divini ob anteriores culpas subtractione, vel denique extrinsecis quibusdam causis & incitamentis, quæ cùm ad bonum bonos agant, malos pro inveteratæ malitiæ suæ propensione ad malum stimulent, ex quo tamen Deus plurima adhuc bona eliciat.

Ita disertissimè Prosper in locum Psalmi suprà excussum: *Et convertit cor eorum ut odissent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus. Cor Ægyptiorum non Deus depravavit à recto; sed cum sponte mali essent, & tales ut possent invidere fœlicibus, in odium illos Hebræorum convertit beneficentia sua, qua populum suum multiplicabat. Benefaciendo autem suis Ægyptios ad eorum inimicitias incitavit; non ipsos malos faciendo, sed istis bona quæ malos urerent largiendo.* Vides ut verba penè ipsa Augustini exscribat. In Psal. 104.

II. Fulgentius ab hac doctrina non discessit in epistola ad Reginum. Primam ibi advertit illam corruptionem quæ peccato fit, alteram quæ supplicio peccati. Et mox: *Tertiam quoque punitionem huic secundæ retributam Apostolus dicit, Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt. Non ergo ut patiantur tantùm, sed ut faciant unde peccata multiplicarentur, divina in reprobum sensum damnatione traduntur. Verumtamen hæc traditio non in operatione Dei, sed in desertione consistit.*

Cassiodorus sæpiùs jam laudatum Psalmi versiculum ita illustrat: *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus. Præstando enim fœlicia populo Israelitico, convertit Dominus ad odium & dolos cor Ægyptiorum; non quia ipse author est mali, sed præstando aliis beneficia, mentes excitavit obliquas. Necesse est enim ut scelerati homines alienis prosperis intabescant, qui se norunt mereri non posse similia.* In Psal. 104.

III. Gregorium Magnum nusquam ab Augustino defecisse quisquam comperiet. Sic igitur ille qua ratione à Deo obdurentur corda, aperire studet:

Moral. l. 11. c. 8. *Dicatur ergo, Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat; quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiæ relinquentis. Includere itaque Dei, est clausis non aperire. Unde & ad Moysen dicitur de Pharaone, Ego obdurabo cor ejus. Obdurare quippe per justitiam dicitur Deus, quando cor reprobum per gratiam non emollit. Recludit itaque hominem, cum in suorum operum tenebris relinquit.* L. 13. c. 11. Et infrà in hæc verba Job, *Cor eorum longè fecisti à disciplina, &c. Neque ita hoc dicitur, quasi omnipotens & misericors Deus longè cor hominis à disciplina faciat; sed quod sponte delapsum, ibi remanere ubi cecidit, judicando permittat. Sicut ei in oratione quoque dicimus, Et ne nos inducas in tentationem, id est, induci minimè permittas.* Et L. 25. c. 9. rursus: *Igitur quia peccatis præcedentibus cæcatur oculus cordis, ipsa cæcitas quæ peccantis animum ex anteacta culpa damnatione confundit, merito nox vocatur, quia per hanc ab oculis delinquentis lumen veritatis absconditur. Bene itaque dicitur, Novit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur: quia ut sæpè dictum est, præcedentia nimirum mala faciunt, ut ad peccandum iterum tenebris involvantur; ut eo jam lumen justitiæ videre non possint, quo illud & quando poterant videre noluerunt. Inducere autem noctem Dominus dicitur, non quòd ipse tenebras inferat, sed quòd obscura corda peccantium misericorditer non illustret; ut hoc ipsum in nocte cæcasse sit à cæcitatis tenebris liberare noluisse.* L. 29. c. 19. Et infrà rursum: *Semetipsum Dominus hoc gelu gignere perhibet, non quo pravorum mentes ipse ad culpam format, sed quo à culpa non liberat. Sicut scriptum est, Ego obdurabo cor Pharaonis. Quod quia misericorditer emollire noluit, profectò districtè se obdurare nuntiavit.* Et in illa rursus verba Job, *Privavit eam Deus sapientia,* L. 31. c. 9. *nec dedit illi intelligentiam*, ita habet: *Quamvis aliud sit privare, aliud non dare, hoc tamen repetiit subdendo, Non dedit, quod præmisit, Privavit. Ac si diceret, Quod dixi, privavit, non injustè sapientiam abstulit, sed justè non dedit. Unde & Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur, non quod ipse duritiam contulit, sed quod exigentibus suis meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate mollivit.* Et alibi illa pertra-In Ezech. Hom. 11. ctans Dei apud Ezechielem verba, *Si conversus justus à justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo*: hæc habet sanctissimus Pontifex: *Ac si apertè dicat, Quia videre pœnitendo noluit, ubi jam impingit, justo eum judicio deserens, ponam ei ut & alibi impingat. Quod tamen Domini ponere est nequaquam ad peccandum premere, sed nolle à peccato liberare. Sicut de Pharaone dicitur, Ego indurabo cor ejus. Non enim cor peccantis Dominus obdurat, sed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat.* Hactenus satis multa ex Gregorio ad desertionem & patientiam Dei elucidandam in excæcandis obdurandisque malis voluntatibus. Non sinit enim Gregorius quidquam præterea à Deo vel decerni, vel effici, vel moveri, quod eò pertineat; nisi si huc referri velis, quod ex eo suprà retulimus de malis Angelis adversus Saulem, Achabum, aliosque istiusmodi immissis, hoc est, insilire & furere, atque ad furorem inducere permissis.

IV. Gregorio assensus est Isidorus Episcopus Sentent. L. 2. c. 5. Hispalensis: *Auferre Deus dicitur homini donum aliquod quod homo non habuit, id est, quod accipere non meruit. Sicut & obdurare dicitur Deus hominem, non ejus faciendo duritiam, sed eam non auferendo, quam sibi ipse nutrivit. Non aliter & obcæcare dicitur quosdam Deus, non ut in eis eandem ipse cæcitatem faciat; sed quod pro eorum inutilibus meritis cæcitatem eorum ab eis ipse non aufert.*

V. Ratramnus quoque in idem conspirat: *Præ-* De Prædest. L. 1. p. 57. *scivit Deus quales futuri forent Ægyptii, id est, crudelitatem eorum semper notam habuit, non tamen crudeles effecit. Quamvis Psalmista testetur, quod converterit cor eorum Deus, ut odirent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus: non tamen eos Deus aut dolosos fecit, aut malignitatis odio inflammavit. Sed cum tales essent, qui & odio sævirent, & dolo deciperent, per eos populum suum flagellare disposuit; ut qui per prospera Deum reliquerat, flagellis commonitus ad Deum confugeret. Præscivit igitur Deus Ægyptiorum crudelitatem, non eam fecit; nec ideo tales effecti sunt, quia tales futuri esse præsciti sunt. Sua denique nequitia, non Dei præscientia mali effecti sunt.*

VI. Exciderat penè nobis Primasius, minimè obliviscendus inter Augustini sectatores. Scripturas ille eodem prorsus tenore interpretatur, ad Deum deserentem, permittentem, patienter & clementer ferentem referens, quæcumque de eo dicuntur, excæcante, obdurante & tradente in cordis nefanda desideria. *Propter quod tradidit* In Epist. ad Rom. c. 1. *illos Deus in desideria cordis eorum. Tradere dicitur Deus, dum non retinet delinquentes, justo judicio, propter arbitrii libertatem ad malum promptissimam. Derelinquit enim derelinquentes se, sicut dicit per Prophetam, Si autem reliqueritis eum, & ipse relinquet vos.* Exponens autem illa Ibid. c. 9. Pauli verba, *Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam:* hæc habet: *De Pharaone & sic intelligi potest, ut dicatur per Dei misericordiam induratus; quoniam quando Moyse orante cessavit plaga, ille indurabatur: & quamvis sciret eum ita esse induratum, ut non posset converti, tamen bonitatem suam ostendit. Nam quod dixit, Excitavi, id est, prodidi, non feci; quomodo si aliquis duo vasa plena, unum cum balsamo, & alterum cum stercore ventilet, odorem sive fœtorem prodit, non generat.* Nihil aptius, nihil convenientius nostræ hìc sententiæ dici potuit. Acutè etiam vox illa, Excitavi, ad hoc retorquetur. Sunt enim corda hominum prorsus instar vasorum, quorum alia intus balsamo pietatis, alia fœtore malitiæ plena sunt. Nisi excitentur, latent falluntque hæ qualitates; ubi objectis occasionibus variis excitantur & quasi ventilantur, tum verò non efficitur, sed prodit & effunditur odor hinc vitæ, illinc mortis, qui priùs jam inerat, sed latitabat. Subdit Primasius aliqua Augustini verba: *Nam de Pharaone ita respondetur, Prioribus meritis quibus afflixit in regno suo peregrinos, dignum effectum cui obduraretur cor, ut nec manifestissimis signis jubentis Dei crederet.* Ita ergo Primasius hæc omnia paucis verbis conglobat, nec quenquam a Deo nisi ob anteriora peccata obdurari, nec obdurari nisi per patientiam & benignitatem Dei, qua mollescere potiùs debuerat; nec causas occasionesve alias a Deo illi objici, nisi innoxias per sese, & ad bonum potiùs prosilientes; nec malitiam pravæ voluntatis à Deo ullatenus effici, sed prodi & publicari, instar fœtoris, qui priùs inerat & fallebat; denique non tradi in passiones, non obdurari homines à Deo, nisi deserendo. Unde idem infrà: *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, ocu-* Ibid. in c. 11. *los ut non videant, & aures ut non audiant. Et ibi Propheta de infidelibus ajebat & peccantibus, Dedit illis Deus, hoc est, tradidit illos Deus in desiderio suo. Dei tradere, relinquere est. Quia semper increduli fuerunt, ideo justo sunt Dei judicio derelicti.* Denique idem alibi hæc Pauli ejusdem verba, *In* In Epist. 2. ad Cor. c. *quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes ifidelium,* illustrat in hunc modum: *Potest sic accipi Deus sæculi, quomodo Princeps mundi, quia ipse sibi in infidelibus vindicat principatum. Sed propter calumniantes ita pronunciandum est, ut dicamus Deum mentes infidelium hujus sæculi excæcasse merito infidelitatis. Sicut ipse Salvator ait, In judicium veni in mundum, ut qui vident, cæci fiant. Et ipse Apostolus dixit alibi: Quia non crediderunt veritati, mittet illis Deus spiritum erroris, quia permittit dari non credentibus sibi. Sicut si medicus ægrum*

ino-

inobedientem deserat, ipse ei dicitur ægritudinem prolongasse, cùm totum ejus sit qui eum audire contempsit.

VII. Honorius Augustodunensis hanc eandem doctrinam ut suo ævo vulgatissimam retinuit in Elucidario suo de Prædestinatione & libero Arbitrio: *Omnia ad laudem & gloriam Dei, qui miseretur cujus vult, gratiam largiendo; & indurat quem vult, in malitia relinquendo*, Et infrà: *Diabolum qui liberè justitiam deseruit, in injustitia ut incudem malleatorum indurari permisit, eumque fabrum ad purganda vasa misericordiæ constituit; qui faber omnes impios sibi instrumenta fecit. Ex quibus Pharao unus extitit, qui dum per liberum arbitrium Deo servire noluit, Deus eum induravit, dum eum à malitiæ duritia non liberavit.*

Bibl. Patr. To. 9. pag. 1154. 1155.

Rupertus prolixo satis libello de *omnipotentia Dei*, ea omnia prolixè confirmat, quæ hactenus à nobis disputata sunt. Recentiores ibi propulsat illę sui ævi scriptores, qui contendebant velle Deum ut malum fieret, idque ex Augustino astruere conabantur. *Tanquam simplices & rustici judicamur, qui non possumus comprehendere subtilitatem sententiæ, qua verissime, ut ajunt, dictum, & firmissimè tenendum sit, quia vult Deus malum. Negant se in Deo astruere voluntatem mali, & tamen non desinunt affirmare, quod velit Deus malum fieri. Et quia non concedimus, simplices nos esse & rusticos asserunt, &c. Totum patrocinium huic sensui quo Deus velle malum astruitur, locus ille ferre dicitur, in quo Augustinus plurimum loquens de omnipotentia Dei, & illi fideliter intentus, ait, Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Insurgit ex adverso Rupertus, & indidem probat, nolle Deum ut mala fiant, cum non velit ut fiant, sed ea fieri sinat. Et quanquam velle dicatur ab Augustino Deus bifariam, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo quid: tamen pertendit Rupertus, non velle quomodocumque Deum ut fiat malum, sed velle permittere ut fiat malum. Itaque non vult Deus fieri malum, sed vult sinere & permittere fieri malum. *Porro cum dicitur, Sinit fieri, & non volens, sed volens sinit, honor judicii, & laus est omnipotentiæ Dei, quia videlicet, non volens fieri, sed volens sinere sinit. Quia creator omnipotens creaturæ malum facre volenti cunctam facultatem adimere posset.* Et infrà *permittere* Dei, non aliud esse docet, quàm *malæ voluntatis effectibus non obsistere.* Opusculo autem edito in Regulam divi Benedicti, ait idem Rupertus, illam de voluntate mali sententiam propugnatam fuisse, *à Magistris magnis & Præceptoribus nominatis, præclaris totius Franciæ luminibus, quorum ad auditum de cunctis ferè provinciis examina discipulorum festinabant.* Addit venisse se in Franciam, & cum illis in certamen descendisse: sed oppressum se fuisse tum indoctorum multitudine, tum dignitate adversariorum, *Nam alter eorum Magister simul & Episcopus, alter quovis Episcopo famosior, quamvis Episcopus non esset*: tandem addit complurimos ab illa sententia vel semper abhorruisse, vel recessisse. Vide & ejusdem Ruperti librum de voluntate Dei.

Cap. 19. 20.

Ibid. c. 21. 24.

VIII. Ut autem ambigere nemo possit, hanc doctrinam de Præscientia, de Decretis, de Præmotionibus Dei, de obduratione, & de excæcatione, quam hìc jamdiu exequimur, non solennem tantùm & pervulgatissimam fuisse apud sanctos Patres; sed in Scholam etiam Theologicam transfusam esse & ab antiquissimis ejus Antistitibus consignatam, duos hìc postremo loco subjiciam magni nominis Thelogos, & cæterorum facilè principes, Hugonem de sancto Victore, & Thomam Aquinatem.

Hugo Victorinus non sententias tantùm, sed verba propemodum ipsa sanctorum Patrum & melioris ævi gustum, ut plerumque alibi, ita & hìc præ se fert, *In cordibus malorum Deus pravas voluntates nec inspirando creat, nec aspirando excitat. Tantummodo secundum dispensationem suam aliquando manifestam, aliquando occultam, semper autem justam, occasionem aliquando foris adhibendo, justo judicio præcipitat, &c. Ergo in cordibus hominum pravas voluntates ipse intus non efficit, sed à semetipsis interius corruptas, secundum suæ voluntatis arbitrium, ad dispensationis intimæ ordinem complendum inflectit. Bonas igitur voluntates Deus operatur, malas non operatur; tamen & per bonas & per malas voluntates non malum, sed bonum operatur. Igitur utrisque non præbet originem, ut sint; sed utrisque viam aperit, ut perfici possint. Et idcirco etiamsi voluntas mala est, potestas mala esse non potest; quia cum à nobis est quod volumus; ab ipso est, ut voluntatem implere possimus. Ergo nec per inspirationem, nec per aspirationem Deus corda malorum obdurat; sed solum per adhibitam foris occasionem. Sic Pharaonem & Egyptios obdurasse dicitur; quemadmodum scriptum est, Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, &c, non pervertendo voluntates eorum, ut malæ essent; sed inclinatis ad pravitatem, foris viam aperiendo, ut ruerent. Nam cum populum suum, filios videlicet Israel, in oculis eorum, & numero auxit, & divitiis sublimavit, tunc nimirum corda adversariorum, prosperitati suorum invidentium, livoris tabe astrinxit. Unde ergo hos extulit, illos obduravit; non quidem intus aspirans augmentum malitiæ, sed foris provocans intuitu æmulationis perversæ. Adhuc etiam quotidie cum mentibus humanis congrua internis motibus suis extrinsecus occasio opponitur; ut qui in sordibus sunt, amplius sordescant, & justi amplius justificentur*, Hæc est ipsissima Augustini antiquiorumque Patrum sententia, nec decretis, nec motionibus divinis quidquam effici, quo malitia cordibus hominum ingeneretur, vel augescat; deseri tantùm illos à Deo ob priora flagitia, & ab eodem Deo occasiones objici, quibus prior eorum malitia provocetur, & è latibulo suo eliciatur, ita sanè ut occasiones istiusmodi per sese ad bonum vergant, nec in mali usum deflectantur, nisi ex malæ voluntatis hominum depravatione.

Miscell. l. 1. Tit. 164.

IX. Princeps Scholæ Theologicæ Thomas Aquinas hanc eandem semitam trivit paternæ traditionis: *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam. Potest intelligi, excitavi te in peccatum, ut deterior fias. Quod quidem non est intelligendum hoc modo, quod Deus in homine causet malitiam, sed est intelligendum permissivè, quia scilicet ex justo judicio suo permittit aliquos ruere in peccatum propter præcedentes iniquitates. Sed amplius aliquid videtur mihi in hoc esse intelligendum; quia videlicet instinctu quodam interiori moventur homines à Deo ad bonum & ad malum. Unde dicit Augustinus in libro de gratia & libero arbitrio, cap. 20. quod Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum. Unde & Deus dicitur sæpius suscitare aliquos ad bonum, secundum illud Danielis 13. Suscitavit Deus spiritum pueri junioris. Dicitur etiam suscitare aliquos ad malum faciendum, secundum illud Esaja 13. Suscitabo Medos, qui sagittis parvulos interficiant.*

In Epist. ad Rom. c. 9. Lect. 3.

Loco tam opportuno quis non hìc expectarit à sancto Thoma constitutum iri decreta aliqua Dei æterna perficientia bonas malasque omnes voluntates, sive hominum, sive Angelorum; & convenienter his decretis præmotiones in tempore indeclinabiles, quibus determinentur illæ voluntates liberæ ad illa sive bona, sive mala, quæ Deus æternis consiliis suis præfinivit? Si non permittendo tantùm Deus malas efficit voluntates, si illas suscitat ad malum, si excitat in peccatum, ut deteriores fiant, si inclinat eas quocumque ipse vult, etiam ad mala, pro earum meritis; quin ergo hìc & præfinitiones & prædeterminationes suas indeclinabiles depromit

san-

sanctus Thomas, si quod ei postea non pauci Theologi affinxere, his ille & decretis & prædeterminationibus suffragatus est? Vel hinc ergo intelliges, quàm abhorruerit sanctus Doctor ab his opinionibus, propterea nimirum quod viam & rationem longè diversissimam inierit, elucidandæ hujus Dei efficientiæ, qua voluntates malas in malum Deus excitat, movet, inclinat; eam nimirum, quam illi præiverant hactenus Patres Theologique omnes. En ipsa ejus verba: *Aliter tamen ad bona, aliter ad mala. Nam ad bona inclinat hominum voluntates directè & per se, tanquam actor bonorum. Ad mala autem dicitur inclinare, vel suscitare homines occasionaliter, inquantum scilicet Deus homini aliquid proponit, vel interius, vel exterius, quod, quantum est de se, est inductivum ad bonum, sed homo propter suam malitiam perversè utitur ad malum. Supra cap. 2. Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ? Et Job 24. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbia. Et similiter Deus quantum est de se interius instigat hominem ad bonum, puta Regem ad defendendum jura regni sui, vel ad puniendum rebelles. Sed hoc instinctu bono malus homo abutitur, secundum malitiam cordis sui.*

X. Antequam ultra gradum promoveam, necessum est illud hìc observari, non aliter hic exponi à sancto Thoma, quomodo moveatur à Deo voluntas creata, quando in peccatum delabitur, quàm à nobis supra explanatum est. Nimirum moveri simul ad plura bona voluntates hominum; sed ita ut alia aliis postponenda sint. Inclinatur enim moveturque voluntas puta Regis ad regni sui jura defensanda, ad comprimendos rebelles; sed movetur eadem simul & semel ad jura regni sui jussis legibusque divinis subjicienda, & ad rebellium numero eximendos illos, quos Rex Regum Deus aliò vocat. Inter has hinc & illinc motiones libera voluntas alternat, & tandem si mala est, prioribus illis motionibus indulget & velificatur, has posteriores negligit, irritatque. Ita Rex Assyriorum excitatus à Deo ad regni sui defensionem, enixissimè in hoc incubuit; motus eodem tempore ad Israelitas clementiùs habendos, hanc motionem frustravit. Ita & Pharao ad regni sui tutelam, ut muneris erat sui, utque à Deo excitabatur, lubens prosilit; ad relaxandos Hebræos, quos Deus aliò devocabat, excitatus similiter jussusque à Deo, hanc jussionem excitationemque contempsit. Unde ibidem statim sanctus Thomas: *Et hoc patet Esajæ 10. ubi dicitur de Assur, Ad gentem fallacem mittam eum, contra populum furoris mei mandabo ei, ut auferat spolia, &c. Et post: Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita æstimabit, sed ad conterendum erit cor ejus. Et hoc modo circa Pharaonem accidit, qui cum à Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione ad crudelitatem.* Et tandem ita concludit sanctus Thomas: *Posui te, id est, ordinavi malitiam tuam ad gloriam meam. Deus enim malitiam ordinat, sed non causat.* Et infrà: *Dicendum quod Deus non dicitur aliquos indurare directè, quasi in eis causet malitiam; sed indirectè, inquantum scilicet ex his quæ facit in homine intus vel extra, homo sumit occasionem peccati, & hoc ipse Deus permittit. Unde non dicitur indurare, quasi immittendo malitiam, sed non apponendo gratiam.*

XI. Ergo sanctissimus Doctor ne occasionem quidem peccandi à Deo præberi finit; sed hoc tantùm contendit, ea ab illo fieri in homine intus, vel extra, ex quibus *occasionem sumit peccati, & hoc Deus permittit.* 2. Et quod Deus facit intus vel extra hominem, *quantum est de se, inductivum est ad bonum, sed homo propter suam malitiam eo perversè utitur ad malum,* Deo permittente. 3. Ita obduratio non fit omnino, nisi ex Dei permissione & denegatione gratiæ ob priores culpas. 4. Nec potuit sanctus Thomas ulteriùs progredi, quamvis maximè vellet, & eniteretur, & proposuisset ipse probare non *permissivè* tantùm voluntates indurari; *Sed aliquid amplius videtur mihi in hoc esse intelligendum.* Cùm hoc conaretur, nihil amplius tamen constituit, quàm *ad malum inclinari vel suscitari à Deo homines occasionaliter, in quantum Deus proponit homini aliquid interius vel exterius, quod quantum est de se, inductivum est ad bonum, sed homo propter suam malitiam perversè utitur ad malum.* 5. Denique cum ait Aquinas non exteriùs tantùm, sed *interiùs* etiam inclinari vel suscitari homines ad malum; non aliter tamen id intelligit fieri, quàm occasionaliter. Perspicuum illud est in his ejus verbis jam sæpè relatis & sæpè referendis: *Ad malum dicitur inclinare vel suscitare homines occasionaliter, inquantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interiùs, vel exteriùs, quod quantum est de se, est inductivum ad bonum, &c.* Nemo hinc ergo auguretur motiones aliquas divinas ad malum, seu ad actionem physicam peccati impellentes. Nec enim in hoc foret occasionaliter movere. Et motio de qua agit sanctus Thomas, ad bonum impellit. Et ea motione homo abutitur in malum propter anteriorem suam malitiam. Ad primum ergo sive hominis sive Angeli peccatum nullam possunt hujusmodi motionem sive occasionem extendere. Postremò ne bonum illud ad quod inducit hæc Dei excitatio, ad aliud quidvis detorqueant, & ad ipsam maximè actionem physicam peccati, quæ nec occasio dici, nec frustrari potest; disertis verbis mentem suam aperit sanctus Thomas, nempe instigari Reges ad tutelam regni, ad domandos rebelles, qua motione bona illi abutuntur, dum illi assentiuntur uni, & motiones alias ad Dei obedientiâ urgentes refellunt frustrantque. *Deus quantum est de se interiùs instigat hominem ad bonum, putà Regem ad defendendum jura regni sui, vel ad puniendum rebelles. Sed hoc instinctu bono malus homo abutitur, secundum malitiam cordis sui.*

XII. Cætera Pauli loca eodem prorsus modo interpretatus est Thomas, ut permittenti vel deserenti Deo omnia imputaverit istiusmodi. *Propterea, quia scilicet Dei veritatem in mendacium mutaverunt, tradidit illos Deus, non quidem impellendo in malum, sed deserendo, in passiones ignominiæ, id est, peccata contra naturam.* (In cit. Epist. ad Roman. L. 8.) Et alibi: *In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentem infidelium.* (In Epist. 2. ad Cor. c. 4. L. 2.) *Potest exponi primò sic: Deus hujus sæculi, id est, Deus qui est Dominus hujus sæculi & omnium rerum, excæcavit mentem infidelium, non inducendo malitiam, sed merito, imò demerito præcedentium peccatorum subtrahendo gratiam. Peccata præcedentia insinuat, cum dicit, Infidelium: quasi infidelitas eorum fuerit causa excæcationis eorum.* En prima hujus loci expositio. Sequitur altera: *Secundo modo sic: Deus hujus sæculi, id est diabolus, qui dicitur Deus hujus sæculi, id est, sæculariter viventium, excæcat suggerendo, trahendo, & inclinando ad peccata.* Vides quas Deo, quas diabolo partes adsignet in excitatione hominis, quàmque ibi nullam Dei voluntatem, nullum decretum, nullam motionem commemoret. In eundem sensum flectit & illa alibi Pauli verba: *Ideo mittet illis Deus operationem erroris.* (Epist. 2. ad Thessal. c. 2.) Ubi ita sanctus Thomas: *Mittet, id est, permittet illis venire operationem erroris. Esajæ 29. Miscuit Deus in medio ejus spiritum vertiginis. 3. Reg. ult. Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus.* Sic planè Deus mittit, id est, permittit excæcari homines malos, pro malis eorum jam meritis, non prohibendo quin spiritus nequam fraudum artifices in eos insiliant, & tota malitiæ suæ potestate grassentur.

XIII. Constantissimè porro sanctus Thomas in Sum-

Summa sua Theologica eandem sequutus doctri- I. 2. q. 79. art. 1.
nam, tradit nec *directè*, nec *indirectè* posse Deum dici causam peccati, propterea quod *Deus omnia inclinat & convertit in seipsum, ut in ultimum finem. Unde non potest directè esse causa peccati. Similiter etiam neque indirectè. Contingit enim quod Deus aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccata, quod si præberet, non peccarent. Sed hoc totum facit secundum ordinem suæ sapientiæ & potentiæ, &c.* Ergo ne veniebat quidem in mentem Aquinati, quòd Deus moveret ad mali consensionem voluntates creatas. Ex adverso enim docet omnia à Deo inclinari & converti ad Deum ipsum, ideoque Deum non esse directè authorem peccati. Quî posset autem Deus indirectè dici author peccati, non aliter objici sibi posse existimabat, quàm ex eo quod Deus denegat auxilium gratiæ, quo dato non peccaretur. Et hanc objectionem ita diluit sanctus Doctor, quòd cùm Deus hoc auxilium non deneget, nisi ex summæ sapientiæ ac justitiæ lege, non possit ex eo vel indirectè dici causa peccati. Multò magis sanctus Doctor enixus esset declarare quomodo nec directè nec indirectè Deus author sit peccati, etsi moveat ad actionem physicam peccati; si ejus menti incidere potuisset hujus rei aliqua saltem suspicio. Mox
Ibid. ad 1. ait ex Apostolo tradi aliquos in reprobum sensum, *in quantum non prohibet eos, quin suum reprobum sensum sequantur*. Ex Augustino verò Deum inclinare voluntates in bonum & in malum, quia *in bonum quidem directè inclinat voluntatem; in malum autem in quantum non prohibet; & tamen hoc*
Ibid. art. 2. *etiam contingit ex merito præcedentis peccati*. Quod autem actus peccati, qua *ens* & *actus* à Deo sit, etsi ab eo non sit, qua defectus, ut paulò pòst idem docet; id supra congestis ex ipso facilè concordabit, si hæsit animo, quod jam sæpè inculcavimus, motionem Dei ad bonum esse, putà ad tuendum jura regni sui; malum & peccati defectum non esse, nisi quod voluntas ita obsequatur huic motioni, renitatur autem motioni principaliori ad divinæ legis ac jussionis observantiam in-
Ibid. art. 3. clinanti. In hac cessatione peccatum est, nec illa à Deo est. Denique excæcationem & obdurationem mox exponens sanctus Doctor; non aliter à Deo eas esse tradit, quàm deserente & permittente.

CAPUT XIV.

De eodem ex Patribus Græcis. Deum excæcare & indurare, non decretis, non motionibus suis: sed deserendo, &, ut summum, occasiones excitando, quæ cum in bonum per sese inducant, in malum mala voluntas iis abutitur.

I. Quanti intersit Græcorum Patrum suffragia Augustini sententiæ adjungere. Quàm frustra sint, qui aliqua inter eos dissidia comminiscuntur.

II. De excæcatione sententia Irenæi antedictis consentiens.

III. Item Origenis. Qui pluviæ comparatione elegantissima utitur, cujus ope terra hic fruges, alibi spinas parit, pro vario sui ingenio & cultu.

IV. Ex eodem Deus Pharaonis malitiam non fecit, sed excitavit, ne semper lateret.

V. Ex eodem rursus medici exemplum proferente, qui latens virus elicit, ut ejiciat, & hominem sanet.

VI. Calculus Cyrilli Hierosolymitani Episcopi.

VII. Et Chrysostomi, qui peccata revocat ad deserentem Deum ob priores culpas.

VIII. Ex Chrysostomo rursum.

IX. Et ex Cyrillo Alexandrino.

X. Denique ex Theodoreto.

I. Græcos nunc Patres ejusdem doctrinæ suffragatores contexemus, non tam quia jam necesse est, quàm ne in re tanti momenti se illaudatos, se prætermissos, se quasi gradu motos conquerantur. Et si quis seriò perpendat, quanti intersit solida præscientiæ & decretis Dei fundamenta substernere, & ea amoliri, ex quibus tantum invidiæ conflatum est Catholicæ Theologiæ, tantumque rixarum per orbem disseminatum, postquam novellæ istæ opiniones erumperunt; si quis, inquam, seriò hoc perpendat, non facilè ille nostram in hoc negotio nimiam diligentiam, aut in corrogandis Patrum suffragiis prolixitatem incusabit. Subolet quidem jam mihi, non paucos detrectaturos Græcorum Patrum authoritatem, & ad Latinos, ad Augustinum maximè provocaturos. Sed hinc vel maximè intelligere debuerunt, nutare, aut etiam ruere suam sententiam, quæ nisi repudiata sanctorum Patrum longè plurium doctrina stare non possit. Dabimus nos quidem infrà operam, ut Græcos Patres Latinis & ipsi maximè Augustino consentire demonstremus; ipso potissimum duce & magistro Augustino, qui in his ipsis concertationibus, cùm ei Græcorum Patrum doctrina quasi adversa intentaretur, eorum se suffragatione communi vit, illosque sibi, se illis concinere professus est. Interim autem dum hujus tam necessariæ concordiæ locus opportunus detur, studebimus Augustino Latinisque Græcorum quoque calculos accommodare.

II. Quæ sit ratio, qui modus excæcationis & obdurationis impiorum hominum, præclarè Irenæus exemplo lucis illustravit, quæ nemini se subtrahit, neminem excæcat, sed excæcant semet illi ipsi, qui ejus radio se subducunt. *Non igitur ars* L. 4. c. 76. Adde & c. 48.
deficit Dei; potens est etiam de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Sed ille qui non consequitur eam, sibimet suæ imperfectionis est causa. Nec enim lumen deficit propter eos qui semetipsos excæcaverunt; sed illo perseverante quale est, excæcati per suam culpam in caligine constituuntur; neque lumen cum magna necessitate subjiciet sibi quemquam, neque Deus cogit eum qui nolit continere ejus artem. Et infrà: *Quemadmodum in hoc temporali lumine qui fugiunt illud, ipsos se tenebris mancipant, ita ut ipsi sibi causa fiant quod destituuntur à lumine, & inhabitant tenebras, & non lumen causa est hujus conversationis, quemadmodum prædiximus; sic æternum Dei qui fugiunt lumen, quod continet in se omnia bona, ipsi sibi causa sunt, ut æternas inhabitent tenebras, destituti omnibus bonis.* Nec minùs lu- L. 5. c. 27.
culentè alibi: *Separatio diei nox, & separatio lucis tenebræ, & separatio Dei, amissio omnium quæ sunt apud Deum, bonorum. Qui ergo per apostasiam amiserunt quæ prædicta sunt, quippe desolati ab omnibus bonis in omni pœna conversantur: Deo quidem principaliter non à semetipso eos puniente, prosequente autem eos pœna, quoniam sunt desolati ab omni bono. Quemadmodum in immenso lumine qui excæcaverunt semetipsos, vel ab aliis excæcati sunt, semper sunt privati jucunditate luminis; non quòd lumen eis pœnam inferat cæcitatis, sed quòd ipsa cæcitas superinducat eis calamitatem.* Vides quàm aptè concinant hæc antedictis.

III. Sed multò consonantior Augustino Origenes, qui licèt arcanam aliquando obdurationis rationem expedire detrectasset, prolixè tamen illam alibi edisseruit. Non aliter autem hanc perplexitatem enodavit, quàm petito ex Pauli Epistolis exemplo imbris, qui cùm cœlo defluat ad fœcundandam ex æquo terram omnem, non tamen æquè laudabilem ubique fœcunditatem elicit, quia pro ipsius terræ vario ingenio & cultu alibi utiles herbæ, alibi tribuli ac spinæ erumpunt.

Ita prorsus à Deo beneficæ tantùm motiones proficiscuntur in voluntates creatas, quæ jam pro suo quæque genio & affectu hinc vel mollescunt ad pietatem, vel ad pravitatem indurantur. *Nos verò quoniam non solum justum, sed etiam bonum Deum fatemur, respiciamus diligentiùs quomodo justo bonoque conveniat, quod cor indurare dicitur Pharaonis? Et videamus si fortè possumus sequentes Paulum Apostolum difficultatem rei exemplis quibusdam ac similitudinibus solvere; si ostendimus quoniam uno eodemque tempore Deus alterius quidem miseretur, & alium indurat, non agens, neque volens ut induretur ille qui induratur; sed dum ipse benignitate sua & patientia utitur, his quidem qui ejus benignitatem & patientiam ad contemptum atque insolentiam ducunt, induratur cor, dum ad terminum pœna differtur; hi verò qui ejus benignitatem & patientiam ad occasionem pœnitentiæ & emendationem accipiunt, misericordiam consequuntur. Ut autem evidentiùs quod dicimus demonstremus, utamur exemplo quo in Epistola ad Hebræos usus est Apostolus Paulus, dicens, Terra enim quæ bibit frequenter venientem super se imbrem, & germinat terram optimam his à quibus colitur, percipiet benedictionem à Deo; quæ autem profert spinas & tribulos, reproba est & maledicto proxima, cujus finis ad exustionem. Igitur ex his quos assumpsimus Pauli sermonibus evidenter ostenditur, quod uno eodemque opere Dei, quo imbrem terræ largitur, alia quidem terra diligenter exculta, fructus afferat bonos; alia verò quæ negligenter inculta est, spinas & tribulos proferat, &c. Quamvis pluviæ beneficio terra germen utrumque produxerit, non tamen imbribus meritò diversitas ascribetur, sed ad illos jure culpa seminis reflectetur, qui cùm possent frequenti aratro terram scindere, & omnes inutiles noxii germinis radices amputare, hoc facere neglexerunt, &c. Sic ergo accipiamus, quod ea signa & virtutes quæ à Deo fiebant, imbres quidem erant, à Deo desuper ministrati: propositum verò & voluntas terra accipienda est, culta vel inculta, unius quidem naturæ, sed unius ejusdemque culturæ. Ex quo fit, ut uniuscujusque propositum vel induretur virtutibus & mirabilibus Dei, si incultum & ferum est & barbarum, & semetipso superbius & spinosius fiat; & mitescat amplius, ac tota mente se in obedientiam tradat, si purgatum à vitiis fuerit ac excultum.* Tam aperta, tam elegantia sunt hæc & tam consentanea suprapositæ Augustini doctrinæ, ut nec optari vel fingi quidquam potuerit nostræ sententiæ accommodatius.

Hom. 4. in Exod. Petrarch. L. 3. c. 1.

IV. Nec à seipso dissonat Origenes, cùm alibi docet electam esse à Deo insignem Pharaonis malitiam, ut in eo exemplum ederet, quod cæteris prodesset: *Volens ergo interitum ejus ad emendationem proficere cæterorum, mittens eum ad illos, quos morte ejus corrigi cupit, dicit ei, quia, Ad hoc ipsum suscitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntiem nomen meum in universa terra. Vide enim quia non dixit, quia, Ad hoc ipsum te feci; alioquin ad conditorem referri videretur culpa; sed ait, Ad hoc ipsum te suscitavi: hoc est, ut per animi tui malitiam, quam tibi infrunite & sine timore Dei vivendo quæsisti, & in alios irrogetur utilis & fructuosa correctio, & in teipsum ad posteritatis exemplum famosissimus conferatur interitus.*

In Epist. ad Rom. l. 7. pag. 377.

Quibus adprimè consentiunt quæ in ejusdem Origenis Philocalia intexuntur: *Quemadmodum medici hominum à rabido cane morbosorum virus extrahentes in apertum, ne intus depascens hominem corrumpat, graviores reddunt corporis habitudines & tumores; sic Deus reconditam & inclusam in intimis animæ malitiam sua medendi arte attrahit foras, quo patentem & evidentiorem eam efficiat, ut postea futuram inducat sanitatem.* Vides quò colliment illæ sive causæ, sive occasiones, quas intus forisque Deus suggerit, ut voluntates hominum huc illucque inclinet: nimirum ad inveteratam & latitantem, eòque insanabiliorem earum malitiam foras extrahendam, ut ita demum sanetur, aut certè prosit aliis exemplo, quæ sibi prodesse respuit emendatione. Et ibidem mox: *Dicebat aliquis sociorum nostrorum, quæstionem verbis lehiens, sæpè benignos dominos, qui nimis patiente animo servos peccantes sustinent, dicere solitos, Ego te perdidi, te ego pravum feci: hac formula ostendentes suam benignitatem & animi patientiam videri attulisse occasionem majoris improbitatis. Sic Dei bonitas occasio effecta indurati Pharaonis, indurasse scribitur Pharaonis cor.*

Cap. 27.

A trita majorum semita non recessit Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus: *In quibus Deus hujus sæculi excæcavit cogitationes infidelium, ut ne fulgeat illis illuminatio Evangelii, &c. Excæcat & Sol lusciosos, & oculorum imbecillitate laborantes excæcantur lumine perculsi; non quod Sol facultate excæcandi sit præditus, sed quod oculorum substantia non cernat. Sic & quibus corda laborant incredulitate, ii divinitatis radios contueri non possunt.* Et alibi: *Propterea Deus mittet ipsis vim erroris. Mittet, autem dicit, pro permittet fieri.*

Catech. 6. Catech. 18.

VII. Ab his nec tantillum deviavit Chrysostomus: *Excæcavit oculos eorum & induravit cor, &c. Quemadmodum Sol debilem oculorum aciem perstringit, non præter eorum naturam; ita usuvenit his qui divino non attendunt sermoni. Ita Pharaonis cor obduravisse dicitur. Sic & illud, Tradidit eos in reprobum sensum. Et iterum, Abiit à gentibus, hoc est, secessit eas, dimisit. Non enim hæc à Deo, sed ab aliorum malitia provenire ostendit. Cum deserimur à Deo, tradimur diabolo; in cujus potestatem redacti innumeris malis afficimur. Ut ergo auditorem perterreat, inquit, Indurat, &, Tradidit. Quod enim ipse non solum non tradat, sed ne derelinquat quidem nisi velimus, audi quid dicat, Nonne peccata vestra dividunt me à vobis? Et iterum, Qui elongant se à te, peribunt, &c. Deus autem non modò nos non derelinquere vult, & punire, sed quoties punit, invitus punit.* Et rursus alibi: *Tradidit illos Deus in cupiditates cordium suorum in immunditiam. Tradidit hoc loco significat permisit. Quemadmodum enim si quis exercitus Præfectus prælio ingravescente retrocedens abscesserit, hostibus milites tradidit, haudquaquam ipsos impellens, verùm suo ipsius auxilio nudans: Sic & Deus eos dimisit, qui admittere ejus præcepta noluerunt; sed statim inter primos ab eo defecerunt, cum ipse partes suas omnes explevisset.*

In Joan. ho. 67. Hom. 3. in Epist. ad Ro.

VIII. Excæcationem porro Pharaonis & obdurationem sic alibi describit Chrysostomus, ut non possimus non magnoperè admirari tantam doctrinæ inter sanctos utriusque Ecclesiæ Patres consonantiam: *Vas iræ erat Pharao, hoc est, homo Dei iram accendens per suam duritiem. Dei enim lenitatem ingentem nactus, melior nequaquam evadebat, sed incorrectus manebat. Itaque non solum illum vas iræ vocavit, sed & ad perditionem præparatum, hoc est apparatum, à se quidem & suopte ingenio. Neque enim Deus quidquam prætermisit eorum quæ ad illius correctionem emendationemque facerent; neque ille quidquam omisit eorum, quæ ipsum perderent, omnique venia privarent. Sed tamen hæc Deus cum probè nosset, tulit multa cum lenitate, volens ipsum ad pœnitentiam adducere. Si enim hoc noluisset, ne lenitatem quidem tantam exhibuisset. Ubi autem noluit ille lenitate ad pœnitentiam uti, sed se ad iram ipse præparavit, usus est illo Deus ad aliorum correctionem, &c.* Nemo in suspicionem vocet Chrysostomum, quasi molliùs tepidiùsque senserit de quæstionibus hujusmodi: hæc eadem omnia supra

In Epist. ad Roman. Hom. 16.

ſupra ab Auguſtino, & à Latinis aliis Patribus inculcata audivimus; ut non poſſit tantus concentus non permagni eſſe ponderis, & authoritate ſua quamlibet contumaciam frangere. Infra ibidem Chryſoſtomus: *Unde ergo alii vaſa iræ, alii miſericordiæ? à propria voluntate. Deus autem admodum bonus cum ſit, in utriſque eandem oſtendit bonitatem. Etenim non eos modò quos ſervabat, miſeratus eſt, ſed & Pharaonem ipſum, quantum quidem in ipſo fuit. Eandem enim lenitatem & illi, & hic ſunt aſſecuti. Qui ſi ſervatus minimè fuit, rei totius culpa ab illo fuit; nam Dei partes atque officia nihilo minus accepit, quàm qui ſervati ſunt.*

IX. Cyrilli Alexandrini eadem prorſus fuit ſententia: *Si accipiamus Deum excæcaſſe, ſic intelligendum, permiſiſſe eos pati cæcitatem à diabolo, quia boni non eſſent habitu. Sic enim tradit in reprobam mentem.* (In Evan. Jo: pag. 709.)

X. Poſtremo loco Theodoretus conſtantiſſimè hanc eandem tenuit interpretandæ Scripturæ rationem: *Non fuit, inquit Paulus, Deus author improbitatis Pharaonis. Sed ipſe patientia de more uſus eſt; ille autem patientiam exiſtimavit imbecillitatem, & ejus cauſa ſuam auxit contumaciam. Sed tamen ſapiens cum ſit univerſorum gubernator, & juſtum illi ſupplicium intulit, & ex ejus improbitate ſalutare ad mala profliganda aliis medicamentum temperavit. Et quemadmodum medici non ipſi creant viperas, ſed ex eis utile hominibus medicamentum conficiunt; ita etiam Deus voluit quidem Pharaonem ſuppliciis eximi; ſed quia ille in nimiam feritatem corruerat, illi quidem omnis generis pœnas inflixit, ſuam autem potentiam omnibus hominibus oſtendit.* Et infrà: *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, &c. Illud Dedit, ſicut & Tradidit, poſitum eſt pro Permiſit. Neque enim Deus perfecit ut ipſi non crederent. Quomodo enim fieri poſſet, ut & ipſe eis infidelitatem immitteret, & pro ea pœnas ipſe de illis ſumeret? Hoc autem Propheta quoque apertiùs dicit, Incraſſatum eſt cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt. Non ergo alius eos excæcavit, ſed ipſi oculos ſuos clauſerunt, & lucem intueri noluerunt.* Et alibi: *Semetipſos tradiderunt impudicitiæ. Hinc intellexerimus illud Epiſtolæ ad Romanos, Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum. Ita enim appellavit permiſſionem. Hic enim apertè docuit, quod ſeipſos libidini tradiderunt.* Et alibi de induratione rurſus Pharaonis: *Ut adducta ſimilitudine controverſiam dirimamus, Sol vi caloris ſui ceram quidem liquefacit, lutum verò exſiccat; & illam quidem emollit, hoc autem indurat. Quemadmodum ergo Sol iſte una & eadem virtute contraria operatur, ſic ex longanimitate Dei, omnium nonnulli capiunt utilitatem, alii verò damnum; & illi emolliuntur, iſti indurantur.* (In Epiſt. ad Rom. c. 9. — Ibid. in c. 11. — In c. 4. Ep. ad Epheſ. — In Exod. q. 12. Vide in Eſaiam c. 63. Et in Pſal. 104. v. 25.)

CAPUT XV.

Deus voluntates malas non creat, ſed ordinat; naturas omnes creat, voluntates ordinat, bonas in præmiis, malas in ſuppliciis. Ita Omnipotentis voluntas invicta ſemper eſt. Primùm ex Auguſtino.

I. Naturas omnes creat Deus & ordinat, voluntates omnes non creat; ſed omnes ordinat, bonas in præmio, malas in ſupplicio; ita invicta ſemper eſt Dei voluntas. Ex Auguſtino.

II. Ordinat Deus voluntates malas, dum cohibet nequid faciant præter voluntatem ſuam, & dum peccantes plectit.

III. Quomodo ex eodem ordinet Deus mala, cum mala præter ordinem, & contra ordinem ſint.

IV. Rurſus ex eodem luculentè, ut Deus omnipotentiſſimè dominetur voluntatibus liberis, non decretis abſolutis, non motionibus prædeterminantibus, ſed ordinando voluntates liberas, quo ſe cumque flectant.

V. Denuò ex eodem, ut voluntates ſibi permittat ipſis, & quocumque declinent, in ſuum illas ordinem retorqueat.

VI. Liber & labilis condi debuit homo, & Angelus, cum ex utriuſque vel perſeverantia vel lapſu efflorescat gloria Creatoris.

VII. Deeſſet aliquid pulchritudini univerſi, ſi deeſſent animæ, quæ ſive peccarent, ſive non peccarent, nil de pulchritudine univerſi decederet.

VIII. Tam ſapienter & tam potenter Deus orbem condidit, ut etſi peccarent omnes naturæ liberæ, nihil de conditoris gloria detereretur.

IX. Quàm longè diſcedant ab hac Patrum doctrina recentiores quidam Decretorum abſolutorum defenſores, & prædeterminationum phyſicarum.

X. Quàm conſtet ſibi Auguſtini doctrina, quàm ſibi pugnent recentiores quidam Theologi.

XI. Invicta eſt Dei voluntas, quia qui non facit quod lex jubet, patitur quod lex minatur.

XII. Quàm certa & ſacroſancta ſit in his doctrina Auguſtini.

XIII. His telis ſanctus Pater de Manichæis victoriam reportavit.

XIV. Hæc Auguſtini doctrina populorum patientiæ, intelligentiæ, pietati accommodatior, quàm recentiorum.

XV. Placita hæc ſua Auguſtinus populi auribus ſæpè committebat, non ſine fructu aliquo pietatis; quod non poſſunt recentiores Theologi.

I. INter corollaria Providentiæ Dei bicipitis, & omnia vel facientis vel permittentis, iſtud quoque numeravimus, quòd Deus naturas creet, voluntates ordinet. Inter naturas enim & voluntates, rurſumque inter voluntates bonas & malas, hoc diſcriminis eſſe ſanxit Auguſtinus, quòd Deus naturas creet, voluntates bonas adjuvet, muneretque; voluntates malas nec creet, nec adjuvet, ſed deſerat, ordinetque. At ſi voluntates malas æquè ac bonas, æquè ac naturas, Deus quà Ens, quà Agens ſummum primumque omnipotenti influxu ſuo efficiat, tota illa ſeu bimembris ſeu trimembris diſtinctio in ventos abit. Ordinare autem voluntates malas Deus dicitur, cùm illas non permittit erumpere, & in effectum prodire, niſi eo ordine, loco, tempore, & ſucceſſu, quo ad orbis pulchritudinem conſentaneum eſt. *Movet Deus ſibi ſubditam creaturam, naturas creans bonitate, voluntates ordinans poteſtate, ut in naturis nulla ſit, quæ non ab illo ſit; in voluntatibus autem nulla bona ſit, cui non præſit; nulla mala ſit, qua bene uti non poſſit.* (De Gen. ad lit. l. 8. c. 11.) Et alibi: *Eſt in malorum poteſtate peccare; ut autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non eſt in eorum poteſtate, ſed dividentis tenebras & ordinantis eas.* (De prædeſt. Sanct. c. 16.) Et alio loco: *Deus ſicut naturarum bonarum optimus creator eſt, ita malarum voluntatum juſtiſſimus ordinator.* (Civit. l. 11. c. 17.) Et rurſus: *Omnipotenti Deo, ſummo & ſummè bono creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adjutori ac remuneratori; malarum autem relictori & damnatori, utrarumque ordinatori.* (Ibid. l. 14. c. 26.) Ergo hoc diſcrimen eſt naturarum & voluntatum, quòd naturæ omnes à Deo creentur, voluntates non creentur omnes à Deo; ſed ſi bonæ ſunt, adjuventur; ſi malæ ſunt, deſerantur; utræque ordinentur, illæ in præmio, iſtæ in ſupplicio.

II. Rurſus idem Auguſtinus: *Tanquam ille qui viderit non factas tenebras à Deo, ſed ordinatas tamen. Deus enim dixit, Fiat lux, & facta eſt lux. Non dixit, Fiant tenebræ, & factæ ſunt tenebræ; & tamen ipſas ordinavit.* (In Pſalm. 7.) Et ibidem: *Aliud*

Aliud fecit & ordinavit; aliud autem non fecit, & tamen hoc etiam ordinavit. Jam verò tenebris significari peccata, & in Propheta invenitur. Ordinare porrò peccata non aliud est, quàm deserendo & permittendo, sic voluntates malas sibi ipsis permittere, ut quantacumque malitia sua nec pœnam scelerum effugiant, nec scelera ipsa exequi finantur, nisi quantum & ordo universi & summi Imperatoris Dei voluntas finit. *Ergo Dei providentia regens atque administrans universam creaturam, & naturas, & voluntates; naturas ut sint, voluntates autem ut nec infructuosæ bonæ, nec impunitæ malæ sint.* Et infrà: *Ideo Deus bipartito opere providentiæ suæ, præest universæ creaturæ; naturis ut fiant, voluntatibus autem ut sine suo jussu vel permissu nihil faciant.* (De Gen. ad lit. l. 8. c. 23. 24.)

III. Disputatio illa alicubi ab Augustino ventilata est, quomodo mala sint in ordine, & diligat Deus ordinem, nec tamen mala diligat. (De Ordin. L. 1. c. 7.) *Certè & mala dixisti ordine contineri, & ipsum ordinem manare à Deo, atque ab eo diligi. Ex quo sequitur ut & mala sint à summo Deo, & mala Deus diligat.* Quæ difficultas ita mox resolvi videtur: *Non diligit Deus mala, nec ob aliud, nisi quia ordinis non est, ut Deus mala diligat. Et ordinem ideo multum diligit, quia per eum non diligit mala, &c. Qui ordo atque dispositio quia universitatis congruentiam ipsa diversitate custodit, fit ut mala etiam esse necesse sit. Ita quasi ex antithetis quodammodo, quod nobis etiam in oratione jucundum est, id est, ex contrariis, omnium simul rerum pulchritudo figuratur.* Et mox: *Quid præter ordinem reperiri potest, si Dei justitia bonorum malorumque meritis sua cuique redduntur? Justum autem Deum omnes fatemur. Totum igitur ordine includitur.* Ita omnino postulat ordo lexque pulcritudinis universi, ut naturæ & summæ & mediæ & infimæ per varios gradus à Deo creentur; ut summæ, hoc est, intellectuales, rationales, & liberæ innumerabiles creentur; ut suæ potestati liberæ permittantur, propositis præmiis pœnisque, ut pro meritis præmio vel pœna afficiantur; ex his id efficitur, ut & mala sint, nec inordinata sint. Nam innumerabiles naturæ liberæ lubrico sue libertatis permitti non possunt, quin aliquæ ex illis à recto sponte deflectant, & desponsas sceleri pœnas incurrant. Ita malum in ordine universi est, ordinatque Deus peccata ad pulcritudinem immensi hujus orbis ex antithetis quasi quibusdam concinnandam, verissimèque Deus naturarum omnium creator est, voluntatum si bonæ sunt adjutor & remunerator; si malæ sunt, ultor & ordinator.

IV. Constat ergo indubitatissimè quod ait idem alibi Augustinus: (L. De quan. anim. c. 36.) *Non ita liberum arbitrium animæ datum est, ut quodlibet eo moliens, ullam partem divini ordinis legisque perturbet. Datum est enim à sapientissimo atque invictissimo totius creaturæ Domino.* Quo fiat autem modo, ut quocumque se voluntas creata vertat per liberum arbitrium, ordo lexque universi nulla ex parte perturbari possit, id ibidem declarat Augustinus: *Deus igitur summus & verus lege inviolabili & incorrupta, qua omne quod condidit regit, subiicit animæ corpus, animam sibi, & sic omnia sibi, neque in ullo actu eandem deserit sine pœna, sine præmio. Id enim judicavit esse pulcherrimum, ut esset, quidquid est, quomodo est; & ita natura gradibus ordinaretur, ut considerantem universitatem nulla offenderet ex ulla parte deformitas: omnisque animæ pœna, & omne præmium conferret semper aliquid proportioni justæ pulchritudinis dispositionique rerum omnium.*

Hæc igitur ratio est, qua *sapientissimus invictissimusque totius creaturæ Dominus*, decreta & consilia voluntatis suæ invictissimè exequitur, naturas omnes, & ipsas voluntates liberas potentissimè sibi subjicit, intra legem pulcritudinis summæ, intra limites ordinis incorrupti omnia continet, nec inde expatiari vel ad momentum sinit voluntates creatas quascumque; hæc inquam est illa ratio ex Scripturarum oraculis hausta, à sanctis Patribus evulgata & sexcenties inculcata; non ut voluntates omnes æquè ac naturas Deus creet efficiatque; non ut voluntates omnes etiam ad malum perindè ut ad bonum indeclinabili prædeterminatione destinet & impellat. Si res enim ita se haberet, non essent naturæ à voluntatibus dispescendæ; non essent voluntates bonæ sejungendæ à malis; equè malas ac bonas juvaret atque impelleret Deus, non ordinator tantùm & ultor esset malarum voluntatum, sed & effector atque author; non denique solis pœnis voluntates malas ordinaret, sed consiliis decretisque suis atque indeclinabilibus motionibus. Ratio ergo tantæ rei ex Scripturis & Patribus petita atque firmata hæc est, quod bicipiti Dei providentia omnia contineantur, naturas creante, voluntates ordinante, bonas in præmiis, malas in suppliciis, voluntates inquam liberas non ubique & per singula prævertente, non ubique ad singula indeclinabiliter prædeterminante, sed ipsas sibi permittente, juvante ad bonum, deterrente à malo, & quo se illæ cumque vertant, sive in bonum, sive in malum, benè vertente, ex malis bonum exprimente, denique bonas in præmiis, malas in suppliciis ordinante.

V. Quò spectat rursus illud Augustini: *Nec ideo divinæ providentiæ administratio minus decora fit, quia injusti justè, & fœdi pulchrè ordinantur.* (De vera Relig. c. 34. 23.) Et ibidem: *Neque de peccatis pœnisque anima efficitur, ut universitas ulla deformitate turpetur. Quia rationalis substantia, quæ ab omni peccato munda est, Deo subjecta, subjectis sibi cæteris dominatur. Ea verò quæ peccavit, ibi ordinata est, ubi esse tales decet; ut Deo conditore atque rectore universitatis decora sint omnia. Et est pulchritudo universæ creaturæ per hæc tria inculpabilis, damnatione peccatorum, exercitatione justorum, perfectione beatorum.* Et rursus alibi: *Deus omnia deficientia sic ordinat, ut ibi sint, ubi congruentissimè esse possunt, donec ordinatis motibus ad id recurrant, unde defecerunt.* (De moribus Manic. l. 2. c. 7.) *Itaque etiam animas rationales, in quibus est potissimum liberum arbitrium, deficientes à se, in inferioribus creaturæ gradibus ordinat, ubi tales esse decet. Fiunt ergo miseræ divino judicio, dum convenienter pro meritis ordinantur.* Non aliter ergo vel sapientissima potestas, vel sapientia Dei omnipotens defensitanda nobis est, quam ex eo quod omnia ejus lege & ordine insuperabiliter aguntur, non omnium voluntatum actionibus, bonis malisve indeclinabiliter præfiniendis & prædeterminandis, sed sibi omnino permittendis, & ita tamen regendis ac circumscribendis, ut quocumque se ipsæ flectant, invictissimus ordo, & incorrupta pulchritudo universi constet, damnatione peccatorum, exercitatione justorum, perfectione beatorum. Fieret aliquid præter voluntatem Dei, præter ordinem, præter decorem, non si voluntas ad malum se conferret Deo non impellente per decreta & motiones suas, sed si voluntas à justitia sponte deficiens, non statim justa pœna afficeretur.

VI. Quod autem dixit Augustinus deficientes ab æquitate voluntates ibi à Deo ordinari, ubi congruentissimè possunt esse, donec ordinatis motibus ad id recurrant, unde defecerunt; non hoc utique ad Origenis commenta trahendum est. Ea enim Augustini sententia hìc est, lapsum primi parentis peccato genus humanum ordinari in ærumnis hujus vitæ mortalis decentissimè, quarum patientia & exercitatione ad beatam immortalitatem unde excidit reparetur. Ita Angelum hominemque liberi arbitrii condi, & sibi permitti debuisse, quod utcumque se illi ad bonum vel ad malum flecterent, immensa Creatoris gloria effloresceret ex bonorum remuneratione, ex malorum vel pœna, vel emendatione. *Habet illa sublimis creatura perpetuam beatitudinem suam, in perpetuum fruens* (De lib. arb. L. 3. c. 5.)

creatore suo, quem perpetua tenendæ justitiæ voluntate promeretur. Habet deinde ordinem suum etiam ista peccatrix, amissa in peccatis beatitudine, sed non dimissa recuperandæ beatitudinis facultate, quæ profectò superat eam, quam peccandi perpetua voluptas tenet. Inter quam, & illam priorem, permanentem in voluntate justitiæ, hæc medietatem quandam demonstrat, quæ pœnitendi humilitate altitudinem suam repetit.

VII. Conducit illud quoque ad sapientiam & omnipotentiam summi Opificis, quòd Opificii ejus pulchritudo & ordo non deturpetur, etiamsi peccent animæ, quas ita condidit, ut peccare possint. Ita enim sapiens & omnipotens Creator animas condidit, quæ peccare & non peccare possent, ut ex utrolibet, hoc est, sive peccarent, sive non peccarent, ordo & pulchritudo universi constaret. De lib. arb. L. 3. c. 11. *Naturas igitur omnes Deus fecit, non solum in virtute atque justitia permansuras, sed etiam peccaturas; non ut peccarent, sed ut essent ornaturæ universum, sive peccare, sive non peccare voluissent.* Et mox: *Si deessent animæ, quæ sive peccarent, sive non peccarent, nihil universitatis ordini minueretur, etiam sic plurimum deesset.*

VIII. Quin imò tam sapienter, tam præpotenter universum Deus orbem & condidit & temperavit, ut etsi omnes prorsus naturæ rationales & liberæ à lege justitiæ defecissent, nec conditoris tamen gloria, nec orbis pulchritudo fuscaretur, Deo universum solo per seipsum regente, contumaces pro meritis plectente, nullius creaturæ operam sibi necessariam magnificè demonstrante. Ibid. c. 11. *Verumtamen etiamsi peccaret, quanquam non peccavit, sicut eam non peccaturam præscivit Deus, tamen si etiam ipsa peccaret, sufficeret Dei potestas ineffabilis potentiæ ad regendam istam universitatem, ut omnibus congrua & condigna retribuens, nihil in toto imperio suo turpe atque indecorum esse permitteret.*

IX. Penè nugatoria erit ista sapientiæ & omnipotentiæ divinæ, invictissimæque ejus voluntatis defensitatio, si Dei voluntas naturas rationales libera voluntate donet, in bonum atque in malum flexibili, ut pro usu ancipitis hujus libertatis merita sibi vel demerita, præmia vel pœnas acquirat; sed antè ipsa præfiniat, quas earum ipsa prævertat ad bonum, quas ad malum indeclinabili motione incitet, & exinde ad præmia alias, alias ad supplicia protrudat; & invidiam mali ac peccati à se una hac causatione amoliatur, quòd voluntas divina voluntates creatas prædestinet præmoveatque non ad malitiam moralem actioni physicæ peccati inhærentem, sed ad physicam dumtaxat actionem ipsam peccati. Hæc ratio defensitandæ vel sapientiæ, vel potestatis, vel justitiæ voluntatis divinæ, nihil attinet hic exaggerare, quàm odiosa, quàm invidiosa, quàm à communi pietatis sensu aliena sit; unum id impræsentiarum urgeo, quàm immaniter distet ab ea ratione & via, quam Augustinus aliique Patres inierunt. His enim unum illud certum commendatumque fuit, liberas à Deo naturas & voluntates esse conditas, sibique permissas, non sine idoneo ad bonum adjutorio, non sine dehortamento à malo, propositis hinc præmiis, hinc pœnis; ea lege, ut si à lege justitiæ deficerent, in legem vindictæ revolverentur; & ita inviolabilis ordo pulchritudoque incorruptibilis perstaret, voluntatibus creatis concessa libertate omnino fruentibus, spontanea obedientia præmium, inobedientia supplicium consequentibus, Deo utrobique invictissimè dominante & regnante, sive per bonorum remunerationem, sive per malorum ultionem: Deo peræquè invictissimè regnaturo, etsi omnes voluntates liberè penitus à recto defecissent; quia qui liberas condidit sapiens omnipotensque opifex, id cavit utique, id perfecit, ut quomodocumque libertate sua abuterentur, nihil de Opificis gloria, nihil de Opificii universi pulchritudine decerperetur. Hæc ratio evidentissimè consentit & Scripturis, & Augustino, & ceteris mox allegandis Patribus; compugnantia ab omni procul est, nec invidiosum quidquam præ se fert, & suspicionem omnem originis mali à Deo prorsus abstergit.

X. Non pigebit ad fastidium usque congerere & inculcare Augustini testimonia, ad rem tanti momenti constituendam. Sic ergo ille rursum: *Nec efficit anima perversè utens creaturis, ut ordinationem effugiat creatoris, quoniam si illa male utitur bonis, ille bene utitur etiam malis; ac per hoc illa perversè bonis utendo fit mala, ille ordinatè etiam malis utendo permanet bonus. Qui enim injustè se ordinat in peccatis, justè ordinatur in pœnis.* Epist. 120. c. 1. Non satis perspectam habuerunt contrariæ rationis patroni hanc omnipotentem Dei facultatem bene utendi malis, bona ex malis eliciendi, majora cum lubet bona ex malis exprimendi. Hujus enim potestatis conscius sibi Opifex, eccur liberas voluntates condet, & mox quasi sui ipsum doni pœnituerit, libertatem concessam quodammodo revocabit, ferreis illam decretorum motionumque suarum vinculis constringendo? Quin ut cœpit, liberas esse usque finit, & bene vertit quo se cumque ferant, bonas prœmiando, malas plectendo? Ut mollissimè rem dicam, inconstantissimè dicitur, Deum & libertatem donare voluntatibus creatis, & antè illis singulas actiones præfinire, & pòst insuperabilibus præmotionibus eas quocumque torquere, Mala prohibere, pœnas interminare, & mox ad actiones à malo inseparabiles impellere, in pœnas præcipitare. Deum authorem peccati non esse, & tamen ejus decreto indeclinabili, ejus premotionibus invictissimis actiones peccaminosas imputare. Longissimè abest ab istiusmodi conflictationibus Augustini doctrina, & ratio tuendæ tum omnipotentiæ divinæ voluntatis, tum libertatis creatæ. De Gen. ad lit. imperf. c. 5. *Nam & vitiorum nostrorum non est author Deus, sed tamen ordinator est, cùm eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur. Quædam ergo & facit Deus & ordinat; quædam verò tantùm ordinat. Justos & facit & ordinat; peccatores autem in quantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantùm. Quippè cùm illos ad dexteram, illos ad sinistram constituit; & quod in ignem æternum jubet ire, ad meritorum ordinem valet. Ita species naturasque ipsas & facit & ordinat; privationem autem specierum defectusque naturarum non facit, sed ordinat tantùm.* Et alibi: De Gen. ad lit. l. 3. c. ult. *Deus naturarum optimus conditor, peccantium verò justissimus ordinator; ut etiam siqua sigillatim fiunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis universitas pulchra sit.*

XI. Quid pulchrius autem illo rursus Augustini testimonio, de invictissimo omnipotentis Dei voluntatis imperio in omnes voluntates, sive bonas, sive malas, non libertatem quam dederit adamantinis decretorum motionumque compedibus vinciendo, non ad malum quod vetuerit hactenus innoxias impellendo, non peccatum in quod impulerit plectendo, non invidiam peccati à se abstergendo, frigidissimæ distinctiunculæ prætextu; sed voluntas liberas esse jubendo, bonum eligentes in bonis, mala preferentes in malis, hoc est in pœnis ordinando, atque ita bonorum beatitate, impiorum infœlicitate illibatam servando universitatis pulchritudinem, legemque inexpugnabilis æquitatis? De Agone Christ. c. 7. *Hoc admonemur, ut tota voluntate serviamus Domino Deo nostro; quoniam justus liberaliter servit; injustus autem compeditus servit. Omnes tamen divinæ providentiæ serviunt; sed alii obediunt tanquam filii, & faciunt cum ea quod bonum est; alii verò ligantur tanquam servi, & fit de illis quod justum est. Ita Deus omnipotens, Dominus universæ creaturæ, qui fecit omnia sicut scriptum est bona valde, sic ordinavit ea, ut & de bonis & de malis benefaciat. Quod enim justè fit,*

fit, bene fit. Justè autem sunt beati boni, & justè mali pœnas patiuntur. Ergo & de bonis & de malis bene Deus facit, quoniam justè omnia facit. Boni autem sunt, qui tota voluntate Deo serviunt, mali autem necessitate serviunt. Nemo enim leges omnipotentis evadit. Sed aliud est facere quod lex jubet, aliud pati quod lex jubet.

XII. Duo hìc nobis sedulò adnotanda sunt. Primum est, totum in his locis conniti Augustinum, ut declaret, quì omnipotens sit Dei voluntas, quì nemo evadat leges ejus, quì in bonas malasque voluntates invictissimè regnet. Nec tamen illi aliud in mentem unquam venit, quàm omnipotenter regnare & dominari Dei voluntatem, dum omnia vel facit, vel permittit; omnia vel facit, vel ordinat; dum bona facit, mala ordinat; dum ordinat justè in pœnis, qui peccando ordinem justitiæ perturbare conati sunt; dum non facientes quod lex jubet, pati cogit quod lex jubet. Alterum est hæc scribi ab Augustino adversus hæreticos, Deum authorem mali & causam peccati esse calumniantes. Quo sanè sanctior est ejus authoritas, ut qui non potuerit fidei veritatem mendacio tueri; ut denique qui existimandus sit copiosiore Spiritus sancti & cœlestis luminis dono abundasse, quàm posteriores Theologos, non eadem necessitate tuendæ veritatis Ecclesiasticæ devinctos. Jam trecentos ferè per annos depugnabat & vincebat Ecclesia, ab hæreticis oppugnata, mali originem & causam Deo affingentibus, cum hæc scriberet Augustinus. Illo ergo maximè ævo credere par est, affulsisse Ecclesiæ illa veritatis lumina, quibus implicata quæstio hæc definiri debeat; nec patitur fidei Catholicæ dignitas, ut ejus tunc Advocatos latuerint potissima tuendæ veritatis præsidia. Rursus idem Augustinus eadem sæpiùs jam repetita, &
Civit. l. 11. c. 13. repetenda inculcat: *Nec mala voluntas, quia naturæ ordinem servare noluit, ideo justi Dei leges om-*
Cont. Adv. leg. & Prophet. l. 1. c. 6. *nia bene ordinantis effugit.* Et alibi: *Quod perversa voluntate & cæco errore maligni sunt, non ideo vidit, quod nón essent creandi; prævidit enim ubi essent ordinandi.*

XIII. Sed illud quàm luculentum in libro de Natura boni adversùs Manichæos, quorum in castris ipse aliquando meruerat, & quos deinde omni ingenii studiique sui contentione oppugnavit:
C. 7. 8. *Creaturis præstantissimis, hoc est rationalibus spiritibus hoc præstitit Deus, ut si nolint, corrumpi non possint: id est, si obedientiam conservaverint sub Domino Deo suo, ac si incorruptibili pulchritudini ejus adhæserint. Si autem obedientiam conservare noluerint, quoniam volentes corrumpuntur in peccatis, dolentes corrumpantur in pœnis. Peccantes igitur in suppliciis ordinantur; quæ ordinatio, quia eorum naturæ non competit, ideo pœna est; sed quia culpæ competit, ideo justitia est, &c. Melius ordinatur natura, ut justè doleat in supplicio, quàm*
L. 22. c. 78. *ut impunè gaudeat in peccato.* Et adversùs Faustum Manichæum: *Hominum rectam voluntatem divinæ legi conjungi; inordinatam verò cupiditatem divinæ legis ordine coerceri; ut nec bonus aliud quàm præcipitur, velit; nec malus amplius quàm permittitur, possit; ita sanè, ut non impunè possit, quod injustè voluerit, &c. Omnia disponuntur à Deo creatore, omnia quæ naturaliter sunt; nec authore, sed tamen ordinatore etiam peccatorum; ut ea quæ peccata non essent, nisi contra naturam essent, sic judicentur & ordinentur, ne universitatis naturam turbare vel turpare permittantur, meritorum suorum locis & conditionibus deputata.* Si quibus Theologis hæc non placent arma, non arrident tela, quibus olim reportata victoria est, frangenda ergo illis palma est, & in eadem rursus certamina, in eosdem tempestatum fluctus revocanda Ecclesia.

XIV. Non poterat Augustinus ad Christianas plebes concionando à seipso dissidere; ergo & in Concionibus & in Tractatibus ad populum idem doctrinæ tenor est. Utque obiter hoc moneam, illud quoque Augustini hac maximè in parte Theologiam maximè commendat, quòd populorum patientiæ & intelligentiæ accommodata illa sit, quòd pietatem spiret, quòd à tricis & spinetis dialecticis expedita sit. Sic ergo ille de hac re ad Christianam plebem sermocinabatur, *Verè, Domine,* In Psal. 7. *justus es, quando & justos sic protegis, ut per teipsum eos illumines, & peccatores sic ordinas, ut non tua, sed sua malitia puniantur.* Et infrà: *Qui ergo videt merita animarum sic ordinari à Deo, ut dum sua cuique tribuuntur, pulchritudo universitatis nulla ex parte violetur, in omnibus laudat Deum. Quod in isto Psalmo intelligi potest, si quisque pia mente, Domino adjuvante, distinguat inter justorum præmia, & supplicia peccatorum: quemadmodum his duobus universa creatura, quam Deus à se conditam regit, mirifica & paucis cognita pulchritudine decoretur. Ita ergo ait, Confitebor Domino secundum justitiam ejus; tanquam qui viderit non factas tenebras à Deo, sed ordinatas tamen. Aliud fecit & ordinavit; aliud autem non fecit, sed tamen etiam hoc ordinavit. Jam verò tenebris significari peccata, & in Prophetis invenitur.* Et alibi: *Meritò odit Deus, & velut à regula suæ artis alie-* Tract. 110. In Joann. *num improbat vitium. Amat enim suum etiam in vitiosis, vel sanationis beneficium, vel damnationis judicium. Ita Deus & nihil odit eorum quæ fecit; naturarum enim, non vitiorum conditor, mala quæ odit, ipse non fecit; & de malis eisdem, vel sanando ea per misericordiam, vel ordinando per judicium, bona sunt ipse quæ fecit.*

XV. An similiter posset committi Christianæ plebis auribus illa extricandæ hujus quæstionis ratio, quam hìc convellimus? An si illis committeretur, simili animos pietatis gustu afficeret? Extruitur pietas, tenerescit animus religionis sensu, cum dicitur Deus Angeli hominisque simul condidisse naturam, simul addidisse gratiam, liberam illis sui potestatem fecisse, præmia obedientiæ, pœnas inobedientiæ ostendisse, tam invicta omnipotentis Dei voluntate, ut nemo bonus præmio fraudetur, nemo malus pœnam effugiat, impleaturque semper Dei voluntas, & mundi intaminata constet pulchritudo, remuneratione piorum, impiorum punitione. An æquè fidelium mentes pietatis sensu liquefiant, si audiant creatos à Deo Angelos hominesque, legem obedientiæ utrisque sancitam, non sine præmiorum spe, ac pœnarum interminatione; at mox eorum voluntates ad actionem physicam primæ sive inobedientiæ, sive superbiæ, quâ peccarunt, à Deo impulsione indeclinabili adactas fuisse, prout ab eo ante sæcula provisum fuerat, & ante prævisa, aut præscita eorum ulla demerita, & ita in desponsam pœnam illos incidisse? Nemo non videt, fore ut exhorrescerent animi auresque fidelium ad has voces, nisi siqui disputationum & contentionum usu ad hæc jam obcalluissent.

CAPUT XVI.

De eodem ex aliis Patribus. Deus omnes naturas creat, voluntates omnes non creat, sed ordinat, vel in præmiis, vel in suppliciis; & ita invicta & omnipotens semper est Dei voluntas.

I. Augustino suffragator accedit Prosper.
II. Quàm procul sit ejus doctrina à recentiorum Theologorum quibusdam placitis.
III. Ex Fulgentio vincit & regnat Dei voluntas, dum ordo servatur; at servatur ordo præmiatione bonorum, pœna malorum.
IV. Ex eodem non omnia disponit Deus, quæ præscit:

præscit omnia etiam mala, nec disponit, aut prædefinit, nisi mala pœnæ.

V. Ambrosii & Boethii suffragatio. Divinæ voluntatis victoria ordine constat. Ordo porrò imperturbabilis servatur, cum malus quisque pœna sibi ipse est, & ab ordine justitiæ ad ordinem vindictæ relabitur.

VI. Ex Gregorio decreta & præmotiones Dei, ad bona pertinent quæ ex malis eliciturus est, non ad mala ipsa.

VII. Ex eodem Deus bona facit & ordinat: mala non facit, sed ordinat, saltem in pœnis.

VIII. His astipulatur Ratramnus: quomodo ab Augustino dictum sit Judam electum fuisse ad fundendum sanguinem Christi.

IX. Peccatum est in voluntate mala, quam Deus non facit: non in ejus executione, quam Deus disponit.

X. Bernardus, Aelredus, Petrus Cluniacensis, Hugo Victorinus, Vuillelmus Parisiensis Episcopus.

XI. Clemens Alexandrinus.

I. MUnienda sunt jam nobis hæc eadem priscæ Theologiæ effata, cæterorum quoque Patrum, maximè Latinorum suffragiis. Ultro in primam aciem prosilit Prosper, cujus hæc sunt verba in Sententiis: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. Prævidet bonos futuros*
Cap. 291. *& creat; prævidet futuros malos & creat; seipsum ad fruendum præbens bonis, multa munerum suorum largiens etiam malis; misericorditer ignoscens, justè ulciscens; itemque misericorditer ulciscens, justè ignoscens; nihil metuens de cujusquam malitia, nihil indigens de cujusquam justitia, nihil sibi consulens de operibus bonorum, & bonis consulens etiam*
C. 14. *de pœnis malorum.* Et alibi: *Nullum Deus vel Angelorum vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus commendaret; atque ita ordinem sæculorum, quasi pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam antithetis honestaret.* Et alibi denique in
Sent. 13. Responsionibus ad Capitula Gallorum: *Deus qui creator est omnium, non frustra etiam eos condit, quos prævidit vitæ æternæ participes non futuros; quia etiam in malis hominibus bonum Dei opus est ipsa natura, & laudabilis est in impiorum damnatione justitia. Non potest autem merito reprehendi, qui dicit, quod etiam talium conditione mundus ornetur; & quod hi qui sibi sua iniquitate nocituri sunt, ad utilitatem nascantur aliorum, &c.*

II. Perspicua in his est tota superior Augustini doctrina, decretis & motionibus prædeterminantibus & ineluctabilibus, sive ad bonum sive ad malum, capitaliter infesta. Si insedisset enim animo Prosperi hæc sententia de decretis & motionibus prædeterminantibus, non laborasset ille in expediendis his quæstionibus, cur creasset Deus, quos malos fore præscisset? quæ bona malis conferret, ne mali sponte fierent? quid boni ex malorum pœnis redundaret? quod universi decus ex boni malique pugna, quasi ex antithetis? An satis bonitas, justitia, potestas Dei commendetur, ex eo quòd malos ita in pœnis ordinet, & in utilitatem bonorum convertat eorum malitiam? Desudasset potiùs in eo Prosper, ut evinceret, bonum nihilominus & justum esse Deum, etsi innoxias voluntates in peccati consensionem impelleret, idque se facturum præfinisset ante sæcula, nec omninò aliter constare posse invictam divinę voluntatis dominationem.

III. Nec minùs religiosè Augustini vestigia premebat Fulgentius, cùm hæc ad Monimum scribe-
Ad Monim. l. 1. c. 17. ret: *Per concupiscentiam malam, qua concupivit plus extra se diabolus, minus factus est in se. Quam concupiscentiam licèt explere nequiverit opere, tamen retinuit voluntate. Sic ipse sibi jam factus est pœna, ut supplicium semper esset malo voluntas mala, tanquam cæco ipsa cæcitas sua; & concupiscentia peccati tormentum fieret peccatori; & rebellis ac refuga, qui illam imperturbabilem requiem fugeret, deinceps perturbationi serviret, atque à bono Domino relinqueretur justè, quem ipse reliquit injustè. Ita factum est, ut perseverans inordinatus ex se, ordinaretur in se; & in eo qui in se ordinem perderet, divini ordinis ratio non periret.* Ita semper invicta, semper victrix est Dei voluntas, non quia indifferentiam libertatis creatæ comprimit, non quia illam ad singula etiam mala juxta æternas definitiones suas ineluctabiliter prædeterminat; sed quia omnipotenter prohibet, ne quid mala voluntas possit, nisi quod ipse permiserit; quia adeo inultam finit abire malitiam, ut jam vel maxima sibi pœna sit ipsa voluntas mala; quia denique non potest voluntas creata ab ordine justitiæ deflectere, quin relabatur in ordinem vindictæ; atque ordinata semper sunt omnia, dum pœna sibi sua est omnis inordinatus animus. Quocirca rursus idem Fulgentius: *Deus itaque licèt author non sit malarum cogitationum, ordinator tamen est malarum voluntatum; & de malo opere cujuslibet mali non desinit ipse bonum operari. Nec in ipsis injustæ voluntatis operibus deserit operum suorum justum ordinem, quia & hoc in ipso ordine habet, quod malam justè deserit voluntatem. Quam tamen sic in suis malis operibus à se discedentem deserit, ut ibi permittentis Dei operatio bona non desit; dum & in peccantis voluntate injusta implet ipse justitiam; & de malo quo peccantem judicat, quibus ipse vult, beneficium prærogat.* Tandiu vincit, tandiu regnat omnipotentis Dei voluntas, quandiu vincit regnatque imperturbatus ordo. Hæc una enim Dei voluntas est, ut ordo servetur. At servatur ordo æterna Dei lege & omnipotenti voluntate firmatus, dum voluntas libera ita indifferentię suæ indulgere finitur, ut nec infructuosa bona, nec impunita mala sit: dum mali quod concupiscit tantum exequi finitur, quantum conducit pulchritudini universi, quibusdam veluti ex antithetis existenti; dum de malo malæ voluntatis opere implet Deus complura opera bona. Intra hujus doctrinę limites cohibuerunt se sancti Patres in divinę providentiæ, & omnipotentiæ, & voluntatis causa tuenda. Ibid. c. 18.

IV. Denique idem Fulgentius alibi: *Qui fecit quæ futura sunt. Futura quippè opera sua eo jam fecit quo incommutabiliter facienda disposuit. Unde* De verit. prædest. & grat. l. 3. c. 2. *rectè quidquid facturus est, jam ab ipso factum dicitur, in cujus operibus faciendis æterna dispositio & incommutabilis invenitur. Virtus enim sapientiæ Dei ex æternitate incommutabiliter omnia futura novit, irreprehensibiliter universa opera sua futura disposuit. Sic omnia quæ disposuit, irreprehensibiliter facit.* Vides ut verba suspendat & trutinetur Fulgentius, distinguatque ea quæ Deus pręscit, ab eis quæ disponit ac prædestinat. *Omnia futura novit*, sive ea facturus ipse esset, sive non facturus, sed permissurus. *Universa opera sua futura disposuit*: nec enim ante sæcula disponit, præfinit ac prędestinat, nisi quę facturus ipse est. Etsi ergo omnia futura novit, non omnia tamen disposuit, sed ea solummodo quę facturus ipse erat. Unde rursus: *Hinc est quod Deus noster, cujus universæ viæ misericordia & veritas, quia non solum omnia opera sua, quæ utique bona sunt, exquisita in omnes voluntates ejus: sed etiam quædam hominum & Angelorum opera mala quamvis in tempore facienda, ipse tamen incommutabilis & æternus incommutabili atque perenni cognitione præscivit, non solum ea disposuit, quæ ipse gratis quibus vellet donaret ut bonus, verùm etiam illa quæ & bonis & malis redditurus esset ut justus.* Apertè Fulgentius præscientiam à dispositione Dei sejungit, & pręscientiam non ad omnia tantùm opera Dei extendit, sed ad omnia etiam hominum Angelorumque opera mala: at dispositionem Dei restringit ad ea quæ bonis malisve Angelis & homi-

hominibus retributurus est præmia suppliciaque. Porrò omnipotentia divinæ voluntatis spectanda tuendaque nobis est in iis solùm quæ Deus disponit, non in eis quæ præscit.

V. Ambrosius peccata substantias & naturas non esse, ideoque à Deo nec facta esse nec decreta, sic docet: *Erant ergo tenebræ super abyssos aquarum. Non enim malas intelligendum arbitror potestates, quòd Dominus earum malitiam creaverit, cùm utique non substantialis, sed accidens sit malitia quæ à naturæ bonitate deflexit. Itaque in constitutione mundi opinio malitiæ interim sequestretur, ne divinæ operationi & pulcherrimæ creaturæ, ea quæ decolorata sunt, admiscere videamur.* Et infrà: *Numquid simul malitiam Deus creavit? Sed ea ex nobis orta, non à creatore condita, morum levitate generatur, non ullam creaturæ habens prærogativam, nec authoritatem substantiæ naturalis, sed mutabilitatis vitium, & errorem prolapsionis. Eradicari hanc Deus vult de animis singulorum, quomodo eam ipse generaret, &c.* Et rursum: *Si neque sine principio est quasi increata, neque à Deo facta, unde habet naturam malitia? Sed ex iis quæ jam diximus, possumus colligere, quia non est viva substantia, sed mentis atque animi depravatio, à tramite virtutis devia, quæ incuriosorum animis quàm frequenter obrepit, &c. Illa cavenda quæ ex nostra voluntate prodeunt delicta juventutis, &c. Quorum igitur nos sumus domini, horum principia extrinsecus non requiramus, nec derivemus in alios, sed agnoscamus ea quæ propriè nostra sunt. Quod enim possumus non facere, si nolumus, hujus electionem mali nobis potiùs debemus, quàm aliis adscribere.* Sic ille malitiam, cùm substantia & natura non sit, à Deo nec fieri, nec decerni docet, sed à nobis. (Hexame. L. 1. c. 8.)

Nec discrepat ab his Boethius in Consolatione Philosophiæ: *Nihil est quod mali causa ne ab ipsis quidem improbis fiat, quos bonum quærentes pravus error avertit; nedum ordo de summi boni cardine proficiscens, à suo quemquam deflectat exordio.* (L. 6. Prosa.) Hæc ipsa ratio, hæc origo peccati est, quam suprà nos prolixè declaravimus, quamque paucis hìc verbis Boethius perstringit. Ne improbi quidem *mali causa* & amore quidquam faciunt; *bonum quærentes pravus error avertit*. Ad bonum ergo incitantur, ad bonum à summo Bono moventur quicumque peccant; sed eo peccant, quòd bonum istud quod amant, quod captant, in vestigiis tantùm boni, in creaturis inquam sectantur, & ibi hærent, cessantque, nec ulteriùs tendunt illud sectari & quærere in ipso boni fonte Deo, prout intus excitantur. Unde ibidem Boethius: *Quo fit ut tametsi vobis hunc ordinem minimè considerare valentibus confusa omnia perturbataque videantur, nihilominus tamen suus modus ad bonum dirigens cuncta disponat.* Ordo quippè & voluntas summi Boni summique Dei ad bonum cuncta convertit & movet; pigritantes & huic motioni dimidia tantùm ex parte obsequentes voluntates, nec ultra creaturas bonum quærere pergentes in bono ipso, movere non cessat, & ita cruciat, torquetque, & ab ordine justitiæ cadentes, alio excipit indeclinabili ordine vindictæ. Peccatum enim ipsum pœna fit peccantis; & discerpitur voluntas, dum ipsa quidem affigit se bonis fluentibus, quæ illam fuga sua deserunt; trahitur verò interim supernè à bono stabili & permanente, quo uno cupiditas & jactatio ejus sedari potest. Nec isto tantùm ordine imperturbabili constat victoria voluntatis divinæ, sed & illo etiam æquè inexpugnabili, quod si mala fiunt, quæ fieri Deus permittit, ex his malis bonorum quamdam segetem Deus metet, atque ita rursum nihil erit causæ, cur Deum pœniteat mala permisisse. *Quidni cum à semetipsis discerpentibus conscientiam vitiis quique dissentiant; faciantque sæpè, quæ cum gesserint, facienda non fuisse discernant? Ex quo sæpè summa illa providentia protulit insigne miraculum, ut malos mali bonos facerent. Nam dum iniqua sibi à pessimis perpeti quidam videntur, noxiorum odio flagrantes, ad virtutis frugem rediere, dum se eis student esse dissimiles quos oderant. Sola est enim divina vis, cui mala quoque bona sunt; cum eis competenter utendo, alicujus boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem licèt in alium tamen ordinem relabatur, ne quid in regno providentiæ liceat temeritati.*

VI. Gregorio Magno nunc advertamus animos, horum providentiæ arcanorum rimatori acutissimo. Ita porrò ille censet, non peccata ipsa, sed ingentia bona quæ ex peccatis exprimentur, decretis & præmotionibus Dei niti: *Districto siquidem judicio permittit mala fieri, sed misericorditer providet, de his malis quæ per judicium irrogat, quæ bona facere disponat. Nam quæ major culpa quàm illa, quâ omnes morimur? Et quæ major bonitas, quàm illa per quam à morte liberamur? Et quidem nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret.* (In lib. Reg. L. 4. c. 1.) Illud sanè est mala non facere, sed permittere, & ordinare: providere scilicet, quæ bona ex illis malis sint exprimenda, quibus & illis ipsis fortasse malis medicina & reparatio instruatur. Et ipse Gregorius alibi: *Deus qui sine mutabilitate cuncta simul respicit, & sine distentione comprehendit, videlicet & bona quæ adjuvat, & mala quæ judicat; & quæ adjuta remunerat, & quæ judicans damnat, in his quæ diverso disponit ordine, diversus non est.* (Moral. l. 2. c. 14.) Et infrà: *Mirum est valdè quod dicitur, Ubi nullus ordo. Neque enim omnipotens Deus qui mala bene punit, inordinata esse ullo modo vel tormenta permittit; quia ipsa quoque supplicia, quæ ex lance justitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt.* (L. 9. c. 39.) Huc prorsus collineat tota defensio omnipotentis Dei voluntatis, non ut ipsa cuncta faciat, cuncta præfiniat prædestinetque; sed ut cuncta ordinet, cuncta ordine in aliquo coerceat, nihil penitus inordinatum dimittat; quod ab uno ordine labitur, in alium ordinem relabi curet. Cùm enim ordo rerum sit ipsa Dei voluntas; quidquid ordini subest, id voluntati Dei famulatur.

VII. Quocirca præclarè rursus idem Gregorius; *Et veniam usque ad solium Dei. Quæ verba etiam in hac vita positis justis conveniunt. Nam cum contra votum suum & desiderium quodlibet agi conspiciunt, ad occulta Dei judicia recurrunt; ut in eis videant, quia inordinatè intus non disponitur, quod inordinatum foris currere videtur. Cum enim præsidentem Angelicis spiritibus creatorem omnium fidei oculis contemplantur, ad ejus nimirum solium veniunt. Et quia considerant, quoniam is qui mirè Angelos regit, injustè homines non disponit: profectò inveniunt causales rationes quàm justæ sint, dum ipsæ causæ extrinsecus videantur injustæ.* Et alibi demonstrans quid impii à Deo habeant, dum perperam agunt: *Quæ in re quærendum est, cur dicatur quod hanc partem atque hæreditatem suam pravi ab omnipotente percipiunt? Sed rectè considerantibus liquet, quia etsi à seipsis habuerunt injustè agere, supernæ tamen æquitati suppetit injustè acta justè judicare: ut divina sententia ordinet in penam, quos inordinata sua actio traxit ad culpam.* (L. 18. c. 10.) Non aliter ergo omnipotentiam suam Deus prodit, ergà peccaminosas actiones hominum vel Angelorum, quàm ea quæ inordinata esse videntur, quia injustè fiunt, justè in justis pœnis ordinando. Unde alibi idem Gregorius in hæc verba Job, *Tempus posuit tenebris, & universorum finem ipse considerat:* hæc commentatur: *Universorum nomine & electos voluit, & reprobos comprehendi. Nam bona faciens & ordinans Deus; mala vero non faciens, sed ab iniquis facta, ne inordinatè eveniant ipse disponens,* (L. 18. c. 17.) con-

considerat universorum finem, & patienter tolerat omnia; atque intuetur electorum terminum, quod ex malo mutentur ad bonum; intuetur etiam reproborum finem, quod de malo opere dignum se trahantur ad supplicium.

VIII. His assentitur Ratramnus Monachus libro primo de Prædestinatione: *Quamvis pravæ cogitationes hominum non sint à Deo, non tamen ejus cognitionem effugiunt, aut voluntatis ejus dispositionem transgrediuntur. Unde bonarum cogitationum & author est, & ordinator; malarum verò ordinator tantum, non vero author.* Sed aliquanto majoris momenti est, quod idem Ratramnus inferiùs elucidandum Augustini locum adgreditur, quo dicitur Judas à Christo electus fuisse ad fundendum sanguinem suum. *Quod autem illum dicit electum ad fundendum sanguinem suum, propter illum occultæ prædestinationis ordinem dicit, qua universorum actus, id est, bonorum & malorum occulto judicio disponit. Quia etsi bona opera & cogitationes bonæ à Deo sunt tantum, malæ autem cogitationes ex concupiscentia rationalis creaturæ; sicut & mala opera ex mala concupiscentia, non autem à Deo; attamen divinæ dispositionis ordine moderantur. Quia in hac republica, quæ est universus mundus, omnipotens Deus sicut & rector, ita & dispositor est, & omnia quæ fiunt, illius dispositioni serviunt. Nam quamvis multa fiant, quæ contra illius voluntatem fieri videantur; unde tamen illius voluntati repugnare videntur, inde etiam ejus dispositioni serviunt.* Quorum verborum sensus iste est, Cogitationes malas, & opera mala à Deo non esse, à sola concupiscentia esse: sed quorsum evadat, & quem eventum sortiatur latitans cordis malitia, quæ à solo homine est, non in hominis, sed in Dei dispositione & potestate esse. Etsi enim mala non fiant faciente Deo, non fiunt tamen nisi permittente, & ordinante Deo; hoc est ita executionem malæ voluntatis, aut suspendente, aut relaxante, & per diversissimas occasiones admoderante, & huc vel illuc contorquente, ut vel ex iis quæ Dei voluntati repugnant, Dei voluntas impleatur. Ut Pharaonis ergo malitiam per varias occasionum illecebras Deus ad id deflexit, ut ad jussa sua obduresceret, multiplicandisque portentis & plagis locum daret: ita Judæ proditoris avaritiam non ex alio quàm ex propriæ concupiscentiæ fonte manantem, per variarum occasionum atque illecebrarum opportunitates Deus ad id potius erumpere disposuit, ut Christum proderet, quàm ad quodvis aliud flagitium.

L. 1. pag. 32. 52.

IX. Nec tamen propterea potest dici Deus peccati vel author, vel prædestinator: quia peccatum non est nisi illa voluntas mala, seu malitia cordi infixa, sive executio suspendatur, sive inhibeatur; sive huc, sive illuc feratur. Unde idem Ratramnus infrà sæpiùs hæc ingeminat: *Peccatum non est ex Deo. Neque enim author mali est Deus. Deus author mali non est, neque placet Deo iniquitas; & eorum quæ operatur Deus, prædestinator est, videlicet vel bonorum quæ redditurus est Sanctis, vel pœnarum quas iniquis puniendis illaturus est; at verò malorum sicut non est author, ita nec prædestinator. Nec enim peccatum ex Deo est, sed ex diabolo.* Ergo si Judam ad hoc singulare facinus elegit & prædestinavit Deus ante sæcula, pœna hæc fuit inveteratæ ejus malitiæ, unde ad illam prædestinari potuit; sed cum hæc mera sit executio malæ voluntatis, non propriè ipsa peccatum est, quia in sola intus voluntate tota peccati malitia residet.

L. 2. pag. 68. 88.

X. Bernardus in Sententiis de quatuor gradibus agens profectus Electorum, hæc habet in rem nostram opportuna: *Duo præstabit ei justitia, unum ut faciat quod debet, alterum ut patiatur quod debet; scilicet ut si bonum non fecerit quod debuit, malum quod meruit patiatur. Sic miro modo ne deserendo quidem justitiam, ab ipsa deserimur; dum per ipsam quilibet prævaricationis reatus punitur.* Et Aelredus in speculo Charitatis: *Cùm non sit Deus malorum creator aut inventor, est tamen ipsorum malorum prudentissimus ordinator.* Et Petrus Cluniacensis Abbas contra Petrobrusianos disputans: *Benignus enim Deus, cujus universæ viæ misericordia & veritas, sic existens justus, ut non desinat esse misericors; sic misericors, ut justus semper permaneat; in rebus quas creavit, nec etiam mala quæ non creavit, inordinata esse permisit. Unde peccatum hominis, quod velut aliunde in regnum ejus se non justè immiserat, justè ordinans, peccatorem damnavit, ac sempiternæ fœlicitatis profugum, miseriæ ac morti æternæ contradidit. In tantum quippè reus factus fuerat, ut omnino culpa ejus in regno ejus ordinatissimo inordinata remaneret, si minore quàm æterno supplicio Dei justitia peccatorem puniret.* Quo fiat ut regnum Dei ordinatissimum sit, hic declaratur, quod perinde est, atque ut invicta semper sit Dei voluntas: nimirum ut aut non peccetur, aut digno supplicio peccator afficiatur. Alterutro enim ordo incorruptus perstat. Denique Hugo Victorinus in Tractatu de Sacramentis: *Simili modo dispositio divina dupliciter consideratur. Bona quippè dispositionem desuper habent, & ut sint, quia bona sunt, & ut sic sint, quia ordinata sunt. Mala verò ex dispositione superna non habent quod sunt, quia mala sunt; & tamen habent quod sic sunt, quia ordinata sunt. Deus enim malum non facit, sed cum factum est, inordinatum esse non permittit, quia malorum author non est, sed ordinator.*

Cap. 1.

Bibl. Clun. pag. 1182.

Part. 2. L. 1. c. 30.

Vvillelmus Parisiensis eandem prorsus iniit rationem, ut divinæ voluntatis efficaciam omnipotentem tueretur: *Cùm totus mundus ut domus sit Creatoris & aula ejus regia, in qua habitat cum tota familia sua & opulentia, quid mirum si ad nutum omnipotentissimæ voluntatis ipsius omnia in ea fiunt, & singula? Voluntatis dico, vel imperantis, vel prohibentis, vel utrumlibet permittentis, & ordinantis unumquodque malorum quæ fiunt, cui prosit, cui noceat, ordinantis inquam lege æquissima. Et præscriptus sapiens de gente Christianorum hoc expressit in sermone suo, dicens, Nihil fit in tota rerum universitate, tanquam in Republica universali, quod non ab intelligibili aula summi Imperatoris, aut volendo & jubendo, aut sinendo seu permittendo procedat. Qui neque sinit aut permittit fieri, nec eos ipsos qui hic male agunt à cura & providentia sua scorsum sinit aut relinquit; quin potius ipsos male agentes sic ordinat, ut Creatoris judicium & justitiam contra semetipsos exequantur: & ipsæ malæ actiones eorum, creatoris sint arma & vindictæ justissimæ.* Quæ vides quàm consentiant adprimè Augustino. Et infrà idem: *Dico igitur quia in potestate nostra est, avertere nos à largitate & beneficentia ipsius, quemadmodum possibile est tenenti vas, avertere illud à desuper cadente pluvia. Sic stulti & mali faciunt, dum corda sua, quæ sunt vasa virtutum, & gratiarum receptacula, convertunt ad vitia, & peccata. Avertunt enim vasa hujusmodi à largitate & beneficentia Creatoris, quæ parata est descendere velut imber, descendens à fonte redundantissimo, quæ est bonitas Creatoris, &c. Patefactum igitur est per hæc, quia multæ sunt de operationibus primæ causæ, quas possumus avertere vel prohibere, ne fiant in nobis; verumtamen non contra voluntatem Creatoris, id est, eo invito. Et propter hoc non est mirum, si intimius, & diligentius consideres. Non est hoc propriè atque totaliter in potestate nostra. Cum etiam aversio ipsa, vel perversitas hæc adeo sit in potestate Creatoris, ut eam prorsus à nobis tollat, cum voluerit, & dispositiones contrarias & præparationes ad dona sua recipienda nobis dare possit, quandocumque fuerit dignatio bonitatis ejus. Eo igitur sinente, vel permittente sic, ab ejus muneribus manus*

Prim. par. de univ. par. 3. c. 14. & 21.

manus nostras, sive vasa cordium nostrorum avertimus, & propter hoc eadem non recipimus, & hoc facimus ex viribus, sive virtutibus naturalibus, quas ipse nobis donavit. Non igitur ex aliqua potestate, qua ei resistere possimus, adeo perversè agimus. Vides ergo quia propriè non debet dici, esse in potestate nostra, contra quem nihil possumus: ex cujus viribus ab ipso nobis donatis, per abusionem ipsarum, eo tamen non injustè, sed justo judicio permittente, non ipsum Creatorem impedientes, sed nos ipsas gravissimè lædentes, dona ejus optima à nobis repellimus. Sic ille declarat, nunquam divinæ resisti voluntati & potestati, etiam à peccantibus. Quia & cum gratiarum suarum munera semper instillare præsto sit, vult, ut recusare possimus; & liberum arbitrium ipse dedit; & quo voluit modo vires ejus ipse dimensus est; & rebelles quandocumque vult, sibi subjugat voluntates; & quos adversum jussa sua insanire sinit, ipsos tamen clandestinis cuniculis circumagit, & suæ famulari cogit voluntati. Ita invicta semper est voluntas

Ibid. c. 14. Creatoris, *quoniam in ejus potestate est, unumquodque eorum quæ sunt, ut sit, vel non sit, ut fiat, vel non fiat, & etiam vitia & peccata destruere & exterminare omnino, quoniam hoc est eximiæ ac dominantissimæ potestatis. Ipsa autem facere, vel procurare ut fiant, non est ulla modo potestatis ejusdem, quia hoc est debilitatis ac vilissimæ servitutis.* Denique cum dixisset Deum decrevisse ante sæcula quidquid in naturis & voluntatibus bonis operaturus erat ipse in tempore, tandem addit, *Mala verò culpabilia, quæ vitia dicuntur, atque peccata, dixit apud semetipsum futura atque prævidit; nec voluit ut essent ex ipso, vel ab ipso, vel per ipsum, quoniam non decet gloriam ejus, vel bonitatem, ut sit causa talium. Statuit igitur apud se in Verbo suo omnipotentissimo, & per ipsum, non prohibere ea esse, sed limitare, atque ordinare, & moderari: limitare quidem, ne eo usque prosilirent, quocumque mali homines vel mali dæmones vellent aut suggererent. Moderari verò multiplicibus repressionibus ac resistentiis, quas omnes sola totaliter novit sapientia ipsius: ordinare quoque ut non ante vel prius fierent, quàm ipse utilitates illas ex eis eliceret, propter quas ea permittenda potius elegit, quàm quo minus essent, avertenda, seu prohibenda.*

XI. Græcorum pro hac eadem doctrina conspirantium idoneus erit fidejussor Clemens Alexan-

Strom. l. I. pag. 228. drinus: *Deo nihil adversatur, nec est quidquam ei contrarium, ut qui sit Dominus & omnipotens. Quin etiam eorum qui defecerunt, consilia & operationes, cum sint singulares, fiunt quidem ex mala affectione, sicut morbi corporis: ab universa autem ac generali providentia administrantur ad finem salubrem, etiam si causa sit morbi effectrix. Est itaque maximum divinæ providentiæ argumentum, quod non sinat, ut vitium, quod ex voluntatis definitione ortum est, inconducibile maneat & inutile, sed nec sit omnino noxium. Divinæ enim sapientiæ & virtutis & potentiæ est officium, non solum benefacere; hæc est enim, ut semel dicam, Dei natura, ut ignis calefacere & lucis illuminare: sed illud quoque maximè, ut id quod per malos aliquos excogitatum est, ad bonum aliquem finem & utilem deducat, & utiliter iis*

L. 6. *quæ videntur mala utatur.* Nihil expressius, nihil manifestius desiderari potuit. Germana hæc est ratio, & apud Latinos Græcosque Patres constantissima ratio explicandæ divinæ voluntatis omnipotentiæ. Nec ab his dissident, quæ disputat Origenes contra Celsum.

CAPUT XVII.

Quæ Deus mala facturus non est, sed tantùm permissurus; bona item quæ facturus est, non tamen indeclinabili adjutorio: ea ille non præscivit aut prævidit futura in decretis suis; sed præsentia scivit viditque in æternitate sua.

I. Ex decretis consiliisque suis sempiternis non præscit Deus, vel ulla ceccata, quia nulla facit: vel illa bona, quæ indeclinabils adjutorii motione non facit.

II. Omnia à Deo futura præsciri, etiam quæ ipse facturus non est, indubitatissimum est.

III. Res futuras, quas in decretis suis non videt, an videat Deus in causis liberis, nempe ineffabili earum comprehensione.

IV. Variis rationibus demonstratur, omnia prorsus futura, sive quæ facit, sive quæ non facit Deus, ab eo non præsciri: non prævideri, sed sciri, sed videri, ut semper præsentia, & verè existentia in æternitate ejus, omnia complectente temporum volumina.

V. VI. Augustini suffragia & argumenta ad hanc omnium rerum præsentiam & coexistentiam stabilendam in æternitate divina.

VII. Assentitur Auctor librorum de Vocatione Gentium.

VIII. IX. Et Gregorius Magnus. Porrò ubique realis hæc astruitur rerum omnium præsentia, & jugis existentia in æternitate Dei.

X. Auctor Carminis de Providentia apud Prosperum.

XI. Boethius etiam realis futurorum præsentiæ assertior.

XII. Anselmus eidem omnipræsentiæ reali suffragatur. Ex eodem quomodo sit Deus ante omnia tempora, cum ante tunc nullum esset: quomodo post omnia temporalia, cum quædam sint nunquam desitura. Nimirum cætera omnia præter Deum cogitari possunt nunquam fuisse, & aliquando non fore.

XIII. Etsi sempiterna esset aliqua creatura, & retro & post, superaret eam Deus, quod tota ei semper sua coexistat æternitas.

XIV. De reali rerum præsentia in æternitate Dei agit Anselmus.

XV. Idem Bernardus.

XVI. Et ex Græcis Dionysius, & Pachymeres.

I. CUm tam multis hactenus & tam inconcussis demonstratum sit documentis non præfiniri à Deo ante sæcula malas, sive hominum, sive Angelorum voluntates, nec illas ab eo effici in tempore, sed tantùm permitti: quin & bona aliqua esse, quæ etsi adjutorio divino fiant, non ejusmodi tamen adjutorio ea fiant, quo creata libertas indeclinabiliter agatur; ex quo fit ut nec hujusmodi bona æternis Dei decretis præfiniri & prædestinari potuerint: cum non præfiniat aut prædestinet Deus absolutis his decretis suis, nisi ea bona, quæ inexpugnabili adjutorio suo perfecturus est, aut ea supplicia quæ malis inflicturus: hinc efficitur non posse à Deo præsciri in decretis suis vel futura peccata, vel illa etiam bona, quæ quanquam Dei ope fiant, non tamen indeclinabili gratiæ vi ac potestatæ fiunt.

II. Si decretis porrò divinis horum præscientia non innitatur, superest ergo nunc illud investigandum, ubi & quomodo præsciantur, quandiu ea in seipsis nondum existunt. Præsciri enim omnia prorsus futura à Deo, contestantur omnes Scripturarum propemodum paginæ, quibus vel vaticinia continentur, vel ea narrantur impleta quæ sacri Vates

olim

olim prædixerant. Unde non immerito Tertullianus, *Dei præscientia tot habet testes, quot fecit Prophetas*. Et Augustinus: *Cicero coarctat animum religiosum, ut unum eligat è duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum; quoniam utrumque arbitratur esse non posse; sed si alterum confirmatur, alterum tolli, &c. Itaque ipse ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium, quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum; atque ita dum vult facere liberos, fecit sacrilegos. Religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur*. Adeò non repugnat autem libertas creata præscientiæ Creatoris, ut ab ea potiùs confirmetur. Libera enim indubitatissimè voluntas est, quam liberam fore Deus præscivit: *Nec timemus, ne ideo non voluntate faciamus, quod voluntate facimus; quia id nos facturos ille præscivit, cujus præscientia falli non potest*. Præscivit enim Deus non solum volituros, sed libere & indifferenter volituros; *Non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præscivit, quid esset futurum in nostra voluntate. Non enim qui hoc præscivit, nihil præscivit. Porrò si ille qui præscivit, quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid præscivit; profectò & illo præsciente est aliquid in nostra voluntate*.

Con. Marci. L. 2. c. 5. Civit. l. 5. c. 9. Ibidem. Ibid. c. 10.

III. Cùm ergo indubitatissimum sit futurorum omnino omnium præscientiam in Deo esse; facillimè intelligitur ex vi Decretorum suorum præscire Deum, quæ ipse facturus est, utique bona, si modò ea facturus est omnipotente & indeclinabili vi ac potestate sua. Id satis copiosè supra declaratum est, ubi præscientiam à prædestinatione discrevimus, & ubi non prædestinari à Deo ex sanctis Patribus ostendimus, prædestinando præsciri, nisi ea vel bona, vel malorum supplicia, quæ facturus ipse est; cætera præsciri tantùm ab eo, non prædestinari.

Cætera autem vel mala, utpote peccata, vel bona, siqua sint, ad quæ non agat Deus voluntates creatas insuperabili auxilio, cum nec præfiniri, nec in præfinitionibus sui æternis præsciri possintà Deo, indagandum nobis nunc est, quomodo ab eo præsciantur. Nec enim in seipsis, cum in seipsis necdum sint, quandiu futura sunt. Nec in causis sui particularibus, cùm earum libertas sua sponte mera indifferentia sit, antequam agant, & agendo sese determinent. Quo altiùs enim & penitiùs introspicies naturam voluntatis liberæ, & indifferentis, eo majorem penitioremque indifferentiam deprehendes. Ecqui enim fieri potest, ut altiori vestigatione naturæ indifferentis determinationem aliquam reperias? Non dissimulavimus tamen sui supra locis, aliquos sanctorum Patrum videri divinam istiusmodi futurorum præscientiam expressisse ex comprehensione voluntatis creatæ, cujus medullas & fibras omnes penitissimas Deus videt, in iisque futurarum ejus propensionum, motionumque quasi latentes radices deprehendit. Si cui ea ratio satisfacit, per me licet, non intercedo. Video tamen aliam certiorem & sanctis Patribus usitatiorem superesse viam ac rationem expediendæ hujus difficultatis.

IV. Videntur enim sancti Patres omnino id statuisse, Deum & quæ facturus ipse esset, & quæ non facturus, sed permissurus tantùm esset, non tam præscisse aut prævidisse futura, quàm scisse & vidisse: imò non tam scisse & vidisse, quàm scire & videre semper sibi præsentia, in immenso æternitatis suæ sinu, in unum simplicissimæ præsentiæ veluti punctum collecta. Liquet id quidem ex Scripturis, quæ Deum fecisse prædicant quæ ventura sunt. His enim verbis docemur, quæ nobis futura sunt, ea jam Deo facta & præsentia adesse. Liquet id ex Prophetarum curiosissima incuriositate, tempora omnia promiscuè confundentium, quod quodam quasi commodatitio æternitatis oculo ad aliquot momentorum usuram donati, interim omnia tempora simul coram posita despectarent. Liquet id ex eo, quod Deo nihil abesse potest; nihil ille ut futurum expectat; nihil ut elapsum amittit; omnia ad manum & ob oculos jugiter habet. Liquet id quia siqua Dei esset vera præscientia, aliter ille sciret præsentia, aliter præterita, aliter futura; futura expectaret, præsentia conspiceret, præterita meminisset. Ergo scientia ejus ipsis rerum mutationibus mutaretur. Liquet id ex eo quod æternitatis præsentia etsi tota simul & in unum collecta sit, infinita tamen est, sinuque suo omnia temporum volumina complectitur & constringit. Ergo quæcumque aliis & aliis temporibus sparsa sunt, æternitati omnia tempora ambienti præsentia sunt. Liquet id ex eo quod præscire homini utilitatem aliquam adfert, ut ne imparatum obruant inopina rerum, ut consultet, ut præmuniat se, ut caveat. At Deus non priùs consultat ulla de re, non deliberat, non præcavet, ergo præscientia nulli usui penes illum fuerit. Liquet id, quia non fluit Dei ætas cum tempore, sed extra omnia tempora stat, eaque coram se, & circum se fluere contemplatur. Non ergo prævidet priùs res futuras, & postea videt præsentes, denique meminit præteritas, sed circa se fluentes semper videt. Liquet id quia ante mundum conditum nulla erant tempora, ut quæ cum mundo condita sint. Quomodo ergo ante mundi creationem quidquam prævidisset Deus, cum nullum sit *ante*, ante mundi temporisque exortum.

Et hæ quidem rationes si maturiùs pensitentur, non, ut vocant, objectivam tantùm, sed realem rerum præsentiam in æternitate Dei evincunt. Nam quod futurum est, & nondum est, sed præeunte scientiæ oculo quasi præsens videtur, id verè abest, id expectatur; id aliter scitur præsens, aliter expectatur futurum; id æquè ab intellectu creato illuc præcurrente spectari potest; cum illa præsentia dequa hìc agitur, propria sit æternitatis, ut collectissimæ & expansissimæ, ut omnia tempora complicantis, omnia sibi explicantis.

V. Nostro jam more suffragia promemus sanctorum Patrum, quibus & ista doctrina approbetur, & prælibata confirmentur argumenta. Augustinus ita luculentè ad Simplicianum: *Quis est hominum, cui non occurat in Deo cuncta præsciente pœnitentiam esse non posse? cùm verò aliquis liquidiore consideratione ista pertractans, quæsierit quemadmodum vel ipsa præscientia Deo congruat, & invenerit hujus etiam verbi notionem ejus ineffabili Deitate longè latèque superari; non miraretur utrumque de illo propter homines dici potuisse, de quo utrumque propter ipsum incongruè diceretur. Quid est præscientia nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim in scientia res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes: ac per hoc non jam præscientia, sed tantum scientia dici potest. Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud eum nondum sunt quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo, bis ergo ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero vero modo secundum præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ Dei, quod absurdissimum atque falsissimum est*. Ubi omnia Deo non objectivè, id est, non præfestinatione & occursatione præeuntis scientiæ, sed verè & realiter simul præsentia esse, & velut præsentia à Deo videri contendit, quod Deus omnia tempora supergrediatur, & uno apice simplicissimæ durationis suæ cingat: quod illi nihil abfit, nihil futurum sit; quod ejus scientia, sicut & substantia incommutabilis sit, nullasque temporum vices patiatur. L. 2. q. 2.

VI. Et rursus idem alibi: *Non quod ullo modo Dei scientia varietur; ut aliud in ea fiant, quæ nondum sunt, aliud quæ jam sunt, aliud quæ fuerunt. Non enim more nostro ille, vel quod futurum est prospicit, vel quod præsens est aspicit, vel* Civit. l. 11. c. 21.

vel quod præteritum est respicit: sed alio modo quodam à nostrarum cogitationum consuetudine longè lateque diverso. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutaliter videt: ita ut illa quidem quæ temporaliter fiunt, & futura nondum sint, & præsentia jam sint, & præterita jam non sint: ipse verò hæc omnia stabili ac sempiterna præsentia comprehendat; nec aliter oculis, aliter mente, non enim ex animo constat & corpore; nec aliter nunc, & aliter antea, & aliter postea; quoniam non sicut nostra, ita & ejus quoque scientia, trium temporum, præsentis videlicet & futuri, vel præteriti varietate mutatur; apud quem non est immutatio, nec momenti obumbratio. Sive scientiæ ergo, sive æternitatis Dei incommutabilitas, immensitas, unitas, simplicitas, ita cogunt fateri, omnia prorsus vel futura, vel præterita Deo semper præsentia esse, non objectiva tantùm, sed reali & verissima præsentia. Unde

L. 10. c. 11. idem alibi: *Nam temporalia movens Deus, temporaliter non movetur; nec aliter novit facienda, quàm facta; nec aliter invocantes exaudit, quàm invo-*

Tract. 99. In Joann. *caturos videt.* Et alibi denique: *Quamvis enim natura Dei immutabilis & ineffabilis non recipiat fuit & erit, sed tantum est; ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest; & ideo illi tantùm convenerat dicere, Ego sum, qui sum: tamen propter mutabilitatem temporum in quibus versatur nostra mortalitas, & nostra mutabilitas, non mendaciter dicitur, & fuit, & erit, & est. Fuit in præteritis sæculis, est in præsentibus, erit in futuris. Fuit, quia nunquam defuit; erit quia nunquam deerit; est quia semper est. Neque enim velut qui jam non sit, cum præteritis occidit; aut cum præsentibus velut qui non maneat, labitur; aut cum futuris velut qui non fuerit, orietur. Proinde cum secundùm volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora, verè dicuntur de illo cujuslibet temporis verba. Semper itaque audit Spiritus sanctus, quia semper scit. Ergo & scivit, & scit, & sciet. Ac per hoc & audivit, & audit, & audiet; quia sicut jam diximus, hoc est illi audire, quod scire; & scire illi hoc est quod esse.* Vides ut incommutabilitas una eademque sit & essentiæ & scientiæ Dei, utque ejus scientiæ ideo nihil præteritum, nihil futurum esse possit, quia nec essentiæ & æternitati.

VII. Nec ab his dissentiunt illa authoris libro-

L. 2. c. 34 rum de Vocatione Gentium: *Non intelligunt scientiam Dei, quæ & præterita & præsentia & futura complectitur, tempore non teneri; & tam in conspectu ejus astare ea quæ gerenda sunt, quàm illa quæ aut geruntur, aut gesta sunt. Quod cum verissimum sit, non indiget mora cernendi & discernendi illa virtus, quæ perpetuo veroque contuitu creata & creanda, orta & oritura, acta & agenda simul aspicit; & quidquid in universitate rerum per sæcula præfinita evolvitur, ac multimodis varietatibus explicatur: id totum in eo jam ordine comprehendit, quem ex ipsius summo illo perfectoque judicio mundi hujus finis accipiet.* De sola cognitione & scientia verba facit hic scriptor, & manat tamen ejus rationum vis in ipsam substantiam Dei, cui necessum est, ut immensitas & simplicitas æternitatis suæ constet, præsentia simul esse omnia, quæ nobis partim præterita, partim futura sunt. Nisi enim hæc coram reapse Deo adsint præsentia, non poterit non ejus scientia alia & alia esse, & identidem mutari, cùm res ex futuris præsentes, ex præsentibus præteritę fient.

VIII. Sed eliquatissimè Gregorius Magnus rem ut est explanavit his verbis, quorum splendorem

Moral. l. 20. c. 23. nulla caligo obscurare poterit: *Quomodo est præscius, dum nulla nisi quæ futura sunt præsciantur? Et scimus quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt. Quippè quia omne quod nobis fuit, & erit, in ejus prospectu præsto est; & omne quod præsens est, scire potest potius quàm præscire.* Et paulò pòst: *Ascendat qui potest ad incommutabilitatem Dei, ut videat sine zelo zelantem, sine ira irascentem, sine dolore & pœnitentia pœnitentem, sine misero corde misericordem, sine prævisionibus præscientem. In illo enim nec præterita, nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant; & quæ in seipsis existere simul non possunt, illi simul omnia assistunt; nihilque in illo præterit, quod transit: quia in æternitate ejus modo quodam incomprehensibili cuncta volumina sæculorum transeuntia manent, currentia stant.* Quo nihil dici, nihil optari potuit expressius ad realem temporum temporaliumque omnium pręsentiam ęternitati divinę, substantię divinę, scientię divinę sistendam.

IX. Et idem rursum Gregorius alibi: *Quomo-* L. 31. c. 8.

do ergo Deus præteritorum reminiscitur, cum ipsa quæ in semetipsis prætereunt, ejus nutui semper præsentia assistant? Aut quomodo absentium recordatur, dum omne quod est, per hoc illi præsto est, quod in ipso est? Et alio loco: *Cujus æternitatis immensitas, quia ultra citraque supra nos tenditur, sine inchoatione & termino ejus æternum esse dilatatur; eique nec transacta prætereunt; nec adhuc ventura, quasi quæ non appareant, desunt; quia is qui semper esse habet, cuncta sibi præsentia conspicit, cumque aspiciendo post & ante non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur.* Constanter Gregorius in eo heret, ut non ideo futura & pręterita omnia Deo presentia sint, quia ejus scientia omnia illa vel anticipat ante quàm sint, vel renovat sibi postquam effluxerunt; sed ideo potius omnia pręsto sint ejus scientię, quę ideo non pręscientia, non pręvisio, sed scientia & visio est, quia incommutabili ejus ęternitati, immensęque ętati omnia reapse pręsentissima sunt, consentitque scientia Dei ejus substantię. L. 9. c. 26.

X. Author Carminis de Providentia apud Prosperum ab hac eadem doctrina non deflexit, cum hanc elegantem æternitatis divinæ imaginem nobis expinxit.

At verò æternum nihil effugit, omniaque adsunt
Salva Deo, nihil est illi tardumve citumve,
Nec dilata unquam, nec festinata putemus.
Quæ veniunt nostris mutantur tempora rebus;
Nam quod ubique agitur, quod gestum est, quodque gerendum est,
Ante oculos Domini puncto subsistit in uno.
Una dies cui semper adest, cras atque here nostrum.

XI. Nec minùs præclarè Boethius in Consolatione Philosophię: *Quoniam igitur omne judicium secundùm sui naturam, quæ sibi subjecta sunt, comprehendit: est autem Deo semper æternus ac præsentiarius status, scientia quoque ejus omnem temporis supergressa motionem, in suæ manet simplicitate præscientiæ; infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi jam gerantur, in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præscientiam pensare velis, quæ cuncta dignoscit; non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectius æstimabis. Unde non prævidentia, sed providentia potius dicitur.* Scitè & solidè Boethius priùs constituit simplicem, stabilem, & immensam divinę substantię ęternitatem, cui pręsentissima semper sunt omnia, & tempora, & temporalia, quę nobis per tantas pręteriti futurique vices distrahuntur: *Deo semper æternus ac præsentiarius est status:* & consequenter pręscientiam quoque Dei peræquè omnia tempora, ut sibi verissimè pręsentia prospectare affirmat: *Scientia ejus omnem supergreditur temporis motionem:* nimirum modus cognitionis & scientię consentiat necesse est modo substantię: *Omne judicium secundùm sui naturam, quæ sibi subjecta sunt, comprehendit.* Ex quo fit, ut & Prosa ult. L. 5.

sub-

ſubſtantię & ſcientię Dei omnia adſint pręſentia ſtante & indeficiente: *Scientia nunquam deficientis inſtantia*.

XII. Hanc eandem eſſentię & ęternitatis divinę immenſitatem & infinitatem in uno veluti puncto totam conglobatam & ſtantem complexus eſt & Anſelmus in Proſologio, ubi Deum ita alloquitur: Cap. 20. *Tu ergo imples, & complecteris omnia, tu es ante & ultra omnia. Et quidem ante omnia es, quia antequam fierent, tu es. Ultra omnia verò, quomodo es? Qualiter enim es ultra ea quæ finem non habebunt? An quia illa ſine te nullatenus eſſe poſſunt; tu autem nullo modo minus es, etiamſi illa in nihilum redeant? Sic enim quodammodo es ultra illa*. Luculentam verſat hìc Anſelmus quæſtionem, eamque duplicem, Quomodo Deus ſit ante omnia, & quomodo ultra omnia? Et illam quidem priorem paucis abſolvit, Quomodo ſit ante omnia? Nimirum quia erat Creator, antequam fierent ullę creaturæ. Si urgeat autem aliquis, Quomodo ſit Deus ante creaturas & ante tempora, cùm ante tempora, ne ante quidem eſſet ullum: ante enim & poſt nonniſi temporis res ſunt? Hunc nodum ne attingit quidem Anſelmus: ſed ea reſpondet tertio loco ad ſecundam quæſtionem, unde lux accerſiri poterit ad primæ iſtius uberiorem elucidationem. Ad ſecundam enim quæſtionem triplex adhibet reſponſum. Quorum primum jam protulimus, nimirum Deum eſſe ultra omnia, & ultra ea etiam quæ nullum ętatis, ſeu ævi ſui habitura ſunt finem; quia hanc eſſendi perennitatem Deus à ſeipſo habet, & nulli obnoxiam habet: cætera autem à Deo habent, & à divino nutu ſuſpenſam habent. Sic enim præcellentiſſimo quodam ſenſu ultra omnia etiam ſempiterna eſt.

Secunda verò Anſelmi reſponſio iſtiuſmodi eſt: *An verò quia illa etiam cogitari poſſunt habere finem, tu verò nequaquam? Nam ſic illa quidem habent finem quodammodo, tu verò nullo modo. Et certè quod nullo modo habet finem, ultra illud eſt, quod aliquo modo finitur*. Itaque quantumvis ſempiternæ ſunt Angelicæ ſubſtantiæ, non tamen coævæ Deo ſunt, & ultra illas nunquam deſituras Deus extenditur: quia etſi nunquam deſituræ ſint, deſinere tamen poſſunt; & ſi finem habituræ nunquam ſint, habere tamen poſſunt, ſi ceſſaret Dei in eas beneficentia. Porrò illud ipſum poſſe finiri jam finis quodammodo eſt. In ſubſtantiæ enim ſuæ medullis radicem quandam nihil ſuperſtitem geſtant, ex qua fit ut in nihilum redire Deo jubente queant.

XIII. Tertia Anſelmi reſponſio eaque longè præſtantiſſima, & cujus lux utrique ſolvendæ quæſtioni abundè ſit, ita habet: *An hoc quoque modo tranſis omnia etiam æterna; quia tua & illorum æternitas tota tibi præſens eſt, cum illa nondum habeant de ſua æternitate quod venturum eſt; ſicut jam non habent, quod præteritum eſt? Sic quippè ſemper es ultra illa, cum ſemper tibi ſis præſens; ſeu illud ſemper ſit tibi præſens, ad quod illa nondum pervenerunt*. Hic cardo rei totius eſt. Etſi ſempiterna ſine initio & ſine fine eſſet aliqua natura creata, ante illam tamen & ultra illam eſſet Deus, non tempore, ſupra & extra tempora enim Deus eſt; ſed æternitate, quia tota ſimul ſua ſempiternitate Deus fruitur, cùm natura creata non poſſit niſi fruſtillatim ſua frui, nimirum momento & uſura præſenti, recordando tantùm præterita, expectando futura quodam modo infinita, quæ jam non habet, vel nondum habet, uniuſque velut intra puncti anguſtias concluditur, cùm Deus ſtante ſimul totius immenſæ ęternitatis ſuæ præſentia ſemper gaudeat. Illud verò eſt, ante omnia & ultra omnia etiam ſempiterna eſſe.

XIV. Cæterùm perſpicuum eſt non agi hic ab Anſelmo de divinæ ſcientiæ, ſed de divinæ ſubſtantiæ infinita & ſtante præſentia ad omnia tempora, vel omnium temporum præſentia ſtante & conſtante ad ipſam. Sed tantò plus hinc lucis hauritur ad illuminandam ſcientiam Dei. Si enim omnia tempora ante & retro, ſi omnia prorſus temporalia, quæ divina cingit & complectitur æternitas, verè præſentia illi ſunt; non jam magnopere laborandum eſt in rimando, quomodo quæ futura contingentia & libera à nobis dicuntur, à Deo cognoſci & reſciri poſſint. Cùm enim præſentia jam ſint æternitati, non futura, utique à Deo, ut coram poſita videntur, non ut futura prævidentur. Sive ergo faciat Deus, ſive non faciat, ſed permittat; ſive prædeſtinet, ſive non prædeſtinet, nec decretis ſuis res aliquas futuras præfinire occupet; eas non ut futuras, ſed ut præſentes in ſua æternitate videt. Et ſi quas prævertit in ſuis decretis definire, eas in ſuis quoque decretis ante videt; reliquas quas præfinire abſtinet, in hac immenſa æternitatis omnipræſentia videt.

XV. Hæc paucis complexus eſt Bernardus in Cantica, ubi de ſumma Trinitate agens: *Tempora ſub ea tranſeunt, non ei. Futura non expectat, præterita non recogitat, præſentia non experitur*. Serm. 80. Hæc Bernardi & ad ſubſtantiam & ad ſcientiam divinam æquè pertinent.

XVI. Ad hanc eandem doctrinam acceſſiſſe videtur è Græcis Dionyſius: *Itaque mens divina comprehendit omnia cognitione quadam eminenti, qua ſecundùm ipſammet omnium cauſam in ſe omnium cognitionem anticipat; priuſquam Angeli fierent, cognoſcens Angelos, eoſque creans; cateraque omnia intus, & ab ipſo ut ita dicam exordio noſcens, & in rerum naturam proferens. Idque arbitror Scripturam ſignificare, cùm ait, Qui novit omnia priuſquam fiant*. De divin. Nom. c. 7. n. 2. In quæ verba ſcitè Pachymeres hæc adnotavit: *Ut divina mens omnia contineat, ſecundùm eminentem quandam cognitionem omnium notitiam anticipando, tanquam cauſa omnium, omniaque intrinſecè noſcens, & non ex alio, neque per aliquam aliam præexiſtentem cognitionem: & ab ipſo initio noſcens; non ab initio rerum productarum, ſed ab univerſali initio Deo. Quod cùm non ſatis commodè in Deo accipi poſſit, quoniam Deus ſine initio eſt, & pluſquam ſine initio; correxit illud, addendo, Ut ita dicam*. Res ergo creatas creandaſque noſcit Deus non in ipſis, ſed in ſeipſo; & ab initio noſcit, non ipſarum, ſed ſuo. Quod non video, quì commodè poſſit exponi niſi de æternitate Dei, creatas res omnes antecedente, non tempore, ſed incommutabilitate infinitæ durationis ſuæ, quæ tota ſibi præſens eſt. Ex hoc initio Deus res videt antequam ſint, etſi nullla tempora præceſſerit; & in ſeipſo illas videt, quia vi immenſa æternitatis fit, ut præſentes Deo ſint, quæ ſibi futuræ præteritæque ſunt.

CAPUT XVIII.

Etiam præſcire dici poteſt Deus ea, quæ non videt niſi præſentia in æternitate ſua; horum etiam cauſa dici poteſt ejus ſcientia.

I. Etſi præſentia ſint æternitati Dei futura omnia, illa tamen præſcire dici poteſt, ut & antecedere, ut eorum cauſa, vel faciens, vel permittens, eòque volens.

II. Argumenta ex Auguſtino promuntur.

III. Ex eodem ut omnia tempora Verbo Deo competant, ejuſque ſcientiæ, ob ſtantem ſemper æternitatem, quæ omnia tempora complectitur.

IV. Aſtipulatio Gregorii Magni.

V. Luculentè Prudentius contra Scotum Erigenam docet,

docet, etsi translatè, verè tamen prædicari præscientiam de Deo, & de Deo solo.

VI. Ex Anselmo Deus est sempiternis anterior, ulteriorque, principio antiquior, præsentia antecedens, & præsciens.

VII. Scientia Dei causa est rerum, aliter aliarum, est tamen omnium. Id probatur luculento Augustini testimonio.

VIII. In eo multa observantur.

IX. Visionis, an simplicis intelligentiæ scientia causa sit rerum.

X. Scientia visionis causa potius est tum naturarum, tum motionum liberarum.

XI. Nova ex Augustino documenta.

XII. Alia rursum ejusdem & Gregorii Magni testimonia.

XIII. Item Boethius pulcherrimè describit æternitatem, interminabilis vitæ totam simul sibi præsentem infinitatem.

I. Diluxit jam utcumque in superiori Capite, quod hic paulò copiosiùs illustrare enitemur; nempe præscientiam & prævisionem dici posse in Deo, earum etiam rerum, quas non facit, non prædestinat, nec proinde videt in decretis suis ut futuras, sed quas in æternitatis tantùm suæ immenso sinu videt præsentes. Edidiceruimus jam non semel, quomodo ante omnia tempora & omnia temporalia sit Deus, antè inquam non tempore, sed æternitate. Nec enim initium temporum potuit antecedere tempore, sed antecessit incommutabili æternitate sua, quæ infinitatem suam omnia tempora complexam uno in simplicissimo veluti apice totam simul colligens & figens, ineffabiliter & anterior est omnibus temporibus, & posterior, ulteriorque. Hac ergo ratione majestati Deitatis accommodatissima, ut anterior est rebus quas præsentes habet, ita & præscius est earum Deus. Ut enim ea ineffabiliter antecedit, quæ semper illi præsentissima sunt; ita præscire & prævidere non ineptè dicitur, quæ coram posita & præsentia videt & scit. Nec enim vel essent, vel præsentia essent, nisi ea ipse vel faceret, vel fieri permitteret. Non facit autem, non fieri permittit nisi volens. Antecedit ergo ejus voluntas, vel faciens vel permittens, hanc rerum præsentiam. Ita scientia Dei causa est earum etiam rerum quas non facit, sed permittit Deus. Et voluntas enim permittens causa est, perinde ut faciens. Non volens autem tantùm permittit, sed & sciens.

II. Itaque ille ipse Augustinus, qui tam disertè, & tam luculentè nos docuit, non præscire Deum ut futuras, non prævidere; sed ut præsentes scire & videre res omnes; idem ipse tamen præscium futurorum illum, & esse, & dici debere, frequenter
Civit. l. 5. c. 9. inculcavit. *Et ipsæ quippè nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque præscientia continetur; quoniam & humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita omnes qui rerum causas præscivit, profectò in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præscivit.* Hæc præscientia operum nostrorum in causis, id est, in voluntatibus nostris, propterea mihi visa est trahi debere ad omnipræsentiam æternitatis, cui præsto sunt & coram astant tam causæ omnes, quàm omnes usquam & unquam futuri causarum effectus, quia mox subdit Augustinus, aliquos horum effectuum, nimirum actus criminosos à Deo non esse; ex quo id nascitur, ut nec ab eo præfiniantur in æternis suis decretis, nec proinde in decretis prævideantur. *Sicut enim omnium naturarum creator est Deus, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippè voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Quæ non prævidentur autem in decretis & definitionibus æternis Dei, prævidentur indubiè in omnipræsentia æternitatis.

III. Idem rursus alibi cùm multis id expugnasset argumentis, non posse veram in Deo præscientiam esse, ut quæ absentium & futurorum sit, & eorum quæ quis expectet; quæ denique non sine mutationis aliquo contagio in scientiam evadet, cùm res evadent & ipsæ ex futuris præsentes; & in recordationem, cùm ex præsentibus in futuri caliginem demergentur: ibidem tamen subiicit, & scientiam & præscientiam in Deo esse, miro & ineffabili modo; *Et tamen & scit Deus, & præscit Deus ineffabili modo.* Et contra Adv. Legis & Prophetarum: *Non tantùm creatos postea vidit, sed & creandos antè prævidit; & quod perversa voluntate & cæco errore maligni sunt, non ideò vidit, quod non essent creandi; prævidit enim ubi sint ordinandi.* Sed quid expressius hoc ejusdem supra relato jam testimonio, & hìc sanè iterando? *Quamvis natura illa immutabilis & ineffabilis, non recipiat, fuit, & erit, sed tantùm, est: ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest; & ideo illi tantùm convenerat dicere, Ego sum qui sum: tamen propter mutabilitatem temporum in quibus versatur nostra mortalitas & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & est. Fuit in præteritis sæculis, est in præsentibus, erit in futuris. Fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est. Neque enim velut qui jam non sit, cum præteritis occidit; aut cum præsentibus, velut qui non maneat, labitur; aut cum futuris, velut qui non fuerit, orietur.* Et mox: *Ergo scivit, & scit, & sciet.* Ubi duæ copulantur rationes adscribendæ Deo præscientiæ futurorum, etsi verissimè illi præsentia sint omnia, quæ nos in futura, præsentia & præterita dispescimus. Ratio altera indulgentiæ est ad nostræ mortalitatis balbutiem, cùm humano more & modo, tum sapiamus de Deo, tum loquamur; temporumque vices illi affingamus, quibus nec cogitationes nec sermones nostros extricare possumus. Altera ratio est stans illa rerum temporumque omnium præsentia, qua ex æternitatis suæ censu tota simul fruitur Deus, & cujus nomine & jure merito dici potest & anterior & ulterior sempiternis creaturis, si quæ ita sempiternæ essent, ut & initio carerent & fine.

Ad Simpl. L. 2. q. 2.

L. 1. c. 6.

Tract. 99. in Joann.

IV. Apertè suffragatur & Gregorius: *Et quia ea quæ nobis futura sunt, videt, quæ tamen ipsi semper sunt, præscius dicitur, quamvis nequaquam futurum prævideat, quod præsens videt. Nam & quæque sunt, non ab æternitate ejus ideò videntur, quia sunt; sed ideò sunt, quia videntur.* Et paulò pòst: *In illo nec præterita nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant; & quæ in seipsis simul existere non possunt, illi simul omnia assistunt: nihilque in illo præterit quod transit; quia in æternitate ejus modo quodam incomprehensibili cuncta volumina sæculorum transeuntia manent, currentia stant.* Non potuit expressiùs commendari præsentia rerum omnium sempiterna & stans ob oculos æternæ veritatis Dei, quàm eo ipso loco, ubi nihilominus præscientia illi vendicatur. Commodè sanè, ut mihi quidem videtur, ob eam causam, quòd simplicioribus fidelibus, & dogmatum medullam non inspicientibus, præscius dicitur Deus, ut dicitur irasci, pœnitere, furere, & id genus alia, accommodatè ad nostram imbecillitatem: oculatioribus autem, & non hærentibus in cortice, præscius dicitur Deus rei & temporis, ut qui tota æternitate præcesserit, eo modo quem jam semel & iterum explanavimus.

Moral. l. 20. c. 21.

V. Negaverat omnino vel præscientiam vel prædestinationem de Deo dici debere Joannes Scotus Erigena, eoque quasi censoriam virgam arripuerat in Scripturas Patresque omnes, quibus familiares admodum sunt istæ voces. Indulgebat plus æquo Erigena ingenio & acumini suo, novitatum amantior, quàm priscæ seu sententiarum seu vocum traditio-

ditionis. Audaciam hujus Scriptoris fregit Prudentius Episcopus Tricassinus; & quamvis confessus sit non dici de Deo, quod præsciat aut prædestinet, ut cui in prospectu & coram sint omnia, nihilque in futurum suspendatur: quid enim æternitati futurum? docet tamen istiusmodi translatas voces Deo soli competere posse: *Dicis, abusivè translatéque dici, præscire Deum & prædestinare. Respondemus verum esse, sed translatione & abusione nulli præter ipsum propriè & principaliter convenire.*

Vind. Præ-destin. & grat. To. 1. pag. 146. 319. 567.

VI. Huc referendum est, quod Capite superiore Anselmus docebat nos, Deum omnibus etiam sempiternis & anteriorem, & ulteriorem esse; ipso principio antiquiorem, ipso fine posteriorem. Quo jure cum illa etiam præcedat, quæ præsentia sibi sunt, illa etiam similiter præscit & prædestinat. Si cui arduum videtur modum illum antecessionis intelligere, audiat Augustinum, confitentem, & arduum cum primis id esse, & tamen verissimum, *Namque rara visio, & nimis ardua, conspicere Domine æternitatem tuam incommutabiliter mutabilia facientem, ac per hoc priorem.* Modum autem illum quo æternitas Dei non tempore tempora præcedit, sed stante præsentia rerum omnium, & in unum veluti punctum collecta, sic ille rursus describit; *Nec tu tempore tempora præcedis; alioquin non omnia tempora præcederes; sed præcedis omnia tempora præterita, celsitudine semper præsentis æternitatis.*

Confess. l. 12. c. 29.

Ibid. c. 13.

VII. Quod denique postremum nobis hìc statuendum est de scientia Dei, quod causa sit rerum; id ratum fixumque nobis est, aliter quidem & aliter illam esse rerum causam, esse tamen omnium prorsus rerum causam. Eorum enim quæ facit Deus, causa efficiens est Dei scientia; eorum quæ non facit, causa permittens est; facit enim quodammodo quod fieri permittit. Unde Augustinus: *Quid improvisum tibi, qui nosti omnia; & nulla natura est, nisi quia nosti eam?* Et alibi: *Nos itaque ista quæ fecisti videmus, quia sunt; tu autem quia vides, ea sunt. Et nos foris videmus, quia sunt, & intus quia bona sunt; tu autem ibi vidisti facta, ubi vidisti facienda.* Hæc Augustinus de naturis rerum quas haud dubio facit, & quarum non permittens tantum, sed & efficiens causa est ejus scientia. Et alibi denuò: *Nam & nos oramus Deum, nec tamen necessitates docemus eum. Nec ista ex aliquo tempore cognovit, ut nosset; sed futura omnia temporalia, atque in eis etiam quid & quando ab ipso petituri fueramus, & quos, vel de quibus rebus exauditurus, vel non exauditurus esset, sine initio ante præscivit. Universas autem creaturas suas & spiritales & corporales, non quia sunt, ideo novit; sed ideo sunt, quia novit. Non enim nescivit quæ fuerat creaturus. Quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit. Nec aliter ea scivit creata, quam creanda. Non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus sicut oportebat, & quando oportebat, illa mansit ut erat. Ita & scriptum est in libro Ecclesiastico, Antequam crearentur, omnia nota sunt illi; sic & postquam consummata sunt. Sic, inquit, non aliter; & antequam crearentur, & postquam consummata sunt, sic ei nota sunt. Longè est ergo huic scientiæ scientia nostra dissimilis.*

Confess. l. 7. c. 4. L. 13. c. 38.

De Trinit. l. 15. c. 13.

VIII. Non abs re erit aliqua observare in hoc extremo sancti Patris contextu. 1. Aperta hic est distinctio actuum humanorum, & naturarum à Deo creatarum. De actibus humanis, contingentibus & liberis, constanter affirmat illos à Deo præsciri; nec ultra progreditur. 2. Ad creaturas *autem* universas, sive spiritales, sive corporales, statim accedens, disertissimè & inculcatè pronunciat, non ideo eas cognosci à Deo, quia sunt; sed ideo esse, quia antequam essent, cognoscebantur à Deo. Quanquam ergo & humanorum illorum actuum causa sit scientia Dei, sicut & voluntas Dei, in-quantum etsi eos indeclinabili decreto, vel motione non faciat, eos fieri permittit, nec permittit, nisi volens & sciens; longè aliter tamen naturarum omnium causa est scientia Dei, sicut & voluntas Dei. Cùm absolutissimè enim hæ naturæ fiant à Deo, omnino statuendum est eas ideo esse, quia sciuntur à Deo; non autem à Deo sciri, quia sunt. De actibus enim liberis quos permittit fieri Deus, aut, ut summum, quos frustrabili, non ineluctabili adjutorio promovet, utcumque dici potest, ideo à Deo illos præsciri, quia sunt; non autem esse, quia præsciuntur; propterea quod ultima determinatio qua fiunt, à voluntate creata proficiscitur. Tametsi in his quoque æquius sit, nec à vero alienum sit, eos ideo esse, quia à Deo sciuntur; non autem sciri, quia sunt; propterea quod illos antevertit semper voluntas divina permittens, juvans & sciens, etsi non insuperabiliter illos à voluntate creata extorquens.

IX. Sed illud quoque tertio loco adnotandum est in illo eodem Augustini testimonio; non parum inde lucis mendicari posse, ad elucidandam illam quæ nunc in Scholis fervet quæstionem, Simplicis intelligentiæ, an visionis scientia sit causa rerum? Visionis scientiam vocant, qua res Deus videt, quocumque demum tempore existentes, sive præsenti, sive præterito, sive futuro. Simplicis autem intelligentiæ scientia ea dicitur, quæ res complectitur nunquam in lucem exorituras, & in vacua possibilitatis voragine relinquendas. Duo pronunciat Augustinus, quæ huic solvendæ quæstioni accommodari possint. Primum est Deum videre res quascumque in seipso; in Deo autem non aliter & aliter res sunt, priùs possibiles, postea existentes; sed sive merè possibiles, sive etiam existentes, consimiliter & in Deo sunt, & à Deo sciuntur, propter incommutabilitatem divinæ scientiæ, quæ ipsamet substantia Dei est. Unde ibidem mox Augustinus: *In illius natura simplicitate mirabili, non est aliud sapere quàm esse, sed quod est sapere, hoc est & esse.* Quo ita præfinito, jam perspicuum est, de vocibus tantùm pugnam esse posse, cum utraque Dei scientia, simplicissima & una scientia sit, ne nubeculam quidem mutationis subitura, sive possibiles pergant, sive existentes etiam esse incipiant res quæcumque.

X. Sed cùm in vocum quoque controversiis similitudo veri in unam quandoque potius partem propendeat quàm in aliam; propius vero videtur scientiam visionis debere dici eam, quæ naturarum creandarum vel creatarum causa est. Disertis enim verbis affirmat, & iterum iterumque inculcat alibi Augustinus, quod *Deus non aliter scivit creata, quàm creanda.* At indubitatissimè creata videt scientia visionis; ergo & creanda. Addit etiam sanctus Pater, *Non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis.* Si ergo existentia rerum per creationem parta, nihil addit scientiæ Dei, antè etiam quàm crearentur, eadem visionis scientia videbantur. Hoc ergo illud erat, quod secundo loco hìc observari cupiebamus.

Quod ad actus verò liberos voluntatis creatæ attinet; illos quoque scientiæ visionis obversari par est, ea ratione, quod omnia prorsus indiscriminatim Deo præsentia semper sint, quocumque demum tempore & quocumque modo in lucem exierint, vel exitura sint. Sed cum horum actuum complurimos, ut infra dicetur, vel permittat tantùm Deus fieri, si mali sunt; vel mediocri, non prævalido & indeclinabili auxilio juvet, etsi boni sint; hinc posset quis non injuria omnes hujus generis actus non permiscere cum eis sive actionibus, sive naturis, quas Deus invictissima potestate operatur, & quas hac etiam de causa per scientiam visionis intuetur.

XI. Sunt & alia non pauca Augustini testimonia, ex quibus eadem prorsus exprimi possunt lumina in rem istam. Sic enim ille rursus in libris de Genesi ad li-

L. 6. c. 18. ad literam: *Hæc itaque antequam fierent, utique non erant. Quomodo ergo Deo nota erant, quæ non erant? Et rursus quomodo ea faceret, quæ sibi nota non erant? Non enim quidquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit. Proinde antequam fierent, erant & non erant. Erant in Dei scientia, non erant in Dei natura, &c. Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, cum ea fecisset, quàm illo quo ea noverat ut faceret, apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio.* Ex immutabilitate id efficit Augustinus, ut facienda & facta Deus per eandem prorsus scientiam intueatur, atque adeò per scientiam visionis, cum ea demum scientia sit, per quam res actu existentes videt. Nec dicas posse contrariam in partem argumentationem istam inflecti, ut res factas per scientiam intelligentiæ simplicis conspicere dicatur Deus, perinde ut res faciendas. Contra enim est, quòd omnibus convenit, res factas scientia visionis cerni; unum illud in controversia est, an res faciendas scientia eadem visionis, an simplicis intelligentiæ spectet. Verba ergo Augustini si alterutram in partem ducenda sunt, non debent eò trahi, quo id evertatur, quod omnium consensione inconcussum est; sed ad id potius dirimendum, quod in ancipiti est. Adde æquius esse adhærescere vocibus, quæ res factas & Deo præsentes significant, quàm iis quæ faciendas & adhuc futuras. Illæ enim rem ut est exprimunt, concinuntque accuratissimè veritati, istæ impropriè & accommodatè ad nostram infirmitatem usurpantur.

L. 11. c. 10. XII. Nec aliter capienda illa rursus Augustini verba in libris de Civitate: *Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice rectè dici potest. Porrò si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quæ noverat. Ex quo occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum; quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset.* Præire & prælucere artifici debet scientia operis quod molitur, nequid moliatur nesciens. At in Deo ista præcessio non potest alia verè intelligi, quàm qua æternitas tempora præcedit. Præcedit enim non ut futura, nihil enim æternitati infinitæ simul stanti futurum est, sed ut præsentia & sibi coexistentia. Hæc porrò præcessio scientiam visionis non excludit, sed concludit. Nec obscurè id insinuat Augustinus in illud Psalmi:
in Psal. 49. *Et species agri mecum est. Pulchritudo agri, ubertas omnium in terra gignentium mecum est, inquit. Quomodo cum illo? Utrum & antequam fierent? Cum illo enim erant omnia futura, & cum illo sunt omnia præterita; futura ita, ut non ei detrahantur omnia præterita. Cum illo sunt omnia cognitione quadam [in]effabilis sapientiæ Dei in Verbo constituta;*
Tract. 37. *& ipsum Verbum omnia.* Et in Evangelium Joannis: *Ita apud Dei Verbum erant omnia quæ condita sunt; quia omnia in sapientia fecit Deus, & cuncta nota fecit; non enim quia fecit, didicit, sed quia noverat fecit. Nobis quia facta sunt, nota sunt; illi nisi nota essent, facta non essent. Præcessit ergo Verbum.* Ista ergo scientia Dei ipsum Verbum est, Verbo autem præsentia sunt omnia, futurum nihil. Item præcessit omnia Verbum, non tempore tanquam futura, sed omnipræsentia simul stantis æternitatis.

Moral. l. 20. c. 23. Eodem collimant hæc Gregorii Magni: *Et quia ea quæ nobis futura sunt, videt; quæ tamen ipsi semper præsto sunt, præscius dicitur, quamvis nequaquam futurum prævideat, quod præsens videt. Nam & quæque sunt, non ab æternitate ejus ideo videntur, quia sunt; sed ideo sunt, quia videntur.* Obsepta hìc sunt diverticula omnia. Manifestissimè enim Gregorius, & nihil futurum Deo esse docet, & omnia illi esse præsentissima, quæ nobis futura & videntur & dicuntur; & tamen ideo res esse dicit, quia à Deo videntur; non autem videri, quia sunt; hoc est, non existentiam rerum causam esse scientiæ divinæ, sed divinam scientiam causam esse rerum existentiæ. Id verò perinde est ac si diceret Gregorius, scientiam illam Deique causa est rerum, illam ipsam esse, cui nihil futurum est, cui præsentissimum est, quidquid usquam & unquam est.

XIII. Sed omnium enucleatissimè Boethius hanc extricavit quæstionem. Ut enim expediret, quomodo divina præscientia cum nostra libertate concordet; hanc primò aliquorum refellit responsionem, non ideo res evenire, quia præsciuntur; sed potius præsciri, quia eventuræ sunt. Refellit autem ea ratione, quod nefas sit rerum existentiam causam esse divinæ præscientiæ: *Quid est aliud* Prosa 5. l. 5. *arbitrari, ideo Deum futura, quoniam sunt eventura, providere, quàm putare, quæ olim acciderunt, causam esse summæ illius providentiæ?* Postea Ibidem. Prosa 6.
verò totam hanc dubitationem elucidat ex modo divinæ scientiæ, qui divinæ substantiæ & æternitati consentiat. Ut enim Deus tota simul est sua ætas, tota simul & semper est sua æternitas, qua temporalia & tempora omnia velut in unum punctum constipata ambiuntur & circumscribuntur; atque ita nihil illi futurum suspenditur, nihil in præteritum demergitur, sed omnia præsto sunt semper constante præsentia; istiusmodi est & scientia divina; coram illi astant omnia, ut præsentia omnia prospectat, nihil futurum expectat, nihil recordatur præteritum. *Quod igitur temporis patitur conditionem, licèt illud, sicut de mundo censuit Aristoteles, nec cœperit unquam esse, nec desinat, vitaque ejus cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tale est, ut æternum esse jure credatur. Non enim totum simul infinitæ licèt vitæ spatium comprehendit, atque complectitur, sed futura nondum, transacta jam non habet. Quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit, ac possidet, cui nec futuri quid absit, nec præteriti fluxerit, id æternum esse jure perhibetur. Idque necesse est, & sui compos præsens sibi semper assistere, & infinitatem mobilis temporis habere præsentem. Unde quidam non rectè, qui cum audiunt visum Platoni, mundum hunc nec habuisse initium, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud est enim per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit; aliud interminabilis vitæ totam pariter complexum esse præsentiam quod divinæ mentis proprium esse manifestum est.* Vides hìc quo æternitas præcedat tempora, æternitas inquam sive substantiæ, sive scientiæ divinæ, cum ex modo substantiæ censendus sit scientiæ modus. Præcedit enim non tempore, sed immutabili illa infinitæ simul vitæ & durationis suæ præsentia. *Neque Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ.* Sic ergo scientia Dei res præcedit futuras, ut coram intueatur præsentes, quia non præcedit vere, nisi æternitate omnium simul temporum præsentiam complectente.

CAPUT XIX.

Ut sine decretis absolutis, & sine motionibus prædeterminantibus, omnipotentem & invictissimam Dei voluntatem tuiti sint sancti Patres, & ante alios Augustinus, in eventis contingentibus & liberis voluntatis creatæ.

I. Decretis absolutissimis Dei quàm multa subjecerint sancti Patres in antedictis.

II. Quàm multa ab iisdem absolverint, maxime

mè in primævo statu Angelorum, hominisque nondum lapsi.

III. Quæritur qui regnet invictissima Dei voluntas & potestas in his, quorum eventum noluit ipse determinare, determinandumque permisit voluntati creatæ.

IV. Ex Augustino de non facientibus quod vult, facit Deus quod vult, & nostram ipsam contumaciam reflectit in usum suæ voluntatis.

V. Quibus causis, sive occasionibus voluntates hominum agat Deus quo vult, & ipsorum cupiditates aliis ipsorummet cupiditatibus omnipotenter frangat, quamvis longo plerumque anfractu.

VI. Alia ad idem documenta & exempla Augustini & Monicæ.

VII. Sancti Patres totum arcanum divinæ omnipotentiæ in hac causarum & occasionum dispensatione ponebant, quæ nunc à paucis Scholæ Theologis expenditur.

VIII. Pulcherrimè ex Augustino cur post peccatum homo in parte locatus, qui prius toti quodam suo modo dominabatur orbi, nesciat quid pulcri de ipso agat Deus.

IX. Rursus ex eodem ut crearit Deus Angelos, quos præsciebat non peccaturos, ut iis orbis administrandi curas concrederet, crearit & quos peccaturos præsciebat, præscius & bonorum, quæ ex eorum malitia expressurus ipse esset. Nulla hic Decretorum prædeterminantium ratio.

X. Quanto plus constantiæ, plus sapientiæ refulgeat in hac tuendæ divinæ omnipotentiæ ratione ad voluntates creatas regendas.

XI. Quisquis facit quod non debet, illico patitur quod debet, nec vel puncto temporis cessat, aut divinæ voluntatis omnipotentia, aut pulcritudo universi.

XII. Istiusmodi ergo sunt bicipitis providentiæ decreta, bicornia & ipsa, ut & homo liber verè sit, & Deus omnipotens.

XIII. Rursus ex eodem Augustino biceps Dei providentia, & biceps omne ejus de istiusmodi rebus decretum.

XIV. Potuit Deus multa aliter decernere, quàm decrevit. Nostrum est consiliis potius applaudere, quæ ipse prætulit.

XV. Novissimum & manifestissimum documentum bicornis providentiæ, etiam in tuenda adversus Pelagianos Dei providentia.

I. Profligatis illis quæstionibus quæ circa divinam scientiam ac præscientiam excitatæ sunt, restat ut ad decretorum divinorum firmitatem inexpugnabilem defendendam accedamus; quæ ita divinæ scientiæ conserta & complicata sunt, ut in ejus elucidationem incumbere non potuerimus, quin multa jam de his præcerperentur.

Illud enim jam suprà præstruximus, multa præscire Deum quæ non prædestinat, nihil autem prædestinare quod non præsciat; mala omnia vera, seu peccata à Deo non prædestinari, sed præsciri tantùm; bona omnia quæ facturus est Deus, & ipsa supplicia quæ peccatis illaturus est, quia & ipsa bona sunt, utpote justa, non præsciri tantùm à Deo, sed etiam ante sæcula præfiniri ac prædestinari; inter bona quæ facturus est Deus, numerari non solùm naturas ipsas & substantias quarum creator est, & pœnas scelerum, quorum est ultor, sed etiam in liberis Angelorum hominumque operibus quidquid Deus invictissimis motionibus & auxiliis expugnaturus est creatæ libertati. Quia hæc abundè jam superiùs illustrata sunt, & de his ferè conveniunt inter Theologos; idcirco illis non diutiùs immorabor.

II. Bona esse opera aliqua, ad quæ divinæ gratiæ adjutoria præsto sunt, non quibus invictissimè & indeclinabiliter illa fiant, sed sine quibus fieri non possent; denique quibus nunc fiunt, nunc non fiunt; ab uno fiunt, non ab alio; hujusmodi inquam aliqua esse & adjutoria gratiæ, & opera voluntatis creatæ, & insinuatum jam suprà est, & infrà uberiùs pertractabitur, cùm de Prædestinatione disputabimus. Suprà enim jam sæpè monuit Augustinus, naturas omnes à Deo creari, voluntates ad bonum adjuvari; si malæ nihilominus sint, ordinari. Infrà autem in retegenda maximè Angelorum sanctorum prædestinatione, & Adami innocentis gratia, illud ex Augustino capitale in hoc negotio dogma statuemus, nullum invictissimæ gratiæ adjutorium vel Angelis vel Adamo innocenti ad promerendam voluntaria perseverantia gloriam concessum, aut verò concedendum fuisse; atque adeo non à decreto Dei prædestinantis, non à proposito merita antecedente, sed ab arbitrii liberi voluntate divinitus adjuta, & divinis adjutoriis vel obsecundante, vel refragante, ortam esse bonorum & malorum, electorum & reproborum Angelorum discretionem. Post lapsum Adami, cùm jam prædestinatio nullis nostris meritis anteveniri possit, cùmque ad eam perficiendam consummandamque invictissimis quibusdam auxiliis opus sit, quæritur cujusmodi sit hæc victrix efficacia gratiæ. Ad hanc quoque accersiri auxilia complura, quæ frustrari possint suo effectu, quæ eo sæpè frustrentur singula, etsi non universa; esse extra hanc etiam efficacissimam gratiam alia adjutoria complura ejusdem generis, nempe omnino frustrabilia, inferiùs etiam declarabimus, cùm de Prædestinatione disceptatio instituetur.

III. Illud ergo hìc jam expendendum nobis est, quì constet invictissima & victrix omnipotentia divinæ voluntatis, si non omnia facit ipsa, sed multa fieri sinit; si exitus ipse rerum & eventorum non in ejus potestate est, sed in nutu creatæ libertatis; si bona etiam sunt aliqua, quæ non faciat; si Angelorum sanctorum perseverantia & æterna salus ad creatam potiùs ipsorum, quàm ad Dei increatam voluntatem referenda est; si velit tam multa Deus fieri bona, quæ non fiant; tam multa non fieri mala, quæ tamen fiant, superante divinam voluntatem arbitrio libero voluntatis creatæ. Huic difficultati jam nonnihil lucis affudimus superiùs, cùm bicipitis providentiæ jecimus fundamenta ejus quæ facit & ejus quæ permittit res fieri. Operæ pretium nunc est paulò accuratiùs eandem ex sanctorum Patrum & Augustini ante alios doctrina elucidare.

IV. Illud cum primis luculentum est Augustini placitum, divinæ famulari voluntati voluntates etiam malas, dum malè agunt, non quòd eas Deus eò urgeat, sed quòd ad malum sua sponte, vel sui consimilium impulsu proruentes, ipse retorqueat in suæ voluntatis usum, faciatque de non volentibus quod vult, quodcumque ipse vult. Ita cùm & sua & amicorum insana cupiditate ageretur adhuc Augustinus in juventæ flore, hac & illius & illorum perversitate Deus utebatur, ut illum Carthagine abstraheret, Romam & Mediolanum perveheret, in sinumque & in manus Ambrosii eiiceret. *Verùm tu spes mea & portio mea in terra viventium,* Confess. L. 5. c. 8.
ad mutandum terrarum locum pro salute animæ meæ, & Carthagini stimulos, quibus inde avellerer, admovebas, & Romæ illecebras, quibus attraherer, proponebas nihil per homines qui diligebant vitam mortuam, hinc insana facientes, inde vana pollicentes, & ad corrigendos gressus meos utebaris occultè & illorum & mea perversitate. Nam & qui perturbabant otium meum, fœda rabie cæci erant, & qui invitabant ad aliud, terram sapiebant. Ego autem qui detestabar hic veram miseriam, illic falsam fœlicitatem appetebam. Sed quare hinc abirem, & illuc irem, tu sciebas Deus, nec indicabas mihi.

V. Auditorum tumultuationes & fraudes offendebant animum Augustini, artem oratoriam tunc Carthagine profitentis. Amici despondebant illi Romæ pinguiores ejusdem artis proventus cum multa & gloriæ

gloriæ & pacis accessione. Terrenæ hinc & hinc stimulabant cupiditates, quibus tamen inde aculeis, hinc illecebris illum Deus abducere Romam decreverat. Hæ nimirum erant illæ causæ, illæ occasiones, quas foris insanis malorum hominum voluntatibus suggerit Deus, non quo malas faciat, sed quo eas ita moderetur, ut malitia qua jam scatent, in hos potiùs vel illos effectus erumpat. Hæc est illa potestas, de qua suprà etiam ostendimus, quòd Deus omnium potestatum dator est, non omnium voluntatum. Si quis hodiernis opinionibus in scholarum pulvere imbutus, viam ac rationem depromeret, qua Deus mentem Augustini incitaret, ut Carthagine migraret Romam; non facilè ille in has Augustini cogitationes delaberetur. Et tamen summus Theologus Augustinus totum ponebat in his stimulis, in his illecebris, in hac arte omnipotentis sapientiæ Dei, quæ per ipsas ejus cupiditates ad opprimendas easdem cupiditates agebat. *Cùm & me cupiditatibus meis raperes ad finiendas ipsas cupiditates.* Roma iisdem ferè artibus, hinc offensionum, inde illecebrarum, adductus est Mediolanum, ut moderante clavum Deo, cupiditatum suarum tempestate ejiceretur tandem velut in portum, in manus Ambrosii, qui illi magister & salutis provisor destinatus erat. *Ad eum ducebar abs te nesciens, ut per eum ad te sciens ducerer.* Longum esset singula divinæ curationis momenta expendere, ut ab Augustino ipso perpensa sunt. Illud non silebo, ut Ambrosio primò adhæserit, humano & vano elegantiæ sermonis studio & amore, doctrinæ & rerum incuriosus & negligens. Sed verborum involucro vestita veritas, simul in aures, simul in animum influebat, ut paulatim in ipsam cordis arcem invaderet. *Veniebant in animum meum simul cum verbis, quæ diligebam, res etiam quas negligebam. Neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad recipiendum quàm disertè diceret, pariter intrabat & quàm verè diceret; gradatim quidem.* Hos gradus illabentis veritatis, fugientis erroris, progredientis medicinæ suæ persequitur ibidem sanctus Pater, ut vim ineffabilem omnipotentis Dei gratiæ in sui conversione ad Deum manifestet; quippe qui in hac dispensatione misericordiæ sitam esse voluntatis divinæ in procuranda hominum salute efficaciam, & persuasus & expertus esset.

Ibidem.

Ibid. c. 12. 13. 14.

VI. Brevius est, & idem tamen valet, quòd ille infrà narrat de matre sua, quæ cùm tenella adhuc esset ætate, puerilique lascivia *plenos jam mero caliculos inhianter hauriret*, non resipuit, nisi atroci ancillulæ convitio, tanquam ferro medicinali opportunè, non à muliercula proterviore, sed ab interiore medico Deo percussa & sanata. *Numquid valebat aliquid adversus latentem morbum, nisi tua medicina Domine vigilaret super nos? Quid tunc egisti Deus meus? Unde curasti? unde sanasti? Nonne protulisti durum & acutum ex altera anima convicium, tanquam medicinale ferrum ex occultis provisionibus tuis, & uno ictu putredinem illam præcidisti? Ancilla enim cum qua solebat accedere ad cuppam, litigans cum domina minore ut fit sola cum sola, objecit hoc crimen, amarissima insultatione, vocans meribibulam. Quo illa stimulo percussa, respexit fœditatem suam, confestimque damnavit atque exuit.* Et hìc quoque Deus malitia procacis ancillulæ præter ipsius voluntatem usus est, ut perficeret suam voluntatem, & vitium vitio curaret: convitium acerbissimum vibrari tam tempestivè permittens, ut eo Monicæ junioris animus non exulceraretur, sed ulcerosus sanaretur. Unde ibidem mox luculentissimè Augustinus: *At tu Domine, rector cœlitum & terrenorum, ad usus tuos contorquens profunda torrentis, fluxum sæculorum ordinans turbulentum, etiam de alterius animæ insania sanasti alteram; ne quisquam cum hoc advertit, potentiæ suæ tribuat, si verbo ejus alius corrigatur, quem vult corrigi.*

Confess. L. 9. c. 8.

VII. Frustra sunt ergo qui in astruenda & manifestanda divinæ voluntatis omnipotentia in voluntates hominum sive bonas sive malas, ista nil pensi habent, in quibus tantum momenti tantumque ponderis esse sanxere sancti Patres. Non ait Augustinus omnipotenter dominari Deum in voluntates malas, vel in malum illas decretis suis prædestinando, vel motionibus suis urgendo; sed permittendo ut libertate fruantur, quam concessit; sed interim illas ordinando, & tum maximè sibi restitantes contorquendo quo ipse vult, sive ut dent pœnas, sive ut sanentur ipsæ, sive ut per ipsas sanentur aliæ. Hæc est enimverò ars omnipotentis sapientiæ Dei & gratiæ stupenda; non comprimere, non præcipitare libertatem concessam creatæ voluntati, quasi doni pœniteat, aut quasi metus sit, ne si seipsa fruatur, domari, aut divinæ voluntati subjici postea non possit; sed ipsam sibi prorsus permittere, & quantumcumque divinis jussis repugnet, de ipsa ejus repugnantia divinum perficere consilium.

VIII. Nostræ hujus ignorantiæ causam retegit alibi Augustinus, cur nesciamus quid de nobis boni & pulchri agat Deus, etiam cum mali & turpes sumus, nostramque & malitiam effundimus & turpitudinem. Nimirum per peccatum in parte locati sumus, & mundi, & sæculi, quo mundi ætas tota continetur; qui priùs ut innocentes, ita immortales, quasi universo dominabamur, & universum oculo & mente perlustrabamus. *Ita cœlestibus terrena subjecta, orbes temporum suorum numerosa successione quasi carmini universitatis consociant. In quibus multa nobis videntur inordinata & perturbata, quia eorum ordini pro nostris meritis assuti sumus, nescientes quid de nobis providentia pulchrum gerat. Quoniam si quis, verbi gratia, in amplissimarum, pulcherrimarumque ædium uno aliquo angulo tanquam statua collocetur, pulchritudinem illius fabricæ sentire non poterit, cujus & ipse pars erit.* Si quæras ergo quare inter errores adolescentiæ suæ vel Augustinus vel alius quispiam nesciens agatur à Deo, quo Deus vult, sive cupiditatibus suis ipse plectatur, sive pœnis suis emendetur, & ita cupiditatibus cupiditates sedentur extinguanturque; hæc certissima ratio est, peccati turpitudine pars universi effecti sumus, & de nobis turpibus pulchritudinem ordinis & voluntatis suæ Deus perficit. *Ita peccantem hominem ordinavit Deus, turpem, non turpiter. Turpis enim factus est voluntate universum amittendo, quod Dei præceptis obtemperans possidebat, & ordinatus in parte est; ut qui legem agere noluit, à lege agatur.* Paucis videre datur, & tamen hanc vidit, hanc denudavit Augustinus rationem invictissimæ Dei providentiæ, ut à scientibus vel nescientibus necesse semper sit, & ordinem & voluntatem Dei perfici, vel pœna vel præmio voluntates creatas pro meritis prosequente. *Hoc judicavit esse pulcherrimum Deus, ut considerantem universitatem nulla offenderet ulla ex parte deformitas; omnisque animæ pœna & omne præmium conferret semper aliquid proportioni justæ pulchritudinis dispositionique rerum omium. Datum est enim animæ liberum arbitrium, nec tamen ita datum, ut quodlibet eo molliens, ullam partem divini ordinis legisque perturbet, &c. Sed ista ut videnda sunt videre, paucorum est, &c.*

Music. l. 6. c. 6.

De quantit. anim. c. 6.

IX. Utque ad ipsa mundi exordia veniamus, sic statuit Augustinus, conditas à Deo esse, & condi à Deo debuisse naturas rationales, non solùm non peccaturas, sed etiam peccaturas; non ut peccarent, sed ut sive peccarent, ex earum pœna justissima; sive non peccarent, ex earum voluntaria justitia pulchritudo mundi augesceret, atque impleretur voluntas Dei. Hæc enim una & tota voluntas Dei est, ut pulchra & ordinata sint omnia.

De lib. arb. L. 3. c. 11. *Naturas igitur omnes Deus fecit, non solum in virtute atque justitia permansuras, sed etiam peccaturas; non ut peccarent, sed ut essent ornatura universum, sive peccare, sive non peccare voluissent.* Flagitabat ordo & pulchritudo universi, ut conderentur aliquæ Angelicæ substantiæ, quas prævidisset Deus non peccaturas, ut illis administratio totius naturæ corporeæ demandaretur. De hac sanctorum Angelorum turma sic habet idem Augustinus: *Nec ideo in bona voluntate permanet, quia hoc accepit officium; sed ideo accepit, quoniam ab illo qui dedit, permansura prævisa est.* Perspicis, quàm procul hæc sint omnia à Decretorum & Motionum prædeterminantium opinatione. Non enim Deus naturas intellectuales creans, aut creaturus, alias ipse prævertit destinare & invictissimè movere ad perseverandum in justitia, ut iis concredat regimen universi: alias ad deficiendum à justitia, ut iis vel pœnas, vel medicinam mox instruat, & ita mundi pulchritudini prospiciat. Alienissima sunt hæc omnia ab Augustini mente, qui ex adverso pronunciat Deum Angelos complures condidisse, quos præviderat non peccaturos, eoque futuros idoneos, quibus jure universi cura permitteretur; condidisse & quos peccaturos præviderat, gnarum certumque boni, quod ex eorum malitia ad orbis pulchritudinem & ad suæ voluntatis adimpletionem esset expressurus; condidisse denique hominem, qui sive peccaret, sive non peccaret, ornaturus esset universum, vel sua justitia, vel injustitiæ suæ pœna, vel sua ab injustitia ad justitiam resipiscentia. *Ut essent ornatura universum, sive peccare, sive non peccare voluissent.*

X. Quin imo ad omnes prorsus naturas Angelicas & rationales illud pertinet, sic illas esse à Deo conditas cum libero suæ voluntatis arbitrio, ut sive peccarent, sive non peccarent, & singulæ, & universæ, impleretur voluntas Dei, qua ordo & pulchritudo inviolabilis totius universi regitur & invictissimè conservatur. Etsi peccassent enim omnes, decentissimè regeret Deus ipse universitatem, nihilque in eo turpe, nihil inordinatum esse sineret, justitiæque pulchritudinem & beatitatem, eorum omnium qui ab eo defluxissent sempiterna turpitudine & infelicitate commendaret. Ibidem Augustinus

Ibid. c. 11. de multitudine beata sanctorum Angelorum: *Verumtamen etiamsi peccaret, quanquam non peccavit, sicut eam non peccaturam præscivit Deus, tamen si etiam ipsa peccaret, sufficeret Dei potestas ineffabilis potentiæ ad regendam istam universitatem; ut omnibus congrua & condigna retribuens, nihil in toto imperio suo turpe atque indecorum esse permitteret.*

Ipso Solis radio manifestius est, Augustinum non abruptas illas & prædeterminantes ad unum præfinitiones atque præmotiones Dei sectari, ut pulchritudinem ordinemque universi imperturbabilem, utque inexpugnabilem divinæ voluntatis omnipotentiam tueatur; sed molliores & accommodatiores concessæ semel creaturis rationalibus libertati rationes ab eo iniri; nimirum per bicipitem providentiam omnia expediendo. Sic enim omnipotentis Creatoris voluntatem invictam statuit esse sanctus Doctor; naturas intellectuales & liberas creando, ex quibus non possit non summa laus & gloria in Creatorem redundare. Si enim in justitia stabunt, ex earum præmiis; si non stabunt, ex earum suppliciis laudabitur beneficus & justus conditor; si stabunt, per eas universitatem reget; si non stabunt, per seipsum decentissimè & sufficientissimè eandem reget creator. Nec ideo minor est ista omnipotentiæ vis, quia constantia & sapientia temperatur. Constantiùs enim agit, si datam semel libertatem finit sua potestate uti & abuti; quàm si datam semel, tantùm non statim revocet & constringat per adamantinos nescio quos decretorum & prædeterminationum nexus. Sapientiæ quoque singularis specimen est, libertatem creatam sibi ipsi omnino permittere, & tamen eam ita circumscribere, ut quo se ipsa cumque vertet, de illa fiat Dei voluntas. Porro ut alicubi monet Augustinus, Deus virtute sapientię omnipotens est, non cæca & temeraria potestate, quod finxit refingente, quod dedit revocante, & naturas prę̨ter earum ingenium & modum moderante.

XI. Nec multò post ibidem rursus Augustinus ita disertissimè commonstrat, leges & voluntatem omnipotentis Dei eo semper impleri, eo inexpugnabiliter impleri, nec posse non impleri; quod ferrea hac & indeclinabili necessitate id obtineat, ut naturę rationales & liberæ nonnisi per justitię voluntariam perseverantiam ad fœlicitatem grassentur, per voluntariam à justitia defectionem nonnisi in pœnas & calamitates demergantur; & ita vel pugnando pro justitia, vel oppugnando justitiam, justitię pugnent & suffragentur, vel bonorum prę̨miatrici, vel sceleratorum ultrici indeclinabili. *Quia enim nemo superat leges omnipotentis Creatoris, non sinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit bene utendo quod accepit, aut reddit amittendo, quo bene uti noluit. Itaque si non reddit faciendo justitiam, reddet patiendo miseriam. Si non reddit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet.* Illud quoque facit ad commendandam divinę voluntatis omnipotentiam, quod nullo momento suspenditur, aut cessat ejus victoria; nullo enim temporis puncto non fœlix est quisquis justus est, & infœlix quisquis injustus. *Nullo autem temporis intervallo ista dividuntur, ut quasi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur quod debet; ne vel puncto temporis universalis pulchritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ. Sed in futurum judicium servatur ad manifestationem atque acerrimum sensum miseriæ, quidquid nunc occultissimè vindicatur. Sicut enim qui non vigilat dormit; sic quisquis non facit quod debet, sine intervallo patitur, quod debet; quoniam tanta est beatitudo justitiæ, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere.* Ibid. c. 15.

XII. Eo ergo collineant hęc omnia sanctissimi Doctoris placita, ut evincat, quod *nemo superat leges omnipotentis Creatoris.* Porro leges istę ipsissimæ sunt Dei voluntates & decreta. Ejusmodi ergo decreta constituenda sunt, quasi bicornia in prima naturarum intellectualium creatione. Quod rursus idem præstantissimè confirmat in libro de catechizandis rudibus, ut ad alios pergamus ejus Commentarios, quos provectior & exercitatior scripsit: *Præsciebat Deus eos transgressuros; sed tamen quia conditor est, & effector omnis boni, magis eos fecit, quando fecit & bestias, ut impleret terram bonis terrenis. Et utique melior est homo etiam peccator, quàm bestia. Et præceptum quod non erant servaturi, magis dedit ut essent inexcusabiles, cum in eos vindicare cœpisset. Quidquid enim homo fecerit, laudabilem in suis factis invenit Deum; si rectè egerit, laudabilem invenit per justitiam præmiorum; si peccaverit, laudabilem invenit per justitiam suppliciorum; si peccata confessus ad rectè vivendum redierit, laudabilem invenit per misericordiam indulgentiarum. Cur ergo non faceret Deus hominem, quamvis eum peccaturum prænosceret, cum & stantem coronaret, & cadentem ordinaret, & surgentem adjuvaret, semper & ubique ipse gloriosus, bonitate, justitia, clementia?* Quibus non video, quid evidentius, quid expressius dici possit. Et ibidem mox: *Novit Deus ordinare deserentes se animas, & ex earum justa miseria inferiores partes creaturæ suæ convenientissimis & congruentissimis legibus admirandæ dispensationis ordinare.* Et mox de malis Angelis: *Justissimis Dei legibus omnes damnati sunt, Deo glorioso per æquitatem vindictæ, ipsi ignominiosi per turpitudinem pœnæ.* Cap. 18.

XIII. Sed quid illustrius manifestiusque illa naturarum officiorumque distributione sub omnipotenti bicipitis providentiæ imperio? *Naturas*

Deus

De Genes. ad lit. l. 9. c. 23. *Deus creans bonitate, voluntates ordinans potestate; ut in naturis nulla sit, quæ non ab illo sit; in voluntatibus autem nulla bona sit, cui non præsit; nulla mala sit, qua bene uti non possit, &c. Ergo Dei providentia regens atque administrans universam creaturam, & naturas, & voluntates; naturas ut sint; voluntates autem, ut nec infructuosæ bonæ, nec impunitæ malæ sint: subdit primitus omnia sibi, deinde creaturam corporalem creaturæ spiritali, irrationalem rationali, &c. In voluntatibus bonas sibi, cæteras verò ipsis servientibus sibi; ut hoc patiatur voluntas mala, quod ex Dei jussu fecerit bona, sive per seipsam, sive per malam.* Quasi dicat voluntates omnes Deo subjici, bonas immediatè soli Deo, malas etiam bonis voluntatibus subjici, ut ab eis plectantur, vel immediatè, vel media dæmonum opera. Pergit illico: *In rebus dumtaxat, quæ natura sunt etiam malis voluntatibus subditæ, id est in corporibus. Nam in seipsis malæ voluntates habent interiorem pœnam suam, eandem ipsam iniquitatem suam.* Totum tandem ita concludit: *Ideo Deus bipertito opere providentiæ suæ præest universæ creaturæ, naturis ut fiant, voluntatibus autem ut sine suo jussu vel permissu nihil faciant.*

XIV. Nec dissimulandum est, potuisse Deum, si voluisset, omnipotentiam suam alia ratione exerere; & non quidem ad malum, sed ad bonum omnipotenter inclinare voluntates Angelorum atque hominum in ipso sui primo exortu. Sed quæstio hic vertitur, non quid facere potuerit, sed quid fecerit; non quæ consilia inire potuerit, sed quæ inierit. Et alioqui rationi consentaneum est, ut æquius satiusque fuisse ducamus, ut ea faceret & decerneret, quæ verè fecit & decrevit, quàm quæ his omissis facere & decernere potuit. Cur autem absoluta illa & insuperabilia vel decreta, vel adjutoria ad bonum quæ potuit Deus præferre, non prætulerit; sed illa temperare maluerit ad illum modum, ex quo ipsi gloria ingens & certissima victoria comparatur, utcumque se hoc vel illuc agat juxta ejus permissum voluntas creata; id patefacit Augustinus hoc rursus testimonio de malis, vel Angelis, vel hominibus: *At enim si* Ibidem. l. 11. c. 9. *Deus vellet, etiam isti boni essent: Quanto melius hoc Deus voluit, ut quod vellent, essent; sed boni infructuosè, mali autem impunè non essent, & in eo ipso aliis utiles essent? Sed præsciebat, quid eorum factura esset voluntas mala: cur ergo creavit, quos tales futuros esse præsciebat? Quia sicut prævidit, quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de malis factis eorum, quid boni esset ipse facturus. Sic enim eos fecit, ut eis relinqueret, unde & ipsi aliquid facerent, quo quidquid etiam culpabiliter eligerent, illum de se laudabiliter operantem invenirent. A se quippe habent voluntatem malam, ab illo autem naturam bonam & justam pœnam; sibi debitum locum, aliis exercitationis adminiculum, & timoris exemplum.* Videsis ad malum esse decreta Dei prævia & præcurrentia nec potuerint; ad bonum potuerint, sed non debuerint; quod ad naturam primò conditam attinet; ad bonorum præmia & malorum supplicia verè ejusmodi fuerint.

XV. Expeditissimè & evidentissimè rem eandem declarat Augustinus in libro de Spiritu & littera, quo testatur ipsemet in Retractationibus, *acriter se disputasse contra inimicos gratiæ Dei*. Quod ideo consultò monui, ut constet in propugnanda etiam Dei gratia adversùs Pelagianos, ab hac eadem doctrina circa voluntatis divinæ invictam efficaciam illum non recessisse. Sic ergo ille ibi:
Cap. 33. *Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt; verùm seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est; vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret; aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, verbi gratia, volo ut hi omnes servi mei operentur in vinea, & post laborem requiescentes epulentur; ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat: videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem domini sui facere; sed tunc eam vincet, si & pistrinum contemnens effugerit; quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate.* Ne suspicari quidem possum, quæ hinc effugia, quæ diverticula captare possint. Investigatur de industria modus quo voluntas Dei invicta semper sit, & nec ad decreta prædeterminantia recurritur, nec ad præmotiones ineluctabiles, sed ad bipertitam providentiam, qua regnat & dominatur Deus, infatigabili lege, insuperabili potestate, mandata justitiæ edicens, obsequentes remunerans, contumaces damnans, sic ut alterutrum nemo possit effugere; vincat autem semper voluntas & providentia Dei bipartita, dum alterutrum obtineat.

CAPUT XX.

Ex eodem rursus Augustino, ut invicta semper victrixque sit Dei voluntas, bipartito providentiæ opere, bonos juvans & remunerans, malos plectens, nullis universim decretis aut motionibus prædeterminantibus, nisi eo qui hic exponitur modo.

I. Frustra sunt, qui Augustinum suspicantur secum conflictari. Non pugnat enim quod Deus voluntates malas in malum omnipotenter inclinet, & quod per objectas occasiones id faciat. Utrumque dixit Augustinus.

II. Exemplo Semei declaratur, ut malitia suffusam voluntatem linguamque laxaverit Deus ad male dicendum Davidi.

III. Plura ad hoc ipsum argumenta & testimonia.

IV. Per Angelos, sive bonos, sive malos, occasionibus oblatis Deus impiorum corda huc vel illuc pro suo nutu deflectit.

V. Est in hominis potestate ut peccet: ut autem peccando, hoc vel illud agat, in Dei solius potestate est. Ita Deus inclinat ad malum.

VI. De facientibus quod Deus non vult, facit Deus quod vult; quia malitiam eorum in aliquos actus ebullientem, in hos potius, quàm in illos flectit.

VII. Admittunt tamen Scripturæ & Patres absolutissima aliqua Dei decreta in rebus permagni momenti; cujusmodi est electio Saulis in Regem, Regnorum terrenorum constitutio, Christi gesta singula, potissimum mors.

VIII. Etiam ubi movet Deus ad eas actiones, quibus peccati infamia inusta est, non movet nisi per occasiones exhibitas, & eas quidem ad bonum per sese spectantes; nec ita movet, nisi homines jam sceleri implicatos.

IX. Eadem sancti Thomæ doctrina.

X. Rursus ex Augustino invicta Dei voluntas: invicta ejus decreta, quo se vertat homo pro libertatis suis indifferentia; quia si homo male facit quod vult, patitur quod non vult; si peccando naturam violat, supplicio redigitur ad naturam; naturalis ordo semper servatur, si non ab anima, certè à Deo; si homo male utitur Dei bonis, Deus bene utitur hominis malis.

XI. Ut victoria penes Deum steterit, cum præter ejus jussa homo peccavit, diabolus hominem seduxit. Luculentè ex Augustino.

XII. Quomodo invicta & adamantina Dei decreta ex eodem.

I. NOn inconstantia Augustini, sed Lectorum incogitantia fecit, ut discordare ipse sibi videretur, cum frequens alibi inculcat, etiam malorum Angelorum atque hominum voluntates omnipo-

nipotenter à Deo inclinari, sive ad bonum, sive ad malum, quocumque ipse decreverit. Difflatæ jam videri poterant hæ discordiæ & intestinæ conflictationis suspiciones, ubi patefactum à nobis est quomodo ex Augustino excæcare & indurare voluntates malas Deus dicatur, quomodo item non omnis quidem volutas, sed omnis certè potestas à Deo sit. Ibi enim, sed potissimum in enucleanda obdurationis & excæcationis ratione, operari Deum ostendimus in cordibus etiam malorum hominum, & ea ad quidlibet inclinare, quo visum ipsi fuerit. Nimirum non malam voluntatem inspirando, non ad malum voluntatem incitando, sed voluntatem jam sua sponte debilitatam plurimo malitiæ veneno, per objectas intus forisque illecebras & occasiones propellendo, ut huc potiùs quàm illuc virus suum profundat, pari utrobique scelere, sive huc, sive illuc impellatur. Cùm tam disertè & tam expressè Augustinus hanc rationem & viam aperuerit difficultatis hujus elevandæ, non alia vel optari à nobis potest vel iniri. Quis enim locupletior Augustini interpres Augustino ipso? Et quæ certior tutiorque interpretatio, quàm quæ ipsum sibi constare, sibi concordare demonstrat?

II. Sed quoniam permagni interest rem istam penitissimè illustrari, non gravabimur loca Augustini perpendere, ubi vehementiùs incumbit in hanc doctrinam, voluntates etiam malas à Deo, quo ipsi collibitum est, exciri & inclinari. Non alibi usquam prolixiùs vehementiùsque rem istam pertractavit sanctus Pater, quàm libro de Gratia & libero Arbitrio. Sic ergo ibi: *Scriptura divina si diligenter inspiciatur, ostendit non solùm bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in actus bonos & in æternam dirigit vitam: verùm etiam illas quæ conservant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat, occultissimo quidem judicio, sed sine ulla dubitatione justissimo.* At hoc ipso loco voluntates bonas à Deo fieri affirmat Augustinus, non item voluntates malas, sed malæ cùm jam sint, ait illas à Deo inclinari ad quælibet. Adde quod malas has voluntates ait ille inclinari à Deo, non ad malum, non ad scelus, sed ad beneficia, vel supplicia irroganda, pro summi & æquissimi Judicis voluntate. Nec abnuerim quin voluntates jam malæ ad flagitium etiam inclinentur, cum Semei, ut conviciaretur Davidi, à Deo impulsum esse David ipsemet testetur. Qua de re sic ibidem Augustinus: *Quomodo dixerit Dominus maledicere David, quis sapiens & intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur; sed quod ejus voluntatem proprio vitio suo malam, in hoc peccatum judicio suo justo & occulto inclinavit; ideo dictum est, Dixit ei Dominus maledicere David.* Erat ergo hæc *voluntas proprio vitio suo mala* jam antè, & eam ideo Deus inclinavit non in peccatum, sed *in hoc peccatum*, hoc est felle maledicentiæ imbutum jam pridem hominem, & quocumque erupturum, oblata Davidis ejecti & abjecti occasione, excitavit ut in hunc potiùs convitiatricem linguam exereret, quàm in alium. Occulto etiam justoque judicio, id est, ob præcedentes mali hominis iniquitates, *cor ejus malum in hoc peccatum misit, vel dimisit Deus.* Non potest ergo Deus inclinare, vel hoc modo per occasionum illecebras stimulosque, nisi malam jamdudum voluntatem, ad peccata hæc vel illa; adeoque non potuit ad hujusmodi aliqua vel Angelos vel homines adhuc stantes inclinasse aut prædestinasse.

Cap. 10.

III. Longam seriem mox contexit Augustinus contextuum & exemplorum ex sacris litteris, in quibus eadem observat, eadem pronuntiat, eadem & nos observare cogit. *Quis non ista judicia divina contremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum, quidquid vult, reddens eis tamen secundùm merita eorum, &c. Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino injustè aliquid velle non novit, &c. His & talibus testimoniis Eloquiorum divinorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis quantum existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo. Fixum enim & immobile in corde vestro debet esse, quia non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc quando legitis in litteris veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, ut justè ista paterentur.* Inculcatissimè, ut perspicis, Augustinus id urget, non inclinari in malum, non seduci, non indurari à Deo homines, nisi propter mala merita & peccata quæ præcesserunt. Non ergo stantis adhuc Angeli, non innocentis adhuc hominis, non justi nunc cujusquam voluntas inclinari ad peccatum potuit, aut potest, illo etiam modo quo malorum hominum voluntas eo inclinatur, id est per causas & occasiones. Si non inclinat ergo ad peccatum nisi malas jam & criminosas voluntates, pronum est intelligere ex antedictis non aliter id fieri, quàm suppeditatis occasionibus, quæ aptæ sint inescare voluntatem ita affectam in hanc potiùs partem, quàm in aliam, prout divinis consiliis accommodum est.

Ibid. c. 21.

IV. Non aliter sanè hæc ipsa Augustini loca superiùs nobis interpretatus est sanctus Thomas, cum de Pharaonis obduratione per objectas occasiones & illecebras disputavit, convenienter Augustino ipsi in Quæstionibus in Exodum, eandem obdurationem non aliter factam esse exponenti. Quin & mox ipse Augustinus has nostras observationes ita confirmat: *Si autem potens est sive per Angelos, vel bonos, vel malos, sive quocumque alio modo, operari etiam in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut crevit per propriam voluntatem: quid mirum est si per Spiritum sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est ut ipsa corda essent ex malis bona?* Ubi liquet 1. in malorum tantùm hominum cordibus operari Deum, ut in hæc vel illa potiùs peccata inclinentur, quia jam mali sunt, idque operatur Deus *pro meritis eorum*. 2. Ideoque eorum *malitiam à Deo non fieri*, sed malam eorum voluntatem ab ipsis esse, aut originaliter parentali vitio transfusam, aut etiam consuetudine roboratam. 3. Malas istiusmodi voluntates huic pœnæ obnoxias, distingui à voluntatibus justorum, quas non posset Deus similiter ad malum inclinare, cùm nec merita eorum ejusmodi sint, nec voluntas eorum pari scateat veneno malitiæ. 4. Porro cum Deus ita operatur in cordibus malorum, ut ad hæc potiùs vel illa peccata illos inclinet, per occasiones tantùm objectas id fieri liquet ex eo, quòd id fiat per Angelos, sive bonos, sive malos, sive quocumque alio modo. At Angeli boni malive in ipso penitiori recessu mentis & voluntatis nostræ operari nil possunt, nisi per illecebras, per stimulos, per occasiones extra vel intus ingestas. Ita fit ut non aliter fortasse Deus in his operetur, quàm permittendo, ut Angeli mali seducant homines malos, vel ut Angeli boni causas excitent & occasiones, quæ per sese in bonum invitent, pravorum autem hominum malitia in usum peccandi detorqueantur. Unde ibidem mox sanctus Pater: *Quando igitur auditis dicentem Dominum, Ego Dominus seduxi Prophetam; & quod ait Apostolus, Cujus vult miseretur, & quem vult obdurat; in eo quem seduci permittit,* Ibid. c. 21. Ibid. c. [illegible]

vel

vel obdurari, mala ejus merita credite, &c. Non paucis hoc ipsum suprà testimoniis approbavimus, ad solam permissionem revocari illam operationem plerumque, qua Deus dicitur inclinare & movere ad peccandum voluntates malas, peccandi libidine jam prurientes; nempe Deus ibi operatur; quia Angelos bonos malosve immittit vel permittit, per eosque sinit stimulos & illecebras vehementes admoveri, quibus pronissima jam ad peccandum mens, facilè expugnetur.

V. Paucioribus verbis, sed nihilominus manifestis rem eandem complexus est Augustinus in libro de Prædestinatione Sanctorum, ubi sic exponit, ut à Deo sit, non quòd peccent, sed quòd sua peccandi voluntate perversissima istud potiùs quàm illud
Cap. 16. faciant homines nequam: *Est ergo in malorum potestate peccare. Ut autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei, dividentis tenebras, & ordinantis eas; ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.* Est enim in hominis potestate voluntas; at exequendæ voluntatis malæ facultas non in hominis, sed in Dei est potestate, qui eam dat vel aufert, auget vel minuit, huc vel illuc vertit & contorquet. Unde in Actis dicuntur Judæi, Herodes, Pilatus in machinanda Christi morte fecisse, *quæ manus & consilium Dei prædestinavit fieri.* Unde ibidem Augustinus: *Tanta quippe ab inimicis Judæis manus Dei & consilium prædestinavit fieri, quanta necessaria fuerunt Evangelio.* Non inficiamur ergo quin prædestinaverit Deus, & effecerit ut à Judæis Christus morti traderetur: sed horum verborum sensus ab ipso Augustino petendus est: qui expressissimè & cautissimè hìc dixit, esse in hominis voluntate, *esse in hominis potestate, ut peccet; ut autem peccando*, quod ab uno illo est, *hoc vel hoc illa malitia faciat, non esse in ejus potestate, sed Dei.* Non ergo fecit, non prædestinavit Deus ut peccarent Judæi, sed ut peccando hoc potiùs facerent, hoc est, ut Christum interimerent, quàm quidvis aliud: quia tanta erat eorum malitia, ut data occasione in hoc scelerum omnium maximum & atrocissimum ferretur.

VI. Ita constat quod alibi idem docet Augustinus, de facientibus quod non vult, facere Deum quod vult. Faciunt homines quod non vult Deus, quando peccandi voluntatem & malitiam ipsi sibi intus gignunt, alunt exaggerantque: at de his ipsis voluntatibus facit vel tunc Deus quodcumque ipse vult, quando hanc eorum malitiam & peccandi pruriginem non sinit erumpere nisi ad ea, quæ æternis Dei consiliis & præfinitionibus exequen-
De corrept. & grat. c. 14. dis sunt accommodata. *Sic enim velle & nolle in volentis & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult, &c. Non est itaque dubitandum voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult facit.* Et exemplo id firmat electionis Saulis in Regem, cui ut assentirentur, populorum *corda tetigit Deus. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem, &c. Omnipotens Deus adduxit istos, ut eum Regem constituerent. Et quomodo adduxit? nunquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas, &c.* Innoxia sunt ea, de quibus hoc loco Augustinus, & in ea citra peccatum inclinari possunt voluntates nostræ. Possunt & omnipotenter atque indeclinabiliter eo inclinari citra ullum libertatis nostræ discrimen, cùm eo inclinari modo intelligendæ sint, qui supra declaratus est, per accommodatas cujusque ingenio illecebras, per eos aculeos causarum & occasionum, quibus quisque agi ducique proclivis est. Ut hæreamus enim in hoc ipso Regis Saulis creandi exemplo, paucissimi erant Israelitæ, quorum cordibus non eæ jam inessent pronitates, & arcanæ cupiditates, quibus ea objici possent excitamenta, quæ illos tandem inducerent ad novæ hujus dignitatis creationem optandam atque procurandam. Recole, aut relege, si vacat, quæ supra disceptata sunt de excæcatione & obduratione cordis, sive Pharaonis, sive aliorum quorumlibet, & perspicies non aliam Augustino & Aquinati rationem placuisse voluntatis nostræ liberæ in hanc vel illam partem ineluctabiliter à Deo impellendæ, quàm per congruas hujusmodi illecebrarum vel offensionum occasiones.

VII. Sed illud magnoperè hìc perpendi necesse est, quod circa liberos aliquos actus singulares voluntatis nostræ certas & inconcussas aliquas Dei voluntates ac præfinitiones videtur Augustinus constituisse. Exempli gratia, ad Saulem Regem constituendum, per ipsas eorum voluntates, in quos regnaturus erat: *Si cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Item ad Christum morti tradendum per truculentas Judæorum voluntates manusque: *Tanta ab inimicis Judæis manus Dei & consilium prædestinavit fieri, quanta necessaria fuerunt Evangelio.* Hæc & alia nonnulla permagni momenti, non videtur Deus bipartitè illi de qua supra, providentiæ permisisse; ut seu fierent, sive non fierent, in laudem Dei totum verteret, nec decederet quidquam de ordine & pulchritudine universi; sed ea certò præfinisse ac decrevisse ante sæcula, utque suo quæque tempore perficerentur, operam dedisse, sive faciendo, sive permittendo.

Non dissimulabimus ergo hæc absoluta & æterna Dei decreta admitti debere, ad capitalia quædam facinora, quæ vel ad mundanæ Reipublicæ, vel ad divinæ Religionis stabilimentum vel incrementum spectant, & quorum fides atque veritas in sacris literis sigillatim exprimitur. De his enim eventis singularibus decreta Dei fuisse æterna & indeclinabilia, monent expressè Scripturæ, fidem faciunt sancti Patres. Ex his ergo nemo potest jure ansam arripere ad divinis æternisque decretis similiter eventus omnes liberos subjiciendos. Quin ex adverso argumentari fas est, nulla esse absoluta & prædeterminantia Dei decreta circa actiones singulas liberas & contingentes hominum, sive stantium in innocentia, sive ab ea collapsorum; quando illa Scripturæ revocant & coarctant ad tam paucos eventus tanti ad sacram profanamque hominum rempublicam momenti. Ecquid enim attinuisset specialis illa Scripturarum testificatio, de prædestinatione, de voluntate, de impulsione Dei efficacissima ad res aliquas maximi ponderis, si ad minimas quasque levissimasque actiones consimilia Dei decreta & molimina præire necesse fuit? Scitè ergo & constanter alibi Augustinus: *Prorsus divi-* Civit. l. 5. c. 1.
na providentia Regna constituuntur humana. Et alibi idem expendens verba Christi: *Pater, venit* In Ioan. Tract. 104.
hora, clarifica Filium tuum: affirmat opera Christi hominis singula similiter præfinita à Deo antè fuisse, ut quæ & ipsa ponderis essent inenarrabilis, nec incerto humanæ indifferentiæ permittenda: *Ostendit omne tempus, & quid & quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est.*

VIII. Et quoniam in his decretis nonnulla sunt, quæ eas actiones præfiniunt, quibus implicatum est scelus; illud hìc sedulò cavendum, ne ad peccandum divino decreto agi impellique creatas unquam voluntates existimemus. Decrevit ab æterno Deus morte Christo nefariè à Judæis illata orbem redi-

redimere, non tamen ipse eos ad tantum facinus decreto suo impulit, aut motione aliqua juvit. Inveterata & parricidiali malitia jam flagrantibus, objecit Christum, cujus increpationibus & miraculis exulcerati sunt, quibus mitigari potius & ad resipiscentiam adduci debuerant; atque ita hac occasione data, quæ ad emendationem invitabat, usi sunt ad immane parricidium perpetrandum. Non aliter illos Deus inclinavit in Christi mortem, sicut Augustino teste non aliter Deus olim Ægyptios impulit ut in Israelitas dolo & sævitia grassarentur, non pernicialia odia accendendo in eorum mentibus, sed Israelitis bonorum & opum copiam infundendo, qua malæ hostium voluntates, & ad invidendum sponte sua concitatæ, moverentur ad perniciem illis machinandam. Audi Augustinum hos nodos ita prorsus expedientem:

In Ps. 104. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus. Numquidnam intelligendum est, vel credendum, quod Deus cor hominis ad facienda peccata convertat? An peccatum non est, vel parvum peccatum est, odisse populum Dei, & dolum facere in servos ejus? Quis hoc dixerit? Nunquid ergo istorum tam gravium peccatorum author est Deus, qui nullius vel levissimi peccati author credendus est? Quis sapiens & intelliget hæc? Nam ipsa est illa mirabilis Dei bonitas, qua bene utitur etiam malis, vel Angelis, vel hominibus. Cum enim ipsi vitio suo mali sint, ille de malo eorum bene facit. Non enim antequam odissent populum ejus boni erant, sed maligni & impii tales erant, qui facilè incolis suis felicibus inviderent. In eo ergo quod populum suum multiplicavit, hoc beneficio malos ad invidendum convertit. Invidia est enim odium felicitatis alienæ. Sic ergo convertit cor eorum, ut per invidentiam odissent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus. Non itaque cor illorum malum faciendo, sed populo suo benefaciendo, cor illorum sponte malum convertit ad odium. Non enim rectum cor pervertit, sed sponte perversum ad odium populi, ubi eo malo bene uteretur, convertit; non illos malos faciendo, sed istis bona, quibus mali facillimè possent invidere, largiendo. Quo illorum odio & ad exercitationem populi sui, & ad gloriam nominis sui, quæ nobis est utilis, quomodo sit usus, consequentia docent.*

Quæ Augustini verba quanquam superiùs jam relata, hìc reperi necesse fuit, ut in eis adverteremus, qualia sint illa Dei decreta, quibus vel Judæos ad necem Christo inferendam prædestinavit, vel Judam ad Christi sanguinem fundendum elegit, vel Ægyptios ad odium populi sui, ad dolos, ad cædes inferendas convertit. Nec enim ad peccatum Deus horum quemquam vel prædestinavit vel movit; sed mali, parricidæ, invidi cùm jam illi essent in animi sui penetralibus, admovit illis occasiones natura sua ad bonum prolectantes, quibus illi ex cordis sui nequissimo affectu abuterentur in malum, & ita non tam in malum, quàm in latentis malitiæ patentissima documenta proruerunt, ex quibus Deus non pauca eliceret bona. Si quæras ergo quid decreverit & præfinierit Deus in his quæ non sine peccato perficiuntur; liquebit ex Augustino ante sæcula illum ea decrevisse vel facere, vel permittere, quæ in tempore permisit vel fecit. Permisit autem ut mali essent si vellent, ut occasionibus ad bonum allicientibus abuterentur in malum, ut potestate data divinitus perficiendi quæ cuperent, dolo & vi grassarentur. Fecit ut occasiones istæ exhiberentur, sive per bonos, sive per malos Angelos, sive alio quocumque modo; fecit ut quod maximè cupiebant, possent in bonos odia exercere, Christum prodere, vel etiam morti dare.

IX. Denique ut ne ambigas hanc ipsissimam esse sententiam Thomæ Aquinatis, accipe pauca hæc ejus verba, ex illo ipso loco qui suprà multò prolixiùs adscriptus & expensus est; *Ad bona inclinat Deus hominum voluntates directè & per se, tanquam author bonorum. Ad malum autem dicitur inclinare vel suscitare homines occasionaliter, in quantum scilicet Deus homini aliquid proponit, vel interius, vel exterius, quod quantum est de se, est inductivum ad bonum; sed homo propter suam malitiam perversè utitur ad malum.* In c. 9. Epist. ad Hebr. lect. 3. Ex sententia ergo Doctoris Angelici ita decreta Dei interpretanda sunt, ut non decernat aut præfiniat Deus ante tempora, nisi quod in tempore facturus est ipse vel permissurus. Non facit autem vel permittit ullum peccatum, nisi occasionaliter, & ne id quidem ut occasiones suapte vi ad malum allicientes excitet, sed eas quæ ad bonum propellant, nisi contumacior voluntas hominis mali iis utatur contra voluntatem Dei in malum, etsi non præter voluntatem Dei, quæ vel tunc implebitur per illa bona quæ ex peccati malitia exprimentur.

X. Utque ad Augustinum se reflectat oratio, à quo digressa erat, sic ille rursus contra Adimantum Manichæum ad ejusdem doctrinæ confirmationem: *Scriptum est in Amos Propheta, Malum aliquod in civitate non perpetratur, quod Dominus non faciat.* Cap. 26. *Malum hoc loco non peccatum, sed pœna intelligenda est. Dupliciter appellatur malum, unum quod homo facit, alterum quod patitur, pœna, &c. Divina enim providentia cuncta moderante & gubernante, ita homo malè facit quod vult, ut malè patiatur quod non vult, &c. Quantùm ad se pertinet, Deus bonum facit, quia omne justum bonum est, & justa est illa vindicta.* Et contra Faustum Manichæum: *Nec ipse homo contra naturam quidquam facit, nisi cum peccat, qui tamen supplicio redigitur* L. 26. c. 3. *ad naturam. Ad naturalem quippe justitiæ ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut impunita esse non valeant. Quodlibet horum sit, naturalis ordo servatur, si non ab anima, certè à Deo.* Et in libro de natura boni: Cap. 37. *Proinde si custodiant omnes naturæ modum & speciem & ordinem proprium, nullum erit malum. Si autem his bonis quisque uti malè voluerit, nec sic vincit Dei voluntatem, qui etiam injustos justè ordinare novit: ut si ipsi per iniquitatem voluntatis suæ malè usi fuerint bonis illius, ille per justitiam bonitatis suæ bene utatur malis ipsorum, rectè ordinans in pœnis, qui se malè ordinaverunt in peccatis.*

XI. Hic plane modus, hæc ratio est divinorum decretorum, quibus invictissimè regnat in omnes voluntates creatas voluntas Creatoris, non decernendo ut in actus peccaminosos divina motione prædeterminentur, & in hanc foveam delapsæ dent pœnas; sed decernendo bonas condere naturas, bonas simul inspirare voluntates, eas sibi permittere, ut vel in justitia non sine adjutorio Dei perseverent si velint, & desponsa præmia consequantur; vel hoc adjutorio uti, & in justitia perseverare si nolint, protinus pœnis afficiantur. Ita Deus operatur vel faciendo, vel permittendo in tempore, ut suprà patuit, utque infrà rursum patebit, cùm de Prædestinatione Angelorum atque hominum disceptabimus; ita se operaturum in tempore decrevit & prædestinavit ante tempora. Neque enim ut sexcenties jam nobis Augustinus aliique Patres inculcarunt, alia Deus, vel aliter prædestinat vel decernit, quàm quæ & quomodo operatus ipse est; invictus utique & gloriosus, quia nemo ejus renititur voluntati justa præcipienti, qui non eo ipso actu subjiciatur ejus voluntati justa supplicia irroganti. Unum superest Augustini testimonium, quod piaculo duxerim præteriisse, de victoria divinæ voluntatis tum reportata, cùm diabolus hominem in fraudem agens, & homo diabolicæ fraudi consentiens, frustrasse divina consilia videbantur. Contrà enim tunc maximè enituit divinæ legis ac voluntatis victrix potestas, cùm & deceptus & decipiens à Deo deficientes in acerbissimas pœnas demerserunt seipsos. Annon enim vincitur,

citur, qui in infandas calamitates præcipitatur? Annon vincit, cujus voluntas & lex violari non finitur, quin pœna protinus & calamitas incurratur? *Quod ergo Deus semper invictus sit, etiam homo victus ostendit; quia victus non fuisset, si ab invicto non recessisset. Quomodo est autem victor hominis deceptor, cùm a semetipso sit etiam ipse deceptus? Unde & ille qui decepit, & ille quem decepit, ambo decepti sunt, recedendo ab eo qui non potest decipi; & ambo sunt victi, recedendo ab eo qui non potest vinci. A quo utique qui plus recedit, plus vincitur; quia quanto est inferior, tantò deterior. Et ideo necesse est ut qui malum alteri prius inferendo vincere videtur, amplius ipse bonum amittendo vincatur. Neque fieri potest, ut ei sit locus melior, cùm causa sit pejor. Et quod ad tempus visus est diabolus prævaluisse homine superato, etiam sic in æternum victus est homine reparato.*

XII. Vides hìc quæ victricia, quæ absoluta, quæ prædeterminantia sint Dei decreta, non decernendo prædestinare, non movendo impellere diabolum ad fraudem nectendam, hominem ad fraudi assentiendum, tum deceptoribus sempiterna infligere supplicia, hominibus deceptis partim reparationem, partim consimilem damnationem præparare, & ita sempiternam gloriam victrici Dei voluntati & legi comparare. Immane quantum ab his distat ratio & doctrina Patrum, qui ita potiùs victricia Dei decreta prælinearunt, Angelos hominesque idonea gratia instructos sibi ipsis permittere, perseverantes in bono remunerare, deficientes à bono plectere, aut reparare; insuperabiliter id efficere, ut peccato ipso miseri fiant; faciendo contra legem, legi subdantur; non faciendo quod debent, patiantur quod debent; voluntatem Dei impleant, vel justa faciendo, vel justa perpetiendo, eo ipso quo vicisse sibi videntur Dei voluntatem, turpissimè ipsi victi sint, tantò calamitosiores effecti, quantò contumaciores. Hæ ferreæ sunt atque inexpugnabiles semperque invictæ divinorum Decretorum leges.

CAPUT XXI.

Ex aliis sanctis Patribus Latinis, eadem firmatur doctrina de Decretis divinis bicorni providentia invictis, juvando & præmiando bonos, malos plectendo vel reparando.

I. Suffragium Prosperi, ut in Dei solius potestate sit, ut homines peccando hoc vel illud faciant.
II. Et Leonis Magni, ut homine per diabolum prostrato, prostraverit Deus diabolum per hominem.
III. Et Gregorii Magni; qui exemplo Josephi, & fratrum ejus, Saulis & Davidis, Christi & Judæorum, probat illis ipsis hominum consiliis impleri voluntatem Dei, quibus vel maximè impugnatur.
IV. Ex eodem rursum Gregorio, contra absoluta decreta, & præmotiones divinas in malum.
V. Objicitur ita fore, ut voluntas creata dux præeat, divina sequatur velut pedissequa in rebus complurimis.
VI. Respondetur hanc objectionem valere contra omnia Patrum testimonia superiùs aggerata; quibus gemina & alia ex Gregorio adjiciuntur.
VII. Respondetur secundò semper præire divinam voluntatem, quæ humanas angelicasque voluntates creat, quæ libertate eas donat, quæ sibi ipsas dimittit, quæ permittit, ut quo collibitum sibi fuerit, deflectant assensum suum.
VIII. Respondetur tertiò præire semper voluntatem Dei, quæ in bonum pellit & determinat voluntates creatas, etsi non tam ineluctabiliter, quin aliquando resiliant.
IX. Respondetur denique ad malum tantùm præire voluntates creatas, nec ex eo nobis conflandam esse invidiam.
X. Augustino & Gregorio assentitur Isidorus Hispalensis Episcopus.
XI. Et Bernardus.
XII. Denique Anselmus.

I. Non vereor ne longiores videamur, si magnitudo gravitasque materiæ perpendatur. Ne tamen fastidium creet nimia rerum etiam necessariarum prolixitas, breviores deinceps erimus in recensendis aliorum Patrum suffragiis. Prodibit ante alios Prosper pro Augustini adversus Genuensium querelas defensione. Impegerant illi in hæc verba Augustini superiùs adscripta: *Est ergo in malorum potestate peccare; ut autem peccando, hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras & ordinantis eas, ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.* Dub. 7. Quæ Magistri verba sic confirmat, & elucidat Prosper: *Male enim velle facillimum est malis, & eorum damnabilem voluntatem non dubium est à Dei potestate concludi, ut effectum cupiditatis suæ nisi ille permiserit habere non possint. Uti autem sapientiam & justitiam Dei etiam malorum operibus, quæ ex ipsorum prodeunt appetitu, ad implenda consilia & judicia sua, nullus vel tenuiter secundum pietatem doctus ignorat, qui videt Dei Patris optimam voluntatem non parcentis Filio suo, sed pro nobis omnibus tradentis eum, pessima traditorum Judæ & Judæorum voluntate completam &c. Dividit itaque Deus inter lucem & tenebras; nec ideo inculpabiles sunt tenebræ, quia eis bene utitur Deus; qui etiam de opere ipsorum, quod filiis lucis in bonum procederet, ordinavit, tantum progredi sinens malitiam nocere cupientium, quantum eam Sanctis suis vel castigandis novit utilem, vel probandis: ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.* Non ergo decernit Deus impellere, non impellit voluntates in malum, & ex malo postea bonum exculpit: sed decretorum suorum & omnipotentis voluntatis suæ invictam vim longè diversa ratione tuetur, condendo voluntates bonas, sed liberas, quocumque se illæ vertant, voluntatem ipse suam per illas, sive morigeras, sive immorigeras, faciendo; bonæ si sponte perseverent, illas præmiando; malas fieri sinendo, & tunc ex earum malitia ingentem bonorum messem colligendo, nec istam ipsam malitiam sinendo exire in effectum, nisi quatenus voluntati suæ sempiternæ consentaneum est.

II. Leo Magnus iisdem Augustini vestigiis ingrediens, ita invictam fuisse Dei voluntatem interpretatur, etiam tum cùm de ea à se devicta pater mendacii gloriabatur, quo prostratum à diabolo hominem novo & insuperabili deinceps sacramento reparaverit: *Nam quia gloriabatur diabolus, hominem sua fraude deceptum divinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de prævaricationis consortio invenisse solatium: Deum quoque justè severitatis exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam: opus fuit secreti dispensatione consilii, ut immutabilis Deus, cujus voluntas non potest sua benignitate privari, primam pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret.* Serm. 2. in Nativ. En qualia fuerint Dei decreta, qualia molimina, qualia motionum divinarum adjumenta, ut homo contra Dei propositum non periret,

ut Dei voluntas non privaretur ſua benignitate, nec vel ab homine, vel à diabolo vinceretur. Non motiones, non præfinitiones inexpugnabiles objecit, ne homo tentaretur, ne tentatori aſſentiretur, ne peccando divinam pro ejus æterna ſalute voluntatem fruſtraret; ſed & diabolum & homines ſuæ liberæ voluntati permiſit, tentare, tentari, labi non prohibuit; priori adjutorio, quod fruſtratum fuerat, adjutoria alia per Verbi incarnationem eaque inſuperabilia pro electorum ſalute ſubrogavit, quibus devictum à diabolo hominem illuſtriori de eodem victore victoria nobilitavit, omnipotentiam ſuam reparato homine invictiùs approbavit, quàm ſi vel tentari, vel labi prohibuiſſet.

III. Sed omnium proximè Auguſtino acceſſit Gregorius Magnus, huc intorquens illa Jobi verba: *Qui comprehendit ſapientes in aſtutia eorum.*
Moral. l. 6. c. 12. Ubi ſic ille artes retegit ſapientiſſimæ & omnipotentiſſimæ Dei voluntatis, humanæ libertatis indifferentiam non occupantis vincere & coarctare, quaſi metuat, ne elabatur, ſed dimittentis ipſam ſibi, & quocumque ſuam illa aſtutiam deflectat, ipſis ejus erroribus pugniſque conſilia ſua implentis. *Sæpè enim nonnulli humana ſapientia inflati, ſubtiliora conſilia exquirunt; ſed inde Dei voluntatem peragunt, unde hanc immutare contendunt: atque omnipotentis Dei conſilio dum reſiſtere nituntur, obſequuntur; quia ſæpè & hoc ejus diſpoſitioni aptè militat, quod ei per humanum ſtudium frivolè reſultat. Sapientes ergo Dominus in ipſa eorum aſtutia comprehendit, quando ejus conſiliis humana facta etiam tunc congruè ſerviunt, cum reſiſtunt.* Id ſtatim ille probat exemplo perilluſtri Joſephi, quem fratrum invidia ad illud idem dignitatis & amplitudinis faſtigium promovit, à quo illum arcere laborabat: *Aſtutè namque aliquid agere auſi ſunt, ut Dei conſilium mutaretur; ſed divino judicio, quod declinare conati ſunt, renitendo ſervierunt. Inde quippe coacti ſunt Dei voluntatem peragere, unde hanc moliti ſunt aſtutè commutare. Sic ſic divinum conſilium, dum devitatur, impletur; ſic humana ſapientia, dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt fratres, ne Joſeph ſuper eos excreſceret; ſed hoc quod divinitus diſpoſitum fuerat, cavendo factum eſt, ut eveniret. Humana ergo ſapientia in ſeipſa comprehenſa eſt, quæ voluntati Dei unde per intentionem reſtitit, inde ejus impletioni militavit.* Nec aliter Saul Davidis regnum & gloriam à Deo illi deſponſam, dum prævertere & obſcurare contendit, promovit & cumulavit: *Unde ſuccreſcentis militis vitam ſe extinguere credidit, virtutis ejus gloriam inde cumulavit.* Quid Chriſtus, quid Eccleſia, nonne immortalis gloriæ & poteſtatis incrementa inde nacti ſunt, unde infeſtationibus Gentilium & Judæorum maximè patuerunt? *Comprehendit ergo Dominus ſapientes in aſtutia eorum, quando & hoc ad pietatis ſuæ obſequium redigit, quod contra illum humana crudelitas exarſit. Juſtus namque & miſericos mortalium acta diſponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus; atque ea quæ permittit, ſic tolerat, ut ea in ſui conſilii uſum vertat. Unde miro modo fit, ut & quod ſine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non ſit: quia dum in bonum uſum mala facta vertuntur, ejus conſilio militant etiam, quæ ejus conſilio repugnant.*

IV. Si præviis decretis abſolutiſſimis & indeclinabilibus motionibus ſuam Deus voluiſſet invictam regnate voluntatem: nunquam à quoquam peccatum eſſet, nuſquam malum eſſet, nemo quidquam vel ad punctum temporis contra Dei juſſa machinatus eſſet. Hæc enim omnia prævertiſſet Deus & decretis & præmotionibus ſuis. At cum permiſerit tot Angelorum agmina, cum permittat etiamnunc tot ſceleratorum hominum turbas à juſtitiæ tramite deviare, & in dies longiùs longiùſque peregrinari: argumento illud eſt, non illam ab eo initam eſſe rationem conſtituendi imperii ſui invictiſſimi in voluntates creatas, ſed eam bicipitem de qua Patres tam crebra & tam perſpicua dicunt teſtimonia, ut libertatem creatam ſibi ipſi permittat, adjutam ad bonum, non impulſam ad malum, ut quamcumque illa ſe torqueat in partem, non impleatur ab ea, vel de ea, niſi Dei voluntas, malos puniens, bonos remunerans, bonos per malos exercens & illuſtrans. Unde alibi idem L. 11. c. 5.
Gregorius: *Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet; ſi incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat. Omnipotens Deus humanum cor deſtruit, cum relinquit: ædificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando deſtruit, ſed recedendo; quia ad perditionem ſuam ſufficit ſibi dimiſſa, &c. Si incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat, quia ſicut nemo obſiſtit largitati vocantis, ita nullus obviat juſtitiæ relinquentis. Includere itaque Dei, eſt clauſis non aperire. Unde & ad Moyſen dicitur de Pharaone, Ego obdurabo cor ejus. Obdurare quippe per juſtitiam dicitur Deus, quando cor reprobum, per gratiam non emollit.* Hìc enimverò fuerant inculcanda decreta illa adamantina ad bonum & ad malum, ſi qua eorum ſuſpicio in mente Gregorii reſediſſet. Suffragabantur enim in ſpeciem hæc verba Scripturæ. At contra in hujuſmodi Scripturæ locis commentandis ad ſolam permiſſionem Dei totum revocat Gregorius, quando de malis agitur; nec decreta Dei ulla abſoluta vendicat, niſi poſteriora, nempe ad retorquendum in boni uſum, & in conſiliorum ſuorum adimpletionem, quidquid ejus permiſſu mali homines voluerint & perfecerint ſceleris.

V. Nec movere quemquam debet, quòd priorem & principem videamur in omnia facere, & quaſi divinæ voluntatis ducem voluntatem creatam. Nec enim à divina voluntate vel motione prædeſtinatur aut prædeterminatur Angeli hominiſque primùm voluntas, ſed ipſa ſe prior agit, ſive in bonum, ſive in malum: & tum demum illi Deus ſua decreta ſuaque conſilia accommodat, ſive ad coronas virtuti, ſive ad pœnas, aut ſi mavis medicinas vitio præparandas. Ita præit in futuros eventus, & ducit quaſi pediſſequam bicipitem illam providentiam Dei creata libertas, non ſequitur, non obſequitur. Ita nobis occurrunt contrariæ ſectatores ſententiæ, & plauſibili argumento imponunt pleriſque, quaſi nihil aliud quam divinæ amplitudini & providentiæ omnipotentis majeſtatis conſultum velint, ut quam æquum ſit primas tenere, futura omnia ſuo nutu & ſempiterno imperio præfinire, tumque ſequaces poſt ſe trahere voluntates creatas.

VI. Non debent tamen, ut dixi, quemquam hæc abſterrere, aut divellere à regia antiquorum Patrum Scripturas unanimi conſenſu interpretantium via & ratione. Perinde enim hæc omnia Auguſtino & Gregorio objectari poſſunt, atque nobis; imò nec nobis hæc objectantur, niſi quia immenſam quandam farraginem teſtimoniorum ex ſanctis Patribus ad hoc conſpirantium hìc congeſſimus, hìc explanavimus, & hinc denique apertiſſimum fecimus hanc unam fuiſſe Patrum Theologorumque antiquorum poſt ætatem etiam Thomæ Aquinatis doctrinam. Sic bicornem providentiam Dei bona facientis, mala permittentis: ſic invictam ſemper voluntatem Dei, ſponte perſeverantes in bono præmiantis, ſponte deficientes à bono ulciſcentis: ſic bonitatem Dei mala non facientis, ſed permittentis, & in bonum vertentis interpretati ſunt ſuprà Auguſtinus, Gregoriuſque: ſic & alii poſthac interpretabuntur Patres, ut huic objectioni locus detur, præire voluntatem creatam in ſui determinationem, non præverti, non duci à voluntate divina. Idem perinde objici poſſet Gregorio, alibi rurſus ſic ajenti: *Et anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit.* Cu- L. 16. c. 18.

jus videlicet voluntati nec illa obsistunt, quæ contra voluntatem illius fieri videntur; quia ad hoc nonnunquam permittit fieri etiam quod non præcipit, ut per hoc illud certiùs impleatur, quod jubet. Apostatæ quippe Angeli perversa voluntas est; sed tamen à Deo mirabiliter ordinatur, ut ipsæ quoque ejus insidiæ utilitati bonorum serviant, quos purgant, dum tentant. Si itaque ejus anima quodcumque voluit, hoc fecit, ut inde quoque voluntatem suam impleat, unde voluntati illius repugnari videbatur. Et hìc voluntas creata præcurrit, legesque divinas prætergreditur; sequitur divina penè voluntas, ut illam malè à seipsa ordinatam in flagitio, benè ordinet in supplicio. Et rursus idem alibi, ut mali per scelus prosiliant in dignitates & imperia, ut sæviant in bonos; & tunc Deus malum istud in bonum retorqueat, ut per malos boni dum vexantur, pur-
L. 20 c. 15. gentur, atque ita præter mentem mali bonis etiam dominando serviant: *Stultus ergo sapienti etiam dominando servit, quem ad meliorem statum premendo provehit. Sic nonnunquam pupillis dominis ad disciplinæ magisterium servi præsunt, terrent premunt, feriunt, & tamen esse servi nullo modo desistunt; quia ad hoc ipsum ordinati sunt, ut proficientibus dominis etiam feriendo famulentur.* Et hìc quoque voluntas divina humanam sequitur, dum illam ordinat inordinatam, & ex ejus malitia plurimas extorquet utilitates. Quibus rur-
L. 33. c. 13. sus finitima sunt ista Gregorii alio loco: *Ne revelationum magnitudine Paulus extolli potuisset, ei Angelus Satanæ datus est. Sed ipsa hac tentatione disponitur, ut qui elati perire poterant, humiliati à perditione serventur. Secreto ergo dispensationis ordine unde sævire permittitur iniquitas diaboli, inde piè perficitur benignitas Dei, &c. Inde obtemperat diabolus nutibus supernæ gratiæ, unde exercet iram nequissimæ voluntatis suæ. Servus ergo ex pacto est, qui dum voluntatem unam implere permittitur, à superni consilii voluntate ligatur; ut electos Dei volens tentet, & tentando nolens probet.*

VII. Ubi alias quoque suppeditat nobis Gregorius responsiones, ad suprapositam objectionem: Nimirum hoc ipsum quod antevertere & præire aliquando videtur voluntas creata increatam, id permissu fieri Dei, adeoque reapse præire semper voluntatem divinam creatæ, sin minùs faciendo, certè permittendo. Prima enim princepsque antevolat omnes creatas voluntates creatrix voluntas, qua illas creat, qua donat libertate, qua illas sibi permittit, ut pro versatili sua indifferentia agant se quò volent. Si ergo postea creata voluntas in futuros & liberos eventus ipsa se aliquando determinat, cui deinde attemperent se divina decreta, hanc voluntatem creaturæ præcessit voluntas Creatoris, quæ liberam illi hanc facultatem dedit, quæ illam sibi ipsi permisit, quæ præmia ejus obsequio, pœnas flagitio indixit. Prævia ergo & dux est semper voluntas Dei, & decreta omnia voluntati creatæ quasi præeunti accommodata, suspensa sunt non ab hac voluntatum creatarum determinatione, sed à decreto anteriori, illas omnes antecedente & absoluto, quo jussit sanxitque Deus ut voluntates creatæ libertate potirentur; nec infructuosè, si bonæ, nec impunè, si malè uterentur data potestate.

VIII. Secundò in bonum prior determinat Deus, dum voluntates Angelorum & Adami bonas creat, & in bonum juvat; hoc est enim quod ait Augustinus, *Simul condens naturam, simul largiens gratiam.* Illa enim gratia, seu voluntas bona, quædam erat ad bonum prædeterminatio, non illa quidem ut invictissimè voluntatem bono affigeret: sic enim abrupta & præfocata fuisset vena meritorum, saltem qualia merita addecebant naturæ primùm conditæ vires & integritatem. Sed ejusmodi erat ea prædeterminatio, quam sequeretur voluntas si vellet, quam irritaret si vellet. Ubi sequebatur, utique præibat voluntas Dei, sequebatur voluntas creata; ubi irritabat, tunc in malum præibat voluntas creata, in quod præire divinam dici sine piaculo non potest.

IX. Tertiò igitur in malum tantùm præcurrere voluntatem creatam consentiunt sancti Patres. An ergo id vel illis vel nobis crimini vertitur? An bonis malisque nihil interesse volunt, & perinde à Deo hæc & illa à Deo prædefiniri ac promoveri, in utraque ducem præire Deum, nec ducem tantùm ad mala, sed incentorem adjutoremque? An hæc non tantùm volunt, sed ita contendunt, ut secus sentientes, tanquam probatioris doctrinæ desertores insimulent? Id sanè velle, id contendere, usque adeo à fide & à ratione alienum est, ut nisi consuetudo istiusmodi disputationum jam callum quodammodo obduxisset animis auribusque, vix quisquam ista disputari, ista defendi persuaderi posset.

X. Nec cæteri Latini Patres minùs abhorruissent ab istis divinis decretis promiscuè in malum & in bonum præcurrentibus, & ineluctabiliter post se trahentibus voluntates creatas. Audi Isidorum Episcopum Hispalensem: *Deus per malas volunta-* Sentent. 3. c. 57.
tes aliorum in aliis multa operatur bona. Malignantium hominum voluntas nequaquam potest impleri, nisi Deus dederit potestatem. Nam dum homines Deo permittente, malum quod concupiscunt perficiunt, ipse dicitur facere qui permittit. Inde est quod scriptum est per Prophetam, Si erit malum quod Dominus non fecit. Veruntamen quod iniqui mala ex voluntate quærunt, idcirco Deus perficiendi dat potestatem per suam bonam voluntatem, quia de nostro malo ipse multa bona operatur. Quidam cum Dei voluntati resistunt, nescientes Dei consilium faciunt; quo noveris sic Deo subjecta esse omnia, ut & ipsi qui ejus dispositioni adversantur, ejus impleant voluntatem. Pura putaque hæc est Augustini doctrina, ipsissima ejus & Gregorii verba. Præit Deo creatura, sed in peccatum, eamque tum sequitur Deus à tergo, peccati vel puniendo vel reparando emendator. Ex eo quòd Deus sinat creatam voluntatem præire pro suo libitu, duo argumentatur Isidorus, quod nimirum vel sic Deus præeat, ut permittens: deinde quod longè præstantior sit hæc significatio & potestatis divinæ & nostræ subjectionis, cùm & illi qui divinæ voluntati adversantur, eo ipso coguntur divinam implere voluntatem. An volent enim adversarii, ut etiam ad resistendum divinæ voluntati Deus ipse dux præcedat, & prædefinire antevertat, quis, quando & quomodo ei restiturus sit? Et quis hoc unquam sanctorum Patrum? Et quis hoc unquam vel cogitare posset, nisi nescio quibus distinctiuncularum præstigiis effascinatus?

XI. Nec ab his discrepat Bernardus: *Accepit Satan regnum in omnes filios superbiæ, factus princeps tenebrarum harum, ut regno humilitatis* Serm. 27. in Cant.
etiam superbia militet; dum in uno suo principatu temporali & tali, multos humiles excelsos æternosque Reges constituit. Jucundum judicium, ut superbus ille humilium malleator, eisdem ipsis nescientibus fabricet coronas perpetuas, impugnando omnes, & omnibus succumbendo. Præclarissimam hanc divinæ sapientiæ & potestatis de adversaria Satanæ potestate victoriam corrumpunt & adulterant, qui causantur Satanam divinis decretis priùs in peccatum prædestinari & propelli, quasi de eo postea Deus ludos sibi agat, & ludos quidem, si dicere fas est, crudeles & insolentes, dum quem in malum præcipitavit prior, omnes ejus deinceps malos conatus in diversum reflectit, & bona ex eis permulta exprimit. Quæ non eo à me dicuntur, quasi ita sentire credam aliquos Theologos: sed ut eos admoneam, quid obliqui & immites interpretes ex eorum doctrina eliciant præter eorum mentem. Pulcherrima hæc est victoria, si à Deo bonus creatus, & in bonum duntaxat destinatus & adjutus, in malum semet solus ipse Deo permittente deje-

dejecit diabolus, & tunc de propria ejus malitia ingentem bonorum Deus copiam demetit. Alioqui immanis fuerit hæc vincendi gloria & detestabilis. Accipe rursus quæ luculentè de eadem re alibi disserat Bernardus: *Quid est Deus? Non minùs pœna perversorum, quàm humilium gloria. Est enim rationabilis quædam æquitatis directio, inconvertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique; cui illisa omnis pravitas conturbetur necesse est. Quidni in hanc omne tumidum vel distortum impingat, & conquassetur? Væ universo, quod obvium fortè offenderit cedere nescia rectitudo. Nam & fortitudo est. Quid iniquis voluntatibus tam contrarium & adversum, quàm semper conari, impingere semper & frustra? Væ oppositis voluntatibus, solam suæ profectò aversionis referentibus pœnam. Quid tam pœnale, quàm semper velle quod nunquam erit, & semper nolle quod nunquam non erit? Quid tam damnatum, quàm voluntas addicta huic necessitati volendi, nolendique, ut ad utrumlibet jam sicut nonnisi perversè, ita nonnisi miserè moveatur? In æternum non obtinebit quod vult; & quod non vult, nihilominus in æternum sustinebit. Dignè omnino, ut qui ad nihil afficitur unquam quod deceat, ad nihil unquam quod libeat evadat.* Præiit voluntas mali Angeli ad malum, non à Deo ad hæc destinata priùs, etsi præscita: non incitata, etsi permissa; præiit omnino & præcucurrit suo nutu, suo unius impulsu. An id tu victoriam interpretaris? At quàm impotens multis videbitur, quàm misera, quàm detestanda victoria! Quàm ex adverso certa & gloriosa Dei victoria, sic constringentis voluntatem sponte sua malam, ut ad utrumlibet se vertat, non se vertat, nisi in suas pœnas, & in divinæ justitiæ bonitatisque laudes! Quo se cumque enim vertat voluntas mala, sic prævertit Deus ante sæcula res ordinare, ut non aliud possit quàm pœnas suas exaggerare, electis Dei coronas texere, consilia sua enitendo subvertere, consilia divina oppugnando adimplere.

De consid. L. 5. c. 12.

XII. Postremus sententiam dicet Anselmus, inter Augustinianæ doctrinæ discipulos haud sanè postremus. Sic ergo ille libro primo, Cur Deus homo: *Si ea quæ cœli ambitu continentur, vellent non esse sub cœlo, aut elongari à cœlo, nullatenus possent, nisi sub cœlo esse; nec fugere cœlum, nisi appropinquando cœlo. Nam & unde, & quà, & quo, & quæ irent, sub cœlo essent, & quanto magis à qualibet parte cœli elongarentur. Ita quamvis malus homo vel malus Angelus divinæ voluntati & ordinationi subjacere nolit, non tamen eam fugere valet; quia si vult fugere de sub voluntate jubente, currit sub voluntatem punientem. Et si quæris qua transit, nonnisi sub voluntate permittentis. Et hoc ipsum quod perversè vult, aut agit, in universitatis præfatæ pulcritudinem & ordinem summa sapientia convertit. Ipsa namque perversitatis spontanea satisfactio, vel à non satisfaciente pœnæ exactio, excepto hoc quod Deus de malis multimoda bona facit, in eadem universitate locum suum tenent, & ordinis pulcritudinem. Quam si divina sapientia, ubi perversitas rectum ordinem perturbare nititur, non adderet; fieret in ipsa universitate, quam Deus debet ordinare, quædam ex violata ordinis pulcritudine deformitas, & Deus in sua dispositione videretur deficere. Quæ duo sicut inconvenientia, ita sunt impossibilia.*

Cap. 15.

CAPUT XXII.

Ex Patribus Græcis de eodem, ut Dei invicta sit voluntas, & invicta decreta, per bicipitem providentiam, omnia vel faciendo, vel permittendo, & mala bene vertendo dispensantem.

I. II. Ex Irenæo etsi diabolus & Adamus contra Dei voluntatem rebellarint, vicit tamen illa bicipiti consilio suo, quo statuerat, ut vel homo in primigenia gratia staret, vel validiore alia repararetur.

III. Ex Origene, bono hominum proposito utitur Deus ad bona, malo ad necessaria; sic illos sibi permittit; sic tam piè, quàm impiè gesta narrant Scripturæ, quod ex utrisque efflorescat Dei gloria.

IV. Atanasius quoque bicipiti subscribit providentiæ, ut homo à salute non excutiatur; vel excussus, eidem potentiore gratia restituatur.

V. Suffragatur & Synesius.

VI. Et Theodoretus.

VII. Luculentè ex Dionisio, ut Deus, summum bonum, ad bonum, ad se omnes trahat voluntates liberas: quarum non paucæ tardè obsequuntur, & in ejus vestigiis, quæ bona & ipsa sunt, aquiescunt.

VIII. Rursus ex eodem, ut peccatum existat ex eo, quod voluntas divinæ motioni sursum trahenti, pigritanter & desidiosè obsequatur.

IX. Ex eodem universalis providentia consulere debet naturis diversis diversimodè, nec omnes ex æquo ad effectus quoslibet determinare.

I. Etsi non pauca ex Græcis Patribus jam superiùs deprompta sint, ex quibus id efficiatur, quod propositum hìc nobis est: libet hìc alia nonnulla ex eisdem quasi ad cumulum addere, ne ulla superesse possit dubitatio in cujusquam animo, quin hæc sit antiquorum omnium Patrum unanimis doctrina. Et Irenæus quidem ante alios illustri cum primis id probabit exemplo æterni stupendique consilii, quo Pater Deus Filium suum inhumanare constituit, ut perditum repararet hominem, & palmam infringeret, quam videbatur diabolus prostrato homine, non solùm de homine, sed de Deo ipso quodammodo retulisse. Fecerat enim Deus hominem rectum, charitate sua & gratia, summaque facilitate instruxerat ad bene vivendum & perseverandum in accepta justitia, denique sempiternam & incorruptibilem despondεrat perseveranti felicitatem. Tot documentis, tot donis voluntatem suam Deus testatam fecerat, ut homo voluntaria perseverantia salutem cumulatissimam & sempiternam consequeretur. Hanc Dei voluntatem vicisse diabolus videbatur impulso homine ad peccandum. Sed quia invicta semper est voluntas Dei, & tum vincitur creata voluntas, cùm vel maximè vicisse existimatur; vicit divinum sempiternumque bicipitis Dei providentiæ Decretum, quo constitutum fuerat, ut sibi permitteretur homo, & vel voluntariè perseverans, desponsa poti retur gloria: vel voluntariè cadens, sua hac ruina aliquanto etiam majorem Dei voluntati & potestati gloriam accumularet, sive dum ab eo justissimè plectitur, sive dum ab eo misericordissimè reparatur; & utroque modo ex malis ipsis majora bona eliciuntur. Quod enim potest vel bonitatis, vel potestatis specimen illustrius edi, quàm dum post ruinam resurgit homo in gratiæ gloriæque culmen sublimius, & victor sibi visus diabolus ab eo ipso quem vicerat debellatur? *Quoniam & omnis dispositio salutis, quæ circa hominem fuit, secundum placitum fiebat Patris, ut non vinceretur Deus, neque infirmaretur ars ejus. Si enim qui factus fuerat à Deo homo, ut viveret, hic amittens vitam, læsus à serpente qui depravaverat eum, hic non reverteretur ad vitam, sed in totum projectus esset morti, victus esset Deus, & superasset serpentis nequitia voluntatem Dei. Sed quoniam Deus invictus & magnanimus est, magnanimum quidem se exhibuit ad correctionem hominis & probationem omnium. Per secundum autem hominem alligavit fortem, & diripuit vasa ejus, & evacuavit mortem, vivificans eum hominem, qui fuerat mortificatus.* L. 3. c. 33.

II. Ad id connititur ergo Irenæus, ut evincat

Deum

Deum non vinci, nec infirmari artem ejus, nec à diaboli nequitia ſuperari poſſe ejus voluntatem; invictum & magnanimum illum eſſe, ut non poſſit non in procuranda hominis ſalute adverſariæ poteſtatis conatus omnes tandem ludificare. Nec aliter tamen invicta hæc Dei decreta ille conſtituit, quàm quòd Deus hominem voluerit, vel primigenia innocentiæ gratia, vel ſi ab ea dæmonis artibus excuteretur, validiore reparatricis gratię adjutorio ad ſalutem provehere. Victus eſſet Deus, ſi ne hoc altero quidem medicinalis gratiæ molimine reparatus eſſet homo. Vicit autem, ſi alterutro gratiæ auxilio ſalutem hominis perfecit. Nec ait Irenæus victum primo eſſe Deum, mox iterato conflictu victorem evaſiſſe. Sed omnino & ſemper victoriam penes Deum eſſe, invictamque ſemper regnare Dei voluntatem; propterea quòd voluntas, decretum, & conſilium, ſive propoſitum Dei hujuſmodi erat, ut vel non caderet homo à gratia, vel in eandem per invictiora quædam auxilia revocaretur, atque ita vinceretur diabolus vel ab homine ſtante, vel ab homine lapſo & reparato.

III. Origenes quoque eandem iniit rationem invictæ Dei voluntatis & providentiæ tuendæ. Sive enim ab bonum ſe homo conferat, ſive ad malum, in bona & neceſſaria opera illum intorquet Deus: *Qui indignis & deterrimis ſenſibus vivit, iſte formatur vas contumeliæ, non à conditore, ſed à ſemetipſo cauſis contumeliæ ſuæ datis. Non ergo eos tales eſſe conditor fecit, ſed hujuſmodi mentes ſecundùm propoſitum eorum, providentiæ ſuæ juſta & ineffabili quadam ratione diſpenſat. Sicut verbi gratia in urbibus magnis ſi qui indigniores ſunt & abſtruſæ vitæ ac deterrimæ homines, ultima quæque opera & laborioſa condemnantur operari, & tamen neceſſaria ſunt civitati hujuſmodi opera, &c. Et illi in quibus eſt malitia, aliquid neceſſarii operis conferunt univerſitati. Nihil enim otioſum, nihil inutile eſt apud Deum. Quia ſive bono propoſito hominis utitur ad bona, ſive malo utitur ad neceſſaria, &c. Et propterea puto in divinis voluminibus ſcripta eſſe & bonorum geſta & malorum, & ex ſiniſtris & dextris actibus Scripturas divinas eſſe contextas, ut intelligamus quia apud Deum otioſa non ſunt nec malorum opera nec bonorum.* Si Dei eſſent partes prævertere & prædeterminare tum decretis tum motionibus ſuis omnes voluntates liberas, nihil uſquam peccati, nihil mali eſſe potuiſſet, quia nec præfinire quidquam hujuſmodi, nec promovere poſſet lex juſtitiæ & juſtitia bonitaſque ipſamet Deus. Sed cùm & bonitatis & poteſtatis Dei fuerit, & Providentiæ univerſalis munus, voluntates verè liberas condere, & verè ipſas ſibi permittere ut ſuo ſe nutu flecterent quò vellent: hinc explicatur providentia Dei univerſalis, bona opera remunerans, mala & turpia ordinans, ut vel ipſa ſua turpitudine pulcritudinem univerſi cohoneſtent, & ita voluntatem Dei oppugnando perficiant. Univerſalis Providentiæ non eſt prævertere voluntates liberas, & eas ad ſingula prædeſtinare vel impellere; ſed ſuæ illas dimittere indifferentiæ, & in quamcumque partem vergant, eas ibi ſive juſtas ſive injuſtas juſtiſſimè ordinare, bonas in bonis, malas in ſuppliciis, atque ita omnes in bonis. Nec inſcita eſt illa Origenis obſervatio, non inquinari Scripturas divino Spiritu dictatas tantorum ſcelerum narratione, quòd hæc quoque materia ſit explicandę divinę artis, ſapientię, juſtitię, potentię miſericordięque.

Hom. 14. In Numer.

IV. Athanaſius autem convenienter rurſum Irenęi doctrinę argumentatur perinde viciſſe Deum in reparando homine poſt ruinam, atque ſi lapſum ejus prævertendo, ex primi ſui propoſiti vi illum ad ſalutem perduxiſſet; victum autem habendum illum fuiſſe, ſi nec innocentis nec reparati hominis conſtantia diaboli artes atque congreſſiones ſuperaſſet: *Id indignum erat bonitate Dei, ſi quæ ab ipſo creata eſſent, in interitum abirent ob diaboli adverſus homines fraudem. Quin imò indecentiſſimum erat Dei artem in hominibus extingui, vel per ipſorum incuriam, vel per dæmonis impoſturam, &c. Ex iſtiuſmodi incuria magis imbecillitas Dei appareret, in ſinendo opus ſuum perire, quàm ſi nunquam hominem condidiſſet. Nam ſi nunquam hominem condidiſſet, nemo imbecillitatem in eo ſuſpicaretur. Ubi autem eos condiderat & eſſe voluerat, abſurdum indecorumque erat ejus opera interire, idque potiſſimum ſub ipſius opificis conſpectu.* Populi Chriſtiani auribus accommodata hęc ſunt, & imperitorum menti ac pietati temperata. Res autem tota eò redit, ut Dei omnipotentis voluntatis victoria in tuto ſit, ſi hominem à ſe conditum, & ſempiternę vitę deſtinatum, vel ab ea excuti non ſinat, vel inde excuſſum eò reſtituat. Non vincitur primùm, & pòſt quaſi redintegrato certamine vincit Dei voluntas; ſed primò & ſecundò, ſed ſemel iterumque & ſemper vincit, ſi ut ferunt, ęterna & inconcuſſa bicipitis ejus providentię decreta, homo vel innocentię lętiore gratia & facillima perſeverantia ſempiternam vitam conſequitur; vel voluntariè lapſus, illico pœnas dat, & hujus ipſius pœnę medicamento reparatur. Alterutro conſtat Dei victoria.

L. de Incar. Verbi Dei. c. 41.

V. Nec ab univerſali ac bipartita Dei providentia abhorret Syneſius: *Malefica in primis mala, ſed poſteaquam mala ſemper extiterunt, divinæ ſapientiæ & virtutis & facultatis eſt, non modò bonum facere, natura enim ut ita loquar hæc Dei eſt, ut ignis calefacere & luminis collucere; ſed illud præcipuè per mala à quibuſdam excogitata bonum aliquod & commodum perficere, utiliterque his uti, quæ mala videantur. Eſt enim ſolertis hoc ſapientiæ, etiam malis ipſis opportunè uti. Quoties itaque pœnarum exactoribus indiget, interdum locuſtarum agmini præfectis dæmonibus utetur; nonnunquam iis quorum munus eſt peſtilentia; & aliàs quidem barbara aliqua natione, aut nefario aliquo principe; & ut uno verbo dicam, publicis velut adminiſtris naturis, quæ ad male faciendum idoneæ ſunt. Nihilominus tamen odio eas proſequitur, quod ad id idoneæ reperiantur. Non enim calamitatum inſtrumenta molitur Deus, ſed ſuapte ſponte ad hoc officium accommodatas in promptu habet.* Omnipotentis & iſtud argumentum eſt providentię, ſed bicornis, malitiam vetare, proſcribere, odiſſe, plectere: ſed eos tamen Angelos homineſque qui ad malefaciendum ſua ſponte inſtruxerunt ſeſe, obarmaruntque, miniſtros ſatelliteſque habere ad boni incrementa, ad mali extirpationem.

Epiſt. 57.

VI. Quibus gemina ſunt iſta Theodoreti: *Scripſit Moyſes Pharaoni Deum dixiſſe, In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te potentiam meam, & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra. Illi enim ſceleſtiſſimo jam effecto varias Deus ac multiplices pœnas intulit; non ut illum meliorem efficiceret, norat enim duriſſimam ejus mentem morbumque inſanabilem: ſed ut ea quæ olim de ipſo narranda erant, utilia cunctis exempla fierent. Sicut enim civitates carnifices alunt, per quos parricidas, & latrones, & aliis ſceleribus delinquentes, pœna afficiunt; non laudantes quidem, ſed exoſum habentes vitæ illorum inſtitutum, eorum tamen miniſterium ob neceſſitatem admittentes: ita & magnæ hujus mundi civitatis gubernator, tyrannos ceu carnifices quoſdam eſſe patitur, ut per eos ab impiis & iniquis hominibus pœnas exigat; mox tamen eoſdem ipſos exactiſſimo traditurus eſt ſupplicio; quippe qui non ut Dei miniſtri, ſed ſuæ improbitati ſervientes, ſæva illa intulerunt.* Sic omnipotentiam Deus ſuam oſtentat & in Pharaonem & in reliquos divinę legis & voluntatis contemptores pertinaciſſimos, dum illos in mundana hac Republica, quaſi carnifices & lanienę miniſtros conſtituit.

Serm. 6 de Provid.

In-

Invictissimè prohibuisset ne mali fierent, nisi habuisset quid boni exprimeret de ipsa eorum malitia. Non aliter decuit authorem bonorum omnium, quàm nulla bona præfocare, & proinde ne ea quidem quæ per malas voluntates procurantur. Non decuit similiter creatorem omnipotentem creaturarum rationabilium & liberarum, ad unum eas deinde vel decretis vel impulsionibus suis coarctare, cùm tantum bonorum posset exprimere de qualicumque indifferentiæ earum liberæ usu vel abusu. Ut biceps enim est libertas creata, nunc in bonum, nunc in malum vergens: ita biceps est & omnipotentis Creatoris providentia, bona in melius promovens, & mala ipsa in boni uberiorem proventum convertens. Et rursus alibi Theodoretus: *Per hæc docemur, quod eos qui agunt vitam in* In l. 3. Reg. n. 48. *sceleribus & flagitiis, Deus per se invicem punit; & sceleratum tradit scelerato, eis utens tanquam carnificibus.*

VII. Unus superest Dionysius, cujus est pervagatissimum illud, Deum esse ipsum bonum, quod ad se omnia convertit, quod ab omnibus participatur, quod vitia etiam ipsa perversè licèt imitantur, ut sub hac tantùm ementita specie appetantur. Non adpetitur enim nisi bonum: nec vel criminosa anima quoquam vel propendet vel fertur, nisi amore boni, cujus fallacem imaginem De divin. Nom. l. 4. c. 4 expictam in aliqua re aspicit. *Veluti intemperans, etsi per concupiscentiam irrationalem bono privatus sit, eatenus tamen non est, neque quidquam concupiscit, sed boni particeps existit, secundùm exilem quandam portionem amicitiæ & conjunctionis. Ira etiam boni particeps est, hoc ipso quod imitatur & cupit ea quæ mala videntur, ad id quod boni speciem præ se fert, dirigere & convertere. Quin & is quoque qui deterrimam vitam expetit, ut qui omnino vitam cupiat, & quidem optimam sibi visam, eo ipso appetitu, quo ut vitæ appetitu, qui & optimam vitam spectat, boni particeps existit.* Consentiunt hæc adprimè placitis Augustini suprà explanatis: generali impulsione moveri ad summum bonum voluntates omnes liberas à summo ipso bono: sed plerasque pigritari, lassescere & deficere quasi fatigatas à summi boni culmine, quo trahuntur; deficere, ac delabi ad summi boni simulacra & vestigia, quæ ad manum sunt, quæ præsto semper sunt, & quæ semper occursare voluit optimus conditor, ut vel per hæc ad ipsum invitaremur, excitaremur, revocaremur, non ut in his acquiesceremus. Ita actio illa physica peccati, quæ & peccatum, & utcumque à Deo esse dicitur, non aliter ab illo est, quàm quia motioni illi qua sursum ad vera bona trahimur, non totos, sed ex parte tantùm nos committimus, nempe ut vestigia veri boni prosequamur, non ut ipsum verissimum bonum in suo sursum sempiterno domicilio consequamur.

VIII. Inde est quod idem Dionysius infra docet, malum esse præter intentionem, præter finem, præter causam, extra voluntatem; esse frustrationem scopi, pulcritudinis, causæ. Cùm enim moveat Deus voluntates creatas ad summum bonum, & per seipsum, & per creaturas expetendum adeundumque; voluntas obsequitur illi motioni pigritanter & desidiosè, hæretque in creatis summi boni simulacris, nec ultra tendit ad boni ipsius fontem. Non eo ergo peccat, quod hæret boni imaginibus, sed quod in illis conquiescit, fruiturque quibus uti tantùm debuerat. *Malum* Ibid. n. 32. 33 *itaque deflectit à via præter intentionem, præter naturam, præter causam, præter principium, præter finem, extra terminum, extra voluntatem, extra substantiam. Malum ergo privatio est, & defectus, & infirmitas, & error, & frustratio scopi, &c.* Ex quo ille tandem concludit, mali invidiam in Dei providentiam conjici non debere, cum bona sint omnia, præter illam quæ à sola voluntate nostra proficiscitur cessationem, & nostram à summo bono, qui nobis scopus propositus est, aberrationem ad ejus vestigia, ludibriis terrenis appicta. *Quod si nulla res sit expers boni, malum autem sit defectus boni, cum nulla res omnino sit privata bono, in rebus omnibus divina quoque providentia est.* Nec eo tantùm vincit voluntas & potestas Dei summè boni, & summi boni, quod malum nihil sit, nec ulla res sit, quæ quanta vel quantilla est, bona non sit: sed etiam quod illæ voluntates, quæ propria malitia malæ sunt, in bonum publicum privatumque aliorum à Deo contorquentur. *Nec res ulla divinam providentiam effugit. Quin etiam iis qui mali evaserunt, ad ipsorum, vel aliorum, privatam, vel communem utilitatem providentia benignè utitur, propriéque singulis rebus consulit.*

IX. Idcirco nec prohibere Deus debuit, quin Angeli hominesque peccarent, si vellent, cum & ordinis & bonitatis sit, naturas quascumque proprio permittere ingenio, eisque pro earum diversitate diversimodè providere. *Quapropter vanum sermonem plurimorum nequaquam approbamus, qui aiunt divinam providentiam nos vel invitos ad virtutem debere compellere. Nam non est providentiæ naturam violare. Quapropter tanquam providentia, quæ naturæ cujusque conservatrix sit, libero motu præditis, ut liberè se moventibus, & universis ac singulis modo quodam universo ac cuilibet proprio prospicit; inquantum eorum quibus providetur natura capit universæ atque omnigenæ providentiæ beneficia, quæ cuique pro suo captu dantur.* Ponderanda sanè est hæc Dionysii ratio; nimirum naturis quibusque consulere debere providentiam, tam diversimodè, quàm diversæ sunt ipsæ naturæ. At verò si Decretis & præmotionibus prædeterminantibus omnia prævertuntur à Deo tam voluntaria quàm naturalia, tam libera, quàm necessaria eventa, una & ejusdem modi, suique semper simillima ratio providentiæ est, in administrandis naturis diversissimis. At si causas naturales & necessarias urget & prædeterminat semper ad bonum; si voluntarias & liberas causas juvat ad bonum, non ineluctabiliter determinat; sed quo se cumque illæ determinaverint, in boni semper & augmentum & stabilimentum providentia totum convertit; tum verè aliter & aliter naturis causisque diversis consulitur.

CAPUT XXIII.

Futura conditionata libera, quæ nunquam futura sunt, an Decretis suis præfiniat Deus, an præscientia sua complectatur.

I. Ut eluderent Augustini dogma de prædestinatione gratuita, præscientiam futurorum conditionatorum invexere Pelagiani.

II. Futura tamen aliqua conditionata agnoscit idem sanctus Pater, nempe quæ ex causis naturalibus eruptura erant, ni Deus miraculo prævertisset: cujusmodi mors Ezechiæ.

III. Testimonia & argumenta Augustini adversus scientiam futurorum conditionatorum liberorum.

IV. Rursus ut Augustinus & Prosper hanc præscientiam à Semipelagianis invectam refutent.

V. Eam illi muniebant eo Scripturæ loco, ubi raptus dicitur Juvenis, ne malitia mutaret intellectum ejus, si superstes fuisset. Contra Augustinus negat id dici ob præscientiam, sed ob incerta vitæ pericula.

VI. Alia ex Augustino argumenta adversus hanc præscientiam, in origine animæ explicanda.

VII. Ante Semipelagianos Pelagiani hanc conditio-

ditionatorum præscientiam propugnarunt, hanc jam tum labefactaverat Augustinus.

VIII. Hanc eandem validè refellit & Fulgentius.

IX. Eo maximè argumento, quod omnia sciat potius Deus, quàm præsciat, utpote æternitati suæ præsentia. At hæc futura nunquam præsentia esse possunt, nunquam coexistere æternitati, cum futura verè non sint.

X. Rursus Fulgentius negat scientiam Dei, qui summa veritas est, futuris non veris pasci posse.

XI. Objectio solvitur, ex Gregorio Magno petita.

XII. XIII. Objectiones aliquot ex Scripturis petitæ solvuntur.

I. De futuris his contingentibus conditionatis jam tum cœptum est disputari, cum Pelagianam insaniam Augustino maximè duce Ecclesia debellaret. Et illud enim commentum Pelagianis in mentem venit, non gratuitæ & æternæ prædestinationis beneficio, ex parvulis fidelium filiis, aliquos abripi immaturos statim post baptismum, cum alios tam multos baptismo mors præripiat; sed ex præscientia operum, si tum illi, tum isti superstites essent & adolescerent. Insulsitatem hujus deliramenti multis argumentis insectatus est Augustinus, & illo in primis, quod resciri à Deo non potuerint hæc futura, quæ nunquam futura
In Psal. 105. sunt, adeoque ne dici quidem debeant futura. *Quomodo enim futura dicuntur, quæ nulla erunt?*

II. Universim alibi præstruxit hanc regulam Augustinus, futura illa esse, quæ secundum divinam præscientiam futura sunt: item illa quæ secundum contextum causarum secundarum futura sunt, si modò Dei voluntas inusitata potestate usitatum re-
De Genesi ad lit. l. 6. c. 17. rum ordinem non immutet. *Nam secundum quasdam futurorum causas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam, id utique faciens, quod ante constitutionem mundi se facturum esse præsciebat, & in sua voluntate servabat.* Mors Ezechiæ celerior futura erat ex effæti ejus corporis exhaustis viribus; id Deus præsciebat: erat ergo aliqua præscientia futuri conditionati, nunquam futuri. Intercessit enim morti acceleranti Deus, & quindecim annorum inducias ac vitam pio Regi indulsit. Sed istiusmodi non sunt ea futura de quibus inquirimus. In textura enim & serie causarum secundarum quasi liciata, & omnino necessaria sunt hæc futura, quæ exemplo Ezechiæ illustravit Augustinus, nec inter contingentia & libera recenseri possunt. Nec dubitari autem potest, quin eventa necessaria conditionata præsciri possint & præfiniri. In futura contingentia & libera tota incumbit difficultatis moles; cùm quantumvis penitissimæ medullæ dispiciantur causarum secundarum, vix aut nec vix præsciri possit, quo sint inclinaturæ; cùm quo penitius introspiciuntur, eo solutior & flexibilior in utrumvis indifferentia retegatur. Quin imo cùm non alia futura hîc commemoret Augustinus, quàm quæ vel ex Dei præscientia absolutè futura sunt: vel ex causis necessariis futura sunt, si modò non prohibeat Deus; conjici potest, nec alia illum futura approbasse ulla.

III. Aliquantò certius & manifestius est, quod idem Augustinus alibi disputat contra Faustum Manichæum. Apertissimè enim hîc negat, futura ullo modo esse aut existimari posse, quæ
L. 26. c. 4. reapse nunquam erunt: *Porro si audiam, quod aliquid futurum erat, sed Deus fecit, ne fieret; fidissimè respondebo, illud potius futurum erat, quod Deus fecit: non illud, quod si futurum esset, hoc fecisset. Nam Deus quod facturus erat, utique sciebat; & ideo simul sciebat, illud futurum non fuisse, quod ne fieret, facturus erat: & proculdubio potius verum est quod scit Deus, quàm quod opinatur homo. Unde tam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta quæ præterita; quoniam non est in Dei voluntate, ut eo sit aliquid falsum, quo verum est. Quamobrem omnia quæ verè futura sunt, fient sine dubio; si autem facta non fuerint, futura non erant.* Ubi præter authoritatem Augustini, ipsa quoque rationum momenta perpendenda sunt. Etenim si futura non sunt, ne sciri quidem futura possunt. Quorum enim nulla veritas est, nulla scientia, nulla præscientia est. Si futura quippe non sunt, verè futura non sunt. Nulla ergo veritas est futuræ eorum existentiæ. Deinde futura omnia in præteritum aliquando tandem trajiciuntur. Futura autem conditionata de quibus hîc controvertitur, nunquam præsentia ex futuris, nunquam præterita ex præsentibus evadent, ideoque nec ullo modo futura fuerunt. Denique si falsum est quod futura sint, quid ergo veri esse poterit in eo quod futura dicuntur? Quod verò aiunt, absolutè futura hæc non esse; sed si conditio hæc, vel illa poneretur, tunc verò futura essent. Quid hinc aliud inferri potest, quàm quod tunc etiam veri aliquid complecterentur, tunc sciri & præsciri possent; nunc autem quia verè futura non sunt, veri nihil continent, ideoque nec sciri possunt, nec præsciri? Unde rursus alibi Augustinus contra Adversarium Legis & Prophetarum: *Unde scit Deum non* L. 1. c. 16.
præscisse quod contigit? An quia contigit: Imò si non contigisset, nullo modo id præscisset futurum, quia non erat futurum.

IV. Sed ad Pelagianos revocanda oratio est, præcipuos hujus præscientiæ futurorum non futurorum patronos. Sic ergo rursus eos refellit Augustinus, commentitiamque sugillat præscientiam, agens de parvulis qui baptismo præmoriuntur alii suscepto, alii non suscepto: utique ex vi gratiæ illos, non istos prædestinantis; non ex prævisione & præscientia vitæ ab illis, si superstites fuissent, piè vel sceleste agendæ. *Quomodo enim præscivit ea* Ad Bonifa. l. 2. c. 7.
futura quæ illis in infantia morituris, quia præscientia ejus falli non potest, præscivit potiùs non futura? Et cùm Prosper ad Augustinum hæc rescripsisset de Massiliensium opinationibus: *Cùm innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique excepto originali peccato, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei judicio secernuntur, ut ante discretionem boni ac mali de usu vitæ istius auferendi, alii per regenerationem inter regni cœlestis assumantur hæredes, alii sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores; tales aiunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina praviderit.* Hanc ergo præscientiam commenti sunt Semipelagiani, ut argumentum illud gratuitæ prædestinationis frustrarentur, quod ab sorte diversissima parvulorum immatura morte abreptorum ducebatur. Unde mox Prosper: *In tantum commentitiis quibuscumque meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita non extant, futura quæ non sint futura confingant, novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.* Sic Prosper in antecessum fabulosa hæc futura, fabulosam præscientiam damnat, eique assentitur Augustinus in responsione ad eum data, hoc est in libris de Prædestinatione Sanctorum, ubi & illud explanat Scripturæ, *Raptus est, ne malitia mutaret intelle-* L. 1. c. 14.
ctum ejus.

V. Poterat enim hæc imaginariæ præscientiæ fabula videri posse superstrui huic Dei providentiæ misericordissimæ, qui juvenem præcoce morte hinc aufert, quasi præscius futuræ ejus in peccatum prolapsionis, si diuturnioris vitæ usura frueretur. At contra Augustinus negat illud dici propter hanc præscientiam rei non futuræ, quæ ideo nulla potest esse; sed propter incerta & abrupta pericula vitæ longioris, quæ in varias incidit tentationum procellas. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Dictum est secundùm pericula vitæ hujus,*

hujus, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat; hoc est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. Ubi non pauca sunt, quæ non oscitanter observari debeant. Primò non id tantùm contendere Augustinum, quòd nullo loco esse debeant, nulliusque momenti haberi, quæ futura verè non sunt merita vel demerita, quamvis data tali occasione futura essent. Multis quidem id expugnat ille probationibus, sed non ibi tantùm figit gradum; hanc etiam præscientiam suspensam ab imaginaria conditione, hæc futura verè non futura, sed in somniantium hominum cerebro tantùm futura, oppugnat enixissimè, & à fundamentis subruit, ut liquet ex locis relatis, liquet & ex Prospero idem cum eo sentiente. Secundò observa non præscientiam tantùm, sed & decreta omnia huic præscientiæ consentanea pariter ab eo subrui & dissipari. Præsciret enim Deus si qua decrevisset. Non præscit hæc futura, ergo nec decrevit. Deinde non præscit ea Deus, quia merum nihilum sunt, merum commentum, & nec veri umbram habent. Id abundè est, ut etiam nec ea decreverit. Adde quod in eo qui præmaturè raptus est, apertè tradit Augustinus non ob futura aliqua decreta conditionata id dictum, sed ob *incerta tentationum*, propter *pericula hujus vitæ*, & quibus absorberi potuisset, & quibus tutissimum fuit subtrahi. Tertiò cùm disertis verbis neget Augustinus propter ullam futurorum præscientiam raptum esse electum juvenem, ne malitiæ æstu demergeretur aliquando; affirmet autem id dici tantùm, ob incerta tentationum eventa, & varia vitæ pericula: nostri erit deinceps juris munerisque consimiliter interpretari consimiles Scripturæ locos alios, & exempla omnia, quibus conditionatam istam præscientiam nonnulli superstruxere.

VI. Nec in oppugnandis tantùm Manichæis & Pelagianis hanc commentitiam præscientiam exsibilavit explositque Augustinus, quasi causæ necessitate constrictus; sed & in origine animæ vestiganda. Manichæi cavillabantur creari non debuisse à Deo, vel Angelos, vel homines, quos peccaturos præscisset; reponebat Augustinus, si peccaturos præscierat, utique peccaturos fuisse; nec enim præscientia esse potest, nisi de rebus certissimè verissimèque futuris; quæ si futuræ sunt, non possunt non esse futuræ. Pelagiani futura merita vel demerita confingebant vitæ diuturnioris, eorum qui præcoce fato inter cunas extinguebantur, ut his imaginariis meritis electionem gratiæ everterent: & eos refellebat Augustinus, horum meritorum & hujus præscientiæ ut meri commenti expugnatione. In indaganda verò animæ origine, molestissima quæstio se interserebat, cur animas immerentes, nec ullius vel labeculæ conscientia maculatas demergeret Deus in corpora, quorum contagio statim afflarentur, & parentali peccato protinus sordescerent. Ibi poterat in mentem venire cuipiam: *animas parvulorum sine baptismate mortuorum, à justo Deo in carnem peccatricem relegari atque damnari; quas præscivit, si ad ætatem pervenirent, in qua libero uterentur arbitrio, malè fuisse victuras.* Verba sunt Augustini, qui mox hanc conjecturam ita refutat: *Quid quod ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur, non erit? Quomodo enim rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Et rursus cum alii dicerent, Deum ex æquo omnes parvulos ad baptismum prædestinasse, sed eorum aliquos præfestinata morte baptismo præripi: hos ita Augustinus confutat: *Ergone prædestinati baptismo, vitæ præsentis antequam renascantur in Christo, præveniuntur occiduo? Et prædestinat Deus, quod futurum non fuisse præscivit? Aut hoc futurum non fuisse præscivit? Aut hoc futurum non fuisse nescivit, ut ejus aut prædestinatio frustraretur, aut præscientia falleretur?*

De anima & ejus orig. L. I. c. II.

L. 4. c. 10.

VII. Proscripserat Augustinus hanc scientiam conditionatam, jam tum cum adversùs Pelagianos certaret; ut patuit ex epistola & libris ad Bonifacium Papam; item ex epistola ad Sixtum, ubi hæc habet: *Deus, inquiunt, in eis quos hinc aufert, prævidet quemadmodum victurus esset quisque si viveret. Et ideo quem nequiter novit fuisse victurum, sine baptismo facit & mori; sic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, sed quæ facturus fuit.* Igitur hanc præscientiam futurorum conditionatorum tenuerunt Pelagiani, à quibus & in Semipelagianos transfusa est. Quin & adversùs Semipelagianos decertans Augustinus in libris de Prædestinatione Sanctorum, ostendit hac ipsa conditionata scientia communiri & penè inexpugnabiles reddi Pelagianorum errores, à quibus procul erant Semipelagiani: *Dicerent enim prorsus nullum esse originale peccatum, sed pro suis futuris si viverent meritis, vel baptizari, vel non baptizari eos qui de corpore solvuntur infantes, &c. Ita facillimè agerent, atque obtinerent causam suam, qua negant esse originale peccatum, & gratiam Dei non dici nisi secundùm merita nostra contendunt.* Ita sanctus Pater, qui deinde totum hoc quidquid est præsidii pro Pelagiana dementia, sic evertit: *Sed quia hominum futura, quæ non sunt merita, & hoc videre facillimum est; ideo nec Pelagiani hoc dicere potuerunt, & multo magis nec isti dicere debuerunt.* Et ibidem: *Sed unde hoc talibus viris in mentem venerit nescio, ut futura quæ non sunt futura puniantur, aut honorentur merita parvulorum.*

Epist. 105.

Cap. 13.

Cap. 12.

VIII. Secundùm Augustinum luculentissimè in hac materia versatus est Fulgentius in libris de veritate Prædestinationis. Ita enim ille: *Secundum rectam itaque fidem ac perspicuam veritatem, quòd attinet ad parvulum qui sine beneficio secundæ nativitatis huic vitæ subtrahitur, sicut præscisse fatendum est Dominum parvuli futuram mortem, quæ verè futura erat; sic absurdè dicitur Dominum præscisse parvuli futura peccata, quæ futura non erant. Neque enim Dominus rerum omnium conditor futura præscisset, quæ facienda non essent. Scimus namque præscientiam Dei sic esse veram atque incommutabilem, ut quæ futura præscit, verè futura sint: nec aliquid faciendum præsciat, quod non secundùm ejus præscientiam fiat.* Sic ille totum hoc figmentum fallacis præscientiæ amolitur à Deo, quòd nihil certi, nihil veri, nihil futuri in ea re sit, quæ illi obversari fingitur.

L. I. c. 7.

IX. Nec minùs valido idem argumento mox adversùs eandem præscientiam nugatoriaque decreta illi superfundata insurgit; quòd Deo nihil futurum, omnia præsentia sint, utpote qui omnia temporum volumina in unum colligat interminabilis & infinitæ suæ æternitatis punctum; nec tam præsciat aut prævideat res, quàm sciat videatque. Atqui futura conditionata, futura non sunt verè, nec præsentia unquam erunt, & æternitati divinæ proinde nusquam coexistent. *Futura verò sola in se creaturæ mutabilitas recipit, quæ in Creatoris incommutabilitatem nullatenus cadit. Propterea Deo nihil est præteritum vel futurum; cui sic omnia præsentia fiunt, quæ facienda præscit, ut postquam facta fuerint, præsentia ei esse non possint; quoniam sicut novit præterita, sic novit & futura. Quæcumque enim cum tempore mutantur & transeunt, in ejus cognitione sine temporis transitu ac mutabilitate consistunt. Rerum autem non earum quæ futuræ non sunt, sed quæ faciendæ sunt, præscientiam Deo inesse, liber Danielis Prophetæ testatur his verbis: Dominus qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequam fiant. Dominus ergo scit in æterna præcognitione quod futurum est, ut fiat in opere. Absurdè itaque dicitur, quod præscivit parvulum, si viveret, impium futurum; quem profe-*

Ibidem.

Ibid. c. 8.

profecto non plusquam vixit, *præscivit esse facturum*. Cùm igitur futura contingentia conditionata nusquam præsentia esse possint æternitati divinæ, nunquam divinæ scientiæ aut præscientiæ obversari possunt.

X. Urget quin imò Fulgentius conjici in erroris & mendacii periculum præscientiam divinam, si futura videt, quæ futura non sunt; si veritatis ipsius scientia pascitur illuditurque objectis non veris: *Restat ut præscientiæ Dei, quam utique non negat veracem, aliquam inesse, quod absit, æstimet falsitatem. Falsum est enim futurum esse aliquid, quod præsens non erit. Dei autem scientia nihil in se potest habere falsi, quia falsitas inesse veritati non potest. Præscientia igitur veritatis, quæ in se non recipit falsitatem, sicut faciendum præscit, quod faciendum est; ita non faciendum, quod faciendum non est.* Et infrà: *Non autem congruit veritati, ut in præscientia Dei dicatur esse futurum aliquid, quod in tantum nihil esse convincitur, ut ex futuro præsens nullatenus fore, vel fuisse monstretur; cum utique ipsum futuri nullatenus possit habere vocabulum, quod præsentis appellatione non sit quandoque censendum.* (Ibid. c. 8.)

XI. Decreta quædam Dei suspensa & conditionata videtur alicubi memorasse Gregorius Magnus, ubi ait: *Præfixi dies singulis ab æterna Dei præscientia, nec augeri possunt, nec minui; nisi contingat, ut ita præsciantur, ut aut cum optimis operibus longiores sint, aut cum pessimis breviores; sicut Ezechias augmentum dierum meruit impensione lachrymarum; & sicut de perversis scriptum est, Indisciplinatis obviat mors.* (Moral. l. 12. c. 23.) Commodè Gregorius exemplum intexuit Ezechiæ, ut intelligamus perinde illi atque Augustino, quo ille magistro gloriabatur, certa & absoluta fuisse hæc decreta. Ita enim rem istam supra enodavit Augustinus; pauciores annos vitæ destinatos fuisse contemplatione ejus valetudinis, plures adjectos esse insuetata Dei indulgentia & gratia: tam præscientia ista, quàm præfinitio Dei certa & absoluta censeri debet. Ita prorsus Gregorius Ezechiæ peccatis breviorem, pœnitentiæ de peccatis longiorem à Deo vitam præfinitam fuisse, ideoque præscitam contestatur; ubi nihil suspensum, nihil non absolutissimum est. Hanc autem esse mentem Gregorii elucet ex alii locis, ubi de eodem Ezechiæ fletu, prece, vitæque protractione verba facit. (L. 12. c. 2.) Illud enim ibi tandem concludit: *Quamvis omnipotens Deus illud tempus uniuscujusque ad mortem præsciat, quo ejus vita terminatur; nec alio in tempore quisquam mori potuit, nisi ipso quo moritur.* (L. 16. c. 5.) Si molestior sis in illo Gregorii testimonio objectando, recurremus ad aliam Augustini regulam, non hinc præscientiam ullam, non ulla Dei decreta colligi debere de re nunquam futura; sed id ita dici, sicut de illo dicitur: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus.* Sicut enim Augustinus hoc interpretatus est dici, non ob præscitam futuram justi istius ruinam si diutiùs vitam ageret, sed ob incerta vitæ pericula, ob incertos tentationum turbines: ita dixerit Gregorius diutiùs vitam protracturos, si piè; ocyùs morituros, si pravè vitam egerint, non ob ullam rei non futuræ quasi futuræ præfinitionem aut prævisionem: sed quia Deus non raro scelestis vitam decurtat, justis protrahit.

XII. Inaniter objectant nonnulla Scripturæ loca quæ ancipiti huic scientiæ constituendæ accommodatiora videntur. Et ea enim facilè diluentur, si advertas 1. longè aliter Deum scire, aliter loqui; scit enim sibi, loquitur nobis; quocirca scientia Dei Deo, loquutio Dei homini contemperatur. Loquitur ergo per enunciationes, per discursus, per metaphoras, per hypotheses; scit autem ineffabiliter præstantiùs quàm dici possit per hujusmodi nostram balbutiem. Unde cum Augustino pronuntiare licet: *Nullo genere locutionis loquuntur scripturæ, quod in consuetudine humana non inveniatur, quia utique hominibus loquuntur.* (De Trin. l. 1 c. 12.)

Si advertas 2. moris esse hominibus, causarum ad effectus aliquos parturiendos inclinationem enuntiare per propositionem de futuro, tametsi an futurum sit, nesciamus, sed causarum dumtaxat præparationem significare contendamus. Ita crebrò dicimus. Si hoc iter pergas, in latrones incides. Si hoc cibo vescaris, ægrotabis. Si urbs oppugnetur, expugnabitur. Per quæ futurum aliquod vaticinari vel absolutè, vel hypotheticè, ne cogitamus quidem; sed causarum dumtaxat inclinationem designare, puta iter infessum à latronibus, cibum valetudini exitialem, urbem immunitam, &c. Quamvis enim posita etiam conditione, posse non consequi effectum certò sciamus; citra mendacium tamen consequuturum pronunciamus, quia plerumque consequitur, & ab eo periculo deterrere vehementer laboramus.

Si advertas 3. usum quoque inolevisse, ut animo exaggerandi, futura hypotheticè intentemus, quę certi sumus non futura; verbi gratia, Si vel Turcę essent, modestiùs se agerent; si vel marmora essent, ad has lacrymas, ad hęc munera mollirentur. In quibus non falsitas, sed venustas, nec mendacium, sed tropus, vel figura est.

Si advertas 4. non hypotheticè tantùm, sed & absolutè futura in scripturis dici complura quę non sunt futura, ad significandam dumtaxat causarum secundarum inclinationem, verbi gratia, Ezechię dicitur, Morieris tu, & tamen quindecim annos vita illi protracta est. Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur; & tamen subversa non est. Cœperuntque hoc facere, nempe Turrim Babel condere, nec desistent; & tamen destiterunt; & lib. 3. Regum, vetantur conjugia cum alienigenis: *Certissimè enim subvertent corda vestra, ut sequamini Deos earum*: & tamen non omnes seducti sunt. (Cap. 11.) Hęc ergo non ad aliquod futurum certò ominandum dicta, sed ad indigitandum periculum, causarumque inclinationem: verbi gratia, desperatam Ezechię valetudinem, cumulum nequitię Ninivitarum, obstinatam condendę turris voluntatem, inexplicabiles muliebrium illecebrarum laqueos. Si ergo quę absolutè futura pronunciantur, verbo tenus futura dicuntur, sola autem causarum inclinatio affirmatur; multò magis quę hypotheticè futura dicuntur, cum hypothesis ex se nihil affirmet, sed solam antecedentis ad consequens, causę ad effectum inclinationem & connexionem demonstret.

Si advertas 5. nec abhorrere scripturam ab exaggerata affirmatione rei quę non esse, non fore certò scitur: ut *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*; hoc est, tanta laudum materia est, ut vel ab ipsis lapidibus encomia possit exprimere. (Lucæ c. 19.) Ad quod nonnihil accedit & illud, *Testificamini quod consentitis operibus Patrum vestrorum; quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra.* (Matth. 23. Lucæ 11.) Nan & hic ex usitato loquendi more verba in sensum rapienda sunt planè contrarium ei quem prę se ferunt. Prophetarum quippe sepulcra cùm religioso animo excitarent, inde tamen infert Christus eos neci Prophetis à parentibus suis olim illatę consentire; sed hęc illatio fit verbo tenus, sensus enim est, Tam facinorosè vivitis, ut cum Prophetarum sepulcrę excitatis, adgratulari eorum morti potius quàm condolere videamini. His prenotatis.

XIII. Inaniter jam objici liquebit quędam loca scripturę. Illud enim, *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*; illud inquam solam exaggerat exprobratque duritiam Judęorum, quibus vel ipsi inter Idololatras perditissimi, nempe Tyrii, nec comparandi essent. (Matth. 11. Lucæ 10.) Ita sępissimè

amico

amico exprobramus quippiam neganti, si hoc vel ab inimico petiissem, statim annuisset; si has preces marmori occinuissem, illud emollissem. Et sanè Christi scopus hic est, non prophetare, sed exprobrare.

Illud item, *Si percussisses terram quinquies, aut* L. 4. Reg. c. 13. *sexies, aut septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam:* illud inquam non aliud innuit, quàm Joam Regem pro sua in Deum & Prophetam obedientia, victorias in hostes ingeminaturum. Unde ex hac propositione certissima & absoluta, vel ex hoc Dei consilio, Toties vincet, quoties obediet; humano loquendi more per prophetam propositiones hypotheticæ complures potuere confici, quarum una hæc est. Verùm hìc nihil futuri adtenditur, sed sola ostentatur vis obedientiæ ad victoriarum incrementa facienda.

Illud item, *Si tradent me viri Ceilæ. Dixit Dominus, tradent*: illud inquam solam declarat præ- L. 1. Reg. c. 23. parationem cordis, & præsentem machinationem ejus urbis civium, qui Davidem prodere jam meditabantur. Hoc quippe à Davide resciri opus erat, ut fuga sibi consuleret. Unde Paraphrasis Chaldaica sic habet: *Cogitant me tradere viri Ceilæ? cogitant tradere. Cogitat descendere Saul? & dixit Deus, cogitat descendere.* Et Glossa ordinaria habet, *In voluntate habent, ut tradant.*

Illa item alia loca ubi Deus quæpiam promittit, quę tamen ex defectu conditionis pręstita non sunt, ut cum se Sodomis parciturum promittit, si vel decem justos ibi invenerit; non consilium, non scire Dei conditionatum ea loca demonstrant, sed accommodatæ sunt humano usui significationes ejus connexionis, quæ est inter præmium & meritum, vel supplicium & peccatum. Hæc enim propositio absoluta, vel decem justorum contemplatio ab universitate populi urbisque extremam pernicem amoliri potest: potest dissolvi in hanc conditionatam, si decem saltem justi in urbe quapiam commorentur, civitati flagitiosissimæ parcet Deus. Cæterùm cur propositiones hypotheticæ in absolutis, non ex adverso hæ in illis resolvendæ sint, præter rationes suprà conglobatas adversus scientiam conditionatam, hæ rursus magni ponderis sunt: Quòd propositio hypothetica omnium imperfectissima sit; nempe suspensa, dubia, ignara rei, nihil docens, nihil firmans. Rursus quòd, maximè si de futuro sint propositiones hypotheticæ, alia suspicione laborent, nempe quòd Deo nulla sint futura. Ergo & quà hypotheticæ & quà de futuro sunt, adigunt nos ad rigidiores Deoque digniores interpretationes confugere.

LIBER OCTAVUS.

De Prædestinatione, & Reprobatione.

CAPUT PRIMUM.

Quid & quotuplex sit prædestinatio. Est & in malum, pœnæ, non culpæ. Quid electio gratiæ; ejus varia nomina, dubia, hostes. Quid præscientia prædestinationi conserta. Electio ad gloriam & ad merita. Utra prior. De discretione à massa perditionis.

I. Quid prædestinare, præfinire, decernere, statuere, proponere, ὁρίζειν, προορίζειν? Quid prædestinatio?

II. Prædestinatio est non solum ad gratiam & gloriam, sed etiam ad pœnam culpæ rependendam, non ad culpam ipsam.

III. Propriè tamen prædestinatio est gratiæ gloriæque præparatio.

IV. Idem valent hæ voces in Scripturis & Patribus, electio, propositum, dilectio, discretio, præparatio gratiæ.

V. Duplex prædestinatio, altera meritorum, altera gratiæ.

VI. Ante Episcopatum suum Augustinus electioni gratiæ adversabatur, ut temerariæ, quæ discriminaret eos in quibus nihil erat discriminis. Episcopatus sede auctus, in sola electionis voce aliquandiu tergiversatus est, re non dissentiens.

VII. Pelagiani bonis operibus, Semipelagiani initiis fidei superstruebant divinam electionem.

VIII. Marcion, Valentinus, & Manes in naturis ipsis discrimen locabant, quarum aliæ malæ essent, aliæ bonæ.

IX. Promitur & exponitur definitio prædestinationis ab Augustino tradita. Etsi præscientia dicitur, innititur tamen scientiæ visionis.

X. Prædestinat Deus quos vult, & ad gloriam, & ad gratiam.

XI. Priùs ad gloriam, post ad gratiam prædestinat. Probatur ex Augustino & Fulgentio.

XII. Probatur & validis argumentis; maximè ex eo qui præfestino rapitur fato.

XIII. Item ex massa damnationis, à qua electi solì secernuntur.

XIV. Item ex iis qui ab eo non secernuntur, ideoque nec finali donantur perseverantia.

XV. Denique ex Tyriorum exemplo, quibus signa negata sunt, quia à massa damnata secreti non erant.

I. PRædestinare, præfinire, decernere, statuere, proponere, haustæ è Scripturis voces sunt, idemque prorsus significant, quod nimirum Deus ante sæcula decernit facturum se in tempore. Græcis idem est ὁρίζειν, προορίζειν. Paulus ad Romanos: *Quos præscivit & prædestinavit.* Et ad Corinthios: *Loquimur Dei sapientiam inter perfectos, quam prædestinavit Deus ante sæcula.* Et ad Ephesios: *Prædestinati secundum propositum ipsius.* Ubique vox Græca προορίζειν usurpatur. Et rursum Lucas in Evangelio: *Et quidem Filius hominis secundum quod definitum est, vadit.* Et in Actis: *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum.* Et rursum: *Definiens statuta tempora.* Ubi vox eadem προορίζειν in Græcis habetur. Lucas similiter in Actis: *Convenerunt facere, quæ manus tua & consilium decreverunt fieri*: προώρισε. Statuendi voce alibi Lucas utitur in Actis: *Judicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit*: ᾧ ὥρισε. Denique Paulus ad Ephesios: *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo*: κατὰ τὴν εὐδοκίαν, ἣν προέθετο. Vocis προέθετο eadem significatio atque προώρισε; ut liquet ex eodem ibidem Apostolo: *Prædestinati secundùm propositum ejus*: προορισθέντες, κατὰ πρόθεσιν τοῦ, *&c.*

His

His porrò vocibus contineri ea omnia quæ facturus est Deus in tempore, & quæ proinde factu- rum se præfiniit ante omnia tempora, liquidum est, tum ex allegatis Scripturæ locis, quæ ad res longè diversissimas pertinent, tum ex Augustino, qui prædestinationem ita universim describit: *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuit ipse facturus*. Et alibi: *In sua quæ falli mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est prædestinare*.

De prædest. sanct. c. 10.
De dono persev. c. 17.

II. Itaque non ad bona tantùm, sed ad mala etiam secundum Scripturas, prædestinationis voce usus est Augustinus, ad mala inquam non culpæ, sed pœnæ. *Ne cum hoc mundo damnemur. Pro isto mundo non rogat; neque enim quo sit prædestinatus ignorat*. Et alibi: *Inimici omnino pœnis gehennæ prædestinati, ubi erit fletus & stridor dentium*. Cui consentaneus est Prosper: *Prædestinatio Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ*. Et infrà: *Dubium non est, sine ulla temporali differentia Deum & præscisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erant authore facienda, vel quæ malis meritis justo erant judicio retribuenda*. Et Fulgentius: *Tales ad interitum prædestinavit, quia talibus justæ punitionis supplicium præparavit. Quod utique manifestò Dominus ipse sermone perdocuit, in eo quod à se ostendit paratum non solum regnum, ubi lætentur boni; sed & ignem æternum, ubi crucientur mali, &c. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Ecce ad quod Dominus iniquos & impios prædestinavit, id est, ad supplicium justum, non ad aliquod opus injustum; ad pœnam, non ad culpam*. Parco pluribus, quæ passim id genus occurrunt apud Augustinum ejusque discipulos. Plura nos superiùs ex illis congessimus, cùm de voluntate providentissima Dei disputaremus, eo invicta, quod malos male se ordinantes in peccatis, bene ipsa ordinet in suppliciis.

Tract. 110. In Joann. Q. 49. In l. Judicum.
Ad Capit. Gall. c. 14. 15.
Ad Moni. L. 1.

III. Specialiùs tamen prædestinationis vox ad gratiæ gloriæque præparationem ab ipso Augustino aliisque deinceps Scriptoribus Ecclesiasticis revocata est, duce ac magistra Scriptura ipsa, quæ illam potissimum significationem ei voci adscripsit. Audi Augustinum in libro de Prædestinatione Sanctorum: *Inter gratiam & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò ipsa donatio*. Et ibidem: *Gratia est prædestinationis effectus*.

Cap. 10.

IV. Arctata verò ad hanc intelligentiam prædestinatio, eadem in Scripturis Scripturasque interpretantibus sanctis Patribus dicitur Electio, Propositum, Dilectio, Discretio, Præparatio gratiæ. Crebra sunt hæc & familiaria Paulo in primis Paulique fidissimo interpreti Augustino: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi cognitionem, &c. Secundùm propositum voluntatis suæ, &c. Quis accusabit adversus electos Dei? &c. In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos, &c. Secundùm propositum vocatos, &c. Secundùm beneplacitum ejus, &c. Consilium voluntatis ejus, &c.* Plura non persequar ex Paulo. Porrò hæc omnia uno ferè conglobavit loco Augustinus: *Quomodo eligeret eos qui nondum erant, nisi prædestinando? Eligit ergo prædestinans nos, &c. Tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans, ut tales essemus per gratiam ejus, &c. Elegit ergo nos Deus, non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinavitque ut essemus. Fecit autem hoc secundùm placitum voluntatis suæ, ut nemo de sua, sed de illius erga se voluntate glorietur, &c. In quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum non nostrum, sed ejus qui universa operatur. Ex hoc proposito ejus est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, quia secundùm propositum vocati sunt sancti*.

De Prædest. Sanct. c. 18.

V. Distinxit porrò Augustinus duplicem prædestinationem, convenienter Pauli decretis, alteram gratiæ & misericordiæ, alteram operum seu meritorum. Ita enim Paulus in Epistola ad Romanos, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*. In quæ verba Augustinus: *Unde dicit idem Doctor & de Israel, Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Et ne fortè ante constitutionem mundi ex operibus præcogniti putarentur electi, secutus est, & adjunxit, Si autem gratia, jam non ex operibus*. Et alibi: *Si Dei altiore judicio non sunt à perditionis massa gratiæ prædestinatione discreti*. Quid sit electio meritorum, satis prodit Paulus cùm ait, *Si autem gratia, jam non ex operibus*. Unde illi consonas Augustinus, *Venit Christus in mundum, non de mundo eligendus, sed electurus; non meritorum electione, sed gratia*.

Con. Jul. L. 5. c. 4.
De dono pers. c. 14.
Con. Jul. L. 6. c. 2.

VI. Electioni gratiæ assensus non est Augustinus, nisi tunc demum cùm Episcopus factus est, idque eam potissimum ab causam, quòd videretur illi electio temeraria fore & imprudens, si alter præ alio eligeretur, citra ullius præcipui meriti contemplationem. Ubi enim duo aliqui rebus omnino in omnibus pares sunt, ecquid causæ erit, ecqua ratio, ut alterum alteri anteponas? *Si enim nullo merito, non est electio. Æquales enim omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omnino æqualibus electio nominari*. Initium ergo fidei tunc Augustinus liberi arbitrii viribus adscribebat, & hoc substernebat fundamentum electioni gratiæ; hæc enim illi videbatur tunc fore electio, non operum quidem, sed fidei; necdum enim videbat electioni gratiæ tam pugnare prævia aliqua fidei rudimenta nostris ex viribus, quàm bonorum operum. Quocirca in Retractationibus ita ille, *Nondum diligentiùs quæsieram, nec adhuc inveneram qualis sit electio gratiæ, de qua idem dicit Apostolus, Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Quæ utique non est gratia, si eam merita ulla præcedant*. Cùm ad Simplicianum scriberet Augustinus, jam intellexerat primitias ipsas fidei non humanis conatibus, sed divinæ gratiæ largitati imputandas esse, gratuitæque jam prædestinationi assentiebatur; & in sola cunctabatur voce electionis gratiæ, quòd illi videretur hæc largitas & liberalitas potiùs gratuita debere dici prædestinantis Dei, quàm electio, quòd electio non sit, ubi omnia omnino paria sunt. Itaque in sola voce hærebat hic scrupulus, de re enim conveniebat Augustino cum Ecclesia Catholica, nullo fidei nostris ex viribus prosilientis, nullo cujuscumque meriti initio posse antevenire divinam gratiam. Ejecit postea hunc quoque scrupulum suo ex animo Augustinus, & non rem tantùm, sed vocem ipsam electionis gratiæ sexcenties inculcavit; tum demum persuasus, electionem perinde ut dilectionem Dei ab humana eo differre, quòd humana inveniat, divina faciat tales, qui eligi diligique mereantur: *Electionem quippe dixit, ubi Deus non ab alio factum quod eligat inveniat, sed quod inveniat ipse facit*.

In Expos. quar. prop. Ep. ad Rom. n. 60.
L. 1. ad Bonif. c. 7.

VII. Electionem quoque gratiæ evertebant Pelagiani, quam meritis humanis & bonis operibus humana industria comparatis inniti contendebant: *Quoniam verò merita humana sic prædestinat, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus, Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur, Dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à teipso, non ab alio sint merita tua*: sic Augustinus eorum sententiam refert & refellit.

L. de lib. arbit. c. 6.

VIII. Ante Pelagianos autem qui bonis operibus, & Semipelagianos, qui fidei initiis electionem ad gratiam & ad gloriam adscribebant: in eodem enim errore versabantur Semipelagiani, quo irretitus fuerat Augustinus ipse, re nondum satis pensitata, ante primordia Episcopatus sui: ante

hos inquam omnes longè absurdiorem Valentiniani, Basilidiani, & Manichæi amplexi fuerant doctrinam. Duplicem illi comminiscebantur Angeli atque hominis naturam, bonam alteram, alteram necessariò & substantivè malam, adeo ut neutra aliud esse posset quocumque demum suo molimine, quàm quod naturaliter erat. In hos invehuntur Clemens Alexandrinus, Irenæus, Origenes; horum impium commentum ita retexit Ecclesia Lugdunensis in libro adversùs Joannem Scotum: *Nam antiquissimi & impiissimi illi Hæretici, Marcion, & Valentinus, & Manichæus, qui vel duo vel tria principia introduxerunt, & ideo duas natura vel Angelorum vel hominum asseruerunt, id est, unam bonam & alteram malam: illam ita esse bonam, ut aliud esse non possit; istam è contrario ita esse malam, ut similiter aliud esse non possit; nihil omnino de gratia Dei dixerunt; sed solam naturam naturaliter vel bonam esse vel malam stultissimè defendere conati sunt.*

IX. Porrò prædestinatio, seu electio gratiæ ita ab Augustino definita est: *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Cùm præscientia hæc quæ definitioni prædestinationis includitur, eorum sit quæ facturus est Deus; non prædestinat enim Deus, nisi quæ facturus est; ejusmodi scientia utique est, quæ visionis in Scholis dicitur, & præscientia non dicitur, nisi eo qui suprà expositus fuit modo, quo scilicet incommutabilis & tota simul stans constansque æternitas, omnia complectitur tempora, omnia antecedit, omnia sequitur, ipso temporum principio antiquior, fine ulterior. Unde Augustinus observat ex Apostolo electos nos & prædestinatos à Deo esse, non ut ineptiebant Pelagiani, quia eramus futuri sancti, sed ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate. Non prædestinat enim Deus nisi quæ facit. Quod ergo præscit & prædestinat, utique scientia visionis præscit, quia id præscit, quod ipsemet facturus est: aut si mavis convenienter Deo & vero propiùs loqui, non præscit, non prædestinat; cùm ei nil futurum, nil præteritum sit; sed in præscintia omnipatente & omnipotente scit & facit, quæ præscire & prædestinare dicitur à nobis, accommodatè ad nostram intelligendi & loquendi consuetudinem, temporum vicibus lapsibusque subjectam. *Ipsi enim putant nos acceptis præceptis per nos ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos & in conspectu ejus in charitate; quod futurum Deus quoniam præscivit, inquiunt, ideo nos ante mundi constitutionem elegit, & in Christo prædestinavit: cum dicat Apostolus, Non quia futuros tales nos esse præscivit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, &c.* Nec necesse est moras hìc trahere, cùm totum hoc ab illo religatum pendeat effato inconcusso, non prædestinari à Deo, nisi Dei ipsius opera, seu vel bona quæ in bonis facturus est, vel supplicia quæ illaturus est malis. Eo enim ita fixo & constituto, perspicuum est totam hanc præscientiam ad scientiam visionis pertinere: *Prædestinatione Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus.* Et alibi: *Electi sunt ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit.* Et rursus alibi: *In sua quæ falli mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam, est prædestinare.*

L. de bono perf. c. 14.

De prædest. Sanct. c. 19.

De prædest. Sanct. c. 10. 17.

De dono perf. c. 17.

X. Ex quibus illud quoque efficitur, prædestinari electos non ad gratiam tantùm, sed ad gloriam; sive ad utramque gratiam, & hìc meritorum, & postea gloriæ. Ex Apostolo enim, *Gratia Dei vita æterna*, In his ergo Augustini definitionibus, *Inter gratiam porrò & prædestinationem hoc tantum interest, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia verò jam ipsa donatio.* Et ibidem: *Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ ut dixi præparatio, gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.* In his inquam definitionibus, gratia illa quę totus est prædestinationis effectus, perinde gloriam & gratiam complectitur. Eccui enim dubium esse potest, quin prędestinationis effectus gloria sit? Eccui dubium esse potest, quin Deus gloriam perinde ut gratiam operetur? Prędestinavit autem Deus & ęternis decretis prefinivit quę ipse cumque facturus erat. Unde Paulus, *Quos prædestinavit, illos & glorificavit.* Et in Actis, *Crediderunt quotquot erant praordinati ad vitam æternam.* Si aliam verò spectes prædestinationis definitionem ab eodem Augustino traditam, *Præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur:* non minùs dilucida res erit. Liberationis enim & libertatis nostrę numeros omnes non implet nisi ęterna vita, peccati & mortalitatis fibras omnes excidens. Unde ibidem alibi Augustinus: *Si qui in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, neque usque in finem in eadem obedientia permanebunt.* Et alibi: *Ex quorum tyrannica quodammodo potestate fuerat liberaturus prædestinatos in suum regnum & gloriam semper veracem & veraciter sempiternam.* Quibus prorsus consonant hæc Fulgentii: *Hæc autem omnia, id est, & vocationis nostra initia, & justificationis augmenta, & glorificationis præmia, in prædestinatione semper Deus habuit: quia & in vocatione, & in justificatione, & in glorificatione Sanctorum gratiæ suæ opera futura præscivit.* Et ibidem: *Quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam.* Et alibi: *Omnes isti prædestinati sic vocantur, ut justificentur; sic justificantur, ut glorificentur. Ac per hoc prædestinavit quos voluit, & ad opera bona, & ad præmia sempiterna; prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam æternam; prædestinavit ad fidem, prædestinavit ad spem; prædestinavit adoptandos in sæculo, prædestinavit glorificandos in Regno.* Indiscriminatim, ut vides, & gratię & glorię dona accepta refert prædestinationi.

De dono perf. c. 14.

Ibid. c. 13.

Civit. l. 9. c. 21.

L. 1. ad Monim.

De verit. prædest. & grat.

XI. Ad gratiam autem, an ad gloriam priùs prædestinaverit electos Deus, eam verò quæstionem ne attigisse quidem videtur Augustinus, ut qui gratiam gloriamque promiscuè habuerit inter prædestinationis effectus. Si quæras autem utram in partem magis propendeat ejus doctrina, respondebo gloriam priùs à Deo prædestinatam illi visam esse, & tum demum præparata gratiæ beneficia, quibus electi desponsam sibi gloriam adipiscantur. Ita Magistri sententiam interpretatus est Fulgentius: *Quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam.* Ubi non Augustini magis, quàm Pauli sententiam elucidavit, cujus hæc sunt verba: *Quos prædestinavit, hos & vocavit; quos autem vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Non obscurè enim his verbis insinuatur, prædestinatos ad gloriam, & vocandos primùm, & pòst justificandos, & ita demum ad gloriam perducendos fuisse. Sed multò manifestiùs idem Fulgentius alibi: *Quos filios Dei secundum veræ fidei regulam, sanctarum Scripturarum authoritate firmatam, non solum ad præmium glorificationis, sed etiam ad gratiam justificationis: non solum ad æternam beatitudinem, quæ non mutatur, verumetiam ad fidem, quæ per charitatem operatur: neque ad æterna tantum præmia, sed etiam ad bona merita gratuita bonitate Dei ante mundi constitutionem in Christo prædestinatos, & hujus prædestinationis beneficio secundum propositum vocatos & justificatos, nullus ambigere debet Christianus.*

L. 1. ad Monim.

De verit. prædest. & grat. l. 3.

XII. Ubi non rem tantùm, sed rei rationem indigitat Fulgentius; nempe quod cum prædestinet Deus ad finem, prædestinet etiam ad media, fini consequendo opportuna; cum prædestinet ad præmia, præde-

prædestinet etiam ex consequenti ad merita. Denique cum gloria sit finis, opera verò bona sint media & quasi adminicula ad finem illum assequendum, haud dubio in intentione & prædestinatione Dei finis antecedit media, etsi in rerum executione prius media, prius merita, prius opera bona conferantur, & tunc demum finis, tunc demum gloria obtingat. Augustinus ita hæc insinuat: *Numerus ergo Sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donata sibi etiam usque in finem perseverantia, illuc integer perducatur.* Ecquid oro causæ est quamobrem perseverantia in bono usque in finem his datur, illis non datur, nisi quia hi sunt, illi non sunt ad vitam æternam prædestinati? Et alibi de diabolo tam multos seducente & in æternam perniciem abducente agens: *Nam seducere illum Gentes etiam nunc, & secum trahere in æternam pœnam, sed non prædestinatos in æternam vitam, quis fidelis ignorat?* Et hîc perspicuum est, tentationum vim atque sævitiam intolerabilem aptari ad electorum patientiam, & attemperatè ad eorum vires frangi, nec simili beneficio alios donari; id verò non aliunde quàm ex Dei prædestinatione proficisci, qui non hos, sed illos ad regnum æternum prædestinavit. Nec aliud æstimandum de illo qui rapitur præcoce fato, ne malitia mutet intellectum ejus, cum tot alii prærepti similiter non sint, & vitæ diuturnitate ad æternam tandem prolapsi sint mortem. Hujus quoque ad gloriam prædestinatio antecessit traxitque post se perseverantiam usque ad mortem.

(De corrept. & grat. c. 13. 13. — Civit. l. 20. c. 7.)

XIII. Eò illud etiam spectat quod plerumque Augustinus prædestinationem illam describit, qua liberamur à damnationis massa, in quam per peccatum conjecti eramus. Ad id enim illud quoque collimat, quod ab eodem dicitur prædestinatio esse præparatio beneficiorum, quibus certissimè *liberantur*, quicumque liberantur. A damnationis enim massa electione gratiæ liberantur, & ideo illis præparantur illa beneficia, illa merita, illa bona opera, quibus præparatam libertatem & gloriam nanciscantur? *Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, & si quando exorbitant, correpti emendantur, &c. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ, &c. Qui vero perseveraturi non sunt, sic à fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat; proculdubio nec illo tempore, quo bene pièque vivunt, in isto numero (electorum) computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi.*

(De corrept. & grat. c. 7.)

XIV. Quibus in Augustini verbis duo illa manifestissimè patent, & propter præeuntem prædestinationem alicujus ad gloriam, consequenter illi & perseverantiam & alia quævis gratiæ dona præparari; & hanc prædestinationem exprimi frequentissimè iis vocibus, quæ liberationem significent à massa perditionis, in quam parentali peccato præcipitati demersique sunt omnes ejus posteri. Unde rursus quasi aversis vestigiis ibidem Augustinus arguit eos necessariis illis ad perseverandum in justitia præsidiis destitui, qui à damnata massa non sunt misericordiæ prædestinatione separati: *Ac per hoc, & qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, & qui credere noluerunt, & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali nexu solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt: non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.*

(Ibidem.)

Quod non minùs apertum est in Tyriorum & Sidoniorum exemplo, quibus exhibita non sunt portentosa illa Christi signa, quibus moveri & converti potuissent: & ideo exhibita non sunt, quia non erant ab illa communi perditionis massa separati: *Cæteri autem ubi nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur? ubi Tyrii relicti sunt & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant: & tamen si Dei altiore judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia, vel viderent. In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectum suo tam magnis clarisque virtutibus.* Constantissimè sanctus Doctor, illa beneficia gratiæ, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur, & his dari definit, qui prædestinati sunt ad gloriam; & his non dari, qui ad eandem prædestinati non sunt; & hanc ipsam prædestinationem eam esse confirmat, qua secernuntur electi à massa illa damnationis, in quam totum genus humanum peccato primi parentis immersum est, ex qua potestatem jam habet Creator ceu figulus luti, fingere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam.

(L. de dono persev. c. 14)

CAPUT II.

De prædestinatione Angelorum. Meritorum illa, non gratiæ prædestinatio fuit. De duplici adjutorio, quo, & sine quo non agitur bonum. Discrimina utriusque prædestinationis, Angelorum & hominis lapsi.

I. Duplex prædestinatio meritorum & gratiæ. Prior est meritorum, Angelorum ea fuit, fuisset & hominis, si stetisset.

II. Lucidius aperitur duplex prædestinatio, & adjutorium gratiæ duplex, duplici aptatum prædestinationi.

III. Verba Augustini, ubi docet experienda antè fuisse liberi arbitrii, quàm gratiæ vires; eoque spectare auxilium sine quo non, prædestinationi meritorum consentiens.

IV. Multa abservantur in illis Augustini verbis, & ratio penitissima promitur hujus divinæ dispositionis in prædestinatione Angelorum ex meritis.

V. Viribus liberi arbitrii divinitus adjuti steterunt Angeli boni, stare potuerunt mali, ut qui creati essent beati, tametsi deerat cumulus beatitudinis.

VI. Homo similiter in beatitudine mediocri conditus, per liberum arbitrium opportunè adjutum stare poterat, & ex meritis tunc prædestinatio ejus perfecta fuisset.

VII. Discrimen hominis lapsi, & stantis, discrimem gratiæ alterutrum hunc statum addecentis. Christus, Christique gratia invictissima tum demum post peccatum opus fuit.

VIII. Descriptio duplicis adjutorii, maximè ejus quo homo innocens juvabatur; sine quo non posset *in bono perseverare; non quo fieret invictissimè, ut perseveraret.*

IX. Proferuntur Augustini verba, elucidamenta, exempla, ad duplicis adjutorii, duplicisque prædestinationis discrimen stabilendum.

X. Quàm rationi, quàm æquitati, quàm summæ sapientiæ consentanea sit hæc duplicis adjutorii duplicisque prædestinationis Augustiniana doctrina.

XI. Rursum ex Augustino, quàm intempestivum fuisset, invictissima adjutoria valido stantique, sive Angelo, sive homini præstare.

XII. Quo sensu dicat Augustinus periisse humana merita in Adam, Duplex genus meritorum.

XIII. Quo sensu idem dicat, gratiam cœlestem Angelo stanti esse mercedem meriti, quæ nobis nunc est donum gratiæ.

XIV. Quo sensu denique dicat Augustinus, nunc stare nos per gratiam, Angelos autem sanctos & hominem ante lapsum stetisse per liberum arbitrium.

I. ANte nobis hæc de Angelorum prædestinatione enodanda quæstio est, quàm in eam demergamur altiùs, quæ ad hominum prædestinationem spectat. In hanc enim sensim defluxeramus Capite superiori; sed revocandus tantisper gradus est, ut electio meritorum electioni gratiæ præluceat, & accommodatè ad ipsum rerum ordinem nostrarum quoque disceptationum ordo seriesque texatur. Sic enim statuit, sic naturali rerum ordini convenire demonstrat Augustinus, ut creata primùm voluntas libera, sibi permittatur ipsa, adjuta & invitata præmiis ad bonum, deterrita pœnis à malo, nec infructuosè deinceps bona, nec impunè mala futura. Per plura jam Capita superiùs hanc bipertitæ Dei providentiæ invictissimam potestatem prosecuti sumus, & innumeris Augustini aliorumque Patrum munivimus testimoniis. Sed quia generaliter tantùm res ibi pertractata est, operæ pretium erit nunc specialiter ea elucidari, quæ ad Angelorum hominumque, si in primigenia stetissent innocentia, sortem & prædestinationem pertinent.

II. Ita ergo constituit Augustinus, ita antiqui Patres sanxerunt, experiri primùm voluisse Deum vires liberi arbitrii opportunè adjuti, nec ad gratiæ suæ ostentandam omnipotentiam venisse, nisi postquam voluntaria ruina vires creatæ libertatis penitus attritæ & labefactatæ fuere. Itaque gratia istiusmodi, & Angelis primùm conditis, & Adamo statim collata est, non qua indeclinabiliter ad bonum agerentur; sed qua adjuti possent si vellent in accepta justitia perseverare. Illo adjutorio gratiæ quo non fiebat ut vellent, sed ut possent velle in justitia perseverare: hoc inquam adjutorio Angeli aliqui in justitia perseverarunt, alii eo frustra non perseverarunt; illi sempiternam beatitatem viribus libertatis integræ & robustæ, nec divinæ gratiæ tempestivo auxilio destitutæ consequuti sunt; hi voluntariæ prævaricationis pœnas sempiternas subiere. Simillimo adjutorio fretus homo, in summa bene vivendi facilitate, sibi permissus, cùm sponte defecisset, non irrevocabili judicio damnatus est, ut Angeli mali; sed iis pœnis addictus, quæ eluendæ ejus per pœnitentiam culpæ sint conducibiles. Ex eo porrò id efficitur, ut Angelorum hominumque in primævo illo statu prædestinatio, non gratiæ esset, sed meritorum; non misericordiæ, sed operum; non absoluta, sed suspensa ex voluntatis creatæ libertate versatili.

III. Audi Augustinum ita manifestissimè pronunciantem: *Quapropter saluberrimè confitemur quod rectissimè credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valdè, & mala ex bonis exoritura esse præscit, & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala esse non sinere: sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium. Denique Angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt. Refugientes tamen ejus bonitatem qua beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miserrimi effecti sunt. Cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerunt.* De Corrept. & Grat. c. 10.

IV. Observandum hìc autem illud est 1. illud ordini, illud rationi legique sapientiæ cum primis concinere, ut summum bonum omnia à se bona, & bona valdè, effundat, nec viam ipse obstruat, qua boni genus aliquod intercludatur. Cùm non pauca sint autem bona, eaque pereximia, quę vim suam non exerant, nisi in mali ultionem, emendationem, purgationemque, non debuit summum & universale bonum prohibere, ne mala essent ulla, ne tot bonorum exortum præfocaret. 2. Cùm nobilissimas creaturas ornaverit Deus illustraveritque libertate, nemo non videt, nisi fascinatus præjudiciis suis, ordini & naturæ rerum consentaneum fuisse, ut eas Deus libera potestate suą primùm uti sineret, & concessam libertatem ne revocaret statim, beneficiumque suum ne retractaret, decretis & motionibus suis indeclinabilibus eas in unum coarctando. 3. Cùm enim semper gloriosa, semper invicta futura sit omnipotentis Dei voluntas, vel bonorum remuneratione, vel malorum supplicio; quorsum attinet eas confingere artes machinasque ad hanc illi victoriam adserendam, quæ non ita cohærere aut concordare possint cum divinæ administrationis & providentię bonitate, constantia, justitiaque? An bonitatis enim est, voluntates hactenus innoxias & justas ad malum decretis & prædeterminationibus propellere? An inconstantiæ caret invidia, liberam in utrumque potestatem dare, & mox eam decretis & impulsionibus inexpugnabilibus ad unum constringere? An justitiæ consonat, voluntatem creatam hactenus innocentem, quam prior ipse decretis motionibusque impulerit in præceps, æternis ob illum casum pœnis addicere? 4. Quantò & justitiæ, & constantiæ, & bonitati divinæ consonantius est, ut voluntates justitia, auxilioque mediocri & congruo ac libertate donatas, liberas esse sinat Deus, earum vires experiatur & fidem: præmiis afficiat, si strenuè se gerant; pœnis constringat, si deficiant à justitia? Ita manifestissimè sentit Augustinus, ita sentiendum esse urget vehementiùs his verbis, ut mihi quidem videtur, *Saluberrimè confitemur quod rectissime credimus*. 6. Cùm longè plurimi ergo Angelorum mediocribus his gratiæ adminiculis adjuti, periculum faciente Deo virium libertatis creatæ quidem, sed sanę, integræ & robustæ, & necessariis auxiliis non destitutæ; cùm longè plurimi, inquam, Angelorum perseveraverint in justitia, & ita ad gloriam provecti sint & incorruptibilem fœlicitatem: suis ergo meritis, etsi non sine Dei gratia eò provecti sunt. 7. Præscientia ergo Dei & prædestinatio Angelorum longè alterius rationis est, quàm quæ superiori Capite prælibata est prędestinatio hominum, & conjuncta illi pręscientia. In hominum enim post lapsum prędestinatione & præscientia non prædestinat, non pręscit Deus, nisi quę ipse facturus est; unde decreta ibi absolutissima sunt, & adminicula gratię insuperabilia. At in Angelorum prędestinatione sustinet Deus decreta sua, eaque suspendit ab assensione libera, sive à perseverantia voluntaria eorum in accepta dum creantur justitia; nec ad hanc perseverantiam auxilia confert Deus nisi mediocris & temperatę gratię, sine qua perseverari non posset; non qua invictissimè fiat, ut perseveretur.

V. Sed hæc amplius dilucebunt ex consequentibus Augustini verbis: *Diabolus verò & Angeli ejus, etsi beati erant antequam caderent, & se in mi-* Ibidem.

in miseriam casuros esse nesciebant; erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est, ut magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissimè nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant, sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur. Observa hic rursus 1. Angelos bonos *per liberum arbitrium in veritate stetisse*: Angelos malos similiter *per liberum arbitrium stare* potuisse. Quocirca & eorum perseverantia qui in veritate steterunt, non immeritò viribus tribuitur liberi arbitrii divinitus adjuti, & prædestinatio hìc non gratiæ, sed operum & meritorum est. 2. Omnes prorsus Angeli in justitia, imò & in beatitudine creati sunt, ex Augustino; unde & facillimum ipsis erat perseverare si vellent in beatitudine. 3. Erat tamen quod in præmium voluntariæ perseverantiæ accederet eorum beatitudini; scilicet, *ut magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissimè nossent*. Creati sunt ergo in beatitudine, sed *minore*, sed non *in plenitudine beatitudinis*. Et ut perseverarent juvabantur interiore gratia, sed non tam *magna abundantia charitatis Dei, ut cadere ulteriùs omnino non possent*. Erat ergo eorum gratia quasi permissa viribus liberi arbitrii, ideoque frustrabilis, nec ejus efficaciæ, cui superstrui posset gratuita certissimaque ad gloriam prædestinatio.

VI. Jam pergit ibidem consequenter ad hominem Augustinus, quem & ejusdem sortis fuisse describit, justum & beatum in sui exortu è Dei manibus prosilientem: sed illa mediocri justitia & beatitudine, quæ non haberet in potestate liberum ejus arbitrium; sed quæ in potestate liberi arbitrii ipsa potiùs esset, ut in ea si vellet perseveraret; desponsum habens in præmium liberæ perseverantiæ, illum justitiæ & beatitudinis cumulum, à quo cadere nunquam deinceps posset. *Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori & non miserum fieri in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto & sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine ullo mortis & infœlicitatis experimento acciperet illam merito hujus permansionis beatitudinis plenitudinem, qua & Angeli sancti sunt beati; id est, ut cadere non posset ulterius, & hoc certissimè sciret. Quia verò per liberum arbitrium Deum deseruit, justum judicium Dei expertus est, ut cum tota sua stirpe, quæ in illo adhuc posita, tota cum illo peccaverat, damnaretur. Quotquot enim ex hac stirpe gratia Dei liberantur, à damnatione utique liberantur, qua jam tenentur obstricti: unde etiamsi nullus liberaretur, justum judicium Dei nemo justè reprehenderet.* Et Adami ergo ante peccatum perseverantia in justitia, viribus liberi ejus arbitrii opportunè à Deo adjuti adscribebatur, & inde pendebat ejus prædestinatio. At post lapsum in damnationis voraginem cum tota stirpe sua ita demersus est, ut nemo inde emergat, nisi electione gratuitæ Dei misericordiæ.

VII. In permagna quippè fœlicitate, in ingenti benè vivendi facilitate creatus primus homo, sibi jure meritoque permittebatur, ut virium suarum periculum faceret, ut justitiæ & charitati suæ specimen ederet, eoque plenissimam fœlicitatem adipisceretur. Illa est enim natura libertatis creatæ, illa indoles voluntatis liberæ & ad bonum malumque versatilis, ut necessariis non fraudata auxiliis, connitatur ipsa, ut arctiùs se justitię implicet, & laudabili hujusmodi conatu cumulatæ fœlicitatis suæ ipsa sibi quodammodo opifex sit. Ibid. c. 11. *Quid ergo, Adam non habuit gratiam? imò verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat; Sancti ergo in hac vita ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, Libera nos à malo. Ille in illis bonis Christi morte non eguit; istos à reatu & hæreditario & proprio, illius agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio quod implorant isti, cum dicunt, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &c. Ille nulla tali rixa à seipso adversùs seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent isti, & quæ potentior, quam Dei Unigenitus Filius homo pro eis factus, &c. Per hunc mediatorem Deus ostendit, eos quos ejus sanguine redemit, facere se ex malis deinceps in æternum bonos.* Discrepantiam hìc vides hominis stantis & lapsi. Ille beatitudine, fœlicitate, pace ingenti fruebatur, nullis cupiditatibus stimulabatur, nulla intus sui adversum se rixa, nullis extrà malis conflictabatur. Gratia ergo illi tunc lætissima, sed non illa potentior concessa est, qua non eguit nisi post lapsum fractis viribus, æger, saucius, concupiscentiæ flammis æstuans, irruentibus undique ærumnis impetitus. Hæc duplicis gratiæ secernendæ ratio est, duplicisque prædestinationis, qua talis gratia præparatur.

VIII. Unde rursus itidem Augustinus: *Istam gratiam non habuit primus homo, qua nunquam vellet esse malus; sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamen per liberum arbitrium deserere poset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio; quonim liberum arbitrium ad malum sufficit: ad bonum autem* parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono: quod adjutorium si homo iste non deseruisset per liberum arbitrium, semper esset bonus; sed deseruit, & desertus est. Tale quippè erat adjutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet.* En qualis gratia Adamo conferretur, ut in justitia & in innocentia, in qua conditus fuerat, perseveraret. Nimirum *sine qua non* posset esse aut permanere bonus per vires liberi arbitrii, non *qua* fieret ut vellet in innocentiæ integritate perseverare. Non erat ergo *adjutorium quo* invictissimè fieret ut vellet perseverare, sed *sine quo non* posset perseverare. Hanc gratiam Deus *reliquit in ejus libero arbitrio*, ut eam homo *desereret si vellet*. Huic adjutorio consentanea erat Dei tunc & præscientia & prędestinatio, suspensa videlicet ab assensu libero, & meritis propriis voluntatis creatę. Ibidem.

* al. nihil

IX. Audiamus porrò Augustinum ulteriùs hęc arcana denudantem: *Tunc ergo dederat Deus homini bonam voluntatem. In illa quippè eum facerat, qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium sine quo non poset in ea permanere, si vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Poset ergo permanere si vellet, quia non deerat adjutorium per quod poset, & sine quo non poset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluiset. Sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi: & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper se in illa ese mansuros.* Vides ut conjugata sit hominis innocentis & Angelorum causa, justitia, gratia, prędestinatio; utque gratię adjutorium sine quo non possent, & quo possent si vellent, non quo invictissimè vellent in justitia perseverare, liberæ eorum voluntati permissum esset, ut Ibidem.

proprium eorum esset meritum, & huic merito innixa prædestinatio, si huic adjutorio faciles se & sequaces constanter præberent.

Denique idem paulò pòst Augustinus ita accuratissimè duo hæc adjutoria delineat, alterum stanti, alterum lapso & reparando homini congruum:
Ibid. c. 11. *Ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit; & aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere; nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cum data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium, & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus; & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt, ut homo vivat; sed tamen sine illis non potest vivere.* Duplici adjutoriorum genere ita illustrato lucidissimis exemplis, jam ut homini stanti & lapso ea dispensata sint, pergit describere sanctus Pater: *Primo itaque homini qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere; datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Non verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur; sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.*

X. Tam dilucida sunt hæc sancti Patris verba, tam consentanea rationi legique justitiæ & sapientiæ placita, ut nihil apertius, nihil plausibilius dici potuerit. Quid enim æquius erat, quàm ut sano, integro, robusto, plurima intus gratia & pace firmato homini Angeloque committeret Deus propriæ salutis clavum regendum, & ea tantum subministraret præterea gratiæ adjumenta, sine quibus non possent indeflexum justitiæ cursum tenere, non quibus invictissimè fieret, ut tenerent? Ita enim ex prævisis voluntariæ perseverantiæ meritis prædestinabatur illis sempiternæ gloriæ merces, veluti palma victrici insitæ sibi mutabilitatis libertati debita. Quid rursus æquius erat, quàm ex humano genere per primi parentis defectionem in præceps acto, si quos Deus vellet electione misericordiæ ex generali illa ruina extrahere, & in regnum suum transferre, ut ne rursus illis ita attritis & elanguidis summam salutis suæ concrederet, sed adjutorium illis suppeditaret, non solum sine quo non possent, sed etiam quo invictissimè fieret ut vellent, & ad justitiam regredi, & in ea in finem usque perserverare? Alioqui periclitatura erat hæc secunda, perinde ut prima salutis humanæ procuratio. Quid denique tam æquum, quàm ut hæc posterior prædestinatio & gratiæ & misericordiæ tota vendicetur; & illa prior meritis imputetur? Quamvis enim utrobique suus gratiæ, suus etiam meritis locus est, hic tamen magis gratia, illic magis meritum splendescit & dominatur.

XI. Quæ omnia rursum Augustinus ita confirmat: *Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare, vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignæ tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium; Deo quidem præsciente quid esse facturus injustè; præsciente tamen, non ad hoc cogente, sed simul sciente, quid de illo faceret justè. Nunc verò postea quàm est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas.* Et non multis interejectis; *Fortissimo dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Summa igitur totius doctrinæ hujus ista est, voluntatem Angeli atque hominis in rectitudine & justitia à Deo creatam, & in summa perseverandi facilitate, ut cui nulla adhuc in intimis medullis æstuaret mala cupiditas, committendam sibi fuisse, ut sufficienter adjuta, suæ sibi ipsa fortis esset architecta; nec ad gloriam proveheretur, nisi quam suis ipsa sibi meritis comparasset. Prævalida autem invictissimaque auxilia lapsis & infirmis servarentur, utpote quæ valentibus & sanis injuriosa essent. Denique præposterum id esse & invidiosum, stantibus & integris naturis ea ingerere auxilia gratiæ, quibus nec lapsis & ægris validiora parari possent. Quid enim hoc aliud, quàm liberæ suique dominæ potestatis eximium decus prævertere & præfocare, industriæque & fortitudinis propriæ gloriam ac fructus intervertere?

XII. Hinc Augustinus negat aliquando ulla superesse post peccati ruinam merita, periisse enim cum Adamo cadente merita, quæ habere in primigenia innocentia potuissemus: *Quæ quidem* Ibid. c. 11.
merita potuit habere, sed perdidit; & per quod habere potuit, perdidit, hoc est per liberum arbitrium: propter quod non restat liberandis nisi gratia liberantis. Et alibi: *Humana merita conticescant, quæ perierunt per Adam; & regnet, quæ* De Prædest. Sanct. c. 15.
regnat gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Et hæc quidem sanctus Pater, non quo nulla jam sint electorum Dei merita; sed quòd longè alterius generis sint, atque illa, quæ innocentis naturæ propria erant. Distat enim mirum quantum per *adjutorium quo* indeclinabiliter agi à Deo ad bonum perseverantiæ, & per *adjutorium sine quo non* agere seipsum, & suopte marte ac conatu exertissimo in bono perseverare. Hæc *humana* erant merita, quæ à libertatis robustæ viribus proficiscebantur: alterius ordinis nunc sunt & divina magis merita, quæ ab illa manant voluntate, quam divina insuperabiliter agit gratia.

XIII. Hinc denuo Augustinus gloriæ mercedem tunc futuram fuisse ait hominibus in innocentia perseverantibus mercedem meriti, sicut & sanctis Angelis fuit; quæ nunc magis est donum gratiæ.
Quæ futura erat homini, sicut facta est Angelis De Corrept. & Grat. c. 11.
sanctis merces meriti, nunc autem per peccatum perdito bono merito, & in his qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat. Non quo & Angelis sempiterna felicitas non sit & gratiæ donum, sicut & electis nunc Dei merces meritorum est. Sed cùm & in Angelis sanctis & in electis Christi utrumque verissimè pronuncietur esse æterna gloria, nimirum & merces meriti, & donum gratiæ: donum tamen gratiæ magis nobis est, quia potentiori gratia ad eam promerendam juvamur; & merces meritorum magis est Angelis, quia mediocriùs juvabatur sana & vegeta eorum libertas, cùm suæ beatitudinis cumulum promerebantur.

XIV. Hinc denique Augustinus constanter affirmat nos quidem nunc per gratiam Dei stare, at Angelos sanctos per liberum arbitrium stetisse in justitia & veritate. Quanquam enim & nos per liberum quoque stamus arbitrium, & Angeli sancti non sine Dei gratia steterunt: in hanc tamen & nostram & illorum perseverantiam non paria sunt gratiæ & libertatis momenta. Multò plus enim ad standum sufficiebat sana & robusta libertas, quàm ægra & saucia. *Sed quia noluit permanere* Ibid. c. 11.
Adam, profectò ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset, sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus per liberum arbitrium, per

De dono perſ. c. 7. *idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi*. Et alibi: *Poſt caſum hominis nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum: neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.*

CAPUT III.

Rurſus de prædeſtinatione Angelorum ex prævisis meritis, nova Auguſtini argumenta. Cæterorum Latinorum Patrum conſentanea illi ſuffragia. Solutiones objectionum ex Auguſtino, ex Fulgentio, ex Bullis Pontificum petitarum.

I. Aliis Auguſtini teſtimoniis conſtituitur eadem ejus doctrina de prædeſtinatione Angelorum ex prævisis meritis.

II. Non gratiæ divinæ, ſed voluntati creatæ imputanda eſt diſcretio Angelorum electorum à reprobis.

III. Ex adverſo, gratiæ divinæ, non voluntati humanæ ea nunc adſcribitur diſcretio.

IV. V. Quàm id non Scripturis modò & Patribus, ſed & rationi congruat.

VI. Auguſtino ſuffragatur Proſper.

VII. Et Julianus Pomerius.

VIII. Aſtipulatur & Fulgentius.

IX. Et Gregorius Magnus.

X. Et Anſelmus.

XI. Contra Pelagianos ſcribens ſuam hanc Auguſtinus alibi quoque tuitus eſt doctrinam de prædeſtinatione Angelorum ex meritis.

XII. Rurſus diſcrimen ſtantis & lapſæ humanæ naturæ, diſcrimen & adjutorii duplicis.

XIII. Objicitur locus Fulgentii, ajentis conſimili ac nos gratia, eaque invictiſſima Angelos bonos ſalutem conſecutos.

XIV. Solvitur objectio. Agitur de invicta virtute, qua jam prolapſis malis Angelis, cæteri adhuc ſtantes, in arcem ſummæ & cumulatiſſimæ beatitudinis ſunt provecti.

XV. Similiter ſolvitur objectio ex Auguſtino petita.

XVI. Propoſitiones damnatæ à S. Pio V. & Gregorio XIII. fruſtra nobis objiciuntur.

I. EX ſolo hactenus Auguſtini libro de Correptione & Gratia argumenta deprompſimus, ad conſtituendam prædeſtinationem Angelorum atque hominis innocentis ex prævisis meritis. Non ibi autem ſolùm hanc doctrinam promulgavit ſanctus Pater. Libro enim decimo quarto de Civitate Dei ita rurſus validiſſimum nobis pro eadem ſententia ſuppeditat argumentum; ubi utriuſque hominum prædeſtinationis ante & poſt lapſum diſcrimen in eo ſtatuit, quòd ante lapſum ex futuris hominum meritis ſuſpenſa eſſet prædeſtinatio, poſt lapſum autem jam meræ Dei gratiæ & miſericordię ſit. 2. Ex quo illud naſcitur, ut ante lapſum boni à malis, electi à reprobis per humanæ libertatis arbitrium diſcernendi eſſent, poſt lapſum autem ea diſcretio ſoli divinæ gratiæ imputetur. 3. Ex quo illud rurſus efficitur, ut auxilia ipſa gratiæ diverſa ſint pro diverſitate prædeſtinationis. Prædeſtinationi enim operum & meritorum illud conſentit adjutorium, quod Auguſtinus vocavit *ſine quo non*, id eſt, quo datur poſſe ſi velit quis perſeverare in accepta juſtitia, non datur autem ipſum perſeverare. At prædeſtinationi gratiæ conjunctum eſt *adjutorium quo*, id eſt, quo non datur tantùm ut homo poſſit perſeverare ſi velit, ſed hoc ipſum datur, ut velit, & ut perſeveret.

II. Illud porrò hìc accuratiùs perpendendum eſt quòd in priori prædeſtinatione, qualis Angelorum fuit, & qualis hominum futura erat, ſi in innocentia primigenia perſeveraſſent, non gratiæ divinæ, ſed propriæ voluntatis eſt, ut alii ab aliis, boni à malis, electi à reprobis diſcernantur. Id quidem manifeſtiſſimè elicitur ex omnibus & teſtimoniis & argumentis quę toto ſuperiori Capite congeſta ſunt. Eò quippè collimat illa Dei voluntas experiundi vires liberi arbitrii in primævo conditionis Angelorum atque hominum ſtatu. Eò ſpectat illa naturæ integritas ſanitaſque, illa virium abundantia, illa bene vivendi facilitas, ut ſibi ſuiſque viribus permitterentur, & ſuæ quique ſortis authores atque opifices ſibi eſſent. Eò pertinet illa adjutorii contemperatio, quo daretur non ipſum velle & ipſum perſeverare, ſed poſſe perſeverare ſi quis vellet.

III. Sed rurſus hoc ipſum diſertiſſimè tradit Auguſtinus his verbis: *Non defuit utique conſilium, quo certum numerum civium in ſua ſapientia prædeſtinatum etiam ex damnato genere humano ſuæ civitatis impleret; non eos jam meritis diſcernens, quandoquidem univerſa maſſa tanquam in vitiata radice damnata eſt; ſed gratiam diſcernens, & liberatis non ſolùm de ipſis, verum etiam de non liberatis, quid eis largiatur oſtendens.* Duplex ergo intelligi debet electorum à reprobis diſcretio, alia *meritorum*, alia *gratiæ*; & illi quidem diſcretioni meritorum locus fuit, antequam univerſa gens hominum in unam damnationis maſſam peccato primi parentis demergeretur; at verò poſt illam totius noſtri prolapſionem generis in hanc peccati & damnationis voraginem, *non jam meritis diſcernit* Deus homines alios ab aliis, *ſed gratia*. Civit. l. 14. c. 28.

IV. Si ſepoſita tam manifeſta authoritate Auguſtini, ſola ponderentur rationum momenta, non minus hinc præſidii huic etiam ſententiæ accedet. Quid tam æquum enim, quid tam conſentaneum rationi & juſtitiæ ſempiternæ legibus, quàm ut quos Deus condiderit ejuſdem naturæ, ejuſdem libertatis, ejuſdem gratię & juſtitię conſortes, jam ipſos ſinat ſuo ſe nutu quo volent agere, & vel voluntariæ perſeverantiæ ſempiternam mercedem conſequi, vel ſpontaneę tranſgreſſionis pœnas incurrere? Quid ex adverſo tam ęquitati & conſtantię & rationi inimicum, quàm ut quos eadem donaverit conditor naturę integritate, & ſanitate, & juſtitia, & libera ſui regendi poteſtate, quibus eadem vel perſeverantibus prœmia, vel deficientibus ſupplicia oſtenderit adeunda; eos hactenus innoxios, nec quidquam vel bene vel malè alios prę aliis meritos, ipſe pręvertat diſcernere, & alios prœmiis, alios pœnis deſtinet ſempiternis? Etſi nulla vel Scripturarum vel Patrum authoritas tam incredibili opinationi adverſaretur & repugnaret, ipſa rei inſolentia & inhumanitas ab iſtiuſmodi opinatione deberet mentes hominum avocare. At ubi ratio aperiſſima conſonat Scripturis Patribuſque, utriſque pugnare & contra tendere, permirum eſt ſi in animum inducant Theologi.

V. Et Scriptura enim & ratio in id conſonant, ut poſt totius generis noſtri ejectionem à paradiſo, id eſt, excluſionem à beatitudinis patria in ęrumnas eas omnes ſive nunc mortalis, ſive immortalis poſtea vitę, quę peccato jure meritiſſimo ſunt inflictę; jam non pertineat niſi ad divinam gratiam aliquos hinc eximere, & in priſtinam fœlicitatem poſtliminio veluti revocare. Ea eſt enim quę in omnibus divinis litteris circumſonat, quę regnat, quę dominatur ubique divinę miſericordię commendatio, & humanę per peccatum ruinę exaggeratio. At verò ut ante ullam peccati labem puras & incontaminatas naturas rationales, vel intellectuales & liberas, Deus occupet diſcernere alias ab aliis, vel his regnum, illis ſupplicium prędeſtinando: vel his regnum, non illis pręparando, quod eodem redit: vel his invictiſſima gratię ſuę adminicula,

non illis impartiendo, quod eodem ferè revolvitur; id verò & à Scripturarum fide, & à sanctorum Patrum consensione, & denique ab ipsa rectæ rationis luce & æquitate alienissimum est.

VI. Quòd autem Scripturarum authoritati & evidentissimæ rationi, non solùm Augustini, sed & aliorum sanctorum Patrum consensionem accedere affirmavimus, id jam depromptis eorum suffragiis comprobandum est. Prosper in primis eidem sententiæ ita perspicuè patrocinatur: (Con. Coll. c. 18.) *Rectum atque omni vitio carentem creatum esse primum hominem, in quo omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est, eumque tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi Dominum non desereret, posset in bonis quæ naturaliter acceperat, perseverare quia vellet; & merito voluntariæ perseverantiæ in eam beatitudinem pervenire, ut nec vellet decidere in deteriora, nec posset. Sed ipso libero arbitrio, quo quandiu voluit bonus mansit, à proposita sibi lege discessit; nec denuntiatæ sibi mortis supplicium formidavit, deserens Deum, & sequens diabolum; rebellis Domino servatori, & inimico obediens peremptori. Fuit ergo Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo perierunt omnes.* Ubi liquidum est 1. Ejusmodi fuisse & primi hominis & omnium hominum naturæ in illo concreatæ, & liberum arbitrium, & gratiæ adjutorium, ut in accepta justitia *posset perseverare, quia vellet*; ut *manserit homo bonus per liberum arbitrium, quandiu voluit*. 2. Cumulatissimam beatitudinem præmium *voluntariæ perseverantiæ* futuram fuisse; atque ita prædestinationem tunc non aliam existimari posse, quàm ex prævisis meritis. 3. At hinc per peccatum Adæ lapsos esse omnes homines; nec revocari in illam beatitudinem nisi Christi Sacramento & gratuitæ prædestinationis dono. (Ibidem.) *Nam si posteri Adæ in illis virtutibus naturaliter agerent, in quibus Adam fuit ante peccatum, non essent naturâ filii iræ, non essent tenebræ, nec sub potestate tenebrarum: Salvatoris denique non egerent; quia nec frustra boni essent, nec justitiæ præmio fraudarentur.*

Quæ omnia idem Prosper ita confirmavit in Carmine de Ingratis:

(Cap. 42.) *Nam si nunc etiam illæsus vigor ille maneret,*
In quo insons natura fuit: sua quemque voluntas
Conciliare Deo, pœnaque absolvere posset.
Nec quicquam Christus mortem moriendo piaret,
Peccatum & mundi sanguis non tolleret Agni.
Nec genus humanum generari rursus egeret
Conditione nova: quoniam sapientia sana,
Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo,
Vitam agerent dignam summorum participatu.

VII. Eandem omnino trivit orbitam Julianus Pomerius, in persequenda Angelorum gratia, & perseverantia, & prædestinatione: (De vita Contempl. l. 1. c. 1.) *Hoc judicium quod inter justos homines injustosque futurum dicimus, inter sanctos Angelos & immundos credimus factum. Nam cùm essent utrique sine peccato creati, atque ad serviendum Deo suo fœliciter instituti, eorum quidam voluntate propria depravati, noluerunt permanere quod facti sunt: & cùm se contra Creatorem suum typho superbiæ lethalis hostiliter extulissent, de superna cœli regione projecti sunt, &c. Sicut è contrario voluntatis sanctorum Angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus ipsi in sua dignitate manserunt; & divino justoque judicio actum est, ut quæ fuit cum Deo suo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria fœlixque necessitas.* Non potuit pressiùs legere Augustini vestigia hic elegantissimus Scriptor.

VIII. Nec ab his deflexit Fulgentius in libro de Fide ad Petrum, ubi spiritus rationales atque intellectuales ita creatos à Deo fuisse docet, (Cap. 3.) *ut præ seipsis Deum diligerent. Ut autem hæc dilectio haberet justam & congruam laudem, voluntatis quoque eis tribuit libertatem; ut esset eis possibile sive ad eum qui supra eos est, intentionem sanctæ dilectionis erigere; sive ad se, vel ad ea quæ infra eos sunt, pravæ cupiditatis semetipsos pondere declinare, &c. Angeli ergo atque homines, pro eo quia rationales sunt facti, æternitatis ac beatitudinis donum in se à naturæ spiritalis creatore divinitus acceperunt: ita scilicet, ut si dilectioni sui Creatoris jugiter inhæsissent, simul æterni beatique mansissent. Si verò propriæ voluntatis arbitrio contra summum Creatoris imperium suam niterentur facere voluntatem, protinus à contumacibus beatitudo discederet, & ad supplicium eis relinqueretur æternitas misera, erroribus deinceps doloribusque crucianda.* Summa hujus doctrinæ eadem est, Angelos hominesque ita in sanctitate, ita cum libertate creatos, ita sibi permissos, ut propria voluntate vel starent vel caderent, vel starent inquam in beatitudine in qua conditi fuerant, merito hujus perseverantiæ nunquam deinceps inde exturbandi; vel ab ea defluerent, nunquam ad eam suis viribus redituri. Unde mox, *Deus misericors & justus, sicut diabolo & Angelis ejus propria voluntate cadentibus, cæteros Angelos in suæ dilectionis æternitate firmavit; sic etiam humani generis massam non totam in sempiternum permisit, sed quos voluit gratuita ejus bonitas reducendos prædestinavit ad lucem.* Vides ut sanctos Angelos Deus non firmaverit in dilectionis suæ æternitate, nisi aliis jam propria voluntate cadentibus, atque adeo ipsos propria voluntate non cadentes. Itaque meritorum fuit ea prædestinatio. At hominum cùm tota gens in interitum corruisset, inde gratuita Dei bonitas *quos voluit ad regnum prædestinavit, non jam meritis eos discernens, ut Angelos, sed electione gratiæ.*

Evidentissimè traditur hæc eadem doctrina in libro de Trinitate, quem eidem adscribunt Fulgentio. (Cap. 8.) Vereor ut emunctioris quisquam naris possit hunc illi fœtum abjudicare. Satius ergo est hunc eundem Fulgentium audire in libro tertio de veritate prædestinationis & gratiæ Augustino succinentem in delineanda gratia primi hominis ante lapsum, ac proinde sanctorum Angelorum. Ex hujusmodi enim gratia libero concredita arbitrio, & ab eo frustrabili, nimirum illud idem quoque exiistit dogma de prædestinatione voluntatis creatæ merita non anteveniente, sed consequente. (Cap. 11.) *Liberum verò humanæ mentis arbitrium in primo homine rectum creatum est, non tamen sine adjutorio gratiæ, talis utique gratiæ, qua posset si vellet, in eadem rectitudine permanere: & à qua posset si vellet, aversa voluntate discedere. Nunc autem in unoquoque homine gratia præveniens operatur, ut libertas arbitrii corrigatur.*

IX. Sed omnium splendidissimè secundùm Augustinum hæc priscæ Theologiæ decreta executus est Gregorius Magnus: (Moral. l. 5. c. 28.) *Si Angelorum substantia à mutabilitatis motu fuisset aliena, bene ab authore condita, nequaquam in reprobis spiritibus à beatitudinis suæ arce cecidisset. Mirè autem omnipotens Deus naturam summorum spirituum bonam, sed mutabilem condidit, ut & qui permanere nollent, ruerent: & qui in conditione persisterent, tanto in ea jam digniùs, quanto ex arbitrio starent, & eo majoris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis suæ motum voluntatis statione fixissent.* Quibus nihil desiderari potuit apertius. Eodem quoque pertinent hæc ejusdem Gregorii alio loco: (l. 34. c. 7.) *Exeuntibus reprobis actum est ut electi Angeli remanerent. Et quia cunctorum opifex Deus scit ad bonorum custodiam etiam bene uti mala actione reproborum, lapsum cadentium vertit in profectum manentium, & unde punita est culpa superbientium, inde humilibus Angelis inventa & solidata sunt augmenta meritorum. Istis namque cadentibus, illis in munere datum est, ut cadere omninò non possent.* Ergo cadentibus aliis, alii manebant adhuc super-

ſuperbientibus aliis, alii humilitatis retinentiſſimi adhuc erant; diſcernebat ergo jam voluntas, cùm in ſempiternum eos diſcrevit poſtea his ſupplicii, illis præmii irrogata æternitas. A quibus non abludunt & hæc ejuſdem in Ezechielem: Hom. 7. *Et natura Angelica quando creata eſt, liberum arbitrium accepit, utrum vellet in humilitate perſiſtere, & in omnipotentis Dei conſpectu permanere; an ad ſuperbiam laberetur, & à beatitudine caderet. Sed quia cadentibus aliis ſancti Angeli in ſua beatitudine perſtiterunt, atque hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omnino non poſſent, &c.* L. 21. c. 4. Denique luce meridiana illuſtriora ſunt hæc ejuſdem verba: *Ipſi quoque Angelici ſpiritus mutabiles ex natura ſunt conditi, quatenus aut ſua ſponte caderent, aut ex arbitrio ſtarent. Sed quia humiliter elegerunt ei inhærere à quo creati ſunt, hanc ipſam in ſe mutabilitatem ſuam ſtanti jam immutabilitate vicerunt.*

X. Nec ab hac via deflexit Anſelmus in libris L. 2. c. 10. Cur Deus homo, ubi ſic philoſophatur: *Solemus dicere, Deum idcirco feciſſe Angelum atque hominem tales, qui peccare poſſent, quatenus cum poſſent deſerere juſtitiam, & ex libertate arbitrii ſervarent, gratiam & laudem mererentur; quæ illis ſi ex neceſſitate juſti eſſent, non deberentur.* Obiicit mox ſibi Angelos nunc beata non peccandi neceſſitate obligari, & tamen vehementer laudandos eſſe; *Nonne Angeli, qui modò peccare nequeunt, laudandi ſunt?* Et reſpondet ideo laudibus digniſſimam eſſe hanc nunc eorum impeccantiam, quia illam non peccando cùm peccare poſſent, promeruerunt. *Sunt utique, quia hoc quod modo non poſſunt, meruerunt, per hoc quod potuerunt & noluerunt.* Obiicit ſecundò Dei ipſius exemplum, cui laudes debentur impenſiſſimæ, etſi nec peccare poſſit, nec hanc impeccantiam ſibi non peccando cùm poſſet promeruit: *Quid dicis de Deo, qui peccare non poteſt, nec hoc meruit per poteſtatem peccandi qua non peccavit, nonne laudandus eſt pro juſtitia ſua?* Reſpondet autem non ideo laude afficiendos Angelos, quod peccare potuerint, ſed propterea quod non peccando cùm poſſent, ſuæ ſibi impeccantiæ authores & architecti quodammodo fuere; qua in re propiùs acceſſere ad Deum, qui ſuam à ſeipſo habet juſtitiam. Cùm illud ergo in laude potiſſimum ſit, ſuam ſibi à ſeipſo habere juſtitiam; ſuam Deus habet à ſeipſo juſtitiam, quia ipſamet ipſe juſtitia eſt: & ſuam Angeli à ſeipſis juſtitiam habent, quia cùm poſſent, illam à Deo ſibi datam non abjecerunt. Sibi enim quis quodammodo donat, qui cùm poſſit auferre, non aufert. *Angeli non ſunt laudandi de juſtitia ſua quia peccare potuerunt, ſed quia per hoc quodammodo à ſe habent, quod peccare nequeunt: in quo aliquatenus ſimiles ſunt Deo, qui à ſe habet, quidquid habet. Dicitur enim dare aliquis quod non aut quando poteſt; & facere eſſe aliquid, qui cum poſſit idipſum facere non eſſe, non facit. Sic itaque cum Angelus potuit ſibi auferre juſtitiam, & non abſtulit; & facere ſe non eſſe juſtum, & non fecit; rectè aſſeritur ipſe ſibi dediſſe juſtitiam, & ſeipſum juſtum feciſſe. Hoc igitur modo habet à ſe juſtitiam, quia creatura eam aliter à ſe habere nequit; & idcirco laudandus eſt de ſua juſtitia; & non neceſſitate, ſed libertate juſtus eſt, &c.* Quibus in hanc ſententiam ne optari quidem potuit quidquam expreſſius.

XI. Quid enim vel fingi potuit conſonantius Auguſtino, ſupradicta omnia ita confirmanti in L. 5. n. 56. 58. opere ultimo contra Julianum? *Quis enim tam ſit mente cæcus, ut non videat, ſicut homo eſt primitus conditus, magnum bonum eſſe naturæ poſſe non peccare, quamvis majus ſit non poſſe peccare: atque ordinatiſſimè conſtitutum, ut hoc prius eſſet, unde fieret hominis meritum, & illud eſſet poſtea bene meriti præmium?* Et infrà: *Dic potius, ſi vis verum dicere, hominis naturam capacem boni & pravi prius factam; non quod non poſſet ſolius boni capax fieri, ſed quod ab ipſo gradu ordinatiſſimè ſurgere debuit; ut ſi non peccaſſet, quando peccare poſſet, ad eam beatitudinem perveniret, ubi peccare non poſſet. Quia ſicut jam dixi, utrumque magnum bonum eſt, quamvis minus unum, alterum majus. Minus eſt enim poſſe non peccare, majus autem non poſſe peccare; at oportebat à merito boni minoris ad præmium pervenire majoris.* Et paucis interjectis: *An verò metuendum eſt, ne tunc etiam fortè peccemus, quando ſanctis Angelis erimus æquales? De quibus ſine dubitatione credendum eſt, quod acceperint non poſſe peccare pro merito permanſionis ſuæ, quoniam ſteterunt, quando aliis cadentibus etiam ipſi peccare potuerunt.* Et rurſus idem ingeminans contra Julianum Pelagianum, cui videbatur ideo Angelos hominemque ita primùm creatos eſſe, ut boni & mali capaces eſſent, quod non aliter poſſent condi capaces boni, niſi eſſent & mali; contra nititur Auguſtinus tales condi potuiſſe, quales nunc ſunt Angeli, mali haud ſanè capaces; ſed merito locum futurum non fuiſſe, niſi boni malique capaces conderentur: porrò lege naturarum ordinatiſſima id juberi, ut priùs in ſtatione meriti luctentur, & hinc ad deſponſa meritis præmia convolent. *Potiuſque credendum ideo fuiſſe iſtam naturam & boni & mali capacem primitus factam, ut horum alterum diligendo meritum compararet, quo boni ſolius, vel mali ſolius capax poſtmodum fieret.* Et rurſus infrà: *Bonæ voluntatis factus eſt homo, paratus ad obediendum Deo, & præceptum obedienter accipiens,* Num. 61. *quod ſine ulla quandiu vellet difficultate ſervaret, & ſine ulla cum vellet neceſſitate deſereret.* Et mox: *Non ergo aliter eſſet virtus in nobis, niſi voluntatem malam ſic non haberemus, ut habere poſſemus. Sed pro hujus minoris virtutis merito accedere nobis debuit virtus major in præmio, ut malam voluntatem ſic non haberemus, ut nec habere poſſemus. O deſideranda neceſſitas! Donabit eam veritas, ut ſit certa ſecuritas, ſine qua non poteſt eſſe illa, cui non eſt aliud addendum, jam plena noſtra fœlicitas.*

XII. Nec illud præteriri debet Auguſtini placitum, quo nonnihil lucis ſupradictis affundatur; uſque adeo validam ſanamque fuiſſe Adami ſtantis naturam, uſque adeo autem per peccatum debilitatam ſauciatamque eam fuiſſe, ut illa verè natura hominis dici debeat, non hæc autem niſi impropriè, in qua impræſentiarum languemus. *Sic etiam ipſam naturam aliter dicimus, cum propriè* De lib. arb. L. 3. c. 19. *loquimur, naturam hominis in qua primum in ſuo genere inculpabilis factus eſt; aliter iſtam in qua ex illius damnati pœna, & mortales, & ignari, & carni ſubditi naſcimur.* Et rurſus alio loco: Retract. *Poſſunt quærere ſimilem latebram, niſi hoc dictum* L. 1. c. 10. *ad naturam talem referatur, qualis ſine vitio primitus condita eſt. Ipſa enim verè ac propriè natura hominis dicitur. Tranſlato autem verbo utimur, ut naturam dicamus, etiam quali naſcitur homo.* Utriuſque naturæ autem diverſitas ex non peccandi maximè facilitate, vel difficultate repetenda eſt. Unde Julianus Pomerius, *Non eo modo jam poſ-* De vita contempl. *ſumus peccato reſiſtere, ſicut Adam potuit, cui ni-* L. 3. c. 2. *hil fuit non peccare, quam nolle. Nobis autem irreprehenſibiliter velle vivere non ſufficit, niſi ipſum velle noſtrum, quod languida poſſibilitate deficit, divina virtus adjuverit. Quia illum ad non peccandum etiam juvare poterat adhuc ſana natura, nos jam impedit vitiata; & illum peccare fecit ſola peccandi voluntas, nos etiam cogit plerumque peccati jam facta neceſſitas.* Cùm ergo tanta ſit ſtantis & collapſæ naturæ diſcrepantia, tantaque virium diverſitas, debuit & diverſa Deus gratiæ adjutoria utrique dare, utrique præparare, quod non aliud eſt quàm prædeſtinare. Eſt enim prædeſtinatio, gratiæ præparatio.

XIII. Tantis & rationum & ſuffragiorum præſidiis

ſidiis communita hæc de Angelorum gratia & prædeſtinatione ſententia, uno aut altero impetitur Fulgentii & Auguſtini teſtimonio, quod contra tendere videtur. Fulgentius enim declarat non potuiſſe humanæ ruinam gentis per Angelos relevari, eo argumento, quòd eorum pars aliquanta conſimili oppreſſa ſit clade, & potuerint cæteri implicari ejuſdem defectionis contagio, niſi omnipotentis gratiæ beneficio in arcem incorruptibilis beatitudinis eſſent recepti. *Cùm quædam pars* Ad Traſim. l. 2. c. 2. 3. *naturæ Angelicæ de cœleſtis beatitudinis culmine in imam perpetuamque cernitur devoluta miſeriam, profectò cognoſcitur uniformi cunctos opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet à caſu pravitatis virtus illa defenderet, quæ ſola naturaliter mutari depravarique non poſſet. Ipſa igitur etiam homini reparando fuit neceſſaria, quia non alia ſtantem Angelum potuit à ruina cuſtodire, niſi illa quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Una eſt in utroque gratia operata, in hoc ut ſurgeret, in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in iſto ut ſanaretur; ab hoc infirmitatem repulit, hunc infirmari non ſivit. Illius eſca, iſtius medicina. Hunc autem quiſquis ſanum ſapit, Filium Dei eſſe non ambigit; qui eſt virtus & ſapientia Patris, ſapientia immutabilis, virtus inſeparabilis, &c. Et ideo potuit Angelum in ſuperioribus ſtabilire, & pro reparatione lapſi hominis ad inferiora deſcendere.*

XIV. Hunc Fulgentii locum, ſi penitiùs inſpiciatur, non video quò trahere poſſint, niſi ut intelligatur Unigenitus Dei Filius, virtus & ſapientia Patris, perinde Angelorum atque hominum ſervator ac ſoſpitator eſſe, ſed Angelorum nimirum quà Deus, qua virtus & ſapientia incommutabilis, hominum quà homo. Cui ſententiæ nos quidem vehementer aſſentimur.

Quòd verò eadem gratia fulciri ſalutem Angelorum atque hominum poſt lapſum affirmatur, id etiam conſtat, ſi gratia illa exiſtimetur eſſe Unigenitus idem Dei Filius, totius gratiæ author & diſpenſator. Si urgeas gratiam quæ operata eſt in homine ut ſurgeret, operatam eſſe & in Angelo ne caderet, poterit illud etiam exponi de *virtute illa* eadem omnipotentis Verbi, *quæ ſola naturaliter mutari depravarique non poteſt*. Trutinare quantum voles Fulgentii verba, non aliud ſonant, non aliud efficiunt.

Si urgeas ulteriùs de gratię iſtius efficacia, quę ſumma hìc prędicatur, & utrobique par, utrobique omnipotens; reſpondebo hìc verba fieri, non de permanſione voluntaria Angelorum in accepta juſtitia, ſed de provectione eorum ab hoc ſtatu lubrico & ancipiti, ab hoc merendi curriculo, ad metam præmii, ad ſtatum inquam indemutabilem fœlicitatis numeris ſuis omnibus abſolutę. Cadentibus enim & lapſis jam malis Angelis, ſtabant quidem ſancti Angeli, & eo ſe jam à malis diſcreverant; ſed ſi diutius permitterentur verſatili libertatis ſuę indifferentię, deficere & ipſi potuiſſent, niſi pręvertiſſet bonitas omnipotens Creatoris illos in portum cumulatiſſimę beatitudinis transferre. Hęc gratia efficaciſſima utique & invictiſſimę poteſtatis fuit, ſed ipſiſſima hęc fuit beatitudo cœleſtis patrię. Id omninò ſonant hęc Fulgentii verba, aientis *uniformi cunctos opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet à caſu pravitatis virtus illa defenderet, quæ ſola naturaliter mutari depravarique non poteſt*. Id ſonant ejuſdem Fulgentii illa verba ſuperiùs relata, *Deus miſericors & juſtus, ſicut diabolo & Angelis ejus propria voluntate cadentibus, cæteros Angelos in ſuæ dilectionis æternitate firmavit, ſic &c.* At firmare in æternitate dilectionis non aliud eſt quàm ad arcem ſummę beatitudinis evehere. Id ſonant & verba Gregorii ſuprà relata, ubi caſum ipſum reproborum cęteris Angelis aiebat adjumento fuiſſe ad firmandam eorum humilitatem; ubi tandem ita concludebat: *Quia aliis cadentibus alii Angeli in ſua beatitudine perſtiterunt, atque hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omnino non poſſint*. Et alibi: *Quia humiliter elegerunt ei inhærere à quo creati ſunt, &c.* Id ſonant & illa Juliani Pomerii, *Voluntatis ſanctorum Angelorum fuit, quod malis ſponte cadentibus ipſi in ſua dignitate manſerunt, & divino juſtoque judicio actum eſt, ut quæ fuit cum Deo ſuo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria fœlixque neceſſitas*.

XV. Id denique ſonat & locus ille qui nobis objicitur ex Auguſtino: *Aut minorem Angeli mali acceperunt amoris divini gratiam, quàm illi qui in ea perſtiterunt; aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt*. Civit. l. 12. c. 9. Ubi amplius iſtud adjutorium non aliud eſt quàm evectio ipſa ad beatitudinis plenitudinem. Malis enim Angelis cadentibus, boni non cadebant, poterant in ancipiti ea ſtatione diutiùs fortaſſe relinqui: maluit Deus dubios caſus antevenire, & ſpontaneam hactenus perſeverantiam tanta charitatis plenitudine cumulare, ut hæc jam fuerit ipſa beatitudo, & certiſſima nunquam cadendi ſecuritas. Sic locus iſte Auguſtini cum tota concordat ejus doctrina, Capite ſuperiori explanata; & ſimillimus eſt illius Fulgentii contextus de quo paulò antè. Denique Auguſtinus ipſe ſeipſum luculentiſſimè interpretatur in libro de Correptione & Gratia, ubi hæc habet verba jam ſuperiùs alicubi adſcripta: *Diabolus verò & Angeli* Cap. 10. *ejus etſi beati erant, erat tamen quod adhuc eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent; id eſt, ut magna per Spiritum ſanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non poſſent, & de ſe hoc certiſſimè ſcirent*. Illud ergo prius, *Illi amplius adjuti ad beatitudinis plenitudinem pervenerunt, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent*: & iſtud poſterius, *Ut magna per Spiritum ſanctum data abundantia charitatis cadere ulteriùs omninò non poſſent*, unum idemque eſt. Ecquod enim amplius adjutorium, quàm abundantior charitas? Porrò hæc abundantia charitatis jam ipſa beatitudo eſt, ut liquet ex his verbis, *Erat quod eorum beatitudini adderetur, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent: id eſt, ut magna per Spiritum ſanctum data abundantia charitatis Dei, cadere omnino non poſſent*. Ubi perſpicuè ſummæ beatitudinis plenitudo ipſa illa eſt magna charitatis abundantia; quæ & ipſa illud eſt amplius adjutorium, quo fit ut cadere poſthac ne poſſint quidem.

XVI. Ex his porrò liquet jure meritiſſimo proſcriptas eſſe à S. Pio V. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus has propoſitiones, *Nec Angeli nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia. Et bonis Angelis & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, fœlicitas eſſet merces, non gratia*. Præterquam quòd enim natura ipſa non tantùm gratia, ſed maximè gratia eſt, ut quam ne promereri quidem potuerimus, cùm nondum eſſemus: multiplex gratia & Angelis dum conduntur, & primo homini collata à Deo eſt. Sana enim & recta non erat eorum voluntas, niſi quia juſtitia & ſanctitate dotaverat eam Creator, & charitate illa eadem, quę nunc per Spiritum ſanctum nobis infunditur. Unde Auguſtinus: Civit. l. 12. c. 6. *Simul in eis & condens naturam & largiens gratiam, &c. Confitendum eſt cum debita laude creatoris, non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verum etiam de ſanctis Angelis poſſe dici, quod charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis*. Actuale gratiæ adjutorium

tunc quoque affuit, illud nimirum non *quo*, sed *sine quo non*, de quo tam multa suprà cum Augustino disputavimus.

CAPUT IV.

Prædestinatio hominum post lapsum Adæ antevenit & dat omnia merita. Varia ad id argumenta ex Augustino. Et primùm tria ex comparatione cum prædestinatione Angelorum petita.

I. Angelorum prædestinatio ex meritis, præscientiæ sæpius nomine designatur ab Augustino.

II. Probatur primo validissimè utriusque prædestinationis discrimen, ex discrimine naturæ stantis & & lapsæ. Lapsæ quippè non congruebat, nisi prædestinatio, quæ merita omnia donaret.

III. Verba Augustini quæ id efficiant, probentque victricibus jam auxiliis opus esse, & ad conversionem impii, & ad perseverantiam in pietate.

IV. Rursus de invictissimis auxiliis ex electione gratiæ post lapsum.

V. Alterum ad idem argumentum, quod gratia victrix medium sit ad gloriam non frustrabile; ergo non nisi ex prædestinatione gloriæ, quæ finis est, oritur preparatio hujus medii, id est invictissimi adjutorii ad conversionem & perseverantiam. Testimonia varia Augustini.

VI. Alia ejusdem testimonia, quæ idem efficiant.

VII. Tertium argumentum lapsus per superbiam homo, per humilitatem curandus fuit; ideo ergo totum sibi vendicat in electis victrix gratia.

VIII. Ideo & electorum non magnus est numerus, ut gratia se electos intelligant.

IX. Quanta nunc gratiæ potestas, tantum humilitatis nobis præsidium.

I. MUlta jam superioribus Capitibus de gratuita hominum post lapsum prædestinatione præcepta, præceptaque necessariò fuere, sed sparsim, cursimque: quæ propterea hìc opus est accuratiùs aliquantò retexi, ac pertractari. Cùm ergo non fuerit Angelorum sanctorum, nec futura fuerit hominis, si in innocentia perseverasset, nisi meritorum electio, operumque prædestinatio; & quodammodo meritorum magis præscientia; prædestinatio autem gloriæ præscitis meritis rependendæ: Unde Augustinus de Angelorum bonorum perseverantia verba faciens, constantissimè eam à Deo præscitam esse tradit; prædestinationis autem verbo abstinet: *Si bonitatem conditor præbuit ad eam creaturam condendam, cujus prævidit futura peccata; nullo modo non præberet eam bonitatem, ut creaturam conderet, quam peccaturam non esse præscivit*. Et alibi: *Quanquam non peccavit, sicut eam non peccaturam præscivit Deus*. Et rursus: *Ideo accepit hoc officium, quoniam ab illo qui dedit permansura prævisa est*. Et denique: *Scire vellem, si fieri posset, quare illa natura non peccet, quam non peccaturam præscivit Deus*. Cùm inquam Angeli & stantis in innocentia hominis prædestinatio ad gloriam non fuerit, vel futura fuerit nisi ex præscitis meritis; nunc ex adverso post peccatum primi parentis, absorptamque gentem hominum totam in ejusdem ruinæ stragem, nec ad gloriam, nec ad merita prædestinatio est nisi gratiæ & misericordiæ, non prævisis, non præscitis ullis meritis, nisi vel malis meritis hominum in una universalique damnationis massa implicatorum, vel bonis meritis Christi, pro redimendis ex eadem massa hominibus omnibus depensi.

(De lib. arb. l. 3. c. 5. 11. 12. 17.)

II. Primum idemque validissimum ad id argumentum est, id quod emergit ex necessaria intercapedine naturæ stantis & lapsæ, sanæ & ægræ, robustæ & exhaustæ viribus. Par enim erat æquumque naturam sanam, vegetam, & magno robore pollentem sibi committi, ejusque virium periculum fieri; & tum gratiæ, tum prædestinationis efficaciam ita temperari, ut Angelus atque homo per vires liberi arbitrii mediocriter adjutas staret si vellet; caderet, si vellet. At naturam ægram, sauciam, seminecem sibi permitti, virium ejus experimentum sumi, non aliter eam adjuvari per gratiam, quàm si vegeta & valida esset, id verò non aliud esset, quàm in certum exitium eam præcipitem mitti, vel dimitti: Item cùm summa facilitate bene vivendi & perseverandi in accepta justitia potirentur Angeli hominesque, tunc consultissimum erat, eos suæ potestatis esse, ut sua se ipsi sponte vel ad perseverandum, vel ad deficiendum agerent: at similiter homines sibi permitti postquam summa fuit eorum ad deficiendum proclivitas, summa boni difficultas; intus cupiditates effrænæ, foris conflictationes innumeræ; id verò inconsultissimum fuisset, & eorum saluti infestissimum. Denique in ipsa beatitudine creati Angeli hominesque, cui unus ille deerat charitatis cumulus, quo cadere non possent, idque certissimè de seipsis scirent; non immerito permittebantur sibi, ut in ea beatitudine perseverarent, si vellent; non invictissimè juvabantur, ut vellent: at nunc inter tantas & tam crebras tentationum atque ærumnarum procellas homines sibi ipsis dimittere, ut salutis suæ gubernacula ipsi regant, perinde ac si in summa pace atque in ipsius beatitudinis vestibulo jam degerent, id verò, ut mitissimè loquar, inhumanum fuisset.

III. Ita perspicuè ratiocinatur Augustinus in libro de Correptione & Gratia: *Quapropter saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura esse præscivit, & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis benefacere, quàm mala esse non sinere; sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium justitiæque judicium*. Enituere vires liberi arbitrii in sanctis Angelis, qui per liberum arbitrium in veritate steterunt, & inconcussam beatæ patriæ fœlicitatem in præmium voluntariæ permansionis acceperunt. At enituit virium liberi arbitrii etiam sani & integri imbecillitas in apostatis Angelis & in hominibus, qui à justitia & beatitudine per idem liberum arbitrium ceciderunt. Non expediebat ergo, ut si quos post casum statuisset Deus reparare & in amissam revocare fœlicitatem, eorum salutis summam lubricæ committeret voluntati, nec lubricæ tantùm & versatili, sed sauciæ jam etiam & propendenti in malum. Unde idem alibi Augustinus de potestate agens accedendi ad Deum, & ab eo non recedendi: *Non est hoc in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet, &c. Post casum autem hominis nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo*. Nec ea Augustini mens est, ut otietur omnino libertas hominis, sive cum resurgit à lapsu & per conversionem accedit ad Deum, sive cum per perseverantiam in accepta justificationis gratia non recedit à Deo; sed eo spectat sanctus Pater, ut utraque hæc gratia non ita sit jam in potestate voluntatis, ut ab ea quandoque irritetur; sed ut habeat ipsa potiùs voluntatem in sua potestate, eamque invictissimè ad assensum constringat.

(Cap. 10.)

(De dono persev. c. 7)

IV. Quid æquius enim, quid convenientius, quàm divina & consilia prædestinationis & adjutoria gratiæ aliter atque aliter accommodari naturis ægris quàm sanis, infirmis quàm robustis?

Nam

De Corrept. & grat. c. 7. *Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet; & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis, ut possent.* Et ibidem: *Major libertas est necessaria adversus tot & tantas tentationes quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribusque suis vincatur hic mundus.* Major libertas vocatur ab Augustino, quæ potentioribus munitur auxiliis adversùs tot blandientis aut sævientis mundi tentationes; nec potentioribus tantùm, sed invictissimis & inexpugnabilibus donatur gratiæ adjumentis adversùs tot seu blanditias seu minas & carnificinas. Unde ibidem: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter atque insuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur; sed cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superaret.*

V. Secundum ad idem argumentum derivatur ex illo ipso *indeclinabili & insuperabili adjutorio quo* promovet Deus conversionem, perseverantiam, salutem electorum nunc suorum. Non donat enim Deus istiusmodi adjutoria in tempore, nisi quibus ante tempora prædestinavit se daturum. At non prædestinat cuiquam dare adjutoria conversionis ad justitiam & perseverantiæ in justitia efficacissima, nisi quibus salutem prædestinavit. Nec enim cuiquam præparantur media ad finem aliquem consequendum infallibilia, & nulla adversaria vi aut potestate frustrabilia, nisi cui finis ipse potissimum prædestinatur. Cùm ergo prædestinatio sit præparatio gratiæ, tam diversa est prædestinatio, quàm diversa gratia est, quæ præparatur. Ubi enim non præparatur à prædestinante Deo, nisi gratia frustrabilis per liberum creaturæ arbitrium; ibi prædestinatio suspensa est ab assensione liberi arbitrii, & electio est meritorum, non gratiæ. At ubi præparatur à prædestinante Deo gratiarum series & contextio ejusmodi, quam effectu suo fraudare non possit aut liberi arbitrii mutabilitas, aut qualibet vis alia; tunc prædestinatio gratiæ est, & merita omnia voluntatis creatæ antevenit & donat. At ex Augustino jam patuit *adjutorium quo* provehitur nunc conversio & perseverantia electorum, ejusmodi esse, ut det non solùm posse si velint, sed ipsum velle donet, ipsum resipiscere ab injustitia, ipsum perseverare in justitia. Ergo præparatrix hujus adjutorii prædestinatio omnem meritorum prævisionem antevolat; antè destinat gloriam, eique consequendæ merita accumulat.

De Corrept. & grat. c. 11. Audiendus nunc Augustinus: *Tale erat adjutorium Adami, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit, ut habeat homo justitiam si velit; secuncunda ergo plus potest, qua fit etiam ut velit; & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.* Et mox: *Hæc tanto major est gratia, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur, ut velit.* Ergo dat hæc posterior gratia, non tantùm ut homo possit, si velit, sed etiam ut velit, & tantoperè velit tantoque ardore diligat, ut possit & *apprehendere bonum, & permanere in bono*, hoc est & converti primùm ad Deum, & deinceps ab eo non averti. Et paulò inferiùs: *Nunc autem tanto amplius datur adjutorium per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus: verum etiam tantum ac tale sit, ut velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus.* En rursus ut gratia conversionis, *in bono recipiendo*, & gratia perseverantiæ, *& perseveranter tenendo*, id genus gratię sint, quę donent & posse velle, & ipsum velle converti & perseverare.

VI. Idem probatur descriptione ipsa *adjutorii quo*, quam mox ibidem subiicit Augustinus, & illustratione ejus per exemplum beatitudinis. Ut enim data beatitudine continuò quis beatus fit; ita adjutorio quo, statim vult, statim operatur, convertitur, perseverat, qui eo donatur. *Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit, &c. Beatitudo quam non habet homo, cum data fuerit, continuò fit beatus: adjutorium est enim, non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium, & quo fit, est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus; & si data nunquam fuerit, nunquam erit.* Ibid. c. 11. Hic obiter refricanda memoria est ejus amplioris adjutorii, quo supra monuerunt Augustinus & Fulgentius donatos esse sanctos Angelos; id enim demonstravimus esse illam exundantem abundantiam charitatis, quæ ipsa beatitudo consummatissima est.

Ut autem data beatitudine continuò & infallibiliter beatus quis fit, ita dato adjutorio quo reditur ad justitiam, & quo perseveratur usque in finem in justitia, continuò & infallibiliter convertitur quis, & perseverat. *Primo homini datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur; sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* Nullæ hîc tergiversationes, nulla parent effugia, ita in promptu sunt omnia, ita Solis radio illustriora sunt. Scitè autem observat Augustinus hoc perseverantiæ donum, quo in justitia usque in finem indubitatissimè perseveratur, nunc dari Sanctis, in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis; tum quia solis electis datur hoc perseverantiæ donum; donum quippè conversionis etsi paris efficaciæ sit, quandoque tamen datur etiam non perseveraturis, & ideo non prædestinatis; tum quia cui dantur media certissima victriciaque semper ad assecutionem alicujus finis, ea illi non dantur nisi ex antecedente voluntate dandi ipsius finis; tum denique quia hęc est verè electio gratię, qua non remunerantur, sed preveniuntur & donantur ipsa merita, quibus postea æterna remuneratio accumuletur.

Et infrà rursum Augustinus: *Ac per hoc nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari; qui eis non solum dat adjutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint; sed in eis etiam operatur & velle; ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint & velint; perseverandi eis possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippè Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellent; nec Deus in eis operaretur, ut vellent; inter tot & tantas tentationes infir-*

infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Postremò tandem ita sanctus Pater exaggeratis verbis validissimum illud auxilium gratiæ exprimit, qua nunc & perseverantia datur electis, & electio ipsa gratuita Dei prædestinantis ad optatum finem perducitur: *Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma non deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur, &c. Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet: infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissime nollent.* En gratiam conversionis ad justitiam, *Ut invictissimè quod bonum est vellent;* en gratiam perseverantiæ in justitia, *Et hoc deserere invictissimè nollent;* utraque invictissimo & non frustrabili constat adjutorio; utraque conjunctim ad sempiternam mercedem perducit electos, nec nisi electis ex vi electionis ipsius præparari aut dari potest.

VII. Tertium indidem argumentum manat. Erat aliqua gloria, tametsi sobria, libertatis creatæ, sanæ, integræ, valentis, documenta dantis suarum virium, suo nisu, suoque marte insitam indifferentiam etsi non fine gratia frænantis, innatam mutabilitatem ad lucrandam immutabilitatem regentis, denique æternam fœlicitatem, ut sui meriti mercedem vendicantis. At verò post lapsum totius cum parente & capite suo nostri generis, quia ex superbia maximè ruimus, tota nostræ medicinæ ratio excubavit ad propulsandam superbiam, ad conciliandam humilitatem. Non amplius ergo ex meritis prædestinamur ad gloriam; non amplius si stamus, per liberum arbitrium stamus; non amplius libertatis sanæ viribus aut bene operamur, aut tentationes vincimus, aut in bono perseveramus usque in finem; totum sibi vendicat nunc gratia, & conversionis nostræ ad bonum, & permansionis nostræ in bono decus; pedissequa jam & famulante, non ut antè prævia & dominante voluntate. Hæc est superbiæ curatio, hæc est humilitatis infundendæ dispensatio à Scripturis divinis & à sanctis Patribus commendata. Etenim teste Augustino, *Sic ordinavit Deus Angelorum atque hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.* Alendæ humilitati quæ post casum oppidò quàm necessaria est, idonea cum primis est ostentatio divinæ gratiæ nostræque infirmitatis. Ecquod autem majus vel gratiæ documentum, vel incitamentum humilitatis, quàm si demonstretur omne genus nostrum in unam damnationis massam præcipitatum, ex qua jam Deus quos volet extrahet, & mero gratiæ suæ beneficio immerentes extrahet, malè meritos extrahet; quos volet justissimè relinquet? *Quia verò per liberum arbitrium Deum homo deseruit, justum judicium Dei expertus est, ut cum tota sua stirpe, quæ in illo adhuc posita, tota cum illo peccaverat, damnaretur. Quotquot enim ex hac stirpe gratia Dei liberantur, à damnatione utique liberantur, qua jam tenentur obstricti; unde etiamsi nullus liberaretur, justum Dei judicium nemo justè reprehenderet.*

De Correp. & Grat. c. 10.

VIII. Inde fit etiam ut pauci eligantur, pauci ex illa damnationis massa extrahendi prædestinentur ad gloriam; ut qui extrahuntur, cum nihilo se melioris sortis fuisse intelligant, quàm qui dimissi sunt, tantò sint & divinæ misericordiæ gratiores, & ad humilitatem proniores. Unde consequenter ibidem: *Quod ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo verò numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratiæ sunt agendæ quia fit, ne quis de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.* Valet utique ad inferendam humilitatem, quod qui misericorditer servantur, in eadem erant causa, in eademque erant massa, atque illi qui justissimè damnantur; & quod donum gratiæ jam est sempiterna fœlicitas, quæ merces meriti extitisset, si peccatum non esset. *Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his quæ liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.*

IX. Quò potentior enim nunc gratia, eò infirmitas nostra major, eò gloriatio nostra & meritorum jactantia magis compressa & profligata est. *Nunc verò posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. Placuit enim Deo, quo maximè humanæ superbiam præsumptionis extingueret, ut non glorietur omnis caro coram ipso, id est, omnis homo. Unde autem non glorietur caro coram ipso, nisi de meritis suis, quæ quidem potuit habere, sed perdidit; & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium: propter quod non restat liberandis nisi gratia liberantis? Ita ergo non gloriatur omnis caro coram ipso.* Et mox: *Hinc est quod in hoc loco miseriarum, ubi tentatio est vita humana super terram, virtus in infirmitate perficitur. Quæ virtus, nisi ut qui gloriatur, in Domino glorietur? Ac per hoc nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus Sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solum dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint, sed in eis etiam operatur & velle.* Ad humilitatem ergo lapsis pernecessariam contemperata est & hæc gratia, quæ merita ipsa donat; & hæc prædestinatio, quæ merita antevertit, & gratiam præparat, qua donentur. Ex adverso autem periclitaretur humilitas, si suis meritis prædestinationem, si suis viribus merita sua deberet.

Ibid. c. 12.

CAPUT V.

Alia tria argumenta ad gratuitam hominum prædestinationem post lapsum. Invictissimæ Dei voluntati & omnipotentiæ imputatur salus electorum. Justificatio & perseverantia, omnia denique salutis indubiæ munimenta, his conceduntur, qui à perditionis massa secreti sunt; aliis non conceduntur, quia ab eadem secreti non sunt.

I. Quartum argumentum, quod efficaciam gratiæ qua ad bonum convertimur, qua in bono perseveramus, Augustinus imputet omnipotenti Dei voluntati.

II. Efficacissimam porro illam esse gratiam, ex Scripturis idem evincit, secundùm quas Deus, quo ipse cumque vult, voluntates nostras contorquet.

III. Regnorum & Imperiorum dispensationem sibi Deus uni vendicat, adeoque & clavum voluntatum & inclinationum nostrarum, quantum ad id necessum est. Nec minus præpotenter perficit, quæ ad regnum cœleste adipiscendum pertinent.

IV. Quintum argumentum ex Augustino, quia correptiones, monitiones, flagella prosunt his, non illis, propterea quod hi, non illi ad vitam æternam à Deo electi sunt.

V. Eodem redit, quod vitæ brevitas, vitæ diuturnitas perinde prosit electis, non electis obsit.

VI. Uno complectitur loco Augustinus, bene multa, quæ electis adminicula salutis sint, cæteris offendicula, illis, non his omnia bene vertente Deo.

VII. Ten-

VII. Tentationes, imo & prolapsiones ipsæ electorum emolumento cedunt, non aliorum.

VIII. Sextum ejusdem argumentum, quod Deus longè aliter dispenset vitam, & eventa electorum, quàm cæterorum.

IX. Exemplo Judæorum & Tyriorum, id illustratur. Illis edebantur signa, ad quæ occallescebant; his non edebantur, qui ad pietatem tenerescerent iis visis.

X. Negata non electis gratiarum contextio, quæ ad finalem provehat perseverantiam in bono.

I. QUartum Augustinus argumentum suppeditat, ubi hujus adjutorii quo, seu gratiæ invictissimæ efficaciam, qua justificantur, qua in justitia ad finem usque perseverant electi, omnipotenti & absolutissimæ Dei voluntati imputat. Non præscientiæ, non exploratrici futurorum eventuum scientiæ, sed inexpugnabili voluntatis divinæ potestati totam hanc ille victoriam adscribit de domita & conculcata contumacia nostra: *Deo nolenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et ibidem: *Non est itaque dubitandum, voluntati ejus, qui in cœlo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem de ipsis etiam hominum voluntatibus, quod vult, cum vult facit.*

L. de Corr. & Grat. c. 14.

II. Hanc autem divinæ voluntatis ad humanas nunc voluntates quocumque vult convertendas omnipotentiam demonstrat ibidem Augustinus Scripturæ testimoniis & exemplis, illis potissimum, ubi agitur de regno Saulis & Davidis constituendo. Ad hoc enim Deus aversas etiam & alienatas Israelitarum voluntates inclinavit, eoque approbavit pari se jure atque imperio uti, in voluntatibus hominum contorquendis ad regni cœlestis charitatem & assecutionem: *Nisi fortè, ut ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quo voluerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem, &c. Sic enim scriptum est, Abierunt potentes quorum tetigit Deus corda cum Saule, &c. Numquid aliquis dicturus est, non iturum fuisse cum Saul quenquam eorum quorum tetigit corda Deus, ut irent cum illo?* Et mox à terreno regno ad cœlestis regni gloriam transferens hanc eandem omnipotentissimam Dei potestatem ad inclinanda electorum suorum corda: *Si ergo cùm voluerit Deus regna in terra constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas; quis alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in correcti corde correctio, ut cœlesti constituatur in regno?* Et ibidem quomodo operetur Deus in cordibus hominum: *Numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum quas ipse in illis operatus est traxit.*

III. Illas quippe voluntates quæ malæ non sunt inspirare & operari utique potest Deus in cordibus hominum, easque ne abiiciantur munire innumerabilibus modis & artibus miris, de quibus alibi erit disputandi locus opportunior. Hìc illud potiùs observari par est, ubi de Regibus Regnisve constituendis, ubi de hominibus ad justitiam & ad perseverantiam vocandis & ita cœlesti regno donandis agitur; hæc velut insignia providentiæ & omnipotentiæ suæ monumenta operari Deum ipsum in voluntatibus & per voluntates ipsas hominum. Unde rursus idem Augustinus: *Hoc donum cœlestis gratiæ in illam purpurariam descenderat, cui sicut dicit Scriptura in Actibus Apostolorum, Deus aperuerat sensum ejus, & intendebat in ea quæ à Paulo dicebantur. Sic enim vocabatur ut crederet. Agit quippè Deus quod vult in cordibus hominum, vel adjuvando, vel judicando, ut etiam impleatur per eos, quod manus ejus & consilium prædestinavit fieri. Frustra itaque etiam illud, quod Regnorum & Paralipomenon Scriptura teste probavimus, cum Deus vult fieri, quod nonnisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda, ut hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle, ad causam de qua disserimus non pertinere dixerunt.* Sic sanctus Pater tuetur in libro de Prædestinatione Sanctorum adversùs tergiversationes Semipelagianorum, id quod adversùs Pelagianos in libro de Correptione & Gratia scripserat, quodque nos suprà adscripsimus. Ad regni autem cœlestis adeptionem, adeoque ad justificationem & ad perseverantiam, non minùs omnipotenter inclinari à Deo voluntates hominum, quàm ubi de regnis terrenis agitur, sic ibidem confirmat Augustinus: *An fortè quia ostendimus hoc Deum egisse in cordibus hominum, & ad hoc perduxisse quorum ei placuit voluntates, ut Rex constitueretur Saul sive David; ideò hæc exempla causæ huic convenire non putant, quoniam non hoc est temporaliter regnare in hoc sæculo, quod est in æternum regnare cum Deo? Ac per hoc existimant ad regna terrena facienda Deum inclinare, ad regnum verò cœleste obtinendum Deum non inclinare quorum voluerit voluntates? Sed puto propter regnum cœlorum, non propter regnum terrenum esse dictum, Inclina cor meum in testimonia tua: Dabo eis cor cognoscendi me: Dabo eis cor aliud, & spiritum novum dabo eis, &c.* Et post multa hujuscemodi conglobata Scripturæ testimonia, *Audiant hæc & alia quæcumque non dixi, quibus ostenditur Deus ad regnum etiam cœlorum & ad vitam æternam parare & convertere hominum voluntates. Cogitare autem quale sit, ut credamus ad constituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, & ad capessendum regnum cœlorum homines operari voluntates suas.*

L. de Præd. Sanct. c. 20.

IV. Quintum argumentum sumitur ex constantissima illa & inculcatissima Augustini regula, ad fidem, ad justitiam, ad pœnitentiam, ad resipiscentiam ubi corripiuntur, ad obedientiam cùm flagellantur, denique ad perseverantiam in bono finalem perduci hos, non illos, quia hi, non illi in prædestinatorum albo conscripti sunt. Ex fonte ergo illo summo & æterno prædestinationis manant in electos ista omnia gratiæ & beneficentiæ cœlestis fluenta. Ita ergo ille primùm de fide: *Non enim omnium est fides: tanquam diceret, Non enim apud omnes etiam nobis orantibus glorificabitur verbum Dei; quia ipsi utique fuerant credituri, qui ordinati erant in vitam æternam, prædestinati in adoptionem filiorum per Jesum Christum, & electi in ipso ante mundi constitutionem.* Sic rursus ille de pœnitentia: *Dominus noster hanc suam medelam nullis generis humani temporibus ante ultimum futurum judicium denegavit eis, quos per certissimam præscientiam & justissimam beneficentiam secum regnaturos in vitam prædestinavit æternam.* Ita denique de perseverantia in justitia, ad quam per pœnitentiam redintegrati sunt: *Nec nos moveat, quod filiis suis quibusdam non dat Deus istam perseverantiam. Absit enim ut ita esset, si de illis prædestinatis essent, & secundum propositum vocatis, qui verè sunt filii promissionis.* Epist. 107. De peccat. mer. & rem. L. 2. c. 19. De Corrp. & Grat. c. 9.

Quid illud ejusdem sancti Patris in Joannis Epistolæ verba de Justis perseverantiæ dono non donatis? *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* In quæ verba sic ibidem Augustinus: *Cùm ergo filii Dei dicunt de his qui perseverantiam non habuerunt, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; & addunt, Quod si fuissent ex nobis, permansissent* Ibidem.

fuissent utique nobiscum; quid aliud dicunt, nisi, Non erant filii, etiam quando erant in professione & nomine filiorum; non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt, &c. Erant itaque in bono, sed quia in eo non permanserunt, id est, non usque in finem perseveraverunt, non erant inquit ex nobis, & quando erant nobiscum: hoc est, non erant ex numero filiorum, & quando erant in fide filiorum; quoniam qui verè filii sunt, præsciti & prædestinati sunt, conformes imaginis Filii ejus, & secundum propositum vocati sunt, ut electi essent. Quod totum eò tandem revolvitur, ut electis tantùm data sit illa specialis gratia perseverantiæ finalis. *Non igitur filiis suis prædestinatis Deus perseverantiam non dedit. Haberent enim eam, si in eo filiorum numero essent, &c. Ipsi sunt illi prædestinati & secundum propositum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam; quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam.*

V. Quin illud in prædestinationem quoque refunditur, si qui vel antè vitæ subtrahantur, quàm cadant; vel ubi ceciderunt, non antè subtrahantur, quam receptui cecinerint, seque reddiderint justitiæ. (Ibidem.) *Nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et alibi: (*.. 5. cont. Jul. c. 4.) *Ex his nemo perit, quacumque ætate moriatur; absit enim ut prædestinatus ad vitam sine, Sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam.* Ita vitæ brevitas, vitæ diuturnitas perinde conducibiles sunt electis; omnibus in bonum & salutem eorum cooperantibus, propterea quod electi & prædestinati sunt: *Novit Dominus qui sunt ejus, & omnia cooperantur in bonum, sed his qui secundum propositum vocati sunt, &c. Denique & hic cùm dixisset, Omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt, continuò subdidit, Quoniam quos antè præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, &c. Ex isto numero electorum & prædestinatorum qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cujus patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti; ut ostendatur & ipsis & aliis cohæredibus eorum, de quam profundo malo possit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit, quacumque ætate moriatur.* Sic tota dispensatio vitæ mortisque Electorum ex summo illo quasi cardine prædestinationis suspensa & religata pendet.

VI. Quid correptio, quæ & impiis, ut ad meliorem frugem se conferant, & piis necessaria est ut proficiant, ut lapsantes firmentur, ut in bono perseverent: quibus fructuosa est, nisi electis? (De Corrept. & Grat. c. 13, 14. 16.) *Patiantur ergo homines se corripi, quia & peccatis justa pœna debetur, & ad ipsam pertinet justa correptio, quæ medicinaliter adhibetur, etiamsi salus ægrotantis incerta est. Ut si is qui corripitur, ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum; si autem non pertinet, sit ei pœnale tormentum. Sub isto ergo incerto ex charitate adhibenda est, cujus exitus ignoratur; & pro illo cui adhibetur, orandum est ut sanetur.* Et infrà: *Proinde quantum ad nos pertinet qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos fieri velle debemus; omnibus ne pereant, vel alios ne perdant, adhibenda à nobis est medicinaliter severa correptio. Dei est autem eis illam facere utilem, quos ipse præscivit & prædestinavit conformes imaginis Filii sui.*

Complura istiusmodi beneficentissimæ providentiæ capita in Electorum salutem convertentis & contorquentis omnia, etiam quæ adversari posse videbantur, uno complexus est loco Augustinus: (Ibid. c. 7.) *Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ libertate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; & si quando exorbitant, correpti emendantur; & quidam eorum etsi ab hominibus non corripiuntur, in viam quam reliquerant redeunt; & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate, periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi, per electionem gratiæ. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Non enim sic sunt vocati, ut non essent electi; propter quod dictum est, Multi sunt vocati, pauci verò electi. Sed quoniam secundùm propositum vocati sunt, profectò electi sunt, per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum suorum, quia gratia illis est omne meritum.*

VII. Itaque si secundùm propositum prædestinantis Dei vocati sunt, hi aut semel justificati non cadunt, aut bene vertunt ipsi eorum casus: nec tentari sinuntur, nisi quantum firmandæ eorum humilitati, probandæ patientiæ & procurandæ saluti satis est. *Horum fides aut omnino non deficit; aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur, antequam vita ista finiatur; & deleta quæ intercurrerat iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur.* (Ibid. c. 7.) Et infrà: *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum: usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.* (Ibid. c. 9.) Et denique alibi: *Ut enim non dicam quàm sit possibile Deo aversas & adversas in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso aliqua superati tentatione discedant; cùm possit & quod ait Apostolus, facere ut non eos permittat tentari super id quod possunt. Ut ergo id non dicam, certè poterat illos Deus præsciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita.* (De bono persever. c. 8. 9.)

VIII. Sextum argumentum exprimitur ex ratione longè diversissima, qua dispensat Deus vitam & eventa eorum, quos in massa damnata reliquit. Nam seriem illam beneficiorum, & gratiarum contextum, de quibus suprà, nihil ad eos pertinere, sic declarat Augustinus: illud quoque adiiciens minimè prætereundum, non inutiliter creari reprobos, sed ut aliqua ex iis utilitas in Electos redundet: *Cæteri autem mortales, qui ex isto numero non sunt, & ex eadem quidem massa, ex qua & isti, sed vasa iræ facti sunt, ad utilitatem nascuntur istorum.* (Con. Jul. L. 5. c. 4.) *Non enim quemquam Deus temerè aut fortuitò creat, aut quid de illis boni operetur ignorat, cùm & hoc ipsum bonum operetur, quod in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem sæculi præsentis exornat. Istorum neminem adducit ad pœnitentiam salubrem & spiritualem, qua homo in Christo reconciliatur Deo, &c.*

IX. Alibi autem exemplo utitur Augustinus Sidoniorum & Tyriorum, quos affirmavit Christus credituros fuisse, si miracula conspexissent, quorum conspectu Judæi plerique magis & magis obcallescebant. Hanc porrò tam miram dispensationem ad causas prædestinationis retulit sanctus Pater, quòd qui ad gloriam prædestinati non essent, nec iis donarentur beneficiis, quibus ad fidem & justitiam adducerentur: *Si quæratur à nobis, cur tanta miracula facta sint apud eos, qui videntes ea non fuerant credituri: & apud eos facta non sint, qui crederent, si viderent: quid respondebimus? Ad causas prædestinationis hæc divina judicia pertinere.* (De bono persev. c. 9. 14.) Et ibidem infrà: *Prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Cæteri autem, ubi nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur? Ubi Tyrii relicti sunt & Sidonii,*

qui

qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. Nec minus vehementia sunt, quæ sequuntur: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant. Et tamen si Dei altiore judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia, vel viderent.* Et denique alibi: *Et majoribus etiam his quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subvenire, non subvenit; de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed justè aliud judicavit.* De dono persev. c. 11.

X. Postremò quid apertius hoc alio loco ejusdem Augustini in libro de Correptione & Gratia? *Hi verò qui non pertinent ad hunc certissimum & felicicissimum numerum prædestinatorum, pro meritis judicantur. Aut enim jacent sub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt; aut cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum; aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt; arbitrium inquam liberum, sed non liberatum; liberum justitiæ, peccati autem servum; quo volvuntur per diversas noxias cupiditates, alii magis, alii minus; sed omnes mali, & pro ipsa diversitate diversis suppliciis judicandi; aut gratiam Dei suscipiunt; sed temporales sunt, nec perseverant; deserunt, & deseruntur. Dimissi sunt enim libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo & occulto.* Ecce qualis sit divinæ providentiæ dispensatio, erga eos qui sunt à perditionis massa gratiæ electione sepositi: quia non est illis datum, ut ad filiorum æternam gloriam pertingant, non est etiam datum quo eò certissimè pertingerent, non est illis data ea gratiarum contextio & quasi concatenatio, quæ perseverantiam ipsa finalem complectitur. Cap. 11.

CAPUT VI.

Alia rursus argumenta ad eandem gratuitam hominum post lapsum prædestinationem, ducta à vocatione Dei secundùm propositum; à prædestinatione parvulorum, & eorum qui præripiuntur incertis vitæ periculis; denique à prædestinatione Christi.

I. Septimum argumentum gratuitæ hominum post lapsum prædestinationis, sumitur ex electione & vocatione secundùm propositum, ut loquitur Paulus: quam nempe invictissimis gratiæ auxiliis implet perficitque Deus, ut Paulum interpretatur Augustinus.

II. Quicumque ad justitiam non pertingunt, vel in ea non perseverant, hac secundùm propositum Dei vocatione vocati non sunt.

III. Non hominis, sed Dei propositum istud est.

IV. Aliò propositum hoc Dei detorquentes Pelagianos, validissimè oppugnat ex Paulo ipso Augustinus.

V. Octavum argumentum ab exemplo adultorum, qui cum possent incertis vitæ periculis præripi, ubi à justitia desciverunt, tunc abripiuntur: nec expectatur, dum divinæ se gratiæ justitiæque recolligant. Nempè in electorum albo non erant scripti.

VI. Finitimum huic est exemplum parvulorum, qui præfestina morte hinc migrant, baptismi alii expertes, alii compotes, pro Dei eligentis, vel non eligentis proposito.

VII. Bonorum temporalium, & seu animæ, seu corporis, seu fortunæ ornamentorum inæqualis illa distributio inter homines, quæ tam conspicua, tam obvia ubique est: argumento est ea nulli hominum deberi: gratis dari his, justè negari illis: atque idem prorsus statuendum esse de inæquali partitione bonorum spiritalium. Ita historia ipsa generis humani testificatrix est gratuitæ prædestinationis.

VIII. Frustra erant Pelagiani, Semipelagiani & Manichæi, qui negabant posse nos ab exemplo parvulorum de adultis argumentari.

IX. Beatis tunc demum apertum erit, cur hic assumatur, ille relinquatur.

X. Nonum argumentum exculpit Augustinus ex prædestinatione Christi, cujus ne potuerunt quidem esse ulla merita, ut Filius Dei nasceretur ex utero, imo & in utero matris.

XI. Verè Christus prædestinatus fuit Filius Dei.

I. Septimum argumentum hactenus non potuimus non perstringere; petitur enim ab illo Dei proposito, apud Paulum & Augustinum decantatissimo. Porrò propositum istud non aliud est, quàm electio illa gratiæ, quæ ex damnatæ massæ voragine aliquos prædestinat ad sempiternam salutem, eisque ad eam promerendam invictissima præparat gratiæ adjutoria; diversissima illa quidem, & diversissimis contexta eventis, sed quæ tamen ad unum colliment scopum, salutis electorum indeclinabiliter perficiendæ.

Hoc sensu interpretandum esse Paulum, sexcenties inculcavit Augustinus. In libro de Prædestinatione Sanctorum: *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit. Electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit implevit. Quos enim prædestinavit, ipsos & vocavit; illa scilicet vocatione secundùm propositum. Non ergo alios, sed quos prædestinavit, ipsos & vocavit; nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit; nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit, illo utique fine, qui non habet finem.* Multi quippe sunt vocati, pauci electi. Et tamen electi omnes vocantur; quos enim prædestinavit, hos & vocavit. Est ergo distinguenda duplex vocatio, alia electorum, alia non electorum. Vocatio electorum illa est secundùm propositum vocatio, cui indubitatissimè obsequuntur electi, qua justificantur, in qua perseverant; à qua si exorbitant, resipiscunt; ad quam donec redierint, non eripiuntur huic vitæ; ad quam cùm se receperint, aut à qua ne deflectant, sive matura, sive immatura morte incertis vitæ & salutis casibus præripiuntur; hæc omnia dispensante illo misericordiæ infatigabili proposito. Cap. 17.

II. Hinc constat certissimè non perseverare secundùm propositum, quicumque non perseverant in accepta justitia. Quantumvis enim exclames, & jure exclames, sua illos culpa, sua ignavia ab accepta justitia deficere & non perseverare: respondet Augustinus in potestate Dei fuisse hanc ignaviam sanare, hanc defectionem antevertere, & saltem præfestina morte illos futuris lapsibus eripere. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. Vides certè illos significari qui pertinent ad numerum prædestinatorum, de quibus alio loco dicit, Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt, &c. Non sunt in ista vocatione, qui in fide quæ per dilectionem operatur, etiamsi aliquantulum ambulant, non perseverant usque in finem. Et utique potuerunt rapi ne malitia mutaret intellectum eorum, si ad illam prædestinationem & vocationem quæ secundum propositum & sine pœnitentia est, pertinerent.* Vocatio ergo illa & gratia secundùm propositum, innumerabilibus & miris omnino modis variegata est; nec impulsio tantùm una est Epist. 19.

physi-

physicè aut quocumque alio modo prædeterminans voluntatem liberam, sed dispensata cœlitus administratio totius hominis vitæ, excubante, & omnipotenter præstante Deo propter æternum misericordiæ suæ propositum, ut ad justitiam protrudatur homo, nec à justitia postea extrudatur, nisi ad eam ante mortem revocandus.

III. Non audiendi ergo sunt, qui hoc propositum interpretantur non Dei, sed hominis. Omnino enim propositum Dei istud est. Audi Augustinum in libro de Correptione & Gratia: *Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt. Electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt; propositum autem non suum, sed Dei.* Sed & Paulum ipsum audi, cavillationes omnes refellentem verbis luce ipsa præclarioribus, quæ ita intexit Augustinus consequenter: *De quo alibi dicit, Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori.* Et alibi: *Non secundùm opera nostra, inquit, sed secundum suum propositum & gratiam. Cùm ergo audimus, Quos autem prædestinavit, illos & vocavit, secundùm propositum vocatos debemus agnoscere, &c. Eos igitur vult intelligi, quos secundum propositum vocavit, ne putentur in eis esse aliqui vocati & non electi, propter illam Dominicam sententiam, Multi vocati, pauci electi. Quicumque enim electi, sine dubio etiam vocati; non autem quicumque vocati, consequenter electi. Illi ergo electi, ut sæpè dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati, atque præsciti.* Perspicis hìc apertissimè duplicem ex Scripturis vocationem, & alteram tantùm esse secundum propositum, vocationem videlicet electorum, qui vocantur secundum propositum, non hominis, sed Dei; non tantùm ita interpretante Paulum Augustino, sed Paulo ipso iterum iterumque inculcante hoc esse propositum Dei, hoc esse propositum & gratiam, hoc esse propositum non ex operibus hominis, sed ex vocante Deo.

Cap. 7.

IV. Nec minùs dilucidè idem Augustinus alibi, ubi Pelagianos sugillat ad propositum hominis hæc Pauli dicta detorquentes: *Hoc quippe ita dicunt, velut homo sine adjutorio Dei à seipso habeat propositum bonum studiumque virtutis, quo merito præcedente dignus sit adjuvari Dei gratia subsequente. Putant enim fortasse ita dixisse Apostolum, Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis qui secundùm propositum vocati sunt; ut propositum hominis vellet intelligi; quod propositum tanquam bonum meritum sequatur misericordia Dei.* Ita Pelagius cum suis hoc propositum deflectebat in sui erroris patrocinium, quasi hoc esset initium aliquod bonæ voluntatis, quo homo gratiam Dei anteveniret & promereretur. At contrà vide ut hoc profanum commentum labefactet ex ipso Paulo Augustinus: *Ignorantes ideo dictum esse, Qui secundùm propositum vocati sunt, ut Dei, non hominis propositum intelligatur, quo eos quos præscivit & prædestinavit conformes imaginis Filii sui, elegit ante mundi constitutionem. Non enim omnes vocati, secundùm propositum sunt vocati, quoniam multi vocati, pauci electi. Ipsi ergo secundùm propositum vocati, qui electi ante mundi constitutionem. De hoc proposito Dei dictum est & illud quod jam commemoravi de geminis Esau & Jacob, Ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Major serviet minori. Hoc propositum Dei & illo commemoratur loco, ubi ad Timotheum scribens ait, Collabora Evangelio secundum virtutem Dei salvos nos facientis & vocantis vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante sæcula æterna.*

L. 2. ad Bon fac. c. ult.

V. Octavum argumentum prometur ex hoc ipso Dei prædestinantis proposito, quod maximè explendescit in salute parvulorum, atque in iis quibus vel perseverantia non datur, vel non acceleratur mors antequam à justitia cadant. Cognata hæc duo sunt & conjunctissima, propterea quod parvulis hoc beneficii confertur, si electi sunt, ut baptismo donentur, quo tot alii nihilo ipsis nocentiores fraudantur; utque morte præmatura tentationibus lapsibusque diuturnioris vitæ præripiantur.

Ut ergo ab adultis initium ducamus, de quibus aliqua jam prælibata sunt, sic rursus Augustinus argumentatur, in solam Dei prædestinationem nullis nostris meritis illigatam refundi posse, quod alii in bono perseverent, alii non perseverent; his perseverantiæ donum detur, illis non detur; hi præmoriantur futuris casibus, hi justitiæ diu compotes, & tandem superstites, antè excedant vivis, quàm ad eam reduces sint. Hæc omnia ita Deus dispensat secundùm propositum suum, & imperscrutabilia judicia sua, cum damnationis massæ omnes ex æquo immersi sint, quoscumque vult, misericorditer liberans, reliquos justissimè non liberans: *Firmum fundamentum stat, habens signaculum hoc, scivit Dominus qui sunt ejus. Horum fides quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnino non deficit; aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur, & deleta quæ intercurrerat iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. Qui verò perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat, proculdubio nec illo tempore, quo bene pièque vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo nec secundùm propositum vocati.* Et paulò infrà: *Hic si à me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam qua christianè viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo, &c. O homo tu quis es, qui respondeas Deo? O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Et aliquantis intertextis, maximè de baptismo & præcoce morte parvulorum, de quibus mox, sic ille pergit: *De his disserimus, qui perseverantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur. Respondeant si possunt, cur illos Deus cùm piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Utrum hoc in potestate non habuit? An eorum mala futura nescivit? Nempe nihil hoc donat Deus quibus voluerit, aut vero Scriptura mentitur, quæ de morte velut immatura hominis justi, ait, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus, apud quem non est iniquitas, nec acceptio personarum, & in cujus potestate est, quandiu quisque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta est super terram? Sicut ergo coguntur fateri donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum: cur autem aliis donetur, aliis non donetur ignorant; ita donum Dei esse in bono perseverantiam secundùm Scripturas fateantur nobiscum: & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversùs Deum dignentur ignorare nobiscum.* Ibidem.

VI. Huic de adultis vel perseverantibus, vel non perseverantibus, prout electorum albo adscripti, aut expuncti sunt, argumento, intexit ut consimile exemplum parvulorum, qui præfestina morte recentes ab utero migrant, alii baptismo donati, tametsi infidelium filii sint; alii lustrali hoc fraudati sacramento, quanquam fideles eorum parentes, ad hoc illis accelerandum connitantur. Hic totus aliquorum præ aliis delectus, non ab humana voluntate, sed à divina providentia & prædestinatione evidentissimè proficiscitur. *Sed etiam illud non minùs mirum est, sed tamen verum, atque ita manifestum, ut nec ipsi inimici gratiæ Dei quomodo id negent valeant invenire, quod filios*

quosdam amicorum suorum, hoc est, regeneratorum bonorumque fidelium, sine baptismo hinc parvulos exeuntes, quibus utique si vellet, hujus lavacri gratiam procuraret, in cujus potestate sunt omnia, alienet à regno suo, quo parentes mittit illorum; & quosdam filios inimicorum suorum facit in manus Christianorum venire, & per hoc lavacrum introduci ad regnum, à quo eorum parentes alieni sunt, cùm & illis malum & istis bonum meritum nullum sit parvulis ex eorum propria voluntate, Certè hic judicia Dei, quoniam justa & alta sunt, nec vituperari possunt, nec penetrari. Meræ Dei bonitati & misericordiæ, citra vel suspicionem cujusquam meriti adrogari debet salus parvulorum, qui salutis unda abluuntur: justitiæ Dei non potest non imputari aliorum, qui eodem undæ salutaris dono frustrantur, abjectio citra ullum propriæ eorum voluntatis malum meritum, propter solum damnatæ massæ contagium, à qua non sunt electione gratiæ extracti.

VII. Monebo obiter quod ibidem mox Augustinus memorat de donis omnibus, quæ vel corpus, vel animam, vel fortunam hominis cujusque exornant, & quæ tam stupenda inæqualitate inter homines dispensantur, dum aliis parcissimè asperguntur, aliis copiosissimè affluunt. Et hæc inæqualis, justa tamen distributio argumento est, post vitiatam peccato nostri generis originem, nihil cuiquam debere Deum, nisi pœnas & ærumnas; esse quòd gratiæ illi habeantur de quantulacumque boni cujuscumque copia; non esse quòd quisquam conqueratur de quacumque vel boni parcimonia, vel pœnæ miseriæque gravitate. Hæc bonorum malorumque in hac mortali vita inæqualitas incurrit in oculos, nec celari aut detrectari potest, & argumento est, mala non rependi nisi malis, bona rependi posse etiam malis sub imperio Dei summè boni justique: ac proinde & malos vitiatosque nasci omnes homines, cùm nihilo deteriores sint quibus mala, quàm quibus bona, vel corporis, vel animæ, vel fortunæ a Deo irrogantur. Ex his colligebat Augustinus, si vel hæc bona quæ verorum bonorum simulacra tantùm sunt, nemini prorsus debet, & quibus dat, immerentibus dat; quibus negat, merentibus negat; multò magis pronunciandum illud esse de sempiternis patriæ cœlestis bonis. Obstrepebant huic argumentationi tam perspicuæ Pelagiani, sed frustra erant, nec efficere poterant quin ipsa totius humani generis administratio, & conspicua rerum & personarum, ut sunt, ut geruntur, historia, manifestissima certissimaque sit demonstratio gratuitæ Dei prædestinationis, citra ullam meritorum nostrorum præscientiam. Incomparabiliter enim major est inæqualitas distributionis donorum quæ ad æternam salutem procurandam conducunt, quàm quæ vel fortunæ, vel animæ, vel corporis ornamenta sunt.

Ibidem. *Nec miremur nos vestigare non posse investigabiles vias ejus. Ut enim alia innumerabilia taceam, quæ aliis dantur, aliis non dantur hominibus à Domino Deo, apud quem non est acceptio personarum, nec tribuuntur ista meritis voluntatum, sicut sunt celeritates, vires, valetudines bonæ, & pulcritudines corporum, ingenia mirabilia, & multarum artium capaces naturæ mentium; vel quæ accidunt extrinsecus opulentia, nobilitas, honores, & cætera hujusmodi, quæ quisque ut habeat, nonnisi in Dei est potestate, &c.* Pauci sunt qui mentem huc advertant, sed Augustinum id non præteriit, publicam hanc esse & toto orbe conspicabilem gratuitæ prædestinationis testificationem, quæ in tanta bonorum, sive spiritualium, sive corporalium, internorum externorumque inæqualitate, tanta in quibusdam hominibus exuberantia, tanta in aliis inopia, & sterilitate conspicitur. Cùm alioqui conspicuum & quasi palpabile sit, æterna bona non plus deberi hominibus, quàm hæc humana; & adminicula ad æternam salutem non minùs inæqualiter inter homines dispensari. Hæc qui sedulò perpendit, non potest quo se cumque vertat, non in errores impingere inexplicabiles, nisi intelligat, perinde & temporalia & æterna bona, ut nunc res nostræ sunt, & jure merito non dari, quibus non dantur; & immerentibus dari, quibus dantur à Deo, cujus universæ viæ veritas & misericordia; qui nulli hominum quidquam debet, cui omnis homo nascendo reus est, cui non pauci jam inde nascendo pœnas dare incipiunt, ut omnes se intelligant ejusdem se causæ & noxæ consortes cum sint, divinæ gratiæ debere, quod ejusdem pœnæ nexu non constringantur.

VIII. Sed ab his cum Augustino ad parvulos redeamus, de quibus rursum sic ille in libro de dono perseverantiæ: *Proinde sicut Apostolus ait, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; qui & parvulis quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subvenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo, daturus eis etiam gratiam gratis, hoc est, nullis eorum vel fidei, vel operum meritis præcedentibus, &c. quibus non vult subvenire non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed justè aliud judicavit.* Cap. 11. Æquum est autem ab exemplo parvulorum ad adultos progredi, & perætquè istos nullis suis prævisis meritis incredibili misericordiæ exuberantia eligi ante sæcula ad gloriam existimemus. *Ex ore quippe infantium & lactentium suam Deus perfecit laudem; ut quod in his videmus, quorum liberationem utrisque communia originalia sola præcedunt; hoc & in majoribus fieri nequaquam omnino cunctemur, id est, non putantes vel secundum sua merita gratiam cuiquam dari, vel nisi suis meritis quenquam puniri.* Adversabantur huic argumentationi à parvulis desumptæ Pelagiani, Manichæi, Semipelagiani: sed in cassum, res enim apertissima est, & probatio hinc emergit ineluctabilis. Unde Augustinus tandem ita concludit hæc omnia: *Dando quibusdam quod non merentur, profectò gratuitam & per hoc veram suam gratiam esse voluit. Non omnibus dando, quid omnes mererentur ostendit. Bonus in beneficio certorum, justus in supplicio cæterorum; & bonus in omnibus, quoniam bonum est, cum debitum redditur; & justus in omnibus, quoniam justum est, cum debitum sine cujusquam fraude donatur.* Ibid. c. 12.

IX. Alicubi certè Augustinus inter arcana illa inaccessa, quæ solis in cœlesti Regno pandentur beatis, istud etiam numerat, cur hic potiùs, quam ille parvulus assumatur ad edendum misericordiæ, vel justitiæ specimen. *Tunc non latebit quod nunc latet, cur de duobus parvulis unus assumendus per Dei misericordiam, alius per judicium relinquendus; in quo is qui assumeretur, agnosceret, quid sibi per judicium deberetur, nisi misericordia subveniret: cur ille potius quàm iste fuerit assumptus, cum causa una esset ambobus.* Enchir. 97.

X. Novum argumentum exculpitur ab Augustino ex prædestinatione Christi. Membrorum enim prædestinatio prædestinationi Capitis consentire debet. At nullis prævisis meritis suis prædestinatam esse ad hypostasin Verbi & ad Filiationem naturalem Dei humanitatem assumptam, nemo Catholicus in dubium vocare potuit, soli Nestorianæ vesaniæ asseclæ in controversiam trahere potuerunt. Merum enim priùs hominem illi fuisse Christum, & facto demum annorum meritorumque incremento ad qualemcumque personæ cum Verbo unitatem provectum fuisse delirabant. Duplex erat unius erroris flagitium. Nam nec merus homo ullo temporis puncto fuit Christus, nec si propriam aliquando nactus fuisset personam, personæ Verbi assui & coalescere in unam hypostasin unquam potuisset. In suo ipsius sinu Deus Verbum hanc sibi fabricavit humanitatem, creandoque assumpsit, sive assumendo creavit; ita quæ numquam sejunctim à Verbo extitit, facilè in unam cum eo hypostasim coisse intelligitur. Cum verò res ita se habeat, manifestum est nullo suo merito hanc

unio-

unionis gratiam antevenire potuisse humanitatem assumptam; cum nullo temporis puncto sejuncta ab hypostasi Verbi fuerit.

Porro hoc argumentum ita elucidat Augustinus: *Est autem præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana quæ in illo est comparavit? Respondeatur quæso, ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruerit? Quod ejus bonum qualecumque præcessit? Nonne faciente ac suscipiente Verbo, ille homo ex quo esse cœpit, Filius Dei unicus esse cœpit?* (L. De Præd. Sanct. C. 15.)

Possunt & hic venire in mentem illa quoque audaciæ humanæ deliria, quibus cæteri exagitantur electi: Eccur non par felicitas aliis obtigit, nec meriti minus, nec demeriti amplius habentibus? *Respondeat hic homo, si audeat, Deo, & dicat, Cur non & ego? Et si audierit, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? nec sic cohibeat, sed augeat impudentiam, & dicat, Quomodo audio, Tu quis es o homo; cum sim quod audio, id est, homo, quod est ille de quo ago: cur non sim quod ille? At enim gratia ille talis & tantus est. Cur diversa est gratia, ubi natura communis est? Certè non est acceptio personarum apud Deum. Quis non dico Christianus, sed insanus hec dicat?* (Ibidem.) Ita querelæ & argutiæ omnes, quibus impetitur electorum gratuita prædestinatio, retunduntur uno prædestinationis Christi exemplo. In eam enim si quas haberent, non dissimiles vires haberent.

Ergo quæ Capitis, ejusmodi est & membrorum tanti Capitis prædestinatio; æquè nulla præsensione meritorum, æquè merè gratiæ beneficio fulta; æquè nullis humanis meritis antevertitur, æquè omnia merita donat; æquè novi hominis creatio est, & novæ creaturæ parturitio, cujus ne fingi quidem potest ulla fuisse merita antequam esset. *Appareat itaque nobis in nostro Capite ipse fons gratiæ, unde secundum uniuscujusque mensuram se per cuncta ejus membra diffundat. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. De ipso Spiritu & hic renatus, de quo est ille natus.* (Ibidem.)

XI. Prædestinatum enim fuisse Christum Filium Dei, præterquam quod disertissimè testantur sacræ literæ; ratio ipsa evincit, cum non potuerit Deus non præscisse & præfinisse ante sæcula, quidquid in tempore moliturus erat operis. *Hæc se Deus esse facturum profecto præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio Sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maximè claruit, quam negare quis potest, rectè intelligentium eloquia veritatis? &c. Clamat Doctor Gentium in capite Epistolarum, Qui prædestinatus est Filius Dei, &c. Prædestinata est ista natura humana tanta & tam celsa & summa subvectio, ut quo attolleretur altiùs non haberet.* (Ibidem.) Et mox: *Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut Caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei gratia per Jesum Christum.* Cùm totius prædestinationis & omnium prædestinatorum fundamentum & cardo sit incarnatio Verbi, & hæc mera summaque sit gratia, debent in negotio toto prædestinationis merita conticescere, nisi quæ ab illa manabunt.

Unde rursum Augustinus: *Quisquis in Capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Neque enim retributa est Christo illa generatio: sed tributa; ut alienus ab omni obligatione peccati, de Spiritu & Virgine nasceretur. Sic & nobis, ut ex aqua & Spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum.* (Ibidem.)

CAPUT VII.

Alia rursus argumenta ad gratuitam Dei post lapsum prædestinationem. Querelæ Massiliensium. Præfinitus electorum numerus. Inscrutabile arcanum, cur hic, non ille tingatur, vocetur, perseveret. Oracula Scripturarum huic sententiæ consonant, quæ in fidei tamen decretum recepta non est.

I. Decimum argumentum. Querelæ Massiliensium de gratuita prædestinatione, quam novitatis & inhumanitatis insimulabant; unde & ab Augustino non pauci eorum resilierunt.

II. Quatuor summa capita querelarum adversus prædestinationem & Augustinum.

III. Objectabatur maximè perimi libertatem, fatum obtrudi; inutiles fore exhortationes, correptiones, preces, conatusque nostros: ut ut enim se gerant homines, omnia ex Dei proposito dispensari. Hinc liquet qualis esset Augustini de prædestinatione doctrina, quæ his impeteretur telis.

IV. Undecimum argumentum ex præfinito ante sæcula electorum numero.

V. Quomodo præfiniri potuerit numerus electorum Angelorum, cum commissæ ipsis suæ essent sortes, nempe supplendo numerum cadentium Angelorum ex hominibus reparatis.

VI. Etiam hominum ex statu innocentiæ beandorum præfinitus fuisset numerus.

VII. Si ita res habebat in Angelis & in nostro innocentiæ statu, quomodo ergo ex præfinitione numeri electorum auguramur gratuitam prædestinationem, & propterea victricem gratiam?

VIII. Si homines in innocentia stetissent, verè ex illis impletæ fuissent ruinæ Angelorum.

IX. Par, an copiosior reparetur numerus ex hominibus.

X. Certum id omnino est, certum esse & definitum numerum.

XI. Denique eo exitum sæculi tardari censet, donec impleatur numerus electorum.

XII. Duodecimum argumentum, ex eo quod ad sola inscrutabilia Dei judicia pertinere velit Augustinus, ut hic, non ille salutem consequatur. At si ex generali gratia merita nostra crescerent, & ex meritis existeret prædestinatio, non recurreretur ad inscrutabilia Dei judicia.

XIII. Inscrutabile est, cum reprobentur quandoque, quibus minora peccata, aliqua etiam virtutum lumina inerant. Refelluntur Origenis deliria de præexistentia animarum, & earum tunc meritis.

XIV. Inscrutabile maximè est, & uni Dei proposito adscribendum, cur ex duobus viris piis, hic lapsui præripiatur accelerata morte, non ille.

XV. Evanescit tota hæc admirandi causa, si qua hic, vel illic merita.

XVI. Etsi Scripturis & Patribus innitatur, in fidei tamen dogma recepta non est doctrina de prædestinatione.

XVII. Cur fideles omnes electi sæpè vocentur.

I. Decimum argumentum astruendæ ex Augustino prædestinationis ante ullam humanorum meritorum præsensionem, desumitur ex querelis Massiliensium, qui perlecto maximè Augustini libro de Correptione & Gratia, ab hac ejus de Prædestinatione doctrina vehementer resilierant, & præter antiquorum Patrum consensio-

nem, contra Ecclesiasticas hactenus definitiones hæc innovari reclamabant. Audi Prosperum de his ita rescribentem ad Augustinum: *Multi servorum Christi, qui in Massiliensium urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione Electorum secundum Dei propositum disputasti.*

Quæ verò causæ alienarent pios alioqui doctosque viros ab hac Augustini sententia, istæ erant, quòd illa & lapsis desperationem & Sanctis torporem crearet. Ecquid enim vel illi conentur, si de numero Electorum non sunt; vel hi connitantur, si sunt? Gnaviter an secus se egerint, perinde erit; id utique utrisque obtinget, quod æterna illa sors, quod fatalis necessitas præfinierit. *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum vel rejiciendorum dicitur facta discretio; ut secundùm quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati; & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem teporis afferre, eo quod in utramque partem superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quàm Deus definivit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem, cùm si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem; aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse, quàm factus sit.*

II. His itaque quatuor maximè rationibus in invidiam illi adducebant Augustinianum de gratiæ prædestinatione placitum, quòd aliorum spem & industriam omnem præfocaret, quòd aliis ex temeraria sui fiducia exitialem ingeneraret ignaviam, quòd omnibus sub prædestinationis nomine profanum & gentilitium fatum induceret, quod denique ab ipso sui exortu in bonos & malos, in electos & reprobos omne hominum genus bipartiretur, & quasi duas cum Manichæis naturas humanas confingeret.

Eadem fermè omnia à Massiliensibus aliisque Gallis Augustini decreta concerpi, ad eundem eodem tempore scripsit Hilarius: *Hæc sunt quæ Massiliæ, vel aliis etiam locis in Gallia ventilantur. Novum & inutile esse prædicationi, quòd quidam secundum propositum eligi dicantur, ut id nec arripere valeant, nec tenere, nisi credendi voluntate donata; excludi putant omnem prædicandi vigorem, si nihil quod per eum excitetur, in hominibus remansisse dicatur.*

III. Prædestinationis ergo nomine obumbrari intrudique fatum, & humanam perimi libertatem, frequentissima & amarulentissima erat Semipelagianorum querela. Unde Prosper hanc Gallorum refert querimoniam, *Quòd liberum arbitrium in* Cap. 6.
homine nihil sit; sed sive ad bonum, sive ad malum, prædestinatio Dei in hominibus operatur. Et in Epistola ad Ruffinianum idem Prosper: *Scripta Augustini quibus error Pelagianorum impugnatur infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem.* Hinc reliqua emergebant omnia, de desperatione & ignavia, de inutilitate præceptorum, exhortationum, correptionum, de superfluitate orandi & conandi, de voluntate denique divina ad salutem non omnium, sed paucorum porrecta. Ex his abundè liquet qualis fuerit de Prædestinatione sententia Augustini, quæ utique tot querelarum, tot calumniarum jaculis impetita non esset, si post exploratam voluntatis humanæ consensionem ac propensionem ad bonum, atque post prævisa ejus aliqua merita, tum demum prædestinari homines statuisset.

IV. Undecimum argumentum elicitur ex præfinito apud Deum certo Electorum numero, a quo vel maximè etiam Massilienses abhorrebant. Expungi enim à beato illo consortio reliquos omnes, & ita in desparationis foveam præcipitari. Ea de re ita Prosper in Epistola ad Ruffinianum: *Ab hac autem confessione gratiæ Dei ideo quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint, qualis divino eloquio prædicatur, & qualis opere suæ potestatis agnoscitur; etiam hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum certus apud Deum definitusque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundùm propositum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quam ipsi gratiæ contraire.* Similiter Hilarius in Epistola ad Augustinum: *Inde est quod & illud pariter non accipiunt, quod eligendorum rejiciendorumque esse definitum numerum velint.* Et rursus: *Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correctionis instantia?* Et Prosper ipse ad Augustinum: *Non acquiescunt prædestinatum electorum numerum, nec augeri posse, nec minui: ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant; ac superflua sit industria, ac laboris indictio, cujus studium cessante electione frustrandum sit.*

V. Augustinus certè ipse ratum fixumque habuit jam inde ab exordio, & ante Episcopatum, præfinitum Deo fuisse numerum electorum etiam Angelorum, sic tamen ut bipartito providentiæ consilio numerus ille impleretur, non invictissimæ gratiæ adjutorio. Etenim cùm omnes Angelos condidisset, ut mediocribus ac sufficientibus auxiliis adjuti, nunquam desituram fœlicitatem promererentur; eorum quidem aliqui à veritate defecerunt, nec tamen frustrari potuit divina voluntas, aut potestas, cui id consilii fuerat, ut præfinitum numerum implerent, vel primitus conditi Angeli, si omnes per liberum arbitrium in veritate starent; vel in locum cadentium subrogati totidem alii, sive Angeli recens creati, sive homines ex massa damnata extracti, & illuc transcripti. Ita sanctus Pater in libris de libero Arbitrio: *Non enim vel bonitas ejus quasi aliquo tædio, vel omnipotentiæ difficultate deficeret, ad creandos alios, quos in eis sedibus collocaret, quas peccando alii deseruissent.* Vel hac ergo ratione omnipotentis voluntatis suæ victoriam tueri potuisset, ne infringeretur numerus beandorum Angelorum ab ipso definitus, alios creando in vicem desertorum. Sed maluit ex damnato nostro genere illam ruinam sarcire. Unde in libris de Civitate: *Non defuit utique consilium, quo certum numerum civium in sua sapientia prædestinatum etiam ex damnato genere humano suæ civitatis impleret.*

L. 3. c. 12.

L. 14. c. 26.

VI. Quin & ipsorum hominum, si à paradiso non exulassent per peccatum, immortalesque permansissent; certum tamen numerum præfiniendum vel præfinitum fuisse, quo impleto in cœlestes sedes transferrentur, ubi jam augendæ soboli opera non daretur. Augustinus in libris de Genesi ad litteram: *Donec certo numero impleto, si justè omnes obedienterque viverent, tunc fieret illa commutatio.* Et apertissimè in Retractationibus: *Ac per hoc & in parentibus & in filiis fœcunditas fœlicitasque mansisset, ut usque ad certum Sanctorum numerum, quem prædestinavit Deus, nascerentur homines, non parentibus successuri morientibus, sed cum viventibus regnaturi.*

L. 9. c. 3.

L. 1. c. 13.

VII. Si ergo Angelorum atque hominum in primæva innocentia perseverantium, præfiniverat Deus numerum aliquem certum, qui nec augeri posset nec minui, sed omnino tantus, quantus divinæ omnipo-

nipotentiæ arriserat, in æternas beatitudinis sedes inferretur: quid causæ erat quamobrem tam gravatè ferrent Massilienses hanc numeri Electorum præfinitionem? Conveniebat enim illis cum Augustino, nullum tunc vel electioni gratiæ, vel invictissimis & efficacissimis ejus adjutoriis opus fuisse. Aut quid est causæ, ut nos ipsi hinc novum arripuerimus argumentum pro prædestinatione merita anteveniente, quòd certus fixusque sit Electorum numerus? Solvetur non ægrè hæc difficultas, si refricetur memoria illius de bicipiti Dei providentia axiomatis, quod toties jam & ad nauseam sanè inculcatum à nobis est. Nimirum voluntates creatas ita sibi ipsis permittit omnipotens Dei voluntas, ut quo se cumque illæ conferant, ipsa invicta sit. Itaque implebitur numerus præfinitus beatorum Angelorum, vel ipsorum voluntaria perseverantia, vel hominum in deficientium locum subrogatione. Similiter implebitur de genere hominum certus & determinatus Electorum numerus, vel eorum spontanea permansione, vel omnipotenti lapsorum operatione. Quicumque ergo ancipiti tantùm istiusmodi decreto prædestinantur, nonnisi post meritorum prævisionem prædestinantur, nec juvantur nisi consentaneis huic prædestinationi adminiculis divinæ gratiæ. At verò ubi cadentibus vel Angelis ex parte, vel hominibus ex toto, periclitatur vinci divina voluntas, tunc quia alterutro modo necesse est penes ipsam stare victoriam, non jam frustrabiles, sed certas & inexpugnabiles adhibet machinas ad numerum prędestinatorum implendum. Non injuria ergo, ubi Augustinus egit de implendo numero prædestinatorum post lapsum Adæ, præfinitioni certi hujus numeri conjunctam esse voluit & infallibilem gratiæ electionem, & invictissimam auxiliorum divinorum efficaciam; quia tunc agebatur de voluntate certi Electorum numeri definitrice, quam videbantur jam frustrasse, tum Angeli perduelles, tum primi nostræ gentis parentes, quamque ideo non erat æquum jam committi incerto humanæ libertatis ingenio, & frustrabilibus per innatam ejus indifferentiam auxiliis.

VIII. Quòd verè enim Augustinus senserit, in vacuas malorum Angelorum sedes inducendos fuisse Adami innocentis posteros immortales, si ille stetisset in veritate, liquet ex compluribus aliis ejusdem testimoniis. *Illud potiùs est credendum, quòd Sanctorum numerus, qui complendæ illi sufficit beatissimæ civitati, tantus existeret, etsi nemo peccasset, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum*. Ergo quod truncatum est angelica ruina de civitate illa cœlesti beatorum Spirituum, id reparare primò voluit Deus de gente nostra innoxia; & quia ne id quidem licuit per humanæ mentis ac voluntatis inconstantiam, id ipse jam omnipotentissimè exequitur de ipsis hominum ruinis. *Et utique noverunt sancti Angeli docti à Deo, cujus veritatis æternæ contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civitatis expectet. Propter quod ait Apostolus, Instaurari omnia in Christo, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris. In ipso quippe instaurantur quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur*.

Civit. l. 14. c. 23.

Enchi. c. 61. 29.

IX. An autem tantus duntaxat, non etiam aliquantò copiosior numerus electorum futurus sit, quàm quantus fuisset sanctorum Angelorum, si omnes in veritate constitissent; non facile est diffinire. Tantum fore videntur insinuare supra relati contextus. At ex adverso numerosiorem fore beatam civitatem, idem ipse aliis locis Augustinus ominatur. Ita in Civitate Dei: *De mortali progenie merito justèque damnata, tantum populum per gratiam suam colligit, ut inde suppleat & instauret partem quæ lapsa est Angelorum. Ac sic illa superna & dilecta civitas, non fraudetur suorum numero civium, quin etiam fortassis & uberiore lætetur.* Et in Enchiridio: *Itaque superna illa Jerusalem mater nostra Civitas Dei, nulla civium suorum numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam copia fortasse regnabit*. Sed ut vides auguria hæc tantùm sunt, non decreta. Soli enim omnipotenti sapientiæ notus certusque est ille numerus: *Sed illorum civium numerus, sive qui est, sive qui futurus est, in contemplatione est ejus artificis, qui in mensura, numero, & pondere cuncta disponit*.

Civ. l. 22. c. 1

Ibidem.

Ibidem.

X. Sed ut ut habeat de majore, aut æquali numero electorum, unum id certissimum fuit Augustino, certum definitumque illum Deo semper fuisse, ut nec augeri unquam potuerit, nec minui. Ita enim manifestissimè in libro de Correptione & Gratia, ubi & ex Scripturis valida accersit munimenta: *Hæc de illis loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis. Certum autem esse numerum electorum, neque augendum, neque minuendum, quamvis & Joannes Baptista significet, ubi dicit, Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, & nolite dicere apud vosmetipsos, Patrem habemus Abraham; potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ; ut ostendat sic istos esse amputandos, si non fecerint fructum, ut non desit numerus, qui promissus est Abrahæ: Tamen apertiùs in Apocalypsi dicitur, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim alius non est accepturus, nisi iste perdiderit, certus est numerus*.

Cap. 13.

Nec dubitat sanctus Pater profiteri, indubiè perituros, quicumque ad hunc felicissimum numerum non pertinent. *Qui ergo non pertinent ad istum certissimum & felicissimum numerum, pro meritis justissimè judicantur. Aut enim jacent sub peccato quod, &c.* Mox corripi jubet peccatores, quod eis correptio vel medicina futura sit, si pertinent; vel certè pœna, si non ad istum felicitatis numerum pertinent. *Ut si is qui corripitur, ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum; si autem non pertinet, sit ei correptio pœnale tormentum*.

Ibidem.

XI. Quin imo & ideo tantùm, & tandiu tantùm tardari exitum sæculi Augustinus auguratur, donec impleatur prædestinatus numerus electorum. *Judex noster non tædio, sed amore differt salutem nostram; ratione, non inopia; non quia non potest & modò subvenire, sed ut numerus omnium nostrum usque finem possit impleri*. Et alibi quiritantes nonnullos de virginum & continentium innumerabili turba, quasi discrimen hinc impendeat, ordinisque & generis humani interitus hinc reformidandus sit: ita compescit sanctus Pater, in votis id esse debere, ut quàm primùm omnibus, aut plerisque ad arctiorem continentiam se conferentibus, impleatur prædestinatorum numerus, & sæculi terminus acceleretur. *Quasi propter aliud retardetur hoc sæculum, nisi ut impleatur prædestinatus numerus ille Sanctorum; quo citius impleto, profectò nec terminus sæculi differetur, &c. Multo citius Dei civitas compleretur, & acceleraretur terminus sæculi*.

In Psal. 14.

De bono viduit. c. 23. De bono conju. c. 10.

XII. Duodecimum argumentum inde derivatur, quòd quare ad illum fœlicissimæ civitatis prefinitum numerum hic, non ille pertineat: cur de massa damnata liberetur hic, non ille; cur justificatio & perseverantia huic detur, illi non detur: horum causam non aliam adsignari sinat Augustinus, quàm altitudinem imperscrutabilem judiciorum Dei. *Cur autem illum potiùs quàm illum liberet aut non liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum, veruntamen caveat præcipitium*. Et alibi: *Illud ex ligno quod fixum occultatur, profunditatem significat gratuitæ gratiæ in quo multorum ingenia conteruntur, id vestigare conantia; ut extremum eis dicatur, O homo, quis es, qui respondeas Deo?* Non tam invium esset hoc

Epist. 105.

Epist. 120. c. 26.

hoc arcanum, si effusa in omnes indiscriminatim generalis gratia, alios sponte morigeros experiretur, alios contumaces, & ex prævisa illorum obedientia, horum contumacia, tunc sequeretur prædestinatio illorum ad gloriam, horum ad pœnam. Expedita esset hæc ratio, nec ad inscrutabilium judiciorum caliginem confugiendum esset.

Vide autem quàm rursus sanctus Pater discrepet ab hac sententia: *Quare ergo illi datum est, & illi non est datum? Non me piget dicere, Hoc est profundum Crucis. De profundo nescio quo judiciorum Dei, quæ perscrutari contemplarique non possumus, procedit omne quod possumus. De profunditate inquam nescio qua judiciorum Dei, quæ inscrutabilia contemplari non possumus, perscrutari non valemus, procedit omne quod possumus. Quod possum video, unde possim non video, nisi quia & hoc hactenus video, quod novi esse à Deo. Quare autem illum & non illum; multum est ad me, abyssus est, profundum Crucis est. Admiratione exclamare possum, disputatione demonstrare non possum. Quid possum exclamare de ista profunditate? Quam magnificata sunt opera tua Domine! Gentes illuminantur, Judæi excæcantur; quidam parvuli sacramento baptismatis abluuntur, quidam verò parvuli in morte primi hominis relinquuntur. Quàm magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ, &c. Multi de isto profundo quærentes reddere rationem, in fabulas vanitatis abierunt,* Et aliquantis interjectis: *Ecce primus homo totam massam damnabilem fecit. Veniat secundus homo, &c. mortuos ad vitam transferat, &c. Quare illum & quare illum? quare non illum atque illum? Nolo à me quæras: homo sum; profundum Crucis adverto, non penetro; expavesco, non scrutor; inscrutabilia sunt judicia ejus. Homo sum, homo es, homo erat, qui dicebat: O homo, tu quis es qui respondeas Deo?*

De verbis Apost. serm. 7.

Premit hunc alibi locum Augustinus exemplo eorum qui præclarissimis animi & virtutum dotibus ornati cùm sint, non vocantur ad fidem: cùm alii quidam facinorosissimi & ad eam vocentur, & in ea perseverent. Nefas hic est aliud quàm arcanum gratuitæ prædestinationis admirari: *O altitudo exclamare coguntur. Unde enim fit, ut homo ab ineunte pueritia modestior ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque consurgat; & tamen eo loco sit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit? Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt: aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis & facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur; aut si detentus hic fuerit, laudabiliter vivat? Ubi duo isti tam diversa merita contraxerunt, non dico ut iste credat, ille non credat, quod est propriæ voluntatis; sed ut iste audiat quod credat, ille non audiat; hoc enim non est in hominis potestate. Ubi inquam hæc tam diversa merita contraxerunt?*

De peccat. mer. & rem. l. 1. c. 21.

XIII. Non illud ergo tantùm imperscrutabile est, & soli prædestinationis divinæ altitudini imputandum, quod cum omnes homines demersi semel in damnatam massam æqualis inter se sortis sint, alii tamen præ aliis eliguntur ad æternam salutem: sed illud maximè stupendum, quod ubi inæqualitas jam quædam est, anteponuntur ii, quibus minora merita, aut majora potius flagitia inerant; posthabentur, quibus sin minùs majora merita, certè minora flagitia, imò & quædam lumina & rudimenta virtutum suffragabantur. Non potuit validiùs probari, meræ Dei beneficentiæ esse, quod quibusdam prædestinata sint ea gratiæ adjumenta, quibus salvi fiant; quæ aliis non sunt prædestinata: ut non beneficentia sola, sed & justitia partes suas agat. Qui cum Origene desipiebant, anteactæ vitæ nescio quæ merita fabulabantur, priùs collecta, quàm animæ in hæc corpora demergerentur. Et hos refellit Augustinus, tum exsibilata hac animarum præexistentia ante corpora; tum exemplo Jacob & Esau, qui teste Paulo antequam boni quidquam aut mali egissent, tam diversam nacti sunt sortem, ut alter electorum, reproborum alter personam sustineret. Pelagiani & Semipelagiani merita alterius generis commenti erant, ne nullis hominum meritis, sola gratiæ electione discretio fieret: illa nimirum merita, quæ præviderat Deus hos comparaturos, non illos. Itaque adultis his Evangelium prædicari, non illis: parvulis his baptismum concedi, non illis, quod hos præscierit Deus prædicationi consensuros, non illos; hos vitam ex virtutis norma acturos, si superstites essent, non illos. Fabulosa hæc merita explosit Augustinus, tum illo argumento, quod à Deo non præsciantur futura, quæ futura omnino non sunt; tum quod absurdissimum sit plecti, aut remunerari homines, propter flagitia, vel bona opera, quæ perpetrassent, si vitam diutiùs protraxissent. Ecquid enim emolumenti accessisset illi, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, si luenda illi fuere peccata, quibus immatura morte præreptus est? *Aliqui dixerunt, quia animæ sursum in cœlo peccant, &c. Ierunt post cogitationes suas: loqui volentes de profundo, mersi sunt in profundum. Occurrit enim eis Apostolus, volens gratiam commendare, & elegit illos geminos in utero Rebeccæ, & dixit, Nondum enim natis, nec quia aliquid egerint boni, aut mali,* Quod exemplum centies replicavit Augustinus. Et idem alibi: *Scripsit librum B. Cyprianus de Mortalitate, in quo propterea dicit non solum non esse fidelibus inutilem mortem, verum etiam utilem reperiri, quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitatem constituit. Sed quid prodest, si etiam futura, quæ commissa non sunt, peccata puniuntur, &c. Ubi & illud testimonium ponit, Raptus est, ne &c.*

De Verbis Apost. serm. 7.

De Prædest. Sanct. c. 14.

XIV. Sed cum omnium electorum & reproborum causa inscrutabilis est, tum eorum maximè, qui immatura ætate, vel qui in quadam jam non annorum duntaxat, sed virtutum etiam maturitate, alii aliis præponuntur, aut postponuntur. *Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter astrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur: & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud autem fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait unus prædestinatorum, qui de pectore Domini bibebat hoc secretum, mansissent utique nobiscum.* Et alibi: *Hic si à me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam qua Christianè viverent, dilectionem dedit; me ignorare fateor. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Et, O altitudo, &c.*

De bono persev. c. 8.

De Corrept. & Grat. c. 8.

XV. Scitè Augustinus advertit evanescere hanc totam admirandi & exclamandi causam, si qua hominum merita hinc vel inde existant: *Qua in re si futura opera, vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet intelligi, &c. Nullam quam solvi opus esset, faceret quæstionem.* Ita in Enchiridio. At in opere ultimo contra Julianum: *Nam si inscrutabilis quæstionis hujus illa esset solutio, quam tu sapis, secundum merita voluntatum; manifesta esset, ut nulla ejus difficultate compelleretur Apostolus dicere, O homo, tu quis est, qui respondeas Deo? De nondum natis enim*

Enchirid. c. 98.

L. 1. n. 124.

enim agebatur, quorum non ex operibus, sed secundum propositum suum Deus unum dilexit, alterum odio habuit: unde ad hæc verba perventum est, ut de eadem massa, & diversis vasis, & de potestate figuli loqueretur.

XVI. Tametsi autem & Augustini, & cæterorum deinceps Patrum consensione, validissimisque eorum tum testimoniis tum argumentis, quin imò Scripturæ suffragatione apertissima totum hoc gratuitæ prædestinationis dogma communitum sit; nunquam illud tamen (idque jam antea monui) hactenus in fidei decretum receptum est; nec id unquam vel adversus Pelagianos, vel contra Semipelagianos Augustinus ipse tanquam certam fidei regulam constituere molitus est, sed ut certum & necessarium consectarium, & quasi corollarium ejus gratiæ, quam ipse ut salutis nostræ fundamentum astruebat. Ita confitentur omnes Catholici, etiam qui gratiæ Christi defensionem ultra modum exaggerarunt.

Jansen. I-pren. De grat. Chr. Salv. l. 9. c. 24.

Quod autem dixi Scripturarum etiam divinarum oracula apertissimè huic sententiæ patrocinari, id ex Evangelicis Apostolicisque litteris perspicuè patet. Quid enim his Christi verbis apertius est? *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei, &c. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.* Proclive esset ex paucis his verbis totum illud exculpere argumentorum quæ hactenus pertractata sunt pondus. Quid illa Matthæi & Marci? *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi. Sed propter electos, quos elegit, breviabit dies.* Quid illud Actorum? *Crediderunt, quotquot erant præordinati in vitam æternam.* Quid illud Joannis? *Exierunt ex nobis, quia non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Sed quid illa Pauli, qui non immeritò gratiæ & prædestinationis præco dicitur? *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt Sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, &c. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, &c.* Et alibi: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum secundum propositum voluntatis suæ.*

Joan. 10.

XVII. Et quidem quandoque Paulus fideles omnes videtur complecti Sanctorum, electorum & prædestinatorum nomine. Nimirum quia latet homines, qui verè sint, piè sentiendum est omnes esse, qui fidei & pietatis speciem præ se ferunt, nec simulationem ullo produnt argumento. Unde Augustinus: *Appellamus ergo eos & electos Christi discipulos, & Dei Filios, quia sic appellandi sunt, quos regeneratos piè vivere cernimus; sed tunc verè sunt quod appellantur, si manserint in eo propter quod sic appellantur. Si autem perseverantiam non habent, id est, in eo quod cœperunt esse non manent, non verè appellantur, quod appellantur, & non sunt: apud eum enim hoc non sunt, cui notum est quod futuri sunt, id est, ex bonis mali.* Et paulò antè: *Et tamen quis neget eos electos, cum credunt, & baptizantur, & secundum Deum vivunt? Planè dicuntur electi à nescientibus quid futuri sint.* Quid æquius autem, quàm nomina indi ex præsenti rerum atque hominum statu, non ex futuro? Uni enim Deo comperta futura sunt, nomina autem hominum usui & naturæ sunt accommodata.

De Corrept. & Grat. c. 9.

Ibid. c. 7.

CAPUT VIII.

Cæterorum post Augustinum sanctorum Patrum Latinorum consensio in eandem gratuitæ Prædestinationis sententiam.

I. Prosper Augustini sententiæ addictissimus de gratiosa prædestinatione.

II. Quomodo non pugnet Augustino, aienti quosdam non perseverare in bono, quia de grege eximio prædestinatorum non sunt: Prosper docens, ideo prædestinatos illos non esse, quòd præsciti sint peccatis suis immorituri. Utrumque verè dici potest.

III. Auctoris libri de vocatione Gentium consensio in Augustini doctrinam.

IV. Fulgentii astipulatio in eandem doctrinam.

V. Suffragatio Petri Diaconi.

VI. Fulgentius nulli copiam facit dissentiendi, aut repudiandæ doctrinæ de electione gratiæ: non quod ea in arcem fidei Catholicæ evasisset, sed quod qui tunc temporis ei adversabantur, initia fidei humanis meritis imputarent.

VII. Primasii Episcopi Africani suffragium.

VIII. Gregorius Papa Augustini suffragator.

IX. Exemplo utitur ille Gentilium & Judæorum, æquè immerentium, & malè merentium: cum tamen his abjectis illi in filios adoptati sint.

X. Sic curat Deus singulos, ut universos; sic universos, ut singulos. Utrobique malò de se meritos, hos servat, illos damnat.

XI. Rursum Gregorius de prædestinatione ex gratia.

XII. Item Gregorius VII. in Psalmos Pœnitentiales scribens.

XIII. De numero electorum assentitur etiam Gregorius Augustino. Quantus suppleatur ex hominum electione numerus ad Angelorum implendas ruinas.

XIV. Suffragatio Isidori Hispalensis.

XV. Item Ratramni, & complurium nono sæculo Tractatorum Ecclesiasticorum; maximè Hincmari Rhemensis Episcopi, & Gotthescalco infensissimi, à quo exasperata vehementer fuerat Augustini doctrina.

XVI. Suffragatio Anselmi, maximè de numero præfinito beatorum.

XVII. Bernardi sententia de eodem numero & de electione gratiæ.

XVIII. Item Hugonis Victorini.

I. IN Augustini de prædestinatione gratiæ sententiam turmatim descenderunt reliqui deinceps Patres Latini. Horum dux & velut antesignanus non immeritò Prosper habebitur, cujus nonnulla jam retulimus ex Epistola ad Augustinum scripta. Ita nimirum ibi ille Massiliensium querelas narrat & jurgia adversùs hoc maximè gratiosæ electionis placitum, ut ab illis se alienissimo, in Augustini autem placita propensissimo esse animo significet. Audi rursus Prosperum in responsionibus ad Capitula Gallorum, ita fati invidiam à dogmate prædestinationis propulsantem: *Fati opinio vana est, & de falsitate concepta. Prædestinationis autem fides multa sanctarum authoritate Scripturarum munita est.* Et rursus, ut qui non perseverant, non ideo non perseverent, quòd prædestinati non sint; sed ideo prædestinati non sint, quòd prævisi à Deo sint in justitia non permansuri: *A sanctitate ad immunditiam, à justitia ad iniquitatem, à fide ad impietatem plerosque transire non dubium est; & ad tales prædestinationem filiorum Dei cohæredum Christi non pertinere certissimum est. Quod ergo hujusmodi in hæc prolapsi mala, sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt;* Cap. 1, 3.

sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt. Et multò apertiùs, cùm rursus ista objicerent adversarii quasi Augustini odiosa decreta: *Quod Deus quibusdam filiis suis, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc non det perseverantiam, quia non sunt à massa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti.* Ad quæ ita Prosper respondet: *Ex regeneratis in Christo quosdam apostatare à Deo probatur exemplis. Sed horum lapsum Deo ascribere, immodicæ pravitatis est; quasi ideo ruinæ ipsorum impulsor atque author sit, quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præscivit, & ob hoc à filiis perditionis nulla prædestinatione discrevit.* Et denique in hunc eundem sensum idem Prosper: *In insanum hunc sensum trahuntur, qui putant idem in omnibus esse præscientiam Dei, quod & voluntatem; cùm voluntas ejus nunquam velit nisi bona, præscientia autem & bona noscit & mala; sed bona, quæ aut ipse facit, aut etiam ut nos faciamus imperat; mala autem quæ omnino ipse non fecit, nec fieri suasit aut impulit. Vires itaque obedientiæ non ideo subtraxit, quia eum non prædestinavit; sed quia recessurum ab ipsa obedientia esse prævidit, ideo eum non prædestinavit.*

Ibid. c.7.

Ibid. c.12.

II. Si quid hìc clementius Prosper proferre videtur quàm Augustinus suprà, ne ullam rerum aut sententiarum compugnantiam suspiceris. Verissimè enim dixit & inculcavit Augustinus, ideo vel baptismum quibusdam parvulis, vel perseverantiam quibusdam adultis non dari, quia prædestinati non sunt; verissimè etiam hìc Prosper semel iterumque edixit, non ex eo illos pereundi necessitatem habuisse, quia prædestinati non sunt; sed ideo prędestinatos non esse, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt. Potest enim certissimè dici, negari baptismum quibusdam parvulis, quia prædestinati non sunt; potest non minùs verè, sed magis humanè dici, non ideo exortes baptismi illos præmori, quòd prædestinati non sint, sed quia tanti illos beneficii indignos effecerat originalis culpæ contagio. Nec aliter res habet in grandioribus. Non errat qui dicit ideo perseverantiam in bono aliquibus eorum non dari, quia in numero prędestinatorum non sunt; & mitiùs tamen, nec minùs verè loquitur, qui dicit non ideo illos non perseverare, quia prædestinatis non sunt annumerati; sed quia præsciti à Deo sunt à Deo desciturì, ideo prædestinatos non fuisse. Illustrari potest res ista exemplo appositissimo reorum capitali sententia ob admissum scelus damnatorum. Si quibus horum vitam donet Princeps, & sceleris veniam indulgeat, aliis supplicio addictis, quod ex æquo omnibus debebatur: non aberrabit à vero, qui dixerit hos capite luisse, quòd Princeps veniam illius culpæ non fecerit: & non minùs verè dixerit alius, non ideo hos neci deditos fuisse, quòd gratiæ suæ beneficio illos Princeps fraudaverit; sed ideo gratia Principis frustratos illos esse, quia immani se facinore contaminaverant. Ita sanè præscientia Dei, qua hos videt originali labe & massa damnationis implicatos, in alia & alia flagitia ruituros, dum superstites fuerint, verissima causa est ut hi non prædestinentur, nec perseverantia donentur; etsi dato & justitiæ & perseverantiæ dono potuissent illi ipsi tantis calamitatibus præripi, & Electis accenseri.

III. Quibus affinia sunt ista ex authore librorum de Vocatione Gentium, ad Augustini sensum climatissima: *Quibus declaratur contra electionem de libero arbitrio gloriantem, illam invictissimè reniti sententiam dicentis Apostoli, Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Igitur profunditas illius quæstionis, quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle & nolle non solvitur; quia licet insit homini bonum velle & nolle, tamen nisi donatum non habet donum bonum velle, &c.* Et mox ibidem: *Sed quid illud sit, quod eadem natura in omnibus hominibus ante reconciliationem mala, in omnibus misera, non in omnibus justificatur, & à pereuntibus quadam sui parte discernitur ab eo qui venit quærere & salvare quod perierat, humano sensu prorsus non potest indagari. Quantumlibet enim impiorum malignitas accusetur resistens gratiæ Dei, numquid probabuntur eam quibus est collata meruisse? aut illa virtus gratiæ, quæ sibi quos voluit subdidit, convertere eos qui inconversibiles permansere, non potuit? Tales fuerunt qui sunt attracti, quales hi qui in sua duritia sunt relicti. Sed illis tribuit gratia stupenda quod voluit, istis tribuit veritas justa quod debuit; ut judicium Dei magis inscrutabile sit in electione gratiæ, quàm in retributione justitiæ.*

L. I. c.25.

Pulcherrimè hìc Scriptor observat, inscrutabilius esse Dei judicium in electione gratiæ, quàm in retributione justitiæ. Quòd enim parentalis noxæ reatu involuti in pœnam debitam præcipitentur, non magnoperè id quidem mirandum est, cùm ea sit lex justitiæ & usitatus rerum cursus, ut pœnas luant scelerosi. At inscrutabilius multò est, cùm compluribus statuerit Deus veniam noxæ & pœnæ sempiternæ facere, cur his potiùs quàm illis hoc indulgentię suę munus conferat, cùm omnium una sit causa, una natura; id verò invium & imperscrutabile prorsus est.

IV. Quàm manifestè Fulgentius Augustino suffragetur, liquebit ex his ejus ad Monimum verbis: *Quia Deus nulla necessitate compellitur, ut aliquid nobis promittat; nullius utique adversitatis impeditur obstaculo, quin id quod promisit, aut minùs quàm vult aut tardius faciat. Proinde potuit sicut voluit prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam. Sed quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam; quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam.* Ubi illud Fulgentius perspicuè docet, priùs ad gloriam homines prædestinari, deinde & consequenter ad justitiam, qua itur in gloriam. At verò non similiter priùs homines prædestinari ad pœnam, & postea ac quasi ex consequenti ad culpam. Contrà enim priùs præsciri homines in massa damnata, in originali delicto, in peccatorum omnis generis colluvie volutandos, & ita ad supplicia his consentanea prædestinari. Et hoc est quod suprà aiebat Prosper, non quibusdam negari donum speciale vel justificationis per baptismum, vel perseverantiæ, quòd prædestinati non sint; sed ideo nec ad gloriam, nec ad justitiam, vel ad justitiæ perseverantiam non prædestinari, quia prævisi sunt in altissima illa voragine scelerum. Unde idem Fulgentius infrà: *Nec discessurum Deus prædestinavit, quamvis discessurum cognitio divina præsciverit.* Et infrà rursus: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus. Ecce ad quod Dominus iniquos & impios prædestinavit, id est ad supplicium justum, non ad aliquod opus injustum; ad pœnam, non ad culpam.* Et in libris de Veritate prædestinationis & gratiæ: *Si cessante gratia per solam operum præscientiam humanorum, in parvulis illis unius eligendi & alterius reprobandi fuisset facta discretio, nunquam dixisset Apostolus, Quia non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori. Ex operibus enim sine dubio Apostolus dixisset, si futurorum ibi saltem humanorum operum bona merita cognovisset. Sed quoniam in utroque sola damnationis inesse merita scivit, electionis causam soli proposito divinæ bonitatis attribuit. Quocirca ex duobus istis fratribus, quos ex uno concubitu Isaac patris nostri unus in semine conceptus accepit, unus in lucem partus effudit, sola quem voluit à massa damnationis misericordia divina discrevit; cui patrocinata est gratuitorum prædestinatio munerum, non futurorum præs-*

L. I. c.13.

Ibid. c.25.26

præscientia meritorum. Sic enim secundùm electionem propositum mansit, ut ex proposito gratuita foret electio. Sic autem fuit in electo gratis misericors Deus, ut in rejecto non esset injustus. Unum enim gratis assumpsit, alterum justè deseruit. Universæ quippe viæ Domini misericordia & veritas. Bonitas ergo gratis miserantis Dei, & severitas justè judicantis fecit ut nec ambo acciperent gratuitum misericordiæ donum, neque unum simul sortirentur interitum, cùm originaliter causa una fuerit amborum. Plura ut existimo nemo desiderabit, usque adeo dilucida sunt hæc & expressa.

V. Nec ab his vel transversum quod ajunt unguem discessit Petrus Diaconus in libro de Incarnatione & Gratia ad Fulgentium aliosque Africæ (Cap. 7.) Episcopos scripto. *Sed dicunt, Si nolentes Deus facit ut velint credere, nullus autem est qui naturaliter ut dicitis potest credere in Filio Dei, aut aliquid boni velle quod pertinet ad vitam æternam; cur ergo non facit omnes velle, cùm non sit personarum acceptio apud Deum? præsertim cum de ipso scriptum sit, Qui vult omnes homines salvos fieri.* Hæc erat objectio adversariorum; vide autem ut totam hanc machinam perfringat Petrus: *Hæc si ita sunt, ut Haretici jactitant, comprehensa sunt ab ipsis inscrutabilia & incomprehensibilia Dei judicia. Si enim, ut ipsi volunt, volentes damnat, salvat autem nolentes, nihil est omnino quod quæratur ulterius. Et quantum ad ipsos, fallit Scriptura divina, quæ incomprehensibilia Dei testatur judicia. Nos autem incomprehensibilia credentes & demonstrantes Dei judicia, ex una massa perditionis alios salvari dicimus bonitate & gratia Dei, alios justo & occulto judicio derelinqui. Alioqui dicant si possunt, hi qui hoc divinæ justitiæ & bonitati contrarium æstimant, cur is qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, tam multas virtutes fecit in Corozain & Betsaida, & nullam harum in Tyro & Sidone facere voluit, ubi si factæ fuissent, sicut ipse testatur, forsitan in cinere & cilicio pœnitentiam egissent? Aut cur in Asia & Bithynia Apostolum vetuit verbum salutis annuntiare? Quòd si ista nequeunt comprehendi, redeant ad se, & invenientes se homines, desinant quærere cur alios salvet gratuito dono, alios derelinquat justo & occulto judicio, qui potestatem habet ex eadem massa aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam; & clament unà nobiscum, imò juxta Apostolum, O altitudo, &c.*

VI. Vides quàm non discrepent hæc à Fulgentio, ex quo iterum libet hæc pauca adscribere, ex (Cap. 1.) libro tertio de Veritate prædestinationis & gratiæ. Sic enim ille rursus & ad gloriam priùs, & deinde ad gratiam homines prædestinari tradit, cujus adminiculis ad gloriam promoveantur. Porro hanc doctrinam constanter tuetur usque adeo Scripturis divinis, & Ecclesiasticæ Scripturarum intelligentiæ confertam complicatamque, ut nulli copiam faciat Christiano de ea ambigendi. Non quo hæc ad fidei substantiam pertinere sanciat, sed quòd qui tunc his adversabantur decretis de gratiosa prædestinatione Dei, & de inexpugnabilibus quæ inde manarent gratiæ præsidiis, ii cum Pelagio vel cum Semipelagianis sentirent, & initia saltem fidei aut etiam voluntatis bonę accepta referrent viribus liberi arbitrii, ut iis quisque sese ab aliis discerneret, & quasi prima jaceret ipse fundamenta tum salutis, tum prædestinationis suæ. Istud suprà innuebat Petrus Diaconus, his adversariorum vocibus in Catholicos prolatis, *Si nullus est, ut dicitis, qui naturaliter potest credere in Filio Dei.* Audiamus nunc Fulgentium: *Jam nunc de illis quos Deus prædestinavit in adoptionem filiorum, ordo suscepti operis cogit disputare; quos secundùm veræ fidei regulam, sanctarum Scripturarum authoritate firmatam, non solum ad præmium glorificationis, sed etiam ad gratiam justificationis; nec solùm ad æternam beatitudinem, quæ non mutatur, verùm etiam ad fidem, quæ per charitatem operatur: neque ad æterna tantum præmia, verùm etiam ad bona merita gratuita bonitate Dei ante mundi constitutionem in Christo prædestinatos, & hujus prædestinationis beneficio secundùm propositum vocatos & justificatos, nullus debet ambigere Christianus.* Ubi affectatè Fulgentius illud premit, non ad gloriam tantùm nos prędestinari à Deo ante sæcula, sed etiam ad bona merita, ad fidem, ad justitiam, ad illa denique omnia cœlestis gratiæ adjutoria, quibus freti gratiam consequimur; ut ita diruatur ruinosum illud fundamentum meriti qualiscumque humani, quod superstites aliqui Pelagianæ insaniæ sectatores, nostrę substernebant saluti.

VII. Primasius Episcopus Africanus inclitus & ipse inter Augustini discipulos totus est in commendanda gratiæ prædestinatione. Et primùm in (In Epist. ad Rom. c. 5.) hæc Apostoli verba, *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, &c.* ita commentatur: *Qui ergo ex hac condemnatione liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debito bonitas, in exigendo æquitas intelligitur; nusquam enim esse apud Deum iniquitas invenitur.* Demonstrat idem inferiùs, ut non possit Deus acceptor personarum dici, tametsi hunc vocet, illum non vocet, nulla eorum majoris vel meriti vel demeriti contemplatione. Pro- (In cap 9.) pterea quòd tunc locus est personarum acceptioni, quando exolvitur debitum, non quando mera gratia effunditur. *Miserebor cujus misereor, & misericordiam præstabo, cui miserebor. Sed dicit aliquis, Quare illum sic, & alium non sic? Cur non omnes æqualiter? Num personarum acceptor est Deus Acceptio personarum ibi rectè dicitur, ubi ille qui judicat, relinquens causæ meritum, de qua judicat, alteri contra alterum suffragatur. Si autem quispiam duos habeat debitores, & alteri velit debitum dimittere, & alterum exigere; cui vult donat, sed neminem fraudat; nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est.* Prolato autem exemplo Evangelici patrisfamilias, qui operariis aliis solvit quod erat debitum, aliis donavit ultra debitum; deinde sic Primasius differit: *Sicut ergo nulla hic est acceptio personarum, quia sic alius gratis honoratur, ut alius debito non fraudetur; sic cum secundùm propositum Dei alius vocatur, alius non vocatur; vocato datur gratuitum bonum, cujus boni est vocatio ipsa principium: non vocato redditur debitum malum, quia omnes rei sunt per unum, per quem peccatum intravit in mundum.* (Cap. 7.) Hæc ille ex Augustini libro secundo ad Bonifacium.

Nec multò pòst ibidem, eccur alii obdurentur pro meritis, alii molliantur pręter merita; ab aliis exigatur, aliis dimittatur, quod perinde exigi ab iis poterat, utpote eadem perditæ massæ damnatione implicatis: *Ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam. Excitavi, id est, prodidi, non feci; quomodo si aliquis duo vasa plena, unum cum balsamo, alterum cum stercore ventilet; odorem sive fœtorem prodit, non generat. Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Miseretur magna bonitate, & obdurat nulla iniquitate, &c.* Et paulò pòst: *Tam potens est bonitas, ut bene utatur etiam malis, & in eis notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; quoniam quod ab ira vasis exigit justitia punientis, hoc vasis misericordiæ dimisit gratia liberantis; nec beneficium quod nonnullis gratis tribuitur appareret, nisi Deus aliis ex eadem massa pariter reis justo judicio condemnatis, quid utrisque justissimè deberetur ostenderet.*

Denique idem alibi in hæc Pauli verba ad Corinthios, (In Epist. 1. ad Cor. c. 4.) *Quis te discernit:* ita luculentè aperit, ut tota sit à Dei gratia & prædestinatione discretio aliorum ab aliis, sive quoad gloriam, sive quoad merita, quæ gloriæ comparandæ idonea sunt. *Quis te discernit à massa perditionis, nisi Deus? Nam*

non

non merita tua, nec scientia tua. Dicitur homini tanquam de seipso præsumenti, Quis enim te discernit? utique ab iræ vasis, à massa perditionis, quæ per unum omnes misit in damnationem. Quis enim te discernit? Et tanquam respondisset, Discernit me fides mea, propositum meum, meritum meum: Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? hoc est, quasi de tuo sit unde discerneris. Ergo ille discernit, qui unde discernaris, impertit; pœnam debitam removendo, indebitam gratiam largiendo. Quid habes ex te, nisi forte peccatum?

VIII. Venio ad Gregorium Magnum, quo non alius in hoc pulvere exercitatior, in gratia inquam & prædestinatione gratiæ adversus obtrectatores tuenda: *Per pastorum silentium non pereunt, nisi qui ad vitam æternam prædestinati non sunt. Hinc est quod prædicantibus primis Doctoribus dicitur, Credebant quotquot erant prædestinati in vitam æternam. Hinc Paulus, Quos præscivit, & prædestinavit; & quos prædestinavit, vocavit. Hinc est quod volentes Apostoli transire in Asiam prohibiti sunt. Qui ergo non prædestinati sunt, sive audiant Doctorum verba, sive non audiant, vocari in Dei habitaculum nequeunt; quia per nequitiam, in qua sunt ante mundi constitutionem præcogniti, locum in se malignis spiritibus paraverunt.* In l. 1. Reg. l. 5. c. 4.

IX. Indubitatiùs eruetur Gregorii sententia ex libris Moralium: Et primùm quidem ille conspicabili maximè argumento gratiosæ prædestinationis doctrinam astruit, exemplo videlicet Judæorum & Gentilium. Flagitiis enim & facinoribus suis Judæi reprobari utique meruerunt; nihilo puriores illis Gentiles, adeoque vel maximè immerentes electione gratiæ in sortem filiorum Dei allecti sunt; editumque hic est perillustre exemplum, quo obturatur os, comprimunturque querelæ mussantium & obstrepentium, eccur hic, non ille singularis homo ad gloriam & ad merita gloriæ præsultoria prædestinatus sit. Si enim gens universa reprobatur merens, & prædestinatur immerens, quid de singulis hominibus judicandum est? Et quid universa gens, quàm innumerabilis singularium hominum multitudo? Poterat idem argumentum exculpi ex damnatione Angelorum apostatarum, hominumque primævæ innocentiæ desertorum. Cùm omnes enim hinc & hinc justissima damnatione innodati essent, malis Angelis nihil indulgentiæ, lapsis hominibus misericordissimæ reparationis adminicula contulit Deus: quia non volentis, non currentis, sed miserentis est Dei. Audi Gregorium Magnum: *Nemo discutiat, cur stante Judaico populo, dudum in infidelitate Gentilitas jacuit; & cur ad fidem Gentilitate surgente, Judaicum populum infidelitatis culpa prostravit. Nemo discutiat, cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito. Consilium summæ & occultæ virtutis satisfactio sit apertæ rationis, &c. Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc sapientibus, &c. quia sic fuit placitum ante te, &c. Acsi apertè admoneamur intendere, quia hoc judicium, quod super unam gentem describitur, etiam super omnes homines invisibili examinatione celebratur; ut alius eligatur, alius repellatur, occultè, sed nullus injustè. Hoc ergo quod in maximis fieri cernimus, etiam in nobis singulis cautè timeamus. Sic enim intenduntur divina judicia super unam animam, sicut super unam urbem; sic super unam gentem, sicut super universam generis humani multitudinem; quia & sic intendit Dominus singulis, ac si vacet à cunctis; & sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis.* Moral. l. 25. c. 13.

X. Augustini illud est, quod hìc imitatus est Gregorius, à Deo sic curari singulos, quasi universos; sic universos, quasi singulos. Omne genus humanum unus homo illi est; singularis quisque homo totius instar generis illi est. Ita, sic singulos præ aliis alios eligit, etsi una eorum causa sit, & par culpa; sicut unam gentem sibi asciscit præ alia, cum causæ essent utriusque peræquè repudiandæ. Unde rursus idem Gregorius: *Ut unum è multis loquar, duo ad hanc lucem parvuli veniunt, sed uni datur, ut ad redemptionem per baptisma redeat; alter ante subtrahitur, quàm hunc regenerans unda perfundat. Et sæpè fidelium filius sine fide rapitur, sæpè infidelium concesso fidei sacramento renovatur. Sed fortasse aliquis dicat, quod hunc Deus acturum pravè etiam post baptisma noverat, & idcirco eum ad baptismatis gratiam non perducat. Quod si ita est, peccata quorumdam proculdubio priusquam sint perpetrata puniuntur. Et quis ista sentiens rectè dixerit, quia omnipotens Deus, qui alios à perpetratis facinoribus liberat, hæc in aliis etiam non perpetrata condemnat? Occulta itaque sunt ejus judicia; & quanta obscuritate nequeunt conspici, tanta debent humilitate venerari.* In solam gratuitæ prædestinationis altitudinem imperscrutabilem refundi jubet causam, cur parvulorum alter consors, alter exors regenerationis & gratiæ hinc abripiatur. Nec allegari peccata, quæ finguntur perpetraturi fuisse eorum aliqui, si diutiùs vitam traxissent. Nec enim Deus vel plectit, vel remunerat opera, quæ nunquam facta sunt. Et infrà: *Judæos quos naturaliter Deus bonos condidit, justo judicio per eorum malitiam à se exire permisit. Dominus enim author est naturæ, non culpæ, &c. Nemo perscrutari appetat, cur cum alius repellitur, alius eligatur; vel cur cum alius eligitur, alius repellatur; quia attestante Paulo inscrutabilia sunt judicia ejus.* L. 27. c. 2. L. 14. c. 15. 18.

XI. Sed multò manifestiùs alibi idem Gregorius hæc Theologica pandit arcana: *Non eum (diabolum) quasi crudelis suscito, quia de ejus fortitudine & electos meos potenter eripio; & rursus reprobos non injustè, sed rationabiliter damno; id est, & eos quos benignè eligo, eripere mirabiliter possum; & eos quos respuo, non injustè derelinquo. Nemo quippe ut divina illum gratia subsequatur, prius aliquid contulit Deo, &c. Non quia sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Nemo ergo Deum meritis prævenit, ut tenere eum quasi debitorem possit; sed miro modo æquus omnibus conditor, & quosdam præeligit, & quosdam in suis pravis moribus justè derelinquit. Si ergo & electi prævenientem se gratiam sequuntur, & reprobi juxta quod merentur accipiunt: & de misericordia inveniunt electi quod laudent, & de justitia non habent reprobi quod accusent. Bene itaque dicitur, Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? acsi apertè diceretur, Ad parcendum reprobis nulla ratione compellor, quia eis debitor ex sua actione non teneor. Idcirco enim nequaquam cœlestis Patriæ æterna præmia percipiunt, quia ea nunc dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt.* Quibus non video, quid desertius, quid explicatius dici potuerit. L. 33. c. 20.

XII. Denique idem Gregorius, nisi censendus sit potius Gregorius Papa VII. author commentarii in Psalmos Pœnitentiales; *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi. Deus meus, misericordia ejus præveniet me. Nisi enim vasa iræ fecisset vasa misericordiæ, neminem ab illa perditionis massa conversatio sancta discerneret, neminem à pœna perpetuæ mortis justitia propria liberaret.* In Psal. 7. Pœnitent.

XIII. Nec in electorum numeri præfinitione declinavit vel tantillum ab Augustini semita Gregorius: *Qui sunt prærupti silices, nisi illi fortissimi Angelorum chori, qui quamvis non integri, sed tamen in proprio statu fixi, cadente cum suis Angelis diabolo remanserunt? Prærupti enim sunt, quia pars eorum cecidit, pars remansit; qui integri* Moral. l. 31. c. 19.

quidem

quidem stant, per qualitatem meriti, sed per numeri quantitatem prærupti. Hanc præruptionem restituere Mediator venit, ut redempto humano genere, illa Angelica damna sarciret, & mensuram cœlestis patriæ locupletiùs fortasse cumularet. Alibi autem idem Gregorius paulò diversis indulget conjecturis; nempe centum oves fuisse Angelos simul hominesque, videndo & fruendo Deo creatos, Ovem unam periisse, cum humanum genus à justitia descivit. Seu mavis drachmas decem interpretandas esse novem Angelorum turmas, addita hominum gente, quasi decima; quæ postrema drachma peccato deperdita, cum fœnore reddita sibi cœlestique patriæ est. *Quia nimirum tantus hominum reparabitur in gratiæ gloriæque cumulum numerus, quantus sospes remansit Angelorum. Quia enim superna illa civitas ex Angelis & hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos Angelos remansisse, sicut scriptum est, Statuit terminos Gentium secundum numerum Angelorum Dei; debemus & nos aliquid ex illis distinctionibus supernorum civium ad usum nostræ conversationis trahere, nosque ipsos ad incrementa virtutum bonis studiis inflammare. Quia enim illuc tanta ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit Angelorum: superest ut ipsi quoque homines, qui ad cœlestem patriam redeunt, ex ejus agminibus aliquid illuc revertentes imitentur.* Sunt in hac re opiniones, sed sive quantus Angelorum numerus cecidit, sive quantus remansit, tantus illi cœlesti patriæ sufficiendus sit hominum electorum & beatorum numerus, sive aliquantò etiam copiosior, ut augurabatur supra Augustinus; certè illud ratum ipsi & Gregorio firmumque visum est, certissimum ac præfinitum esse Deo numerum electorum.

Hom. 34. in Evang.

XIV. Legit suo more in hac quoque quæstione vestigia Gregorii Isidorus Episcopus Hispalensis, Itaque sic ille disertè de dono perseverantiæ his dato, illis non dato: *Plerisque Dei dona dantur, perseverantia verò doni non datur. Et inde est quod quidam principia habent conversionis bonæ, fine verò malo clauduntur. Electi verò accipiunt & conversionis donum, & perseverantiam doni. Ea ergo causa est, quod quidam & bene incipiunt & bene finiunt.* Et rursus ille de gemina prædestinatione ad bonum & ad malum: *Gemina est prædestinatio, sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem. Utraque divino agitur judicio, ut semper electos superna & interiora sequi faciat; semperque reprobos, ut infimis & exterioribus delectentur, deserendo permittat.* Et mox: *Quamvis justorum conversatio in hac vita probabilis sit, incertum tamen hominibus est, ad quem sint finem prædestinati, sed omnia futuro reservantur examini. Mira dispositio est supernæ distributionis, per quam hic justus amplius justificatur, impius amplius sordidatur; malus ad bonum aliquando convertitur, bonus ad malum aliquando reflectitur. Vult quis esse bonus, & non valet; vult alter esse malus, & non permittitur interire. Tandiu ille stat, quousque cadat: ille diu vivendo, in fine salvatur, &c. Et in hac tanta obscuritate non valet homo divinam perscrutari dispositionem, & occultum prædestinationis perpendere ordinem.*

Sentent. L. 2. c. 5. 6.

XV. Protulit hæc verba Isidori Ratramnus Monachus in libro de Prædestinatione, sicut & alia Augustini & Gregorii complura. Nec ille tantùm, sed & omnes illius ævi Scriptores Ecclesiastici, & numero, & nomine, ac doctrina conspicui, ad Augustini gustum de prædestinatione ad gloriam & ad præsultoria gloriæ merita, & senserunt & scripserunt: Quod quidem tantò pluris faciendum est, quod tunc pro regnorum diversitate in duas quasi partes secessionem cùm fecissent Gallicani Episcopi; & alii pro Gottescalco mitiùs, alii adversùs eundem crudiùs rem totam tractarent; de gratuita tamen Dei prædestinatione, tum ad gloriam, tum ad merita, una illorum omnium fuit consensio, una sententia. Augustini placita Gottescalcus vel interpolaverat, vel saltem pari audacia & verborum atrocitate exasperaverat; hinc Episcoporum & Synodorum suspiciones, & inter se subalienati animi offensiones; nec tamen qui vel maximè infesti tunc fuere Gottescalco, à doctrina gratuitæ prædestinationis vel tantisper deflexere. Reliquis allegandis supersedebo, unum proferam Hincmarum Archiepiscopum Remensem, qui unus omnium infestissimus fuit Gottescalco, & qui tamen prædestinationi gratiæ suffragatus apertissimè semper est. *Si enim quod cæcus iste in meridie palpans non videt, liberum non esset arbitrium, unde totus in massa perditionis Adami perditus, cum suis etiam additis justè judicaretur mundus? Et rursum nisi Dei gratia esset, quomodo ex eadem massa perditionis electus, id est, gratia lectus salvaretur mundus? Misericordia, inquit Psalmus, & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt? Misericordia quidem est, qua salvantur electi: veritas autem est, qua in massa perditionis deseruntur relicti. Justitia quidem est, quia non adsumuntur reprobi; pax verò his est, quia de una eademque massa perditionis gratia fiunt probi.* Quorum simillima congeri hic possent innumera noni hujus ævi Scriptorum testimonia, eorum maximè qui in hac causa versati sunt.

Tom. 1. pag. 294.

XVI. Anselmus usque adeo totus est in hac eadem sententia stabilienda, ut supervacaneum fuerit ejus suffragium, quasi in re dubia, promere. Unum ex eo decerpam, quod ad numerum spectat certum & definitum, sive ex Angelis, sive ex hominibus electorum. Sic enim ille statuit, si Angeli eo numero creati sunt, qui idem erat numerus electorum; tunc homines conditos non fuisse, nisi in supplementum ruinæ Angelicæ. At si non tot Angeli creati sunt, quot erant in Dei prædestinatione electi; tunc supplendum ex hominibus esse, non tantùm quod periit casu malorum Angelorum, sed illud etiam quod deerat, antequam illi caderent. *Si Angeli antequam quidam illorum caderent, erant in illo perfecto numero, non sunt homines facti, nisi pro restauratione Angelorum perditorum, & palam est, quia non erunt plures illis. Si autem ille numerus non erat in illis omnibus Angelis, complendum est de hominibus, & quod periit, & quod prius deerat, & erunt electi homines plures reprobis Angelis.* Et mox tamen concludit Anselmus, ne natura humana, quæ omnium corporearum perfectissima est, existimetur casu tantùm & ex occasione condita fuisse, dicendum esse in conditis primùm Angelis non exæquatum esse vel exhaustum prædestinatorum numerum, nec ad supplendam tantùm Angelicæ desertionis labem in rerum naturam protrusos esse homines. Hæc ex Anselmo carpsi eo consilio, ut eniteat quàm certum illi fuerit, ex sola Dei prædestinantis voluntate numerum electorum constitutum ac determinatum fuisse.

L. 1. Cur Deus homo c. 18.

XVII. Ad Bernardum accedamus, qui ita existimavit & ipse creatum esse hominem ad implendas vacuas sedes Angelorum, quarum adeo certus sit numerus & necessariò implendus. *Propter hoc enim & ipse creavit homines ab initio, qui supplerent locum illum, & ruinas Jerusalem restaurarent.* Collapso homine, per quem labes illa Angelorum sarcienda fuerat, non aliam Deus condidit creaturam, sed hanc ipsam reparavit, ut & ipsius & Angelorum ruinæ ipsa instaurata restaurarentur. *At vero hominis vice nullam postea condidit creaturam, innuens hoc ipso redimendum adhuc hominem.* Sed nullius jam creaturæ mutabilitati committitur ut priùs hæc reparatio, ne rursum frustretur; committitur autem immutabilitati prædestinationis gratiæ, & invictæ virtuti auxiliorum ab ea manantium. Unde Bernardus in Sermone

Serm. 1. de Adventu.

de

de triplici cohærentia vinculorum, clavorum & glutinorum, ita habet: *Scimus quia qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio cœlestis servat eum. Generatio cœlestis est æterna prædestinatio, qua Deus prævidit eos conformes fieri imaginis Filii sui. Ex his nullus peccat, id est, in peccato perseverat; quia novit Dominus qui sunt ejus, & propositum Dei manet immobile. Et si horrendorum criminum nota David inuritur, & si Maria Magdalene septem dæmoniis cumulatur, etsi Princeps Apostolorum in profundum negationis submergitur, non est tamen qui de manu Dei possit eruere. Quos enim prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit*. Et alibi: *Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum. Ab æterno propter prædestinationem, in æternum propter beatificationem. Altera carens principio, altera nesciens finem. Siquidem quos ab æterno prædestinat, in æternum beatificat; intercedente sane media vocatione, unà cum justificatione dumtaxat in adultis. Sic ad ortum Solis justitiæ sacramentum absconditum à sæculis de prædestinatis & beatificandis emergere quodammodo incipit ex abysso æternitatis, dum quisque vocatus per timorem, justificatus per amorem, præsumit se quoque esse de numero Beatorum, &c.* Et infrà ibidem: *Præsens itaque justificatio, & divini est consilii revelatio, & quædam ad futuram gloriam præparatio. Aut certè prædestinatio ipsa potiùs præparatio est, &c.* Quæ vides quantum redoleant Augustini doctrinam & scholam.

Epist. 107.

Tract. 1. c. 12.

XVIII. Hugo Victorinus religiosissimè & ipse non sententiam tantùm, sed & verba ipsa amplexus est Augustini, ut minùs necesse sit diutiùs hìc moras trahere in promendis ejus testimoniis.

CAPUT IX.

De reprobatione Angelorum atque hominum; eam nec negativam esse potuisse ante præscita peccata; post ea præscita etiam positivam esse potuisse.

I. Angeli, hominesque ante præscita peccata, nec positivè, nec negativè reprobari potuere; post ea prævisa, tam positivè, quam negativè reprobati sunt.

II. Probatur ex antedictis, ex eo quod beatitudine in ipsa quodammodo creati sint.

III. Item ex eo quod erga Angelos ex æquo munificentiam suam Deus explicaverit, illos creans, eodem omnes donans adjutorio.

IV. Item ex eo quod tunc illud esset Dei consilium, ut vires creatæ libertatis experiretur, utque Angeli hominesque sese ipsi discernerent.

V. Item ex bicipitis providentiæ decreto, quæ ita regnat, voluntates sibi ipsas permittens, & earum vel obedientiam præmio, vel inobedientiam supplicio indeclinabili afficiens.

VI. Item ex discrimine prædestinationis & præscientiæ: mala enim culpæ præscîit tantummodo Deus; mala pœnæ etiam positivè prædestinavit. Item ex discrimine duplicis prædestinationis.

VII. Item ex illo Augustini axiomate, alia à Deo fieri, alia permitti. Mala culpæ permittit, pœnæ facit. Tam permisit ut caderent qui non ceciderunt, quàm qui ceciderunt.

VIII. Item ex eo quod æqualiter Deus omnes naturas crearit, voluntates juverit, & pro meritis, aut gloria affecerit, aut pœna.

IX. Item ex eo quod abhorreat immane quantum à superiori Patrum doctrina, ut dicatur Deus Angelos hactenus innoxios necessariis fraudasse auxiliis.

X. Quæ de Angelis dicta sunt, vim parem in hominibus habent, ut non potuerint vel positivè, vel negativè reprobari, nisi post prævisa peccata.

XI. Omnes in massa damnata cum implicati essent homines, non negativè tantum, sed & positivè reprobari poterant.

XII. Paulo prolixiùs de massa damnationis ex Paulo & Augustino.

I. FAcillimè elucidari jam possunt pervulgatæ omnes de reprobatione Angelorum atque hominum opiniones, ex iis quæ supra disputata sunt de eorum prædestinatione. Neminem enim Angelorum aut hominum ante prævisionem peccati reprobatum esse à Deo, sive positiva, sive negativa reprobatione; post prævisionem autem peccati, reprobatos esse malos omnes Angelos, & ex hominibus, quicumque à Deo electione gratiæ prædestinati non sunt, reprobatos inquam illos fuisse, non negativè tantùm, sed positivè, ut qui ad pœnam non ad culpam prędestinarentur, ex antedictis certissimum & manifestissimum fit.

II. Liquebat enim superiùs hoc ipso libro Angelos omnes omnino conditos à Deo, non tantùm ut beati fierent, sed ita ut jam essent. Condidit enim eos Deus perfectos, beatos, rerum in Verbo & Verbi ipsius contemplatores, quorum beatitudini summum dumtaxat illud culmen deesset, ut in ea in qua conditi fuerant felicitate permanerent, & de sua hac inconcussa stabilitate per charitatis superinfusam exuberantiam quandam certissimi fierent. Qui in eo beatitudinis loco omnes creando collocaverat, neminem utique eorum vel negativè, vel positivè reprobaverat. Cap. 2.

III. Liquebat nullam ex parte Dei inęqualitatem Augustino tandem approbatam esse erga Angelos in prima eorum creatione. Ex ęquo omnes in beatitudine, in summa perseverandi facilitate, in supernę patrię meditullio creavit; ex ęquo omnes sibi ipsis permisit, æqualia omnibus & præmia perseverantibus, & supplicia deficientibus indixit. Nullum ergo eorum vel negativè ante peccatum reprobavit.

Liquebat omnes prorsus Angelos eodem adjutorio donatos, ut perseverarent, si vellent; non quo fieret invictissimè ut vellent; sine quo tamen perseverare non possent. Uno hoc adjutorio freti steterunt in veritate Angeli, quia stare voluerunt; hoc eodem adjutorio fulti, cæteri ceciderunt, quia & ipsi ita voluerunt. Tantumdem Deus his contulit auxilii, atque illis. Ergo ante lapsum omnia ex parte Dei consilia & adjutoria erga Angelos, paria & æqualissima fuere; æqualiterque omnes ad gloriam prædestinati sunt, si vellent; omnes æqualiter ad pœnam prædestinati sunt, si nollent in accepta justitia permanere.

IV. Liquebat hoc Dei tunc fuisse consilium, ut vires creatæ libertatis primùm experiretur. Atqui ut periculum fieret virium liberi arbitrii, id necesse erat, ut omnium æqualis esset facilitas perseverandi, omnibus æqualia gratiæ auxilia effunderentur, nullum electio gratiæ cæteris anteponeret, aut validiùs juvaret; denique nec gloria nisi sponte & per liberum arbitrium perseverantibus prędestinaretur, nec pœna nisi sponte cadentibus præpararetur.

Liquebat ex Augustino totum discrimen electorum à reprobis tunc desumendum fuisse à libero arbitrio, non à voluntate divina. Itaque illud sæpissimè inculcavit Augustinus, alios stetisse per liberum arbitrium; à Deo æquale omnibus impertitum fuisse adjutorium, sine quo perseverare non possent, quocum perseverarent si vellent, non quo fieret ut vellent.

V. Liquebat id ipsum ex bipertita tunc providentia, qua victrix Dei voluntas tunc regnabat; non abruptè ipsa hos ad gloriam, & merita gloriæ paran-

parandæ idonea prædestinans, hos ad supplicia reservans; sed omnibus justitiæ præcepta indicens, omnibus obedientiæ præmia, inobedientiæ pœnas indeclinabiles ostendens; eo invicta, eo victrix & triumphatrix, quod quoquo se verterent voluntates creatæ, voluntas Dei fieret, vel ab ipsis, vel de ipsis; Deique omnipotentia laudaretur, vel obsequentium remuneratione, vel contumacium supplicio.

VI. Liquebat illud ipsum ex differentia præscientiæ & prædestinationis, quam in eo constituebant sancti Patres, quòd præsciret Deus futura omnia, sive quæ facturus ipse esset, sive quæ permissurus; non prædestinaret autem nisi vel bona quæ facturus esset, vel supplicia quæ malis esset repensurus; denique mala præsciri tantùm à Deo, bona etiam prædestinari, bonis annumerando etiam impiorum supplicia, quæ quò justa, eò bona sunt. Ita Augustinus, ita cæteri Patres Græci Latinique suprà consentiebant, nullo facto inter Angelos discrimine. Ex quo patet ne suspicatos quidem esse quidquam de reprobatione negativa quorundam Angelorum ante præscitam eorum defectionem; post prævisam autem eorum defectionem, tum nihil veritos esse constituere positivam eorum prædestinationem ad pœnas.

Liquebat hoc ipsum ex duplici prædestinatione, quam sancti Patres indiscriminatim statuerunt erga omnes Angelos, sed post prævisam liberi eorum arbitrii vel constantiam in veritate, vel prolapsionem. Alios enim sanxere prædestinatos esse ad gloriam, alios ad pœnam, nullos ad culpam. Ita ne subodorari quidem illi quidquam potuere de reprobatione negativa. Cùm prædestinatio ad pœnam positiva sit, utpote justissima post prævisam culpam: prædestinatio autem ad culpam ne negativa quidem esse potuerit; cùm omnes ex æquo Angelos suos condendo muniverit Deus sufficientissimis auxiliis ad perseverandum in bono.

VII. Liquebat id ipsum ex solenni axiomate apud Augustinum & alios Patres, alia à Deo fieri, alia permitti; fieri bona, permitti mala; sed quæ permitteret mala, ea in boni usum retorqueri. Atqui nullo facto discrimine Angelorum aliorum ab aliis, hanc regulam divinorum consiliorum stabiliebant sancti Patres. Quocirca ex eorum mente, tam permiserat Deus, ut peccarent qui non peccarunt, quàm qui peccarunt; & tam juverat eos qui peccarunt, ut non peccarent, quàm qui non peccarunt: utpote qui sua ita consilia libraverat, ut sive omnes, sive nulli, sive aliqui tantùm, sive hi, sive illi peccarent, omnipotenti ejus voluntati illibata semper constaret sua gloria & certissima victoria, bonorum remuneratione, malorum & contumacium pœnis.

VIII. Liquebat hoc ipsum ex illo similiter effato Augustini Providentiam divinam ita constituentis, ut ejus sit naturas creare, voluntates juvare in bonum, deterrere à malo, in bono constantes præmiari, malo se applicantes punire; & hæc omnia indiscriminatim; ita ut tam circa bonos, quàm circa malos Angelos non alia esset divinorum consiliorum dispensatio. Ex quo fit ut eorum nulli præ aliis vel prædestinarentur ad gloriam, vel negativè reprobarentur ad pœnam.

IX. Liquebat denique hoc ipsum argumentis omnibus, quibus suprà demonstratum est mala culpæ non effici à Deo, sed permitti tantùm; ideoque nec præsciri à Deo mala culpę futura ex vi decretorum Dei; sed alia longè præscientia, quę nullis divinis decretis innitatur. Et quomodo non est author peccati Deus, si nulla adhuc vel culpę labecula aspersos Angelos constituit ipse ultro deserere, à regno suo excludere, non iisdem atque alios auxiliis dotare, necessariis fraudare gratię adminiculis ad perseverandum? Quid enim hoc aliud est, quàm innoxios hactenus & immerentes in culpam primùm, & mox in pœnam præcipitare, sævitiam & atrocitatem rei fucatis verborum delinimentis obumbrare?

X. Jam verò si ad homines orationem convertamus, nihilo obscurius esse potest, nulla eos etiam reprobari ratione potuisse ante culpam, & ne negativè quidem; post culpam autem etiam positivè reprobari eos potuisse, & reapse reprobatos esse complurimos, quos electio gratiæ non secrevit à massa damnationis. Eadem retexi possent & hìc argumenta, quę in hominibus non minus habent loci, quàm in Angelis. Et homines enim in primo sui exortu à Dei manu recentes, beati erant suo modo, & Deo fruebantur, unumque supererat, ut in ea fœlicitate permanere vellent, donec in cœlestes sedes & in beatissimam impeccantiam, accepta uberiore charitatis abundantia, transferrentur. Et homines Deus sibi ipsis permisit, ut Angelos, suæ ut ipsi authores sibi essent sortis, prout vellent aut nollent in accepta gratia permanere. Et homines Deus adjutorio donaverat sine quo non possent, sed quo possent si vellent in justitia & in beatitudine permanere. Et homines Deus condiderat, ut in eis vires liberi arbitrii experiretur. Et homines perinde ut Angeli boni stare poterant si vellent per liberum arbitrium. Et homines complectitur æquè ac Angelos biceps illa Dei providentia, voluntates creatas non ipsa ad quidvis sive bonum sive malum prædeterminare occupans, sed juvans ad bonum, dehortans à malo, & invictissimè efficiens, ut nec bonæ infructuosè, nec malæ impunè sint. Et hominum vitam attingit illa præscientiæ & prædestinationis discriminatio, qua intelligitur Deus mala culpæ præscire tantùm, non prædestinare, mala pœnæ & præscire & prædestinare. Et homines includebantur illo geminæ prædestinationis effato, alterius ad gloriam & justitiam, alterius ad pœnam, nullius ad culpam, ne negativè quidem. Et ad homines pertinebat illud, alia à Deo fieri, alia permitti; fieri bona, permitti mala, & ad bonum retorqueri; atque divinæ providentiæ hoc munus, hanc vim esse, non ut mala culpæ prædefiniat, vel negativè, vel positivè; sed ut hæc prohibeat, vel permittat; & si fiant quę permittit fieri, ea in boni usum & incrementum reflectat. Et homines denique implicabantur illo effato Augustini, mala culpæ nulla prorsus ratione à Deo fieri, mala pœnæ à Deo prorsus & prædestinari & fieri.

XI. Sed in hominum causa longè certior & manifestior est illa argumentatio, quam Augustinus depromit ex massæ per peccatum primi parentis perditæ & damnatæ generalitate. Cùm enim omnes prorsus homines illi damnationis massæ sint implicati, jam integrum Deo est, quoscumque vult, misericorditer liberare; quoscumque vult, non tantùm non liberare, sed positivè ad debitas peccato pœnas prædestinare. Quocirca Augustinus Pauli arcanam promulgans Theologiam, constanter hęc ejus decreta inculcat de ista damnationis massa: *Ubi autem dicitur, Ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat; qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; bonum quidem immerito & gratis datur, quia ex eadem massa est cui datur; malum verò merito & debitum redditur, quia in massa perditionis malum malo non malè redditur; & ei cui redditur, malum est, quia supplicium redditur; ei vero à quo redditur, bonum est, quia rectè factum ejus est. Nec ulla est acceptio personarum in duobus debitoribus æqualiter reis, si alteri dimittitur, alter exigitur, quod pariter ab utroque debetur.* L. 2. ad Bonif. c. 7. Vides apertissimè nihil esse causæ, ut hæc reprobatio simulatis causationibus & verborum præstigiis veletur; verissima est, positiva est, quia justissima est, quia admissi aut contracti criminis ultrix est. Ante prævisam autem culpam illius primi hominis, ex quo uno omnes ivimus in condemnationem, nec negativæ reprobationi locus esse poterat, ob antedictas

dictas rationes omnes; quin imò sincerissima prælucebat voluntas Dei, & opportunè adjuvabat ad perseverantiam boni, & tantundem juvabat homines atque Angelos qui lapsi sunt, quantùm illos Angelos qui lapsi non sunt; ac proinde si æqualiter juvabat, æqualis erat & benevolentia, æqualis à positiva eorum reprobatione alienatio.

XII. Rursus ibidem Augustinus ex Apostolo ipso exprimens totum hoc dogma de massa damnationis, & inde emergente Dei jure ac potestate, alios misericorditer prædestinandi ad gloriam, alios justissimè prędestinandi ad pœnam: *Dicis itaque mihi, Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit? Respondit Apostolus ita dicenti, O homo tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic me fecisti? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Deinde secutus tam magnum abditumque secretum, quantum aperiendum esse hominibus judicavit, aperuit dicens, Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem; & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam; hoc est gratiæ Dei non solùm adjutorium, verum etiam documentum; adjutorium scilicet in vasis misericordiæ, in vasis autem iræ documentum. In eis enim ostendit iram, & demonstrat patientiam suam, quia tam potens est bonitas ejus, ut bene utatur etiam malis; & in eis notas facit divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; quoniam quod ab iræ vasis exigit justitia punientis, hoc vasis misericordiæ dimittit gratia liberantis. Nec beneficium quod quibusdam gratis tribuitur, appareret, nisi Deus aliis ex eadem massa pariter reis justo supplicio condemnatis, &c. Quis enim te discernit, utique ab iræ vasis, à massa perditionis, quæ per unum omnes misit in damnationem?* Quę necesse fuit tametsi paulò prolixiora hìc intexere, ut intelligas massam illam, de qua Paulus, & ex Pauli genuina sententia, & ex Augustini Patrumque constantissima interpretatione, illam ipsam esse damnationis massam, in qua per parentale flagitium demersi absorptique omnes sumus, & in qua gentem nostram universam jus fasque Deo erat dimittere, liberationis & spei deinceps exortem, & perinde ut turbam perduellium Angelorum, in densissima ignorantiæ nocte atque in implacata flagitiosissimarum cupiditatum tempestate omne deinceps ævum suum acturam, donec in dignas pœnas & singuli & universi tandem præcipitarentur. Ex toto contextu Pauli dilucidè, dilucidissimè autem ex interpretatione Augustini patet hunc esse germanum massæ hujus intellectum, ex qua figulus luti habet jam potestatem alios ab aliis discernendi, alios in vasa gloriæ, alios in vasa contumeliæ destinandi; & negativè & positivè quoscumque vult, prædestinandi ad pœnas his flagitiis debitas, & horum pœnis suam in Electos misericordissimam pietatem illustrandi; cùm & his infligi potuisse constet, quidquid in alios sævitur ejusdem ruinæ consortes.

Cùm autem inter innocentiam primi parentis adhuc stantis, & lapsum ejus per peccatum in illam massæ damnatæ voraginem cum tota sua prosapia, nec punctum quidem temporis interfluere potuerit; non potuit etiam quisquam hominum à Deo ante præscitum peccatum etiam negativè reprobari. Quandiu enim vigebat flos innocentiæ, tam validè juvabatur Adamus Adamique posteritas ad perseverantiam in bono & ad capessendam gloriam sempiternam, quàm sancti Angeli; non ergo tunc poterant etiam negativè reprobari. Postquam autem parentali ruina omnes in massam damnatam sumus dejecti, jam nihil opus fuit fucari aut simulari rem obtentu negativæ reprobationis; abruptè & absolutè potuit Deus positivo decreto quoscumque voluit prædestinare ad pœnam. Ad culpam autem prædestinare non potuit ille quidem, quia bonus justusque est; sed nec necesse fuit. Ex ingenio enim & instinctu damnatæ massæ, innata jam ignorantiæ & cupiditatum impotentia ultro omnes in omne flagitiorum facinorumque genus rueremus, nisi quos vult, quando & ubi vult, misericordissima Dei providentia arceret. Posset aliquantò æquiùs reprobatio negativa dici, omnium quos Deus non liberat derelictio in massa damnata; nec enim Deus illos eò dejecit, sed inde non extrahit; & ne istud quidem nisi propter demerita. Unde Augustinus in libro de Bono perseverantiæ: *Prædestinatio est præ-* Cap. 14. *paratio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Cæteri autem ubi, nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur, ubi Tyrii relicti sunt & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent? Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus.* Ubi patet exceptis prædestinatis, *cæteros* omnes in massa damnationis relictos, nec aliter, vel negativè, vel positivè reprobatos, quàm quia *relicti* sunt in massa damnata. Itaque nec negativa ista reprobatio, qua negata sunt auxilia necessaria ad emergendum ex illa pernicie, nisi post prævisam culpam constitui potest; at positivam ad pœnas prædestinationem incunctanter tunc quidem constitui nihil vetat.

CAPUT X.

Respondetur objectioni, quæ illos attingit, qui justificati, nec tamen à massa damnationis discreti esse dicuntur.

I. Quomodo dicantur non esse discreti à massa damnationis, qui justificati semel fuere, nec in justitia tamen perseverant.

II. Gravis hæc difficultas, non tamen quæ à dilucida nos Pauli & Augustini doctrina deterreat.

III. Perspicuum est potuisse ex illa fovea ad tempus extrahi, qui potuere justissimè nec ad momentum extrahi.

IV. Quomodo post remissa peccata per justificantem gratiam, subrahitur donum perseverantiæ. Nempe ob frequentes justi etiam hominis prolapsiones in culpam; nec dici debet subtrahi perseverantiæ donum, sed non dari.

V. Non propter originale peccatum, sed ob alias actuales complures culpas negatur ea gratiarum copia, qua constat donum persevantiæ.

VI. Cur & quomodo dici possint non esse secreti à massa damnata, qui justificati verè sunt.

VII. Cur Deus non perseveraturos perseveraturis admiscuerit. Nempe ad humilitatem electis conciliandam. Omnia enim propter electos, & ipsi etiam reprobi.

VIII. Duplex massa damnata; altera originalis tantum peccati, altera actualium. Qui non perseverant in justitia, ab illa, non ab hac extracti fuerunt.

IX. Non negatur perseverantiæ donum ob peccatum originale, semel in baptismate condonatum: etsi negetur ob peccata, quæ proserpunt ex originalis peccati fructibus, ignorantia & concupiscentia.

X. Aliquantò inclementiores sunt, qui negativam reprobationem astruunt.

XI. Iniquè agitur cum Deo, si quos semel à fovea

fovea eripuit, iterum cogatur eripere, si se rursum eo sua sponte dejiciant.

I. Illud magis stupendum quod docet Augustinus, & consequenter ac consentaneè præstructis Paulinæ Theologiæ fundamentis docet, ne eos quidem à massa perditionis discretos fuisse, qui vocanti Deo obaudierunt, qui salutis sacramento justificati, piè & religiosè aliquandiu vitam duxerunt, nec in justitia tamen perseverant. *Qui verò perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos finis vitæ hujus inveniat, proculdubio nec illo tempore, quo bene pièque vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi.* (De Corrept. & Grat. c. 7.) Sensit Augustinus se premi hujus difficultatis pondere, & ad illud Apostolicum confugit, O altitudo! *Hic si à me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam qua christianè viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum audio dicentem Apostolum, O homo, tu quis es qui respondeas Deo? &, O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! &c.* Utcumque enim assentimur parentalis peccati contagio contaminatos & in perditionis massam absorptos, posse à Deo deseri & relinqui in illa calamitatum sentina; nec ullo suo merito aut jure litem Deo movere posse, ut hinc eos extrahat transferatque in regnum suum. At verò quibus Deus semel peccata omnia per baptismum condonaverit, quos in gratiam, in amicitiam, in adoptionem cooptaverit, ut illi dicantur non secreti fuisse à massa damnationis, & ideo non donari speciali illo auxilio ad perseverandum usque in finem, id verò est quod meritò videretur offendere animos hominum, atque ab hac doctrina abalienare.

II. Movet & nos, atque adeo terret moles hujus difficultatis, nec tamen omnino deterret ab amplexanda tam perspicua Pauli atque Augustini sententia. Nulla enim tergiversatione potest quisquam effugere tantam Augustini in explananda & inculcanda Pauli doctrina suaque perspicuitatem. In ea ergo mordicus hęrendum est, etsi non satis diluxerit, quo elucidetur hæc objectio, quę incurrit in oculos, & quæ nec ipsum præteriit Augustinum. Etsi enodabilis esset iste nodus, quid hoc aliud foret, quàm illa altitudo judiciorum Dei, illæ imperscrutabiles viæ ejus?

III. Si cominus tamen & pensiculatiùs rem attendamus, non deerit, quo elevetur ea difficultas. Nam si potest Deus demersos aliquos in illam foveam perditionis ita deserere, ut nec ad gloriam, nec ad justificationis gratiam degustandam vel ad momentum eos vocet; si aliquammultos, si longè plurimos ita deserit; si ex eo in crimen non vocatur injustitię; eccur iniquiori ferent animo, aliquos eorum sin minùs tota abundantia, certè nonnulla aspergine gratiæ perfundi? sin minùs ad ęternam, certè ad temporalem justitię usuram perduci? justitię copia non mediocri donari, etsi justitię perseverantia non donentur? An invidiam Deo faciemus, quod non vel totam subtraxerit, vel totam superfuderit gratię suæ exuberantiam? An usque adeo exorbitabimus à rationis luce, ut negemus, divinæ largitatis parte aliqua frustrari potuisse, qui tota potuere? donari potuisse aliqua, etsi nihil omnino deberetur? Evidentia, palpabilia, certissima sunt ista; & ex his evidentissimè claret potuisse Deum nonnullis in illa damnationis massa jacentibus nolle gloriam suam dare, nolle perseverantiæ donum speciale dare, & tamen velle complures alias gratias dare, imò & ipsam justificationis gratiam.

Et hic est Augustini verborum sensus, cum dixit, secundùm propositum vocatos non fuisse eos, qui vocanti Deo sic obtemperarunt, ut justificationis gratiam consecuti sint, in qua tamen non perseverarunt usque in finem. Propositum enim Dei apud Paulum illud propriè est, quo electos suos vocat, justificat, glorificat. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* (Roman. 8.) Planum hic est, illam esse demum vocationem Dei secundùm propositum, qua vocantur electi & prædestinati ad vitam æternam. Potest tamen etiam illa vocatio dici utcumque secundùm propositum, quæ ita temperata à Deo, ita opportunè, importunèque urgens, ita efficax, ut ad conversionem perducat & ad justificationem. Hęc enim efficacia invicta non manat nisi à proposito divinæ bonitatis & voluntatis, quæ infatigabili oppugnatione expugnat tandem quantamcumque contumaciam peccatoris.

IV. Si gravatè feras autem, post deletam baptismo originalem labem, post peccata omnia remissa per gratiam justificationis, post reconciliatum hominem Deo, Deum homini; subtrahi statim à Deo donum perseverantiæ, à gratia exturbari justum, & in pœnas æternas ejici: idque fieri propterea quod non sit discretus à massa damnata; quod nihil aliud est quàm si diceretur hoc fieri propter originale peccatum. Si hæc inquam feras iniquiùs, respondebo non propterea resiliendum esse à Pauli, ab Augustini, à totius antiquę Patrum Theologiæ placitis; sed non deesse solidas & manifestas considerationes, quę hanc verborum austeritatem & duritiem molliant. Nec enim subtrahitur donum perseverantię, quasi datum auferatur, sed non datur. Neque propter peccatum originis non datur, sed propter actuales aliquas culpas, à quibus pura non fuit vita justi hujus quode agitur. Nec enim est justus, qui non peccet. Quin imò septies in die cadit justus. Denique dum mortale hoc ęvum exigitur, potest justus singula sejunctim, non potest conglobatim universa declinare peccata venialia. His tepescit charitas, reviviscit cupiditas, & nisi speciali perseverantię dono muniatur justus, cadit tandem in piaculare scelus aliquod, quod si tum mors irruat, ęterna morte expiandum sit. Non datur ergo donum perseverantiæ propter istiusmodi peccata ab homine justificato admissa; cui nihilominus daretur, & quamvis gravioribus peccatis innexo daretur, si à massa perditionis fuisset olim electione gratiæ discretus.

V. Non ergo ideo subtrahitur justo non prædestinato ad gloriam, vel potius non ideo ei non datur perseverantię donum, quia originali peccato contaminatus olim fuit: dimisso enim per baptismum, & hoc, & quocumque alio peccato, jam nulla eorum ratio habetur, in pœnis decernendis; nec retractatur indulgentia semel concessa; sine pœnitentia quippe sunt dona Dei, & nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu semel renati. Sed non datur specialis illa gratiarum copia, qua constat perseverantiæ donum, propter multiplicia commissa, in quæ justi etiam subinde cæspitant. Si quęras autem cur cum in eadem, & plura, ac majora quandoque commissa impingant electi, non eis tamen ideo denegetur perseverantiæ donum: respondendum cum Augustino hanc esse singularem prærogativam eorum, qui secreti sunt à massa perditionis quique ideo secundùm propositum vocati sunt.

VI. Quomodo autem dici possit à damnationis massa non esse discretos, quibus & peccata remissa sunt omnia, & justificationis gratia collata est; id facilè intelligitur, 1. Ex eo quod primus gradus hujus discretionis aut liberationis est prædestinatio ad glo-

gloriam, & consequenter ad media gloriæ comparandæ necessaria. Qui ergo ad gloriam prædestinati non sunt, ii nec à massa damnata discreti sunt. 2. Ex eo quod massa damnata non ea tantùm est, in qua ob peccatum parentale demersi sunt omnes homines, abjectique in extremam æternæ vitæ desperationem: sed qua actualium flagitiorum facinorumque omnis generis colluvies continetur, in eamque absorpti sunt omnes Adæ posteri, quasi consectariam originalis delicti, & concupiscentiæ malæ per peccatum insitæ. Qui ergo ex aliqua tantùm parte hujus colluvionis peccatorum actualium, à prædestinante Deo discreti sunt, non ex ea prorsus ad finem usque vitæ liberati, ii non sunt verè à damnationis massa discreti. Audi Augustinum ita manifestissimè pronunciantem: *Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium; & cum audiunt, credunt; & in fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; & si quando exorbitant, correpti emendantur, &c.* Et ibidem paulò antè: *Ac per hoc, & qui Evangelium non audierunt; & qui eo audito in melius commutati, perseverantiam non acceperunt; & qui audito Evangelio venire ad Christum, hoc est in eum credere noluerunt; & qui per ætatem parvulam in eum nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regnerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt; non sunt ab ista conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Ubi vides eos solos liberari à fæculenta damnatæ massæ, qui prorsus liberantur, non qui ex parte & ad tempus enatant, & denuò in eandem resorbentur.

De corrept. & grat. c. 7.

VII. Si quæras autem eccur aliquos ex parte & ad tempus tantùm inde eximere voluerit Deus, hoc est, cur justis perseveraturis usque in finem aliquos Deus permiscere decreverit non perseveraturos; respondet Augustinus, quia omnia propter Electos, quibus omnia cooperantur in bonum, etiam aliorum ruinæ, etiam suæ ipsorum cespitationes. Jam Augustinus, jam Gregorius aliique Patres iterum iterumque monuerunt nos, muniri à Deo Electorum humilitatem adversùs superbiæ pericula, ex malorum Angelorum & reproborum hominum desperatis lapsibus. Audi rursus Augustinum, ut reprobi propter Electos & nascantur, & per omnia miserrimæ mortalitatis discrimina volvantur: *Cæteri autem mortalium, qui ex isto numero non sunt, & ex eadem quidem massa ex qua & isti, sed vasa iræ facti sunt, ad utilitatem nascuntur istorum.* Et rursus alibi: *Ad aliquem namque usum Sanctorum ordinatur omnis cæcitas impiorum à summo Deo, qui pro sui regiminis æquitate bene utitur etiam malis; ut qui suo arbitrio injustè vivunt, illius judicio justè disponantur.* Ita universim patefcit, impios piis, electis reprobos vivere. Sigillatim autem non perseveraturos permisceri à Deo perseveraturis, ut horum humilitas & perseverantia illorum lapsu firmetur & convalescat, sic idem Augustinus: *Similia multa dicuntur propter hujus utilitatem secreti, ne fortè quis extollatur; sed omnes etiam qui bene currunt, timeant, dum occultum est quo perveniant. Propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est, quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiu fideliter & justè vivere, & postea cadere, neque de hac vita priusquam hoc eis contingat auferri. Quòd si nemini contigisset, tandiu haberent homines istum saluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam, qua piè vivitur, pervenirent; deinceps jam securi nunquam se ab illo esse casuros. Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.* Et alibi: *Hominibus videtur, omnes qui boni apparent fideles, perseverantiam usque in finem accipere debuisse; Deus autem melius esse judicavit, miscere quosdam non perseveraturos certo numero Sanctorum suorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securitas, non possint esse securi.*

Cont. Jul. L. 5. c. 4.

De dono persev. c. 8.

VIII. Debent ergo Deo & hi ad temporalem justitiam electi, quòd aliqualem aliquandiu lucem vitamque justitiæ degustaverint, qua in totum frustrare eos sicut & tot alios citra injustitiam Deus potuisset. Cùmque bipartita quodammodo sit massa damnationis; altera enim est vorago peccati originis cum pœnis illi debitis, altera vorago est actualium omnis generis delictorum, in quæ omnes homines innata cæcitas & concupiscentia pertrahunt, nisi cœlitus prohibeantur; debent plurimum divinæ gratiæ, quæ nulli debetur, qui ex illa priori voragine, non tamen ex secunda extrahuntur; etsi non tantum debent, quantum qui emergunt ex utraque; quales & Paulus & Augustinus & ceteri Patres à massa damnationis discretos absolutè pronunciant.

Qui porro perseveraturi non sunt in accepta semel justitia, ii secreti omnino sunt à priori massæ perditæ colluvione, nec jam propter originale peccatum vel deseruntur à Deo, vel pœnis addicuntur; sed à posteriori discreti non sunt, aut non omnino sunt, & ideo cadunt, cadentesque non resurgunt. Cadunt, inquam, non quia electi vocatique secundùm propositum non sunt; sed quia sufficienter à Deo adjuti fatiscunt in via Dei, & corruunt, abnuente Deo iterum sua sponte jacentes iterum excitare; idque abnuente propter recentissimam hanc culpam, non propter originalem, vel aliam quamcumque pridem dimissam.

IX. Nec novum nec inusitatum est autem quòd negetur quis vel perseverantiæ dono frustrari, vel æternis destinari pœnis ob peccatum originis in baptismate condonatum; tametsi ex illius peccati fruticibus, ignorantia videlicet & concupiscentia proserpant illa deinceps justificatorum peccata, propter quæ caret quis perseverantia finali. Non ex his enim fruticibus exciso originis peccato residuis proserpunt verè ipsa peccata, sed ex voluntate inerti & desidiosa, nec obsecundante divinis auxiliis, quæ lucis & opis satis afferant ad non peccandum. Et si quis sanè in peccata per divinam indulgentiam semel iterumque remissa rursus proruat, nec tunc veniam consequatur ob toties iteratum gratiæ divinæ contemptum: non propterea dici poterit priora illi peccata non verè remissa fuisse. Fuerant enim verè remissa, quanquam eorum contemplatione toties iteratorum posteriora hæc peccata non remittantur.

X. An verò clementius aliquid humaniusque sentiunt, qui ante ullum Angeli hominisve lapsum in culpam prævisum, non paucis eorum negativam reprobationem illidunt, id est, gratiæ denegationem & gloriæ, aut ejus saltem gratiæ, quæ ad gloriæ consecutionem, imò & ad pœnarum devitationem absolutissimè necessaria est? Quantò mitius enim est hæc denegari gratiæ gloriæque dona semel lapsis, aut post exoratam veniam iterum lapsis? Nec enim ullo se Deus nexu obstrinxit, quando primùm peccata per baptismum vel per posteriorem justificationem delevit, ut quoties eadem vel consimilia peccata iterarentur, toties & ipse parem gratiarum copiam profunderet.

XI. Non aliud autem est, eos, quos præscivit Deus ab accepta justitia descituros, à massa damnationis non esse discretos, quàm præscitos esse à Deo lapsuros iterum in peccatum, nec eadem gratiæ ubertate qua priùs cumulatum iri, adeoque justitiam semel amissam non recuperaturos. Quis autem in eo querelarum locus, si dicatur ex infinita multitudine hominum in illam massam demersorum, alios à Deo nunquam extrahi, cujusmodi sunt

qui

qui vel expertes baptismi fato præcoce extinguuntur, vel grandiori ætate ad justificationis gratiam non attingunt: alios omninò extrahi, & quanquam eo relabantur geminatis lapsibus, constanter semper extrahi: alios denique seriò, sed semel extrahi, ea lege, ut si relabantur sua sponte, jam omni enatandi spe careant. Quid in ea re tam durum aut tam insolens? Jam dixi, & sæpè dicendum est, iniquè agitur cum Deo, si quibus licet primam ex illa massa emersionem denegare, non licet secundam, si se rursus eò dejecerint.

CAPUT XI.

Solvuntur aliæ objectiones adversus ea quæ de prædestinatione & reprobatione disputata sunt. Massiliensium placita & querelæ. Responsa Prosperi & Augustini. Cautiones & monita ad doctrinam de prædestinatione gratiæ.

I. Quæ & quanta adversus Augustini doctrinam obiicerent Massilienses ex Hilario.

II. Item ex Prospero, maximè circa fidei initia, & prædestinationem ad gloriam, ex meritis humanis.

III. Item circa fatalem necessitatem, quam nova Augustini doctrina inveheret.

IV. Responsiones Prosperi ad objectam fati necessitatem.

V. Et ad eos qui non præripiuntur, antequam à justitia desciscant.

VI. Item ad vocationem, quæ non ad omnes satis elementer se exporrigat.

VII. Item ad eos qui semel justitiæ adgregati, ab ea deficiunt.

VIII. Item de voluntate Dei ad omnium salutem propensa, & de impenso ad hoc ipsum Christi sanguine.

IX. Satisfecerat & Augustinus istiusmodi objectionibus, suaque ipsorum jacula in adversarios retorserat.

X. Accuratiùs autem absterserat aspersam sibi novitatis infamiam, eviceratque suam de prædestinatione doctrinam eminuisse jam olim, & in Patrum scriptis, & in precibus Ecclesiæ.

XI. Cautiones ex Augustino aliquæ perutiles ad eorum animos demulcendos, quos doctrinæ hujus altitudo magis deterret, quàm asperitas. Spes salutis tutiùs locatur in Dei clementia, quàm in humana inconstantia voluntatis.

XII. Cùm omnes pro electis haberi suadeat humanitas in hoc rerum ambiguo, omnibus correptio, omnibus exhortatio adhibenda.

XIII. Tanto vehementiùs incumbendum est in opera bona, quantò certius est, his prædestinationem impleri.

XIV. Quàm considératè, & quàm circumspectè prædicari debeat gratuitæ prædestinationis doctrina.

XV. Porrò illa prædicatio cautissima & circumspectissima esse debet.

XVI. Qui motus animorum hæc prædicatione excitandi sint, sui tædium, spes in Deum & gratitudo, &c.

I. ERant & complura alia objectionum capita, quibus Augustini doctrinam de gratuita prædestinatione, de reprobatione, de damnationis massa lacessebant & quasi arietabant Massilienses. Ea omnia complexi sunt tum Hilarius in Epistola ad Augustinum, tum Prosper similiter in Epistola ad eundem sanctissimum Magistrum, & in responsionibus ad objectiones Vincentianas, & ad Capitula Gallorum.

Hilarius quidem in Epistola ad Augustinum ait ab illis has querelas effundi solitas: *Excludi omnem prædicandi vigorem, si nihil quod per eum excitetur, in hominibus remansisse dicatur:* initium fidei & voluntatis bonæ ad optandam quærendamque salutem humani esse conatus, reliqua deinceps à Deo esse omnia; ita in omnium voluntate & potestate esse, ut credant, ut optent, ut ordiantur quod Deus consummet; ita denique non reiici à Deo, nisi qui credere abnuerint; non cooptari ad gloriam, nisi qui ipsi credere & Deum quærere occœperint; neminem denique ita vel vocationis vel perseverantiæ gratia donari, ut non possit cadere ab utraque. *Nam si sic prædestinati sunt ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus coxrectionis instantia?* Posita autem distinctione Augustini inter utramque hominis stantis & lapsi gratiam, quam vehementer exhorrescebant: *Ad illam voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis, vel comminationis utilitates, quæ & persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem; non ad hanc cui nolle justitiam inevitabili necessitate conjunctum est.* De numero prædestinatorum dictum superiùs. Venio ad voluntatem Dei servandi omnes, *Omnes omnino, ut nullus habeatur exceptus.* Et quod ad parvulos attinet: *Parvulorum causam ad exemplum majorum non patiuntur afferri.* Denique: *Quid opus fuit hujuscemodi disputationis incerto, tot minus intelligentium corda turbari? Neque enim minus utiliter sine hac definitione aiunt tot annis à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris, & tuis & aliorum, tum contra alios, tum maximè contra Pelagianos Catholicam fidem fuisse defensam.*

II. His affinia & gemina sunt quæ habet Prosper in Epistola ad Augustinum, ubi similiter Massiliensium sententiam hanc fuisse testatur, ut post lapsum humani generis in Adamo, supersint vires, non salutis perficiendæ, sed inchoandæ per fidem & piæ voluntatis aliqua initia; quibus suam Deus affundat gratiam, cui assentiantur, in qua perseverent qui velint, non qua fiat ut velint; præsciri autem à Deo qui volituri, qui perseveraturi sint, & hanc esse Dei circa electos præscientiam, hanc prædestinationem. *Hæc ipsorum definitio ac professio est, omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari; universis tamen hominibus propitiationem quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicumque ad fidem atque ad propositum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem credituri sunt, quive in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit. Ideoque omnem hominem ad credendum & ad operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cùm voluntariæ devotioni remuneratio sit parata.* Ex parvulis donari vel frustrari baptismo, *tales perdi, tales salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina præviderit.* Et rursus: *Quod Deus omnes homines velit salvos fieri, &c. pro universo genere humano mortuum esse Christum*; sed ideo plures baptismo non renovari, *quia quod nec renovari velint prænoscantur. Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab iis eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.*

III. Ita illi constituto suo dogmate de possibilitate naturali ad fidei & pietatis aliqua initia, quibus alii ab aliis se discernerent, invitarentque Dei gratiam ad bona deinceps opera necessariam, de pote-

ſtate conſimili ad perſeverandum in accepta gratia, denique de prædeſtinatione Dei poſt prævisa merita eorum qui ultro ad fidem veniſſent, & in bono perſeveraſſent: jam contrariam Auguſtini doctrinam hoc pulſabant ariete, quòd correptio, hortatio, labor & conatus in caſſum jam eſſet: *Lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis afferre, eo quòd in utramque partem ſuperfluus labor ſit; ſi neque rejectus ulla induſtria poſſit intrare; neque electus ulla negligentia poſſit excidere. Quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos, quàm Deus definivit, accidere; & ſub incerta ſpe curſum non poſſe eſſe conſtantem; cùm ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa ſit annitentis intentio, &c. Sub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem.* Denique Patres Scriptoreſque antiquos, ſuo aſtipulatos, Auguſtini placito refragatos eſſe, ita illi urgebant, ut in eam opinationem tantùmnon Proſper ipſe impelleretur. Sic enim ipſe ad Auguſtinum: *Illud etiam qualiter diluatur, quæſumus demonſtres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur, & una ſententia, qua propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuſcujuſque præviderit, & ſub ipſo gratiæ adjutorio in qua futurus eſſet voluntate & actione præſcierit.*

IV. Aliquantò prolixiùs hæc perſecutus eſt Proſper in reſponſionibus ad Capitula Gallorum, & ad objectiones Vincentianas. Cùm enim Galli inſtarent, *Quòd ex prædeſtinatione Dei, velut fatali neceſſitate homines ad peccata compulſi, cogantur ad mortem:* Reſpondet Proſper: *Fati opinionem vanam eſſe; nefas autem eſſe, prædeſtinationi ea quæ ab hominibus malè aguntur, adſcribi, qui in proclivitatem cadendi non ex conditione Dei, ſed ex primi parentis prævaricatione venerunt.* Inſtabant illi, *Quòd ab eis qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non aufert percepta baptiſmi gratia originale peccatum?* Reſpondet Proſper, de eo qui ſemel tinctus & juſtificatus non perſeverat, *Non in quod remiſſum eſt, recidit, nec in originali peccato damnabitur; qui tamen propter poſtrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remiſſa ſunt, debebatur. Quod quia Dei præſcientiam non latuit nec ſefellit, ſine dubio nunquam talem elegit, nunquam prædeſtinavit, & periturum nunquam ab æterna perditione diſcrevit.* Quibus adprimè conſentanea ſunt ea quæ ſuprà ad hujuſmodi objectionem reſpondimus; nimirum maſſam damnationis præter originale actualia etiam peccata complecti; nec ab illa maſſa diſcerni, niſi quorum & originalia & actualia omnia peccata ante mortem dimittuntur. Cap. 1. 2.

V. Inſtabant rurſum illi, nil baptiſmum non electis bonamque vitam prodeſſe, *quod tandiu reſerventur, donec ruant & peccent, nec ante eos ex hac vita quàm hoc eis contingat auferri.* Reſpondet Proſper, *Quòd hujuſmodi in hæc prolapſi mala, ſine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt; ſed ideo prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt.* Longævitatem ex Deo eſſe, & bonum eſſe: *Cum peccatum non ſit diu vivere, ſed malè vivere, &c. Non enim relicti ſunt à Deo, ut relinquerent Deum; ſed reliquerunt, & relicti ſunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati.* Quod non diceretur à Proſpero, ſi cùm juſtus primùm peccat, deſereretur ea Dei gratia, qua priùs ſtabat. Verè enim tunc relinqueretur à Deo, & eum relinqueret; ſed cùm aſpirante eadem Dei gratia, qua priùs ſtabat juſtus, fatiſcat ipſe & ab ea deficiat, tunc verè relinquit & relinquitur. Cap. 3.

VI. Inſtabant rurſus Galli: *Quòd non omnes homines vocentur ad gratiam.* Reſpondet autem Proſper, non vocari vel parvulos qui baptiſmo præmoriuntur, vel adultos quibus Evangelium non innoteſcit: *Nec poſſumus dicere, quod ibi ſit gratiæ vocatio, ubi matris Eccleſiæ adhuc nulla eſt regeneratio.* Inſtabant illi, *quod qui vocati ſunt, non æqualiter ſunt vocati; ſed alii ut crederent, alii ut non crederent.* Reſpondet Proſper neminem vocari ut non credat; ſed quòd prædicato Chriſto aliqui non credebant, *humanæ voluntatis faciebat averſio*; quòd verò alii credebant, *divinæ gratiæ præſtabat operatio.* Inſtabant porrò ex Auguſtini decretis id conſequi, *quòd liberum arbitrium in homine nihil ſit; ſed ſive ad bonum ſive ad malum prædeſtinatio Dei in hominibus operetur.* Reſpondet Proſper quoad liberum arbitrium, ut ad bonum expeditum ſit, liberandum priùs eſſe ea Dei gratia, quæ merita omnia & anteveniat & dare incipiat: *Donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat noſſe quòd langueat, & poſſit opem medici deſiderare qua ſurgat. Juſtificatus ergo homo, id eſt ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio acquirat & meritum.* Quoad prædeſtinationem autem, eam immediatè nihil operari, ſed bonum perfici à voluntate adjuta per gratiam, malum à ſola voluntate. Denique *prædeſtinatio ſemper in bono eſt, quæ peccatum ſola hominis voluntate commiſſum, aut remittendum novit cum laude miſericordiæ, aut plectendum cum laude juſtitiæ.* Ibid. c. 4. ſ. 6.

VII. Inſtabant iidem id conſequi, quòd juſtificatis nonnullis Deus *ob hoc non det perſeverantiam, quia non ſunt à maſſa perditionis præſcientia Dei & prædeſtinatione diſcreti.* Reſpondet autem Proſper, quòd *non eſt Deus ruinæ juſtorum impulſor vel author, quia illos ruituros propria ipſorum voluntate præſcivit, & ob hoc à filiis perditionis nulla prædeſtinatione diſcrevit.* Ubi rurſus affirmat Proſper, propterea eorum aliquos qui tincti & juſtificati fuere, dici non poſſe à maſſa damnationis diſcretos, non quia originali, aut peccatis aliis implicati prævisi ſunt; ſed ideo dumtaxat, quia præviſi ſunt propria voluntate ab accepta juſtitia ruituri. Potuiſſet quidem & his iterato conferri gratia, qua & juſtificarentur, & in juſtitia ad finem uſque perſeverarent; ſed gratiæ dona gratis dari, quibus dantur; juſtè non dari, quibus non dantur: *Non eſt calumniandum Deo, quare iſtis non dederit quod aliis dedit; ſed confitendum eſt & miſericorditer eum dediſſe quod dedit, & juſtè non dediſſe quod non dedit.* Corruerunt quippè iſti nullo Dei deſtituti auxilio, quo priùs ſtabant: ita ſola ſua voluntate ruerunt: *Quamvis enim omnipotentia Dei potuerit vires ſtandi præbere lapſuris: gratia tamen ejus non priùs eos deſeruit, quàm ab eis deſereretur.* Cùmque rurſus inſtarent adverſarii, piis quibuſdam *obedientiam ſubtrahi, ut obedire deſiſtant*: Reſpondet Proſper aliud eſſe præſcientiam Dei, aliud voluntatem, *cum voluntas ejus nunquam velit niſi bona, præſcientia autem & bona noſcit & mala. Vires itaque obedientiæ non ideo cuiquam ſubtrahit, quia eum non prædeſtinavit; ſed quia receſſurum ab ipſa obedientia eſſe prævidit, ideo eum non prædeſtinavit.* Apertiſſima hic quoque ſunt illa duo, quòd juſtis ruentibus non ſubtrahatur gratia illa ipſa qua priùs ſtabant: ita enim ſubtraherentur obedientiæ vires: & non ſoli originalis peccati prævisioni, ſed etiam actualium, imò actualium dumtaxat quandoque inniti reprobationem. Ibid. c. 7. Ibid. c. 11.

VIII. Inſtabant denique Galli, ex Auguſtini ſententia id effici, *quod non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum; quodque non pro totius mundi redemptione Salvator ſit crucifixus.* Reſpondet autem Proſper inſcrutabilia eſſe Dei judicia, cur tam copiosè in hos, tam parcè in illos dona ſua fundat; ſed neminem tamen prorſus ab eo deſtitui, neminem adultorum damnari, niſi ob ſpreta auxilia, Ibid. c. 8. 9.

quæ

quæ ad manum habuit. *Omnium ergo hominum cura est Deo, & nemo est, quem non aut Evangelica prædicatio, aut Legis testificatio, aut ipsa etiam natura conveniat. Sed infidelitatem hominum ipsis adscribamus hominibus.* Ita vult Deus omnes salvos fieri, qui omnibus pro suo cuique modo auxiliatur, ut salvi fiant. Respondet denique Prosper mortuum esse Christum in natura nostra, pro ipsa natura tota quam susceperat: *Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cujus natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit, &c. Cùm rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, &c. Mundus eum non cognovit; ut possit secundùm hoc dici, Redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit; quia lucem tenebræ non receperunt, &c. Cùm sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit; à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate, redimi noluerunt; aut post redemptionem ad eamdem sunt servitutem reversi.* Ex parte ergo Dei omnibus omnino suffragatur voluntas Dei salvifica, omnium saluti impensus est sanguis Christi: sed homines redimi, & auxiliis concessis uti noluerunt. De voluntate enim Dei & de sanguine Christi fluit, quòd vel Evangelica lux, vel Mosaica lex, vel naturæ ipsa vox omnes convenit, omnes sollicitat, omnes si sequaces sint, initiat cum Dei adjutorio ad salutem; qui contumaces & surdi sunt ad ista, hi redimi, hi salvari nolunt. Quæ generalia Dei adjutoria non prohibent, quin plura specialia electis conferantur, ut docet ibidem Prosper.

IX. Respondit & Augustinus ad horum complura in libro de bono perseverantiæ. Et illud imprimis inculcavit, quæ in prædestinationem torquentur tela, in præscientiam Dei torqueri, de qua tamen nec Adversarii possint ambigere: *Ista nos à confitenda Dei gratia, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, & à confitenda secundùm eam prædestinatione Sanctorum deterrere non debent; sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur & dicat, Sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit; vel boni, si bonos; vel mali, si malos. Numquid enim si hoc audito nonnulli ad torporem segnitiemque vertantur, & à labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse præscivit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur? Si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur?* Et multis interjectis: *Sicut ille quem Deus futurum esse castum præscivit, quamvis id incertum habeat, agit ut castus sit: ita ille quem castum futurum prædestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit, ut castus sit. Quod autem dixi de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, de charitate, de perseverantia, & ne pergam per singula, de omni obedientia, qua obeditur Deo veracissimè dici potest.* Cùm autem confiterentur Presbyteri Massilienses cetera à Deo donari, fidem & perseverantiam à libero arbitrio esse; urget Augustinus, ut ipsi suos excitant & inflammant ad eas virtutes, quas fatentur à Deo dari, ideoque prædestinari: ita confiteri debere, nec torporem creari, aut desidiam, nec correptiones & hortationes inutiles reddi ex doctrina prædestinationis; & æquè excitari posse homines ad fidem & perseverantiam, tametsi hæc & à Deo dari, & danda prædestinari credantur. *Sicut ergo ipsi hortantur quoque ad castitatem, charitatem, pietatem, & cætera quæ Dei dona esse confitentur: eaque ab illo esse præcognita, ac per hoc prædestinata negare non possunt: nec dicunt exhortationes suas impediri prædicatione prædestinationis Dei, hoc est prædicatione de his donis ejus futuris præscientiæ Dei: sic videant nec ad fidem, nec ad perseverantiam impediri exhortationes suas, si & ipsa opera, quod verum est, esse Dei dona, eaque præcognita, id est, ad donandum esse prædestinata dicantur.* Denique quod Adversarii obgarriebant de desperatione & spe, sic sanctus Pater retundit: *Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potius relinquo, ut videant, quale sit quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis, quàm exhortationis afferri. Hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in seipso, sed in Deo didicerit ponere: Cum Propheta clamet, Maledictus omnis qui spem ponit in homine.*

Cap. 15.

Ibid. l. 7.

X. Pergit deinde pluribus Capitibus sanctus Pater respondere ad alia objecta, sed ad illud maximè, quod primum ipsum hujus doctrinæ de prædestinatione hactenus inauditæ authorem esse calumniabantur. Ex adverso enim demonstrat ipse, & antiquos utriusque Ecclesiæ Patres in eadem fuisse sententia, & seipsum ante exortos Pelagianos perdiù eadem sensisse, ac scripsisse; & Ecclesiæ denique Catholicæ publicas & solemnes preces eadem divinæ gratiæ prorsus gratuitæ & proinde prædestinationis significatione creberrima fœtas plenasque esse. Et quoniam ista consensio antiquiorum tum Latinæ, tum Græcæ Ecclesiæ Patrum cum Augustino in toto gratiæ & prædestinationis dogmate, permagni omnino momenti est, & copiosiùs pertractari desiderat; ideo specialem illi elucidandæ librum infrà seposuimus.

Specialem quoque tractatum dedicavimus infrà explanandæ & prædestinationis per gratiam, & gratiæ secundùm propositum prædestinantis Dei invictissimæ efficaciæ; & tum prædestinationis, tum gratiæ, per quam infallibiliter prædestinatio executioni mandatur, concordiæ illuminandæ.

Singulari quoque seorsim libro ventilandæ infrà erunt, nisi voluminis enormitas prohibeat, illæ quæstiones, de voluntate Dei ad omnium hominum salutem prona, & de sanguine Christi pro omnibus hominibus fuso. Si per tomi molem non liceat, in tomum alium istæ conjicientur.

XI. Illum verò de prædestinatione & reprobatione tractatum claudemus monitis & cautionibus quibusdam ex Augustino promptis, & usui ut spero futuris ad demulcendos eorum animos, quos hujus doctrinę altitudo magis quàm asperitas perterruerit. Prima ergo cautio hęc est, non elevari, non frangi spem, sed exaggerari, ubi tota in Deo jubetur collocari. Quis enim voluntatis suæ versatilem inconstantiam, quis justus cordis adhuc sui contagiosas quasdam pravitates, & fallentes vitiorum fibras non experitur? Quis hæc expertus non contremiscat, si sibi salutis suæ clavum committi audiat, quis non malit Dei omnipotenti clementiæ illum committi? *Absit à vobis, ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis, &c. An verò timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo; non autem desperaret, si eam in seipso superbissimus & infelicissimus poneret?* De dono perf. c. 22.

XII. Secunda cautio est, cum dignosci à nobis non possint, qui in libro prędestinationis conscripti, qui expuncti sint, omnes inter quos degimus fideles, Scripturarum more, pro prædestinatis haberi debere; atque ita omnibus adhibenda correptio, iteranda exhortatio frequens ad resipiscendum, ad perseverandum in bono; quia & ad hoc electi prędestinantur & juvantur à Deo, ut per exhortationes, per correptiones, per flagella ad pietatem extimulentur, & in pietate firmentur. *Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri. Hoc quippè fit, cum singulos quosque ut occurrerint, cum* De Correp. & gra. c. 15.

quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, ut justificati ex fide pacem haberent ad Deum. Et mox: *Ad nos ergo qui neſcimus, quiſnam ſit filius pacis, aut non ſit, pertinet nullum exceptum facere, nullumque diſcernere, ſed velle omnes ſalvos fieri, quibus prædicamus hanc pacem. Neque enim metuendum eſt, ne perdamus eam, ſi ille cui prædicamus, non eſt filius pacis ignorantibus nobis. Ad nos enim revertetur, id eſt, nobis proderit hæc prædicatio, non illi: ſi autem ſuper eum pax prædicata requieverit, & nobis, & illi.* Denique inferiùs luculentiſſimè rurſum idem Auguſtinus: *Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædeſtinatos à non prædeſtinatis diſcernere non valemus, & ob hoc omnes ſalvos fieri velle debemus; omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda eſt à nobis medicinaliter ſevera correptio. Dei eſt autem illis eam utilem facere, quos ipſe præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui. Si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat; cur non etiam timore corripimus, ne aliquis inde plus pereat?* (Ibid. c. ult.)

XIII. Tertia cautio eſt tantò vehementiùs incumbendum eſſe prædicationi, exhortationi, correptioni, orationi, operibus pietatis, quibus omnibus fruſtra garriunt obſtrepere fidem gratuitæ prædeſtinationis; quantò perſuaſum nobis eſt prædeſtinatum à Deo eſſe, ut per hæc ipſa pietatis adminicula, & humanæ induſtriæ molimina, prædeſtinatorum ſalus promoveatur. Unde ſcitiſſimè author librorum de Vocatione Gentium: (L. 2. c. 36.) *Quamvis ergo quod ſtatuit Deus, nulla poſſit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrii devotio relaxatur: cùm implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus affectus, ut per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum; & qui bona geſſerint, non ſolùm ſecundum propoſitum Dei, ſed etiam ſecundum ſua merita coronentur. Ob hoc enim in remotiſſimo ab humana cognitione ſecreto, præfinitio hujus electionis abſcondita eſt.*

XIV. Quarta cautio eſt, quando incurrunt cauſæ, ut prædicari debeat populis gratuita Dei prædeſtinatio, eo munere fungi nos debere tam circumſpectè & tam conſideratè, ut ne quid offenſionis & ſcandali excitetur. Incurrere enim cauſas iſtiuſmodi certum eſt, videlicet quando vel omnibus in commune prodeſt ea prædicatio, vel nobis tacentibus pejores fiunt, qui hanc doctrinam capere poſſunt; nobis autem prædicantibus pejores fiunt, qui eam non capiunt. Tunc enim cùm melior ſit cauſa intelligentium, quàm non intelligentium, ſatius eſt illis conſulere, quàm his. Audi Auguſtinum: (De dono perſ. c. 16.) *Cauſas verum tacendi longum eſt omnes quærere, vel inſerere, quarum tamen eſt & hæc una, ne pejores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores; qui nobis aliquid tale tacentibus, doctiores quidem non fiunt, ſed nec pejores fiunt. Cum autem res vera ita ſe habet, ut fiat pejor nobis eam dicentibus, ille qui capere non poteſt; nobis autem tacentibus ille qui poteſt, quid putamus eſſe faciendum? Nonne potius eſt dicendum verum, ut qui poteſt capere capiat; quàm tacendum, ut non ſolum id ambo non capiant, verum etiam qui eſt intelligentior, ipſe ſit pejor? Qui ſi audiret & caperet, per illum etiam plures diſcerent. Quo enim eſt capacior ut diſcat, eò magis eſt idoneus ut alios doceat.*

Qua Auguſtini regula nihil cautius, nihil ad charitatis & ſapientiæ cœleſtis leges accuratius fieri potuit. Itaque exertæ iſtæ veritates tunc promulgandæ populis ſunt, quando pronis & inoffenſis auribus excipiuntur, & in commune omnibus proſunt. Cùm offenduntur verò aliqui earum prædicatione, nec illarum ſilentio quidquam cuiquam damni importatur, tunc utrique ſilentio premi debent. At verò cùm ita non intelligentes offenduntur earum promulgatione, ut intelligentiores earum ſilentio patiantur detrimentum; tunc æquius eſt his quàm illis proſpici.

XV. Sed ne tum quidem cùm juſtæ incidunt cauſæ, ut prædeſtinatio prædicetur, ita prædicanda illa eſt, ut animi aureſque fidelium aſperitate prædicationis offendantur. Nemo tam rudis eſt, qui non à Deo certus ſit præſciri omnia. Non debet tamen ita prædicari Dei præſcientia, ut offendantur ſimpliciores, quod perinde fieri poſſet ut in prædeſtinatione evulganda. (Ib. c. 21. 22.) *Quæ tamen prædeſtinatio non ita populis prædicanda eſt, ut apud imperitam vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodammodo ipſa ſua prædeſtinatione videatur, ſicut redargui videtur præſcientia Dei, quam certè negare non poſſunt, ſi dicatur hominibus, Sive curratis, ſive dormiatis, quod vos præſcivit qui falli non poteſt, hoc eritis.*

Subiicit his Auguſtinus varia exempla, tum crudioris & duriſſimæ, tum mitioris & circumſpectæ iſtiuſmodi prædicationis, ſive de præſcientia, ſive de prędeſtinatione verba fiant ad plebem, cùm tamen utrobique eadem ſententia vigeat, eadem doctrinæ veritas conſtet. Non ergo ita concionandum eſt, *Si qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis reiiciendi, ſubtrahentur vobis obediendi vires, ut obedire ceſſetis*: ſed ad iſtum potiùs modum: *Vos etiam ipſam obediendi perſeverantiam ſperare debetis, & quotidianis orationibus poſcere à Patre luminum, à quo deſcendit omne datum optimum & omne donum perfectum; atque hoc faciendo confidere non vos eſſe à prædeſtinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciatis ille largitur.* Ita de Juſtificatorum perſeverantia. Jam de impiorum converſione, vide quid probet, quid improbet prędicari Auguſtinus ibidem: *Nec illud eſt omninò dicendum, Cæteri qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo necdum ſurrexiſtis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miſerantis erexit. Cum bene & convenienter dici poſſit & debeat, Si qui autem adhuc in peccatorum damnabili delectatione remoramini, apprehendite ſaluberrimam diſciplinam: quod tamen cùm feceritis, nolite extolli quaſi de operibus veſtris, aut gloriari, quaſi hoc non acceperitis; Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari.* Plura non addam, abundè enim hæc ſunt, ut intelligatur qui flectenda ſit & accommodanda mollibus vulgi auribus veritas, nullo veritatis diſpendio, magno charitatis emolumento.

XVI. Quinta cautio eſt, ita inflecti temperarique debere hæc Theologica placita de prædeſtinatione, ut ea doctrina inſpiret fidelibus ingentem ſuarum virium diffidentiam, gratitudinem animi erga eum qui ſibi condonet ea quæ in aliis nihilo nocentioribus tam atrociter plectat; humilitatem, & ex ſola Dei gratia fiduciam ſpemque ſalutis omnem; tremorem caſtum, & admirationem omnipotentis miſericordiæ & juſtitię Dei, qui cùm omnes reprobare poſſet, multos elegit, & ad eorum utilitatem cęteros contorſit, quia electorum aliqui & aliquammulti ſunt, qui *niſi malorum cooperatione non poſſint ad bonum proficere*: teſte eodem Auguſtino. (De Gen. ad lit. l. 11. c. 11.)

CAPUT XII.

Obſervantur aliqua circa ſuprapoſitas objectiones, objectionumque ſolutiones. De gratia quæ non ſubtrahitur juſtis cadentibus. Nil Deo futurum, ideo nec præſcientia propriè, nec prædeſtinatio. De ordine decretorum Dei. Quid de fide ſanxerint Concilia & Pontifices.

I. Quibus ſemel remiſſa ſunt peccata, non illi unquam

unquam ob peccatum originis reprobari, aut damnari censendi sunt.

II. Si qui justi in justitia non perseverant, iis non subtrahuntur vires perseverandi; sed gratiam prius ipsi deserunt, & tunc deseruntur.

III. Adjutorium gratiæ quod justi non perseverantes deserunt, & deseruntur, cujusmodi sit. Nec habitualis est gratia, nec actualis efficacissima.

IV. Objectiones suprapositæ in eo fere luto hærebant, quod ex populari & crasso loquendi usu præscientia & prædestinatio Dei voluntates & actiones nostras infinito quodam tempore antecedit. At reapse non antecedit, nec ulla est verè Dei præscientia, vel prædestinatio ejusmodi, sed scientia, & dispositio omnipotens rerum præsentium, non futurarum.

V. Probatur ex Anselmo nullam verè esse antecessionem istiusmodi, sive præscientiæ, sive prædestinationis divinæ.

VI. Idem confirmatur exemplo malorum operum, quæ præscit, & omnipotenter ordinat Deus, etsi non faciat.

VII. De ordine decretorum divinorum, ut alia aliis priora, vel posteriora sint, non magnoperè satagebant Patres.

VIII. Suffragatio Augustini.

IX. Ordo decretorum divinorum operosè magis, quàm fructuosè inquiritur.

X. Exemplis id declaratur. De voluntate Dei, ut omnes salvi fiant.

XI. Quàm pauca ex his quæ ad gratiam & ad prædestinationem spectant, in fidei regulam sint recepta. Sobrietas Synodorum & Pontificum. Mira Prosperi moderatio, ubi nomine Pontificis Romani de his scripsit.

I. Nonnulla hìc quasi ad cumulum adiiciemus, usui futura ut spero, tum ad majorem lucem supradictis infundendam, tum ad substernendam complanandamque viam inferiùs vel alibi disputandis.

Observandum illud primò venit, eo uno maximè capite amputari & anteverti offensiones plurimas, quod ex Augustino & Prospero exsculpere & inculcare laboravimus: nimirum non uni prævisioni peccati originalis inniti omnium reprobationem; sed etiam prævisioni actualium, & sæpissimè actualium dumtaxat culparum, scilicet post veniam factam peccati originalis per baptismum, vel alio quocumque modo. Moventur, stomachantur & resiliunt non pauci ex incogitantia aut ignorantia hujus rei, & adultos semel justificatos suspicantur postea, ubi ceciderint, reiici & reprobari propter peccatum originis. In quo aberrant illi à vero immane quantum. Non prævidit enim illos Deus in peccato vita abituros, eoque perituros & à massa damnationis non discretos, nisi quia jam ante eos prævidit à donata justitia sponte sua & ignavia recessuros.

II. Observandum secundò illud quod etiam suprà jam approbare studuimus, hominibus semel justificatis, & in justitia non perseveraturis, ideoque à massa damnationis non secretis, non subtrahi vires & auxilia obedientiæ, quibus priùs stabant. Negavit constanter Augustinus, negavit Prosper subtrahi has vires, quæ utique vires gratiæ sunt, unumque illud astruxerunt, justis his sponte sua ruentibus, Deum derelinquentibus, gratiam deserentibus, tum demum effici, ut relinquat illos Deus, & gratia illos deserat. Unum illud & Augustinus & Prosper contendebant divinæ justitiæ & vindictæ documentum esse, quòd deserentes deserantur, & contempta ab eis tunc gratia, ad eos non redeat; quæ rediret utique, si ex massa damnata illos discrevisset electio gratiæ.

III. Observandum tertiò gratiam illam qua justificati stant, & à qua cadunt, cum cadunt; quam deserunt priores, & ita deseruntur; gratiam inquam istiusmodi non tantæ esse efficaciæ, ut infallibiliter assensum voluntatis extorqueat: sed tantæ esse necessitatis, ut sine ea justus nec facere possit bene, nec velle. Si enim tantæ esset efficaciæ, utique non prior desereretur; sed vel prior desereret, vel invictissimè ipsa efficeret ne desereretur. Ergo cum aiebat Prosper, cum aiebat Augustinus justos hujusmodi deserere gratiam, & ita ab ea deseri, nec de gratia justificante verba faciebant, nec de gratia actuali invictissimè efficaci. Non quidem de gratia justificante, quia non deseritur propriè nisi illa gratia actualis & operosa, qua quis priùs in bono stabat, & singulis morigerabatur Dei mandatis; peccato autem quo deseritur hæc gratia, effugatur etiam gratia justificationis. Ita Augustinus suprà aiebat Adamo stanti datum esse adjutorium sine quo non posset stare, non quo fieret ut invictissimè staret, sed quod desereret si vellet, in quo permaneret si vellet; denique hoc adjutorium si desereret, desereretur & ipse. Nemo dubitat hoc adjutorium ad gratiam actualem spectasse. Non enim de gratia invictissimè efficaci intelligi potest, quòd deserens nunc eam deseratur; ut jam enim monui, hæc gratia vel ipsa prior deserit, vel efficit indeclinabiliter ne deseratur. Gratia ergo ista quam justus nunc quandoque deserit, & tunc etiam ipse deseritur, instar est illius adjutorii sine quo non stat, in quo stat si vult, non quo invictissimè fit ut velit. Si dicas autem ab Augustino hoc adjutorium dici proprium hominis stantis, sicut adjutorium quo infallibiliter sequitur effectus, ab eodem vendicatur homini per Christum reparato: respondeo ibi sermonem esse de perseverantia usque in finem; ad eamque ex Augustini sententia, Angelis qui steterunt, & Adamo si stare voluisset & ipse in veritate, sufficientissimo fuisse adjutorium illud *sine quo non*, instar habens alimentorum & lucis, quibus vivit & videt qui vult; non tamen his fit ut indeclinabiliter quis velit vivere & videre; adjutorium autem *quo* infallibiliter efficitur res, adsignari ab eodem sancto Patre homini reparato, non ad singulos actus, sed ut in finem usque & perseverare possit, & perseveret certissimè. At non hìc agitur de perseverantia usque in finem, sed de particula illa temporis & actione singulari, qua justus quis à justitia descivit. Indubitatissimum est autem ex Augustino, ex Patribus, ex Theologis, ex Concilio ipso Tridentino, speciale quoddam & efficacius nunc auxilium gratiæ opus esse ad perseverandum in justitia toto vitæ curriculo, inter tantas tentationum procellas, quàm ad actionem aliquam singularem sejunctim spectatam. Hoc porrò ita fixo & constituto, adjutorium illud gratiæ actualis, quod justus cadens deserit, istiusmodi esse, jam non modica pars difficultatis elevatur. Verè enim non subtrahuntur obedientiæ vires justo cadenti; sed viribus & auxiliis quibus antè stabat, adhuc aspirantibus, ipse pigritatur uti; ita gratiam deserit, & deseritur in massa damnationis. Sed de his plura alibi ubi disceptatio erit de gratia illa invictissima, & tamen libertatis nostræ amicissima, qua prædestinati ad fœlicitatis sempiternæ portum pervehuntur.

IV. Observa quartò objectionum suprà positarum magnam partem in eo hærere, quòd tota æternitate & infinito quodam intervallo antecedant nostras voluntates divina tum præscientia, tum prædestinatio. Molestè enim ferunt, & hominum actiones liberas, & cujusque sortem adversam prosperamve, & secretionem à massa damnata, vel desertionem non electorum in ea, & denique reditum cujusque in beatam patriam, vel æternum ab ea exilium, tamdiù antè à Deo præfiniri: cùm quidquid conentur homines in tempore, non alii esse possint, non aliò evadere, quàm ab æterno præfinitum sit. Atqui tota illa antegressio imaginaria est, & ad humanæ tantùm consuetudinis infirmitatem accommodata. Reapse enim nil Deo futurum, nil præteritum est, omnia præsto & præsentia illi

illi sunt? nihil propriè præscit, aut prædestinat; sed res ipsas præsentes scit, videt, facit. Non ergo magnoperè laborandum in eo est, quomodo voluntas ab æterno ista præfiniens, cum libertate nostra conciliari queat. Nec enim tempore aut infinito aut ullo res temporales Deus antecedit; sed eò antecedit eas, quòd infinita quadam immutabilique potestate illas omnes sive præteritas nobis, sive futuras, præsentes sibi semper esse faciat. Ut ergo molliuntur vel vanescunt potiùs objectiones, quæ ex præscientia divina lacessebant nostram libertatem, hoc uno responso, quòd nulla propriè sit Dei præscientia, nulla prævisio, sed visio tantùm & scientia rerum coram astantium: ita si prędestinatio Dei intelligatur esse non decretorum series infinitis sæculis nostras voluntates & actiones antegressa; sed voluntas Dei præsens, & operatio Dei præsens, opportunè voluntates nostras oppugnans, minis terrens, blanditiis deliniens, artibus innumeris & mirabilibus modis contumaciam ejus labefactare certans, & infatigabili sapientia, congruentia constantiaque tandem expugnans; non erit jam quod his objectionibus tantoperè moveamur.

V. Unum hìc testem laudabo Anselmum, cui reliquos omnes Patres Latinos Græcosque astipulari facilè intelliget, cui non omninò exciderint animo, quæ semel & iterum superiùs disputata sunt, de temporum temporaliumque simul omnium rerum præsentia semper stante in æternitate divina. Sic ergo Anselmus in libro *de concordia præscientiæ, prædestinationis & gratiæ divinæ cum libero nostro arbitrio*, qui aureolus sanè liber est, & huic maximè rei enucleandæ dicatus: *Cum ergo ait Apostolus, quia Deus præscivit Sanctos suos, prædestinavit, vocavit, justificavit, magnificavit, nihil horum prius aut posterius apud Deum est, sed omnia simul æterno præsenti sunt intelligenda*. Subdit eventa libera & contingentia verè libera esse, & posse non esse, in tempore, & in nostra voluntate, quandiu futura sunt, & nondum sunt; etsi necessaria sint in præscientia, in prædestinatione & in æternitate divina, ubi præsentia sunt, & per præsentiam sunt determinata. Et infrà: *Sciendum quia sicut præscientia non in Deo dicitur propriè, ita nec prædestinatio: quia illi nec antè nec post aliquid est, sed omnia sunt ei præsentia*. Cùm ergo in tempore voluntas nulla necessitate agatur, aut agat; ita nec præscientia, nec prædestinatio ullam inferunt necessitatem, cùm res Deo tantùm præsentes ut sunt exhibeant, nec eas antè prędeterminent. *Neque enim præscit Deus, neque prædestinat quenquam justum futurum necessitate, &c. Pariter igitur quamvis necesse sit fieri, quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur; quædam tamen præscita & prædestinata non eveniunt ea necessitate, quæ præcedit rem & facit, sed ea quæ rem sequitur. Non enim ea Deus quamvis prædestinat facit, voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua illam potestate dimittendo. Quamvis tamen sua voluntas utatur potestate, nihil tamen facit, quod Deus non faciat in bonis sua gratia; in malis non sua, sed ejusdem voluntatis culpa. Et sicut præscientia quæ non fallitur, non præscit nisi verum; sed erit, aut necessarium aut spontaneum: ita prædestinatio quæ non mutatur, non prædestinat, nisi sicuti est in præscientia. Et quemadmodum quod præscitur, licet in æternitate sit immutabile, tamen tempore aliquando antequam sit mutari potest, ita est per omnia de prædestinatione. Patet igitur ex his quæ dicta sunt, si bene considerentur, quia nec prædestinatio excludit liberum arbitrium, nec liberum arbitrium adversatur prædestinationi. Siquidem omnia illa quibus suprà monstravimus liberum arbitrium præscientiæ non repugnare, pariter ostendunt, illud prædestinationi concordare*.

VI. Vides nihilo plus infestam esse libertati creatę prędestinationem, quàm pręscientiam divinam: propterea quòd utrique res nostrę pręsentes revera sint, quamvis ex humana consuetudine preteritę dicantur, vel futuræ. Præscientia quippè & prævisio quæ verè non est nisi scientia & præsens visio, nihil officit libertati voluntatum vel actionum quas præsentes spectat & contemplatur. Idem sentiendum de prædestinatione, cui similiter omnia sunt præsto. Adfert & hanc aliam rationem Anselmus, quòd mala etiam & peccata Deus & præsciat & ornet, eo qui suprà expositus est modo. At peccata Deus non cogit, non facit ex necessitate & infallibiliter esse. Similiter ergo, ut ordinari peccata & supplicia, ita prædestinari à Deo possunt & bona opera & æterna pręmia, citra ullam creatæ libertatis jacturam. Ut verò Deus de malis voluntatibus facit quod vult, & torquet eas quocumque vult, occasionibus causisque congruis objectis, ut suprà de Pharaone ex Augustino & Aquinate declaratum est; ita & multò faciliùs de bonis voluntatibus facit Deus quod vult, & eas quocumque vult flectit, & undecumque vult deflectit in bonum; etsi nihilo plus infallibili ulla ad hoc utatur prędeterminatione. Idem ibidem paulò pòst: *Adjuvat etiam gratia liberum arbitrium, quando ut deserat rectitudinem acceptam, impugnatur, mitigando, aut penitus removendo vim tentationis impugnantis, aut augendo effectum ejusdem rectitudinis. Denique cùm omnia subjaceant dispositioni Dei, quidquid contingit homini, quod adjuvat liberum arbitrium ad accipiendum aut ad servandum hanc de qua loquor rectitudinem, suæ gratiæ imputandum est*. Ubi vides quomodo Deus voluntates rectas, id est, justificatas & justas, in bono firmet & contineat, & tentationum victrices efficiat; nimirum vel vim tentationis minuendo, vel vires gratiæ & fortitudinis interioris augendo, vel innumera adhibendo intrinsecus incitamenta, quæ apta nata sint voluntates quocumque inclinare. Hęc enim omnia Deus in potestate habet, & ut sibi collibitum est, moderatur & dispensat, in præsenti ea adhibens ad voluntates nostras quando vult, ad bonum revocandas per justificationem, vel in bono retinendas per voluntariam perseverantiam. Sive autem bonas ad bonum, sive malas in malo voluntates creatas Deus ita ad nutum suum torqueat, nulla unquam eas necessitate constringit. Sed de his infrà alibi suo loco.

VII. Observa quintò non magnoperè laborasse sanctos Patres de ordine aliquo inter decreta divina constituendo, ut alia prægrediantur aliis, alia aliis priora & posteriora sint; nec istas signorum aut momentorum distinctiones adhibuisse ad enodandas controversias Theologicas de incarnatione Verbi, de præscientia, de prędestinatione & reprobatione Dei. Uno contenti erant illi hoc decreto, quod omnibus convenit, uno nempè ęterno & simplicissimo actu omnia simul & semel & velle Deum, & præfinire, & procreare, ita ut ea quidem quę pręfinit & procreat, alia aliis priora, vel posteriora sint, tanquam universalia & particularia, causę & effectus, vel quocumque demum alio modo; ipsa verò decreta quibus ea vult, omnia simul & unum esse intelligantur; nec ordo quisquam inter ipsa cogitandus fingendusve sit. Illum enim duntaxat ordinem, illamque antecessionem Scripturæ significant, qua Dei scientia & voluntas, ut causa rerum & æterna, res temporales omnes prægreditur; vel qua res una temporalis alias vel causæ, vel naturæ dignitate anteit; non qua una aliqua Dei voluntas, aut scientia alias antevolet. *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante tempora sæcularia*. Non acervabo plura, quòd ad manum & obvia omnibus sint.

VIII. Augustinus etiam manifestissimè huic decretorum divinorum indistinctæ unitati & simplicitati suffragatur. *Num dicetis falsa esse, quæ veritas voce forti mihi in aurem interiorem dicit* Confess. l. 11. c. 15.
de ve-

de vera æternitate Creatoris, quod nequaquam ejus substantia per tempora varietur, nec ejus voluntas extra ejus substantiam sit? Unde non eum modò velle hoc, modò velle illud; sed semel & simul & semper velle omnia quæ vult: non iterum & iterum, neque nunc ista, nunc illa; nec velle postea, quod nolebat; aut nolle quod prius volebat; quia talis voluntas mutabilis est, & omne mutabile æternum non est; Deus autem noster æternus est. Et rursus idem ibidem de Verbo Deo, qui unus est & simplicissimus, & quo Pater vult, & definit, & facit, quæcumque vult, & definit, & facit omnia. *Vocas itaque nos ad intelligendum Verbum Deum apud te Deum, quod sempiternè dicitur, & eo sempiternè dicuntur omnia. Neque enim finitur quod dicebatur, & dicitur aliud, ut possint dici omnia; sed simul & sempiternè omnia. Non ergo quidquam Verbi tui cedit atque succedit, quoniam verè immortale, atque æternum est. Et ideo Verbo tibi coæterno simul & sempiternè dicis omnia quæ dicis; & fit, quidquid dicis, ut fiat; nec aliter quàm dicendo facis, nec tamen simul & sempiternè fiunt omnia, quæ dicendo facis. Cur quæso te; nisi quia omne quod esse incipit, & esse desinit, tunc esse incipit & desinit, quando debuisse incipere & desinere in æterna ratione cognoscitur, ubi nec incipit aliquid, nec desinit? Ipsum est Verbum tuum.* Rerum ergo ipsarum inter se præcessio est aliqua & successio, decretorum divinorum non ita, sed omnia simul unum simplicissimum decretum, unum consilium Dei sunt, unum Verbum.

L. 11. c. 7. 8.

IX. Ecquid attinet exempli gratia fingere priori aliquo decreto prædestinatum esse Christum, posteriori nos propter Christum? Quin potius dicitur uno omnipotente decreto prædestinatum esse Christum, ut finem, ut meritum, ut exemplar nostræ prædestinationis. Quorsum attinet primum statuere consilium Dei de creando orbe, secundum de permittendo lapsu, tertium de incarnando Verbo, quartum de reparando homine? Quin potius dicitur Deum uno nutu penes se & vidisse, & decrevisse simul & semel, sed per varia tempora discrevisse & creationem mundi, & permissionem peccati, & Verbi incarnationem, & redemptionem nostram? Non minùs quippè levatur & recreatur infirmitas nostra ordine constituto rerum ipsarum, quàm præfinitionum divinarum inter se ipsas. Nobis quidem consultius visum est hujus divinorum decretorum ordinis & antegressionis securos & incuriosos imitari sanctos Patres; cum vel maximè qui perspicuitatis ergo in hoc maximè ordine dirigendo studuerunt, incredibili quadam inter se dissensione rem implicuisse magis & obscurasse videantur.

X. Ne quis ergo molestus nobis sit in exigendo ordine & concentu divinorum decretorum, quibus omnes vult salvos fieri, & tamen tam multos reprobat, quos possit peræquè salvos facere ac electos suos: quibus item vult Christum omnibus servandis sanguinem suum impendere, & tamen à sanguinis hujus pretio & beneficio tam multos ipse, vel parvulos, vel adultos videtur excludere: quibus denique eos à massa damnationis non discernit, quibus & peccatorum veniam & justificationis gratiam primùm concessit. Decreta Dei hæc omnia uno simplicissimo constant voluntatis nutu, quo vult Deus res fieri, & facit, ut fiunt: ex quo fit ut vigilare potius debeat nostra diligentia in exploranda ratione ipsa & via, qua res fiunt, quàm in excutienda velut multiplici Dei voluntate, qua fiunt. Non ergo anxiè rimabimur, eccubi interlocandus sit ille voluntatis divinæ nutus, quo vult etiamnum omnes salvos fieri: an ante creationem hominis, an in ipsa hominis creatione in tanta servandæ sibi suisque posteris gratiæ felicitate, an post peccatum prævisum, an post incarnationem Verbi sui præfinitam, & quæcumque alii aliter senserunt. Nobis abundè est, ut intelligatur Deus & velle ut omnes salvi fiant, & & hanc ejus voluntatem non esse sterilem beneficiorum, etiam in eos qui reprobi dicuntur. Non pugnat autem, ut & velit aliquos salvos fieri, & juvet illos, ut salvi fiant, & æternis addicat pœnis, quòd hæc auxilia ad salutem opportuna volentes scientesque frustraverint.

XI. Observa quintò & ultimò has omnes controversias & querelas sive Massiliensium adversus Augustini doctrinam, sive Augustini discipulorum adversus Massilienses, sopitas sedatasque fuisse, tum in Consilio Arausicano II. tum à Bonifacio Papa II. Atqui & Synodi & Pontificis hujus Canones & Epistolæ, præclarissimè quidem definiunt, ipsa quoque fidei & bonæ voluntatis initia ac prima rudimenta, quin & totam salutis nostræ fabricam divinæ gratiæ acceptam referri debere; at abstrusiores istas & spinosas de præscientia, de prædestinatione, & de reprobatione quæstiones ne attingunt quidem. Par Cœlestini Papæ fuerat moderatio, si verè ejus sunt, quæ sub ejus nomine circumferuntur definitiones de gratia; sed & si authoritate Cœlestini Papæ à Prospero conscriptæ sunt, ut non paucis videtur, utque multis locis Hincmarus insinuat, tantò major incessere nos debet admiratio hujus tantæ sobrietatis. Cùm enim effusissimè Prosper & concitatissimè scripsisset suo privatim nomine adversus Augustinianæ de gratia doctrinæ obtrectatores, & nullam ibi intricatarum istiusmodi quæstionum de prædestinatione, de reprobatione, de oblata omnibus salutis facultate, de voluntate Dei omnium salvifica, de Christi morte omnibus impensa, intactam prætermisisset; ubi sedis Apostolicæ nomine & authoritate stylum moderatus est, ad fidei regulas conscribendas, non ad Theologicas disceptationes librandas, tunc certè paucissima facillimaque tantùm sanxit, & ab illis reconditioribus quæstionibus definiendis, prorsus abstinuit; idque his ipse verbis palam professus est: *Profundiores verò difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt: ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.*

Ann. Chr. 529.

LIBER NONUS.

DE NECESSARIA GRÆCORUM, Latinorumque Patrum, Augustino anteriorum, concordia cum Augustino ipso & ejus sequacibus in Theologicis de prædestinatione & gratia disceptationibus.

CAPUT PRIMUM.

Quod præfationis instar habet in hunc librum.

I. Qui primum cœperint aliqua inter Augustinum & cæteros Patres dissidia somniare hoc ævo. Hugo Grotius Augustino infestus, quod in Arminii partes ipse propenderet.

II. Vossius plus æquo & ipse iniquis suspicionibus indulgens.

III. Summa fastigia nostræ pro Patrum concordia defensionis generalis.

IV. Summa capita defensionis specialis, nempè de prævenientis gratiæ necessitate, ad qualiacumque boni initia, de prædestinatione meritum quodcumque anteeunte, & de vi gratiæ efficacis tanta, quanta prædestinationi exequendæ par sit.

V. Gratiæ efficacia nunc prædeterminanti Dei motioni, nunc contemperationi ex scientia media libratæ imputatur.

VI. Opportunior est sanciendæ inter Patres concordiæ tertia sententia, quæ gratiæ vim efficacissimam & victricem locat in plurium omnis generis auxiliorum conspiratione, quorum singula frustrari possint, universa non possint.

VII. Tres illæ de gratia efficaci sententiæ, authoribus magni nominis singulæ inter Catholicos Theologos convaluerunt. Nos in tertiam, mirum, abduxit sanctus Thomas, eo jam propendentes ex Patrum infatigata meditatione.

VIII. Pacate ferre debent Catholici Theologi hanc sententiarum de gratiæ efficacia alternationem, dum constet gratuitæ prædestinationis placitum.

IX. Nec defensores hinc congruæ, inde prædeterminantis gratiæ, conflictari inter se decet, nisi quantum fas est salvo pacis & charitatis vinculo, veritatis indagandæ amore sobrio, non insanæ contentionis æstu.

X. Seponendorum tantisper præjudiciorum necessitas.

I. IN prędestinationis & gratię decretis minùs convenire Augustino ejusque sequacibus cum Grecorum admodum omnium Latinorumque ipso antiquiorum Patrum examine; & novasse quędam illum, ac suopte marte additamenta excogitasse, à superiorum Scriptorum consensu aliena, non ita pridem cœperunt, nec pauci, nec ignobiles è sectariis apertè profiteri, è nostratibus suspicari, & clanculùm mussare. Operę meę pretium fore duxi, si insulsam hanc evellerem sive opinationem, sive suspicionem ex hominum animis, & inconcussam in reliquo orthodoxę doctrinę dogmate utriusque Ecclesię Magistrorum concordiam, hac quoque in parte intemeratam vigere commonstrarem. Unus & alter priùs nobis hìc audiendus incentor discordię, in quos nostra deinceps certiùs specula destinemus.

Itaque Hugo Grotius in Annalibus rerum Belgicarum ita habet: *Lugduni sacras litteras docebant viri eruditioae præstantes Gomarus & Arminius; quorum ille æterna Dei lege fixum memorabat, cui hominum salus destinaretur, quis in exitium tenderet. Inde alios ad pietatem trahi & tractos custodiri, ne elabantur; relinqui alios communi humanitatis vitio, & suis criminibus involutos. Hic verò contrà, integrum judicem, sed eundem optimum patrem, id reorum fecisse discrimen, ut peccandi pertæsis, fiduciamque in Christum reponentibus, veniam ac vitam daret, contumacibus pœnam: Deoque gratum, ut omnes resipiscant, ac meliora edocti retineant, sed cogi neminem. Constat his, queis cura legere veterum libros, antiquos Christianorum tribuisse hominum voluntati vim liberam, tam in acceptanda, quàm in retinenda disciplina: unde sua præmiis ac suppliciis æquitas. Neque eidem tamen omisere, cuncta divinam ad bonitatem referre, cujus munere salutare semen ad nos pervenisset, ac cujus singulari auxilio pericula nostra indigerent. Primus omnium Augustinus, ex quo ipsi cum Pelagio & eum secutis certamen (nam antè aliter & ipse senserat) acer disputandi, ita libertatis vocem relinquere, ut ei decreta quædam Dei præponeret, quæ vim ipsam destruere videretur. At per Græciam quidem Asiamque retenta vetus illa ac simplicior sententia. Per Occidentem magnum Augustini nomen multos traxit in consensum, repertis tamen per Galliam & alibi qui se opponerent. Posterioribus sæculis cùm Schola non alio magis quàm Augustino Doctore uteretur, quis ipsi sensus, quis dexter pugna revisa conciliandi modus, diu inter Francisci & Dominici familiam disputato, doctissimi Jesuitarum, cum exactiori subtilitate nodum solvere laborassent, Romæ accusati, ægrè damnationem effugere.* In quibus quanta Grotius hallucinetur, toto ex hoc tractatu liquidum fiet. Unum hìc adverto, speciali hoc libro exufflandum, quod præjudicatæ superiorum Patrum, maximè Græcorum sententiæ obstrepere Augustinum, adeoque & ipsi Augustino posterorum complures dissentire impunè potuisse sentiat Grotius, id ex eo fieri, quòd in Arminii, hoc est in adversas Augustino partes esset ipse propensior.

II. Aliquantò enucleatiùs ista prosecutus est Gerardus Vossius in historia Pelagiana: *Græci Patres semper, Latinorum verò illi qui ante Augustinum vixerunt, dicere solent, eos esse prædestinatos ad vitam, quos Deus piè rectèque victuros prævidit, sive ut alii loquuntur, quos prævidit credituros ac perseveraturos: ita ut prædestinatio ad gloriam facta dicatur, secundùm præscientiam fidei ac perseverantiæ. Verùm non intellexere præscientiam eorum, quæ homo acturus erat ex viribus naturæ, sed quæ esset facturus ex viribus gratiæ, tum prævenientis, tum subsequentis: eoque antiquitatis ille consensus nihil ad Pelagianos vel Semipelagianos juvat, &c.* L. 7. Th. 8. 10. 11. 14. 17.

Cæte-

Cæterum Augustinus ut fortiùs premeret Pelagium, communi Patrum & à se jam Episcopo defensæ sententiæ, appendicem hanc annexuit, quod gratia uni præ altero offeratur, inque uno magis quàm alio efficax sit, id ab absoluto Dei decreto provenire. Hoc enim cum deficere non possit, eos omnes ac solos salvari, quibus Deus gratiam conversionis & perseverantiam absoluta salvandi voluntate destinavit. De conversione quæstio est, cur vocatorum unus præ altero convertatur. Patres ante Augustinum, & ipse priùs Augustinus, contenti fuissent dicere, id esse à recto usu liberi arbitrii. Sensere quippè gratiam dici efficacem ab eventu sive cooperatione humana: quasi quæ cæteroquin gratia sit sufficiens, ea cooperatione hominis reddatur efficax. Sed Augustinus porrò quærebat, cur cum uterque sit vocatus, hic præ altero gratia uti velit. Atque ajebat id esse à voluntate Dei secreta, qua unum præ altero elegerit ad vitam, ac propterea uni media ad salutem, quæ efficacia fore præviderit, præ alio destinarit, &c. Alterum quod communi priorum Patrum sententiæ Augustinus adjecit, perseverantiam respicit. Siquidem non contentus dicere, eam esse gratiæ donum, quod Catholici omnes fatebantur, addebat, illam fluere ab absoluto salvandi decreto; proinde quod ex duobus fidelibus justificatis, unus regenerationis gratia finaliter excidat, alter in ea vel perseveret, vel ante mortem resipiscat: hoc esse dicebat, à secretione ante omnia sæcula facta, qua Deus alios ad certum gratiæ gradum, alios ad ipsam æternam vitam destinasset: hos statuerit custodire ne labantur, vel decreverit misereri, ut resurgant; illorum lapsum (quem in præsenti rerum ordine, se impedire nolente, certò futurum prævidit) decreverit permittere: nec tamen illam gratiam lapsuris destinarit, qua certò resurgerent à peccato, & in posterum fideliter Christo adhærerent, &c. Nihilominus hanc communis sententiæ appendicem minimè potuit Augustinus Catholicis omnibus persuadere. Siquidem eorum qui Pelagium damnarent, duo genera erant: unum illorum qui prævenientem gratiam damnarent, atque hi Semipelagiani dicuntur; alterum eorum qui hanc agnoscerent, ac solum absolutum salvandi decretum reprehenderent; aliqui ut incertum, alii ut falsum; utrique ut novum, nec prædicandum, &c. Interim fatendum est à celebratissimis Occidentalis Ecclesiæ Antistitibus esse defensam: sed ita defensam hanc Augustini appendicem, ut nec pauci eruditione præstabiles, in Galliis in primis dissentirent. Cur verò nihil communi authoritate statuerint, tum illud in causa fuit, quod hæc quæstio esset inter eas de quibus salva charitate dissentire liceret: tum quod existimarent Patres non Pelagium tantùm, sed Massilienses quoque abundè refelli, si iis obducerentur illa Scripturarum loca, quibus docetur necessitas gratiæ ad singulos pietatis actus, etiam fidei imperfectæ & initiorum bonæ voluntatis: utut ad absolutæ prædestinationis dogma minimè recurratur.

III. Hæc ille, specie veri falsus, fallensque: cæteroqui & Augustini famæ, & traditionum orthodoxarum constantiæ, & gratuitæ prædestinationis, gratiæque efficacis dogmati inconcusso vehementer injuriosus. In hoc igitur versabitur liber iste argumento, ut nihil ab Augustino novatum, nihil quod Orientalium Patrum, nihil quod priorum Occidentalis orbis Catholicorum consensioni adversaretur, invectum fuisse declaretur. Idque tum generalibus primò efficiemus argumentis, ab utriusque Ecclesiæ Patrum concentu per alia omnia constantissimo; tum sigillatim à Græcorum & Patrum & Conciliorum concordia cum Augustino in initiis quantuliscumque boni divinæ gratiæ vendicandis: in Pelagianis & Pelagianorum reliquiis percellendis: tum denique à Græcorum quorumcumque Patrum & Latinorum Augustino suppariurn vel superiorum suffragiis in hæc ipsa, de quibus certamen nobis est, capita coacervatis.

IV. Specialia autem ineundæ conciliationis fastigia inter Augustinum & Patres alios, tria hęc potissimum spectabimus, ad quæ revocari facilè cætera possunt omnia. Primùm ut prævenientis gratię auxilio, tum fidei, tum pœnitentię, tum cujuscumque bonę voluntatis initia quamlibet rudia accepta ferantur: perperam enim nonnulli Gręcos & Latinos prioris ęvi Patres de his initiis Deo adscribendis molliùs & indiligentiùs scripsisse suspicantur. Secundò ut gratuitę prędestinationis, nec meritorum quorumcumque pręscientię, sed mero Dei proposito, & miserendi consilio ęterno superstructę Patres utriusque orbis antiquissimi patrocinium susceperint. Tertiò ut gratię efficaciam ex parte Dei tantam omnes adscribant, quanta pręstandę gratuitę prędestinationi & ad exitum perducendę abundè sit.

V. Cùm autem vis & efficacia gratię, quantam gratuitę prędestinationis incommutabile propositum desiderat, trifariam à Theologis exponatur: quę & Augustini menti verbisque, & cęterorum, maximè Gręcorum Patrum conglutinandę concordię opportunior sit, & difficultatum impendentium moli elevandę: obiter hìc & in antecessum indicabimus, prolixe postea & validissimè ut Deus dederit, hoc ipsum demonstraturi. Eam enim efficaciam aliqui physicæ prædeterminanti gratiæ imputant, quæ voluntatem huc & illuc alioqui versatilem anteveniat, occupetque flectere in eam partem, quæ divino consentiat proposito. Alii gratiæ non tam omnipotentiam, quàm congruitatem & contemperationem sectantur, cui æternam Dei substernunt præscientiam, eam videlicet quam mediam & conditionatam appellitant: qua Deus ante sæcula prævidit, quibus quisque consentiret, dissentiretve gratiæ delinimentis, nequaquam determinantibus voluntatem, sed ejus tantùm provocantibus determinationem. Ita enim pronum Deo esse ajunt, prædestinationis æternæ propositum exequi, eas electis suis gratias impartiendo, quas voluntatis consensum eblandituras prævidit. Jamdiu est quod scholas Teologicas harum sententiarum alterutra universas personat, suis utraque commodis, suis etiam difficultatibus insignis. Prior quippè ut gratiæ amplitudinem luculentiùs commendat, ita libertati minùs prospicere jactatur. Posterior libertati humanæ consulit impensiùs, sed efficacis gratiæ dispendio, si qua fides ejus adversariis habenda sit.

VI. Tertia nobis, eaque ut longè simplicior, ita sanctorum Patrum utriusque Ecclesiæ, & præ cæteris Augustini, & quod magis mireris, ipsius Angelici Scholæ Principis, Thomæ Aquinatis sententiis verbisque consonantior, ratio & via ineunda hæc videtur. Ut nimirum gratiæ efficacia in eo sita sit, quòd cùm secundùm Dei prædestinantis propositum salvificum indeclinabile conferatur, ita interiùs exteriùsque hominem incessat & obvallet, ita importunè opportunèque intrudat se vel illabatur, ita blandiendo terrendoque, nunc amoris blanditias, nunc pœnas & vincula ingerendo, pertentet & fatiget animum, ut consensum vel pelliciat vel expugnet. Ita ineluctabilis efficacia gratiæ collocabitur, non in uno semper aliquo impulsu quo determinetur & quasi arietando evertatur voluntas; non in una aliqua suavi motione quæ ab æterno prævisa sit ab hac vel illa voluntate non frustranda; sed in plurium undique machinarum ingenio, & vel suavi vel terrifica importunitate: quarum etsi singula-

gularum potestati & reniti possit & persæpe renitatur voluntas libera; universarum tamen oppugnationi infatigabili fatigata cedat, & diu renisa tandem lassescat. Quisquis enim gratiæ renititur, terreno quopiam aliorsum deorsumque vergente amore irretitus renititur. Ergo terrena hæc voluptas si tot respergatur amaritudinibus, vel tot repagulis sepiatur, ut inaccessa jam prorsus sit, vel accedenti amarissima: ultro jam abdicabitur, & locum cœlesti suavitati concedet. Ita & carnalis timor quo ab assensu gratiæ retardatur nonnunquam animus, facesset prorsus, si vel externis vel internis congressionibus timorum aliorum graviorumque vel blandimentorum præmiorumque infatigabiliter oppugnetur. Nec horum tamen quidquam sigillatim voluntatem physicè determinabit ad assensum salutarem: sed quamlibet indomitam contumaciam franget vel ingeniosa opportunitas, vel importuna diuturnitas. Suppetunt enim nomina mille, mille artes blandiendi, terrendique, omnipotenti sapientiæ & misericordiæ Reparatoris Christi. Domat homo belluas, & quamlibet brutas ferocesque mansuefacit, non animalem appetitum interiùs movendo, nedum determinando: sed hinc mollia, inde aspera intentando, eas quo demum cumque vult, agit incitatque. Domat & homo homines, & ad nutum suum circumagit, tantò invictiùs, quantò ingenio, arteque & industria præpollet: non voluntatem urgendo interiùs, qui id enim potis esset? sed qua cuique adrepere tempestivum est, insidiando. Ergo qui *finxit sigillatim corda* hominum, ipse domabit, agetque vel inhibebit arbitratu suo liberas eorum voluntates; cùm præter infinitam solertiam, artesque pelliciendi vel deterrendi innumeras, movere etiam interiùs possit illas & præmovere, etsi non prædeterminet.

VII. E re visum est hæc paucis præmonere, ut in expendendis posthac Patrum testimoniis de gratiæ efficacia, habeat quisque præ oculis tres istas de ea sententias, & cui illarum accommodatior sit Patrum mens & consensio, summotis præjudiciorum præstigiis, dispiciat & arbitretur. Mihi enim certum est, nulli inter Catholicos receptæ doctrinæ, vel utcumque pervagatæ invidiam facere: tametsi in hanc tertiam dicendi rationem totus propendeam, pondere nimirum huc adductus conspirantium eò, tum Patrum Græcorum Latinorumque, tum Scholæ Theologicæ Principum, Thomæ, Bonaventuræ & aliorum quotquot annum Christi trecentesimum post millesimum antegressi sunt. Hauseram & ipse inter Theologica ut ita dicam incunabula, & professus eram postea primam illam de gratia prædeterminante sententiam. Sed sanctorum Patrum monumenta volutanti deinde, scrupulosiùsque pensitanti, cùm rara ejus vestigia, aut nulla extare viderentur, infesta aliquammulta eminerent; aperiret se autem in dies manifestiùs tertia hæc via quam indigitavi: exolescebat paulatim ab animo præsumptio anterior, donec illam funditus excussit Thomæ Aquinatis lectio accuratior operosiorque. Miraculo id mihi ipsi propemodum est, quòd eam mihi ex animo sententiam exculpserit ejeceritque sanctus Thomas, cujus dux & antesignanus esse vulgo circumfertur. Sed quàm non temerè, vel inconstanter id à me factum sit, quàm alienis additamentis obducta & quasi incrustata sit Angelici Magistri doctrina ab interpretibus ante ducentos vel trecentos annos, spero aliquando tandem patefactum iri.

VIII. Porrò quod ad rem ipsam attinet, nec gratuitam & merita omnia anteevenientem prædestinationem inficiari possunt assertores gratiæ congruæ: cùm nonnisi ex proposito reddendæ gloriæ potuerit Deus his potiùs quàm aliis eas prædestinare gratias, quibus præsciebat consensuros. Idque vidit Bellarminus. Nec defensores gratiæ efficacis ex prædeterminatione, irasci debent ejus inficiatoribus, gratuitam tamen prędestinationem propugnantibus. Dum constet enim divini prorsus muneris, non meriti nostri esse, quòd æterna gloria electis prædestinetur, & quòd gratia certissimè ad id nos provectura donetur, quorsum attinet internecinas ciere pugnas, an hęc gratia eò nos provehat, physicè vel moraliter voluntatem determinando? Utut enim harum sententiarum altera veritati & Patrum dogmati consonantior sit, dum tamen utraque & gratuitam prędestinationem glorię, & gratuitam gratię infallibiliter ad id perducturę condonationem confiteatur, reliqua dissensio ęquis animis ferenda, & paci Ecclesię condonanda est.

IX. Similiter & gratię congruę patroni ne succenseant catholicis gratię prędeterminantis vindicibus. Et hi enim non aliud student, quàm ut certissimo aliquo subsidio provehantur homines ad ęternę gloriæ prædestinatum sibi divinitus præmium. Qua in re consentiunt & conspirant utrinque. Libertati autem etsi quid officere videatur prædeterminans gratiæ divinæ motio, cùm hoc illi pernegent, cùm non credant, cùm libertati peræquè ac gratiæ consultum ex animo velint, ea quoque criminatio ablegenda à Scholis est. Quotusquisque enim è Theologicæ Scholæ Magistris satis præstare id & fidejubere potest, nihil à se affirmandum usquam, quod vel obliquè, vel tantillum, vel per remotas & anfractuosas consequentias cum fidei capite ullo pugnet? Non ita bellè cum humano ingenio, quantumvis acuto & perspicaci comparatum est. Illud abundè est ad fidei & famæ incolumitatem, ut ne affirmet quis expresse & explicitè, nisi quæ fidei regulæ concinant: conclusiones siquæ ex ejus dictis, fidei pugnantes ab aliis eliciantur, sufficit, ut eas ipse detestetur, donec siquid aliter sapimus quàm veritati consonat, sive explicitè, sive implicitè & ex consequenti, illud quoque nobis Deus revelet.

X. Nostra etiam ratio & efficacis interpretatio gratiæ, tantò tutior, ut spero, erit ab invidia, quantò & totum prædestinationi gratuitæ, gratięque tribuit, & libertati tamen latissimum aperit campum, quo indifferentiam suam explicet, nequaquam tamen potestatis divinæ limites & sapientiæ artes superatura. Unum id exoratos velim lectores censoresque hujus opusculi, præjudicatas ut paululum seponant diversas sententias, & in ancipiti tantisper suspensum librent judicii sui examen, dum testimonia Patrum & Scholæ Principum pertexuntur & perpenduntur.

CAPUT II.

Fidei sanctiones & disceptationes Theologicas, unanimi Patrum consensu finiendas: nec inter eos ulla sententiarum dissidia fingi debere.

I. Quàm insulsum, quàmque periculosum inter Ecclesiæ Patres discordias serere.

II. Ex Vincentio Lirinensi Regula fidei catholicæ & sanæ Theologiæ est universitas, antiquitas, consensio Patrum, vel omnium, vel plurimorum.

III. Ma-

III. Magistri Ecclesiæ nil novant, nec sua tradunt posteris, sed accepta à majoribus. Depositum custodiunt, quod acceperunt, non quod excogitarunt.

IV. Magistri Ecclesiæ docent, quæ didicerunt; dicunt novè, non nova, ut profectus doctrinæ sit, non mutatio: dum constat idem dogma, idem sensus, eadem sententia.

V. Synodi ipsæ nihil aliud quàm antiqua Ecclesiæ Patrumque placita illuminant. Exemplum Ephesinæ primæ Synodi.

VI. Ab hac Patrum consensione absolvi, liberasque esse jubet Vincentius quæstiunculas, quæ ad fidem nihil attinent. Sed in his quæstiunculis numerandæ non sunt disceptationes de gratia, & libero arbitrio, & de prædestinatione.

VII. Luculentè ex Augustino, ut post exortas hæreses non nova cudatur doctrina, sed prisca è latebris & silentio in lucem educatur.

VIII. Ex eodem post exortas hæreses tunc demum catholica dogmata diligentiùs pertractantur. Frustra sunt ergo, qui Patres Pelagii ævo anteriores pluris faciunt in quæstionibus de gratia & libero arbitrio.

IX. Sanctis Patribus persuasissimum fuit, Scripturas ex priscorum Patrum sensu interpretandas, cùm ne Christus quidem, vel Spiritus sanctus de suo quidquam locuti sint.

X. Ex Fulgentio sancti Patres diversa quandoque, non adversa docent; alia & alia, non aliena, non sibi pugnantia.

I. QUi Græcos cum Latinis Patribus, vel Latinos ipsos inter sese, anteriores Augustino cum posterioribus confligari, vel ab Augustino additamenta aliqua ad superiorum Patrum unanimem consensionem superducta esse vel clancularié mussant, vel apertiùs profitentur: ii videntur mihi in ipsum fidei & orthodoxę doctrinę limen impegisse. Hæc enim fidei regula receptissima est, hæc præscriptio inconcussa sanæ Theologiæ, nihil à Patribus novatum esse; non suæ illos sapientiæ & sententiæ venditatores, sed antiquæ & Ecclesiasticæ propagatores fuisse: non diffidere eos inter sese, quorum concentu nostra omnia componenda sunt jurgia: dum adversus hæreticos suorum temporum illi certarunt, non nova, non ambigua protulisse, sed certa, sed indubia: nec commisisse, ut sectariorum novitates exemplo suo firmasse videri possent, si priscorum Patrum sententiam novis ipsimet interpolarent commentis.

II. Ita Vincentius Lirinensis luculentè nos monet, *ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem*. Sectabimur antiquitatem, si *ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos Majores ac Patres, nostros celebrasse manifestum est*. (Commonit. l. c. 3: 4.) Sectabimur consensionem, *si in ipsa vetustate, omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasque sectemur*. Et infrà, quisquis in lubrico hæret, *collatas interse Majorum consulat interrogetque sententias, eorum dumtaxat qui diversis licèt temporibus & locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione & fide permanentes, magistri probabiles extiterunt: & quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu, apertè, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum*. Non ergo in iis quæ fidei intima vel conjuncta quodammodo sunt, diffidere antiquitas à posteritate Catholica, Græca à Latina Ecclesia, Patrum reliqua familia ab Augustini ejusque asseclarum grege suspicanda est: sed ab horum omnium concentu expiscanda est veritas.

III. Exempla accumulat Vincentius, in quibus præclarum illud Stephani Papæ adversùs Agrippini postea & Cypriani novitates, *Nihil novandum, nisi quod traditum est*. (Ibid. c. 9; 27.) Illud enim est *proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à Majoribus accepta servare*. Ab hac modestia & gravitate Augustinum deiicere inverecundum est, ne quid gravius dicam. Non igitur ille sua posteris tradidit, sed à Majoribus accepta: nec novitates novitatibus exclusit. Paulò præcipienti depositum custodiri præ cæteris ille obsequutus est. *Quid est depositum? id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ: non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non author debes esse, sed custos, non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens*. Hæc est norma *Tractatoris, Doctoris, Sacerdotis*, huic se ante alios coaptavit Augustinus.

IV. Et elucidavit ille quidem, ornavit, amplificavit doctrinam de prædestinatione & gratia orthodoxam; perinde ut Patres alii adversùs emergentes suo quisque ævo hæreses, Theologicæ eruditionis pomœria protulerunt. Sed ita & ille & isti, ut nihil novi, etsi novè quid diceretur: vetusta confirmarentur, illustrarentur, augerentur, non contrariis opinationibus labefactarentur. Audiendus idem Vincentius ibidem: *Intelligatur te exponente illustriùs, quod antea obscuriùs credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod antè vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didicisti, doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova*. (C. 27. 28.) Non novè autem tantùm, sed nova protulisset Augustinus, nec illuminasset vetustatis dogmata, sed oblitterasset: si Græcis & Latinis hactenus ad prædestinationem præscientiæ divinæ & meritis humanis superfultam conspirantibus, item ad gratiæ versatilis & blandæ, nequaquam per sese efficacis sententiam: ipse ex adverso unus omnibus infestus, & gratuitam prædestinationem, & ineluctabilem gratiæ potestatem astruxisset. Incrementa ergo luminis subinde per posteriores tractatores augescentis, quò pertineant, idem ibidem mox aperit: *Sed forsitan dicit aliquis, Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur planè & maximus. Sed ita tamen, ut verè profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquæque res amplificetur; ad permutationem verò, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur*. Profectus est, ut mox subiicit, dum consistitur *in eodem dogmate, eodem sensu, eademque sententia*.

V. Nec singulis tantùm tractatoribus, sed Conciliis ipsis ea præfixa est meta, ut ne quid minuant, nihil addant receptis decretis, non amputent necessaria, non apponant superflua. *Quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est Ecclesia, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentiùs crederetur; quod antea lentiùs prædicabatur, hoc idem postea instantiùs prædicaretur; quod antea securiùs colebatur, hoc idem postea sollicitiùs excoleretur?* (Ibid. c. 32.) Idem infrà exemplum profert Ephesinæ Synodi primæ, quæ decem Patrum testimoniis subscripsit, partim ex Orientali, partim ex Occidentali Ecclesia depromptis. *Horum beata Synodus doctrinam sequens, consilium tenens, credens testimonio, obediens judicio, de fidei regulis pronuntiavit. Quanquam multò amplior Majorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit; quia neque multitudine testium negotii tempora occupari opertebat, & decem illos, non aliud ferè sensisse, quàm cæteros omnes collegas suos, nemo dubitabat*. (Commonit. 2. c. penult.)

VI. Vi-

VI. Video quid oggerant adversarii ex eodem Vincentio : *Antiquam sanctorum Patrum consensionem non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solùm, certè, præcipuè, in fidei regula magno nobis studio & investigandam esse & sequendam*. (Idem Common. l. c. 39.) Itane verò has *quæstiunculas* esse volent, ubi prædestinatione & gratia divina, ubi de humana libertate, ubi de salutis humanæ summa vertitur? His illuminandis totus Augustinus, quantus quantus est, incubuit, & toto insudavit annorum viginti spatio: his Prosper & Fulgentius, his præcipui deinceps omnes Antistites & Scriptores Catholici invigilavere summo studio; his Schola Theologica jam inde à cunabulis suis tota virium contentione lucem aliquam affundere certavit, & certat etiamnunc indefessa: & has esse quæstiunculas ajent? Enimverò quid ipsi fidei substantiæ vel penitius vel conjunctius, quàm humanæ libertatis cum divina gratia conciliatio? Atqui huc pertinent omnia quæ vel Augustinus vel vetustiores Patres de prædestinatione & efficacia gratiæ disputarunt. An quæstiunculas & quisquilias nauci faciendas garrient, ubi de Scripturæ divinæ capitum principaliorum explanatione, de toto penè Paulinarum Epistolarum contextu, in diversos & contrarios sensus contorquendo, vel ad unam sinceramque & Patribus approbatam sententiam vendicando laboratur? Ergo illa quoque hìc valeat regula ejusdem Vincentii, ut in interpretandis Scripturis *Catholicæ Apostolicæque Ecclesiæ sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem*. (Common. l. c. 38.) Quanti momenti disceptationes istæ Augustino visæ sint, & quàm conscius ipse sibi fuerit, ex priscorum Patrum Græcorum Latinorumque penu se omnia deprompsisse, quę in Pelagianos scripsit, ex Augustino ipso infrà patebit.

VII. Interim doceat nos idem Augustinus quid posteriores tractatores promoveant, cùm novas hæreses, antiquis Patribus invisas inauditasque exagitant: *Ergo multi qui optimè poterant Scripturas dignoscere & pertractare, latebant in populo Dei: nec afferebant solutionem quæstionum difficilium, cùm calumniator nullus instaret. Numquid enim perfectè de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Ariani? numquid perfectè de pœnitentia tractatum est, antequam obsisterent Novatiani? Sic non perfectè de baptismate tractatum est, antequam contradicerent foris positi rebaptizatores: nec de ipsa unitate Christi enucleatè dicta erant, quæ dicta sunt, nisi postquam separatio illa urgere cœpit fratres infirmos; ut jam illi qui noverant hæc tractare atque dissolvere, ne perirent infirmi, sollicitati quæstionibus impiorum, sermonibus & disputationibus suis, obscura legis in publicum deduxerint.* (Enarr. in Psal. 54.) His funditus labefactatur insulsa illa opinatio commentitiæ inter superiores Patres & Augustinum discordiæ. Ita enim nec ante Augustinum perfectè pertractata & enucleata fuerant prædestinationis & gratiæ arcana: non quo quæ propalavit Augustinus, ea superioribus Patribus essent incomperta: sicut nec ante Donatistarum secessionem, de unitate Ecclesiæ & de efficacia baptismi Ecclesiastici hæsitabant Scriptores Catholici: nec ante Arianorum furores, Verbi Dei cum Patre æqualitas latebat Patres orthodoxos: sed consultius illis videbatur, quandiu nullus insidiabatur hostis, scrupulosis illis difficultatibus supersedere, & simplicitate ejusdem fidei pacatos infirmi vulgi animos lactare. Ut ergo posteriores Scriptores de divinitate Verbi, de baptismo, de unitate Ecclesiæ, ita & Augustinus de prędestinatione & gratia post exortas hæreses nonnisi ea scripsere & edisseruere, quæ in confesso fuerant apud veteres Patres, plerosque saltem: sed pacis studio in abdito habebantur.

VIII. Sed & illud hìc animadverti opus est, Post exortas hæreses tum demum perfectè tractari & elucidari dogmata ea quæ oppugnantur. At ex adversariorum sententia secus res habet in hoc negotio. Nam lubentiores ipsi concedunt in partes Græcorum, quàm Augustini. Appendices & additamenta Augustino affingunt, ut repudient impuniùs. Itaque materiam prædestinationis & gratiæ à Græcis vel Latinis meliusculè tractatam illustratamque imaginantur, ante exortum Pelagianæ hæreseos, quàm postea ab Augustino & ejus consentaneis. Quo nihil absurdius, nihil à Catholicorum omnium præjudiciis alienius fingi potuit. Constat enim catholica dogmata nunquam validiùs luculentiùsque confirmari, quàm cùm à novellis hæreseon monstris oppugnantur.

IX. Augustino exploratissimum erat, quod Ecclesiastici omnes tractatores ad nauseam usque inculcarunt, doctrinam fidei à Deo & Christo per Apostolos & sanctos Patres ad nos esse trajectam: itemque Scripturam cuique non suapte libidine vel sagacitate interpretandam, sed Ecclesiastico sensu ab anterioribus Patribus commendato. Leo Magnus: *Catholica fides quam instruente nos Spiritu Dei per sanctos Patres à beatis Apostolis didicimus & docemus*. (Epist. 49. 50.) Et idem alibi: *Facilè firmabitur concordia, si in eam fidem, quam Evangelicis & Apostolicis prædicationibus declaratam per antiquos Patres nostros accepimus & tenemus, omnium corda concurrant*. Basilius Magnus tractatu de vera & pia fide: si nihil à seipso Christus, nihil Spiritus sanctus, sed quod accipit, loquitur: id sibi multò æquiùs præstandum esse præfatus: mox ait, *quæ ejus generis essent, ut præter vocis novitatem, sensum etiam nobis novum atque inusitatum afferrent, & apud sanctos viros nusquam in usu fuisse reperirentur: hæc omnia veluti peregrina atque à pia fide penitus aliena aversari se & repudiare*. Theodoretus Danielis Prophetiam commentariis suis illuminare adgressurus, hæc præfatur: *Hanc doctrinam à parentibus acceptam, velut æs alienum, natu minoribus posteris nostris debemus, gratoque animo par est persolvere*.

X. Denique quò se usque porrigat castigata licentia novos Scripturæ sensus vel commentandi, vel Patribus adscribendi: planum facit Fulgentius, ubi Monimi quæstionem super Scripturæ loco solvit triplici Patrum responsione, Ambrosii, Augustini, Optati, qui diversa dixerant, non adversa: alia & alia, non aliena & invicem pugnantia: ideoque nec sibi nec veritati infensa. *Cùm itaque hic B. Apostoli locus tripatito sit modo à tribus viris sanctis expositus, quisquis unum modum ex his tribus posuerit, à veritate utique non dissentit: neque enim necesse est, ut quod multipliciter intelligetur, in omnibus scriptis multipliciter inseratur*, &c. (L. I. ad Mon. c. 1. 14. 15.) *Tuam prudentiam non lateat, eorum quæ à sanctis Patribus, diversis modis, vel in expositionibus, vel in defensionibus suis inveniuntur posita, quidquid à nobis ponatur, ita nos loci illius astruere veritati congruum sensum, ut aliis Patrum sententiis æque veritati congruis non denegemus*. Istiusmodi *additamenta* longè plurima nos ab Augustino excogitata, vehementer assentimur; quæ cùm elimatissimæ veritati concinant, tum Patrum Græcorum Latinorumque qui ejus ætatem antegressi erant, doctrinę prorsus conspirent. Alioqui satius fuerat à Synodis Pontificibusque Romanis Grecos priscosque Latinos Patres in disceptationibus de prędestinatione & gratia consuli, consulendosque ostentari, quàm Augustinum, cùm apud illos mera & defęcatissima, ac peregrinarum appendicum vacua hęc doctrina tradatur.

CAPUT III.

Pelagiani & Semipelagiani incunctanter & constantissimè in Oriente damnati sunt à Græcis, æquè ut in Occidente à Latinis.

I. In Palæstina Synodo etsi absolutus Pelagius, dogmata tamen ejus damnata sunt à Græcis Episcopis, nempe ex Ecclesiæ Græcæ præjudicata doctrina. Hujus Synodi decretis placita sua illigavit Augustinus.

II. Innocentii & Zosimi decreto contra Pelagianos scripto, & per orbem sparso, Oriens perinde ut Occidens subscripsit.

III. Constantinopoli damnata similiter Pelagii insania, ex præjudiciis à Chrysostomo haustis, & ejus damnationis scripta Romam missa. Frustra ergo jactarant Pelagiani Græcos Episcopos minùs infestos sibi esse.

IV. Ephesina prima Synodus ex Orientalibus Episcopis conflata, Cœlestium Pelagiumque damnavit, æquè ac Nestorium; Cyrillus Cœlestini Papæ decretis contra Pelagianam vesaniam accessit.

V. Fausti libri adversus Augustini nuper in cœlos avecti doctrinam, statim Constantinopoli improbati sunt, & ad Fulgentium missi, ut eos confutaret.

VI. Petrus Diaconus ex Oriente Romam missus, Pelagii, Cœlestii, Juliani, Fausti errores proscripsit editis de Incarnatione & gratia libris.

VII. Joannes Maxentius confutavit & ipse Fausti scripta adversus Augustini libros de prædestinatione & gratia.

VIII. Possessor Africanus Episcopus Constantinopoli agens, cum Græcis adversus Fausti libros conspiravit, & Hormisdam Papam consuluit, qui Fausti doctrinam à se rejici scripsit, hortatusque est ad Augustini libros amplectendos.

IX. Photius Augustini famam doctrinamque tuitus est adversus ejus obtrectatores.

I. QUibus ab exordio rudimentis imbutæ essent Ecclesiæ Orientales circa prædestinationem, gratiam, & libertatem; colligitur manifestè ex proscriptis incunctanter apud Græcas Synodos & Ecclesias Pelagianis Pelagianorumque reliquiis. Et primùm quidem Palæstina in Synodo etsi purgatus sit Pelagius, errores nempe suos vel ejurans vel dissimulans, ipsa tamen errorum ejus capita damnata & recisa sunt. Unde Augustinus in libro de Gestis Pelagii: *Hæc sunt quæ nonnullis fratribus quidam talia sentientes ita persuadere conabantur, ut de Orientalibus comminarentur Ecclesiis, quod qui hæc tenerent, earum possent judicio condemnari. Ecce quatuordecim Antistites Orientalis Ecclesiæ, in ea terra cui Dominus præsentiam suæ carnis exhibuit, Pelagium non absolverent, nisi ea tamquam fidei Catholicæ adversa damnaret. Unde si propterea iste est absolutus, quod anathematizaverit talia, proculdubio illa damnata sunt.* Tum primùm erumperat hæc pestis, necdum in Orientem permeare potuerat ejus proscriptio in Synodis Carthaginensibus facta, necdum Augustini adversus eam ulla lucubratio: ergo statim confossa est & in Oriente, ex meris antiquæ fidei & pervagatæ apud Græcos doctrinæ præjudiciis. Quin & ab Episcopis Latinis accusatus est Pelagius apud Græcam Synodum. Usque adeo Latinis erat persuasum nihil hac in parte Græcos à Latinis discrepare. Denique ut sua omnia illigaverit Augustinus dogmata de prædestinatione divina & de gratiæ cum libertate concordia, his capitulis, quæ Palæstini Episcopi contra Pelagium vendicaverant fidei Catholicæ, ex laudato ejus opusculo, & sexcentis locis aliis perspicuum est.

Cap. II.

II. Paucis pòst annis cùm Africanas Synodos in Pelagiani dogmatis condemnationem confirmasset Zosimus Papa, eaque de re litteras toto orbe promulgasset, in Oriente æquè ac in Occidente hæresis Pelagiana proscripta est. Prosper in Chronico: *Concilio apud Carthaginem habito* CCXIV. *Episcoporum, ad Papam Zosimum Synodalia decreta perlata; quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Gennadius in Catalogo virorum illustrium: *Innocentius urbis Romæ Episcopus scripsit decretum Occidentalium & Orientalium Ecclesiarum ad versus Pelagianos datum, quod postea successor ejus Zosimus latiùs promulgavit.* Nihilo morosior Oriens, ut vides quàm Occidens, in conclamanda Pelagii damnatione.

III. Nec dissimulabimus jactatum tunc à quibusdam fuisse, sed non ab aliis certè quàm à Pelagii fautoribus, propè abesse Græcos à Pelagiana dementia. Id paulò suprà tetigit Augustinus. Quin & post illa Zosimi toto orbe recepta decreta, Pelagiani ex Occidente profugi, Constantinopolin profecti, Attico ejus urbis Episcopo adrepere, postea & ejus successori Sisinnio conati sunt: sed ab utroque protelati sunt, & nec auditi. Ita nos docet Prosper Carmine de ingratis, Palæstinæ primùm Synodi Patres ita collaudans:

Pestem subeuntem prima recidit,
Sedes Roma Petri, &c. Non segnior inde Orientis
Rectorum cura enituit; captumque nefandi
Dogmatis authorem, constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum.

Et aliquantis interpositis, ubi & de Hieronymo, qui in Oriente cùm jamdiu versaretur, & Pelagianos ipse proprio stylo confodiebat, & Augustino succinebat de illis splendidissimè triumphanti: certus nihil hinc offensionis Orientalibus creatum iri. Tandem ad Atticum descendit Prosper:

Quid loquar & curam, magna quam gessit in urbe
Constantinopoli, docto bonus ore Sacerdos
Atticus, antiqua Legatos hæreticorum
Confutando fide? de quam tunc impia corda,
Quamvis se obductæ tegerent velamine formæ;
Judicii & tacitæ tulerunt tormenta repulsæ.

Cœlestinus Papa in Epistola ad Nestorium, & Attico, & Sisinnio ea de causa meritas laudes accumulat, Nestorio Sisinnii successori exprobrans, quòd primus ipse Pelagianis se conglutinaverit, cognatæ scilicet vesaniæ præcones amplexatus. *Post impium illud prophanumque ac sæpenumero condemnatum Pelagii & Cœlestii dogma, Catholica fides aliquot vitæ nostræ diebus pacem obtinuit. Etenim ut primum Oriens & Occidens concordi sententia, veluti telo quodam, illos illorumque sectatores semel percussit, è vestigio sanctæ memoriæ Atticus, egregius sanè orthodoxæ fidei doctor, verusque ea in re beati Joannis Successor, ita eos communis omnium Regis causa est insectatus, ut ne consistendi quidem spatium eo in loco faceret. Post illius verò è vita discessum, non vulgaris cura nos tenuit, anxiè spectantes, unumne, eundemque ille & muneris & fidei quoque successorem ex æquo sortiretur. Verum post obitum illius sanctus Sisinnius nobis obtigit, vir profecto & sanctimonia vitæ, & fidei simplicitate clarus, ejusque quam compererat religionis præco insignis.* Tum in Nestorium à prædecessorum vestigiis deviantem ita invehitur: *Cur iterum in ea inquiris, quæ jam olim*

olim contra illos acta decretaque sunt? Ignoras forsan ab Attico, Catholico per id tempus Episcopo, commentarios de illorum condemnatione inde ad nos fuisse transmissos? Cur sanctæ memoriæ Sisinnius eadem retractari non quæsivit? Ob id nimirum quia justè illos à prædecessore suo condemnatos intelligebat. Ad quæ allusisse videri potest Augustinus ipse: *Ego autem absit ut ad Monomachiam vos provocem, quos ubicumque apparueritis, ubique diffusus debellat Christi exercitus. Qui debellavit apud Carthaginem Cælestium, quando illic ipse non eram, & rursum Constantinopoli, tam longè à regionibus Africanis, qui debellavit in Palæstina Pelagium*. Ex Cælestini certè verbis claret, ab Attico non repulsam tantùm passos esse Pelagianos, quod Prosper supra innuebat, sed condemnatos etiam esse, & ea de re Commentarios Romam esse transmissos. Claret rursum Joannis etiam Chrysostomi doctrina imbutum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clerum ita fuisse, ut Pelagiano toxico afflari omnino non posset. Quod rursum eidem Clero congratulatur Cælestinus idem.

Cont. Jul. L. 3. c. 1.

Ephes. Syn. part. I. c. 19.

IV. Cùm autem erroris quædam consanguinitas Nestorio Pelagianos devinxisset, propriis meritis prædestinationem illo Christi, his Christianorum vendicantibus: in Ephesina prima Synodo unum ambos fulmen perculit. Paucissimi ibi Occidentales, Orientales propè omnes erant. Unde Prosper in Chronico: *Congregata apud Ephesum plus ducentorum Synodo Sacerdotum, Nestorius cum hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis qui cognatum sibi juvabant dogma, damnatur*. Et carmine de Ingratis:

Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Ephesos, non passa suis consistere tectis
Vasa iræ, & morbi flatus, & semina mortis.

Sed & ipsa Oecumenica Synodus in Synodica ad Cælestinum Papam: *Perlectis eis in sancta Synodo, quæ de impiorum Pelagianorum, Cælestii, Pelagii, Juliani, &c. reliquorumque eadem cum illis sentientium depositione, à pietate tua istic decreta constitutaque sunt, judicavimus & nos quoque ea solida firmaque permanere debere. Quare idem omnes vobiscum sentientes, & nos itidem eos pro depositis habemus*. Cyrillus sanè hujus Synodi dux, de se ipso testatur; *Anathematizamus Nestorium, & eos qui Cælestii vel Pelagii placita sequuntur, quorum dogmata nunquam suscepimus*. Qua de causa non immerentem illum Prosper hoc ornavit encomio: *Per Cælestinum Papam etiam Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ urbis Antistiti, gloriosissimo fidei defensori, ad execrandam Nestorianam impietatem, Apostolico auxiliatus est gladio, quo etiam Pelagiani dum cognatis confœderantur erroribus, iterum prosternerentur*. In hunc modum Ecclesiæ omnes Orientales, Constantinopolitana, Alexandrina, Ephesina, Palæstina, certatim adversus Pelagiana deliramenta conspirabant cum Occidente, cum Augustino Occidentalium signifero; eoque testabantur nullo se occupatas esse alienæ doctrinæ sapore.

Act. 5.

Cont. Collat. c. 41.

V. Sed cùm post Augustinum in cœlos avectum, Cassianus, Faustus, aliique Occidentalium, ejus doctrinæ de prædestinatione obloquerentur, & ea maximè additamenta impeterent, quæ illum Græcis & priscis Latinis causantur nunc quidam superduxisse: tum sanè potissimum Græci prodidere apertissimis documentis, quàm indivulsus esset suæ cum Augustino doctrinæ consensus. Itaque Fausti libri adversus Augustini austeriorem illam doctrinam Constantinopolim perlati, inde ad Fulgentium missi sunt confutandi. Ferrandus in vita Fulgentii, *Ita namque notior fuit omnibus penè gentibus, ut etiam illi duo libri, quos Faustus Episcopus Galliarum contra gratiam subdolo sermone composuit, favens occultè Pelagianis, sed tamen Catholicus videri volens, Constantinopoli offensis plurimis fratribus ad beatum Fulgentium probandi dirigerentur. Quibus ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit, plus laborans exponere quàm convincere, quia dubios sermones ejus exponere, hoc erat delirantis argumenta convincere*. Constantinopoli ergo libri Fausti è vestigio offensioni & horrori fuere: utque arcerentur Græci ab insanæ doctrinæ contagio, non revinci, sed ostendi tantùm opus fuit.

C. 18.

VI. Certè Petrus Diaconus & alii cum eo à Græcis ex Oriente Romam missi in causa fidei, in Tractatu de Incarnatione & Gratia ad eundem Fulgentium destinato, ad calcem *anathematizat Pelagium, Cælestium, Julianum, & qui illi similia sapiunt, præcipuè libros Fausti Galliarum Episcopi, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est, &c. humano labori subjungit gratiæ adjutorium, &c.*

VII. Joannes Maxentius in responsione sua prima libros Augustini ad Hilarium & Prosperum scriptos vehementer commendat, Fausti libros insimulat hæreseos: *Conveniens credidi aliqua tam de Fausti quàm de Augustini libris capitula decerpere, & huic nostro opusculo inserere, ut cùm in brevi collata ad invicem contraria sibi reperta fuerint, evidenter clareat libros Fausti esse hæreticos. Sicque confundantur omnes qui eos hactenus defendunt esse Catholicos*. At illi ipsi sunt Augustini libri, de prædestinatione gratuita, & de divinæ gratiæ insuperabili efficacia scripti. His ergo & Græci annuebant, hos à Chrysostomo aliisque vetustioribus Græcæ Ecclesiæ Patribus nihil dissonare sentiebant. Ex Petri Diaconi & Joannis Maxentii scriptis infrà confirmabuntur illa ipsa quæ causantur ab Augustino novata esse additamenta.

VIII. Scripsit & Possessor Africanus Episcopus Constantinopoli tunc agens ad Hormisdam Papam, de iisdem Fausti libris consulens, de quibus & ipse à fratribus consultabatur, formidantibus ne hinc nova aliqua priscæ fidei labes inveheretur. Optimates ipsos Græcorum ea res habebat sollicitos, eoque Sedem Apostolicam percontabantur, quam non nesciebant Augustini doctrinæ & famæ studiosissimam. Unde Possessor ad Hormisdam: *Maximè quod filii quoque vestri, magistri Vitalianus & Justinianus præcipuè super hac re, rescripto Beatitudinis vestræ similiter informari desiderant*. Rescribit Pontifex non recipi Fausti libros; at *de arbitrio libero & gratia Dei quod Romana, hoc est, Catholica sequatur & asseveret Ecclesia, licèt in variis libris beati Augustini, maximè ad Hilarium & Prosperum possit cognosci, tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula contineri*. Græcos igitur Pontifex hortatur confugere ad Augustini libros, maximè ad Hilarium & Prosperum scriptos, quibus & prædestinationis & gratiæ efficacia ex ineluctabili Dei proposito maximè derivatur, non nescius ab his Orientales minimè abhorrere.

IX. Horum pleraque tetigit Photius in Bibliotheca, Græcosque perinde ac Latinos conjurasse ostendit adversus Pelagiana decreta, horumque reliquias. Pauca hæc ex eo describo: *Post Augustini mortem cœperunt quidam in Clero impium illud dogma asserere, malè etiam loqui de Augustino, atque adeo convitiis incessere, tanquam arbitrii libertatem tollendam docuisset. Verum Cælestinus Pontifex Romanus de sancto viro, & contra eos qui hanc hæresin resuscitarent, ejus ore Episcopis scribens, errorem nuper revocatum cohibuit*. Ea ipsa sunt additamenta, ut jactant, ex quibus Semipelagiani exitium humanæ libertatis calumniabantur emergere, quibus tamen Cælestinus Num. 53. 54.

ſtinus Pontifex os obturavit; Auguſtinum erroris cujuſcumque infamia ne aſperſum quidem unquam fuiſſe teſtatus. His aſſentitur Photius, additque non multò pòſt ab aliquibus reſuſcitatam eandem dementiam, *quos Proſper homo ſanè divinus libellis adversùs eos in vulgus editis facilè diſſipavit extinxitque, Leone Romanam Sedem gubernante*. At Proſper totus fuit in illis Auguſtini defendendis aſperioribus placitis. Et illi tamen ſubſcribit Photius.

CAPUT IV.

Auguſtinus, ſua omnia ex antiquis Patribus Græcis & Latinis mendicata eſſe profeſſus eſt.

I. Pelagianos in crimen vocabat Auguſtinus, ex eo, quod Scripturis alios ſenſus affingerent, quàm quos Ambroſius, & alii Patres.

II. Idem profitetur ſanctos Patres, non ſuo ſingulos, ſed recepto in Eccleſiis ſenſu Scripturas interpretatos, idque contra Pelagianos ſcribens; idem ſuum de efficaciſſima Chriſti gratia decretum, ex ſuffragio antiquorum Patrum firmat.

III. Eoſdem idem tradit, Eccleſiæ fuiſſe filios diſcendo, Patres docendo.

IV. Rurſus ut Patres conſentire invicem, & ſe illis aſſentiri atque obſequi profiteatur Auguſtinus.

V. Fruſtra nugatur Voſſius hæc additamenta nihil omnino ad fidem pertinere, cui ea eſſe valdè conjuncta teſtatur ipſe Patrum conſenſus, ab Auguſtino eis tam operosè conciliatus.

VI. Latinos Patres ut ſibi conſentanos eſſe doceat Auguſtinus.

VII. Ut non poſſe eos à Græcis diſſidere.

VIII. Græcos Latinoſque ſimul antiquos Patres cogit Auguſtinus, velut in unam Synodum, libellis ſuis comprehenſam, à qua prædamnati ſint jam olim toto orbe Pelagiani.

IX. Quantum momenti ſit in Patrum conſentientium ſcriptis, adverſus exorituras hæreſes.

X. Etiam ſingulis Patribus obaudiendum eſt. Nihil Auguſtinum ab Ambroſio, nihil à Præceptore ſuo differre exprobrabat Julianus: quæ ille convitia laudi vertebat.

XI. Semipelagiani Auguſtinum ſuæ doctrinæ primum architectum jactabant: ille eam totam priſcis Patribus vendicabat.

XII. Ut doctrinæ de prædeſtinatione gratiæ Patres alios ſuffragatores adjungat.

XIII. Quas leges ſequatur Auguſtinus in antiquis & Græcis Patribus doctrinæ ſuæ de gratia & prædeſtinatione gratuita conciliandis. Ut eorum verba molliat, inflectat, &c.

XIV. Semipelagiani Auguſtino obloquebantur, ut qui ad nova dogmata defeciſſet, quo Pelagianis validiùs obluctaretur. Hanc calumniam abſtergit ipſemet ſanctus Pater ex prioribus ſuis ſcriptis.

XV. Ex Eccleſiæ precibus colligit Auguſtinus, & ſe, & alios Catholicos priùs tractatores, ſemper inhæſiſſe dogmati de prædeſtinatione gratiæ, & de efficaciſſima gratia, tum ad converſionem, tum ad perſeverantiam.

I. Ex antiquorum Patrum, Græcorum Latinorumque fontibus, derivata eſſe ſua omnia decreta; & Pelagianos in varia deliramenta tranſverſos agi eo ex uno capite, quod Scripturas, non, ut par eſt, ex Patrum, ſed ex ſuo ipſorum ſenſu guſtuque exponant, locis innumeris confitetur Auguſtinus. Non ergo id ſibi ſumpſit ipſe, ut ſua ex libidine Scripturas interpretaretur; & Paulinas maximè Epiſtolas, prædeſtinationem & gratiam ſingulis penè verſibus inculcantes, deflecteret ad ſenſus priſcis Patribus omnibus non inauditos tantùm, ſed infenſos. Sic ergo ille adverſus Pelagium, gratiam Chriſti in doctrinæ meræ illuminatione collocantem: *Qui iſta ſentiunt, ignorantes Dei juſtitiam, ſuam volunt conſtituere, & longè ab illa ſunt, quæ nobis ex Deo eſt, non ex nobis; quam in Scripturis ſanctis maximè canonicis agnoſcere debuerunt. Sed quia eas ſecundum ſuum ſenſum legunt, profectò in illis nec apertè contuentur. Utinam ergo ſaltem in Catholicorum virorum ſcriptis, à quibus eas rectè intellectas eſſe non dubitant, quid ſit de adjutorio divinæ gratiæ ſentiendum, non negligenter attenderent, nec ſuæ ſententiæ amore nimio præterirent.* L. de Grat. Chr. c. 41. Tum ex Ambroſio declarat gratiæ divinæ efficaciam ad voluntatis ipſius converſionem. Quis hujus ſuæ regulæ, Scripturas ex Patribus interpretandas, in hoc ipſo gratiæ negotio Auguſtinum immemorem vel prævaricatorem gannire audeat?

II. Priori germana eſt hæc altera ejuſdem Auguſtini regula, ab eodem ad nauſeam inculcata Pelagianis, ideoque nequaquam ab eodem in eodem ipſo certamine proculcata. Nimirum priſcos Patres in Scripturarum explanatione, non ſuas opiniones, ſed Eccleſiæ Catholicæ ſenſum ac intelligentiam tenuiſſe, ſcripſiſſe, ad poſteros transfudiſſe, religioſiſſimè amplectendam: *Quid autem dicam de ipſis divinarum Scripturarum tractatoribus, qui in Catholica Eccleſia floruerunt? Quomodo hæc Scripturarum loca non in alios ſenſus conati ſunt vertere, quoniam ſtabiles erant in antiquiſſima & robuſtiſſima, non autem novitio movebantur errore.* L. de Nupt. & Conc. c. 29. Et alibi, jactantibus Pelagianis toto Occidente non minùs ſtultum quàm impium dogma ſine Synodi congregatione ſuſcipi: *Cùm potiùs prophanas eorum vocum novitates Eccleſia Chriſti & Occidentalis & Orientalis horruerit: ad curam noſtram exiſtimo pertinere, non ſolùm Scripturas Canonicas adverſus eos teſtes adhibere; verùm etiam de Sanctorum literis, qui eas antè fama celeberrima & ingenti gloria tractaverunt, aliqua documenta proferre, &c. ut admoneantur, qui putant iſtos aliquid dicere, quemadmodum de his rebus ante nova iſtorum vaniloquia Catholici Antiſtites eloquia divina ſecuti ſunt, & ſciant à nobis rectam & antiquitus fundatam Catholicam fidem defendi.* Ad Bonif. L. 4. c. 8. Tum ex Cypriano, Ambroſio aliiſque promit, quæ gratiam aſtruant eam, qua Deus *facit ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes.* Cui uni fundamento decantata illa Auguſtini, non additamenta, ſed vetuſtiſſima decreta innituntur.

III. Eodem collimat, quod alibi idem tradit Auguſtinus, antiquos tractatores Catholicos, Eccleſiæ & Filios eſſe & Patres, Filios diſcendo, Patres docendo fidem in Eccleſia incorruptibiliter permanentem. Ut ergo illi non docuerunt, quà Patres; niſi quæ ut Filii didicerant: ita non ab illis, ſed per eos ad nos tranſmiſſa eſt antiquiſſimæ & Apoſtolicæ fidei Scripturarumque orthodoxæ intelligentiæ hæreditas. *Non ſolùm Filii, ſed & Patres Eccleſiæ ſunt. Ex illo numero ſunt, de quibus prædictum eſt, Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Ex qua filii regenerati ſunt, ut hæc diſcerent: Patres facti ſunt, ut docerent.* Cont. Jul. L. 1. c. 7. Et alibi: *Hos tot & tantos Catholicæ Eccleſiæ filios & patres, qui hoc eam in ejus poſiti culmine docuerunt, quod in ejus ubere didicerunt.* L. 4. Op. ult. cont. Jul. n. 71.

IV. Ex ſuperioribus & illud quoque aptum nexumque eſt, ubi omnium retro temporum & omnium

omnium ubique Ecclesiarum Patres consentiunt, hujus consensus non aliam esse posse originem, quàm unam & intaminatam fidei & traditionis Apostolicæ normam. Si res enim istiusmodi esset, aut Patribus visa esset, in qua alternare & suo cuique ingenio liceret obsequi, ut res humanæ comparatæ sunt, utque aliis omnibus id genus experimentis constat, in diversas itum esset sententias. Sola ergo à Christo ipso per Apostolos traducta fidei & disciplinæ unitas in unam potuit cogere sententiam tot Scriptores variarum & regionum & ætatum. Ratum est & fixum illud Tertulliani libro de Præscriptionibus: *Ecquid verisimile est, ut tot & tanti in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus est unus exitus. Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterùm quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* Illud idem de Synodis generalibus scitè & piè pronuntiavit olim Constantinus Imperator, non posse tot Antistites in unam concurrere sententiam, nisi divini afflatu Spiritus, & antiquæ fidei vinculo. Sed aliquantò evidentiùs id dictitatur de Patribus alio & alio tum loco tum tempore idem scribentibus & confirmantibus dogma, quàm de Synodis. Potest enim in Synodis sententiarum dissidium mutua collatione pacari. At ubi dissiti & terrarum plagis & temporum intervallis Scriptores unanimiter in idem innumeri consentiunt, eos necesse est non humano ingenio, sed divino Spiritu & fidei antiquæ nexu constringi. Quæ cùm ita sint, quæ cùm Augustino essent exploratissima, qui potuisset ille communem Græcorum Latinorumque omnium Patrum consensum aspernari, & nova cudere additamenta, in rebus præcipuè tantæ molis, tantique ad fidem momenti? Si extra fidei limites ea erant, in iis tot & tanti non concinuissent. Si concinuerunt, ad fidem ergo & traditionem antiquam quodammodo ea spectabant. Augustinus opere ultimo contra Julianum, cùm jam illa omnia quæ dicuntur additamenta suis aspersisset operibus: *Neque illi tot ac tanti, & tam sancti clarique Antistites Dei, Ecclesiæ Catholicæ filii discendo, & Patres docendo, ita locuti sunt, ut alii ab aliis discreparent, aut eorum quisque à semetipso; sed ita prorsus ut eorum consensione atque constantia, nec aliter esse de hac re sacram Scripturam intellligendam, nec aliam putandam Catholicam fidem, quisquis eos non hæretico animo legit, dubitare non possit.* (Cont. Jul. L. 4. c. III.)

V. Ex quibus occluditur illud Vossii perfugium, libera esse hæc, nec ad fidei integritatem attinere, in quibus suas appendices commentus est Augustinus, de conversionis & perseverantiæ gratia, ex Dei prædestinantis ineluctabili proposito efficaciam suam obtinente. Si enim ea istiusmodi erant, ecquid Græcos Latinosque omnes Patres in unam sententiam coarctaverat? Ecquid omnes compulerat, Scripturam divinam non ut alibi gaudent, in varios sensus vocare, sed in unum eundemque intellectum? Si consensus ille extra orbitam fidei est, qui potest ex eo fides astrui? Ecquid hunc consensum in una re Pelagianis objectabat Augustinus, & fidei vendicabat, si poterat in re quapiam nihil ad fidem Catholicam attinere, si poterat in re quapiam ab ipso Augustino vilipendi? Sed satius est, aliam hic regulam ejusdem Augustini attexere, eodem vergentem. Et istud enim inculcatissimum apud eum est, ab Apostolica traditione descendere, quidquid ita universo Christiano orbe observatur, nec ullis generalibus tamen Conciliis institutum est. Ita non iterandi baptismi consuetudinem docet, *ab Apostolica traditione venire, sicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* (L. 2. cont. Donat. de Bapt. c. 7.) Necessum igitur est, eas de gratiæ & prædestinationis divinæ temperata quadam, ut ajunt, ad humani arbitrii patientiam efficacia, vel ab Apostolis traditas, vel à Scripturis divinis haustas esse sententias, vel à Conciliis generalibus. Quoquo se vertant, non poterunt vel Augustino ipsi persuadere, ut tantæ consensionis limites transilire aggrediatur. Altè infixum illi erat quod toties inculcavit, non Patritiæ tantùm hujus, sed & plebeiæ in Ecclesia multitudinis consensum cœlitus creari, & intemeratæ traditionis argumentum esse: *quasi parva sit assertio, quod in hoc fidei firmissimo & antiquissimo fundamento, ipsa toto orbe diffusa non à se discrepat multitudo.* (L. 1. cont. Jul. c. 7.)

VI. Sed quanti fecerit Augustinus consensum Patrum Græcorum Latinorumque in suscepta adversùs Pelagianos concertatione, claret ex ejus libris adversùs Julianum, ubi eorum suffragia accuratissimè corradit, & hoc insuperabili vallo adversarios concludit. Et primùm quidem cùm solos ex Occidentali Ecclesia suffragatores pernumerasset, ita Julianum objurgat; *An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes: nec ullus est in eis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cùm illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in quo primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses.* Vel solius ergo Occidentalis Patrum Senatus conspiratio, duce cum primis Apostolica Sede, tanti debet esse ad extorquendum assensum momenti, ut nemo sobrius deinde ad Orientales provocare possit. Ergo ne Latinorum quidem unanimi sententiæ obluctatus esset Augustinus, nedum Latinorum pariter & Græcorum.

VII. Nec tamen dissociari Græcos à Latinis patitur Sanctus Doctor; & ex uno catholicæ concordiæ præjudicio, argumentatur, Orientalis Ecclesiæ doctrinam cum Occidentali conspirare: adeoque abundè esse, si de hac constet, ut de illa ambigere vetemur. *Non est ergo cur provoces ad Orientis Antistites. Quia & ipsi utique Christiani sunt, & utriusque partis terrarum fides ista una est, quia & fides ista Christiana est.*

VIII. Græcos mox astipulatores Latinis subjungit, & hoc Oecumenicæ Synodi instar Juliano objectat: vel si quid amplius Oecumenica Synodo fingi optarive possit. Ecquos enim judices optare quis posset incorruptiores, doctiores, graviores? Quam usquam in Synodum coalescere possunt Patres omnes, non regionibus tantùm dissiti, sed & temporum ætatumque impervia intercapedine? quos tamen omnes fas est in unius libelli spatium congregare. *Si Episcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facilè tot sedere, quia nec isti uno tempore fuerunt. Sed fideles & multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire judicat ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quem navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare possit ad homines.* (L. 2. cont. Jul. c. ult.) Et paulò antè: *Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt; quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos Judices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum latas pro*

nobis

nobis contra vos sententias recitamus: nondum vobiscum certabamus, & eis pronunciantibus vincimus.

IX. Hic consensionis Patrum fructus existit vel maximus, quòd non præsentes tantùm lites ea dirimit, sed & futuras præfocat; hæreses nondum exortas jugulat, perduelles nequedum erumpentes prædamnat, Catholicis pugnatoribus in antecessum victorias adornat, coronas addicit. In causa illud est, ut tractatores Catholici sibi licere nolint, à priorum Doctorum vestigiis vel tantisper deviare, in rebus ad Ecclesiasticam doctrinam eminus cominusve spectantibus. Quanquam enim ea ætate nequedum ebullierint rixæ, necdum judicia Synodica crepuerint; poterit sera posteritas illi vexari quæstionibus; ad Sedes Apostolicas, ad judicia Synodalia provocabitur; nec poterit pax Ecclesiis restitui, nisi ex Majorum authoritate pronuncietur, & in dogma fidei aliud, aliud in hæreseon album referatur. Id apertè Augustinus antè docebat, id sequutus ipse utique est. Etenim se quoque posteris scribere non nesciebat: & ex suo coævorumque sibi Antistitum concentu cum Majoribus, fidem posterorum regendam, discordias litesque sopiendas, errores obruendos. Ergo si ad examen vel Apostolicæ Sedis vel Synodalis conventus referatur conciliatio humanæ libertatis cum prædestinatione & gratia divina, pugnantibus hinc & hinc sententiis: ubi ad Patrum consonantiam recurretur, ut ad veritatis amussim: quis ibi nisi frontis perfrictissimæ audeat affirmare, Patres omnes ante Augustinum Græcos Latinosque una in sententia versatos esse molliori; Augustinum ab illis secessionem fecisse, docuisse quæ non didicerat, tradidisse quæ non acceperat, interpolasse novis additamentis & exasperasse quæ invenerat: atque ita in suspendio rem posuisse, ut definiri non possit in partem alteram: adeoque non pacem, non veritatem, non triumphos Augustinum posteris comparasse, sed ea ipsa in re, in qua maximè & felicissimè operam calamumque contrivit, impacatas lites & libella præstruxisse nullos habitura triumphos? Apage ab Augustino hanc infamiam, qui in opere ultimo adversùs eundem Julianum iterum iterumque ingeminat, hanc Patrum consensionem cuilibet Synodo facilè æquiparari, imò & anteferri:
L. 1. c. 2. *Si in Concilio cujus videris desiderare judicium, sederent Cyprianus, Hilarius, Gregorius, Basilius, Joannes Constantinopolitanus, ut alios taceam: numquid doctiores, prudentiores, veraciores Judices quærere auderes? Ipsi contra dogmata vestra clamant, ipsi scriptis suis vestra scripta condemnant.*

X. Nec turmatim tantùm conglobatis, sed singulis etiam sanctis Patribus assurgendum subscribendumque idem Augustinus Julianum sexcenties monet. Unum Ambrosium, unum Chrysostomum, ut ineluctabilem obicem, ut indetrectabilem magistrum illi objectat. De Scripturarum interpretatione ad hos provocat:
L. 4. Oper. cont. Jul. n. 23. *Ergo ut tu redarguaris & Manichæus, illud quod dicit Joannes Apostolus, Episcopus exponit Ambrosius.* Quod non toties, non tam fidenter, non impunè Augustinus dixisset, si & ipse in conjunctissimis quæstionibus spreta priscorum interpretum consensione, novas sacrorum librorum explanationes, novellas opinationes suas obtrusisset. Hoc illi utique Julianus aliquando tandem exprobrasset, à quo ex adverso suggillabatur, quòd ne transversum quidem unguem à Præceptorum suorum dictatis declinaret:
Ibid. l. 6. n. 21. *Magnam te mihi putas invidiam comparare, cum dicis nihil me à meo Præceptore differre. At ego in laudem meam tua sumo convitia, &c. Præceptores meos negare non debeo, qui me ad hoc Joannis Apostoli dictum intelligendum suo litteratorio labore juverunt. Meus Præceptor est Cyprianus, qui dicit, &c. Meus est Præceptor Ambrosius, cujus non solùm libros legi, sed verba etiam loquentis audivi, &c. Ego adversùs te & meam defendo & illorum fidem, quos palam times habere inimicos, & invitus pateris Judices.* Ergo ætate & laboribus fracto Augustino, post scripta jam ejus omnia in vulgus edita, post ea hauddubio perlecta & perpensa, Julianus exprobrabat, quòd nihil à Præceptoribus suis, nihil à Patribus priscis differret. Quæ ille meritò convitia laudi vertebat.

XI. Verùm ut specialiter ad illa descendamus Augustini propria, quæ invidiosè appellitant additamenta; confitentur penè Adversarii ea in re se duces habere Semipelagianos, qui hinc faciebant invidiam Augustino, quòd cruda illa de prædestinationis gratuitæ & gratiæ insuperabili efficacia primus obtruderet dogmata: ab his antiquos Patres abstinuisse, ea ad fidei substantiam nihil pertinere, ab iis in vulgus Christianorum publicandis temperandum esse, quòd offensioni sint longè plurimis. Ita sanè ad Augustinum scribebat Hilarius eorum querimonias: *Ad summum ad id querela eorum convertitur, consentientibus etiam his qui hanc definitionem improbare non audent, ut dicant: Quid opus fuit, hujuscemodi disputationis incerto, tot minus intelligentium corda turbari? Neque enim minus utiliter sine hac definitione, ajunt tot annis à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris & tuis & aliorum tum contra alios, tum maximè contra Pelagianos Catholicam fidem fuisse defensam.* Et Proper ad eundem Augustinum scribens: *Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus, patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit: & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione, præscierit.* Has querelas retundit Augustinus, demonstratque sua hæc placita, etsi obscuriùs olim, semper tamen eadem & in Patrum scriptis, & in populorum fide, & in Ecclesiæ precibus implicata, & quantum opus tunc erat, explicata fuisse. Cùm enim ex libro Sapientiæ raptus dicatur quis & præmaturo absumptus fato, ne malitia mutaret intellectum ejus; & inde lucidissimè patescat prædestinatio gratuita, & perseverantiæ gratia ineluctabilis, reliquumque Augustinianum dogma: detrectabant hujus libri authoritatem Semipelagiani, & è canonicorum librorum catalogo expungebant. Contra Augustinus urget eum librum *in Ecclesia Christi de gradu Lectorum tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis usque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, Catechumenos, cum veneratione divinæ authoritatis audiri:* De Prædest. Sanct. 1. 15.
rursum sanctos Patres huic eidem libro, adeoque & suo de prædestinatione & gratia dogmati consensisse. Addit mox: *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari: quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur? Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis & transeuntes attingerent.* Addit, dum Patres omnes hortantur virtutem quamlibet veram à Deo posci, *simpliciter apparebat, Dei gratia quid valeret. Non enim poscerentur à Deo quæ præcepit fieri, nisi ab illo donaretur, ut fierent.* Subdit mox Cypriani loca aliqua, ex quibus dogma prædestinationis gratuitæ manifestè elucescit. Hinc perspicis quanto ex consensu superiorum Episcoporum & Patrum sua se omnia confideret mendicasse Augustinus.

XII. Alibi instat suum, hoc est, Ecclesiasticum de prædestinationis gratuitæ decreto placitum prædicari populis debere. Idque non ex Scripturis tantùm, sed & ex Patribus colligit, maximè ex Cypriano, qui ubi affirmavit, *in nullo nobis esse gloriandum*, tunc certè *prædestinationem certissimam pronunciavit*, *&c.* *His Cypriani verbis proculdubio prædestinatio prædicata est, quæ si Cyprianum à prædicatione non prohibuit obedientiæ, nec nos utique debet prohibere*. Ecquis autem Patrum non hujusmodi aliquid, & aliquam multa scripsit? Abunde id Augustino visum est, ut & gratiæ donum, & æternum ejus dandi divinum propositum ab illis & creditum & prædicatum esse arbitraretur.

L. de bono persev. c. 14.

XIII. Et infrà rursus idem sanctus Pater antiquos scriptores secundùm præscientiam homines à Deo servari ajentes, ita interpretatur, quasi præscientiæ nomine prædestinationem significaverint. Ita enim & Paulus quandoque usurpavit. *Sine dubio præscivit, si prædestinavit: sed prædestinasse est hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Magis autem fortasse voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imo & congruit veritati, quæ de prædestinatione prædicatur. Hoc scio neminem contra istam prædestinationem quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse*. Ubi vides primò non ut liberum & arbitrarium, sed ut necessarium & catholicæ fidei intextum ab Augustino prædicari, suum de prædestinationis & gratiæ efficacia, tum ad conversionem, tum ad perseverantiam decretum. Secundò ideo fidenter jubere eum, ut prædicetur populis fidelibus: quod non auderet, opinor, si à se excogitatum, & Patribus antiquis adversum suspicaretur. Tertiò Patres antiquos ab eo in eam adduci sententiam. Quartò siqua verba in speciem adversa protulerint Patres antiqui, ab eo illa interpretando mitigari & conciliari. Quintò denique hunc esse morem familiarem & juratum sanctis Patribus, non rixas serere, non diffidia suspicari, sed concordiæ studere, & suspiciunculas siquæ obliquiùs se ingerant, exufflare.

L. de bono persev. c. 18.

Pergit ibidem mox Augustinus sibi Cyprianum & Ambrosium vendicare, & eo exemplo patefacere, quàm promptum sit reliquos Patres omnes in eandem secum sententiam non captivos & retinentes trahere, sed lubentes & spontaneos. *Puto tamen eis qui de hac re sententias tractatorum requirunt, sanctos & in fide atque doctrina Christiana laudabiliter usquequaque diffamatos viros, Cyprianum & Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere, & debere ad utrumque, &c.* Ne Latinos tantùm astipulatores ab eo comparatos putes, Gregorium Nazianzenum mox accersit: *Sed his duobus qui sufficere debuerunt, sanctum Gregorium addamus & tertium: qui & credere in Deum & quod credimus confiteri, Dei donum esse confitetur*.

Ibid. c. 19.

XIV. Et quoniam ipsum quoque Augustinum comminiscuntur à priore sua sententia prioribus Patribus consona resilisse, ubi cum Pelagianis digladiari cœpit, & ad duriora hæc additamenta animum calamumque appulisse, quo adversarios faciliùs everteret: hæc quoque calumnia à Semipelagianis olim evulgata, ab ipso Augustino difflabitur. Gratuitæ enim efficacique ex divina potestate tum gratiæ, tum prædestinationi, se perdiu ante exortum Pelagianæ dementiæ, ita ipse idoneus testis affirmat inhæsisse: *Quod autem dicunt, non opus fuisse hujuscemodi disputationis incerto minùs intelligentium tot corda turbari, quoniam non minùs utiliter sine hac definitione prædestinationis per tot annos defensa est Catholica fides, tum contra alios, tum maximè contra Pelagianos, tot Catholicorum, & aliorum & nostris præcedentibus libris. Multum miror eos dicere, nec attendere, ut de aliis hic taceam, ipsos libros nostros, antequam Pelagiani apparere cœpissent, conscriptos & editos, & videre quàm multis eorum locis nescientes futuram Pelagianam hæresin, credebamus prædicando gratiam, qua nos Deus liberat à malis erroribus & moribus nostris, non præcedentibus bonis meritis nostris, faciens hoc secundùm gratuitam misericordiam suam*. Et de tempore hujus suæ doctrinæ mox subdit: *Quod sapere plenius cœpi, in ea disputatione quam scripsi ad bonæ memoriæ Simplicianum Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, in mei Episcopatus exordio: quando & initium fidei donum Dei esse cognovi & asserui*. Addit & in libris Confessionum suarum ante natales Pelagianorum editis, & per ora, & per manus hominum passim volitantibus, eidem gratiæ Dei & prævenienti, & voluntatem humanam immutanti, & divinæ prædestinationis ad gratiam inexpugnabile propositum testificanti se suffragatum esse, cùm dixit Deo: *Da quod jubes, & jube quod vis*. His aliisque indidem testimoniis declarat jam tum se gratiam eandem prædicasse: *Hæc est prædestinatio certa & manifesta Sanctorum, quam postea diligentiùs & operosiùs cum jam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura divina, quàm si nulla talis necessitas cogeret*. Igitur Augustinus priscis Patribus consentaneus, eadem senserat ante, atque post Pelagianos exortos. Sed unum id ex malo hæreseon grassante bene vertit Ecclesiæ Dei, quod etsi eadem quæ prius decreta, operosiùs tamen & diligentiùs postea pertractantur.

Ibid. c. 20.

XV. Postremò tandem & seipsum etiam ante Pelagiana exordia, & Patres alios omnes, & universos denique fideles in eadem sententia fuisse de gratia atque de prædestinatione, concludit idem Augustinus ex Ecclesiæ precibus, quibus ea decreta perspicuè sunt intexta: *De hac enim re quam nunc adversos novos hæreticos non commemorare tantùm, sed planè tueri, ac defensare compellimur, nunquam tacuit in precibus suis, etsi aliquando in sermonibus exerendam nullo urgente adversario putavit. Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis ejus, ut crederent? Quis sibi unquam non oravit, ut in Domino permaneret?* Orat enim quisque à Deo, & exorare satagit, orat & orare contendit Ecclesia universa, ut sibi, ut infidelibus, detur & conversionis & perseverantiæ gratia, non qualiscumque, sed efficax & invicta, quæ frustratores suos frustret & superet, adeoque à Dei prædestinantis proposito efficaciam suam consequatur. *Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis hujus & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos cura diligentiori defenditur: ille inquam hoc dicat, qui dicere audet, aliquando eam non orasse, vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles. Quæ bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse utique credidit: nec ab illo semper cognita, unquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædestinationis hujus fidem quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit*. Ibid. c. 23.

Æquum est ergo uno in Augustino Patrum omnium concentum & chorum à nobis suspici. Unne Arnobius in calce conflictus sui cum Serapione, *Fateor me ejus assertiones ita probatas habere, ut seipsum ore suo hæreticum detegat, qui Augustinum putaverit in aliquo reprehendendum eloquio*,

quio, &c. Ea quæ ejus profero, ac si sacratissima Apostolorum scripta sic credo, & teneo, & defendo.

CAPUT V.

Idem concentus utriusque Ecclesiæ Patrum in hac materia ex Prospero & Fulgentio, ex Synodis generalibus: aliqua sigillatim de Hieronymi & Chrysostomi consensu cum Augustino.

I. Adversus illos etiam Catholicos Theologos nostra hac fervet disputatio, qui ita Augustino se addicunt, ut reliquos Patres aspernentur, quorum consensui ille se addixerat.

II. Prosper contra obliquos & furtivos Augustini obtrectatores scribens, declarat ejus doctrinam de prædestinatione & gratia, à Romana, & Orientali, Occidentalique Ecclesia receptam fuisse.

III. Idem negat stare posse victoriam Ecclesiæ de Pelagianis, si non sibi, si non Ecclesiæ Patribus constet Augustini doctrina, quæ labefactati sunt.

IV. Cælestini Papæ encomio consecratos Augustini de gratia Commentarios censet Prosper, contra Semipelagianos, à quibus arrodebantur. Cælestinum imitatus est Hormisda.

V. Ex Fulgentio Augustinus Græcos Patres sibi consentientes habet, & arma posteris sæculis ministrat, ad debellandos omnes gratiæ divinæ adversarios.

VI. Idem Fulgentius censet omnium Patrum suffragio muniri debere doctrinam de gratia.

VII. Quæ crudior videtur quibusdam doctrina Augustini de gratia, eam Fulgentius à Græcis non dubitat retineri.

VIII. Petrus Diaconus cum Græcis suis amplectitur, & ex Basilio, imo ex Græcorum liturgia confirmat Augustinianam de gratia sententiam.

IX. Cæsarius Arelatensis Episcopus, Arausicana Synodus, Bonifacius Papa, Augustino cæteros Patres conglutinant in doctrina de gratia.

X. Quanti fecerit Hieronymus Augustinum, & ejus scripta contra Pelagianos: quanti Hieronymum Augustinus & Prosper, & in Hieronymo Græcos Patres omnes, quorum ille totam combiberat doctrinam.

XI. Chrysostomus qui omnium Græcorum unus instar esse potest, quanto in pretio fuerit Augustini asseclis & Latinis omnibus, etiam in materia de auxiliis gratiæ.

XII. Ex quinta, sexta, septima, aliisque Synodis ita statuendum est, & concinere sibi sanctos Patres, & ex eorum concentu astrui debere orthodoxam doctrinam.

I. AD Prosperum & Fulgentium mox devolvar, si priùs monuero antedicta omnia ad id valere, non tantùm ut Vossij ejusque gregalium commenta evertantur: & demonstretur Augustinus doctrinam antiquorum Patrum non abjecisse, non novis appendicibus obduxisse: sed ut alii Augustino addictiores, & præ eo antiquos Patres, Græcos maximè, contemni posse arbitrantes, receptui canant, & intelligant non alia re magis ulla ab Augustino ipso se desciscere. Ita magnifaciendus, ita interpretandus est Augustinus, ut priscorum Patrum, Græcorum juxta & Latinorum propalet, non obscuret: illuminet, non immutet: defendat, non evertat: amplificet, non adulteret doctrinam. Ita Magistri in Augustini verba juremus, ut Augustini ipsius Magistros in quorum verba juratus scripsit, non ejuremus.

II. Prosper in Epistola ad Rufinum testatur, illa Augustini placita de prædestinationis & gratiæ efficacia, clanculum quidem à Semipelagianis arrodi, & furtivis lacessi obtrectationibus; sed non eò tamen usque proterviam eorum erupisse, ut palam editis libris ea impugnarent: haud ignari enim erant ea ab Apostolica Sede & recipi & recipienda præcipi, ea obviis & patentibus ulnis per omnes Ecclesias admitti: ea denique non posse infamari, quin tota Ecclesiæ de Pelagianis victoria collabasceret. Augustino *inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, quidam nostrorum occultis, sed non incognitis susurrationibus obloquuntur, & scripta ejus, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem. Adjicientes etiam duas illum humani generis massas & duas credi velle naturas, ut scilicet tantæ pietatis viro Paganorum & Manichæorum adscribatur impietas. Quæ si vera sunt, cur ipsi tam negligentes, ne dicam, tam impii sunt, ut tam abruptam perniciem ab Ecclesia non repellant: tam insanis prædicationibus non resistant: nec saltem aliquibus scriptis eum à quo talis emanat doctrina conveniant? Magna enim gloria sua humano generi consuluerint, si Augustinum ab errore revocaverint. Nisi fortè modesti homines, novique censores magnorum prius meritorum seni honorabiliter ac misericorditer parcunt; ac securi quia libros ejus nemo usquam recipiat, conquiescunt. Imò noverunt non solum Romanam Africanamque Ecclesiam, sed & per omnes mundi partes universos promissionis filios cum doctrina hujus viri, sicut in tota fide, ita in gratiæ confessione congruere.* In Orientali Ecclesia versati perdiu fuerant nonnulli ex his tunc Augustini obtrectatoribus, callebantque illarum Ecclesiarum, Patrumque Græcorum, quæ esset de gratia & prædestinatione sententia. Multò magis Latinorum hactenus Patrum decreta explorata habebant. Si ergo his omnibus terga vertisse Augustinum comperissent, non clancularii tantùm susurrationibus, sed aperto marte impetissent evertissentque ejus scripta. Similiter si Prospero persuasum fuisset illa Augustini de gratia & prædestinatione placita, peculiaria ei fuisse, nec in authoritatis culmen evasisse apud omnes Ecclesias, sed arbitraria esse relicta; hoc non siluisset, hoc brevissimo compendio declinasset invidiam *fatalitas necessitatis*, quæ ipsi & Augustino imprimebatur. Sed ab hac Vossii fabula abhorrebant tunc & Semipelagiani, non liberam & indifferentem, sed impiam, & Manichæi insania imbutam mussantes Augustini in hac parte sententiam: & Prosper aliique defensores Augustini, qui illis ipsis decretis ajebant assentiri *& Romanam & Africanam Ecclesiam, & per omnes mundi partes universos promissionis filios.*

III. Rursus idem Prosper contra Collatorem, in ipso operis vestibulo ostendit, frangendam Ecclesiæ de Pelagianis palmam, si Augustini scripta erroris vel novitatis insimulentur. *In eum statum deducere causam Ecclesiæ moliuntur, ut dum nostros affirmant non veraciter pro gratia locutos, inimicos gratiæ persuadeant injuste damnatos esse, &c. Injuriam in uno cunctis, ac præcipuè Apostolicæ Sedis Pontificibus, intulerunt, &c. Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei, Catholica acies hujus viri ductu pugnat & vincit. Cur de his armis, quibus communis fides est defensata, causantur? Cur bellum confectum retractant, & munitiones securæ dudum pacis infirmant? An victores displicent, & victi placent? An verò ita se novorum censorum norma exactior temperavit, ut & nulla eorum quæ excisa sunt, afferat: & quædam ex his quæ defensa sunt, respuat?* Hac eadem objurgatione pulsantur, qui etsi non impia, aliena tamen ab antiquis Patribus, & arbitraria clamitant hæc Augustini decreta. Ita enim novitatem novitate excluserit Augustinus, cui tamen,

cujus libris de hac re omnibus applausit & Romana & universa Ecclesia.

IV. Inferiùs autem idem Prosper Cælestini Papæ decretum intexit adversùs procaces Augustini obtrectatores: *Nunquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit: quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam à meis prædecessoribus haberetur.* Compendiosius fuisset ad sedandam hanc procellam, si Cælestinus monuisset, aliqua Augustinum interspersisse suis opusculis, quæ ad fidem nihil attineant, quæ libera & indifferentia sint, adeoque posse Massilienses contrarias his fovere opinationes suas. Sed hanc quoque *sinistram suspicionem* Augustino aspergi non est passus Pontifex. Quoniam autem eo Cælestini decreto non conceptis verbis authoritas addebatur extremis Augustini opusculis, quibus fatalem prædicari necessitatem convitiabantur Semipelagiani: hinc illis cristæ surgebant, hinc gliscebat fiducia hos repudiandi libros, cæteros complectendi. Contrà resistitur à Prospero; approbari Cælestino omnes Augustini lucubrationes, cùm nullas disertè excipiat. Deinde non aliam extremis atq; prioribus Augustini doctrinam inculcari operibus: *Contra istam clarissimæ laudationis tubam, audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere? Ut quia in Epistola Papæ, librorum pro quibus actum est, non expressus est titulus, hinc eos appareat non probatos: & istam in sanctum Augustinum laudationem pro anterioram scriptorum meritis fuisse collatam. Maneat planè, maneat ista conditio, ut horum librorum novitas repudiata videatur, si in eadem causa ejusdem viri dissentit antiquitas: & ut inutile aut incongruum judicetur, quod ab his quæ contra Pelagianos condidit, dissonans invenitur.* Tum pernumerat Augustini lucubrationes, statim post exortum Pelagij editas, quas extremis, quibus extremas per omnia concinere affirmat, & æquè Cælestini encomio consecrari: *Apostolica enim fides quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat; & quod judicio jungit, laude non dividit.* Denique advertit Prosper Pelagianam hæresin in qualibet sui particula totam reviviscere: totam Augustini doctrinam recisa qualibet portione funditus interire: usque adeo contexta omnia & complicata sibi sunt, ut mendacii, ita & veritatis membra, ut necesse sit omnia vel superesse vel extingui. *Ut de prostrati dudum dogmatis corpore nullum sinatur assurgere. Quia notum est, ita se falsitatis istius habere versutias, ut si eis liceat, prætentæ correctionis imagine, aliquod sibi faventium radicis suæ germen excipere, totam se possit in exigua sui parte reparare. Ubi enim non aliud habet summa, quàm portio, non est devotionis dedisse propè totum, sed fraudis retinuisse vel minimum.* Ita Prosper, ita Romana tunc Sedes nullam Augustinianæ doctrinæ particulam sciebat à toto corpore divelli, & seorsim velut indifferentem, vel ut veritati adversam lancinari: sed totam prorsus amplectebatur, totam de debellatis fidei hostibus laureatam prædicabat. Nec sine singulari Numinis providentia contigit, ut extremi illi Augustini ad Hilarium & Prosperum libri, in quos tunc insaniebant Semipelagiani, in quos nunc aliqui obliquiùs nugantur, ab Hormisda postea Pontifice Romano nominatim commendarentur, ut suprà retulimus.

Cap. 41. 42.

V. Fulgentius autem Patrum omnium & Ecclesiarum sententiam cum Augustino consonare, apertissimè his verbis testatur: *Cùm omnes qui vitæ desiderant æternæ fieri participes, oporteat sanctorum Patrum divinitus inspiratis inhærere sententiis; qui gratiæ divinæ sic illuminati sunt dono, ut indubitanter assererent, in hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oboriri, nisi quod beneficio gratiæ prævenientis infunditur; nihil in melius augeri, nisi quod subsequentis juvamine roboratur; nihil bene consummari, nisi quod eadem operante atque opitulante perficitur. Hæc itaque Catholicorum Patrum Apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesiis sine aliqua dubitatione doctrina: quam Græci Latinique Pontifices sancti Spiritus infusione firmati, uno atque indissonabili semper tenuere consensu. In qua B. Augustinus indutus virtute ex alto abundantiùs illis omnibus laboravit.* Et aliquantis in Augustini laudem intertextis, ut Pelagianorum debellatoris, *Non solum ipse de hoste victoriam inferens triumphavit; quin etiam posteris certandi, & vincendi ordinem, si quando victa pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit. Sensum quippe Christi habens, tam gratiæ Dei, quàm humani arbitrii & officia discrevit & merita, semper divinis humana subjiciens.* Vides ut Græcos Latinosque Patres & Augustino præisse in hanc doctrinam de gratiæ & liberi arbitrii concordia, & Augustinum abundantiùs illis omnibus laborasse dicat, non eorum fundamenta aliqua emolitum esse: denique arma ministrasse Augustinum, quibus nihil arbitrarium posthac relinquatur, nihil ambiguum, sed omnia prorsus bella posthuma dirimantur. Paulò ante finem ejusdem libri Patres Græcos prolixo simul cum Latinis Fulgentius prosequitur encomio, Athanasium, Nazianzenum, Basilium, Chrysostomum, eos ait *Ecclesias Dei vigilantissimè gubernasse; aut nascentibus aut jam natis hæreticis habitante in se sancto Spiritu restitisse.*

L. 2. de Ver. prædest. c. 17. 18.

VI. Quid autem vehementius illo ejusdem Fulgentii testimonio, quo Patres omnes fidejussores adstruit illius sententiæ, quæ omnium invidiosissimè vexatur in hac materia? *Dignum itaque est, ut in singulis quibusque sententiis, in quibus nubilo cujusquam obscuritatis ambigimus, sanctorum Patrum definitionibus hæreamus. Quos præveniens misericordia Dei gratis illuminavit ut crederent, & sequens instruxit spiritaliter ut docerent. Hi enim Apostolicæ prædicationis tenentes per omnia veritatem, certissimè cognoverunt, cognoscendumque libris & epistolis reliquerunt, Gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari. Gratuitum quippe donum Dei est gratia.* Non ad Augustinum, non ad Græcos solos ablegat nos Fulgentius, sed ad Patres omnes, in cujuscumque nubilo difficultatis: concordare enim eos inter se, & dissidiis nostris finem posituros. Tum quia circa prædestinationem & gratiam eo maximè ambiguo sollicitantur nonnulli, disertè affirmat hanc esse Patrum consensionem, gratiam Dei non omnibus generaliter dari. Si de eo Græci Latinique consentiant: vanescent, opinor, fictitia illa sententiarum divortia, de quibus suprà.

Ibid. l. 1. c. 15.

VII. Denique idem Fulgentius libro de Incarnatione & Gratia, quem ad Græcos scripsit & direxit, cùm exertissimè asseruisset, & tota Augustinianæ doctrinæ mole firmasset illas etiam propositiones, quæ duriusculæ quibusdam videntur, de prædestinatione gratuita, de gratiæ efficacia secundùm propositum Dei; tandem ita concludit: *Habetis, dilectissimi fratres paucis expressam fidei nostræ confessionisque sententiam, &c. Deus qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua & donum illuminationis ad credendum, & donum perseverantiæ ad proficiendum, atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit: quippe non aliter perficit in opere, quàm in sua sempiterna atque incommutabili voluntate habet dispositum. Cujus prædestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre; si ante ultimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit & prædestinavit ad regnum.* Nec veretur Fulgentius Græcos homines offendere hac sua confessione fidei, hac ejus sectan-

dæ &

dæ & profitendæ necessitate; ut quos noverat longè aliter imbutos, quàm nunc quidam imaginantur. Cùm enim libros Fausti vel Faustus ipse Constantinopolim, vel assecla ejus aliquis tentabundus forsan misisset; eos Græci ipsi aversati sunt, de iis Sedis Apostolicæ & Fulgentij judicium censuramque expectarunt.

VIII. A Fulgentio sejungi se non patitur Petrus Diaconus alijque Græci, qui in libro de Incarnatione & Gratia ad Fulgentium misso accurata illa Augustini placita complexus de Prædestinatione gratię, gratiæque secundùm propositum efficacia; hæc Basilii Magni authoritate communit, in ea *oratione sacri altaris, quam penè universus frequentat Oriens*; *Dona, inquit, Domine virtutem & tutamentum, malos quæsumus bonos facito, bonos in bonitate conserva, omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi; cùm enim volueris, salvas, & nullus resistit voluntati tuæ*. His Basilii, imò totius Ecclesiæ verbis nihil vehementius elocutus est Augustinus. Denique idem Petrus, ex *omnium sanctorum Patrum* doctrina, anathematizat Fausti opera.

Cap. 8.

Cap. ult.

IX. Cæsarius & Arausicana sub eo Synodus cùm adversùs Semipelagianos regulam fidei in plures Canones digereret, eosque non ex sententiis tantùm, sed ex ipsissimis propemodum contexeret Augustini verbis, contestatur tamen hanc doctrinam *collectam esse ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus*. Item has esse *Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones*. Ac tertiò inculcat *hanc esse definitionem sanctorum Patrum*. Atqui de prædestinationis & gratiæ efficacia ex omnipotente Dei voluntate, ibi statuitur planè ad gustum Augustini. Bonifacius II. Papa in Epistola ad Cæsarium data, ait *de hac re multos Patres ac præ cæteris beatum Augustinum disseruisse*: tandemque confirmat hujus Synodi definitiones, tanquam *Catholicis Patrum regulis consentaneas*. Nusquam Augustinus à reliquo Patrum choro sejungi sinitur.

X. Hieronymum quanti fecerit Augustinus, quanti Prosper, quanti & Augustinum Hieronymus, nemo nescit. Atqui tota Græcorum disciplina & Scripturarum interpretandarum ratione imbutus ac delibutus erat Hieronymus. Origenem totum prorsus combiberat, solos despuerat errores. Sub Gregorio Nazianzeno gloriatur ipse se meruisse, Didymum aliosque Auctores & Patres Græcos crebris attollit laudibus. In Apologia adversus Rufinum: *Gregorius vir eloquentissimus, quo ego Magistro glorior & exulto*. Et in Apologetico ad Domnionem: *Gregorium Nazianzenum & Didymum in Scripturis sacris Catechistas habui*. Ad Lætam de institutione filiæ: *Caveat omnia apocrypha. Cypriani opuscula semper in manu teneat. Athanasii Epistolas & Hilarii libros inoffenso decurrat pede*. In Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in Pamphilo, aliqua *Origenis volumina, manu ejus exarata reperi, quæ tanto amplector ac servo gaudio, ut Crœsi opes habere me credam*. In Epistola ad Magnum, Oratorem, Græcis Latinisque penè omnibus Patribus singularia carptim pangit encomia: Athanasii, Basilii, Gregorii, Amphilochii, & aliorum, *in quibus nescias, quid primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam scripturarum*. Et in iis sanè quæ spectant ad gratiam prævenientem, ad prædestinationem ex præscientia, ad conversionis & perseverantiæ donum libero commissum arbitrio, confitentur adversarii, & nos infrà ostendemus & sensa & verba Hieronymi Græcis prorsus congruere. Atqui admirationi mutuæ fuit & Hieronymus Augustino, & post exortos etiam Pelagianos Augustinus Hieronymo. Hieronymus Augustini libros aliquot in exitium hæreseos Pelagianæ scriptos & à se lectos cùm extulisset meritis laudibus, abstinet de cætero ab eadem hęresi scriptis exagitanda: *Unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii, In silvam nè lignas feras. Aut enim eadem diceremus ex superfluo: aut si nova voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora*. Et in Epistola data ad ipsum Augustinum: *Macte virtute, in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt; & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur: & me pari prosequuntur odio*. Approbavit igitur Hieronymus, & suis decretis non refragari sensit placita Augustini quæcumque, cùm teste superiùs Prospero, etiam posteriora Augustini placita in anterioribus ejus scriptis contineantur. Quod & Augustinus ipse supra testatus est. Quanto autem in pretio Augustinus habuerit Hieronymum, testatum fecit ipse multis locis, quæ lubens omitto, ut unum hunc locum attexam, quo eum hortatur, ut Gręcos Scripturarum interpretes & tractatores Latinę linguæ consuetudini traderet: *Petimus ergo & nobiscum petit universa Africanarum Ecclesiarum studiosa societas, ut interpretandis eorum libris, qui Græcè Scripturas nostras quam optimè tractaverunt, curam atque operam impendere non graveris. Potes enim efficere, ut nos quoque habeamus tales illos viros, &c.* Permagni igitur faciebat Augustinus & Hieronymum, & Græcos Scripturarum Commentatores. Denique Hieronymi libros adversus Pelagiana deliria lucubratos, Prosper in carmine de Ingratis, nequaquam his laudibus affecisset, nisi Augustino concinere intellexisset:

L. 3. adv. Pelag. ad calicem.

Epist. 8.

Tunc etiam Bethlem præclari nominis hospes,
Hebræo simul & Grajo, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister
Hieronymus, libris valdè excellentibus hostem
Dissecuit, noscique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ.

Haud opinor *Mundi Magistrum* appellatum iri à Prospero Hieronymum, si magna illum ex parte diffidere comperisset à placitis Augustini. Nos autem in Hieronymo mundi Magistro, in Græcis Latinisque Patribus versatissimo, & utriusque Ecclesiæ doctrina ac consuetudine Orientalis Occidentalisque tam præclarè informato, non dubitamus nos Augustinum Græcis Latinisque priscis Patribus conciliasse.

XI. Idem consequemur eodem compendio, si Joannem Chrysostomum demonstraverimus & Augustino, & Augustini admiratoribus omnibus amori & admirationi fuisse. Cùm enim Chrysostomus omnium Græcorum instar haberi possit, ut Augustinus Latinorum: cùm liqueat Chrysostomum & anteriorum Patrum doctrinam omnem ebibisse, & eandem posteris omnibus, ab ejus ore pendentibus, propinasse: facilè in Chrysostomo Græcos omnes placitis Augustini conglutinabimus. Atqui jam suprà Augustinum audivimus de Chrysostomi secum concordia Pelagianis insultantem. Idem sæpissimè ab eodem in opusculis contra Julianum factitatum est. Jam suprà etiam meminimus à Cælestino Papa objurgatum gravissimè fuisse Nestorium, quod Pelagianis & erroribus & authoribus inhęreсeret, eaque in re à Joannis maximè Chrysostomi prędecessoris sui fide & doctrina deviaret. Quid quod Occidentalis Ecclesia Orientem ipsum in Chrysostomi admiratione & defensione superavit? Atque ut ejus adversus Græcos defensionem adgrederetur, prętег singularem viri innocentiam & sanctitatem, impellebat etiam doctrinæ prędstantia. Palladius in Dialogo de vita Chrysostomi: *Permansit bissenis annis in officio Presbyterii, Antiochenam Ecclesiam vitæ munditia illustrans, partim undis Spiritus recreans, Agebat vices Episcopi in prædicatione verbi Dei, omniumque corda mirabili facundia, Scripturarum dulcedine ornata ad se rapiebat. Quam multos, quam pulcros, quam necessarios plenosque utilitatis tractatus ediderit, quis narrare sufficiat? Sed omitto ista, tuoque, Theodore,* Cap. 5.

judicio examinanda relinquo. Neque enim sunt aut esse possunt obscura quæ scripsit. Cui reponit in hunc modum Theodorus, quasi nomine Romanæ & Occidentalis Ecclesiæ: *Mirabilis planè gratia viri in docendo fuit: atque ex his quæ ad manus nostras pervenire potuerunt, magna ipsius excellentia noscitur.* Atque ut Occidentalium quoque animos videas Chrysostomi doctrinæ addictissimos, accipe quæ Cælestinus Papa ad Clerum & populum

Conc. Eph. part. 1. c. 19. Constantinopolitanum scripserit: *Nam ut à recentioribus inchoemus, quid non animis vestris eruditio sanctæ memoriæ Joannis Episcopi infudit, cujus sermo astruens Catholicam fidem toto orbe diffusus est? Qui nusquam per doctrinam suam defuit, quia ubicumque lectus est, prædicavit.* Isidorus Hispalensis lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis;

Cap. 5. *Joannes cognomento Chrysostomus edidit Græco eloquio multa & præclara opuscula, quibus utitur Latinitas.* Cumque multos recensuisset, & omnes recenseri non posse monuisset ejus libros, hæc subdit: *Cujus quidem studii etsi non omnia, tamen quamplurima eloquentiæ ejus fluenta de Græco in sermonem Latinum translata sunt.* At omnibus compertum est, inter addictissimos sectatores decretorum Augustini, & illorum etiam quæ additamenta non satis cautè dicuntur à quibusdam, præ cæteris insignem esse hunc Isidorum. Ut mihi videri solet Isidorus Hispalensis non refragaturus Isidoro Pelusiotæ, ad Isidorum quempiam alium scribenti, & commentarios Chrysostomi in Epistolam Pauli ad Romanos, ubi prædestinationis & gratiæ penitissima recludunur arcana, ita commendanti, ut videatur Paulus ipse sumet interpres fuisse:

1. Ep. 32. *In commentario Epistolæ potissimum ad Romanos, sapientissimi Joannis sapientia thesaurus quidam est. Sic enim existimo, ne quis ad gratiam me sic loqui putet: si divinus Paulus Attico sermone uti voluisset, quo sui existeret interpres, non aliter interpretaturum fuisse, quam supradictus vir venerandus præstitit.*

XII. His addi possent universales Synodi, quæ indiscriminatim Græcos Latinosque Patres amplectendos audiendosque nobis tradunt. Quinta Synodus:

Collat. 1. *Sequimur per omnia sanctos Patres & Doctores Ecclesiæ Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum: & suscipimus omnia quæ de recta fide & condemnatione hæreticorum exposuerunt.* Non Græci à Latinis, non prisci à junioribus, non decre-

Collat. 5. ta ab additamentis hic discernuntur. Eadem Synodus infrà ex Augustino multa depromit, & in authoritatem allegat. Græcis ergo familiaria tunc erant Augustini scripta & probabantur, cùm tamen illi à priscis Patribus suis neutiquam discederent. Quin & in Chalcedonensi Synodo prolixus

Act. 2. contextus ex confessione Leporij, sub nomine Augustini, qui eam utique dictaverat, inseritur. Jam tunc ergo ejus lectioni insueverant. Decerpserat & Theodoretus in Dialogis suis aliqua ex Augustino. Verùm ut ad quintam Synodum me referam, cùm supradictum locum recitassent in Synodo Lateranensi sub Martino Papa, ut evin-

Consult. 1. cerent, *synodaliter promulgatum esse, omnes sanctorum Patrum sermones & dogmata ab omnibus suscipi Christianis & confiteri, & contradicentes his aut negantes quæ ab eis prædicata sunt, condemnationi submitti.* Lecto inquam ad hoc extorquendum superiori decreto quintæ Synodi, exclamavit Martinus Papa consentiente Synodo, *Manifestatur nobis ex his quæ relata sunt, à sancto quinto Concilio condemnatum esse ut alienum sanctæ Dei Ecclesiæ unumquemque, qui non susceperit verbo & mente omnes sanctas Synodos, & venerabiles Patres, cunctaque quæ ab eis pro orthodoxa fide exposita sunt in destructionem omnium hæresum.* His consequenter innumera penè testimonia ex utriusque Ecclesiæ Patribus promiscuè adglomerant, ad duplicis in Christo confirmationem & voluntatis & operationis: certi nempe eos nusquam in hæreticorum confutatione vel à veritate vel à seipsis abludere. Quod superiùs in eadem Synodo Martinus Papa confirmaverat: *Quoniam quod una sanctorum Patrum Synodus judicare videtur, tam omnes Synodi, quàm universi omnino confirmare Patres noscuntur, utpote in uno eodemque verbo fidei vicissim sibi per indissolubilem consonantiam concordantes.* Sess. 1. Mediolanensis quoque Synodus in eadem causa scribens ad Constantinum Pogonatum Imperatorem, post Patres omnes omnium ætatum, Græcos Latinosque non sine elogio singulari recensitos, concludit tandem: *Quidquid hi docuerunt, sapuerunt, prædicaverunt, vel defensores extiterunt, nos eorum acta vel statuta omni devotione suscipimus,* Act. 1. Consensere & Orientales in sexta Synodo, ut more Majorum controversia dirimeretur ex consensu Patrum utriusque Ecclesiæ. Corrasa igitur & allata utrimque omnigena Patrum testimonia, cum authenticis codicibus collata sunt; nemini licuit quemquam Patrum contemnere aut detrectare, vel ut in re ambigua & indecisa alternare; ex concentu Patrum pro duplici Christi voluntate & operatione pronunciatum est. In septima Synodo præclarissimè illud Tarasius: *Ubique enim Patres sibi invicem concordantes sunt, nec inest illis refragatio ulla, sed adversantur eis qui dispensationes & intentiones eorum minimè didicerunt.* Atque res tum vertebatur de recipiendis in Ecclesiam sine ordinum graduumque dispendio, illis qui ab ea defecerant. In ea re, ut disciplinæ propria, nihil erat periculi si Patres dissentire crederentur. Id tamen vetat Tarasius, & jure vetat. Quippe eadem sententia, eadem intentio est, ordinatos ab Episcopis hæreticis & recipientis ex dispensatione, ubi ei locus tempestivus est: & non recipientis ex juris rigore, ubi nulla compensatio dispensationem excusat. Sed & tota in hac Synodo cùm de cultu Imaginum ageretur, qui ad fidei substantiam utique non est absolutissimè necessarius, qui ex natura sua inter ἀδιάφορα à viris doctis collocatur: quia tamen in ejus cultus defensione concinebant Patres & Ecclesiæ, etsi hic contextus tribus prioribus Ecclesiæ sæculis sit perobscurus, & posset sibi aliquis pari licentia conflictationes & additamenta confingere: tamen inter fidei decreta receptus est, ut cui Patres omnes subscripsissent.

CAPUT VI.

Idem necessarius Patrum Græcorum Latinorumque consensus, declaratur ex Concilio Florentino, ubi non aliter utriusque Ecclesiæ concordia sancita est.

I. Græci Latinique in unam non potuere conspirare sententiam de Spiritus sancti processione à Filio, nisi constituta Patrum utriusque Ecclesiæ concordia, quam prius multi in dubium vocabant.

II. Jam olim Ratramnus hujus Patrum consensionis necessitatem demonstraverat.

III. Idem uno communionis vinculo, adeoque & fidei ac doctrinæ semper cohæsisse sibi utramque Ecclesiam docebat.

IV. Maximus Martyr jamdiu ante eandem concordiæ viam præiverat, exemplo Athanasii usus; & sicut in negotio trium hypostaseon, ita in processione Spiritus sancti à Filio, ostenderat verbis solis, non re pugnari inter Ecclesiæ Patres.

V. Idem docuerunt Petrus Damiani & Anselmus.

VI. Theo-

VI. Theologi Scholastici pro eadem Patrum utriusque Ecclesiæ consensione pugnant; & verborum, non rerum controversiam esse augurantur.

VII. Perinde cæspitavit Vossius, & imaginarias æternasque somniavit pugnas de processione Spiritus sancti.

VIII. Ex ipsa Florentina Synodo, & ejus defensoribus demonstratur, Catholicæ fidei unitatem consensione Patrum niti.

IX. Bessario argumentatur, etsi contraria, contradictoria dixissent Patres, rimandam tamen aliquam fuisse concordiæ rationem. Nunc autem Græcos accommodos Latinis, qui accuratiùs rem pertractarunt.

X. Luculentissimæ ex Bessarione regulæ ad concordiam in rebus Theologicis firmandam, exemplis ad id compluribus adstructis.

XI. Assensi tandem & ipsi sunt Græci, huic Patrum utriusque Ecclesiæ paci & concordiæ.

XII. Incuria Græcorum in evolvendis Latinorum Patrum scriptis, fraudi ipsis fuit.

XIII. Ex Gennadio Patriarcha Constantinopolitano antedicta confirmantur. Augustini apud Græcos authoritas.

I. GRæcos Latinosque dissidentes, aut dissidere visos in processione Spiritus sancti à Filio, non alia demum ratio constrinxit ad concordiam & pacem, quàm necessaria hæc Patrum veterum utriusque Ecclesiæ consensio, incorrupta & æterna posthumarum controversiarum judex & animorum conciliatricula. Et quidem si verborum cortici hæreremus, multò plus Græci Patres à Latinis in hoc negotio discreparent, quàm in prædestinatione & gratia exponenda. Et quia tamen evidentissimè Latini Patres conspirabant pro Spiritus sancti ex Filio processione, in hanc sententiam necessariò deflectendi fuere Græci, qui ea de re obscuriùs, jejuniùs, nonnunquam & paulò obliquiùs verba fecerant. Eadem fingendi libidine potuisset sibi aliquis tunc dissidia Patrum imaginari, & indecisam pendulamque in posterum quæstionem; & additamenta Latinorum atque appendices, nec in Scriptura, nec in Græcis tractatoribus usurpatas. Et Græci ipsi sanè quandiu voluntari in suo luto & altercari maluerunt, quàm in concordiæ & veritatis lucem respirare; ita pertinaciter contendebant, Græcos Patres reluctari processioni Spiritus sancti ex Filio, Latinos hanc tueri, eoque istos & errasse, & errare etiamnunc. At Latini ex adverso, cùm non possent dissidere Patres utriusque Ecclesiæ, quibus utraque suffragata esset, & Latini hoc dogma irrefragabiliter tuerentur, hinc efficiebant, hinc perfecerunt, hinc Græcis tandem ipsis, expugnata eorum pervicacia persuaserunt, aperto Latinorum dogmati inhærendum esse, & in id blandis interpretationibus vocandos esse Græcos Patres.

II. Et quidem jamdiu erat quod Ratramnus Græcos monuerat, hanc unam esse vel perpetuandæ vel resarciendæ concordiæ rationem. Cùm enim contra Græcorum opposita cuneum instruxisset Græcorum, sed præcipuè Latinorum Patrum, tandem solam Latinorum authoritatem adversùs fastidia Græcorum ita exaggerat: *Fortassis Græcorum tumor opponet Latinorum authoritatem se recipere nolle. Verùm quid de suis dicet, quos suprà posuimus authoribus? Licèt stultissimum sit dicere, nolle Latinorum authoritatem recipere, eisque non consentiendo, schismatis novitatem construere, alienosque ab Ecclesia Catholica sese reddere. Absit ut ista vel dicant vel sentiant, suamque velint tantummodo vel sententiam vel consuetudinem totius Ecclesiæ generalitati præferre. Dicente Salvatore suis Apostolis, Ite in universum orbem, & prædicate Evangelium omni creaturæ: non Græcos tantùm commendavit, sed totius orbis plenitudinem commemoravit. Ne suæ prælationis specialitate usurpent munus,* (Spicil. To. 2. l. 3. c. 1.) *quod universitatis esse constat. Aspiciant Catholicam Christi Ecclesiam, totius mundi latitudine diffusam.* Ita ille jam tum ex Catholicæ & Occidentalis Ecclesiæ judicio figebat regulam, quæ vetet controversias Ecclesiasticas, vel indecisas relinqui, vel præposterè dirimi ex unius tantùm partis antiquis Patribus; cum veritatis oraculum indubium ex universorum consensu existat.

III. Idem paulò suprà demonstraverat ita semper sensisse Latinam Ecclesiam, semper ita sentienti communicasse Græcam: ex quo illud emicat, Græcam quoque ita consensisse. Nec enim ad illa licet confugere diverticula de quæstionibus ex dissensione Patrum in suspendio hærentibus. *Igitur Paschasius Romanæ Ecclesiæ Doctor & Diaconus, Majorum doctrinam secutus suorum, suis posteris transcripsit, quod à suis prioribus accepit. Cùmque de Spiritu sancto Romanam sentire, sicut hodie sentit, Ecclesiam probarit, nullo modo tamen ostendit in tali fide permanentem, ab Orientalibus Ecclesiis vel aliquando fuisse divisam, vel unquam diversa de Spiritu sancto sensisse vel docuisse. At nunc mirandum quid arguant novi dogmatis repertores? Cur à communione se dividant, quam semper tenuere Majores? Sciant quia cum Romanis suos quoque judicent Majores: & dum Romanos sua cupiunt communione privare, se pariter excommunicent à suorum societate Majorum.* (L. 2. c. ult.) Quo argumento nihil invictius. Et suprà: *Numquid Majores vestri nescière, quemadmodum de Spiritu sancto Romana ferebat Ecclesia? Nec tamen aliquando à Romanæ Sedis communione sese removere: scientes Catholicæ fidei veritatem fore, quod tenet & prædicat.* (Ibid. c. 2.) Et suprà: *Nullus novus cultus apud Romanam Ecclesiam nunc agitur. Nulla nova doctrina, institutio nova nulla, &c. In eadem fide tam Orientalis quàm Occidentalis semper remansit Ecclesia.* (L. 1. c. 2.) Quæ si ad rem nostram retorqueantur, imaginarium illum Augustini asseclarumque à reliquis Patribus dissensum prorsus abradent.

IV. Quin & perdiu ante Ratramnum sanctus Maximus Martyr Latinorum adversùs Græcos defensione strenuè perfunctus, hac quoque in parte effervescentes jam tum Græcorum querimonias compressit. Audienda hæc est ab Anastasio Bibliothecario concordiæ recolligendæ ratio, ex Epistola sancti Maximi ad Marinum, cujus segmentum huc pertinens, ille interpretatus est: *Præterea interpretati sumus ex Epistola ejusdem sancti Maximi ad Marinum scripta Presbyterum, circumstantiam de Spiritus sancti processione: ubi frustra causari contra nos innuit Græcos; cùm nos non causam vel principium Filium dicamus Spiritus sancti, ut autumant; sed unitatem substantiæ Patris & Filii non nescientes, sicut procedit ex Patre, ita eum procedere fateamur ex Filio. Missionem nimirum processionem intelligentes, piè interpretans, utriusque linguæ gnaros ad pacem erudiens, dum scilicet & nos & Græcos edocet, secundùm quiddam procedere, & secundùm quiddam non procedere Spiritum sanctum ex Filio: difficultatem exprimendi de alterius in alterius linguæ proprietatem significans. Siquidem & hujusmodi pia interpretatione sanctus olim Athanasius Orientales & Occidentales super substantiæ vel personæ nomine dissidentes univit, dum unum idemque utrosque corde credere, sensuque retinere edocuit: licèt ob linguæ varietatem aliter atque aliter ore confiterentur, & importunis contentionibus deservirent.* (Collect. Anast. in Ep. ad Joann. Diaconum.) Hæc Athanasii, hæc insistentis in ejus vestigia Maximi Martyris solertia, hæc benemerendi de Ecclesiis Catholicis industria fuit; non ut aucuparentur vocum aliquarum in tanta nempe sæculorum regionumque intercapedine dissonantiam, & inde impacata fingerent dogmatum dissidia inter tractatores Ecclesiasticos: sed ut contempta vocum discrepantia, ad ipsam fidei dogmatumque medullam penetrarent; ostende-

rentque Occidentales trium hypostaseon inficiatores verbis dissonare, sensu & fide concinere cum Orientalibus earundem præconibus: similiter Græcos Latinis nequaquam refragari in processione Spiritus sancti ex Filio. Vox enim processionis Græcis sonare videtur authoritatem & principalitatem Patris, ut fontis & originis primordialis divinarum omnium emanationum: atque ita negant Spiritum sanctum ex Filio procedere, quibus Latini hactenus vehementer assentiuntur. Latini rursum omnia Patris Filio communia præter ipsam paternitatem, adeoque & Spiritum sanctum Filij esse; & à Filio dari, mitti, emitti sentiunt, etsi non principaliter ut à Patre: & hoc processionis nomine indigitant: quibus cùm & Græci annuant, annuunt & processioni à Filio, eo sensu, etsi non eo verbo, quo Latini.

V. Eandem trivit orbitam Petrus Damiani in Opusculo de Processione Spiritus sancti; ubi & Græcos aliquos laudat nobiscum loquentes, & Latinos aliquos cum Græcis, & sensu utrosque convenire declarat, in eo nempe concordiæ capite, quòd propriè & principaliter à Patre solo procedat Spiritus sanctus, cùm tamen procedat etiam à Filio: sed cui etiam à Patre id datum sit. *Non ergo turbetur*
Part. 1. Opusc. 38. c. 7. *fides, cum audit Spiritum sanctum propriè sive principaliter à Patre procedere: quoniam ab illo datur Filio, ut ab ipso procedat.*

Anselmus autem in Epistola de Processione Spiritus sancti adversùs Græcos, hinc illis primam mali labem, hoc caput illis causamque malorum fuisse demonstrat, quòd Latinis Patribus non acquiescerent, solos magnifacerent Græcos. *Negatur à Græcis quòd Spiritus sanctus de Filio procedat, sicut nos Latini confitemur. Nec recipiunt Doctores nostros Latinos, quos in hoc sequimur.* Deinde ostendit Græcos reapse & in medulla credere processionem Spiritus sancti ex Filio, cùm ea credant, quibus id necessariò implicatum est. Cùm enim credant Spiritum sanctum esse Filij, à Filio prodire, mitti, dari, hoc nihil aliud est quàm procedere.

VI. Omnes deinceps Latini, quantò veritati, tantò etiam paci & concordiæ sarciendæ propiores, ita interpretati sunt, se à Græcis, Græcos à se sola verborum forma dissentire, in sententia & fide congruere; cùm Græci & à veritate & à concordia alieniores, æterna meditarentur odia & dissidia, ex Latinorum Patrum contemptu, quos suis adversari
Distinct. 11. mentiebantur. Magister sententiarum: *Græci dicunt Spiritum sanctum procedere tantum à Patre & non à Filio. Sciendum est tamen quod Græci confitentur Spiritum sanctum esse Filij, sicut & Patris. Quia & Apostolus dicit, Spiritum Filij. Et veritas in Evangelio, Spiritum veritatis. Sed cum non sit aliud Spiritum sanctum esse Patris vel Filij, quàm esse à Patre & Filio: etiam in hoc in eandem nobiscum fidei sen-*
Part. 1. q. 69. art. 2. *tentiam convenire videntur, licet in verbis dissentiant.* Alexander de Ales: *Contrarietas Græcorum & Latinorum sic solvitur: idem enim credunt, sed non eodem modo proferunt.* Sanctus Thomas subscribit Ma-
In l. 1. sent. d. 11. gistro, cujus verba supra retulimus: *Hic ostendit*
Id. ibid. d. 12. q. 1. art. 2. ad 3. *Græcorum concordiam ad Latinos, quantum ad sensum, quamvis in verbis sit differentia.* Et infrà: *Dicendum quod Spiritus sanctus dicitur esse principaliter à Patre, quia in Pater est authoritas spirationis, à quo etiam habet Filius virtutem spirativam. Similiter etiam propter eandem rationem dicitur propriè procedere à Patre: maximè cum hæc præpositio, à, apud Græcos notet relationem ad primam originem. Unde apud eos non dicitur quod locus sit à rivo, sed quod est à fonte. Et inde est etiam quod non concedunt quod Spiritus sanctus sit à Filio, sed à Patre.* Sed Scoti hæc sunt luculentissima in rem istam: *In ista quæstione dicuntur Græci discor-*
In 1. sent. d. 11. q. 1. *dare à Latinis, &c. Sed fortè si duo sapientes, unus Græcus & alter Latinus, uterque verus amator veritatis, de hac visa contrarietate disquirerent: pateret utique tandem istam contrarietatem non esse veraciter realem, sicut est vocalis: alioqui vel ipsi Græci, vel nos Latini sumus verè hæretici. Sed quis audet hunc authorem, Joannem scilicet Damascenum, & beatos Basilium, Gregorium Theologum & Nazianzenum, Cyrillum & similes Patres Græcos arguere hæreseos? Quis iterum argueret hæreseos beatum Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Hilarium & consimiles Latinos? Verisimile igitur est, quod non subest dictis verbis contrariis contrariorum Sanctorum sententia discors. Multipliciter enim dicitur, sicut hoc hujus, ita hoc ex illo, vel ab illo; qua multiplicitate fortè intellecta, & distincta, pateret contrariorum verborum non discors sententia.* Ita ille nec collidendos inter se Patres, nec alteros erroris suspectos esse posse ostendit; sed in ipsa verborum aperta conflictatione, rimandas esse latitantes in sensu fibras indivulsæ concordiæ. Rursum sanctus Thomas opusculo primo adversus errores Græcorum, in Epistola ad Urbanum Papam: *Quod aliqua in dictis antiquorum Sanctorum Græcorum inveniantur, quæ modernis dubia videntur, ex duobus æstimo provenire. Primò quidem quia errores circa fidem exorti occasionem dederunt sanctis Ecclesiæ Doctoribus, ut ea quæ sunt fidei majori circumspectione traderent, ad eliminandos errores exortos. Sicut patet quod sancti Doctores qui fuerunt ante errorem Arrii, non ita expressè locuti sunt de unitate divinæ essentiæ sicut Doctores sequentes. Unde si aliqua in dictis antiquorum Doctorum inveniuntur, quæ cum tanta cautela non dicantur, quanta à modernis servatur, non sunt contemnenda; sed nec etiam ea extendere oportet, sed exponere reverenter. Secundò quia multa quæ bene sonant in lingua Græca, in Latina fortassis bene non sonant. Propter quod eandem fidei veritatem aliis verbis Latini confitentur & Græci.*

VII. Ut intelligas autem quanta hæc inter se cognatione cohærescant: idem ipse Joannes Gerardus Vossius, qui in historia Pelagiana commentus est illa Patrum Augustino posteriorum & anteriorum prælia, & nutantem inter eos, tum victoriam, tum veritatem victoriæ ducem: in hoc quoque Græcorum Latinorumque conflictu de processione Spiritus sancti ex Filio, similiter cæspitavit, nec illam inivit semitam nanciscendæ tum concordiæ, tum veritatis in consensione Patrum; sed ea de re ut ex Patribus ambigua & controversa negavit quidquam certi definitum fuisse, aut potuisse definiri, ante universalis Ecclesiæ ex utroque orbe œcumenicum Concilium.
Ita ille libro de tribus Symbolis: *Quod si nullo* Differt. 5. n. 44.
partium studio trahamur, verendum profectò ne tristissimi hujus & tam diuturni schismatis fontem caputque esse comperiamus, non Græcos duntaxat, quos non facilè aliquis omni culpa exemerit: sed etiam, quod pace dissentientium dixerim, Romanum & alios Occidentis Episcopos. Quos Græci vehementer culpabant, quia ausi essent quidquam si non falsum, saltem controversum symbolo addere. Quippe inquiebant Græci, œcumenica erat Synodus convocanda, &c. Ita ille pessimam ducem, animi sui præsumptionem semel sequutus, & Græcos pariter & Latinos criminatur: utriusque adversarius Ecclesiæ, quia utrique exosus: nec veritatis, & pacis eas venatus semitas, quas ipsimet Patres Græci Latinique nobis præiverunt. Nec enim Athanasius, non Maximus Martyr, non Anastasius Bibliothecarius, non Ratramnus, Petrus Damiani, Anselmus, & eos imitati Lombardus, Thomas, Alensis, Scotus aliique ad œcumenicas provocandum Synodos censuerunt; sed ex ipsa rerum ac sententiarum concordia, quam in penetrali latitantem rimati sunt, eminentem verborum inter sanctos Patres pugnam sedaverunt.

VIII. Venio ad ipsam Florentinam Synodum, ubi

ubi quandiu ex ingenio Vossii altercatum est, conclamata pax fuit, tametsi œcumenica tunc Synodus celebraretur: at tum demum concordia & pax resplenduit, cum declaratum, non posse Patres & divinitus indultos Ecclesiarum magistros dissentire, adeoque Græcos Latinis & conciliandos, & velut expressiùs elimatiùsque ea de re disserentibus accommodandos esse, quod jam olim ante œcumenicam hanc Synodum Latini omnes tractatores perfecerant, duce Græco Patre, Maximo martyre inclytissimo. Et quidem Præsul Ephesi Marcus abrupte animoque ad schismatis
Seff. 25. ingenium efferato, ait, *Latinos non solum esse schismaticos, sed & hæreticos: hoc autem nostra, inquit, Ecclesia reticuit, quod genus ipsorum esset numerosum & potentius nostro. Nos verò nullam aliam ob causam ab ipsis sejuncti sumus, quàm quia hæretici sunt.* Ita ille, schismatis fax; at Nicænus ex adverso pacis & veritatis signifer: *Occidentales & Orientales Sancti non discrepant, sed idem Spiritus sanctus locutus est in omnibus Sanctis. Et si placet, conferantur scripta eorum inter se, & ita comperietur Sanctos nequaquam dissentire.* Et post aliquanta, resipiscentes tandem Græci ajunt: *Non desunt Sancti, qui Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere asserant: Quinam sunt Sancti, qui Sanctis hoc asserentibus adversentur? Nos dicere non possumus Sanctos inter se contraria sentire.* Hæc prolixè & luculentè pro-
Cap. 2. sequitur Nicænus tunc Archiepiscopus Bessarion, in ea oratione quæ supralaudatæ sessioni innectitur. Cùm enim Christus Apostolis, Apostolorumque successoribus, seu Patribus Ecclesiæ dixerit: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus loquitur in vobis*: hinc ut ait Bessario, *Necesse est eos sibi invicem consentanea dicere, & ratio cogit fateri, nihil ab illis dictum esse, quod invicem repugnet, ne minimis quidem in rebus. Aliter enim non veritatis magis, quàm mendacii Spiritus in illis loquutus fuisset. Mendacii enim proprium est, nec hoc, nec illud asserere; quemadmodum sapientis signum est, sibi assiduè constare, nullisque in rebus à cæteris sapientibus discrepare. Quanto igitur homines sapientes sapientiæ & veritatis Spiritus antecellit: tanto magis necesse est, eum sibi consentaneum esse. Et si quis fortè sit, qui Patres nostros & Doctores contraria invicem dixisse existimet, eum profectò cum infidelibus Crucis hostibus connumerari fas est; qui hinc arguere fidem nostram consueverunt, contrarietates quasdam & contradictiones sanctarum litterarum inter se fingentes.* Quod ille mox rursum probat authoritate Synodorum omnium, quæ litibus omnibus finem modumque imposuere ex Patrum consentanea semper norma.

IX. Idem infra Bessario demonstrat non pugnare sibi quod asserunt Græci, Spiritum sanctum à Patre procedere, & quod Latini, à Filio quoque procedere eundem. Nec enim à Patre solo procedere dixerunt Græci Patres. Etsi autem vel maximè confirmassent Græci, ex Patre solo procedere Spiritum sanctum, ne vel sic tamen existimandi essent Latinis adversari, sed exculpenda ratio quædam foret, qua & à Patre solo juxta Græcos, & à Filio quoque tamen juxta Latinos procedere Spiritus sanctus prædicaretur. Usque adeo præjudicata nobis esse debet illa Patrum consensio, ut ne vel aperta quidem verborum contradictione nobis eam extundi sinuamus. *Ex Patre dicunt sancti Patres Orientales procedere Spiritum, & ex Patre per Filium: Ex Patre & Filio Occidentales & nonnulli Orientalium asseverant. Quid igitur dicemus? Contrarium hoc esse illi? Absit. Neque enim contraria, neque contradictoria invicem sunt ex Patre procedere, & ex Patre Filioque. Atqui etiamsi contradictoriè sermo proferretur, ita ut alios ex Patre, non ex Filio, alios ex Patre & Filio dixisse contingeret, nec tunc auderem dicere Sanctos sibi invicem contradicere, sed potiùs meipsum accusarem, tanquam non percipientem illorum intellectum, secundum quod à Tarasio in septima Synodo dictum est: quod scilicet eis contrariantur, qui eorum œconomias & intentionem ignorant.* Tum ex Scripturis exempla profert apertæ in speciem verborum contradictionis, ex quibus tamen pius & sagax interpres unam suique haud discordem sententiam extricat. Ita ergo *si accidisset contraria, contradictoriaque dixisse sanctos Doctores, nobis ipsis potiùs ignorantiæ culpam imputare deberemus, quàm illos credere discordare.* Concludit tandem Orientales incuriosiùs de hac re loquutos, aptandos accommodandosque Occidentalium sententiæ, qui accuratiùs eam illustrarunt.
Concedatur non ita clarè, nec ita expressè Orientales loquutos fuisse de Spiritus sancti ex Filio processione, quemadmodum Occidentales. Quid igitur faciendum est? Nempe nihil aliud, nisi cùm Occidentales Patres apertissimè hanc prædicaverint fidem, Orientales quoque putandum hoc idem dicere: nec oppugnare illos qui idem de fide senserunt. Cap. 4.

X. Hæc tunc Bessario fundamenta pacis non tam adstruebat, quàm ab Athanasio, Augustino, Maximo, Tarasio olim præstructa renovabat, usui futura & tunc, & omnibus postea Ecclesię ætatibus, ad dirimendas omnes controversias. Tria sunt autem in Bessarionis verbis magnę prorsus utilitatis. Primum ne *in minimis quidem rebus*, quæ videlicet usui esse possint ad fidei & doctrinę Ecclesiasticę elucidamentum, Patres vel alios aliis, vel sibi singulos adversari, vel dicendos esse vel credendos. Nihil enim parvum, vile nihil est, ubi controversia potest Ecclesiarum pacem labefactare. Certè concordia humanæ libertatis cum gratiæ divinæ vi & prædestinationis insuperabili potestate, magnæ molis argumentum est, rebusque vel maximis merito suo adnumerari debet. Sed etsi parvis in rebus locaretur, ne de parvis quidem rebus diffidere Patres opinandum est. Secundò usque adeo nefas est ullam inter Patres suspicari discordiam, ut etsi adversa fronte collidereutur Patrum dicta, & conceptis verbis illi negarent, alteris ajentibus, nostra potiùs tamen imperitia in perscrutandis eorum sensis dolenda foret. Tres in Deo hypostases negabant Occidentales, affirmabant Orientales. Hinc fervebant quotidiana jurgia, nempe inter imperitos. Etenim Athanasius sub hoc verborum pugnantium involucro, unam eandemque sententiam utriusque insidere propalavit. Filium causam & principium esse & non esse Spiritus sancti, apertissima est verborum pugna. Maximus tamen eam pacavit rixam, declarans non eodem sensu, sed alio & alio à Græcis & Latinis ea verba sumi: atque ita meritò ab his negari, ab aliis affirmari. Ita & Augustinus suprà exponebat Græcos, ajentes prædestinationem præscientiæ superstrui, sibique neganti concordare demonstrabat. Tertiò scitè Bessarion monet, illis Patribus impensiùs favendum, illisque ut sese accommodent inflectendos cæteros, qui rem enucleatissimè pertractarunt. Ita cùm strictim Græci, at Latini prolixè & operosè verba fecerint de processione Spiritus sancti; illi nimirum ad hos revocandi. Quocirca & Augustino par est reliquos Patres antiquos aptari, qui omnium luculentissimè versatus est in hoc de gratia & prædestinatione argumento.

XI. Græcos vehementer commovit suprà memorata Bessarionis oratio; ita ut urgente etiam Rutheno, *Legantur libri Occidentalium & Orientalium Sanctorum; concordiam inter eos constituamus, concordes enim sunt, quoniam Sancti consona scribunt, siquidem Spiritus sanctus sibi non dissonat. Unus Spiritus sanctus in iis loquutus est, & credendum est unum omnes dicere, & non dissentire*: exclamarint in eadem Sessione: *Nunquam vidimus Sanctos Occidentales, nunquam eos legimus,* Seff. 25.

nunc

nunc autem novimus & legimus. Et protinus tulerunt sententiam, quòd Sanctos Occidentales reciperent & scripta eorum: uno quippe Spiritu repleti fuere, ut necesse sit eorum quoque scripta vera esse, atque ad unum respicere.

Ad ista animum advertere debuerat Vossius, ut causam tam pertinacis schismatis non in Occidentales omnes Episcopos vel Romanum Pontificem conferret, sed in Græcos, quos habebat confitentes reos, suamque ipsos profitentes vel incuriam, vel ignorantiam, vel superbiam, in Latinis Patribus non legendis; aut si legerent, non intelligendis; aut si & intelligerent, negligendis aspernandisque. Hic exitus, hæc summa fuit Synodi Florentinæ, ut ex ejus definitione & subscriptionibus, itemque ex Eugenii Papæ diplomate constat.

XII. Quod autem in errorem impacti sint Græci ex incuria & imperitia sua, quod Patres Latinos non evolvere, non lectitare curassent: colligitur etiam ex historia Florentini Concilii per Sylvestrum Sect. 8. c. 2. Sguropulum conscripta, ut dicitur: *Cùm Imperator Ephesium vehementer urgeret, respondit, Ego penitus ignoro, an authoritates Patrum Occidentalium, quibus nos obruunt, satis pertineant ad eos Patres unde citantur, & si fas esset eloqui, ut adulterinas respuerem. Quod ut dictum durius à pluribus judicaretur, suasere ut quantam contumeliam Patribus inureret, quantam offensam & scandalum crearet utrique Ecclesiæ, tam Orientali, quàm Occidentali, si Occidentales Patres proscriberet, animo gravi metiretur. Quibus sic obviam ivit Ephesius: Ipsos Patres non violabo, sed cùm nobis non constet de istis spicilegiis, quæ adversarii nobis objiciunt; nec Patrum opera, unde ea decerpunt, sint nobis cognita, quando nec in hunc diem eorum sententiæ nostris auribus increpuerunt, &c.* Ita Ephesius, Græcorum tunc antesignanus & planè doctissimus. Et infrà Sect. 9. c. 3. Author ipse hujus historiæ coram Imperatore ait: *Si nec in Chrysostomi concionibus, quarum assiduæ lectioni immoramur, ab adulterino legitimum segregare valemus: quid de nobis fieret, si ad hoc pensum in Occidentalibus Sanctis detruderemur, spurium & genuinum ex eorum scriptis eruere & expiscari? Quæ in hunc usque diem nec vidimus, nec legimus, nec intelleximus, quæ nec à prima origine in nostram linguam traducta sunt*. Ita Græcorum doctissimi & suam & omnium suæ gentis hominum imperitiam profitebantur, à qua procul fuerant Patres antiqui Ecclesiæ Orientalis. Cùm enim in quarta, quinta, sexta & aliis Synodis generalibus, in quas soli penè Græci confluxerant Antistites, Latinorum etiam Patrum scripta in authoritatis arcem recipiebantur, & tam multa ex illis spicilegia ad propositæ controversiæ elucidationem promebantur: necesse tunc erat & Græcos in Latinorum scriptis pervolutandis frequentes esse.

XIII. Coronidem huic capiti imponet Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus in expositione pro Concilio Florentino. Congestis enim ex Au-
Cap. 1. sect. 8 Bibl.Pat. To. 4. Par. 1. pag. 981. gustino plurimis, subdit: *At quis adversariorum fortasse dicet, nos huic adhærere non opus esse, cùm Occidentalis sit Doctor & Latinus. Ad quod respondendum, si opera ejus ab Oecumenica Synodo comprobata non fuissent, bene se haberet quod dicis. Sed cùm Oecumenica Synodus ea servari jubet, idque cum imprecationibus & anathemate, non rectè dicis. Quod ita se res habeat, audi ex actis sextæ & Oecumenicæ Synodi; Consentit sanè in omnibus sanctis Patribus & Doctoribus Ecclesiæ Catholicæ Athanasio, Hilario, Basilio, Augustino, Theophilo, Cyrillo, Joanni Constantinopolitano, Leoni, Proclo: cunctaque eorum scripta de recta fide & ad hæreticorum damnationem recipimus. Similiter & ex septima, &c. Audis ut anathemati subjicitur, qui Augustini sententias non recipit? Non ergo in posterum ambigas pro sancto & Doctore habere Augustinum, cujus gloria magna est in Ecclesia Dei. Nosti ergo quomodo & Occidentales Doctores in omnibus Orientalibus consentiunt, quasi eodem Spiritu afflatis, &c. quodque apertiùs Occidentales Orientalibus clamant ex utroque procedere; nec potes eos rejicere, Synodis palam clamantibus anathema adversùs eos qui illorum sententias non recipiunt*. Atqui in sexta & septima Synodo de processione Spiritus sancti non movebatur quæstio. Sed quia tamen ibi Patrum utriusque orbis authoritas sanciebatur non sine anathematis interminatione, hinc piaculare est, eorum sententias vel repudiare, vel sibi invicem quasi conflictabundas committere. Cui regulæ quia non acquievere Græci hactenus, in schismate fœdissimo consenescunt.

CAPUT VII.

Prævenientis gratiæ necessitas, prædestinatio gratiæ, gratiæ efficacia tum quoad conversionem, tum quoad perseverantiam, ex æterno Dei proposito de prompta, ostenditur ex Græcis Patribus, Clemente Romano, Ignatio, Justino Martyre, Irenæo.

I. Ad tria nunc descenditur doctrinæ capita, maximi planè momenti, in quibus concordia sancienda est inter Patres cæteros & Augustinum. Primum eorum est de gratia præveniente, cui refragabantur Semipelagiani.

II. III. Ex Clemente Romano congeruntur testimonia pro gratia præveniente qualecumque meritum nostrum, & pro prædestinatione gratuita. Solvitur objectio ab eodem petita.

IV. Clementi suffragatur Ignatius, etiam quoad gratuitam prædestinationem.

V. VI. Suffragatur & Justinus Martyr, tum prævenienti gratiæ, tum prædestinationi.

VII. Irenæus tuetur gratiæ victricis efficaciam, & gratuitam Dei prædestinationem.

VIII. Christi maximè exemplo, quippe efficaciam suam haurit gratia à Verbi incarnatione, & ab incommutabilitate Verbi, cui tutiùs nostra salus, quàm primo Adamo commissa est.

IX. Usque adeo Græci olim Patres efficaciam gratiæ, & prædestinationem gratuitam propugnabant, ut eos libertati adversari calumniarentur hostes Ecclesiæ.

X. Variæ temporum rerumque vices, quibus nunc de gratia, nunc de libertate magnificentiùs dicere necesse fuit, ad contrarias hæreses refellendas; sic tamen ut veritas semper orthodoxa emineret.

XI. Rursus Irenæi doctrina.

I. HActenus extrinseca tantùm ut ita dicam versavimus argumenta, magno tamen, ut spero, usui futura ad inferiùs dicendorum præsidium. Id enim omnino consequemur, ut ne nostram in interpretandis conciliandisque Patribus industriam contemnat, qui quantos duces ea in re sequamur, adverterit. Exploratissimum enim est, ut ait Beda, quod Pelagio & Juliano *sanctus Augustinus, sicut & cæteri Patres Orthodoxi multis sententiarum Catholicarum millibus responderunt*. Hist. Eccl. l. 1. c. 10. Commilitones ergo Augustino ubique, nusquam adversarios in gratiæ disceptationibus cæteros Patres omnes demonstraturus, Græcos primùm aggrediar, tum quod illos potissimum iniqua exagitaverit suspicio, tum quod Latini antiquiores ex illorum penu multa corraserint: ita ut cum Græcis Latini etiam eorum ferè sequaces, in eandem concordiam ultro sint concessuri.

Tria hæc autem potissimum concordiæ capita nobis

bis proposuimus confirmanda, de necessitate gratiæ omnia merita prævenientis; de prædestinatione electorum secundùm gratiam, non secundùm merita ulla: de gratiæ denique efficacia ex divino proposito derivata, tum ad conversionem primò peccatoris, tum ad perseverantiam deinceps in justitia semel cœlitus instillata. His enim capitibus cætera illigata sunt omnia; & de his maximè controverti poterat, de his negotium nobis facessunt adversarii, an Augustino Græci quoad hæc consentiant. Et quod ad prævenientem gratiam attinet, consentit Vossius, Græcos Augustino concordare. Jure id quidem. Ne in Semipelagianæ amentiæ baratrum tot & tantos præcipitaret Ecclesiæ universæ Patres & Magistros. Verùm ex infra dicendis liquebit, in ea quoque re desiderari fidem & sinceritatem Vossij. Græcorum enim dicta si crudè & inhumaniùs accipiantur, plusculum etiam, certè tantundem videbuntur adversari necessitati prævenientis gratiæ, quàm prædestinationi gratuitæ, & gratiæ potestati. Si eandem sanè operam navasset, si eandem interpretandi clementiam adhibuisset Vossius, in his æquè capitibus Augustino & Græcis Patribus æternam sanxisset pacem.

II. Chorum non immeritò ducet Clemens Romanus in Epistola ad Corinthios, quam Hieronymus ait scriptam esse, *ex persona Romanæ Ecclesiæ, & in nonnullis locis publicè legi solitam, charactere Epistolæ quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur, convenire*. Sic ergo Clemens gratiæ & prædestinationi divinæ astipulatur: *Qui carne castus est, ne insolescat, cum sciat alium esse qui continentiam ipsi tribuat. Consideremus fratres ex qua materia facti sumus; qui & quales mundum tanquam ex sepulcro & tenebris ingressi sumus: qui nos fecit & condidit, præparatis suis prius benefactis antequam nasceremur, in mundum suum introduxit. Hæc igitur omnia cum ab eo habeamus, in omnibus ipsi gratias agere debemus*. Subjicit ex variis Scripturæ locis neminem hominum *coram Domino mundum esse, vel de operibus suis inculpabilem*. Ubi perspicua confessio est tum gratiæ collatæ, tum ejusdem ante sæcula prædestinatæ ante prævisionem ullam bonorum operum, imo post prævisionem malorum nostrorum operum: exemplo etiam ducto ab hujus universi orbis amplitudine, ubi antè Deus opes deliciasque affatim nobis instruxerat, idque ex mera gratiæ largitate, quàm in eum nos induceret. Et paulò ante finem Epistolæ: *Inspector omnium Deus, Dominus spirituum & omnis carnis, qui elegit Dominum Jesum Christum, & nos per eum in populum peculiarem, det omni animæ, quæ sanctum & gloriosum nomen ejus invocaverit, fidem, timorem, pacem, patientiam, &c.* In donis Dei omnes prorsus enumerat virtutes. Electionem nostram tam nullis meritis nostris attribuit, quàm Christi. Est enim juxta Augustinum præclarissimum prædestinationis ex gratia exemplar Jesus Christus, cujus sanctissima humanitas cùm creando assumpta, & assumendo creata sit, non potuit meritis ullis divinam Verbi hypostasin antevenire. Ei consimilis est nostra electio; per eum & in eo facta. Utque ad exordia ejus epistolæ recurram, ita ille priori Corinthiorum

Pag. 4. sanctimoniæ gratulatur: *Labor omnis & contentio vestra diu noctuque pro universa fraternitate erat, ut numerus electorum ejus cum commiseratio-*

Pag. 28. *ne & conscientia salvaretur*. Et infrà: *Misericordem Patrem nostrum diligentes, in sanctitate cordis accedamus ad ipsum, qui nos sibi ipsi electionis sortem fecit*. Quid expressius ad electionem gratiæ? Quam statim confirmat hoc Scripturæ testimonio: *Quando dividebat Altissimus gentes, quando disseminavit filios Adam, constituit terminos gentium, secundum numerum Angelorum Dei; & factus est pars Domini Jacob, funiculus hæreditatis ejus Israel*. Et alio item isto: *Ecce Dominus tollit sibi gentem è medio gentium, prout homo primitias areæ suæ accipit, & ex gente illa Sancta Sanctorum egredientur*. Centies sanè Scriptura Judæis inculcavit, cæteris gentibus eos antehabitos, & repudiatis reliquis ipsos electos, non propter opera bona quibus præclari essent, cùm cervicosi ex adverso & contumaces extitissent adversus divinas leges, sed solius miserationis & gloriæ divinæ contemplatione. Quod & idem Clemens mox exequitur, de Abrahæ posteris ajens in hunc modum: *Omnes igitur glorificati & magni-* Pag. 41.
ficati sunt, non per seipsos, aut eorum opera, aut justas actiones quas patrarunt: sed per voluntatem ejus. Sic nos ex voluntate ejus in Christo Jesu vocati, non per nos ipsos justificamur, neque per sapientiam nostram, intelligentiam, pietatem, vel opera quæ in puritate cordis vel sanctimonia operati sumus, sed per fidem, per quam omnipotens Deus omnes à sæculo justificavit, cui sit gloria. Nihil disertius dici potuit, ad prævenientem gratiam & electionem gratiæ stabiliendam, non ex operibus ullis, non ex ullis bonæ voluntatis rudimentis, sed ex sola Dei omnipotentis voluntate & misericordia.

III. Quod ita rursum ille inferiùs: *Beati sumus,* Pag. 65. 66
dilecti, si præcepta Domini in charitate impleverimus; ut per charitatem peccata nostra nobis remittantur. Scriptum est enim, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. Hæc beatitudo contigit eis qui per Jesum Christum Dominum nostrum à Deo sunt electi, &c. Vides & remissionem peccatorum, & præceptorum impletionem ex charitate illis concedi, qui electi sunt à Deo per Christum. Denique charitatem idem Clemens effusiùs laudare adgressus, eam & à Deo dari, & electis dari, & efficacem gratiam in ea maximè positam esse, ita ibidem declarat: *Charitas nos Deo adglu-* Pag. 64.
tinat, charitas multitudinem peccatorum tegit, charitas omnia sustinet, charitas omnia patienter tolerat; nihil illiberale & sordidum in charitate, nihil superbum: in charitate omnes Dei electi perfecti sunt facti, in dilectione nos Dominus sibi assumpsit, propter dilectionem quam erga nos habuit, sanguinem suum pro nobis dedit, &c. Quis est idoneus ut in charitate inveniatur, nisi quos Deus dignos judicaverit? Oremus igitur ut digni ea habeamur. Vides quam efficaciam tribuat charitati, & quàm gratis à Deo eam dari asserat electis, & quos καταξιώσῃ
ipse dignos fecerit.

His ergo adversa non sunt quæ apud eundem leguntur suprà: *Sanguinem Christi intentis oculis intueamur, & quàm pretiosus ille Deo sit consideremus, qui propter nostram salutem effusus, toti mun-* ἐπελώσγκεν. Pag. 10. 12.
do pœnitentiæ gratiam obtulit. Circumspiciamus diligenter omnes mundi ætates, & discamus quod in omni generatione, volentibus ad ipsum converti, Dominus pœnitentiæ locum concesserit. Noe pœnitentiæ præco fuit, &c. Jonas Ninivitis, &c. Volens igitur omnes dilectos suos pœnitentiæ participes fieri, omnipotente sua voluntate stabilivit. In Christi sanguine pœnitentiæ gratiam *toti mundo oblatam*, & tamen in Electis specialiter *omnipotenti Dei voluntate stabilitam* & efficacem, nec Augustinus nec ei addictissimus Theologorum cuneus abnuit; ut infrà liquebit. Quod autem *volentibus* eam gratiam oblatam docet, catholicè id quoque dicitur; nec enim invitis & nolentibus prodest gratia: sed volentibus, id est, consentientibus. Illa ergo voluntas intelligenda est, quæ non ipsa gratiam antevenit, sed anteveniente, & aliud agentem, vel malè agentem vellicanti consentit. Ita demum non sibi pugnabit Clemens, qui tot locis suprà relatis rudimenta omnia bonæ voluntatis subsequi & obsequi docuit, non præire gratiæ, quam Electis dari inculcavit, & ex voluntate Dei, & peccatoribus, & exemplo naturæ ipsius, quæ immerentibus tot bona infundit: & Israelitarum, qui cæteris gentibus prælati sunt, non suo merito, sed divino beneplacito: & demum assumptæ Christi humanitatis,

tatis, quæ antè mereri non potuit, quàm omnino esse.

IV. Clementi suppar accedat Ignatius. Pauli documentis & hic initiatus, eandem gratiæ vim & majestatem prædicabat. In Epistola ad Smyrnæos, de hæreticis hominibus agens, *Hos non oportet recipere, nec possibile esset, eis obviare; solum autem orare pro ipsis, si quomodo pœniteant, quod difficile. Hujus autem potestatem habet Jesus Christus, verum nostrum vivere.* His veram Christi carnem inficiantibus non defuerat gratia, qua Christi fidem veram retinerent: sed utcumque pervicaciter gratiam oppugnarent, *in potestate* tamen erat Christi, eos efficaciter ad pœnitentiam revocare. Et hac speciali gratia, & electis prædestinata Ignatius communitus, mox de seipso ait, *In nomine Christi omnia sustinebo, ipso me fortificante*. Et infrà, Electis gratiam ex gratia, non ex meritis dari ita docet: *Ligatus Deo decentissimis vinculis, omnes saluto, non existens dignus esse extremus ipsorum; secundùm voluntatem autem Dei dignus factus sum, non ex conscientia, sed ex gratia Dei: quam oro perfectam mihi dari, ut in oratione vestra Deo potiar.* Denique ad Philadelphios: *Fugite malas propagines, generantes fructum mortiferum. Isti enim non sunt plantatio Patris. Si enim essent, apparerent utique rami crucis, & esset utique fructus illorum incorruptibilis. Per quem in passione ipsius advocat vos, existentes membra ipsius. Non potest igitur caput nasci sine membris, Deo unionem repromittente, quod est ipse.* Ubi adumbratè designatur prædestinatio gratuita Christi totius, hoc est, Capitis & Corporis, cùm sejungi Caput & membra non possint. Illa est plantatio Patris, cujus fructus incorruptibilis est. Ex his paucis satis scintillat gratia meritum non inveniens, sed infundens, & ex voluntate Dei ac potestate Christi efficaciam suam obtinens. Hæc cum prædestinatione gratiæ necessariò conjuncta sunt, cui rursum suffragantur aliæ ejusdem Epistolæ ad Ephesios, aliosque datæ, ubi salutat Ecclesias, *magnitudine Dei Patris repletas, & prædestinatas ante sæcula, ut sit semper in singulari gloria inconvertibilis, & adunata & electa in passione vera, & voluntate Dei, &c.*

Ἀξιωμα-μῶντος.

Quod ergo apud eundem legitur in Epistola ad Smyrnæos, *Perfecti existentes, perfecta & sapite. Volentibus enim vobis benefacere, Deus paratus est ad tribuere:* id quidem nostræ non obstrepit sententiæ. Uberrimam enim jam Christi gratiam & charitatem perfectam assequutos alloquitur, ideoque ex bona voluntate quam charitas inspirat, vel quæ charitas est, properantes ad benefaciendum; quibus adeo Deus non deest, ut qui dedit velle, det & perficere.

V. Justinus Martyr in sermone cohortatorio ad Græcos: A Philosophis *cùm nihil percipi possit de religione, & idoneum satis documentum exhibuerint ignorationis suæ per dissidentes inter se factiones, reliquum esse opinor, ut ad Majores nostros revertamur, qui omni contentionis studio & factionum dissidio liberi, sicuti à Deo acceperunt, ita nobis doctrinam tradiderunt. Neque enim vel natura vel ingenio humano res tam sublimes & divinas hominibus cognitione assequi est possibile; sed eo quod tum cœlitus in viros sanctos descendit, gratuito opus est dono.* Disertè negat esse possibile, ut homo quilibet naturæ vel ingenii viribus ad religionis veritatem pertingat: multò magis impares erunt vires ejus, ut religionis sanctimoniæ mores suos coaptet: sed ad utrumque opus est *dono* cœlitus influente. Pergit ibidem: *Qui viri nihil indiguere arte dicendi, sed ut tantummodo puros seipsos divini Spiritus operationi præberent, atque ita divinum è cœlo plectrum descendens, quasi instrumento quopiam citharæ vel lyræ, viris justis utens, divinarum nobis & cœlestium rerum cognitionem revelaret.* Divino gratiæ dono vult ut puros se præbeant, hoc est, obsequentes, non pugnaces: alioqui puritas illa purioris doctrinæ, seu religionis & cœlestis doni pedissequa est, non præsultrix. Si puritas enim animi antecederet, jam supervacanea videri posset & religio, & doctrina cœlestis, & donum Spiritus. Denique instumenti, utputa citharæ comparatio abundè declarat, nihil ex se hominem proferre, non piæ motionis exordia ulla sua sponte effundere, sed moveri cœlitus, & ut ordiatur, & ut progrediatur in boni operis decursu.

Inferiùs autem cœlestis gratiæ dono virtutes omnes nobis obtingere idem Justinus, etiam ex Platonis dogmate confirmat: *Jam si quis consideret donum Dei illud cœlitus descendens in sanctos homines, quem Spiritum sanctum Prophetæ nominant, adhibeatque diligentiam, inveniet etiam à Platone licèt aliter id nominante, prædicari in eo libro, in quo cum Menone disputat. Veritus enim Dei donum Spiritum sanctum nominare, ut videretur Prophetas sequi doctrina Græcanicæ tædio, cœlitus id à Deo fatetur descendere, non tamen Spiritum sanctum, sed virtutem nominare dignatus: & his tandem verbis pronuncians: Virtus nec à natura datur, nec per doctrinam paratur, sed divinitus contingit non citra mentis operam quibuscumque contingit. Hæc opinor manifestè de Spiritu sancto sub virtutis nomine ex Prophetis in sua scripta Plato transtulit. Quemadmodum sacri Vates unum eundemque Spiritum in septem spiritus ajunt dividi: sic & ipse unam eandemque virtutem nominans, hanc in quatuor virtutes partitur, &c. Sic enim ait, Hac itaque ratione apparet, virtutem divinitus contingere his quibus contingit, &c.* Virtutem cùm Spiritum sanctum esse, cùm ab eo illabente infundi docent Prophetæ, non humanæ industriæ, sed divinæ gratiæ eum fructum esse testantur. Ita & Plato cùm nec à natura dari, nec doctrina virtutes parari ajebat, sed obtingere nobis divinitus, θείᾳ μοίρᾳ: prædestinationem, & sortem quandam divinam satis innuebat, quæ donaretur cœlitus, consentaneè prorsus Christiano dogmati.

VI. Ita & in Dialogo cum Tryphone, non multò post initium docetur, mentem ad Dei visionem & intelligentiam pertingere, non sui cum eo cognatione, sed *Spiritu sancto, sobrietate, justitia*. In ipso autem prolixi hujus sermonis contextu, gratiæ necessitatem exemplo Christi ipsius declarat, ajentis in Psalmo, *In te speraverunt* ἀμυλθ. *Patres nostri, &c. Ego autem sum vermis, &c. Patres agnoscit, qui sperando in Deum, ab eo servati fuerunt. Et se quoque servandum ab eodem Deo indicat, tantum abest ut jactet se aliquid effecturum proprio consilio, suisque viribus.* Et infrà: *Jam cum dicit, Deus meus es tu, ne discesseris à me; docet omnem hominem debere spem suam in solo Deo ponere, & ab eo salutem auxiliumque petere: non ut solent cæteri fiducia generis, aut opum, aut virium, aut sapientiæ, salutem sibi polliceri: quemadmodum & vos semper fecistis. Nam si videmus nec Filium Dei viribus suis aut sapientiæ ferre acceptam salutem, cùm tamen sit innocentissimus, ac ne verbo quidem peccarit; nec putare se posse sine Deo salvum evadere: qui fieri potest, ut vos & alii quicumque sine hac spe salutem expectant, non seipsos decipiant?* Sic ille Judaicum supercilium retundit, & humanam sugillat justitiam, qua ut propriis viribus & per legis sapientiam parta tumentes, justitiæ Dei non erant subjecti. At nos Christi exemplis & doctrinis imbuti, non sapientiæ, non viribus nostris, sed totam salutem justitiamque unius summi Dei largitati acceptam referimus.

Rursus idem in Apologia prima pro Christianis: *Socrates ajebat, Patrem opificemque omnium nec invenire facile, & cùm inveneris, apud quosvis enuntiare tutum non fuerit. Quod noster Christus*

ctus per suam efficit potentiam. Socrates nemini persuasit ut moreretur pro suo dogmate: Christo autem non solùm eruditionis doctrinæque cupidi, sed & opifices & idiotæ, gloria, formidine, morteque contempta: quoniam is est ineffabilis Patris potentia, non humanæ rationis instrumentum. Omnipotentem gratiæ vim ex Christi, ex Verbi Dei omnipotentia derivat, ut homines etiam humanæ sapientiæ rudes, & cœlestium dogmatum lumine perfunderentur, & tanta animi armarentur fortitudine, ut à Christi fide & pietate, nullis cruciatibus, nullo mortis genere abducerentur. In Apologia autem secunda ait, Christum in paternæ dexteræ majestate sessurum, donec omnis expugnetur dæmonum potestas, & *compleatur numerus bonorum, jam olim electorum.*

VII. Irenæus Lugdunensis Episcopus totam prædestinationis & gratiæ dispensationem inter arcana collocat humano ingenio haud pervia, pia admiratione, vel parcissima certè vestigatione prosequenda: L. 1. c. 4. *Quis sit uniuscujusque testamentorum character, docere: & quare conclusit omnia in incredulitate Deus, ut omnium misereatur, exquirere: & quare adventus Filii Dei in fine apparuerit, & non in initio; & quare desperatas gentes cohæredes fecit Deus; quemadmodum factus est, qui non erat populus, populus, & non dilecta, &c. In talibus enim & similibus exclamavit Apostolus, O altitudo divitiarum sapientiæ & agnitionis Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, &c.* At infrà vitam & immortalitatem animæ nostræ, non à seipsa, sed à Deo esse & jugiter affundi, ita demonstrat: *Non enim ex nobis, neque* L. 2. c. 65. *ex nostra natura vita est, sed secundùm gratiam Dei datur. Et ideo qui servaverit datum vitæ, & gratias egerit ei qui præstitit, accipiet & in sæculum sæculi longitudinem dierum. Qui autem abjecerit eam, & ingratus extiterit factori, ipse se privat in sæculum sæculi perseverantia.* Et post aliquanta: *Sicut autem corpus animale, ipsum quidem non est anima, participatur autem anima, quoadusque Deus vult: sic & anima ipsa quidem non est vita, participavit autem à Deo præstitam sibi vitam.* Quæ æquius est, non de naturali vita & qualicumque immortalitate intelligi, qua nec impios unquam desieri credimus: Sed de vita gratiæ & beata immortalitate; cujusmodi vita Deus est animæ per gratiam, ut anima corpori: quam ingrati abjiciunt, quam pij & humiles non ut suam, sed ut supernè datam custodiunt. Ipsorum est enim eam non provocare, non promereri, sed gratis oblatam & datam custodire, id est, non abjicere: ipsa enim & se & nos custodit, dummodo à nobis non abjiciatur.

L. 3. c. 18. Et infrà omnipotentiam Christi in liberandis nimirum electis suis, ita demonstrat: *Voca nomen ejus, Velociter spolia dispertire, &c. Priusquam enim cognosceret puer vocare patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ: occultè quidem, sed potenter omnia manifestans, quoniam occulta manu expugnabat Dominus Amalec. Propter hoc & pueros eripiebat, qui erant in domo David, bene sortiti eo tempore nasci, ut eos præmitteret in suum regnum, ipse infans cum esset, infantes hominum martyres parans propter Christum.* Quod ait Irenæus *bene sortitos* ut tunc nascerentur, nemo sanus id sorti vel casui imputabit, sed ex Pauli & Scripturarum consuetudine, eo indicatur vocabulo prædestinatio gratiæ, tam nihil meritorum à nobis expectans, quàm si sortito obveniret. Sed res ipsa clamat, nullo enim merito suo puerili in Martyrum chorum, & in lauream Martyribus desponsam assumpti sunt, sola misericordia Dei, & potestate Christi, expugnantis Amalec & spolia detrahentis. Hoc argumento utitur & Augustinus non semel ad constituendam electionem gratiæ, & gratiam non ad quidvis, sed electioni ad beatum exitum perducendæ, parem.

Eandem gratiæ efficaciam, merita nostra omnia antevolantem, apertiùs declarat mox Irenæus: *Hunc Spiritum promisit per Prophetas effundere se in novissimis temporibus super servos & ancillas, ut prophetent. Unde & in Filium Dei filium hominis factum descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, & requiescere in hominibus, & habitare in plasmate Dei, voluntatem Patris operans in ipsis, & renovans eos à vetustate in novitatem Christi. Hunc Spiritum petit David humano generi dicens, Et Spiritu principali confirma me. Quem & descendisse Lucas ait post ascensum Domini in discipulos, habentem potestatem omnium gentium ad introitum vitæ & apertionem novi testamenti. Unde & omnibus gentibus conspirantes, hymnum dicebant Deo, Spiritu ad unitatem redigente distantes Tribus, & primitias omnium gentium offerente Patri.* Hic sanè quot verba, tot mihi sonare videntur argumenta ad victricis alicujus gratiæ potestatem declarandam, & nullis meritis invitatam ejus indulgentiam. Promisit enim illum gratiæ Spiritum antè Deus, adeoque prædestinavit, quàm nos vel essemus, nedum mereremur: & Christo primùm infundit, insuescens jam inde habitare in nobis, & operari in nobis voluntatem Dei, & à vetustate peccati & mortis nos innovare: infudit postea & Apostolis, *habentem potestatem omnium gentium ad introitum vitæ,* quas & ad fidei *unitatem redegit, primitiasque obtulit Patri.*

VIII. Et infrà hanc gratiæ juxta Dei prædestinantis propositum efficaciam invictam à Verbi Dei incarnatione derivat verbis planè luculentis: non adumbratè, ut fabulabantur hæretici, sed verè in nostra carne visum passumque demonstrans Filium Dei: *Adunavit hominem Deo. Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non justè victus esset inimicus. Rursus autem nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam. Et nisi homo conjunctus fuisset Deo nostro, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim Mediatorem Dei & hominum per suam ad utrosque domesticitatem, in amicitiam & concordiam utrosque reducere, & facere ut Deus assumeret hominem, & homo se dederet Deo, &c. Quapropter & per omnem venit ætatem, omnibus restituens eam, quæ est ad Deum, communionem.* Et infrà: *Propter hoc enim Filius Dei qui erat, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, nisi adunati fuissemus incorruptelæ & immortalitati.* Gratiam quippe Adamo primùm Deus, ipsi posterisque commodaverat, præpotentem illam quidem, sed non invictam. Quapropter Reparatori necesse fuit potentius auxilij genus & prorsus invictum reservari: ne ruinæ reparatio in aliam rursus labem & æternam calamitatem deficeret. Cùm sua ergo mutabilitas Adamo fraudi fuisset, & immutabilis non sit nisi Deus, vel desperanda fuit reparatio nostri generis, vel ea provincia incommutabili Verbo Dei fuit obeunda. Cùm enim non particeps sanctitatis & immortalitatis, sed ipsamet sanctitas & immortalitas sit, ab ea utique nunquam excidet: ergo & nostra natura per Incarnationem illi inserta, invictissimè reparabitur. Christus ergo fidelium & prædestinatorum caput, secum gestans membrorum suorum omnem plenitudinem, eam Verbo Deo, hoc est, sanctitati & incorruptioni indivulsè univit. Quæ tota argumentatio corrueret, si gratia non aliam haberet efficaciam, quàm quæ primùm Adamo credita est.

L. 3. c. 20. / Cap. 21. (margin references to the passages above)

Quod rursus idem ita exponit: *Omnis dispositio salutis quæ circa hominem fuit, secundum placitum fiebat Patris, uti non vinceretur Deus, neque infirmaretur ars ejus. Si enim qui factus fuerat homo à*

Deo

Deo ut viveret, hic amittens vitam læſus à ſerpente, qui depravaverat, jam non reverteretur ad vitam, ſed in totum projectus eſſet morti; victus eſſet Deus, & ſuperaſſet ſerpentis nequitia voluntatem Dei. Sed quoniam Deus invictus & magnanimus eſt, magnanimum quidem ſe exhibuit ad correctionem hominis, & correctionem omnium, quemadmodum prædiximus: per ſecundum autem hominem, alligavit fortem, & diripuit ejus vaſa, & evacuavit mortem, vivificans eum hominem, qui fuerat mortificatus. Perſpicuè hìc patet gratiam Reparatoris omnino victricem eſſe, quod ad converſionem ſaltem & perſeverantiam electorum attinet, quæ duo ſaltem, quæ duo tantùm omnino neceſſaria ſunt ad Reparatoris gloriam & ad divini conſilii victoriam: quoniam Deus *invictus eſt & magnanimus*, nec committet ut ſecundò nequitia ſerpentis ſuperet voluntatem divinam. Si rurſus enim ita libero hominis arbitrio committeretur gratia, ut primùm Adamo credita eſt, poſſet rurſus vincere ſerpentis nequitia, poſſet vinci voluntas magnanimi & invicti Dei.

IX. Uſque adeo autem victrici huic Reparatoris gratiæ ſuffragabantur Irenæus, Juſtinus, Ignatius, aliique jam tum & deinceps Patres Eccleſiæ, ut plerique hinc ſuſpicarentur, vaneſcere libertatem hominis, & neceſſitate quadam extrinſeca protrudi alios ad ſalutem, alios ad exitium. Potueram ex Juſtino id demonſtrare; ſed in Irenæo prolixiùs id declarare præſtiterit. Sic
L. 4. c. 79. ergo ille: *Eſt autem hic Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus providentia conſtant omnia, & juſſu adminiſtrantur omnia. Et gratuitò quidem donat, in quos oportet: ſecundum autem meritum digniſſimè attribuit in ingratos, & non ſentientes benignitatem ejus, juſtiſſimus retributor*. Ergo pœna infligitur *ſecundum meritum*, & *digniſſimè*, & à juſtiſſimo retributore. Gratia autem & gloria datur *gratuito, & in quos oportet*. Si ita in quos oportet, ut tamen gratuito conferatur, confertur ergo quibus gratuito a Deo prædeſtinata eſt. Sed ne hinc libero arbitrio excidium videretur impendere, illico ibidem ad ejus defenſionem ſe accingit: *Sed quoniam liberæ ſententiæ ab initio eſt homo, & liberæ ſententiæ eſt Deus, cujus ad ſimilitudinem factus eſt, ſemper conſilium datur ei continere bonum, quod perficitur ex ea quæ ad Deum eſt obedientia: & non tantùm in operibus, ſed etiam in fide liberum, & ſuæ poteſtatis arbitrium homini ſervavit Deus, &c.* Pluri-
Cap. 71. bus ibidem libertatem hominis conſtituit, ad bonum malumque verſatilem. Et ſuprà: *Vis enim à Deo non fit, ſed bona ſententia adeſt illi ſemper. Et propter hoc conſilium quidem bonum dat omnibus; poſuit autem in homine poteſtatem electionis, quemadmodum & in Angelis*. Et infrà: *Si autem*
Cap. 72. *naturaliter quidam boni, quidam verò mali facti fuiſſent; neque laudabiles eſſent, quia boni ſunt: tales enim facti fuerant: ſed neque vituperabiles illi, & ipſi enim tales fuerant inſtituti. Sed quoniam omnes ejuſdem ſunt naturæ, & potentes retinere & operari bonum, & potentes rurſum amittere id & non facere, juſtè alii laudantur, alii accuſantur, &c. Ideo Prophetæ hortabantur homines, juſtitiam agere, & bonum operari, quia in nobis hoc ſit, & propter multam negligentiam in oblivionem inciderimus*.

X. Ex illo electorum & reproborum diſcrimine, ex decantato jam tunc apud tractatores Catholicos prædeſtinationis & gratiæ præconio, hereſes emergebant, quæ liberum arbitrium peſſumdarent. Idem ab Auguſtini adverſariis invidioſiſſimè exprimebatur libertatis excidium, ex ejus auſteriore doctrina de prædeſtinatione ad gloriam, & de efficaciſſimis ad hanc exequendam gratię auxiliis. Ergo eadem erat Irenæi priſcorumque Patrum doctrina atque Auguſtini de prædeſtinatione & gratia, quando iiſdem utraque telis, iiſdem calumnis impetebatur. Sed & illud alterum hinc corollarium exurgit: quę Irenæus & alii Patres hujus ęvi ante Pelagium de libero arbitrio diſputabant, tantò majoris ea eſſe debere momenti, quòd ad neceſſariam Catholicæ veritatis per varias hæreſes impetitæ defenſionem differebantur. Ut non debet ergo nimius videri Auguſtinus in gratiæ defenſione adveſùs Pelagianos; ita nec Irenæus & reliquus Patrum grex ſuperior, in liberi arbitrii elucidatione adveſùs Valentinianos, Manichæos, aliaſque id genus peſtes. Tertium denique non pœnitebit hoc adnotaſſe, Magnificentiſſimè primùm & Paulum & Apoſtolos alios, & Apoſtolicorum deinde temporum Patres de prædeſtinatione gratuita & de gratiæ efficacia dixiſſe. Ea occaſione emerſiſſe hęreſes, quę trabalem hinc neceſſitatem impingi libertati calumniarentur. Exinde remiſſiùs de gratia, effuſiùs de libertate diſputandum fuiſſe ab Eccleſiaſticis Doctoribus. Donec ex iſta neceſſaria arbitrii humani oſtentatione, rurſum Pelagiani anſam arriperent gratiæ & prædeſtinationis elevandę. Id in cauſa fuit, quamobrem Auguſtinns ad gratiæ rurſus & electionis divinæ commendationem vehementiùs inſurgeret. Denique ex Auguſtini doctrina inhumaniùs abſurdiùſque accepta Lutherani aliique Hæretici libertatem humanam funditùs evertere machinati ſunt. Idque rurſum impulit Scriptores Catholicos, ut ad libertatem cum gratia conciliandam omni virium contentione deſudarent. Hìc duo obiter admoneo. Primum eſt, in gratię & prædeſtinationis prolixiori laude & admiratione verſatos eſſe primos Patrum, utpote Apoſtolico à magiſterio recentes, & Auguſtino viam quam iniret præmonſtraſſe. Alterum eſt, etſi qua veritatis Catholicę varia oppugnabantur munimenta, huc illucque alio & alio tempore ingenium calamumque converterint Scriptores Catholici; nequaquam tamen in retundendis adverſariis adverſarios ſibi ipſos fuiſſe: nec ut veritati conſultum eſſet, locum fuiſſe mendacio: ſed ita nunc gratiæ impenſiùs faviſſe, ut libertati nihil obſtreperent: ita aliàs libertatem defenſitaſſe animoſiùs, ut nihil de poteſtate & neceſſitate gratiæ detereretur. Veritatis quippe victoria marceſcit & infamatur, ſi qua ex parte mendacio feratur accepta.

XI. Denique ut Irenæi de gratia ſententia expediatur, ſic ille & gratiæ & libertati ſimul proſ- L. 4. c. 48.
picit: *Unus enim & idem Deus, his quidem qui non credunt, ſed nullificant eum, infert cæcitatem; quemadmodum Sol qui eſt creatura ejus, his qui propter aliquam infirmitatem oculorum non poſſunt contemplari lumen ejus: his autem qui credunt & ſequuntur eum, pleniorem & majorem illuminationem mentis præſtat*. Quaqua-verium gratiæ ſuæ radios diſſeminante Sole juſtitiæ Deo, ut nemo ſit qui ſe abſcondat a calore ejus: ſiqui lucem contemnant, oculoſque claudant, ipſi ſibi hanc creant cæcitatem: cæteris ab hac protervia temperantibus ſibi, & bene ſibi fieri ſinentibus, ultro lux illabitur. Itaque horum illuminatio luci debetur, quę immerentibus ſe ingerit, & nihil aliud quàm non repugnantibus: illorum cæcitas propriæ merito inſaniæ imputatur. Nec tamen hinc prohibetur, quin aliquorum repugnantia gratiæ quandoque pugnacitate & victrice quadam importunitate ſuperetur: ſed his nimirum de extraordinaria Dei indulgentia gratulandum eſt, reliquis oblatam lucem aſpernantibus ſua deflenda improbitas. Ejuſmodi gratiæ exuberanti adſcribendum eſt, quod habet alibi Irenæus: *Si libertatis lex, id eſt, Verbum Dei, ab Apoſtolis qui ab Jeruſalem exierunt annuntiatum, univerſam terram in tantam* L. 5. c. 1.
tranſmutationem fecit, quod gladios & lanceas bellatorias fabricaverunt ipſi, & jam neſciunt pugnare, ſed percuſſi & alteram præbent maxillam, non de alio Prophetæ dixerunt hæc, ſed de

eo qui

eo qui fecit ea. Christus utique *hanc transmutationem fecit* stupendam, quam ideo prædixerat, quam prædestinaverat. Postremò ut invictissimè, & blandissimè tamen Christi gratia libertatem saner, salvet & perficiat, incolumi ejus indifferentia, ita sanctus Pater declarat: *Et quoniam injustè dominabatur nobis Apostasia, & cùm natura essemus Dei omnipotentis, alienavit nos contra naturam, suos proprios faciens: potens in omnibus Dei Verbum, & non deficiens in sua justitia, justè etiam adversus ipsam conversus est Apostasiam, ea quæ sunt sua, redimens ab ea. Non enim vi, quemadmodum illa ab initio dominabatur nostri, ea quæ non erant sua, insatiabiliter rapiens; sed secundùm suadelam, quemadmodum decebat Deum suadentem, & non vim inferentem, accipere quæ vellet, ut neque quod est justum confringeretur, neque antiqua plasmatio Dei deperiret.* Ita factum est, ut recuperaret *potens* Dei Verbum, *quæ vellet*, non vi, sed *secundùm suadelam*: prout decebat *Deum suadentem*. Ea est enim Dei sapientia & vis invicta, ut suadendo persuadeat, illiciendo vincat: nullam voluntati necessitatem infligendo, quò vult tamen ipse, eam agat: denique indifferentiam ingenitam præ se ferenti, & vel tunc maximè exertanti, tamen omnipotenter dominetur.

CAPUT VIII.

Eadem gratiæ prævenientis necessitas, electio gratiæ, gratia ex Dei beneplacito invicta, & ad exordia & ad exitum salutis, demonstratur ex Clemente Alexandrino & Oregine.

I. II. Clemens Alexandrinus assentitur gratiæ prævenienti, & efficacissimæ, vendicanti nempè efficaciam suam ex omnipotentia Verbi incarnati, & eam approbat ex celerrima orbis conversione. Necessitas hujus gratiæ.

III. IV. Alia rursum complura argumenta ex eodem Clemente, Scripturis & Augustino consonantia, de gratiæ merè gratuitæ necessitate, & efficacissima potestate.

V. Solvuntur objectiones ex eodem Clemente deprompta.

VI. Origenes quoque gratiæ Christi efficacissimæ astruendæ congerit eadem Scripturæ loca, quæ postea Augustinus.

VII. Idem rursus aliis Scripturæ testimoniis munit gratiæ maximè gratuitæ efficacissimam vim, & prædestinationem gratuitam.

VIII. Ex eodem Origene, per actus singulos, Verbum, Sapientia, Justitia, Christus in nobis à Patre generatur.

IX. Ex eodem rursus ad Augustini gustum.

X. Objiciuntur aliqua ex Origene, & solvuntur.

XI. Alia rursus ex Origene argumenta, pro doctrina Augustiniana; rursus objectiones.

XII. Rursus omnipotentia gratiæ Christi ex mundi conversione.

XIII. Cur aliàs aliter de prædestinatione Patres Græci loquantur, cum reapse suffragentur electioni gratiæ.

I. CLemens Alexandrinus in Admonitione ad Gentes: *Non negligit Dominus, suadens, terrens, adhortans, excitans, admonens. A somno quidem excitat, & ab ipsis tenebris, eos qui aberraverunt, facit surgere. Nequis ergo Verbum despiciat, &c. Cur gratiam adhuc mutamus in iram, & non patentibus auribus Verbum suscipientes, in castis animis Deum hospitio excipimus?* Et mox: *Pietas quæ Deo hominem quoad ejus fieri potest, assimilat, convenientem sibi Magistrum ascribit, nempe Deum: qui vel solus potest pro dignitate hominem Deo assimilare.* Gratiam *excitantem* constituit, gratiæ necessitati subscribit, ut pietatem doceamur, ut assimilemur Deo.

Et infrà efficaciam gratiæ Christi ex ejus omnipotentia elicit, ut tam celeriter orbis universus sub Christi jugum mitteretur. *Celeritate quidem inexuperabili, & quæ facilem aditum præbet benevolentia, divina quæ terræ illuxit potentia, implevit universum salutari semine. Non enim tantum opus in tam parvo tempore absque divina cura & providentia perfecit Dominus, Verbum Divinum, qui revera est Deus manifestissimus, qui est universorum Domino exæquatus, &c. Fuit enim verus ac germanus decertator, & suæ creaturæ propugnator. Celerrimè autem omnibus hominibus traditus, cùm Sole celeriùs ortus esset ex ipsa paterna voluntate, facillimè fecit, ut Deus nobis illucesceret, Reconciliator & Servator noster, fons vivificus, per quem facta sunt omnia, Pelagus bonorum.* Omnipotentiæ Verbi, & æqualitati cum Patre, & Pelago bonorum apertissimè tam facilem vendicat, & tam celerem orbis universi conversionem & resipiscentiam. Quod non ita haberet, si ex hominum lubrica & incerta voluntate expectandum fuisset totum, & non potius totum ex divina beneficentia & potestate.

Et paulò infrà ibidem: *Qui omnia enim obequitat Sol justitiæ, æquè obit humanitatem, imitans Patrem, qui æquè super omnes facit oriri Solem suum, & rorem instillat veritatis. Is occasum traduxit in Orientem, & mortem in vitam cruci affixit: ab exitio autem abreptum hominem in æthere suspendit, corruptionem in incorruptionem trasplantans, & terram mutat in cœlum Dei agricola. Prospera significans, populosque ad munia bona excitans, veram vitam in memoria redigens, & verè magnam, divinam & inamissibilem Patris hæreditatem largiens, cœlesti doctrina hominem Deum faciens, dans legem in mentem ipsorum, & eam scribens in corde. Quasnam scribit leges? Quod omnes scient Deum, à magno usque ad parvum. Et propitius, inquit Deus, ero ipsis, & peccatorum eorum non recordabor.* Nec ipsum arbitror Augustinum luculentiùs loqui potuisse in gratiæ Christi & prævenientis & efficacis commendationem. Prævenit enim quæ à morte, ab exitio, à peccato nos absolvit, quæ excitat, quæ sedentes in tenebris illuminat. Vim & efficaciam quandoque invictam cœlitus habet, quæ mortem crucifigit, quæ hominem cœlo suspendit, quæ transplantat, quæ terram mutat in cœlum, quæ legem divinam menti indit, cordi inscribit. Et ibidem paulò pôst: *Qui est enim amor divinus verè & cœlestis, hac ratione accedit hominibus, quando in ipsa anima, id quod verè est honestum, à divino Verbo excitatum potuerit effulgere.*

II. Idem in Pædagogo præclarè divinæ gratiæ potestati invictæ ita succinit: *Nunquam est Deus imbecillus. Quemadmodum enim ejus voluntas est opus, & id mundus vocatur: ita etiam ejus voluntas est hominum salus, & ea vocata est Ecclesia. Novit ergo quos vocavit, quos servavit: simul autem vocavit, & servavit. Ipsi enim vos, inquit Apostolus, à Deo docti estis. Nefas est ergo imperfectum judicare, quod ab ipso docetur.* Vides ut creaturam novam verè à Deo omnipotenter creari, & voluntate Dei invicta constare salutem nostram afferat, & nosse Deum quos vocaverit, servaritque. Et infrà de baptismi gratia agens, *Una est enim hæc gratia illuminationis, quòd non sint iidem mores qui erant antequam lavaremur. Catechesis ad fidem deducit, fides cum baptismo docetur à divino Spiritu.* Pædag. l. 1. c. 6.

In

In Stromatibus autem virtutes omnes & bona opera ab adjutorio divinæ gratiæ proficisci, ita pronunciat: *Humana & Philosophica continentia est, pugnare cum cupiditatibus; nostra, non concupiscere; non ut quis concupiscens se fortiter gerat, sed ut omnino non concupiscat. Non potest autem ea aliter accipi continentia, nisi gratia Dei. Et ideo dixit, Petite & dabitur vobis. Hanc gratiam Moyses quoque accepit, qui indigo corpore erat indutus, ut quadraginta diebus neque esuriret neque sitiret. Quemadmodum autem melius est sanum esse, quàm ægrotantem disserere de sanitate: ita lucem esse, quàm loqui de luce; & quæ est ex veritate continentia, ea quæ docetur à Philosophis.* Tria hìc subrutilant argumenta, Augustino cum primis familiaria, ad gratiæ Christianæ stabilitatem. Primò nausea & contemptus virtutum Philosophicarum, quas solas obtendere potest quis, quasi humanæ libertatis propagines, ut gratiam invitet, & mereri utcumque incipiat. At qui has non aliud quàm mediocres quasdam ægritudines esse docet, spem amputat gratiæ per has promerendæ. Secundò gratiam continentiæ qua arte paremus docet expressè Clemens, non fuco superciliosarum virtutum, sed prece & oratione, utpote divinæ largitatis munus. Denique disertè tradit Clemens continentiam non posse impetrari nisi gratia divina, precibus elicienda. Ubi alludit ad Scripturę locum, sexcenties ab Augustino inculcatum, *Cùm scirem quoniam aliter non possem continens esse nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ scire, &c.* Unde frequenter Augustinus ad Deum, *Jubes continentiam, da quod jubes, & jube quod vis.* Denique germanam continentiæ virtutem, quæ non tam in opprimendis, quàm in præfocandis cupiditatibus sita est, & omnino in non concupiscendo, & affirmat, & omnibus, ut existimo, persuadet Clemens, divinæ gratiæ munus esse, non humani conatus fructum. Infrà eodem libro idem confirmat: *Cùm liceret ex sana regula castitatem eligere cum pietate, gratias quidem agendo propter datam gratiam; non eos aspernando qui juncti sunt matrimonio.*

(Lib. 3. — Sapient. 8. 21.)

III. Efficacem rursus gratiæ vim alibi extollit: *Et si quis altercans dicat, Quomodo fieri potest, ut caro imbecilla resistat potestatibus & spiritibus dominationum? Illud sciat, quod Omnipotenti & Domino freti, in eoque habentes fiduciam, adversamur potestatibus tenebrarum & morti. Adhuc te loquente, inquit, dicet, Ecce adsum. Vides adjutorem invictum qui nos defendit. Ne vobis nova & aliena, inquit Petrus, videatur quæ ad tentationem vobis fit probatio, &c. Beati quòd gloriæ & Dei Spiritus super vos requiescit, &c. Sed in his omnibus superamus propter eum qui nos dilexit.* Victoriam nostram de vitiis & potestatibus adversariis, quæ utique cum justificatione cohæret necessario totam ut vides non conatui, non exordio alicui nostro, non voluntati divina gratia bene utenti, sed *omnipotenti & invicto* Deo suadet committi, qui protinus adest adjutor invictus. Et ne nullas tam liberi arbitrii partes esse putaremus, idem alibi: *Nam neque fieri potest, ut sine libero animi nostri arbitrio & instituto consequamur: neque universum est positum in nostra voluntate, quale sit quod est eventurum. Gratia enim servamur, sed non absque bonis operibus. Sed oportet quidem, cùm natura aptissimus ad bonum, aliquod adhiberi studium. Oportet autem mentem quoque habere sanam, & quæ nulla retardetur pœnitentia à boni venatione; ad quod quidem maximè divina opus habemus gratia, rectaque doctrina, castaque & munda animi affectione, & Patris ad ipsum attractione.* Tria hìc Clemens secernit, quòd natura apti simus ad bonum, quòd studium adhibendum sit, quòd denique gratia opus habeamus. Innatis boni seminibus nihil tribuit, nisi studio excolantur; studio humano nihil adscribit, nisi gratia opituletur: gratiam ubique & maximè necessariam iterum iterumque inculcat; nam etsi consensu & cooperatione liberi arbitrii opus sit, non libero tamen arbitrio, sed *gratia servamur, & à Patris ad ipsum tractione.*

(Strom. — Strom. l. 5.)

IV. Verùm multò ista luculentiùs edisseruntur inferiùs: *A Deo est intelligentia, atque divinæ quidem voluntati maximè obedit bonorum virorum liberum eligendi arbitrium, &c. Quin etiam eorum cogitationes, qui sunt virtute præditi, per divinam fiunt inspirationem: cùm anima aliquo modo afficitur, & divina voluntas in humanas animas transmittitur, dum qui sunt singulares Dei administri, ad talia opem ferunt ministeria. Nam per gentes & civitates sunt distributæ Angelorum præfecturæ: fortassis autem etiam ex iis sunt deputati singulis.* Paulum imitatus Augustinus hoc persæpè argumento necessitatem gratiæ prævenientis munivit, quòd non simus sufficientes cogitare aliquid boni ex nobis, quasi ex nobis. Ecqua enim possunt esse boni vel rudia exordia, nisi bona cogitatio suppetat? at hæc ipsa ex Deo est. Idque confirmat Clemens, à Deo esse intelligentiam, à Deo inspirari bonas cogitationes, voluntatemque divinam à Deo in animas nostras transmitti, vel per Angelos, vel alio quocumque modo.

Mox ibidem nec Gentilibus nec Judæis abfuisse demonstrat divinam gratiam, vitia extirpare, virtutes inserere satagentem, saltem primordialiter quodammodo & prælusoriè, ut ita paulatim utrique dedolati expolirentur & præparentur Evangelicę perfectioni. *Non est vitii opus Philosophia, quæ facit homines virtute præditos. Restat itaque ut sit Dei, cujus solum opus est benefacere. Et quæcumque à Deo dantur, rectè & dantur & accipiuntur. Porro autem si usus Philosophiæ non est malorum, sed data est Græcorum optimis & præstantissimis, hinc clarum quoque est à quo data sit, nempe à Providentia, quæ unicuique distribuit quæ pro meritis conveniunt. Meritò ergo Judæis quidem lex, Græcis autem data est Philosophia usque ad adventum: hinc autem est universa ac generalis vocatio per fidei doctrinam, &c.* Ne pueriles quidem illas virtutes, aut virtutum potiùs umbras, quales Philosophia vel Synagoga sectabatur, patitur Clemens in alium quàm in omnium bonorum fontem refundi: nedum primordia ulla germanæ pietatis, vel fidei, vel pœnitentiæ, vel charitatis sinat nostro nobis ex fundo animi succrescere. Cùmque anteveniri non possit gratia, nisi per Philosophicas aut adumbratas timoris & legis virtutes, has quoque ille Christi gratiæ vendicat, jam tum præformantis sibi & perpolientis utramque gentem, unitati & plenitudini sui corporis aliquando conglutinandam. Quippè bonum omne, sive id in rudimentis Philosophiæ, sive in legis crepundiis, sive in quibuscumque demum prælusionibus ad veram sanctitatem enitescere incipiat, ab incommutabili fonte bonorum est, à quo existunt bona omnia summa & minima. Teste eodem mox ibidem Clemente: *Et ut semel dicam, omnis utilitas quæ ad vitam pertinet, suprema quidem ratione à Deo omnipotente, qui præest omnibus, Patre per Filium, qui ideo est servator omnium, inquit Apostolus, maximè autem Fidelium.*

(Ibidem.)

Et ibidem mox humana imbecillitate manifestata, Dei gratiam ita necessariam esse concludit: *Qui Deum etiam sibi ascribunt Magistrum vix perveniunt ad Dei notitiam, opem eis ferente gratia ad quantulamcumque cognitionem: utpote voluntate voluntatem, & sancto Spiritu sanctum Spiritum contemplari assuefaciente, quoniam Spiritus scrutatur profunda Dei.* Illam autem veritatis conscientiam, quam Christianæ fidei gratia inserit, quam inexpugnabilem facit & omnium persecutionum victricem invicta eadem Dei gratia, ibidem paulò pòst memorat: *Græcam Philosophiam si quis Magistratus prohibuerit, ea statim perit: nostram autem doctrinam à prima usque prædicatione*

tione prohibent simul Reges, & Tyranni, & singuli Duces, & Magistratus, cum universis satellitibus, & innumerabilibus hominibus belligerantes, nosque pro viribus exscindere conantes. Illa autem magis floret. Non enim emoritur ut doctrina humana, nec flaccescit ut donum imbecillum. Nullum enim Dei donum est imbecillum. Manet autem ejusmodi, ut prohiberi nequeat. Donum Dei est Christiana pietas, ideo nec vinci, nec prohiberi potest.

V. Ex hac tanta testimoniorum copia æquum est molliorem aptari interpretationem locis aliis quibusdam, quibus vires liberi arbitrii videntur ad gratiæ prævenientis perniciem amplificari. Ita cum
Strom. l. 1. ait: *Verbum enim quemadmodum in Olympia præconium, vocat quidem eum qui vult, sed coronat eum qui potest esse invictus, quoniam revera Verbum non vult otiosum esse eum qui credidit.* Ibi non obscurum est, solum voluntatis consensum & cooperationem desiderari, gratiæ vocanti & excitanti præstandam. Qui enim vocanti & excitanti auscultat & obsequitur & cooperatur, ille utique otiosus non est. Nec necesse est ut voluntas præcedat vocationem, cùm apertissimè vocentur inopini & aliud agentes, etiam in Olympia: cùm denique vocentur, non volentes, sed ut velint. Ita & cum negat Adamum conditum esse à Deo perfectum & virtute præditum, ait autem conditum esse aptum virtuti duntaxat, quia *Deus vult nos ex*
Strom. l. 6. *nobis ipsis salvos fieri. Hæc est ergo natura animæ à seipsa impelli & incitari.* Non negat in gratia & virtute creatum esse primum parentem, sed negat creatum esse ita perfectum, ut peccare non posset. Sic enim urgebant, quibus respondet: *Si perfectus creatus est Adam, quomodo transgreditur præcepta?* Perfectionem ergo vocabant impeccantiam. Hanc jure negat à conditore inditam, jure asserit ejus aptitudinem tantùm indultam, ut salus, hoc est, perfecta & consummata virtus atque inexpugnabilis sanctitas, quæ summa beatitudinis est, liberi arbitrii per gratiam adjuti meritis donaretur.

Nec aliter exponendus est hic alius ejusdem Cle-
Strom. l. 7. mentis locus: *Neque enim Deus invitus est bonus, quomodo ignis est præditus vi calefaciendi. Est ei autem voluntaria bonorum impertitio, etiamsi petitionem anticipet. Neque vero invitus salvus erit is qui fit salvus: non est enim inanimus, sed omnino voluntarie & libero animi arbitrio contendet ad salutem. Quocirca præcepta quoque homo accepit, ut qui ex se moveri & incitari possit ad utrum velit ex iis quæ sunt eligenda & fugienda. Non facit ergo Deus bona ex necessitate, sed libera voluntate benefacit eis qui ex se convertuntur.* Non aliud hic etiam Clemens quàm humanæ voluntatis & libertatem & cooperationem cum gratia adstruit. Nimirum ut ne quis invitus fit salvus: ut ex se moveatur homo & incitetur ad salutem. Atqui etsi excitetur primùm à gratia, ejus tamen est consentire, & consensione ac cooperatione sua sese movere & incitare. Sic benefacit Deus iis qui se convertunt; convertitur enim homo ad Deum, hoc ipso consensu, quo excitanti & prævenienti gratiæ obsecundat. Unde & mox ibidem subjicit Clemens, quemlibet etiam provectum ad virtutum culmen, tamen *precari, ut ea quæ verè sunt bona, quæ versantur in animo, ut & sint sibi & permaneant.* Si virtutum jam succincti præsidiis, non possunt tamen bona ulla perficere sine gratia, quam ideo precibus ambiunt sibi cœlitus infundi: multò evidentior est virium inopia, gratiæque & precum necessitas in illis, qui virtutibus vacui, peccatorum sarcina adhuc gravantur.

VI. Ad Origenem nunc oratio nostra defluat. Gratiæ & prævenienti, & efficaci, provocanti &
Hom. 20. in Num. pertrahenti, sic ille astipulatur: *Vis ex Scripturis ostendam, quomodo major cura salutis Deo sit, quàm diabolo perditionis? Numquid non sufficiebat Angelorum diligentia, adversus insidias dæmonum, & adversus eos qui ad peccandum homines trahunt? Ipse Unigenitus, ipse inquam Dei Filius adest, ipse defendit, ipse custodit, ipse nos ad se trahit. Audi quomodo ipse dicit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Sed nec sufficit eum esse nobiscum, sed quodammodo vim nobis facit, ut nos pertrahat ad salutem. Ait enim in alio loco, Cum exaltatus fuero, omnia ad me traham. Vides quomodo non solùm invitat volentes, sed & cunctantes trahit. Vis audire quomodo trahat etiam cunctantes? Non concessit illi qui volebat ire & sepelire patrem suum, nec spatium temporis dedit, sed ait illi, Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem sequere me. Quod si amplius vis de hoc cognoscere sacramento, ostendam tibi de Scripturis, quod etiam ipse Dominus Pater dispensationem salutis nostræ non negligit, sed & ipse nos ad salutem non solum vocat, sed & pertrahit. Sic enim Dominus dicit in Evangelio, Nemo venit ad me, nisi quem Pater meus cœlestis attraxerit. Sed & Paterfamilias qui mittit servos suos invitare amicos ad nuptias filii sui: posteaquam excusaverunt illi, qui priores fuerant invitati: dicit servis, Exite ad vias & angiportus, & quoscumque inveneritis, cogite introire: sic ergo non solum invitamur à Deo, sed & trahimur & cogimur ad salutem. Sed nec Sanctus quidem Spiritus in hujusmodi dispensationibus deest, &c. Quod si Angeli Domini circumdant in circuitu timentium eum, ut eripiant eos: si Deus Pater, si Filius, si Spiritus sanctus, non solum hortantur & provocant, sed & pertrahunt: quomodo non multo major cura pro nobis geritur ad salutem, quàm ab adversariis procuretur ad mortem?* Nescio an vehementius quidquam legatur apud Augustinum, ad gratiæ prævenientis & efficacis confirmationem.

VII. Nec minùs luculentè idem alibi Origenes efficientis gratiæ vim exaggerat: *Reversus est universus populus ad Jesum incolumis, & non mutivit* Hom. 11. in Jesum Nave.
quisquam de filiis Israel in lingua sua. Vides ergo quia qui sub Jesu militat, incolumis debet redire de prælio: nec usquam debet ex jaculis maligni ignitis vulnus accipere, non in corde pollui, non in cogitatione maculari, &c. Quod autem addidit, quia nullus mutivit in lingua sua, hoc mihi videtur ostendi, quia de victoria nemo se jactat, nemo suæ virtuti, quia superavit, ascribit: sed scientes quia Jesus est qui victoriam tribuit, ipsi in lingua sua non mutiunt. Quod bene intelligens Paulus Apostolus dicit, Non autem ego, sed gratia Dei quæ in me est. Puto autem quod ad hoc respicit & illud Domini mandatum, quo ait, Cum feceritis omnia hæc, dicite, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Et mox ibidem: *Atque utinam Dominus meus Jesus Filius Dei, mihi istud concedat, & jubeat me pedibus meis conculcare spiritum fornicationis, & calcare super cervices spiritus iracundiæ & furoris, calcare avaritiæ dæmonem, calcare jactantiam, conterere pedibus superbiæ spiritum, & cum hæc fecero, operis gesti summum non mihi, sed cruci ejus appendere, sequenti Paulum, dicentem, Quia per ipsum mihi mundus crucifixus est, &, Non autem ego, sed gratia Dei quæ in me est. Quod si ita facere meruero, beatus ero, & dicetur etiam mihi, quod dicit antiquus Jesus: Viriliter agite, & confortamini, non timeatis, nec vereamini à facie eorum, quia Deus Dominus tradidit vobis omnes inimicos vestros in manus.* In omni bono opere principatum efficientiæ gratiæ deberi, hæc disertissimè significant: & quod huic dogmati consentaneum est, merita omnia anteveniri auxilio gratiæ gratuito: & in potestate Dei esse hæc auxilia, quibus, quando vult & quomodo vult dare & danda prædestinare; denique plenissimam victoriam, qua-

lis non est, nisi justificatorum, & in justitia perseverantium usque in finem, victrici Christi gratiæ imputari.

VIII. Et ad omnia bona opera necessariam adesse Dei gratiam, rursus idem præclarissimè prodit: *Ex Zabulo nascimur, quoties peccamus. Infelix qui* Hom. 7. in Isaiam. *semper generatur à Zabulo. Rursumque multum beatus, qui ex Deo semper nascitur. Neque enim semel dicam istum ex Deo natum, sed per singula virtutis opera, semper justus nascitur ex Deo. Hoc autem ut plenius possit probari, & de Salvatoris nostri quotidiana nativitate dicamus: liquido id in justis obtinentes, quod in Deo præcesserit. Salvator noster splendor est gloriæ. Splendor autem non semel nascitur, & deinceps desinit nasci, sed quotiescumque ortum fuerit lumen ex quo splendor paritur, toties oritur & splendor gloriæ. Salvator noster sapientia est Dei. Sapientia verò splendor est lucis æternæ. Sic igitur Salvator semper nascitur, & idcirco dicit, Ante omnes colles generat me; non ut quidam male legunt genuit. Si semper ex Patre nascitur Dominus, etiam tu in similitudine ejus, jam adoptionis habens spiritum, generaris à Domino, per singulos intellectus, per singula opera, & efficeris filius Dei in Christo Jesu.* Hac eadem sive comparatione, sive argumentatione Augustinus non semel jugem gratiæ & ad singulos actus, & ad singulos conatus necessitatem demonstrat: quod eam in animo Deus, ut in aere Sol lumen non semel fundat, & desinat: sed indesinenter perfundat. Præclarissimè verò Origenes, ut Verbum à Patre semper gignitur, non semel genitum gigni aliquando desinit, sed ut sapientia, ut splendor gloriæ à fonte suo semper effluit, & æternum generatur: ita justus quilibet, ceu portio quædam justitiæ, ceu delibatus lucis æternæ radius, ceu Verbi incarnati membrum indeficienti gratiæ generatione gignitur. Nisi mavis, Ut Verbum à Patre genitore indesinenter ingeneratur humanitati assumptæ, & is Christus est; ita & membris Christi pro suo cuique modulo ingignitur, dum formatur Christus in nobis, donec non rudimenta tantùm Christi, sed per charitatis & bonorum operum incrementa, totus in nobis Christus efformetur. Denique & opera singula bona, bonæ cogitationes, velut ab Origene vocantur, singuli intellectus boni, radii sunt sapientiæ & justitiæ, ergo & eos necesse est jugiter nobis à Sole justitiæ & sapientiæ, vel ab hujus intelligibilis Solis innascibili Genitore affluere. Qui imò cum Verbi incarnati opera singula, non ipsum modò, sed Pater in eo manens, ipse faceret: quid de nostris bonis operibus censendum est?

IX. Alio idem argumento prosequitur alibi Origenes, quod ut primùm quis turgere quis incipit, de justitiæ suæ, quasi suæ ornamentis, si ad momentum Dei gratia secedat, tum ille protinus corruit, & in illa ipsa quæ conculcasse videbatur, vitia Hom. 9. in Ezech. devolvitur. *Quia David conscius sibi vitæ immaculatæ, dixerat, quod non debuerat: Probasti cor meum, & non est inventa in me iniquitas, &c. Tentatus est & nudatus auxilio, ut videret, quid humana possit infirmitas. Recedente quippè præsidio Dei, ille castissimus, ille admirabilis in pudicitia: qui audierat, Si mundi sunt pueri, maximè à muliere, & acceperat Eucharistiam quasi mundus, non potuit perseverare, sed in eo repertus est crimine, in quo sibi quasi continens applaudebat. Si quis ergo conscius puritatis suæ, seipsum glorificaverit, non habens memoriam illius dicti: Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis: relinquitur: & derelictus discit experimento, quia in his bonis quorum sibi conscius erat, non tam ipse sui extitit causa, quàm Deus, qui virtutum omnium fons est.*

X. Tam egregius gratiæ præco Origenes non videtur mihi quidem illa scripsisse quæ leguntur in libro tertio de Principiis. Ita enim ibi habet: Cap. 11. *Ajunt, si ex Deo velle est, & ex Deo est proficere, sive bene, sive malè agamus, ex Deo est. Quod si est, liberi arbitrii non sumus. Ad quod respondendum est quia sermo Apostoli non dicit quia velle mala ex Deo est, neque perficere bona, aut mala ex Deo est, sed generaliter ait quia velle & perficere ex Deo est. Sicut enim à Deo habemus hoc ipsum quod homines sumus, quòd spiramus, quod movemur, ita & quod volumus, ex Deo habemus. Quòd movetur manus, verbi gratia, ad verberandum injustè, vel furandum, non ex Deo est: sed hoc ipsum quod movetur, ex Deo est: nostrum verò est, motus istos quos ex Deo habemus, vel ad bona vel ad mala convertere. Ita ergo est quod dicit Apostolus, quia virtutem quidem voluntatis accipimus, nos autem abutimur voluntate, vel in bonis vel in malis desideriis.* Subiicit mox, ut fieret quisque vas in honorem, vel contumeliam, singulos ex seipsis, *merita, causas & occasiones præstitisse conditori.* Hæc ego adulterata vel Rufini, vel quacumque alia manu, non inaniter conjicio, ex tam luculentis pro gratia testimoniis, quibus hic contextus adversa fronte collidi videtur. Quis enim residuus gratiæ locus, si Deus tantùm dat voluntatem ad bonum & malum ancipitem, & ipsius jam voluntatis sit, sine superaddito Dei auxilio, vel ad bonum sese vel ad malum convertere? Velle habebit anima à Deo, bonum velle à seipsa: id est, quod majus bonum, à seipsa: quod minus bonum, & penè nec bonum, sed boni malique patiens, à Deo. Quo quid absurdius, quid ad gratiæ perniciem aptius? Si verò bonæ voluntatis author dicetur Deus, quia voluntas ab ipso est, pari jure erit malorum author. Sed quò evadent quæ tam præclarè Origenes de gratia disputavit? Quin imò & in hoc ipso capite ea habet quæ gratiæ necessitatem exertè prædicent: *Contulit Deus etiam indignis & incredulis benefactorum suorum gratiam, ut verè omne os obstruatur, totumque à se, & nihil à Deo esse sibi mens humana cognoscat, perditionis suæ nimirum.* Et infra: *Deus est prima & præcipua causa operis boni. A nobis dependendus est labor, à Deo speranda est salus.* Posset utcumque rapi in bonum sensum superior sententia, si non voluntas tantùm, sed & voluntas bona à Deo esse diceretur: deinceps verò voluntatis esse, vel ad bonum, vel ad malum ferri; hoc est, inspiratæ à Deo bonæ voluntati, vel consentire vel dissentire.

XI. Sed ex aliis rursum monumentis Origenis sententiam de gratia eruamus. Magni enim omnino refert ejus venari sententiam, quem vocat Hieronymus Magistrum Ecclesiarum. Ita ergo ille: *Christus respondit, Gratiam esse donatam à* Tract. 7. in Matth. *Deo continentibus se omnino. Quæ gratia non solùm per continentiam apprehenditur, sed multis orationibus à Deo præstatur. Hoc enim significat dicens, Non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est. Quoniam autem quidam calumniantur, quod Christus ait, Quibus datum est: quasi excusationem habentes, & volentes esse in castitate, non autem prævalentes. Quibus est respondendum: Non attendi quod alibi dicit, Petite, & dabitur vobis: &, Omnis qui petit, accipit. Qui vult capax esse verbi, quod de castitate positum est, petat credens, & accipiet.* Sic ille non tam ab humano conatu, quàm ab adjutorio divino, multis precibus eliciendo, virtutes quascumque docet obtineri. Et infrà, cùm Petri trinam negationem narraset, *ait per hoc nos instrui, ut nunquam sine consideratione aliquid promittamus super habitudinem nostram humanam, quasi qui valeamus Christi implere confessionem ex nobis, aut aliquid præceptorum Dei, admonente nos Apostolo & dicente, Noli altum sapere, sed time. Debuerat, enim postquam audivit, quia omnes vos scandalum patiemini in hac nocte, postulasse Dominum, & dixisse, Etsi omnes scandalizati fuerint in te, esto in me, ut non ego scandalizer, & dona mihi præcipuè gratiam hanc, ut &c. Si enim postulasset, forsitan amoris ab eo*

ab eo ancillis cæterisque ministris, non denegasset. Nec enim poterat fieri, ut facta interrogatione, potuisset dicere Dominum Jesum in Spiritu sancto, aut confessus fuisset, cùm Spiritus sanctus nondum fuisset datus. Vides quantum tribuat gratiæ, non qua datur homini ut velit, sive bene, sive male pro suo arbitrio, sed qua vel pericula amoventur, quandiu charitas parva est; vel ubi ingentia pericula subeunda sunt, charitas ita augetur, & Spiritus sancti plenitudo tanta infunditur, quanta ad id præstandum opus est. Et infrà ibidem ait Christum ipsum deprecatum esse mortis acerbitatem, ne Petrus, ne quis alius de sua confideret virtute: *Ad hoc adduxit eos, maximè Petrum magna de se confidentem, ut videant & audiant ubi est posse hominis, & quomodo impetratur. Videant Christum cadentem in faciem suam, audiant dicentem, Pater si possibile est, transeat calix iste à me. Et discant non magna de se sapere, sed humilia æstimare: nec veloces esse ad promittendum, sed solliciti ad orandum.* Hæc mihi videtur non tam Origenem sapere, quàm Augustinum. Ex quibus colligendus est sensus homiliæ 24. in Numeros, ubi multa interserit, ut nos priores Deo aliquid date doceat, & tum à Deo recipere. Quod non de initio, sed de provectu conversionis certum est: nam initia in nobis Deus sine nobis operatur, augmenta nobiscum.

XII. Christi sanè divinitatem ex orbis conversione ad fidem Christianam, idem Origenes alibi demonstrat, quòd nisi infinita quadam & sapientiæ & potentiæ vi non potuerint tot gentes, plebeii, nobiles, Reges, docti indoctique à tenebris imperitiæ, & vitiorum colluvione, ad tantam fidei morumque disciplinam traduci: *Quomodo enim homo natus, & nullius præstantioris naturæ particeps, tantam ad se converteret multitudinem, & quod magis mirum est, non sapientum tantummodo, verum etiam affectibus magis quàm rationi obsequentium, ita ut mox versa vice fiant è brutis prudentes. Sed quoniam Potentia Dei Christus erat, & Patris sui Sapientia, ideo talia fecit & facit nunc quoque.* Et alibi infrà: *Cùm consideramus sermones, ut Celso videtur, Idioticos, haud secus quam incantationes, plenos efficacia, & agminatim retrahentes multitudinem à luxu ad honestatem, ad æquitatem ab injustitia, à timiditate ad tantam constantiam, ut amore pietatis etiam mortem nihili faciant: annon meritò demirabimur tantam potentiam? &c. Fuit Apostolorum Jesu persuasio data divinitus per fidem inspiratam efficax; quapropter celerrimè cucurrit eorum prædicatio, vel Dei potius ipsorum ministerio, transformans multos natura peccatores & assuetudine, quos nemo hominum mutasset pœnis quantislibet. At Verbum Dei recudit eos formatos juxta voluntatem suam. Et Celsus quidem concludit, Naturam mutare esse perdifficile. Nos verò qui scimus nullam malam creatam esse à Conditore naturam, sed plerosque depravatos à malis educatoribus & doctoribus, ita ut connatam videantur habere malitiam, vel in naturam versam potius, credimus eam posse divino Verbo mutari, & quidem satis facilè, modò quis assentiat, &c. Quod siquibus videtur admodum difficilis hujusmodi mutatio, in causa dicemus esse voluntatem ipsorum ad assentiendum difficilem.* Valida quidem hæc sunt ad efficaciam gratiæ commendandam, & à potestate ac voluntate divina accersendam. Ab humana autem voluntate vides quid desideret Origenes, non ut anteveniat merito qualicumque, aut conatu suo gratiam; sed ut gratiæ prævenienti, & præpotenti consentiat. Ad hoc ergo revocanda sunt loca alia, quæ minùs perspicuè quidem, hoc ipsum tamen omnino significant.

L. 1. cont. Cels.

L. 3. contr. Cels.

XIII. Cujusmodi sunt illa in Epistolam ad Romanos, ubi *electionem secundum præscientiam* meritorum constituit: *Quod hæretici ad calumniam vocant, dicentes Paulum segregatum esse ab utero matris suæ ob hoc, quòd in eo naturæ bonitas erat, sicut è contrario de his qui malæ naturæ sunt, &c. Nos autem dicimus, quod neque Paulus fortuito & naturali differentia electus est, sed electioni suæ causas in semetipso dedit ei qui scit omnia antequam fiant. Prævidit enim Deus, quòd abundantiùs cæteris laboraturus esset in Evangelio, &c. Si enim ut hæretici putant, vel sortis incerto, vel naturæ melioris prærogativa fuisset electus, nunquam utique timuisset ne reprobus fieret, &c. Denique & ipse in consequentibus ait, Quia quos præscivit, & prædestinavit, &c. Evidenter ostendens, quod eos quos præscivit Deus tales futuros, ut Christo se in passionibus conformarent: ipsos etiam conformes ac similes imaginis ejus prædestinavit & gloriæ. Præcedit ergo præscientia Dei, per quam noscuntur, qui in se labores ac virtutes habituri sunt, & ita prædestinatio sequitur.* Consimilia his sunt, quę alia dis- putat aliquoties. Quę quidem omnia verissimè dicuntur, si cum antecedentibus ex eodem Origene decerptis concordent. Adverte autem primò, usque adeo & ex lectione & ex prędicatione sacrarum litterarum gratuitam effulgescere prędestinationem, ut hęretici hinc suo more insanas opinationes suas colligerent, de naturę duplicis, bonę & malę discrimine, vel de sortis & casus in omnia imperio, ac denique de exitio humanę libertatis in negotio salutis ęternę. Secundò his erroribus obviam ibant Patres, merita & vires humanę libertatis in comparanda salute magnificando, & parciùs tunc vel nihil de gratia divina interloquendo. At de eadem gratia & anteveniente & efficiente omne meritum nostrum non silebant iidem Patres. Ergo cùm reapse ęterna salus non donetur nisi laboribus & meritis, meritò dicitur eadem salus prędestinari secundùm pręscientiam laborum & meritorum. Sicut & dici potuisset, nisi satius fuisset hanc hęreticis amputare calumniandi occasionem, cùm merita omnia parturiat non tam libertas humana, quàm divina gratia, pręscientia meritorum priorem esse prędestinationem gratię, merita illa omnia donaturę. Cùm ergo duplex sit prędestinatio, altera qua gratia meritorum omnium pares præparatur, altera qua meritis ex gratia & libero arbitrio proficiscentibus gloria danda decernitur: & illa pręscientiam meritorum antecedat, hęc consequatur: de hac expressè meminere Patres ut hęreticis ora obturent, humanę libertati insidiantibus: illam alibi quandoque exprimunt, semper insinuant, ubi gratiæ gratuitam & invictam virtutem prædicant. Hactenus prolixiùs, & vereor ne tædiosiùs de Origene; sed cùm ille fuerit teste Hieronymo *Ecclesiarum post Apostolos Magister*, cùm de illo verè dictum sit à Cassiodoro, *Ubi bene, nemo melius*, pluribus ejus sententiam aperire necessum fuit, in quam reliquos Patres, Græcos & Latinos, pedibus manibusque ituros, omnibus quodam quasi præjudicio exploratum est.

In Epist. ad Rom. l. 1. c. 1.

L. 7. c. 8.

CAPUT IX.

Eadem electio gratiæ, eadem gratia tum præveniens, tum conversionis & perseverantiæ efficax, declaratur ex Eusebio pluribusque apud ipsum Scriptoribus.

I. Apud Eusebium invictissima gratiæ vis arguitur, ex Ecclesiæ victoria de orbe universo, & ex pugnis singulorum Martyrum, in quibus certabat, & vincebat Christus.

II. Prædestinationis gratuitæ exempla.

III. Rursum gratiæ vis efficacissima ex Martyrum patientia & precibus.

IV. Multa rursus argumenta ad prædestinationem gratuitam, & gratiæ virtutem invictissimam stabiliendam, ex orbis totius ad Christum stupenda conversione.

V. Efficacissimæ gratiæ fons Christus, seu sempiternæ sapientiæ & justitiæ persona, nostræ naturæ inserta per incarnationem Verbi.

I. CHristianam gentem divino auxilio invictam esse pluribus Eusebius demonstrat: *Cum*
Hist. Eccl. l. 1. c. 4. *Servatoris Christi præsentia, cunctis hominibus recens illuxisset, gens populosissima omnium & religiosissima, inexpugnabilis ad hæc & invicta, eo quod Dei auxilio semper munita sit, statutis ab arcana Dei providentia temporibus, repentè in lucem emersit, Christi nomine nobilitata.* Ita ille non humano arbitrio, sed divinæ prædestinationi & invicto gratiæ auxilio vendicat, quidquid est Christianæ religionis & pietatis per orbem, & per omnes orbis Ecclesias disseminatum. Et infrà de Martyribus Galliæ verba faciens, ait: *Gratiam*
L. 5. c. 1. *Dei pro nobis adversus diabolum depugnasse, & infirmiores quidem servasse, viros autem illi opposuisse, columnarum instar firmos & stabiles, qui fortitudine sua universum dæmonis impetum in seipsos pertrahere valerent.* Et infrà de Blandina Martyre: *Verùm beata illa instar generosi cujusdam Athletæ, in ipsa confessione vires atque animos resumebat. Eratque ei refectio & quies, sensumque omnem præsentis doloris adimebat prolatio horum verborum, Christiana sum: &, Nihil apud nos mali geritur.* Et de Martyre mox alio, cui nomen erat Sancto: *Membra quidem adurebantur, ipse verò rectus atque inconcussus, firmis vestigiis in confessione perstitit, utpote cœlesti fonte aquæ vivæ, quæ ex Christi ventre profluit, perfusus, firmatusque, &c. In quo Christus ipse perpetiens, magna miracula patrabat, adversarium funditus delens, & illustri exemplo cæteris ostendens, nihil esse metuendum, ubi charitas Patris adsit, nullum dolorem, ubi gloria vertitur Christi, &c. Porrò cum universa tyrannorum tormenta per Martyrum constantiam à Christo essent retusa atque hebetata, &c.* Et mox de Photino Lugdunensi Episcopo, qui senio & laboribus cùm fractus jam esset, animam adhuc retinebat, ut *per eam Christus triumpharet*: is à Præside interrogatus, Quis esset Christianorum Deus? respondit, *Si dignus fueris, cognosces.* Hactenus Eusebius ex Epistola Viennensium & Lugdunensium Martyrum ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ. Ubi manifesta sunt gratiæ Christi documenta, principatum sibi vendicantis in omni opere bono: quibus nequaquam pugnat quod ultimum retuli, ad Dei notitiam perventurum, qui dignus fuerit. Quanquam enim ut dignus quis sit, divina opus sit gratia, meritò tamen hac exceptione retunditur, cui nec Martyrum prædicatio, nec vocatio & gratia deerat, nec creaturæ universæ ipsa species Deum Christianorum silebat, nisi tumultu vanitatis suæ obsurduisset, & indignum se ulterioribus gratiæ muneribus exhibuisset.

II. Pulcra sunt quæ idem infrà narrat de Pota-
Ibid. l. 6. c. 5. miæna Martyre, *quam cùm vulgus vexare, & obscænis verbis illudere ei conaretur, Basilides quidem eos qui contumeliam virgini faciebant, absterrens propellebat, multaque misericordiæ & humanitatis erga illam præbebat indicia. Illa verò benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bono animo eum esse jussit: se namque post obitum salutem ejus à Domino impetraturam, & collata in se beneficia brevi remuneraturam esse.* Paulò pòst Basilides Christianæ fidei nomen dedit, & à fratribus interrogatus de causa tam subitæ & insperatæ conversionis, dixit, *Potamiænam tertio post martyrium die noctu sibi assistentem, coronam capiti suo imposuisse, dixisseque se ipsius causa Dominum orasse, atque id quod petierat, impetrasse, nec diu postea ipsum ad Superos migraturum. Posthac signaculo Domini à fratribus accepto, postridie Christum gloriosè confessus, capite truncatur.* Adverte hic mihi primò gratiam conversionis ac perseverantiæ & martyrii prorsus efficacem à Christo orari, exorari, donari; nec lubricæ libertati committi, ut si fortè frustretur, sed libertatem ipsam in potestate ita habere, ut nec Martyris preces, nec Christi promissa defraudentur: non est autem par ratio de singulis actibus bonis, quia nec par in his difficultas, nec par necessitas ad Ecclesiæ gloriam, ad hominis salutem, ad divinæ prædestinationis exequutionem. Adverte secundò, tametsi humanitatis officia quædam Basilides antè impenderit, non tamen his officiis donari ejus vel conversionem vel perseverantiam, sed precibus Potamiænæ. Nec prævenienti igitur gratiæ quidquam hìc obstrepit. Adverte tertiò non potuisse non certam hinc & exploratam vel Eusebio vel aliis tunc Doctoribus & Fidelibus esse electionem gratiæ. Ante prævisa enim Basilidis ulla merita, præsciebat Deus & prædestinaverat, se in tempore exauditurum Potamiænæ pro ejus salute preces, & promissa sua efficaciter præstiturum. Itaque ex electione gratiæ Basilidem Deus jam tum parabat sibi, & gratię cujusdam antelucanę stillulis irrorabat, cùm eam illius penetralibus insereret humanitatem, qua Potamiænam demeruit, ut suæ salutis patrocinium aggrederetur.

III. Et infrà de Martyribus Alexandrinis hęc idem Eusebius memorat: *Nonnulli cùm aliquandiu tormenta fortiter sustinuissent, ad reliqua quæ intentabantur supplicia, animos despondcrunt. Verùm beati illi, ac stabiles Domini columnæ, ab ipso confirmati, & fidei suæ robori congruentem & ex æquo respondentem vim atque constantiam accipientes, admirabiles regni illius testes effecti sunt.* L. 6. c. 41.
Quòd fractis & cedentibus aliis, alii infracto pectore tormenta omnia exantlaverint; non libero arbitrio istorum, sed muneri divino adscribit, quo confirmati sunt, & parem fidei suę constantiam acceperunt: quo auxilio promptum fuisse Christo & reliquorum casum prevertere, vel sponte deficientem libertatem revocare, si & ipsi ex Electorum numero fuissent. Ait idem alibi Martyres sui admiratione orbem perculisse, *& divinæ prorsus atque inexplicabilis Servatoris nostri potentiæ evidentissima in semetipsis exhibuisse indicia.* Et de Martyribus Palestinę, & inter eos insi- L. 8. c. 12.
gni Apphiano, *Spiritu quodam divino afflatus, & præinnato, magis autem divinitus indito veræ sapientiæ amore, vanam sæculi gloriam & corporis voluptates despiciens, clam domo aufugit, &c. prævio & quasi manu ipsum ducente Spiritu sancto.* Infrà refertur Paulus sub ipso carnificis ictu *contenta voce supplicasse pro Judæis, ut per Christi fidem ad Deum conversi accederent. Pro Samaritis idem obsecravit & pro Gentilibus, ut ad agnitionem Dei tandem pervenirent, veramque religionem susciperent.* Cap. 4. Cap. 8.
Ubi vides totum in Dei voluntate positum, qui potest quoscumque vult, quando vult, ad se vel allicere vel pertrahere gratię suę efficacibus viribus: alioqui hę omnes ad illum preces ludificatorię sunt, quę ad illum ita specialiter non pro singulis actibus, sed pro conversione & perseverantia funduntur. Suorum preces istiusmodi cum Deus audit, immerentibus utique certa & efficacia condonat conversionis adjumenta: eaque adeo ante illis predestinavit. Perseverantię autem auxilia invicta ut idem Deus largiatur, declarat ibidem mox Eusebius: *Cùm gravissima tempestas omnibus ubicumque positis immineret, rursum divina vis ac potentia Servatoris nostri, Athletis suis tantam animi fiduciam addidit, ut adversariorum minas proculcarent.* Et infrà: *Quis tot sæculorum spatio, ab omnibus impugnatus, vim ac virtutem humana majorem ostendit, adeo ut in dies efflorescat? Quis milites suos pietatis armis ita munivit, ut in concertationibus adver-* Ibid. c. 9. Hist. l. 10. c. 4.

adversus hostes, quolibet adamante firmiores animos ostenderent? A qua invicta & invictos præstante Christi gratia, distat utique illa, quæ omnibus proponitur, quæ à plerisque contemnitur, de qua idem: *Quisquis curari se non sinit, ne id alii imputet. Quippè medicina quæ præest curationi, palam omnibus proposita est.*

De vita Constant. l. 2. c. 59.

IV. Invictam Christi gratiæ virtutem idem luculentè & prolixè declarat in Præparatione Evangelica: Christum enim & olim prædixisse & invictissimè perfecisse, suam *Ecclesiam, nullis unquam viribus expugnandam, & ne ipsa quidem morte superandam, ac penitus inconcussum robur illius mansurum esse, utpote quæ vi ejus ac potestate, sic tanquam immoto, ac nullis unquam machinis perrumpendo scopulo, altis defixa radicibus nitere-tur.* Et infrà: *Numine planè divino firmitas ejus constitit, cum vexata tot annos, &c. augeatur. Ut planè dubitare nemo possit, quin Deus ille rerum moderator omnium, Servatoris nostri doctrinæ ac nomini vim quandam omni conatu ac oppugnatione superiorem cunctorumque victricem hostium cœlesti auxilio largiatur. Divina profectò, arcanæque potestatis id fuit, ut simul atque Verbum illius & doctrina proponeretur, continuò genus humanum in integram libertatem vindicaretur.* Ita ille ibi. Quibus germana sunt quæ disputat in Demonstratione Evangelica; Philosophorum nempe apices censuisse, Deum difficilè inveniri, inventum difficillimè enunciari: at Christi discipulos perfacilè invenisse, facillimè totum per orbem Dei notitiam & pietatem disseminasse, nempe *ope & auxilio* Præceptoris: Christum uno verbo dixisse discipulis, *Docete omnes gentes*, ipsummet id perfecisse: *ut fatendum sit, inusitatam quandam, divinamque naturam inter homines esse versatam: quæ sola & prima perfecerit ea, quæ nunquam humanis auribus audita sunt.* Pluribus idem urget, nullis hoc præstigiis, ut Ethnici suspicabantur, fieri potuisse, sed *arcana quadam vi & verè divina.* Intelligebant & Ethnici, non sola hominum voluntate & facultate liberi arbitrii tantam generis humani conversionem fieri potuisse, ideo magicis incantamentis totum perfici jactitabant. Nec Eusebius aliive tractatores Ecclesiastici reponebant, nullum præstigiis esse locum, sed voluntates hominum sponte sua convolare ad propositæ sibi fidei & disciplinæ amplexum. Sed divina & arcana vi atque potestate immutari hominum corda, & ad Christum traduci confitebantur: *vi divina* imperitos homunciones fieri Magistros orbis: ideo edixisse illis Christum ut omnes gentes docerent *in nomine suo*, hoc est, potestate divina: *Fateri cogor, non aliter ipsos facinus tam audax obtinuisse, quàm diviniore quadam, longèque humanam superante potentia, opeque illius qui dixerat, Docete in nomine meo. Siquidem cum hoc dixisset, adjunxit promissum, quo essent accepturi confidentiam, & promptè tradituri seipsos iis, quæ denunciata ipsis fuerant. Dixit igitur ad illos, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Quin etiam afflasse illos divino Spiritu dicitur.*

L. 1. Num. 3. & 4.

L. 3. Num. ult.

V. Hìc obiter refricabo, hæc omnia parum constanter dici, de divina Christi potestate, in Gentilium plenitudine ad Ecclesiam suam transferenda, nisi ea potestas gratiam effuderit, quæ humanas voluntates omnipotenter & invictissimè ageret: quocumque demum modo exponatur peculiaris ea ratio, qua liberas voluntates agit & contorquet gratia hæc invicta. Item cum ex hac divina Christi potestate in genere humano ad se pertrahendo, argumentantur Patres, vel ad Christi hominis divinitatem, vel ad Verbi Dei inhumanationem comprobandam: necesse est hanc ab inhumanato Deo promanantem gratiam, longè uberiorem, & efficaciorem esse, quàm que primo parenti ante peccatum concessa est. Tunc enim sanam & robustam hominis naturam experiebatur Deus, ideoque & gratiam suas ejus libertati commiserat: nunc autem cum nostræ salutis procuratio concredita sit Verbo omnipotenti nostram naturam induto, ejus potestati tota incumbit, tota accepta fertur hominum reparatio. Perspicuum est autem, ut cumulatissimè impleatur reparatio, abundè esse, ut conversio & perseverantia electorum invictissimis Christi gratiæ auxiliis peragantur: tametsi gratiæ ad singulos minusculos actus effectu quandoque suo fraudentur.

CAPUT X.

Tria eadem conserta sibi capita probantur ex Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nysseno, Basilio, Ephremo.

I. Expenditur subinfestus Nazianzeni locus de Patris conversione.

II. Multum libero arbitrio, plurimum gratiæ idem tribuit. Complures tunc hæretici liberum arbitrium oppugnabant, quod argumento est, & antiquiores Patres de gratia magnificentiùs locutos ex Ecclesiæ sensu; & posteriores parciùs, ut obstruerent os hæreticis.

III. Ipsa bona voluntas ex Nazianzeno donum Dei est.

IV. Alia ejusdem testimonia, quæ gratiæ prævenienti suffragentur.

V. Item quæ efficacissima, & quæ prædestinationi gratuitæ faveant, ita Nazianzenum interpretante Augustino.

VI. Gregorii Nysseni suffragium de gratiæ necessitate & vi.

VII. Ejusdem de electione gratiæ.

VIII. Basilii sententia de prædestinatione gratuita, & de gratia per Christum vi invictissima.

IX. Ex eodem rursus de gratia præveniente & efficaci.

X. Ut interpretando mollienda sint quædam Basilii dicta duriusculè.

XI. Alia Basilii decreta, pro gratiæ necessitate, & efficacia.

XII. Suffragatio sancti Ephrem Syri, ad vim, ad suavitatem, ad necessitatem gratiæ, ad gratuitam prædestinationem comprobandam.

I. Gregorii Nazianzeni anceps multis videri potest, qui mihi præclarus videtur locus de parente suo, antè moribus Christiano quàm fide, eoque fidem promerente, quæ meriti tamen principium dicitur. Sic ergo ille: *Ante etiam quàm ad nostram causam se ille contulisset, noster erat. Mores quippè ipsum nobis asciscebant. Ut enim multi ex nostris nobiscum non sunt, quos scilicet à communi corpore vita removet: sic contra multi exterorum ad nos spectant, quicumque nimirum fidem moribus antevertunt, ac solo nomine carent, cum rem ipsam teneant. Quo in numero meus quoque pater erat.* Tum pudicitiam, justitiamque & alias ejus virtutes demiratus, ait, *Pro his rebus fidem quoque, ut opinor, præmii loco retulit.* Sed idem tamen subjicit, matris suæ precibus donatam à Deo esse conversionem parentis sui: cùm Nonna *propterea dies noctesque ad Dei pedes accederet, atque pro capitis sui salute cum multis jejuniis & lacrymis eum obsecraret.* Tum narrat visa à Deo cœlitus patri objecta: *Huic ad salutem adjumento erat tum ratio ipsa, curationem paulatim admittens, tum insomniorum etiam visio, per quæ Deus animam salute dignam sæpenumero juvat.* Igitur maternis precibus donata salus ejus, qui à Christianis moribus minùs abhorrebat, eoque videbatur fidei ipsi suscipiendæ contemperatior. Unde de eodem mox ait: *Ipsi ad divinam illuminationem superior omnis vita præparatio*

Orat. 19.

quædam erat, & ante purgationem purgatio, firmitatem dono afferens, ut perfectio puritati committeretur, bonumque minimè periclitaretur in animi habitu, adversus gratiam audaci. Ita & Cornelio Centurioni orationes & eleemosynæ gratia quadam prælusoria ei cœlitus conciliatæ, ad ulteriorem fidei gratiam illum præparabant: & tamen gratuitum erat fidei donum. Quantos enim philosophicis virtutibus ornatos, & ea de re tumentes fidei gratia præterivit? Ipse sanè Gregorius, dubius hæret, *gratiamne quæ vocavit illum, an illius consensionem magis laudare debeat*. Gratiæ ergo vocanti & prævenienti totum tribuit, etsi umbratica quædam præiverat præparatio.

II. Prodit ipse apertiùs suam alibi mentem Nazianzenus, ubi plurimum arbitrio humano tribuere videtur, postea tamen suam gratiæ amplitudinem strenuè asserit: *Non omnes, inquit, capiunt* Orat. 31. *verbum hoc, sed quibus datum est. Cùm audis, datum est, ne hæretico ullo affectu tenearis, ne multiplices naturas introducas, ne terrenos, & spirituales, & medios. Sunt enim quidam ita malè affecti, ut alios omnino perditæ esse naturæ putent, alios salutem accepturæ, alios denique ut eos vel ad virtutem, vel ad vitium voluntas duxerit, ita se habere*. Vides quid cogeret Patres temperare magnificentiorem extollendæ gratiæ modum in Ecclesiis usitatum, nempe quòd hæretici hinc naturas bonas malasque fabularentur, & liberum arbitrium pessumdarent. Hinc Nazianzenus ut suas quoque partes libero arbitrio vindicet, addit: *Cùm audieris, Quibus datum est, adde, Volentibus datum est, atque iis qui ea animi propensione sunt*. Volentibus, id est, consentientibus & annuentibus datum est, ut mox liquebit, Sed si Græca editio sana est, multò limpidior ejus sensus: *δέδοται μὲν τοῖς καλουμένοις, καὶ τοῖς οὕτω νεύουσι. Datum est vocatis & annuentibus vocationi*, quo nihil expeditius.

III. Sed omnem dubitationem eliminat mox Nazianzenus luculento hoc gratiæ divinæ præconio: *Etenim cum illud audis, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei: idem tibi existimandum censeo. Quoniam enim nonulli sunt, qui obrectè facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi adscribant, nec quidquam Creatori, & sapientiæ eorum authori, & bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant, his verbis eos docet Paulus, quod ipsum etiam rectè velle divino auxilio indigeat: imò ut rectiùs loquar, Voluntas quoque ipsa & electio eorum quæ recta & cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque à Dei benignitate manans. Idcirco ait, Non solum volentis, nec currentis solum, sed etiam miserentis Dei. Ita quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo jure totum Deo assignavit*. Quid magis volentis est, quid magis libertatis humanæ proprium, quàm velle? Sed tamen disertè pronunciat Nazianzenus, non solùm ad bene volendum opus esse divino auxilio, sed etiam ipsum bene velle divinum esse donum: *μᾶλλον δὲ αὐτὸ τὸ προαιρεῖσθαι τὰ δέοντα, θεῖόν τι καὶ ἐκ θεοῦ δῶρον φιλανθρωπίας*. Ex quo liquet 1. gratia præveniri bonam quamcumque voluntatem, cùm ea Dei donum sit; adeoque virtutes illas de quibus suprà, à Dei gratia initiali promanasse, quibus Gregorium hujus Theologi patrem Deus sibi præparabat. Liquet 2. gratiam hanc esse suapte vi efficacem. Cùm non solùm voluntas bona Dei adjutorio indigeat, sed Dei donum sit, sed à Deo sit. Quanquam semel inspiratæ à Deo bonæ voluntati consentire & adhærescere, ac obsequi, vel dissentire, & eam abigere, jam in potestate sit humani arbitrii. Liquet 3. bonæ voluntatis donum non omnibus adesse, adeoque non omnibus dari, sed quibus à Deo prædestinatum. Cùm enim nullis humanis meritis anteveniri possit, bona enim voluntas antecedit & inchoat bona merita, non sequitur; hinc quibus datur, electione gratuita Dei datur. Liquet 4. Nazianzeno perinde ut Augustino, bonum velle, seu bonam voluntatem bifariam intelligi. Nunc pro initio bonæ voluntatis, & ita ad omnes actus bonos bona illa voluntas porrigitur, nec invictam ubique efficaciam obtinet. Nunc pro bona voluntate seu charitate adulta & justificante, cujusmodi non esset, nisi invicta Redemptoris vi & potestate muniretur.

IV. Pergit ibidem Nazianzenus: *Quoniam velle quoque ipsum à Deo est, jure optimo totum Deo assignavit. Quantumlibet curras, quantumlibet certes, opus habes eo qui det coronam. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam. Scio, inquit, quod nec levium cursus est, nec bellum potentum, nec pugnantium victoria, nec prosperè navigantium portus; sed Dei est victoriam offerre, & incolumem scapham in portum deducere*. His attexit responsionem Christi ad filios Zebedæi, Calicem quidem martyrii illis propinandum, sed consessum ad primarias regni cœlestis sedes illis adsignandum, quibus à Patre *datum est*. Hinc objicit sibi Gregorius, *Nihil igitur mens, dux & gubernatrix? Nihil labor, nihil ratio, nihil jejunasse, nihil fontes lacrymarum profudisse profuerit; sed sorte quadam & Jeremias sanctificatur, & alii à vulva reiiciuntur?* Solvit denique hunc nodum Theologus: *Illic quoque his verbis, Quibus datum est, hoc adjunge, Qui digni sunt, quique ut tales sint, non modo à Patre acceperunt, sed etiam sibi ipsis dederunt*. Ergo unam voluntatis cooperationem Gregorius extundere laborat, ne otiosis & ignavis forte regnum cœleste obtingat. Sed dum humana voluntas collaboret gratiæ, jejunet, vigilet, lacrymetur, consentit Gregorius ut bona omnis voluntas non tantùm egeat divino adjutorio, sed Dei quoque donum sit; & totum prorsus Deo tribuatur.

Quod verò objectat Vossius, *In Paradiso mandatum accepimus, ut eo servato gloriam assequeremur. Non quod Deus id quod futurum erat ignoraret, sed quòd arbitrii libertatem lege sanciret*. Contra totum est. Nam ante peccatum locus erat Orat. 42. paulò ante finem. prædestinationi ex meritis, post peccatum per gratiam Christi donantur ipsa merita ex electione gratiæ. Unde idem mox Nazianzenus, miracula enarrans quæ Christum in cruce pendentem illustrarunt, ait: *Nullum tamen cum salutis meæ miraculo conferendum est; in quo exiguæ cruoris guttæ orbem universum instaurarunt, atque idem quod lacti coagulum hominibus præstiterunt, in unum nos conjungentes & constringentes*. Efficacia illa Christi sanguinis electionem gratiæ apertè declarat, è diametro adversam electioni meritorum ante peccatum.

V. His adde præclarum & illud ejusdem: *Non* Orat. 41. *apparebis, inquit, in conspectu meo vacuus; verum si quid pulchri habes, tecum feres. At nunc diverso modo novus appare; sic nempe ut totus immuteris. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. Huic festo muneris loco præclaram mutationem offer. Ac ne sic quidem magnificè de te sentias. Verum dic cum Davide, Hæc mutatio dexteræ Excelsi, à quo promanat quidquid ab hominibus rectè & cum laude geritur*. Denique Augustinus ipse in libro de bono perseverantiæ, ex hoc ipso Gregorio hæc verba refert ad gratiæ & prædestinationis commendationem: *Unius Deitatis quæsu-* Cap. 19. *mus vos confitemini Trinitatem. Si verò aliter vultis, dicite unius esse naturæ. Et Deus vocem dari vobis à Spiritu sancto deprecabitur: id est, rogabitur Deus ut permittat vobis dari vocem, qua quod creditis, confiteri possitis. Dabit enim, certus sum: qui dedit quod primum est, dabit & quod secundum: qui dedit credere, dabit & confiteri*. Ubi præclarissimè argumentatur Augustinus: *sancti Patres si hæc ita noverant Deum dare, ut non ignorarent*

revit eum daturum se esse præscisse, & quibus daturus esset, non potuisse nescire, proculdubio noverant prædestinationem, quam per Apostolos prædicatam, contra novos hæreticos, operosiùs diligentiùsque defendimus.

VI. Gregorius Nyssenus summi boni desiderio & similitudine refulgescere speculi instar animam, & hanc esse divinam gratiam innuit in libro de hominis opificio: *Nam cùm omnium pulcherrimum ac præstantissimum bonum sit ipse Deus, ad quem omnia respiciunt, quæcumque boni desiderio tanguntur; idcirco & mentem dicimus factam ad boni pulcherrimi imaginem, &c. Similitudine principis pulchritudinis ornata est mens, perinde ac speculum figura faciei ex ipsa relucentis*, Summum porrò bonum gratiæ suæ radios omnibus aspergere, & ceu Solem intelligibilem omnibus affulgere, alios ejus luce frui, alios clausis sua sponte oculis corruere & elidi, idem alibi docet: *Probrosis passionibus quis tradi-tur, docet Apostolus, eum nempe qui non probavit Deum habere in notitia. Is enim cùm à Deo non defendatur, quod Deum nolit habere in notitia, à Deo tradi passionibus dicitur. Nam quemadmodum si quis de homine qui in foveam decidit, quoniam Solem non videt, idcirco in foveam decidisse assevera-ret, nullo modo nobis in mentem veniret, ab irato Sole in foveam esse depulsum: sed statim intelligeremus, ideò in foveam lapsum, quoniam cæcitate sua Solis lucem non aspexit: Sic ait Apostolus eos qui Deum non cognoverant, ignominiæ passionibus traditos esse: & induratum à Deo tyrannum Ægyptium, non quia divina voluntas duritiem in animum ejus induxerit, sed quia cùm ipse vitiosè vivere maluerit, non suscepit rationem, qua induratum in vitio cor permollitur.* Et mox: *Sententia nostra maximè comprobatur, quod non cogens divinitus aliqua vis alios facit cæcutare, alios in luce versari; sed in nobis ipsis, in potestate, voluntate, electione, tenebrarum & lucis causas possidemus.* Itaque divina lux obversatur, qua & illustretur mens, & cor emolliatur; sed gratiæ istiusmodi consentire vel dissentire nostri est arbitrii, adeoque illuminari vel tenebrescere, mollescere vel indurari.

L. de vita Moysis.

Idem Nyssenus prævenienti & gratuito gratiæ dono alibi ita applaudit: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Significat quod quidquid boni & salutaris à Deo hominibus venit, id universum venerit gratia & bonitate illius, cùm in nobis nulla ejus accipiendi causa inesset. E contrario cùm nos omni improbitatis genere obruti fuimus, ipse è natura sua nequaquam descivit, sed id quod est, egit. Neque enim decet eum qui natura bonus est, aliud quàm quod ex natura sua est, agere.* Infrà ait primùm superflua amputari, & quasi vitiosa quædam additamenta abradi, & ita nos paulatim perpoliri, ut *efformetur in nobis Christus, secundùm cujus similitudinem ab initio conformati eramus, secundùm quam denuò reformamur.* Et infrà: *Caput virtutis est Dei auxilium, quod ei obtingit, qui divinam misericordiam per vitam sibi conciliat.* De gratia subsequente capiendum istud est, quam prævenientis gratiæ ope promereri fas est. Quod constat ex consequentibus, ut ne offendat te, vel in obliquiores impingat suspiciones, istiusmodi sententiarum vel apud Nyssenum vel apud alios Patres occurrentium insolentia. Mox enim ille ibidem: *Hoc opus est ejus qui ab initio homicida fuit, observare calcaneum hominis. At enim licèt hostis gravis impressio sit, repellitur tamen beneficio auxilii tui. Nam gratis hominibus salus à te venit, non ex operibus justitiæ, sed ex sola gratia tua. Pro nihilo enim salvos facies illos.*

In Ps. c. 8.

Cap. 11.

Cap. 14.

Idem alibi ut indesinenter & infatigabiliter anima ad summum bonum trahatur, ut accedat, & cum accesserit, ut magis magisque ascendat & proficiat, ita describit: *Quando ergo trahit humanam animam ad sui participationem, anima scripta semper fit major & augetur per participationem ejus, quod exuperat & nescit augeri. Videmus ergo tanquam in scalarum ascensu per virtutis ascensiones Sponsam à Verbo deduci. Immittit primò Verbum radium per propheticas fenestras, vel per cancellos legis, &c. Deinde cum rerum pulchrarum tantum fuisset, quantum potuit capere, particeps, rursus eam attrahit ad participationem boni supereminentis, &c. Propterea ergo ei excitatæ, rursus dicit, Surge: & ei cum venisset, dicit, Veni. Neque enim ei qui verè surgit, unquam deerit semper surgere: neque ei qui currit ad Dominum, unquam consumetur latum & amplum campi spatium ad divinum cursum perficiendum. Oportet enim semper surgere & excitari, & per cursum appropinquando nunquam cessare. Quamobrem quoties dicit, Surge & veni, toties largitur robur ad id quod melius est ascendendi.* Idem inculcat inferiùs, naturam mutabilem ad incommutabilem *semper aspicere, & participatione ejus quod supereminet, semper conservari in bono, & quodammodo creari, per incrementum in bonis, mutatam in id quod est majus.* Vides ut inexhaustum gratię fontem nobis aperiat Nyssenus.

Hom. 5. in Cant. Cant.

Hom. 6.

VII. Cæterum gratuitæ prædestinationi nemo expressiùs astipulatur. Nam in eleganti libello *de iis qui præmaturè abripiuntur*, parvulorum alios præmatura morte demeti docet, ut non tam vitæ præripiantur, quàm nequitiæ, in quam præcipites ituros Deus prævidebat, si vitam assecuti essent longiorem. *Is qui ratione omnia facit, humanitate adductus, vitiis materiam aufert, spatium temporis voluntati, per vim præsciam notatæ & animadversæ non dans.* In hac re argumenti satis est, ad prædestinationem gratiæ stabiliendam. Hos enim rapit Deus, ne malitia mutet intellectum eorum: nec adultos rapit, sed immaturos, in quibus bonorum operum nihil præcessit, in quibus mala etiam opera futura erant, nisi præcerperentur. Mera ergo hæc est electio gratiæ. Et ea quidem tantò manifestior est, quod ex innumeris quos prævidet Deus in vitiorum baratro vitam acturos & peracturos, paucos tamen prævertit, & in salutis statione collocare occupat. *Sed cur prorsus, inquis, hunc quidem provida benevolentia subducit è vita priusquam per malum voluntas perficiatur, illum verò relinquit talem fieri, ut melius ipsi esset penitus natum non esse?* Respondet pietati fortassis parentum id à Deo donari, ut eorum filii imminentia scelerosæ vitæ discrimina morte effugiant. Nec id gratuitæ officit infantium electioni, quæ aliorum precibus persæpè ex Augustino donatur. Sed Nyssenum non fugit assignatæ à se rationis infirmitas. Itaque cum Augustino refugiendum censet ad abstrusas ejus discriminis rationes, soli Deo compertas. *Sed quoniam hic in rebus incertis, oratio conjecturis utitur, nullus reprehendet si in multas partes conjectura mentem diducet.* Subdit posse conjici, qui præripiuntur, longè etiam contaminatiùs cæteris omnibus victuros prævideri. Denique *cum Deus ratio, & sapientia, & omnis virtus & veritas sit, nihil rationis ratione carere, neque sapientis aliquid insipiens esse, &c. Sive ergo secundum prædictas causas, sive quid etiam aliud est, præter ea quæ dicta sunt, assentiri convenit, hæc consilio fieri meliore.*

Sed apertissimè tandem Nyssenus ibidem assentitur Paulo, hunc delectum divinæ assignans voluntati, ex eadem damnationis massa, vasa alia in gloriam seponenti, alia in contumeliam: *Novi autem quandam aliam etiam rationem, quam à sapientia Apostoli didici. Cum enim in Epistola ad Romanos opponeretur, non rectè accusari malum, siquidem divinitus habeat, ut malus sit, qui prorsus non fuisset, si voluisset is, qui potitur rerum universarum, sic occurrit per profundiorem quandam speculationem. Ait enim Deum cuique id*

quo dignus sit tribuentem, alicubi nequitiæ quoque locum dare, intentione & consilio meliore. Idcirco enim passum esse nasci & talem nasci Pharaonem, &c. Nam cum æqualiter divina potentia per omnia cognoscatur, & ad benefaciendum iis qui digni sunt, sufficiens sit, & ad puniendum ei facultas non desit, &c. Ut duplici efficientia Dei in Israelitis & Pharaone distributa, justam utriusque cognitionem Israel acciperet, dum id quidem quod melius erat in seipso disceret, tristius autem in iis qui ob malitiam flagellabantur, videret. Cum excellentia sapientiæ suæ Deus etiam malum ad adjuvandum bonum tractare & accommodare sciat. Hæc videri possent ab Augustini calamo fluxisse, usque adeò ejus placitis sunt consentanea. Id ipsum rursus ad calcem illius opusculi Nyssenus inculcat. Et Augustini sanè & Aquinatis ex eo capite tota nectitur de prædestinatione doctrina, quòd Deus per gratiam suam & prædestinationem gratiæ, ideo non omnes, sed aliquos tantùm à massa damnata secreverit: nec omnia, sed aliqua tantùm scelera & flagitia ad extremum interitum redundatura prohibuerit: quia etiam de malis benefacere potest, idque bonitatis & omnipotentiæ ejus summum est fastigium. Quiritantur enim homines, eccur cum bonus & omnipotens sit, non omnes bonos efficiat, nec omnia mala prævertat. Nec advertunt, & bonitatis & potentiæ summæ duplex esse documentum insigne, bona effundere, & bona è malis exprimere: bonos efficere, malos plectere. Quanquam consentaneum est, ut Deus propria & antecedente voluntate, bona velit, mala vetet: mala non sinat, non plectat, non ordinet, non bene vertat, nisi ex consequenti, postquam illum eò voluntates creaturarum liberæ adegerint.

VIII. Nec vel Theologus, vel Nyssenus alia poterant in sententia versari, tam arctè cum Basilio magno confœderati, qui ipsas Christianæ de gratia doctrinæ medullas ebibere atque exhaurire studuerat. Ita enim ille aureolo libello de humilitate: *Hæc est hominis sublimitas, hæc gloria, gloriam à Domino gloriæ quærere. Dicit autem Apostolus, Qui gloriatur, in Domino glorietur; ubi dixit, quod Christus factus sit nobis à Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio. Nam ea demum perfecta & omnimoda gloriatio est in Deo, quando neque propter suam quis justitiam extollitur, sed agnoscat se quidem vera destitui justitia, verùm sola in Christum fide justificatum esse. Et gloriatur in eo Paulus, quod suam ipsius justitiam contemnat, sectetur autem per Christum eam justitiam quæ ex Deo est in fide, ut cognoscat ipsum & potentiam resurrectionis ipsius, & passionum ejus communicationem. Decidit hic universa arrogantiæ sublimitas. Nihil tibi relictum est o homo, de quo gloriari possis, cum gloriatio & spes in eo sita sit, ut tuas omnes voluntates mortifices, & futuram in Christo vitam quæras, cujus primitias habentes, in his nunc sumus, per universum in gratia & dono Dei viventes. Et Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Deus item est qui Sapientiam suam, prædefinitam ad nostram gloriam, per Spiritum suum revelat. Deus est qui in laboribus dat virtutem. Abundantius, inquit Paulus, illis omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei quæ est mecum. Deus est qui eripit è periculis, &c. Quid igitur teipsum extollis, quasi propria habeas bona, cum gratias pro donis agere debeas largitori? Quid enim habes, quod non acceperis? Si verò acceperis, quid gloriaris, quasi non acceperis? Tibi non innotuit Deus per tuam justitiam, sed tu Deo per ejus bonitatem. Cognoscentes, inquit, Deum, imò magis cogniti à Deo. Tu Christum non per tuam apprehendisti virtutem, sed te Christus per suum adventum. Insequor, inquit, si quo pacto apprehendam, quatenus & apprehensus sum à Christo. Non vos me elegistis, inquit Dominus, sed ego elegi vos. An ideo superbis quod honore affectus es, & acceptam misericordiam ad occasionem arrogantiæ rapis?* Et mox: *Gratiam sequitur judicium, & quo pacto usus sis donis, judex requiret.* Summa omnino hæc est elimatissimæ doctrinæ de gratia, & pulcherrima conglobatio argumentorum omnium, quibus à Latinis postea Doctoribus confossi sunt Pelagiani & Semipelagiani. Stirpitus enim hic eliduntur omnes fibræ meritorum humanorum, quibus gratiam anteveniri postremi isti somniabant. Sed illud præclarissimum gratiæ & gratuitæ & ex æterno Dei proposito efficacis argumentum, apud Græcos, quàm apud Latinos Patres tum familiarius, tum perpolitius, quòd Christus factus sit nobis à Deo sapientia & justitia cum adhuc peccatores essemus; quod per suum ille nos adventum apprehenderit, & in ipso apprehensi simus; quod illi, quicumque saltem justificantem gratiam adepti sumus, commortui, consepulti, conresuscitati, & consortes cœlestis in gloria consessus facti simus, antequam essemus. Etsi enim ista in nobis singulis per temporum & sæculorum ætates explicantur, præsumpta tam in illo jam sunt & anticipata hæc misericordiæ munera, gratiæ sacramenta, ut fraudari nequeat omnipotentis Verbi in carne nostra & in universi corporis sui plenitudine inhabitantis mysterium. Sed in his infra uberiùs.

IX. Idem Basilius alibi: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Et unde facultas mihi suppetet te exaltandi? Quoniam tu me præveniens suscepisti. Signatè dixit, Suscepisti me, hoc est, sublevasti me & extulisti, superioremque me reddidisti his, qui in me cooriuntur & insurgunt. Veluti si quis puerum quendam imperitum natandi, manu sublimem supra aquas ducat. Qui igitur Dei auxilio in sublime tollit oculos à ruina, is demum per animi gratitudinem Deum se pollicetur exaltaturum bonis actionibus. Aut velut siquis quendam palæstriten debilem à ruinæ periculo liberet, ac superiorem colluctatore constituat, huic quidem insperatæ victoriæ occasionem præbet, illi verò speratæ palmæ lætitiam aufert.* Aperta sunt hæc prævenientis & efficacis gratiæ testimonia. Et infrà ibidem: *Verùm ut decor animæ accedat, & efficaciter perfectiva eorum quæ necessaria sunt, potentia, divina opus est gratia. Ut igitur supra dixit, Quoniam vita in voluntate ejus; sic nunc Deum in reddendis gratiis exaltat, dicens, In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Pulcher quidem eram secundum naturam, debilis autem factus per peccatum per insidias serpentis admissum perii. Pulchritudini ergo meæ quam à te in prima creatione accepi, addidisti virtutem, eorum quæ me addecent, effectivam.* Ita ille commendat gratiæ virtutem effectivam, sive efficacem, ἐπιτελεστικὴν, πρακτικήν: quæ peccatoribus gratis utique à Deo offertur. Et mox: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Hæc infirmitas contigit animæ ex eo, quod se à Deo abalienarit. Oremus igitur semper ut nobis effulgeat facies Dei, quatenus in sancto ac decenti statu persistamus.* Et alibi: *Misericordia Domini plena est terra. Hic profectò misericordia sine judicio prærogatur: non enim venit ut judicet mundum, sed ut servet. Illic verò non est judicium sine misericordia, quoniam nequit homo mundo corde ac liber omnino à sorde peccati reperiri, etiam si unius diei tempore supra terram vixerit.* Et infrà: *Non servatur Rex per multam virtutem, sed per divinam gratiam, ut & hic verus sit ille Apostolicus sermo, Gratia salvati estis. Sicut nec Villicus tantum ob diligentiam agriculturæ proventus ex agricolatione, quantum ob augentem terræ fructus Deum assequitur. Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

In Psal. 29.

In Psal. 32.

X. Ex his vel mitiganda vel interpretanda sunt, si qua

siqua apud Basilium aliter sonare videntur. Cujusmodi est illud: *Accedite ad illum, & illuminamini.* In Psal. 33. *Quemadmodum sensibile hoc lumen non omnibus similiter exoritur, sed habentibus oculos & vigilantibus, his qui nullo interstite impedimento prohibentur, quin frui possint claritate Solis primum adventantis: sic & justitiæ Sol, verum lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non omnibus suum splendorem præbet, sed his qui vivendi formulam nihil ipso indignam à seipsis exigunt. Lux, inquit, orta est, non peccatori, sed justo. Ut enim ortus est Sol, sed non vespertilionibus, nec aliis animalibus quæ noctu prodeunt pabulatum: sic & lux sua quidem natura splendida est, ac vi prædita illuminandi, non tamen omnes ejus claritatis participes existunt. Sic & omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non manifestentur opera ejus.* De sola humanæ voluntatis cessatione à cooperando luci prævenienti & gratiæ illuminanti hæc disputat Basilius. Perspicuè enim declarat omnem hominem venientem in hunc mundum à Sole justitiæ illuminari, & lucem suaptè natura quaquaversum radiare; sed suo vitio homines vel cæcutire, vel terga vertere, & dissensu suo beneficium lucis repudiare. Cùm ergo ait, Lucem oriri justo, non peccatori, non sua, non Scripturæ obvia passim effata perimit, de luce in tenebris exoriente, de gratia peccatores provocante, de Christo ad ægrotos non ad sanos adventante: sed docet justo tantùm, id est, consentienti & morigero gratiam prodesse. Sic alio & alio sensu verè dicitur Sol oriri & non oriri, adesse & abesse cæco; oritur enim & adest illi, quia lucem æquè suam aspergit; sed non oritur & abest, quia frustra illi oritur, nec quidquam prodest. Denique idem alibi; In Psal. 114. *Manet requies sempiterna illos, qui in hac vita legitimè certaverint: non tanquam debitum operibus redditum, sed ob munificentissimi Dei gratiam, in quem speraverunt, exhibita.* Si gloriam ipsam post tot labores exhaustos in gratiæ magis, quàm in mercedis numero locat, quid gratiam & lucem peccatores primùm excitantem?

XI. Verum nil invictius ad gratiæ vim invictam & merita omnia creantem, non ulla expectantem, iis quæ idem Basilius disserit, eleganti opusculo, *Quod Deus non sit author mali.* Sic ergo ibi habet: *Facit Deus pacem & creat mala. Maximè quidem in te pacem facit, quando per bonam doctrinam, tuam serenat & tranquillat mentem, & affectus adversus animam insurgentes conciliat. Creat autem mala, id est transmutat, & in meliorem statum exitumque deducit, ut jam mala esse desinant, bonique naturam accipiant. Cor mundum crea in me Deus. Non dicit, nunc crea, sed in malitia inveteratum renova; & ut duo creet in unum novum hominem, non ut ex non existente faciat, sed ut jam existentes mutet atque renovet. Et, Siqua in Christo nova creatura, &c. Ego interficiam, peccato, & vivere faciam, justitia. Quantum enim exterior homo noster corrumpitur, tantum interior renovatur. Non igitur alium interficit, & alium vivificat, sed eundem per ea quæ interficit vivificat.*

Denique in sermone de libero Arbitrio: *Quibus inest divina lex, non atramento & literis inscripta, sed Spiritu Dei viventis; nec tabulis lapideis impressa, sed tabulis cordis carnalibus; illi mentis oculis illuminati, exactè sciunt quàm impossibile sit propriis viribus offendicula versuti hostis vincere, nisi insuperabilis potentia Dei occurrat. Qui verò verbi Dei honore cumulati non sunt, si frustra inflati, libero se putant arbitrio peccati occasiones abolere posse, quod per solum Crucis mysterium aboletur. Liberum enim illud quod in potestate hominis est arbitrium, in eo situm est, ut velis vel nolis resistere diabolo, non in eo quod possis penitus adversus affectiones imperium obtinere. Et infrà: Siquidem humana natura extra Spiritus sancti armaturam posset insidiis diaboli resistere, utique ab Apostolis dictum non esset, Deus autem pacis conteret Satanam sub pedes vestros brevi. Et iterum, Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.*

XII. Basilio suo non dissentiet Ephræm Syrus. Sic ergo ille & conversionis & perseverantiæ donum efficax à mera & pura Dei largitate derivat, Pag. 64. ita Deum compellans: *Nos & tunc impii atque improbi, & nunc peccatores atque infirmi. Munus ergo quod nobis per immensam pietatem tuam donasti, à nobis quæsumus ne abstuleris. Nam si tunc quidem propter nostram justitiam liberasses nos, nunc verò quia peccavimus, irascereris, & gratiam tuam à nobis auferres; meritò diceremus, tunc nostra justitia liberasti nos, modò autem quia peccavimus, recessisti à nobis. Verùm ut jam dixi, & tunc impii fuimus, & modò peccatores sumus. Donum ergo istud quod nobis benignitate illa tua largitus es, in finem usque firmetur in nobis, &c. Semper infirmus fui, indesinenterque infirmor, Domine, sed indeficiens tua gratia assidue visitat & sanat me. Horis quoque singulis neglexi ac negligo mercedem curationum ejus, cum omnem pretii æstimationem excedant remedia gratiæ tuæ, quæ tu gratis donas.* Inculcatiùs dici non potuit quàm gratuita sit gratiæ tum ad conversionem primò, tum deinde ad perseverantiam & largitio temporalis & æterna præparatio: cùm impio primùm gratis donetur justificatio, & peccatori deinceps ejusdem perseverantia annuatur. Eo enim argumento misericordiam Dei convenit Ephremus, quòd cùm immutabilis & semper idem ipse sit, sicut gratis justitiam nobis largitus est, ita gratis eandem conservet usque in finem: sicut peccatis nostris non est à justitia danda absterritus, ita nec novis culpis ab eadem conservanda avocetur. Gratis ergo & quibus vult Deus, ea & servatur & datur, & antè prædestinatur.

Idem infrà gratiæ divinę suavem vim ac potestatem describit: Pag. 67. *Succurrite qui timetis Deum, preces vestras pro me peccatore fundite, ut gratia divina in anima mea resplendeat, promptusque & dignus efficiar qui pœnitentiam agam. Et advenienste divina gratia dulcescat omnis amaritudo mea. Gratiæ enim præsentia simul cum cordis compunctione, animi dulcedinem & tranquillitatem affert. Exhilarant undæ divinæ gratiæ jubarque sancti Spiritus nostra pectora, faciuntque ut anima repentè omnium rerum terrenarum carnaliumque cupiditatum obliviscatur.* Et infrà: *Confirma cor meum in* Pag. 105. *timore tuo bone Domine, statue pedes meos super petram pœnitentiæ. Vincat malitiam quæ in me est, charitas tua Domine. Fiat gratia tua in me sicut ignis comburens cogitationes immundas.* Et alibi: Pag. 130. 132. 134. 138. 152. 160. 234. 235. 236. 258. 544. 552. 567. *Erigitur mihi caput gratia tua Domine, verùm quotidie propter peccata dimittitur. Ad vitam me rursus eadem tua gratia allicit, sed ego ad mortem promptior pergo. Nam hæc pessima ignaviæ consuetudo me secum dissolvit enervatque, indissolubilibus vinculis mentem stringit, eademque optata & desiderabilia mihi vincula obtingunt. Ex consuetudine laqueis capior, illaqueatusque gaudeo.* Ita ille peccati & concupiscentię consuetudinem, & suavem necessitatem, Augustiniano penè calamo pingit. Et mox: *Assiduè fontis instar scaturiat in me gratia tua Domine. Spiritus gratiæ semper moveat linguam meam, tanquam nervos citharæ.* Sexcenta id genus alia occurrunt in his opusculis quæ Ephremo tribuuntur, quæ pro prolixitatis tædio indigitasse sufficiat.

Addendus tamen necessariò locus pulcherrimus, ad gratuitam prædestinatiodem adstruendam: Pag. 101. *Dic mihi rursus cur Jacob primogenita à Manasse ablata, transtulerit in Ephraim? Hanc pretio Jacob mercatus erat, & gratis eam Ephraim tribuit. Et in hoc neque Manasses culpandus est, nec Ephraim in ad-*

in admiratione habendus: sed potiùs donantis authoritas, in quam non cadit reprehensio, suspicienda est. Quis igitur Gentium primogenituram reprehendere tentat? Quòd si Judæi id facere voluerint, reprehendant primùm quòd Manasse adempta sit. Qui enim eam ab eo abstulit, non peccavit, ut suam in eo ostenderet: ademit autem illam ipsis, quia peccaverant, ut justum suum judicium in eo declararet. Quòd si à nemine coargui possit Jacob, quamvis à Manasse qui non peccaverat, primogenituram abstulerit; quomodo ipsum quisquam reprehendere audebit, qui ut justus Judex, primogenituram à Judæis, qui Dominum occiderant, abstulit? Prædestinationem Gentium, ut vides, nullis meritis, reprobationem Judæorum malis utique meritis tribuit. At cùm & in Gentibus essent mala merita, propter quæ reprobari perinde possent, in eos tamen electio gratiæ primogenituram transtulit, ut *donantis authoritas, in quam non cadit reprehensio, suspiciatur.*

CAPUT XI.

Eadem gratia meritum omne anteveniens efficiensque, & ab æterno gratis præparata probatur ex Athanasio & Cyrillo Alexandrinis Episcopis.

I. Augustino præivit Athanasius in describenda primi hominis gratia ex felicitate, ex clara Dei contemplatione: item in ejusdem prolapsione, & reparatione per potentiorem & prorsus invictam Verbi incommutabilis gratiam, incarnationis sacramento nobis infusam.

II. Arianæ vesaniæ confutandæ necessitas eò adegit Athanasium.

III. Rursum ut gratia & prædestinatio nostra committenda fuerit, non mutabili Adæ, sed immutabili Verbo, in nostram carnem infuso.

IV. De eadem rursus electorum propria gratia, vim suam ineluctabilem mutuante ex immutabilitate Verbi; & longè potentiore, quàm quæ Adamo stanti fuerat collata. Item de electione gratiæ in Christo.

V. Rursus de gratuita prædestinatione, & de invictissimis Christi auxiliis, iis nimirum quibus prædestinatio executioni mandatur.

VI. Præclarissimè ex eodem, ut Christus electos gestarit, ut in illis vitia omnia vicerit, virtutes omnes impleverit: ut jam non possint hæc Dei decreta & beneficia effectu suo frustrari.

VII. Rursum ut prædestinatio, ut gratia per Christum nostra, vim inexpugnabilem & semper victricem à Verbo inhumanato nacta sit.

VIII. Cyrillus Augustino consentaneus, in exponenda Christi oratione, pro suis, non pro mundo.

IX. Et in assignando discrimine gratiæ Adami, & Christi; nempè quòd illa possibilitatem, hæc efficaciam donet.

X. Ut ex Verbi incarnati immutabilitate fluat illa gratiæ & prædestinationis per Christum potestas inexpugnabilis.

XI. Omnes prægestando Christus, omnium libidines & vitia vicit.

XII. Spiritum sanctum nobis in Adamo primùm afflatum effugarat peccatum; rursus illum Christus sibi nobisque recipit, sed ut suum, à se indivulsum, & inexpugnabilem.

XIII. Rursum de specialibus ex Cyrillo, & propriis electorum gratiis.

XIV. Quæ obiici possint ex Cyrillo; utque ea solvantur.

XV. Quæ rursus ex eodem obiiciantur.

XVI. Luculentè ut Cyrillus invictissimam Christi gratiam expertus prædicaret.

XVII. Plures simul objectiones occupantur, & eliduntur.

I. Gratiæ sacramentum ut incarnationi Verbi conjunctissimum nemo penitiùs inter Grecos introspexit Athanasio & Cyrillo Episcopis Alexandrinis. Id in causa fuit ut ambos hìc unà contexerem, etsi ævo nonnihil semotos. Et Athanasius quidem præisse videtur Augustino ipsi in ea omnia quæ ille scripsit de Deo hominis condente naturam, & largiente gratiam: de homine à beatitudine intelligibili per peccatum decidente, per Christi gratiam priore gratia invictiorem reparando, ne rursum reparatore alio opus esset. *Mundi opifex Deus humanum genus ad suam ipsius imaginem effinxit, hominemque rerum contemplatorem effecit, tribuens ei suæ æternitatis intellectum & cognitionem, ut nunquam à convictu Sanctorum desiliret, sed possidens donatoris sui gratiam, possidens quoque propriam ex Patris ratione vim, exultaret pariter & Deo familiaris esset, vivens innoxiam beatamque, hoc est, immortalem vitam, &c. Verbum intuens, videt in ipso & Verbi Patrem, delectaturque istiusmodi spectaculo, & ejus desiderio rejuvenescit.* Ita ille de hominum conditu. Tum de lapsu: *Ab intelligibilibus animum sevocarunt seipsosque animo circumspicere incœptaverunt; consideratis porrò seipsis, corpus corporeosque sensus amplexi, ac quasi suis propriisque decepti, in sui cupidinem corruerunt, sui contemplationem contemplationi divinitatis anteponentes, &c. In concupiscentias corporeas uterque delapsus est, seque nudos esse cognoverunt, quo cognito erubuerunt. Cognoverunt autem se nudos, non tantoperè, quòd amiculis vestium carerent, quàm quòd exuti essent divinarum rerum contemplatione.* Calamitatem humani generis inde scaturientem fusiùs ibi mox prosequitur, cui reparandæ Deus est incarnatus. Quippè cum primam gratiam frustrasset homo libertatis suæ mutabilitate, secunda suæ reparationis gratia Verbo committenda & à Verbo haurienda fuit, utpotè incommutabili, ut ne Reparatoris gratia rursum fraudaretur optato exitu, & alium invitaret Reparatorem. Orat. contra Gentes. Et l. de Incarn. Verb.

II. Cùm enim Ariani Verbo Deo, ut mutabili illuderent, objectarentque illud ex Psalmo: *Dilexisti justitiam, &c. Propterea &c.* quasi & ipse Christus ex præscientia meritorum prædestinatus fuisset; ipsorum verba refert Athanasius: *Nam inter omnia ejus ipse quoque connumerandus est, qui natura mutabilis fuit, sed libero arbitrio bonus remansit. Ideo cùm Deus præcognosceret illum bonum fore, maturavit ut illi hanc gloriam daret, quam postea ex virtute meriturus fuisset, ut qui de opere suo quale futurum esset, præscientiam haberet.* Orat. I. con. Arian. Indidem ex adverso Athanasius incommutabile, adeoque Patri consubstantiale arguit esse Verbum: ne mutabilitatis nostræ ruinas resarcire non satis posset, si & ipse mutabilis esset Reparator: *Dum enim caro in illo primùm sanctificatur, & ipse dicit, sese ut hominem propter carnem, eam gratiam Spiritus suscepisse, factum est ut nos illam ex plenitudine dimanantem acceperimus. Ideoque, Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, additum est in Psalmo, non, ut vos intelligitis, mutabilem Verbi naturam declarans, sed potiùs ejus immutabilitatem ostendens. Cùm enim rerum conditarum natura convertibilis esset, aliique prævaricatione, alii inobedientia peccassent, neque in studiis ulla firmitas subsisteret, adeo ut qui in præsentia justus erat, talis paulò pòst non appareret; ideo inconvertibilis natura requirebatur, quo homines incommutabilem Verbi justitiam, pro forma atque exemplari ad virtutem capessendam haberent.* Vides ut secundæ & medicinalis gratiæ præstantia supra primam, ab immutabilitate Verbi derivetur, cui ut homini ea Orat. 2.

gratia infusa est, non sibi, sed nobis omnibus. Quorsum enim id omne, si Christus quidem immutabiliter justus est, eoque Adamo utpotè commutabili longè antistat: nos autem per Christum non alias consequimur gratias, quàm quales Adamo ante lapsum indulgebantur? Num si res ita habet, immutabilitas Christi justitiæ prodest nobis peræquè fluentibus?

III. Sed tergiversationem omnem sepsit Athanasius, odore aliquo & vigore incommutabilis Christi justitiæ nos aspergi roborarique declarans: ut quanquam lubrica semper & mutabili utamur hic libertate, Christi tamen beneficiis ab æterno in ipso & per ipsum prædestinatis, certissimè liberentur, quicumque liberantur. *Primo enim homine mutato, & morte per peccatum in mundum introgressa, necesse omnino fuit secundum Adam immutabilem esse, quo si denuò serpens illum invaderet, impostura illius vim nullam & efficaciam haberet. Ideo enim serpens in conatibus suis elanguescit, & viribus destituitur, quia Dominus est inconvertibilis & inalterabilis. Sicut enim prævaricante Adamo in omnes homines peccatum dimanavit, ita quoque Domino homine jam facto, & serpentem evertente, in omnes homines istiusmodi vigor dimanavit.* οὕτω τοῦ κυρίου ἰχύσαντος, ἡ τοιαύτη ἰχὺς λοιπὸν εἰς ἡμᾶς διαβήσεται. Vides victricem illam Christi virtutem & vim qua serpentem superavit, in nos transmeare, ideoque gratiam Christianam id habere ab immutabilitate Verbi incarnati, ut prædestinationis effectus, & victoria finalis de serpente frustrari non possit, quo privilegio carebat gratia Adamo & Angelis primùm concessa.

Ibidem.

Ista ergo solertia fuit divini in nos consilii, ut gratiam Christus non sibi, sed nobis acciperet, quam ei nulla vis, nulla nobis in ipso extorqueret. Illam enim dum per se in nos traiicit, sua immutabilitate inurit, & ita in nos invictam transfundit. Unde ibidem paulò antè: *Si Deus est & thronus regni æternus est, quid habet Deus, in quo perficiat? Jam si suus est Spiritus, Spiritusque de eo capit, & ab eo emittitur, non utique Verbum, quatenus Verbum & Sapientia est, à Spiritu inungitur, cùm is ab eo donetur. Sed caro assumpta ab illo, illa est quæ ab eo & in eo inungitur, ut sanctificatio quæ in Dominum ut in hominem infertur, in homines deinde omnes dimanaret. Non enim à se, ut ait ille, Spiritus loquitur, sed Verbum est à quo Spiritus in dignos confertur.* Labat totum istud sapientiæ Christi sacramentum, si inamissibilem ipse Spiritus gratiam homo hominibus infundendam accipit, at illam deinde hominibus utendam abutendamque & æterni propositi eventu frustrandam committit. Quorsum enim illa prævertendæ similis ruinæ sollicitudo, quorsum immutabilis gratiarum omnium custodis anxietas, si ad extremum tam præclari apparatus obiiciantur volucri ludibria vento, aut libertati permittantur, quodlibet vento voluciori? *Non Verbum quatenus Verbum meliorationem accipit. Habet enim omnia & perpetuò habet. Sed homines sunt qui initium accipiendi in illo & ab illo obtinuere. Quapropter cum ipse humano more inungi memoratur, vos estis & nos sumus qui in eo inungimur. Ideo cum ille baptizaretur, nos eramus, qui illum baptismum consequebamur. Ego, inquit, gloriam quam dedisti mihi, dedi illis, &c.* Non in incertum jaculabatur Christus, nec mysteria sua in auras jactabat, cùm homines in se gestabat, in se sanctificabat, in se inungebat. Certò itaque sciebat quos gestaverat, quos sanctificaverat in se, & in seipso inunxerat, ab illis se repudiatum non iri. Gestabat enim & inungebat, quos ei Pater dederat, de cujus manu nemo potest rapere. Utique Augustinus ex Pauli officina hoc promp sit argumentum pro gratia ineluctabiliter efficaci, quòd quę promisit Deus, potens sit & facere: quę promisit Deus, Dei sit omnipotenter efficere: utque filios Abrahæ & Ecclesiæ ac semen Christo promisit, ejus sit omnipotentiæ, semet exerentis, non aliunde pendentis, non obnoxiæ voluntatibus hominum fidem suam liberare. Ita sanè non gestaverit in se, non sacramento suo inunxerit Christus, nisi à Patre suo ineluctabiliter ad se trahendos, & sive ad æternam, sive ad temporalem justitiam prędestinatos.

IV. Idem alibi Athanasius urget acriùs: *Si ob vires suas, per quas id potuit Deus, verbo edixisset, & ita maledictio aboleretur, imperantis quidem potentia in conspicuo pateret: homo tamen ejusmodi effectus fuisset, qualis Adam ante prævaricationem fuerat, extrinsecus accipiens gratiam, non eam suo corpori adglutinatam tenens.* Redundantia ista gratiæ Christi præ primigenia Adami ita exprimitur, ut quæ non adventitia, non peregrina, ideoque repulsæ patens & abiici facilis sit; sed vernacula & indigena, altissimèque irradicata naturæ nostræ: Verbo ipso gratiarum omnium fonte, naturæ nostræ inserto. Pergit ibidem Athanasius: *Talis siquidem antea fuit cum in Paradiso collocaretur, forsitan etiam deterior evasisset, ut qui jam prævaricari didicerat. Quod si evenisset ut à serpente deciperetur, iterum opus fuisset Dei loquentis imperio, & eo modo necessitas ejus rei in incertum recurrisset.* Ubi vides Deum semel experiri voluisse in Adamo libertatis nostrę nutabundæ lubricum; deinceps autem non in incertam rursus aleam coniicere nostræ salutis consilia, sed inconcussis ea superstruere fundamentis. At si tota hominum omnium salus non alio gratiæ fulcimento nititur, quàm lubrico & versatili frustrabilique per libertatis summæ incertum, iterum fluctuamus in eodem salo. *Ne igitur illud fieret, mittit Pater Filium suum, &c. Omnes in eo renascuntur, ut liberi jam à peccato, & ea quæ per peccatum fit malectione, verè permaneant in æternum, à mortuis excitati, & immortalitate ac incorruptibilitate induantur.* Ita planè corpus nostrum à Christo liberatur, ut non restituatur illi immortalitati, qua potiebatur Adamus, sed non paulò præstantiori: etsi ea protelętur omnino ad sæculi exitum. Ergo & gratiæ comparem nobis exuberantiam comparavit, quæ in futurum quidem tota expectatur; sed quia interim ex parte præsumitur, plenitudinis rivulus irrigari interim debet nobis, non degener disparque; id est, quo fiat ut peccare nolimus, etsi possimus, consecuturi demum plenitudinem, qua fiet ut nec possimus; ut irroratio interim gratiæ amburat voluntatem peccandi, plenitudo postea exurat & potestatem.

Orat. 3. cõt. Arian.

Idem ibidem infrà copiosiùs Athanasius: *Dominus fundavit me initium viarum suarum. Quantùm ad humanitatem fundatur, ut & nos super eum, velut lapides pretiosi inædificemur, &c. Ita enim nostri gratia fundamentum efficitur, cùm quæ nostra sunt, accipit; ut nos concorporales coaptatique & colligati in eo per similitudinem carnis, in virum perfectum evadentes, immortales incorruptique permaneamus, &c. Creans enim nos bonos per Verbum suum Deus, prospiciensque prævaricatores nos futuros, &c. jam antea instituit in Verbo suo nostræ salutis procurationem, &c. Id Paulus docet, Deus qui nos liberavit, &c. non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora æterna, &c. Sicut elegit nos sibi ante jacta mundi fundamenta, ut sancti essemus & immaculati coram ipso, prædestinans nos in adoptionem, &c. Quomodo igitur elegisset nos antequam fieremus, nisi ut ipse dixit, in ejus animo jam antè præfigurati delineatique fuissemus? Aut quomodo omnino priusquam homines crearemur, nos designasset in adoptivos filios, nisi ipse Filius ante ævum fundatus fuisset, suscepta nostri procuratione? &c. Aut*

&c. Aut quomodo ante æterna tempora acciperemus, nondum conditi, nisi in Christo Jesu dona gratiæque reposita fuissent, quæ ad nos pervenirent? Ideoque in Judicio dicit, Percipite paratum vobis regnum à mundi constitutione. Quomodo igitur aut in quo antequam nasceremur, hoc præparatum esset, nisi in Domino, ante ævum in hoc ipsum fundato? Quo nos quasi super eum inædificati, ut lapides bene coaptati, participes reddamur ejus quæ ab eo derivatur, vitæ & gratiæ. Et gratuitam & nullo libertatis humanæ æstu frustrabilem prædestinationem hæc apertissimè adstruunt. Non enim secundùm opera nostra, sed lapsu dumtaxat nostro prævifo, statim Deus in Verbi sui incarnatione constituit novum & inconcussum reparatæ salutis nostræ fundamentum, nosque illi inædificavit, & concorporales effecit, antequam essemus, ante jacta mundi fundamenta: nempè æterna sua prædestinatione. Quod factum autem à Deo est, irritum infectumque non potest fieri. Diffingi non potest structura propositi æterni, quam Verbo suo ceu fundamento superstruxit, nequa rursum vi concuti aut labefieri posset. Pauli verò testimonia & verba ipsa usurpat Athanasius, eodem prorsus sensu & consilio quo Augustinus, prædestinationis in Christo nostræ arcana retegens, qua prædestinavit nos Deus non secundùm opera nostra, operumve præscientiam suam, sed secundùm propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo ante tempora æterna; non quia eramus, sed ut essemus sancti & immaculati: & has omnes gratias in Christo præfundavit Deus, ut Verbi incommutabilitate fulciretur nostra salus, nec de ruina consimili rursum periclitaretur. Inaniter autem hæc omnis grandiloquentia concrepabit, & in auras vanescet, si nihilo fundatior nunc nostra sit salus quàm antè, utpote omnibus Christi auxiliis æquè titubantibus, & in nostræ libertatis æstuoso vado plerumque naufragantibus. Quo fundamentum illud præstrueretur inexpugnabile, Verbum ipsum, si virtus & efficacia ejus omnis fundamento alteri fluctuabundo, arbitrio nostro dissipandum permitteretur? Nonne istud esset æternum opus moliri, & ejus fundamentum in aqua ponere? Necessum ergo est ita gratiam libertati conciliari, ut prædestinata gratis in Christo electorum salus nunquam frustretur.

V. Audiamus rursus Athanasium, gratiæ arcana nudantem in ipsa ejus scaturigine, Verbi incarnatione: *Postquam Verbum caro factum est, sibique ut propria vendicavit ea, quæ sunt carnis, non ulterius ea corpus humanum, eo quod Verbum ibi consistat, attingunt, sed ab eo absumuntur. Nec jam inde homines secundum suas passiones, peccatores & mortui permanent: sed secundum Verbi potentiam resurgentes, immortales & impassibiles perseverant, &c. Etiam cæteras affectiones corporis non incongruenter in seipsum transposuit, ut jam deinceps non ut homines, sed ut eos quos sibi proprios & ut suos agnoscit Verbum, æternæ vitæ consortes efficeremur, &c. Quasi caro nostra non amplius terrena, sed rationalis facta sit, & ut sic dicam, Verbificata, ob rationem, seu Verbum, quod nostri causa caro factum est.* Nisi Christi beneficiis invictissimè liberentur, quicumque liberandi prædestinati in ipso sunt, quorsum hęc verborum gloria? Si per Christum non aliam consequimur gratiam, quàm ejus similem in quo conditus est Adam, à libero arbitrio mendicantem quodammodo vires suas, aut saltem suam efficaciam; num potest dici caro nostra à vitiis intacta, imo inaccessa ob insitum sibi Verbum? Num proprii jam sumus Verbi, ut ab eo vendicati, & in ejus censum transcripti? Ergo necessum est aliquam profiteri Dei voluntatem & gratiam, efficaciorem ea quæ primo parenti affuit, nempè ex incarnatione Verbi Dei scatentem, qua nos sibi ille vendicet, sibi mancipet, suos efficiat, sua sibi membra invictissimè asciscat & tueatur. Et ne tantę rei cardo lateat, ut una Dei & hominis persona est, quòd humanam naturam sibi Deus vendicet, suam sibique propriam efficiat, suo juri, suoque censui illam ascribat; & ei fundamento, ei indissolubili copulæ Dei & hominis nostra prædestinatio, nostra salus innititur: nempè hoc ex fonte manat ejusmodi gratia, quæ nos quoque Verbi proprios efficiat, ut propria membra ei coaptet, spontaneos quidem, & peccare compotes, imo & subinde peccantes, sed invictissima tamen Verbi omnipotentis virtute & sapientia, membrorum omnium plenitudinem Verbo coaptet.

Orat. 4. cōt. Arian.

VI. Hanc efficaciam Christi gratiæ propriam alibi Athanasius commendat luculento hoc argumento: *Ecce tibi rem planè admirabilem. Quem enim veluti per pavorem loqui existimant Christum, perduelles hæretici, hic suo, ut arbitrantur, timore audacissimos & intrepidos homines effecit, &c. Cæterum ex sanctorum Martyrum tolerantissimo proposito & fortitudine, ostenditur deitatem non fuisse in timore, sed nostrum illum fuisse timorem, quem sustulit Salvator. Ut enim morte mortem abrogavit, & humanis omnia humana: sic apparente timore nostrum timorem ademit, illudque effecit, ne homines mortem timerent.* Et alibi: *Quod enim humanum patiebatur corpus, hæc eadem Verbum quod corpori conjunctum erat, ad se referebat; ut nos liceret Deitatis Verbi participes fieri. Ipse incorporeus in corpore visibili existebat, corpusque vicissim Filium Dei impatibilem retinebat, absumentem corporeas infirmitates. Ideo autem istud agebat, ut nostra susciepiens, & offerens in sacrificium absumeret, ac deinde suis nos circumvestiens, &c.* Gloriosiùs quàm constantiùs hæc omnia jactantur, si pavorem, si gravissimas cæteras perturbationes nos adhuc vincimus nisu nostro, etsi non sine Dei auxilio; non autem ille vincit insuperabili auxilio, cum aliquo tamen & assensu & adnisu nostro. Ergo vincit libertas non sine gratia, si principatur gratiæ libertas: vincet gratia non sine nostra libertate, si illæsæ libertati suaviter, sapienter, sed & ineluctabiliter dominetur. Ut ergo pavorem nostrum vicerit, ut absumpserit, ut exusserit suo pavore Christus, ut suo nos convestierit robore infracto, necesse est efficacius & imperiosius ab eo in nos adjutorium conferri. At si totum pendet à nutu versatilis nostræ voluntatis, nondum ille tum vicit in se nostras perturbationes, nondum superavit, & improvidè forsan illi Athanasius de hoste nondum superato fortassis nec superando, certè nostris æquè vel nostris magis viribus superando triumphum decreverit. De summa enim salutis hìc agitur, non de quolibet actu, in quo & gratia sæpè frustratur. Quorsum autem Verbum Deum accersere & nostræ implicare causę, & de eo tantoperè nobis blandiri, & jam animo, jam certa spe præsumere victoriam, si hæc tam præclara cœpta procelloso deinde committuntur pelago, & libertati ut plurimum in imum pręcipiti? Num quia Deus ante & gratia sua Adamum ornaverat, & auxilio ad perseverandum non deerat, an ideo jam tum in antecessum serpentem vicerat, & terrenæ voluptatis illecebras superaverat, & de hoste domito triumphabat? Neutiquam sanè: ut exitu patuit. Si & Christus ergo similiter eandem gratiam, nihiloque invictiora nobis promeruit auxilia, nec ipse dicendus est timorem, affectusque omnes & vitia nostra superasse, palamque traduxisse. Sed necessum est immaniter distare, inter vires quas homini suppeditat fons gratiæ exterior, & interior; adventitius, & insitus; extrinsecùs irrigans, & ex intimo scaturiens. Adamum Deus gratia sua irrorabat supernè, homini Christo Verbum semetipsum gratiam inexhaustam & inexsuperabilem medullitus infudit & indissolubiliter illigavit. Cæterùm dilucidum est, victoriam de animi perturbationibus, & de omnibus vitiis illam esse ve-

Ibidem.

Epist. ad Epict.

ram,

ram, illam ab Athanasio & Cyrillo laudatam, quæ justificatorum propria est, in quibus vivit & dominatur Christus, in quibus vincit Christus. Qui enim sub peccati jugo adhuc jacent, non illi vitiorum & cupiditatum verè victores sunt. Non enim cupiditates vincit nisi charitas, ex Augustino.

VII. Denique Athanasius ibidem nubilum omne abstergit, horum verborum luce plusquam meridiana: *Ipse sibi quasi data confitetur Deus Verbum, quæ humanitus acceperat: ut eo qui Dominus erat accipiente, & donatione istarum rerum residente in ipso, gratia ipsa firma permaneret. Nam quod merus homo accipit, id ei eripi potest, cujus rei specimen in Adam vidimus, quippe qui illud quod acceperat, perdidit: ut autem gratia inademptibilis esset, firmaque hominibus custodiretur, ea de causa hanc donationem ut propriam sibi arrogat, dicitque se potestatem accepisse ut hominem, quam semper habet ut Deus.* Et mox: *In summa id ubique animadvertendum est, nihil eorum quæ dicit, se accepisse, ita accepisse, quasi non habuisset; habebat enim illa, utpote & Deus & Verbum; nunc autem dicit, humanitus se accepisse, ut carne ejus in ipso accipiente, in posterum ea ex carne illius in nos firmiter possidenda traderentur.* Si æquè conditionata est nunc nostra prædestinatio, si salus ex parte Christi & gratiæ nihilo tutior est, atque Adami erat ante lapsum, inanis hæc est Athanasii pompa verborum. Nam Christus quidem impeccantiam nactus erit. Sed quorsum id ad nos? An Verbum exinanitum est, ut singularem illam humanitatem sua immutabilitate & gloria bearet? Non sibi, sed carni suæ, nec singulari carni suæ, sed per eam humano generi consultum voluit tota sua temporali dispensatione.

Orat. 4. cont. Arian.

An volent Adamum peccato suo gratiam & nobis & sibi excussisse, Christum peccandi insolentem, adeoque non dilapidaturum gratiam, sed hominibus omnibus sibi adhærescentibus impartiturum, & nihil præterea? At contra ita Christus firmior quidem ipse fuerit quàm Adamus, sed nos multò imbecilliores, & gratia nostra imbecillior quàm Adami. 2. Ita nos Christus ne eo quidem loco restituerit quo excideramus, nedum sublimiori, cum nonnisi eadem nos donaverit gratia; tantis interim undique ingruentibus periculis vallatos. 3. Multò intutior nunc quàm Adami salus foret, nedum firmior gratia, nedum inademptibilis. Tunc enim unius Adami lapsus erat pertimescendus, nunc singulorum, & quidem vehementer imbecillium. 4. Non sumus in Christo prædestinati, sicut nec in Adamo, si nulla gratia Christiana efficacior sit, quàm Adami. Illa sufficiebat saluti, non eam certò efficiebat, ideo nemo per illam prædestinatus est; de hac quam Christus infundit, similiter habebit, si salutis sufficiens, non efficax auxilium sit. 5. Non vicerat Deus serpentem, per gratiam Adamo datam, quia invicta non erat ea gratia. Ita nec Christus serpentem vicerit, aut non nobis certè vicerit, qui ut sibi vinceret, nihil opus habebat, nisi invicta ad eum superandum addat auxilia. 6. Nostrum timorem, nostras perturbationes omnes non vicit in seipso Christus, si toto ejus adjutorio armata libertas nostra adhuc vincitur. 7. Non fecit nos sibi Christus concorporeos, non cruci secum affixit, non contumulavit, non immortali vitæ, non cœlesti throno secum intulit, si hæc omnia incerta adhuc pendent, & in irritum forsan casura sunt, nostræ libertatis bilance in sequiorem partem propendente, & minùs efficaces gratias irritante. 8. Nihilo magis nunc victor diaboli erit Deus quàm ante lapsum hominis, & alio reparatore opus habebit, ad primi reparatoris imbellicitatem supplendam, si non jam Adami secundi, sed posterorum & sequacium ejus omnium perfidia oblatam respuat gratiam, & divinum ludificet rursus consilium de humani generis salute.

VIII. Ab Athanasio ad Cyrillum defluimus, ejus doctrinæ studiosissimum. Et primùm ille quàm addictus fuerit Augustinianæ de gratia & prædestinatione sententiæ, abundè nobis prodet hoc loco in Evangelium Joannis, ubi Christum pro mundo non rogasse, & tamen pro totius mundi peccatis propitiatorem esse ita declarat, ut verba ipsa ex Augustino mutua accepisse videri possit: *Non pro mundo rogo. Obiiciet forsan aliquis, Salvatoris vocibus non debet adversari dictum discipuli. Dominus autem Jesus Christus palam hic videtur negare se pro toto mundo rogare. Sapiens autem Joannes ait contrarium: Non enim habemus advocatum, & propitiatorem pro peccatis nostris solùm Salvatorem, sed etiam pro universo mundo. Quæ sit ergo hujus objectionis solutio, non est explicatu difficile. Quia enim B. Joannes Judæus erat & ex Judæis, ne qui forsan existimarent Dominum pro Israelitis tantum advocatum esse apud Patrem, pro aliis verò gentibus quæ per universum sparsæ sunt, non item, quamvis fide apud ipsum conspicuæ futuræ essent, & brevi ad agnitionem salutis vocandæ, necessariò dicit, non pro solis Israelitis propitiatorem fore Dominum, sed pro universo mundo; hoc est pro iis, qui ex omni gente ac genere vocandi erant per fidem ad justitiam & sanctificationem.* Ubi vides à Cyrillo æquè ut ab Augustino efficacem Christi orationem, redemptionemque, adeoque & efficacem salvandi voluntatem divinam & gratiam, universo mundo communicari, eo sensu quo mundus quandoque dicitur grex electorum, ex universi orbis partibus, ætatibus, generibus segregatorum, hoc est, generibus singulorum, non singulis generum, de quo infrà.

L. 11. p. 967.

IX. Sed omnem cavillandi facultatem præripit Cyrillus cùm gratiæ primigeniæ & nostræ hoc discrimen cum Augustino interponit: *In primo autem parente omnis quidem aptitudo inerat, deferens facultatem ad amplectendam virtutem, non tamen omnino energia, sive operatio ipsa aderat. Idcircò Christus de nobis, sive de propriis suis ovibus dixit: Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Redditum enim est humanæ naturæ id quo Adam ab initio præditus fuerat, nempe sanctificatio. Hoc verò abundantius mea quidem sententia significat, quod actu ipso sancti esse cernamur, quodque operibus ipsis illustres declaremur.* Ex voce ipsa veritatis philosophatur, abundantiorem gratiæ copiam per Christum ipsum fuisse importatam, quàm qua per peccatum primi parentis exuti fueramus. Venisse se enim Christus ait, *ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Hæc autem ubertas plenior gratiæ Christi in eo ponitur à Cyrillo, quod Adamo adesset πᾶσα ἐπιτηδειότης, aptitudo omnimoda: φύσις ἔχουσα ἐπιτηδείως, natura apta disposita ad virtutem: non autem ἐνέργεια, id est, actus ipse; Christus autem advexit nobis ceu cumulum bonorum, ipsam energiam, seu efficientiam & operationem virtutis. Si paululum facessat cavillandi libido, ipsissima hæc est auxilii sine quo non, & auxilii quo distinctio apud Augustinum; alterius nempè quo fieret ut perseverare posset Adamus si vellet, non quo fieret ut perseveraret: ea sanè est Cyrillo, aptitudo omnimoda: alterius quo fit ut Christianus non tantùm perseverare possit si velit, sed etiam ut velit, & perseveret; quæ Cyrillo vocatur energia, & gratia Christi exuberantior. Illo donari auxilio decebat sanum & robustum; in tanta nempè bene vivendi facilitate, juxta Augustinum: tanta aptitudine, juxta Cyrillum: istud verò infirmis servari, ut Deo donante, invictissimè quod bonum est, velint, & hoc deserere invictissimè nolint. Ex eo autem duplicis auxilii discrimine, duplex etiam perspicuè colligitur ratio prædestinationis; altera secundùm præscientiam meritorum & conditionata, qualis in statu innocentiæ locum habuit; altera secundùm electionem gratiæ in Christo absoluta, citra ullius meriti prævisionem.

Adv. Anthrop. l. 1. c. 10.

Ecqui

Ecqui autem consentaneum fuerit, ut à Christo proflueret ejusmodi gratia abundantior, firmiorque, quæ non meram possibilitatem daret, sed invictissimè faceret, ut vellet homo bonum, & in bono perseveraret: declarat alibi Cyrillus, per omnia concinens suprapositis Athanasii decretis. Nempè mutabilis erat Adamus, ideo aptitudine, pronitate, facilitate ad bonum ingenti præditus erat, non autem immutabiliter justitiæ affixus. Quocirca & ab ea resiliit sua sponte. At Deus Verbum suscepta reparationis nostræ provincia, immutabilitate sua & indeflexa justitia perfudit rivulos gratiæ à se promanantis, auxilia impartiens, quæ non meram possibilitatem, sed efficientiam præstet, & electos invictissimæ sanctitati & justitiæ astringant. *Primus parens noster Adam mutabilis fuit naturæ, quique interdum quidem justitiam amaret, & iniquitatem odisset; interdum vero in contrarium habitum transiliret. Cùm enim hoc proprium sit naturæ mutabili, seductus fuit à diabolo. Cum verò ad curandum hunc morbum, necessarium esset, ut Dei Verbum immutabile, seipsum pro nobis diabolo opponeret, ut quemadmodum per illius mutabilitatem victi eramus, ita per immutabilitatem Verbi vincamus. Idcirco ungitur, utpote semper & immutabiliter justitiam diligens, quique mutari nequeat.* Non sibi, sed nobis vicit Christus; immutabilitatem suam non sibi explicuit, sed nobis fœneratus est: nos etiam diabolum *per immutabilitatem Verbi vincimus*, ut loquitur Cyrillus. A Christo ceu nostra radice meliore, in nos tanquam pullulantes inde palmites effluvium quoddam & odor indeflexæ illius in bono constantiæ expiratur. *Primogenitus propter nos, ut tanquam immortali cuidam radici, omnis creatura insita, & ex eo qui semper est, germinet.* Et alibi: *Ut videlicet sancti atque incorruptibiles nos in ipso maneamus, ex ipso, tanquam ex principio & radice secunda, in nos transmissa gratia.*

Thesaur. pag. 198.

Thesaur. pag. 218. Dial. quod unus sit Christus. pag. 715.

X. Ut corporis immortalitatem, ita animæ sanctimoniam longè stabiliorem nos per Christum consequi, quàm qua eramus in Adamo prædonati, idem alibi consequenter Cyrillus disputat. De corporis immortalitate omnes consentiunt. De sanctitate & gratia, idem ex consequenti, idem ex eadem Verbi immutabilitate concludit ille in hunc modum: *Quemadmodum caro posteaquam Verbi omnia vivificantis propria facta est, mox omni mortis & corruptionis imperio superior evasit. Sic anima, ut ego quidem sentio, posteaquam illius effecta est qui peccatum non novit, è vestigio statum firmum ac in omnibus bonis stabilem, peccatoque quod olim in nos tyrannidem exercebat, multis partibus potentiorem nacta est. Christus namque primus solus in terra ex omnibus peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui unus proinde positus est tanquam radix & initium quoddam cunctorum, qui in Spiritu ad vitæ novitatem instaurantur: & corporis immortalitatem, atque eam quæ ex divinitate proficiscitur securitatem ac firmitatem, secundum quandam gratiæ communionem, in universum genus hominum transmittit.* Hanc firmitudinem gratiæ & sanctitatis ex immutabilitate Verbi efflorescentem, non in uno Christo circumscribit Cyrillus, sed ejus in aliquod consortium fideles vocat, *secundum quandam gratiæ communionem*. Regenerabuntur per Christum aliquando & corpora nostra, nempè non in illam Adami, sed in aliam multò præstantiorem immortalitatem. Ergo cùm jam hinc incipiant animæ nostræ per Christi gratiam regenerari & reviviscere, eas par est resurgere in primitias quasdam vitæ & gratiæ constantioris firmiorisque, quàm erat Adami gratia.

L. de recta fid. Pa. 18.

XI. Sacramentum universæ Ecclesiæ circumgestabat Christus, & in seipso demonstrabat, carnique suæ prærogabat ea gratiæ ornamenta, quorum membra sua omnia aspersurus erat aliqua participatione. Passiones ergo carnis, & carnem eùm suscepit, non peccatricem, sed carni peccatrici consimilem, id nimirum membris suis quasi oppigneravit privilegium, ut & eorum carnales passiones, & habitans in mortali carne peccatum per Verbi omnipotentiam & immutabilitatem subjugaret. *Quærendum quo pacto damnavit peccatum in carne, misso Filio suo Pater in similitudinem carnis peccati. Eum quippè tametsi Deus sit secundum naturam, & ex ejus substantia genitus, & immutabilitatem proprietatis ejus naturaliter habeat, proindeque in peccatum labi nesciat, aut in vitium deflectere: in peccatum tamen carni subjectum descendere fecit ultro, ut ipsam carnem suam effectam, ad proprietatem suam transferret, id est, peccati exortem faceret. Nec enim æstimabimus, si mens sana nobis sit, Unigenitum factum esse hominem, ut suo templo solum id præstaret. Quomodo enim ejus adventus ad nos magnificentia & utilitas pateret, si suum dumtaxat corpus servasset? Sed credemus potius Unigenitum factum esse hominem, ut qui naturæ universæ per seipsum & in seipso primo, tanquam in humanitatis primitiis, bona vendicaturus esset. Quemadmodum enim non mortem solùm, sed universas carnis passiones secuti sumus, idque nobis in primo homine contigit, tum propter prævaricationem, tum propter divinam maledictionem: eodem opinor modo sequemur omnes Christum, servantem multipliciter & sanctificantem carnis naturam in seipso.*

In Ev. Joan. l. 9. p. 820.

XII. Idem confirmat Cyrillus hoc argumento insuper. Afflaverat Deus primo parenti Spiritum sanctum, quem statim ut adventitium & peregrino quodammodo domicilio incubantem exegit transgressio. Ergo ut huic cladi mederetur Deus Verbum, Caput hominum & homo fieri constituit, & ita naturæ humanæ, hoc est, jam suæ, Spiritum sanctum, ut suum & sibi proprium indivulsè conglutinavit. Spiritus enim Christi in corpore Christi, in Capite & in membris, non quasi in extrinseco quodam hospitio divertit, sed ut in proprio sibi domicilio commoratur, nulla adeo vi, nulla tempestate abigendus. *Proprius est Filii Spiritus, neque extrinsecus emittitur, sicut nobis à Deo suppeditatur: sed inest naturaliter ipsi, quemadmodum & Patri. Dicitur autem accepisse, quatenus homo factus est, &c. Tota quippe natura in Christo reperitur in quantum homo est, &c. Sic & Pater cùm proprium Spiritum habeat, eum tamen dicitur dare Filio, ut nos in eo Spiritum lucremur. Accipit ergo Unigenitus Spiritum sanctum, non sibi ipsi, est enim ejus, & in eo, & per eum datur; sed quoniam homo factus totam habebat in se naturam, ut eam omnem instauraret. Postquam enim progenitor Adam Spiritus amisit gratiam, diaboli fraude in peccatum abreptus, adeoque natura universa in eo divini doni jacturam fecit; de cætero Deus Verbum mutationis expers homo factus est, ut acceptum illud bonum, tanquam homo, deinceps naturæ stabile ac firmum retineret.* Et paulò infrà: *Ergo factus est homo sicuti nos Unigenitus, ut in ipso & primo rediviva bona fundataque Spiritus gratia, toti deinceps, ut par est, naturæ sarta tecta custodiretur, velut commodante nobis propriæ naturæ stabilitatem Unigenito & Dei Patris Verbo, natura hominis jam in Adam condemnata ut mutabili, & in lapsum ac errorem prona.* Vereor ut nugatoria & ventosa sint hæc omnia, si non alio Christus donat mortales auxilio gratiæ, quàm illo prisco, & quo Adamus utebatur, quocum lapsus est. Nihilo enim magis firma & stabilis, aut perseverantiæ suæ secura nunc erit per Christum, quàm tunc fuit in Adamo humana natura: quamvis mutabili & peccante Adamo, Christus in immutabilitatis & impeccantiæ suæ fastigio beatus persistat. Si immutabilitatem sibi suam habet Christus homo & uni sibi, qui ergo quæ accepit, non sibi, sed nobis accepit? qui in eo

In Ev. Joan. l. 5. p. 472.

Pag. 473.

erat

erat naturæ nostræ universitas, si inexpugnabilem boni constantiam sibi uni servat? Si nostræ nos mutabilitati peræquè permittit ut prius, qui ergo dicitur suam nobis commodasse immutabilitatem? Qui Spiritum jam suum & à se indivulsum habens, accepit tamen nobis, ut & nobis individuus insideret, si æquè frustrabili gratia Spiritui sancto adhæreamus? Efficaciorem ergo gratiam & absolutam à meritorum contemplatione prædestinationem constituit Cyrillus, cùm hæc toties post Athanasium inculcat: *Quoniam ergo primus Adam gratiam sibi à Deo datam non servaverat, destinavit nobis cælitus secundum Adam Deus & Pater. Mittit enim in similitudinem nostri suum Filium, natura sua mutationis, & alterationis expertem, & peccati prorsus nescium, &c. Cùm homo factum sit Dei Verbum, Spiritum à Patre accipit ut unus è nobis, non sibi aliquid specialiter accipiens, erat enim largitor ipse Spiritus; sed ut acceptam naturæ nostræ conservaret ut homo, & rursus radicaret in nobis gratiam, quæ recesserat, is qui peccatum non novit.* (l. 1. in Ev. Jo: pag. 113.)

XIII. Postremò denique Cyrillus specialem aliquam esse Electorum gratiam, quæ non omnibus ex æquo detur, sed ex proposito absolutæ, gratuitæ & æternæ prædestinationis, in Electis tum conversionem, tum perseverantiam perficiat, demonstrat ex oratione Christi aliqua similiter speciali, quæ istiusmodi voluntati alicui divinæ utique consentiebat, & id genus gratias efficaciter impetrabat: *Dominus noster Jesus Christus legitimos à spuriis secernens, & qui divinos ejus sermones audiunt, cordisque cervicem subiiciunt, & se quodammodo Dei servituti mancipant, ab iis qui contumaci & præfracta indole offendunt, pro iis solis rogare se convenientius dixit. Quorum enim mediator & Pontifex est, iis tantùm bona mediationis largienda putabat, quos etiam sibi datos esse ait, &c.* (In Evan. Jo: L. 11. p. 962.) Non poterant Christi preces non exaudiri, cùm ipse oraret, ipsemet exaudiret: ibidem paulò antè: *Qui rogat igitur ut homo, simul distribuit ipse ut Deus.* Specialis ergo hæc oratio Christi, pro iis quos non sua probitas, sed Pater dederat; specialia etiam gratiæ auxilia illis infudit, qua fieret ut & divinos sermones audirent, & cordis cervicem subiiceret, & servituti se manciparent. Si enim hæc tanta illi præstare potuissent, citra beneficia orationum Christi, potuissent perinde & totum pietatis curriculum perficere.

XIV. Cumulus lucis aliquis accedet antedictis ex enucleatione locorum aliquot Cyrilli, qui corticem solum lambentibus videri possent contrarium aliquid sapere. *Dicimus Deum ex monte quodammodo, hoc est, è sublimi & divina præscientia prævidere eos qui studio bono ac fide investigant ipsum, juxta id quod à Paulo dictum est, Quos præscivit & prædestinavit conformes imaginis Filii, hos & vocavit. Sublevat ergo Christus oculos, quo significat eos qui diligunt ipsum, dignos esse qui à Deo respiciantur.* (In Evan. Jo: l. 1. pag. 171.) De gratia subsequenti exponi hæc & hujusmodi alia necessum est, quæ utique & prædestinatur danda secundùm præscientiam obsequii, quo quis gratiæ prævenienti morem gessit: & datur in tempore iis qui morigerati fuerint prævenienti, & vocanti gratiæ. Si hæc enim de gratia prima & præveniente capias, jam in Pelagiana retia Cyrillum coniicis, & in ea ipsa deliramenta, à quibus usque adeo abhorrescebat Orientalis Ecclesia, ut in Concilio Palæstino ea Episcopi Græci execrati illico sint, & nisi ea execrantem Pelagium non absolverint. Deinde an Cyrillus censebit, à Deo præsciri, prædestinari, & respici eos qui diligunt ipsum? An etiam dilectio Dei nostrarum erit virium, & ea gratiam Dei quamcumque præveniemus? Nec Semipelagiani usque adeo insanierunt. Ad hæc ibidem mox Cyrillus absterget à se suspicionem tam iniquam, *Dabit Christus cælestes escas, multiformem Spiritus gratiam, &c. Accedentibus ad se cibos præparat. Nec expectat dum petant. Quid enim petere nos deceat, nescimus. Sed ipse præveniendo largitur, quæ ad vitam æternam conservant.* Si preces prævenit, prævenit omne prorsus meritum. Si quid nos deceat petere nescimus, nec illud quidem scimus, an ad Christum accedendum sit. Non enim corporaliter ad eum, sed precibus & votis acceditur. Ergo *dignis & accedentibus* ad se Christus largitur gratias *subsequentes;* sed ut digni sint & accedant, ipse *præveniendo largitur;* & temporali huic executioni æterna consonat præscientia & prædestinatio. Quando ergo apud Patres istiusmodi occurrunt dicta, dignos præsciri, dignos prædestinari, verissimum id quidem est, sed anteriore alia præscientia & prædestinatione gratiæ iidem Patres vel ibidem vel alibi docent, dignos effici gratia subsequenti per gratiam aliquam prævenientem, quæ nondum dignis collata est. Et ne Vossio vel cuipiam durius id videatur de prædestinatione gratuita, nisi Patrum loca exponentur, non tantùm gratuitæ prædestinationi, quantum gratiæ prævenienti hæc Patrum testimonia pugnabunt, quod ille tamen refugit non immeritò.

Consimilis est alius Cyrilli locus in ea Christi verba, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. Salvator venturum ad se quodcumque Deus ac Pater dederit, asseruit: non quasi ipse sibi afferre potis non sit, nam vel solo nutu id facillimè peregerit, virtute potentiæ, & quod ei subjecta sint omnia, sicut Paulus ait; sed quia necessariò quodammodo dicendum videtur, eos qui in ignorantia versantur, à natura divina illuminari: rursus ut homo eorum quæ Deo magis conveniunt operationem, tribuit Patri, &c. Quemadmodum ad medicum ægrotus adducitur, ut infestum morbum depellat, ita Deum & Patrem ad Filium adducere dicimus eos qui digni sunt salute ab ipso consequenda.* (Ibid. l. 3. p. 316. 317.) Et hic ait *dignos salute* à Patre adduci ad Filium medicinali gratia sanandos, & a Filio persanari. An ergo dignus quis est gratia ante gratiam? Non tantùm prædestinationi gratiæ quàm prævenienti eidem gratiæ ita resistitur. At id nefas est Cyrillo scelus impingere, 2. Qui digni dicuntur salute, iidem dicuntur infirmi, & in ignorantia versantes, à Deo antè illuminandi, à Patre antè perducendi ad Filium. At quæ dignitas est in infirmitate tanta, in mera ignorantia? 3. Gratiæ divinæ efficacitatem hæc & Christi & Cyrilli verba apertè clamant: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. Potens est Filius assumere sibi, vel solo nutu id facillimè potest, virtute potentiæ, & quod ei subjecta sunt omnia. A natura divina homines illuminantur,* Et ideo Patri id quasi proprium omnipotentię monimentum adtribuitur, ut homines ad Filium convertat & perducat. Non potest manifestiùs prædicari gratiæ vis invicta ex parte omnipotentiæ divinæ. Cujusmodi gratiæ cùm innixa sit & annexa absoluta prædestinatio gratiæ, ubi dignos memorat tunc Cyrillus, dignos intelligit, non sua dignitate, sed Dei dignatione.

Apertiora hęc faciet hujus quoque loci perscrutatio: *Oportebat*, inquit Christus ad Judæos, *ab initio omnino vos non alloqui, sed hoc beneficium conferre iis qui parati essent verba suscipere, & cervices Evangelicis verbis subiicere. Significat autem gentium multitudinem. Dicet forsitan aliquis hostium: Si decebat initio non Judæos sed gentes alloqui, ab officio deerravit Filius, cum non hoc sed illud fecit. Cui respondebimus, Jesum non talia dicere, quasi eum suorum vel Patris consiliorum pœniteat. Nec enim Deus quidquam deliberaverit, quod utique fieri non possit, aut debeat. Sed cum ait, Vobis non oportebat initio loqui, nec apud vos salutaris doctrinæ fundamentum quodammodo jacere: veracem se suumque Patrem atque hominum amantem ostendere. Ecce enim licèt impiis atque indignis Judæis salutarem sermonem impertitus est, posthabita Gentium multitudine, quamvis ad* (Ibid. l. 5. p. 511. 512.)

vis ad credendum in eum ac obediendum melius comparata. Quid ergo movit eum, ut duræ cervicis Judæos gentibus præponeret? Ipsis promissionem sui adventus per sanctos Prophetas dederat: ipsis gratia propter Patres debebatur. Denique ait ingravescente Judæorum cæcitate, gratiam ad Gentiles translatam, tum quia ita Deus prędixerat fore, tum *propter promptum quod ipsis inerat parendi obsequium*. Prædestinatio gratiæ manifestissima hic est. Nam Judæis prærogata est gratia, adeoque prędestinata, non propter præscientiam meritorum, cum ex adverso prævidérentur contumaciores gentibus futuri: sed ex misericordia & veritate Dei, qui id antè pollicitus erat, & tametsi prævisa eorum nequitia, id pietati Majorum donaverat. Similiter Gentes dicuntur à Cyrillo *ad credendum & obediendum Christo melius dispositæ*, & tamen tantis seculorum lapsibus prætermissæ à Deo sunt. Ergo ea tunc dispositio earum, aut dignitas ea non erat, quæ meriti in numero esse posset, aut gratuitæ obstreperet prędestinationi: ergo cum postea vocatæ sunt ad Evangelium, gratis vocatæ sunt, gratis ad hanc vocationis gratiam prædestinatę & pręscitę. Si ex justitia enim aliqua & non ex gratia merè indebita pòst sunt vocatæ, injustitiæ ergo antè erat, quòd non vocarentur. Vides quomodo interpretanda veniat ista dignitas apud Græcos Patres; quæ nempè gratiæ & misericordiæ nihil deroget, quæ nisi dignatione divina nihili sit, & nihili fiat à Deo citra iniquitatis suspiciunculam. Id Cyrillus infrà tam constanter confirmat, ut nemo inficias ire possit, nisi frontis perfrictissimę: *Ad cæcum natum sanandum non cujusquam precibus, sed potius voluntariè & sponte sua procedit Salvator, ut hoc signum & documentum statueret, nulla Gentium obsecratione, quippè omnes in errore versabantur, Deum natura bonum, sponte sua impulsum, ut earum misereretur. Quomodo enim quæsisset à Deo misericordiam inconditus ille & multiplex gentium numerus, tanta ignorantia obrutus, ut nullo modo illuminatorem posset intueri? Quemadmodum igitur curatus cæcus non vidit Jesum, misericordia vero & clementia hoc præter spem & expectationem lucratus est: sic & idem Gentibus per Christum contigit*. Et infra: *Immensa benignitate seipsum Gentibus Christus obtulit, & præcognovit potius, quam cognitus est à nobis*.

Ib. l. 6. pag. 601.

L. 6. pag. 664. 665.

XV. Postremò similiter explanandum, quod idem alibi inculcat, ubi ex præscientia meritorum & Angelos ait prędestinatos fuisse ad salutem, & hominem quoque si stare in justitia voluisset, nec id tantum, sed prædestinationem quoque nostram huic similem affirmare videtur Cyrillus. Hoc quippe loco non de prædestinatione, sed de executione prędestinationis verba facit, quæ utique in re sui similis ubique est, cum gloria non nisi bonis meritis reddatur, etsi & antè merita destinata sit, & ad ipsam consequendam post lapsum primi parentis merita ipsa sint à Deo præparata & donata. Ita apertè Cyrillus ibidem suprà: *Et nemo potest rapere de manu Patris mei. Fideles auxilium habent à Christo, cum eos in prædam habere diabolus nequeat. Sive cum habeant indesinentem bonorum usum ac fruitionem, manent in eo, nemine eos à data eis animi tranquillitate, ad pœnam & cruciatus abripiente. Neque enim fieri potest, ut qui sunt in manu Christi, ad supplicium rapiantur, prævalente in infinitum Christo. Manus enim in divina Scriptura pietatem significat. Quòd verò invicta sit Christi manus & in omnia potens, non ambigitur. Nemo potest rapere de manu Patris mei hoc est, mea. Seipsum quippè dicit omnipotentem Patris dexteram, tanquam Patre per eum omnia operante, sicut & ea quæ à nobis sunt per manum nostram operata*. Auxilium Dei quo in Christo manent, à manu, à dextera, ab omnipotentia Dei eruit: quòd *ejus invicta sit manus & in omnia potens*.

In Ev. Joan. l. 9. pag. 730. 731.

ibid. l. 7. & 8. pag. 666.

Omitto alia id genus multa. In Dialogis de Trinitate, ait *quosdam sanctificari, velut in præscientia Dei, prævidentis illos laudabilem & rectam vitam ducendo, idoneos fore participando sancto Spiritui, Cujusmodi fuerint ii de quibus Paulus dixit, Quos præscivit & prædestinavit, &c.* Verùm ut præmonui, eodem ingenio, & aliquantò etiam faciliùs conciliabuntur dogmati prædestinationis gratuitę, atque gratię pręvenientis. In hanc enim primò, & consequenter in illam videtur Cyrillus impetum facere. Quocirca minùs mirum est si nos hęc gemina dogmata, ut verè gemina conjugataque sibi simul tueamur; simul à Semipelagianis oppugnata, simul ab Augustino & ejus sectatoribus defensata, simul etiam Grecis Patribus non inexplorata commonstremus. Illa ergo pręscientia, vel bonorum est operum ex gratia subsequente pullulantium, quibus gratia præveniens & ejus prædestinatio pręstruitur: vel bonorum operum ex gratia pręveniente non sine voluntatis consensu prodeuntium, sed tunc pręscientia hęc non operum tantùm est nostrorum: sed & gratiarum à Deo ad ea elicienda infundendarum.

Dial. 6. To. 5. part. 1. pag. 589.

XVI. Nec calamo tantùm suo Cyrillus æterna statuit gratiæ Christi victrici monumenta, sed & lingua, & passione quadam incruenta. In homilia enim Ephesi habita adversus Nestorianorum & Pelagianorum, qui in eum conjurati sęviebant tyrannidem, hęc tandem ille Epinicia pręcinuit: *Licèt insurgas terribilis & audax, & instar jactabundi Goliath barbaricis furoribus & insolentiis intumescas, vincet tamen Christus. Vincet autem per suos milites, quomodo vicit David quinque lapides in pera habens, &c. Vincet Christus, & ut maximè vulnus infligere queas, adhuc ita vincet. Quod si per injuriam feceris, nolens coronasti. Donatum est enim nobis à Christo, non solum ut in illo credamus, sed ut etiam pro illo patiamur*. Et idem ibidem in alia homilia: *Beatus David eos qui spem suam in Deo defixam habent, animosissimos ostendit, &c. Animus humanus Spiritus sancti consolationibus augescit ad pietatem, confirmatur ad fidem, & infractam acquirit patientiam, &c.* Ita ille invictum gratiæ robur experiendo confitebatur, confitendo experiebatur.

Conc. Ephi par. 1. Act. 6.

XVII. Ut porrò objectiones simul plures elidantur, observa gratiam hìc à me dici illam, quæ vel juxta Augustinum Pauli interpretem datur secundùm propositum Dei, ex massa damnata quos voluit seligentis, & prædestinantis, & Electos suos ad desponsam eis gloriam invictissimis auxiliis perducentis: vel quæ secundùm Athanasium & Cyrillum, idoneos & ipsos Pauli interpretes, ex Verbo incarnato manat, ejusque victrice vi pollet, ad subiiciendum ei orbem terrarum, ad acquirendam ei Ecclesiam, ad corpus novo huic Adæ compaginandum, quem prioris olim Adæ & totius ab eo prognatæ gentis debellator oppugnare possit, expugnare cum tota sua gente non possit, ob insuperabilem Verbi potentiam. Una est ista gratia, quæ secundùm speciale propositum datur, & quæ propriè & specialiter ex Verbo incarnato profluit; propterea quòd non aliter quàm in Christo electi sunt, quicumque sunt, ab eo qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Est enim Christus fons & exemplar preclarissimum nostrę omnium prędestinationis.

Porro hinc liquet gratiam Dei efficacissimam ex vi propositi Dei prędestinantis, non aliam magis propriè esse, quàm conversionis & perseverantiæ: quòd ea sola perficiendæ electorum saluti par sit. Liquet similiter gratiam efficacissimam ex virtute inexpugnabili Verbi inhumanati, non aliam magis propriè esse, quàm conversionis & perseverantiæ Electorum: cùm ea abundè sufficiat ad prędestinata sua Christo membra & Ecclesiæ ejus conglutiz

glutinanda, & tam arctè ei constringenda, ut nullo hostili molimine abrumpi possint.

Verùm ut præter illam efficacissimam divini propositi gratiam, sine qua nutaret prædestinationis effectus, dantur & aliæ complures, vel Electis ipsis, vel cæteris etiam præter Electos, quarum quantacumque vel quantulacumque sit vis, non ea tamen est, quæ necessariò cum proposito Dei cohæreat: ita prorsus & in Christi gratiarum dispensatione usuvenit. Præter illam enim efficacissimam, qua electa sua ei membra adgregantur, & sine qua iterum de universo genere humano, & perinde de Christo atque de Adamo triumphos agere posset diabolus: fluunt complures aliæ gratiæ à Christo, sive ejusdem, sive disparis efficaciæ; sive in membra ejus, sive in alios homines: sed quæ non necessariam habeant connexionem cum ea Christi incommutabili virtute, à qua juxta Dei propositum necesse est sempiternam reportari de nostro olim victore victoriam.

Frustra sunt ergo qui hinc aucupantur ansam invictæ cujusdam efficaciæ omnibus gratiæ auxiliis vendicandæ. Cùm enim victrix illa vis erumpat, vel ex proposito Dei Electos suos ad salutem insuperabiliter protrudentis, vel ex immutabili Verbi virtute orbem sibi subjugante, Ecclesiam sibi suam, corpus suum sibi coagmentante; non extra hos limites, vel à Paulo, vel ab Augustino, vel à Cyrillo & Athanasio ista insuperabilis gratiæ potestas ampliata vel à nobis amplianda est. Non ad actus ergo singulos, sed ad solam sive conversionem sive perseverantiam effundenda est: vel ad graviores tentationes superandas, & ad actiones aliquas heroicas, quæ & ipsæ illigatæ sint, vel conversioni, vel perseverantiæ usque in finem.

CAPUT XII.

Gratia præveniens, gratia conversionis & perseverantiæ effectrix, gratis ab æterno prædestinata, ex Chrysostomo demonstratur.

I. Quanti intersit inanes exsufflari rumusculos de Chrysostomi, & Augustini dissensione, cum ex adverso prorsus consentientes fuerint, ut ex antedictis patet.

II. Nova ad id argumenta, ex operibus Chrysostomi deprompta, pro gratia preveniente, pro subsequente, eaque vere gratuita, & efficaci.

III. Valida rursum ejusdem doctrinæ testimonia, ad quæ revocari par sit, quæ sequiùs molliùsque in speciem dicta alibi occursant.

IV. Alia Chrysostomi loca expenduntur. Liberi arbitrii adversarios refelli sæpè cogebat tunc temporis necessitas.

V. Gratiæ merè gratuitæ, & meritum omne antevenienti, imo & gratuitæ prædestinationi verè favebat Chriysostomus.

VI. In conversione Pauli ut efficacissimas gratiæ vires agnoverit.

VII. Alia rursum argumenta ad gratiæ efficacissimam vim tuendam.

VIII. Ex Chrysostomo Christus gratiæ suæ omnipotentiam, imo & Deitatem suam, non ex Pauli solum, sed ex omnium etiam fidelium, & totius orbis conversione declaravit.

IX. Ita efficax Chrysostomo est gratia Christi, ut consensione ei nostra opus sit, & cooperatione, ut præcedentibus culpis subtrahatur, ut precibus promerenda sit.

X. Rursum necessitas & efficacia gratiæ prævenientis.

XI. Sobriè de gratia loqui Chrysostomum & alios Græcos cogebant insidiantium Manichæorum obvia passim agmina.

XII. De Petri lapsu, superbientem deserente gratia.

I. Inanibus prorsus rumusculis lacessitur fama Chrysostomi, quasi gratiæ amplitudini subinfestus sit. Verùm cum ille Græcorum quidam sit Augustinus, sicut Latinorum Chrysostomus non immerito dicitur Augustinus: cùm Augustinus ipse Chrysostomo in exagitandis Pelagianis toties adjutore, commilitone, duce usus sit, testimoniis ejus sæpiùs non sine singulari nominis ejus elogio allegatis: cum Cælestinus Papa Augustinianæ non tantùm contra Pelagianos, sed etiam contra Semipelagianos vindex acerrimus doctrinæ & famæ, idem ipse tantas in Chrysostomi doctrinam laudes congesserit, quantas supra delibavimus: hinc illæ suspiciones exsufflari debuerant. Sed ad ipsa nunc accedamus opera Chrysostomi, tantò operosiùs excutienda, quantò non de uno Chrysostomo, sed de tota Orientali Ecclesia vertitur, quæ ex illius inclinatione facilè & ipsa existimatur has vel illas partes amplexura, usque adeo ejus se totam magisterio addixit.

II. In Homilia de sancta Pelagia Virgine & Martyre, hoc ille gratiam Christi ornat testimonio luculentissimo, quo ejus efficaciam invictam & necessitatem maximè ad perseverandum declarat: *Non erant hæc humanæ naturæ facta, sed Dei majorem partem conferentis auxilio id fiebat. At ipsa tamen otiosa non erat, sed à seipsa promptum & generosum animum, voluntatem, propositum, studium, & alacritatem afferebat: divino vero subsidio ac benevolentia factum est, ut hæc omnia ad eventum perlata sint, &c. Non erat intus sola Pelagia, sed consiliarium habebat Jesum ipsum. Ille Virgini præsto erat, ipse illius mentem & cor excitabat, ille animum confirmabat: solus ille metum omnem ejiciebat. Hæc autem non sine causa Jesus faciebat, sed quoniam martyr ipsa illius se dignam auxilio ante præbuerat.* Non potest gratiæ efficacia validiùs exprimi. Jesus intus docet & consulit, adest, excitat, corroborat, solus timorem ejicit. Cooperabatur libertas gratiæ, sed gratia majorem partem conferebat. Quod autem ea gratia se dignam præbuisse dicitur Pelagia, de gratia subsequente agitur, qua martyrium implevit, & quam utcumque potuit ante precibus, jejuniis, humilitate promereri, non sine prævenientis gratiæ auxiliis. Tom. 11. pag. 555.

Nec minùs præclarè in Genesin: *Leo rugiens circuit, quærens quem devoret: verum si sobrii fuerimus, nulli prævalebit per gratiam Dei. Talia sunt enim arma nostra spiritalia, quibus nos induit Spiritus gratia. Si igitur his continuo membra nostra munierimus, nullum telum ab eo emissum ad nos pertingere poterit, sed irrita ad ipsum reditura sunt. Adamante enim solidiores Dei gratia nos efficit, & si volumus, omnino invictos. Sicut ergo qui adamantem tundit, nihil adamanti nocet, sed seipsum fatigat, & robur suum imminuit; & qui contra stimulos calcitrat, suos pedes cruentat; in hunc modum res se habent nostræ cum salutis nostræ adversario, si armis quæ nobis Spiritus sancti gratia exhibet, continuò nos muniamus.* Dei gratia efficit nos adamante solidiores, & si velimus, omnino invictos; nec enim nullæ sunt libertatis partes, ut idem infrà fusè declarat: *Quia liberi arbitrii naturam nostram fecit, ipse quidem quæ sua sunt omnia, pro sua misericordia semper exhibet; & sciens abscondita in profundo mentis & arcana, hortatur, consulit, conatusque nostros malos reprimit. Et necessitatem utique non imponit, sed congruis remediis appositis, totum situm esse in ægrotantis sententia dimittit.* Non pugnant ista. Nec enim pugnant gratia & libertas. Sed quamlibet invictum sit robur gratiæ, nihil tamen infligit necessitatis, sed consentire vel dissentire semper liberum est. Hom. 4. To. 2. p. 29. Hom. 19. pag. 205.

Omnibus Catholicis ea de re convenit. Nihil amplius urget Chrysostomus, etsi non ibi expediat quomodo ex nolentibus volentes, ex dissentientibus consentientes efficiat gratia. Idem censen-

Ibid. hom. 22. p. 246.

dum de illo loco, *Quia in voluntate nostra totum post gratiam Dei positum est, ideo & peccantibus supplicia proposita, & bene operantibus præmia.* Et de hoc rursus, ubi meram cooperationem nostram cum gratia desiderat, ut ulterioris gratiæ augmenta Deus accumulet, & totum bonum opus fortunet:

Ib. hom. 53. pag. 712.

Nam quando quod à nobis est offerimus, largiter divinam cooperationem consequimur. Nam ut ne desides & supini simus, vult etiam nos aliquid conferre: quo sic sua declaret: & non totum sit superni auxilii, sed oporteat nos etiam aliquid afferre. Neque à nobis iterum exigit totum, sciens infirmitatis nostræ magnitudinem: sed suam imitans benignitatem, & volens occasionem aliquam accipere ut suam declaret liberalitatem, expectat ut afferamus quæ à nobis sunt. His satis prodit Chrysostomus eò se propendere, ut totum tribuat gratiæ, dum vel tantillus libertati nostræ & cooperationi sit locus. Dum id in tuto sit, reliqua omnia dvinix gratiæ largitati & viribus ultro condonanda. Similiter

Ib. hom. 54. pag. 721.

postea Matthæi conversionis exemplo probat, *in voluntate nostra post supernam gratiam sitas esse virtutes & vitia*: principatum semper gratię tribuens. Sicubi autem libertatem preire insinuat gratię, de gratia subsequente perspicuè intelligit.

Ib. hom. 58. p. 781. 782.

Cujusmodi est illud: *Licèt superno præsidio fretus fuerit Jacob, attamen quod suum est, prius declaravit. Ita sanè & nos persuadeamus nobis, quod licèt millies enitamur, nihil tamen prorsus rectè agere possumus, nisi superno auxilio adjuti. Sicut enim nisi illo subsidio fruamur, nihil unquam possumus rectè agere; ita nisi quod nostrum est attulerimus, non poterimus supernum auxilium obtinere. Demus igitur operam ut & nostra afferamus, & supernum favorem alliciamus, ut & ex nostro studio & ex Dei benignitate & nostræ virtutes quotidie crescant, & multa superna gratia fruamur.* Hæc cùm de Jacobo dicantur, Labanis & fratris iracundiam demulcente, & de fideli virtutum quotidiana incrementa faciente, & uberiores gratiæ divinæ proventus in dies quoslibet: manifestum est ea debere intelligi non de præveniente gratia, qua impius quis convertitur, sed de subsequente, quæ & gratis à Deo datur, & contemplatione tamen prioris justitię dicitur etiam non absurdè dari. Quis ambigit enim *sobrietate & vigilantia no-*

Ibid. hom. 60. p. 799.

stra gratiam Dei impetrari, qua invicti simus adversus diabolum? ut idem infrà docet: sed hęc ad Fideles & pios pertinent, quibus prærogata jam est gratia, ut vigilent, & sobrii sint, si velint, atque ita ulteriorem gratiam promereantur, qua omnes diaboli artes & insultus superent. Denique ne gaudendum quidem censuit Chrysostomus cuiquam de virtute aliqua sua aut salute, ni-

To. 2. hom. 5. de Anna, pag. 1001.

si quia Dei donum est: *Læta sum in salutari tuo. Non simpliciter in salutari, sed in salutari tuo. Non enim quoniam servata sum, sed quoniam per te servata sum, propterea lætor & exulto. Tales quippe sunt Sanctorum animæ: Deo magis lætantur authore munerum, quàm ipsis muneribus; non enim propter dona ipsum, sed dona propter ipsum diligunt.* Ergo salus & æterna & temporalis, & quælibet ad salutem via sive pietas, minùs placeret Chrysostomo, nisi Dei donum esset: tantò autem placet vehementiùs, quantò à Dei gratia totum est, ut infrà nos ipse iterum iterumque addocebit.

III. Offendi rursus quis posset hoc Chrysostomi verbo: *Quis gloriabitur purum se habere cor? Omnes egemus misericordia, sed non omnes digni sumus misericordiam consequi. Nam etsi sit misericordia, dignum tamen requirit: quemadmodum ipse dicit Moysi, Miserebor cujus miserebor, & miserabor quem miserabor. Qui ergo fecit aliquid propter quod sit dignus misericordiam assequi, dicet, Miserere mei. Qui autem ab illius gratiæ assecutione se deturbavit, frustra dicet, Miserere mei.* Ex eo ipso loco, unde Paulus & Augustinus exculpunt gratię prævenientis & prædestinationis gratuitæ dogma, indidem Chrysostomus videtur contrarium argumentari. Sed illis tamen convenit, si ex consequentibus antedictorum sensum venemur. Statim enim prolixè demonstrat, cùm omnes peccarint, aliis tamen misericordiam præstari, aliis occludi, quia vel alii aliis atrociùs peccarunt, vel aliis pœnitentiam maturantibus, alii transgressionem contumacia cumularunt. *In peccatis enim non* Tom. 3. in Psal. 6. pag.
quæritur solùm natura ejus quod factum est, sed 56. 57. 58.
etiam animus & tempus & causa. Et post peccatum si hi quidem perseverarunt, illos verò pœnituit; & si casu, si ex fraude, si dedita opera. Consentit Paulo, ajenti, se misericordiam consecutum, quia ignorans fecerat in incredulitate: consentit Augustino, pœnitentia misericordiam, id est, gratiam justificationis nos promereri: non negat autem pœnitentiam ipsam sine gratia Dei non ritè peragi.

Auxilio enim divino nos & egere & non defieri, ad cupiditates & tentationes superandas, quæ primaria pœnitentiæ pars est, idem infrà Chrysosto- In Psal. 45.
mus luculenter tradit: *Adjutor in tribulationibus* pag. 236.
quæ invenerunt nos nimis. Non prohibet ne adveniant afflictiones. Sed ubi advenerint, assistit, nos frugi & probos efficiens. Illud autem, nimis, aut, valde, attribuendum est ei quod est adjutor. Neque enim leve, sed insigne fert auxilium, plus præbens solatii ex ope lata, quàm sit suscepta molestia ex afflictionibus. Non enim quantum malorum conditio postulat, tantum nobis præbet auxilium, sed longè majus. Propterea non timebimus, inquit, dum turbabitur terra. Vides quomodo majus & copiosius fert auxilium? Non solùm enim dixit, Non capiemur, non cademus, sed ne id quidem patiemur, quod est naturæ proprium, ut terreamur, & timeamus. Undenam autem hoc evenit? Ex eo quòd sit copiosum auxilium. De auxiliorum divinorum ubertate & vi infracta magnificè protsus, ut hinc lenimenti aliquid non immeritò affundatur duriusculis dictis, si qua alibi occursent. Ejusmodi est quod infrà legitur, ubi cùm solam cooperationem libertatis cum gratia necessariam astruat, de qua nemo orthodoxus ambigit, videri tamen posset in solo verborum cortice hęrentibus, sano dogmati reniti: *De quapiam dicit Lucas, quod ape-* In Ps. 115.
ruit Deus cor ejus, ut attenderet ad ea quæ diceban- pag. 398.
tur à Paulo. Et Christus, Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Si hoc ergo Dei est, quomodo peccant qui non credunt, cùm nec Spiritus opem ferat, nec Pater trahat, nec in viam deducat Filius? De seipso enim dicit, Ego sum via. Hoc autem dicit, ostendens se opus esse, ad hoc ut adducantur ad Patrem. Si ergo Pater trahit, Filius deducit, Spiritus illuminat: quid peccant, qui neque tracti sunt, neque deducti, neque illuminati? Quoniam non præbent seipsos dignos, ut eam suscipiant illuminationem. Vide ergo hoc evenisse Cornelio. Neque enim domi hoc ipse invenit, sed eum Deus vocavit, quoniam ipse praoccupans, seipsum dignum reddidit. Et ideo Paulus de fide differens dixit, Et hoc non ex vobis: Dei est donum. Nec tamen te relinque vacuum bonis actionibus. Etsi enim ejus est trahere & inducere, animam tamen requirit, quæ morem gerat, & facilè pareat, & tunc suum adhibet auxilium. Quocirca alibi quoque dicit Paulus, Secundùm propositum vocatis. Nec enim virtus, nec salus nostra cogitur. Nam etsi maxima pars, imò fere totum ejus sit, exiguum quid tamen nobis relinquit, ut danda coronæ speciosa sit occasio. Eximiè & hìc de gratia sentit, quæ *maximam partem* boni operis, imò *ferè totum* sibi vendicat, relinquit autem nobis *exiguum quid*, ut coronæ *occasio* magis quàm meritum à nobis fit.

Quod

ψυχὴν δια- πεισθῆ ὄντα- ζητεῖ.

Quod autem à nobis exigitur, illud est, *ut morem geramus, ut facilè pareamus*: quo consensio & cooperatio sola designatur, ne virtus vel salus nostra *cogatur*. Si quando autem præoccupanda meritis nostris est gratia, ea est gratia subsequens, ut in Cornelio Centurione, cujus religionem, timorem Dei, orationes, eleemosynas nunquam Chrysostomus adscripserit solis liberi arbitrii viribus: non ista exiguum quid dixerit, & occasionem: non totum gratiæ donaverit, si tantum sola libertas sibi sumeret suo jure. Ita & infrà ait, *à nobis proficiscuntur principia; si quæ tua sunt, illius quoque sequentur*. Ad pios & fideles verba facit, qui bonis operibus, utique non sine gratia factis, debent posteriores gratias provocate.

In Ps. 110. pag. 410. In Ps. 124. pag. 449. Homil. in Serap. pag. 892.

IV. Quippe ut elimatissimis gratiæ divinæ & prædestinationis tractatoribus familiare est, ignaviam & torporem hominum, sive etiam contumaciam objurgare & concerpere: & inculcare, gratiam Dei negligentibus, immorigeris, & pertinacibus, eam vel subtrahi, vel denegari: nec tamen hinc quisquam colligit, posse sine gratia Dei vel diligentiam adhiberi, vel morem geri & corda inclinari mandatis divinis: ita ajenti Chrysostomo gratiam affore, si diligentiam, si obsequium antè præstemus, non est tam turpis inurenda infamia, quasi diligentiam & obsequium velit nostris tantùm viribus parari. Sed & illi & iste, prȩvia Dei gratia excitari homines omnes ad bonum, conscii, tum gratiæ cumulum & auspicatum boni operis exitum à Deo affore augurantur, si nostra non vetet supinitas, aut pertinacia. De gratia enim subsequente, imo plerumque de gratia consummante bonum opus, vel salutis nostræ curriculum, his in locis disputat Chrysostomus. Quam adeo jure urget bonis nostris operibus pelliciendam. Paucis hæc ex eodem tomo testimoniis elucidemus: *Allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. De clementia dicit, esse maximam regni Dei gloriam, quod non stantes solum contineat, sed etiam qui sunt casuri, non permittat, ut id eis accidat: & qui jacent, erigat. Et quod est magis admirabile, non huic aut illi, sed omnibus id faciat; licet sint servi, licet pauperes, licet obscuri, licet ex obscuris orti. Est enim omnium Dominus, & nec eos qui jacent, prætercurrit; nec eos qui labant, despicit. Hoc facit communiter in universa natura, hoc facit etiam in unoquoque. Quod si qui ex iis qui jacent, non surgunt, non in causa est, qui vult erigere, sed qui nolunt surgere. Nam Judam quoque cum cecidisset, voluit erigere; & ut surgeret, nihil non fecit, sed ille noluit. David certè cum cecidisset, erexit, & firmum validumque reddidit. Petrum cum esset casurus, retinuit.* Obvia, ut vides, & prævia est Dei gratia omnibus, & stantibus, ne cadant, & lapsis, ut surgant. Hanc nusquam, ait Chrysostomus, meritis nostris esse impetrandam. Sed hac utentibus vel abutentibus, ulterior gratiȩ proventus additur, vel demitur. Quid pulchrius autem dici potuit ad gratiæ & prȩvenientis & efficacis laudem? At quia abutebantur hoc prætextu nefarii homines, ideo aliquoties cogebantur Patres in encomia libertatis effusiùs excurrere: *Hæc sententia circumfertur ubique, in domibus, in foris, in pagis, in urbibus, in terra, in mari, in insulis, & quocumque te contuleris, multos audies, qui hæc dicunt, Non est in homine via ejus. Neque solum hanc sententiam didicerunt, sed alias etiam similes huic annectunt, Non est volentis, neque currentis: &, Nisi Dominus ædificaverit domum, &c. Id porro faciunt, quod ex Scriptura divina negligentiæ suæ velamen obtendant. Nihil enim aliud per hæc volunt efficere, nisi nihil situm esse in nostra potestate. Frustra regni cœlorum promissio, frustra minæ, frustra leges, &c.* Vides quos adversarios oppugnaret Chrysostomus, & quorsum ejus oratio pertineat, ut libertati nimirum humanæ, ut consensioni, ut cooperationi necessariȩ cum gratia patrocinetur, nihil preterea. Denique quòd de gratia consequente & consummante bonum opus verba faciat, ut quæ præviis conatibus nostris sit assequenda, sic infrà declarat: *Si currere simul & velle desieris, neque manum porriget Deus, sed & ipse abscedet. Audi quid dicat Hierusalem: Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Ecce relinquitur domus vestra deserta. Vides, quoniam illi noluerunt, quo pacto etiam Deus abscessit? Hoc igitur est quod ait Propheta, Felicem exitum rerum in potestate nostra situm non esse, sed ab auxilio pendere divino: ut autem eligamus, in nobis & in arbitrio nostro situm est. Verùm si rerum prosper aut sinister exitus ab auxilio divino pendet, dicet aliquis, nulli obnoxius culpa censeri debeo, &c. Verùm non ita est ita. Neque enim fieri potest, ut si nos voluerimus, elegerimus, statuerimus, Deus nos derelinquat.* Quasi dicat, nostrum esse, ut eligendo cooperemur gratiæ præeunti: in potestate non esse nostra, ut exitum fœlicem consequamur; sed eum non defuturum, si quæ nostratum sunt virium, impleamus. Unde ibidem mox: *Cùm viribus nostris esse majus viderit onus, manum porrigit, & tentationem reddit leviorem. Cùm verò nos ex propria negligentia viderit ac desidia propriam prodere salutem, neque velle salvari, tunc derelinquit, ac deserit. Neque enim vim affert, aut cogit, &c.* Ubi & præeuntem audis gratiam, & subsequentem statim adesse, si preeunti quis obsequatur.

In Ps. 144. pag. 602.

De verbis Jeremiæ. serm. 1. pag. 911.

Pag. 919. 920.

Tom. 4. L. 1. de Comp. Cor pag. 133.

Rursus idem Chrysostomus alibi: *Nisi gratia quæ nostra sunt prius requireret, ex æquo in omnium animas infunderetur. Non enim est personarum acceptor Deus. Sed quoniam quæ nostra sunt requirit: ad hos quidem venit & permanet: ab aliis discedit: ad reliquos nec initium quidem facit veniendi. Quod autem prius animi propositum examinaverit, ac deinde gratiam dederit Deus, priusquam aliquid admirabile gesserit Paulus, disce ex eo quod de illo dicit, Quia vas electionis est mihi iste, &c.* Et tamen Chrysostomus prævenienti gratiæ non dissonat, teste Vossio. Ergo si eadem interpretandi clementia huc porrigatur usque, nec à prædestinationis gratuitæ & efficacis gratiæ dogmate discordabit. Solam hìc adstruit sanctus Doctor necessariam arbitrii cooperationem: quacum speret omnes Pauli sanctimoniam æquare posse, si velint, & tantum velint, quantum opus est. Quod autem Paulum vocatum à Christo ait examinato prius ejus animi proposito, non negat in Paulo aliqua gratiæ prius effulsisse præludia. Ut enim ignorantia ejus in culpa esset, sed zelus tamen & pro ea quam veram putabat pietate contentio, in laude esse poterat. Itaque gratia divina incitabat quidem animum Pauli ad veræ pietatis hostes insectandos, & huic ille gratiæ strenuè obsecundabat; sed gratiæ ejus quæ ad fidem Christi invitabat, radios nictantibus oculis non admittebat. Eo rerum statu cum esset, poterat & à Deo præteriti, ob ignorantiam neutiquam inculpatam: poterat & vehementiore aliqua gratia concuti, & expugnari, gratis quidem & misericorditer, sed habita tamen utcumque ratione flagrantis ejus studii quo fervebat ad veræ religionis defensionem. Quotusquisque nostrum enim non pluribus simul divinæ gratiæ stimulis pungitur, & illis renititur, aliis obaudit?

V. Quod autem Pauli vocationem Chrysostomus meræ Dei misericordiȩ acceptam ferat, ideoque necessariò admittendæ sint nostræ istæ aliorum contextuum mitiores explanationes, sic ille infrà docet: *Habet, inquit, proprium quisque donum, alius quidem sic, alius autem sic. Vide mihi Apostolicæ humilitatis signum serio elucens. Dei donum appellat suam virtutem: & in quo multum desudavit, id omne Domino tribuit. Et quid mirum si id in continentia facit, cum de præconio* etiam

L. de Virgi. Cap. 56. pag. 348.

etiam differens, pro quo mille labores & perpetuas afflictationes, ærumnas, necemque quotidianam suscepisset, idem usurpet. Quid ergo de eo dicit? Plus illis omnibus laboravi: vel potius non ego, sed gratia Dei mecum. Non partim suum, partim Dei Cap. 42. pag. 358. *censet, sed totum Dei. Hoc grati servi est, nihil proprium ducere, sed omnia herilia: nihil suum putare, sed omnia domini*. Et ibidem rursus: *Non ait Paulus, Consilium do, ut fidelis effectus, sed ut cui Domini clementia fideli esse datum sit. Ne Apostolatum solum, præconium, & magisterium, Dei munificentiæ putate. Nam ipsum etiam credere mihi ejus clementia quæsitum est. Non enim, inquit, qui dignus essem, fidem accepi: sed cui misericordia Domini contigisset. Misericordia autem gratiæ est, non ex merito. Itaque nisi permisericors Deus fuisset, non tantùm Apostolus, sed ne fidelis quidem unquam effici potuissem. Viden servi gratitudinem, animumque contritum, ut nihil sibi plus cæteris arroget: quia id etiam quod sibi cum discipulis commune esset, fidem, suum esse neget, sed Dei clementiæ ac benignitatis?* Non potuit inculcatiùs totum gratiæ dare. Fidem ipsam Pauli meræ Dei misericordiæ adscribit, non quòd dignus ullo modo esset. Huc ergo trahendum quod alibi specie tenus aliter sonat.

Explicatior fiet mens Chrysostomi hoc rursus eadem de re sermone: *Adgrediuntur nos quidam dicentes, Quid mirum quod Paulus ad fidem pervenit,* Tom 5. de ferendis reprehensionibus pag. 194. 195. 197. 198. *cum Deus vocem illam, quasi funem cervici ejus injecerit, & vi ipsum ad se duxerit, &c. At ut discatis, quod multum quidem fecit ad salutem Pauli vocatio, sicut & aliorum omnium facere solet: non tamen destituit eum à suis operibus, & suæ propriæ voluntatis laude, neque nocuit libero ejus arbitrio sed voluntarius advenit ipse atque sua bona voluntate, &c.* Tum multos Judæorum vocatos ostendit, etiam cœlesti voce insonante, non tamen resipuisse, sed magis magisque obduruisse: ut qui *gloriam ab invicem quærerent, non à Deo, ideoque non possent credere; at Paulus audita unica voce statim accurrit, statim obedivit.* Vides ut solam consentiendi & cooperandi necessitatem sanctus Pater sartam tectamque esse velit, reliqua omnia lubens gratiæ concedat. Et mox, *Ut discas quod non sola vocatio Paulum adduxerit, sed & voluntas ejus, &c. Deus enim nolentes non cogit, sed volentes trahit, &c. Ipse vult omnes homines salvos fieri, at non omnium voluntas ejus voluntati obsequitur, &c. Deus enim paratus est ad salvandum hominem, non involuntarium, neque non volentem, sed voluntarium, & hoc eligentem.* Voluntas hæc porro non antecedit gratiam, sed subsequitur, ut exemplo Pauli constat, qui adeo non volebat, ut terga verteret gratiæ, quando ea illi ingesta est.

Cùm autem suprà tam exerte pronunciaverit Chrysostomus, fidem esse merum gratiæ & misericordiæ Dei donum: rursus tamen merito humano aliquid videtur & arrogare: *Quare vocat Spiritum fidei, & in donationum numerum redi-* To. eodem pag. 331. *git? Nam si donatio est fides, & solius Spiritus donum, non nostrum meritum, neque increduli punientur, neque credentes laudem promerebuntur. Talis est enim donationum natura, non sunt coronæ, neque præmia, &c.* Tandem nodum hunc sic exolvit: *Initio credere & parere vocanti, nostræ est bonæ mentis; at postquam jacta fuerint fidei fundamenta, jam opus est auxilio Spiritus, ut in nobis perpetuò maneat inconcussa & inexpugnabilis. Neque enim Deus, neque Spiritus gratia nostrum prævenit propositum: sed tametsi vocet, expectat tamen, ut sponte & propria voluntate accedamus, ac tum demum nobis suum exhibeat auxilium. Quoniam enim diabolus postquam ad fidem accesserimus, continuo subrepit, &c. opus habemus auxilio Spiritus, &c. Spiritus gratia accedente, inexpugnabiles malo dæmoni erimus, &c.* Vides perspicuè præire ante omnia gratiam vocationis divinæ, eique necessariò consensionem & cooperationem libertatis nostræ subjungi, & ita nos promereri auxilia gratiæ subsequentis, quibus adversus machinamenta diaboli invicti efficiamur. Vides rursum longè majorem efficaciam & invictius robur tribui tum hic, tum alibi à Chrysostomo, auxilio gratiæ subsequentis, quàm prævenientis. Qua de re prolixè inferiùs. In antecessum hîc moneo id apud Græcos Latinosque Patres occurrere, & in illud tritissimum dogma incurrere, de speciali perseverantiæ gratia.

VI. In Paulo, ut gratiæ monumento præclarissimo, frequentiùs versatus est Chrysostomus. Ergo in ejus conversione potissimas gratiæ vires sic ille describit, cum cæcitate & lumine perterrefactum domitumque ostendisset: *Cur, inquis, hoc non antè factum est? Ne quæras istud, neque velis esse curio-* To. eodem de laudib. S. Pauli. pag. 591. *sior: sed concede incomprehensibili Dei providentiæ salutes hominum notis sibi temporum opportunitatibus ordinare. Sic enim ipse etiam fatebatur, dicens, Cum autem placuit ei qui me segregavit de utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me. Nihil tu igitur scruteris amplius, quando hæc dicit Paulus. Illud enim tunc fieri oportuit, quando jam scandala ubique crevissent. Ab ipso utique discamus, quoniam nullus ante Paulum, neque ipse Paulus ex se tantummodo eum invenit, sed ipse Christus ostendit: & idcirco dicebat, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Cæterùm cur antè non credidit, cùm videret in nomine ipsius resurgere mortuos, ambulare claudos, paralyticos roborari, dæmones effugari? Nullum enim fructum ex his iste consecutus est, cùm tamen non ignoraret ista, qui tam erga Apostolos curiosus; qui certè cùm lapidaretur Stephanus, astabat, & faciem ejus videbat Angelico fulgore radiantem. Cur ergo nihil inde lucratus est? Quia necdum utique vocatus fuerat à Christo. Tu verò ista audiens noli vocationem istam necessitatem putare. Non enim Deus homines cogit vocando. Nam & Judæis seipsum quando oportuit revelavit, sed illi propter gloriam quam ab hominibus requirebant, ultro se offerentem recipere noluerunt.* Vel uno hoc loco Chrysostomus se Græcorum Augustinum esse probaverit, & ambagem omnem absterserit de sua circa gratiam sententia. Apertè enim tradit, & necessariò voluntatem gratia præveniri; & quando ea detur vel non detur gratia, non in hominum merito vel dignitate quantulacumque, sed in Dei arcano & impervio hominibus consilio causam esse: & non exteriore tantùm gratia, sed interiore maximè vocationem constare: & gratiæ huic homines libera sua sponte consentire, vel non consentire.

VII. Ubi ergo postea idem sæpiùs ingeminat, posse nos Pauli similes effici, si velimus, si enitamur: permagna tantùm hæc fiducia est de gratiæ Dei copia non defutura, nisi conatus noster & cooperatio fatiscat: *Si enim quantum est in nobis velimus virium exprimere, maximum etiam Deus* Ibidem. pag. 601. 603. 611. *nobis adjungit auxilium.* Si charitatis enim & Spiritus sancti intus hospitantis stimulis morem quis gereret, in immensum exundaturam gratiæ exuberantiam non absurdè quis speraret. Sed ne vel hæc vel antedicta aliqua decerpere quid de efficacia gratiæ videantur, vide ut illi vehementer suffragetur Chrysostomus: *Mentem Pauli pellexisse majus signum fuit, quàm umbrarum opera mor-* Ibidem. pag. 640. 641. *tuos suscitase. Nam illic quidem sequebatur natura, neque imperanti contradicebat: hic verò in potestate liberi arbitrii situm erat ut persuaderetur, vel non persuaderetur. Unde magna virtus ejus qui persuasit, ostenditur. Multo quippe majus fuit voluntatem convertisse, quàm naturam correxisse. Majus igitur cæteris omnibus signum fuit, Paulum post crucem & sepulturam ad Christum accessisse. Propterea namque permisit eum Chri-*

Christus, omne odium præ se ferre, ac tum illum vocavit, ut resurrectionis probationem, ac doctrinæ sermonem, omni suspicione liberaret. Nam Petro poterant aliqui diffidere, ut priùs Christi discipulo: at Paulo non poterat non haberi fides, tandiu adversario, & tandem testi ac præconi. *Nisi enim Christus resurrexisset, quis hominem adeo crudelem & inhumanum, quis adeo infensum & efferatum, sibi conciliasset, & ad se attraxisset?* Victricis gratię invictæ hæc sunt prorsus argumenta. Pertraxit enim Christus ad se Paulum, non quando commodè id fieri poterat, aut captata opportunitate: sed quando sæviebat, quando intempestivum maximè erat, sed Christi consilio tum conducebat. 2. Miraculum hoc dicitur insigne omnipotentiæ Christi: quæ in eo splendidiùs quàm in naturæ mutatione qualibet inusitatissima eluxit. Cum ergo toties dictitat Chrysostomus, spontaneos & volentes trahi à Christo, non nolentes, non repugnantes: verissimè quidem id tum dicitur: sed non negatur tunc quod hìc affirmatur, ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes quoslibet fieri à Christo omnipotente, quoties ipsi collibitum est. Nam si hæc non fuisset omnipotentia Christi gratiæ, ex nolente volentem, ex renitente consentientem Paulum effecisse, sed gratiæ tantùm blandienti, tantùm hortanti ultro ipse Paulus consensisset, non hoc diceretur à Chrysostomo signum quolibet alio mirabilius potestatis Christi, non certissimum & ineluctabile resurrectionis ejus & Deitatis argumentum: non efficacius potentiæ divinę specimen, quàm quodlibet inauditum in rebus naturalibus miraculum. Nequaquam ergo Chrysostomus adversabitur placito Theologico de prædestinatione gratuita, qui ejus fundamento vel fastigio tam certò inhæret.

VIII. Quod ibi de Paulo, id sanctus Pater alibi de omnibus Ecclesię filiis affirmat. Ecclesiam quippe suam Christus non aliter quàm singulorum ad eam conversione, omnipotente gratia sua & fundavit & propagavit: & hoc argumento Deitatem suam orbi patefecit. *Apostoli ista dicendo persuaserunt, & Ecclesiam ædificaverunt. Quo pacto & qua virtute? Virtute ejus qui jussit, ille enim prævius omnia faciebat, & facilia reddebat quæ dura. Nisi enim divina quædam virtus effecisset, nequaquam hæc vel principium vel præsidium accepissent. Quo enim modo? Ille dixit, Fiat cœlum, & monstravit opus: fulgeat Sol, & indicavit astrum: omniaque Verbo operatus est: eodem modo & Ecclesias fundavit. Et verbum hoc, Ædificabo Ecclesiam meam, hæc omnia operatum est. Illa verba Dei condiderunt opera tam admirabilia, & quæ nemo expectasset. Nam sicut cum dixit, Germinet terra, omnia mox hortus erant, & omnia pratum: sic ubi nunc dixit, Ædificabo Ecclesiam meam, multa acceleratione facta est, & etiam contra illam tyrannis se armantibus, &c.* Sic ille fidelium conversionem & coalitionem ad Ecclesiæ corpus eidem imputat omnipotentię Verbi, qua conditus est primùm orbis. (Ibidem: L. I. quod Christus sit Deus. pag. 848. 849.)

A quo non abludunt quę idem commentatur in hęc verba Joannis de Christo: *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igni. Largitatem gratiæ exprimit. Non enim dixit, Dabit vobis Spiritum sanctum; sed, Baptizabit vos Spiritu sancto. Jam vero commemoratione ignis adjuncta, rursus ipsius gratiæ vehemens & incomprehensibile signavit.* Infrà ait, Christum legem hoc etiam sensu implevisse, *quia per nos hoc ipsum facit. Hoc est enim mirabile, quia non solùm legem implevit ipse, sed idem istud nobis quoque facere donavit.* Et alibi: *Tu vero diligenter scriptum considera. Non enim dixit, Qui confitebitur me, sed, in me. Ut tibi ostenderet, non propria virtute, sed gratia superiore adjutum, confiteri eum, qui confitetur. Qua etiam de causa non dixit de negante, Qui in me negaverit. Nam qui negat, superioris gratiæ patrocinio privatus negat. Sed cujus rei gratia, inquies, si privatus quis gratia & derelictus negat, quasi criminosè egisset, accusatur? Quia videlicet qui derelinquitur, culpa sua derelinquitur.* (Tom 7. pag. 104. In Matth. Hom. 11. — Ibid. ho. 46. pag. 155. — Ibi hom. 35. pag. 337.) Usque adeo per sese efficax est Chrysostomo gratia Christi, ut quisquis Christum negat, gratia derelictus negasse agnoscatur. Atqui sexcenties id de Petro & aliis ille affirmat. Ergo totidem sunt argumenta apud illum certissima gratiæ per sese efficacis. Quelibet enim alia gratia poterat neganti non defuisse. Et alibi: *Vides mille bellorum genera, nova & inaudita: sed tamen cuncta hæc aliaque complura, quia prædicatum iri Evangelium universo ipse voluit orbe, vicit superavitque prædicatio.* (Il id. ho. 76. pag. 649.)

IX. Rursus ita victricem esse per sese gratiam Christi, ut industria tamen nostra & cooperatione opus sit: ita illam adesse, ut nonnisi præcedentibus culpis subtrahatur: ita cœlitus suggeri & pręire bonis operibus, ut precibus tamen sit ambienda: idem alibi commendat sanctus Pater: *Vocatio & purgatio ipsa ex gratia sunt. Ut verò vocatus jam, & candida indutus veste, seipsum non maculet, ad diligentiam quoque pertinet vocatorum. Nam si non quia dignus, sed quia gratia tibi largita est, vocatus fuisti, oportebat te vicissim pro gratia nonnihil reddere, & non tantam nequitiam ac ingratitudinem post acceptum honorem ostendere.* (Ibid. hom. 70. p. 607.) Vocationem & justificationem, ut vides, meræ gratię & purę putæque adscribit misericordiæ. Omnes itaque meritorum quantulæcumque umbræ hujus vocis luce effugantur. Rursum hìc quidem vocari & justificari, merę gratię munus esse dicit; at in accepta justitia perseverare, nostrę quoque esse diligentię. Atqui suprà persæpè memorabat idem sanctus Pater, exordia ipsa à nobis expectari, nostrum propositum, nostram electionem desiderari: reliqua deinceps ubertimo & validissimo Dei gratiæ adjutorio perfici. Num in his conflictatur sibi Chrysostomus? Minimè gentium. Nam & in exordio & in progressu justitię, divinę est gratię totum, quę prevenit, quę comitatur, quę subsequitur: quę vocat, justificat, roborat, invictos facit; & rursus totum est liberę nostrę electionis, quę vocanti si vult morem gerit, obsequitur, consentit justificanti, corroboranti, perficienti gratię. Et quoniam utramque concurrere necessum est, nunc illa, nunc ista studiosiùs commendatur, prout audientium utilitati conducit. Ita dilucidè Chrysostomus infrà: *Et quia nihil lucrari poterimus à superiori patrocinio, si voluntas nostra repugnet: & quia nullo modo voluntas nostra sufficit, nisi auxilio superiori roboretur, magnum hoc dogma hinc discimus. Alterum Petrus, alterum Judas confirmat. Hic enim etsi præsidium Christi largum habuerit; tamen quoniam noluit attendere, nec quæ ab ipso erant conferre, tamen nullam utilitatem assecutus est. Ille verò etsi benè animatus fuerit, tamen divino subtracto auxilio stare non potuit. Ex his duobus virtus contexitur. Quamobrem vehementer rogo atque obsecro, ne vetitis Deo ita cuncta tribuere, ut oscitandum dormiendumque vobis putetis: nec rursus si vigilatis, laboribus vestris rem totam effici arbitremini.* (Ibi. hom. 85. pag. 703.) Vides cooperationem necessariam arbitrii cum gratia, vides gratiæ necessitatem, vides gratiæ efficaciam, quæ utique peccanti Petro defuisse intelligitur; vides gratiæ præsentiam, quæ peccanti Judæ non abfuit. Ideo alibi opportùnis importunisque precibus efflagitandum admonet gratiæ adjutorium: *Sicut enim respiratione hac jugiter indigemus, ita etiam eo quod à Deo præstatur auxilio. Quòd si voluerimus, facilè illum poterimus inflectere. Sicut diluculum paratum invenies eum, ait Propheta. Si verò nihil de redundante illo fonte virtutis haurimus, nostra est omnis culpa, non fontis.* (Ibid. hom. 23. pag. 231. Hom. 24. pag. 237.) Et alibi ex sacris precibus interpretatur pauca hæc verba: *Reple nos Spiritu sancto. Non enim probè ac sicut* opor- (Ib. hom. 56. pag. 498.)

oportet agere possumus, nisi gratia illa repleti fuerimus nos. Quenim potest generosè quidquam facere, nisi Christi nutus accedat? Sicut igitur postquam dixerunt, Ut ad omne opus bonum abundemus, In Christo Jesu adjunxerunt: ita hic dicunt, Reple nos Spiritu sancto.

X. Parco operæ & tempori, ne in imperfecto in Matthæum Pseudo Chrysostomi opere moram traham. Loca tantùm ipsa indico, quibus ex supradictis plus satis luminis affunditur. Venio ad Evangelium Joannis, ubi eadem doctrina temperatur, eadem interpretandi humanitate uti si nos non pigeat, *Declarare voluit gratiam non temerè, neque sine labore nostro in nos infundi: sed cum ipsi volumus, cum eam inquirimus. In nostra enim est potestate filios Dei fieri. Quippe nisi primùm ad eam accipiendam promptum animum exhibeamus, neque divinum ad nos munus accedit, neque quidquam operatur in nobis.* Præcurrere gratiæ libertatem hinc aliquis suspicaretur, sed temerè prorsus, etsi verba solitaria ita sonent. Nam præter superiores contextus qui hunc elucidare possent, ibidem mox ea subjicit, quibus apertè clamat gratiam ducem præire, & pedissequam libertatem: id tantùm perficere hominem, ut consensu & conatu suo posteriores sibi gratias subinde influentes non avertat. *In ipsis enim arcanis & supernis bonis, Dei quidem est dare gratiam; hominis autem est, fidem exhibere.* Et mox: *Quod per mysticam regenerationem omni priori crimine abluamur, per baptisma nobis largitus est: quod autem in puritate mentis in posterum perstemus, nostræ virtutis est & diligentiæ.* Quod rursus manifestissimè infrà: *Et gratiam pro gratia. Gratia namque Judæi salutem consequebantur. Non enim quia vos multiplicati estis, inquit, sed propter Patres vestros elegi vos. Nam qui non propriis meritis à Deo delecti sunt, eos perspicuum est propter gratiam ejusmodi honorem consecutos. Nos autem omnes salvi quoque facti sumus gratia, sed non eodem modo, neque iisdem de rebus, sed longè majoribus & excelsioribus. Non enim hæc nobis dumtaxat gratia data est, venia scilicet peccatorum, quam cum illis communicamus, omnes enim peccaverunt; sed justitia, sanctificatio, adoptio, Spiritus sancti gratia, ut filii, non servi, &c. Quocirca inquit, Et gratiam pro gratia. Verùm quæ legis fuerunt, fuerunt & gratiæ. Etiam ipsa formatio hominis ex nihilo. Non enim nostris præcedentibus meritis hanc accepimus remunerationem. Quomodo enim cùm nihil essemus? Sed gratia Dei, quæ semper in beneficiis priores sibi partes vendicat.* Ita ille meræ gratiæ munera inculcat esse naturam, legem, Evangelium. Iterum iterumque ingeminat, nullis præcedentibus nostris meritis, & legis primò, & postea Evangelii medicinam cœlitus nobis esse donatam, æquè ut ipsam naturam, quam nullo merito prævenimus, nisi mereri quid potuimus, antequam essemus, quæ apud Augustinum frequens argumentatio est.

Ibidem. Hom. 14. pag. 824. Hom. 18. pag. 836. Hom. 32. pag. 883. Hom. 37. pag. 904.

Tom. 8. in Ev. Joann. hom. 9. p. 55.

Ib. hom. 13. pag 73.

XI. In temperanda autem gratiæ potestatis prædicatione, cur & Chrysostomus & Græci Patres alii tam sobrii essent, declarat idem Chrysostomus infrà in hæc verba: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Hic insurgunt Manichæi, nihil nos ex nobis ipsis posse, hujus particulæ testimonio contendentes. Verùm hoc nostrum non tollit arbitrium, sed divino egere auxilio ostendit, & non invitum, sed omni conatu contendentem venire.* Ergo non ad gratiæ vim extenuandam, sed ad infringendos conatus Hæreticorum de libertatis excidio ovantium, hæc Patrum dicta pertinent. Ergo quod infrà subditur in hæc verba, *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Noli simpliciter privilegium arbitrari, sed illud crede, quod qui se accipiendi dignum exhibet, ipse accipit.* Id ita capiendum, cùm omnibus Christi verba insonarent, miracula ostentarentur, gratia in commune omnibus pateret: quidam non consentiebant, etsi facilè possent, alii consentiebant. Unde infrà: *Mandatum novum do vobis. Cur mandatum dicit novum, cùm in veteri lege datum sit? Ipse fecit novum per modum ipsum. Addidit ergo: Sicut dilexi vos. Nullis vestris præcedentibus meritis debitum persolvi, ego incepi.*

Ibid. ho. 45. pag 234.

Hom. 46. pag. 241.

Hom. 71. pag. 366.

XII. Prævenientis porro & tam necessarii auxilii efficaciam exculpere rursus licet, ex eo quod Christum non negat, cui adest, negat cui abest. *Ait Petrus, Quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam. Quid agis Petre? Dicenti, non posse, te posse dicis? Experientia cognosces, sine gratia divina, nihil esse dilectionem tuam. Unde constat hunc casum Jesum pro ipsius utilitate permisisse. Non impulit ad negandum, se desertum reliquit, ut suam intelligeret imbecillitatem, &c. Nec semel tantum, aut iterum negavit, sed adeo stupuerat, ut brevi ter negaret: ut intelligas non tam dilexisse, quàm dilectum esse. Veruntamen post tantum casum rogavit, Diligis me plus his? Neque enim fragilitate, sed superni auxilii derelictu contigit.* Et alibi idem: *Hoc solum nobis curæ sit, quomodo vincamus diabolum. Imo non nostri studii opus est, sed divinæ gratiæ totum est. Unum nobis curæ sit, quomodo nobis conciliemus illius gratiam, ut trahamus ad nos favorem illum. Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Cùm igitur tam disertè Chrysostomus gratiæ astipuletur, & hinc gratis à Deo dari, nullisque præeuntibus nostris meritis, hinc invictæ esse efficaciæ confiteatur: non potest illum fefellisse, quod ex his nascitur, quod his conjunctissimum est, gratiæ quoque æternam esse electionem, ex mero misericordiæ proposito.

Hom. 72. pag. 386.

In Acta hom. 15. pag. 119.

CAPUT XIII.

Ex eodem Chrysostomo, demonstratur gratia præveniens, conversionis & perseverantiæ effectrix, gratis ab æterno prædestinata.

I. Paulinas Epistolas ita interpretatur Chrysostomus, ut gratiæ prævenientis necessitas, & efficacia ubique effulgescat.

II. Multa ex Chrysostomo argumenta gratuitæ prædestinationis.

III. Etsi temporum necessitas cogeret adversus hæreticos libertati nostræ infensos certare: multus tamen est semper Chrysostomus in gratiæ commendatione, & gratuitæ prædestinationis.

IV. Rursus alia ex Paulo & Chrysostomo ad efficacis gratiæ & gratuitæ prædestinationis patrocinium argumenta.

V. Iterum Chrysostomus de prævenientis gratiæ efficacia ex Paulo.

VI. Et ex Ecclesiæ precibus.

VII. Ex Pauli rursus Epistolis.

VIII. De eadem rursus prævenientis gratiæ necessitate, & efficacia.

I. NOn jam Chrysostomum audiamus, sed Paulum ipsum, ore & stylo Chrysostomi arcana gratiæ & prædestinationis referentem. Prævenienti ita primùm subscribit: *Vocatus Apostolus: Ubique vocatum se appellat, suam ostendens modestiam, & quod non ipse quærendo invenerit, sed vocatus præsto fuerit & obedierit. Quin & eos qui in Christi fidem sunt recepti, sic appellat, vocatos sanctos.* Nec id officit quod mox ait, *Evangelium si ab initio non dedit, in causa sunt, qui id noluerunt admittere. Nam quibus voluntas affuit, audierunt. Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.* Quin dogma prædestinationis gratuitæ hinc emergit. Nam

Tom. 9. Hom. 1. in Ep. ad Rom. pag. 6, 7, 8.

Nam nullis præcedentibus meritis, imo multis obruti peccatis, hi quidem vocati sunt; illi verò in impietate sua relicti sunt, ut ne audirent quidem Evangelium, vel à Prophetis prænunciatum, vel ab Apostolis promulgatum, nempe à quo moribus prorsus alienati erant, abhorrebantque. Quid hoc aliud est, quàm electio gratiæ alios gratis adsumens, alios justè præteriens? Nam etsi eorum erat qui vocabantur, vocanti gratiæ consentire: ipsa tamen gratiæ vis consensum hunc electis ad Apostolatum donabat. Unde idem mox: *Gratiam & Apostolatum ut obediatur fidei. Non igitur Apostoli fuere, qui egregia illa facinora præstitere, sed gratia illos præveniens. Illorum enim erat circumvagari, ac præconium facere; persuadere* (τὸ ἐγχειρισθῆναι.) *autem, Dei erat in illis vim exerentis. Unde & Lucas ait, Aperuit cor ipsorum. Et rursum, Quibus datum est.* Deus persuadet, Deus operatur, Deus aperit cor, Deus dat. Ideo observat sanctus Doctor omnia à Paulo vocari dona Dei, quæ nostra sunt merita: (Ibidem. Hom. 12. pag. 16.) *Consuevit, quæ magna illius est modestia & gratitudo, rectè facta ac merita, gratias ac dona vocare, quod in his multo indigeamus superno auxilio.* Et infrà: (Hom. 9. pag. 92.) *Per hæc verba, spes non confundit, non ad nostra merita, sed ad Dei dilectionem charitatemque erga nos, totius negotii laudem retulit.* Toties firmatæ divini efficaciæ adjutorii nihil pugnat, (Hom. 15. pag. 174.) quod infrà idem aliter quàm Augustinus interpretatur illud Apostoli, *Iis qui juxta propositum vocati sunt. Propositum hic dicit, ut ne totum vocationi tribuat. Ita enim contradicturi erant & Judæi & Græci. Nam si vocatio sola sufficeret, qua tandem causa non omnes salvi facti sunt? Propterea ait non vocationem tantum, sed & ipsum propositum vocatorum salutem effecisse. Neque enim violenta aut coacta facta est vocatio.* Propositum Dei Augustinus interpretatur, Chrysostomus hominum: utrique sua constat ratio & veritas. Nam & efficaciam gratię alibi declarat Chrysostomus, hìc libertati humanæ consulit: & Augustinus alibi libertati patrocinatur, hìc efficaciam gratiæ ex vocantis proposito colligit. Utrique ergo de reipsa convenit: utrique convenit eundem Scripturæ divinæ locum aliis & aliis illustrari posse sensibus, dummodo veritati consentaneis.

II. Inferiùs autem idem sanctus Pater multò luculentiùs prosequitur patrocinium gratuitæ prædestinationis. Dignos eligi sæpiùs admonet, sed & ex antedictis & ex consequentibus abundè constare potest, dignos non vocari à Chrysostomo, qui bonis operibus vel meritorum rudimentis qualibuscumque insignes prę cæteris sunt: cum toties inculcaverit, nondum natos, nondum quidquam operatos boni, adhuc in peccatorum cœno jacentes, ex misericordiæ consilio eligi. Sed dignos vocat, quos suo Deus consilio exequendo idoneos fore præscit, si modò gratia præveniente & subsequente à peccatis expiati, & justitiæ (Hom. 16. pag. 192. &c.) fuerint vendicati. *Qui animam probare novit, is novit etiam, quis dignus sit salvus fieri. Cede igitur incomprehensibili electionis judicio. Etenim solus ille exactè novit coronare. Quàm multi ergo Matthæo meliores esse videbantur, ab apparenti operum argumento? Verùm qui arcana nòvit, quique cogitationis aptitudinem probare potest, is & in cœno margaritam jacentem novit, omissisque aliis admiratus hujus pulchritudinem, illum elegit, voluntatisque nobilitati suam cum adjunxisset gratiam, probatum illum esse pronunciavit.* Exemplo artificum quorumlibet interjecto, qui soli norunt quæ suo opificio materia sit aptior: *Multo magis benignus Deus ipsa immensa sapientia, & exacta ea atque incorrupta, de omnibus calculum feret. Propterea Publicanum elegit, & latronem, & meretricem: Sacerdotes autem & Magistratus & Senes improbavit & ejecit. Ne igitur ad reddendæ rationis calculos opificem advoces, &c. Ideo dixit, Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Neque enim operum probationem quærit solum Deus, sed & voluntatis nobilitatem, ac probam gratamque mentem. Quisquis enim talis fuerit, quamvis casu circumventuque aliquo peccaverit, actutum ad se rediens, se sibi restituet: quamvis in vitio fortè aliquo commoratus fuerit, non negligetur, sed illum è vestigio revocabit, qui omnia novit Deus.* Perspicuum hìc est, non prescientiæ operum superstrui à Chrysostomo prædestinationem aliorum præ aliis æternam ad gratiæ & gloriæ dona. Præterquam quod enim disertè Apostolus docebat, *Antequam quidquam boni egisent, &c.* id ipsum Chrysostomus repetit semel & iterum, non eligi homines *ab apparenti operum argumento*, etiam præscitorum: item *non operum probationem à Deo quæri.* Secundo expresse monet electum esse Matthæum *in cœno jacentem* peccatorum, item *publicanum, latronem, meretricem.* Tertio ait hos esse prælatos cæteris, qui in bonis operibus tunc versabantur. Quarto ait consideratam esse à Deo in Matthæo, *τὴν τῆς προαιρέσεως εὐγένειαν*: voluntatis nobilitatem: & *γνώμην εὐγνώμονα*: gratam & bene affectam mentem. At in his nihil est boni operis, nihil boni meriti. Ingenii quædam nobilitas ea est & indolis generositas, quæ ut ad virtutem sit longè aptior, non raro tamen in vitiorum gurgite delitescit & æternùm delitescet, nisi aspirante Dei gratia inde eximatur. Quinto ideo Chrysostomus ait, huic *voluntatis generositati suam addidisse gratiam Deum, probatosque hos pronunciasse.* Ergo id ante gratiam in his prælucebat. At illi antè gratiam in peccatorum colluvie volutabantur. Ergo non ob aliqua prævisa merita, vel vocati, vel electi dicuntur, sed ob aptitudinem quandam penè naturalem, quam quibus vult, ingenerat Deus nascentibus. Sexto ea de causa mox ibidem subjicit Chrysostomus, Davidem à cæde & adulterio statim emersisse, Pharisæum suę superbię ergo derelictum, etsi alioqui bonis operibus studeret. At planum est superbiæ causa reprobari potuisse Pharisæum, à cęde autem & adulterio extractum Davidem, non ex aliquo suo merito, adeoque ex gratuita misericordia, quamvis ita comparatus esset, ut si divina illum gratia ex hoc restitueret lapsu, cautior inde, humiliorque, & in charitate flagrantior futurus esset. Sed ea in re nihil meriti inest. Quanti enim si superstites diu forent, à nequitia resipiscerent? Nec id tamen illis prodest. Quanti si vitam protraherent, desciscerent à justitia, ideoque à Deo pręripiuntur? Nec id illis officit. Sidonii converterentur, si spectarent miracula. Nec ulla inde illis utilitas advenit. Septimo ideo ibidem Chrysostomus hominibus imperscrutabilem, Deo autem soli notam esse ait hujus electionis rationem. Quod infrà confirmat ipsomet exemplo Pauli: *An dicet figmentum ei qui se finxit, &c. Nam in exigenda à Deo ratione, perinde affici oportet, ac ipsum lutum. Neque enim solum te non oportet contradicere, sed ne loqui quidem, aut cogitare, sed similem esse rei inanimi, &c.* Non esset autem hoc arcanum velut imperscrutabile tantoperè venditandum, si gratia ex ęquo omnibus oblata, suo ex consensu alii ad salutem, ex dissensu alii in exitium sponte ituri prescirentur. Trita illa & cuilibet pervia ratio est. At longè alia mens Chrysostomi. Et mox ibidem: *Quemadmodum figulus ex eadem massa, quæ vult vasa facit, nec ullus contradicit: ita & hic ex eodem hominum genere, alios quidem supplicio, alios honore dum afficit, ne curiosus, sollicitusque sis causæ pervestigator, sed hunc adorato tantum, & lutum imitare: & quemadmodum illud figuli manus sequitur, sic & tu sententiam ejus qui hæc dispensat. Nihil enim temerè, nec fortuito facit, ut etiam ignores sapientiæ arcanum.* Consentit ergo Chrysostomus gratuitę prędestinationis decreto, qui ejus arcanum adeo nobis impervium & ineffabile tam prolixè demonstrat.

III. At verò cum paſſim homines ex his Pauli verbis, & ex ultro ſplendeſcente inde dogmate gratiæ efficacis, atque gratuitæ electionis, aucuparentur patrocinium ſuæ vel hæreſi vel nequitiæ, quaſi oppreſſa extinctaque libertas humana eſſet; hinc neceſſitas incubuit Chryſoſtomo, libertatem & bonorum operum neceſſitatem defenſitare. Ideo omnia quantum potuit verba Chryſoſtomus ad libertatis & bonorum operum præſidium arripuit, non ſine aliqua tamen quanquam parciore gratiæ mentione. Ex adverſo Auguſtinus, cum adverſus gratiæ hoſtes, libertatis autem patronos effrænes decertaret, omnia ad gratiæ amplificationem accommodavit, nequaquam tamen injurioſus libertati. Itaque verba ipſa utriuſque ad ſcopos tam diverſos deſtinata, non poſſunt non aliquantulum diſcrepare: porro ſententia ipſa & ſibi ultro citroque & veritati concordat. Audi Chryſoſtomum: *Quemadmodum Pharao vas iræ effectus eſt à ſua iniquitate, ita & hi vaſa miſericordiæ à ſua probitate, gratoque erga Deum animo. Quanquam enim quod plus eſt in re, ipſius Dei eſt: tamen & ipſi etiam parvulum quiddam attulerunt. Quapropter non dixit, Vaſa rectè factorum, neque vaſa fiduciæ, ſed vaſa miſericordiæ, oſtendens rem totam Dei eſſe. Nam illud, Non volentis, nec currentis, etſi in objectionis ordine ac loco dictum eſt, tamen à Paulo dictum nullam affert dubitationem. Quum enim dicit, Non volentis, neque currentis, libertatem non tollit, ſed oſtendit rem totam non illius eſſe, ſed ſuperna indigere gratia. Opus eſt enim & velle & currere: confidere autem non propriis laboribus, ſed Dei benignitati. Quod & alibi ait, Non ego autem, ſed Dei gratia quæ mecum eſt.* Dum ſuus libertati locus ſit, reliqua omnia gratiæ ultro concedit Chryſoſtomus. At quoniam nulli deficiunt neceſſaria & ſufficientia ad ſalutem gratiæ auxilia, eaque à reprobis repudiantur, hinc ſua illos contumacia fieri vaſa iræ, rectè ſanctus Doctor & reprobari exiſtimat; alios autem eligi in vaſa miſericordiæ, ut qui oblatæ ſibi gratiæ conſentiant. Quis enim dubitat, gratiæ conſentire electos, reprobos adverſari? *Unde ergo alii quidem vaſa iræ, alii autem vaſa miſericordiæ? A propria voluntate. Deus autem admodum bonus cum ſit, in utriſque eandem oſtendit bonitatem. Etenim non eos modò quos ſervabat, miſeratus eſt, ſed & Pharaonem ipſum, quantum quidem in ipſo fuit. Eandem enim lenitatem & illi & hic aſſecuti ſunt. Qui ſi ſervatus minimè fuit, rei totius culpa ab illius animo accidit. Nam Dei partes atque officia nihilominus accepit, quàm qui ſervati ſunt.* Et Paulus ipſe præmonuerat, vaſa iræ Deum in multa patientia diu toleraſſe dum reſipiſcerent; at Dei benignitate ex adverſo eorum improbitatem recruduiſſe. Ideo rectè prædicat Chryſoſtomus gratiæ medicinam reprobis etiam propinari, ſed ab eis reſpui, ſuaque adeo illos voluntate perire. Electos medicinæ acquieſcere, & ea uti ac perſanari, nullus ambigit Auguſtinianæ defenſor ſententiæ. Ergo nihil deviat alter ab alterius doctrina. Etſi Chryſoſtomus obſcurè tantùm inſinuat, quod apertiſſimè Auguſtinus promulgavit, Electos etiam medicinali gratiæ & primùm diu reſtitare, & ubi annuerint, ſubinde obluctari: adeoque poſſe tum illos peræquè in vaſa iræ à Deo abjici, ſed æterno miſericordię conſtantioris propoſito & electos eſſe ante tempora, & in tempore ſervari quadam gratię beneficentiſſima importunitate, qua tandem perficitur, ut & convertantur & perſeverent. Cur hac gratiæ ſuæ conſtantia, & pia adversùs crebras repulſas pertinacitate aliquos dignetur Deus, non alios, hoc illud eſt arcanum nulli homini veſtigabile, de quo ſuprà Chryſoſtomus cum Paulo. In Ægypto enim non Pharao tantùm adversùs gratię divinæ beneficia, ſed & Iſraelitę multa & gravia commiſerunt, ut ibidem & alibi perſæpè Chryſoſtomus advertit. Ita cùm omnes

Ibidem: ἀπὸ τῆς οἰκείας ἀγνωμοσύνης.

poſſent ex æquo abjici, Pharaonis pœna Iſraelitas Deus ad reſipiſcentiam provexit: *Ubi noluit ille ad pœnitentiam uti lenitate Dei, uſus eſt illo Deus ad aliorum correctionem, per ſupplicii genus quo illum affecit, alios ad virtutis ſtudia addictiores & attentiores faciens.* Ita & infrà cum Paulo docet, *Iſraelem qui ſectabatur juſtitiam, ad juſtitiam non perveniſse: gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehendiſse juſtitiam &c.* Hujus dubitationis brevem ſolutionem à Paulo induci advertit: *Quòd non à fide, ſed tanquam ab operibus* juſtitiam ſectarentur Judæi. Id in cauſa fuit, ut meritò ſuo reprobarentur Judæi. At ut Gentes eligerentur nihil cauſæ fuit, nihil affertur vel à Paulo vel à Chryſoſtomo. Integrum erat, Judęos ſuperbiæ, Gentiles Idololatriæ ergo repellere, & omnes ſcelerum vinculo conſtrictos pœnæ addicere. Sed electione gratiæ his condonata Idololatriæ culpa, juſtitiæ conſilio illis irrogata eſt ſuperbiæ pœna. Conſtat ergo quod ille ibidem ait: *Non totam rem eſse Dei: quandoquidem ſi hoc eſset, nihil eſſet, quod omnes ſalvos fieri prohiberet.* Cùm enim gratia aliquos invictiſſimè ſervet, alios ſua libertas gratiæ aſpernatrix demergat, utique non totum Dei eſt. Aut ſi mavis, cùm omnibus medicina propinetur, ab omnibus plus minùſve reſpuatur, conſentaneum eſt, aliquos inſaniæ pœnas dare, aliquos ad laudem gratiæ Dei eripi & ſervari.

IV. Eidem gratuitæ prędeſtinationi infrà idem non obſcurè favet: *Quum dicit Paulus, quod & in hoc tempore nunc quoque reliquiæ ad eum modum ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſint, oſtendit & illa ſeptem millia olim per gratiam eſse ſalutem adepta. Illud autem ex eo etiam oſtendit, quod dicit, Reliqui mihi. Nam & illud oſtendentis eſt, quod potiorem partem ad ſalutem attulerit ipſe. At diçes, ſi ex gratia ſalus eſt, cur non omnes ſalvamur? Quia noluiſtis. Gratia ſiquidem licèt gratuita ſit, volentes tamen tantummodo ſalvat, non eos qui nolunt, qui continuò adverſantur, qui contradicunt.* Perſpicuè *potiorem partem* ſalutis, & alibi perſæpè totum divinæ gratiæ tribuit: *electionem gratiæ* hìc agnoſcit; idipſum colligit ex verbis Dei, *Reliqui mihi* ſeptem millia. Et tamen voluntas noſtra in cauſa eſt, ut non omnes conſequantur ſalutem. Quotquot enim pereunt, perire volunt, gratiamque oblatam repudiant. Sed ſi juſto judicio quidam permittuntur ſuæ contumaciæ inſeneſcere, immori, & perire: non injuſto, ſed occulto miſericordiæ conſilio alii, licèt perdiu & ipſi rebelles gratiæ, beneficiis expugnantur tandem, dum reſipiſcant & ſalventur. Et infrà: *Quod quærebat Iſrael, non eſt aſſecutus, electio aſſecuta eſt. Significanter ejuſmodi dictione utitur, qua tam ſupernam gratiam, quàm ipſorum ſtudium oſtendat. Neque enim ideo conſecutos eſſe dixit, quod liberam arbitrii poreſtatem ſublatam velit: ſed ut bonorum magnitudinem declaret, & quod potior quidem pars gratiæ ſit, non tamen totum.*

Ibidem. Hom. 18. pag. 218.

Hom. 19. pag. 223.

Multò id apertiùs alibi: *Vocatus Apoſtolus. Vide ut arrogantiam dejiciat, ſeipſum dicens vocatum. Non enim ego, inquit, inveni quod didici, neque mea comprehendi ſapientia. Sed cum Eccleſiam perſequerer & depopularer, vocatus ſum. Hìc ejus qui vocat, eſt univerſum: ejus autem qui vocatus fuit, nihil eſt, ut ſemel dicam, niſi quod obedierit. Per voluntatem Dei: Deus enim hoc voluit, ut ſic vos ſalvi eſſetis. Nos enim nihil rectè egimus. Sed per voluntatem Dei ſalutem invenimus. Et quoniam ei viſum eſt, vocati fuimus, non quoniam digni eramus.* Alibi dignos eligi, dignos vocari dicit Chryſoſtomus, vocari & eligi ob voluntatis nobilitatem, & generoſitatem propoſiti. Hìc autem vel Paulum ipſum negat vocatum vel electum eſſe, quòd dignus eſſet, ſed cùm popularetur Eccleſiam, cùm nihil boni egiſſet, per voluntatem Dei, cui ita viſum eſt, ut Dei & gratiæ univerſum ſit. Ne ita fœdè ſecum conflicte-

In Epiſt. 1. ad Corinth. Hom. 1. pag. 331.

flictetur sanctus Doctor, ita necessariò exponendus est, ut illa dignitas de qua priùs, illa voluntatis nobilitas, & ipsa Dei donum sit, jam naturam ipsam & ingenium præaptantis sibi eorum, quorum opera ingens aliquid molitur perficere. Et infrà rursus: (Ib. hom. 2. pag. 137.) *Propter gratiam gratias agit. Gratia autem non est debitum, nec remuneratio.* Ita ille ad illa Apostoli verba, *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, de gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu, quia in omnibus divites facti estis in illo.* Et mox ibidem: *Ubi est gratia, non sunt opera. Ubi sunt opera, non amplius est gratia. Si ergo est gratia, cur efferimini, & de vobis magnificè sentitis?* Et infrà iterum, de confluentibus ad Ecclesiam Gentibus universis: *Perspicuum fuit, quod* (Ib. hom. 3. pag. 349.) *non humana sapientia fuerit prædicatio, sed Dei gratia. Isti enim rudes & agrestes & imperiti expugnarunt sapientes & potentes & tyrannos, &c. Unde est perspicuum quòd sit magna crucis potentia, & quòd humanis viribus hæc non fierent. Non enim humanam habent naturam, sed erant supra naturam quæ gerebantur. Quando autem factum aliquid fuerit supra naturam, & longè suprà naturam, ita ut cum eo adsit quod decet & quod est utile, est perspicuum quod hæc fiant virtute quadam & ope divina.* Atqui id non aliud est quàm singularium hominum ad Ecclesiam conversio. Quæ fiebat virtute & omnipotentia divina, omnes naturæ vires exuperante; & longè antè, & alibi gentium æquè faciliter facta fuisset, si Deo esset omnipotenti visum, eandem virtutem aliàs & alibi explicare. Ubi vides quàm tota Chrysostomi doctrina electioni gratiæ conspiret. Idipsum mox arguit ex eo quòd scandalo & stultitia crucis converterit Deus Judæos & Gentiles, qui hac exasperari potiùs debuerant, utpote vel signa vel sapientiam affectantes. (Ib. hom. 4. p. 355. &c.) *Cùm signa quærentes, & sapientiam, non solùm non accipiant quæ petunt, sed etiam contraria audiant eorum quæ cupiunt, & sic tamen persuadeantur per contraria, quemadmodum non est infinita virtus ejus quod prædicatur.* Æquè alios quoslibet converteret & sibi devinciret *virtus infinita, & per contraria perficiens* quod sibi placitum est. Ergo etsi omnes vocat, si vocanti non omnes obediunt, non semper utitur virtute hac infinita & per contraria ipsa efficaci; utitur autem ut electos trahat. Et infrà: (Ib. hom. 5. pag. 361.) *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, &c. Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Omnia enim propter hoc facit Deus, ut nihil nobis imputemus, ut omnia Deo ascribamus.* Et infrà: (Ib. hom. 6. p. 374. &c.) *Quomodo non semper nobiscum est Christus? Nam si nobiscum non esset, non vicisset Ecclesia. Si non fuisset gratia Spiritus, non fuisset tantus consensus, à finibus ad fines terræ &c. Annon vides universum terrarum orbem accessisse, errorem dissipatum esse, Monachorum Philosophiam plusquam Solem resplendescere, choros Virginum, &c. Hæc à multis retro sæculis sunt prædicta, &c.*

V. His tot tantisque testimoniis gratiæ, ex electione & potentia infinita Dei efficacis, non colliduntur illa alia ibidem interjecta: (Ib. hom. 7. p. 340. 341.) *Nemo in Deum culpam conferat; nam quod non crediderint, non fit ex eo qui vocat, sed ex iis qui resilierint. At oportebat, inquis, vel invitos reducere. Absit. Non enim vim affert, nec cogit. Quis enim ad honores & coronas & convivia vocat invitos, & trahit vinctos?* Et hoc quoque vero consonat. Vocantur enim omnes, & sufficientissimis auxiliis ad salutem donantur. Illis non utuntur, pigritantur, rebellant, merito suo pereunt. Nec enim invitis & nolentibus salus infligenda. At, inquies, poterant non inviti & nolentes, sed ex nolentibus volentes effecti, per illa varia & opportuna importunaque gratiæ medicamenta, ita demum servari universi, ut servantur pauci electi. Quis ambigat potuisse Deum? sed ea exceptione uti non possunt, qui oblata sibi sufficientissima auxilia aspernati sunt. Indignis plurima gratis Deus contulit, & idonea saluti. Si plura aliis confert, penes ipsum est gratiæ suæ dispensatio & arbitrium.

Ad illa autem verba Apostoli infrà: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* (Hom. 12. pag. 423.) ita rursus præclarissimè Chrysostomus: *Ponamus te esse dignum laudibus, & verè habere gratiam. Ne sic quidem oporteret te efferre & superbire. Nihil enim habes domo allatum, sed à Deo acceptum. Quid ergo te habere præ te fers, quod non habes, &c. Acceptum habes, non hoc aut illud, sed omnia quæ habes. Non enim tua sunt hæc rectè facta, sed gratiæ Dei. Etiamsi fidem dicas, ea extitit ex vocatione, &c. At ipse ex teipso rectè egisti? Non potes hoc dicere, sed accepisti. Non tuum est, quod datum est, sed ejus qui dedit. Si enim accepisti, ab illo accepisti. Si autem ab illo accepisti, accepisti non tuum. Si autem accepisti non tuum, quid magnificè de te sentis, tanquam tuum habens?* Miror si quid usquam ex Augustini fonte fluxit purius & limpidius ad commendationem illius specialis gratiæ, cujus est totum, quidquid est boni; ac proinde cujus est tota boni efficacia. Illius enim est propria maximè laus, penes quem est cardo efficaciæ. Hinc lux aspergi debet superiori huic ejusdem dicto: *Sed & ante gratiam Paulus erat ad pedes Gamalielis: & propterea gratiam accepit, quoniam* (Ibid. hom. 5. pag. 369.) *ostenderat mentem dignam gratia.* Et istud enim studium in legem quo flagrabat tum Paulus, à gratia erat; quam ipse quidem deflectebat nonnihil à vera legis interpretatione, sed qua tamen illum sibi Deus jam tum præformabat. Alioquin haberet Paulus quod non accepisset, & gratiam Dei suo aliquo proprio prævenisset bono, & totus sibi colliberetur Chrysostomus. Prævenienti autem rursus gratiæ omnia deberi, idem infrà manifestè prædicat: *Dupliciter tumorem detrahit Paulus; quod ex parte sit scientia, & quòd nec eam ex se habeant.* (Ibid. Hom. 33. pag. 617.) *Non enim ego eum cognovi, sed se mihi ipse notum fecit. Etenim qui sedet in tenebris, donec quidem Solem non aspicit, non accurrit ad pulcritudinem ejus: sed ille se ostendit, quando illuxerit: quando autem ejus splendorem susceperit, tunc ipse quoque de cætero lucem persequitur.*

VI. Ad efficientem autem vim gratiæ præclarissimum rursus est quod idem Chrysostomus commentatus est in preces Ecclesiæ solennes. De Catechumenis enim hæc vota publicè nuncupabantur: *Ut cordium ipsorum aures Deus aperiat. Internas* (Hom. 2. in Epist. 2. ad Corinth. pag. 741.) *enim aures nondum acceperunt. Ideo prophetica gratia ipsis optatur. Dicit enim Propheta, Dominus dedit mihi aurem audientem. Hinc Catechumenus docetur se ab hominibus ista non discere, sed sublimitus atque è cœlis. Erunt enim omnes, inquit Scriptura, docibiles Dei. Atque idcirco ait, Et instillet ipsis verbum veritatis. Ita ut internè in ipsos infundatur. Ut timorem suum in ipsis seminet: At hoc non sufficit. Alia enim ceciderunt secus viam: alia super petras. Verùm nos non ad hunc modum postulamus, sed quemadmodum aratrum in terra pingui sulcos aperit; sic etiam hic ut fiat precamur: nempe ut in mentis imo innovati, semina injecta excipiant, ac quidquid audierint, accuratè retineant. Unde etiam hæc verba subnectit, Et confirmet fidem suam in animis eorum. Hoc est, ut ne in superficie jaceat, sed altè radices agat.* Hæ preces, hæ precum explanationes gratiam spirant, gratiam exprimunt, cujus aliquando efficacia non sit à libero arbitrio pendula; sed quæ incolumi libertati dominetur, eamque ex nolente volentem, ex repugnante morigeram efficiat, quando ad propositum Dei perficiendum, quando ad electorum salutem operandam id necessum est. Petitur enim à Deo, non ab homine, ut corda, ut aures internas hominum aperiat, ut verbum veritatis internè infundat, ut timorem suum inseminet, non illa semente vulgata & omnibus communi, quæ super petras etiam & secus viam effunditur, sed illa quæ cor innovat, quæ excipi se facit & retineri: id

id est, quæ conversionem & perseverantiam efficit ex potentia Dei infinita, ad quam ideo preces istæ funduntur.

Apertiora sunt etiam quæ mox ibidem subtexuntur in precibus: *Ut justitiæ Evangelium ipsis revelet. Nam sive idonei sint, nihil tamen id ipsis emolumenti attulerit, nisi Deus detegat. Sive Deus detegat, ipsi autem repudient, in idem rursus detrimentum prolabentur. Hac de causa utrumque petimus, ut & corda aperiat, & Evangelium patefiat.* Ergo gratia Dei id aliquando efficit, ut ne repudietur, id à Deo his precibus orat Ecclesia. Pergebant preces in hæc verba: *Ut det illis mentem divinam, castam cogitationem, vitam cum virtute conjunctam.* Et alia id genus multa, quæ potestatem divinam in corda hominum quocumque voluerit inclinanda tam dilucidè significant, ut nemo oculatus potuerit in tanta luce caligare, nedum Chrysostomus.

Tom. 10. Hom. 1. in Epist. ad Ephes. pagin. 1035. 1036. VII. Expendenda rursus sunt quæ scribit in hæc Apostoli verba sanctus Pater: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati, &c. Ne putes fidem sufficere, addidit vitam. Propterea dicit, Elegit nos ut essemus sancti, &c. Si autem homines eligentes, quæ sunt optima & pulcherrima eligunt, multo magis Deus. Et electos esse, Dei benignitatis & ipsorum virtutis indicium est. Omnino enim si probos elegit, ipse nos effecit sanctos. Sed oportet sanctos permanere.* Ambiguo hìc falli possemus, nisi jam familiaris nobis evasisset & sententia, & sermo Chrysostomi. Nihil de operibus prævisis, propter quæ elegerit Deus aliquos, non alios: verba Pauli perspicua sunt: ipsemet approbat nos vocatos esse, ut essemus sancti, non quia eramus sancti. Ergo cum ait multo magis à Deo, quàm ab homine eligi pulcherrima quæque, & proba, seu probata ac probatissima: innuit tamen Chrysostomus pulchros & probatos non fieri electos, nisi vi & gratia ipsa electionis. Unde & ipse confitetur, *nos à Deo sanctos effici*, ex vi nempe electionis. Si sanctos efficit, efficit & pulcros, efficit & probos. Nam quæ pulcritudo, quæ probitas, sicunde abest sanctitas? Si ex præscientia autem futuræ probitatis & virtutis Deus eligeret, æquè eligeret ex præscientia futuræ sanctitatis. At hoc negat Chrysostomus. Non enim sanctos eligit, sed efficit. Ergo sententia Chrysostomi est, quod Deus eligat, quos ipse effecturus est, & eligendo efficiat probos, pulcros & sanctos. Unde & confestim ibi: *Fuisse virtute præditos, & credidisse & accessisse, fuit hoc ejus qui vocavit, sed nostrum quoque.* Vides ut non sanctitas solùm, sed & virtus quælibet, gratiæ auxilio egeat. Et infrà: *Secundum propositum voluntatis suæ. Cur nos sic diligit? à sola bonitate. Gratia enim est bonitas. Propterea dicit, Prædestinavit nos in adoptionem filiorum, volens ut ostendatur gloria ejus gratiæ.*

Et alibi similiter Chrysostomus totum ita gratiæ tribuit, ut tamen cooperandi necessitas immineat libero arbitrio. Ait enim Paulus ad Philippenses, *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus*

Hom. 1. in Epist. ad Philipp. pag 1107. *bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi.* In quæ Chrysostomus ita disserit: *Ne humani quid patiantur, ita ipsos instituit, ut & præterita & futura ipsi Christo accepta ferant. Quomodo? Non dixit, Confido quemadmodum cœpistis, ita etiam perfecturos. Sed quis? Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet. Neque ipsorum in rectè facto aliquas esse partes negat. Dixit enim, Gaudeo super communicatione vestra: nimirum tanquam ipsi recte se gessissent. Neque tamen ipsis duntaxat rectè facta assignat, sed principaliter Deo, &c. Et hæc non exigua laus est, Deum in aliquo operari. Etenim si ille personarum acceptator non est, sed ad cujusque propositum spectans, nobis in virtutis officiis obeundis opitulatur, satis constat nos ipsos esse, qui occasionem demus cur ille nobis concilietur. Quare hac etiam ratione illos laudem esse promeritos non negavit. Cæteroqui si absolutè ageret, nihil sanè impedimenti esset, quo minus & Græci, & omnes omnino homines agerentur: si nos perinde ac ligna & lapides moveret, nec partes etiam nostras desideraret. Quamobrem cum inquit, Deus perficiet: hoc ad illorum laudem pertinet, quippe qui Dei gratiam ita sibi conciliarint, ut eis cooperaretur ad naturæ humanæ conditionem exuperandam. Atque alia etiam ratione hac in re laus inest, quod talia sint vestra rectè facta, ut minimè humana sint, sed divino impulsu sit opus.* Omnia hìc sana, modò pressiùs pensitentur. Nam primo gratia Dei omne meritum anteveniri, & meriti fucum atque imaginem quamcumque, multis argumentis prodit. Advertit enim à Paulo dictum, Qui cœpit in vobis, perficiet; non autem, Qui cœpistis, perficietis: vel, Vos cœpistis, Deus perficiet. Ideo ait, Omnia Christo accepta ferenda, & præterita & futura. Etsi aliquas denique partes esse affirmet liberi arbitrii, sed omnia vult tribui *prius & principaliter Deo*: προηγουμένως θεῷ. Secundo munus liberi arbitri non aliud esse declarat, quàm ut priori & prævenienti gratiæ cooperando, conciliet sibi gratias ulteriores, ad perficiendum id quod bene cœptum est. Disertè enim exprimit Chrysostomus partes nostras desiderari, ut opus bonum Deus in nobis *perficiat*, non ut incipiat. Ita sibi constat & concordat sanctus Pater. Tertio quod non omnes ad æternam salutem provehantur, culpam eorum ait esse, qui gratiæ Dei non obsequuntur. Si oblatæ enim gratiæ omnes obsecundarent, nemo periret. In ea esse sententia Augustinum quoque & alios Patres, alibi ostenditur. Quarto denique non similiter ait Chrysostomus, quod ad salutem æternam aliqui pertingant, laudem esse eam & industriam liberæ voluntatis, quæ gratiæ efficaciam addat. Quin ex adverso agnoscit, Deum incipere, Deum perficere, Deum principaliter efficere bona nostra opera & salutem, Deum in nobis operari, ἐνεργεῖν: *divino nos agi impulsu*: τῆς τοῦ θεοῦ ῥοπῆς.

VIII. Quibus finitima sunt, quæ idem differit in hæc Pauli verba: *Deus est qui operatur in vobis velle & operari.* Hinc adversarii ad labefactandum liberum hominis arbitrium insurgebant, aie- Ibid. Hom. 8 p. 1259. 1260.
bantque: *Si Deus est qui operatur in nobis, ut velimus, cur nos cohortaris: Si ipse est qui ut velimus, facit, frustra nobis dicis, Obedistis: non enim nos sumus, qui obedimus.* Adversus istiusmodi argutias, totus fertur Chrysostomus ad liberi arbitrii defensionem. Sicut ex adverso Augustinus, cum obtentu liberi arbitrii gratiam exciderent Pelagiani, totus in gratię admirationem rapiebatur. Ideo ergo statim reclamat, *minimè à Paulo nos privari libero arbitrio*: & in eam rem multa disputat. Porro ibidem statim efficacem gratiæ specialis alicujus vim ita extollit, *Vult nostram nos Deus ad illius voluntatem aggregare, atque ita ut vult vivere. Quod si Deus vult, & illud quod vult ipse operatur, certè hoc quoque operabitur ac præstabit, ut rectè vivamus.* Et infrà: *Si quid aliter sapitis, hoc quoque* Ib. Hom. 12. pag. 1291.
vobis Deus revelabit. Hoc, inquit, vos Deus docebit, id est, Deus vobis persuadebit, non tantum docedit. Nam docebat quidem Paulus, Deus autem inducebat. Et alibi: *Vide quomodo nihil dicit esse eorum, sed totum Dei.* Et alibi in hæc verba Pauli ad Timotheum: *Gratias ago ei, qui me confortavit Christo Jesu Domino nostro, quoniam fidelem me existimavit, ponens me in ministerio.* Ubi vides Paulum ipsum, tam eximium gratiæ Christi præconem & ejus maximè quæ sibi Ecclesiam depopulanti erogata fuerat, hìc tamen veluti ducem præire Chrysostomo, & ea dicere, ex quibus temperetur doctrina de gratia, ne libertas nostra funditus intereat. Ait Paulus Christum existimasse ipsum fidelem, cum in ministerio illum constitueret. Atqui non existimavit tantùm Christus, sed & effecit gra- Hom. 4. in Epist. 2. ad Thessal. pag. 1506. Hom. 5 in Epist. 1. ad Timoth. pa. 1533.

tiæ suæ vi fidelem Paulum, ut honestaret illum Apostolatu. Ex istiusmodi ergo sententiis, sicubi similes apud Chrysostomum occurrant, non est gratiæ prævenienti, vel electioni gratiæ insidiandum, vel Chrysostomi famæ. Is sanè in supradicta Pauli verba, non aliquid gratiæ contumeliosum, sed solam tuendæ libertatis necessitatem ostendit: *Vide ut omnibus in locis suam semper justitiam supprimat, totumque Deo ascribat, ita tamen ut libertatem non tollat arbitrii*. Et certè ipse Paulus illico declarat, quomodo fidelem eum Christus existimans fore, elegerit ad ministerium: *Qui prius fui blasphemus & persecutor & contumeliosus*. Ita abraditur omnis suspicio meriti præcedentis gratiam. Gratis ergo electus est à Christo presciente se effecturum esse ut fidelis esset. Eccur autem reliqui non similiter sunt electi, & fideles electi? Jam ratio hujus rei non latet. Cur reprobentur aliqui, causa præsto est. Cur eligantur alii, nulla subest. *Sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*. In quæ verba hæc scribit Chrysostomus: *Cujus ergo rei gratia, reliqui etiam Judæi misericordiam consecuti non sunt? Quia non ex ignorantia, sed ex proposito malo, scientes, prudentesque peccaverunt. Unde Christus ad ipsos, Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem quærentes: &c.* Subdit, cùm insaniebant Judæi in Christum, tunc Paulum forsan ad Gamalielis pedes sedisse. Erat in Judæis cur reprobarentur, erat & in Paulo cur reprobaretur, utpote persecutore, blasphemo, ignorante, incredulo: non erat adeo cur eligeretur: electus est tamen, ergo ex gratia. Unde mox Chrysostomus: *Hoc est, fidelem me existimavit. Nam & alio in loco ait, Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum. Et rursus, Qui operatur in nobis & velle & posse. Ostendit seipsum fuisse supplicio dignum, quippe misericordia hominibus ejusmodi solet inferri. Certè & alibi ait, Cæcitas ex parte contigit in Israel, sed gratia Dei superabundavit in fide & dilectione, &c. Blasphemus inquit eram & persecutor & contumeliosus, igitur & supplicio dignus. Sed misericordiam sum consecutus. Ergone solum misericordiam Dei prædicat, quod supplicia non intulerit? Minimè id quidem, verum & alia plurima & magna; neque enim solum imminente pœna nos eripuit Deus, sed & justos fecit, & fratres & filios & amicos & hæredes & cohæredes. Idcirco, inquit, superabundavit gratia*. Prævenientis gratiæ & gratuitæ ante sæcula electionis hæc sunt invictissima testimonia.

Rursus idem sanctus Doctor: *In Deo quidem* Hom. 4. in Epist. 2. ad Tim. pag. 1647. *gratia est, nullis enim præcedentibus bonis nostris in eum, sed sola gratia nos redemit*. Quæ porro humano generi redemptio est, ea est singulis hominibus justificatio. Tunc enim cuique incarnatur Christus, tunc innascitur, adolescit, moritur, resurgit singulis, cùm singulis in nobis formatur Christus per justificationem. Utrobique gratis, & nullis prævisis meritis. Quando ergo alibi ait, *Oportere nos primùm bona eligere, & tunc Deum afferre quæ sua sunt; non enim prævenire ipsum nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium. Quando autem nos elegerimus, tunc multum nobis affert auxilium*. Hom. 12. in Epist. ad Hebr. pag. 1841. De subsequente gratia & de incremento ac reliquo curriculo piæ vitæ ibi disputat sanctus Doctor. Et quanquam mox tum quoque plus Deo quàm nobis adscribendum esse afferat, meritò tamen affirmat, nostras priùs partes esse, ut religiosam vitam eligamus, non sine gratiæ aspirantis auxilio prævio, de quo aliàs toties: & ubi nos casto vitæ proposito mentem addixerimus, tum uberrima affore Dei auxilia. Ad Fideles enim & plerosque pios hæc concionabatur Chrysostomus.

CAPUT XIV.

Aliorum conglobantur Græcorum Patrum suffragia, pro gratiæ prævenientis & efficacis ad conversionem & perseverantiam necessitate; item pro electione gratiæ.

I. Prævenienti & efficaci gratiæ ut suffragetur Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus.
II. Rursus ex eodem.
III. Ex Didymo Alexandrino Spiritus sanctus gratia ipsamet est, & præveniens, & efficax, & omnipotens.
IV. Isidorus Pelusiota multus & ipse est in extollenda gratiæ prævenientis efficacia.
V. Ut conciliandus ipse sibi sit, cum gratiæ Dei hominis libertatem præire dicit.
VI. Theodoretus in elucidandis Ezechielis verbis, & efficacissimæ gratiæ, & electioni gratiæ suffragatur.
VII. Item in Pauli Epistolis interpretandis juxta Chrysostomi sententiam.
VIII. Indulgentiùs quandoque legendus Theodoretus, quod adversus hæreticos sui ævi liberum arbitrium oppugnantes, parciùs de gratia loqueretur.
IX. Conversiones apud Græcos aliquæ, vim efficacissimam gratiæ testificantes.
X. Dionysii Areopagitæ suffragatio.
XI. Et Joannis Damasceni.
XII. Bessarionis denique & posteriorum Græcorum.

I. Conglobatim reliquos nunc Patres interrogemus, ut consensum eorum quoque eliciamus, in hæc tria Augustinianæ & orthodoxæ doctrinæ fastigia, de gratia & prædestinatione. Temporis rationem incuriosiùs hic etiam observabimus, quòd ea hìc quidem res nihil conferat.

Cyrillus Hierosolymitanus gratia anteriorem voluntatis electionem facit, sed qua de gratia id intelligat, ipsemet aperit, nempe de baptismi sacramento, cui voluntarium, non simulatum, aut invitum accedere par est: *Ut qui milites sunt con-* Catech. 1. *scripturi, & ætatem & corpora deligendorum ad pugnam diligenter excutiunt: sic & Dominus delectum faciens animarum, voluntatem illarum scrutatur: ac si quam hypocrisin deprehenderit occultatam, reijcit hominem, tanquam ad veram illius militiam non idoneum. Si verò dignum invenerit, huic libenter confert gratiam. Non dat sancta canibus, sed ubi bonum videt propositum, illic salutare sigillum & admirandum imprimit, &c. Qui itaque spiritale hoc signaculum accipiunt, opus est voluntariè id faciant. Ut enim calamus scriptorius aut telum opus habet aliquo, qui cooperetur, sic & gratia credentibus*. Ea tamen consensio & cooperatio voluntatis nostræ ad acceptandam baptismi gratiam necessaria, non vetat quin gratia ea sit & gratis detur: *Ipsius quidem est plantare & rigare, tuum verò fructum facere. Dei est gratiam conferre, tuum verò acceptare & custodire. Non ideo spernas gratiam quòd gratis datur, sed potiùs religiosè cùm eam acceperis, custodito*. Et infrà aperiens cur sibi pro libero arbitrio perorandum sæpiùs esset, & gratiæ doctrina non exaggeranda: *Neque enim recipimus eos qui dictum illud malè in-* Catech. 7. *telligunt, Ex eo recognoscimus filios Dei & filios diaboli: tanquam sint aliqui inter homines qui natura aut salvantur aut perduntur. Non enim ex necessitate, sed voluntate in hujusmodi sanctam adoptionem devenimus. Quicumque receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Non enim ante fidem, sed ex fide sponte fieri filii Dei digni facti sunt*. Itaque Græcis mera

tui-

tuitio libertatis cordi erant, non ejus virium exaggeratio, non extenuatio gratiæ. Quin imò plerisque tam magnifica inerat existimatio de gratiæ viribus, ut hinc in errorem agerentur.

II. Cyrillus idem gratiæ necessitatem & efficaciam infrà præstantissimè describit: *Si fortè sedenti tibi de castitate aut virginitate subeat cogitatio,* Catech. 16. *Spiritus sancti est ea doctrina. Nonne persæpè puella, jam ad sponsi thalamum constituta, effugit, Spiritu sancto de virginitate eam docente? Nonne sæpè splendidus aliquis homo aulicus contempsit divitias, probè instructus à Spiritu sancto? Nonne juvenis sæpè videns pulcritudinem, compressit oculos, & ne amplius videret, aufugit, pollutionemque vitavit? Spiritus sanctus id erudivit animam adolescentis. Tot sunt avaritiæ cupiditates in mundo, & tamen nihil possidere eligunt Christiani. Qua de causa? Propter Spiritus sancti annuntiationem, &c. Magnum igitur commilitonem & auxiliatorem apud Deum habemus, magnum Ecclesiæ ductorem, magnum protectorem nostrum. Non timeamus ergo dæmones, nec diabolum. Major est qui certat pro nobis, modo illi ostia aperiamus. Obambulat enim ille, qui digni sunt quærens, & quibus dona conferat.* Et infrà: *Vis nosse ex Scripturis virtute Spiritus sancti Martyres Christo testimonia exhibere Salvator ipse dicit, Cùm adduxerint vos ad Principatus & Potestates, nihil solliciti sitis, quid respondeatis; Spiritus enim sanctus docebit vos in illa hora quid vobis dicendum sit. Fieri enim non potest, ut quis de Christo præbeat testimonium, nisi per Spiritum sanctum testetur. Si enim nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto, vitam pro illo & sanguinem quis profundet, nisi in Spiritu sancto?* Ex quo illud præclarissimum concludit: *Magnum quiddam est & omnipotens inter charismata, & admirandum, Spiritus sanctus.* Quibus duobus verbis totam gratiæ Theologiam complexus est Cyrillus. Si enim Spiritus sanctus est donum seu *Charisma omnipotens*, παντοδύναμον: ergo gratia & gratis datur, & suapte vi efficax est, aliquando saltem. Nec enim suam Deus omnipotentiam ubique & semper prodit. Quibus ex duobus apta & religata pendent cætera omnia.

Cyrillus idem mox ejusdem gratiæ efficaciam latiùs exequitur: L. I de Spiritu sancto. *Cogita quot nunc estis qui hic assidetis, quot nostrum animæ adsunt. In unoquoque tamen congruè operatur*, ἐνεργεῖ. *Extende mentem in totum Romanum Imperium, Nationes Indorum, &c. Perspice cujuslibet Nationis Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Monachos, Virgines & reliquos laicos; & respice magnum hunc Præsulem, & Gratiarum Parochum, id est, exhibitorem: quomodo in universo mundo alii quidem castitatem, alii virginitatem, alii studium paupertatis, alii vim repellendi adversarios tribuit. Et quemadmodum lumen uno radii progressu illuminat omnia, ita Spiritus sanctus eos qui habent oculos illustrat. Quòd si quispiam non respiciens, illius gratia non potitur, non Spiritum sanctum, sed suam arguat perfidiam.* Hoc ille argumento divinitatem Spiritus sancti adstruit, quòd ubique adsit, ubique dominetur, ubique operetur, bona ubique omnia operetur & donet, castitatem, virginitatem, paupertatis studium, martyrii patientiam invictam, piam quamlibet cogitationem. Nostrum est consentire dono, illius est dare & operari. διδόναι, ἐνεργεῖν.

III. Didymus Alexandrinus in eodem luculentissimè versatus est argumento: *Spiritus sanctus non solùm sejunctis à se hominibus præsto est, sed & singulis quibusque Angelis, Principatibus, Thronis, Dominationibus inhabitator assistit; & ut sanctificans eos, alterius est naturæ, &c. Quidam Spiritu sancto pleni esse dicuntur, nemo autem sive in Scripturis, sive in consuetudine, plenus creatura dicitur. Neque enim aut Scriptura sibi hoc vendicat, aut sermo communis, ut dicas plenum esse quempiam Angelo, Throno, Dominatione. Soli quippe divinæ naturæ hic convenit sermo. Dicimus autem quosdam virtutis & disciplinæ esse plenos, ut illud, Repletus est Spiritu sancto; non aliud significantes, quàm plenos esse consummatæ perfectæque virtutis.* Et ne longè arcessi ista suspiceris, refrica si vacat memoriam innumerabilium Scripturæ contextuum, ubi Spiritus sancti nomine gratia omnis & virtus intelligitur, auxiliumque quodlibet à Deo nobis ad æternam salutem suppeditatum. Porro quàm gratuita & quàm efficax sit gratia, & quàm nullis anteeuntibus meritis à Deo danda in tempore ante tempora prædestinetur, ex ipso Spiritus sancti nomine, ex ipsa increatæ naturæ majestate conjectari potest. Quibus enim meritis donabitur, aut promerebitur, aut dandus prædestinabitur Deus? Quis Deum sine Deo mereri & attrahere poterit? Porro vires & efficientiam Dei inhospitantis, auxiliantis, propugnantis, quis aliquo limite circumscribet? Nec ad primævum innocentis naturæ statum hæc trahenda sunt. Multò cumulatiùs enim nunc per Christum inhabitat in nobis Christus. Denique ut sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, nec ullorum meritorum ratio, sed mera Dei dilectio & gratia id præstare potuit; ita infundi Spiritum sanctum cum divinorum munerum & auxiliorum plenitudine, & infundendum prædestinari, nulllis meritis redditum est, aut reddi potuit, sed gratis indultum est, tantò evidentiùs, quantò & ipse Spiritus sanctus propriè donum & gratia est. Quocirca ibidem mox Didymus: *Quomodo enim ex plenitudine quis accipiens Salvatoris, plenus efficitur sapientia, & virtute, & justitia, & sermone Dei: sic qui Spiritu sancto plenus est, statim universis donationibus Dei repletur, sapientia, scientia, fide, cæterisque virtutibus, &c. Diximus & alibi quia superintelligatur in Spiritus sancti substantia plenitudo munerum divinorum. Denique impossibile est gratiam Dei sortiri quempiam, si non habeat Spiritum sanctum: in quo approbamus cuncta Dei dona consistere.*

IV. Isidorus Pelusiota: *Carbones succensi sunt ab eo, id est, sancti viri à Deo.* Et infrà: *Hac* L. I. Epist. 268. 270. *ipsa, quam tu vitium esse existimas, Domini discipulorum humilitate, ab omni fastu & ostentatione aliena, litterarumque inscitia, divini Evangelii vis ac potentia majorem in modum eminet: ut quæ per ea victoriam adepta sit, per quæ alii victi sunt.* Et alibi: *Divinæ sapientiæ opes in sacro-* L. 2. Ep. 4. 5. *sanctis Scripturis habemus, vilibus & abjectis atque indoctis verbis inclusas. Nam quid hoc significet, causam quoque ipse subjunxit, Ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. Nam qui verbi Dei præcones indoctos & illiteratos & infirmos esse conspiciebant, interim tamen victoriam ac palmam adipisci, Dei gloriam prædicabant. Siquidem Dei virtus in Apostolorum infirmitate perspectior erat, magisque explendescebat: propterea quod cùm imbecilli essent, robustos frangebant: & cùm paupertate laborarent, divites superabant: & cùm rudes atque indocti essent, sapientes & eruditos vincebant.* Divinæ gratiæ totum tribuit in Evangelii & Ecclesiæ propagatione, id est, in divitum, potentum, sapientum conversione ad fidem, ad stultitiam crucis, ad paupertatis & humilitatis studium. Sed longè præclarius quod idem disputat in illa Pauli verba, *Qui secundùm propositum vocati sunt. Omnes homines ita sunt affecti, ut illis studeant opitula-* L. 4. Ep. 15 & L. 5. Ep. 117. *ri & attendere, quos viderint nequaquam dormientes & ignaviæ deditos: sed ipsi se præparant & instruunt & prompti sunt ad officii partes peragendas. Qua igitur fronte tu postulare audes, ut dum ipse dormis ac stertis, nullaque salutis tuæ cura tangeris, insuperabile auxilium ad te volet: cùmque voto tuo frustraris, id ægrè fers? Præcedant itaque ea quæ tuarum sunt partium, quæque à te exiguntur, & tunc demum ea quæ sunt auxilii divini, subsequentur.*

Nam

Nam si non solùm verbis imploratum fuerit, sed etiam factis invocatum, quasi sua sponte accurret. Quod enim dormientes excitat, & nolentes instigat, id certè nequaquam deserit illos qui à seipsis virtutem amplectuntur, quin potiùs adjutabit eos sedulò & ad finem fœlicem perducet virtutis officijque rectam actionem. Aurea hęc prorsus, & cedro digna Epistola. Observa mihi primò in ea duplex auxilii genus, aliud quo *dormientes excitantur, instigantur nolentes*, quod adeo indignis confertur, & merita omnia antecedit. Alterum quod virtutem amplectentibus & ita illud advocantibus ac promerentibus confertur. Observa secundò hoc postremum tantùm auxilium, dici *insuperabile*. Etenim ut Chrysostomus suprà, alijque Patres Græci consentiebant, nostrum est eligere & virtutem amplecti; ea mox occasione arrepta Deus invicta præstat auxilia, & reliquum salutis opus ipse perficit. Itaque hìc constitui mihi videtur victrix illa perseverantiæ gratia, de qua Augustinus & nos alibi. Hanc autem consultò Chrysostomus gratiam à Deo addi docebat, non tam ex merito nostro, quàm ex ea arrepta occasione. Observa tertiò primam partem Epistolæ ita contextam esse, quasi nostrum sit eniti, nosmet excitare & eluctari ad virtutis studia, & ita promereri auxilium divinum. Postea autem expressè declaratur hos quoque conatus nostros prævenienti gratiæ & excitanti deberi. Similiter ergo ubi Chrysostomus & alii Græci aiebant, nostri esse muneris, ut priùs nostrum aliquid conferamus, & ita adsciscamus nobis opem divinam, æquè interpretandi sunt cum Isidoro, priores nostros conatus prævię & prælusoriæ alicui gratiæ imputare. Observa quartò cùm perseverantiæ dono maximè innitatur salus æterna, cùm illud insuperabile statuatur, & gratis à Deo detur, gratis enim datur, etiamsi ex occasione istiusmodi aliqua detur, ex hoc utroque placito gratuitæ prædestinationis decretum nasci.

V. Porro cùm tam apertum testimonium dixerit Isidorus gratiæ prævenienti, ut ex eo intelligas, concinnandam esse & aptandam reliquis Gręcis Patribus eandem humanioris interpretationis rationem, vide ut Isidorus ipse alibi nulla gratiæ præeuntis expressa mentione habita, libero arbitrio committat totam gratiæ sibi conciliandæ provinciam: *Quoniam per literas ex me sciscitaris, Ecquid sit quamobrem gratia Dei non ad omnes advolet. illud scito, id ex eo fieri, quod illa primum animi institutum expendat, atque ita demum accedat. Etsi enim gratia sit, non tamen temere ac citra discrimen ullum effunditur, sed mensuras ab iis qui eam accipiunt, sumens, tantum influit, quantum fidei vas sibi oblatum invenerit. Nam nisi ea quæ nostrarum partium sunt, primum requireret, ad omnes profectò advolasset, &c.* Hæc de gratia subsequente, ac perficiente fabricam salutis scribi, nec interim detrectari gratiam illam præambulam, quæ prima ponit fundamenta, ex antedictis patet. Alioqui & sibi committeretur Isidorus, & fidem ipsam humanis viribus tribueret, præter suam, præter Chrysostomi sui, præter fidelium omnium sententiam.

L. 3. Ep. 171.

Sed & gratiam illam præambulam nulli deesse, humanosque conatus omnes antevertere, & nostrarum non esse partium nisi consentire, alibi apertè idem confitetur, ut nihil hinc vel sanæ de gratia doctrinæ vel Augustini sententiæ adversarium fingi possit: *Divina gratia humanæ mixta industriæ ac animi promptitudini, salvum facit hominem. Quocirca etiam dicit Apostolus, qui Christum habebat in se loquentem, Cooperatur iis qui secundum propositum vocati sunt. Non enim sola vocatio, (omnes enim vocati sunt quidem, sed non obedierunt vocationi) verùm etiam propositum voluntatis animique propensio, in vocatis salutem operatur. Non enim coacta est vocatio, neque violenta, sed voluntaria ac spontanea.* Paulinum dictum longè alio sensu exponit quàm Augustinus, de proposito nempe hominis, seu de consensu quem Deo vocanti præstat. Atqui & hunc consensum esse necessarium, & multos vocari qui non obediant, ideoque jure reprobentur, frequens prædicat Augustinus. Nihil ergo disconvenit, nihil utrique pugnat, si sententiarum potius quàm verborum ratio habeatur.

L. 4. Ep. 51.

VI. Theodoretus in eandem sententiam interpretatur illa Dei verba apud Ezechielem: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo vobis. Per hæc mentis mutationem significat. Ad meliora enim cor vestrum inclinabitur, non item secundum pristinam consuetudinem ad deteriora. Illud verò, dabo, nequaquam liberum lædit arbitrium. Verbis enim & operibus & infinitis adhibitis miraculis, non illis tantum, sed etiam omnibus gentibus persuasit, ut ad pietatem accederent, non coegit. Et tamen quamvis non coegerit, sed persuaserit, se animis dedisse ait ad meliora propensionem. Quippe ipse author hujusce rei, tum his quæ dixit, tum quæ fecit, effectus. Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum dabo in vobis. Ne hæc quidem ante Christi Domini adventum facta sunt. Sed postquam Deus Salvator noster homo factus est, & ad cœlos ascendit, advenit super sacros Apostolos Spiritus sanctus, per quos gratia non Judæis solis, sed omnibus his, qui ex gentibus ad fidem convenere, subministrata fuit. Lapideum autem cor, vocat adversarium & rebelle. Carneum verò, obediens & dicto parens, quodque divinarum literarum figuras possit excipere. Et faciam ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & faciatis ea. Hoc autem Spiritus gratiæ proprium est, quæ nostrum adjuvans liberum arbitrium, efficit ut rectè procedant quæ dicta sunt.* Hic radiat primò gratia antecedens omne meritum, ut quæ auferat cor lapideum, id est, adversarium & rebelle, cujus nulla sunt utique merita bona, mala sunt plurima. Radiat secundò gratiæ efficacia ipsi propria & adnata, ut quæ cor adversarium & rebelle auferat, cor morigerum det, inclinet cor ad meliora: persuadeat, faciat, ut in justificationibus Dei ambulemus. Radiat tertiò prædestinatio gratuita, qua effectum est ut ante Christi adventum paucissimis, post & per adventum Christi omnibus gentibus infunderetur hæc gratia salvifica. Æquè enim ante Christi adventum, æquè ab exordio & primo lapsu hominis corda hominum lapidea auferre, carnea inserere, efficere ut in mandatis suis incederent, in potestate Dei erat, vel interiùs inspirando spiritum novum, vel exteriùs miracula & portenta patrando: atque post Christi adventum. Gratuitæ ergo electioni adscribendum est, quod illa gratiæ invictę exuberantia novissimæ mundi ætati reservata est. Radiat quartò gratiam hanc victricem duobus constare, inspiratione intima cordis novi & morigeri, tum operum & miraculorum exhibitione. Utrumque disertè exprimit Theodoretus, utroque effici existimat, ut homo dum à Spiritu sancto inclinatur ad meliora, cogi non existimetur, sed persuaderi. Reapse enim dum & interiùs inspirata suavitas inclinat animum, & extrinseco ostento sensus percellitur & in aliquid urgetur, tunc non expectat homo se cogi, sed sponte consentit. Nec Augustinus abhorret ab hac gratiæ efficacis ratione, ut infra ostendetur.

In cap. 36. Ezech. Tom 2. pag. 500. 501.

VII. Theodoretus idem insistens in vestigia Chrysostomi, Paulina placita de prædestinatione & gratia iisdem verbis interpretatur: *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, &c. Quorum propositum præscivit, hos ab initio prædestinavit: prædestinatos autem etiam vocavit: deinde vocatos per baptismum justificavit: justificatos verò glorificavit, filios nominans & sancti Spiritus eis dans gratiam. Cæterum nemo præscientiam horum causam esse dicat. Non enim*

In cap. 8. Ep. ad Rom.

enim præscientia eos tales effecit; sed Deus ea quæ futura erant, procul prospexit ut Deus. Præscivit hauddubio propositum bonum hominum, & ita eos prædestinavit; sed illud ipsum effecit ipse, & ita præscivit. Præscivit enim se per & post Christi adventum, non antè, non aliàs, tanta ubertate gratiæ homines cumulaturum, tantis miraculis à peccando & à perfidia revocaturum, ut persuaderet fidem, ut inclinaret ad cœlestium charitatem. Ecquod enim aliud propositum præsciebat, in illis quibus cor lapideum, adversarium & rebelle nondum abstulerat? Quid enim propositum aliud quàm cor, vel opera redundantia ex affectibus cordi insitis?

Adde quod prædestinationis effectus vocatio ipsa esse, & à Paulo, & à Theodoreto insinuantur. At vocationi nihil meritorum præivit, quin ingens potius sarcina peccatorum. Unde alibi idem Theodoretus: *Docet Paulus apertiùs doni magnitudinem, dum ait, Gratia estis servati. Non enim propter optimam vitam nostram vocati sumus, sed propter ejus qui nos servavit charitatem, &c. Dei gratia nos his bonis dignata est. Nos enim solam fidem attulimus. Quin & hujus divina gratia fuit adjutrix*. Et hoc non ex vobis. Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. *Non enim ultronei credidimus, sed vocati accessimus; & cum accessissemus, vitæ puritatem non exegit, sed sola fide suscepta, peccatorum remissionem condonavit. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Creati, hic dixit de regeneratione. Vocavit nos inquit per suam bonitatem ineffabilem: obedivimus, & cum credidissemus, salutem sumus consecuti*. Vocationis gratiam ut vides non anteivit, nisi bonitas ineffabilis & charitas Dei, nostra autem improbitas. Ut enim antè monuerat: *Eramus natura filii iræ*: hoc est, interprete Theodoreto, *iræ digni & ultimo supplicio*. In Epist. ad Eph. cap 2.

VIII. Utque redeamus ad priùs delibatam Epistolam Pauli ad Romanos, multa ibi Theodoretus disputat, simillima eorum quæ ex Chrisostomo suprà retulimus, parem interpretis clementiam flagitantia. Ut quæ in id unum colliment, ut consultum sit libero arbitrio. Qua de re omnibus convenit. Interserit aliqua tamen Theodoretus, ex quibus subrutilat gratuita prædestinatio. Cùm enim in nequitiæ voragine mergerentur & Ægyptii & Israelitæ, & in potestate Dei esset utros liberaret, vel utrosque redundantia quadam misericordiæ, vel austeritate judicii liberare vel damnare: Ægyptiorum exitio castigare & emendare Israelitas, sibique & saluti afferere decrevit. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Non fuit Deus author improbitatis Pharaonis, sed ipse patientia de more usus est, ille autem patientiam existimavit imbecillitatem, & ejus causa suam auxit contumaciam. Sed tamen cùm sit universorum gubernator, justum illi intulit supplicium, & ex ejus improbitate salutare ad mala profliganda aliis medicamentum composuit*. Et Israelitas patientia sua abutentes perdiu, æquè potuerat Deus conterere, & eorum supplicii enormitate emollire Ægyptios. Gratis ergo hos liberat, illos justissimè reprobat, arbitrium & potestas hujus delectus penes ipsum est. Cùm ergo mox ait Theodoretus, *vasa misericordiæ appellari à Paulo, eos qui Dei benignitate digni sunt*: dignos Dei benignitate intelligit eo sensu, quem inculcavimus jam sæpissimè, qui vocanti Deo consentiunt, dictoque audiunt, quod ipsis ex gratiæ dono confertur. Alioqui sibi ipsum committes Theodoretum. Ita & cùm alibi ait: *Psalmus dicit, Accepit dona in hominibus, Paulus autem posuit, Dedit. Utraque autem facta sunt. Accipiens enim fidem, dedit gratiam*. Atqui non ita accepit fidem, repensandam gratia; quin priùs gratia anteriore & præveniente fidem ipsam dedisset. Ita enim credere nos cogit fidei norma. Ita enucleatè definitum erat tempore Theodoreti. Ita Theodoreto Paulus ipse tradiderat paulò antè. Ita denique Theodoretus ipse professus fuerat, ut suprà ex ejus verbis constitit. Hinc perspicis quàm non temerariæ, etsi humanæ sint nostræ interpretationes in hujusmodi Patrum loca. Porro Theodoretum quàm multa cogerent excurrere latiùs ad liberi arbitrii vires explicandas & amplificandas, ut sui ævi hominum, vel causationibus, vel deliramentis & erroribus occurreret, facilè colliges ex sermone ejus quinto de curatione Græcarum affectionum, qui totus in eo penè est, ut allatratores comprimat humanæ libertatis.

In cap. 9. Ep. ad Rom.

In Epist. ad Ephes. c. 4.

IX. Sine piaculo omitti non potest quod narrat Sozomenus, dum celebraretur Nicæna Synodus, Philosophum prophana eruditione tumentem ab illiterato sene ad fidem adductum esse, nuda & jejuna fidei enarratione, & percontatione, an non ita crederet. *Credo, inquit, & gratiis illi actis quod ipsum devicisset, non solùm eadem ipse cum sene sentire, verùm etiam consilium dare cœpit illis qui perinde erga fidem Christianam, atque ipse antè, affecti erant, ut jam doctrinæ Christianæ assentirentur: atque jusjurandum adjecit, se non modò, non sine numine divino mutatum esse, sed etiam virtute quadam inexplicabili ad Religionem Christianam conversum esse*. Divina & inexuperabilis gratiæ efficacia hìc perspicuè splendet, homini tum maximè male merenti de nostra fide divinitus misericorditerque insiliens, & salutem conferens. Divina eadem vi potuisset & quivis alius converti, si & illum gratiæ electio spectasset. Consule si vacat Theophylactum Simocattam, ubi multò admirabilius quid de nobili fœmina, sub Chosroe Persarum Rege, quæ in ipso nuptiarum epulo, in extasin rapta, æterna tum præmia, tum supplicia ac reliquam Ecclesiæ fidem edocta, ut ad se rediit, hæc profiteri cœpit, & *divino amore mentem erecta*, ditissimos à marito & à Persis cruciatus perpessa, nostris demum initiata mysteriis, post vitam innocentissimè actam, in cœlum evolavit. Id genus aliquammulta à Græcis etiam Scriptoribus commemorantur, ex quibus non potuit illos fallere veritas Augustinianæ sententiæ de gratiæ electione & efficacia. Hist. l. 5. c. 11

X. Et erga singulares aliquos homines, & erga gentem vel ætatem aliquam præ aliis, nec nescire, nec inficiari poterant Græci, prolixiora se effudisse gratiæ divinæ beneficia, & validiora ad capessendam immortalitatem auxilia. Nihil tamen minùs persuasi erant, nulli omnino deesse à Deo sufficientia procurandæ salutis adjutoria. Ideo ergo sæpè pronunciabant, æqualiter Deum omnibus consulere & admovere adjumenta salutis, homines suo sibi arbitrio vel bona vel mala æterna asciscere. Et quidem indubitatè constant illa duo, & cuique privatim necessaria prospici à Deo auxilia, ac liberi arbitrii usu recto pravoque ad præmia vel ad pœnas homines agi. At interim illud quoque à Græcis leviùs delibatum, à Latinis vehementiùs roboratum dogma, constat quoque, nec anterioribus pugnat, longè uberiora quibusdam auxilia & gratiarum munera infundi à Deo, vel ætatibus, vel regionibus, vel singularibus hominibus aliis præ aliis: putà post Christum, quàm antè; ubi disseminatum est Evangelium, quàm alibi; Paulo, Apostolis cæteris, & compluribus aliis, quos gratia divina obsidere videtur undique & oppugnare, donec expugnet. Et hi tamen sponte sua cedunt consentiuntque abundantioribus gratiæ auxiliis; & illi parcioribus, sed tamen sufficientibus sponte & libenter restitant, adeoque suæ quique sortis architecti sunt, liberi arbitrii sui nutu. Ea mente loquitur Dionysius, ubi inquirentibus, *Quare populus Hæbreorum solus ad divinas illustrationes sit evectus?* respondet, *cæteras Gentes propriis motibus à recta* Cœlest. Hierar. c. 9. c. 3. 4

recta quæ ad Deum ducebat via deflexisse per amorem proprium suamque pervicaciam, &c. Neque enim vita nobis est, cui vis illata aut imposita necessitas, &c. Sed oculorum mentis dissimilitudo facit, ut exundans paternæ bonitatis illustratio vel omnino cassa sit, & propter eorum repugnantiam inutilis: vel ejus participationes existant inæquales, parvæ vel magnæ, obscuræ vel claræ, cùm unus sit & simplex, eodemque modo se semper habeat fontalis ille radius, qui jugiter est expansus, &c. Immensum & exundans luminis pelagus, quod in promptu omnibus ad participandum est expansum. Itaque cùm gratiæ lumen adesset & instaret, sponte sua caligaverunt Gentes aliæ, & illi terga dederunt; ita libero arbitrio exitium sibi accersivere. Israelitæ autem divinæ luci oculos & corda libentes liberique aperuere, & ita libero quoque arbitrio suo ad salutem conspirarunt. Nec tamen cassum est aut irritum gratuitæ prædestinationis dogma. Nam & ibidem Dionysius & cum eo Pachymeres advertit, Israelem quoque ipsum peræquè ac Gentes rebellasse perdiu divinæ luci & gratiæ, adeoque peræquè reprobari potuisse: *Propriis motibus à via*
Osee.4. *quæ ad Deum ducebat, deviarunt Gentes, &c. Quod ipsum etiam Hebræorum populo contigisse memoratur, quando peccavit, & vitulum conflavit. Agnitionem enim Dei repulisti, & post cor tuum ambulasti, &c.* Cùm ergo perinde ac Gentes cæteræ reprobari possent Israelitæ, ampliori quodam misericordiæ cumulo plura & efficaciora assecuti auxilia, consenserunt tandem & ipsi felicitati & saluti suæ. Quod & in Scripturis Deus centies contestatus est, cæteris etiam Gentibus pervicaciores Israelitas fuisse, sed sola misericordiæ contemplatione, eorum contumaciam gratiarum agmine copiosiore esse superatam. Verba Maximi etsi paulò duriuscula, in hunc tamen sensum pertrahi possunt.

XI. Damascenus pulcherrimè de gratiæ Dei ne-
De fide Orth. L.2.c.30. cessitate ita scribit: *Sciendum est quod virtus ex Deo data est naturæ: & omnis principium & causa boni ipse est. Et sine ejus cooperatione atque auxilio impossibile est nos bonum aut velle aut facere. At in nobis est immanere virtuti, & sequi Deum nos ad eam vocantem; vel deserere virtutem, quod est in malum prolabi.* Ita gratia nos præveniri & adjuvari docet, imò virtutem ipsam à Deo donari; sed ei immanere, vel ab ea resilire, id verò nostræ potestatis esse. Paulò antè monuerat præsciri à Deo ab æterno, non prædestinari ea quæ nostræ sunt liberæ potestatis; cætera omnia & præsciri & præfiniri. Quo apertè tradit, non ita operari gratiam, quin à multis resistatur. Sed ut infrà ostendetur, nihil id ad amoliendam prædestinationem gratiæ, quæ non uni alicui singulari, sed omnium & gratiarum Dei & operationum hominis contextui superstruitur, qui contextus non est in hominis, sed Dei potestate. Idem præclarè rursus adversùs Manichæos, quiritabundos, quòd Deus creasset hominem, quem peccaturum sciebat & periturum, respondet: *His primò illud Apostoli respondebimus, O homo, tu quis es, qui ex adverso respon-*
Dial. adv. Mani. pag. 558. 559. *deas Deo: Voluntati enim ejus quis restitit? Quod enim vult, illud bonum est. Quin & figulus potestatem habet, ut faciat aliud quidem vas ad decus, aliud ad dedecus; sic & ipse Deus facit tum justos, tum peccatores, sive ad decus, sive ad dedecus.* Ita ille primùm valdè accommodatè ad Pauli & Augustini austeritatem. Et mox tamen subjicit, sua quemque frui libertate, & malos bonosve sponte fieri, adminiculante divina gratia ad bonum, & omnes juvante ad salutem. Quod Augustiniano de prædestinatione placito nihil pugnat. *Certè Deus omnes bonos fecit. Quin idem adhuc omnibus tum ut sint, tum ut boni sint præbet, ac Solis instar radios bonitatis suæ, super omnia opera sua expandit. Ac ipsum quidem esse non possumus à nobis accipere. Sed ut boni simus, penes nos est; si modo voluerimus & desideraverimus, participabimus de bonitate ejus, & perpetuò in luce erimus.* Et infrà: *Si quia bonus est, non debuit eos facere, quos erat punituros; magis certè ut ejus bonitas abundaret, debuit eos facere & non punire, utrumque enim potest, & facere & condonare. Si verò justum est peccatores punire, justum quoque*
est illos fieri. Quæ Augustinianæ fundamenta sunt ipsissima doctrinæ de prædestinatione misericordiæ ad gloriam, justitiæ ad pœnam. His contemperanda sunt alia Damasceni loca, quibus nihil aliud reapse, quàm libertatis cum gratia necessariam conjugationem molitur: nec vetat, uberioribus quosdam præ aliis donari gratiæ privilegiis, & abundantiùs adjutos, salutem consequi. Orth. fide L. 2. c. 29. De duab. Chr. volun. pag. 479.

XII. Posteriorum Græcorum sententia ex hoc úno patebit utcumque sermone Bessarionis, in Synodi Florentinæ sessione prima: *Spiritus sancte, Charismatum fons, omnem à nobis superbam abigas cogitationem, Dei verò timorem omnium nostrum animis inseras, intellectum nobis & sapientiam donans, &c. Tuque ò invictissime Imperator, da Deo gloriam, & collauda eum. Illius hoc opus est. Ille tibi hanc injecit cogitationem, tantum instillando amorem, &c.* Liturgicæ preces quæ in usu sunt etiamnunc apud Græcos, cùm à Basilio, aut Chrysostomo scriptæ pleræque fuerint, gratiæ Dei & ipsæ suffragantur.

CAPUT XV.

Sententia Græcorum monasticæ vitæ Antistitum, de gratia & prædestinatione, & ipsa veritati atque Augustino consona.

I. Ob Collationes Cassiani perperam infamati antiqui Ascetæ, hic purgantur. Pachomius & ejus asseclæ, quàm vehementes gratiæ præcones, ejus quæ prævenit & donat merita omnia, & à Deo gratis prædestinante infunditur.

II. Abrahami & aliorum Ascetarum preces, gratiæ testificatrices.

III. Ejusdem generis testimonia ex Damasceno, in vita Barlaami, & Josaphati.

IV. Testimonia Nonni in vita Pelagiæ.

V. Et Sophronii in vita Mariæ Ægyptiacæ.

VI. Item Ruffini in Vitis Patrum.

VII. Ex dictis Patrum, interprete Pelagio Diacono Romano.

VIII. Ex Palladii Historia Lausiaca.

IX. Ex Antonii vita per Athanasium Alexandrinum Episcopum scripta.

X. Ex ipsis Cassiani Collationibus, de gratia efficacissima, & de gratuita prædestinatione.

XI. Ex Nili narrationibus.

XII. Solvuntur objectiones aliquæ ex Nilo.

XIII. Ex Joannis Climachi operibus.

XIV. Publicæ Ecclesiarum Orientalium preces, in gratiæ & gratuitæ prædestinationis laudem effusissimæ.

I. Sanctissimis olim Asceticæ vitæ optimatibus aspersa est hæc ignominia ex Collationibus Cassiani, quasi de gratia Christi minùs bellè sentirent, qui impensioribus ejusdem gratiæ beneficiis afficiebantur. Hanc calumniam abstergere adgredimur peculiari capite isto, in unam eam rem seposito de industria. Et primùm quidem Pachomius ille Eremi quondam decus incomparabile, cùm juvenis adhuc labores intolerabiles anachoreticæ vitæ audisset, consultò ad eum deterrendum amplificatos; respondit, *Credo in Domino Jesu* In vita ejus cap. 6.
Christo, qui mihi fortitudinem potentiamque præstabit, ut dignus efficiar, tuis adjutus precibus, in sancta conversatione per omnia vitæ meæ curricula per-

permanere. Nil suis viribus, totum atrogat Christo, fortitudinem & patientiam præstaturo. Et
Cap. 15. infrà idem jam post multa hujus spiritalis militiæ stipendia: *Miserere mei Domine ne peream, ne diaboli deceptus fraude succumbam. Si enim me tua gratia deseruerit, & aliquam in me partem suorum actuum repererit inimicus, durissimæ ejus servituti subjiciar, &c. Credo Domine quod miserationes tuæ multæ sunt, quæ me nullis meritis subnixum adjuvabunt, viamque Sanctorum tuorum per te illuminatus ingrediar; & in anteriora me semper extendens, obliviscar quæ retro sunt. Confido Christe,*
Cap. 19. *quod tua mihi virtus in omnibus semper assistat*. Et infrà: *Benedictus es Domine qui non sivisti me nimis infirmum decipi vel illudi fraude diaboli. Sed misericorditer ignorantiæ meæ tenebras discutiens, docuisti me facere voluntatem tuam. Nam cum pusillus essem & abjectus, ac vitæ meæ penitus nescius, timoris tui sensum mihi largitus es; ut tenebras exteriores, & supplicia æterna devitans, te veram lucem gaudiumque perenne cognoscerem*. Ex his aperta est gratiæ confessio, omnia merita anteveniens, omnia merita donans, ad omne quantulumcumque bonum necessaria. Etsi cooperante voluntate humana opus sit, ut infra docent imitatores Pachomii: *Errant qui putant homines exinde jam à nativitate parentum quodam privilegio beatos existere, ut arbitrii libertas adimatur, & peccatores per pœnitentiam non possint operam dare virtutibus. Ecce Pachomius cum de parentibus ortus*
Cap. 23. *sit gentilibus & prophanis, ad tantam beatitudinem divini cultus se extendit, ut omnia Christi mandata perfecerit. Unde certum est, & ex nobis quicumque voluerint, adjuvante Dei gratia, normam sancti viri posse subsequi, sicut & ipse perfectissimorum Patrum æmulatus est sanctitatem*. Hic perspicis qua necessitate adigerentur viri illi sanctissimi libertatem humanam magnifacere, & tamen gratiæ divinæ totum tribuerent. Unde in-
Cap. 28. 30. 32. fra Pachomius sorore ejus monasticam vitam amplectente, *Deo gratias egit, qui ei promptam largitus est voluntatem*. Et mox Theodorus factus monachus ad famam Pachomii, precatus est in hunc modum, *Domine Deus dignum me fac ut eum videam, & sequens vestigia ejus, universa mandata perficiam, &c. Hæc dicens cum lacrymis, vincebatur amore divino fortiter sauciatus*. Et Pachomius infra orans pro immorigeris Monachis: *Domine misertus eorum, da illis timorem tuum, ut divinam tuam potentiam cognoscentes, in veritate tibi deserviant*. Et rursus cum Sylvanus quidam remissiùs se gereret, Pachomius *pro eo jugiter Domino supplicabat, ut ei compunctionem cordis solita pietatis abundantia largiretur*. Tandem Sylvanus sic *futurorum fide compunctus est, ut se deinceps abstinere non posset à lacrymis. Emendatus itaque per omnia, &c.* Increpantibus autem fratribus quod omni loco & tempore iret in lacrymas, respondit, *Conor quidem, sicut jubetis, à lacrymis temperare, sed non possum. Pectus enim meum veluti quædam flamma comburens, quietum me esse non sinit*. Quis non hic videat & gratuitæ, & prævenientis, & efficacissimæ suapte vi gratiæ documenta manifestissima, adeoque & prædestinationis gratuitæ, quæ his apta consertaque est? Non poterant hæc præterire sanctissimos Monachos, qui hæc ipsa experiebantur. Mox ibidem Pachomius in laudes coram evehitur Theodori monachi religiosissimi, *certus quod per Christi gratiam, quantum laudis ei accesserit, tantum ipse munus humilitatis acquiret*. Et mox ad eum, *Tu Theodore, tuique similes diabolum sicut passerem vinxistis, & sub vestris pedibus allisistis eum, per Dei gratiam conculcantes ut pulve-*
Orat. 48. 49. *rem*. Et infrà diabolus ipse ad Pachomium, *Modò te lucratus essem, & sub meam potestatem redegissem, sed precelsa est virtus Christi, ideo deludor à vobis in omnibus, &c. Hæc nobis omnia contingunt, propter Verbum Dei factum hominem, qui vobis potestatem tribuit, nostram proculcare virtutem*. Et rursus idem de eadem re: *Jam tibi ante prædixi, ex quo mirabilis incarnatio facta est in terris, nos sine viribus prorsus existere cœpimus, ita ut ab his qui credunt in nomine ejus, illudamur ut passeres*. Hæc in Pachomii vita Græcus scriptor, cujus interpres Latinus Dionysius Exiguus: ex quibus tota facilè de gratia & prædestinatione sententia Augustini colligatur.

II. Abrahamius Eremi & ipse hospes admirandus cum primis, Presbyter per vim ordinatus, & plebi præpositus, eo loco, ubi Idolis plerique mancipati erant, preces multas pro eorum ad fidem conversione fudit, iterum iterumque: *Tu omnipotens Fili Dei vivi, qui totum mundum erroris depressum caligine, ad cognitionem luminis tui per tuam præsentiam deduxisti, hunc quoque populum tuum dispersum congrega in sinum Ecclesiæ tuæ, & illumina oculos mentis eorum &c. Absolve servos tuos à vinculis diaboli, & præsta eis ut cognoscant te, quoniam tu es solus, &c.* Cùmque non ipsorum duritiam indomitam, sed Dei clementiam expugnasset, & illi ad fidem se contulissent, *ait ad eos, Patres mei, fratres & filii, venite, demus gloriam Deo, qui illuminare dignatus est oculos mentis vestræ, ut eum possitis agnoscere, &c.* Et rursum recepturus se clam in Eremum, ita gregem Deo commendabat: *Tu Domine qui mentis oculos hujus multitudinis illuminasti, qui eos ab adversarii vinculis absolvisti, quæso ut usque in finem regere eos & conservare digneris, & auxilium tuum gregi huic optimo, quem possidere voluisti, perpetuum copiosumque clementer impertias; & quasi muro validissimo eos gratia tuæ protectionis circumdes, & cor eorum semper illumines, ut quæ tibi sunt placita perficientes; æternam vitam percipere mereantur*. Hæc omnia in divinæ gratiæ & humanæ libertatis potestate erant: sed quia restitabat pertinacissimè humana libertas; quia erat in potestate divinæ gratiæ humanam contumaciam infringere, ideo hæc omnia à Deo vir sanctissimus postulavit, impetravit, accepta retulit.

III. Joannes Damascenus in vita Barlaami & Josaphati, pium Principem monastica suscepta vita ita inducit verba facientem ad Regem: *Quibus* Cap. 2.
ò Rex, cor tuum malè affixum est, ego item quondam amplectebar. Verùm hujus sermonis vis animum meum sine ulla intermissione vellicans, mentem ad id quod melius erat, excitabat eligendum. Verùm lex peccati compedibus quibusdam captivum me tenebat. Hic vides excitantem gratiam adesse, & vellicare captivos, nil benemeritos, quin multis onustos peccatis, adeoque malemeritos. Sed cùm ei renitatur voluntas humana, adest alia robustior gratia, quæ resistentiam omnem obruit, subigitque cor hominis: *Cùm autem Salvatoris nostri benignitati ac bonitati me ex hac captivitate vindicare placuit, atque ipse menti meæ ad superandam peccati legem robur addidit, oculosque meos aperuit, ut boni ac mali delectum haberem, tunc peccati velamen à corde meo sublatum est, &c. Gratias Deo per Jesum ago, quòd me ex luto & pestifero tenebrarum principe liberarit, &c.* Infrà pro Josaphato ita orat Barlaamus: *Respice hanc ovem Domine, atque ipsius animam per virtutem, & gra-* Cap. 21.
tiam tuam sanctifica. Visita vineam hanc, quæ per Spiritum sanctum tuum plantata est, atque hoc ei da, ut justitiæ fructum ferat; corrobora eam, pactum tuum in ipso confirmans, ac per boni Spiritus tui sapientiam eum à diaboli fraude eripe. Et infrà Josaphatus in summo discrimine constitutus: *In hac confessione velim me confirmes Domine Deus, ut ad extremum usque spiritum in ea permaneam. Respice in me, illæsum me ab omni Satanæ operatione conservans. Respice ò Rex: siquidem anima mea vehementi tui desiderio flagrat, atque ita incensa est, tanquam in sitis ardore in terra inaquosa, te immortalitatis fontem concupiscens. Tuo bene-*

beneficio mihi contingat, ut per omnem vitæ cursum pro tuo nomine tuaque confessione omnia perpetiar, meque totum tibi immolem. Te enim robur afferente imbecilles etiam viribus pollent: quoniam tu solus invictus es propugnator. Conversionis & perseverantiæ effectricem gratiam flagitabant hi omnes à Deo, quamvis non nescirent, excitantis gratiæ beneficio neminem fraudari. Et infrà pro patris sui conversione idem referens gratias ejus authori: *Exaltabo te Deus meus Rex: quis loquetur potentias tuas? qui convertisti petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. En etiam rupes hæc, ac rupe durius patris mei pectus, tua voluntate, ceræ instar emollitum est. Potes enim ex lapidibus etiam excitare filios Abrahæ, &c. A te Christe, qui voluntate tua omnia contines & tueris, qui in ligno extensus es, ac fortem vinxisti, iisque qui ab eo vincti tenebantur, sempiternam libertatem attulisti; te per miserationes tuas obtestor, ut nunc quoque invisibilem & omnium rerum effectricem manum tuam extendas, ac servum tuum & patrem meum ex gravi illa diaboli servitute prorsus liberes.* Hæc omnino sapiunt Augustini scholam, & gratiæ invictam efficaciam, gratuitam largitionem, gratuitam prædestinationem evidentissimè prædicant. Utque vi propria gratiæ conversionem cordis effici idem Damascenus ostenderet, paulò infrà ait: *At prius quidem, cùm ut patrem à superstitioso errore abstraheret, diu multùmque laborasset, nihil non dicens aut faciens, quo ipsius animum ad se alliceret: frustra tamen canere ac surdo loqui videbatur. At cum Dominus afflictionem servi sui Josaphat inspexit, atq; exauditis ipsius precibus, clausas patris ipsius januas patefecit? (voluntatem enim, inquit ille, timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet:) tum denique Rex ea quæ dicebantur, facilè intelligebat, adeo ut opportunum tempus nactus filius, per Christi gratiam adversùs improbos spiritus, qui patris animo dominabantur, victoriam adipisceretur.* Permulta istiusmodi alia aspersit huic suæ historiæ Damascenus, quæ argumento esse possint, tum quæ ipsius esset de gratiæ efficientia ad conversionem & perseverantiam, tum quæ ab eo existimaretur fuisse Monachorum sanctissimorum sententia.

IV. Eodem referendum quod in vita sanctæ Pelagiæ meretricis legitur. Ac de justis primò, hoc est de seipso Nonnus Episcopus sanctissimus ita sentit, ita exclamat: *Illa meretrix promisit placere hominibus & fecit: ego promisi tibi Domine placere, & mentitus sum propter pigritiam meam. Nudus sum tam in cœlo, quàm in terra, non adimplens præcepta mandatorum tuorum. Ergo non est mihi spes ex operibus bonis, sed spes mea in misericordia tua, qua confido salvari.* Cap. 19. Utcumque in gratia Dei agant, & piè degant sancti hic viri; pigrescunt tamen ex humana infirmitate, & lassescunt, lapsantque subinde, gratisque etiam illis datur, gratis danda ab æterno prædestinatur perseverantia, & perseverantiæ merces, æterna salus. Jam de conversionis gratia similiter gratuita & effectrice, paulò pòst ibidem: *Gubernatione misericordiæ divinæ contigit, ut conveniret ad eandem Ecclesiam & meretrix hæc, & quod mirum est, catechumena: cui nunquam accessit sollicitudo peccatorum, nec aliquando ad Dei accessisset Ecclesiam; subito compuncta est timore Domini, cum argueret sanctus Nonnus populum, ita ut desperaret de se: ipsa mulier plangens, flumina lacrymarum fundebat, nec ullo modo à fletu continere se poterat.* Qui hic non videt gratuitam & conversionis effectricem gratiæ vim, is nec in Sole quidquam videt.

V. Et in prologo vitæ Mariæ Ægyptiacæ Sophronius, ut fertur, Hierosolymorum Episcopus: *Si qui illi sunt, qui hujus scripturæ legerint textum, gloriosamque rei admirationem sanè credere renuerint, & illis Dominus misereatur, faciatque capaces sancti verbi, ne rei existant Dei miraculorum, quæ plura in suis fieri prædestinavit electis: quoniam & ipsi humanæ naturæ infirma considerantes, impossibilia decernunt ea, quæ de hominibus sanctis gloriosa dicuntur. Sed gratia Dei per omnes generationes in sanctas pertransiens animas, amicos Dei facit, & Prophetas, ut Salomon edocuit.* Miracula sanctitatis, humanæ infirmitati impossibilia, gratia Dei præstat, ut audis, & prædestinat in suis fieri electis.

VI. Ruffinus in vita Apollonii, ait illum orasse, *Aufer à me Domine jactantiam, ne fortè elatus super fratres meos, cadam ab omnibus bonis tuis*: & exorasse. Et infrà idem de eodem: *Comperimus etiam quod quidam ex fratribus, cui deerat humilitatis & mansuetudinis gratia, poposcit ab eo ut peteret a Domino, ut & sibi donaretur hoc munus. Orante illo tanta in eum gratia mansuetudinis & humilitatis advenit, ut omnes fratres stuperent de tranquillitate ejus ac modestia, in quo prius nihil horum viderant.* Non poterant non magnificentissimè de gratia sentire, ejusque ineluctabili potestate, quicumque hæc experiebantur. Idem libro de dictis Patrum Eremi eorundem, gratiæ necessitatem ab illis sæpiùs inculcatam commemorat, ad tentationem quamlibet superandam. Num. 202. 207. 208.

VII. Et in dictis eorundem Patrum interprete Pelagio Diacono Romano: *Nunquam oravit Sara Abbatissa, ut ab eo recederet pugna tentationum; sed solum hoc dicebat, Domine da mihi fortitudinem.* Et dicente ei Satana, *Tu me vicisti Sara*, illa respondit, *Ego non te vici, sed Dominus meus Jesus Christus.* Item infrà senex quidam de cogitatione fornicationum dixit; *Tu sta & conforta-* L. 5. c. 4. 10. 11. 15. 16. 17. *re, & Dominus expugnat pro te inimicum.* Infrà 20. 38. 40. sanctissimi Monachi confitentur, hanc summam L. 7. c. 3. 8. 12. 40. esse fiduciæ suæ, quòd *in gratia Dei sperent, &* L. 16. n. 16. *mentem suam custodiant.* Innumera hoc genus missa facio; ex quibus elucescit prorsus sana de gratiæ prævenientis efficacia & necessitate doctrina.

VIII. Palladius in historia Lausiaca, hanc Paphnutii aliorumque Senum sententiam refert: Cap. 95. *Quando non fit propter ipsum bonum, & ex divino scopo, neque actio, neque ingenii bonitas, neque qui habent dotes præcipuas, bonorum datori Deo eas ascribunt, sed suo libero arbitrio, ingenio & sufficientiæ; qui tales sunt, relicti à providentia, incidunt in facta turpia, probraque & dedecora. Derelicti ergo per advenientem illis humilitatem & pudorem, sensim nescio quomodo expellunt arrogantiam, quam susceperant ex ea quæ virtus reputabatur; non in seipsis confisi amplius, sed Deo qui cuncta largitur, beneficium sua confessione tribuunt.*

IX. Nec mirum si sanctissimi Monachi ita censerent, utpote tyrociniis penè omnes imbuti signiferi quondam sui & ducis Antonii, de quo hæc scribit Athanasius in ejus vita: *Diabolus qui* Cap. 4. 5. *similem se Deo fieri posse existimabat, nunc ab adolescente ut miserrimus deludebatur: & qui contra carnem & sanguinem sæviebat; ab homine qui carnem portabat, elisus est. Adjuvabat enim servum suum Dominus, qui nostri gratia carnem suscipiens, victoriam corpori contra diabolum largitus est: ut singulis ita certantibus Apostolicum liceret proferre sermonem, Non ego autem, sed gratia Dei quæ mecum est.* Intertextis Antonii ipsius verbis, victoriam suam divino adjutorio adscribentis, pergit Athanasius, *Hæc Antonii contra diabolum fuit prima victoria, imò virtus in Antonio Salvatoris, qui peccatum in carne condemnavit, &c.* Quod ipsum sæpiùs in tota ejus vita occurrit. Et ejus imitatione rursus Abrahamus Eremi cultor, In vita ejus c. 17. *Texens pretiosissimam coronam bonis operibus, Regi Regum Domino à quo munus acceperat, offerebat.* In vita ejus cap. ult.

bat. Et neptis ejus Maria ab eo edocta, *Gratia tua Domine quæ mihi in hoc sæculo opitulatio, refugium & gloriatio facta est, ipsa me sub alas illa die horrenda & terribili protegat. Tu enim agnoscis, qui es scrutator cordis & renum, quod multas pravitates & scandalorum tramitates, impudentium vanitatem & hæreticorum defensionem contempsi. Et hoc non ex me, sed ex gratia tua, per quam illuminata est mens mea.*

X. Tam luculentis gratiæ divinæ confessionibus si qua adversaria in Cassiani Collationis occurrant, ea ille suo ex penu prompsisse & sanctis Patribus affricuisse non immerito existimandus est, ut patere spero ex antedictis. Non abs re tamen erit vel ex ipsis illis Collationibus, carptim libare aliqua Senum dicta, ex quibus eadem castigatissima sententia elucescat de gratia & prædestinatione. Hæc enim non immerito eorum esse censebuntur, quæ suprà relatis, utpote indubitatissimis eorum testimoniis erunt consentanea: reliqua autem ut adjectitia & adulterina repudiabuntur. Sic ergo ibi: *Instruat author salutis nostræ, quid nos oporteat in singulis quibusque quæ gerimus, non modo sentire, sed etiam confiteri. Non possum ego, inquit, à meipso facere quidquam, Pater autem in me manens ipse facit opera. Ille ex persona assumpti hominis dicit, nihil à semetipso posse se facere: & nos cinis & terra in his quæ ad salutem nostram pertinent, arbitramur nos adjutorio Domini non egere? Discamus itaque & nos per singula nostram simul infirmitatem, & illius adjutoria sentientes, quotidie proclamare cum Sanctis, Impulsus versatus sum ut caderem, & Dominus suscepit me. Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Quæ ad exordia etiam & prima bonæ voluntatis rudimenta valent, ut nostris viribus tribuantur. Et infrà: *Pro negligentiis delictisque nostris, ejus inspiratione latenter compungimur, dignatione ejus visitati, saluberrimè castigamur, ab eo nonnunquam etiam inviti trahimur ad salutem: ipsum liberum arbitrium nostrum quod proclivius fertur ad vitia, ad meliorem dirigit frugem, & ad virtutum viam instigationis suæ visitatione contorquet.* Et prævenientis & efficacis gratiæ satis apertum istud videri potest esse testimonium. Et alibi: *Quibus perdocemur manifestissimè & initium voluntatis bonæ nobis Domino inspirante concedi.* Quod tribus fieri modis mox aperit, cùm aut Deus per se aurem cordis vellicat, aut per homines pios exhortatur, aut adversitatibus nos erudit, & invitos penè coarctat ad virtutem amplectendam. Et infrà Abbas Cheremon gratiæ invictam efficaciam prolixè describens, ait: *Nullus est hominum, qui mira esse opera Dei etiam ex ipsius creaturæ magnitudine non agnoscat. Cæterùm illa quæ in Sanctis suis quotidiana operatione dispensat, ac speciali munificentia affluenter effundit, nullus alius nisi anima perfruentis agnoscit: quæ in secreto conscientiæ suæ, ita est beneficiorum ejus arbitra singularis, ut ea non solum nullo valeat sermone differere, sed ne sensu quidem & cogitatione complecti: cùm ab illo ignito fervore discedens, ad istos materiales & terrenos intuitus fuerit devoluta. Quis enim in se opera Domini non miretur, cùm insatiabilem ventris ingluviem & sumptuosam gulæ perniciosamque luxuriam ita in se viderit fuisse oppressam, ut vix ipsum exiguum ac vilissimum cibum raro invitusque percipiat? Quis non obstupescat opera Dei, qui ignem illum libidinis, quem naturalem antea & inextinguibilem esse credebat, ita refriguisse persenserit, ut ne simplici quidem corporis motu se sentiat incitari? Quomodo non virtutem Domini contremiscat quisque, cùm homines quondam diros atque truculentos, qui ad summum iracundiæ furorem etiam blandissimis subditorum irritabantur obsequiis, ad tantam viderit transisse lenitatem, ut non solum nullis jam commoveantur injuriis, sed etiam cùm illatæ fuerint, summa magnanimitate congaudeant? Quis planè non miretur opera Dei, ac toto proclamet affectu, Quia ego cognovi quòd magnus est Dominus, cùm vel se, vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squallidum hirsutumque perspexerit, & egestatem atque angustiam præsentium rerum etiam voluntariè perferentem? Ista sunt profectò mira opera Dei, ista sunt prodigia quæ posuit super terram, &c. Quod enim majus potest esse prodigium, quàm sub momento brevissimo ex rapacissimis Publicanis Apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis prædicatores Evangelii patientissimos reddi? Ista sunt opera Dei, quæ se quotidiè unà cum Patre operari Filius protestatur dicens, Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Quid uspiam quæso ad gratiæ & prævenientis, & tum ad conversionem, tum ad perseverantiam efficacis commendationem, exertius magnificentiusve, adeoque ad eam quæ his connexa est, electionem gratiæ? Si hæc sapiebat, si hæc differebat Abbas Cheremon, si alii Proceres Eremi, non poterant illi non ipsissimam Augustini doctrinam de gratia medullitus combibisse, imò & præbibisse: adeoque si qua his pugnantia occurrant in eorum Collationibus, spuria & extrinsecus obducta meritò videbuntur. Possent & plura in eandem sententiam corradi, sed hæc abundè sufficient, ut gustus habeatur rei totius.

De Institut. Cœnob. l. 12 c. 17. 18.

Collat. 3. c. 4. 19.

Collat. 12. c. 12.

Collat. 13. c. 3. 7.

XI. Venio ad Nili narrationes, qui & ipse Eremi columen fuit eximium. Sic ergo ille: *Qui præ cæteris promovit in virtutibus, Dei potentiæ, non propriis laboribus id quidquid est ascribens, in modestia se libenter continet, ita secum reputans, si quæ in se sunt, nequaquam se esse authorem bonorum, sed efficacis instrumentum gratiæ*: ὄργανον τῆς ἐνεργούσης χάριτος. Et infrà superbiam damnat, quòd *cooperatorem*, συνεργὸν, *bonorum operum Deum propria gloria defraudet, suæque virtuti solidam ascribat rectè factorum laudem*. Ita boni operis cooperatorem cum libero nostro arbitrio Deum esse sentit, ut efficacia tamen penes Deum sit, voluntas verò nostra organum sit gratiæ effectricis. Et infrà: *Ferum Domine Deus & sanguinarium violentorum pectus ad mansuetudinem & placabilitatis sensum aliquem immuta, qui accensam iram Medorum Regis Assueri adversùs Estherem in benevolentiam immutasti, crudelis animi rigorem in officiosissimam misericordiam emolliens*. Ita ille Augustino subscribit, & omnipotentissimam Deo concedit inclinandorum huc illucque humanorum cordium facilitatem. Et idem in Epistolis: *Precemur ergo ut Dominus omnium Deus contemperet in melius nostras animas & corpora. Divino enim nutui & voluntati nihil resistet. Ne verò negligamus, indormiamusque custodiæ nostri, &c. Et ne existimes exiguam quandam Dei gratiam, in condemnatione quam quis exercet pravorum facinorum suorum. Est enim verè maxima gratia ista per Dominicam crucem concessa sincerè credentibus*. Et infrà: *Non abstinere solùm à malo puritatem affert, sed ad eam præterea necessarium est, ut quis seriò curet, exerceatque virtutes. Vitia ergo extirpet funditus. Habitus enim à consuetudine, ab habitu verò natura velut alia ingenerari solet. Vertere autem ac mutare naturam difficile in primis arduumque est. Cæterùm id Deo facile, cui ne natura quidem resistit. Si enim fuerint peccata vestra ut pannus purpureus, quasi nix dealbabo. Unde non desperandum. Nam prava & vitiosa consuetudine fortior est qui nos condidit Deus, faciens omnia & transferens, ut ait Propheta. Propterea similitudinem mutuatus est, non à leviter impressis aut facilè delebilibus coloribus, sed à penitus concretis, planèque in unitatem substantiæ velut intimam coalitis, cum pannis quas infecerunt, purpuram nimirum & coccinum. Atque hæc tamen ipsa in contrarium planè à se transformanda statum dixit, prorsus ut spem bonam hominibus inspiraret, quantumvis perditis*. Non potest efficientia invicta gratiæ efficaciùs exprimi. Et infrà rursus: *Nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. Suf-*

Pag. 35. 1. 42.

Pag. 113.

Epist. 1.

Sufficit enim ulscifcendos nobis ad hos hostes nomen Christi Jesu summi Dei. Multa igitur nobis supplicatione ad Deum opus est, ne à virtute excidamus. Et infrà: *Cùm enim Deus voluerit à pejore in meliorem statum res vertere, unus illi nutus ad id perpetrandum satis est. Uno efficaci imperio facilè ac statim humani statum animi interpolabit ac restituet. Planè ut sterilem ac siccam Araonis virgam, &c. Potest ergo fieri, ut homines quibus petra durius ac silice cor obriguit, gustu accepto doctrinæ spiritualis, in pingues ac fructiferos mutentur arbores.* Gratia hæc invicta & exuberans datur immerentibus semper, Epist. 2. & quibus vult Deus, æternus ejus prædestinator. Unde idem: *Paucos invenio qui velut lapides quidam inanimi, ad omnem libidinis sensum obriguerint, in tantum ut ne per somnum quidem ullum fluxum patiantur. Donum hoc rarum & insigne Dei est, quo adjuti quidam, nitore castimoniæ nihil iis cedunt, qui ex matris utero Eunuchi sunt editi. Sed quibus & quatenus hæc gratia dispensetur, unus ille Deus noverit, qui eam quibusdam liberalitate gratuita repræsentat, etiam antequam certaverint, aut in eo genere laboraverint.* Planus est hic sermo, plana res, & experimento tritissimo explorata: Deus gratuita liberalitate largitur & initia & incrementa virtutum, & ipsa culmina, nonnunquam Epist. 168. iis etiam qui vixdum ad earum assecutionem pugnare cœperint. Et infrà rursus: *Nemo humilior est eo qui peccasse se sentiens, contritus spiritu, cum suspirio per pœnitentiam invocat Dominum. Oportet igitur omni rei præferre orationem ad Christum, & sancti Spiritus invocare auxilium & protectionem. Neque enim licet exire è sæva potestate corruptionis, nisi divina virtute principatum in nos arripiente. Igitur talibus utere supplicationibus ad Dominum: Adjutor mihi esto Christe Domine omnium, &c. Veniat super me divini & adorandi Spiritus regnum, ut recedant vel potius in nihilum evanescant, quæ potestatem super me nunc exercent, &* Epist. 71. *super me regnant dissoluta vitia.* Denique idem alibi: *Nemo negaverit Dei donum esse pœnitentiam, &c.*

XII. His tot & tantis luminibus testimoniorum, cedet ut arbitror & procul abigetur caligo nonnul- Epist. 181. la, ex aliis ejusdem Epistolis siqua exurgat. Ait alicubi: *Ne nobis imputemus solis certaminum trophæa. Nostrum quidem est præeligere solum id quod est melius, & illud prosequi: Dei verò in opus adducere bonum desiderium.* Non hic necessitas gratiæ prævenientis elevatur, sed consensio & cooperatio nostra ei adjungenda esse monetur certissimè, ut bonum velimus: jam ut bonum perficiamus, & ad exitum perducatur, & plena reportetur de hoste victoria, & trophæa de diabolo statuantur, id nostræ potestatis non est, sed solius gratiæ Dei omnipotentis, qui plenissimam victoriam & perseverantiam in bono gratis donat. Eodem sensu illud Epist. 117. quoque interpretamur: *Quantulumcumque minimum quod à nobis nostræ salutis causa fiat, in solidum imputat Deus; & de suo supplens reliquum, id agit, ut prætextum salvandi nos cupide captare videatur.* Et hìc enim nihil aliud, quàm exuberantem gratiarum copiam refundi affirmatur iis, qui prima gratiæ prævenientis semina non offocave- Grad. 23. rint.

XIII. Veniamus ad Joannem Climacum: *Turpe est alienis plumis superbire, sed extremæ dementiæ ob cœlestia dona extolli, eaque sibi arrogare. De solis rectè factis efferri potes, quæ antequam nascerere possedisti. Nam quas natus accepisti, Deus donavit, uti & hoc ipsum quod nascerere. Quascumque virtutes sine anima exercuisti, illæ sola tuæ sunt, Deus enim animum ipsum tibi impertivit. Et quæcumque virtutum certamina extra corpus subjisti, illa tuo studio sola ascribere potes; nam corpus, tuum non est, sed opus Dei.* Abunde id est, ut tam gratis, & tam verè, & tam efficienter opera bona & virtutes à Deo donentur, quàm & corporis & animæ natura ab illo est. Et alibi: *Alius* Grad. 4. *ex illo semper laudando Patrum cœtu, singulari me affectu & sancto amore fiduciaque complexus, Si tibi, inquit, virorum sapientissime, est illa vis in sensu animæ tuæ, illius qui dixit: Omnia possum in eo qui me confortat Christus; si Spiritus sanctus rore castitatis, exemplo B. Virginis supervenit in te: si virtus Altissimi per patientiam obumbravit tibi: accinge sicut vir lumbos tuos, &c.* Et infrà: Grad. 15. *Nemo eorum qui in palæstra castimoniæ desudarint, suis eam se laboribus adeptum esse persuadeat. Vincere enim naturam, non est naturæ nostræ. Victa autem natura, certum est adesse authorem naturæ. Sine ulla enim controversia deterius à meliore vincitur, vel emendatur, vel omnino tollitur.* Luculentum est id ad gratiæ & necessitatem & vim revincendam argumentum. Quolibet enim in opere bono vincenda est natura in vitium declivis, in malum pronior. Et mox: *Quisquis suam ipsius carnem sua solius opera & virtute vult debellare, & vincere, in vanum currit. Nisi enim Dominus domum carnis everterit, & domum spiritus ædificaverit, frustra est qui vigilat, & abstinendo illam dissolvere conatur. Propone ob oculos Domini, tuæ naturæ imbecillitatem, tuarumque virium defectum penitus recognosce, & sine sensu senties percipiesque gratiam castitatis.* Et aliquammultis interpositis, *Hi qui aliquam ab impuris cogitationibus quietem adepti sunt, se diligenter excutiant, & sine dubitatione deprehendent in intimis cordis sui latebris tanquam in sterquilinio latitantem serpentem, qui suggerat nobis, quod nostro studio & labore, virtutem castitatis, & qualem qualem cordis munditiem nobis comparaverimus: miseri nos & immemores illius dicti, Quid enim habes, quod non gratis sive à Deo, sive per auxilium, operamque & preces aliorum accepisti? Dent ergo operam, ut latitantem hunc anguem, omni studio per summam animi demissionem mactatum, ex corde penitus excludant, &c.* Et infrà in laudes humilitatis effusus, Grad. 25. *Inexplicabilis thesaurus, à Deo nomen sortita singulare, munus Dei. Discite, inquit, non ab Angelo, non ab homine, non ex libro, sed à me, hoc est, ex mea in vobis habitatione, illustratione & operatione, quia mitis sum & humilis corde, & cogitatione & sensu: & invenietis bellorum interiorum requiem animabus vestris.* Nihil ad gratiæ efficaciam, etsi non semper sua vi invictam, permagnam tamen præclarius dici potest, utpote quæ constat Christi in nobis habitatione, illustratione, operatione: ἐνοικήσεως, ἐλλάμψεως, ἐνεργείας. Et infrà: *Proinde necesse est, ut receptæ sanitatis gratiam non nobis ascribamus, sed alteri & Deo in ac-* Grad. 26. *ceptis referamus.* Et alio loco: *Hoc labor est ante nos, donec ignis Dei intret in sanctuarium nostrum. Neque enim ulla deinceps cura aut necessitas erit, ob præceptas animo prioris vitæ vitiosas affectiones, aut consuetudines. Deus enim est ignis, omnem sensus ardorem, omnesque motus pravos, præsumptionem, occæcationem tum interiorem, tum exteriorem, etiam quæ in cogitatione versatur, consumens.* Et infrà: *Aliud est providentia divina, aliud auxilium, aliud tutela, aliud misericordia Dei, aliud consolatio. Providentia Dei in toto opere naturæ apparet: auxilium credentibus duntaxat: tutela in fidelibus, qui verè fideles sunt, misericordia in famulis Dei singularibus, consolatio in diligentibus Deum ostenditur.* Ubi vides & efficientiam gratiæ Dei, & varios gratiarum gradus, nec omnia omnibus data. Et infra: *Difficile est inveteratas seu vitiosas consuetudines facilè vincere, &c. Nec tamen ignoro Deum omnia posse, nihilque illum non posse.* Denique inferius virtutum varios gradus discriminans, eas ceteris longè præcellere & antistare pronunciat, quæ virtutum parentes sunt, quæ à Deo infunduntur, quæ mentem ad Christum rapiunt & in æterna luce sistunt. Existunt virtutes *præter hæc omnia ex raptu qui mentem in lucem Christo, modo quo-*

dam arcano & inexplicabili repræsentat, Sunt virtutes, & sunt virtutum parentes. Qui aliqua prudentia præditus est, magis laboret ut ipsas virtutum procreatrices sibi comparet. Harum enim Magister & Doctor per singularem quandam vim & energiam, Deus est, Virtutum verò plurimi. Hæc strictim ex Climaco carpsimus, ex quibus veluti seminibus tota facilè exprimeretur Theologica Augustini doctrina de gratia & prædestinatione, nisi tempori parcendum esset, & lectorum solertiæ multa relinquenda. Unum addo insuper locum, ex quo elucescat, quàm non Climacus tantùm, sed & cæteri Patres Græci abfuerint à vesania Semipelagianorum: *Omnes pias & spiritales exercitationes nostras, sive corporis sint & oculis subjecta, sive mentis & intelligentiæ, præcedit propria hominis mens, & propositum, & optimum desiderium, & affectus, quæ ex Dei succursu & auxilio fiant.* Cùm aliis Græcis docet anteire debere propositum & electionem hominis, tum bona opera consequi & donari à Deo: sed expressè addit hoc propositum nostrum & desiderium boni, ex aliquo Dei adjutorio procreari.

XIV. Hæc tanta testium copia plus satis, ut arbitror, explosit absurdam calumniam, sanctissimis Asceticæ vitæ luminibus temerè affictam. Et certè qui poterant arcana Christi gratiæ eos latere, quibus ipsa gratiæ penetralia & opes tam munificæ pandebantur inter quotidianas & juges cœlestium contemplationum & divinitus inspiratæ Theologiæ delicias? Ne ipsæ quidem vulgatæ Ecclesiarum Orientalium preces, quenquam sinebant in hac doctrinæ Christianæ parte titubare, si modò in medulla perspicerentur: nedum illæ virorum altissima contemplationis fastigia insidentium, & cœleste lumen in ipso lucis fonte haurientium mentes, in ipsa lucis aula caligarent aut tenebrescerent. Atque huic parti, quæ Græcas Ecclesias ab ea purgavit infamia, ut finem imponam, ex Petro Diacono proferam quod in Basilii liturgia, apud Orientales celebratissima usitatissimaque continebatur: ut hinc certò sciatur, non quid sono vocis creparent, sed quid medullitus sentirent, quid inviolabili avitæ traditionis ordine transmissum servarent & religiosissimè servandum in posteros transmitterent. Sic ergo apud illos in oratione sacri altaris, omnes profitebantur in commune, omnes conjurabant in schola Christi, omnes orabant, *Dona Domine virtutem ac tutamentum: malos quæsumus bonos facito, bonos in bonitate conserva, omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi, cum enim volueris, salvas, & nullus resistit voluntati tuæ.* Ex quibus paucis merito & jure exclamat Petrus Diaconus, finem controversiæ positum esse. Etenim *non à seipsis, sed à Deo malos homines, bonos fieri: nec sua virtute, sed divinæ gratiæ adjutorio in ipsa bonitate perseverare.* Gratiæ igitur efficaciam prorsus ad mentem Augustini profitebantur Græci omnes inter sacra, tum ad conversionem, tum ad perseverantiam, adeoque & ad prædestinationem gratuitam, his concatenatam. Facessant ergo qui Græcos omnes ante Augustinum Semipelagianismi reos agunt.

Addi poterat hic locus perquam egregius ex vita sancti Theodosii Cœnobiarchæ illius sanctitatis gloria apud Græcos celeberrimi: addi poterant & quammulta alia; sed brevitati consulendum est. *Apud Surium, Ianuarij, die 11. c. 19.*

CAPUT XVI.

Latinos Patres Augustino antiquiores, in eadem cum ipso sententia fuisse monstratur, de efficaci ad conversionem & perseverantiam gratia, item de gratuita prædestinatione.

I. Ex Græcorum doctrina de Latinis conjectura duci potest.

II. Martyrum voces ad gratiæ potestatis amplificationem.

III. Tertulianus vehemens gratiæ divinæ præco.

IV. Nec infacundior Cyprianus.

V. Cujus tam crebra testimonia laudat Augustinus, primùm pro peccato originali.

VI. Deinde etiam pro gratia præveniente & efficaci, item pro prædestinatione meritum quodcumque antecedente.

VII. Suam omnem de gratia doctrinam ex Cypriani verbis placitisque contexit.

VIII. Fatetur Augustinus se in materia gratiæ aliquando errasse, non Cyprianum, non Ambrosium, non Græcos Latinosque Patres alios.

IX. Hilarii Pictaviensis Episcopi doctrina Augustino prorsus consonans, pro gratia & prædestinatione.

X. Vt aliqua Hilarii clementiùs interpretanda sint.

XI. Ambrosius, in omnia Augustino præivit, præluxitque decreta, de gratia & de prædestinatione.

XII. Aliqua Ambrosii loca mitem desiderant interpretem, ut ipse sibi constet.

XIII. Augustinus Ipse frequenter sua de gratia & de prædestinatione dogmata, verbis & testimoniis Ambrosii communit.

XIV. Rursum Ambrosius ipse præclarissimè de gratiæ victrice vi ad electorum salutem.

XV. Vnde clementiores esse nos decet in aliquibus Ambrosii contextibus molliendis.

I. LAtinos Patres à Græcis pleraque sua deprompsisse, norunt qui eorum commentariis pervolutandis non impigrè insudarunt. Itaque quos errores à Græcis abstersimus, ii nunquam Latinis affricati fuere: quæ Græcis dogmata vendicata sunt, ea consentaneum est Latinis non displicuisse. Adde quod inter Græcos memoravimus Irenæum, Ecclesias item Viennæ & Lugduni. At hæc fuere lumina Ecclesiæ Occidentalis. Clemens ad Latinos quoque pertinere potest. Hinc ergo quasi præjudicata censeri poterat utriusque Ecclesiæ dogmatum affinitas.

II. Martyrum voces ipsæ subinde gratiam Christi victricem suapte vi, aut certè præpotentem sonabant. Ut hinc liqueat his eos rudimentis imbutos antè fuisse in Ecclesia jam inde à cunabulis. Montanus & socii: *Ubi tentatio est grandis, ibi ille major est, qui eam vincit in nobis; & non est pugna, ubi non sit, Domino protegente, victoria. Nam & occidi servis Dei leve est, ideo mors nihil est, cujus aculeos convellens, contentionemque devincens Dominus, per crucis trophæum triumphavit.* Et beata Agatha: *Gratias tibi ago Domine, qui me fecisti vincere tormenta carnificum: Domine qui me custodisti ab infantia, qui abstulisti à me amorem sæculi, &c.* Et de beata Felicitate: *Pridie quam ducendi essent ad supplicium martyres, Felicitas parturiens, dolens atque vociferans, foris exaudiebatur. Cui Commentariensis insultans ajebat, Quomodo cras libens mortem suscipies, quæ pariens adeo perturbaris? Cui illa: Naturæ debibitas pœnas naturali tantum virtute persolvo: supplicia autem quæ subministrat impietas, divina gratia superabit.* Plura id genus congeri poterant. Genus ipsum indicasse sufficiet. *Surius Feb. die 14.* *Sur. Mart. die 7.*

III. Tertullianus paucis, suo more, sed solidissimè, & in caput ipsum & fontem doctrinæ hujus statim nos manuducens, ita habet initio libri de Patientia: *Nisi quod bonorum quorundam, sicuti & malorum, intolerabilis magnitudo est; ut ad capienda & præstanda ea, sola gratia divinæ inspirationis operetur. Nam quod maximè bonum, id maximè penes Deum: nec aliud id, quàm qui possidet, dispensat, ut cuique dignatur.* Oppidò quàm multa, & omnia penè gratiæ arcana hoc paucorum verborum contextu conglobata latitant, imo eminent & splendescunt. Efficacia gratiæ elucescit, aut suo marte invictæ, aut certe præpotentis quæ

sola

sola operari dicitur; quæ bonorum seu virtutum *magnitudinem* sola præstare potest. Gratiæ necessitas, cum extra eam bona nobis intolerabilia & impervia sint: cum sola gratia præstet ea & operetur: solus bona præstet Deus, qui ea possidet. Gratiæ prevenientis beneficium, ut quam det Deus, *cui dignatur*: non nostræ ergo dignitati, sed divinæ dignationis is fructus est.

Idem rursus præclarissimè libro de Anima: adversus hæreticos, qui *convertibilem negabant naturam*: ita argumentatur: *Ergo si ita est, neque de lapidibus filios Abrahæ suscitare poterit Deus, nec genimina viperarum facere pœnitentiæ fructus. Et erravit Apostolus scribens, Eratis & vos aliquando tenebræ: & Fuimus nos aliquando filii iræ & in his vos quoque fuistis, sed abluti estis. Sed nunquam discordabunt sententiæ sanctæ. Non dabit enim arbor mala bonos fructus, si non inseratur: & bona malos dabit, si non colatur. Et lapides filii Abrahæ fient, si in fidem Abrahæ formentur. Et genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis expuerint. Hæc erit vis divinæ gratiæ, potentior utique natura habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem.* Totam ut vides & expuendi mali, & inserendi excolendique boni potestatem, totam ex lapidibus filios Abrahæ efficiendi vim, gratiæ divinæ arrogat, quę potentior est quàm natura, quæ subjacentem habet sibi libertatem humanam.

IV. Cyprianus ad Donatum, fidei & disciplinæ Christianæ rudimenta evolvens, ait, *Accipe, quod sentitur, antequam discitur: nec per moras temporum longa agnitione colligitur, sed compendio gratiæ maturantis hauritur.* Tum exponit, quo ipsemet mentis statu esset, ante fidem susceptam: *Impossibilis, aiebam, tanta conversio est, ut repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum, situ materiæ naturalis obduruit: vel usurpatum diu, senio vetustatis inolevit, &c. Tenacibus semper illecebris necesse est, ut solebat, vinolentia invitet, inflet superbia, iracundia inflammet, &c. Sed postquam undæ genitalis auxilio, superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit: postquam cœlitus Spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur; ut esset agnoscere, terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum, delictis obnoxium vixisset: Dei esse cœpisse, quod jam Spiritus sanctus animaret.* Sic ille gratiæ potestatem incredibilem prorsus describit, & sibi antè visam impossibilem, solo experimento, sola vitiorum abdicatione, virtutum impertitione possibilem videri cœptam. Pergit porro: *Scis ipse & mecum pariter recognoscis, quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors ista criminum, vita virtutum. Scis ipse, nec prædico in proprias laudes. Otiosa jactatio est. Quamvis non jactatum possit esse, sed gratum, quidquid non virtuti hominis ascribitur, sed Dei munere prædicatur: ut jam non peccare, esse cœperit fidei: quod ante peccatum est, fuerit erroris humani. Dei est inquam, Dei est, omne quod possumus. Inde vivimus, inde pollemus.* Ita ille gratiæ prævenientis & justificantis, necessitatem, ubertatem, efficaciam prosequitur. Deinceps autem subsequentis gratiæ tantam cuique copiam infundendam subjicit, quantum quisque sitierit, & desiderj æstu pectus animumque ampliaverit: *Non enim in capessendo munere cœlesti mensura ulla vel modus est, &c. Manat jugiter, exuberat affluenter, nostrum tantum sitiat pectus & pateat. Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum inde gratiæ inundantis haurimus.*

L. 1. Ep. 6. Cyprianus idem de Martyribus scribens, *Quàm lætus in illis Christus fuit, quàm libens in talibus servis suis & pugnavit & vicit protector fidei, dans credentibus tantum, quantum se credit capere qui sumit! Certamini suo affuit: præliatores atque assertores nominis sui erexit, corroboravit, animavit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. Cum vos, inquit, tradiderint, nolite cogitare quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et paulò pòst: *Dimicate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare. Qui non sic est, ut servos suos tantum spectet, sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter & coronatur.* Non potuit apertiùs tota victoria & efficacia boni operis divinam in gratiam transferri, & in Christum in nobis pugnantem & vincentem: etsi enim non in omnibus, in his certè difficillimis certaminibus invictissima gratia opus est.

V. Ex Cypriano Augustinus ingentem testimoniorum struem congessit adversùs Pelagium; primò quidem pro peccati originalis fide constabilienda. Et in hac enim parte novare Augustinum, & inauditum hactenus dogma, priscisque Patribus inexploratum obtrudere causabantur. Ea quidem testimonia tum Cypriani, tum aliorum Patrum, Latinorum juxta ac Græcorum, studiosissimè ab Augustino compilata, hìc describere supersedeo. Nec enim de peccato originis nobis nunc certamen est. Illud tantùm admoneo, si Vossio, si cuiquam alteri collibuisset in hac quoque re litigare & tricari, perinde videri ipsis potuisse, & Græcos & Latinos ante Augustinum Patres abhorruisse à fide peccati originalis, & hoc primùm ab Augustino invectum esse dogma. Excutiantur enim loca ab Augustino prolata ex sanctis Patribus, imò eorum ipsa opera pervolvantur & pensiculentur, nihilo clarior in illis peccati originalis confessio elucet, quàm vel gratuitæ prædestinationis, vel efficacis ad conversionem & perseverantiam gratiæ. Ergo utrobique ex æquo exponenda abiiciendaque est tricandi prurigo, & Augustino non sua placita, sed Patrum decreta antiquorum & referenti & interpretanti, fides adjicienda est.

VI. Ad gratiam verò Dei muniendam, hæc ex Cypriano laudat Augustinus decerpta. Ex libello de Oratione Dominica: *Dicimus, Sanctificetur nomen tuum, &c. Id petimus & oramus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseveremus, &c. Addimus quoque & dicimus, Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra: non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quo minus quod vult faciat? Sed quia nobis à diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus & petimus ut fiat in nobis voluntas Dei: quæ ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope ejus & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est, &c. Est inter carnem & spiritum colluctatio, &c. Petimus inter duo ista ope & auxilio Dei concordiam fieri, ut dum & in spiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est, anima servetur, &c. Potest & sic intelligi, ut quoniam mandat & docet Dominus etiam inimicos diligere, & pro his qui nos persequuntur, orare, precemur & pro illis qui adhuc terra sunt, & necdum cœlestes esse cœperunt, ut & circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conservando & redintegrando perfecit, &c. Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto à Christi corpore separemur, &c. Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè atque arroganter aliquid assumat, ne quis confessionis aut passionis gloriam suam ducat, cum Dominus ipse humilitatem docens, dixerit, Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem,* Ad Bonif. L. 4. c. 9. *spiri-*

spiritus enim promptus est, caro autem infirma. Ut dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter & cum timore & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur. Item ex Cypriani libro tertio ad Quirinum: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Et in libro de Patientia: *Est enim nobis cum Deo virtus ista communis. Inde patientia incipit, indè claritas & dignitas caput sumit. Origo & magnitudo patientiæ Deo authore procedit*.

VII. Ex his Cypriani verbis totam sui dogmatis seriem contexit Augustinus: *Numquid iste sanctus liberum arbitrium negat in hominibus? Numquid sub nomine gratiæ fatum asserit, quamvis dicat in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit? Numquid sicut isti, Spiritum sanctum adjutorium ita credit esse virtutis, tanquam ipsa virtus quæ ad hoc adjuvatur, oriatur ex nobis? quando nostrum nihil esse asserens, propter hoc Apostolum dixisse commemorat, Quid enim habes quod non accepisti? virtutemque excellentissimam, hoc est, patientiam, non à nobis dicit incipere ac deinde adjuvari Spiritu Dei: sed ab ipso caput, ab ipso originem sumere. Postremo nec propositum bonum, nec studium virtutis, nec mentes bonas sine gratia Dei incipere, & esse in hominibus confitetur, cum dicit in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit, &c. Respondeant hæretici novi, quid bonorum meritorum præcedat in hominibus inimicis nomini Christiano. Non solùm enim non habent bonum, sed habent etiam pessimum meritum. Et tamen etiam sic Cyprianus intelligit, quod in Oratione dicimus, Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra: ut & pro ipsis qui propter hoc terra dicuntur, oremus. Oramus ergo non solùm pro nolentibus, sed etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo nisi ab illo de quo dictum est, Præparatur voluntas à Domino?* Ita Augustinus ex verbis & sententiis Cypriani exculpit suam, hoc est, orthodoxam de gratia sententiam, tum quod meritum omne hominum anteveniat, tum quod suapte vi conversionem & perseverantiam operetur efficacissimè: ad conversionis enim gratiam spectat, ut fiant homines ex nolentibus volentes, ex oppugnantibus amantes: tum denique quod gratis à Deo immerentibus detur in tempore, gratis ante tempora prædestinetur. At consimilia erant & omnino his gemina testimonia Græcorum Patrum, quæ nos suprà coacervavimus. Sexcenties enim illi æquè inculcarunt, in nullo esse gloriandum, nostrum esse nihil, Deum precibus fatigandum, ut infideles, ut impios ad fidem, ad sanctimoniam pertrahat, ut bonos servet, & à peccatis eximat, tentationibus superiores & invictos efficiat. Ergo & illos ex Augustini sensu imitationeque interpretabatur toti Augustiniano dogmati consentaneos.

VIII. Non advertunt autem adversarii confiteri quidem Augustinum se quondam in negotio gratiæ errasse & resipuisse, nusquam autem ab eo innui, imò perspicuè negari, quòd Cyprianus, Ambrosius aliique Patres in eodem secum errore versati sint: *Non sic pius atque humilis Doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quod ut ostenderet, adhibuit Apostolum testem, dicentem, Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quo præcipuè testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter & justè & piè vivamus in hoc sæculo*. Cui decreto de gratia qualecumque & quantulumcumque hominis meritum anteveniente, reliqua omnia sua de prædestinatione gratiæ placita, tum alibi, tum eo maximè libro conglutinat Augustinus, & indivulsè hærere contendit. Itaque & Cyprianum & Patres alios censet ipse, non in priore sua quam retractavit, sed in posteriore & sana sententia adhęsisse. Et paulò antè ibidem: *Legite aliquantò intentiùs expositionem Cypriani Martyris libro de Dominica Oratione, & videte ante quot annos contra ea quæ futura erant Pelagianorum venena, quale sit antidotum præparatum, &c. Ut supradicti hæretici novi, inimici gratiæ Christi, longè antè reperiantur esse convicti, quàm nati*.

De prædest. Sanct. c. 3.

IX. Hilarium Pictaviensem Episcopum à suo de gratia decreto non discrepare vehementer contendit Augustinus. Et sanè Hilarius in illud Psalmi, *Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in utilitatem*, præclarissimè in hunc modum de gratia disserit: *Omnia Propheta ad manus Dei retulit, sive ut lex justificationum sibi statuatur à Domino, ut sibi intelligentia præstetur: sive ut deducatur in semita: sive ut cor in testimonia inclinetur*. Tum objectionem solvere aggreditur à latere exurgentem: *Sed fortè per hanc Prophetæ religiosam modestiam, quisquam impiè loqui ita audebit: Si inquit omnia à Deo sunt, humana ergo ignorantia caret culpa, cum nihil obtinere possit, nisi quod donatum à Deo sumpserit*. Vides quàm patenter prędicarent Patres etiam nunc, omnia à Deo esse, omnia à Deo donari, intelligentiam à Deo præstari, inclinari corda, ideoque calumniæ latus aperire videbantur. Videsis autem ut eam discutiat Hilarius: *Et primum hoc impiæ est voluntatis, existimare idcirco se ea quæ sunt credentium propria non consequi, quod sibi à Deo indulta non fuerint. Sed omnem occasionem hujus impiæ excusationis Propheta submovit. Primùm enim cùm orat, conveniens infirmitati suæ egit officium. Dehinc Dei muneribus humanæ devotionis studia connexuit. Cùm enim ait, Legem mihi statue Domine viam justificationum tuarum, quid secundùm orationis nostræ humilitatem Dei esset, ostendit. Cùm autem subjecit, Et exquiram eam semper, officium devotionis suæ protulit. Et in cæteris quoque, utrumque quodam complexu sibi invicem colligavit, cùm deduci se in semita postulavit, & cum idipsum voluit. Prius enim quæ à Deo sunt, cum honore præposuit, & tunc quæ hominis sunt, cum humilitatis officii sui confusione subjecit. Orat igitur, ut Deus tribuat. Est ergo à nobis cùm oramus exordium, ut munus ab eo sit: dehinc quia exordio nostro munus est ejus, ex nostro rursum est, ut exquiratur, & obtineatur, & maneat*. Ne ista responsio calumniæ pateat, revocanda in memoriam est Augustini doctrina, centies & ad nauseam inculcata; ideo Deum aliqua præcepisse, ut facias quod possis, petas quod non possis: & si non potes, ores ut possis. Ita prorsus Hilarius, duo esse hominis munera indicat, poscere auxilium gratiæ divinæ, & eidem ubi concessum est, obsequi & dicto audientem esse: in culpa esse malos omnes ex altero capite, vel quòd non petant divinam opem, vel quòd eam consecuti pigrescant, & socordiæ ultro se dedant. Jam nec apud Hilarium, nec apud Augustinum in locis istis ultra inquiritur, ad orandum divinum auxilium nullone anteeunte opus sit auxilio. Nimirum necesse non erat eò progredi, cùm inficiari non possent Adversarii, posse se ad preces confugere, undecumque demum id possent. Ne id quidem autem posse hominem sine prævio quodam auxilio alio, Augustinus quidem alibi sexcenties tradit. Hilarius autem loco supra relato satis innuit, cùm ait, omnia à Deo esse, omnia à Deo donari, omnia ad manus Dei referri, corda à Deo inclinari, inclinari autem necesse est etiam ad orationem. Quod confirmat Hilarius ipse in sequentibus.

In Ps. 118. L. de Nat. & Grat. c. 61.

In eum enim versum: *Et veniat super me misericordia tua Domine, &c.* ita ille: *Misericordiam*

diam primum deprecatus est, deinde salutare. Salus enim nostra ex misericordia Dei est, & bonitatis suæ hoc munus in nobis est, &c. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis, &c. Omnia vult à bonitate Dei in se inchoari. Vides ut inchoatio bonorum omnium Deo tribuatur, nec meritis sed misericordiæ salus tota feratur accepta. Et alibi: *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos, fortè vivos deglutissent nos. Perpessi namque hominum insectationes, Regum impias constitutiones, consiliatorum illecebrosas adhortationes, cum in fide maneamus, cum in timore Dei resideamus, cum in spe bonorum æternorum immoremur, adjuti Dei misericordia, scientes fidelem eum qui dixit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Ad hunc habitantem in nobis, gaudia nostra referamus; huic siquidin nobis est, debeamus: à Paulo beato edocti, nihil nostrum existimandum, dicente, Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? A sancto verò Jacob Patriarcha modestiam referendæ gratiæ cognoscentes, cum dicit, Deus qui enutrivit me à juventute mea, & Angelus eruens me ex omnibus malis.* Vel uno ex hoc loco tota Augustini sententia Hilario quoque, perinde ut Cypriana vendicabitur. Nam & Hilarius profitetur, Nihil nostrum existimandum, quod idem est atque illud Cypriani: In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est: eodem Pauli loco uterque se communivit. Ergo & prævenienti gratiæ, & efficaci, & aliquando efficacissimæ, & gratis prædestinatæ Augustinus in Cypriano Hilarium conciliavit. Et rursum idem Hilarius: *Laudate Dominum, quoniam benignus est Dominus, &c. Laudandus Deus ob id est, quia benignus est. Nam ut omnipotens sit, naturæ suæ virtus est: ut verò benignus sit, nobis necessarium est, quos corporis infirmitas & conditio originis in peccatis detinet. Et quid spei est humanis delictis, si benignitas Dei absit?* Vides ut hominis non sint, non præcedant nisi delicta, quibus & corporis infirmitate, & originis conditione adglutinatur: & in quibus satis Deo causæ est, ut quemlibet abjiciat & reprobet. Adeoque misericordię esse absolutissimę, quod in vitam gratiæ qualemcumque respiremus.

In Ps. 119.

In Ps. 134.

X. Tam manifestis gratiæ prævenientis confessionibus aptanda sunt & attemperanda alia ejusdem Hilarii loca aliqua. Cujusmodi est illud: *De nostro igitur est beata illa æternitas promerenda, præstandumque est aliquid ex proprio ut bonum velimus, malum omne vitemus, totoque affectu præceptis cœlestibus obtemperemus, &c.* Eo loco illos concerpit qui jactabant se de Prophetiæ & miraculorum donis; quibus cum nihil cooperationis humanæ succurrat, merito monet, ex illis potius Dei donis gloriam veram & æternam salutem aucupandam, quibus cooperatur & collaborat homo ad virtutes comparandas & eliminanda vitia.

In Matth. Can. 6.

Similiter quod idem alibi ait, *Ne quod à multis sæpè dici solet, rationis aliquam habeat authoritatem, cum asserunt proprium Dei munus esse, ut quis in Dei rebus atque operibus versetur; excusantes infidelitatem suam, quod cessante erga se Dei voluntate, maneant infideles. Est quidem in fide manendi à Deo munus, sed incipiendi à nobis origo est. Et voluntas nostra hoc proprium ex se habere debet, ut velit: Deus incipienti incrementum dabit. Quia consummationem per se infirmitas nostra non obtinet; meritum tamen adipiscendæ consummationis est ex initio voluntatis. Idcirco Psalmum ita Propheta conclusit: Declinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. Cor suum ipse declinat, & ex naturæ humanæ peccatis in obedientiam Dei inflectit. Natura quidem & origo carnis suæ eum detinebat, sed voluntas ejus & religio cor ejus ex eo in quo manebat originis vitio, ad justificationum opera declinat.* Ultra Semipelagianorum deliria hæc efferentur, nisi jam sæpiùs indigitatæ interpretationis obice ea restringamus. Nam non initium tantùm fidei, sed ut cor suum homo ad obedientiam Dei inclinet, ut voluntas & religio cor ad justificationum opera declinet, id ait Hilarius nostri esse officij, nostri roboris, consummationem à Deo expectandam. At nisi divinæ quoque gratiæ semina aliqua præseminata esse agnoscat Hilarius, quæ cor inclinet, & religionem inspiret ad Dei mandata exequenda, pandetur Pelagiano furori porta patentissima. Deinde quomodo secum ipse non collidetur Hilarius, qui antè inculcavit, Deo nos debere, si quid in nobis est: &, Nihil nostrum estimandum, cum dicat Apostolus, Quid habes quod non accepisti? &, Omnia à bonitate Dei in nobis inchoari: & omnia in manus Dei deduci debere; &, Inclinari à Deo corda in ejus justificationes. His splendidissimis sententiis illuminanda est ista paulò caliginosior, itemque illa alia: *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam. Imbecilla est per se aliquid obtinendi humana infirmitas, & hoc tantùm naturæ suæ officium est, ut aggregare se velit & cœperit in familiam Dei. Divinæ verò misericordiæ est, ut volentes adjuvet, incipientes confirmet, adeuntes recipiat; ex nobis autem initium est, ut illa perficiat.* Omnibus his in locis intelligendus est homo incipere, velle, præire, quando gratiæ vocanti & excitanti consentit & cooperatur. Exinde enim gratia subsequens, perficiens, consummans, & ipsa maximè perseverantia in bono largiter infunditur à Deo. Quod enim de gratia tantùm perficiente, & consummante, quam utique labor noster aliquis debet antecedere, verba faciat Hilarius, ipsissima hæc loca produnt, quæ nobis objectantur. Denique horum simillima testimonia inferius ex Augustino & Thoma Aquinate promemus. At his nemo eam asperserit infamiam, gratiæ majestatem extenuasse.

In Ps. 118.

In Ps. 118.

XI. Ambrosius de gratia quoque Christi ea præseminavit, ut & de toto Theologico dogmate, quę Augustinus postea excoluit studiosissimè, & ad summam quandam ubertatem opulentiamque provexit. Deo seu gratia deserente, quò evadat, quò eat præceps homo, sic ille expromit ex verbis Caini: *Si derelinques me hodie, à facie tua abscondam me. Nihil enim gravius, quàm errantem à Deo deseri, ut se revocare non possit. Mors peccatoris finem peccandi affert, vita autem divino gubernaculo destituta, præcipitatur & in graviora prolabitur, ut si gregem pastor relinquat, incursent bestiæ: ita cum Deus deserit hominem, ingruit diabolus. Grave est præsertim insipientibus non habere rectorem. Serpit malitia, vulnus augetur, ubi medicina defuerit.* Et idem Ambrosius paulò antè: *Arrogare eventus sibi, & bonum quod agit vel quod à Deo consequitur, propriis virtutibus vendicare, nec authoris reputare gratiæ, sed ipse se suorum bonorum authorem ducere, hebetis & elati cordis est, &c. Genus est peccati quidem minoris, sed supparis arrogantiæ, eorum scilicet qui datorem bonorum Deum non negant, sed quæ acciderint, ea sibi, propter prudentiam suam cæterarumque virtutum, jure delata arbitrantur. Propterea etiam divina dignos habitos gratia, quòd nequaquam viderentur indigni, quibus talia divinis beneficiis pervenirent. Nequid ergo tibi hujusmodi accidat, unde votum tuum tibi in peccatum fiat, lex te informavit, Attende ne obliviscaris Domini Dei tui, &c. Disce quemadmodum unusquisque moneatur, ne se ipse authorem suorum putet bonorum. Ne dicas, inquit, in corde tuo, virtus mea & potentia mea fecit mihi virtutem hanc magnam; sed in mente tua habebis Dominum Deum tuum, quoniam ipse dat vires, ut facias virtutes. Unde bene Apostolus, quasi legis interpres, non gloriabatur in virtute sua, sed minimum Apostolorum se esse dicebat, & quidquid esset, gratiæ divinæ esse, non meriti sui, nihilque nos habere quod non acceperimus. Quid enim, inquit, habes quod non accepisti?*

De Abel & Cain. l. 2. c. 7. 8.

pisti? &c. Quibus evidentissima continetur gratiæ confessio, & gratuitæ omnino, & omnino nostra qualiacumque merita prævenientis. Et paulò ante calcem libri illius primi, *Quidquid sanctum cogitaveris, hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia.* Et libro secundo de Abraham, capite decimo: *Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis, &c. Sedare hanc pugnam ipse nequiverat, & ideo ad Christum refugit, dicens, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Hoc est, ne delectationi carnis adhæream. Sed quia inter homines tantum non potuit rectorem invenire, conversus ad Deum, Gratia, inquit, Dei, per Jesum Christum Dominum. Si fortior non commisit viribus, quo corpus mortis evaderet, sed auxilium quæsivit à Christo, quid nos facere oportet infirmiores?* Et rursum: *Declina cor meum in testimonia* (L. de fuga sæculi c. 1.) *tua, &c. Non enim in potestate nostra est cor nostrum, &c. Quis tam beatus, qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine auxilio divino qui fieri potest? Beatus vir, cujus est auxilium abs te Domine.* Et rursum idem: *Nec enim in gladio suo posse-* (In Psal. 43.) *derunt terram. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Nemo arrogans aut superbus, sed mansuetus & humilis corde, qui nihil sibi arroget, sed totum ad gratiam referat: non in sua fortitudine glorietur, sed dextera Dei credat se esse protectum, &c. Ad Christum jure omnia referenda sunt. Ipsi Moyses, ipsi Aaron, ipsi etiam Patres sacrabant universa quæ gesserant, ut de hostibus triumpharent. Neque enim in sua confidentia di it Jesus Nave, Stet Sol contra Gabaon, sed quia præsumebat de Christo, quem ducem militiæ cœlestis agnovit, & suppliciter adoravit, & ideo Gentes feras eradicare promeruit, & populum Patrum in terram repromissionis inducere, quia nihil suis operibus deputabat, credens indigna esse opera hominum tanta gloriæ remuneratione cœlestis, quam Dominus ex sua magis misericordia, quàm pro nostrorum contemplatione factorum statuit in se credentibus conferendam.* Et ibidem luculentissimè mox: *Rectè Deus in Filio complacet, quia æqualis est Patri: in nobis autem Deo complacuit, quia nobis ipse donavit, ut ei placere possimus.* Et rursum: *Concupivit anima mea* (In Ps. 118. Octon. 3. 8.) *desiderare justificationes tuas. Concupiscimus enim desiderare, quasi non sit potestatis nostræ desiderium; sed gratiæ Dei.* Et infrà: *Viam iniquitatis amove à me. Quia hæreditarium iniquitatis glutinum mentibus inhæsit humanis, opus est liberantis auxilio. Precare tu & dicito, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* Et inferius: *Adjuva me, &* (In Ps. 118. Octon. 15.) *salvus ero, & meditabor justificationes tuas semper. Ergo vel inter Angelos annumeratus discas oportet justificationes Dei semper, & illam quam adeptus es gloriam, non tuis meritis arroges, sed divinæ miserationi semper ascribas; ne tibi dicatur, Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Omnis enim creatura quæcumque bona habet, accepit à Christo, qui totius est author creaturæ.* Et alibi in verba Psalmi: (In Ps. 37.) *Quoniam subsecutus sum justitiam. Quanta vis verbi in unius syllabæ adjectione, ut subsecutum se diceret justitiam, non secutum? Propior est enim qui subsequitur, quàm ille qui sequitur, & suppar, quàm par. Et tamen quamvis subsequatur justitiam, non suæ virtutis putat esse, sed gratiæ cœlestis, si non deseratur à Christo; eoque orat impensius, dicens, Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.* Perspicuè in his patet quàm gratis detur gratia, & quàm necessaria sit, ne momentis singulis ad deteriora prolabamur. Quod utrumque rursus elegantissimè in illum versum Psalmi: *Quare* (In Ps. 41.) *oblitus es mei, & quare me repulisti, &c. Quando stare potero, nisi solidaturus hoc lutum, semper intendas, ut de vultu tuo soliditas mea prodeat? Cùm averteris faciem, turbabuntur omnia. Si intendas, væ mihi, non habenti quod aspicias, nisi contagia peccatorum; nec deseri utile, nec videri est, quia dum videmur, offendimus. Possumus tamen æstimare, quia non repellet quos videt, quia emendat quos aspicit. Ignis ante eum ardet, qui crimen exurat.* Hìc verò non quàm gratuita tantùm, & quàm necessaria, sed & quàm efficax sit gratia, dilucidè exprimitur, sive illa invictissima sit, sive remissior gratiæ efficacia.

Rursus idem in ea verba Psalmi, *Fiat misericor-* (In Ps. 118. Octon. 10.) *dia tua, ut exhortetur me, &c. In eo igitur obsecrat misericordiam Dei, ne auxilio destitutus, cœptam militiam derelinquat.* Et paulò infrà gratuitæ prædestinationi apertissimè suffragatur: *Colligitur adhortationem, divinæ misericordiæ deputandam, Unde sequitur, Ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat, Hunc miseratus hortatur, illum non revocat execratus. Et verè misericordia est Dei nostrarum militia passionum, per quam nobis peccata minuuntur. Denique Lazarus pauper, quia in hac vita toleravit mala complurima, in gremio Abrahæ requiem consolationis invenit; ille autem dives qui consolationem habuit in sæculo, post curricula vitæ hujus fructum quietis amisit. Quem si miseratus esset Deus, castigasset potiùs in hoc sæculo, ut postea non flagellaretur.* Hic vides manifestissimè prædestinationem Lazari præ divite, misericordiæ uni divinæ imputari, quæ ideo illum per adversa purgavit & expedivit à vitiis, in quibus passus est Deus istum computrescere, quia non æquè est miseratus.

XII. Quod autem interserit ibi Ambrosius, nobis nihil officit. Cùm enim ex illo loco, *Non est volentis neque currentis*, quidam perperam argutarentur, *Ergo non debemus vel velle vel currere*, respondet Ambrosius, *Atqui negligentes Deus deserere consuevit. Ergo non hoc dicit, Sed quid dicat consideremus. Non volentis neque currentis hominis perseverantia est. Non est enim in hominis potestate, sed miserantis est Dei, ut possis complere quæ cœperis.* Non tamen solam perseverantiam divinæ gratiæ imputat Ambrosius, reliqua omnia humano ab arbitrio proficisci persuasus. Nam nec Pelagius pene tantùm desipuit. Et jam multis nos docuit Ambrosius, gratia deserente, hominem non perseverare in bono, sed in deteriora subinde prolabi, & nullis non vitiis sordidari. Ergo hoc unum vult hoc loco Ambrosius, reliquas gratias consensione & connisu hominis indigere: ut autem perseveret in bono usque ad finem, meram illam esse divinæ misericordiæ gratiam quandam, vel gratiæ potiùs redundantiam, cui nihil conferat hominis conatus quantuscumque. Ut enim juvenis rapiatur, antequam malitia illum depravet, ut Lazarus malis exerceatur, ne deliciis affluentibus effluat ad vitia & pereat, sors ea est gratiæ & misericors prædestinatio miserantis Dei, non currentis vel volentis hominis. Unde ibidem statim Ambrosius loquitur de prædestinatione Lazari præ divite Epulone.

XIII. Et alibi idem Ambrosius de gratia præveniente pulcherrimè & manifestissimè: *Vides utique* (In cap. 3. Lucæ.) *quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis; ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino. Et ideo juxta Apostolum, Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quem locum cùm allegasset Augustinus adversus Pelagium, ait: *Videtis quemadmodum* (L. de grati Christi c. 44. 45. 46.) *sanctus Ambrosius etiam illud, quod solent homines dicere, Nos incipimus, & Deus perficit, abstulit his verbis, dicens, Neminem quidquam incipere sine Deo.* Et ibidem Augustinus alia ejusdem Ambrosii loca decerpens ex iisdem commentariis in Lucam, ita pergit: *Item in libro sexto ejusdem operis, cum de duobus illis unius fœneratoris debitoribus ageret, Secundum hominem, inquit, plus fortasse offendit, qui plus debuerat; sed per misericordiam Domini causa mutatur, ut amplius diligat, qui amplius debuit, si tamen gratiam consequatur.*

Ecce

Ecce apertissimè prædicat Catholicus Doctor, etiam ipsam dilectionem qua quisque amplius diligit, ad beneficium gratiæ pertinere. In his sanè Ambrosii verbis quæ refert Augustinus, non minùs perspicuè splendet electio gratiæ, qua *per misericordiam causa mutatur*, & amplior dilectio illi infunditur, qui gravioribus obstringebatur delictis.

Pergit ibidem Augustinus testimonia ex Ambrosio promere: *Ipsam denique pœnitentiam quam proculdubio voluntas agit, Domini misericordia & adjutorio fieri ut agatur, in decimo ejusdem operis libro beatus dicit Ambrosius, ita loquens: Bonæ lacrymæ, quæ culpam lavant. Denique quos Jesus respicit, plorant delictum. Negavit primò Petrus & non flevit, quia non respexerat Dominus. Negavit & tertiò, respexit Jesus, & amarissimè flevit.* Gratiæ efficacia, ipsi propria & intrinseca, his Ambrosii verbis evidenter significatur. Nam ut ait ibidem Augustinus, *quod respexit Dominus, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit, &c.*

Pergit ibidem porrò Augustinus ex Ambrosio carpere flosculos sententiarum, gratiam Dei & electionem gratiæ spirantes: *Audiat eundem Antistitem Dei, in sexto libro ejusdem operis, dicentem, Cur autem non receperint eum, Evangelista ipse memoravit, dicens, Quia facies ejus erat euntis in Hierusalem: discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant. Sed Deus quos dignatur, vocat, & quem vult religiosum facit. O sensum hominis Dei, ex ipso haustum fonte gratiæ! Deus, inquit, quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit. Videte si non propheticum illud est, Miserebor cujus misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero. Et illud Apostolicum, Non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Quia ut dicit etiam nostrorum temporum homo ejus, Quem dignatur, vocat; & quem vult, religiosum facit.* In his Ambrosii verbis manifestissima est gratuitæ prædestinationis confessio.

Et rursus libro de natura & gratia idem Augustinus præclarissimum hunc Ambrosij locum profert ex commentario ejus in præfationem Lucæ: *Visum*
[Cap. 61.] *est, inquit, mihi. Potest non soli visum esse, quod sibi visum esse declarat. Non enim voluntate tantùm humana visum est, sed sicut placuit ei qui in me loquitur Christus, qui ut id quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit, operatur. Quem enim miseratur, & vocat. Et ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus, respondere, Visum est mihi. Quod cum dicit, non negat Deo visum, à Deo enim præparatur voluntas hominum. Ut enim Deus honorificetur à sancto, Dei gratia est.* Quæ Ambrosii verba & prævenienti gratiæ & ejusdem efficaciæ, sive summæ, sive temperatæ, & gratuitæ ante sæcula prædestinationi evidentissimè suffragantur.

Rursus idem Augustinus ex Ambrosio luculentissima hæc suffragia decerpit: *Pelagiani dicunt, ab*
[L. 4. ad Bonif. c. 11.] *homine incipere meritum per liberum arbitrium, cui Deus subsequens gratiæ retribuat adjumentum. Etiam hic eos refellat Ambrosius, dicens in expositione Isaiæ Prophetæ: Quia humana natura sine divina ope imbecilla est ad medendum, Deum auxiliatorem requirit. Item in libro qui inscribitur, De Fuga sæculi, Frequens nobis, inquit, de effugiendo sæculo isto sermo, atque utinam quàm facilis sermo, tam cautus & sollicitus affectus. Sed quod pejus est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, ut quod studeas vitare, hoc cogites, animoque volvas. Quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti magis esse rem, quàm effectus, testatur Propheta, dicendo: Declina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam. Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & cogitationes nostræ, quæ improviso offusæ, mentem animumque confundunt, atque alio trahunt, quàm tu proposueris. Ad sæcularia revocant, mundana inserunt, voluptaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore, quo elevare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus ad terrena plerumque deiicimur. Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine auxilio divino qui fieri potest? Nullo profectò modo. Denique suprà eadem Scriptura dicit, Beatus vir cujus est auxilium ejus abs te Domine, ascensus in corde ejus.* Ab ipso rei cardine gratiæ necessitatem repetit Ambrosius, quòd cogitationes affectusque nostri non omnino in potestate nostra sint. Adeoque necesse sit auxilio divino inclinari corda nostra in testimonia legis divinę, & tumultuosam vanitatem cogitationum ab animo nostro exsufflari. Ideò meritò exclamat ibi Augustinus: *Quid apertius & sufficientius dici potest?* Tum verò alia quoque contexit Ambrosii loca; *Sed ne Pelagiani fortè respondeant, quod divinum auxilium possit præcedere hominis meritum, idipsum meritum esse dicentes, quia orando fit dignus, cui gratia divina subveniat: attendant quid idem vir sanctus dicat in expositione Isaiæ: Et orare Deum, inquit, gratia spiritalis est. Nemo enim dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.*

XIV. Eximiè rursus idem Ambrosius & gratuitæ prædestinationi & promananti ex ea gratiæ astipulatur; *Mysticè ait Sara, Conclusit me Dominus ut* [L. 2. de Abrah. c. 10.]
non pariam: intra ergo ad ancillam meam, ut filium facias ex illa. Quo agnoscas in prædestinatione fuisse semper Ecclesiam Dei, & paratam fidei fœcunditatem, quando juberet Dominus prorumpere, sed voluntate Domini certo reservatam tempori. Denique scriptum est, Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te. Advertimus itaque quod festinabat fides Ecclesiæ, sed conclusa erat ejus fœcunditas. Quo verbo demonstratur, quoniam expectabat partus sui tempora; quia quod conclusum est, aperiri solet. Qua ratione conclusa fuerit, docet te Apostolus, dicens, Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur: ut non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esset gratia, ne teipsum justificares, sed omnia tribueres Deo, qui te vocavit. Vides ut gratiæ, ut voluntati, ut prædestinationi, ut misericordiæ divinæ tribuat, quòd fidei & Ecclesiæ fœcunditas aliquando proruperit, non antè. Nihil hìc humana merita, nihil meritorum præludia vel tentamenta, nihil meritorum qualiumcumque prælusiones. Omnia enim conclusa erant in incredulitate, omnium misertus est.

XV. Molliùs ergo interpretandum est quod ibidem contexitur: *Nemo pigrescat, & excusationem prætendat, quo seriùs credat, quia scriptum est, Non volentis, neque currentis. Consideret enim quid additum sit, Sed miserentis, inquit, Dei. Talem te ergo præbe bonis studiis & prompta fide, ut Deus tui misereatur, & vocet te, sicut Ecclesiam vocavit, dicens, Palam factus sum non quærentibus me, apparui iis qui me non interrogabant.* Hæc omnino pertinent ad eos, quos fidei & gratiæ aura jam aliqua & lux afflavit, ut qui jubeantur *bonis studiis & prompta fide* provocare misericordiam Dei. Deinde & hos tam misericorditer à Deo vocari ac præveniri ait Ambrosius, quàm Ecclesiam, de qua scriptum est, palam factum esse Deum, non quærentibus, ne interrogantibus quidem. Denique non potest hic locus obstrepere tum aliis locis quæ suprà relata sunt, tum iis quę hìc & antecedunt & consequuntur. Ergo & Græcis condonanda sunt ea testimonia, quæ præcurrere gratiæ liberum arbitrium videntur in speciem sonare, & commodè sunt interpretanda, cùm Ambrosius eadem verba usurparit, quem Augustinus suæ sententiæ, quem ipsa rei evidentia vindicavit.

Pari

Pari humanitate & hic alius Ambrosii contextus dignandus est: *Sedere ad dexteram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Non dixit, Non est meum dare: sed, Non est meum dare vobis: hoc est, Non sibi potestatem deesse asserens, sed meritum creaturis. Accipe aliter: Non est meum, qui veni humilitatem docere, qui veni ministrare, non ministrari, qui justitiam servo, non gratiam. Denique ad Patrem referens, addidit, Quibus paratum est; ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est. Unde & Apostolus ait, Quos præscivit, & prædestinavit. Non enim ante prædestinavit, quàm præsciret; sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Sana & præclara hæc sunt omnia, si scopus Ambrosii pensitetur. Id enim contendit unum, & jure meritissimo, æterna præmia, non ambitioni & precibus otiosorum, sed laboribus & meritis donari. Sola enim precum ambitione speraverant rudes adhuc discipuli se principatum cœlestis regni eblandiri & consequi posse. Docentur seriò cœlestem gloriam laborantibus & sudantibus esse desponsam. Ita ergo paravit & prædestinavit Deus præmia æterna se largiturum, iis quos præscivit meritis & laboribus claros fore. Nemo orthodoxus aliter sapit. At eo ita constituto, jam alia quæstio vertitur, merita hæc quibus & danda postea, & olim prædestinata est gloria, à gratia Dei manent, an à libero arbitrio: & ab utro principaliùs, si ab utroque. De ea re nec verbum facit Ambrosius eo loco. Nam etsi merita & laborum justitiæque perseverantia à Deo donetur & gratis prædestinetur, ut alibi Ambrosius docet, adhuc indubiè constabit, quod hìc tradit, prædestinatos esse ad æternam mercedem, quos Deus præscivit meritorum laude præcipuos futuros. Quod autem alibi Ambrosius tradat, merita ipsa bona à Deo donari & gratis prædestinari, antè & ex ipso & ex Augustino patefecimus, quantum satis est.

L. 5. de fide. c. 3.

CAPUT XVII.

Hieronymi doctrina Augustino consentanea, in gratiæ & gratuitæ prædestinationis dogmatibus.

I. II. Multa ex Hieronymo testimonia coacervantur, ad illustrationem gratiæ prævenientis, ejusque tum necessitatem, tum efficaciam.

III. Gratuitæ prædestinationi ut idem suffragetur.

IV. Ut omnia prorsus & qualiacumque bona idem ascribat gratiæ Dei.

V. Iterum de victrice Christi gratia.

VI. Rursum de prædestinatione contraria. Extricantur loca Hieronymi, quæ illi videbantur obstrepere.

VII. Iterum ex Hieronymo gratia præveniens & efficax.

VIII. Iterum gratuita prædestinatio.

IX. Mitigantur quædam duriùs ab eodem dicta.

I. Hieronymum supra audivimus, una voce omnia Augustini scripta adversus Pelagianos confirmantem. Nunc sigillatim ejus quoque commentarios excutiamus, ut gratiæ præconia promantur, quæ Prosperi admirationem merito expresserint. In Epistola ad Demetriadem de Virginitate servanda: *Perfectos afferes fructus, si humiliaveris te sub potenti manu Dei, & scriptum semper memineris, Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Ubi autem gratia, non operum retributio, sed donantis est largitas, ut impleatur dictum Apostoli, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Et tamen velle & nolle nostrum est; ipsumque quod nostrum est, sine Dei misericordia nostrum non est.* Nihil absolutius pro gratuita, & meriti umbras omnes anteveniente divinæ gratiæ largitate. Et alibi idem sanctus Pater: *Liberi arbitrii nos condidit Deus: nec ad vitia nec ad virtutes necessitate trahimur. Alioqui ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est. Sicut in bonis operibus perfector est Deus; Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis & adjuvantis Dei, ut pervenire valeamus ad calcem: sic in malis atque peccatis, semina nostra sunt, incentiva & perfectio diaboli.* Absolutissimè hìc quoque & initia & culmina justitiæ Deo tribuit, & gratiæ perficienti. Nam malorum semina distinguit & perfectionem, illa à nobis, hæc à diabolo esse pronunciat. At bonorum absolutè Deum perfectorem existimat, nec ulla à nobis primordia extundi posse sperat. L. 2. adv. Jovin.

Et in libro primo adversus Pelagianos idem luculenter: *Tunc justi sumus, quando nos peccatores fatemur; & justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia. Conclusit enim Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur. Et hæc hominis summa est justitia, quidquid potuerit habere virtutis, non suum putare esse, sed Domini qui largitus est.* Et infrà: *Neque enim potest homo esse sine peccato, sed potest, si voluerit, Deus hominem servare sine peccato, & immaculatum sua misericordia custodire. Hoc & ego dico, quod Deo cuncta possibilia sunt, Homini autem non quidquid voluerit, possibile est, &c.* Et in libro secundo: *Ex quo intelligimus, non nostræ solum esse potestatis, facere quod velimus, sed & Dei clementiæ, si nostram adjuvet voluntatem.* Et infrà: *Scribit Paulus ad Thessalonicenses, Fidelis est Dominus, qui custodiet nos & servabit à malo. Ergo non liberi arbitrii potestate, sed Dei clementia conservamur.* Et infrà: *Dicebat autem, inquit, & parabolam illis, quod semper oportet orare & nunquam deficere. Frustra semper oramus, si in nostro arbitrio est, facere quod volumus. Dixerunt Apostoli, Et quis potest salvus esse? Audiunt à Domino, Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ergo aliqua quæ apud homines impossibilia sunt, certè ex eo esse possibilia ostenditur, quod apud Deum possibilia sunt. Sit ergo apud Deum possibile, homini si velit donare impeccantiam, non ipsius merito, sed sua clementia: & apud homines nequaquam possibile, liberi arbitrii potestate, quod nutu donantis accipitur.* Et infrà: *Quid, inquit, dormitis? surgite & orate ut non intretis in tentationem. Debuit juxta vos dicere, Quid dormitis? surgite & resistite. Liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessa à Domino potestate, nullius alterius indigetis. Si enim hoc feceritis, non intrabitis in tentationem.* Et ibidem mox præclarissimè: *Non possum, ait, ego facere à memetipso aliquid, sed sicut audio, ita judico. Ariani obiiciunt calumniam: sed respondet Ecclesia, ex persona hominis dici, qui assumptus est. Tu è contra loqueris, Possum sine peccato esse, si voluero. Ille nihil potest ex se facere, ut hominis indicet veritatem: tu potes omnia peccata vitare, ut adhuc in corpore constitutus, ἀντίθεον esse te doceas.* Dei clementiam, misericordiam, gratiam nullis nostris meritis præveniri, sed gratis affulgere, gratis benefacere, immerentibus & peccatoribus concedi, singulis ut vides propemodum verbis inculcat. Item ad opus quodlibet bonum necessario nos egere gratiæ auxilio, & ad quamlibet similiter tentationem superandam, creberrimè admonet. Rursus ut gratis & ex misericordia datur gratia, ita gratis illam, & sine ulla anteeuntium meritorum contemplatione prædestinari, mero clementiæ & gratiæ beneficio, consequens utique est. Consequens denique indidem est, efficaciam boni operis ad adjutorio divino, non à libero nostro arbitrio prin-

principaliter pendere. Utique enim possibilitatem, robur, opus, non libero arbitrio, sed gratiæ Hieronymus tribuit. Quanquam enim concurrere & collaborare utrumque debeat, libertas & gratia: tamen possibilitas vitandi peccati & implendi præcepti, non hominis sed Dei voluntati vendicatur & gratiæ. Ita & cùm Christus se à seipso nihil posse facere, sed Patrem in se manentem opera facere ait, & id ait in hominis assumpti, hoc est, in nostra persona, apertè efficaciam boni operis Deo reservat. Ex aliis Hieronymi testimoniis idem similiter colligitur.

II. Et rursus idem Hieronymus paulò infrà: *Dum essem, inquit, in mundo, ego servabam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi, custodivi, & nullus ex illis periit, nisi filius perditionis. Non dixit, Dedi eis liberi arbitrii potestatem, ut ipsi se suo labore salvarent; sed, Ego custodivi eos, ego servavi. Denique infert, Non rogo ut eos auferas de mundo, sed ut custodias illos à malo.* Et infrà: *Si quis, ait, servaverit totam legem, offenderit autem in uno, factus est omnium reus. Quis nostrum in nullo aliquando peccavit? Si autem peccavit, quod negari non potest, & per unum peccatum omnium est reus peccatorum, non suis viribus, sed Dei misericordia salvatur.* Et infrà: *Pro nihilo salvos faciet eos, haud dubium quin justos, qui non proprio merito, sed Dei salvantur clementia.* Et paulò pòst: *Et dixi, Nunc cœpi, hæc est mutatio dexteræ excelsi. Justi vox est, Nunc cœpi vel pœnitentiam agere, vel scientiæ lumen intrare. Et hæc ipsa de bonis ad meliora mutatio, non mearum virium, sed dexteræ & potentiæ Dei est.* Et aliquammultis interpositis. *Ut sciamus, Dei esse bonum omne quod gerimus, Ego, inquit, plantabo eos, ut nequaquam eradicentur. Et ego dabo eis cogitationem & sensum, ut intelligant me. Si cogitatio & sensus dantur à Deo, & intellectus Domini ex illius qui noscendus est radice pullulat, ubi est liberi arbitrii tantùm superba jactatio?* Et hìc tota similiter vis & efficientia boni operis quantulicumque ad Dei revocatur dexteram, potentiam, gratiam, & tota salus hominis, adeoque salutis prędestinatio, uni Dei clementię tribuitur. Qua de re cùm murmur exoriretur Pelagianorum, illud idem ibidem Hieronymus compescit in hunc modum: *Interroga eum qua causa ultimum atque despectum constituat in Regem, & faciat quod voluerit, & discute, utrum voluntas ejus justa sit, de quo scriptum est, Qui suscitat de terra humilem & de stercore elevat pauperem, &c. An forsitan juxta te absque judicio & justitia gloriam quærit, auramque popularem, ut humiles erigat in regnum, & potentes humilitate commutet? Audi Prophetam dicentem, Omnes habitatores terræ quasi nihil reputati sunt apud eum. Fecit enim quodcumque voluit in cœlo & in terra, & nemo est qui resistat voluntati ejus, & possit dicere, Quare hoc fecisti? Cujus sunt omnia opera in veritate, & viæ illius justitia, & superbientes potest ipse humiliare.*

Idem rursus libro tertio adversùs eosdem Pelagianos: *Scito baptismum præterita donare peccata, non futuram servare justitiam, quæ labore, & industria, & diligentia, & semper super omnia Dei clementia custoditur. Ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur: nostrum incipere, illius perficere: nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus. Nisi enim Dominus ædificaverit domum, &c.* Vides ut laborem industriamque hominis exeri jubeat, sed tamen admoneat, justitiam *semper super omnia Dei clementia custodiri*. Et nostrum ait ille quidem esse rogare & incipere, Dei esse tribuere & perficere. Sed de justificatis per baptismum agit, & de custodia justitię jam acceptę, seu de perseverantia. Constat enim fidei sacramento initiatos, non defieri illis gratię prelusoriis auxiliis, quibus orant & incipiunt, ut divinę pòst clementię sit, perficere, & perseverantię gratiam specialem tribuere. Cęteroqui nihil boni inchoari à nobis posse sine gratia, jam suprapositis tam multis testimonis satis superque confessus est Hieronymus. Ut hinc intelligas, cęteros Patres, seu Gręcos seu Latinos antè, cùm dictitabant, nostrum esse incipere, Dei perficere, non abhorruisse ab hac nostra interpretatione.

III. Gratuitę autem prędestinationi non obscurè mox ibidem subscribit Hieronymus: *Ignatius vir Apostolicus & Martyr scribit audacter, Elegit Dominus Apostolos, qui super omnes homines peccatores erant. De quorum celeri conversione Psalmista canit, Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Quibus testimoniis si non uteris ad authoritatem, utere saltem ad antiquitatem, quid omnes Ecclesiastici viri senserint.* Totus in eo est Hieronymus, ut adversùs Pelagianos probet, neminem in hac mortali vita sine peccatis degere, sive ante, sive post baptismum aut conversionem, adeoque & conversionis & perseverantię gratiam immerentibus & ex misericordia tantùm à Deo præstari. Quæ quàm conjuncta sint cum Paulino & Augustiano decreto de electione gratiæ, nemo non videt. Et apertè mox ibidem ait posse hominem post baptismum carere peccatis, nempe si illico è vitâ abeat. At tunc non ipse peccata omnia calcaverit, sed divina illum gratia & æternæ gratiæ prædestinatio, nihil meritorum præcedentium supponens, sed merita omnia dilargiens, rapuerit præmaturè, & cœlesti gloriæ invexerit, ne malitia mutaret intellectum ejus: *Fac aliquem baptizatum vel statim vel ipsis diebus morte substractum, & concedam tibi quod concedere non debeo, nec cogitasse aliquid, nec loquutum, in quo errore vel ignorantia laberetur. Num ideo sine peccato erit, quia videbitur non superasse, sed fugisse peccatum: ac non potiùs Dei misericordia de peccatorum carcere liberatus, migravit ad Dominum? Hoc & nos dicimus, posse Deum quidquid voluerit, &c.* Nulli non exploratissimum est, quàm frequens Augustinus hoc argumento suum communierit decretum de prædestinatione gratiæ.

Et infrà idem Hieronymus: *Egone liberum tollo arbitrium, qui in tota disputatione mea nihil aliud egi, nisi ut omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conservarem?* Et infra: *Salomon loquitur, Devolve super Dominum opera tua, & firmabuntur cogitationes tuæ. Tunc enim confirmatur nostra cogitatio, quando omne quod agimus, quasi super stabilem & solidissimam petram, Domini adjutorio devolvimus, eique cuncta reputamus. Paulus Apostolus cùm Dei beneficia celeri sermone narrasset, ad extremum intulit, Et ad hæc quis idoneus? Unde & in alio loco dicit, Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Sed perquàm luculenta sunt, quæ continuò subtexit: *Dominus dicit, Ego sum vitis, vos rami: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Sicut rami & flagella vitium illico contabescunt, cùm fuerint à matrice concisa; ita omnis hominum fortitudo marcescit & deperit, si à Dei auxilio deseratur. Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Quando dicit, Nemo potest venire ad me, frangit superbientem arbitrii libertatem: quod etiamsi velit ad Christum pergere, nisi fiat illud quod sequitur, Nisi Pater meus cœlestis traxerit eum, ne quicquam cupiat, & frustra nitatur. Simul & hoc animadvertendum, quod qui trahitur, non sponte currit, sed aut retrectans, aut tardus, aut invitus adducitur. Qui non potest suis viribus & labore venire ad Jesum, quomodo potest omnia simul peccata vitare, & vitare in perpetuum, & Dei sibi potentiæ nomen assumere?* Validissima omnino sunt ista, ad confirmandam gratiæ divinæ ad omnia

bona

bona bonorumque primordia tum absolutissimam necessitatem, tum invictam aut certè peringentem efficaciam, tum liberalem largitionem, gratuitamque ante sæcula præparationem.

Et paulò pòst ibidem: *Longum est si voluero cuncta sanctarum Scripturarum exempla proferre. Totus sermo Sanctorum ad Deum oratio est. Tota oratio & deprecatio extorquet clementiam Salvatoris, ut qui nostro studio & viribus salvari non possumus, illius misericordia conservemur. Ubi autem misericordia & gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium, quod in eo tantùm est, ut velimus atque cupiamus, & placitis tribuamus assensum. Jam in Domini potestate est, ut id quod cupimus, quod laboramus ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus.* Facessat ab Hieronymo tam absurda criminatio, ut sine gratia Dei velimus, cupiamus, laboremus, nitamur: & gratiæ tantùm sit cœpta nostra perficere & implere. Ideo tam multa ex eo suprà corrasimus, ut ab eo propulsaremus hanc ignominiam. Et hìc ipse quid his verbis intelligat, satis prodit, dum addit, *placitis assensum præbeamus*. Igitur velle, cupere, laborare, niti, non aliud ipsi est, quàm *assensum præbere*, nempè divinæ gratiæ prævenienti, & ad incipiendum bonum excitanti: ut illud quod dicimus, Nunc cœpi, ea sit mutatio dexteræ Excelsi, ut suprà Hieronymus ipse docebat.

Tom. 3. IV. Idem in Epistola ad Cyprianum: *Homo à principio conditionis suæ Deo utitur adjutore: & cùm illius sit gratiæ quòd creatus est, illiusque misericordiæ quòd subsistit & vivit, nihil boni operis agere potest sine eo: qui ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret: ne libertas arbitrii redundaret ad injuriam Conditoris & ad ejus contumaciam; qui ideo liber conditus est, ut absque Deo nihil esse se noverit. Quod autem dixit, In generatione & generatione; omnia significat tempora, & ante legem & in lege & Evangelii gratia. Unde & Apostolus dicit, Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed ex dono Dei. Et omnes Epistolæ ejus in salutationis principio, non priùs pacem habent, & sic gratiam, sed antè gratiam, & sic pacem: ut donatis nobis peccatis nostris, pacem Domini consequamur.* Fibras omnes jactantiæ stirpitus resecat, nec patitur sine gratia ullas boni operis primitias præsumi. Et ad calcem illius Epistolæ: *Et sit decor Domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum fac stabile super nos, & opus manuum nostrarum confirma.* Septuaginta: *Et sic splendor Domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige. Ubi sunt qui liberi arbitrii sibi potestate plaudentes, in eo se putant gratiam Dei consecutos, si habeant potestatem faciendi vel non faciendi bona sive mala? Ecce hic Moyses post resurrectionem quam postulaverat, dicens, Imple nos matutina misericordia tua, & laudabimus, & lætabimur in cunctis diebus nostris; nequaquam se surrexisse contentus est, & æterna præmia consecutum, sed postulat ut decor Domini Dei sui sit super eos qui surrexerint, & splendeat in animabus cordibusque Sanctorum, & opera manuum eorum ipse dirigat, faciatque esse perpetua: ipseque confirmet quidquid in Sanctis videtur boni. Sicut enim humilitas deprecantis meretur præmia, ita superbia contemnentis Dei auxilio deseretur.*

V. Et in Epistola sequenti ad Principiam: *Victorem autem esse eum qui dicit, Confidite, ego vici mundum: & ad quem ista adolescentis oratio est: A te victoria & sapientia & gloria, & ego tuus servus: profectò novit, qui Domino vincente superavit, & est particeps triumphorum ejus; & qui immarcessibilem gloriæ coronam de candore bonorum operum & de varietate virtutum texuit Salvatori.* Victrix Christi gratia non potuit splendidiùs commendari. Et infrà: *Armatum cohortatur ad prælium, ut semel arrepta bella non deserat, & super hostium strages victor incedens, præparet sibi regnum in his, quos de diaboli potestate eripiens, suo copulavit Imperio, & dicat, Ego autem constitutus sum Rex ab eo, &c.* Et infrà in Epistola ad Damasum: *Quoscumque vocavit, statim facit subsistere. Quod satis claret exemplis, in vivente Matthæo Evangelista, & in Lazaro quatriduano jam mortuo: qui statim ut sunt vocati à Domino, & ille sepulcrum avaritiæ reliquit, & ille suæ mortis. Quoniam omnia quæ absque eo sunt, non sunt.* Efficacia invicta gratiæ non potuit profectò vel exprimi vel demonstrari invictiùs.

VI. At inferiùs in Epistola ad Hebidiam, hanc de industria quæstionem solvit ex Epistola ad Romanos, quam ait *interpretatione indigere, & tantis involutam obscuritatibus esse, ut ad intelligendam eam Spiritus sancti indigeamus auxilio, qui per Apostolum hæc ipsa dictavit.* Cùm quæreretur ergo, *Si Esau & Jacob necdum nati erant, nec aliquid egerant boni vel mali, ut vel demererentur Deum vel offenderent, & electio eorum atque abjectio non merita singulorum, sed voluntatem eligentis & abiicientis ostendit, quid ergo dicemus? Iniquus est Deus, &c. Si hoc recipimus, ut faciat Deus quodcumque voluerit, & absque merito & operibus, vel eligat aliquem vel condemnet, &c. Ergo frustra queritur Deus atque causatur, nos vel bona non fecisse, vel fecisse mala, cùm in potestate ipsius sit & voluntate, absque bonis vel malis operibus vel eligere aliquem vel abiicere, præsertim cùm voluntati illius humana fragilitas resistere nequeat.* Respondet hanc insolubilem quæstionem brevi sermone dissolvi ab Apostolo, *O homo, tu quis es, &c. Et est sensus, Ex eo quod respondes Deo, & calumniam facis, & de Scripturis tanta perquiris, ut loquaris contra Deum, & justitiam voluntatis ejus incusas; ostendis te liberi esse arbitrii, & facere quod vis, vel tacere, vel loqui. Si enim in similitudinem vasis fictilis te à Deo creatum putas, & illius non posse resistere voluntati: hoc considera, quia vas fictile non dicit figulo, Quare me fecisti? Figulus enim habet potestatem de eodem luto aut eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Deus autem æquali cunctos sorte generavit, & dedit arbitrii libertatem, ut faciat unusquisque quod vult, sive bonum, sive malum, &c. Unus est Solis calor, & secundùm essentias subjacentes, alia liquefacit, alia indurat: & tamen caloris non est diversa natura. Sic & bonitas & clementia Dei, vasa iræ quæ apta sunt in interitum, id est, populum Israel indurat: vasa autem misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, quæ vocavit, id est, nos, non salvat irrationabiliter & absque judicii veritate, sed ex causis præcedentibus, quia alii non susceperunt Filium Dei, alii autem suscipere sua sponte voluerunt, &c. Ex quo ostenditur non gentes eligi, sed hominum voluntates.* Hæc ibi prolixè Hieronymus, quibus videri in speciem possit suggillare totam Augustini sententiam de prædestinatione. Sed longè secus habet. Nam primò invidiosissimè proposita fuerat quæstio, quasi nulla ratione operum bonorum malorumve habita, sola Dei voluntate, alii ad præmia, alii ad pœnam & eligerentur & abriperentur, nullo residuo liberis hominum voluntatibus loco. Meritò igitur Hieronymus ad Chrysostomi sensum inclinavit animum, ut nec malos ad pœnam vel destinari vel ejici, nec bonos ad præmia recipi ostenderet, nisi ex arbitrii sui usu vel abusu. Consentit & Augustinus, ex arbitrii humani vitio spontaneo alios pœnæ destinari & tradi, alios ex ejusdem meritis bonis non sine gratia partis ad præmia provehi, ad quæ consequenda, hæc illis gratiarum & meritorum dona erant præparata. Secundò ubi quid electis, quid reprobis communiter Deus benefaciat, exequitur Hieronymus, conditionem, liberumque arbitrium dumtaxat

Quæst. 10.

taxat commemorat, non gratiarum largitatem. Nec enim potuit in re tam perspicua nictitare, ut non videret, quantò amplior aliquibus copia cœlestium auxiliorum infundatur, quam aliis. Et clementiam quidem Dei postea affirmat etiam reprobis adsplendescere, nempe patientiam qua Pharaonem & Israelitas insanientes tulit diu inultos, & ea pœnarum procrastinatione clementissima, adeo non emollivit, ut potiùs induraret. Tertiò disertè Hieronymus ait *bonitate & clementia Dei vasa iræ, quæ apta sunt in interitum, indurari; vasa autem misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, quæ vocavit, hoc est, nos salvari, &c.* Non obscurè hîc quodam electionis gratuitæ privilegio ait vasa misericordiæ, & præparata ad gloriam, & vocata, seu ampliùs adjura salvari, quia amplioribus adjumentis id consequuntur, ut spontè recipiant Filium Dei. Quartò Augustinianam quoque sententiam & propositæ quæstionis solutionem, ut Ecclesiasticam, & suæ sententiæ nihil dissidentem, mox subiicit ibidem Hieronymus: *Legi in cujusdam commentariis sic respondisse Apostolum, ut magis implicuerit quàm solverit quæstionem. Ait enim ad id quod proposuerat, Quid ergo dicemus, numquid iniquitas apud Deum? &, Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei: &, Cujus vult miseretur, & quem vult indurat Deus: &, Voluntati ejus quis potest resistere? Sic Apostolum respondisse, O homo qui terra & cinis es, audes facere quæstionem Deo, & vas fragile atque testaceum, rebellas contra figuluum tuum? Numquid figmentum potest dicere ei qui se finxit, Quare me sic fecisti? Aut non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Æterno igitur silentio conticesce, & scito fragilitatem tuam, & Deo ne moveas quæstionem, qui fecit quod voluit, ut in alios clemens, in alios severus existeret.* Hæc ipsissima est Augustini responsio & sententia de gratuita prædestinatione. Eam ne retulisset quidem Hieronymus, aut etiam confutasset, si libero arbitrio adversam, si fatalis necessitatis assertricem, si antepositæ sententiæ suæ infestam existimasset. Nam exordio illius quæstionis, cum Origenis responsionem & præexistentiam animarum ante corpora tetigisset, illam statim repudiavit, professus nihil à se teneri, nihil dici, *nihil sibi placere, nisi quod Ecclesiasticum est, & publicè in Ecclesia dicere non timemus.* Talem ergo existimavit Hieronymus hanc Augustini doctrinam.

VII. Necessitatem rursus gratiæ divinæ præeuntis confitetur Hieronymus in libro primo adversus Pelagianos, ubi Critobulo objectanti, *In quo igitur liberum habemus arbitrium, & Dei in nos gratia custoditur, si ne hoc quidem absque Deo possumus facere?* respondet Atticus, *Non sic donata est liberi arbitrii gratia, ut Dei per singula tollatur adminiculum.* Quæ autem illa sint, quæ sine Dei adminiculo geri non possint, antea minutatim aliqua recensuerat, etiam minutissima, *calamum temperare ad scribendum, manum aptare, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, jejunare, flere, ridere.* Nempè cùm ex Pauli documentis, ista etiam in nomine Christi & in honorem Dei gerenda sint, utique ad ea adjutorio divino opus est. Quocirca cùm mox ait Hieronymus, *Nostrum quidem esse velle & currere, sed ut voluntas nostra compleatur & cursus ad Dei misericordiam pertinere; atque ita fieri, ut & in voluntate nostra atque cursu liberum servetur arbitrium; in consummatione voluntatis & cursus, Dei cuncta potentiæ relinquantur*: perspicuum est, voluntatis nostræ esse velle & currere, non sine adjutorio præveniente, ut totum compleatur gratia Dei subsequente. Nam velle bonum & ad illud desiderii æstu currere, nemo sine gratia potest, si per singula opus est gratia, si ad illas omnes quas suprà memoravit Hieron. minutias, divina opus est gratia.

At ejusdem gratiæ efficaciam præclarè idem commendat in Danielem: *Cor Regis in manu Dei: quacumque voluerit, illud declinabit. Fortè sanctum quemque dicamus Regem, cujus non regnat peccatum in mortali corpore, & cujus ideo servatur cor, quia in manu Dei est. Quidquid autem in manu Dei Patris fuerit juxta Euangelium, nullus potest rapere ex ea: & quicumque raptus fuerit, intelligitur in manu Dei non fuisse.* Cap. 5. Et in Ezechielem: *Non propter eos, sed propter nomen sanctum meum peperci eis, & sanctificavi eos, & gloriæ pristinæ restitui, &c. Ita ut darem eis cor novum, ut crederent in Filium Dei, &c. Tunc auferetur de corde Judaico omnis duritia, quæ lapidi comparatur, ut pro lapideo corde, sit cor carneum, molle & tenerum, quod Spiritum Dei in se possit recipere, & inscribi literis salutaribus. Tunc ambulabunt in præceptis Domini, &c. Hæc autem omnia tributurus est Dominus, non propter eos, qui proprio errore perierunt, sed propter nomen sanctum suum.* Cap. 36. Quæ disertissimè significant efficacissimæ gratiæ gratuitam promissionem & præparationem æternam.

VIII. Gratuita rursus eadem gloriæ prædestinatio, & præparatio gratiarum ad eam consequendam efficacium, apud eundem Hieronymum dilucidè patet in Matthæum: *Quærat prudens Lector, & dicat, Si Tyrus & Sidon & Sodoma pœnitentiam agere potuerunt, ad prædicationem Salvatoris, signorumque miracula, non sunt in culpa, quod non crediderunt: sed vitium silentii in eo est, qui acturis pœnitentiam noluit prædicare. Ad quod facilis & aperta responsio est, ignorare nos judicia Dei, & singulorum dispensationum ejus sacramenta nescire. Propositum fuerat Domino, Judææ fines non excedere, ne justam Pharisæis & Sacerdotibus occasionem persecutionis daret. Unde & Apostolis ante passionem præcepit: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis. Corozaim igitur & Bethsaida damnantur quod præsenti Domino credere noluerunt; Tyrus & Sidon justificantur, quod Apostolis illius crediderunt. Non quæras tempora, cum credentium intueris salutem.* In Cap. 11. Illud est prædestinationis inscrutabile adytum, & impervium penetrale, apud Augustinum toties decantatum, quod & ipse Hieronymus suspicit, cùm respondet, *ignorare nos judicia Dei, & singularum dispensationum ejus sacramenta nescire.* Quanquam enim postea ostendat, Apostolos illis prædicasse, quos prædicatione sua & miraculis Christus dignatus non fuerat: interim tamen & temporis intervallo perierunt aliquammulti, è vivis ante excedentes, quàm ad eos ventitarent Apostoli: qui credere tamen & pœnitentiam agere potuissent, si eos verbo suo & signis beasset Christus. Et de his verum est quod post Paulum & cum Augustino Hieronymus omnia refundit in arcana & invia & inperscrutabilia Dei judicia. Cæteroqui prohibiti sunt & aliquando Apostoli urbes aliquas adire, & divino verbo inseminare, ob eadem nimirum divinæ prædestinationis & reprobationis inscrutabilia judicia & singularium dispensationum abstrusissima sacramenta.

Eidem rursus prædestinationi gratuitæ favet Hieronymus, tametsi paulò occultiùs, in Epistolam ad Galatas: *Segregatus in Evangelium Dei. Inveniant locum hæretici, qui diversas esse naturas prætendant, spiritalem videlicet, & animalem, & χοϊκὴν, & aliam salvari, aliam perire, aliam inter utramque consistere, quod nunquam aut justus eligeretur, antequam aliquid boni faceret, aut peccator odiretur ante delictum, nisi esset pereuntium & salvandorum natura diversa. Ad quod potest simpliciter responderi, hoc ex Dei præscientia evenire; ut quem scit justum futurum, prius diligat, quam oriatur ex utero; & quem peccatorem, oderit antequam peccet. Nos ut homines tantum de præsentibus judicare; illum cui futura jam facta sunt, de fine rerum, non de exordiis ferre sententiam. Et hæc quidem simplicius dicta* In cap. 1.

sunt,

sunt, & absque altiori dissertatione possunt utcumque placere Lectori. Hæc verè dici, & simpliciter atque absque altiori indagine dici, providentissimè monet Hieronymus. Constat enim non aliam naturam esse salvandorum & pereuntium: constat præsciri à Deo ante tempora, qui frugi, qui nequam futuri sint, illos diligi, hos odio haberi: ita Jacobum amori, odio Esau fuisse ante orbem conditum, quod illius pietas, hujus improbitas præsciretur. Ea omnia in confesso sunt omnibus. Unde plana & simplex ea est responsio. At altioris erat indaginis, qua abstinendum hîc sibi censuit Hieronymus, cur alter eorum suę improbitati permittendus præsciatur, alter tantis gratiæ cumulandus beneficiis, ut ab improbitate sanetur, & deinceps cohibeatur? Hæc sunt illa judicia Dei, quæ prorsùs nesciri à nobis agnoscebat, & reconditissima singularum dispensationum sacramenta. Sed si tam abstrusum penetrale adire non vacet, illa *simplicior* responsio & *absque altiori dissertatione* lectori potest *utcumque placere*.

Cap. 1. Idem apertiùs confirmat idem sanctus Pater in Epistolam ad Ephesios: *Non enim ait Paulus, Elegit nos ante constitutionem mundi, cum essemus sancti & immaculati: sed elegit nos ut essemus sancti & immaculati, hoc est, qui sancti & immaculati antè non fuimus, & postea essemus. Quod ita intellectum, & adversus eum facit, qui antequam mundus fieret, animas dicit electas esse propter sanctitatem & nullum vitium peccatorum. Non enim, ut antè jam diximus, eliguntur Paulus & qui ei similes sunt, quia erant sancti & immaculati: sed eliguntur & prædestinantur, ut in consequenti vita per opera atque virtutes sancti & immaculati fiant*. Nulla tergiversatione declinari potest tanta testimonii hujus evidentia. Et Origenistas enim & Pelagianos convellit, qui merita nescio quæ, illi actæ ante corpora vitæ, hi agendæ postea in corpore ementiebantur. Absolutè autem Hieronymus electos nos & prædestinatos ait fuisse, non quia eramus, seu re, seu prævisione, sed ut essemus sancti & immaculati per opera atque virtutes, quæ, videlicet ab eligente Deo præparantur prædestinatis. Quod rursus inculcat mox ibidem: *Hoc etiam inferendum, quod cùm prædestinet nos sive præfiniat Deus in adoptionem filiorum per Jesum Christum, tamen non antè filii esse possumus, nisi Filii ejus Jesu Christi fidem & intelligentiam recipiamus. Et ille quidem natura Filius est, nos vero adoptione. Ille nunquam Filius non fuit, nos antequam essemus, prædestinati sumus, & tunc spiritum adoptionis accepimus, quando credidimus in Filium Dei*.

In Matth. c. 19. IX. Ergo cum Hieronymus ait, *Nemo putet sub hoc verbo vel fatum vel fortunam introduci, quod hi sunt virgines, quibus à Deo datum fuerit, aut quos quidam ad hoc casus adduxerit. Sed his datum est, qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent laboraverunt. Omni enim petenti dabitur, &c.* Gratiam virginitatis precibus promerendam rectè docet; sed preces ipsas & voluntatem desideriumque pudoris virginei, & nisum ad id impetrandum, non negat hîc, & alibi affirmat, gratiæ anteriori deberi. Ita cum infrà ait: *Sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Sic intelligendum est. Regnum cœlorum non est dantis, sed accipientis. Non est enim acceptio personarum apud Deum, sed quicumque se talem præbuerit, ut regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet quod non personæ, sed vitæ paratum est*. Verissimè & hoc dicitur. Meritis enim & laboribus donatur æterna regni merces, & hactenus ibi Hieronymus: qui alibi non silet merita ipsa & labores divinæ gratiæ largitate etiam donari, iis qui prædestinati sunt, ut essent sancti & immaculati. Ita cum ait: *Egressi servi in vias, congregaverunt bonos & malos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Quæritur quomodo in his qui*

In Matth. c. 10. *foris erant, & boni aliqui inter malos sint reperti. Hunc locum plenius tractat Apostolus ad Romanos, quod Gentes naturaliter facientes ea quæ legis sunt, condemnent Judæos, qui legem scriptam non fecerint. Inter Ethnicos quoque est diversitas infinita, cum sciamus alios esse proclives ad vitia, & ruentes ad mala, alios ob honestatem morum virtutibus deditos*. Erant indubiè inter Gentiles alii aliis pejores, & pejorum comparatione boni cæteri vocabantur. At eo non prohibetur, quin agnoverit suprà Hieronymus, omnia Deum conclusisse sub peccato, ut omnium misereatur, & prædestinatos nos esse gratis, non quia eramus, sed ut essemus sancti per virtutes: & id genus alia. Denique ne suspiceris ob prælusorias illas & Philosophicas virtutes quemquam esse, vel vocatum, vel prædestinatum, illa ipsissima Euangelii verba testantur, vocatos & inmissos esse ad cœlestes nuptias *bonos & malos*. Ea ergo erat illa bonitas, quam Deus à malitia non secerneret, nec majore gratia prosequeretur. Ita & alibi ait: *Fidem quoque ipsam non nostræ esse voluntatis, sed Dei muneris: non quod liberum tollatur arbitrium, verùm quod arbitrii ipsa libertas Deum habeat authorem, & ad illius beneficium cuncta referantur, cùm etiam bonum nos velle ipse permiserit*. Tepidiùs hæc dicta videri possent, sed cùm nullus error in illis verbis emineat, reliqua gratiæ confessio, quæ ibi nec includitur, aliunde supplenda meritò est. Hactenus plus satis ex Hieronymo, cujus reliqui contextus, siqui molestiam facessant, ex antedictorum enucleatione, facilè & ipsi poterunt rectæ intelligentiæ accommodari. In cap. 22. ibidem.

CAPUT XVIII.

Ex Augustino, ipsiusque testimoniis, ubi eadem verba, eademque sensa usurpantur, evincitur Græcos Latinosque ante ipsum Patres, idem cum ipso sensisse, de gratia conversionis & perseverantiæ donatrice, itemque de electione gratiæ.

I. Augustini loca de divina nostrorum meritorum præscientia, Græcorum Patrum testimoniis gemina.

II. Rursum ut Augustinus sua dicta & decreta interpretatus ipse sit, ubi Græcorum sententia accesserat, eodem prorsus modo quo nos supra Græcos interpretati sumus.

III. Et Scripturas & alios Patres pari interpretandi indulgentia vult Augustinus tractari, & nomine præscientiæ prædestinationem intelligi.

IV. Profitetur Augustinus se ante Pelagianam hæresim exortam prædestinationi gratuitæ assensum esse, cum initium fidei à Deo esse, & bona omnia à Deo oranda petendaque prædicaret. At hæc eadem Græci Latinique ante ipsum Patres prædicabant.

V. Idem probat prædestinationis gratuitæ dogma tam aperte implicatum esse precibus Ecclesiæ, ut illud sancti Patres non potuerint non videre.

VI. Cum Patres omnes primitias fidei imputarint gratiæ Dei, ergo prædestinationi gratuitæ assensi sunt. Valet consequentia ex Augustino.

VII. Consulto liberum arbitrium extolli, & de gratia sileri posse aliquando, exemplo suo docuit Augustinus.

VIII. Auctor libri de Vocatione Gentium, præscientiæ nomine prædestinationem comprehendit.

I. NOn tam clementibus, quàm inhumanis & violentis interpretationibus invictos trahi in Augustini sententiam Patres alios vetustiores cavillan-

villantur nonnulli. Opportunum ergo nunc fuerit, Augustini ipsius loca aliquammulta promere, quæ cum Græcorum Latinorumque suprapositis sententiis, & ipsis propemodum verbis consentiant, nec tamen ejus placitis refragentur de gratiæ efficacia ad conversionem & pœnitentiæ perseverantiam, & de gratuita ad gloriam prædestinatione. Eximius præ cæteris est locus iste ex tractatibus in Euangelium Joannis: *Quod ergo ait Dominus: Qui est ex Deo, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis: non naturarum merita discrevit, aut præter suam animam & carnem aliquam naturam in hominibus, quæ peccato non esset vitiata, invenit; sed quoniam præscierat, qui fuerant credituri, ipsos dixit ex Deo, quoniam regenerationis adoptione renascerentur ex Deo. Ad hos pertinet, Qui est ex Deo, verba Dei audit. Quod verò sequitur, Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, eis dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant, nam hoc malum commune erat omnibus: verùm etiam præcogniti, quod non fuerant credituri, ea fide qua possent à peccatorum obligatione liberari. Quapropter præsciebat illos, quibus talia dicebat, in eo permansuros quod ex diabolo erant, id est, in suis peccatis atque impietate morituros, ex qua ei similes erant; nec venturos ad regenerationem, ex qua essent filii Dei, hoc est, ex Deo nati, à quo erant homines creati. Secundum hanc prædestinationem locutus est Dominus, non quod aliquem hominum invenerit, qui vel secundùm regenerationem jam esset ex Deo, vel secundùm naturam jam non esset ex Deo.* Si componas hunc locum cum superiùs relato ex Hieronymo, perspicies Manichæos eadem prorsus ratione confutari, & utrobique prædestinationem præscientiæ & prævisioni meritorum superstrui. Atqui nemo nescit, quando hos in Joannem tractatus dictavit Augustinus, jam illum in Pelagianos scripsisse multa, & suam de electione gratiæ sententiam jam sæpiùs præ se tulisse. Ergo cum hic dicit, *Deum præscisse qui fuerant credituri, & præcognitos habuisse, qui fuerant non credituri*, à vero quidem tunc non abludit: sed suo interim silentio nihil derogat sententiæ suæ, aliàs tanto studio communitæ, de gratia fidei & conversionis effectrice, itemque perseverantiæ: quam Deus aliis immerentibus gratis donat, & donandam prædestinat: aliis immerentibus & in sua contumacibus nequitia justè non donat, & non donandam prædestinat.

Tract. 42.

II. Idem rursus Augustinus in Epistola quadam contra Porphyrium: *Proinde cum Christo non obiiciant, quod ejus doctrinam non omnes sequuntur, sentiunt enim & ipsi nequaquam hoc rectè obiici posse, vel sapientiæ Philosophorum, vel etiam numini Deorum suorum: quid respondebunt, si excepta illa altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, ubi fortassis aliud divinum consilium secretius latet, sine præiudicio etiam aliarum fortè causarum, quæ à prudentioribus investigari queunt, hoc solum eis brevitatis gratia, in hujus quæstionis disputatione dicamus; tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri? His enim temporibus & his locis quibus Euangelium ejus non est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes, sed tamen multi in ejus corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt: quales etiam nunc multos videmus, cum tanta manifestatione de illo compleantur præconia Prophetarum, tamen nolle credere, &c. Quid ergo mirum, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis noverat, ut eis apparere vel prædicari merito nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis crediturос esse præsciebat? &c. Et tamen ab initio generis humani, aliàs occultiùs, aliàs evidentiùs, sicut congruere temporibus divinitus visum est, nec prophetari destitit, & qui in eum crederent, non defuerunt, &c. Ita salus religionis hujus nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. Et ab exordio propagationis humanæ quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur: ac per hoc & quibus omnino annunciata non est, non crediturі præsciebantur; & quibus non credituris, tamen annunciata est, in illorum exemplum demonstrantur: quibus autem credituris annunciatur, hi regno cœlorum & sanctorum Angelorum societati præparantur.* Gemina hæc sunt iis quæ supra ex Græcis Patribus, sed ex Hieronymo maximè retulimus. Hæc ergo cum Pelagiani avidè arriperent, & objectarent Augustino, tanquam à priore sua ipsius sententia resilienti, nequaquam ille huic criminationi acquiescere, aut se proficienter scribere, & ab eo errore resipuisse, confessus est. Sed hæc sua dicta & veritati & præsenti doctrinæ suæ conciliavit, eo prorsus modo, quo nos supra aliorum Patrum dicta his simillima interpretati sumus. *Cernitisne me sine præiudicio latentis consilii Dei aliarumque causarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæstionem, sufficere videretur? Quid enim est verius, quàm præscisse Christum, qui & quando & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi: id est, utrùm tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere ac disserere, tunc necessarium non putavi. Proindè quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri: posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. Sed quoniam si ita diceretur, Lectorem facerent intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosiùs & laboriosiùs disputari: visum mihi est, quod tunc satis erat, breviter esse dicendum: excepta, ut dixi, altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, & sine præiudicio aliarum causarum, de quibus non tunc, sed aliàs opportunius disputandum putavi.* Ut seipsum Augustinus interpretatur, ita nos interpretati sumus dicta antiquiorum Patrum, pari necessitate adversus Paganos & Manichæos aliasque id genus pestes dimicantium, & profundioribus abstinentium de industria quæstionibus, ut ea responderunt, quæ & vera, & magis obvia, atque tempestiva magis erant accommodaque suo instituto.

Epist. 49. q. 2.

L. de Prædest. Sanct. c. 9. 10.

III. Pergit ibidem Augustinus exponere, quod Græci supra Latinique Patres subinde dicebant, & ipse dixerat in Epistola suprà relata: *Item quod dixi salutem religionis hujus nulli unquam defuisse qui dignus fuit, & dignum non fuisse cui defuit: si discutiatur & quæratur unde quisque dignus sit, non desunt qui dicant, voluntate humana: nos autem dicimus, gratia vel prædestinatione divina. Inter gratiam porro & prædestinationem hoc tantùm interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia vero jam ipsa donatio.* Igitur ita sua, ita aliorum Patrum dicta interpretari jubet Augustinus, dignis nunquam deesse salutem religionis Christianæ, sed dignos fieri non voluntate humana, verùm gratia & prædestinatione divina, omne meritum anteveniente, omnem dignitatem donante.

Quin & ex Scripturis eam sibi Augustinus facultatem arrogat, & aliorum & sua dicta molliùs interpretandi de prædestinatione secundùm præscientiam. Præscientiæ enim nomine prædestinationem intelligi, eorum nempè quæ Deus se omnipotenter facturum de hominum voluntatibus & præscit & prædestinat, probatur ex Apostoli contextu. *Unde & aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut* ait

De bono persev. c. 18.

ait *Apostolus*, *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit. Hoc quod ait, præscivit, non rectè intelligitur, nisi, prædestinavit. Loquebatur enim de reliquiis Judæorum, quæ salvæ factæ sunt pereuntibus cæteris, &c. Reliqui, ait, mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal. Non enim ait, Relicta sunt mihi; aut, Reliquerunt se mihi: sed, Reliqui mihi. Et sic ergo, inquit, & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, &c. Nullus igitur qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus, Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit: prædestinationem significare voluisse. Præscivit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus: hoc est ergo, prædestinavit. Sine dubio enim præscivit, si prædestinavit. Sed prædestinasse est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.* Hoc obiter interim moneo, unum ex illis Patribus, qui Augustino in hac parte refragari temerè jactantur, exposuisse eodem prorsus sensu illa verba, Reliqui mihi: quòd Deus ipse sibi reliquerit, hoc est, reliquias secundùm electionem gratiæ salvas ipse fecerit omnipotente voluntate sua.

Continuò porrò Augustinus adiicit, apud alios quoque Tractatores Ecclesiasticos, præscientiæ nomine prædestinationem absolutam intelligi debere, effectricem & largitricem eorum meritorum quæ præsciuntur: *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Magis autem fortasse voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod & faciliùs intelligitur, & non repugnat, imò & congruit veritati, quæ de prædestinatione gratiæ prædicatur. Hoc scio neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. Puto tamen eis qui de hac re sententias Tractatorum requirunt, sanctos Cyprianum & Ambrosium debere sufficere, &c.* Cujusmodi porro ille ex Cypriano & Ambrosio deprompsit, ut & ab illis patrocinium accerseret gratuitæ prædestinationi: ejusdem rationis complura suffragia ex cæteris Patribus Græcis Latinisque à nobis superiùs coacervata sunt.

IV. Ibidem postea Augustinus ex variis opusculis suis declarat, se ante exortam Pelagianam hæresim eadem amplexum esse decreta de prædestinatione & gratia; cùm fidei initium à Deo esse, cùm à Deo petenda censeret, quæ Deus ipse præciperet. Hæc enim à Deo dari conscius, non nesciebat ab eodem ante mundi conditum præparata, & prædestinata, & præscita esse, quæ Ibidem. darentur in tempore. *Omnia itaque Dei dona quæ in eodem opere sive optavi, sive laudavi, quis dubitare audeat, Deum daturum se esse præscisse, & quibus daturus fuerit, nunquam potuisse nescire? Hæc est prædestinatio manifesta & certa Sanctorum, quam postea diligentiùs & operosiùs, cùm jam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit.* Atqui ex cæteris vetustioribus Patribus innumera contexuimus testimonia, quæ idipsum efficerent, & fidei & meriti cujuscumque initium, provectum, cumulumve Dei donum esse. Ergo cum Augustino argumentandum est, non nescisse eosdem Patres, Deum præparasse & prædistinasse ante sæcula & præscisse, quæ dona & quibus largiturus erat in tempore: quæ Augustiniana est gratuita electionis & gratiæ prædicatio.

V. Et infrà rursus, in omnibus Ecclesiasticarum ubique precum formulis illigatam hanc suam fuisse sententiam, de efficaci juxta æternum Dei prædestinantis propositum gratia, tum ad conversionem impiorum, tum ad perseverantiam justorum, ad quæ duo tantummodo spectat æternum Dei propositum & prædestinatio, ita demonstrat Augustinus, ut id prorsus latere non potuerit spiritales saltem Ecclesiæ viros, & sapientiæ radio illustratos, cujusmodi erant sancti Patres. Quinimò cùm antè Augustinum istiusmodi preces scriptæ, evul- Ibid. c. 23. gatæ, & in authoritatem receptæ fuissent à sanctissimis utriusque Ecclesiæ, Græcæ & Latinæ Patribus: quod his in precibus continebatur, illorum antè pectoribus animisque inscriptum erat, ut inde posset in preces dimanare. Ergo Augustinum preces edocere ista potuerunt; at antiquiores harum precum authores, vel superno irradiati lumine, vel pervagàta Christianæ Ecclesiæ persuasione imbuti, ita prorsus sentiebant. *Utinam tardi corde, vel infirmi qui non possunt, vel nondum possunt Scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia, ab exordiis suis, donec finiatur hoc sæculum. De hac enim re quam nunc adversùs novos hæreticos, non commemorare tantùm, sed planè tueri ac defensare compellimur, nunquam tacuit in precibus suis, & si aliquando in sermonibus exerendam, nullo urgente adversario, non putavit. Quando enim non oratum est in Ecclesia, pro infidelibus atque inimicis ejus, ut crederent? Quis sibi unquam non oravit, ut in Domino permaneret? Aut quis Sacerdotem super Fideles Dominum invocantem, siquando dixit, Da illis Domine in te perseverare usque in finem: non solùm voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potiùs super talem benedictionem & corde credente & ore confitente respondit; Amen, &c. Non oraret Ecclesia, ut daretur Infidelibus fides, nisi Deum crederet & aversas & adversas hominum ad se convertere voluntates. Nec oraret Ecclesia, ut perseveraret in fide Christi, non decepta vel victa tentationibus mundi, nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum quod non tenemus nisi propria voluntate, non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur & velle.* Etsi ad argumenta tam dilucida & tam invicta potuerit aliquando Augustinus ipse minùs advertere animum, adeoque nondum intelligere, fidem quoque donum esse Dei, ut ipse de se confitetur; de nullo autem sanctorum Patrum suspicari aut affirmare ausus unquam est: at & Augustinus ipse etsi immaturiùs ad Catholicam fidem se receperat, brevi tamen ab eo quoque errore suo revocavit animum: & alii sancti Patres qui in Ecclesia consenuerunt, qui Ecclesiasticis precibus à se dictatis, à se tandiu usurpatis hæc dogmata inseruerunt, non potuerunt non ea in animi sui penetralibus digito Dei inscripta gestare. Vide autem quàm immaniter abhorreat Augustinus à Vossii opinatione, qui arbitrarium & utrimque liberum sibi finxit & fuisse & esse illud decretum geminum de victrici efficacia gratiæ Dei ad conversionem & ad perseverantiam juxta gratuitam Dei prædestinationem. Cùm Augustinus ex adverso illud semper in Ecclesia viguisse, semper in Ecclesiasticis precibus prædicatum fuisse, & dicat expressimè, & invictissimè probet.

VI. Idem rursus Augustinus retractans commentarios, quos adhuc Præsbyter scripserat in Epistolam ad Romanos: & castigans illud quod dixerat, cùm verba faceret de Jacobi electione præ fratre majore, non opera eligi à Deo cujusquam, sed fidem: *ut quem sibi crediturum esse præscivit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, ut bona operando, etiam vitam æternam consequeretur.* Hìc confitetur sanctus Pater, nondum tunc exploratam sibi fuisse electionem gratiæ, quòdque fides ipsa donum sit Dei perinde ac quodcumque bonum opus & ipsa charitas. Constantissimè enim professus est Augustinus toto operum suorum contextu, duo ista inter se contexta & individua esse; electionem gratiæ & gratiam omne me-

meritum nostrum anteveniententem & donantem. Cùm ergo fateantur Græcos Latinosque Patres ante Augustinum, & fidei & boni cujuscumque primitias imputasse gratiæ prævenienti, necesse est, nisi Augustini doctrinæ inconcussæ nuncium remittant, illos electioni gratiæ sive prædestinationi gratuitæ suffragatos esse assentiantur. Audi Augustinum hæc statim subtexentem: *Nondum diligentius quæsiveram, nec adhuc inveneram, qualis sit electio gratiæ, de qua idem dicit Apostolus, Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt, quæ utique non est gratia, si eam merita ulla præcedant: ne jam quod datur, non secundum gratiam, sed secundum debitum, reddatur potiùs meritis, quàm donetur. Proinde quod continuò dixi, Dicit enim Apostolus, Deus operatur omnia in omnibus. Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Ac deinde subjunxi, Quod ergo credimus, nostrum est: quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum sanctum. Profectò non dicerem, si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu.* Igitur antiquiores Augustino Patres ut ab hoc errore puri & immunes fuere, ita electioni gratiæ consenserunt. Quod rursus inde conjectatur, quòd Augustinus ipse postquam paulò diutiùs in castris Ecclesiæ Catholicæ meruit, diu ante exortas Pelagianorum insanias, & fidem inter Dei munera recenseri, & non ex meritis, sed ex gratia prædestinari à Deo tum gloriam, tum merita gloriæ comparandæ accommodata, intellexit. Idem ergo de Patribus existimandum, qui totum & diuturnum vitæ suæ tempus in gremio Ecclesiæ Catholicæ expleverunt.

Retract. L. 1. c. 23.

VII. Augustinus idem adversùs Felicem Manichæum disputans, ea habet, quæ si Græci Patres dixissent, in invidiam vocarentur: *Jam diximus & probavimus per divinas Scripturas esse liberum arbitrium: Deum autem esse liberi arbitrii justum judicem, remuneratorem fidelium, eique se subjicientium, & volentium se sanari, damnatorem autem superborum & impiorum.* Et infrà: *Sed qui concipiunt timorem Dei, & per liberum arbitrium subdunt se sanandos optimo medico, sicut bono curatori, ita & misericordi creatori, per humilitatem confessionis & pœnitentiæ sanantur. Superbi verò, &c.* Et tandem: *Non est ergo indignum ut Deus dicat, Ite in ignem æternum, eis qui ejus misericordiam per liberum arbitrium respuerunt: & dicat, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, eis qui per liberum arbitrium fidem ejus susceperunt, peccata sua confessi sunt, pœnitentiam egerunt, displicuerunt sibi quales fuerunt, & quales per eum facti sunt, illi placuerunt.* Hìc libero arbitrio adsignare videtur causam & susceptæ fidei, & actæ pœnitentiæ, & æternæ salutis comparatæ: nulla mentione facta gratiæ Dei, aut tenuissima. At in Retractationibus tamen suis nequaquam dicta hæc sua compungit aut inurit acriori cauterio, sed ait tantùm de libero arbitrio à se disputatum, *sive ad malum operandum, sive ad bonum. Sed de gratia, qua verè liberi fiunt, de quibus scriptum est, Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis, diligentiùs disputare, quoniam talis erat cum quo agebamus, nulla sumus necessitate compulsi.* Ut plurimum autem nulla talis necessitas urgebat Græcos Latinosque priùs Patres.

L. 2. c. 8.

VIII. Author librorum de Vocatione Gentium, tametsi addictissimus Augustini sententiæ de prædestinatione gratuita & gratia invictissimè conversionem & perseverantiam operante, ea tamen alicubi intertexit, quæ ostendant præscientiæ nomine etiam prædestinationem absolutam non labefactari, sed adstrui: *Sicut præscivit Deus ante sæcula, quanta totius mundi hominum multitudo, vel communibus usa donis, vel specialibus adjuta præsidiis, declinans tamen ab itinere veritatis & vitæ, ingressura esset latitudinem erroris & mortis: ita semper præcognitum habuit, piorum numerus quantus per opem gratiæ & per servitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret: ut nullo excidente de plenitudine promissorum, qui nec provectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus, quos elegit ex omnibus.*

L. 2. c. 9.

CAPUT XIX.

Reliqui Patres Latini qui ante Augustinum ejus de gratia & prædestinatione absoluta sententiam amplexi sunt.

I. Ex Tertulliano decerpserat Cyprianus ea loca, quæ ex eo deprompsit Augustinus.

II. Minutius refellit eos, qui nomine gratiæ fatum jactabant à nobis adstrui.

III. Arnobius necessitati & efficaciæ divinorum auxiliorum suffragator.

IV. Lactantii verba ad saporem Augustini, cur non omnes Deus convertat, non omnes prædestinarit.

V. Optati doctrina de gratia.

VI. Paulini Episcopi Nolani sententia de gratia & prædestinatione, consentanea Augustito.

VII. Idem de sanctis Honorato & Hilario Arelatensibus Episcopis sentiendum.

I. INtempestivum non erit aliqua ex Tertulliano supplere nunc, quæ antea nos effugerunt; in memoriam autem nobis ea ipsemet revocavit Augustinus, dum ea ex Cypriano decerpit in suæ sententiæ præsidium, quæ ab hoc Magistro suo mendicaverat Cyprianus. Peræquè ergo in Cypriano Tertullianum Augustinus suis decretis de gratuita prædestinatione, & de effectrice, tum conversionis, tum perseverantiæ gratia, astipulatorem sibi accivit. Ita ergo libro de Oratione Septimius ea omnia Cypriano prævivit, quæ ex eo libavit superiùs, & tantoperè commendavit Augustinus. *Cùm dicimus, Sanctificetur nomen tuum, id petimus ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus, simul & in cæteris, quos adhuc gratia Dei expectat; ut & huic præcepto pareamus, orando pro omnibus, etiam pro inimicis nostris. Ideoque suspensa enunciatione, non dicentes, Sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus. Secundum hanc formam subjicimus, Fiat voluntas tua in cœlis & in terra: non quod aliquis obsistat, quo minus voluntas Dei fiat, & ei successum suæ voluntatis oremus: sed in omnibus petimus fieri voluntatem ejus. Ex interpretatione enim figurata carnis & spiritus, nos sumus cœlum & terra. Quanquam et si simpliciter intelligendum est, idem tamen est sensus petitionis, In nobis fiat voluntas Dei in terris, ut possit scilicet fieri & in cœlis. Quid autem Deus vult, quàm incedere nos secundum suam disciplinam? &c. Veniat quoque regnum tuum, ad id pertinet quod & Fiat voluntas tua: in nobis scilicet. Nam Deus quando non regnat, in cujus manu cor omnium Regum est? Sed quidquid nobis optamus, in illum auguramur; & illi deputamus, quod ab illo expectamus, &c. Petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & individuitatem à corpore ejus, &c. Adjecit ad plenitudinem tam expeditæ orationis, ut non de remittendis tantum, sed etiam de avertendis in totum delictis supplicaremus. Ne nos inducas in tentationem, id est, ne nos patiaris induci.* Hæc ipsissima sunt, quæ ex Tertulliano Cyprianus carpsit, ex Cypriano arripuit Augustinus, ut evinceret in potestate Dei esse, à quo & infidelium impiorumque conversio & piorum perseverantia flagitatur, volentes ex nolentibus facere, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes: & à quo hæc gratis

fiunt in tempore, ab æterno præparari facienda, & gratis prædestinari.

Illud quoque ex Cypriano minùs forsan pigebit
L.1.Ep.8. addidisse, quod gratuitæ & absolutæ prædestinationi non obscurè favet: *Quos quidem Domino adjuvante per ejus misericordiam regredi posse confidimus. Neque enim potest perire, nisi quem constat esse periturum. Cum Dominus in Evangelio suo dicat, Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Et mox, Hos *adunabit nobis Dei Patris misericordia, & Christi Domini nostri indulgentia, & nostra patientia.* Ita ille de quibusdam à schismatis authore circumventis.

II. Audiendus nunc est Minutius Felix in Octavio. Ac primùm nostræ fidei adversarius ea nobis ibi objectat, quæ postea Pelagiani & Semipelagiani importunissimè Augustino objecerunt: fatalem nempe aliquam necessitatem, nomine gratiæ palliatam, quæ aliis salutem sempiternam afferret, aliis demeret, seipsam suffurando. *Culpam, vel innocentiam fato tribui, sententiis plurimorum, etiam vestra consensio est. Nam quidquid agimus, ut alii fato, ita vos Deo addicitis: sic secta vestra non spontaneos cupere, sed electos. Igitur iniquum judicem fingitis, qui sortem in hominibus puniat, non voluntatem.* Ex hac invidiosa objectione satis dilucet quid in anima, quid in ore tunc versaretur Christianorum: Dei nempe voluntati, electioni, gratiæ tam absolutè bona omnia vendicantium, ut simillimum fati aliquid invehere viderentur nostri sacramenti imperitis. Cùm porro eadem illos quæ postea Augustinum criminatio impeteret, argumento est, eandem jam tum illos sententiam præ se tulisse. Sed hæc tamen causatio Ethnicorum Fideles cogebat, ut parciùs de gratia & paulò prolixiùs de libero arbitrio loquerentur, vero nihil decerperent. Ita respondet Minutius: *Nec de fato quisquam aut solatium captet, aut excuset eventum. Sit sortis fortuna, mens tamen libera est: & ideo actus hominis, non dignitas judicatur. Quid enim aliud est fatum, quàm quod de unoquoque nostrum Deus facturus est? Qui cùm possit præscire materiam, promeritis & qualitatibus singulorum, etiam facta determinat. Ita in nobis non genitura plectitur, sed ingenii natura punitur.* Ita verissimè & cautissimè.

III. Arnobius libro primo adversùs Gentes eleganter hæc scribit, gratiæ necessitati, principatuique applaudens: *Nam quia proni ad culpas & ad libidinis varios appetitus, vitio sumus infirmitatis ingenitæ, patitur se semper nostris cogitationibus concipi, ut dum illum oramus, & mereri ejus contendimus munera, accipiamus innocentiæ voluntatem, & ab omni nos labe, delictorum omnium amputatione purgemus.* Precibus impetrari à Deo docet & conversionem & perseverantiam. At infrà idem libro secundo, rogitantibus Gentilibus, Eccur non antè Christus carnem indutus sit, ut prioribus quoque sæculis mederetur: eccur non omnes æquali munificentia liberet? Respondet eodem prorsus modo, quo supra Augustinus in Epistola adversus Porphyrium: Et illis prioribus sæculis *miseratio etiam impertita est, & æqualiter per omnes divina beneficia cucurrerunt, &c. Æqualiter liberat, qui æqualiter omnes vocat: haud ab indulgentia principali quenquam repellit, aut respuit, qui sublimibus, infimis, servis, fœminis, pueris uniformiter potestatem veniendi ad se facit. Patet, inquit, omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quisquam prohibetur, aut pellitur.* Denique urgentibus Ethnicis, si Deus tanta est & potentia & clementia, quin ergo vel invitos cogit sibi credere? vide ut respondeat Arnobius, meritum omne irritum fore, si invitos agat Deus: *Imo, inquit, si Deus est potens, misericors, conservator, convertat nobis mentes, & invitos faciat suis pollicitationibus credere. Vis ergo est ista, non gratia: nec Dei liberalitas principis, sed ad vincendi studium puerilis & inanis contentio. Quid est enim tam injustum, quàm repugnantibus, quàm invitis extorquere in contrarium voluntates, inculcare quod nolint & quod refugiant animis, prius nocere, quàm prosis; & priore detracto, in alienum habitum sententiamque traducere? Tu qui te verti & vim desideras perpeti, ut id quos nolis efficias, atque arripias coactus: cur respuis assumere voluntate, id quod versus desideras, atque immutatus efficere?* Planissimè id negat, gratia divina debere vel posse vim inferri, invitos cogi, inculcari quod nolimus, coactos arripi & agi. At non negat, imo antè precibus id nos efflagitare à Deo tradidit, gratia persuaderi, deliniri & prolici mentem, voluntatemque hominis, ut lubens & suapte sponte ad pietatem anhelet.

IV. Lactantius in eandem cum Augustino conspirare sententiam manifestissimè videtur, his verbis de Adventu Christi in mundum: *Sed Deus ut* L.5.c.7.
parens diligentissimus, appropinquante ultimo tempore nuncium misit, qui vetus illud sæculum fugatamque justitiam reduceret, ne humanum genus maximis & perpetuis agitaretur erroribus. Rediit ergo species illius aurei temporis; & reddita quidem terræ, sed paucis assignata justitia est, quæ nihil aliud est, quàm Dei unici pia & religiosa cultura. Sed moveat aliquem fortasse, cur si hæc sit justitia, non omni humano generi sit data, nec in ea multitudo universa consenserit. Magnæ hoc disputationis est, cur à Deo, cum justitiam terræ daret, sit reperta diversitas? quod & alio loco declaravi, & ubicumque opportunè inciderit explicabitur. Nunc designari id brevissimè satis est: virtutem aut cerni non posse, nisi habeat vitia contraria: aut perfectam non esse, nisi exerceatur adversis. Hanc enim Deus bonorum ac malorum voluit esse distantiam, ut qualitatem boni ex malo sciamus, item mali ex bono: nec alterius ratio intelligi sublato altero potest. Deus ergo justitiam reducturus, non exclusit malum, ut ratio virtuti constare posset. Quomodo enim patientia vim suam nomenque retineret, si nihil esset, quod pati cogeremur? Quomodo laudem mereretur devota Deo suo fides, nisi esset aliquis, qui à Deo vellet avertere? Nam & ideo potentiores esse injustos permisit, ut cogere ad malum possent: ideo plures, ut virtus esset pretiosa, quod rara est. Quæ ideo paulò copiosiùs excripsi, ut videas quàm non in voluntatis humanæ libertatem conferat causam oblatæ quæstionis, etsi id merito & jure poterat: sed maluerit ad divinam recurrere voluntatem, in cujus potestate erat, universos prorsus homines ad justitiam revocare, & aureum sæculum nullis obnubilatum criminibus reducere; verùm alio usus consilio est, paucisque justitiam assignavit, nec omni humano generi eam dedit, nec malum exclusit, & ab eo est reperta diversitas, tum propter alias abstrusiores causas, de quibus alibi, tum quia post peccatum primi parentis, ab experimento boni & mali, æquum fuit homines erudiri ad alterutrum: sive quòd eodem recidit, & ut loquitur Augustinus, quia maluit ex malis bona elicere, quàm mala nulla, nullosque malos esse permittere, omnes absolutè prædestinando. Unde concludit tandem Lactantius: *Hæc nimirum causa efficit, ut quamvis sit hominibus missa justitia, tamen aureum sæculum non esse dicatur; quia malum non sustulit, ut retineret diversitatem, quæ sacramentum divinæ religionis continet sola.*

V. Optatus Milevitanus libro secundo: *Unde est ista sanctitas, quam vobis licentius usurpatis, quam Joannes Apostolus profiteri non audet, cum ait, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est? Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reservavit. Est enim Christiani hominis, quod bonum est, velle; & in Deo, quod bene voluerit, currere: sed homini non est datum* per-

perficere. Ut post spatia quæ debet homo implere, restet aliquid Deo, ubi deficienti succurrat, quia ipse solus est perfectio, & perfectus solus Dei Filius Christus. Cæteri omnes semiperfecti sumus. Quia nostrum est velle, nostrum est currere, Dei perficere. Unde beatus Paulus Apostolus ait, Neque volentis, neque currentis, sed ad Dei gratiam pertinentis. Nam & à Christo Salvatore nostro perfecta sanctitas non est data, sed promissa. Denique sic ait, Sancti eritis, quia & ego sanctus sum. Solus est sanctus & perfectus. Denique non dixit, Sancti estis; sed, Sancti eritis, dixit. Observa hìc primùm præsultasse aliqua ex parte Pelagianis Donatistas, dum se sanctos, se ab omni peccato immaculatos profitebantur, in ista jam vita mortali. Quos ideo hìc refellit Optatus. Observa rursus, etsi de gratia Dei non movebant litem Donatistæ, eam tamen hìc disertè satis defendi ab Optato, dum docet justitiam & sanctitatem à Christo dari & promitti, hìc imperfectam, perfectam in immortali posthac vita: nostrum esse velle & currere, sed in Deo: Dei esse perficere. Observa tertiò Optatum more aliis Patribus familiari dicere, nostrum esse velle & currere, sed Dei esse perficere. At non tamen ita ut sine Dei gratia velle possimus aut currere in indeflexa justitiæ semita. Expressè enim, nostrum esse currere in Deo, antea dixerat. Ergo nec alii Patres gratiam excludunt, etsi ejus quandoque non meminerunt, dum aiunt, nostrum esse velle & currere, Dei esse perficere. Observa quartò, etsi Dei gratia ad volendum & currendum intra justitiæ orbitam necessaria sit, perinde ut ad perficiendum: tamen non abs re dici quòd nostrum sit velle & currere, Dei autem solius perficere, propterea quòd singularis & eximia quędam gratia ad perseverandum usque in finem, & ad perficiendum seu ad imponendum justitiæ summum cumulum desideretur, quæ paucis conceditur, & gratis omnino, & perparum cooperante homine; cùm perseverantiæ munus non raró consistat in abrumpendo tum vitæ curriculo, cùm gravissima & intolerabilis exitiumque illatura tentationum tempestas aliqua prævidetur & occupatur.

VI. Paulinus Nolanus Episcopus nondum satis potuerat Augustini placitis informari, cùm hæc tamen ad eum scriberet, ad ejusdem planè gustum temperata; rationem exhibens, cur facultatibus omnibus in pauperes distractis, expeditior ad Christum pergeret: *Idcirco enim me levare sarcinis, & vestimentis onerantibus exuere curavi, ut undosum hoc, quod inter nos & Deum peccatis interlatrantibus separat, præsentis vitæ salum, omni amictu carnis & cura diei sequentis, jubente & adjuvante Christo expeditus, enatem. Neque id me perfecisse glorior. Quod etsi gloriari possem, in Domino gloriarer, cujus est perficere quod nobis adjacet velle. Sed concupiscit adhuc anima mea desiderare judicia Domini. Vide quando assequatur effectum Dei voluntatum, qui adhuc ipsum desiderare desiderat. Quod in me tamen est, dilexi decorem domus sanctæ, & quantum in me fuit, elegeram abjectus esse in domo Domini. Sed cui placuit segregare me ab utero matris meæ, & ab amicitia carnis & sanguinis ad gratiam suam trahere, eidem placuit, inopem me omnis boni meriti, suscitare de terra & de lacu miseriarum, ut collocaret me cum Principibus populi sui, &c.* Velle sibi adjacere priùs dixerat, Dei esse ut perficeret. Sed ipsum tamen postea suum velle acceptum fert gratiæ & misericordiæ Dei, cui placuit ipsum segregare ab utero matris suæ, & ab amicitia carnis & sanguinis ad gratiam suam trahere: ubi & gratia insinuatur tam efficax, ut trahat, & prædestinatio quæ illam præparat, uni Dei beneplacito innixa. Evidentissimè rursus idipsum de electione gratiæ, & gratiæ ejusdem efficientia in Epistola ad Alipium: *Quia videlicet ex illo qui nos ab origine mundi prædestinavit sibi, charitas ista manavit, in quo facti sumus antequam nati, quia ipse fecit nos, & non ipsi nos, qui fecit quæ ventura sunt. Hujus igitur præscientia & opere, formati in similitudinem voluntatum, & unitatem fidei, vel unitatis fidem, præveniente notitiam charitate connexi sumus; ut nos invicem ante corporales conspectus revelante Spiritu nosceremus. Gratulamur itaque & gloriamur in Domino, qui unus atque idem ubique terrarum operatur in suis dilectionem suam Spiritu sancto, quem super omnem carnem effudit, fluminis impetu lætificans civitatem Dei.* Non potuit & gratuita electio & inde promanans efficacia gratiæ & charitatis ornatiùs dilucidiùsque significari.

VII. Honoratus & Hilarius Arelatenses Episcopi, de gratia Christi invicta & omnipotente ad conversionem contumacium & rebellium quorumcumque, quid senserint, quid experti sint, liquebit ex Hilario ipso in vita ejusdem sancti Honorati, ubi ejus precibus apud Deum fusis, se quantumvis repugnantem, ad pietatis castra pertractum esse, ita eleganter ac piè describit: *Cùm parum in aures nostras pietatis illius verba descenderent, ad solita orationis præsidia convertitur; & affectus sui clamor repulsus duritia mea, piissimas Dei usque ad misericordiam pulsavit ac penetravit aures. Et verè obluctanti mihi, & per sæcularem illam nimis periculosam consuetudinem, obstinationem interdum meam sacramento obstringenti, prophetico ut ita dicam spiritu jam antè præmiserat: Hoc, inquiens, quod mihi tu non præstas, Deus præstabit. Et ô! quàm diu mollire duritiam meam nixus est imbre lacrymarum! Quàm piis mecum pro salute mea amplexibus osculisque certavit! Ad præsens tamen, ut ille ait, vici pessimam victoriam. Exagitandum me illinc & edomandum gratia Dei suscepit; Illi enim me oratione tradiderat. Qui tunc in corde meo fluctus, quæ tempestates diversarum & inter se compugnantium voluntatum excitatæ sunt! Quoties sibi in animo meo velle & nolle successit! Et quid plura? Absente illo, partes suas in me Christus exequitur, & post biduum orationibus illius per misericordiam Dei mea contumacia subjugatur. Fugaverat enim somnum cogitatio, & invitante me pio Domino, totus eminus cum voluptatibus suis mundus astabat. Quid expetendum, quid relinquendum suaderet, animus mecum meus, tanquam collatis apud amicum tractatibus ventilabat. Gratias tibi, bone Jesu, gratias tibi, qui dirupisti vincula mea, famuli tui Honorati pia supplicatione permotus: & injecisti mihi vincula amoris tui, quibus si tenear, nunquam peccati vincula recalescent. Occurro itaque subditus, qui superbus abscesseram: & omni contradictione deposita, novus precator accedo. Sic sic sancti oratio fugitivos suos reducit, sic contumaces subjugat, sic expugnat rebelles.* Ita Epinicia gratiæ canit Hilarius, ejus invicta potestate victus, eoque verè victor. Cæterùm tam ipse quàm Honoratus, & omnis ille demum sanctorum Patrum chorus, qui precibus suis ubi corda contumacium non poterant ipsi, divinam expugnabant misericordiam, quæ illos subjugaret, ex nolentibus volentes, ex repugnantibus morigeros omnipotenter redderet: his imbuti experimentis, non poterant de efficacia specialis alicujus gratiæ & de gratuita ejus ab æterno prædestinatione ambigere. Certè de Hilario hoc Arelatensi Episcopo scribit Prosper ad Augustinum quod scrupulum possit injicere: ubi de Gallicanis Augustini obtrectatoribus agens, *Unum eorum præcipuæ authoritatis & spiritalium studiorum virum, sanctum Hilarium Arelatensem Episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem, sectatoremque in omnibus tuæ esse doctrinæ, & de hoc quod in querelam trahit, jampridem apud Sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre. Sed quia utrum hoc facturus sit, aut quo fine facturus incertum est, &c.* Ambigebat ergo tunc Hilarius de decreto gratuitę prędestinationis: an scrip-

Sur. die 16. Janu. c. 19.

ferit Augustino, an scrupulum hunc suum sibi excuti passus sit, aliorum conjecturas & argumenta audire malim.

VIII. Unum superest, quod moneri Lectores necessum sit, nempe ubi decretum de prædestinatione gratuita indecisum à sanctis Patribus relictum esse tam constanter negavimus, ubi Vossio id affirmanti tanta restitimus virium contentione, tanta testimoniorum vi: non id nobis fuisse consilii, ut decretum illud in Catholicæ fidei dogma receptum fuisse affirmaremus. Longè aliud est, doctrinam de gratuita prædestinatione ab Augustino & à plerisque omnibus Ecclesiæ utriusque Patribus assertam fuisse, atque ab Ecclesia Catholica in fidei regulam coaptatam esse. Multa sunt decretis fidei ita conjuncta contextaque, ut non potuerint non simul ab antiquis Tractatoribus constabiliri. Sed in arcem fidei non statim, non simul ea evecta sunt; quia non omnium Ecclesiæ filiorum tanta solertia, tantum est acumen ingenii, ut omnem ex fidei placitis emergentem doctrinam facilè possint perspicere. Id in causa fuit, ut sæpiculè dixerimus, Augustini de electione gratiæ sententiam dogmati fidei esse conjunctam: non esse relictam in medio, ut indecisam aut superfluam, sed velut cohærentem aut consequentem, non velut ipsi fidei substantię concretam aut implicatam.

LIBER DECIMUS.

DE GRATIA EFFICACISSIMA, ad conversionem saltem, & ad perseverantiam finalem necessaria; hoc est ad gratuitæ Prædestinationis executionem.

PRÆFATIO.

In qua libri hujus decimi scopus declaratur: tres de invictissima gratiæ efficacia sententiæ Catholicorum Theologorum proponuntur, tertia eligitur, citra aliarum vel invidiam vel præjudicium.

CUm adulti illi, quos à damnationis massa Deus ante sæcula prædestinando segregavit, ad justitiam & pietatem adgregare se, & justificantem gratiam suscipere non possint, nisi omnipotente & invictissima aliqua vi Deus illos terrenis cupiditatibus immersos extrahat, & quantumvis repugnantes ad se rapiat; ista nunc nobis edisserenda est gratia invictissimè efficax, qua ex nolentibus volentes, ex repugnantibus amatores justitiæ fiunt, quoscumque Deus prędestinavit in Filii sui membra per justitiam coaptandos.

Hanc enim gratiam infallibiliter efficacem, nec effectu unquam suo frustrabilem necessum est credi: ne si ea cassa & inutilis jaceat, irrita quoque Dei prædestinatio & imbecilla Omnipotentis voluntas fuisse videatur.

Illud autem operæ pretium est, hujus gratiæ vim invictam voluntates nostras torquentem, quo Deo cumque visum est, cum ipsomet conciliare voluntatum nostrarum libero arbitrio, quæ quò libuerit seipsas deflectere, & divinæ gratiæ obniti possunt.

Triplex hujus nodi extricandi via & ratio in Scholis Theologicis hactenus increbuit. Prima eorum est, qui ipso per sese divino auxilio, seu divinæ motionis impulsu negant prædeterminari infallibiliter voluntatem: sed eidem nunc assentiri, nunc dissentire suapte sponte: eccubi autem & quando, & quomodo consensura sit, id verò Deum præscire; atque adeo posse ipsum eas motiones seu gratiæ impulsiones admovere humanæ voluntati, quibus eam præviderit assensuram; eas sequestrare, quibus tametsi pari vi & potestate pollentibus, præscierit refragaturam. Hac ergo scientia futurorum, ut vocant, conditionatorum exploratrice id videtur illis Deus assequi, ut humanas voluntates ad assensum advertat, quando vult, etsi ea tantùm adhibeat gratiæ auxilia, quæ ipsa per sese frustrari possint.

Secunda ratio eorum est, qui motionem seu pręmotionem divinam vi prædeterminante & infallibiliter contorquente voluntates creatas donant. Has tamen hactenus liberas esse dictitant etiam tunc, quòd motio divina dissensum infallibiliter arceat, potentiam dissentiendi intactam incolumemque esse sinat.

Tertia denique aliorum est sententia, qui nec scientiæ illi conditionatæ, nec motioni huic prædeterminanti acquiescunt, persuasi utramque & sanctis Patribus incompertam fuisse, & priscis omnibus Scholę Theologicę Antistibus inauditam, non ita pridem autem, nempe ante centum plus minus annos, aut certè ante ducentos ab uno & altero, quo de prolixiùs aliàs, excogitatam. Tametsi enim electorum mentes invictissimè & infallibiliter ad conversionem & ad perseverantiam moveri adducique à Deo conveniat antiquis Ecclesiæ Scholæque Patribus: non perinde tamen convenit, imò nec unquam in mentem venit dicere, hoc *modo* id fieri, id est vel per scientiam mediam, vel per præmotionem physicam & prædeterminantem.

Tertia ergo horum ratio & via hęc est, pluribus & omnigenis auxiliis, tum intus, tum foris excitantibus, tum intellectum, tum voluntatem, sive timore, sive amore, sive per adversa, sive per prospera impellentibus, id effici, ut cùm singula hæc infallibilem nequaquam vim habeant auxilia, invictissimam obtineant universa. Fatiscit enim homo reluctando, non fatiscit Deus oppugnando, ita aliquando tandem expugnat. Finem modumque habet hominis improbitas quantacumque, non habet Dei potentia. Extundit multa subinvitis non vis, sed importunitas. Quos non frangit timor, amor delinit: quos amor nequit, labefactat timor. Rebus aliis alii moventur, & idem ipse aliis aliàs ducitur vel alienatur. Prosperis alii lasciviunt, alii modum tenent: illi adversis emendantur, hi exasperarentur. Nemo est, quem non tan-

tandem vel beneficia, vel ærumnæ, blanditiæ, vel terrores labefactent. Denique innumeras artes machinasque complectitur infinita Dei potestas & sapientia, quibus huc illucque vertat liberas nostras voluntates, vel interiùs tantùm visa congrua intellectui, consentaneas affectiones cordibus inspirando, vel extrinsecùs etiam adhibendo seu illecebras, seu amaritudines, cujusque maximè ingenio accommodatas.

Dissonat hæc tertia ratio à secunda, non in efficaciæ vi, quam peræquè profitetur infallibilem & insuperabilem esse; sed in modo hujus efficaciæ declarando. Modum enim invictissimę efficacię repetit secunda è physica prædeterminatione, quę unius generis & modi est motio; hæc tertia verò sententia eandem derivat à congruitate, multitudine, conspiratione, varietate, importunitate divinorum intus & foris auxiliorum, quorum si priora cadant inutilia, alia deinceps & alia suggerantur, donec fatigata consentiat saluti & bono suo voluntas.

Secundæ sententiæ implicuimus eos, qui delectationi victrici vendicarunt infallibilem gratiæ efficaciam. Cùm enim hac delectatione prædeterminari existiment voluntatem, nihil causæ fuit quamobrem à prædeterminantis gratiæ assertoribus disjungerentur. Si hi verò non soli victrici delectationi, seu infusæ supernæ charitati, vim illam efficacissimam tribuant, sed affectibus etiam compluribus aliis à Deo inspiratis, & in eundem scopum conspirantibus, aliisque alios corroborantibus, & subinde aliis aliisque succedentibus, ut quod non possent singuli, perficiant universi; si tribuant etiam nonnihil externis adminiculis objectorum, rerum, locorum, temporumque, & eorum opportunitati; jam illos gratulabimur nobiscum sentire, & tertiæ nostræ huic sententiæ adgregabimus.

Porro quam tertio loco constituimus, eam nos sanctis Patribus, & ante cæteros Augustino, eam omnibus ante centum ab hinc annos Theologis, & potissimum Thomæ Aquinati approbatam esse existimamus: eam denique hoc etiam quod volvitur sæculo, compluribus magna & eruditione & pietate clarissimis Scholæ Magistris placuisse certum & exploratum habemus.

Hanc ergo & nos complectimur, totoque hoc libro adgredimur confirmandam; Catholicis Theologis, qui alias sectantur supra laudatas semitas, adeo non maculæ vel invidiæ quidquam conflamus, ut illis assurgamus vehementer, velut insignibus Catholicæ Scholæ luminibus. Morem enim gerimus Ecclesiæ, edicenti, in his suo ut in sensu quisque abundet, nec sententiæ suæ firmamenta cæterarum criminatione aucupetur.

Unum superest, quod hìc mihi admonendus sit Lector; postremum hunc librum jam prodiisse in lucem Gallicè editum inter quinque Dissertationes illas de gratia, quæ nuper exierunt, quarto nimirum inter eas loco. Uterque hic noster de gratia secundùm Dei prędestinantis propositum efficacissima jamdudum elucubratus fuerat Tractatus, ante an nos scilicet plus minus quindecim, quo tempore earum quinque Dissertationum tres priores inconsultis nobis prælo mandatæ sunt. Et primùm Latino sermone lucubratus, qualis hìc nunc prodit: postea Gallica donatus à nobis consuetudine, non interpretis servitute, sed authoris licentia, ideoque vehementer decurtatus, quia ita tunc necesse erat. Exit ergo nunc tandem & qua primùm lingua, & qua prolixitate scriptus fuerat. Exit autem paulò diversus ab aliis hujus Tomi libris, quoad Capitum titulos & summas; qualis nimirum concinnatus fuerat primò, paulò antè quàm ex eo editio Gallicana excerperetur. [Memoires sur la grace.]

CAPUT PRIMUM.

Gratiæ invictissimæ efficaciam in complurium intus & foris auxiliorum collectione, varietate, congruitate, conspiratione, in prosperorum & adversorum, in amoris & timoris congrua dispensatione sitam esse, probatur primo ex Dei apud Oseam verbis. Ubi Deus homines ad se revocat objecta impossibilitate & desperatione deliciarum, honorum, opum, & quantulæcumque felicitatis, nisi ad ipsum recurratur; horum autem quæ non possumus non concupiscere, copia & facilitate, si nos ad eum conferamus.

Ad cœnam magnam atque cœlestem trifariam vocari homines docet Christus in Evangelio, unde vocationis triplex genus elicit Gregorius Papa. Alii enim vocantur, sed varias nugatoriasque causationes obtendunt, ne veniant, nec omnino veniunt; quia frustrata semel gratia abscedit, nec infatigabiliter eos lacessere & expugnare adgreditur. Alii vocantur, & vel nulla vel minima cunctatione tardati, veniunt vel advolant. Alii denique restitantes usque & propemodum inviti compelluntur venire, de quibus dicitur, *Exi in vias & sepes, & compelle intrare.* Verba Gregorii ejusmodi sunt: *Notandum est, quòd in hac invitatione tertia non dicitur, Invita, sed, Compelle intrare. Alii enim vocantur, & venire contemnunt; alii vocantur, & veniunt; alii autem nequaquam dicitur quia vocantur, sed compelluntur ut intrent.* [Luca 14.] [In Evang. Hom. 36.]

Etsi plerique omnes aliquantulùm vocanti gratię restitent, adulti certè, nec perfectæ conversioni antè assentiantur, quàm repugnarint diutiùs, & gratiæ constantia acvi superati, cesserint tandem; prę aliis tamen nonnulli tam pertinaciter obsurdescunt ad Dei vocantis vocem, ut alii sponte advolasse, hi ad obtemperandum compulsi esse videantur. Postremæ hujus ergo vocationis gratia illa demum efficacissima est, quæ obstinatissimam voluntatis contumaciam superat. Hujus ergo tam efficacis tamque invictæ gratiæ *modum* si exploraverimus cum Gregorio, & ex Scripturis exculpserimus, id erimus profectò assequuti, ad quod pia & sedula Scholæ Theologicæ cura suspirat.

Atqui hunc efficaciæ infallibilis & invictissimæ *modum* Gregorius in eo mox collocat, quòd electos suos Deus tot adversitatibus fatigat, ut cùm dura & aspera præter ipsum omnia diutissimè experti fuerint, ad ipsum tandem, ut veræ & liquidę voluptatis fontem accedere constringantur. *Quidam sic vocantur, ut etiam compellantur. Nam sunt nonnulli qui bona facienda intelligunt, sed hæc facere desistunt. His plerumque contingit, ut eos in carnalibus desideriis suis mundi hujus adversitas feriat; apprehendere temporalem gloriam conentur, & nequeant. Cùmque se frangi in desideriis suis adversante mundo conspiciunt, quid de se authori suo debeant, commonentur. Ita ut ad eum erubescentes redeant, qui eum superbientes, pro mundi amore deserebant. Sæpè namque nonnulli ad temporalem gloriam proficere volentes, aut longa ægritudine tabescunt, aut afflicti injuriis concidunt, aut percussi gravibus damnis affliguntur; & in mundi dolore videns, quia nihil confidere de ejus voluptate debuerunt; seque ipsos in suis desideriis reprehendentes, ad Deum corda convertunt.* [Ibidem.]

Plana prorsus & expedita est hæc doctrina Gregorii, & cum rationi, tum verò quotidianis experimentis accommodata. Complures dum secundæ & ex animi sententia res fluunt, vocanti gratiæ surdi sunt: *compelluntur* iidem dicto audire, cùm gravissimis & diuturnis adversitatibus exagitati, quam voluptatem, pacem, quietem amant, non posse se extra Deum consequi suo ipso-

ipsorum experimento edocentur. Hæc ergo efficacia invictissima penes providentiam Dei est, adversa & prospera ex nutu suo, ex electorum usu dispensantis.

Et ne cui suspicio hæc oboriatur, Evangelicis quidem verbis invictissimam significari vim gratiæ ita vocantis, ut compellat intrare: sed modum tantæ hujus efficaciæ à Gregorio excogitatum, non ab ipsa expressum esse Scriptura. Contrà enim Gregorii penè authoritas dominatur in rebus istiusmodi, hoc est in arcanis machinis, quibus peragitur impiorum ad Deum conversio. Nemo Patrum altiùs in penetralia ista introspexit.

Sed & ibidem mox Gregorius ex verbis Oseæ Prophetæ expiscatur hunc ipsum modum efficaciæ infallibilis. Hæc enim sunt Dei verba apud Oseam, per adversa ubique occursantia coarctantis Synagogam, & ita demum cogentis ad se reverti, converti ad pietatem: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inveniet; & sequetur amatores suos, & non apprehendet eos; quæret, & non inveniet eos, & dicet, Vadam & revertar ad virum meum priorem, quia mihi bene erat tunc, magis quàm nunc.* Ubi apertissima est verborum vis: porro efficacia gratiæ cor revocantis & convertentis ad Deum, non aliunde depromitur, quàm ex adversorum mole objecta, & ex impossibilitate contingendi ad eas voluptates pestiferas, quę à divinæ charitatis dulcedine avocabant. Intercluso enim constanter & diutissimè aditu ad imas terrenasque delicias, cogitur quodammodo anima acquiescere cœlestibus illecebris, quas antea fastidiebat. (Oseæ c. 2.)

Sed audiamus jam Gregorium, non elucidantem, ut quæ sponte sua lucidissima sunt, sed paulò copiosiùs explicantem verba Scripturæ suprapositа: *Vir uniuscujusque fidelis anima Deus est. Quia hæc videlicet est ei conjuncta per fidem. Sed illa quæ conjuncta Deo fuerat anima amatores suos sequitur, quando mens quæ jam per fidem credidit, adhuc mundi gloriam quærit, carnali delectatione pascitur, exquisitis voluptatibus nutritur. Sed plerumque misericors Deus talem animam misericorditer respicit, & ejus voluptatibus amaritudines permiscet. Unde dicit, Ecce ego sepiam viam tuam spinis. Viæ enim nostræ spinis septæ sunt, quando in hoc quod malè cupimus, dolorum punctiones invenimus. Et sepiam eas maceria, & semitas suas non inveniet. Viæ nostræ maceria sepiuntur, cum desideriis nostris duræ in hoc mundo objectiones resistunt. Et semitas nostras invenire non possumus, quia hoc quod malè quærimus, adipisci prohibemur. Et sequetur amatores suos & non apprehendet, quia desideriorum suorum effectum minimè comprehendit. Sed ex hac salubri adversitate quanta utilitas nascatur, adjungit, Et dicet, Vadam & revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc, magis quàm nunc.* (Ibidem.)

Adversorum vim & efficaciam magni ut vides facit Gregorius, ut quæ ex Scripturæ verbis repercutiant animam ab imis ad supera, à terrenis ad cœlestia. Pergit autem: *Postquam ergo vias suas spinis septas invenit, postquam amatores suos apprehendere non valet, ad amorem viri prioris redit; quia plerumque postquam in hoc mundo non possumus obtinere quæ volumus, postquam in terrenis desideriis de impossibilitate lassamur, tunc ad mentem Deum reducimus, tunc placere incipit quod displicebat, & is cujus amara nobis fuerant præcepta, repente dulcescit in memoria: & peccatrix anima quæ adultera conata est esse, nec tamen aperto opere potuit, decernit esse fidelis conjux. Qui ergo hujus mundi adversitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, atque à præsentis vitæ desideriis corriguntur, quid isti, nisi compelluntur ut intrent?* (Ibidem.)

Et quanquam manifestissima sint Oseæ verba, uberiorem illis lucem affundit ipsa rei gestæ series: Israelitas enim ita Deus ad se omnipotenter pertraxit, cùm variis calamitatibus accisos, rerum omnium penuria belloque attritos, cùm libertate exutos, patria extorres, durissimæ captivitatis detrimenta perpessos, ita demum coegit ad se, ut ad justitiæ, ut ad fœlicitatis à justitia indissociabilis fontem recurrere. Ut cætera omnia conticescant argumenta, hoc unum rem conficit prorsus, quod in omni Scriptura instrumenti veteris dominatur. Ubique enim Deus rebellantes subinde Israelitas ad se revocat ista salubri variisque calamitatibus temperata medicina, jam inde à temporibus Moysis. Pergit Deus apud Oseam his verbis: *Idcirco convertar & sumam frumentum meum in tempore suo & linum meum, & liberabo lanam meam, &c. Et tunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus, & cessare faciam omne gaudium, &c. Et corrumpam vineam ejus & ficum ejus, & ponam eam in saltum, &c. Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus &c. Et sponsabo te in sempiternum in justitia.* (Ibidem.)

Quæ idem Gregorius alibi sic illustrat, ut tum denique ad divinæ charitatis delicias consentiat homo sese conferre, cùm inexpugnabili & constanti quadam impossibilitate excludi se viderit à terrenis voluptatibus. *Cum fortassis infirmantur electi, atque in desideriis illicitis ruunt, in hoc plerumque divini muneris manu retinentur, quod voluntatis miseræ nullos effectus inveniunt. Cùmque eorum votis valida contrarietas nascitur, plerumque ex ipsa impossibilitate corriguntur: & miro internæ dispositionis ordine per conversionem mutatio malæ voluntatis sequitur, dum per infirmitatem perfectio denegatur. Hinc est enim quod sub specie uniuscujusque animæ de infirmante Judæa atque in pravis itineribus gradiente per Prophetam Dominus dicit, Ecce ego sepiam viam tuam spinis, &c. Spinis enim electorum via sepiuntur, dum dolorem punctionis inveniunt in hoc quod temporaliter concupiscunt, &c. Prior vir Dominus est, &c. Quem tunc mens uniuscujusque desiderat, cùm multiplices amaritudines velut quasdam spinas invenit in iis delectationibus, quas temporaliter concupiscit. Nam cùm adversitatibus mundi, quem diligit anima, morderi cœperit, tunc plenius intelligit, quanto illi cum priore viro melius fuit. Eos ergo quos voluntas prava pervertit, plerumque adversitas corrigit.* (Moral. l. 34. c. 2.)

Non emollit cordis duritiem calamitas quamlibet vel aspera vel diutina, nisi simul intellectui lumen cœlitus influat, simul voluntati dulcedo quædam justitiæ per gratiam instilletur. Sed & vicissim frustra plerumque & lux & dulcedo gratiæ objicietur animæ terrenis prosperitatibus fascinatæ. At verò si duo hæc adjumenta concurrant, si omnes sæculi illecebras, quibus à Deo abducitur anima, tempestas aliqua dissiparit, si copia simul eidem fiat cœlestium gratiæ deliciarum, his utique assentietur. Dissentiebat enim priùs suavitati gratiæ, quia terrenas illi voluptates anteponebat: harum ergo jactura, harum desperatione adducetur, ut illi consentiat.

Est enim natura ipsa animæ cupidissima voluptatis, dulcedinis, quietis. Si hæc in sæculo affluant, his plerumque inhæret & adglutinatur, respuitque interim potiores, sed inexpertas gratiæ & justitiæ spiritalis delicias. At si sæviat, si cruciet, si amaritudinibus & spinis ubique & constanter inhorrescat mundus, tunc anima spiritalis vitæ suavitatem aspernari desinet: tunc innatum voluptatis amorem eò convertet, unde spes voluptatum affulgebit. Blandientem Deum antea blandienti mundo posthabebat. At sævienti jam mundo blandientem sanè Deum anteponet.

Tam altè descendit autem in animam hæc experientia ærumnarum ubique extra Deum sparsarum, ut deinceps vel hujus memoria animam cohibeat à

terre-

terrenis nugis, Deoque indivulsè affigat etiam tum, cùm parcior vel nulla gratiæ quandoque suavitas irroratur. Vel tum enim etsi exarescat ad tempus suavitas cœlestis, constringitur tamen in officio anima, & desperatione terrenæ voluptatis, & tot experimentorum memoria, & mundi fallaciarum persuasione, & spiritalium deliciarum tum retro recordatione, tum in futurum spe.

Si duplici ergo hac arte simul oppugnetur voluntas quantumlibet à Deo aversa, mundanarum hinc asperitatum molestia & diuturnitate, cœlestium gratiarum inde copia & suavitate, expugnabitur hauddubio, & cum Deo deliciari, quàm peccando dilaniari malet. Semel iterumque forsan renitetur quis, at voluntas suapte vi in utrumque versatilis, & malitiæ nequedum desperatæ, & dolorum fugitans, & cupidissima voluptatum, nunquam volet, aut non diu volet solo dolorum & cruciatuum auctoramento peccare, divinis deliciis sæculi non voluptates, sed amaritudines antehabere.

Quanquam autem omnibus hominibus aspergat Deus sive prospera, sive adversa, sive gratiæ etiam suæ dona quantum satis est, ut à peccato resipiscant; paucis tamen electis suis horum omnium illam adhibet copiam, redundantiam, conspirationem & perseverantiam, non quæ satis sit, sed quæ infallibiliter eorum repugnantiam frangat. Et hoc est propositum, hæc intentio Dei prædestinantis, suosque electos tanta auxiliorum exuberantia inundantis. Nec enim quisquam est hominum, qui semper, imò qui diu sufficientibus tantùm auxiliis obsequatur, quantum potest. Semper enim sibi aliquantulum parcit, & pigritatur innata ignavia.

In Oseæ c. 2. Cyrillus Alexandrinus huic doctrinæ apertissimè suffragatur in eadem verba Oseæ Prophetæ: *Qui à voluntate sua ad Deum se non convertunt, nec adduci possunt, ut quæ illi placent, exequantur: illis supplicium proponitur. Quodnam illud? Ut ad quod se sponte sua accommodare melius fuerat, ad hoc ipsum tanquam ex necessitate & timore se transferant. Sicut enim vulnera corporum sanatu difficilia, aut ferro secantur, aut igni vincuntur: ita hominis anima nisi admonentium vocibus locum reliquerit, pœnis vincitur, & supplicii laqueis implicata, necessario convertitur. Quale est quod apud Hieremiam legimus, Dolore & flagello erudieris Hierusalem. Simile quid psallit & David de iis quibus volupe est peccare, In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Asperas enim & adhuc rudes animantes pro arbitrio suo domitores frænis circumagunt; similiter peccatis deditos Deus ad eorum utilitatem tractat.*

Et infrà idem enucleatiùs singula scrutans, *Sepiam viam ejus sudibus, & muro obstruam semitam. Sudes appellat casus, quos expertus est Israel, bella dico, captivitatem, famem, pericula, diuturnam servitutem. Nam semel à Persis & Medis subjugati, non per otium ad Baal, neque ad vitulos aureos accedebant: sed necesse erat, ut à Deo concessa & charissima libertate privati, lamentarentur, & malis atrocissimis velut ebrii, damnarent potius seductores. Obstruuntur itaque viæ, Deo peccare solitis semitam ad improbitatem haud complanante, sed utiliter asperante, nec eos permittente expeditè ferri, quò stultè concupiscunt, ut nolentes impediantur, & ad frugem transeant, ubi experientia didicerint, neminem peccantem impunè laturum.* Et rursum infrà legens Prophetæ vestigia: *Etiam in hoc Deum intuere & in ira corripientem, & multimodis consulentem, & pœnis adhibendis, eos qui aberraverunt, retrahentem, & ad salutaria immutantem. Cùm enim vias suas sudibus seu palis obseptas animadverterit, tunc mutabit consilium, & quod agere velle præstabat tristibus nondum illapsis, vel sero & post experientiam arripiet.*

CAPUT II.

Idem demonstratur ex verbis Mosis, Isaiæ, Danielis, Ezechielis, sed ex Jonæ potissimum & Jeremiæ exemplo, quorum ille cum restitaret divinæ voluntati, tempestate & naufragio; hic ne restitaret, blandimentis & pia salubrique obreptione ad obsequium perductus est.

Porro hac alternatione prosperorum, dum Deo obsequerentur, adversorum cùm ab eo deficerent, Israelitas jam inde ab initio adductos compulsosque esse, ut ad Dei unius & veri cultum se applicarent, liquet non ex Oseæ tantùm verbis, sed & ex aliorum suffragio Prophetarum. Ita enim jam ab exordio ad eos Moyses: *Cùm ergo venerint super te omnes sermones isti, benedictio, sive maledictio quam proposui in conspectu tuo, & ductus pœnitudine cordis tui in universis gentibus, in quas disperserit te Dominus Deus tuus, & reversus fueris ad eum, & obedieris ejus imperiis, reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, & miserebitur tui, &c. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde.* Hæc in futurum vaticinabatur Moyses, & ventura prælineabat Synagogæ sæcula. Deuteron. c. 30.

Isaias autem, *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.* Et mox: *Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, & sanabit eam, & revertentur ad Dominum, & placabitur eis, & sanabit eos.* Daniel quoque similiter: *Tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum pessimorum, &c. Imminuti sumus plusquam omnes gentes, &c. Et nunc sequimur te in corde toto, & timemus te, & quærimus faciem tuam.* Quid præclarius autem hoc apud eundem Nabuchodonosoris exemplo, qui non regia, non omni solùm fœlicitate exutus, sed ipsa quodammodo natura, ejectus est humana, & in belluinam detrusus consuetudinem, ut hac tanta sui strage dedisceret adversus Deum insolescere? Hæc illi enim Daniel intonuit: *Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis ferisque erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore cœli infunderis; septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud.* Hac stupenda calamitate prostratus, elisusque Rex detumuit, & erupit in hanc confessionem: *Ego Nabuchodonosor post finem dierum oculos meos ad cœlum levavi, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, quia potestas ejus potestas sempiterna, &c. & gradientes in superbia potest humiliare.* Non deerat antè vel lux, vel inspirata affectio, quæ Deo inclinari & subesse suaderet, sed in tanta regiæ magnificentiæ pompa respuebatur: ubi non hæc tantùm excussa est, sed & ipse toto septennio in belluinam ejectus est vilitatem, tum illi luci, illi inspiratæ affectioni obluctari destitit. C. 19. C. 9. Cap. 4.

Sed quid expressius Ezechiele, qui suis ipsemet oculis spectabat, quantæ esset efficaciæ ad corda mansuefacienda squallor & mæror diuturnæ captivitatis? *Et recordabuntur mei liberati vestri in gentibus, ad quas captivi ducti sunt, quia contrivi cor eorum fornicans & recedens à me, & oculos eorum fornicantes post idola sua, & displicebunt sibimet super malis quæ fecerunt, & scient, quia ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc.* Et infrà: *Et recordaberis viarum tuarum & confunderis, ut non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua, cum placatus tibi fuero, in omnibus quæ fecisti.* Et denique: *Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium, Erimus sicut Gentes, & sicut cognationes terræ, ut colamus ligna* Ezech. c. 6. Cap. 16. C. 20.

ligna & lapides. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos. Reliquas Gentes sinebat Deus in idola luxuriare: Israelitas etsi maximè cupientes similiter insanire, omnipotenter prohibebat, variis subinde illos calamitatibus & captivitatibus elidendo, quoties ad eam impietatem defluerent. Quanquam autem ærumnarum acerbitas cor emolliat, & divinæ gratiæ non amplius dissentire suadeat, gratis tamen hæc gratia vel tum infunditur, quòd illa conversionis initia multis adhuc maculis sordeant; unde idem infrà: *Non propter vos ego faciam, sed propter nomen meum sanctum, &c. Dabo vobis cor novum & spiritum novum, &c.* Cap. 36.

Sed libet hìc cum Patribus paulò accuratiùs expendere gratiæ & voluntatis divinæ omnipotentiam in frangenda Prophetæ ipsius Jonæ contumacia adversus divinæ legis imperium. Jussus enim à Deo Niniven commeare, hominumque perditissimos ad pœnitentiam cohortari, fugam arripuit, mari se commisit, imperanti terga Deo vertit. At tempestate interceptus, suomet ipse ore damnatus, & in mare jactatus, servatus denique tam stupendo potestatis divinæ miraculo, ita demum persuasus est quàm asperum sit & intutum Omnipotentis imperio reluctari, quàm tutum & suave obsequi. Ita sanè quasi obtorto collo compulsus est cœlestium mandatorum semitas ingredi, postquam expertus est quantis septa sint tempestatibus & naufragiis inobedientiæ diverticula. Luculentè hæc Gregorius Papa exequitur in hunc modum: *Prudenter Jonas sapere voluit, cum prædicationis officium implere recusavit. Navim petiit, fugere Tharsis elegit, sed protinus tempestas exoritur, sors mittitur, Jonas in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, Ceto sorbente repente devoratur, atque illuc gestante bellua pervenit, quo ire sponte contempsit. Ecce fugitivum Dei tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit; & quia authori suo obedire renititur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. Comprehendit ergo Dominus sapientes in astutia eorum, quando & hoc in usum suæ voluntatis redigit, per quod sibi voluntas humana contradicit.* Instigabat & ab exordio Jonam ad obtemperandum gratia cœlestium inspirationum, sed præfractam pertinaciam non vincebat, donec tempestate & naufragio domitus, & multò duriora impendere sibi expertus, si reniti, quàm si obsequi contenderet divinis imperiis, ita denique acquievit gratiæ ad obsequium invitanti.

Moral. l.6.c. 12.

Chrysostomus similiter subjicit oculis sapientiæ, omnipotentiæ & bonitatis divinæ argumenta complura, ex hoc eodem Jonæ experimento deprompta, artesque mirabiles Dei in immutanda, & aliò aliòque flectenda libera hominis voluntate. *Postquam navigium Jonas ingressus est, statim excitavit mare, ut discas quod ubi peccatum, ibi procella; ubi inobedientia, ibi fluctuatio. Fugiebat Jonas terram, & Dei iram non effugiebat. Fugiebat terram, & in mare tempestatem induxit. Nec tantùm nullum ex fuga bonum nactus est, sed etiam eos qui se susceperunt, in extremum periculum adduxit. Et quando navigans quidem in navigio sedebat, etsi nautæ & gubernatores aderant, navis cùm instrumento omni de extremis periclitabatur. Postquam autem in mare projectus, & peccatum per supplicium deponens, in incompositum deductus est navigium, ceti scilicet ventrem, multa potiebatur libertate. Ut discas quod sicut in peccatis viventi neque navigium prodest; sic peccato exutum neque mare perdit, neque bestiæ consumunt. Ipsum igitur undæ susceperunt, nec suffocaverunt: cetus suscepit, & non interemit; verùm & animal & elementum incolume depositum Deo reddiderunt. Et per omnia discebat Propheta esse mansuetus & humanus, & neque stultis nautis, neque feris undis, neque bestiis crudelior esse. Etenim nautæ non in principio statim, sed post multam necessitatem ipsum prodiderunt; mare verò & bestia cum multa benevolentia custodierunt, Deo hæc omnia dispensante. Rediit igitur, prædicavit, minatus est, persuasit, correxit.* An vim fecerat Deus Jonæ? Haudquaquam, sed admirandis his sapientiæ, omnipotentiæ, vindictæ, clementiæ documentis ita illum cinxerat, ut quoquo se verteret, incurreret in laqueos, quibus ad implendam Dei voluntatem pertraheretur. Denique suo ipse periculo edoctus asperrima esse omnia & tempestatibus naufragiisque vallata immorigero, tuta & suavia omnia obsequenti, ad obsequium se contulit. Unde idem rursum: *Jonam nautæ mari tradiderunt, mare ceto, cetus Deo, Deus Ninivitis, & per longum circuitum profugum reduxit. Ut omnes doceat quod Dei manus effugere sit impossibile. Quoniam quocumque quis proficiscatur peccatum pertrahens, infinita sustinebit detrimenta. Et si hominum nemo adsit, ipsa undecumque creatura cum multa illi resistet vehementia.*

Ad pop. Antioc. hom. 5.

Insulsum sanè illud jam erit, si quis sibi fingat, divina interiùs motione invictissima & ineluctabili Jonam post illa naufragia impulsum fuisse, non ante, & ideo tunc demum, nec ante paruisse. Si res enim ita habet, quo illa divinæ omnipotentiæ miracula? quo asperitas in immorigerum, quo in obsequentem clementia, quo procellæ, quo naufragia? Et verò quorsum Scriptura, quorsum Gregorius, Chrysostomus aliique Patres Scripturæ vestigia lambentes, illa divinæ potestatis, iræ, clementiæ portenta expendunt, edisserunt, adstupescunt, ut artes ipsissimas & machinas admirandas, quibus Deus humanas voluntates domat, & quo ipse cumque vult inflectit? Cur in his hærent, cur hæc tam magnificè venditant & ostentant, si ad pompam tantùm hæc adornata sunt, si inefficacia & penè inutilia sunt, si omnia sunt in interiori solum motione? Hieronymus sanè immutandæ voluntatis humanæ potestatem eandem hinc Deo adscribit, & vim istam similiter repetit, ex procellosis difficultatibus quibus contumax anima implicatur, nec expedit se, nisi cùm ad obedientiam se recipit. *Potest fuga Prophetæ & ad hominis referri in commune personam, qui Dei præcepta contemnens, recessit à facie ejus, & se mundo tradidit. Ubi postea malorum tempestate, & totius mundi contra se sæviente naufragio, compulsus est sentire Deum, & ad eum reverti quem fugerat.* Et tandem ita colligit: *Nihil Deo adversante securum est.* Perinde & Deo adversante nihil suave, nihil pacatum, omnia amaritudinibus, procellis horrentia. Ergo anima difficultatum & adversorum fugitans, pacis & suavitatis amans, eò tandem se conferet, ubi votorum sit compos. In Jonam. c. 1.

Ab his non abludit exemplum Ieremiæ, quem Deus dissimulatis laboribus Prophetæ subeundis, ostensis autem desponsisque illecebris, quibus allici posset, ad tantum munus capessendum adduxerat. Si statim enim ærumnæ omnes objectæ essent, quæ deinceps perferendæ erant, detrectasset ille id officii, nec divinæ se voluntati lubens accommodasset. Unde sic ipsemet postea amanter apud Deum quiritabatur: *Seduxisti me Domine, & seductus sum; fortior me fuisti & invaluisti; factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me.* In quæ verba luculenter Hieronymus hæc commentatur: *Dicit se Propheta à Domino esse deceptum, quia in principio audiens, Prophetam in Gentibus dedi te; & iterum, Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes: arbitratus sit, nihil se contra populum Judæorum, sed contra diversas in circuitu nationes esse dicturum. unde & prophetiam libenter assumpserit; & evenisse è contrario, ut captivitatem Jerusalem prædicans, persecutiones & angustias sustineret.* Vides ut blanditiis Ierem. c. 20.

tiis lactatus sit, ut consentiret; ubi consensit divinæ voluntati, & divinæ gratiæ incremento roboratus est, tum varias infracto pectore sustinuerit persecutiones, quæ si initio illi incubuissent, labefactata esset ejus constantia. Huc ergo spectabat pia illa providentiæ divinæ obreptio sive circumventio.

Inter ista autem civium in se odia & infestationes nonnunquam concidebat animo Jeremias, & verbum Dei silentio deinceps premere meditabatur; sed expugnato semel per antedictas blanditias assensu voluntatis ejus, ita gratia in ejus animo invaluerat, ita Dei charitas cęteros affectus omnes sibi subjecerat, ut his se vinculis, quę ultro subjerat, sese jam eximere non sineretur. Audi ipsummet: *Et dixi: Non recordabor ejus, neque loquar in nomine illius: & factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens.* Obreptum ei quodammodo fuerat pia & saluberrima fraude, ut hoc charitatis incendium in corde suo excitari assentiretur: quod deinceps ita regnaret, ut extingui se nequaquam pateretur. Ita arcana Theologia alicubi docet, multa Deum deinceps per voluntates & de voluntatibus hominum omnipotenter & ineluctabiliter facere, ubi eorum consensum semel vel demulcendo eblanditus fuerit, vel terrendo expugnarit.

Ibidem.

CAPUT III.

Genus humanum, & quilibet homo singularis per quatuor spiritales ætates circumagitur; ante legem, sub lege, sub gratia, in pace. Duæ priores nihil aliud quàm longis & permultis primùm ignorantiæ, deindè infirmitatis nostræ experimentis, elidunt superbiam, cœlestem medicinam optare, suspirare, implorare suadent, & ita præparant aptantque ut Christus cum gratia adventans hominemque justificans suscipiatur. Invicta efficacia hujus gratiæ non in unius motionis abrupto impulsu tota est, sed in illa dispensatione plurium omnis generis auxiliorum diutinæque curationis.

ITa singulos velut universos, ita universos velut singulos à Deo curari regique homines advertit sępenumero Augustinus: *O tu bone omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tanquam solum cures; & sic omnes, tanquam singulos.* Prætorquam autem & tam prolixa bonitate est, ut tantundem studii & curæ singulis, quantum omnibus impendat: & tam inexhausta potentia, ut nihilo plus in omnibus, quàm in singulis adgubernandis laboret; est preterea homo quilibet instar universi generis, & humanum genus ipsum unius instar habet hominis. In quolibet enim nostrum privata quædam inest, ut ita dicam, respublica, & innumerabilis tum multitudo, tum varietas rerum, affectuum, odiorum, amorum, virtutum, vitiorum. Est & genus humanum universum velut unus quidam homo, per loca & tempora exporrectior, cujus aliæ & aliæ subinde sese explicant ętates, primùm infantia ignorantiæ quandam veluti noctem præferens, tum pueritia & adolescentia in sapientiæ lucem procedens, inde maturitas quædam, pòst senectus devexa, viriumque interim crementa & decrementa, morumque inclinationes diversissimæ. Ut minùs mirum sit, si & Deus quibus singulos homines gradibus & profectibus, iisdem ipsam generis humani universitatem moderetur. Unde Augustinus: *Quod in uno homine rectè educato ordine naturæ disciplinæque contigit, hoc proportione in universo genere humano fieri per divinam providentiam peragique pulcherrimum est.*

Confess. l. 3. c. 16.

L. 83. qq. q. 49.

Atqui cujusque hominis infantia in densissimis ignorantiæ tenebris transigitur. Ea paulatim decoquitur & ejicitur, infundente se rationis & doctrinę luce. Sed succedit ætas fervidior, quæ per abrupta vitiorum transversos agit, non justitiæ & legum nescientia, sed æstu quodam & vortice cupiditatum. Tertia inde ætas exoritur, ubi concupiscentiæ flamma deferbuit, ubi legum pulchritudo & justitiæ lux non adsplendet tantùm, sed delectat etiam & dominatur animo, facilèque compescit residuam aliquam affectuum pugnacitatem. Tranquillat denique animam extrema ætas, æstuantium perturbationum nescia, otioque contemplationis, & castis pacatisque sapientię & justititiæ deliciis animam beat.

Quatuor his iisdem ætatibus defungitur genus humanum, per easque longo sęculorum contextu sese explicantes, peragitur & ostentatur omnis illa varietas & pulchritudo, quam divina providentia ad æternę sapientiæ leges normamque dispensat. Paucis verbis has ætates complexus est Augustinus, *Ante legem, sub lege, sub gratia, in pace.* Infantia generis humani ante legem datam cæcutiebat, & subinde per ignorantiam peccabat. Secunda ętas per legem lumen intulit, sed concupiscentiam eadem opera inflammavit, in vetita acriùs effervescentem. Facilè homo sibi persuasisset suo se lumine collucere, suis se viribus sectari justitiam, nisi plurimis & diuturnis experimentis edoctus esset, & ante legem, quanta æqui rectique ignoratione caligaret; & sub lege, quàm vehementi cupiditatum æstu per devia vitiorum abriperetur sciens prudensque. His malis & periculis suis homo superbus convincitur, cogiturque suam primò ignorantiam, postea infirmitatem profiteri, gratiamque liberatoris invocare, quę victrices cupiditates frangat & frænet. Hac gratia cupiditatum victrice, adeoque hominis ipsius justificatrice donatus, tertiam jam ætatem auspicatur sub gratia constitutus; hìc pugnatur adversùs reliquias quasdam affectuum terrenorum, & vincitur, quia affectibus omnibus charitas justificans dominatur. Postrema ętas, aut ætatum meta æternitas, ubi jam certa pax, quia plena charitas.

Providentiæ ergo salutem nostram procurantis primus hic fuit gradus, per annos plus minus bis mille, ut in altissima volutaremur ignorantiæ caligine, & hoc tam molesto ac tam diuturno experimento altissimè nobis infigeretur, quàm nostrum præter tenebras nihil sit, quàm tota lux justitiæ gratis cœlitus detur, quàm ubi ea lux refulserit, nec refellenda sit, nec humano acumini tribuenda. Secundus gradus hic fuit, per annos rursum bis mille data & allucente lege, mergi & altiùs subinde demergi in vitiorum voraginem homines, & suam experiri interim infirmitatem, hanc profiteri, cœlestem implorare opem & medicinam. Tertius fuit gradus jam sub gratia, sive sub Christo, cùm per Christum allata est gratia medicinalis, qua non lux tantùm fidei infunditur adversus innatas ignorantię tenebras, sed victrix etiam insinuatur justitię charitas, qua carnales omnes cupiditates vel ejiciuntur, vel certè subjiciuntur, ut etsi insint, non præsint tamen nec dominentur.

Efficacia ergo & vis invicta gratię quæ secundùm propositum Dei prędestinantis datur, ex hac dispensatione mirabili existit, & longo providentię divinæ circuitu, quę morbis ipsis & vulneribus abutitur ut sanet; quæ ignorantiæ longam noctem & tędium dispensat, ut lux vehementiùs expetatur, & suscipiatur postea cupidiùs: quæ nefarias cupiditates grassari & sævire perdiu finit, ut earum tantò magis & pertædescat nos, & pudeat, & toties expertæ infirmitatis conscientia cogamur medicinalem gratiam & cunctantem votis accelerare, & postea oblatam amplexari. Si unius divinæ motionis vis prædeterminans consensum voluntatis extorquere, peccatum revellere, justitiam inserere soleret,

leret, quorsum hæc morarum tedia, quorsum tot apparatus? Si simul & semel uno ictu consensus voluntatis in cœleste lumen exprimitur, & in innatæ ignorantiæ confessionem humilem, quorsum finere nos in tam densis tenebris tandiu sordidari? Si unica inspiratione victrici abrumpi poterant vincula omnia cupiditatum, quin statim ea dabatur, ut bis mille amplius annorum corruptela & effrenis scelerum tandiu licentia præverteretur? Si unica prædeterminans gratia ingenerat humilitatis sensum, & sui dejectionem, ac propriç imbecillitatis atque ignorantię confessionem, quo ergo pertinuerunt per quatuor plus minus annorum millia toto orbe terrarum tot errorum, tot flagitiorum, tot facinorum experimenta?

Nec sum nescius penes Deum esse suę gratiæ ac misericordiæ arbitrium & potestatem, nec ægroti, sed medici consilio cœlestis medicinæ tempora ac beneficia dispensari. Sed Scripturæ, sed Patres constantissime inculcant has gratiæ moras, has procrastinationes medici, nostræ saluti utiles, adeoque necessarias fuisse. Quæ porro necessitas, quæ utilitas, quæ efficacia tenebris, peccatis, morbis, lapsibus inesse potest, nisi ut cogant nos nostram lucis & virium inopiam profiteri, dolere, ingemiscere, humiliari, liberatorem optare, cunctantem fatigare & accelerare precibus, adventantem non repellere? Poterant hæ pœnæ decerni in nos per justitiæ divinæ leges, nihil moror: sed misericordiæ visum est pœnas in medicamenta convertere. At medicamenta videri jam non poterunt, si omnia sanationis nostrę subsidia & vires sunt in una motione prædeterminante, quæ tantundem obtinet virium, etsi toto illo apparatu supersedeatur.

Augustinus totam hanc argumentationem ita

L. 83. qq. q. 66. nobis prælineavit: *Ex quo comprehendimus quatuor esse differentias etiam in uno homine, quibus gradatim peractis, in vita æterna manebitur. Quia enim oportebat, atque id justum erat, ut postea quam natura nostra peccaverat, amissa beatitudine spirituali, quæ nomine paradisi significatur, animales carnalesque nasceremur, prima est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante legem actio est, cum peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio cum jam prohibemur à peccato, & tamen consuetudine ejus victi peccamus, quoniam nos nondum adjuvat fides. Tertia actio est, quando jam plenissime credimus liberatori nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, sed misericordiam ejus diligendo, jam non vincimur delectatione consuetudinis malæ. Quarta actio est in pace, quando nihil est in homine quod resistat spiritui, quando corruptibile*

In expos. 7. ad Rom. *hoc induerit incorruptionem.* Et alibi: *Ante legem ergo non pugnamus, quia non concupiscimus solum, & peccamus, sed etiam approbamus peccata. Sub lege pugnamus, sed vincimur. Fatemur enim mala esse quæ facimus, & fatendo mala esse, utique nolumus facere, sed quia nondum est gratia, superamur. In isto gradu ostenditur nobis, quomodo jacemus; & dum surgere volumus, & cadimus, gravius affligimur. Inde hoc dicitur, Lex subintravit, ut abundaret delictum. Sic ergo jacens cum se quisque cognoverit per seipsum surgere non valere, imploret liberatoris auxilium. Venit ergo gratia, quæ donet præterita peccata, & conantem adjuvet, & tribuat charitatem justitiæ, & auferat metum.*

Gratiæ illuminanti & sananti adversabatur maxime illa humani generis insania, qua se & sapere plurimum, & valere confidebat. Lumen enim medicumque protelat, quisquis de suo acumine & sanitate superbit. Quid ergo efficacius ad hanc sui insaniam & superbiam abigendam, quàm ut crebERRimis diutinisque lapsibus suis & vulneribus & morbis periculum sui faciat homo? An hæc experimenta nihil conducent ad infringendam nimiam illam sui fiduciam? An etsi hæc non anteissent, una motio cœlestis gratiæ totam illam superbiæ molem disjecisset? Quin imo, ut ait Augustinus: *Hoc est in lege magnum mysterium, ideo eam datam ut crescente peccato humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur. Istæ sunt viæ occultæ, quas notas fecit Moysi, per quem legem dedit, qua peccatum abundaret, & superabundaret gratia. Non crudeliter hoc fecit Deus, sed consilio medicinæ. Aliquando enim videtur sibi homo sanus, & ægrotat. Et in eo quod ægrotat & non sentit, medicum non quærit. Augescit morbus, crescit molestia, quæritur medicus, & totum sanatur corpus.* In Ps. 102.

Ubi adverte agenti homini sub lege, etsi nondum verissima illa gratia concedatur, quæ peccatum delet & vincit, quæ Christum informat in animo, hominemque justificat; multa tamen donari interiora auxilia quasi prælusoria, utpote initia quędam fidei, & lucis, timoris & fugæ mali, affectus quosdam contemptus sui, & humilitatis, instinctum orandi & invocandi medicum, rudimenta etiam quædam amoris, & alia id genus quæ justificationi hominem præparant. Id enim innuit Augustinus tum sexcenties alibi, tum supra his verbis, *Legem datam, ut crescente peccato humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, &c. quærerent medicum.* Porro inutilia jacerent hęc auxilia, nisi his assentiri cogeret diuturna illa errorum, scelerumque & his conjunctissimarum ærumnarum experientia. Ita non crudeliter, sed consilio medicinæ nobiscum actum est. Si uno autem gratiæ omnipotente impulsu & error & superbia & fiducia sui & contumacia depellitur, absit verbo invidia, non medicinaliter, sed pene *crudeliter* tota illa errorum, criminum & calamitatum tempestas tandiu sævire permissa est.

CAPUT IV.

De eodem prolixius, Christus non statim ab exordio illuxit orbi, charitas non statim, sed post diutina ignorantiæ & infirmitatis experimenta infunditur, quia alioqui ab homine suis viribus præfidente repudiaretur. Hac ergo mora, hac malorum experientia fit, ut homo gratiæ, gratia homini congruat, & ex hac congruitate existit gratiæ efficacia, hominis obsequium. Quod de Israelitis dictum, id ad Gentiles quoque utcumque pertinet. Et hi ante legem & sub lege fuerunt, ante Christi adventum, utraque statione hac dedolati aptatique sunt, ut illis gratia, ut Christus congrueret.

ANte legem per ignorantiam boni regnabat peccatum. Per legem affulsit cognitio boni, sed illigata voluntas tenaci visco terrenarum cupiditatum, eas superare conata, turpiùs elisa est. Ideo Christus non statim ab exordio humanam carnem induit, non statim gratiam liberatricem intulit mundo, ut priùs experiremur nostram cæcitatem, nostram infirmitatem, lege data: & ita de nostris viribus fracta omni fiducia, humiles supplicesque medicam Reparatoris gratiam optaremus, posceremus, inferentem se ne repudiaremus. Quò ista Redemptoris procrastinatio? Si gratia uno ariete superbiam conterit, si una motio insuperabilis humilitatis sensum insculpit, tam facile id potest jam inde ab exordio, atque sub finem tam calamitosi curriculi: æque difficile id assequetur sub finem, atque ab exordio. Si autem ita curanda, si ita tractanda est voluntas humana, ut ipsa palpet suam cæcitatem, ipsa experiatur sæpissime & diutissime suam infirmitatem, & ita convincatur, cogaturque quodammodo expuere fastum & superbiam, & modeste de suis viribus sentire, atque opem gratiæ sanantis medicumque implorare; enimverò magna arte & longo anfractu circumvenienda erit, & per occultas mirasque omnipo-

nipotentis sapientiæ semitas circumagenda. Geminus morbus ignorantiæ & infirmitatis ut sentiretur, ut dignosceretur, ut utriusque curatio adverteretur, ut grato animo recoleretur, ut superbiæ undique insidianti via omnis occluderetur, necesse fuit ut in utroque diu homo computresceret, diu cæcutiret, palparet, impingeret, illuminatus diu incassum conniteretur, vitiis etsi repugnaret, succumberet, & his invictissimis experimentis adigeretur non superbire, opem gratiæ cœlitus indultam non aspernari.

Ita hominibus congruit, ut curentur tardiusculè. Nec morbus enim ipse patiens est curationis repentinæ. Ergo jam tum medetur Deus, cùm mederi differt. Gratiæ jam inde dispensatio misericors explicatur, cùm differtur gratia. Præparandus est ante animus, præaptandusque medicinæ, post tanto fructuosiùs, tanto tempestiviùs, quanto tardiùs propinandæ. Illa itaque prima medicinę providentia est, differri medicamentum, dum virus morbi concoquatur & erumpat. Efficacia medicamenti ab illa tempestivitate, ab illa tarditate pendet. Si statim crudo adhuc morbo tota committeretur curatio, ille plerumque recrudesceret, hæc non inefficax tantùm, sed exitialis foret. Si statim ab exordio cum gratia liberatrice Christus affuisset, illum protelassent, hanc respuissent homines, de sua sibi sanitate blandientes. Si statim homini impio charitas, si gratia justificans & cupiditatum victrix donetur, illam rejiciet, terrenis fascinatus voluptatibus, hanc suis meritis viribusque tribuet, necdum satis semetipsum periclitatus. Quæ ex Augustini Patrumque doctrina, imo ex Christi mysteriorum gratiæque per sæcula distributione, claret gratiam Christi efficacissimam non ita absolutè & solitariè suam hanc vim & efficaciam obtinere, ut non ea etiam pendeat & existat ex totius præeuntis curationis dispensatione. Si gratia enim simul & semel una est abrupta motio & infallibiliter efficax, nulla est justa causa ejus differendæ, aut procrastinandæ Verbi incarnationis. Æquè enim inter ipsa initia efficiet, ut ne homo superbiat de luce & robore infusæ sibi divinitus luminosissimæ & flagrantissimæ charitatis. Quorsum ergo illa tot annorum millibus grassata tenebrarum regna ante legem, cupiditatum sub lege? Si quod sanè medicamentum esset ejusmodi, ut totam morbi vim omnino infallibiliter extingueret, statim illud propinari conduceret. At illud jure differtur, cujus efficacia longis etiam ex præludiis, temporumque & locorum opportunitate exurgit.

L. 83. qq. q. 41. Quæ eleganter Augustinus exprimit: *Quia omne pulchrum à summa pulchritudine est, quod Deus est: temporalis autem pulchritudo rebus decedentibus succedentibusque peragitur; habet autem decorem suum in singulis quibusque hominibus singula quæque ætas, ab infantia usque ad senectutem. Sicut ergo absurdus est, qui juvenilem tantùm ætatem vellet esse in homine temporibus subdito, invideret enim cæteris pulchritudinibus, quæ cæteris ætatibus suas vices atque ordinem gerunt: sic absurdus est, qui in universo genere humano unam ætatem desiderat. Nam & ipsum tanquam unus homo suas ætates agit. Nec oportuit divinitus venire Magistrum, cujus imitatione in mores optimos formaretur, nisi tempore juventutis. Ad hoc valet quod Apostolus dicit, Sub lege tanquam sub pædagogo parvulos custoditos, donec veniret, cui servabatur, qui per Prophetas promissus erat. Aliud enim est quod divina providentia quasi privatim cum singulis agit, aliud quod generi universo tanquam publicè consulit. Nam & quicumque singuli ad certam sapientiam pervenerunt, nonnisi ab eadem Veritate, suarum sigillatim ætatum opportunitate illustrati sunt. A qua veritate ut populus sapiens fieret, ipsius generis humani opportuna ætate homo susceptus est.* Si maturitas sapientiæ & justitiæ immaturæ pueritiæ committeretur, cassa luderetur opera. Non enim pueritiæ congruunt, quę juventuti accommodata sunt. Elementis ergo primis tenera infantia initianda est, & ita pedetentim vegetanda, ut cùm ętate simul & congrua eruditione adoleverit, tum maturioribus asperioribusque & juventuti consentaneis informetur disciplinis. Capit autem provectiores disciplinas animus, si illis rudimentis prioribus non sit destitutus. Collaborat enim ipse, & juxta partas jam vires connititur, ut altiùs provehatur. Ita igitur cùm genus humanum, cùm singularis quisque homo spiritales suas ætates explicat, nisi lege, nisi timore primùm diligenter erudiatur, & in eo gradu proficiat, conclamatum est de incrementis robustioris ætatis; nec charitas efflorescet in animi solo, quod non antè timor subegerit; nec sapientiæ & justitię perfectio consurget, nisi post legis tyrocinia. Frustra per hęc ætatum rudimenta tanto anfractu circumducimur, si perinde citra hęc, atque post hæc nihil superbiæ eliditur, nihil modestię & humilitatis initiatur, nisi uno impulsu gratiæ & motionis illius in qua sunt omnia. At providentissimè & necessariò illa præstruuntur, si ita præparatur animus, ut gratiæ perfectiori congruat, ut ipsi contemperetur gratia, si alioqui ille huic & hæc illi disconveniret, & resilirent invicem. Longis & molestis experimentis suæ primùm ignorantiæ ante legem, suę sub lege infirmitatis edoctus fractusque homo, jam magis congruit illabenti cœlitus gratiæ humilitatis, luci charitatis: & hęc gratia illum ita præformatum trahet, quę antè non traxisset. Nam si ęquè antè traxisset, utpote ipsa solitariè totum perficere potis, satius & humanius *consilioque medicinæ* accommodatius fuisset tantum morarum, tantum errorum & inultorum flagitiorum prævertere.

Ambrosius similiter: *Pædagogus doctor est pueri, qui utique imperfectæ ætati non potest perfecta adhibere præcepta, quæ sustinere non queat. Sciebat Deus duræ cervicis populum Judæorum, lubrico quodam infantiæ levem, & immemorem præceptorum, & ideo legem tanquam pædagogum mobili plebis ingenio & menti adhibuit infirmæ.* Quæ pluribus ibi ille prosequitur. Epist. 74.

Gregorius Papa in prædestinationis negotio secundùm Paulum advertit non aliter Deum singulis, atque universis consulere: *Sic enim intenduntur divina judicia super unam animam, sicut super unam urbem: sic super unam gentem, sicut super universam generis humani multitudinem. Quia & sic intendit Dominus singulis, ac si vacet à cunctis: & sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis. Qui enim omnia administrando implet, regit implendo: nec universis deest, cum disponit unum; nec uni deest, cum disponit universos. Cuncta scilicet naturæ suæ potentia quietus operatur.* Et idem alibi de pia attemperatione providentiæ gratiæque divinæ ad varias hominis ætates, ætatumque singularum patientiam, & de efficacia hujus congruitatis & contemperationis. *Et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem. Dum enim rudes populos Deus non aperta Spiritus prædicatione edocuit, sed figurata locutione præceptis litteræ astrinxit, adhuc infirma sapientes verborum suorum caligine, quasi pannis infantiæ obvolvit: ut mandatis grossioribus ligati crescerent, ne malè liberi in suis voluptatibus perirent. Quos ad viam justitiæ, dum non jam charitas, sed adhuc timor astringeret, divina dispensatione quasi pressit ut nutriret. Infirmus namque populus cùm præceptorum pannos nolens pertulit, ad firmiorem statum ex ipsa sua ligatione pervenit.* Omnia subinde Synagogę præcepta, sacrificia, pietatis monumenta demonstrat pueritię aptata fuisse, & ex hac contemperatione suam esse efficaciam consecuta. Moral. l. 25. c. 14. Moral. l. 28. c. 9.

Leo Magnus præmuniendam fuisse Christo viam docet, fidemque præstruendam longa Prophetarum serie,

ferie, signorum sacramentorumque & prçconum diutina prçdicatione, longa generis humani expectatione. Si fides enim, si assensio uno & imperioso & semel totum conficiente negotium omnesque eluctante difficultates adsultu extorquetur divinitus, nihil opus est tam operoso apparatu. At si persuadenda, si eblandienda est libera nostra voluntas, tum certè non frustra adhibetur tota illa veteris instrumenti vaticiniorum & signorum supellex, ut tandiu significatus, desponsus, expetitus, cupidè excipiatur. *Quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt Prophetæ, nec serò est impletum, quod semper est creditum. Sapientia verò ac benignitas Dei hac salutiferi operis mora capaciores nos suæ vocationis effecit: ut quod multis signis, multis vocibus multisque mysteriis per tot sæcula fuerat prænuntiatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum, & nativitas quæ omnia miracula omnemque intelligentiæ erat excessura mensuram, tantò constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio ejus & antiquior extitisset & crebrior.*

Serm. 3. in Nativ.

Et quod de Israelitis dictum, id & Gentilibus utcumque aptandum est. Nam & hi in statione ante legem versabantur, qua ignorantię caligine densiori obumbrabantur: & sub lege utcumque erant, tum quòd ipsi sibi erant aliquanta adhuc ex parte lex, opus legis gestantes exaratæ in cordibus, nec per peccatum penitus oblitteratæ: tum quòd subinde excitaret illis Deus seu Philosophos, seu Vates, à quibus nova quædam sapientiæ lux aspergeretur. In utraque hac illi statione suam experiebantur & cæcitatem & infirmitatem, ipsâque vi morbi quodammodo compellebantur ad supernum aliquem suspirare liberatorem, & hac malorum suorum experientia ita imbuebantur, ut hunc postea affulgentem non repudiarent. Richardus Victorinus: *Secundùm illud Aggæi, Desideratus cunctis Gentibus. Non dicit desiderandus, sed desideratus, ut intelligas in omni gente ejus desiderio aliquos aliquando flagrasse. Erat igitur ejus adventus à multis Gentilium præcognitus & ardenter desideratus. Ad hanc tamen cognitionem paulatim & per intervalla temporum ascenderant. Nam primò quidam illorum illuminati, & naturali ratione edocti, intelligebant quantis tenebris totum pene genus humanum involutum erat, &c.*

De Incarn. Verbi. c. 8.

Irenęus denique ex hac aptatione & attemperatione seu Christi seu gratiæ religat ejus efficaciam, ex quo id assequitur non supervacanea fuisse illa infantiæ & puerilis inter varios lapsus institutionis fastidia: *Quemadmodum mater potest præstare perfectam escam infanti, ille autem adhuc non potest robustiorem se percipere escam: sic & Deus ipse quidem potens fuit homini præstare perfectionem ab initio, homo autem impotens percipere illam. Infans enim fuit. Et propter hoc Dominus novissimis temporibus recapitulans in seipso omnia venit ad nos, non quomodo ipse poterat, sed quomodo nos illum videre poteramus. Ipse enim in sua inenarrabili gloria ad nos venire poterat, sed nos magnitudinem gloriæ suæ portare non poteramus.*

L. 7. c. 73. 74.

CAPUT V.

Christus incarnatione, nativitate, passione, morte, resurrectione sua, visa congrua exhibuit, ad consensum & amorem nostrum captandum vi etiam tam efficacis objecti. Potentissimè enim amorem provocat amor ante impensus, & à Deo hominem amare occupante, & hominem peccatis ærumnisque immersum, & tam impensè denique amante. Sive physicè, sive moraliter moveatur ab objectis voluntas, minus laborandum, dum moveatur validissimè, quod experimentis constat quotidianis.

IMaginem Dei animę immortali inscriptam obscurare & fœdare potuit peccatum, penitus oblitterare non potuit. Ex primigeniis ejus lineamentis supersunt residui instinctus atque amores quidam felicitatis, æternitatis, veritatis, justitiæ, pacis, tranquillitatis. Hi affectus omnes uno felicitatis amore innato continentur quodammodo, his denique affectibus ceu ponderibus fertur anima nostra, quocumque fertur. Peccato hi affectus non obtriti, sed deflexi sunt, & detorti à creatore ad creaturas, ab æternis bonis ad temporalia, à veris ad verorum inania quædam simulacra. Huic calamitati medetur Verbi Dei incarnatio, creatisque & temporalibus & sensibilibus illecebris, in quas peccando defluxeramus, & quibus solis jam ducebamur, abducit nos hinc quo prolapsi, & eo revocat unde prolapsi eramus, ad æterna & divina Veritatis oblectamenta.

Peccato in sensibilia demersi, sensibilibus tantùm afficiebamur. Itaque corporali natura, sensibilibusque sacramentis induit se sempiterna Veritas; ita se nobis contemperat, ita nostris se coaptat affectibus, ita nostræ voluntatis consensionem & amorem congruis blandimentis illicit. Quà homines eramus immortalem animum gestantes, æternitatem, veritatem, felicitatem expetebamus: quà post peccatum mancipati sensibus, hæc tanta bona in sensibilibus rebus venabamur. Ergo ut nobis usquequaque congrueret Deus Verbum, horum nobis bonorum fons, semetipsum, hoc est incorruptibilem ęternæ veritatis & justitiæ voluptatem sensibili corpore vestivit, & ita se nobis objecit. Denique affecti ita sunt homines, ut amore maximè ad amorem provocentur, & si quos amare piget, non pigeat redamare. Occupavit ergo Deus suum nobis amorem approbare, & nostrę se inserendo naturę, & pro nobis postea mortem oppetendo.

Clamant Scripturę, contestantur Patres his objectis illecebris humanas vehementissimè excitari voluntates ad amorem divinum. Manavit quidem ab incarnatione Verbi ejusdemque passione tum nostræ pretium redemptionis, tum fons omnium interioris gratię auxiliorum. Sed hæc duo beneficiorum genera hìc seponimus, & illud unum nunc quidem spectamus, quòd quà objectum est hoc tantæ charitatis sacramentum mentibus & voluntatibus nostris tangendis & commovendis, tum opportunissimum est, tum verò efficacissimum. Nec magnoperè nobis laborandum est, physicè an moraliter agant influantque objecta in voluntatem. Perinde est enim, dummodo efficaciter illas permoveant. Quotidiana verò id nos, id singulos homines docent experimenta, quàm efficax sit vis aliorum & aliorum objectorum in voluntates hominum, & quàm validè his agamur ad amorem, illis ad odium accendamur, nonnullis ad tristitiam, ad lętitiam quibusdam præcipites feramur.

Ergo Verbi incarnati nativitas, vita, mors, resurrectio, segregatis in alium locum ceteris ejus viribus, vel eo tantùm quòd intellectui & voluntati objicitur, valet mirum quantum ad amorem nostrum inflammandum, nec ullo alio objecto tantę subjicerentur faces ad amanda æterna. Si eadem enim interioris gratię motio, objecto quolibet alio conspirante, æquè permovet volumtatem ergo frustra sunt Scripturæ, ergo falluntur aut fallunt Patres, cùm Verbo ut humanam carnem indueret, id etiam causę fuisse dicunt, ut hoc stimulo, hoc inquam objecto vehementiùs ad charitatem æternorum & efficaciùs impelleremur. Non ergo una & sola motio prædeterminans gratiæ interioris amorem exprimit nostrum, & consensum extorquet infallibiliter. Eas enim vires ęquè obtineret, etsi non sese dejecisset, nec se nobis incarnatione contemperasset Deus Verbum. At si motio gratiæ urget quidem validè, non tamen infallibiliter prædeterminat ad consensum, hunc ex

parte

parte etiam extorquebunt objecta & illecebræ, idque tantò efficaciùs, quantò congruitate & contemperatione sua cum nostris affectibus plus delectabunt.

Hæc sunt Augustino *visa congrua*, quæ divinitus ad nos demissa docet, ut ad sincera cœlestis patriæ & intelligibilis fœlicitatis gaudia, unde exulabamus, noster amor redaccenderetur. *Quoniam exulavimus ab incommutabili gaudio, nec tamen inde præcisi atque abrupti sumus, ut non etiam in istis mutabilibus & temporalibus æternitatem, veritatem, beatitudinem quæreremus: nec mori enim, nec falli, nec perturbari volumus: missa sunt nobis divinitus visa congrua peregrinationi nostræ, quibus admoneremur, non hic esse quod quærimus, sed illuc ad ipsa esse redeundum, unde nisi penderemus, hic ea non quæreremus, &c. Persuadendum erat homini, quantum nos dilexerit Deus: & quales dilexerit.* Et alibi: *Quæ major causa est adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis, quia cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est? Nulla est enim major ad amorem invitatio, quàm prævenire amando, & nimis durus est animus, qui dilectionem si nolit impendere, nolit rependere. Sic ergo maximè propterea Christus advenit, ut cognosceret homo, quantum eum diligat Deus, & ideo cognosceret, ut in ejus dilectionem, à quo prior dilectus est, inardesceret.* Ex Augustino igitur non ferè ulla *major causa* fuit Verbo, ut nostra se mortalitate involveret, quàm ut amando, & tantoperè ac tales amando, hoc objecto ad amorem suum invitaret. *Proptera maximè* Christus advenit, ut amor ejus in nos, nostri in ipsum amoris illex esset & instigator. Non constat id autem, si ea motio internæ gratię, quæ præterea requiritur, pares vires retentat, utpote insuperabiles, quantulocumque objecto alio obumbrata.

De Trinit. L. 4. c. 1.

Catec. rud. c. 4.

Profiteamur ergo cum Augustino, & vel ipsi experientiæ nostrę consentiamus, his tam *congruis visis* Dei incarnati, per omnes mortalitatis nostrę ærumnas exagitati, in crucem nostra causa suffixi, in immortalem gloriam restituti, ut nos secum eodem recolligeret: his inquam tam congruis visis inesse vim incredibilem quandam afficiendi, emolliendique nostram voluntatem; nec alia ulla amoris invitamenta objici aut vel fingi usquam posse, quæ perinde ad id valetent, etsi motio interna gratię par & consimilis adesset. Idem alibi: *Poterat Dominus noster hostem humani generis sola potestate prosternere, sine incarnationis humilitate, sine certamine passionis. Sed homo qui per culpam suam incurrerat servitutem, non violentia liberandus fuit, sed misericordia redimendus. Et quia Deus æquitas & justitia est, ipse sibi lex est. Et quia homo judicii & juris sui ac liberi arbitrii præditus voluntate, qui voluntarius erat, injustum erat, ut eriperetur invictus. Æquius erat & salubrius, ut qui per superbiam à diabolo persuasus fuerat ad mortem, à Deo per humilitatem solidaretur ad vitam. Justo ergo ordine qui per calliditatem malevoli serpentis non impulsus, sed seductus fuerat ad perditionem; rursus per sapientiam benevoli Redemptoris non compellitur, sed ducitur ad salutem: ut qui cum sua voluntate corruisse videbatur, cum sua rursus voluntate repararetur, ut esset virtuti ac remunerationi locus. Non enim præripuit eum per violentiam suam, sed potius per justitiam & benevolentiam solidat & eruit ad vitam. Quia benignitas provocantis etiam meritum desiderat acquiescentis, & dignantissimi medici studium infirmi requirit assensum.*

Serm. 156. de Temp.

CAPUT VI.

Per peccatum in sensibilia delapsi, jam sensuum servituti, consuetudini, & voluptati ita eramus mancipati, ut assurgere ad spiritalem justitiæ amorem non possemus. Ideo se justitia & sapientia sempiterna Deus Verbum sensibili vestivit natura, & ea cujus amore potissimum ardebamus, nostra videlicet, ut carnali sapientiæ & justitiæ amori assentiremur priùs, ita affectus cæteros paulatim edomaremus huic repugnantes, ita demum locus fieret spiritali charitati justitiæ. Qui circuitus frustra esset, si una prædeterminans motio æquè ab exordio consensionem nostram exprimeret in spiritalem amorem.

QUo primùm peccaverat homo amore rerum sensibilium, eo deinceps peccati pœnas luebat. Amore enim perverso ut peccabat, ita subjiciebatur, quibus præesse debuerat, & imperitare. Itaque amore sensibilium peccabat, servitute amoris affectatrice pœnas dabat. Ad amorem hunc in æterna revocandum pia arte & mirabili anfractu utitur Deus, in quo argumenti satis est, ut liqueat nequaquam adhiberi ab eo omnipotentiam crudam & meram, ubi voluntatis liberæ, ubi amoris causa vertitur. Libertati enim & ingenuitati sive voluntatis sive amoris injuria fieret, si vel umbra coactionis induceretur. Impatientes jam post peccatum eramus amoris, nisi qui ad sensibilia vergeret. Omnipotenti motione poterat Deus abruptè nos hinc refigere, & in novos ac spiritalium amatores refingere. Sed abstinuit hac omnipotentiæ ostentatione. Persuasione ex blanditiis & congruitate uti maluit. Sensibili sese vestivit ipse natura, & ea inter sensibiles, cujus amantissimi eramus, nostra videlicet; huic nativitatem, vitam, mortem contexuit & condivit iis sapientiæ & justitiæ lenociniis, quæ admirationem & amorem quammaximè provocent: ita carnalis primùm amor noster carnali huic sapientæ & justitiæ & charitati facilè adglutinatur; suis nempe affectibus contemperatæ, utpote hinc propendentibus in carnem, ex peccati vestigiis, inde ex naturæ residuo quodam sapore ad justitiæ & sapientiæ admirationem declivibus. Hoc amore carnali sapientiæ & justitię per humanam carnem & vitam sese exerentis exercitamur, & paulatim convalescimus ad ejusdem amorem spiritalem, & à sensuum consuetudine defæcatum. Sic gradatim promoveri & assurgere consentimus non illibentes, qui ab amore spiritali justitiæ indubitanter resiliremus, si rudibus adhuc & inexpertis obtruderetur.

Si unica motio omnipotentis gratiæ omnia abrumpit vincula, & universos perfringit obices, supersederi poterat hoc longo mirabilique sapientiæ circuitu, tanquam otioso & supervacaneo, utpote quo seposito, tantundem virium & efficaciæ præ se ferat solitaria illa motio gratię prædeterminantis, qua spiritalis amor justitię inseritur. At verò si persuadendus est amor, si serviendum est liberę voluntatis affectibus, si suis ipsa affectibus, dum alii in alios excitantur, expugnanda est, si declinanda ejus fastidia, si captanda momenta, si prolicienda est denique ut velit sponte: tum verò artis erit & sapientiæ incomparabilis, illam inescare lenocinio sensibilis oblectamenti, quo tamen contegatur & una insinuetur justitię & sapientię pulchritudo spiritalis. Ita enim fiet, ut dum affectui suo in sensibilia projecto indulget voluntas, indulget autem luculentissimè, justitiæ & sapientiæ implicetur simul amori, à quo abhorrebat priùs, tanquam à sensibus alienissimo.

Bernardus: *Ad hoc carnem eis proposuit, ut omnem cogitatum eorum ab humanis rebus ad carnem suam* Serm. 3 de Ascens.

suam, quia & mirabilia dicebat, & mirabilia faciebat, adunaret, & sic de carne transferret ad spiritum. Illi sanctissimæ carni ejus assuefacti, verbum de discessu ejus audire non poterant, ut eos relinqueret, pro quo omnia reliquissent. Quare hoc? Quia intellectus illuminatus erat, sed nondum purgatus affectus, &c. Et ille quidem illis plorantibus elevatus in cœlum Spiritum sanctum misit, qui affectum eorum, id est voluntatem mundavit, imo potiùs alteravit, ut jam magis Dominum velint ascendisse, qui priùs detinuisse voluerant. Et alibi rursum: *Duo sunt amores, carnalis & spiritualis, ex quibus colliguntur quatuor modi diligendi: scilicet diligere carnem carnaliter, spiritum carnaliter, carnem spiritualiter, spiritum spiritualiter. In his fit quidam profectus & ascensus ab inferioribus ad superiora. Nam ut homines qui tantùm noverant diligere carnem carnaliter, ad hoc procederent, ut Deum quoque diligerent spiritualiter, Deus caro factus est, ac loquendo & conversando cum hominibus, primùm ab eis carnaliter dilectus est. Dum autem pro amicis suis animam ponere vellet, jam spiritum diligebant, sed adhuc carnaliter. Sed cùm per eandem passionem fieri mysterium redemptionis agnoscerent, in ipsa passione jam carnem spiritualiter diligebant. Resurgente autem eo, & ascendente, spiritum spiritualiter amabant.*

Bernard. in Sentent.

Et rursum idem: *Obtulit carnem sapientibus carnem, per quam discerent sapere & spiritum. In carne inquam & per carnem potenter & patenter operatus mira, locutus salubria, passus indigna, evidenter ostendit, quia ipse sit qui invisibiliter sæcula condidisset.*

In Cant. Serm. 6.

Author libelli de Vita solitaria ad Fratres de Monte Dei eosdem indigitat gratiæ gradus, *Humanam in Deo speciem cogitando, &c. In quo pauperibus spiritu, & simplicioribus filiis Dei, tanto primùm solet esse affectus dulcior, quanto humanæ naturæ propinquior. Postmodum vero, &c.*

Quam olim ex Evangelicis literis & ex ipso arcano Dominicæ Incarnationis penetrali deprompserat Augustinus doctrinam. Sic enim ille ex ipsissimis Christi verbis, & ex mysteriorum ejus serie ac saluberrima dispensatione hanc colligit argumentationem: *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram, & ego vos consolabar mea corporali præsentia exhibita humanis sensibus vestris, quam parvuli capere poteratis. Nunc autem vado ad eum qui me misit. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum, &c. Id quod in Christo exterius videbant, amittere metuebant; & quia se amissuros illum vera denunciantem dubitare non poterant, contristabatur humanus affectus, quia carnalis desolabatur aspectus. Noverat autem ille quid eis expediret, quia visus interior, ipse est utique melior, quo eos consolaturus Spiritus sanctus, non cernentium corporibus ingesturus corpus humanum, sed seipsum credentium pectoribus insufurus. Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Tanquam diceret, Expedit vobis, ut hæc forma servi auferatur à vobis. Caro quidem factum Verbum habito in vobis, sed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti, semper infantes esse cupiatis. Si alimenta tenera, quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis. Si carni carnaliter hæseritis, capaces Spiritus non eritis.* Ergo amor ille carnalis in Christum corporaliter obversantem, lactis instar suam habebat ex congruitate efficaciam. Eo ut infantiæ alimento consentaneo alebantur parvuli in Christo, qui cibi adhuc impatientes erant, qui cibum solidum, utpote inspiratam justitiæ spiritalis dilectionem & delectationem, eo respuissent, quo incongruam, ideoque inefficacem. Ubi autem per Spiritus sancti pleniorem illapsum infundenda illis fuit spiritalis dilectio, & delectatio justitiæ, eccur ante necesse fuit summoveri præsentiam Christi carnalem? An non erat infallibiliter efficax, victrixque illa gratia? Erat prorsus, sed hinc etiam illi pars suæ aliqua efficaciæ accedit, quòd non invitamenta tantùm multa admoventur, sed abducuntur etiam avocamenta. Ita subducitur ab eorum oculis caro Christi, ut hac carnali amoris illecebra orbati, faciliùs assentirentur meras degustare delicias spiritalis charitatis.

In Joan. Tr. 94.

Chrysologus non discessit ab eadem sententia: *Ubi humana corda flamma divinæ charitatis accendit, & humanis sensibus amoris Dei tota se infudit ebrietas, saucia mente cœperunt Deum carnalibus velle oculis intueri. Deum quem mundus non capit, quomodo angustus capere poterit humanus aspectus? Amor non accipit de impossibilitate solatium &c. Sciens ergo Deus visendi se desiderio cruciari, lassarique mortales, unde se visibilem faceret, hoc elegit, &c.* Serm. 145.

Fulgentius autem in hunc modum Augustinum sequutus, Christi verba interpretatur: *Non potest ille venire, nisi ego abiero. Tanquam diceret, Quandiu circa meam carnem occupatus est vester carnalis affectus, tandiu meam divinitatem non suscipit vester spiritalis obtutus.* Itaque tametsi efficacissima foret illa gratia Spiritus sancti in discipulos exundantis in die Pentecostes, non illi tamen consentanei, non consentientes fuissent Apostoli, nisi caro Christi cui carnaliter inhæserant, avecta ab eorum conspectu, & in cœlos recepta fuisset. Ita enim illa Joannis verba Augustinus, Fulgentius, Bernardus aliique Patres interpretantur, *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Itaque carnalibus primùm congruebat hæc Verbi caro, ut carnalem eorum amorem in se primum defigeret, refigeretque à criminosis cupiditatibus; ita ille efficax erat tum, quia congruus & contemperatus. Postmodum verò cum eo lacte adolevisset spiritalis quidam vigor in Apostolis, & spiritali jam amore justitiæ informandi essent, incongruus, adeoque inefficax erat carnis aspectus; eo autem subducto jam congruebat & delectabat justitiæ amor spiritalis, ideoque efficax erat. Serm. 1. de Pentec.

Gregorius Magnus in eandem sententiam: *Si ego non abiero, Paraclitus non veniet. Ac si apertè diceret, Si ab intentionis vestræ oculis corpus non subtraho, ad intellectum vos invisibilem per consolatorem Spiritum non perduco.* Paucis verbis tota hæc argumentatio constringitur. Moral. l. 8. c. 11.

Ex eodem autem indulgentiæ & contemperationis fonte profluunt & alia oppidò quàm multa argumenta, quæ in idem vergant. Ecquid enim per sanctorum hominum admirationem & amorem ad divinæ sanctitatis charitatem introducimur, nisi quia ita congruit nostræ infirmitati, propioribus assentienti, refugienti altiora, & ex hac congruitate, ex hoc dispensationis circuitu existit efficacia gratiæ ad Deum nos perducentis? *Quia ergo carnales homines sumus, cum superna appetere nitimur, quasi in cœlum oculos levamus. Sed quia transire intellectus noster ad divina non sinitur, nisi priùs per Sanctorum præcedentium exempla formetur, quasi jam cœlum noster oculus suspicit, sed nubes videt: quia comprehendere ea quæ Dei sunt appetit, sed vix mirari ea quæ hominibus collata sunt potest. Unde & aliàs dicitur, Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Moral. l. 27. c. 5.

Ideo & Apostoli & verbi divini præcones etsi divina ipsi contemplari & amore complecti soleant puro & spiritali: populis tamen in sensus & sensibilia dejectis, sola plerumque carnis Christi mysteria objiciunt, ut accommodata eorum patientiæ, eoque efficaciora. Idem Gregorius: *Audivit Paulus arcana verba, quæ non licet homini loqui. Interna ergo quamvis minima & extrema videantur, fortibus tamen Prædicatoribus summa sunt, infirmis vero auditoribus incapabilia. Unde & Prædicatores* Ibid. l. 31. c. 20. 21.

san-

sancti cùm auditores suos divinitatis verbum capere non posse conspiciunt, ad sola incarnationis Dominicæ verba descendunt. Hinc Paulus, Non enim judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Acsi hæc aquila diceret, Ego quidem escam meam divinitatis ejus potentiam de longe prospicio, sed vobis adhuc parvulis incarnationis ejus solummodo sanguinem lambendum trado.

Huc illud quoque pertinet, quòd ad auditorum fidem & pietatem excitandam, non debeant illis instillare rerum spiritalium magistri, nisi quæ eorum ætati & viribus sint accommodata. Etsi enim nec facillima possint Christianæ pietatis placita inseminari aut inhærere, nisi per divinæ gratię adjutorium: etsi eodem adjutorio gratiæ possint difficillima quæque & maximè ardua in animos descendere: quia tamen nonnisi ex congruitate quadam sua & coaptatione effectum & efficaciam gratia consequitur, ideo cujusque ingenio & modo admetienda est doctrina salutaris. *Curaverunt summoperè Apostoli rudibus populis plana & capabilia, non summa atque ardua prædicare. Nam si scientiam sanctam ut hauriebant corde, ita ore funderent, immensitate ejus auditores suos opprimerent potiùs quàm rigarent.* (Moral. l. 17. c. 14.)

Notavit & Bernardus, vel seipsum etiam quandoque magis affici & commoveri sanctorum hominum sive aspectu, sive afflatu, sive recordatione, quàm divinæ contemplatione legis & pulchritudinis. Infirmitati enim hujus vitæ sensibus adhuc implicatæ magis consentiunt, & blandiuntur suaviùs propiora hæc sensibus lenocinia, & ita per hęc conciliatur gratiæ divinę plusculum efficaciæ. *Frequenter ego ipse corde durus & frigidus, &c. Languebat & tædebat anima mea, &c. Cùm subitò fortè ad afflatum vel etiam aspectum cujuspiam spiritalis perfectique viri, interdum ad solam defuncti vel absentis memoriam stabat spiritus, & fluebant aquæ, &c. Pudet magis ad hominis, quàm ad Dei moveri memoriam. Existimo & aliquos vestrum idem esse expertos, & experiri interdum adhuc.* (In Cant. Serm. 14.)

Plura id genus contexi possent, sed ab uno capite religata sunt omnia, & in idem unum revocantur, quòd nimirum, ut infirmatæ & sensibilibus rebus mancipatæ voluntatis assensio impetretur, necesse sit ei contemperari & congruere objecta omnia fidei & pietatis; ex hac enim congruitate & concinentia manat efficacitas. Quod de objectis porro quæ foris obversantur, idem de inspirationibus quæ irrorantur intrinsecùs sentiendum est. Et hæ enim plerumque objectis ipsis consentiunt, & perinde consentaneum est concinere & convenire animæ affectibus internas inspirationes atque exteriores illecebras, ut ejus consensus illiciatur.

Effugerat penè nos Pseudo-Cypriani locus egregius, quo confimentur antedicta de Christi carne: *Ad hoc dilata est ascensionis gloria, ut sub hoc dierum interstitio præcedens doctrina affectibus firmaretur: imò ut discipulorum desideria recessionem ejus corporalem ambirent. Quia spiritualis præsentiæ plenitudo, quandiu conspectus carnis præsens aderat, adventare non poterat: & paulatim in hoc conducti sunt, ut libenter consuetudine convictus assueti carerent, cùm inhabitator Spiritus sanctus eorum animas possidens, invisibili accessu sinceriores eis affectus infunderet, & aperiret interiores oculos ad intuendum intellectu puro Patrem luminum.* (Serm. de Ascens. Chr.) Ubi vides quàm congruè & dispensatoriè suam in ipsos Apostolos efficaciam gratia exeruerit. Primùm enim carnales animos carnali Verbi præsentia inescavit & constrinxit, ut hoc amore carnali superarentur & ejicerentur alii affectus omnes pietati & fidei adversantes. Deinde ut assentirentur carnis divinæ conspectu carere, non statim hanc subduxit, sed excitatam à mortuis rariùs exhibuit, ut paulatim ea privari insuescerent. Hoc igitur interstitio temporis, & fidem de resurrectione sua roborabat Christus, sæpiùs illos intervisendo: & ad spiritalem veritatis & sapientiæ intuitum paulatim illos informabat, carnem suam subducendo. Denique gradatim quidem, sed eò demum illos provexit, ut carnis præsentia fraudari gauderent, quò tantò uberiùs spiritalis justitię & sanctitatis luce fruerentur. Quæ omnia penè ludificatoria essent, si ubique assensum voluntatis liberæ extunderet una prædeterminans seu motio seu delectatio perinde efficacissima, etsi omnes illæ objectorum illecebræ & temporum, locorum rerumque congruentes circumstantiæ sejungerentur.

CAPUT VII.

Continuatur idem argumentum, & exporrigitur ad alium carnalem Dei amorem, quo anima suæ utilitatis gratia Deum amat, & ita gradatim crescit, ut Deum propter seipsum aliquando castè possit, diligere. Qui anfractus rursum supervacaneus foret, si consensum in amorem castum unus extorqueret impulsus motionis unius vel delectationis victricis & omnipotentis. Eodem pertinet distributio in servos, mercenarios, & liberos, à sanctis Patribus celebratissima.

Finitima hæc superiori est argumentatio, & ex eodem Bernardo hausta. Nostræ enim in Deum charitati gradus aliquos valdè dejectos infimosque aptat ille, substernitque, ut tantò libentiùs illis se committat voluntas humana in imo jacens; & amori sui suisque utilitatibus devinctissima, his penè gradibus ad Dei charitatem sustollatur. Ita prorsus per ipsas suas cupiditates ad cœlestem amorem Deus nescientes nos suavissimè & sapientissimè, eoque potentissimè inducit. Audiamus Bernardum: *Oportet Deum diligi priùs, ut possit in Deo diligi & proximus. Facit ergo etiam se diligi Deus, qui & cætera bona facit. Facit autem sic. Qui naturam condidit, ipse & protegit. Nam & ita condita fuit, ut habeat jugiter necessarium protectorem, quem habuit & conditorem: ut quæ non valuit nisi per ipsum esse, nec sine ipso valeat omnino subsistere. Quod ne sanè de seipsa creatura ignoret, ac ne sibi superbè arroget beneficia Creatoris, vult hominum idem conditor, alto salubrique consilio, tribulationibus exerceri: ut cùm defecerit homo, & subvenerit Deus, dum homo liberatur à Deo, Deus ab homine, ut dignum est, honoretur. Fit itaque hoc tali modo, ut homo animalis & carnalis, qui præter se neminem diligere noverat, etiam Deum vel propter se amare incipiat: quod in ipso nimirum ut sæpè expertus est, omnia possit, quæ tamen posse prosit, & sine ipso possit nihil. Amat ergo jam Deum, sed propter se interim adhuc, non propter ipsum. Est tamen quædam prudentia, scire quid ex te, quid ex Dei adjutorio possis, & ipsi te servare inoffensum, qui te tibi servat illæsum. At si frequens ingruerit tribulatio, ob quam & frequens in Deum conversio fiat, & à Deo æquè frequens liberatio consequatur; nonne etsi fuerit ferreum pectus, vel cor lapideum toties liberati, emolliri necesse est ad gratiam liberantis, quatenus homo Deum diligat non propter se tantùm, sed & propter ipsum? Ex occasione quippe frequentium necessitatum, crebris necesse est precationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari, quàm suavis est Dominus. Ita fit ut ad diligendum purè Deum, plus jam ipsius gustata alliciat suavitas, quàm urgeat nostra necessitas.* (De diligen. Deo, c. 8.)

Carnalis & iste alterius generis amor hominis est in Deum, castæ & spiritalis charitatis præsultor quidam. Eccur ergo homo in spiritalem Dei charitatem à cupiditate sui vesana pertrahendus, non statim mera puraque perfunditur illa dilectione & delectatione justitiæ victrici, aut motione efficacissima;

ma; sed circumducitur tam sinuoso deflexu; nisi quia facilè non consentiret homo illi spiritali dilectioni, vel ad eam motioni, carnalis adhuc & terrenus? Sed facillimè idem, & ex amore sui ipsius adducitur, ut consentiat amare Deum, à quo tantarum totque tribulationum laqueis extricatur. *Fit hoc tali modo, ut homo carnalis, qui præter se neminem diligere noverat, vel propter se amare Deum incipiat, toties expertus*, nec suum sui ipsius amorem illæsum constare posse, nisi & eum amet, qui tam crebra & manifesta pericula ab ejus cervicibus propulsat. Ita fit ut homo primùm diligat Deum, non propter Deum, sed propter seipsum hominem: non quòd id ad adjutorium efficacius alioqui fit, sed quòd homo carnalis & sui diligens, lubentior illi assentiatur, utpote ad assentiendum vel ipso sui amore incitatus. Ita vel cupiditatibus, vel naturalibus nostris affectibus Deus utitur, ad illas finiendas, ad hos consecrandos. Nam ex occasione frequentium tribulationum, quibus cogitur homo Deum liberatorem frequentare & invocare, fit paulatim ut suavitatem sui liberatoris frequentiùs degustans, hanc ipsam suavitatem & liberalitatem castiùs amare incipiat propter seipsam. Itaque ubi carnaliter & suę utilitatis ergo Deum aliquandiu dilexerit, bonitatis deinceps divinę suavitatem sæpiùs inspiratam & diu expertus, in hujus tandem dilectionem castam consentit: à qua alienus prorsus fuisset, si repentè fuisset ingesta. Authore & teste Bernardo *facit* Deus, & efficacissimè facit, ut purè & castè diligatur; sed eodem interprete, imò eodem Scripturas omnes ita interpretante, in hunc modum id facit, hanc efficaciam invictissimam gratiæ suæ vindicat, non una tantùm & simplici atque indiscreta sive motione, sive delectatione, sed varia & mirabili multiplicique arte sapientiæ. Eo enim amore quo seipsum homo naturaliter diligit, commilitone & suffragatore primùm utitur, ut Deus saltem propter hominem diligatur, tanquam frequentium tribulationum certus & potens propulsator. Deinde hoc amore Dei carnali rursum utitur, ut Deum orare, frequentare, gustare homo consuescat, gustando tantam suavitatem tandem Deum propter Deum diligat.

De diligen. Deo. c. ult. & Epist. 11. Et rursus idem Bernardus: *Quia carnales sumus, & de carnis concupiscentia nascimur, necesse est ut cupiditas nostra, vel amor noster à carne incipiat: quæ si recto ordine dirigatur, quibusdam suis gradibus duce gratia proficiens, spiritu tandem consummabitur. Quia non prius quod spiritale, sed quod animale, deinde quod spiritale. Et prius necesse est portemus imaginem terreni, deinde cœlestis. In primis ergo diligit homo seipsum propter se. Caro quippe est, & nihil sapere valet præter se. Cumque se videt per se non posse subsistere, Deum quasi sibi necessarium incipit per fidem inquirere & diligere. Diligit itaque in secundo gradu Deum, sed propter se, non propter ipsum. At verò cum ipsum cœperit occasione propriæ utilitatis colere, & frequentare, cogitando, orando, legendo, obediendo, quadam hujuscemodi familiaritate paulatim sensimque Deus innotescit, consequenter & dulcescit. Et sic gustato quàm suavis est Dominus, transit ad tertium gradum, ut diligat Deum non jam propter se, sed propter ipsum. Sanè in hoc gradu diu statur, & nescio si à quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantum propter Deum. Asserant hoc siqui experti sunt, mihi fateor, impossibile videtur. Erit autem proculdubio, cum introductus fuerit servus bonus & fidelis in gaudium Domini sui, & inebriatus ab ubertate domus Dei. Quasi enim miro quodam modo oblitus sui, & à se penitus velut deficiens, totus pergit in Deum.* Amori Dei propter Deum refragatur vehementer amor sui innatus homini, & peccati consuetudine adultus. Amori Dei propter hominem, qui suo inter tot angustias sospitatori gratuletur, non multum refragatur, quin etiam obsecundat & favet quodammodo idem amor sui ingenitus. Ergo carni immersus homo illum amorem repudiat, huic libens consentit; illum ut suo affectui adversantem respuit, huic ut sibi cōgruenti adglutinatur.

Sed præterea illud quæro quid causæ sit, quamobrem homo in hac mortali vita vix ac ne vix quidem possit ad amorem Dei tam liquidum & tam defæcatum pertingere, ut non tantùm Deum diligat propter Deum, & seipsum quoque diligat propter Deum, sed nonnisi propter Deum diligat seipsum. Nempe non potest tantoperè *sui oblivisci, & à se penitus veluti deficere, & totus pergere in Deum*. Nec inopia gratiæ id non potest, sed quia & lassescit aliquantulum, ne totus pergat in Deum, & amore sui furtivo semper ægrescit, ne consentiat seipsum penitus ejurare. Nam etsi amorem sui aliquando stirpitus eradicare, & fibras ejus omnes elidere contendat, vel hic ipse conatus obliquè in amorem sui & utilitatem privatam deflectitur. In omnem enim & Dei & sui propter Deum amorem ubi consentit voluntas, potest amor sui innatus silere, & clam tacitusque consentire ac conspirare, quasi sibi etiam consulatur. Ergo in hunc voluntas consentire adducitur, vel suffragante, vel minus refragante amore sui: & ita cum vita ista mortali comparatum est. At ut ne seipsum quidem homo diligat nisi propter Deum, in id suffragari, in id non vehementer refragari non potest amor sui, cùm eo totus omnino exteratur & inaniatur. Quocirca ea amoris divini & sui castitas atque perfectio, beatæ immortalitatis magis propria est.

Cautè porro & diligenter Bernardus admonuit, *necesse esse ut cupiditas nostra, vel amor noster à carne incipiat*. Duo hæc enim utique secernenda sunt accuratissimè, *cupiditas* & *amor*; illa à vitio est, hic à natura: illa ex peccato propagata est, hic ab authore naturæ inseminatus: illam enormitas semper aliqua comitatur, hic intra modum se cohibet, & propriæ tantùm studet incolumitati. Ubi ergo ad diligendum primo carnaliter Deum conspirare dicitur à Bernardo amor sui, non cupiditas vitiosa, sed hic amor simplex & innoxius ab eo commendatur. Cùm enim quatuor amoris gradus constitueret, quorum tres tantis ab eo laudibus extolluntur, non iis illum consociasset, qui tota turpitudine cupiditatum dehonestaretur.

Idem amoris per quatuor gradus eosdem progressus ab Hugone quoque Victorino approbatus est: *Quatuor sunt genera dilectionis. In primo amat se homo propter seipsum. In secundo propter se Deum. In tertio Deum propter Deum. In quarto se propter Deum. Primus modus servorum & carnalis est, de quo dicitur, Nemo unquam carnem suam odio habuit. Secundus animalis & mercenariorum, de quo, Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Tertius spiritalis & filiorum, de quo, Confitemini Domino, quoniam bonus. Quartus intellectualis & Angelorum, de quo, Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Miscell. l. 1 par. 4. c. 99. seu Tom. 3. pag. 300.

Quadripartitæ huic ut vides amoris progressioni illigavit Hugo tripartitam illam ejusdem distributionem, quam amplexati sunt plerique ex majorum gentium Patribus Græcis & Latinis, solemni constituto discrimine inter servos, mercenarios, filios, quos ad Dei mandata stimulat timor ghennæ, spes præmii, charitas Patris. Alienati quippe à vita & justitia Dei homines, non continuò ad dilectionem Dei castam & infucatam adducuntur, resilirent enim. Sed iis affectibus velut habenis circumducuntur, quibus occupati jam sunt, ex sui ipsorum amore scatentibus, & his affectibus ita circumaguntur, ut illis ipsis spolientur tandem non illibentes. Amore enim sui perfusi, facillimè persuadentur timere pœnam, maximè verò acerbissimam omnium & sempiternam. Cùm verò eo timore desuescunt ab impietate, & pietatis operibus mentem advertunt, facilè adducuntur præmia sperare, potis-

potiſſimum maxima & æterna. Denique dum ſpe ſempiternæ felicitatis inſueſcunt magis magiſque juſtitiæ ſectandæ, & vincula illicitarum cupiditatum abrumpunt, tum verò ſi pura & ſincera illis inſtilletur cœlitus delectatio dilectioque juſtitiæ propter ſeipſam, huic tunc lubentiſſimè animum conſenſumque inclinabunt. Conſultiſſima eſt hæc univerſa curationis noſtræ inſtitutio, atque progreſſio, ſi pedetentim demulcenda & cicuranda eſt voluntas, rerumque congruitatibus & illecebris captanda, ut conſentiat, velitque ſanati. At ſi uno impetu motionis ſeu delectationis omnipotentis & prædeterminantis omnia profligantur, otioſa videbitur & ad fucum faciendum comparata tota illa circunductio.

Strom. l.7. Clemens Alexandrinus de viris caſtiſſima Dei charitate flagrantibus: *Neque ergo majorum metu minora tolerant, ut reliqui: neque timentes ne vituperentur ab iis qui ſunt ejuſdem loci & ſententiæ, in confeſſione perſiſtunt vocationis; ſed propter ſuam in Deum charitatem, lubentes parent vocationi, nullum alium ſibi ſcopum proponentes, niſi ut Deo placeant, non autem propter præmia laborum. Nam alii quidem propter gloriæ cupiditatem, alii verò quod vitent aliud gravius ſupplicium, alii verò propter quaſdam lætitias & voluptates poſt mortem futuras, patiuntur: pueri ſanè in fide, pueri quidem, ſed qui nondum ſunt viri, in ea quæ eſt erga Deum charitate, ſicut is qui eſt cognitione præditus. Sunt enim, ſunt quemadmodum in gymnicis certaminibus, ſic etiam in Eccleſia coronæ virorum & puerorum. Charitas autem ipſa propter ſe eſt eligenda, & expetenda, non propter aliquid aliud.* Sed qui in virilem maturitatem excrevit, ex cruda quadam illuc erepſit pueritia, & ipſo infantiæ lacte convaluit adolevitque in eam perfectionem roboris. Ita & ad charitatem perducimur timoris & ſpei quodam lacte, & quaſi pueritiæ blandimento. Unde idem mox: *Ita ergo etiam in fide aut propter promiſſionem, aut propter Dei metum ſe nonnulli continent. Et eſt quidem fundamentum cognitionis talis continentia, & quædam ad id quod eſt melius deductio, & ad id quod eſt perfectum incitatio. Initium enim ſapientiæ, inquit, eſt timor Domini. Qui eſt autem perfectus, propter charitatem omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, non ut homini placens, ſed Deo.*

Ergo quia gratia Dei & motio, invitat & inclinat, & perſæpè reſpuitur, & irrita cadit, non autem infallibiliter & omnipotenter quolibet impulſu prædeterminat, ut nunquam effectu ſuo fruſtretur: ideò voluntati liberæ ſervit, & congruit, & blanditur ejus affectibus, & aucupatur rimas veluti quaſdam quibus ſe inſinuet: & timore primùm eam tentat, quod formidini gehennæ minùs reluctetur privatus ſui amor; inde ſpe ſollicitat, quod & ab iſta minùs idem abhorreat, & ubi à peccati oblectamentis revulſit hac arte hominum, tunc oblectationum qualiumcumque amatorem animum non ægrè inflectit ad cœleſtibus conſentiendum caſtæ charitatis deliciis, quando eæ jam ſolæ ſuperſunt, prioribus illis omnibus abdicatis.

Orat. 3. Audi rurſum Nazianzenum: *Chriſtianis jucundius eſt pietatis cauſa pati, etiamſi id nemo reſciturus ſit, quàm aliis cum pietate florere, atque in gloria verſari. Hominibus quippe placere parum admodum curamus, id unum expetentes, ut honorem à Deo conſequamur. Imo ſublimiùs etiam aſſurgimus, de iis loquor qui verè Philoſophi, veroque Dei amore præditi ſunt. Quippe qui ſummo bono conjungi propter ipſum ſummum bonum exoptantes, non autem propter honores in altero ævo reconditos. Secundus hic enim honeſtorum & laudabilium virorum gradus eſt, pretio ac mercede aliquid facere. Quemadmodum in tertia claſſe collocandi ſunt, qui pœnæ metu à maleficio & ſcelere deterrentur.* Quod ipſum & alibi tradit.

Baſilius autem in Prœmio ad Regulas fuſiùs diſputatas: *Tripartitam prorſus hanc ego ſummam Deo parendi neceſſitatem animadverto. Nam aut metu ſupplicii à vitiis declinamus, atque ita animum ſervilem induimus. Aut mercedis ſpe ducti, ad utilitatem noſtram præceptorum obſervationem inferimus, atque hoc modo mercenariis efficimur ſimiles; aut certè honeſtate ipſa impulſi charitateque, quam erga ipſum habemus à quo legem accepimus, & filiorum erga parentes ſuos animum imitamur.* Orat. 40. Hæc eadem vehicula ad ſummum charitatis & perfectionis culmen enumerant Nyſſenus, Chryſoſtomus, aliique Patres. Regia hæc enim omnibus viſa eſt via, qua perveniatur ad apicem ſeu Philoſophiæ, ut Nazianz. ſeu cognitionis, aut contemplationis, ut Clemens Alexandrinus loquitur.

CAPUT VIII.

Parabola filii paterna bona obligurientis, docet nos Chriſtus, peccatores omnes ærumnis, infortuniis, ignominia compelli, ut ad Deum ſe recipiant. Exordia hæc pœnitentiæ parum caſta illa quidem ſunt, ſervorum videlicet, aut mercenariorum ingenium redolentia, ſed accommodata præſentibus animi affectibus, eoque efficacia. Iis autem ſemel avulſi à peccandi conſuetudine, aſſueſcunt paulatim deguſtare juſtitiæ ſuavitatem, eaque una deinceps delectari, à qua prius abhorrebant.

SCripturarum oracula in noſtræ ſententiæ patrocinium aucupamur, non tam ſingulos rimando locos, quàm corpus ipſum excutiendo utriuſque Teſtamenti, & ubique ſparſas conſectando divinæ ſapientiæ venas. Nam toto vetere inſtrumento illud ubique eminet, per proſperorum & adverſorum ſapientiſſimam & omnipotentiſſimam diſpenſationem, edomari & frangi hominum contumaciam, & ad divinarum legum obſequium inflecti. Toto rurſus inſtrumento novo illud emicat ſplendidiſſimè, ad amorem ſui nos Deum ineſcaviſſe aſſumptæ carnis illecebra & teneritudine, eoque collimare admirabilem Chriſti myſteriorum contextionem, ut carnali primùm amore initiaremur juſtitiæ, & gradatim ad ſpiritalem amorem excitaremur. Utriuſque Teſtamenti paginis dilucet in procuranda hominum ſalute hanc artem & ſapientiam à Deo ſemper adhibitam, ut illos primùm admoveret illis ſtimulos, qui eorum tum ingenio & affectibus congruerent, adeoque quibus faciliorem aſſenſum eſſent accommodaturi, utputa, diligendi Dei propter ſeipſos, formidandæ pœnæ, ſperandæ mercedis. Univerſum iſta in utriuſque Teſtamenti paginis dominantur.

Nunc verò ex Euangelio Lucæ ſingularem locum decerpimus, quo & peccatoris, dum prolabitur, & gratiæ, dum illum excitat, greſſus omnes & veſtigia attinguntur. Gratiæ quidem omnipotentis, qua peccator convertitur, non unus niſus, ſed Cap. 15. longa & operoſa molitio hìc deſcribitur. Peccator enim à Deo & Patre ſeceſſionem faciens, non multò pòſt pauperie, fame, nuditate, pudore, ærumnarumque longa ſerie conflictatur. His pœnis inſtimulatur, ut ad Patrem ſe recipiat, & pœnarum metu ſenſuque efficaciùs urgetur, quàm meri amoris vi. Etenim quem amor à Patre divelli non potuit arcere, illum ad Patrem idem non continuò revocabit, ut non ſolus revocabit. At ubi propria illum & acerbiſſima docuerit experientia, his calamitatibus emergere ſe non poſſe, niſi Patri ſe recolligat, tum ille indubiè aſſentietur & effugere has pœnas, quod ſervi eſt, & in paterna domo vitam agere ſuaviorem, quod mercenarii. Denique in gratiam cum Patre redit, & tunc amore caſto flagrare incipit. Hujus gratiæ efficaciam ſi ſedulo & ſepo-

sepositis præjudiciis expendas, certò comperies eam & ab illa profectam esse calamitatum mole, quæ in peccantem incubuit; &, ab ea rursum fluxisse misericordiæ providentia, quæ primò metu pœnæ, tum spe præmii illexit, & ita paulatim mansuefecit, ut ad amorem filialem revocaretur.

In Ps. 118. Hæc Augustinus omnia in Euangelica illa parabola exculpsit: *Post laborem, & trituram, & tribulationem, & egestatem, venit illi in mentem pater & voluit redire, & sic ait, Surgam, & ibo ad patrem meum, &c. Sedi in egestate, surrexi in desiderio patris mei, &c. Semitam malam ambulaverat ut patrem desereret, quasi occultus esse posset ab oculis vindicantis. Aut verò in illa egestate contereretur, aut porcos pascere poneretur, nisi pater vellet flagellare longinquum, ut reciperet propinquum, &c. Permisisti me in labore ire vias meas, ut si nollem laborare, redirem ad vias tuas. Discessi à te, cum quo mihi bene erat, & bono meo malè mihi fuit sine te. Nam si bene mihi esset sine te, nullus forsitan redirem ad te, &c. Gratias illi qui me quæsivit fugitivum, qui terga mea flagelli plaga percussit, qui me vocando ab interitu revocavit, &c. Non nos sinit Dominus impunita habere peccata, flagellat nos in istis laboribus, & erudit nos. Tota ista miseria generis humani, in qua gemit mundus, dolor medicinalis est, non sententia pœnalis. Videtis quia dolor ubique, ubique metus, ubique necessitas, ubique labores. Crescit avaritia, sed in malis. Si ad hoc Deus hìc talibus flagellis erudit nos, ut non tenebrentur tenebræ nostræ, agnoscamus nos sub pœna flagelli esse, & benedicamus Deum miscentem jam amaritudines dulcedini vitæ temporalis, ne temporalium deliciarum delectatione cæcati, non desideremus delicias æternas.*

De verb. Dom. serm. 14. Quod ipsum breviùs alibi habet in hæc verba: *Bene tibi velles ut esset, recedenti ab illo bono? Prorsus dicit tibi Deus, Si recedis à me, & bene est tibi, ego non sum bonum tuum. Proinde si ille bonus, & nullo alieno bono bonus, & nostrum summum bonum, ipse recedendo inde, quid, quid eris nisi malus? Item si ipse est beatitudo nostra, quid erit recedenti, nisi miseria? Redi ergo post miseriam, & dic, Domine, quis similis tibi? Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas? sed disciplinæ fuit admonitio, non desertio.*

In Evang. Hom. 36. Ejusdem gratiæ peccatorum emendatricis certissimæ rationes & artes ex eadem parabola perscrutatus est Gregorius: *Hos elegit Deus, quos despicit mundus, Quia plerumque ipsa despectio hominem revocat ad seipsum. Is enim qui patrem reliquit, & partem substantiæ quam perceperat, prodigè expendit, postquam esurire cœpit, in se reversus dixit, Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus? Longè quippe à se discesserat, quando peccabat. Et si non esurisset, in semetipsum minimè rediisset; quia postquam terrenis rebus indiguit, tunc cogitare cœpit quid de spiritualibus amisit.*

Tom. 1. Prolixè & Hieronymus hanc parabolam Damaso interpretatus est in eundem sensum. Nec ab his dissentit Chrysologus: *Et adhæsit uni regionis illius, & misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Sic invenit, qui se negat patri, qui se committit extraneo; ut sentiat severum judicem, qui fugit indulgentissimum provisorem. Affectionis desertor, pietatis refuga, porcorum traditur servituti, ut sentiat quàm miserum sit, amarum quam sit, quietis paternæ beatitudinem perdidisse.* Et infrà: *Fames revocat, quem saturitas exularat. Fames illi dedit patrem sapere, cui copia tulerat sentire genitorem.*

CAPUT IX.

Antedicta firmantur exemplo Pauli, quem Christus coegit, cui vim fecit, quem cæcitate compulit ad Ecclesiam. Hæc enim omnia frequens inculcavit Augustinus, ad efficaciam gratiæ demonstrandam. In ejusmodi exemplis affectus alii aliis perfringuntur, & ita vim sibi affert homo ipse.

TAmetsi nihil dubitationis residere patiantur, quæ hactenus ex Scripturis congessimus in rem istam documenta: non abs re tamen erit & præsidii & lucis aliquod accersere ab exemplo, in quo expressa conspiciantur & explicata omnia gratiæ efficacissimæ machinamenta. Est enim exemplorum ad persuadendum vis maxima & authoritas. Ecquod autem insignius gratiæ ad peccatorum conversionem omnipotentissimæ exemplum, ipsa Pauli conversione, qui ut gratiæ divinæ amplitudinem, vim, potestatem toto orbe & in omnia deinceps sæcula celebraret, eam in seipso primùm totam expertus est minantem, sævientem, blandientem, delectantem? Si Scripturæ, si Paulo autem accesserit interpres Augustinus in hoc retegendo gratiæ arcano, non poterit in his quisquam posthac ullo dubitationis scrupulo agi.

Profitetur statim Augustinus *magnam & efficacissimam* hanc extitisse vocationis gratiam, qua ex Saulo Paulus redditus est. *Ut de cœlo vocaretur, & tam magna & efficacissima conversione converteretur, gratia Dei erat sola, quia merita ejus erant magna, sed mala.* At alibi aperit unde huic gratiæ tantum accesserit virium & efficaciæ: *Quàm rabida voluntas, quàm furiosa, quàm cæca! Qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa & voluntas, refracta sævitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidem, repentè ex Euangelii mirabili persecutore mirabilior Prædicator effectus est.* Præmiserat autem idem paulò antè: *Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest.* Ergo illa gratia eò fuit efficacissima, quòd *occurrerit tale visum*, quo repercuteretur & refringeretur ejus contumacia. Id autem fuit vox Christi terrifica, qua prostratus est, conspectus ipse majestatis Christi fulgurantis, quo consternatus, lux è cœlo effusa & circumfusa, qua excæcatus: certa pernicies, certa desperatio & impossibilitas, si adversùs tantam veritatis omnipotentiam certare contenderet. *Audivit vocem Domini nostri Jesu Christi, jam in cœlo sedentis, &c. Horruit Apostolus, percussus & prostratus, erectus & instructus. Factum est in illo, Ego percutiam, & ego sanabo*, ut ait idem alibi Augustinus.

De grat. & lib. arb. c. 5.

L. 1. ad Simplic. q. 2. sub fin.

De verbis Apost. serm. 14.

Nusquam opportunior locus vestigandæ propagandæque ejus efficaciæ, qua gratia peccatores à furore revocat, & justitiæ reddit. Rem gestam narrant Scripturæ, Pauli conversio commemoratur, Augustinus interpres adest & disceptator; & quidem in illis etiam commentariis suis, quos de gratia divina elucubravit. Atqui perspicuè Augustinus efficaciam hinc derivat, id enim jubebat, id extorquebat Scriptura, quòd tale visum occurrerit, quòd Christi voce terrente, luce fulgurante, majestate intolerabili perculsus, prostratus, excæcatus, consternatus sit. Non defuit utique motio simul interior, qua cessante frustra strepitus ille omnis circumsonaret. Sed si omnia essent in illa una motione voluntatem prædeterminante, & omninò prædeterminatura, etsi toto illo apparatu supersederetur, esset quod de Augustino, esset & quod de Scriptura forsan conquereremur, quòd strepitum nescio quem supervacaneum consectarentur & magnifacerent, rei porrò ipsius medullam & vim tacitam præterirent.

Sed

Sed quid efficacius violentia? atqui hanc quoque Paulo adhibitam à Christo frequens inculcat Augustinus, qui & hac authoritate jugulum petit Donatistarum, vim sibi fieri tormentis debere, ut ad fidei Catholicæ unitatem compellerentur, vehementer negantium. Contra Augustinus dicit, à Christo vim factam esse Paulo, ut cogeretur fidei se aggregare, & quidem vim ejusmodi, quæ non multùm esset dissimilis ejus, quam Catholici Principes per exilia, mulctas, cruces Hæreticis intentant. Utrobique autem liquet vim & coactionem sumi minùs propriè, eam videlicet quæ non perimit libertatem, sed urget, coarctat, & suismetipsam affectibus expugnat. Si pati enim quidvis & mori mallet homo, hanc vim omnem eluderet, & coactionem frustraret durus & invictus: sed quotusquisque adversùs cruces & mortem invictam illam suam libertatis vim indomitamque retentat, si diu, si atrociter torqueatur homo ab homine? Quantò minùs autem inexpugnabilem se quisquam Deo præstabit seu minanti, seu terrenti, seu sævienti, seu denique blandienti? Augustinus: *Si, ut dicis, ab intentione propria utique mala non debet homo ultima necessitate revocari: cur Apostolus adhuc Saulus cædem spirans & sanguinem sitiens, violenta corporis cæcitate, & terribili desuper voce, à sua pessima intentione revocatur? & ex persecutore prostrato, illius Euangelii quod oppugnabat, laboriosior cæteris futurus Prædicator erigitur? Agnosce gratiam: alium sic, alium autem sic Deus qui dignatur vocat, & Deus ubi vult spirat.* Et aliquantò infrà: *Quod eum emissa voce de cœlo prostravit, quòd excæcavit, quod ad fidem percipiendam quam vastabat, tam violenter attraxit, proculdubio secundum gratiam, non secundum debitum fecit.* Vides attrahi, & quidem *violenter* Paulum. Efficaciam hæc significant. An adumbratam tantùm & fuco pompæque servientem? An potiùs veram & veritati Scripturarum, Augustini fidei & rerum experientiæ consentaneam? Atqui ea inde fluxisse dicitur, quòd *violenta corporis cæcitate*, quòd *terribili desuper voce*, quòd corporis in terram allisione externatus sit Paulus.

L. 1. op. ult. cont. Iul. c. 91. & Ibid. c. 130. 131.

Et idem alibi de eodem adversùs eosdem Donatistas: *Putas neminem cogi debere ad justitiam, cùm legas patremfamilias dixisse servis, Quoscumque inveneritis, cogite intrare. Cùm legas etiam ipsum primum Saulum, deinde Paulum, ad cognoscendam & tenendam veritatem magna violentia Christi cogentis esse compulsum. Nisi fortè chariorem esse putas hominibus pecuniam, vel quamlibet possessionem, quàm lucem istam, quæ oculis carpitur. Hanc ille cœlesti prostratus voce subitò amissam non recuperavit, nisi cum sanctæ incorporaretur Ecclesiæ. Et putas nullam vim adhibendam esse homini, ut ab erroris pernicie liberetur?* Ergo ut ab homine rege pecuniis mulctabantur Hæretici, ut Ecclesiæ se recolligere persuaderentur: ita à rege Christo luce & oculis multabatur Paulus, ut ejus Ecclesiæ inseri assentiretur. Utrobique magna efficacia, & tanta, ut vis etiam, & violentia, & coactio hæc diceretur, tametsi impropriè, ut jam monuimus. Non cogitur enim voluntas crucibus & laniena corporis, cùm possit hæc malle perferre, quàm cedere. Sed tamen vel homini ita sævienti & cogenti paucissimi per naturæ quidem vires constanter resistunt, & mortem libertati posteriorem habent. Deo certè vel sævienti, vel blandienti, & utroque modo vim facienti, nemo omnium vel diu vel semper renititur, quia nostra contumacia modum & fines habet, illius vel in cruciando, vel in oblectando potestas non habet: & rursum quia ille non instar hominum extrinsecùs tantùm, sed intrinsecùs maximè, & in ipso affectuum domicilio penitissimo & terret & blanditur, cùm libet & quantum libet.

Epist. 48.

Ibidem certè Augustinus insuperabilem illam gratiam, de qua Christus dixit, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*; ad hanc pertrahendi rationem rapit, cujus specimen edimus in Paulo, quadam cœlestis terroris & pœnarum tempestate subacto. *Et putas nullam vim adhibendam esse homini, ut ab erroris pernicie liberetur, cùm ipsum Deum, quo nemo nos utiliùs diligit, certissimis exemplis hoc facere videas, & Christum audias dicentem, Nemo venit ad me, nisi Pater attraxerit? Quod fit in cordibus omnium, qui se ad eum divinæ iracundiæ timore convertunt.*

Epist. 48.

Externa vis ista quantacumque adornetur, non potest illa quidem infundere castos & sinceros affectus fidei, spei, timoris, charitatis; sed ubi hos misericordia Redemptoris inspirat, tum protinus repudiantur, nisi hanc pugnacitatem & contumaciam nostram illa pœnarum & tribulationum procella infregerit. Quæ duo diligenter advertenda & secernenda nobis sunt. Pia quælibet & quantulacumque affectio cœlitus à gratia inspiratur, non ullis potest exculpi calamitatibus. At ne illi obluctetur carnalibus voluptatibus illaqueata voluntas, ad id mirum quantum conducit afflictatio, & adversitas, qua omnia illa quæ nos peccato devinciebant retinacula obrumpuntur. *Antequam dicant boni filii: Concupiscentiam habeo dissolvi, & esse cum Christo, multi priùs tanquam mali servi, & quodammodo improbi fugitivi, ad Dominum sum temporalium flagellorum verbere revocantur. Quis enim nos potest ampliùs amare quàm Christus, qui animam suam posuit pro ovibus suis? Et tamen cum Petrum & alios Apostolos solo verbo vocasset, Paulum, priùs Saulum, Ecclesiæ suæ postea magnum ædificatorem, sed horrendum antea vastatorem, non solum voce compescuit, verùm etiam potestate prostravit, atque ut infidelitatis tenebris sævientem ad desiderandum lumen cordis urgeret, priùs corporis cæcitate percussit.*

Epist. 50.

Libertati nostræ nihil obstrepit ista *vis*, quæ magnoperè saluti, denique voluptati etiam est. Ideo moraliter & impropriè tantùm vis dicitur. Intestini enim ipsi hominis affectus commoventur duntaxat, rerumque extrinsecùs objectarum vel aculeis vel illecebris aut refringuntur, aut acuuntur, alii aliis committuntur, ut suis semper homo serviat affectibus, quocumque se vertat demum, & ita libertatem retineat. Saulus hinc Christi discipulos insectari ardebat, & ad ingerentes se Christianæ veritatis radios hebescebat. Idem rursus vehementer propendebat ad veri summique Dei cultum, ad temporalis etiam suæ integritatis vitæque & oculorum incolumitatem. Porrò affectus isti hinc & inde consentiebant omnino, antequam irruente cœlesti lumine percelleretur. Tunc enimverò confligtari cœpere inter se affectus isti, ubi evidentissimè patuit, non posse jam Christi Ecclesiam oppugnari, ut non & veri Numinis religio, & oculorum vitæque ipsa lux deperderetur. Extrinseca igitur rerum demutatione armati sunt affectus alii in alios & illi sunt oppressi, qui influenti gratiæ aditum intercludebant. Ita pueri ad litterarum studia animum advertere, à quibus abhorrebant, flagellis coguntur, incolumi libertate. Suomet enim ipsi affectu quo dolorem fugitant, inflectunt edomantque affectum illum alium à litteris alienum. Ita & Donatistæ cùm & Ecclesiæ unitatem, & temporalium rerum suarum jacturam magnoperè aversarentur, hoc postremo affectu priorem illum ipsimet retuderunt, ubi Imperatoriis edictis coarctati sunt.

Ita prorsus & Paulus acerbitate pœnarum quas exhorrescebat, adductus est eos affectus frangere, qui gratiæ restitabant. Rursum enim Augustinus: *Ubi est quod isti clamare consueverunt, Liberum esse credere, vel non credere? Cui vim Christus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum Apostolum. Agnoscunt in eo priùs cogentem Christum, & postea docentem; priùs ferientem, & postea consolantem. Mirum est autem quomodo ille qui pœna corporis ad Euangelium coactus intravit, plus illis omnibus qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio labo-*

Epist. 50.

laboravit. Cùm ista ergo tam creber urgeat Augustinus, non adversus Donatistas tantùm, sed contra ipsos etiam Pelagianos, eorumque signiferum Julianum, quis jam adeo ineptiat, ut dicat his non significari veram Christi gratiæ efficaciam? An rem momenti minimi tanti fecisset, tam crebrò, tam studiosè inculcasset, in enucleando gratiæ cum primis insigni miraculo, Pauli videlicet conversione? Quis verò molestâ ferat, si Augustini vestigiis insistamus, si eodem ex fonte efficaciam gratiæ derivemus? An suberit aberrandi periculum, si vel verba ejus ipsa consectemur? An propiùs aberrunt à mente & sententia Augustini, qui gratiæ efficaciam in illis & rebus & verbis constituunt, quorum vel vestigia aut rara apud illum, aut nulla reperire est? Accommodavit se Scripturis Augustinus, & nos Augustino mentes, calamos, sermonesque nostros aptemus, atque confiteamur, tum Paulo, tum plerisque aliis vim quodammodo fieri cœlesti gratia *prius cogente, postea docente; prius feriente, postea consolante*: nempe charitati docenti, consolanti, delectanti obseptos aditus recludente pœnarum amaritudine.

CAPUT X.

Israelitas temporalium bonorum cupidissimos hoc ipso carnali amore Deus sibi devinxit, ut hæc donans quæ amabant, amaretur. Id enim non ægrè persuadebatur. Sed gradatim fiebat, ut ista ubertim & sæpius dans & reddens, propter seipsum etiam amaretur. Amatur enim primo beneficium, inde & ipse beneficus. Denique eo res perducebatur, ut Deus amaretur, etsi temporalia non daret, imo ut impensiùs amaretur donans æterna. Idem amoris progressus & in singulis sub novo Testamento agentibus.

PAulum *pœna corporis*, cæteros Apostolos *solo verbo* vocatos esse, supra monuit nos Augustinus. Quin & illud idem advertit, non omnibus, sed extremis tantùm convivis adhibitam esse vim, ut ad cœleste epulum compellerentur; cæteri enim primæ invitantis voci morem gesserant. Ex Gregorio quoque bifariam vocantur; nam accurrunt alii illico, alii cunctantur & vim expectant. *Alii vocantur, & veniunt; alii autem nequaquam dicitur quia vocantur, sed compelluntur, ut intrent.* (In Euang. Hom. 36.)

Alliciuntur ergo quandoque homines & pertrahuntur voluptatum & bonorum copia. Rudes olim Israelitæ occalluerant ad sensum spiritalis justitiæ & charitatis æternorum. Solis afficiebantur temporalibus & bonis & illecebris. Hoc ergo lenocinio illos sibi primùm Deus devinxit. Ad idola enim defluentes continuò & terrena felicitas destituebat: quæ ad Deum sese recipientibus statim tota refundebatur. Ita ergo propriis affectibus & utilitatibus constrictos dum retineret illos Deus, interim operibus justitiæ insuefecit: consuetudo dulcedinem & suavitatem ingenuit: utriusque suavitatis aliquandiù compotes, spiritalem carnali mirum quantum antecellere experti sunt. Ita gradatim hanc præ illa fastidire, hujus dispendio illius incrementum facere didicerunt. Si se inter exordia objecisset charitas spiritalis, ab hac resiliissent: consociatæ cum temporalibus bonis & voluptatibus justitiæ, lubentes assentiebantur. Quis non enim malit Deo & sæculo, virtute & voluptate, anima & carne oblectari? Superstites post peccatum vivunt in animis omnium hominum reliquiæ affectuum quædam, quibus fit, ut sapientiam, justitiam, pietatem, æternitatem admiratione, honore, levi quodam etiam amore prosequantur. Sed his languentibus & afflictis affectibus dominantur & antistant affectus alii longè vehementissimi, ad carnalia oblectamenta propendentes. Si summi medici misericors sapientia ita rerum nostrarum summæ moderetur, ut terrena prosperitas, atque virtutum justitiæque observatio nexibus quibusdam indivulsis cohærescant, & utraque simul nobis vel advolet, vel evolet, tum verò virtuti justitiæque ipsismet vinculis carnalium affectuum obligabimur. Et tunc denique si justitiæ suavitas copiosiùs in dies infundatur, & paulatim emigret terrena felicitas, hac contempta illi uni adglutinari insuescemus.

Has divinæ & omnipotentis sapientiæ artes toto vetere instrumento explicatas sexcenties propalavit Augustinus: *Ut ergo diligatur Deus illo etiam tempore, quo carnalis anima, carnis videlicet affectibus implicata, nisi temporalia desiderare non novit, persuadendum illi est, quod etiam ista dat Deus homini. Quia & verum est, & utilissimè creditur hoc populo Israel factum esse per illas pollicitationes, ut etiam in ipsis infimis rebus, quomodo possent, Deum diligere assuescerent.* (Con. Adimantum c. 20.)

Temporalia hæc bona, veluti puerilia quædam ludicra auferebat subinde Deus, mox restituebat, ut horum authorem & restauratorem religiosiùs colerent, tam effusam liberalitatem & indulgentiam ipsam per sese diligere insuefierent, illa denique admonerentur bona optare, quæ auferri invitis non possunt. Ad æternorum amorem, ut perspicis, non abruptè Deus voluntates nostras rapit, aut præcipitat, sed molliter & gradatim provehit, longoque & flexuoso circuitu circumducit per alios & alios affectus, & inolitis jam terrenorum amoribus lenocinando paulisper, puræ charitatis primitias quasdam furtim insinuat, per quas subinde augescentes temporalium amor tandem expungitur. Augustinus idem, *Si ad temporale quiddam perductus est ille populus, oportebat ut deficeret, & defectu suo cogeretur quærere, quod nunquam deficeret, &c. Hic populus ideo melior erat gentibus, quia quamvis præsentia bona & temporalia, tamen ab uno Deo quærebat, qui est creator omnium & spiritualium & corporalium.* Et paulò inferiùs: *Postea populus iste intellexit, quid eum admoneret Deus quærere, cum ista temporalia subtraheret servis suis, & donaret inimicis suis. Quia præ omnibus quæ dat Deus & bonis & malis, & aliquando aufert & bonis & malis, præ omnibus servat aliquid bonis, seipsum.* (In Psal. 72.) Temporalia fluxaque bonorum ludibria depereuntibus, & ea ab idolis suis emendicantibus, æterni Dei spiritalem charitatem persuadere, arduum abruptumque erat. Itaque proclivius fuit suadere, & non ægrè persuasum illis est, ut quæ tam perdite amabant, a vero eorum authore & largitore repeterent. Is fuit primus gradus medicinæ spiritalis. Secundus gradus hic fuit, ut ejus munificentiam qui hanc bonorum copiam daret, & spontè diffluentem toties redderet, ipsam propter sese diligerent. Mollescit enim cor vel durissimum beneficiorum copia & perseverantia, ipsamque propter sese beneficentiam diligere tandem insuescit. Tertius gradus fuit, ut jam insuefacti ab uno vero Deo suæ inopiæ solatia & levamenta expetere, expertique temporalia identidem auferri sibi, & suapte spontè dilabi, æterna & spiritalia petere & amare adducerentur, quæ nec fugiunt ipsa, nec hostili ulla vi diripiuntur.

Porro non humanum modò genus, sed & homo quilibet easdem decurrit ætates vicesque Testamenti veteris & novi. Palam enim & conspicuè genus humanum, clam & latenter homo quilibet à vetustate ad novitatem, à temporalium amore ad spiritalem justitiam, à veteris Testamenti quadam infantia ad novi maturitatem proficit. Id à Bernardo animadversum jam suprà est, quemlibet vulgo hominem ad amorem Dei castum & defæcatum initiari & induci amore ejusdem Dei quodam carnali, & propriis rationibus privatisque commodis inserviente. Sui enim amator quilibet facilè assentitur Deum diligere, bona terrena largientem, & ita suis

quodammodo cupiditatibus blandientem. At quomodocumque Deum diligere aggressus, Deo jam consuescit, consuetudine fit ut dulcescat jam ipse Deus, & tandem præstantiora æternaque quædam bona ab eo dari posse intelligantur. *Fit itaque hoc tali modo, ut homo animalis & carnalis, qui præter se neminem diligere noverat, etiam Deum vel propter se amare incipiat. At si frequens ingruerit tribulatio, ob quam & frequens ad Deum conversio fiat, & à Deo frequens liberatio consequatur, nonne etsi fuerit ferreum pectus, vel cor lapideum toties liberati, emolliri necesse est ad gratiam liberantis, quatenus homo Deum diligat, non propter se tantum, sed propter ipsum? Ex occasione quippe frequentium necessitatum crebris necesse est precationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari quàm suavis est Dominus. Ita fit ut ad diligendum purè Deum plus jam ipsius gustata illiciat suavitas, quàm urgeat nostra necessitas.* Etsi enim primò plus delectat beneficium quam beneficentia, posteà tamen ipsa beneficentiæ & beneficentissimi largitoris liberatorisque suavitas movet & delectat impensiùs.

De dilig. Deo.

Gregorius autem Augustini placita confirmans, *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei. Sed cùm tanta Dominus subeundæ mortis præcepta ederet, quid necessarium fuit, ut ad hanc subitò promissionem veniret? Quod si subtiliter attendamus, quanta dispensatione pietatis agatur, agnoscimus. Discipulis enim rudibus etiam de præsenti vita aliquid promittendum fuit, ut possent robustiùs in futura solidari. Sic Israelitico populo ex Ægypti terra liberando, repromissionis terra promittitur; & cùm vocandus esset ad dona cœlestia, terrenis promissionibus suadetur. Cur hoc, nisi ut dum esset aliquod, quod de vicino perciperet, illud jam fideliùs crederet, quod de longinquo audire potuisset? Carnalis enim populus si parva non acciperet, magna non crederet. Omnipotens ergo Deus largiendo terrena, suadet ad cœlestia: ut percipiens quod videret, sperare disceret quod minime videbat: & tantò solidior de invisibilibus fieret, quantò eum ad spei certitudinem visibilia promissa fulcirent. Unde rectè quoque per Psalmistam dicitur, Dedit eis regiones Gentium, & labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant. Sic ergo hoc loco rudibus discipulis Veritas loquens, videndum regnum Dei promittit in terra, ut hoc ab eis fideliùs in cœlo præsumatur.* Ergo in utroque Testamento id valet, ut gratia quæ ad fidem, ad spem, ad charitatem propellit, eò fit efficax, quòd congruat affectibus insitis, quòd *de vicino* urgeat, quòd *largiendo terrena, suadeat ad cœlestia*.

In Euang. Hom. 32.

CAPUT XI.

Teresiæ errata ulciscebatur Deus tantò uberiore contemplationis & cœlestium deliciarum copia. Hæc beneficentia ultrix illam cruciabat, urebat, immutabat, emendabat efficacissimè. Carolus Borromæus opum dignitatumque terrenarum contemptum hausit ex ipsa earum undique affluentium ubertate. Utriusque ea erat natura, indoles, generositas, ut huic divinæ providentiæ & dispensationi congrueret. Alii aliter comparati rebus iisdem sequiùs & præposterè afficerentur.

Alii aliis magis ducuntur. Sunt nonnulli eo animo, ut beneficiis facillimè, minis non facilè vel asperitate pœnarum flectantur. Magnitudo enim quædam animæ eximia & nobilitas eminet, quæ amori & invitamentis sponte assentiatur, formidini & doloribus non cedat. Ea erat beatæ Teresiæ indoles. Quocirca & qui corda sigillatim omnium fingit, qui sinus & flexus omnes intimorum affectuum exploratissimos habet, deliciarum spiritalium quodam veluti torrente Teresiam inundabat, & ita carnalium cupiditatum sordes omnes maculasque eluebat. Lapsus ejus culpasque tantò uberiore harum cœlitus impluentium deliciarum imbre pensabat & plectebat Deus. Prorsus admiranda hæc erat divinæ medicinæ ars & sapientia. Peccantem blandimentis castigabat, cruciabat deliciis. Hac enim retaliatione blanditiarum cœlestium, quæ pro culparum modo magis magisque exuberabant, tanto illa pudore suffundebatur, tanto sui tædio, tanto errorum suorum odio inflammabatur, ut non alia acerbiore ulla pœna, quàm inaudita hac humanitate afflictari posset. Nobile pectus & generosis incoctum affectibus cruentabat, lancinabat, immutabat tam blanda & tam inusitata divinæ in prolapsiones suas vindictæ ratio.

Sed ipsa præstat audire Teresiæ verba, expertæ efficaciam hanc gratiæ per blanditias ipsas sævientis, per delectamenta cruciantis: *Vitam tunc agebam longè amarissimam, quòd inter orandum mea mihi delicta nudaret Deus. Hinc ad se Deus pelliciebat, hinc sæculum consectabar. Delectabant divina, terrena vinciebant. Meæ jam potestatis non erat, si fari licet, orandi studium usumque abrumpere. Injecerat enim mihi manum, nec divelli me sinebat, qui gratiarum ubertate cumulare me constituerat, &c. Mollissimo, eodemque acerbissimo Domine Deus meus cruciatu equidem pœnas tibi dabam: noveras enim, qui in me altiùs dolor penitiùsque descenderet. Itaque errata mea beneficiorum cumulo ulciscebaris. Ubi graviter à me peccatum erat, optatius utique leviusque mihi fuisset, ut equidem affecta eram, pœnis affici, quàm gratiis & deliciis recreari. Qualibet enim ultricium gratiarum guttula suffundebar, urebar, absordebar, nec ulla ægritudinum corporalium vis tam miserè me confecisset. Meam priorum beneficiorum oblivionem & ingratitudinem novis onerari opprimique beneficiis, reformidandum id mihi quidem supplicium videbatur, & videtur ut spero omnibus qui sensu & amore Dei aliquo perfusi fuerint. Quod in illis experiri fas est, quorum ingenua & virtuti nata aptaque indoles est.*

In vita ejus ab ipsamet scripta c. 7.

Ergo in confesso est apud omnes Theologos omnipotentissima facilitate corda hominum à Deo quolibet flecti & reflecti, sed qua id arte, quo id fiat modo, id verò est quod ex Scripturis, quod ex Patribus, quod ex illis etiam expiscamur, qui singulari quadam rerum divinarum experientia & cœlesti lumine claruerunt. Itaque Teresia contestatur ad expugnandam suam contumaciam eas illecebras à Deo esse adhibitas, quæ maximè congruerent ejus ingenio, quibus ut affecta & concreta erat, maximè moveretur: denique se beneficiis vehementiùs quàm pœnis quemlibet alium & doloribus, uri, confici, & circumagi natam fuisse.

Jam verò quis expostulare jure poterit de gratiæ divina omnipotentia, tanquam libertati suæ infensa vel suspiciosa? An vis enim infertur, an injuria fit humanæ libertati, cùm blanditiis urgetur, cùm beneficiis oneratur? Uritur, conficitur, opprimitur; sed gratiæ suavitate, sed beneficiorum magnitudine, sed dulcedinis copia quadam intolerabili. An istud est jura ejus deterere, potestatem infirmare? Usque adeone suis ipsa commodis inimica est libertatis natura, ut blanditiis ulceretur, gratiæ & suavitatis abundantia tanquam hostili quadam incursione labefactetur? Si res ita haberet, contumeliosa esset sibimet ipsa libertatis natura, quæ suo bono suisque deliciis adversaretur.

Fateamur ergo eo amicam libertati, eandemque efficacissimam in Teresia fuisse gratiam, quòd amores affectusque ejus alios aliis castigaret emendaretque. Nugamentis adhuc terrenis quibusdam implicatum inhærebat cor ejus, idemque divi-

divino contemplationis melle magnoperè delectabatur. Quid consultius, quid efficacius, quid voluntatis libertati congruentius, quàm ut tanta copia illi infunderetur harum ex contemplatione erumpentium deliciarum, ut absorberetur quodammodo & oblivioni traderetur illa terrestrium nugarum inanitas?

Et rursum cùm ita contemperatum esset illud ingenium, ut beneficiis quàm pœnis, blanditiis quàm cruciatibus, culparum condonatione quàm vindicta, veniæ facilitate, quàm ultione vehementiùs commoveretur: quid erat & ad tuendam ejus libertatem, & ad perdomandam pertinaciam ejus accommodatius, quàm ut inaudita & inusitata quadam gratiarum redundantia obrueretur quidquid in ea residebat adhuc vitiositatis?

Non absurdè omnino cum Teresia Carolum Borromeum componemus. Est enim affinitas non mediocris in hac parte certè. Ut enim Teresiam spiritalibus, ita Carolum temporalibus beneficiis deliciisque sibi devinxit Deus. Inerat Carolo indoles ad gravitatem magnitudinemque animi comparata, ut terrenas opes, dignitates, voluptatum illecebras expertus perfunctusque magis aspernaretur. Itaque his illum Deus statim cumulavit & penè obruit, eoque id perfectum est, ut animus ita imbutus natura ad austeritatem, nugarum illarum inanitatem, molestias, sentes, fugacitatem & sentiret & aversaretur. Cùm simul autem irroraretur ejus animo gustus sapientiæ, æternitatis sapor ex virtutibus, & solidæ per justitiam felicitatis sensus, tum verò ex hac contemperatione ineluctabilem quandam efficaciam gratia consequebatur. Sunt enim nonnulli natura ita temperati, ut terrenis bonis inhient, si absint, præsentibus modestè utantur; imò quorum penuria angerentur, exardescerentque ad ea & magni facienda & magnis contentionibus ambienda, eorum copia & ubertate ad eorundem fastidium & contemptum adducantur. Hi sanè ita experti inania hæc esse ludibria, veluti vacua oscitantium insomnia, nimirum hinc facilè persuadentur, quisquilias has abiicere, solius charitatis opibus, auroque sapientiæ ditescere, si cœlitus impluatur.

Caroli vitæ scriptor diligentissimus ita habet: *Honorum dignitatumque moles, opum & voluptatum undique circumfluentium copia, adeo non Carolum emollivit & ad luxum deflexit, ut ex adverso quæ cæteris vulgò hominibus avocamenta sunt & retinacula, hæc illi ad perfectionem indeflexo virtutum tramite festinanti & incitamenta fuerint & adjumenta. Quod argumento erat, quanta salus ejus curæ Deo esset, quàmque suavi & admirabili providentia tutissimæ illi ad pietatem & justitiam semitæ munirentur, etsi ad hæc divinæ dispensationis arcana cæcutiret sapientia sæcularis Carolus ipse aliquantis pòst annis gratiarum cœlestium & beneficiorum exuberantiam in se tantam seriò perpendens, ita constituebat, non adversitatibus & ærumnis, sed secundis lætisque temporalium dignitatum opumque proventibus, miro quodam divinæ pietatis consilio, ad hanc arctiorem religiosæ vitæ disciplinam se fuisse provectum. Experiendo enim & degustando inania hæc rerum ludibria, id se consecutum, ut ea tantò magis contemneret, mortalium his laqueis impeditorum cæcitatem detestaretur, semetipse totum hinc ad solidas & constantes æternæ felicitatis voluptates converteret.* Giossan.l.1. c.4.

Paucissimi sunt hac natura & indole, ut terrenis bonis honoribusque affluentibus, tantò ad eorum contemptum excitentur. Itaque rarissimi apparent, quos gratia per eandem cum Carolo semitam impulerit. Tametsi enim affectus ipse qui & terrena aspernabatur, & ad spiritalia æternaque sapientiæ justitiæque ornamenta flagrabat, divinitùs inspiraretur, & creando infunderetur; non illi tamen consentiret voluntas libera, nisi ita contemperata, congruenti & assentanti suis affectibus gratiæ assentiri persuaderetur.

Ad hujusmodi gratiæ contemperationem alludebat Climacus, cùm hæc scriberet, nempè alios aliis magis duci, sed *sunt alii, utrùm verò hodie sint dicere non habeo, qui per ipsa cœlestia Dei dona, quibus quotidie afficiuntur, & proficiunt, seipsis submissiores fiunt, dum se indignos tantis gratiarum thesauris existimant, & perinde afficiuntur, acsi quotidie nomina debitorum augerent.* Grad.25.

CAPUT XII.

Universim omnes homines ab amore temporalium avocantur ad charitatem æternorum, amaritudinibus & ærumnis, quibus cœlestis gratiæ medicinale consilium aspergit terrena omnia delectamenta. Perdiu enim experti persuasique tandem dura hic & amara esse omnia, aspiranti interiores delicias charitati lubentes consentiunt. Ex Augustino primum.

Quæ de Teresia & Carolo perstrinximus, miraculi quàm exempli, admirationis quàm imitationis plus habent. Universim enim homines omnes à temporalium dignitatum, opum, voluptatumque præstigiis non adducuntur, nisi gustu experimentoque diutino amaritudinum illis aspersarum. Humani generis & cujusque singularis hominis ætas postquam primo peccatum est, non interpungitur tantùm, sed & contexitur tota ærumnarum ægritudinumque longissima serie, qua Deus omnes, qua singulos salubriter cruciat, misericorditer plectit, medicinaliter secat & urit, ut terrenas exurat amputetque cupiditates. Ipsa quidem intimi & omnipotentis opificis manus præcordia animi nostri ita finxit, ita temperavit, ut nativo quodam instinctu impetuque ad sublimitatem & æternitatem, ad sapientiæ lucem, ad delicias & pacem aspiremus. Hanc totam felicitatem uno in Deo degustabamus ante lapsum: inde extorres hanc eandem venamur in rebus infimis, in quas allisi jacemus. His consultò Deus inseminat salubres amaritudines, ut harum aliquando tandem fastidio cogamur puram & liquidam felicitatem sursum, ubi æterna allucet, concupiscere & consectari.

Author & princeps in hanc doctrinam erit nobis ante alios Augustinus; ut qui adprimè calluerit non tantùm quanta, sed & cujusmodi sit gratiæ divinæ vis & efficacia. *Legibus tuis Deus à Magistrorum ferulis usque ad tentationes Martyrum, valentibus legibus tuis miscere salubres amaritudines, revocantes nos ad te, à pestifera jucunditate, qua recessimus à te.* Confession. L.1. c.14. Et infrà: *O tardum gaudium meum! Tacebas tunc & ego ibam porrò longè à te in plura & plura sterilia semina dolorum, superba dejectione & inquieta lassitudine.* L.2.c.2. Et ibidem mox: *Efferbui miser, sequens impetum fluxus mei relicto te; & excessi omnia legitima tua, nec evasi flagella tua. Quis enim hoc mortalium? Nam tu semper aderas misericorditer sæviens, & amarissimis aspergens assensionibus omnes illicitas jucunditates meas, ut ita quærerem sine offensione jucundari, & ubi hoc possem non invenire quidquam, præter te Domine, præter te, qui fingis laborem in præcepto, & percutis ut sanes, & occidis nos, ne moriamur abs te.* Et infrà: *Nam quaquaversum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi præterquam in te, &c. Eunt enim hæc quo ibant, ut non sint, & conscindunt animam desideriis pestilentiosis; quoniam ipsa esse vult, & requiescere amat in eis quæ amat. In illis autem non est ubi, quia non stant, fugiunt.* L.4.c.10. Et rursum infrà: *O vias tortuosas! Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se melius aliquid habituram. Versa & reversa in tergum, & in latera,* L.6.c.ult.

& in

& in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies. Et ecce ades, & liberas nos à miserabilibus erroribus, & constituis nos in via tua, & consolaris.

Ergo animam natura amantissimam felicitatis, voluptatis, quietis, dignitatis, sapientiæ, copiæ, cùm terrena hæc omnia egestate premant, illudant erroribus, ignominia deturpent, laboribus exagitent, confodiant doloribus, perpetua quadam miseriarum catena constringant, non possunt non illam hæc eadem & admonere & excitare, ut siqua supernæ affulgeat felicitatis spes, illi se det, illi assentiatur, illic aucupetur, quæ hic tandiu frustra quæritat.

Sed etsi omnes admoneantur, omnes excitentur in sua superna sede veram ambire dignitatem, sapientiam, voluptatem: non omnes tamen animum adjiciunt, sed plerique ærumnosis ponderibus resorbentur in hæc ima adumbratæ fœlicitatis simulacra. Nimirum nemo non cœlesti gratiæ aliquantum restitat; alii pertinaciùs, alii remissiùs illi obluctantur, obluctantur omnes tamen aliquandiu. Ergo jam divini propositi est, & irretractabilis Dei in electos suos charitatis, ut hos quamlibet diu repugnantes insectetur aliis aliisque in dies calamitatibus, & tandiu infatigabili misericordia sæviat, donec quantamlibet eorum contumaciam frangat. Finem enim modumque habet qu:n acumque hominum malitia in propulsandis divinæ gratiæ præsidiis; sine modo, & sine fine potest divina & sævire misericordia, & sævitia misereri. Si verò in electos tantùm tam copiosa redundet Dei bonitas & providentia, ut nullis eorum repulsis fatigetur, reliquos autem cœlesti gratiæ perditi renisos demergi sinat in spontaneum exitium: non est quod isti, nisi de sua duritie conquerantur, quibus etsi parca, sufficiens tamen à Deo adhibita est medicina: non est quod illi nisi divinæ misericordiæ gratulentur, qui peræquè & ipsi obduruissent, nisi abundantiore gratiarum vi expugnati essent. Ita sanè sentiebat Augustinus: *Deus meus misericordia mea, quanto felle mihi suavitatem illam & quam bonus aspersisti? &c. ut cæderer virgis ferreis ardentibus zeli, & suspicionum, & timorum, & irarum, atque rixarum.* Et infrà: *Inhiabam honoribus, lucris, conjugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere, quod non eras tu.*

Confess. L.3.c.1.

L.6.c.6.

Electis ergo amara sunt hic omnia, & tamen inhæret altissimè à natura infixus & irradicatus dulcedinis & felicitatis amor, insidet penitissimè dolorum fuga, amaritudinum impatientia. Cùm ergo ex amore felicitatis & dulcedinis præcipites ruunt in peccatum, si hic aspera & spinis ærumnisque septa omnia occurrant, tum nimirum idem deliciandi & quiescendi impetus insitus hærebit, sistetque illos, & ad peccandum, hoc est ad dolorum & amaritudinum seminarium jam non incitabit. Avelli enim & alienari non potest à natura amor, quo felicitas, quo dignitas, quo opulentia, quo quies & voluptas appetitur. Ubi horum vel umbratica quædam species allambenda obiicitur in bonis temporalibus, in hoc cœno hæremus & volutamur. At si undequaque dolor, egestas, ignominia, & quædam calamitatum perpetua tempestas incumbat peccantibus, parcat peccare cessantibus, perspicuum est fore, ut eodem conatu à peccato, atque à miseria peccati individua comite abhorrescant.

Jam verò idem innatus affectus quo beati esse volumus, miseri nolumus, quæ ad felicitatem compendia sunt, sectamur; quæ miseriæ vulnera, refugimus: idem ipse affectus nutusque animæ, seu voluntas eadem libera, quæ ad peccandum præcipitat, cùm inde fallax subrutilat felicitatis spes: à peccando abducit, cùm inde constat inexhaustum miseriatum fontem scaturire. Et ex adverso idem amor dulcedinis, eademque deliciandi libertas, quæ justitiam difficultatum vepribus horrentem refugiebat, eandem jam lubens & læta amplexatur, si cœlesti melle delibuta per charitatis inspiratæ gratiam infundatur.

Nec rudimentum dumtaxat, sed & perfectio atque absolutio justitiæ in unoquoque fidelium & Sanctorum hac arte sapientiæ, hoc adversitatum condimento medicinali à Deo procuratur. Idem Augustinus: *Totum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. Per stratum intelligitur aliquid terrenum.* In Psa.40. *Omnis anima infirma in hac vita quærit sibi aliquid terrenum ubi requiescat, quoniam intentionem laboris & mentis extentæ in Deum difficilè potest perpetuò tolerare: aliquid sibi in terra conquirit, ubi requiescat, & quodammodo pausatione quadam recumbat, veluti sunt ista quæ diligunt & innocentes. Neque enim de cupiditatibus malorum nunc loquendum est, quia multi acquiescunt in theatris, in circo, in dolo, insidiis, &c. Quid est, acquiescunt? Delectantur illic. Sed removeamus hæc omnia. Ad innocentem hominem veniamus. Acquiescit in domo sua, in familia sua, in conjuge, in filiis, in paupertate, in prædiolo suo, in novalia manibus suis consita, in ædificio aliquo suo studio fabricato. Acquiescunt innocentes in his. Sed tamen Deus volens nos amorem non habere nisi vitæ æternæ, & istis velut innocentibus delectationibus miscet amaritudines, ut & in his patiamur tribulationes, & universum stratum nostrum vertit in infirmitate nostra. Non ergo hoc conqueratur, quando in his quæ innocenter habet, patitur aliquas tribulationes. Docetur amare meliora per amaritudinem inferiorum, ne viator tendens ad patriam, stabulum amet pro domo sua.* De innocentibus & justis his disputat Augustinus, quos intus gratia juvat instimulatque ad liquidum & merum amorem æternorum. Sed minùs illa efficax esset, nisi suppetias ferret tribulatio. Nimirum *intentionem laboris & mentis extentæ in Deum difficilè possunt perpetuò tolerare.* Possunt utique juvante gratia, sed difficilè, ideo pigrescunt & resolvuntur in amorem rerum terrenarum. At amaritudinibus & spinis quæ his permiscentur, coguntur internæ delectationi, & æternorum suavitati & gratiæ se totos addicere & agglutinare.

CAPUT XIII.

Idem ex Gregorio efficitur. Impossibilitate explendæ voluntatis malæ, male & facere & velle cessant complures. Mutatio voluntatis sequitur, dum perfectio denegatur. Asperitas correptionis origo fit luminis. Pressuris & doloribus ad cœlestia impellimur, flagellis revocamur.

Subscribit eidem doctrinæ Gregorius, & tum perpaucos approbat privilegio quodam singulari & eximio ita versatos inter ista rerum terrenarum impedimenta, ut earum usu & copia ad earundem contemptum perducti sint: tum verò confitetur reliquum vulgus hominum non divelli ab insana carnalium delectationum cupiditate, nisi vi & procella quadam tribulationum, quibus fit, ut omnis ista temporalium fucata fugaxque suavitas amarescat & abhorreatur.

De paucis illis quorum suprà exemplum & specimen in Carolo Borromæo suprà constituimus, sic ille primùm: *Sed quia nequaquam sic humani generis multitudo deseritur, ut cuncta ad interitum tendere permittatur: sunt nonnulli qui præsentis vitæ oblectamenta despiciunt, etiam cùm adsunt, transitoria esse considerant, atque hæc ex amore æternitatis calcant. Cùmque in hoc primo gradu judicii gressum ponunt, vegetiores ad altiora perveniunt, ut cuncta temporalia non solùm quia citiùs* Moral. l.5. c.18.

sunt amittenda, despiciant; sed his inhærere non appetant, etiamsi æterna esse potuissent: & à pulchrè conditis amorem subtrahunt, quia in ipsum authorem pulchritudinis cordis passibus tendunt. Ubi si penitiùs rem introspicias, id videlicet intelliges, etiam hunc delibatum florem & portionem eximiam electorum, qui nunquam criminosis terrenorum cupiditatibus passi sunt se illaqueari, nec ullis tribulationibus abstrahendi fuere à complexu carnalium illecebrarum, ut qui eas semper etiam copiosiùs affluentes despexerint: intelliges inquam vel hos ipsos tamen ab amore temporalium quadam obscuriore, sed vehementi tamen tempestate alienatos fuisse. Ut enim terrenæ opes, deliciæ, dignitates nullo adversitatis turbine auferantur, sed ipsæ tamen sua sponte dilabuntur & aufugiunt, hiantem frustrant, innitentem destituunt. Hæc porrò insita humanis rebus instabilitas & fuga, tempestas quædam est, quæ sensim quidem & tacitè, sed jugiter & inevitabiliter res amatas & amantes ipsos corripit dissipatque.

At longè plures repentina quædam procella adversitatum coguntur amorem ab his avertere, ad quæ nulla jam spes superat perveniendi. *Et sunt* Ibidem. *nonnulli qui bona vitæ præsentis diligunt, sed tamen hæc nullatenus assequuntur: qui rebus temporalibus totis desideriis inhiant, mundi gloriam quærunt, sed adipisci nequaquam possunt. Hos ut ita dixerim, cor ad mundum pertrahit, mundus ad cor repellit. Nam sæpè contingit, ut ipsis suis adversitatibus fracti, ad mentem redeant, & in semetipsis reversi considerent, quàm sint inania, quæ quærebant, sesequе pro tam stulto desiderio protinus ad lamentum vertant: & tanto valentiùs æterna desiderent, quantò se stultiùs laborasse pro temporalibus dolent.*

Audet & *impossibilitatem* Gregorius nonnullis intendere, ne affigantur terrenis, & ne longè à Deo peregrinentur, reflante nimirum ubique vento quodam & turbine rerum adversarum. Cùm nusquam enim occursent, nisi molestiæ & calamitates, coguntur tandem habitare secum, & intimis penetralibus mentis suæ, si quas gratiæ supernæ impluentes delicias degustare detur, sese totos his addicere. *Sunt namque nonnulli, qui & si qua ali-* Mor.l.12. c.22. *quando agere contra omnipotentis Dei judicium nituntur, ipsa impossibilitate explendæ voluntatis suæ fracti, ad semetipsos respiciunt, atque ad eum quem contemnere voluerant convertuntur; & qui discedere longè poterant, si quod vellent, implere valuissent, per hoc aliquando salvantur, quia quod nequiter voluerunt, implere nequiverunt. Unde ad se reducti, cujus sint conditionis aspiciunt, & plangunt se contraria veritati voluisse. Et sunt nonnulli qui hoc quod perversè contra Deum appetunt, justo Dei judicio implere nequiùs permittuntur. Et cùm eos malitia accendit, potentia roborat, tanto jam semetipsos in errore cognoscere nequeunt.* Et alibi: *Manifestum perditionis indicium est, quando affectatis iniquitatibus subsequens favet effectus, & nul-* Luc.24.c.14. *la contrarietas impedit, quod mens perversa conceperit. Nam sæpè pravorum hominum dum tardantur vota, mutantur: & dum difficultatem perfectionis sentiunt, reatum malæ actionis agnoscunt: & quibus priùs invitis contradicitur, volentes postmodum, hoc quod conceperant, aversantur.* Omnipotenti Dei gratia immutari corda hominum, & ad bonum retorqueri, indubitatissimum est. At qua id arte, quibus machinis, quo modo fiat, id verò est quod tam accuratè exploramus. Docet ergo Gregorius id fieri muro quodam *impossibilitatis*, quo arcet eos Deus à deliciis carnalibus, quibus inhiant, eoque compellit, ut cùm invias sibi & omninò inaccessas esse terrenas delectationes diutina eos convicerit experientia, gratiæ delicias ultro influentes desinant aspernari, malintque & hìc & in æternum cum Deo deliciari, quàm temporalibus hìc ærumnis emercari pœnas apud inferos sempiternas. Gratia quæ istud perficit, efficacissima est, omnipotens est; sed omnipotentem efficaciam suam hac arte explicat, intus ad Deum trahendo, foris à mundo deterrendo, intus illiciendo & delectando, foris sæviendo & cruciando. Efficax est interior illa dulcedo, sed ludificaretur illa efficacia, nisi auxiliaris accederet exterior amaritudo.

Unde idem rursum: *Nam cùm fortasse infir-* Moral. l. 34.c.2. *mantur electi, atque in desideriis illicitis ruunt, in hoc plerumque divini muneris manu retinentur, quod voluntatis miseræ nullos effectus inveniunt. Cumque eorum votis contrarietas valida nascitur, plerumque ex ipsa impossibilitate corriguntur, & miro internæ dispositionis ordine perconversionem mutatio voluntatis sequitur, dum per infirmitatem perfectio denegatur.* Quo minùs mirum est, si hac impossibilitate *cogi* quodammodo dicat voluntates liberas, ut à malo tot difficultatibus obsito, ab bonum declinent, utpotè longè expeditius suaviusque. *Quem tunc culpa duxit ad pœnam, nunc pœna sua restringit à culpa: ut tantò magis delinquere metuat, quantò cogente supplicio & ipse quod perpetravit, accusat.* Et alibi: *Hoc quotidie agitur, dum* Moral. l. 24.c.5. *prædicatis cœlestibus præmiis, sævire in electos reprobi permittuntur. Ut si ad repromissionis terram vocati, exire negligimus, pressuris saltem sævientibus impellamur. Atque hæc Ægyptus, videlicet vita præsens, quæ nos oppressit blandiens, adjuvet prementis; & quæ dum fovit, servitutis jugo continuit, libertatis viam, dum cruciat, ostendat. Hæc utique causa est, quod ab injustis justi affligi sinuntur, ut* Luc.16.c.9. *scilicet dum futura audiunt bona, quæ cupiant, patiantur etiam mala præsentia, quæ perhorrescunt: atque ad faciliorem exitum, dum amor provocat, cruciatus impellat.* Ut aliis peccatorum conversio ad pietatem, ita & hìc justorum perseverantia accepta fertur gratiæ, non interiùs tantùm aspiranti & delectanti, sed exteriùs etiam per adversa mundi exagitanti, nec usquam extra Deum deliciari & conquiescere sinenti.

Cùm enim à peccato abhorreat ipsa natura, & conscientia refugiat, ad illud tamen homines defluunt ejus dulcedine excantati. Et rursum justitiæ & sapientiæ admiratrix & cupida suapte sponte est anima quælibet rationalis, sed difficultatum & laborum vepribus, quibus illa vallata est, deterretur. Ergo si moderatrix universitatis eademque animarum medicatrix providentia, ita res adgubernet, ut alicui à peccato dolorum infinita quædam seges germinet, & à justitia abundent fructus incredibilis suavitatis: quis non videt ejusmodi hominem à peccato ad justitiam, hoc est à dolorum intolerabili & indeclinabili alioqui molestia, ad suavitatem & pacem vocanti gratiæ aliquando tandem consensurum?

Consultò & affectatè in hæc verba frequentiùs stylum tempero, ut interiorem gratiam, seu inspirationem charitatis & cujuscumque demum piæ affectionis, separem ab exteriore ista providentia. Quæ foris enim cumque sive blandiuntur, sive pungunt & cruciant, non ea sanè cor emolliunt, non cupiditatem carnalem exurunt, non pietatem inserunt, non conversionem, non perseverantiam donant, sed interiori gratiæ seu inspiratæ piæ affectioni ne reluctetur, ne dissentiat voluntas libera, id præstant, id efficiunt: seu magis, cupiditatem premunt cohibentque, alioqui exultaturam, novas vires prosperis rerum successibus comparaturam, & ita interiori gratiæ inspirationi valentiùs victriciusque repugnaturam. Idem rursum: *Quamvis inæstimabilis sit cœlestis patriæ* Regest. l.4. Epist. 35. *dulcedo, quæ trahit, mihi tamen in hac vita dolores sunt, qui ad amorem cœlestium quotidie impellant. Qui mihi in hoc ipso solo vehementer placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt.* Vides inæstimabilem quidem esse cœlestis patriæ dulcedinem, quæ trahat; sed ea plerosque non trahi,

imò

imò nec duci, nec tangi aut delectari, nisi postquam præter mentem & voluntatem suam, displicere ipsi cœperint mundo, vicissim ipsis mundus. Cùm enim ex animo cesserit, atque longè abscesserit mundana delectatio, quæ occupabat illum & dementabat, tunc in vacuam sedem & in animam delectationis cupidam facilè recipietur delectatio & gratia cœlestis, priùs fastidio habita. Sed cùm non displicere tantùm mundus, sed & valde adversari cœperit, adeò ut cupiditates omnes nostræ ad terrena flagrantes, frustrentur ubique & ludificentur; tunc gratiæ interiori ficunde aspiret, non assentiemur tantùm, sed & conglutinabimur.

Moral. l. 6. c. 13. Et rursum alibi: *Fit plerumque divini muneris largitate, ut culpam pœna subsequatur, & flagella oculos delinquentis aperiant, quos inter vitia securitas cæcabat. Torpens quippe animus percussione tangitur, ut excitetur: quatenus qui statum suæ rectitudinis securus perdidit, afflictus consideret, quò jacet.* Hinc ut ibidem subdit, *Asperitas correptionis origo fit luminis.* Eo enim prodest adversitas, quòd cùm idem gratiæ lumen antè affulgesceret, & peccabat tamen & nulla peccati sui pœnitudine tangebatur voluntas. Adversitate autem tangitur & expergiscitur, ut oculos pandat lumini, & pœnæ saltem formidine desuescat, avertaturque à peccandi dulcedine, atque ita componat apteque sese, ut congruat ei, eoque dulcescat delectatio justitiæ. Ita ille de conversione, nunc

L. 6. c. 29. de perseverantia: *Nisi misericordiam subroget, servari non valet vita, quam præbet. Ipso quippe quotidie usu humanæ vitæ veterascimus, & exterioris hominis impulsu, cogitatione lubrica ab interioribus eximus. Et nisi nos superna visitatio vel ad amorem compungendo vivificet, vel ad timorem flagellando restauret, repentino lapsu mens funditus tota destruitur, quæ longo virtutis studio innovata videbatur. Unde subditur, Et visitatio tua custodivit spiritum meum. Humanum quippe spiritum visitatio superna custodit, cùm hunc virtutibus ditatum vel flagello percutere, vel compungere amore non desinit.* Externam hìc sanctus Pater internamque custodiam discriminat, illam timore & flagellis, hanc amore & blanditiis constare autumat, utriusque idem beneficium, veterascentem & sua sponte desciscentem animum custodire & restaurare, ne à virtutum & justitiæ culmine delabatur. Quod enim flagellis Deus foris increpantibus perficit, id potest ipse supplere & implere visionibus internis, peræquè compungendo & stimulando animam ne torpescat. Et plerumque vices alternantur, ut fastidiosæ & ægræ voluntati varietate medicinæ succurratur.

Moral. L. 10. c. 15. Et rursum idem: *Veruntamen non in consumptionem eorum emittis manum tuam. Manum suam Dominus ad consumptionem peccantium non emittit, cùm feriendo à peccatis corripit: & corruentes salvat, dum cadentes ad culpam, in salutem corporis vulnerat: ut prostrati exteriùs, interiùs surgant; quatenus*

L. 11. c. ult. *jacentes corpore, ad interiorem statum redeant, qui stantes exteriùs ab statu mentis jacebant.* Et infrà: *In hac vita cùm percutit, si percussionem correctio sequitur, disciplina Patris est, non ira Judicis: amor corrigentis est, non districtio punientis.* Præclarè & consideratè excipit, *si correctio sequitur*, nec enim semper correctio sequitur; quia non semper intus aspirat gratia, dum flagellum foris infligitur. Sæpiùs enim spreta, avolat tandem aliquando gratia, nec redit, nisi electione misericordiæ & incommutabili gratuitæ prædestinationis proposito fiat, ut quantuscumque gratiæ contemptor, infatigabiliter ejusdem & internis inspirationibus, & externis flagellis oppugnetur & expugnetur tandem ad consentiendum. At si totum consensum gratia interior efficeret, & non ad illi consentiendum dissensuras alioqui voluntates pœna compelleret, ludificatoria esset hæc tota pœnarum & calamitatum dispensatio, nugatoria sanctorum Patrum interpretatio tam sanctæ & arcanæ rei. Quod ut ne cui venire possit in mentem, ideo tantam testimoniorum congeriem hìc astruimus, ut constet sanctos Patres magnam omnino & permagnam consilii medicinalis & procurationis salutis nostræ partem in hac constituisse pœnarum & adversitatum dispensatione; cujus tamen non alius capitur fructus, quàm qui inculcatur à nobis, ut dissensure alioqui voluntates auxilio interioris gratiæ & delectationi charitatis consentire adducantur.

Insigni rursum ex Scripturis exemplo rem illustrat Gregorius: *David authoris judicio pene in cunctis placens actibus, mox ut pressuræ pondere caruit, in tumorem vulneris erupit, factusque est in morte Uriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuerat enerviter fluxus. Quem profectò ab electorum numero culpa longiùs raperet, nisi hunc ad veniam flagella revocassent.* A Davide post hostium odia & pericula superata non abscessit gratia, qua priùs ab adulteriis & homicidiis non arcebatur tantùm, sed vehementer abhorrebat. Sed cum illam gratiam priùs adjutaret perpetua exagitatio & adversitas, hinc illa efficaciter intra pietatis gyrum hominem continebat. At ubi hæc custos abscessit, tum otio & securitate lascivire, voluptatibus sensibilibus diffluere, à cœlestis gratiæ & delectatione justitiæ tepescere, fœdissimo tandem & flagitio & facinore implicari, res ipsa clamat, ut gesta est, ut in Scripturis commemoratur, ut à Gregorio exponitur. Pastor. Par. 3. c. 3.

Et idem rursus: *Illi facilè ad Deum veniunt, quos in terrenis actionibus prospera nulla comitantur.* Et vel Gregorius, vel ejus nomine quicumque alius: *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Plerumque qui præcepta Dei aure cordis audire renuunt, persecutionum verberimus admonentur, ut ad virtutis amorem pœnarum dolores pertrahant, quos æternæ vitæ præmia non invitant. De quibus nimirum scriptum est, Sola vexatio intellectum dabit auditui. Sæpè etenim amator præsentis sæculi, ab eodem quem diligit mundo ita despicitur & impugnatur, ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpescat. Quod divinæ profectò dispensatione miserationis agitur, quia in hoc mundo despectus, tanto celeriùs trahitur ad Deum, quanto nihil habet in sæculo ubi delectetur. Orat igitur fidelis anima, ut lubricos peccantium cursus mundana adversitate virtus divina coerceat, quatenus erroris sui desideria sequi non valeant, & hoc modo ad se reversi, saltem ex difficultate & impotentia peccandi resipiscant.* Et ubi suprà, *Postquam in terrenis desideriis de impossibilitate lassamur, tunc ad mentem Deum reducimus, tunc placere incipit quod displicebat.* Et alibi, *Deus humanas mentes ad ea quæ voluerit flagellis format.* Et rursum, *Illos veritas ab æterna adversitate eripit, quos in temporalibus prosperis per disciplinam premit. Qui ergo nunc renuit premi, tunc non valet eripi.* Et denuò, *Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. Afflicta mens tanto magis ad æternam patriam reditum dirigit, quanto in hoc ærumnoso exilio laboriosiùs vivit. Maligni spiritus cum bonorum corda adversantes premunt, hæc nolentes ad amorem Domini impellunt.* Ideò quibus curæ est pietas, quibus cordi est salus, adversis jactari, quàm secundis affluere malunt. *Nonnunquam verò & adversa perpeti appetunt, in transitoriis prosperari refugiunt, ne delectatione itineris à perventione patriæ retardentur.* Si verò ut idem alibi: *Electos ad vitam flagella revocant, & à malis actibus flagella compescunt*; id eo fit, quod non in hos atque illos eadem & flagellorum & interioris gratiæ mensura, ubertas, perseverantia, congruitas, conspiratio fit. Assiduitas enim, & redundantia quædam horum & foris flagellorum & intus

In Evang. Hom. 2. In Psal. 2. Pœniten. Moral. l. 5. c. 2. L. 6. c. 5. L. 6. c. 16. L. 8. c. 32. L. 15. c. 32.

intus inspirationum invictam illam efficaciam obtinet. Subinde enim implicamur in retia carnalium cupiditatum, quandiu mortalis vitæ via carpitur. *Frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent enim nonnulli viatores, cum amœna fortasse in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine declinare; eorumque gressus tardat pulcritudo itineris dum delectat. Electis ergo suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit, ne dum quisque vitæ præsentis requie, quasi amœnitate viæ pascitur, magis eum diu pergere, quàm pervenire delectet: ne dum oblectatur in via, obliviscatur quod desiderabat in patria.*

L. 23. c. 15.

CAPUT XIV.

Idem ex aliis Patribus Latinis & Græcis. Natura ipsa nostra per peccatum ita elanguit, ut nisi asperitate tribulationum stimuletur & exacuatur, torpeat & veterno quodam in voluptatum suarum luto consenescat. Rursum Ecclesia ipsa Christi virtutum splendore & laude longe florentissima fuit, quandiu illam exagitarunt persecutiones, paci ejus & otio obrepserunt statim vitia & corruptelæ morum.

IN re & Scripturarum & piorum virorum omnium sermonibus celebratissima, quotidianis etiam vitę spiritalis experimentis comprobata, hęrere aut obmutescere non potuerunt cæteri Ecclesiæ Patres. Itaque obiter eos quoque percontabimur, ut conspirantem omnium exprimamus consensum in hanc divinæ gratiæ victricem efficaciam, quæ ex adversitatum & pœnarum crebritate atque asperitate existit.

Hexam. L. 6. c. 6. Ambrosius ante alios: *Ne quisquam reprehendat quod Creator serpentes creaturis, aliaque animantium vel herbarum genera venenata miscuerit. Nata sunt enim hæc ad correctionem nostram, non ad deformationem. Nam quæ ignavis, aut infirmis, aut impiis plerumque offensioni atque terrori, sunt aliis usui. Ita sunt hæc ut pædagogi parvulis. Amari videntur, formidabiles & molesti verbere, libertatem lasciviendi negant, necessitatem disciplinæ exigunt, pueriles animos, ne luxu diffluant, terrore constringunt: ideoque horum austeritate frugi evadunt, sobrii, continentes, laudi magis quam ludo dediti.* Et mox: *Time illa, ut saltem dum formidantur, ad timorem provocare te possint.* Et idem alibi, quanta olim ex persecutionum sævitia in mores Christianorum castitas & sanctimonia redundaret, in otio & pace postea quantum corruptelarum erupisset: *Pax fidei corruptelæ materia est. Quàm pulcrè nobis processere tempora! Intentus erat intimæ ad Deum mentis affectus, illi adhærebat, nec ullas cogitationes obstrepentes sibi precantis animus sentiebat: totis visceribus fundebatur oratio, & quidam miscebatur sermo cum Domino: quotidiana meditatio habebat jam contemptum periculi, & usum calcandæ mortis receperat. Quod quia amisimus exercitium, tentant otia, quos bella non fregerant. Periculosa igitur & pacis otia. In pace plures persecutiones esse cœperunt. Nullus erat tempore persecutionis adulator, qui callida mentem adulatione tentaret. Non vacabat animo corporis delectatione dissolvi, & ejusmodi quæ secundis rebus excitari solent, admittere passiones.* Bellè hæc habent, si uni motioni seu prædeterminationi omnipotenti & indeclinabili non omnia vendicentur, sed portio aliqua illius efficaciæ, qua voluntates humanas gratia ad consensum flectit, decerpatur & adsignetur opportunitati vel importunitati temporum, locorum, rerum secundarum vel adversarum. Cur alii enim tunc mores essent, quàm ante, non eam causam obtendit aut vel suspicatur Ambrosius, quod divina interior gratia illiberalius flueret, aut omnino exaruisset: sed apertissimè & convenientissimè Scripturis, Patribus aliis, ipsique rerum experientię, docet inde obtorpuisse pristinum illum charitatis fervorem, quod persecutiones conticuissent, quod longæ pacis mala effudissent se, quod sævior armis luxuria incubuisset orbi Christiano. Et cui non obvium promptumque est, quomodo otia, voluptatum avocamenta officiant, abducantque animam à Deo, & pax ipsa quolibet infestior sit bello? Persecutio autem immane quantum profit, ut quæ amputet & prosternat omnia illa, sive retinacula, sive obstacula, & avulsos sæculo cogat quodammodo solis illis quæ residuæ & in potestate sunt justitiæ delectationibus inhærere. Si autem Dei est unica & insuperabili seu motione seu delectatione voluntates ad consensum simul & semel prædeterminare, jam nulla est belli & pacis, adversorum & secundorum discrepantia. Ubique enim ex æquo fiet illo prædeterminante, non fiet illo cessante bonum quodlibet, maximum, minimumve, facile, vel difficile, sive fremente adhuc, sive silente jamdiu persecutione. Denique mera ludificatio est, qua fideles increpat Ambrosius, nisi illo gratiarum modo interiorum, quo illi per pacis serenum abutebantur, eodem ipso inter persecutionum turbines ad pietatis officia omnia sese advertissent.

In Ps. 118. O. Ton. 12.

Et idem alibi hoc penè electos privilegio exornat, ut lascivire ne finantur fluxis sæculi illecebris, sed duris & asperis exerceantur, abstrahanturque à cœno cupiditatum. *Ergo cui vult miseretur, & quem vult obdurat. Hunc misertus hortatur, illum non revocat execratus. Et verè misericordia est Dei nostrarum militia passionum, per quam nobis peccata minuuntur. Denique Lazarus pauper, quia in hac vita toleravit mala complurima, in gremio Abrahæ requiem consolationis invenit; ille autem dives qui consolationem habuit in sæculo, post curricula vitæ hujus fructum quietis amisit. Quem si miseratus esset Deus, castigasset potius in hoc sæculo, ut postea non flagellaretur.* Et alibi: *Tentationem nunquam timere debemus. Est enim causa victoriæ, materia triumphorum. Multæ tribulationes, non quorumcumque, sed justorum. Denique quos diligit Dominus, sæpè castigat.* Electos justosque hac prærogativa frequentiorum & asperiorum tribulationum decorare nihil attinebat, vel ad divinam in eos charitatem, vel ad ipsorum salutem procurandam, si extrinseca hæc adjumenta nihili sunt, si nihil virium, nihil efficaciæ habent, si peræquè reprobis communia & promiscua esse possunt.

In Ps. 118. Octon. 10.

In Lucam L. 4.

Hieronymus in vestibulo ipso vitę Malchi Monachi: *Scribere disposui ab adventu Salvatoris usque ad nostram ætatem, id est, ab Apostolis usque ad nostri temporis fæcem, quomodo & per quos Christi Ecclesia nata sit, & adulta, persecutionibus creverit, martirio coronata sit; & postquam ad Christianos Principes venit, potentia quidem & divitiis major sed virtutibus minor facta sit.* Et alibi: *Quid Petro, quid Paulo sublimius? Neronianum gladium cruentarunt. Et ut de hominibus taceam, Dei Filius crucis ignominiam sustinuit, & tu putas beatos, qui fœlicitate hujus sæculi & divitiis perfruuntur? Magna ira est, quando peccantibus non irascitur Deus. Unde & in Ezechiele ad Hierusalem, Jam, inquit, non irascar tibi, zelus meus discessit à te. Non erudit pater, nisi quem amat. Non corripit magister discipulum, nisi eum, quem ardentioris cernit ingenii.*

Epist. ad Castruc.

In Ps. 118.

Hilarius: *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me. Disciplinam necesse est esse severitatis officium, peccata arguentis & vitia corrigentis. Correctio vero vitiorum magnum affert in bonitate profectum. Priusquam humiliarer, ego deliqui, propterea eloquium tuum custodivi. Docet Prophe-*

ta humiliationem suam emendationem esse delicti. Atque ob id bonum scit esse sibi, quidquid à Deo est, quia pati meruit quidquid pati cœpit. Et scit disciplinam emendationem esse vitiorum. Prius ergo deliquit, secundò humiliatus est, & per humilitatis disciplinam, oportet eumne derelinquat doceri.

L.5. c.23. Lactantius autem præstantissimè: *Si quis volet scire plenius, cur malos & injustos Deus potentes, beatos & divites fieri sinat: pios contrà humiles, miseros, inopes esse patiatur, sumat eum Senecæ librum, cui titulus est, Quare bonis viris multa mala accidant, cùm sit providentia. In quo ille multa non planè imperitia sæculari, sed sapienter ac penè divinitus elocutus est. Deus, inquit, homines pro liberis habet, sed corruptos ac vitiosos luxuriosè ac delicatè patitur vivere, quia non putat emendatione sua dignos. Bonos autem quos diligit, castigat sæpius, & assiduis laboribus usum virtutis exercet, nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac depravari sinit. Unde nemini mirum debet videri, si pro nostris sæpè delictis castigamur à Deo; imò verò cum vexamur ac premimur, tum maximè gratias agimus indulgentissimo Patri, quòd corruptelam nostram non patitur longiùs procedere, sed plagis ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus esse nos Deo curæ, quibus quoniam peccamus irascitur. Nam cùm posset populo suo & opes & regna largiri, sicut dederat antè Judæis, quorum nos successores ac posteri sumus, idcirco eum voluit sub aliena ditione atque imperio degere, ne rerum prosperarum felicitate corruptus in luxuriam laberetur, ac Dei præcepta contemneret, sicut illi Majores nostri, qui sæpè terrenis ac fragilibus his bonis enervati, aberrarunt à disciplina, & legis vincula ruperunt.* Quæ apprimè concinunt suprà relatis ex Ambrosio & Hieronymo.

Tertullianus similiter adversùs Gnosticos: *Est planè quasi sævitia, medicina de scalpello, deque cauterio, de sinapis incendio, &c. Horrorem operis fructus excusat. Ululans ille & gemens & mugiens inter manus medici, postmodum easdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & sævas jam negabit. Et si martyria desæviunt, sed in salutem. Licebit & Deo in vitam æternam per ignes & gladios & acerba quæque curare, &c. Perversitas quam putas, ratio est; quod sævitiam existimas, gratia est.*

Sermo. de triplici miseri. & quatuor miserati. Bernardus denique ex Latinis quatuor gradus pernumerat tum divinæ miserationis, tum curationis nostræ: *De quatuor filiabus magnæ misericordiæ dictum est, quæ sunt immissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus resistendi, & sanitas affectionis. Quandoque enim ei qui peccato quovis obligatus tenetur, piè immittit Dominus amaritudines quasdam, quæ mentem occupant hominis, & expellunt perniciosam delectationem peccati. Quandoque subtrahit opportunitatem, nec tentari patitur infirmitatem, &c.* Prima hæc sunt salutis & justitiæ fundamenta, his superstruitur virtus resistendi tentationibus, & ea demum affectionis sanitas, seu charitas habitualis, quam nec hujusmodi lacessant tentationes. Est autem adjumenti & efficaciæ plurimum in ea gratiæ parte, quæ expellit perniciosam delectationem peccati. Idem alibi: (De diligendo Deo, c.8. 9.) *Vult hominem conditor alto quidem salubriq; consilio tribulationibus exerceri, ut cùm defecerit homo, & subvenerit Deus, dum homo liberatur à Deo, Deus ab homine ut dignum est honoretur. Fit hoc tali modo, ut animalis homo vel propter se Deum amare incipiat. At si frequens ingruerit tribulatio, ob quam & frequens ad Deum conversio fiat, & æquè frequens à Deo liberatio consequatur, nonne etsi fuerit ferreum pectus vel cor lapideum toties liberati, emolliri necesse est ad gratiam liberatoris? Ex occasione quippe frequentium necessitatum, crebris necesse est imprecationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari quàm suavis est Dominus.*

Ex Græcis paucos laudabo. Climacum: *Sæpenumero Deus vanæ gloriæ cupidos per inexpectatam aliquam ignominiam in contemptum vanæ gloriæ adducit.* (Grad. 22.) Et Dorotheum: *An non conditus est homo in omni voluptate & in omni gaudio? Numquid non in paradiso erat?* (Doctrin. I.) *Jussit illi Deus, Hoc ne facias, & fecit. Vides contumaciam? Traditus est ergo proprio suo amori, traditus propriæ voluntati, ut laboribus corpus suum attereret, & miseria ipsa inobedientiæ doceret eum quietem obedientiæ, ut ait apud Prophetam, Docebit te rebellio tua. Venite ad me, ait, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Quasi diceret, Ecce laborastis, ecce miseri facti estis, jam experti estis malum contumaciæ vestræ, venite igitur, convertimini, ut redeatis in requiem & gloriam pristinam.*

Ex Chrysostomi quoque doctrina, tribulatione (In Psal. 5.) *tanquam ferro adversùs te Deus usus est, & quemadmodum ferrum nescit quid agat, futuram autem per ferrum medelam novit medicus, ita Deus ut medicus novit quid conferat, etsi id ignoret* res creata quælibet, qua cruciamur. Et idem alibi luculentè: *Non sint bestiæ, non sit aeris intemperies,* (In Acta Apost. Hom. 54.) *non morbi, non tristitiæ, non mœrores, non aliud quid tale, quid factus esset homo? Porcus magis quàm homo, ventri indulgens & ebrietati. Nunc autem curæ & sollicitudines gymnasium & schola sunt Philosophiæ. Educetur quis in aulis, & non contristetur, neque curas habeat, neque infortunium, annon qualibet bestia efficitur brutior & minùs rationalis? Nunc autem sicut eos sunt afflictiones & curæ. Eapropter pauperes sunt divitibus sapientiores, utpote multis fructibus vexati & exerciti. Corpus otiosum magis morbis obnoxium est. Et ferrum quidem si jaceat, corrumpitur; si exerceatur autem, splendet, &c. Infirmiores fiunt, qui cum parentibus enutriuntur, &c. Bona res est congrua tristitia, bona res egestas & cura. Non vides etiam Christum discipulos suos sic instituere? Si illi autem his egebant, multò magis nos. Si autem egemus, ne indignemur, sed gaudeamus in tribulationibus. Sunt enim nostris vulneribus congrua pharmaca. Gratiam igitur habeamus Deo pro his omnibus, non enim simpliciter hæc permittit fieri, sed pro utilitate nostrarum animarum.*

CAPUT XV.

Morbis & vulneribu perdomatur contumacia illa animi, quæ gratiæ cœlestis inspirationibus obluctabatur. Cùm enim vehementiùs anima morbos & dolores acerbissimos detestetur, quàm nugas illas amet, quæ à gratiæ obedientia illam alienant, ut illis sese expediat, has abjicit, & ita gratiæ & delectationi cœlesti consentit. Varia ejus rei exempla.

Etsi corporis ægritudines voluntatem liberam animæ rationalis non afficiant proximè & immediatè, valent tamen plurimùm ad illam & ab iis avocandam rebus, quibus oblectatur, & ad eas res impellendam, à quibus abhorret, si quid hinc levamenti expectetur. Quo enim cumque demum modo discriminentur facultates animæ, tum inter sese, tum ab ipsa anima, magistra tamen certissima experientia ita nos edocet, unam esse animam, indivulsam, individuamque substantia, quę tota vult quidquid per semetipsam vult, tota sentit quidquid per corporeos sensus vel suavitatis vel asperitatis sentit. Cùm ergo una & individua animæ substantia, & ex carnis societate doleat, & velit suapte vi intus, facilè & penè necessariò adducetur eas voluntates abjicere, quibus angores & dolores ejusmodi sibi procreantur, vel eas inducere, quibus propulsantur. Omnipotentis gratiæ ars & providentia contumacissimas

mas

mas improborum voluntates persæpè hac industria infregit, & ad obsequium revocavit. Ipsos earum affectus alios aliis commisit, collisit, perdomuit, non aliter quàm causarum naturalium foris immutatione.

Etenim cùm in istiusmodi hominibus dominaretur gemina affectio, altera respuendi divinas omnes justitiæ & gratiæ inspirationes, ut interim carnales delicias ingurgitarent: altera corporeas consectandi illecebras, & molestias omnes sensuum fugitandi: utrique huic affectioni serviebant illi, quandiu nihil inter eas dissidii exoriebatur. At ubi omnipotens providentia assiduitate morborum & ærumnarum fatigat horum hominum inobedientiam, tum geminæ illæ affectiones confligantur inter se, & alteram alteri necessum est subjugari. Vincet ergo & dominabitur, quæ imperium in anima antiquius & invictius obtinet, dolorum & infœlicitatis fuga. Ecquis enim est tam alienus à divinæ gratiæ suavitate & obedientia, ut non multò alienior sit ab angorum dolorumque sensibilium perpessione? Adde quòd alienatio illa ab obsequiis divinis, non aliunde quàm ab aliquo sensu vel metu molestiæ gignebatur. Ergo metum illum vel sensum molestiæ ex obedientia imminentis vincet haud dubio longè importunior diuturniorque seu ægritudinis seu vulneris dolor.

Ita nullius rationalis naturæ tam obstinata malitia est, aut tam pervicax adversùs divinam legem improbitas, quæ non hac arte frangatur, quæ non hac medicinalium dolorum vi ac diuturnitate molliatur. Nullius enim tanta est ad lambendas peccati delicias propensio & cupiditas, ut non vehementior incomparabiliter ejusdem sit major dolorum acerbitatis & perpetuæ infœlicitatis aversio. Ut enim dux & princeps ac moderatrix quædam est omnium cæterarum animæ affectionum, felicitatis cupiditas, & detestatio miseriæ ac cruciatuum; ita ubi hæc affectio sociam se & commilitonem gratiæ divinæ adjunget, tum necessum erit affectus omnes alios cedere & inflecti ad obsequium gratiæ.

Illustriorem facient rem exempla à sanctis Patribus suppeditata. Narrat Gregorius Presbyterum quendam semel iterumque divinitus jussum, ut Episcopum de morte imminente admoneret, seu metu, seu pudore quodam subrustico non paruisse, *Quia mansuetudinem contemptæ gratiæ major sequi solet ira vindictæ, visione tertia Dominus apparens, jam verbis addidit verbera, & tam districta cæde mactatus est, ut in eo duritiam cordis emollirent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, &c.* Non emolliunt cordis duritiam vulnera corporis, quam sola emollit gratiæ & charitatis dulcedo. Sed hæc suavitas gratiæ minùs erat efficax, donec suppetias tulit fuga dolorum innata, & propriæ incolumitatis nativa cupiditas. Suavitati gratiæ & incolumitatis amori unà conspiranti cessit metus pudorque, qui horum alterutri sejunctim non cessisset. (In Evang. hom. 37.)

Memorat idem alibi pientissimam fœminam nomine Romulam paralysi ęgram decubuisse, *Ut ipsa ei detrimenta membrorum fierent virtutum incrementa; quia tantò sollicitiùs ad usum orationis succreverat, quantò & aliud quodlibet agere nequaquam valebat.* Poterat cœlestis inspiratio gratiæ Romulam alienare penitus ab exterioribus sæculi nugamentis, & totam intus recolligere atque demergere in orationis & virtutum studia. Sed divinæ omnipotentia voluntatis tam molliter, tam verecundè, & penè tam reverenter agit cum humana libertate, ut ejus indifferentiæ omnino consultum sit. Illis ergo malis quæ nostram mortalitatem necessariò consectantur, affligari Romulam passus est Deus, ut sæculi avocamentis ita ablegatis mens sibi ipsa vacare, & Deo consuescere faciliùs persuaderetur. Non renuebat enim oblatas cœlestes delicias, postquam vis ipsa morbi sæculares omnes illecebras circumscripserat. (In Evang. hom. 40. & Dialog. l. 4. c. 15.)

Rursus idem quod eodem anno in suo Monasterio geri viderat, refert in hunc modum. Juvenis malè moratus jamdiu fatigabat omnes improbitate sua, tandem pestilentia quæ tum grassabatur afflatus, affixusque lecto, draconem vidit irruentem, & jam jam sese devoraturum, nisi intercessissent preces Monachorum ibidem pro eo orantium. Comprimebat jam illum draco, & caput ejus deglutiebat, cùm ille Monachum se fore, & pietati seriò se vacaturum devovet. Ita fugatus est quidem draco, sed febribus doloribusque perdiu subactus est. *Quia enim longis & diuturnis iniquitatibus pressus est, longo languore fatigatur; & durum cor ignis purgationis durior concremat, quia divina dispensatione agitur, ut prolixiora vitia ægritudo prolixior exurat. Quis illum unquam servari ad conversionem crederet? Quis tantam Dei misericordiam considerare sufficiat? Ecce juvenis pravus draconem vidit in morte, cui servivit in vita: nec vidit, ut vitam funditus perderet, sed ut cui servierat sciret, sciendo resisteret, ipsumque resistendo superaret: & eum à quo prius non videns tenebatur, vidit postea ne teneretur.* (In Evang. hom. 19.)

Huc facit & quod Eusebius commemorat de Natali Confessore eximio, qui Episcopatus & ingentis pecuniæ illecebra excantatus, & ad hæreticos adgregatus, ad Dominica castra revocatus est eodem sævientis misericordię ingenio. *Sociatus partibus hæreticorum, sæpe à Domino corripiebatur in somnis. Clementissimus enim Deus ac Dominus noster Jesus Christus eum qui passionum suarum testis extiterat, extra Ecclesiam suam perire nolebat. Sed cum nocturnas ejusmodi visiones negligeret Natalis, utpote honore primæ apud illos sedis & pecuniæ cupiditate inescatus, tandem à sanctis Angelis per totam noctem flagris cæsus, & gravissimè verberatus est, adeo ut primo diluculo consurgens saccum induerit, & cinere conspersus, confestim cum lacrymis ad pedes Zephyrini Episcopi sese abjecerit, &c.* (Hist. Eccl. l. 5. c. 28.) Divinæ gratię vis cœlestibus etiam ostentis munita, necdum par erat frangendæ Natalis vel in honores vel in opes effervescenti cupiditati. At ubi tuendæ vitæ dolorisque acerbissimi fugiendi cupido indixit ipsa quoque bellum avaritiæ & ambitioni, & cum gratia divina conspiravit, profligata est & prostrata tota illa terrenarum cupiditatum contumacia. Vitam cruciatuumque cessationem qualibuscumque & quantiscumque affectibus aliis mortales omnes anteponunt. Nullos ergo non debellabit vitiosos hominum affectus cœlestis gratia, cùm in castris suis habere volet hos eorum omnium dominos & domitores affectus, vitæ & integritatis & dolorum fugæ amores.

Vuillelmus Abbas sancti Theodorici Remensis in vita sancti Bernardi Clarævallensis Abbatis, rem hujusmodi narrat, ex qua liquet, quantarum sit virium corporea ægritudo, ad contundendam illam hominum pugnacitatem, qua divinæ gratiæ inspirationibus obluctantur. Cùm venaretur Bernardus consanguineos & proximos quosque suos, ut in monasticæ vitæ retia illos contruderet: *Guido primogenitus fratrum ejus, conjugio jam alligatus erat, vir magnus, & magnoperè in sæculo radicatus. Hic primo paululum hæsitans, sed continuo rem perpendens & recogitans, conversioni consensit, si tamen conjux annueret. Verum id de juvencula nobili & parvas filiolas nutrienti penè impossibile videbatur. At Bernardus de misericordia Domini spem concipiens certiorem, incunctanter ei spopondit, aut consensuram fœminam, aut celeriter morituram. Verum cum omnimodis illa renueret, vir magnanimus virile consilium Domino inspirante concepit, ut abjiciens quidquid habere videbatur in sæculo, vitam institueret rusticanam, laborare scilicet manibus propriis, unde suam sustentaret & uxoris vitam, quam invitam dimittere non liceb. Nec mora supervenit Bernardus, flagellatur,* (L. 1. c. 3.)

prædicta uxor Guidonis infirmitate gravi, & agnoscens quia grave sibi esset contra stimulum calcitrare, accersito Bernardo veniam deprecatur, & prior ipsa conversionis petit assensum. Denique juxta morem Ecclesiasticum separata à viro, interveniente parili voto castitatis, in cœtum sanctimonialium transiiit fœminarum. Vitam conjugalem hæc mulier amabat impensè, sed longè impensiùs vitam ipsam. Itaque amore vitæ expugnatus est amor conjugii, quo illa retinebatur gratiæ monasticam sanctimoniam suadenti. Debellato adversario, facilem consensum expressit gratia.

Ibidem. Pergit idem de alio Bernardi fratre non dissimili per vulnera & cruciatus adacto expuere contumaciam, & gratiæ consentire: *Secundus natu post Guidonem Ferardus erat, miles in armis strenuus & magna prudentia. Qui cæteris ut dictum est, primo auditu & prima die acquiescentibus, ut est mos sapientiæ sæcularis, levitatem reputans, obstinato animo salubre consilium & fratris monita repellebat. Tum Bernardus fide jam igneus & fraterna charitatis zelo mirum exasperatus in modum: Scio, inquit, scio, quia sola vexatio intellectum dabit auditui. Digitumque lateri ejus apponens, Veniet, inquit, dies, & cito veniet, cum lancea lateri huic infixa, per vium faciet iter ad cor tuum consilio salutis tuæ, quod aspernaris, & timebis quidem, sed minimè morieris. Sic dictum, sicque factum est: paucissimis interpositis diebus, circumvallatus ab inimicis, captus & vulneratus juxta verbum fratris, lanceam gestans ipsi lateri, eidemque infixam loco, trahebatur, & mortem quasi jam præsentem metuens, clamat, Monachus sum, Monachus sum Cisterciensis.* His sanè verbis, *Durum est contra stimulum calcitrare*, & his rursum, *Sola vexatio dat intellectum*, sed multò magis rei ipsius gestæ evidentia perspicuum est, morbo, vulnere, mortis metu edomitam esse duritiam quæ gratiæ retinebatur. Nec queri jure potest libertas nostra, cùm morbis & vulneribus cruentari humanum sit, cùmque hæ sint dotes, hic census sit nostræ mortalitatis; cùm cæteri passim homines his ipsis conflictentur malis, nec ad salutem tamen his propellantur æternam. Quòd verò malimus assentiri gratiæ, quàm morbo, vulneri, morti succumbere, cùm hæc longe acerbiora sint, quàm quæ gratia præcipit, & suadet, nostræ libertatis illa indoles est & natura, molestias leviores gravioribus anteponere, affectus minusculos majoribus posthabere.

CAPUT XVI.

Alia accumulantur ejusdem rei exempla, ut morbis corporis animæ vitia expurgentur.

Bibl. Clun. pag. 16. ODonem Cluniacensem postea Abbatem, cùm primævo ætatis flore vigeret, pater à religiosæ vitæ proposito abducere laborabat, cùm venatu, tum aliis sæculi oblectamentis. *Sed omnipotens Deus qui invitis salutem præstat, & vocat ea quæ non sunt, quasi ea quæ sunt, cœpit me in somnis terrere, & vitam meam in malum pronam ostendere, & insuper totam meam venationem vertebat in fatigationem. Nam quanto amplius me ingerebam hujusmodi lusibus, tanto redibam mœrens, sive omni defectu & fatigatione confusus.* Non est à vero remotum quod hîc dicitur, *ab omnipotente Deo salutem invitis præstari*: antè enim per ista cruciantium dolorum, morborum, vulnerumque experimenta, per mortis denique terriculamenta, ex invitis voluntarios, ex repugnantibus consentientes facit, ut malint & corpore & mente vivere, quàm utramque simul mortem mori, qui mente vivere respuissent, si interim carne vivere & deliciari licuisset.

Cap. 39. Romualdus Camaldulensium Parens flagrabat amore martyrii, ut author est Petrus Damiani in ejus vita, nec divino tamen consilio ad hanc lauream vocabatur. Itaque itineri se dat, in Pannoniam iter properat, ubi fundat sanguinem. Injecit Deus illi obicem, morbum & stomachi nauseam, toties recursantem, quoties viæ se committeret, cessantem ubi cessaret. Ita intellexit, quod pia animi cupidine intelligere vetabatur, acquievitque divino consilio, ad alias ipsum palmas provocanti.

Vulstanus Vuigorniensis Episcopus sanctitatis laude præclarus, authore Villelmo Malmesburiensi in ejus vita, Sevulfo mercatori in eadem sæpiùs peccata prorumpenti, insusurrabat tandem salubre consilium amplectendæ vitæ monasticæ, ut peccandi occasionibus se eriperet. Ille detrectabat & tergiversabatur, nec enim ferendo se esse tanto oneri monasticæ disciplinæ. Ad quem tum Vulstanus, *Vade, velis, nolis, monachus fies, sed cùm vitiorum utensilia in te senuerint.* Ei sanè cùm senio obrepente consenuissent ac refriguissent & vitia, ad hæc incurrante & compellente corporis gravi ægritudine, in Monasterium tandem compulsus est. *Quod nos postea vidimus, quia in nostro Monasterio jam senectute fractus, morbo admonente conversus est.* Gratiæ non obnititur nisi vitiosa concupiscentia. Hanc non extinguunt penitus, sed debilitant extenuantque senectus, morbi, vulnera, ægritudines, quædam ipsius mortis adventantis præsensio.

Hildegardis, ut in ejus vita scribitur, divinitus jussa fuerat literarum monumentis suam ipsius vitam consignare. Cunctabatur illa & procrastinabat rem, seu pudore, seu demissione animi, seu metu pervagatissimę hominum in criminando & in obtrectando temeritatis. Has denique moras non amputavit nisi ingens ægritudo corporis, quę tum ingravescebat cum à scriptitando cessaret. Complura istiusmodi legere est exempla in vita ejusdem virginis, virtutum usu & splendore clarissimæ, quæ tamen divinę voluntatis imperia tum demum persæpè implevit, cùm ejus cunctationem morbi vis aliqua intolerabilis castigabat. L. 1. c. 26. L. 2. c. 5.

Memorabili exemplo alia virgo sanctissima divinis jussis obtemperare detrectabat, donec mira hac arte consensus voluntaris ejus extorqueretur. Eucharistiam nempe suas delitias deglutire non poterat, nisi constituisset morem gerere & obsequi divinæ voluntati. *Dominus per hoc præstantissimum sacramentum compellebat eam facere vel invitam.* Sur. die 6. Martii In vita B. Coletæ cap. 41.

Romualdum & Hildegardim virtutes penè ipsę, charitas & humilitas, à divino obsequio retardabant; & inclinabant tamen eædem ipsę ad morigerandum divinæ voluntati. Illum charitas ad martyrium, hanc humilitas ad silentium hortabatur, & rursum utrumque utraque ad divinæ jussionis obedientiam incitabat. Cùm ergo harum virtutum proclivitas multiplex & penè sibi adversa tunc esset, voluntas libera suo nutu illi vel huic incumbebat. Hildegardis humilitatem, quia eodem inclinabat, juvabat & privatus amor quietis cupidus, fugitans ignominiæ & convitiorum. Ita privatus amor subnixus parte aliqua virium humilitatis, refellebat pronitatem alteram ejusdem humilitatis, ad obediendum incitantem, refellebat & inspirationem obedientiæ peculiarem, & vincebat. At ubi afflictatio corporeę valetudinis roborare cœpit hanc alteram humilitatis partem, obedientię conciliatricem, & in easdem partes pertraxit amorem privatum, doloris & morborum impatientem, nimirum eò inclinavit victoria, ubi & humilitatis virtus dimidia, & tota cœlestis inspiratio, conspirante privato amore decertabat adversùs dimidias humilitatis vires aliò vergentes.

In Romualdo charitas martyrii siti ęstuabat, sed convenienter divinę voluntati. Voluntas libera

bera indulgebat illi priori, non huic alteri charitatis incitationi: seu impetus quidam & fervor animi, seu privati amoris afflatus in causa esset, cùm tam diuturni curriculi tædium & moras abrumpere arderet. Reliquias istas humani affectus ubi morbi acerbitas elisit, tum voluntatis libertas totam se charitati concredidit, martyrium suadenti, sed vel martyrio divinæ voluntatis imperia anteponenti.

Minutias istas & dispensationem providentissimam, hanc virium hinc & inde adunationem, separationemque, affectuum, virtutum, gratiarum conflictationem & conspirationem si quis diligentia qua par est pensitarit, id facilè intelliget, quàm non obstrepat humanæ libertatis indifferentiæ omnipotens Dei voluntas & gratia. Integrum enim Deo est quo vult cumque nostras inclinare omnipotentissimè voluntates, in eam partem transferendo eas & rerum illecebras, & animorum affectiones, quæ ad id vergant.

Gradu 6. Libet & ex Joanne Climaco aliqua in rem istam excerpere. Sic enim ille: *Non committam quin tibi etiam Solitarii illius Chorebitæ factum exponam. Hic prioribus annis neglecta prorsus animæ cura & salute, in summa vitæ religiosæ negligentia versabatur. Tandem gravi afflictus morbo, cùm ad extrema penè venisset, ad unius horæ spatium vita omnino cessisse videbatur. Sed ubi ad se rediit, rogavit nos omnes uti quamprimum omnes ab illo recederemus. Statimque cellæ suæ januam obstruxit, mansitque ita inclusus annos totos duodecim, nullam verbum cum ullo locutus, nihilque præter panem & acquam gustabat. Sed eodem in loco sessitans, ea quæ in excessu viderat, ita cogitabundus revolvebat, ut nunquam proprii corporis statum & habitum mutaret, sed semper attonitus, & velut à sensibus avocatus, altoque silentio defixus, calentibus lacrymis mundaretur. Cùm verò jam illi mors immineret, tum nos effracta janua ingressi, multaque precati, hoc unum & solum ab eo extorsimus, Ignoscite, inquit, nemo qui mortis memoriam animo infixerit, unquam peccare poterit. Quo nos responso perculsi obstupuimus, admirati tam subitam & beatam vitæ morumque mutationem & metamorphosin, qui antea ipsius negligentiam noveramus.* His verò si quis inficiatur, præter internarum gratiæ inspirationum efficaciam, quæ priùs irrita cadebat, magnam prorsus & incredibilem vim fuisse in morbo, in ostenso, in mortis præsentis terrore, næ ille parum æquus videbitur rerum æstimator.

Et idem alibi de iisdem solitariæ vitæ sectatoribus: *Aliquos animadverti affligi, sed per morbum*
Grad. 26. *corporis veluti inflictam aliquam pœnam à morbis animi curatos, Deum veneratus, gratiam ipsius laudavi, quod lutum luto repurgarit.* Cùm ex lascivia enim & sagina corporis vitia quædam scateant, mentemque infestent, quis nisi valdè amens neget hos animi morbos morbis corporis curari, & ita quod ait Climacus, *lutum luto repurgari?* Et ibidem paucis interjectis: *Est morbus à Deo propter peccatorum sordes abluendas immissus, est & morbus qui ad elationem animi retundendam valet. Optimus & clementissimus Dominus noster non raro cùm aliquos remissiores in studio pietatis videt, per adversam valetudinem tanquam faciliorem exercitationem corpus & carnem humiliat, & quandoque etiam animam ab improbis cogitationibus & vitiositatibus repurgat.*

CAPUT XVII.

Gratia quæ ex Evangelicis verbis trahit, compellit, cogit, hoc est gratia sive ad conversionem, sive ad perseverantiam efficacissima, constat etiam tribulationibus, & hæ vim habent perquam ingentem compellendi, trahendi, cogendi. Probatur ex Augustino, Gregorio, Bernardo.

Usque adeo permagnam efficaciæ partem sancti Patres decerpserunt & vendicarunt flagellis, morbis, adversitatibus, ut hanc demum interpretati sint esse gratiam, quæ *compellit, trahit, cogit*. Cùm his enim vocibus soleant & Scripturę & sanctissimi Scripturarum interpretes designare gratiæ efficaciam insuperabilem & victricem: si gratia eam vim per terrores & tribulationum asperitates potissimum exerat, planum erit non aliter invictam illam efficaciam fore exponendam, quàm quòd blandienti intus gratiæ ubi consentire negligimus, nugatoriis mundi delinimentis fascinati, per flagella foris increpantia ab iis avocamentis avellimur, gratiæ obsequi & obtemperare compellimur. His porro cruciamentis supersederet clementissimus Medicus animarum, si eorum nullam vim, nullam efficaciam, sed omnia in unius motionis interioris potestate esse intelligeret. Nec Patres illi, quibus magistris in gratiæ maximè quæstionibus, nos uti & auscultare jubet Ecclesia, vim cogendi, trahendi, compellendi ex tribulationum acerbitate derivarent, si totam illam dimanare rescissent ex interiori charitatis inspiratione.

Vim & coactionem nescio quam sancti Patres hic crebrò commemorant, sed libertati prorsus innoxiam. Nam & pueri cùm plagis adducuntur velle & amplecti ea, a quibus alienissimi erant: & merces in mare qui jactant, ut vitæ & saluti consultum sit, etsi hi modo quodam cogantur, nihil tamen de eorum libera & indifferenti voluntate deteritur. Sed affectus eorum inter se colliduntur, ut alii alios frangant, vincat amor vitæ cupidinem lucri: ejiciat ludi pruritum aversatio doloris & plagarum: non cogat, non vim faciat voluntati, nisi voluntas.

Porro vis ista & necessitas cùm moralis sit tantummodo, moralem quoque tantùm infallibilitatem consequitur. Resistitur ergo illi quandoque, non diu, non semper. Obdurescunt nonnunquam parvuli ad plagas, sed fatigantur tandem & inflectuntur earum vel diuturnitate vel asperitate. Vitam quàm merces semel & iterum aliquis maluit perire naufragio, sed nemo sæpiùs ita insaniret, ut vitam posthaberet iis, quæ in usum tantùm vel oblectationem vitæ appetuntur, & amissa vita jam nihili sunt. Ita & peccatoris inveterata durities non emollescit statim, ut inspirationum gratiæ suavitate perfunditur, vel tribulationum tunditur tempestate: sed contereretur tandem & perfringetur harum diuturnitate & sævitia. Nimirum affectus ille animi, qui gratiæ sursum invitanti renititur, quantumvis altè inhæserit, altiores tamen radices in eodem egit animo & imperium multò invictius obtinet affectus alius, seu vitæ & salutis tuendæ, seu doloris & cruciatus effugiendi. Ab isto itaque ille debellabitur, & ita victrix evadet gratia, conspirante secum eo affectu qui cæteris principatur.

Augustinus dilucidè vim illam quæ cogit & trahit in fidei gratiam, tribulationibus & angustiis vendicat. Sic enim Donatistas objurgat, qui pœnis & mulctis cogi se ad unitatem Ecclesiæ complectendam ægrè ferebant, & causabantur à Deo neminem ad fidem, neminem ad religionis cultum constringi. Contra Augustinus à Deo ipso constringi, compelli, cogique homines docet ad fidem quam aversabantur sectandam, non ut inviti credant, sed ut pœnarum acerbitate volentes ex nolentibus, amantes ex timentibus fiant. *Quod* Contra secum Gaudent. Epist. L.2.c.17. *vobis videtur invitos, ad veritatem non esse cogendos, erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, dum coguntur inviti. Nunquid enim pœnitentiam Ninivitæ inviti egerunt, quia hoc Rege suo compellente fecerunt? Jam enim Propheta iram Dei universæ civitati, eam triduo perambulans, prænunciaverat. Quid igitur opus erat Regis imperio, ut humiliter supplicaretur Deo, qui non intuetur ora, sed corda, nisi quia erant in eis quidam*

qui

qui nec curarent nec crederent prædicta divina, nisi territi potestate terrena? Ita agitur jussione regiæ potestatis, contra quam fit voluntarius vester occasus, multis ad salutem quæ in Christo, præstatur occasio: qui etsi violenter adducuntur ad cœnam tanti Patrisfamilias, sed compelluntur intrare, intus tamen inveniunt, unde se lætentur intrasse. Cœlestis iræ comminatione movebantur aliquantum Ninivitæ, at ubi accessit regiæ indignationis metus, tum peccandi finem fecere: desuetudine peccandi ad consuetudinem justitiæ, comitemque consuetudinis dulcedinem adducti sunt. Ita & qui à divino epulo abhorrebant, & ad id plagis compulsi sunt, ejus suavitate delibata, deinceps cupidissimè illius gustu oblectabantur.

De verb. Dom. serm. 28. Qua de ipsa re alibi idem Augustinus: *In Evangelio ad cœnam vocati sumus. Imò alii vocati, nos non vocati, sed ducti: non solùm ducti, sed etiam coacti, &c. Veniant de sepibus Hæretici, trahantur à sepibus, evellantur à spinis. In sepibus hæserunt, cogi nolunt. Voluntate inquiunt nostra intremus. Non hoc Dominus imperavit, Coge inquit intrare. Foris inveniatur necessitas, nascitur intus voluntas.* Quo nihil magis appositum. Nec enim persecutio aut pœna voluntatem inspirat bonam: intus nascitur, imò supernè infunditur bona voluntas, seu charitatis inspiratio. Sed persecutio foris sæviens tergiversationes affectionesque sequiores, quæ à consensu voluntatem retardabant, resecat & circumscribit.

In Evang. Hom. 36. Gregorius Magnus in eandem sententiam: *Notandum quod in hac invitatione tertia non dicitur, Invita, sed, Compelle intrare. Nequaquam dicitur, quia vocantur, sed compelluntur intrare. His plerumque contingit, ut eos in carnalibus desideriis suis, mundi hujus adversitas feriat, apprehendere temporalem gloriam conentur, & nequeant, &c. Plerumque postquam in hoc mundo non possumus obtinere quæ volumus, postquam in terrenis desideriis de impossibilitate lassamur, tunc ad mentem Deum reducimus; tunc placere incipit quod displicebat, &c. Qui ergo hujus mundi adversitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, isti compelluntur ut intrent.* Complura istiusmodi ex Gregorio suprà sparsimus.

In Cant. Serm. 21. Bernardus autem elegantissimè suo more: *Trahe me post te. Et quid mirum si indiget trahi, quæ post gigantem currit? Trahe me post te, ne incipiam vagari post amatores alios, ne curram quasi in incertum? Trahe me post te, quia satius est mihi ut me trahas, ut scilicet vim qualemcumque mihi, aut terrendo minis, aut exercendo flagellis inferas, quàm parcens in meo me torpore malè securam derelinquas. Trahe quodammodo invitam, ut facias voluntariam. Trahe torpentem, ut reddas currentem. Erit quando non indigebo tractore, quoniam voluntariè & cum omni alacritate curremus.* Non destituerat gratia interior Sponsam quæ hìc loquitur, affluebat illi, & quidem copiosa. Sed torpebat tamen aliquando, & trahi egebat, ne amatores alios, ne terrenas nugas sequeretur. Nimirum quantumvis abundet gratia, fatiscit & deficit subinde voluntas sua sponte, & efficacia cumulatiore divini adjutorii eget, ut excitetur, *ut trahatur, vel terrendo minis, vel exercendo flagellis.* In his enim tantum adjumenti, tantumque efficaciæ est, ut *trahant torpentem, reddant currentem: trahant invitam, reddant voluntariam: vim inferant quodammodo.* Ita concinit Augustino Bernardus, gratiamque invictissimè efficacem, cogentem, trahentem, ex nolentibus volentes, ex torpentibus currentes facientem, eam esse sancit, quæ non interiori tantùm inspiratione charitatis constat, sed & exteriori hac flagelorum disciplina, quæ cunctantes & detrectantes interiori gratiæ assentiri urget, compellit, cogit quodammodo.

Et ne suspicio sit, principia tantùm conversionis ita perfici, rudes tantùm & carnales his aculeis stimulari & penè cogi, ut gratiæ consentiant: ipsa Bernardi verba illam jam difflarunt suspiciunculam. Sponsa enim id orat, in altum jam provecta charitatis fastigium, unumque id in votis habens, ne post amatores alios vagari incipiat, hoc est, ne charitatem veritatis aliqua terreni amoris contagione inquinet. Adde quòd mox Bernardus perfectissimos quosque demonstrat his stimulis agi & incitari debere. Quærit enim cur Sponsa dicat, Trahe me, & non, Trahe nos; cùm mox addat, Et curremus? Respondet autem, *Charitas ita postulabat. Disce per hoc verbum à me in spirituali exercitio duplex auxilium desuper sperari, correptionem & consolationem. Altera foris exercet, altera visitat intus. Illa reprimit insolentiam, ista in fiduciam erigit. Illa operatur humilitatem, ista pusillanimitatem consolatur. Illa cautos, ista devotos facit. Timorem Domini docet illa, ista ipsum timorem infuso temperat gaudio salutari. Trahimur cùm tentationibus & tribulationibus exercemur: Currimus cùm internis consolationibus & inspirationibus visitati, tanquam in suaveolentibus unguentis respiramus. Ergo quod austerum & durum videtur, retineo mihi, tanquam forti, tanquam sanæ, tanquam perfectæ: & dico singulariter, Trahe me. Quod suave & dulce, tanquam infirmo, tibi communico, & dico, Curremus. Novi ego adolescentulas delicatas & teneras esse, & minùs idoneas sufferre tentationes. Et propterea mecum volo ut currant, non ut mecum trahantur. Volo habere socias consolationis, non autem & laboris. Quare? Quoniam infirmæ sunt, & vereor ne deficiant, ne succumbant. Me, inquit, ò Sponse, corripe; me tenta, me trahe post te: quoniam ego in flagella parata sum, & potens ad sustinendum.* Nimirum ut sublimes & perfectissimæ animæ à fecibus terreni amoris funditus expientur, ut excoquantur in charitatem veritatis liquidissimam & purissimam, eas necesse est vehementiùs trahi, hoc est, tribulationibus crebrioribus & acerbioribus exagitari, quibus ferendis pares non essent aliæ inferioris gradus; quas adeo satius est minùs trahi, seu mediocriùs exerceri.

Plura capite sequenti contexam ex eodem Bernardo in ejusdem rei confirmationem. Nunc nihil erit periculi, si Cassianum quoque audiamus, quà Bernardo, Gregorio, ipsi denique Augustino succinit, hoc est, castissimorum de divina gratia dogmatum ducibus & præcentoribus. Adde quòd non de gratia præveniente hìc quæritur, in qua potissimum ille cæspitavit. *Ut tres hi vocationum modi pandantur, primus ex Deo est, quoties inspiratio quædam in cor immissa, nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ ac salutis exsuscitat. Secundus per hominem, cùm vel exemplis quorundam Sanctorum, vel monitis instigati, ad desiderium salutis accendimur. Tertius vocationis modus est, qui ex necessitate descendit, cùm divitiis hujus mundi, vel voluptatibus obligati, ingruentibus repentè tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur, vel amissione bonorum ac proscriptione percutiunt, vel charorum morte compungunt, ad Dominum quem sequi in rerum prosperitate contempsimus, properare saltem inviti compellimur. Cujus vocationis necessitatem in Scripturis sæpissimè reperimus, cum filios Israel ob merita peccatorum suorum legimus à Domino traditos hostibus suis, ob quorum dominationem crudelitatemque sævissimam, rursus conversos ad Dominum proclamasse, & misit eis Dominus Salvatorem, &c. Cùm occideret eos, quærebant eum, &c. Clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, &c. Ex his itaque tribus modis licèt priores duo melioribus inniti principiis videantur, nonnunquam tamen invenimus etiam de tertio gradu, qui infimus videtur ac tepidus, perfectos viros & spiritu ferventissimos extitisse. Nec enim Abbati Moysi quidquam defuit ad perfectæ beatitudinis meritum quod me-* Collat. 3. c. 4.

tu mortis, quæ ei propter homicidium intentabatur, impulsus ad monasterium decucurrit, quia ita necessitatem conversionis arripuit, ut eam in voluntatem prompta animi virtute convertens, ad perfectionis fastigia summa pervenerit. Aut quid obfuit Paulo, quod repentè cæcatus, ad viam salutis velut invitus videtur attractus?

Collar. 13. c. 15. 17. Idem alibi memorat de gratia, *quæ invitum & repugnantem attrahit Paulum*. Et rursus infrà: *Per hæc exempla quæ de Evangelicis protulimus monumentis, evidentissimè poterimus advertere, diversis atque innumeris modis & inscrutabilibus viis Deum salutem humani generis procurare; & quorundam quidem volentium & sitientium cursum ad majorem invitare flagrantiam, quosdam verò etiam nolentes invitosque compellere, &c. In eo quod prior advocat, & ignorantes nos atque invitos attrahit ad salutem, protector & salvator est*. Rursum moneo invidiosum esse non posse, si Cassiani ea probentur, quæ inculpatis gratiæ vindicibus consentiunt, Bernardo, Gregorio, Augustino. Cùm vel maximè in hoc tertio genere vocationis acquiescat Cassianus divinæ gratiæ adjutorio anteveniri humanam voluntatem, si modò consentiat non externo tantùm flagelli medicamento, sed interioris gratiæ afflatu eam præveniri.

CAPUT XVIII.

Gratia illa efficacissima qua Pater cœlestis trahit ad Filium, ut Filius ipse author est, Augustino & Bernardo interprete, per tribulationes & calamitates trahit, & ita ex invitis volentes facit.

ILlud demum efficacissimum est divinæ gratiæ adjutorium, quo Pater trahit ad Filium, sine quo nemo venit ad Filium, de quo denique Christus ipse pronunciat, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*. Atqui hæc gratia vim suam victricem & insuperabilem exerit per amaritudinum, calamitatum, persecutionum asperitates assiduas & graves, authore cum primis Augustino, & secundùm illum Bernardo, in quorum vestigia inoffenso ut spero pede insistemus. Ergo vis efficaciæ invictæ non in solo motionis seu premotionis interiori ictu, non solo in delectationis & charitatis intimæ afflatu posita est, his enim humana plerumque renititur, & usque reniteretur pervicacia, nisi flagellis cæderetur & inflecteretur ad consensum interiori illi inspirationi præstandum.

C. 20. liter. Petil. l. 2. c. 8. Augustinus: *Si tibi proponam quæstionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficilè soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent. Sicut ergo fieri potest, ut quos in libero dimisit arbitrio, attrahat tamen ad Filium Pater: sic fieri potest, ut ea quæ legum coercitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium. Quidquid enim homo durum & molestum patitur, admonetur ut cogitet, quare patiatur: & si viderit iniquitatem esse pro qua patitur, se infructuosissimè laborare atque cruciari considerans, mutet in melius voluntatem, simulque careat & molestia sterili, & ipsa iniquitate*. Humana libertas ita sui juris est, ut in potestate tamen sit aliorum imperii gubernacula tractantium, & ipsius maximè summi imperatoris Dei. Ita cùm seu divinis, seu humanis legibus ac pœnis constringitur nostra voluntas, libero nihil derogatur arbitrio. Creata enim hæc est, non summa & increata libertas, ideoque finibus quibusdam officii circumscribitur. Adde quod leges & pœnæ etsi urgent, & impellunt, non tamen ullum necessitatis vinculum indeclinabile illi injiciunt ullo in actu singulari, etsi ita illam circumagant, ut tandem cedat & obsequatur. Legibus imperatoriis earumque pœnis non omnes, sed complures tamen Donatistæ ad fidei Catholicæ unitatem perducebantur. Ita & ærumnis atque amaritudinibus quibus nos Deus ad se revocat, non statim, non singulis emollimur, sed compluribus, sed omnibus simul conspirantibus cum interiorum auxiliorum copia omnigena. Ita in singulis actibus constat indifferentia liberæ voluntatis illibata, universim tamen & ex hominum genere pœna cohibebit saltem aliquos à scelere, & aliquem singularem hominem sin minus hæc aut illa, saltem aliqua pœna, saltem pœnarum multitudo, varietas, diuturnitas, conspiratio à maleficio avertet. Ita & liberi sunt homines, quia singulis possunt pœnis non succumbere, & tamen inexpugnabile est Dei per pœnas trahentis propositum, quia cedent saltem universis.

Luculenter porrò Augustinus hoc loco insinuat, cùm ad peccandum nemo nisi peccati suavitate delinitus defluat, si vel humana Principum, vel summa Dei providentia ita res comparentur, ut peccare amarum & longè amarius sit quàm non peccare, necessariò se homines à peccato abstenturos. Nemo enim ipsas per sese pœnas & amaritudines, imo nemo ipsum per sese maleficium amat, quin utrumque omnes naturæ quodam instinctu impetuq; detestantur, sed voluptatis spe aut umbra delusi peccant. Ergo ubi *pœna admonente adverterint se infructuosissimè laborare & cruciari, mutabunt in melius voluntatem, ut simul careant & molestia sterili, & ipsa iniquitate*. Non quo hæc admonitio quæ fit per infestationem plagarum, mutare voluntatem ipsa per sese valeat, sine cœlestis gratiæ inspiratione, sed quod pulsanti ad ostium cordis inspirationi gratiæ & charitatis, seu bonæ voluntati inspiratæ refragaretur voluntas humanis delectamentis inescata, & refragari desinit, ubi ea dissipata & desperata jam sunt.

Etsi autem non omnes possent cruciatuum carnificina ad perfidiam trahere Christianos olim tyranni, nihil hinc tamen exculpi potest argumenti adversus istam omnipotentis gratiæ efficaciam. Non enim 1. principum Christianæ fidei infestorum ea erat sapientia, ut sinus omnes & mentium cordiumque penetralia affectuumque latebras perscrutari possent, ut venarentur qua re quisque maximè afficeretur, qua ad metum vel ad amorem incitaretur vehementissimè. Et ut hanc illis largiaris sapientiam, non tamen continuò omnipotentiam adjicies, ut nihil non possint, eorum quæ movendis animis idonea sunt. 2. Quin ex adverso ratiocinari quis multò æquiùs posset, si sapientiæ & potentiæ tantulum consecuti principes in hominum voluntates, tam innumerabilium tamen constantiam fregerunt, & victricem diu virtutem labefactarunt: nullam esse posse tantam cujusquam duritiem, quam non sapientia & potentia Dei infinita & infatigabilis fatiget tandem & edomet. Par enim distantia effectus inter atque inter causas constituenda est. 3. Adde quod in corpus grassari possunt homines, Deus unus in animæ ipsius substantiam, in affectus, in sinus intimos illabi, operari, inspirare semina potest metus, tristitiæ, odii, amorum. His porrò ponderibus voluntas aliquantò celeriùs agitur & præcipitatur, quàm circumsonantibus foris machinamentis. 4. Cùm carnem lacerabat carnifex, Deus intus recreabat animum, & charitatis succum, constantiæ virtutem infundebat. Ita oppugnante homine, propugnante Deo, nihil mirum est, si non semper vinceret tortor. At ubi Deo visum est plagis & cruciatibus quempiam ad resipiscentiam adducere, ipsemet interim inspirat, fovet, inflammatque eos affectus, qui inclinandæ ad illum victoriæ aspirent. Itaque semper Deo, non semper homini potestas suppetit inflectendæ per calamitates & ægritudines voluntatis humanæ. Pag. 301.

Bernardus in eundem sensum trahit verba Christi, *Nemo salvatur invitus. Nam quod legitur in* De grat. & lib. arbitr. c. 11.

Evan-

Evangelio, Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum; item in alio loco, Compelle intrare, nihil impedit. Quia profecto quantoscumque compellere vel trahere videatur ad salutem benignus Pater, qui omnes vult salvos fieri: nullum tamen judicat salute dignum, quem ante non probaverit voluntarium. Hoc quippe intendit, cum terret aut percutit, ut faciat voluntarios, non ut salvet invitos: quatenus dum de malo mutat voluntatem in bonum, transferat, non auferat libertatem. Ergo ex Bernardo gratia illa omnipotens & efficacissima, *qua trahimur à Patre ad Filium, quæ mutat voluntatem de malo in bonum, quæ facit voluntarios, quæ trahit, quæ compellit*, illa nimirum gratia est, quæ *terret aut percutit*. Etenim ut suprà jam ex eodem Bernardo retulimus, ita orat sponsa: *Satius est ut me trahas, vim qualemcumque mihi aut terrendo minis, aut exercendo flagellis inferas*. Et ibidem: *Trahimur, cum tentationibus & tribulationibus exercemur*. Et rursum: *Me*
In Cant. Serm. 21. *ò sponse corripe, me exerce, me tenta, me trahe post te, quoniam ego in flagella parata sum, & potens ad sustinendum*.

CAPUT XIX.

Eandem gratiæ efficaciam demonstratur ex Gregorio Magno sitam esse in dispensatione misericordiæ, qua ita temperantur blanda & prospera, externa internaque visa, ut vocati consentiant, perseverent, salventur.

IN Augustini vestigiis facilè insistent cæteri Patres, ac præ cæteris Gregorius Magnus, ejus doctrinæ admirator præcipuus. Hic sanè efficaciam gratiæ secundùm propositum datæ, non in uno indeclinabili impulsu, sive ex præscientia, sive ex physica prædeterminatione, locat, sed in *dispensatione misericordiæ*, qua ita temperantur alicui interna externaque visa, timoris stimuli & amoris illecebræ, prosperorum adversorumque vices, virtutum & vitiorum ipsorum medicinæ, ut vocanti & inspiratæ gratiæ consentiant, & in eo consensu perseverent, vel si resiliant quandoque, resipiscant, & antè eripiantur vitæ huic lubricæ & incertæ, quàm rursus prolabantur. Sic enim ille in
Morl. l. 8. c. 33. hæc verba: *Et propter superbiam quasi leænam capies me. Sic nimirum mens humana capta est, quæ ita in libertate arbitrii condita, dum nutrire desideria carnis appetivit, quasi leæna catulis escam quæsivit, atque in deceptionis suæ foveam cecidit; sed in fovea protinus caveam invenit, quia sponte ad mortem veniens, corruptionis suæ mox carcerem pertulit. Sed cùm multa agere conatur, & non valet, ejusdem corruptionis suæ obstaculis, quasi cavea vectibus ligatur, atque ad auras liberas gratia interveniente reducitur. Jam quidem eam in quam ciciderat, damnationis foveam evasit, quia securæ mortis supplicium, manu Redemptoris adjuta, ad veniam redeundo superavit. Sed tamen coarctata caveam tolerat, quia supernæ quoque disciplinæ nexibus cingitur, ne per carnis desideria vagetur. Quæ ergo sponte sua in foveam cecidit, ad auras liberas clausa redit; quia & per libertatem arbitrii in culpam corruit, & tamen hanc à sui motibus Conditoris gratia coactam nolentemque constringit. Post foveam itaque caveam patitur, quæ erepta ex æterno supplicio, à pravæ voluntatis motibus, sub cœlestis artificis dispensatione religatur. Rectè igitur dicit: Et propter superbiam, quasi leænam capies me: quia & liber homo per cibum sibi mortem intulit, & reductus ad veniam, sub disciplina meliùs clausus vivit. Inde nunc eum disciplina suæ corruptionis deprimit, unde transgressionem præcepti non timens, audacter in foveam saltum dedit.* Itaque gratia reparatrix ista est *dispensatio cœlestis artificis*, dum *per corruptionis obstacula*, quasi per vectes quosdam: dum *per disciplinam corruptionis*, quasi *cavea* quadam nos *ligat, claudit, constringit*, quasi *coactos* nolentesque, ne in pravos motus iterum relaxemur. Nam dum *multa agere conamur, & non valemus*, tunc *disciplinæ nexibus cingimur, ne per carnis desideria vagemur*. Piget enim tandem & pœnitet malum velle esse, nec posse: nequitiæ amaritudinem sentire, fructibus arceri; itaque tum facilè assentimur inspirationi justitiæ. Ea est cavea disciplinæ qua claudimur, ne ulteriùs ferociamus: ea est *cœlestis artificis dispensatio*, qua *à pravæ voluntatis motibus religamur*.

Id de lapsu primi parentis, & reparatione, humanique cum eo generis universim prælocutus, singulos eadem ratione nos corruere mox docet, & *dispensatione pietatis* divinæ resurgere: *Sed si parumper obtutum mentis à culpa primi parentis avertimus, nos adhuc quotidie ut leænam capi per vitium elationis invenimus. Sæpè namque homo acceptis virtutibus in audaciam suæ præsumptionis erigitur, sed mira dispensatione pietatis, ante ejus oculos res quælibet in quam corruat ordinatur: dumque per culpam aliquid appetit, quid aliud quàm prædam in fovea concupiscit? Sua sponte inhians cadit, sed suis surgere viribus non valet. Qui cùm se nihil ex se esse considerat, discit proculdubio cujus adjutorium requirat. Quem tamen superna miseratio captum quasi à fovea evehit, quia hunc infirmitate cognita ad veniam reducit. Quia enim priùs propria præsumptione perierat, mira pietate agitur, ut infirmitatis suæ jam notitia clausus vivat.* Humilitatis gratiam oblatam priùs respuebat voluntas præferox, & suæ virtutis opinione turgens. *Mira pietas, dispensatio pietatis* ordinat rem aliquam seu peccandi occasionem in quam corruat. Lapsus tentat resurgere, & in cassum nititur, nondum afflante gratia. Utroque experimento emollitus & humiliatus, jam gratiæ quam antè spernebat, penitùs consentit & adhæret. Efficacia ergo hujus gratiæ toto hoc circuitu constat: quo nequaquam opus fuisset, si consensum ipsa voluntati uno impulsu daret.

Eidem dispensationi idem alibi Gregorius salutem electorum acceptam refert, & tum conversionis, tum perseverantiæ gratiam: *Cum enim sicut* Moral. l. 23. c. 16.
cupimus, ad Deum proficimus, profectum nostrum si tentatio nulla pulsaret, alicujus nos fortitudinis esse crederemus. Sed quia nobiscum superna dispensatione agitur, ut infirmitatis nostræ, quia proficientes obliviscimur, tentati recolamus, & in profectu nostro, quid de divino munere: & in tentatione cognoscamus, quid de propriis viribus sumus. Quæ nos profectò tentatio ad plenum raperet, nisi protectio superna servaret. Sed pulsat, nec frangit: impellit, nec movet: quatit, nec dejicit; ut de nostra infirmitate sentiamus esse, quod quatimur: & de divino munere esse, quod stamus. Et quia sæpè anima alicujus boni sibi conscia, cum virtutes suas sibi ad memoriam revocat, quadam delectatione pascitur, & quasi gratulatione propriæ plenitudinis impinguatur: bene dicitur quod tentatione pulsante marcescunt: quia dum propria infirmitas tentatione interrogante cognoscitur, omnis illa nostrarum virium velut pinguis viridisque gratulatio, subito anxietatis mœrore siccatur. Dispensatio hic duplex primò, tum quadruplex insinuatur, ad electorum salutem necessaria. Primò quidem ut virtutes tentationibus, tentationes virtutibus interserantur, & mutuo quasi conflictu temperentur. Nam virtutum fiducia facilè erigitur animus & superbit. Tentatione ergo deprimendus est. Tentatione facilè frangeretur, & spem abjiceret. Quadam ergo virtutum luce recreandus est. Et rursum virtutum ipsarum incrementa moderanda sunt, ne altiùs evehatur mens hominis: & tentationum vis cohibenda, ne altiùs & desperato casu illam præcipitent. Ita enim cum mortalitatis nostræ miseria comparatum est, nec sanitatem pati possumus, nec morbum:

medicamentis ipsis vulneramur, sanamur vulneribus. Porrò dispensatio misericordiæ qua hæc temperantur, totam illam efficaciam nostræ curationis meritò obtinet. Itaque quandoque gratiam subtrahi pauxillum, id gratiæ munus est, id gratiæ redeunti postea vim & efficaciam addit. Quam enim gratiam respueret voluntas præfidens & turgida de suis virtutibus, eam elisa & prostrata casu aliquo lubens sequitur & amplexatur.

Et rursus dispensatricem geminæ tentationis per peccata & per flagella gratiam, eoque conversionis & perseverantiæ efficacem, idem paulò infrà prosequitur: *Idcirco moderamine occultæ dispensationis ita tentari permittimur, ut qui ex divino munere in virtute proficimus: etiam quid sumus, ex propria infirmitate memoremur. Et qui ex perceptione muneris opera virtutis inferimus, ex infirmitatis nostræ memoria sacrificium humilitatis offeramus. Aliquando autem post profectum virium non solùm tentant vitia, sed etiam flagella castigant. Cùm autem tentamur vitiis, pia dispensatione nobiscum agitur, ne his virtutibus, quibus proficimus, extollamur. Cùm verò flagellis atterimur, malis increpantibus admonemur, ne mundo blandiente seducamur. Vitia dum nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant. Flagella dum tentant, surgentes in corde mundi voluptates eradicant. Per tentantia vitia discimus quid de nobis simus. Per ferientia flagella cognoscimus quid de hoc mundo fugiamus. Per illa restringimur, ne intrinsecus extollamur: per ista comprimimur, ne quid extrinsecus appetamus.* Hæc est, ut vides, misericordissima dispensatio, quæ nostræ potestatis omnino non est: quis enim has adversorum prosperorumque, virtutum vitiorumque vices alternas, potest sibi procurare, & ita temperatas, ut suæ saluti opportunum est? Porrò cave existimes, vitiis tentantibus, vel flagellis crepantibus, ita nos à superbia dejici, ut humiles evadamus. Nec enim externa hæc adjutoria quidquam promovent, nisi gratia intus aspiret. At cavendum etiam ne gratiæ interioris vim eam esse putemus, ut externa hæc omnia adjumenta, & misericordissimæ dispensationis stupenda moderamina, in nihilum recidant, & mera sint verborum ventosaque ludibria, quæ de his Scripturæ divinæ inculcant, quæ sancti Patres tam operosè, ut vides, disceptant. Sua ergo principalis gratiæ interiori vis & summa necessitas asserenda est: & huic dispensationi id tribuendum, ut animum ita infringat, emolliat, præparet, afficiatque, sicut congruum est, ut gratiæ interiori consentiat, quam alioqui aversaretur, & irritam cassamque contemneret.

Ibid. c. 17.

Quod idem rursus præclarè in hæc verba edisserit: *Corruptioni ergo & mortiferis appropinquare, est considerata infirmitate humanitatis suæ peccatorem se ex suis meritis cernere, atque apud se arrogantiam ex propriis viribus non habere. Quid enim sumus, si à conditoris nostri protectione deseramur? Quæ nimirum protectio minus necessaria creditur, si semper habeatur. Sed utiliter plerumque subtrahitur, ut sibimetipsi homo, quàm sine illa nihil sit, ostendatur. Manus igitur Dei aliquando nos nobis per adversa insinuat, quæ etiam nescientes nos in prosperis portat. Qua destituti, dum cadere incipimus, & tamen adjuti retinemur; & doctrina fit, quod in lapsu trepidamus; & custodia, quod in statu permanemus.* Exemplum mox profert ex libris Regum, nimirum Prophetæ, qui ad altare Samariæ directus, *præsente Rege authoritatem liberæ vocis exercuit, ejusdemque Regis extensum brachium in rigorem mirabiliter astrinxit, quod tamen mox misericorditer saluti restituit.* Qui tamen statim postea *seductus comedit, & pastus interiit.* Nimirum quia *forsitan apud semetipsum tacitus pro præceptis Dominicis Regem se contempsisse gloriabatur, ab interna mox soliditate quassatus est: & inde ei in opere culpa surrepsit, unde in corde gloria surrexit: ut Prophetæ falsi verbis deceptus disceret, quia nequaquam*

Ibid. c. 19.

propria fortitudinis fuerit, quod Regis verbis restitisset. Ex quo ille præclarum hoc infert: *Igitur unumquemque electum suum divina gratia tunc magis erudiendo custodit, cum quasi percutiens deserit.* Custodia hæc externa divinæ protectionis nequaquam arripienda est in argumentum deficientis custodiæ interioris. Ludibrio enim forent Gregorii dicta & argumenta, si gratiam humilitatis prior Deus subtraheret, & tunc hominem intumescentem flagellis vel tentationibus fatigaret, & ita demum ablatam priùs gratiam redderet. Simplicius utique fuerat & compendiosius gratiam humilitatis non auferre, & prohibere ne homo superbiret, quàm ea ablata inevitabiliter superbientem pœnis lapsibusque variis cruentare, ex quibus nihil ad humilitatem proficitur, nisi ablata gratia restituatur.

Interioris autem hujus exteriorisque divini adjutorii copulam necessariam Gregorius alibi prædicat, ut exteriori dedoletur quodammodo præfractus animus, & ad consentiendum interiori quodammodo compellatur. *Aliter Deus loquitur servis suis, cum eos intrinsecus per compunctionem provehit: aliter cum per districtionem, ne extollantur, premit. Per blandam enim locutionem Domini amanda dulcedo ejus ostenditur: per terribilem verò potestas ejus metuenda monstratur. In illa persuadetur animæ ut proficiat, in ista reprimitur quæ proficit. In illa discit quod appetat, in ista quod metuat. Per illam dicitur, Gaude & lætare Sion, quia ecce venio & habitabo in medio tui: per istam dicitur, Dominus in tempestate veniet, &c.* Et infrà: *Certè terminis suis Dominus hoc mare circumdat, quia cor nostrum tentationibus tumidum, occultis donorum distributionibus mitigat: modo agens ne prava suggestio ad delectationem veniat, modo ne prava delectatio usque ad consensum prorumpat. Qui ergo illicitos motus cordis respicit, & in quibusdam eos usque ad consensum venire prohibet, in quibusdam verò illos etiam à delectatione restringit, nimirum furenti mari terminos imponit, ut nequaquam in opere exeat, sed intra sinum mentis tentationum submurmurans se unda collidat. Quæ quia tunc valenter restringitur, cùm ei delectatione Dei atque insperatis virtutibus obviatur, rectè subjungitur, Et posui vectem & ostia, & dixi, Hucusque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Quid enim moraliter per ostia, nisi virtutes: & quid per vectem, nisi robur charitatis accipimus? Hæc itaque ostia, scilicet operationum virtutes, mare sæviens dissipat, nisi eas ex occulto mentis opposita charitas astringat. Facilè autem omne virtutum bonum tentatione cordis irruente destruitur, nisi ab intimis fixa charitate solidetur.* Perspicis ut gratiæ dispensatione sic irruere in animam sinantur exteriùs tentationum procellæ, ut interim inspiratæ virtutes & afflatus intimi divinæ charitatis cordis penetralia tueantur, nec sinant vi tentationis consensum extundi, & quandoque ne delectationem quidem exciri. Itaque interior custodia vetat, ne exterior oppugnatio expugnet; exterior oppugnatio prohibet, ne interior custodia inflet. Interior autem hæc custodia tum virtutibus inspiratis cœlitus, tum potissimùm charitati debetur. Fluctus enim utcumque aliqui retunduntur per virtutes, sed invictum robur est charitatis, per quam & virtutes aliæ invictæ fiunt, nisi sponte resiliat voluntas.

Moral. l. 28. c. 1.

Ibid. c. ult.

L. 29. c. 14.

Et idem elegantissimè infrà Gregorius: *Quid est ergo quod Dominus prius se Patrem pluviæ insinuat, postmodum verò de suo egredi utero glaciem narrat, seque gelu gignere de cœlo pronunciat? Nisi quod miro modo nostri pectoris terram ad suscipienda verbi semina, & prius per occultæ gratiæ pluviam infundit, & postmodum ne in conceptis virtutibus immoderatiùs profluat, disciplina intimæ dispensationis premit? Ut quem acceptæ gratiæ pluvia irrigat, etiam disciplinæ rigor astringat; ne si aut antequam debet, aut plusquam necesse est, conceptas virtutes proferat, fruges in herbam vertat.*

Plerum-

Plerumque enim ab inchoantibus dum opus bonum priusquam oportet ostenditur, à grano perfectionis inanitur; & plerumque virtutes, dum plusquam necesse est, exuberant, exhalant. Unde & electorum suorum Dominus vel ante tempus desideria renuit, vel rursum in tempore ultra mensuram profectus premit: ne si aut antequam debent, aut plusquam debent, proficiant, per profectus sui magnitudinem, in elationis defectum cadant, &c. Intervenientibus tentationibus reverberantur, ut videlicet infirmitatis suæ meminerint, & elati de virtutibus quas accipiunt, non sint. Luculentè prorsus à Gregorio declaratur hæc *disciplina intima dispensationis*, qua tum excitatis tentationibus reverberantur, tum revocatis gratiarum & virtutum supernis effluviis, ad mediocritatem quandam coarctantur electi, minùs sublimem, sed tantò tutiorem. Itaque gratia divina ita efficax est, ut non prohibeat animam de ipso gratiæ splendore superbire. Ideoque efficacior est gratia, si temperetur, mediocriterque affulgeat, quàm si totam se prodigat. Quia nimirum gratiæ & virtuti mediocri modestiùs humiliùsque adhæreſcit voluntas ex conscientia nonnullius adhuc vitiorum contagionis. Si autem gratia totam sibi ex prædeterminatione efficaciam vindicaret, quo exuberatior, eo efficacior tutiorque esset, & adversus insidiantem superbiam invictissimè animam communiret. Id sanctus Pater illico exemplo Pauli firmat: *Videamus, Paulus, infusa videlicet terra, quanta disciplinæ glacie prematur: dum ait, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Qui enim velle habere se asserit, jam per infusionem gratiæ, quæ in se lateant semina, ostendit. Sed dum perficere bonum non invenit, profectò indicat, quanta illum dispensationis supernæ glacies premat. An ista glacies eorum corda non presserat, quibus dicebat, Ut non quæcumque vultis, illa faciatis? Quasi apertè diceret, Occulta cordis vestri semina jam prodire in lucem quærunt, sed superni moderaminis gelu premuntur, ut tanto post fœcundiùs exeant, quanto divini judicii prementia pondera patientiùs portant.* Ubi apertum est, quia efficacia gratiæ in dispensatione disciplinæ, & in moderaminæ gratiarum ipsarum virtutumque est, tanto efficaciores esse gratias quandoque, quanto parciores sunt, quia tunc parciùs eas fluere congruit, ut tutiùs postea exundent: & tanto inefficaciores, quanto exuberantes, cùm ex ea ubertate pullulascat superbia, totius pietatis labes.

L. 33. c. 11. Et idem rursus infrà: *Pia ergo Domini dispensatione laxatus nonnunquam Behemoth iste, de culpa ad culpam trahit, & dum plus percutit, inde eum quem ceperat amittit: atque unde vicisse cernitur, inde superatur. Considerare libet intra munitum gratiæ sinum, quanto Deos favore misericordiæ nos continet. Ecce de virtute se extollit, per vitium ad humilitatem redit. Qui verò acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed ut ita dixerim, medicamento vulneratur. Quid est enim virtus nisi medicamentum? Et quid vitium nisi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere medicamentum. Ut qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in usum vitiorum; ille vitiorum illecebras assumit in artem virtutum; & salutis statum percutit, ut servet: ut qui humilitatem currentes fugimus, ei saltem cadentes hæreamus.* Tota salutis nostræ efficientia refunditur in *piam Domini dispensationem*, & *in favorem misericordiæ*, qui continet nos *intra munitum gratiæ sinum*, ita ut unde tentationibus & vitiis vincimur, inde vincamus, quia inde custodem virtutum omnium humilitatem recuperamus. Et mox ibidem: *Elatos in sanctitate viros non amitteret diabolus, nisi tentaret. Sancti quippe non essent, qui de sanctitatis gloria superbirent: & tanto sub ejus jure caderent, quanto se in suis virtutibus elevarent. Sed miro dispensationis ordine, dum tentantur, humiliantur; dum humiliantur, ejus esse desinunt. Electos Dei unde conterit diabolus, inde amittit; unde tentat ut perdat, agit inde ne pereat. Antiquus itaque hostis occultis Dei dispensationibus serviens, Sanctorum animas ad interitum tentat volens, sed ad regnum tentando servat invitus.* Ubique *mirus dispensationis ordo* efficax nostræ salutis est, ubique *occultis dispensationibus* prosperorum & adversorum, virtutum & vitiorum efficitur, ut *intra munitum gratiæ sinum* contineamur; quo sanè permolesto anfractu abstineri satius fuerat, si simul & semel gratiæ motio una efficacissima consensum voluntatis extorqueret, & invictissimè illam tam humilitati, quàm cæteris virtutibus conglutinaret. Et mox: *Hæc ipsa tentationis licentia pactum vocatur, in qua & desiderium tentatoris agitur, & tamen per eam miro modo voluntas justi dispensatoris impletur. Erudiendos enim electos suos Dominus sæpè tentatori subjicit, sicut post paradisi claustra, post tertii cœli secreta, ne revelationum magnitudine Paulus extolli potuisset, ei Satanæ angelus datus est. Sed hìc ipsa tentatione disponitur, ut qui elati perire potuerant, humiliati à perditione serventur. Secreto ergo dispensationis ordine, unde sævire permittitur iniquitas diaboli, inde piè perficitur benignitas Dei.* Ibid. c. 13.

In Psal. 25 Pœnit. Et rursus idem: *Divinæ profectò pietatis dispensatione agitur, ut qui ascensiones in corde suo disposuit, ad humilitatis celsitudinem sua potiùs infirmitate sublevetur.* Quæ ad instillandam humilitatem gratia cœlitus obtingit, nihilo cæteris inefficacior est, ad alias virtutes hominem propellentibus. Adde quod humilitas ut indivulsa comes charitatis, aliarumque virtutum, simul cum illis à Deo inspiratur. Atqui tanta non est hujus internæ gratiæ ad humilitatem agentis efficacia, quin hac *pietatis dispensatione* operosissima opus sit, ut ebulliens in animo nostro elatio conteratur: & tentationibus vitiisque prostrata ac pudefacta voluntas persuadeatur interiùs aspiranti & blandienti humilitatis gratiæ artiùs inhærere. Ibidem paulò pòst: *Plerumque qui præcepta Dei aure cordis audire renuunt, persecutionum verberibus admonentur; ut ad virtutis amorem pœnarum dolores pertrahant, quos æternæ vitæ præmia non invitant. De quibus nimirum scriptum est, Sola vexatio intellectum dabit auditui. Sæpè enim amator præsentis sæculi ita ab eodem, quem diligit, mundo despicitur & impugnatur, ut cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus adversitate torpescat. Quod divinæ profectò dispensatione miserationis agitur, quia in hoc mundo despectus, tanto celeriùs trahitur ad Deum, quanto nihil habet in sæculo ubi delectetur.* Observa hìc primo non jam de sola exterenda superbia, aut inserenda humilitate agi; etsi omnium virtutum & gratiarum eadem ratio sit, atque humilitatis & necessarii ad eam adjutorii. Sed de omnibus Dei præceptis, de omnibus virtutibus & gratiis hìc verba fieri, & efficaciam gratiæ locari in hac *divinæ miserationis dispensatione*: qua secunda & adversa temperantur ita ut congruit inflectendæ voluntati nostræ ad divinæ gratiæ consentiendum. Observa secundo præcepta Dei cordis auribus quandoque insonare, & nos obsurdescere sponte nostra, quandiu blanditur mundus; quod delectationibus mundi lubentiùs quam cœlestibus deliciis tum consentiamus. Si autem adversari & sævire in nos mundus cœperit, tum verò cum nihil occurrat quod nos hìc delectet, lubentes consentimus ei gratiæ, quam priùs spernebamus. Hæc est dispensatio misericordiæ, efficaciam gratiæ addens. Nam si postquam adversari cœpit mundus, tum uberior intus & efficacior gratia suggeritur, ideoque nos ad se pertrahit: frustra adhiberetur mundana adversitas, frustra tantum momenti poneretur in hac misericordiæ dispensatione.

In Ezech. Hom. 12. Et alibi: *Plerumque qui plus in contemplatione rapitur, contingit, ut amplius in tentatione fatigetur. Sicut quibusdam sæpè contingere bene proficientibus solet, quorum mentem dum aut compun-*

punctio afficit, aut contemplatio super semetipsam rapit, statim etiam tentatio sequitur, ne de his ad quæ rapta est, extollatur. Nam compunctione & contemplatione ad Deum erigitur: sed tentationis suæ pondere reveberatur ad semetipsam, quatenus tentatio aggravet, ne contemplatio inflet: & item contemplatio elevet, ne tentatio demergat. Si enim sic contemplatio attolleret, ut tentatio funditus deesset, in superbiam animus caderet. Et si sic tentatio premeret, ut contemplatio non elevaret, penè in culpam laberetur. Sed mira dispensatione, in quodam medio anima libratur, ut neque in bonis superbiat, neque in malis cadat. Unde dicitur, Et aquas appendit in mensura. Qui Gregorii libros pervolutaverit, ei exploratissimum erit, contemplationem ab illo eam designari, quæ non sola radiet veritatis luce, sed & sapiat melle charitatis. Ea ergo cùm gratiæ divinæ conjunctissima & penè concreta sit cum delectatione charitatis, non ita tamen invictè voluntatem humilitati religat, quin ab ea resiliens revocanda & restrigenda sit per tentationum incursus perpetuos, ut consensum suum gratiæ intus invitanti strictius devinciat. Et idem alibi. *Pravam namque animam omnipotens Deus* In Evang. Hom. 17. *multis modis visitare consuevit. Nam assiduo hanc visitat præcepto, aliquando autem flagello, aliquando vero miraculo. Ut & vera quæ nesciebat, audiat, & tamen adhuc superbiens atque contemnens, aut dolore compuncta redeat, aut beneficiis devicta, malum quod fecit, erubescat.* Denique ut gratia interior extrinsecis his tentationum adjumentis non deesse intelligatur, etsi id jam sæpè Gregorius admonuit, perspicuè rursus idem: *Quia nemo in ver-* Dial. l. 4. c. 10. *bere illius gratia se destituente subsistit, & nisi idem misericors Pater, qui pœnam irrogat, patientiam præstet, mox per impatientiam peccatum nobis ipsa auget correptio peccatorum: sitque modo miserabili ut culpa nostra unde sperare debuit terminum, inde sumat augmentum: idcirco nostra Deus infirma conspiciens, flagellis suis custodiam permiscet, &c.*

Postremò denique idem Gregorius hæc de seipso scribebat, cùm molestissimis podagræ doloribus Regist. l. 9. Ep. 25. 70. torqueretur: *Considerandum est quanta erga nos dispensatione pietatis agat Conditor noster, quod morte dignos assiduè percutit, & tamen adhuc minimè occidit. Minatur enim quod facturus est, nec tamen facit, ut dolores nos præcurrentes terreant, & conversos ad timorem districti judicis, ab ejus nos animadversione in æternum abscondant. Quis enim dicat, quis enumerare sufficiat, quanti in sua luxuria dimissi, in blasphemiis quoque & superbia proruentes, in rapinis & iniquitatibus permanentes, usque in diem obitus sui ita in hoc sæculo vixerunt, ut nunquam dolorem vel capitis paterentur, & subitò percussi, ignibus inferni sunt traditi? Nos ergo habemus indicium, quia derelicti non sumus, qui assiduè flagellamur.* Et alibi: *Peregrinatio est vita præsens, & qui suspirat ad patriam, ei tormentum est peregrinationis locus, etiamsi blandus esse videatur. Vobis autem qui patriam quæritis inter suspiria quæ habetis, etiam gemitus audio humanæ oppressionis exurgere. Quod mira omnipotentis Dei dispensatione agitur, ut dum veritas per amorem vocat, mundus præsens à seipso animum vestrum per tribulationes quas ingerit, repellat: tantoque facilius ab amore hujus sæculi mens exeat, quanto & impellitur, dum vocatur.* Electos à reprobis eo discriminat *dispensatio pietatis*, quòd istos in scelerum licentia lascivire inultos hic sinit, illos à scelere absterret timore jugi percussionis, & percussione rariore & frequentiore, prout consultum est. Et rursus *omnipotentis Dei dispensatio* hæc misericors, dum electos suos per amorem intus vocat, ne dissentiant, ne avocentur delectamentis sæcularibus, id efficit, ut mundus eos à se repellat. Inspiratio enim illa amoris interior utique frustraretur non raro, nisi auxiliares ei adessent tribulationes, pugnæ, timores. Ut non immeritò efficacia certissima gratiæ conversionis & perseverantiæ, in hanc sita esse à nobis existimetur omnipotentis *misericordiæ dispensatione.*

CAPUT XX.

In eadem prosperorum & adversorum dispensatione pia & misericordi efficaciam gratiæ invictam consistere ex aliis Patribus ostenditur.

AD cæteros nunc Patres accedamus, ut eandem pietatis dispensationem, & pendulam inde gratiæ efficaciam perdiscamus. Paulinus Nolanus Episcopus ad Victricium Rotomagensem Episcopum & egregium Christi Martyrem ita scribit, gratulabundus: *Quibus te itineribus Deus ad viam suæ veritatis adduxit? Carnalibus muniis ad spiritalia suæ virtutis instituens, creavit initio militem, quem postea elegit Antistitem: & passus est militare te Cæsari, ut Deo disceres militare. Ut dum labore castrensi corporis robur exerces, spiritalibus te præliis roborares, confessioni spiritum firmans, & passioni corpus indurans. Quod divinæ providentiæ circa te fuisse consilium, ingens postea exitus tuus à militia, & ingressus ad fidem docuit.* Paulò diversa hæc præparatio fuit & adaptatio animi corporisque ad edendam præclarissimam nominis Christi confessionem. Etsi enim ea demum Christi gratia longè maximam cœlitus vim & efficaciam sibi vendicet, quæ ad Confessionem & Martyrium conceditur: ei tamen præmuniebatur animus Victricii & corpus ipsum sæculari militia & castrensi labore. Gratiæ enim ad audendum & patiendum pro Christo quidlibet adjuvanti, longè faciliùs obsecundabat & morigerabatur animus militari jam tyrocinio insuefactus, & induratus pericula contemnere, dolores vulneraque constanter & aspernanter perferre.

Cassiodorus ad calcem libri de Anima, post preclarissimam gratiæ Christi confessionem: *Tempera bone artifex organum cordis nostri, ut harmoniæ mentis possit aptari: ne sic roboretur, ut superbiat: nec sic languescat, ut deficiat. Tu nosti quæ verè moderata sunt. Vasa tua sic reple prosperis, ut capacitas non præbeatur adversis. Dominetur ratio, serviat caro. Quoniam à te solo potest effici, ne fragilitate corporis possit offendi.*

Vvillelmus Parisiensis tractatu de Meritis: *Bona* Pag. 301. *opera nostra, & Dei dona sunt. Opera nostra, opera etiam Dei, quæ ipse operatur in nobis & etiam per nos: non quidem tanquam per organa tantùm aut instrumenta. Tunc enim nec ad laudem, nec ad vituperium: nec ad culpam nec ad meritum imputanda essent opera bona, sicut citharæ vel tibiæ nihil imputatur ad culpam vel ad meritum de tibicinantibus vel citharizantibus. In nobis igitur operatur Deus bona opera sua & nostra, non tam præstando virtutem, facultatem & opportunitatem, quam etiam excitando & foris doctrinis, prædicationibus, & beneficiorum & consolationum immissionibus: flagellorum quoque stimulationibus & interdum compulsionibus; & internis inspirationibus & revelationibus, terroribus & aliis modis multiplicibus, qui sibi soli noti sunt, & quibus illos voluerit revelare. Non solùm igitur cooperatores sumus, sed etiam operatores; licèt hoc donum gratiæ ipsius sit. Nec propter hoc quoniam gratia est opus bonum vel donum Dei, minùs meritorium est; imò ampliùs, quoniam propter hoc melius est, & Deo magis acceptum.* Quibus nihil accommodatius dici potuit ad nostram mentem.

Et idem alibi in eandem sententiam paulò prolixiùs: *Nihil evenit quod sit in rebus, quod Deus non sciat, & etiam præsciat: & quoniam intentio ejus est ut & bona sint, & fiant, & permaneant* Prim. Par. de Vciv. part 3. c. 6. *quandiu videt decere gloriam suam, & provenire ex*

eis

eis utilitates quas vult ex eis esse. Circa mala verò quæ vulgus mala nominat, & ea sunt mala pœnalia, revera bona sunt, & sunt opera justitiæ & misericordiæ ipsius, multipliciter utilia ac salutaria hominibus, convenientiora bonis correctionis & retractionis hominum à malis vitiorum & peccatorum, & convenientissima nominatione bona disciplinalia: bonaque disciplinæ & eruditionis creatoris nominari possunt. Alia vero bona, temporalia scilicet, bona attractionis & allectionis divinæ benignitatis dicenda sunt. Ea enim largitur benignitas creatoris hominibus, vel ad necessitatem sustentationis, & hoc communiter omnibus; vel ad blandimentum attractionis & allectionis, & hoc specialiter puerilis sensus hominibus. Adeo enim modica bona sunt hæc, ut ea sapientes despiciant; pueriles verò homines tanquam magna tota aviditate complectuntur. Per hæc igitur, quasi blanditur eis bonitas creatoris, ut eos ad amorem sui & cultum attrahat, & paulatim proficientes, ad sublimia bona, propter quæ eos creavit, provocet, instar matris atque nutricis, & etiam boni patris, parvulos per munuscula pirorum atque pomorum in amorem sui provocantium, & deinde vel ad studia litterarum, vel ad alia quoque majora eosdem provocantium. Quo artificio erga gentem Hebræorum creatoris bonitas manifestè usa est; cui utpote puerili & adhuc parvulæ, bona sublimia vel cognoscere vel amare non valenti, pro observatione legis suæ sola modica temporalia, quasi puerilia munuscula promisit: & sola contraria, videlicet paupertatem, mortem corporalem minatus est eisdem tanquam parvulis deterrendis, &c. Paulatim erudito genere humano, tam doctrina legis Hebræorum & Prophetarum, quàm physicis dogmatibus, & aliis creatoris eruditionibus atque miraculis, bona sublimia promissa sunt in lege veritatis & perfectionis, in quo nobilitati Philosorum satisfactum est, similiter & aliorum sapientum, qui & puerilia hujusmodi munuscula contemnenda esse cognoverunt, &c. Hactenus ille non cum singulis tantùm, sed cum universo etiam humano genere ita divinę pietatis dispensationem ad æternam salutem conspirasse demonstrat, ut puerilibus primò & pœnis & præmiis illos & avocaret à malo, & ad bonum pelliceret: & hoc infantiæ rudimento nonnihil expolitos & ad spiritalia jam capienda vegetatos, jam spiritalibus illos æternisque tum suppliciis ostensis, tum præmiis, aut inhiberet aut incitaret. Si pueris enim seu rudibus adhuc hominum mentibus spiritalia & æterna objicerentur statim, irritus esset ille conatus, & istiusmodi gratia tum exterior, tum interior, utpotè intempestiva & minùs congrua, nihil admodum proficeret. Istud porro divinum medicinæ consilium in temporalibus spiritualibusque bonis & malis dispensandis, & ita congruè provocandis hominibus ad salutem, sexcenties attigit Augustinus.

De laud. Pauli. to. 5. pag. 605.

Græcorum agmen ducet Chrysostomus: *Non minus hi qui animarum, quàm illi qui corporum languore vexantur, arte opus habent ac varietate curandi: ad quos si securè & velut ex directo volueris accedere, omnis spes ab eis salutis aufugiet. Et quid mirum si homines ad hæc sanandi temperamenta descendant, cùm etiam omnipotens Deus hoc ipso medicinæ utatur modo, nec omnia nobis uniformiter ac directim loquatur? Quia enim sponte nos vult effici bonos, non necessitate atque violentia, opus etiam habet mutatione curæ, non propter aliquam impossibilitatem suam, absit, sed propter nostram fragilitatem. Ipsi enim licet innuere solum, imò solum velle, jamque facta spectare, quæ voluit. Nos verò qui semel dominatum nostri adepti sumus, non in cunctis Deo subditos esse nos patimur; qui si traheret invitos, eriperet ipse quod condidit, id est, arbitrii potestatem. Ne igitur hoc fieret, frequenti fuit opus varietate medicandi.* Hæc sunt oppidò quàm pulcherrima, & nostro huic instituto appositissima, Itaque non abnuitur Deo potestas absolutissima, qua voluntates humanas quomodocumque volet & quocumque volet agat & convertat. Sed ut libertati quam dedit blandè consulat, opus est *utatur frequenti varietate medicandi*. Voluntas enim quę ad unius generis gratiam & medicinam nauseabit, eamque respuet, ad aliam arridebit & ultro accedet. Voluntas enim nulla est quantumcumque libera, & suę libertatis amans, quæ non aliquo afficiatur, quę non aliquid amet, aliquid aversetur. Itaq; ut illam Deus sequacem habeat & spontaneam, quo ipse cumque volet, & ut volentem ex nolente faciat, utetur varietate medendi: si una aliqua gratię medicina inauspicatò cesserit, aliam tentabit, & rursus aliam, magis magisque congruentem inolitis animę affectibus. Ita sapientia omnipotens gnara omnium animę affectuum & propensionum, vel intentando mala, quę scit timeri, vel ostentando bona, quę scit amori esse, animas liberas aget, ut velint quodcumque ipse volet; volent enim utiq; & ad volendum se ultro determinabunt, ubi expertę diu fuerint, nisi id velint, nihil se vel malorum quę pertimescunt declinare posse, vel bonorum assequi quę concupiscunt. Compendiosius enim ducent una in re vim sibi facere, quàm in sexcentis pati: unam voluntatem inflectere, quàm in rebus innumeris spes suas irritari & vota frangi.

Chrysostomus idem alibi divinæ medicinæ varietatem & artem, adeoque efficaciam rursus admiratur: *Nam & medicus non solum cum lavat & nutrit, atque ad viridarium educit ægrotum; sed & cum urit & secat, pari ratione medicus est. Cùm igitur intelligas Deum medicis omnibus indulgentiorem esse, noli rationem ab eo exigere medicinæ: sed sive recreare voluerit, sive punire, ad utrumque pariter paratos nos exhibeamus. Siquidem per utrumque nobis restituit sanitatem, & nos sibi conciliat. Cùmque noverit quibus indigeat quisque nostrum, & quid conferat cuique, & quo tandem modo servandus sit, hac via nos ille deducit. Unum fuit in hoc paralytico beneficentiæ genus, quod tanto tempore animam ejus purgarit, eamque tanquam conflatoriæ cuidam fornaci tentationum probationi tradiderit. Aliud autem nihilo inferius isto, quod in ipsis tentationibus illi affuerit, multumque solatium illi præbuerit. Ipse erat qui continebat eum, & retinebat, manum porrigebat, neque colabi sinebat, &c. Non tantum supra vires inferri tentationem non sinit, sed etiam in ipsa quæ pro ratione virium adhibetur, nos sustentans adest, & nos corroborat, &c. Vide autem post curationem quantam sollicitudinem præ se ferat. Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Morbum depulit, & angorem non depulit: ægritudinem abegit, & metum non abegit, ut immotum maneat beneficium quod est collatum. Hoc providi est medici, ut non præsentia tantum mala depellat, sed & adversus futura præmuniat, &c.* Ita medicinalis gratię efficacia Chrysostomo est illa tentationum, gratiarum, timorum, & cæterorum id genus adjumentorum, tum intus, tum foris adhibitorum dispensatoria moderatio, & moderatissima dispensatio: ne si modo, loco, tempore minùs congruo, & modo modum vel superante vel non æquante admoveantur, detrimenti plus afferant, quàm compendii.

Ibid. serm. 61. p. 724.

Idem alibi: *Non spe solum & fiducia futurorum sed alio etiam modo facilem Deus fecit esse virtutem, videlicet cooperando nobis, nosque semper in bonis actibus adjuvando: & si volueris, vel tantillam animi promptitudinem afferre, reliqua omnia celeriter subsequentur, &c. Propterea enim vult & te aliquid laborare, ut & tua quoque possit esse victoria. Et quemadmodum Rex aliquis vult quidem filium suum in acie versari, in hostem jacula torquere, exercitui esse conspicuum, ut illum profectò habeat consortem triumphi: totum verò ipse bellum gubernat ac peragit. Ita etiam Deus in hoc prælio facit* quod

In Evang. Matt. hom. 16.

quod adversus diabolum geritur. Unum enim illud solum à te requirit, ut adversus hostem veras inimicitias pro honore Regis & pro salute tua suscipias: itaque si ei istud obtuleris, omne jam bellum ipse conficiet. Nostrum est singularibus Dei inspirationibus aurem cordis & consensum inclinare: sed summam totius spiritalis hujus belli adversus spiritalia nequitiæ Deus administrat, Deus peragit. Nos pugnamus ejus gratia adjuti, ille vincit. Non vincit enim nisi qui summam belli totius dispensat & regit. Summa hæc autem administrandi belli, & procurandæ victoriæ in eo est, ut moderetur Deus vires & nostras & hostium. Ne tantulæ nostræ sint, ut vincamur: ne tantæ, ut superbiamus & deteriùs vincamur. Ne hostium rursus tantæ sint, quæ nos prosternant; ne tantulæ, quæ nos sinant pigritari.

Hom. 5. in Ep. ad Rom. Idem colligit Chrysostomus ex illis Pauli verbis, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Docet illos non ea omnino eligere debere, quæ ipsi utilia sibi existimaverint, sed quæ Spiritus suggesserit. Accidit enim nonnunquam ut quæ ipsis conducere ac prodesse viderentur, ea detrimentum ingens importarent. Itaque laborum relaxatio, & periculorum liberatio, & vita in libertate ac securitate acta, illis conducere videbatur. Et quid mirum si illis? Quando & ipsi beato Paulo ita se habere videbatur. Veruntamen postea dicit, quod quæ his sunt contraria, ea sunt conducibilia: edoctusque boni æquique ea consuluit, eisque acquievit. Ter itaque cum Christum obsecrasset ut periculis defungeretur, ubi illius vocem hanc exaudivit, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate perficitur; exultabat persecutionem sustinens, injuria affectus, mala incurabilia perferens. Mihi placeo, inquit, in persecutionibus, in contumeliis, in necessitatibus, &c. Scimus quod iis qui diligunt Deum, omnia adjumento sunt in bonum. Nam ut afflictio, ut inopia, ut carcer, ut fames, ut mors, ut quodvis aliud ingruat, potest Deus hæc omnia in contrarium commutare. Quandoquidem hoc immensæ ejus potestatis est, quæ gravia esse videntur, ea nobis levia reddere, & ad auxilium nostri convertere, &c. Si enim homines Philosophiæ gnari natura rerum in contrarium abuti possunt, & qui in paupertate victitant, ditescentibus opulentiores apparere, & per obscuritatem lucere: multò magis Deus in iis qui ipsum diligunt, & hæc & his majora præstat. Quemadmodum his auxilio sunt ea, quæ nocumentum afferre videntur: sic iis qui illum non amant, omnia nocent, vel ea quæ auxilium afferunt.* Hoc est prorsus quod suprà Gregorius ajebat, consilio & sapientia & arte medicinæ à Deo nos post vulnera ipsa sanari. Illis enim qui secundùm propositum vocati sunt, ita Deus omnia temperat, ita adaptat, ut calamitates etiam prosint, vulnera medicamento sint.

In Psal. 118. Theodoretus eodem collimat: *Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque. Sæpiùs divina gratia nonnullos ad breve tempus deserit, utilitatem hinc illis procurans. Sic magnus Elias derelictus cum esset, in timiditatis affectum incidit, & humanæ naturæ imbecillitatem didicit, sed confestim divinam iterum nactus est gratiam. Sic divinus Petrus negando prolapsus est, sed protinus eum Dominus sufsulsit. Destitutus autem penitus divina ope Judas, parata præda diaboli fuit. Derelictus etiam fuit beatus David post peccatum illud, & in asperas illas calamitates incidit: sed rursus erga Deum fiduciam recepit, & illinc opem consecutus est. Saul verò hac penitus orbatus, & Spiritus gratiam amisit, & pravo spiritui obnoxius fuit. Jure igitur Propheta precatur, ne derelinquatur usquequaquè, hoc est, ne providentiæ gratia spolietur.* Luculentè prorsus *providentiæ gratiam* vocat, quam Gregorius dispensationem pietatis. Quanempe bona omnia mala, ipsa etiam vitia, ipsos peccatorum lapsus Deus convertit in usum salutis.

Pædog. l. 1. c. 7. Clemens Alexandrinus: *Tale nobis prædicit Moyses nomen salutaris pædagogi. Propterea ei virgam adjungit Prophetia, virgam disciplinæ, Imperii & Potestatis. Ut quibus verbum suadens & admonens non medetur, eis minæ medeantur. Quibus autem non medentur minæ, eis virga medeatur. Quibus verò virga non medetur, eos ignis depascit. Egredietur, inquit, virga de radice Jesse. Vide Pædagogi curam, sapientiam, potestatem.* Egregiè prorsus curationem animarum, Verbi sapientiæ & potestati tribuit, & varietati medicinæ, ut quos amore non provocat, deterreat timore, & vicissim.

Utque ad Latinos Patres me referam, Prosper etiam in eandem Gregorio sententiam prælusit: *Omnis longitudo patientiæ Dei, eruditio est pænitudinis, & oblatio correctionis. Nec ulla opera ipsius misericordia vacant, quando homini & mansuetudine consulit & flagello.* In Ps. 101.

Boethius autem luculentè prorsus hæc nobis Providentiæ arcana propalat, mala & bona, prospera & adversa pro usu & modo salutis electorum suorum dispensantis: *Sit aliquis ita bene moratus, ut de eo divinum judicium pariterque humanum consentiat; sed est animi viribus infirmus, cui siquid eveniat adversi, desinet colere forsitan innocentiam, per quam non potuit retinere fortunam. Parcit itaque sapiens dispensatio ei, quem deteriorem facere posset adversitas. Aliis mixta quædam pro animorum qualitate distribuit. Quosdam remordet, ne longa felicitate luxurient: alios duris agitari sinit, ut virtutes animi patientiæ usu atque exercitatione confirment.* Et mox: *Nam illud quoque quod improbis nunc tristia, nunc optata eveniant, ex iisdem dicitur causis: ac supplicia quidem cum cæteros ab sceleribus deterrent, tum ipsos quibus invehuntur, emendant. Læta verò magnum bonis argumentum loquuntur, quid de hujusmodi felicitate debeant judicare, quam famulari sæpè improbis cernant. In qua re illud etiam dispensari credo, quod forsitan alicujus tam præceps atque importuna natura est, ut eum in scelera potius exacerbare possit rei familiaris inopia, hujus morbo providentia collatæ pecuniæ remedio medetur. Hic fœdatam probris conscientiam spectans, & secum fortunam suam comparans, forsitan pertimescit, ne rei cujus jucundus usus est, sit tristis amissio. Mutabit igitur mores, dum fortunam metuit amittere.* Ita ille bonorum malorumque temperamento quodam ad cujusque naturam & affectus congruente, dispensari provehique salutem hominum existimat. Addit rursum ut mali quandoque per malos homines dum exagitantur, revocentur ad meliorem frugem: *Ex quo sæpè summa illa providentia protulit insigne miraculum, ut malos mali bonos facerent. Nam dum iniqua sibi à pessimis quidam perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes, ad virtutis frugem redeunt, dum se eis dissimiles esse student, quos oderunt.* De consol. Philos. l. 4.

Nec minùs accommodatè ad hanc doctrinam Bernardus: *Si tristia semper acciderent, quis sustineret? si semper prospera, quis non contemneret? Sed rerum tanta gubernatrix sapientia, horum pernecessaria & vicissitudine & moderamine electis suis cursum vitæ temporalis alternat, ut nec adversa frangant, nec læta dissolvant: cum potius & ista ex illis gratiora, & illa ex his tolerabiliora reddantur.* Epist. 136.

CAPUT XIV.

Illam lætorum & tristium dispensationem misericordiæ, & congruam alternationem, significasse videter Augustinus illis quos identidem admiratur, miris & occultis & innumerabilibus modis, *quibus nos ad se Deus trahit. Item Prosper cùm* inscrutabilem unius gratiæ varietatem *prædicat. Nemo venit nisi trahatur, contra Collatorem, cujus doctrina ab Augustini & Gregorii sensu longe abest.*

Illa

Illa Gregorii *dispensatio misericordiæ*, *dispensatio pietatis*, seu congrua procurandæ electorum saluti, & attemperata cujusque ingenio vicissitudo atque alternatio lætorum tristiumque, prosperorum & adversorum; illa ipsa videtur esse quam creber insinuat Augustinus, cùm *miris*, *occultis*, *latentibus*, *ineffabilibus modis* nostras à Deo voluntates administrari, electosque ad pietatem & ad pietatis perseverantiam propelli inculcat. Ita enim ille, *Ipso adjuvante mirabilibus & latentibus modis*, *cùm peccatum non regnat in nostro mortali corpore*. Et alibi, *Quis trahitur*, *si jam volebat? Et tamen nemo venit*, *nisi velit*. *Traditur ergo miris modis ab illo*, *qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari*.

Civit. l. 15. c. 6.

Ad Bonif. l. 2. c. 19.

Etsi hìc autem sanctus Pater dicat Deum *operari in cordibus hominum*, nihil vetat tamen, quin per incursantia foris vel secunda vel adversa in cordium penetralibus operetur. Nam horum quæ foris accidunt ad sensus corporis, vis oppidò magna est ad animos vel contrahendos tristitia, vel lætitia exhilarandos. Et quis non ita experitur per momenta etiam penè singula, non carnem solùm, sed per carnem, carnisque vel delicias vel vulnera, mentem ipsam aliter & aliter affici, & vel oblectari, vel sauciari? sed suimet ipse locupletissimus interpres Augustinus, alibi tradit, *miris & ineffabilibus modis* operari Deum in cordibus hominum etiam malorum, non ut voluntates malas ipse inserat, sed ut illis quo ipse modo cumque volet utatur. *Sicut tradidit Achab in Pseudo prophetarum mendacium*, *sicut tradidit Roboam in falsum consilium*. *Facit hæc miris & ineffabilibus modis*, *qui novit justa judicia sua non solùm in corporibus hominum*, *sed in ipsis cordibus operari*. *Qui non facit voluntates malas*, *sed utitur eis*, *ut voluerit*. Non inspirat Deus voluntates malas, & tamen per malorum hominum voluntates æterna consilia sua executioni mandari facit, nec eas finit extra hos cancellos ab æterna & incommutabili lege præstitutos vagari, aut vel tantillum deflectere. Multò ergo faciliùs cùm bonas voluntates inspiret, alat, foveat, inflammet, ad cujuscumque rei volet consensum complexumque electos suos adducet. Et tam hìc quàm illic prædeterminante illa seu motione, seu delectatione abstinebit.

Cont. Iul. L. 5. c. 3.

Et alibi rursum, *Si operatur Deus fidem nostram*, *miro modo agens in cordibus nostris*, *ut credamus*: *numquid metuendum est*, *ut totum facere non possit*? Et alibi: *Tunc correptione proficit homo*, *cum miseretur atque adjuvat*, *qui facit cum voluerit*, *etiam sine correptione proficere*. *Sed quare isti sic*, *illi aliter*, *atque alii aliter diversis atque innumerabilibus modis vocentur ut reformentur*, *absit ut dicamus judicium luti esse debere*, *sed figuli*. Cæterum *modi* isti, qui ex Augustino *alii aliis* adhibentur, quia alii aliis congruunt, & omninò *innumerabiles sunt*, quia & sapientia & potentia Dei perinde inexhaustæ sunt, non satis consentiunt cum eadem illa atque una sua motionis, sed delectationis victricis prædeterminatione physica & ineluctabili, quæ consensum semper & infallibiliter extorquet. Jam enim modus unus erit, non innumerabilis; & idem omnibus, non alius aliis; & tota illa extrinsecus adhibitæ medicinæ varietas pompæ tantùm serviet & magniloquentiæ, utpotè ipsa per sese prorsus inefficax sterilisque, tota consensus efficacia in unicam illam prædeterminationem interiùs revocata.

De Prædest. SS. c. 2.

De Corrept. & Grat. c. 5.

Quorsum ergo illa seu dispensatio pietatis, seu multiplex & investigabilis viarum divinarum varietas, quam tantoperè & admirantur, & inculcant sancti Patres? Idem rursum Augustinus, *Deus intus operatur & velle per ininvestigabiles vias suas*. Et alibi, *Transtulit iram & indignationem regis in lenitatem*. *Sicut hoc divino & occulto modo egit in hominis corde*, *sic operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate*. Docet & alibi: *Interna atque occulta mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras revelationes*, *sed etiam bonas voluntates*. Et alibi: *Addolorem salubrem pœnitentiæ occultissima & potentissima medicinæ suæ potestate perducere*.

Op. ult. cont. Iul. c. 156.

L. 3. c. c. 117. ibidem.

De Grat. Chr. c. 24.

De Corrept. & Grat. c. 5.

Et alibi denuò idem Augustinus, *Et ecce tu imminens dorso fugitivorum tuorum*, *Deus ultionum & fons misericordiarum simul*, *qui convertis nos ad te miris modis*. Et infrà: *Nimis occultè gubernabar abs te*. Et rursum: *Me autem jam docueras Deus meus miris & occultis modis*. Et ibidem paulò pòst: *Coram te cor meum*, *& recordatio mea*, *qui me tunc agebas abdito secreto providentiæ tuæ*, *& inhonestos errores meos jam convertebas ante faciem meam*, *ut viderem & odissem*. Et rursum infrà: *Manus enim tuæ Deus meus in abdito providentiæ tuæ non deserebant animam meam*, *& egisti mecum miris & occultis modis*. *Tu illud egisti Deus meus*, *nam à Domino gressus hominis diriguntur*, *& viam ejus volet*. *Aut quæ procuratio salutis præter manum tuam reficientem quæ fecisti?* Et mox: *Quoniam & in his altissimi tui recessus*, *& præsentissima in nos misericordia tua cogitanda & prædicanda est*. Et inferiùs: *Sic eramus*, *donec tu Altissime non deserens humum nostram*, *miseratus miseros*, *subvenires miris & occultis modis*. Hæc Augustinus de seipso, ubi minutias omnes & commissuras, opportunitates & momenta excutit rerum, locorum, temporum, personarum, & in singulis admirabundus exosculatur manum Dei, & providentiam architectam conversionis & salutis suæ, *miris & occultis modis* omnia ita dispensantem, ut illi ad pietatem transferendo congruebat. Et alibi de Victorino, *Quibus modis Domine te insinuasti illi pectori*?

Confess. l. 4. c. 4

L. 4. c. 14.

L. 5. c. 6.

L. 5. c. 7.

C. 8.

L. 6. c. 12.

Impressa ab Augustino vestigia pressit & Prosper. Sic enim ille invictam hanc ex multiformi dispensatione efficaciam gratiæ prosequitur: *Toto multiformis gratiæ opere hoc agitur in omnium animis*, *ut ex nolentibus fiant volentes*. Et infrà: *Ex invito volentem facit*, *& quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat*. Nec generatim hæc attigisse contentus, singulares quosdam trahendi modos, sed tam disjunctos variosque indigitat, quàm diversa sunt hominum ingenia, quibus coaptari illos & contemperari necesse est: *Veritas dicit*, *Nemo venit ad me*, *nisi Pater qui misit me traxerit eum*. *Si ergo nemo venit nisi attractus*, *omnes quocumque modo veniant*, *attrahuntur*. *Trahit igitur ad Deum contemplatio elementorum*, *omniumque quæ in eis sunt ordinatissima pulcritudo*. *Trahit rerum gestarum cognitio*, *& divinorum operum relaturæ animum audientis inflammant*. *Trahit timor*; *principium enim sapientiæ timor Domini*. *Trahit lætitia*, *quoniam*, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*, *in domum Domini ibimus*. *Trahit desiderium*, *quoniam*, *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*. *Trahit delectatio*, *Quàm dulcia enim faucibus meis eloquia tua!* Additque tandem: *Quis perspicere & ennarrare possit per quot affectus visitatio Dei animum ducat humanum*, *ut quæ fugiebat*, *sequatur*: *quæ oderat*, *diligat*? Sic ille *inscrutabilem unius gratiæ varietatem* describit, & objectorum seu rerum, & affectuum multitudine & diversitate quadam incredibili *trahentem*. Etenim utramque varietatem commonstrat Prosper, & rerum quæ foris vel terrent vel delectant: & affectuum, qui intus vel existunt vel ispirantur. Et ex hac utraque varietate exurgit & veluti coagmentatur efficacia gratiæ. Alii enim aliis magis moventur rebus & affectibus, & idem ipse homo quia sui dissimilis plerumque, & alius aliusque est, nunc his, nunc illis magis afficitur. Insidiandum est ergo tempori, serviendum tempestivitati, ut omnia intus & foris eo temperentur modo, qui congruit & opportunus est consensui voluntatis extundendo vel eblandiendo.

L. 8. c. 2.

Con. Collat. c. 4. 5.

Ibid c. 14.

Porro hæc à Prospero disputantur adversùs Collato-

latorem, qui bipartito vocationum genere, alios ajebat trahi ad Christum, alios sponte sua advolare. Contrà Prosper intonat ipsamet Christi verba, Neminem venire ad Christum, nisi trahatur à Patre. Porrò trahendi modos & nexus esse longè diversissimos & omnino innumerabiles. *Cùm Deus sit qui operatur omnia in omnibus, sive alios sic, alios autem sic attrahere velit, ad quem nemo, nisi aliquo modo trahatur, venit.* Ibidem.

Porrò ubi Prosper Collatori confligitur, non tamen Augustino & Gregorio colliditur, qui & ipsi tribulationibus & ærumnis consentiebant nos & ad Filium trahi, & ad spiritalem cœlestemque cœnam compelli. Ex Augustino enim & Gregorio, non aliqui, non complures, sed omnes prorsus qui Christo accedunt, trahuntur à Patre, sive illi adversis, quod frequentius, sive lætis trahantur, sive utrorumque condimento, quod longè frequentissimum. Trahuntur enim etiam in vulgatissima hominum consuetudine non pœnis tantùm, sed beneficiis homines. Sunt ferrea vincula, sunt & aurea; & perinde ista constringunt. Vis infertur minis, infertur & blanditiis. Obruuntur angoribus, demerguntur & voluptatibus. Et sapientia & omnipotentia summi Dei tam oblectare, quàm affligere potest sine fine & sine modo. Utrobique necesse est tandem & Deum vincere, & hominem superari. Collator ergo ut prævenienti gratiæ insidias strueret, quosdam ultro venire, non trahi blaterabat. Gregorius omnes sentiebat trahi, sed eos qui lætis & rebus & affectibus illicerentur, quasi sponte accurrere videri: cùm alii persecutionum & calamitatum vi pertraherentur.

CAPUT XXII.

Timor pœnarum etiam temporalium valet quamplurimum ad carnalium animos movendos & excitandos, & plusculum etiam quàm charitas justitiæ, cujus rudes & impatientes tunc quidem sunt, utpote immersi carni & sensibus. At doloris & pœnarum seu metu seu sensu vehementer commoventur, & hac affectione dolorum pœnarumque aversatrice reliquas affectiones peccato implicatas & inimicas charitati profligant, & ita adducuntur ut charitati consentiant.

CUm multiformis illa gratia quæ trahit, seu pietatis & misericordiæ dispensatio, complectatur tum rerum eventus, tum affectus animorum tristes lætosque, postquam universim & tumultuariè illos pertractavimus, jam sigillatim eosdem expendi necessum est. Et quidem de rebus ipsis satis multa jam diximus: ad affectus ergo veniendum est, ut singulorum vim & efficaciam persequamur. Et à timore exordium capi res ipsa postulat, cùm hinc initia sumantur pœnitentiæ & conversionis.

Timor ergo pœnæ vitia premere & mores emendare tunc incipit, cum necdum id potest charitas. Tametsi enim ipsa per sese charitas timore mirum quantum & excellentior & efficacior sit, minùs tamen idonea aut par est afficere & movere cariosi peccatoris animam carnalium voluptatum cœno innutritam. Hujusmodi enim anima tenebris sordibusque terrenarum cupiditatum involuta, caligat ad cœleste lumen, ad spiritalia hebescit prorsus, ad justitiæ & charitatis pulcritudinem cæcutit & obdurescit; non ducitur, non deterretur, nisi sensuum suorum, quibus mancipata est omnino, vel illecebris, vel doloribus. Pœnis ergo, ut quæ carnem lacerent, vehementer movebitur, & ad quidvis dolorum sensibilium formidine flectetur. Quin & à voluptatibus criminosis avocabitur sensu vel metu pœnarum; propterea quod tum naturæ sponte, tum impetu ipso concupiscentiæ multo vehementiùs reformidetur dolor, quàm voluptas appetatur: nec ulla fera est quantumvis in libidines suas præceps, quæ non inde doloribus & cruciatu absterreatur.

Initium ergo resipiscentiæ à timore fiet; non quo justitiam vel justitiæ amorem invehat timor, sed quòd timore comprimantur eæ cupiditates, quæ aspiranti gratiæ & charitati adversabantur. Ita sentiebat Augustinus pœnarum & terrore & experientia salubriter Donatistas compelli ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem & charitatem amplexandam. Non quo timor ipse insereret aut infucatam fidem, aut germanam charitatem; sed quòd eo effugarentur animositas, pervicacia, supinitas, aliæque id genus affectiones, quibus antè occupabantur animi, iisque ejectis jam fides, jam charitas ultro illaberentur volentibus & consentientibus.

Duo ergo hìc sedulò advertenda. Primum est, timori pœnæ quàm amori justitiæ proniùs assentiri animos carnalium deliciarum vinculis obligatos, quòd pœna sensus ipsos cruciet, pœnæque timor carni quodammodo suffragetur, dum ejus integritati & quieti consultum vult. Itaque qui ejusmodi sensuum servituti adhuc mancipati sunt, ab amore justitiæ duri hebetesque resiliunt, pœnarum formidini cedunt non illibentes. Alterum verò est, timore isto seu cruciatu non implantari animis aut charitatem aut justitiam, sed extirpari eas cupiditates, quæ charitatem & justitiam inferi prohibebant. Istud ergo est initium sapientiæ, ea ejicere animo, quibus ejectis, & justitia ipsa ultro influat, & animus justitiæ consentiat, compressis & conticescentibus iis affectibus, qui hactenus reluctabantur.

Nec tricandum aut hærendum diutiùs est in ea quæstione, causa, an occasio sit timor charitatis in animum inducendæ. Abundè enim de timoris efficacia ad conversionem persuasi erimus, si eo constet frangi eas animæ affectiones, quæ charitati & justitiæ cœlitus influenti obstabant, quas nec charitas ipsa sola perfregisset. Est enimverò causa & effectrix conversionis animi, quæ obices amolitur, quæ cupiditates charitati dissentientes comprimit, quæ affectus charitati consentientes roborat, & ita charitati iter complanat.

Audiamus Augustinum, timoris utilitati & efficaciæ suffragantem in conversione Donatistarum acceleranda: *Vides utique jam non, ut opinor, esse considerandum, quod quisque cogitur, sed quale sit illud quo cogitur, utrùm bonum, an malum. Non quo quisque bonus possit esse invitus, sed timendo non vult pati, vel relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur agnoscere veritatem: ut timens, vel respuat falsum, de quo contendebat, vel quærat verum, quod nesciebat: & volens teneat jam quod nolebat. Superfluò hoc fortasse diceretur verbis, si non multis ostenderetur exemplis. Non hos aut illos homines, sed multas civitates videmus fuisse Donatistarum, nunc esse Catholicas, quæ hujus timoris occasionibus Catholicæ factæ sunt per leges Imperatorum.* Timor iste humanus est, quode hìc Augustinus; leges Imperatoriæ, pœnæ breves & temporales. Hujus tamen timoris, harumque pœnarum *occasione* resipuerunt civitates integræ Donatistarum, fideique & charitati se Catholicæ reddiderunt. Quantò ergo divinus timor, & æternarum pœnarum formido plus obtinebit virium & efficaciæ? Nam quod Augustinus non causam, sed occasionem dicit hunc timorem, non est facienda de verbo controversia. Illud tantùm quisque animo perpendat, in revocandis ad Ecclesiam Donatistis quantum momenti, quantum efficientiæ fuerit in isto pœnarum legumque strepitu, in metu imminentium calamitatum. Verè enim & efficienter una affectio aliam superat & extrudit: amor quietis, & dolorum fuga atque aversatio, verè & efficienter constringit cohibetque animosi- Epist. 48.

mositatem, contentionis quàm veritatis cupidiorem; excitat negligentiam inveterato errori indormiscentem; eliminat pudorem ut ne quis erubescat, & errori quem foverat valedicere, & veritati quam oppugnaverat manus dare. Vivunt vigentque in animo affectiones istæ, & inter sese sæpissimè colliduntur, aliæque alias vincunt & conculcant. Ubi ergo timoris affectio affectiones alias charitatis & justitiæ inimicas profligaverit, ubi affectioni justitiæ illabenti aditum & consensum patefecerit, ubi illi conspiraverit ad omnium cupiditatum noxiarum ejectionem, ubi collaborarit ad victoriam de his reportandam, quis jam litem illi moveat, & non causam, sed occasionem tantùm esse conversionis & victoriæ cavilletur? Pergit ibidem Augustinus: *Quàm multi nihil interesse credentes, in qua quisque parte Christianus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discedere, atque ad Catholicam nemo transire cogebat. His omnibus harum legum terror ita profuit, ut nunc alij dicant: Jam hoc volebamus, sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit jam faciendi, & dilationum morulas amputavit. Alii dicant, Hoc verum esse jam sciebamus, sed nescio qua occasione tenebamur: Gratias Domino, qui vincula nostra disrupit, & nos ad pacis vinculum transtulit. Alii dicant, Nesciebamus hic esse veritatem, nec eam discere volebamus, sed nos ad eam agnoscendam metus fecit attentos, quo timuimus ne fortè sine ullis rerum æternarum lucris damno rerum temporalium feriremur: Gratias Domino, qui negligentiam nostram stimulo timoris excussit, ut saltem solliciti quæreremus, quod securi nunquam nosse curavimus.*

[Epist. 50.] Et rursus idem alibi: *Multis profuit, quod experimentis probavimus, prius timore vel dolore cogi, ut postea possint doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari. Sicut meliores sunt quos dirigit amor, ita plures sunt quos corrigit timor, &c. Antequam dicant boni filii, Concupiscentiam habemus dissolvi & esse cum Christo, multi priùs tanquam mali servi & improbi fugitivi ad Dominum suum temporalium flagellorum verbere revocantur. Quis nos potest amplius amare, quàm Christus? Christus Paulum ad desiderandum lumen cordis prius corporis cœcitate percussit. Agnoscant priùs cogentem Christum, postea docentem: prius ferientem, postea consolantem. Pœna corporis ad Evangelium coactus intravit Paulus.* Paulo & Donatistis, quandoquidem illos una in navi collocat Augustinus, non infudit justitiam aut justitiæ amorem pœna corporis, aut pœnæ timor: sed animositatem, pertinaciam, negligentiam, incogitantiam, præsumptæ opinionis tenacitatem, & alias id genus affectiones, quæ justitiæ amorem excludebant, pœna corporis & pœnæ timor exclusit, animum attentum fecit ad veritatis doctrinam, voluntatem à contrariis affectionibus liberam charitati & justitiæ perviam fecit.

Quandiu enim sola charitas justitiæ carnales animos sollicitat, surdis plerumque auribus canit: quia ea spreta carni consultum est, cujus tunc dominatur amor. At ubi si veritas, si charitas diutiùs proteletur, in discrimen adducitur ipsa caro, ubi in lanienam ipsa pertrahitur, tum conspiranti cum charitate timori pœnarum cedunt consentiuntque. Ejusmodi erant sub veteri Testamento: [In Exod. q. 73.] *Sic illi cohibendi fuerant à peccatis, utique timendo ne pœnas sensibiles paterentur, quia nondum poterant amare justitiam.*

Et quoniam præsentibus licèt temporalibus, quàm æternis, sed futuris pœnis magis perterrerentur homines carni & sensibus addicti, ideo Israelitas Deus temporalium pœnarum terrore absterrebat à maleficiis, quæ sempiternis essent suppliciis punienda. Ubi vides quàm totum detur congruentiæ & opportunitati, quando liberæ voluntatis consensus eliciendus est. Carnales enim homines primò non charitatis, sed timoris stimulo punit Deus, quòd ita affecti & contemperati sint, ut hoc licèt infirmiori quàm illo & obtusiori magis moveantur. Et rursum temporales præsentesque pœnas antè & vehementiùs intentat quàm in futurum sempiternas, quòd eo quoque animo sint adhuc, ut illas quàm istas magis reformident. *Hæc est brevissima & apertissima differentia duorum Testamentorum, timor & amor, &c. Omnis hæc temporalis vindicta infirmos animos terret, ut enutritos sub disciplina erudiat, & à sempiternis atque ineffabilibus suppliciis possit avertere. Quia plus timent carnales homines quod in præsenti Deus vindicat, quàm illud quod in futurum minatur.* [Cont. Adimant. c. 17.]

Idem alibi Augustinus: *Non bonus est quisquam timore pœnæ, sed amore justitiæ: verumtamen non inutiliter etiam metu legum humanarum coercetur audacia, ut in ipsis improbis dum formidato supplicio frænatur facultas, invocato Deo sanetur voluntas.* [Epist. 54.] Et Julianus Pomerius: *Ille quem timor in bono pudicitiæ tenet, atque is cui facultatem mœchandi negat occasio, vivere pudicè si consuescant, in virtutem plerumque de necessitate proficiunt, & paulatim ipsius pudicitiæ delectatione crescente, pudici veraciter fiunt: & ita proficiunt, ut jam non sermone, sed virtute sordes impudicitiæ detestantes, non timore pœnæ carnalibus incentivis obsistant, quod incipientium est proprium: sed execratione peccati refrænent inquietos carnis affectus.* [De vita c. l. 3. c. 7.] Viden legum pœnarumque formidine, vel occasionis penuria, castitatem coli, idque diutulè, ita ut consuetudo pudicitiæ gignatur, consuetudini sociam accedere delectationem, jam delectationi castimoniæ & rem & nomen & totum virtutis splendorem inesse?

Author librorum de Vocatione Gentium: [L. 2. c. 9.] *Hunc consensum non solum cohortatio prædicantium & incitamenta doctrinæ, sed & metus gignit, propter quod scriptum est, Principium sapientiæ timor Domini. Qui quantislibet terroribus inferatur, non aliud agit, quàm ut quem fecerit timentem, faciat volentem, nec solum volentem, sed etiam sapientem. Unde & illud scriptum est, Beatus cui donatum est habere timorem Domini. Quid enim tam beatificum, quàm hic timor, qui genitor eruditorque sapientiæ est? In cujus utique devotione devota est & voluntas, quæ authore gratiæ eodem proficit timore quo cœpit. Cùm ergo hic timor etiam per quandam magnam vim terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, non intellectus aufertur, sed illa potius quæ mentem premebat, caligo discutitur, ut voluntas depravata prius atque captiva, recta efficiatur & libera.* [Cap. 14.] Et infrà: *Effectibus gratiæ Christianæ etiam ipsa, quibus mundus atteritur, arma famulantur. Quàm multos enim qui in tranquillitate pacis Sacramentum baptismatis suscipere differebant, ad aquam regenerationis confugere instantis periculi metus impulit, & lentis tepidisque animis quod diu cohortatio quieta non suasit, minax subito terror extorsit?*

Gregorius Magnus similiter: [Moral. l. 28. c. ult.] *Corruptionis malum quod unusquisque nostrum ab ortu carnalium desideriorum sumpsit, nisi citiùs divinæ formidinis manus reprimat, omne conditæ naturæ bonum repente culpa in profundum vorat. Nemo igitur sibi cogitationum suarum victoriam vindicet, &c. Solus Dominus pravis motibus cordis claustra inspiratæ formidinis objicit.* Et infrà: [Ib. l. 29. c. 6.] *Cùm duras atque insensibiles mentes respicit Deus, modo eas minis, modo verberibus, modo revelationibus terret, ut quæ pessima securitate duruerant, salubri timore mollescant.*

CAPUT XXIII.

Timor pœnarum æternarum longè efficacior est ex Augustino. Is non manum tantùm, sed & consensum

sensuum abstinet à peccato, & ipsa peccandi desideria excindit. Multis id argumentis demonstratur. Voluptas quæ ad peccandum illicit, inest operi, non desiderio peccati. Qui ne in æternum pereat, valedicit deliciis peccati, is & earum desideria sterilia & eidem pœnæ obnoxia ablegat utique. Ipsa per sese justitia amatur ab omnibus; resecatis peccati deliciis, nemo non consentit justitiæ.

SI tantum porrò valet ad carnalium animos à peccato alienandos pœnarum temporalium fragor, quantò movebit illos vehementiùs non intentata solum extrinsecus, sed intus etiam inspirata æterni supplicii formido? Fide enim cordibus inseritur Christianorum omnium terror iste pœnæ sempiternæ, quo penè omnes homines imbuerat ipsa ubique terrarum natura. Sed ubi quod initiavit natura, id corroborat perficitque fidei Christianæ gratia, tum multò gravior incumbit animo timor, concutitque hominem, & à temporali fluxaque voluptatis usura deterret objecta æterni cruciatus acerbitate. Paucissimi sunt, qui ad pietatem alio duce & magistro se conferant, quàm hoc timore: non quo cesset charitas justitiæ illos allicere, sed quòd sensibilium & voluptatum amantes, & fugitantes dolorum, pœnarum gravissimarum & æternarum formidini faciliùs assentiantur, quàm justitiæ suavitati, cui ut tunc comparati sunt, carnalia oblectamenta hauddubio anteponerent, si his tutò uti & abuti liceret.

Catec. rud. c. 5. Ita sanè profitetur Augustinus: *De ipsa severitate Dei qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est. Rarissimè quippe accidit, imo nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus.* Ubi timor iste abrupit vincula, quibus peccato obligabantur, quibus à justitia arcebantur, ubi nimirum à pestiferis voluptatibus, ubi ab earum etiam spe homines avulsit: tum facile & pronum, imò quodammodo necessarium est assentiri charitatis & justitiæ inspirationi. Non propterea tantùm, quòd illi tantùm obices assensionem hanc retardarent, sed etiam quòd orbata carnalibus oblectamentis voluntas deliciandi utcumque naturaliter amans, spiritales delicias, si tum divinitus occursent, utique amplexetur, quando jam non alias vel gustare licet per hunc dominatorem animi timorem, vel sperare. Idem ibidem: *Qui propter*

Ibid. c. 17. *beatitudinem sempiternam vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, verè ipse Christianus est. Qui tamen proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Dominum, quàm timeat gehennam.*

Etenim timendo gehennam abstinebit à maleficio; in desuetudinem, in oblivionem etiam veniet peccandi; tunc pensitabit crebrò amari se ab eo quem timebit; ita fiet, ut & amet ipse. Rursum consuetudine operum justitiæ, gignetur facilitas, suavitas & delectatio justitiæ, ut jam ipsum propter sese Deum, ipsam per sese justitiam

Ibidem. & diligat & sectetur. *Ut ab eo quem timet, amari se gaudens, eum redamare audeat, ejusque in se*

Ibid. c. 17. *dilectioni, etiamsi impunè posset, displicere vereatur.* Et rursum: *Qui propter beatitudinem sempiternam vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, verè ipse Christianus est. Cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, & ne frangatur adversis, & in abundantia terrenorum bonorum modestus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens. Qui tamen proficiendo perveniet ad talem animum, ut plus amet Dominum, quàm timeat gehennam: Ut etiamsi dicat illi Deus, Utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantum potes, pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris: exhorrescat, & omnino non peccet, non jam ut in illud quod timebat, non incidat, sed ne illum quem sic amat, offendat.* Hic duo rursus quædam observari velim. Primum est, ex Augustini sententia *verè Christianum esse*, qui se à peccando abstinet eo metu, *ne in ignem æternum eat cum diabolo*; atque adeo cujus affectibus cæteris necdum charitas dominatur. Secundum est, istiusmodi hominem, quem non charitas, sed metus à peccando deterret, esse posse *cautum in omni tentatione, quem nec corrumpant prospera, nec adversa frangant, temperantem, modestum, fortem*. Etsi enim causari possis, ei non deesse initia & semina aliqua charitatis: at certè solus in eo dominatur timor pœnæ, non regnat charitas justitiæ. Regnabit autem in eo charitas justitiæ, & bona omnia ejus opera ex sese effundet sibique vendicabit, cùm ad id profecerit, ut plus amet Dominum, quàm timeat gehennam, & peccare, etsi impunè possit, abhorrescat. Quæ cùm tam perspicuè commendentur ab Augustino, hinc vel maximè liquet, quantæ sint vires, & quanta efficacia timoris gehennæ.

Quòd autem timore gehennæ non manus tantùm, sed & consensus abstineatur à peccando, ipsaque peccandi desideria & concupiscentiæ refrænentur & paulatim extinguantur: liquet primò quòd consensio & desiderium peccati æquè ac opus ipsum in sempiternum exitium homines detrudat. Ergo si metus æternæ pœnæ cohibet opus peccati, cohibet & consensum ac desiderium, cùm perinde consensu atque ipso opere peccati æterna pernicies accersatur. Secundò non desiderio peccandi, sed ipsi operi inest ea illecebra & dulcedo, qua inescati in facinus ruunt. Etenim cupiditas ipsa peccandi solitaria, si ab opere peccati arceatur, cruciat magis quàm delectat. Ergo ubi metus gehennæ opera ipsa mala resecarit, excindet & desideria peccandi, quæ ipsa per sese non solùm sterilia & inania voluptatis, sed & angoris curarumque plena sunt. Tertiò concupiscentia, desiderium, habitus, pronitasque peccandi elanguescet, & sua sponte marcesset extingueturque cessatione operum peccati. Id enim valet in commune in omnes habitus, ut aboleantur, vel habitu contrario surrepente, vel suorum actuum longa feriatione ac desuetudine. Ut enim frequentatione actuum convalescunt habitus, ita eorundem cessatione debilitantur & exolescunt tandem. Ergo timor gehennæ cùm constanter manum contineat reprimatque à peccando, ipsum peccandi habitum & desiderium, seu pronitatem coercebit. Quartò ne gratiæ charitatis & delectationis justitiæ consentiret voluntas, vetabat pestifera peccati suavitas, peccati, inquam, seu operis mali, non desiderii. Ergo ubi cum opere ipso peccati hanc etiam insidiosam suavitatem ablegaverit timor gehennæ, gratiæ intus delectanti consensio voluntatis ultro accedet. Nec enim fieri potest ut abjecta suavitate ipsa peccati, nec abjecta tantùm, sed omnino desperata in posterum, retineatur sterile & infrugiferum peccandi desiderium, cum gehennæ certo discrimine. Nec fieri rursus potest, ut repudiatis peccati delectamentis, propter sola peccandi desideria, quæ doloris plus afferunt quàm voluptatis, blandientis intus justitiæ & charitatis dulcedo respuatur. Quintò denique dum timor gehennæ comprimit opera mala, eduntur & frequentantur opera justitiæ. Frequentatione operum justitiæ ingeneratur animo habitus justitiæ, cum facilitate & delectatione conjunctus. Habitus, delectatio & facilitas justitiæ, & ipsa charitas est, vel à charitate quid indivulsum.

Audi Augustinum: *Timent & continent se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam. Cum autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus; & jam incipit homo justè vivere, propterea non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem.* In Ps. 110.

Etenim ipsa per sese justitia admirationi & amori est

est omnibus naturis ratione utentibus, etiam in nequitiæ voraginem demersis. Nec enim odio justitiæ, sed amore voluptatis ex peccato scatentis à justitia deviarunt. Cæterùm vel tum cùm in cœno improbitatis defixi volutantur, vivit in eorum animis sensus aliquis intestinus, & affectus intimus, quo sapientiam, quo justitiam & admirantur & cupiunt, & si cum corporeis voluptatibus sociari possit, etiam amplexentur. Ergo cùm timor gehennæ absciderit carnalium peccati deliciarum & fructum omnem & spem, reviviscet & exardebit affectus ille pridem delitescens, ac illabenti cœlitus charitatis gratiæ ac justitiæ delectationi occurret & conglutinabitur. Illud est quod innuebat Augustinus his verbis: *Cùm per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & dulcescit Deus.* Unde rursum alibi: *Sunt qui timent Deum, ne ardeant cum diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille, qui introducit charitatem, &c. Non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo quia mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare. Cùm bona desiderare cœperis, erit in te amor castus.*

In Epist. Joan. tr. 9.

Ibidem. Efficaciam timoris idem Augustinus ibidem disertè declarat: *Stimulat timor, sed noli timere, intrat charitas, quæ sanat, quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit.* An nulla curationis pars est, vulnus aperire, secare, putredinem ejicere? Id facit timor. An nulla vis, nulla efficacia ferramenti, quo inveterata sanies expurgatur? Sanitas quidem nonnisi charitas est, sed vis & potestas maxima procurandæ & inducendæ sanitatis in hujus medicinalis ferri seu sectionis beneficio est. Unde infrà idem: *Domine propitius esto illi, dimitte illi peccata, incute illi timorem, muta illum.* Timore enim mutatur cor. Et alibi: *Ut adulterium committeres, affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus cui debes, & quod non admisisti.* Et alio loco: *Scriptum est, Timor Domini spes fortitudinis. Cùm enim timetur pœna, quam minatur, discitur amari præmium quod pollicetur; ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur, per bonam vitam bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere.* Et rursum: *Qui enim ideo bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat, non est inter filios, utinam tamen vel pœnam timeat. Timor servus est, charitas libera est. Et ut sic dicamus timor est servus charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.* Non mediocrem timori vim arrogat, quo ait nos fieri ex inimicis, nondum filios quidem, sed jam servos, quo diabolum possessione cordis exturbari, quo manus non tantùm abstineri à malo, sed roborari etiam ad bona opera, quo cor ipsum charitati præparari docet. Non excuteretur autem ex corde diabolus per timorem gehennæ, non locus charitati in corde adornaretur & sedes, si interim in eodem mala desideria foverentur.

Ibidem: Tract. 8.

L. 50. hom. hom. 25.

Serm. 214. de Temp.

De verbis Apost. ser. 13.

De verbis Ap. ser. 18. Et rursum alibi: *Ipse Dominus ablato timore subjecit timorem, &c. Formido est mali, nondum delectatio boni. Sed time etiam ut ista formido custodiat te, & perducat ad dilectionem. Timor enim iste quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & sic volentem peccare animo interiore, non sinit. Est quidam custos timor, quasi Pædagogus legis.* Quod hìc scribit sanctus Pater, *volentem peccare animo interiori*, prohiberi per timorem, hunc habet sensum promptum & expeditum, aliisque de timore eodem suprà ex eodem commemoratis sententiis consentaneum: quòd motus concupiscentiæ in peccatum prosilientes & indeliberatos sistat, refrænetque timor gehennæ: vel quòd habitum peccandi quasi sopitum, necdum extinctum contineat, ne in consensum, ne in opus erumpat. Id sonant verba illa, *animo interiore volentem*. Nam etiam tum cùm actu & explicitè non vult aliquis peccare, frænatus timore Dei, in animi tamen ejus penitiori recessu delitescit cupiditas, pronitas, habitusque peccandi. Si autem velis cum timore gehennæ sociari actualem peccandi consensum, jam cætera omnia & Pauli & Augustini decreta de timore isto collabascent, quod sit pædagogus & custos, quod peccare prohibeat, quod charitatem introducat, quod bonorum operum consuetudinem, quod justitiæ tandem dulcedinem invehat. Actualia enim & libera desideria has omnes timoris laudes labefactant.

Adverte postremo charitatem quam hìc timori comparat Augustinus, non quamcumque, sed justificantem intelligi. Illa enim demum sanitas est animæ, illa filios Dei facit, illa plus amare justitiam dat, quàm timere pœnam, illa ejecto per timorem diabolo introducitur in corda justorum, & ibi ut in proprio solio sessitat. Charitas ergo non dicitur ab Augustino propriè, nisi quæ justificat. Non quod initia & rudimenta aliqua amoris Dei ille nescierit, sed ea cum timore permiscuit. Dominatur enim tunc timor adhuc in animo ante justificationem, etsi jam scintillæ charitatis aliquæ præfulserint. Tantilla enim charitas proclusio non posset à peccando revocare. Revocat autem tunc timor gehennæ. Ergo siquid tunc vel boni fiat, vel mali caveatur, in timorem id, non in charitatem refunditur. Ergo si qui timet gehennam, & ideo non peccat, dicitur volens animo interiori peccare: hæc Augustini verba ita intelligenda sunt, ut non tantum timori gehennæ, sed & charitatis quibusdam primitiis possint quadrare.

CAPUT XXIV.

Non solum peccatores ad conversionem, sed etiam justos ad bona opera, atque ad perseverantiam adjuvat plurimum, roboratque timor gehennæ. Itaque mortales omnes quantalibet sanctitate floreant, hujus timoris præsidio egent, quandiu nec cupiditas funditus extincta, nec charitas ad summum usque cumulum evecta est. Perfecta enim dumtaxat charitas foras mittit hunc timorem.

Impiorum resipiscentiæ & conversioni ad justitiam hactenus impensa est timoris efficacia. Nunc justorum perseverantiæ navabit operam non minus strenuam & necessariam. Invehit in animam timor charitatem, pellit ex anima charitas timorem, sed mira est & incredibilis tarditas hujus progressionis. Augescente charitate minuitur timor gehennæ, sed quandiu hæc mortalis peragitur vita, est semper quo crescat charitas, superest ergo & timoris aliquid quod adhuc in animo resideat. Crescit charitas decrescente cupiditate, necdum tota interimitur cupiditas, dum mortalitas hæc agitatur, itaque nec extremam suam hìc perfectionem consequitur charitas. Porrò *perfecta* tantum *charitas foras mittit timorem*: non inchoata, non provecta, sed perfecta, & omnibus suis numeris absoluta.

Ergo justis in omnibus hujus vitæ curriculo defungentibus charitas justitiæ & timor gehennæ mutuas sibi præstant operas, vires consociant, suaque conspiratione multa perficiunt, ad quæ impares sigillatim essent. Luculentè prorsus apud Augustinum: *Timeat Christianus, antequam perfecta charitas foras mittat timorem; credat & intelligat se peregrinari à Domino, quandiu vivit in corpore quod corrumpitur & aggravat animam. Tanto minor sit timor, quanto patria quo tendimus propior. Major enim timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus pervenientium. Sic & timor perducit* Serm. 214 de tempore

cit ad charitatem, & perfecta charitas foras mittit timorem.

Et ipsemet alibi Augustinus præstantissimè, ut incrementa charitatis argumento sint decrescentis hinc cupiditatis terrenæ, hinc timoris gehennæ. Sed ut quantumvis decrescat cupiditas, superest tamen aliquanta semper, quia nunquam absolutionem & perfectionis cumulum hìc adipiscitur charitas: ita quamlibet extenuetur in dies singulos timor gehennæ, non unquam tamen totus deficit aut absorbetur, quia nunquam charitas eo pertingit, ut non sit amplius quo proficiat. *Charitatis venenum est spes adipiscendorum, aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus est imminutio cupiditatis; perfectio nulla cupiditas. Signum profectus ejus imminutio timoris. Signum profectionis ejus nullus timor. Quia & radix est omnium malorum cupiditas, & perfecta charitas foras mittit timorem. Quisquis igitur eam nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus. Est autem cupiditas amor adipiscendi, aut obtinendi temporalia. Hujus minuendæ initium est Deum timere; quia solus timeri sine amore non potest. Ad sapientiam enim tenditur, & nihil verius eo quod scriptum est, Initium sapientiæ timor Domini.* Si charitatis perfectio nulla cupiditas, nulli mortalium obtingit perfecta ista charitas, cùm antè vita, quàm tota concupiscentia exuatur. Ergo nulli etiam obtingit non indigere timoris adminiculo, cùm signum perfectæ charitatis sit etiam nullus timor.

L. 83. qq. q. 36.

Et quidem quandiu cum cupiditate confligendum est, quis non sentit auxilii plurimum à timore gehennæ adesse posse? Quin etiam devicta cupiditate, ne superbia surrepat & illudat victori, pernecessarius timor est ad hanc longè periculosissimam pestem superbiæ profligandam. Porrò quis mortalem vivit vitam, qui non idem sibi timeat à superbia? quis non adversus illam toto & charitatis & timoris præsidio munitum se velit? Scitè ergo ibidem Augustinus: *Devicta ista cupiditate, cavenda superbia est. Itaque adhuc necessarius est timor, ne illud etiam quod videtur habere, auferatur ab eo, & manibus ac pedibus ligatis mittatur in tenebras exteriores. Quapropter Dei timor non solum inchoat, sed etiam perficit sapientem.*

Quod autem ibi dixit Augustinus, *Deum solum sine amore timeri non posse*, id eo valet, quòd timor Dei ad ejus charitatem perducat. Timeri enim possunt alia omnia, nec unquam amari, quia ad eorum amorem non decurrit necessarius naturæ rationalis impetus. At justitia, veritas, æternitas, immortalis, incorruptibilis, æterna, cùm ipsissima sit hominis beatitudo, rapit omnino ejus in se amorem, nisi interferat se ludificatoria aliqua umbraticæ felicitatis imago, & quasi de via nos deflectat ad sordidæ cupiditatis diverticula. At ubi timor gehennæ frustratorias has voluptatis & felicitatis fucatæ umbras excussit effugavitque, tum reddita sibi natura rationalis rationales sapientiæ & justitiæ delicias per charitatis inspirationem influentes toto ore & obvio haurit pectore. Quod familiari exemplo declarat idem Augustinus: *Quid faciunt illi quibus obstupuerunt dentes? Temperant se aliquantulum ab uvis acerbis, & redeunt dentes ad stabilitatem suam, & incumbunt pani. Sic & nos si volumus manducare justitiam, temperemus nos ab iniquitatibus, & nascitur in corde non solum delectatio laudandi justitiam, sed etiam facilitas manducandi.*

In Ps. 48.

Et rursus idem Augustinus timoris vires ad debellandas cupiditates quaslibet ita describit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus. Timete eum qui potest mittere in gehennam. Majore timore minora contemnimus; & majore æternitatis cupiditate omnia temporalia fastidimus. Nam & hic deliciæ temporales dulces sunt, & tribulationes temporales amaræ sunt. Sed quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignes gehennarum? Et quis non contemnat dulcedinem sæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ?* Timor cruciatuum & dolorum sensibilium sævissimas cupiditates & quantumlibet inflammatas restringit cohibetque. Timorem temporalium calamitatum ex Augustino, superat & profligat formido gehennæ. Ergo satis virium erit in timore gehennæ ad cupiditates quaslibet inhibendas.

In Psal. 10.

CAPUT XXV.

Quæ tribus superioribus capitibus uno ferè ex Augustino constituta sunt, ex Latinis aliis Patribus eadem approbantur.

QUod ex Augustino propemodum uno tribus superioribus capitibus constitutum est, id cæterorum nunc Patrum suffragatione fulcietur. Nempè ita & generi humano & singulis hominibus consulere divinam clementiam, ut timoris quasi pædagogi longo tyrocinio imbuantur, & ita proficiant ad charitatem. Si sola charitas autem & delectatio quædam victrix totius boni efficax est, ecqua timoris utilitas? ecquod tanti temporis sub hoc pædagogo contriti emolumentum? Æquè enim postea opus est adjutorio totum efficiente, atque si nullus antè timor animum infecisset. Rursus si gratia est impulsio quædam & motio prædeterminans, nihil opus est timore initiari & præparari animum ad ejus effectum fructumve percipiendum. Perinde enim ipsa solitaria totam superabit resistentis animi pugnacitatem, & voluntatem invictissimè aget. At verò si gratiæ efficacia colligitur ex omnium simul divinorum auxiliorum multitudine, conspiratione, congruitate, varietate, jam dubitatio omnis vanescit, & necessariò animos prior occupat timor, qui charitati viam pandit & complanat. Etenim homines naturaliter priùs & validiùs excitantur mali timore, quàm amore boni. Ita fert infantiæ conditio, ut plagis agantur quolibet, utique certiùs quàm virtutis illecebra. Et quis non hìc ab infantia exordium ducit etiam spiritalis vitæ? Quin imò quid tota hæc mortalis vita, quàm velut infantia quædam est, præ illa cui suspiramus adulta maturitate virtutum? Quandiu saucius est animus sui suæque carnis amore immodico, faciliùs inclinatur ad gehennam fugiendam, quàm ad amandam justitiam. Quòd gehennæ scilicet timor minùs abludat ab amore illo sui.

Julianus Pomerius: *Ad pœnam quæ peccanti debetur, mens antequam peccet, aspiciat; cruciatus ac dolores qui solent sequi peccantem, carnalibus incentivis opponat; & nihil eam peccati oblectat, nec ad peccandum ulla delectatio corporalis inclinat.* Et infrà: *Non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat, exundantis incendii terribiles crepitus pati, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri: hæc & multa similia cogitare, nihil est aliud, quàm vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrænare. Sed nos jam si videtur, ab his terribilibus malis, quæ fidelium mentes salubri terrore concutiunt, atque ab omnibus vitiosis delectationibus abducunt, ab his ascendamus ad illa sublimia, &c.* De vita contempl. l. 3. c. 11. Cap. 12.

Hieronymus, *Hoc nobis præstet Dei timor, ut omnes alios contemnamus timores.* Et alibi: *Noli altum sapere, sed time: Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et qui se exaltat, videat ne cadat. Potentes potenter tormenta patientur. Timor virtutum custos est, securitas ad lapsum facilis. Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Et est sensus: Dum tormenta formido, servavi gratiam quam acceperam.* Et alibi de vinculis omnibus quibus obligamur sæculo, *Facilè rumpit hæc vincula amor Dei, & timor gehennæ.* Adv. Pelag. l. 3. De 42. mansf. mans. 15. Epist. ad Heliod.

Lactan-

L. 6. c. 17. Lactantius eleganter, *Simpliciter ostendam summum metum summam esse virtutem. Ad quod probandum argumentis opus non est. Spectatæ sunt enim spectanturque adhuc per orbem pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis nova & inusitata tormenta excogitata sunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari, cùm immanium bestiarum ultra ipsam mortem sævierit carnificina. Has tamen excruciabiles corporum lacerationes fœlix atque invicta patientia sine ullo gemitu pertulit. Hæc virtus omnibus populis atque provinciis & ipsis tortoribus miraculum maximum præbuit, cum patientia crudelitas vinceretur. Atqui hanc virtutem nihil aliud quàm metus Dei fecit. Itaque non evellendus, ut Stoici, neque temperandus timor, ut Peripatetici volunt, sed in veram viam dirigendus est; auferendique sunt metus, sed ita ut is solus relinquatur, qui quoniam legitimus ac verus est, solus efficit, ut possint cætera omnia non timeri.* Ita ille invictam quandam virtutem & potestatem dura & aspera omnia superandi, vendicat illi timori, qui affectus animi est, qui virtus est, qui non actus est modò, sed actuum origo & parens quidam, affectus jugiter in animo residens, & ad Deum arrectus. Quod & de aliis affectibus idem ille probat, si prosciantur in terram, vitia esse; si assurgant ad Deum, in virtutes evehi. *Metus igitur & cupiditas, si projiciantur in terram, vitia fient: virtutes autem, si ad divina referantur.*

Ne excogitari quidem potuit major vis seu efficacia, quàm quæ hic metui divino tribuitur, ut tyrannorum carnificinam constanter pertulerit viceritque. Non quo nullam in partem hujus laudis vocetur charitas: neque enim id fas est; sed quòd non in charitate solùm, sed & in metu plurimum esset adjumenti, ut tormenta etsi gravia graviorum metu vincerentur.

Gregorius Magnus: *Salomone attestante, in timore Domini fiducia fortitudinis. Timori quippe* Moral. l. 5. c. 13. *Domini inesse fiducia fortitudinis dicitur, quia nimirum mens nostra tantò valentiùs terrores rerum temporalium despicit, quantò se authori earundem veraciùs per formidinem subdit. Quæ in timore Domini constituta, non invenit extra quod metuat.* Et I. 29. c. 5. infrà: *Sæpè quosdam cognovimus malorum suorum consideratione compungi, divini terroris pavore fervescere, & per pavoris exordia usque ad virtutum* In Evang. Hom. I. *summa pervenire.* Et alibi: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Ignis in conspectu ejus ardebit, & in circuitu ejus tempestas valida. Illum diem fratres charissimi ante oculos ponite, & quidquid modo grave creditur, in comparatione ejus le-* Ibid. ho. 5. *vigatur.* Et infrà: *Sic necdum mens nostra accenditur igne charitatis, in ambitione sua habeat frænum timoris; ut profectus sui passibus vegetata, dum ab alienorum appetitu compescitur, quandoque ad propria contemnenda perducatur.*

Epist. 107. Bernardus similiter: *Dum quisque vocatus per timorem, justificatus per amorem, præsumit se quoque esse de numero beatorum: sciens nimirum quia quos justificavit, illos & magnificavit. Quid enim? Audit se vocari, cùm timore concutitur: sentit & justificari, cùm amore perfunditur: & de magnificatione diffidet? Initiatur, provehitur: & de sola desperabit consummatione? Nempe si initium sapientiæ timor Domini, in quo dicta est esse nostra vocatio: quid, nisi provectus in sapientia est amor Dei, is dumtaxat qui interim ex fide est, ex quo & nostra fit justificatio?* Ad nauseam penè inculcat, timore nos vocari, amore justificari. Observa hìc primò quod jam sæpissimè adnotavimus, amorem & charitatem à Bernardo, perinde ut ab Augustino, aliisque Augustini doctrinæ addictioribus, non vocari, nisi illum qui justificat. Observa hìc secundò, quidquid præcurrit & præluditur justificationi, id totum timori tribui. Cùm necdum enim dominetur in animo charitas, non dominatur autem nisi in justificatis, & tamen vita piè tum & religiosè instituatur, necesse est dominari eo quidem tempore timorem gehennæ, & ex ejus imperio componi vitam. Et siqua enim tunc amoris divini exordia præluceant, non dominatur tamen ille amor tam exanguis adhuc & languidus. Observa tertiò, eam vocationis gratiam, quæ utique efficacissima est in illis qui ad justificationem promoventur, vendicari hìc à Bernardo timori. Ergo ab ejus sententia immaniter aberrant, qui totam gratiæ vocantis efficaciam constituunt in victrice delectatione & dilectione justitiæ. Contrà enim à Bernardo tota collocatur in timore, & separatur à charitate justitiæ, quæ jam non gratia vocans, sed justificans est. Et sanè quo temporis puncto est in cujusquam animo victrix delectatio dilectioque justitiæ, est utique ille jam justus. Ergo ad justificationem tunc vocatur, cùm timore percellitur, & à peccando abstrahitur metu gehennæ, & hac bonorum operum consuetudine sic afficitur, ut charitati seu gratiæ justificanti cœlitus illabenti congruat & consentiat.

Idem ibidem Bernardus: *Vides quia præcedit timor, ut sequatur justificatio.* Et infrà: *Sic abyssus abyssum invocat in voce cataractarum suarum, cùm in terrore judiciorum suorum immensa illa æternitas, & æterna immensitas, cujus sapientiæ non est numerus, cor hominis pravum & inscrutabile, mira sua bonitate & potentia educit in admirabile lumen suum.*

CAPUT XXVI.

Item ex Patribus Græcis eadem timoris gehennæ vis & efficacia ad conversionem, ad bona opera, ad perseverantiam.

NEc in laudibus timoris gehennæ muti fuerunt Græci Patres. Dorotheus eo emolliri duritiem, frangique obstinationem ita testatur: *Ad insensibilitatem animæ frequens lectio divinarum Scripturarum utilis est, post nocturnos sermones deiferorum Patrum, & memoria terribilium judiciorum Dei, & egressus animæ à corpore, & terribilium potestatum, quæ illi futuræ obviam sunt, quibus cum iniquitatem fecit, dum fuit in hac brevi & miserabili vita. Quomodo etiam in futuro sit expavescendum ante tribunal Christi, & quemadmodum sit exigenda ratio, non solum operationum, sed etiam sermonum & cogitationum in conspectu Dei. Memineris autem continuè ejus vocis, quam terribilis & justus judex his dicturus est, qui erunt à sinistris, Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c.* Doctr. 20. Ergo Dorotheo persuasissimum erat animæ morbos quamlibet inveteratos curari posse hac acriori timoris gehennæ medicina.

Climacus autem cùm ad eos verba faceret, qui sæculo jam valedixerant, nunciumque remiserant terrenis cupiditatibus, ut eos vel ad perseverantiam, vel ad sublimiorem virtutum apicem proveheret, divini hujus timoris adminicula plerumque subjiciebat: *Quando suggerentibus dæmonibus animi nostri memoria parentum aut fratrum incalescunt, ad arma precum confugiamus, ignisque æterni recordatione nos contra inflammemus, ut contra importunum cordis incendium gravioris & nunquam finiendi incendii metu extinguamus.* Grad. 2. Et alibi de illis, qui arctioribus se pœnitentiæ & perfectionis vinculis astrinxerant, *Erat illis cum loquendum esset, sermocinatio assidua & perpetua de futura morte, deque judicii extrema meditatione.* Grad. 4. Et mox ab eorum uno, qui vilissimo ministerio dum perfungeretur, jugi pietatis & lacrymarum fonte colliquescebat, ait se sciscitatum esse, qua arte tam singularem gratiam esset adeptus, ab eoque hoc responsi se tulisse, *Non homini unquam, sed Deo ministrare visus, omni me quiete indignum arbitratus*

tus sum, & per contemplationem ignis præsentis assiduam futuri inferorum incendii memoriam excitare consuevi. Et infrà: *Ne desistas unquam, quin tuis intimis sensibus imprimas, ac mente penetres obscurissimi ignis dehiscentem in immensum voraginem, crudeles carnifices, judicem immisericordem & inexorabilem, infinitum incendii inferni chaos, subterraneorum & formidabilium locorum & hiatuum altissimorum angustissimos descensus, & horum omnium ac hujusmodi malorum formas & imagines, ut ingenti terrore perculsa anima nostra in luxuriam prona, inflammetur incorrupta castitate, & lumine spiritali quod ex luctu suscipit, magis illustretur*. Non ergo omnia ad unam delectationem justitiæ conferenda sunt, sed suas partes agere, easque permagni momenti finendus est timor, nec ad initiandam tantòm peccatorum conversionem, sed ad perseverantiam etiam atque absolutionem virtutum.

Grad. 7.

Basilius quoque timoris commoda & utilitates persæpè enumeravit: *Timeat Dominum omnis terra. Jam quando timor Domini initium est sapientiæ, qui terrena sapiunt, per timorem erudiantur. Timor enim quasi quidam introductorius necessariò ad pietatem condiscendam assumitur. Charitas verò à timore instructivo exercitatos suscipiens, perficere solet*. Et infrà: *Timete Dominum omnes sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus eum. Nisi timor instituendæ vitæ nostræ rudimenta jaciat, impossibile fuerit castitatem sanctimoniamque legitimè observari. Confige inquit timore tuo carnes meas. Nam quemadmodum qui corporis membra habent clavis transfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea retinent; sic ii quorum animam occupavit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati ex perturbationibus occasionem vitant. Timenti itaque non est inopia, hoc est, nulla ad complectendam virtutem deficet facultas, quum per timorem ab indecora omni & absurda actione revocatur, & impeditur: sed perfectus est, nullo bonorum, quod humanæ conveniat naturæ, destitutus*. Et aliquantis interpositis, *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Timor salutaris, & qui sanctitatis operatorius est, vis enarrem qualis sit? Si quando te senseris ad unum aliquod cieri ac prosilire peccatum, mihi ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Christi judicium, in quo quidem præsidet judex in alto & sublimi throno, astat porro creatura omnis prætrepida, & intremiscens ad ipsius gloriosum & illustrem adventum. Eo singuli sistentur, de his examinandi, quæ quisque gessit in vivis. Deinde eos qui multa perperam in vita admiserunt, horrendi quidam ac tristes circumstabunt angeli, ignem aspectu reddentes, ignem expirantes, propter propositi ac voluntatis acerbitatem; vultum præferentes nocti assimilem, propter mœrorem atque hominum odium. Subinde conspicient baratrum in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignemque obscurum, urendi quidem in tenebris vim habentem, luce verò destitutum. Inde vermium innumerabilium genus venenosum ac carnivorum, esitans quidem semper, nec tamen se exatians, intolerabiles dolores morsibus infligens. Postremò omnium durissimam pœnam, probrum illud & verecundiam sempiternam. Hæc tu time, & ejusmodi timore eruditus, quasi fræno quodam abarce animam & inhibe, ad vitiosas concupiscentias propendentem*. Hunc timorem subdit eos edocendos esse, *qui ex baptismate filiorum adoptionis Deo conciliati & adjuncti sunt*. Plurimum igitur virium est in timore gehennæ, tum ad jacienda conversionis fundamenta, tum ad concupiscentias deinceps refrænandas.

In Psal. 33. Ibidem. Ibidem.

A quibus non abludit Chrysostomus, ex eodemque gratiarum & misericordiæ fonte manare ostendit timoris & charitatis affectus: *Si honorans tantum bonus esset Deus, non verò puniens, ex dimidio bonus esset. Sed non ita est, absit. Deus sive benefaciat, sive puniat, similiter est bonus: nec regno minus comminatio gehennæ bonitatem ipsius demonstrat. Et quo pacto id fiat, ego dicam. Nisi gehennam minatus fuisset, nisi pœnam præparasset, non multi regnum assequi potuissent. Non enim ita bonorum promissio ad virtutem multos evocat, ut malorum intentatio timore compellit, & ad animæ curam excitat. Itaque etsi cœlorum est regno gehenna contraria, ad unum tamen ambo finem respiciunt, hominum salutem: illud quidem ad se alliciens, hæc autem ad illud compellens, & timore corrigens se negligentiùs habentes*. Quin & temporales calamitates divina providentia dispensari subjicit ad salutem hominum, ne in vitiis lasciviant, si impunè liceat.

Ad popol. Antioch. Hom. 7.

CAPUT XXVII.

Ex Augustino Martyres ipsi adminiculo timoris gehennæ persæpè egebant, ut lacerationem & carnificinam constanter perferrent.

Sed ad timoris gehennæ utilitatem, necessitatem, efficaciam, invocanda à noxiis cupiditatibus, & propellenda ad supremum virtutum splendorem voluntate hominum, nihil invictius extremo hoc argumento, quod nobis paulò antè prælibavit Lactantius, aliquantò hìc accuratiùs ex aliis Patribus communiendum. Vel ipsos enim Martyres ille significavit oculatus scilicet testis, non sola plerumque charitatis vi, sed & timore commilitone atque adjutore perneceffario constantiam victricem retinuisse in corporis & membrorum omnium crudelissima laceratione. *Has excruciabiles corporum lacerationes fœlix atque invicta patientia sine ullo gemitu pertulit. Hæc virtus omnibus populis atque provinciis & ipsis tortoribus miraculum maximum præbuit, cum patientia crudelitas vinceretur. Atqui hanc virtutem nihil aliud quàm virtus Dei fecit*. L. 6. c. 17.

Video quàm multis offensioni, certè admirationi res ista repentè futura sit, qui in illo tam insigni charitatis documento nullas esse posse timoris partes suspicabantur. At vel ipsam suam admirationem mirabuntur ipsi, si pensitarint non Augustino tantùm, Ambrosio aliisque Patribus ita visum esse, sed & veritatis ipsius oraculo apertissimo rem esse præfinitam. Cùm enim Apostolos his Christus verbis animabat, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, timete autem eum, qui potest & animam & corpus mittere in gehennam*, utique hortabatur eos ad Martyrium, & ad cruces lanienasque invicto animo perferendas, non sola charitate justitiæ, sed & formidine gehennæ roborabat. Nemini ergo mirum accidat, si sancti Patres in hanc sententiam venerint, quam æternæ lucis radio consignatam videbant in Evangelicis literis.

Audiamus ergo Augustinum, quo gratiæ robore invicta staret patientia Martyrum, describentem: *Quomodo si videas avem veluti jam cadere in muscipulam, facias majorem strepitum, & volat de muscipula; sic & Martyrum jam forte aliqui ipsorum intendebant collum in dulcedinem vitæ hujus; Dominus qui erat in illis fecit strepitum gehennarum, & erutus est passer de muscipula venantium*. Horum Martyrum charitas & victrix delectatio justitiæ labascebat, & corruisset tandem, nisi adjutorio timoris gehennarum sustentata tandem fuisset, & ita demum vicisset. Nec majorem timoris quàm charitatis tunc fuisse vim suspicio esse potest, sed unum id colligi fas est, utriusque quàm alterutrius majorem esse efficaciam, & timore auxiliante victricem evasisse charitatem, quæ eo cessante prostrata fuisset. In Ps. 123.

Idem alio loco: *Per hunc timorem non timuerunt servi Dei eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, quia eum timebant qui habet potestatem & animam & corpus occidere in gehennam ignis. Nisi enim compedibus timoris hujus ligati* In Ps. 101.

ligati essent Martyres, quando illa omnia dura & molesta sustinerent à persecutoribus suis, cùm eis liberum fuerit facere quod cogebantur, & evadere quod patiebantur. Sed alligaverat eos Dominus istis compedibus duris quidem & molestis ad tempus, sed tolerandis, &c. Unde vox alibi Martyrum, Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Nonnullas mœstitiæ nebulas intendisse se mentibus Martyrum in illa tormentorum acerbitate testatur idem Augustinus, ideoque ne desponderent tunc animo, Christum ipsum exemplo illis suo præire voluisse, & hanc ipsam tristitiæ caliginem experiendo superare: *Oportuit ut bonus Magister & verus Salvator infirmioribus membris compatiens, in seipso demonstraret, non debere suos Martyres desperare, si qua fortè cordibus eorum irreperet sub tempus passionis ex humana fragilitate tristitia.* Hebetaverat itaque Christus in seipso hujus tristitiæ aculeos, sed & mortis æternæ formidine eos sancti Martyres teste eodem Augustino obtundebant: *Ne timeas Martyr gladium percussoris, linguam tuam time, ne tu percutias & occidas non carnem, sed animam. Animam time, ne moriatur in gehenna ignis. Inde ergo Dominus, Qui habet potestatem corpus & animam occidere in gehennam ignis, &c. Illam mortem timentes, & illam vitam diligentes Martyres, promissa Dei expectantes, minas persecutorum contemnentes, & ipsi apud Deum coronari meruerunt.*

De consens. Evangel. L. 3. c. 4.

In Append. Carthus. Serm. 11.

Schismatum hæresumque sectatores non rarò & ipsi cruces infracto pectore & ipsam mortem oppetiere, ne Christi nomen ejurarent. Non charitas utique, quæ propria est dos filiorum Ecclesiæ Catholicæ, propriusque filiorum census, sed timor gehennæ inexpugnabilem hunc illis animum & vigorem inserebat. Ergo idem ipse timor, si subsidiarius accedat verorum Martyrum charitati, certam illi de tormentis quibuslibet victoriam conciliabit. Idem Augustinus: *Si in schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutiones, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum & ignis æterni, nullo modo culpanda ista sunt, & hæc laudanda patientia est, &c. Pro veritate sacramenti seu verbi, quæ apud eum remansit, non pro errore qui eum superavit, timore pœnarum æternarum pœnas patitur temporales, &c. Neque hoc non est bonum, ut credat homo æterno supplicio se esse puniendum, si negaverit Christum, ut pro ista fide qualecumque supplicium perferat. Proinde negandum non est, hoc etiam Dei donum esse.*

De patient. c. 26. 27.

Hæc schismaticorum martyria solus gehennæ timor effudit. Verissimos Ecclesiæ Martyres ex adverso solus quandoque, & idem flagrantissimus amor justitiæ invictissima induit & armavit constantia, nihil egens timoris gehennarum. De his idem alibi Augustinus: *Millia Martyrum adjacent oculis nostris, ipsi veri amatores perfectæ justitiæ. De illis dictum est, Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. Quid addi potest, ut opus perfectum habeatur? Amat, ardet, fervet, calcat omnia, quæ delectant, & transit: venit ad aspera, horrenda, truculenta, minacia, calcat, frangit & transit. O amare, ò ire, ò sibi perire, ò ad Deum pervenire!* Istiusmodi erat & Pauli pectus, ubi ajebat, *Scio enim quia neque mors, neque, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

De verbis Apost. ser. 17.

Effulget & quædam martyrii species incruenti in ipsa pace Ecclesiæ, cùm laboribus, vigiliis, jejuniis, & toto pœnitentiæ instrumento exercetur vita diutissime, quam & diuturnam mortem non immeritò dixeris. Porrò istud quoque martyrii specimen etsi ex charitate derivet vigorem splendoremque suum potissimum, non parum tamen præsidii ex timore quoque accersit. Ad hoc faciunt quæ capite superiori ex Climaco corrasa sunt. Æmulatione enim quadam martyrii pacem Ecclesiæ ornabant illi omnes de quibus Climacus.

Sed & Augustinus ipse, etsi singularis alumnus charitatis, etsi charitate ubique exæstuans, quantum tamen præsidii in timore sibi fuisset, non semel nec obscurè significavit. Sic enim alicubi de seipso: *Quoniam tu cœpisti mutare nos, tu scis quanta ex parte mutaveris, qui me primitus sanas à libidine vindicandi, &c. qui compressisti à timore tuo superbiam meam, & mansuefecisti jugo tuo cervicem meam.* Et alibi: *Quando autem sufficio lingua calami enuntiare omnia hortamenta tua, & omnes terrores tuos, & consolationes, & gubernationes, quibus me perduxisti prædicare verbum tuum?* Denique à jurandi insolita consuetudine se cohibitum fuisse testatur timore: *Juravimus & nos, passim habuimus istam teterrimam consuetudinem & mortiferam. Dico charitati vestræ, ex quo Deo servire cœpimus, & quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, & vetorosissimam consuetudinem timore frænavimus. Frænata restringitur, restricta languescit, languescens emoritur, & malæ consuetudini bona succedit.* Ubi vides quod suprà alicubi astruximus, habitus & consuetudines quantumvis senuerint, hac etiam arte aboleri, dum frænantur & restringuntur, hoc est, dum timore cessant, & in actum non sinuntur erumpere; ita enim fit ut langueant, languentes moriantur.

Confession. L. 10. c. 36.

L. 11. c. 2.

De verbis Apost. serm. 30.

CAPUT XXVIII.

Ex aliis Patribus idem argumentum pertractatur, sanctis Martyribus ad superanda tormenta charitati accessisse ad societatem certaminis & victoriæ timorem gehennarum. Ideoque non uni justitiæ delectationi semper, sed & timori pœnarum æternarum efficaciam ex parte aliqua tribui debere.

Ex aliis nunc Patribus idem astruamus, quod capite superiori ex Augustino perfectum est, charitati Martyrum ad societatem prælii & victoriæ accessisse timorem gehennæ, cujus ope destituta charitas fœdissimè quandoque corruisset.

Ambrosius: *Ut multæ persecutiones, ita multa martyria. Quotidiè Martyres Christi. Tentatus es spiritu fornicationis, sed veritus Christi futurum judicium, temerandam mentis & corporis castimoniam non putasti, Martyr es Christi. Tentatus es spiritu avaritiæ, & tamen contemplatione cœlestium præceptorum opem magis ferendam quàm inferendam injuriam judicasti, testis es Christi.* Et mox: *Quanti ergo quotidie in occultis Martyres Christi sunt, & Jesum Dominum confitentur?*

In Ps. 118. Octon. 20.

Nec incruentas tantùm istas, quæ in pace leguntur Ecclesiæ, martyrii palmas, timori gehennarum vendicat ex parte, sed & illas etiam quæ sanguine & cædibus madent. Paulò infrà, *Pone ergo Martyrem inter pericula constitutum, cùm inde immanitas bestiarum ad incutiendum terrorem infremat, aliunde stridor candentium laminarum, & flamma fornacis ardentis exæstuet: ex parte altera personent tractus gravium catenarum, hinc carnifex cruentus adsistat; pone inquam circumspectantem omnia plena suppliciis, deinde cogitantem mandata divina, illum ignem perpetuum, illud sine fine incendium perfidorum, illam pœnæ recrudescentis ærumnam, trepidare corde, ne dum præsentibus cedat, perpetuis se dedat exitiis, perturbari animo, dum futuri judicii rhomphæam illam terribilem quadam conspectus specie contuetur. Nonne ad hanc trepidationem fiduciæ viri constantis, æqualis in eundem concurrit effectum confidentia cupientis æterna, & divina trepidantis? Sit tamen fortior ille qui sperat,*

Ibidem. Octon. 21.

sperat, sit fortior qui præsumit. Utinam ego talis esse merear, ut si forte persecutor ingruerit, non considerem suppliciorum meorum acerbitatem, non metiar tormenta, non pœnas; sed hæc omnia levia ducam, trepidem autem Christum, ne Christus me neget, ne Christus excludat, ne me repellat de concilio Sacerdotum, si indignum eo collegio me judicaverit, videat magis licet permotum corporalium timore pœnarum, plus tamen trepidantem futura judicia.

Et idem rursus has officiorum leges præscribit ad animum martyrio comparandum obfirmandumque: Offic. l. 1. c. 38. *Nec rursus propter ignaviam cedere quis ac deserere fidem debet metu periculi. Quagratia præparandus est animus, exercenda mens, stabilienda ad constantiam; ut nullis perturbari animus possit terroribus, nullis frangi molestiis, nullis suppliciis cedere. Quæ difficilè quidem sustinentur, sed quia omnia supplicia graviorum suppliciorum vincuntur formidine, ideo si consilio firmes animum tuum, nec à ratione discedendum putes, & proponas divini judicii metum, perpetui supplicii tormenta, potes animi subire tolerantiam.* Itaque non tantùm reapse Martyres auxiliatricem adsciverunt gehennæ formidinem in alea certaminis & suppliciorum subeunda, sed author est etiam Ambrosius, hanc martyrii candidatis legem dictandam, hanc formam præscribendam esse, ita imbuendos informandosque esse eorum animos.

Epist. ad Demetr. Epitaph. Paulæ. Hieronymus: *Habet & pudicitia servata martyrium suum.* Et alibi idem: *Secura esto Eustochium: magna hæreditate ditata es. Pars tua Dominus, & quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata, quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis & violis plectitur, ista de liliis.* Idem porrò supra nos docuit, quanto ad domanda vitia, ad virtutem quamlibet comparandam adjumento sit metus æterni ignis.

Sanctus Maximus in Homilia de Martyribus: *Necesse est Martyres fuisse non solum cum passi sunt, sed etiam cum viverent, &c. Hoc dico ut intelligas, crucem non ligni esse patibulum, sed vitæ virtutisque propositum. Tota igitur vita Christiani hominis, si secundùm Evangelium vivat, crux est atque martyrium.*

Gregorius Magnus de Paulo Apostolo hæc habet: Moral. l. 19. c. 5. *Certè jam de illo voce Dominica dictum fuerat, vas electionis mihi est: & tamen adhuc castigans corpus suum, metuit ne reprobetur. Væ miseris nobis qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem agnovimus, & jam in otio quasi de securitate torpemus. Debet profectò, debet in spe esse non solum securitas, sed etiam timor in conversatione, ut & illa certantes foveat, & iste torpentes pungat.* Addit ideo incertum esse, quæ cujusque sors futura sit post hanc vitam, ut quisque *aliorum finem cognoscere non valens, ad suum recurrat, quia sicut aliorum, sic etiam suum nesciat, nesciens timeat, timens humilietur, humiliatus de operibus suis extolli non debeat, & non elatus in gratia arce persistat.* Vides ut judiciorum divinorum tremor, & reprobationis metus, ipsos etiam Apostolos in officio, hoc est in longiore illo martyrio sustentaret. L. 3. c. 17. Et rursum alibi: *Omnis qui bene vivere incipit, audiens quod per extremum judicium justi ad regnum vocentur, hilarescit. Sed quia quædam mala adhuc ex reliquiis sibi inesse considerat, hoc ipsum judicium, de quo exultare inchoat, appropinquare formidat. Vitam quippe suam bonis malisque permixtam conspicit, & cogitationes suas aliquo modo spe & timore confundit. Nam cum audit, quæ sint regni gaudia, mox mentem lætitia sublevat: & rursum cum respicit, quæ sint gehennæ tormenta, mox mentem formido perturbat.* Ita spe metuque alternante justi omnes ingrediuntur & progrediuntur in vitæ hujus curriculo, etsi cum ad charitatem perfectam semper suspirent, vel ipso timore enitantur, ne timeant, ut subjicit idem ibidem Gregorius.

Bernardus diuturni martyrii instar esse dicit in virtutum meditatione & in conflictatione infatigabili cum vitiis. Idem porrò supra nos docuit ad conflictus istos quantum opis sit in præsidio timoris divini: *Qui amat animam suam, perdet eam. Perdet enim, sive ponendo, ut Martyr, sive affligendo ut pœnitentes. Quanquam genus martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* In Cant. Serm. 30.

CAPUT XXIX.

Ex Augustino & aliis Patribus, non solo amore æternorum bonorum, sed & timore sempiterni supplicii aguntur & incitantur tum pœnitentes, tum justi. Amor & timor Dei amorem & timorem sæculi superant consociatis viribus. Hi sunt enim affectuum omnium cardines.

IN animi affectibus principantur amor & timor. Amore boni, timore mali agitur anima, quocumque agitur. Impellit amor, inhibet timor. Cùmque bona & mala æterna alia sint, alia temporalia, hinc duplex tum amor existit, tum timor. Amor æternorum præmiorum sursum vocat, amor temporalium affigit terræ. Timor æterni supplicii à vitiis dehortatur, timor pœnæ temporalis non rarò sollicitat ad scelus. Horum & amorum & timorum conflictu perstrepit tota mortalium vita. Amor æternorum plerumque cupiditates terrenas profligat suo marte, suisque unius viribus: at si carnali concupiscentiæ sociam se & commilitonem adjungat formido calamitatis & cruciatuum ab amore & à complexu justitiæ deterrentium, tunc enimverò periclitatur charitas, & non rarò prolabitur, nisi & ipsa auxiliatricem sibi consociet æternæ pœnæ formidinem, terreni & carnalis timoris debellatricem.

Hos cardines humanorum affectuum, hæc nostrarum voluntatum libramenta sexcenties Augustinus subjecit oculis, ut timor timore, amor amore, carnalis & temporalis spiritali & æterno superetur, nec soli cœlestium semper amori vel voluptas vel formido terrena subjiciatur, nisi in partes certaminis & triumphi vocetur & timor æternorum suppliciorum: *Si timet homo, non terreat homo. Eum enim timere debet homo, à quo factus est homo. Quod supra homines est, time, & homines te non terrebunt. Mortem sempiternam time, & præsentem non curabis. Voluptatem illam incorruptam, & quietem sine labe concupisce, & promittentem ista temporalia totum mundum deridebis. Ama ergo & time, ama quod promittit Deus, time quod minatur Deus; nec corrumperis ex eo quod promittit, nec terreberis ex eo quod minatur homo.* Hæc sunt arma victricia ex Augustino. Amare & timere, ut ne amemus, ne timeamus. Promittit & terret mundus, promittit & terret Deus: Dei terrentis timor, pollicentis amor expungit mundi & sævientis timorem & amorem blandientis. In Psal. 61

Et idem alibi: *Omnia peccata duæ res faciunt in hominem, cupiditas & timor. Cogitate, discutite, utrum possint esse peccata, nisi aut cupiendo, aut timendo. Proponitur tibi præmium, ut pecces, id est, quod te delectet, facis propter quod cupis; sed fortè non induceris donis, terreris minis, facis propter quod times, &c. Ad omne rectè factum amor & timor ducit. Ut facias bene, amas Deum, & times Deum. Ut autem facias malum, amas mundum, & times mundum. Hæc duo convertantur ad bonum. Amabas terram, ama vitam sempiternam. Timebas mortem, time gehennam.* Summa denique conclusionis hæc est, ex hoc gemino fonte In Psal. 79.

catu-

scaturire omnia hominum, seu rectè, seu nequiter facta: *Ac per hoc sicut omnia justa opera bono timore & bono amore fiunt, sic malo amore & malo timore omnia peccata committuntur.*

Non ergo soli delectationi justitiæ, non soli charitati omnia tribuit Augustinus, portionem aliquam & pugnæ & victoriæ reservat timori pœnæ sempiternæ in plerisque justorum operibus, qui necdum ad verticem grassati sunt summæ & cumulatissimæ charitatis. *Si fortè tentat fluctus concupiscentiæ, intueris quid promisit Deus, & dulcedo promissorum facit te contemptorem dulcedinum sæculi. Et si fortè multæ urgent minæ potentium malorum, & ipsæ te expellunt de justitia, attendis quod minatur Deus, Ite in ignem æternum, & non dimittis justitiam. Timens ergo ignem sempiternum, contemnis dolores temporales, & pro eo quod promisit Deus, contemnis temporalem felicitatem. Promisit requiem, patere molestiam: minatur ignem æternum, contemne dolores temporales; & evigilante Christo tranquilletur cor tuum, ut ad portum quoque pervenias.* In Psal. 93.

In id autem hìc pervelim attentos esse lectores, non vel promissiones, vel minas hìc à nobis spectari, sed affectus cœlitus inspiratos vel amoris promissorum, vel timoris suppliciorum sine fine imminentium. Nam ipsę per sese promissiones & minę extrinsecùs tantùm objiciuntur, & si solitariè spectentur, aures feriunt, cordis duritiem ne perstringunt quidem, nedum vel emolliant vel frangant. At inspiratæ cordibus affectiones amoris timorisque, utique animum movent & concutiunt, & ad quidvis præcipitant, si diu, si infatigabiliter, si congruè infundantur. Horum itaque non objectorum, sed affectuum efficaciam hìc cum Augustino perpendimus, eamque cum illo non charitati reservamus totam, sed & timori communicamus. *Hoc ostium cordis tanquam duas habet valvas, cupiditatis & timoris. Aut cupis aliquid terrenum, & hac intrat diabolus; aut times aliquid terrenum, & hac intrat. Timoris ergo & cupiditatis januam claude contra diabolum, & aperi ad Christum. Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? Cupiendo regnum cœlorum, timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem sæculi diabolus intrat, per desiderium vitæ æternæ Christus intrat. Per timorem pœnarum temporalium diabolus intrat, per timorem ignis æterni Christus intrat. Ecce Martyres clauserunt januam contra diabolum, & Christo aperuerunt. Promisit eis multa mundus iste, riserunt; clauserunt valvam cupiditatis contra diabolum. Minatus est mundus cruces, non timuerunt, &c.* Martyres porro & Apostolos ab ipso Christo imbutos conformatosq; fuisse subjicit ad ista, cùm moniti sunt eum timere, non qui corpori temporale, sed qui animæ & corpori sempiternum potest exitium importare. In Ps. 141.

Supradictis locis omnibus, de affectibus amoris & timoris loquitur Augustinus, non de objectis: & hos affectus inter se discriminat, ne quis præposterè & præter ejus mentem machinetur eos conflare in unum & confundere. Expeditius fuerat, si hoc ejus consilium fuisset, omnia uni amori, bono malove accepta referre sive bona sive mala. Sed accuratè & de industria, atque inculcatè sanctus Pater separavit timorem ab amore. Etenim quàm longè distat mundus blandiens à sæviente, tam discrepat amor à timore. Charitas autem justitiæ à pœnæ æternæ metu quis non videt rem esse longè dissimillimam? Præit enim timor quasi præsultor quidam maturæ charitatis, ea succedente decedit ipse, ea augescente minuitur, maturescente consenescit, ea denique extremam suam lineam & perfectionem assecuta, timor funditus extinguitur. Ergo affectus isti longè diversissimi sunt, & tamen efficacia bonorum operum ex eorum conspiratione existit.

In Epist. Joan. tra. 9. Idem alibi: *Exhorresce, quod minatur Omnipotens, ama quod pollicetur Omnipotens, & vilescit omnis mundus, sive promittens, sive terrens.*

Augustino astipulatur Gregorius, & suffragatorem charitati nonnunquam languescenti excitatoremque conciliat timorem gehennæ, ut ex utriusque connisu opera bona pariantur: *Nihil sit quod desiderium nostræ mentis retardet, nullius vos rei in hoc mundo delectatio implicet. Si bonum diligitur, mens in bonis melioribus, id est, in cœlestibus delectetur. Si malum metuitur, mala animo æterna proponantur, ut dum illic esse conspicit & amplius quod diligat, & amplius quod pertimescat, hic omnino non hæreat.* Et alibi ex ipso Christi exemplo rem eandem sanciens: *Priùs de regni similitudine thesaurum inventum ac bonam margaritam protulit Christus, postmodum verò inferni pœnas de malorum combustione narravit, atque in conclusione subjunxit, Ideo omnis Scriba doctus in regno cœlorum similis est patrifamilias, proferenti de thesauro suo nova & vetera. Acsi apertè diceretur, Ille in sancta Ecclesia doctus Prædicator est, qui & nova scit proferre de suavitate regni, & vetusta dicere de terrore supplicii. Ut vel pœnæ terreant, quos præmia non invitant. Audiat de regno quod amet, audiat de supplicio unusquisque quod timeat: ut torpentem animum & terræ vehementer inhærentem, si amor ad regnum non trahit, vel timor minet.* Et mox: *Quidquid animo ex præsenti sæculo arridet, ex consideratione æterni ignis amarescat.* In Evang. Hom. 36. Ibidem. hom. 11.

Bernardus amore & timore nos affigi Deo & sanctificari testatur: *Sanctum facit affectio sancta, & ipsa gemina; timor Domini sanctus, & sanctus amor. His perfectè affecta anima veluti quibusdam duobus brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet, & ait, Tenui eum, nec dimittam. Quid tam timendum, quàm potestas, cui non potes resistere, quàm sapientia, cui abscondi non potes? Poterat minùs timeri Deus, alterutro carens. Nunc autem perfectè oportet timeas illum, cui nec oculus deest omnia videns, nec manus potens omnia. Quid item tam amabile, quàm amor ipse quo amas, & quo amaris?* De Consid. l. 5.

Climacus etiam vel sanctitatis cultores religiosissimos utroque isto animari agique debere affectu existimat, timoris & amoris, ut quod virium minus adest alteri, suppleatur ab altero: *Qui Deum ex animo diligit, qui ad cœlum toto pectore aspirat, qui in lapsibus suis emendandis vehementer desudat, qui futuri judicii supplicia sempiterna pertinaci memoria revolvit, qui assiduè versatur in formidine & expectatione animi à corpore digressionis, is omnem affectum & studium erga pecunias & opes, erga parentes & humanam gloriam, erga omnia denique mortalia, non solùm procul habet, abjicitque, sed etiam odio persequitur, &c.* Et alibi: *Ubi fax amoris divini in pectore exarsit, ibi verborum tonitrua nihil territant. Et ubi metus ultricium apud inferos flammarum illuxit, ibi laborum omnium summa patientia.* Cùm ergo tantum valeat timor gehennæ, sive ut peccatores ad pœnitentiam, sive ut justos ad bonorum operum perseverantiam urgeat, frustra sunt, qui totam gratiæ efficacis vim soli charitati seu delectationi justitię vendicatum eunt. Eo numero olim & ipse fui, dum Theologicum rudis adhuc stadium decurrere inciperem: ut si quid aculeatius à me nunc in eam sententiam dicatur, id totum non in alium quenquam magis, quàm in meipsum dicatur. Gradu 1. Epist. ad Past. c. 7.

CAPUT XXX.

A timore ad delectationem justitiæ venitur. Delectatio justitiæ non suis semper viribus victrix est, sed accessione timoris gehennæ. Nempe ubi delectatio cœlestis, delectatioque terrena exæquantur, in quodam velut æquipondio alternantes: tunc enim si charitati timor gehennæ accedat, conciliat illi victoriam.

A Timore gehennæ ad delectationem justitiæ gradum facimus. Quanquam porro plurimum valeat ad excitandam impellendamque in consensum voluntatem hæc affectio justitiæ delectantis, seu inspiratio charitatis; non tamen ita totam sibi semper arrogat vincendi gloriam, sed socia dimicationis particepsque victoriæ accedit non rarò formido supplicii. Id quidem ex superioribus jam capitibus demonstratum est, nec pigebit tamen nova ex Augustino accumulare argumenta, ut omnis dubitatio prorsus eximatur.

Cùm ergo delectationes duæ, carnalis & spiritalis, Dei & sæculi, possint in dimicationem æquatis utrimque viribus venire, nemo non videt fluctuaturam diu ancipitem victoriam, donec timor alteri accedens in suas eam partes inclinet. Ergo si delectatio justitiæ superet delectationem sæculi, consensum utique animi, cæterosque ejus affectus coget sibi famulari. Sed si utraque illa delectatio alicujus in animo pari hinc & hinc virium copia confligat, tum justitiæ delectationi accedet ita demum victoria, si suppetias ferat gehennæ timor, isque timore sæculi valentior. Nam si timores quoque ipsi perinde ut amores exæquatis utrimque viribus colliderentur, importunissima fluctuatione æstuaret animus, & intestina tempestate affectuum laceraretur. Hæc ad unguem ex Augustino petita sunt: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. Si plus delectat pulchritudo illa intima & sincera species castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus, & secundum hanc operamur.* (In Exposit. Epist. ad Galat.)

Hoc ergo primùm ita constituto, eò propendere & inclinari consensum animi, quò major trahit delectatio, jam pergit sanctus Pater declarare quò res sit evasura, si equali huc illucque delectatione anima distrahatur: *Manifestum est certè, secundum id nos vivere, quod sectati fuerimus. Sectabimur autem quod dilexerimus. Itaque si ex adverso existant duo, præceptum justitiæ, & consuetudo carnalis, & utrumque diligitur, id sectabimur, quod amplius dilexerimus. Si tantundem utrumque diligitur, nihil eorum sectabimur, sed aut timore inviti trahemur in alterutram partem, &c.* (Ibidem.)

Si verò timores quoque ipsi amoribus consociati æqualem prorsus virium modum obtineant, adeo ut nec amor nec timor vel hinc vel illinc præponderet, quem res habitura sit exitum, idem ibidem aperit: *Aut si utrumque æqualiter etiam timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctu dilectionis & timoris alternante quassati.* (Ibidem.) Unum tunc superest, ut precibus ad Deum fusis copiosius auxilium impetretur: *Sed pax Christi exultet in cordibus nostris. Tunc enim orationes & gemitus & in auxilium invocata misericordia Dei dextera, sacrificium contribulati cordis non despicit, charitatemque sui ampliorem commendatione periculi, de quo liberabit, exuscitat.* Ergo ex Augustino gratia illa efficax est, non solùm quæ delectationem inspirat justitiæ, sed non rarò quæ simul infundit timorem pœnæ, quo delectatio justitiæ quæ cum pari æquaque delectatione creaturæ commissa in incertum decertaret, hac ex timore accessione virium victrix efficitur.

Quod autem dixit Augustinus, *invitos* eò descendere, quò per timorem homines trahuntur, id clementer interpretandum est. Nempe quod metu fit, illibenter, nec sponte fit: quod amore autem lubentiùs, & sponte, utrumque tamen voluntariè & liberè fit. Unde & quæ metu peccant homines, etsi penè subinviti peccent, expianda sunt tamen vel pœnitentia vel pœna. Idem alibi Augustinus in illa verba Job: (De peccat. merit. l. 2. c. 10.) *Annotasti siquid invitus commisi. Nonne satis apparet etiam illa peccata justè imputari, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandæ molestiæ alicujus, aut doloris, aut mortis? Nam & hæc dicuntur quadam necessitate committi.*

CAPUT XXXI.

Exemplo Adami demonstratur non semper victricem & consensus voluntatis effectricem arbitramve esse delectationem justitiæ, etiam copiosiorem delectatione carnali. Nec enim in illo, vel in Angelis qui ceciderunt, infallibiliter efficax fuit gratia inspiratæ cœlestis delectationis; Quæ tamen plus valebat in anima, quam nulla adhuc vitiasset labes carnalis concupiscentiæ.

SEd ne tum quidem cùm copiosior affluit delectatio justitiæ, victrix semper evadit terrenarum delectationum. Manifestissimo istud quidem primi parentis & Angelorum exemplo comprobatur, eorum qui veritate aliquando delectati, in ea non steterunt. Ante lapsum enim & horum & illius, sola regnabat charitas delectatioque justitiæ, adversariæ autem concupiscentiæ ne aura quidem ulla eos afflaverat. Et tamen illa delectatio non fuit victrix, non consensum voluntatis ad justitiæ leges invictissimè religavit. Ergo & in nobis nunc peccati contagione adhuc laborantibus non semper victrix, non infallibiliter efficax erit sola delectatio justitiæ, etsi uberior robustiorque sit, quàm carnalis concupiscentia. Nam si victrix invictissimèque efficax tum non erat, cum non hoste tantùm suo valentior erat, sed & cum sine hoste erat: quanto minus victrix dici poterit seu infallibiliter efficax, quando intestina irrequietæ hac concupiscentiæ pugna exagitatur?

Nec verò facilè quisquam sibi persuaserit, majorem nunc flagrare seu delectationem seu dilectionem justitiæ in quolibet bonis operibus incumbente, quàm quanta æstuabat in Adamo innocente, vel in Angelis primigenio illo sanctitatis flore effulgentibus. Si ergo tunc & æstuantior erat charitas, delectatioque justitiæ, & præterea nullo intestinæ pugnæ sensu sollicitabatur, nec tamen infallibiliter efficax seu victrix erat, multo longiùs nunc abest ab illa invictæ efficaciæ certæque victoriæ gloria, quando illam tepentem domestica quædam fatigat conflictatio.

Ambrosius in Enarratione de Paradiso ad Sabinum: (In Exod. c. 10.) *Ille primus homo totius erat mundi incola, opus Dei recens, confabulator assiduus, complantatus virtutibus, &c.* Et alibi; *Esca & delectatio alimenti cœlestis sapientia est, qua vescebantur in paradiso locati, qui erat indeficiens animæ cibus, &c.* Et in argumento ad librum Psalmorum, hæc primò universim de delectatione, convenienter ad sententiam Augustini: *Quoniam summum virtutis incentivum proposuit Deus futuræ beatitudinis delectationem, idcirco vehemens quoque calcar erroris, delectationem diabolus excogitavit.* Et paucis interjectis: *Naturalis igitur delectatio est. Unde & David sanctus qui adverterat unde homo & qua esset fraude dejectus, nam si tenuisset infusam sibi à Domino æternæ illius cœlestisque delectationis gratiam, nec sæcularibus captus amisisset illecebris, nunquam tam miserabilis ærumnæ subjisset illecebras, &c.* Infusa igitur primo homini gratia erat *gratia cœlestis delectationis*, quam cum retinere posset, sæcularibus illecebris passus est sibi intercipi. Hæc porro terrena delectatio valentior illa cœlesti non fuit, nisi post consensionem liberam in peccatum. Igitur cœlestis delectatio etsi exuberantior erat, non tamen victrix fuit. Tanta autem redundabat tunc charitatis & justitiæ delectatio, ut hac etiam de causa paradisus diceretur, & cœlestis patria; (In Ps. 41.) *Ideo & Adam ejectus de cœlesti patria, & illa sede paradisi, in insulam peccati est relegatus.* Et alibi; (In Ps. 118. Octon. 4.) *Denique ejectus de paradiso, hoc est, ex illo sublimi & cœlesti loco, ad quem raptus est Paulus, sive in corpore, sive*

In Evang. Lucæ. l. 7. *sive extra corpus nesciens, &c. Adam ante beatissimus, auram carpebat æthereám, &c.* Et rursum: *De Hierusalem illa cœlesti ejectus Adam, qui inoffensa beatitudine fruebatur.*

Nec parcior fuit Julianus Pomerius in amplificanda illa primævæ beatitudinis delectatione: *Quod* De vita contempl. l. 2. c. 19. *si primus homo voluisset se in illa paradisi beatitudine custodire, &c. Quid eo felicius fuit, cui erat orbis subjectus, nullus infestus, liber animus, & visibilis Deus? Quoniam quidem nisi ante peccatum Deum videre in assumptione visibilis creaturæ soleret, quomodo se jam peccator effectus à facie Domini, quem nunquam viderat, absconderet?*

D. fide ad Petrum. Fulgentius aliquantò prolixior: *Angeli atque homines pro eo quia rationales sunt facti, æternitatis ac beatitudinis donum in se à naturæ spiritalis creatore divinitus acceperunt: ita scilicet ut si dilectioni creatoris sui jugiter inhæsissent, simul æterni beatique mansissent. Si vero propriæ voluntatis arbitrio contra summum Creatoris imperium suam niterentur facere voluntatem, protinus à contumacibus sua beatitudo discederet, &c.* Hinc patet quanta ubertas esset illius innatę delectationis cœlestis, cùm beatitudinis etiam nomine insigniretur. Si ergo nec ista efficax aut victrix infallibiliter fuit, ne nunc quidem erit, cùm & vena delectationis lentior parciorque fluit, & frequenti concupiscentiarum incursione perturbatur.

Gregorius vel Gregorii Magni imitator eximius In Psal. 5. Pœniten. similiter sentit: *Quia oblitus sum comedere panem meum. Panem suum in paradiso primus homo conditus habuit, quandiu inconcusso mentis vestigio Conditoris sui præcepta servavit. Panis autem ejus fuit visionis Dei delectatio, verbi Dei satietas, internæ quietis gaudium, lucis inaccessibilis splendor, sapientiæ refectio, Angelorum societas, amor Dei, jubilum spiritus, contemplationis suavitas, collocutionis desiderium, securitas mentis, præsentia Creatoris. Quem panem tunc profectò perdidit, cum serpentis suggestioni consensit.* Hæc eadem omnia alibi ex ipso Gregorio firmavimus. Vides ergo ut hæc delectatio justitiæ ne tum quidem victrix fuerit, nec consensum voluntatis in bono constanter Ibidem. immobiliterque defixerit. Et infrà: *Quasi meridies in Adam pectore inerat, dum lumine divinæ contemplationis illustratus, amoris summi facibus ardebat. Sed hunc miser meridiem perdidit cum peccavit. Ibi enim amoris refriguit incendium, caligavit claritas, defecit visio.* Et alibi: *Felices an-* In Psal. 7. Pœnitent. *tiqui dies, nihil tenebrarum, nihil caliginis perferentes. Quos Divinitatis illustrabat præsentia, securitatis purgabat serenitas, lætitiæ immensitas decorabat. Dies gaudiorum & luminis, dies virtutum & pacis, dies deliciarum & suavitatis. Hos dies in paradiso habuit anima, antequam à statu rectitudinis per culpam caderet prævaricationis.*

Dial. l. 4. c. Gregorius ipse indubiè mihi quidem: *Postquam de paradisi gaudiis culpa exigente expulsus est primus humani generis parens, in hujus cæcitatis atque exilii quam patimur venit ærumnam. Quia peccando extra semetipsum fusus, jam illa cœlestis patriæ gaudia, quæ priùs contemplabatur, videre non potuit.*

Prudentius Tricassinus Episcopus adversùs Scotum Erigenam de Prædestinatione agens, ajentem Cap. 16. illum, *nullam esse rationalem naturam, quæ gustata beatitate velit recedere & misera esse*, objurgat his verbis: *Cur non attendis diabolum & angelos ejus gustata beatitate voluntariè recessisse?* Nec ipsa ergo cœlestis & beata delectatio à consensu peccati infallibiliter abstinet cohibetque voluntates liberas, nisi ea quę in voluntariæ perseverantiæ præmium ita cumulatur & exuberat ultra modum, ut absolutissimæ & inamissibilis felicitatis nomen & munus impleat.

Cap. 1. Anselmus in Proslogio: *Perdidit homo beatitudinem, ad quam factus est, &c. Manducabat tunc homo panem Angelorum, quem nunc esurit. Præcipitati sumus à patria in exilium, à visione Dei in cæcitatem nostram.*

Jam verò si Græcos consulamus Patres, eadem illi perfuderunt primos parentes & claritate & delectatione ex Dei præsentia ac conspectu beatissimo. Athanasius prę cæteris sic habet: *Cum corporalibus commerciis aut cupiditatibus non immiscetur mens humana, sed sibi tota adest, ut à principio condita fit; tunc transcendens sensibilia in sublime evolat, & Verbum intuens, videt quoque in eo ipso Verbi Patrem, delectaturque hoc spectaculo, & ejus desiderio rejuvenescit. Ut igitur primum hominem ajunt sacræ Scripturæ principio liberioris inverecundiorisque fiduciæ mentem erga Deum habuisse, & cum Sanctis conversatum esse in contemplatione intelligibilium, quam habuit in eo loco quem Moyses figuratè paradisum nominavit. Sufficit enim animæ puritas, ut Deum per se speculetur, quemadmodum & Dominus dixit, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Orat. cont. Gentes paulò post init.

A quibus non dissonat Cyrillus Alexandrinus: *Erat Adam in paradiso, & in summis deliciis,* In Evang. Joan. l. 9. pag. 731. *spiritalibus nimirum, & gloria apud Deum.*

Et Damascenus: *Sensibilem quidam paradisum* Fidei Orth. l. 2. c. 11. *imaginati sunt, alii intelligibilem. Verumtamen ego crediderim, sicut homo sensibilis simul & intellectualis conditus est, ita & illius sacerrimum templum sensibile simul & intelligibile fuisse, duplicem præ se ferens demonstrationem. Nam corpore in hoc divino & plusquam pulchro loco, ut juxta historiam loquamur, manens, anima in loco incomparabiliter superiori & pulchriori conversabatur, Deum habens domesticum & inhabitantem. Qui & gloriosum illi erat indumentum, quique illi circumamicierat gratiam, solo suæ dulcissimæ contemplationis fructu delectatio.* Vides ut conspirent omnes pro summæ cujusdam delectationis gratia Adamo innocenti vindicanda.

Dorotheus quoque consentit: *Adam inter pa-* Doctr. 1. *radisi delicias orabat, contemplabatur, &c. Annon conditus est homo in omni voluptate, in omni gaudio, in omni tranquillitate & in omni gloria? Numquid non in paradiso erat? Jussit illi Deus, Hoc ne facias, & fecit.*

Moyses Bar-cepha in Commentario de Paradiso, in eam prævivit sententiam duplicis paradisi, quam ex eo imitatus est suprà laudatus Damascenus. Ex utroque etiam Gregorio Nazianzeno & Nysseno suffragia adscribit & testimonia luculenta pro spiritali paradiso. Hæc denique addit: *Paradisum* L. 1. c. 1. L. 1. c. 2. *qui ad mentis intelligentiam spectat, definimus esse vitam, quæ planè secundùm mentem, per temperantiam sanctitatemque excellenter agitatur, plenam meditationis rerum tum divinarum, tum conditarum: à qua procul absunt curæ, mœrores, gemitus: concomitantur vero gaudium, lætitia, exultatio. Nam qui in hoc paradiso versantur, vitam planè beatam atque angelicam vivunt, radiisque divinæ notionis illustrantur, ut Angeli.*

Denique & Augustinus & Gregorius & alii Patres constantissimè, tum Gręci, tum Latini consentiunt summa in contemplationis & charitatis delectatione versatos tunc fuisse & Angelos & primos parentes, peccato verò *à paradisi gaudiis,* Hom. 8. *à paradisi felicitate, & beatitudine ejectos fuisse,* ut loquitur sanctus Eligius Noviomensis Episcopus: vel ut ait Potho Presbyter Prumiensis in libris de Statu Domus Dei, *Homo qui ad hoc conditus erat* L. 2. *ut lumen æternum videret, ubi ad concupiscendum prohibita oculos carnis aperuit, oculos mentis, quibus cœlestia videbat, perdidit. Unde à domo sua, in qua visione Dei fruebatur, exclusus est.*

Nec cavillari quisquam potest, delectationem tunc uberiorem quidem illam fuisse, sed ante peccatum non ita fluxam fuisse hominis voluntatem, quæ sola delectatione duceretur; unde tunc nondum erat infallibiliter efficax gratia delectatio-

nis.

nis. Contra enim ubi Augustinus ait, *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, naturam ipsam delectationis generaliter contemplatur, nec rem ad eum statum restringit, in quo post lapsum versamur. Adde quòd delectatio justitiæ & sapientiæ multò plus valebat in sibi devincienda voluntate, quam nulla adhuc vitiaverat peccati labes. Item charitas multò erat efficacior, ubi necdum ebullierat cupiditas. Denique peccato molliores evasimus ad sensibilium, duriores verò ad spiritalium delectationum illecebras. Quid absurdius enim, quàm ut dicatur quis post peccatum quàm ante magis delectari & duci charitate? Vel efficaciorem esse charitatis delectationem, ubi concupiscentia regnare in animo cœperit? Quid insulsius venire cuiquam potuit in mentem, quàm ut somniaret, peccato voluntatem sequaciorem & obsequentiorem factam esse gratiæ? Gratiam delectationis & charitatis inspiratæ, quæ in pura castaque & intaminata innocentia voluntates debiliter illexisset, nec traxisset infallibiliter, hanc eandem voluntates rebelles & tota peccati contumacia delibutas infallibiliter & ineluctabiliter pertracturam? Vides quàm latus hìc pateat campus, sed rem ipsam indigitasse nunc quidem sufficiet, paulò infrà hac eadem de re prolixiùs disputaturis.

CAPUT XXXII.

Cum ait Augustinus, secundùm id nos operari necesse esse, quod magis delectat, 1. *de habitu sive de affectu delectationis & amoris, non de actu intelligi se jubet.* 2. *Non de singulis omnino operationibus, sed de plerisque, quæ utplurimum scilicet, non semper habitui animum occupanti consentiunt.* 3. *Augustinus generali huic regulæ exceptiones ipsemet non paucas commemorat.*

QUi sola in delectatione justitiæ, sive in inspiratione delectationis & dilectionis cœlestis collocatam voluerunt invictissimam gratiæ efficaciam, illi hoc maximè nituntur axiomate Augustini, quod capite suprà trigesimo recensuimus, *Quod enim amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est.* Atqui eodem ipso loco generali huic regulæ hanc ipsemet Augustinus exceptionem assuebat, ubi paria sunt hinc & inde momenta delectationis cœlestis & terrenæ, tunc neutram in partem inclinaturam voluntatis liberè consensionem, nisi timor alterutri delectationi consentaneus & suffragator accedat. Porro hæc exceptio quàm latè pateat, facilè intelliget, qui mentem adjecerit ad quotidiana ferè nostræ plerisque in rebus fluctuationis. Et sanè si vel Martyres ipsos Augustinus putavit alternasse aliquando ancipites, hinc æternæ vitæ emerendæ, inde temporalis retentandæ cupidine & delectatione jactatos, nec ex eo periculo emersisse, nisi gehennæ formidine opem ferente, quis non videt quàm in cæteros homines eadem exceptio æquiùs effundatur?

Eo sanè casu nec Martyres ipsi operabantur, secundùm id quod eos amplius delectabat; sed secundùm id quod eos vehementiùs terrebat. Usu quoque pervagatissimo homines alii, *quia tantundem utrumque diligunt, nihil eorum sectantur, sed aut timore in alterutram partem trahuntur* subinviti, &c. Ut idem Augustinus ibidem testatur. In his ergo rerum commissuris non agit quis secundùm id quod eum amplius delectat, cùm æqualis utrimque delectatio blandiatur, sed secundùm id quod majorem terrorem incutit. (In Exposit. Epist. ad Galat.)

Si verò excutiamus eos, qui necdum justificationis gratiam consecuti sunt, illi sanè plus adhuc mundo, quàm Deo delectantur. Dominatur in eorum animo & vita cupiditas, non charitas. Ergo opera illa bona, quæ parant expoliuntque illos justificationi, non ex delectatione victrici justitiæ, sed ex timore potissimum gehennæ proficiscuntur. Nam si regnaret in eorum animis factisque delectatio & dilectio justitiæ, hæc illos utique permundaret gratia & justificaret. Charitas ergo illa inchoata & rudis, qua ante justificationem initiantur, concupiscentiam adultam & victricem non vinceret, nisi metus gehennæ longè invictior hanc illi edomitam & subactam daret. Et hi ergo non secundum id operantur, quod magis eos delectat, sed secundum id quod magis timent.

Sed ut res hæc tota penitiùs elucidetur, duo nobis in hoc Augustini loco & axiomate sedulò animadvertenda sunt. Primum est, in quo caput & summa rei vertitur, quod hìc Augustinus delectationis non actum, sed habitum vel affectum spectat. Itaque in limine ipso impegerunt, qui ad actum delectationis hoc traducentes, in alienissimas deinde conclusiones exerrarunt. Alterum est, idque ex primo nascitur, non de singulis omnino actibus verba facere Augustinum, sed de actibus hominum generatim, qui utplurimum ex animi habitu & affectu dominatore effunduntur, ejusque saliva & gustu imbuuntur.

Quod autem non de actu, sed de affectu habituque delectationis intelligendus hìc veniat Augustinus, & quod huic delectationi consentire ille existimet actus, non singulos prorsus, sed plerosque, liquet primò ex eo quod Augustinus in hunc sermonem ita ingrediatur: *Regnant ergo spiritales isti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Regnant autem ista bona, si tantum delectant, ut ipsa teneant animum in tentationibus, ne in peccati consensionem ruat.* Perspicuum est hìc verba fieri de affectione illa regnatrice animi, qua fit ut in homine peccata non regnent. At is demum justus est, in quo peccata non regnant. Nam Paulus Apostolus illis verbis justum delineabat, *Peccatum vobis non dominabitur*, &c. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*. Proprium quippe decus justorum & ornamentum est, quod in illis non regnent peccata. Regnant enim peccata, ubi dominatur concupiscentia. Dominatur porro terrena & sordida concupiscentia, ubi non regnat charitas & cœlestis delectatio justitiæ. Ergo hoc loco agit Augustinus de gratia, non qua aliquid peccatum vitetur, sed qua omnia, adeoque de gratia justificante, seu de habitu charitatis, quo fit, ut victrix charitas regnet in animo, non regnent peccata. (In Exposit. Epist. ad Galat.)

Pergit ibidem Augustinus, nullo interposito verbo, *Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. Ut verbi gratia occurrit forma speciosæ fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis, sed si plus delectat pulchritudo illa intima & sincera species castiatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus, & secundum hanc operamur.* Palam est hìc suis coloribus expingi hominem castum, seu castitatis virtute roboratum, cujus animus ita imbutus jam & affectus est, ut plus delectetur pulchritudine justitiæ, quàm forma qualicumque creata; qui ejusmodi enim est, objecta forma speciosæ fœminæ, ex intimæ virtutis instinctu & pondere illam aspernatur. Unde sanctus Pater de industria ait, *Secundum hanc vivimus & operamur*. Ut non de uno aliquo actu, sed de tota *vita* & operationum contextione ad virtutem conformanda se loqui ostenderet. Est autem habituum & affectuum ea vis, quæ vitæ moderetur & moribus.

Et ibidem illico: *Ut non regnante in nobis peccato ad obediendum desideriis ejus, sed regnante justitia per charitatem cum magna delectatione faciamus, quidquid in ea Deo placere cognoscimus.* Hìc verò verba penè singula vociferantur disputari de charitatis habitu seu affectu justificante, & affectibus omnibus aliis principante. Illa enim sola charitas quæ justificat, id præstat, ut *ne regnet peccatum* in nobis, utque *regnet justistia per charitatem*, utque quid-

quidquid Deo placitum est, faciamus. Hæc sunt propria lineamenta, hi colores charitatis justificantis. Per actualem quamcumque gratiam alicui obtemperatur præcepto, non omnibus: fit aliquod opus justitiæ, non fit ut regnet in animo justitia. Nam opera justitiæ, castitatis & cujuscumque demum virtutis fiunt quandoque & ab illis qui harum sunt virtutum inanes. At non regnat justitia, non regnat charitas, non castitas, nisi ubi virtutis habitus ipse vel affectus constans & jugis insederit animo. Item sine virtutis habitu fiunt aliqua opera, quæ virtutis splendorem præ se ferant, non fiunt omnia nisi antè animum occuparit habitus virtutis. Ergo illa delectatio de qua hìc Augustinus, ea est quæ virtuti ipsi atque habitui seu charitatis seu justitię comes adhæret individua.

Et paulò antè hunc eundem statum ita adumbraverat sanctus Pater: *Tertia est vita sub gratia, quando nihil temporalis commodi justitiæ præponitur, quod nisi spirituali charitate, quam Dominus exemplo suo docuit, & gratia donavit, fieri non potest*. Ubi dilucidum est stationem gratię justificantis describi, nec quamcumque actionem bonam, sed *vitam* bonam laudari, ubi *nihil* unquam justitiæ charitati anteponitur.

Et postea: *Manifestum est certè secundum id nos vivere, quod sectati fuerimus. Sectabimur autem quod dilexerimus. Itaque si ex adverso existant, præceptum justitiæ & consuetudo carnalis, & utrumque diligatur, id sectabimur, quod amplius dilexerimus. Si tantundem utrumque diligitur, nihil eorum sectabimur, sed aut timore trahemur, &c.* Voces hìc singulę jubent coguntque oculos animosque ad habitus magis & affectus animorum adjicere, quàm ad actus. *Vivere*, *sectari*, *consuetudo*, manifestè demonstrat stabilitatem affectuum. Utrumque tantundem simul vel diligi vel timeri non potest, nisi plurium simul habituum seu affectuum contubernio in eadem voluntate versante, aut ab eadem manante.

Postremò denique nihil vel rationi intus radianti, vel rerum usui pervagatissimo concinentius dici potuit, quàm ita quemque & vivere & operari utplurimum, ut animo affectus est, utque habitus voluntatem huc illucque incitant & incendunt. Sed etsi plerumque ita habeat, nonnunquam tamen secus accidit, ut in amicum, in uxorem, in parentem peccet quis, etsi vehementi illos amore prosequatur, etsi eorum memoria & amore summoperè delectetur. Ita enimverò contigit, ut Adamus, ut Angeli peccarent, etsi pietatis & justitiæ delectatione hactenus perfusi fuissent. Ita castus quandoque & justus obrepere sibi aliquid patitur charitati justitiæ & castitatis adversum.

CAPUT XXXIII.

Inter exceptiones generali illi regulæ adhibendas primaria est, quæ ad gratiam Angelorum & hominis innocentis spectat. Hæc enim ex Augustino ipso erat gratia incredibilis cujusdam delectationis, nec tamen secundum eam operati sunt. Frivola cavillatio ajentium, peccato effectum esse, ut delectatione traheremur quovis & determinaremur. Multis argumentis id convellitur. Quàm inetum sit, ut peccato majorem efficaciam consecuta sit cœlestis delectatio.

QUoniam verò in Angelis desertoribus, & Adamo primævæ innocentiæ suæ contaminatore evidentissimè patet, quàm non semper, quàm non infallibiliter consensum voluntatis exprimat delectatio per actus singulos, hoc idem rursus argumentum ex aliis Patribus supra roboratum, ex Augustino quoque hìc communiemus. Angelis enim ille in primo sui exortu largitur summum quendam sapientię, charitatis & felicitatis apicem, ad cujus cumulum nihil, nisi certa ejus felicitatis non unquam amittendæ scientia desideraretur. Contuitum quoque Verbi divini, omniumque in Verbo eis adscribit, ex quo non poterat non ineffabilis quædam delectatio scatere, tametsi nec illa visionis claritas, nec ista delectatio tanta esset, quanta in voluntariæ perseverantię præmium desponsa reservabatur.

Adamo autem tantùm non eandem & sapientiæ & beatæ delectationis exundantiam ingessit Augustinus. *Quid deerat illi in paradiso constituto, in media opulentia modiisque deliciis, cui magnæ deliciæ erant visitatio Dei, &c.* Et alibi: *Quis primos illos homines in paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum, quamvis de sua beatitudine, quàm diuturna, vel utrum æterna esset, incertos?* De Verbis Dom. serm. 34. Civit. l. 11. c. 12.

Illæ deliciæ, illa beatitudo incredibilem quandam pręse ferunt sapientiæ & charitatis delectationem. Nunc certè ut res sunt, nemo justus potest sibi quasi beato blandiri, quantacumque vel charitate, vel socia charitatis delectatione ferveat. At Adamus incunctanter & ab Augustino & ab aliis Patribus beatus prædicatur. Affluebat ergo illi largior delectationis hujus vena. *Quantum itaque pertinet ad delectationem præsentis boni, beatior erat primus homo in paradiso, quàm quilibet justus in hac infirmitate mortali.* Ibidem. Civit. l. 14. c. 10.

Et idem rursum Augustinus: *Amor erat imperturbabilis in Deum, & ex hoc amore grande gaudium.* Ingens prorsus hæc erat delectatio ex charitate, quod hìc dicitur gaudium ex amore in Deum. Et infrà: *Vivebat homo in paradiso fruens Deo, ex quo bono erat bonus.* Et rursum: *Quantò magis homo fruebatur Deo, tantò majore impietate dereliquit Deum.* An delectatio justitiæ aliud est quàm amor fruens Deo? An potest copiosior vehementiorque delectatio significari, quàm quę paradisus, beatitudo, fruitio appellitatur? Denique si peccati enormitas hinc metienda est, quòd tantò magis peccarit, quantò copiosiùs fruebatur Deo: certè ut nostras culpas illud peccatum Adami longissimo quodam intervallo superavit, ita delectatio & fruitio justitiæ incomparabiliter illi quàm nobis affluebat copiosior. L. 15. c. 16. L. 21. c. 11.

Quin & illud advertit consultò Augustinus gratiam Adami plus delectationis, minus efficaciæ habuisse, nunc justorum in Christo gratiam plus obtinere virium, minus gaudii. *Etsi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent isti.* Lętior ergo illa erat, seu delectabilior erat Adami gratia; nostra minùs lęta, sed tamen potentior. Adamus enim *in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.* De Corrept. & Grat. c. 11.

Nec nos fugit Adami gratiam non amoris solùm, sed & timoris auxilia complexam esse. Disertè enim Augustinus: *Cùm Dominus vellet demonstrare homini, quæ observanti vitam, contemnenti afferunt mortem, invitavit præmio, terruit supplicio.* Et alibi: *Mortis supplicium Dominus ei comminatus fuerat, si peccaret, sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio.* Sed primò vel hinc claret quàm non sit tota gratiæ efficacia coarctanda in delectationem justitiæ unam, quando vel Adamum ipsum etiam timoris adminiculo Deus sustentabat, continebatque in officio. Si ne timore quidem pœnę subnixa delectatio justitiæ in Adamo efficax invictissimè fuit, nec in nobis infallibiliter erit efficax, si vel maximè denudetur auxilio timoris. Tertiò nunc autem efficax infallibiliter erit gratia, si delectationi justitiæ non tantùm formido inspirata gehennæ accedat, sed si tanta, si tam crebra inspiretur & formido ista, & illa delectatio, si cęteri affectus in eandem pugnam & in victoriæ societatem convertantur, si affectus contrarii sopiantur interim, si tentationi modus ita imponatur, si obices & ejici- De verbis Dom. ser. 3. Enchirid. c. 25.

ejiciantur, ut bono, & injiciantur, ne malo assentiatur voluntas. Ex horum enim omnium conspiratione intus & foris auxiliorum religata pendet efficacia certissima gratiæ, qualis nec Angelis, nec Adamo stanti congruebat, nec concessa sane est. Sano enim libero arbitrio nihil opus erat ea adminicula suggeri, quæ ægro sunt necessaria.

Quod autem commenti sunt quidam peccato id esse perfectum, ut delectationis & avidior & sequacior sit voluntas; ideoque delectationem justitiæ non fuisse ante peccatum, esse post peccatum inevitabiliter efficacem, certamque victoriæ de libero nostro consensu reportandæ: ubinam quæso sanctus Pater vel unum fecit verbum de tam præclara tantique momenti distinctione gratiæ delectantis, & delectando efficacis post lapsum, non ante? Non potuit res tanta Augustini vel mentem fallere, vel calamum præterire. Omnes ille excussit quæstionum angulos de gratia, omnia arcana & reconditissima quæque in lucem protulit, vel minutissima quæque consectatus est, omnia summa luce ingenii, uberrimo eloquentiæ flumine prosecutus. An ergo rem istam, in qua summa vertitur rei totius, vel nescire potuit, vel silere? Gratia longè potentissima post lapsum, non ante opus esse ad perseverandum docuit disertissimè. At verò delectantis gratiæ efficaciam post peccatum esse invictissimam, antea frustrabilem fuisse, quòd peccato evaserimus amantiores delectationum, id verò in mentem Augustino unquam venisse, nullo constat inter tanta ejus librorum monumenta, nullo inquam prorsus cõstat aut verbulo aut saltem apice.

Quin ex adverso idem Augustinus docuit post peccatum Martyres complures non sola delectatione justitiæ ad mortem pro Christo adeundam, sed etiam formidine pœnæ animandos confirmandosque necessariò fuisse, alioqui à fide prolapsuros. Ergo non sola post peccatum voluntatem delectatio determinat appellitque ad bonum.

Rursus idem quando duæ adversa fronte pugnant & confligantur delectationes, & dubia alternat voluntas, affirmavit id quod rerum ipsa demonstrat experientia, timore quopiam alteri delectationi aspirante & obsecundante, in eam partem rapi consensum voluntatis. Ergo non sola nunc delectatione torquetur vel retorquetur voluntas.

Idem rursus per peccatum immersos carnalibus desideriis & voluptatibus animos docuit nos emergere non solere, non ferè posse, nisi excitatore timore pœnæ. Oblimatos enim sensibilium cœno cupiditatum hebescere prorsus & obbrutescere ad illecebras spiritalis charitatis & justitiæ delectationis, pungi verò & moveri aculeis timoris. Ideo & universum genus humanum veteri instrumento, in spiritu timoris, & homines universim singulos privata quadam dispensatione per inspiratum primò timorem excitari, & propelli ad quædam justitiæ præludia & rudimenta, quibus expoliantur paulatim, aptenturque ad sinceræ & spiritalis justitiæ pulchritudinem non sine delectatione sectandam. Ergo per peccatum id effectum est, non ut efficacior esset ad nostras voluntates pelliciendas delectatio justitiæ; sed è contrario, ut bruti & impatientes essemus & charitatis & delectationis spiritalis, ejusque nec gustum nec sensum ullum antè caperemus, quam nostra feritas & durities cicurata quodammodo & attrita esset jugo timoris.

Et denuo idem Augustinus ad nauseam usque inculcavit hac arte & hoc progressu explicari efficaciam gratiæ: primò abstineri hominem formidine gehennæ ab operibus malis, desuetudine malorum operum consuetudinem gigni justitiæ, consuetudine dulcedinem & delectationem insinuari. Ergo cùm tam longo anfractu eò perducamur, vel circumducamur, ut spiritali assentiamur delectationi, à qua abhorrebamus, non profectò id præstitit lapsus in peccatum, ut efficacior in nos evaderet delectatio justitiæ.

Carnalium sordidarumque voluptatum flagrantissimam quandam cupiditatem accensam per peccatum in nobis esse, Augustini constantissima doctrina est. At eodem peccato insertam nobis esse spiritalium quoque delectationum vel sitim, vel cupidinem, vel ejusmodi affectionem, qua fiat ut earum illecebris obsequentiores addictioresque simus, quàm antè, & illæ in nos sint potentiores efficacioresque, quàm priùs, id verò novum prorsus & inauditum, atque adeo alienissimum & Augustino & Augustini sectatoribus est.

Et ne cogitari quidem aut mente comprehendi res ista potest, tam insolens, tam non à vero tantùm, sed à veri quoque fuco & similitudine abhorrens. Nempe peccato datam esse charitati & delectationi dilectionique justitiæ facultatem potestatemque in animos, & efficaciam longè majorem. Quin imò omnipotentem quandam efficaciam, victricem omnipotentiam charitati & gratiæ partam additamque esse à peccato. Nam nisi peccatum esset, non determinaret infallibiliter ad bonum delectatio justitiæ voluntates liberas. Postquam peccatum est, eadem justitiæ dilectio & delectatio easdem voluntates omnipotenter ad assensum boni determinat. Quid quæso alienius vel somniando fingi potuit? Quid porro contumeliosius, quàm istiusmodi figmentis arbitrariis totam superstruere Augustini de gratia doctrinam?

Nec consultius est, si dicant, non peccato roboratam gratiam & nova quadam miraque omnipotentia auctam esse, sed eò tantùm enervatas esse voluntates, jam ut non ita possint illecebras delectationis cujuscumque contemnere, ut antè poterant. Quàm præposterum est enim, ut inimicos gratiæ debilitarit, exarmaritque culpa, facillimèque prosternendos objecerit? An quò homo innocentior, eò pugnacior contumaciorque adversùs gratiam? An quo peccatis sordidior, hoc gratiæ & cœlesti delectationi obsequentior erit? Ergo vel sic etiam potestas invicta & omnipotentia & summa efficacia gratiæ peccato accepta erit referenda, quòd aut gratiam ipsam roborarit, aut contumaciam libertatis illi subjecerit & edomuerit.

Cui enimverò fides fiet, cùm capitales & inexpiabiles gerant inimicitias peccatum & charitas, peccato tamen fieri voluntatem charitatis sequaciorem? peccato hebetari id, quo voluntas gratiæ delectanti obluctabatur?

Si peccati verò & filia primùm & postea parens est carnalis concupiscentia & delectatio terrena: qui fieri potest, ut voluntas post peccatum obsequentior sit delectationi cœlesti, cùm per peccatum eadem fuerit omnino mancipata delectationi terrenæ? Quid in nobis enim gratiæ sursum allicienti repugnat, nisi concupiscentia in ima deprimens? Ergo post peccatum quantò terrenæ cupidiores evasimus delectationis, tantò insolentiores evasimus delectationis cœlestis. Ita enim comparatum est, ut altera delectatio alteram extrudat. Hujus sitis illius fastidium creet. Et cui non vel tyroni exploratum est, terrenis voluptatibus imbutos & delibutos ad cœlestes delicias nauseare? Et vicissim cum spiritalis suavitatis incremento augescere & contemptum fastidiumque temporalium oblectamentorum?

Confiteamur ergo peccando effectum esse hominem molliorem, amantioremque delectationis, sed terrenæ & sordidæ, adeoque una & eadem opera duriorem alienioremque à delectatione justitiæ & charitatis. Illa enim mollities animi diffluentis & colliquescentis in insanas sensuum oblectationes, eadem ipsa obdurat hominem & obcallescere facit ad justiæ sensum, ad virtutum delectamenta.

Alioqui quò projectior quis in has voluptatum fæces foret, quò diutiùs in eo cœno volutatus & enervatus, eò & delectationum cupientior, & charitatis justitiæque illecebrarum foret sequacior.

Quo

Quo non video quid dici possit alienius. Contrà enim ipsa vociferatur experientia, eò pugnaciorem quemque & contumaciorem esse adversùs oblectamenta charitatis & justitię, quò magis mancipatus fuerit illecebrosis sensuum pręstigiis.

Et rursum ex eodem capite illud quoque manaret, tantò difficiliùs quemque assentiri gratiæ delectanti, tantòque minùs patere ejus efficacię, quantò eam delectationum cupiditatem quæ peccato inolevit, debilitare studuit & extirpare. Quo rursus quid somniari potest à ratione & vero dissonantius?

Contrà enim totum est. Quò enim se magis quisque alienavit à voluptatum cupiditatibus, quò innocentiæ propiorem, quò rationi & legi æternæ addictiorem quis vitam instituit, eò charitatis, justitiæ, virtutumque delectationes divinitus inspiratas, & flagrantiùs cupit, & lubentiùs excipit, & suaviùs gustat. Ergo innocentis hominis voluntas gratiam supernę delectationis tantò cupidiùs amplectebatur, quàm post lapsum, quantò rudior adhuc & inexpertior erat noxiarum terræ voluptatum. Et sanè ex Augustino concupiscentia peccati proles, ad malum pronitas, ad bonum *difficultas* persæpè ab Augustino dicta est, aliquando etiam impossibilitas. Cùm ergo peccato inseminata sit nobis hæc boni difficultas, hoc est, pertinacissima quædam gratię & charitatis adversaria: qui tandem fieri potest, ut ab eo quoque fluxerit major quædam facilitas assentiendi delectationi gratię?

Virtutum frequentatione & usu diuturno obducuntur vulnera peccato impressa, morbi curantur, revocatur sanitas, primævę innocentię vigor & imago divina reparatur. Itaque sensibilium illecebrarum cupiditas tanto magis extenuatur & consenescit, ex quo id fit, ut quo sanctior quisque nunc est, eo delectationum etiam cœlestium fastidiosior esse deberet, cùm tanto in primigeniæ innocentię vires & constantiam redintegretur. Ita gratia amorem delectationum peccato insinuatum expungens, tantundem de viribus suis decerperet, quantum nostras exaggeraret: pristinam reparando sanitatem, adversus semetipsas nostras instrueret voluntates; denique libertatem innovando nostram, suæ in nos omnipotenti derogaret dominationi.

Nemini cordato facilè persuadebitur, tantam esse virtutum & charitatis discordiam, ut quanto virtutes sui usu & exercitio sanant magis magisque in dies singulos deliciandi cupiditatem, tanto bellaciores nos esse faciant adversus gratię delectantis efficaciam. Quin ea potius esse intelligitur virtutum consensio & charitatis seu gratiæ & justitię dilectionis, ut quo altiùs irrepunt firmiùsque inhęrent virtutes in anima, hoc illam magis efficiant gratiæ quomodocumque vellicanti morigeram.

Inde enim est quod & Beati in patrię cœlestis felicitate, divinæ legi immobiliter affigantur, ipso maximè torrente voluptatum spiritalium. Gratia hæc est cumulatissima delectationis victricis & charitatis omnibus suis partibus absolutissimæ, quæ tanto invictiùs rapit cœlitum beatorum voluntates, quanto ab omnibus peccati reliquiis purgatissimæ & defæcatissimæ sunt. Cùm ergo illi tanto sint gratiæ delectanti magis obsequentes, quanto indociles jam & insolentes carnalium oblectationum, expiatique à peccati languoribus: hinc pespicuum fit pronitatem & facilitatem animæ in obaudiendo gratię, & potestatem gratiæ in flectendo animæ consensu, non ex illa proficisci voluptatum prurigine, quam peccati tabes inussit.

Quacumque ergo ætate hominem excutias, sive ante lapsum, sive post, sive post justificationem, sive in ipsa cœlestis gloriæ sede, constat semper indubitatissimè, peccato nos emolliri ad terrenas delectationes, ad cœlestes obdurescere: enervari voluntatem, & dissolvi in fluxas peccati delicias, sed ad aversanda gratiæ blandimenta obfirmari; eodem denique per peccatum amore creaturarum nos illaqueari, ex quo peccatum ipsum ebulliit. Ex adverso autem ante peccatum, vel post resartas omnes peccati ruinas & labes, quo vehementior est alienatio à terrenis oblectamentis, hoc bibula magis est mens cœlestium deliciarum; altiùs enim influit cœlestis delectatio in animam, quam carnales illecebræ nunquam infecere.

CAPUT XXXIV.

Altiùs & ab ipsa usque prima origine repetitur fons illius potestatis, qua delectatio voluntatem plerumque huc illucque torquet & retorquet. Id autem eo fit, quod naturaliter insitum sit omni creaturæ rationali amare beatam vitam, amare felicitatem, amare gaudium de veritate, quæ Deus est. Nec enim terrenis voluptatibus inhæret anima, nisi quod hæ illudant umbra quadam & fucata specie illius felicitatis. Ubi hæc ludibria excussa sunt, reddit se sibi anima, & castas justitiæ delicias velut ex impetu quodam naturalis appetitus felicitatis amplexatur.

SI lubet autem sedulò indagare, quo primùm ex fonte defluat illa vis & potestas, qua valet pręcæteris delectatio ad voluntates liberas quovis torquendas & retorquendas, ad usque ipsum nimirum felicitatis amorem naturis omnibus ratione utentibus ingenitum, & ab ipso naturę opifice inscriptum, progrediamur necesse est. Est enim felicitas, voluptas quędam; ementita felicitas, mendacium quoddam est voluptatis: vera felicitas, vera est & voluptas: non potest denique à delectationis, lætitiæ & voluptatis imagine sejungi felicitas. Ex quo id emergit, ut appetitus felicitatis naturaliter inustus animæ rationali, & naturæ cuicumque demum intellectuali, non aliud sit quàm vehementissima quędam gaudendi & deliciandi cupiditas. Ita disertè Augustinus: *Ipsa beata vita est, gaudere de te, ad te, propter te. Ipsa est, & non est altera. Qui autem aliam putant esse, aliud sectantur gaudium, neque ipsum verum. Ab aliqua tamen imagine gaudii mens eorum non avertitur.* Confess. L. 10. c. 22. 23.

Quoniam autem aberrare non potest author naturæ, quidquid ab eo naturæ ipsi insculpitur, ipsi veritatis & sapientiæ fonti necessariò consentit, cùm non possit veritas inscribere vel dictare mendacium. Ergo non ementitę, non fucatæ, sed veræ felicitatis amor naturaliter inustus est, nempe amor gaudii de veritate, de sapientia, de charitate, & æternitate. Ejusmodi enim gaudium verissima & una felicitas est. Quocirca si nunc post peccatum homines ludibria quędam consectantur inania fucatæ felicitatis, id ex eo fit, quod peccato aversa fuerit à Deo, & à sempiterna veritate voluntas eorum, detorta autem amore præpostero ad res creatas, umbras quasdam sequatur & mendacia simulatæ voluptatis. Idem Augustinus: *Non ergo certum est quod omnes esse beati volunt, quoniam qui non de te gaudere volunt, quæ sola vita beata est, non utique vitam beatam volunt. At omnes hoc volunt, sed quoniam caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, ut non faciant quod volunt, cadunt in id quod valent, eoque contenti sunt: quia illud quod non valent, non tantum volunt, quantum sat est, ut valeant.* Ibidem. Et paulò inferiùs: *Beata vita est gaudium de veritate, hoc est enim gaudium de te, qui veritas es, Deus meus. Hanc vitam beatam omnes volunt, hanc vitam quæ sola beata est, omnes volunt. Gaudium de veritate omnes volunt. Et cum amant beatam vitam, quod non est aliud, quàm de veritate gaudium;* utique

utique amant etiam veritatem. Nec amarent, nisi esset aliqua notitia ejus in memoria eorum. Cur ergo non de illa gaudent? Quia fortius occupantur in aliis, quæ potius eos faciunt miseros, quam illud beatos quod tenuiter meminerunt,

In his Augustini verbis, necessariò & naturaliter omnes elucet cupidissimos esse gaudii, delectationis, felicitatis. 2. Non cujuscumque, sed de veritate, de Deo. Non alia enim est beata vita, non alia usquam vera felicitas, quàm gaudere de Deo, de veritate. Cùm ergo appetant omnes vitam beatam, utique gaudium de veritate appetunt. 3. Peccato effectum est ut caro concupiscat adversus spiritum, & vehementiùs concupiscat quàm spiritus adversus carnem in nondum justificatis. Hinc ergo fit, ut gaudere malint de carnalibus deliciis, quàm de spiritalibus, etsi etiam de spiritalibus velint, si cum carnalibus possint consosciari. Hinc denique fit, ut qui naturæ impetu gaudere & delectari cupiunt, peccati autem instinctu & incitatione à cœlestibus in terrena demerguntur, naturalem illum gaudendi amorem convertant deflectantque ad terrena.

Non ergo à peccato exordium ducit delectationis amor, vis & potestas, sed ex appetitu felicitatis & gaudii de veritate, quem natura insevit. Peccato autem hic amor gaudii à creatore ad creaturam, ab æternis ad temporalia deflexus est. Amor ergo beatitudinis & delectationis, non à peccato, sed ab ipso naturę primùm institutæ instinctu effloruit, peccato autem etsi deflecti potuit, non potuit aboleri. Unde Augustinus: *Natura rationalis in malis suis non potuit amittere beatitudinis appetitum.* Et alibi: *Immutabilis est, cum qua homo creatus est & creatur, illa libertas voluntatis, qua beati esse omnes volumus, & nolle non possumus.*

Enchiriad. c. 23. 24. Op. ult. con. Julian. l. 5. c. 12.

Et ante peccatum ergo erat natura diligens gaudii, amantissima felicitatis, cupidissima delectationis, sed de veritate, de sapientia, de justitia. Peccato vena illa delectationis detorta est & derivata in sordes sensibilium voluptatum, in quam statim influxerunt & nauseæ tædiaque spiritalium delectationum.

Indidem autem istud quoque elicitur, cum medici cœlestis misericors & pia sævitia jubet amarescere nobis rivulos omnes terrenæ felicitatis, vel penitus obturari, ut quodam impossibilitatis muro intercludatur nobis aditus ad omnia ludibria fallacium voluptatum: tunc sanè quodammodo necesse est dare se voluntatem & assentiri cœlestibus justitię & charitatis deliciis, si divinitus instillentur. Porro non illud peccato adscribendum est, quod incredibili quadam tunc sint efficacia delectationes inspiratæ charitatis. Sed ab ipsa usque origine exordienda est ejus rei causa, quod nempe felicitatis & gaudii & delectationis amorem inextinctum accenderit Deus in natura rationali, cui cum peccatum aliquandiu illuserit umbraticis sensuum illecebris, nunc iis absterfis & dissipatis, reviviscat ardor ille primigenius gaudendi & deliciandi, & incumbat cupidissimè in oblatas nunc veritatis & justitię delectationes; tum quod in has potissimum effervesceret ipse instituti primùm naturæ impetus, tum quod ceteræ omnes delicię nunc quidem obseptæ sint & circumscriptę. Ipsa enim natura pondere intimo vergebat ad gaudia vera veritatis, deflexu quodam diverterat in semitas devias voluptatum carnalium, hinc extrusa atque ejecta est optatissimo infortuniorum turbine, & tum reddidit se viæ, sibi se nativæque felicitatis veritati restituit. *Arbitrium liberum adjuvatur per Dei gratiam, ut quod naturaliter volumus, hoc est beatè vivere, bene vivendo habere possimus.* Et alibi: *Secutio igitur Dei beatitatis appetitus est, consecutio autem ipsa beatitas.* Et alibi rursum: *Amant requiem sive pia anima, sive iniqua; sed qua perveniant ad illud quod amant, plurimæ nesciunt, &c. Cùm verò Deo delectatur anima, ibi veram, certam, æternam invenit requiem, quam in aliis quærebat, nec inveniebat.* Ubi perspicis, gratiam Dei, pietatem hominis, totum vitæ religiosæ cursum eò contendere, ut illa felicitas, cui naturaliter suspiramus, comparetur.

Op. ult. con Jul. l. 6. c. 26. De moribus Eccl. c. 11. Epist. 119. c. 10.

Itaque quia consecutio Dei beatitas nostra est, quam naturaliter appetimus, quia delectari Deo, delectari justitia & veritate, hìc gratia, pietas, virtus, meritumque est, aliquando præmium & felicitas erit: exinde est, quòd delectatio justitiæ, quæ præsenti vitę obtingit, delibatio & velut anticipatio jam quædam sit æternæ felicitatis. Charitas hìc illicque eadem & una est, illic matura, hìc adolescens. Justitia illic perfecta, hìc ad illam perfectionem connitens & luctabunda. Dilectio & delectatio justitię, utrobique una, quia ipsa charitas est, sed hìc stillata guttatim & parcissimè, illic quodam exundans torrente voluptatis. Ergo si trahit hæc justitiæ delectatio mortales ad pietatem, id eò fit, quòd hęc sit pręgustatio quędam ejus felicitatis, quam ex naturæ magisterio imperioque, non ex peccati instinctu ardentissimè concupiscimus.

Non ergo quia temporales illecebras avidè devoravimus, iis fraudati oblectamenta justitię per gratiam objecta amplexamur: sed ab ipso capite & fonte res arcessenda est, & ita sentiendum. Quoniam ita sanxerat, ita finxerat & conformaverat naturam rationalem omnipotens Conditor, ut gaudium de veritate, ut vitam beatam amaret, quæ non aliud quàm gaudium de veritate, & de Deo est: ideo primùm quidem terrenis aliquandiu voluptatibus inhesimus, quòd hæ illius gaudii & felicitatis adumbratam quandam imaginem prę se ferrent: ideo secundò, ubi providentia Redemptoris excussit disturbavitque nugamenta hęc ludificatoriæ felicitatis, tunc nosmet nobis reddimus, & germanas naturęque ipsi, & naturalis felicitatis amori consentaneas delectationes justitię per gratiam oblatas amplectimur. Unde rursum Augustinus, *Quærite quod quæritis, sed non est ubi quæritis,* Et rursum idem: *Fames mihi erat intus ab interiori cibo te ipso Deus meus, sed ea fame non esuriebam, sed eram sine desiderio alimentorum incorruptibilium, & ideo non benè valebat anima mea, & ulcerosa projiciebat se foras, miserabiliter scalpi avida contactu sensibilium.* Ubi perspicuè vides, non ideo nos assentiri spiritali delectationi, quòd per peccatum amantes evaserimus voluptatum: sed quòd refrixerimus ab amore & delectatione spiritalis justitiæ, ideo his saltem ludibriis terrenæ voluptatis nos lubentes pasci.

Confess. L. 4. c. 12. L. 3. c. 1.

Illud porro hinc emergit, in statu innocentis seu hominum seu Angelorum naturæ, nihilo minùs valuisse delectationem justitiæ, seu gratiam charitatis delectantis ad movendas trahendasque voluntates liberas in consensum. Quandoquidem hanc vim suam derivat delectatio non ex peccato, quod postea erupit, sed ex naturaliter insito gaudendi amore, seu ex appetitu felicitatis. Si autem pura illa & liquida justitiæ delectatio etsi valebat plurimùm, non tamen tantùm valebat, ut infallibiliter voluntatem traheret in consensum; multò minùs nunc id valebit, cùm & malignior plerumque fluit, & multis terrenæ delectationis sordibus retardata.

Quibus ut nova ex eodem Augustino præsidia comparemus, non pigebit hæc ex eodem adscribere paulò prolixiùs: *Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit. Noli te cogitare invitum trahi, trahitur animus & amore. Parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quædam est voluptas cordis, cui dulcis est panis ille cœlestis. Porro si Poetæ dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delecta-*

In Evang. Joan. tract. 26.

lectatio, quantò fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? An vero habent voluptates suas corporis sensus, & animus deseritur à voluptatibus suis? Ubi duo observari velim. Primum est, ubi trahitur voluntas delectatione justitiæ in consensum boni alicujus operis, id ex eo fieri, quòd ex intimis medullis & quasi ex nativo contextu interiorum animę fibrarum propendeat anima tota in appetitum beatitudinis, in cupiditatem sempiternæ vitæ. Itaque quando trahitur anima à Christo, trahitur quia delectatur *beatitudine*, delectatur *sempiterna vita*. Alterum est, multò *fortiùs* ex Augustino, trahi animam vera, quàm fallaci beatitudine. Si enim ita contexta est animæ rationalis substantia, si naturaliter ita constituta & imbuta est voluntas, ut beatitudinem cupiat, & cætera propter beatitudinem; multò valentiùs trahetur luce ipsius veræ beatitudinis, quàm ejus umbra.

Conf. l. 1. c. 1. Et idem alibi: *Tu excitas ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Itaque conditor Deus ita temperavit aptavitque cor hominis & voluntatem, ut æternitas, veritas, charitas illi congruat, & vicissim: adeoque his delectari aptus homo, pronusque sit, hæc illum delectare idonea, reliqua lancinare magis quàm oblectare nata.

De Trinit. L. 4. c. 1. Sed nihil expressius fieri potuit contextu illo alio ejusdem Augustini: *Sed quoniam exulavimus ab incommutabili gaudio, nec tamen inde præcisi atque abrupti sumus, ut non etiam in istis mutabilibus & temporalibus æternitatem, veritatem, beatitudinem quæreremus, nec mori enim, nec falli, nec perturbari volumus: missa sunt nobis divinitus visa congrua peregrinationi nostræ, quibus admoneremur non hic esse quod quærimus, sed illuc ad ipsa esse redeundum; unde nisi penderemus, hic ea non quæreremus.* Vides effervescentiam illam nostram circa terrenæ voluptatis quisquilias non omnino præcidisse, non omnino abrupisse animas nostras ab illius incommutabilis gaudii memoria, sive à naturalis felicitatis appetitu: inde utcumque nos religatos adhuc pendere, & in istis adumbratis bonis venari adhuc & odorari nescio quæ vestigia æternitatis, veritatis, beatitatis; sed quòd hæc vestigia sint tantùm & quidem leviter impressa, ideo continuò hæc fastidimus, devolamus ad alia, ad solidiora aliqua felicitatis præsidia suspiramus.

CAPUT XXXV.

Efficacia delectationis non uni interiori & inspiratæ delectationi vendicanda est, sed communicanda etiam est rei, seu illecebræ occurrenti exteriùs, aptæque & congruæ ad delectandum. In hac enim plurimum momenti posuit Augustinus ad animos excitandos, & ad emerendum consensum voluntatis.

ITa enucleata origine ejus efficaciæ, quam Augustinus assignavit delectationi justitiæ, incumbendum rursus nobis est ad hujus efficaciæ vim dimetiendam. Et paulò suprà relatus ejusdem sanctissimi Doctoris contextus admonuit nos, non soli ipsi inspiratæ delectationi totam illam tribuendam esse efficaciam, sed communicandam quoque illam esse aliqua ex parte objectis illecebrisque rerum congruis & contemperatis ad affectus animæ. Cùm trahi enim nos dixisset à Patre ad Filium, quia trahimur voluptate, trahimur & delectamur veritate, beatitudine, sempiterna vita: addit continuò: *Quem traxit Pater? Illum qui dixit, Tu es Christus Filius Dei vivi. Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Ista revelatio ipsa est attractio. Ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur. Et quia quo currit, trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est, Trahit sua quemque voluptas: non trahit Christus revelatus à Patre? Quid enim fortius desiderat anima, quàm veritatem?* Non tam de inspirata à Deo intus delectatione hic sermonem facit Augustinus, quàm de objecta & obversante oculis, sive corporis, sive mentis, qua trahitur tamen voluntas. Nam illa Poetæ vox, Trahit sua quemque voluptas, non tam ad affectum animi videtur, quàm ad rem objectam pertinere, quæ apta & nata sit rapere animum quopiam videlicet modo affectum. At exempla illa, & ovis quæ ramo viridi, & puerorum, qui pomo trahuntur, perspicuè solam demonstrant illecebram rei objectæ sensibus seu corporis, seu animi, qua inescantur attrahunturque animæ ad eum modum affectæ. Illa ipsa autem mentis affectio frigeret & feriaretur, nisi traheretur rei aptæ & congruentis lenocinio.

Tract. 26. In Ioan.

Et idem alibi aliquantò etiam dilucidiùs hanc trahendi efficaciam delectationi tum intus inspiratæ, tum foris repræsentatæ communicat, ut altera cessante altera sit otiatura, vel certè nihil magnum & operosum molitura. *Præcipitur, ut credamus, ut dono accepto Spiritus sancti per dilectionem bene operari possimus. Sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione, id est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus in Deum, inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro, & industria aut operum meritis comparatur.* Vides quantum momenti esse sanciat ad mentem permovendam, afficiendam, delectandam, ad assensum trahendam in re ipsa quæ objicitur, vel occurrit? *Quis potest credere, nisi aliqua rerum testificatione tangatur?* Et rursum: *Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem?* Et rursum: *Quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel quod occurrerit delectet?* Hæc omnia tractionis efficaciam vendicant, aut certè communicant rei ipsius objectæ illecebræ, congruitati, & contemperationi ad animum delectandum, permovendumque. Porro hinc illud dilucet manifestissimè, non sola interiori seu motione, seu delectationis inspiratione prædeterminari infallibiliter ad consensum voluntates. Si hoc enim prejudicio imbuta & occupata fuisset Augustini mens, non ille unquam ab hac extrinseca vocationis congruitate ejus efficaciam prompsisset. Nemo sanè nunc eorum, qui hanc induerunt sententiam de gratia interiùs prædeterminando delectante, aut delectando prædeterminante, nemo inquam eorum, quos olim inter ego, si in animo habeat gratiæ vocantis efficaciam omnipotentem declarandi, ad istam se dejiciet rerum objectarum vel occurrentium congruitatem, & ex congruitate vim permovendi. Sed ad alia prorsus omnia & longè diversissima confugiet efficaciæ invictissimæ præsidia. De motione, de prædeterminatione intima voluntatis, de inspiratæ dilectionis & delectationis affectu cogitabit, de his verba faciet, quæ ab Augustino vel omissa hìc, vel obiter levissimèque perstricta sunt; ea silebit, & ne verbulo quidem attinget, quæ prolixè & enucleatè ab Augustino sunt commemorata. Viderint ergo ipsi, an satis possint

Ad Simpl. L. 1. q. 2.

sen-

ſententiam aſſequi Auguſtini, cùm mentem ſuam declarent via & ratione tam diverſa & aliena.

Ecquod autem monumentum illuſtrius gratiæ Chriſti efficaciſſimæ, quàm in eo ad fidem & pœnitentiam pertrahendo, qui Evangelicæ veritatis, qui gratiæ potiſſimum Chriſtianæ præco toto orbe celeberrimus futurus erat? Atqui ut ibidem Auguſtinus advertit, Paulo tale viſum, & tam terribile oſtentum cœlitus objectum eſt, quali percelli & perterrefieri præfractus ille, & contumax animus poſſet, ut aſſentiri mallet veritati lucenti & delectanti, quàm contra ſtimulum tanto cum ſui ſuarumque rerum detrimento calcitrare, *Voluntas ipſa niſi aliquid occurrerit quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo poteſt, Hoc autem ut accurrat, non eſt in hominis poteſtate. Quid volebat Saulus, niſi ut invaderet & traheret, vinciret & necaret Chriſtianos? Quam rabida voluntas! quam furioſa, quam cæca! Qui tamen una deſuper voce proſtratus, occurrente tali viſo utique, quo mens illa & voluntas refracta ſævitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidem, repente ex Evangelii mirabili perſecutore mirabilior Prædicator effectus eſt. Et tamen quid dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? exigentem à quo placet, donantem cui placet; qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum. Nunquid iniquitas eſt apud Deum? Abſit. Quare tamen huic ita, & huic non ita? Homo tu quis es? Debitum ſi non reddis, habes quod gratuleris: ſi reddis, non habes quod queraris.* Ex his poſtremis verbis radiat prædeſtinatio Dei gratuita, ut & de efficaciſſima hic agi gratia intelligas, quam prædeſtinatio præparat, quæ prædeſtinationem exequitur. Hujus ergo efficaciſſimæ gratiæ vim omnipotentem vides quo ex capite arceſſat Auguſtinus, non ex intus infallibiliter prædeterminante ſeu voluntatem contorquente ſeu motione, ſeu delectatione, ſed ex tonante *deſuper voce, & occurrente tali viſo, quo ille proſterneretur, & mens illa ac voluntas refracta ſævitia retorqueretur ac corrigeretur.*

Itaque Paulus ideo fidei Evangelioque conſenſit, quia huc illum voluptas & delectatio traxit. At unde hæc illi delectatio, quæ voluntatem moveret & mutaret? Tu quidem non aliud forſan quàm intimam delectationis inſpirationem; vel prædeterminantem motionem cogitabis & proferes. At Auguſtinus, Lucæ & Spiritui ſancto, reique ipſius geſtæ veritati conſentaneus, non præjudicatæ ſequax opinionis, diſertè ait, *occurriſſe* quod delectaret, occurriſſe quod invitaret animum, nempe cœleſtis iræ terribilem tempeſtatem, & fulminantem vocem, & tale denique viſum, quo conſternatus, mallet de veritate radiante & de ſalute ſimul ſua delectari, quàm ſemper in certam ſui unius perniciem furere. *Voluntas niſi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo poteſt. Hoc autem ut occurrat, non eſt in hominis poteſtate. Saulus una deſuper voce proſtratus, occurrente utique tali viſo, quo mens illa retorqueretur, &c.*

Quod ergo ſuprà effatus eſt Auguſtinus, *Quod magis nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt,* & quod hic habet, *Voluntas niſi aliquid occurrat quod delectet, moveri nullo modo poteſt,* hæc idem valent, & in unum conſpirant. Sed palam hinc eſt, non eſſe illinc augurandam delectationem aliquam inſpiratam, quæ ſemper atque infallibiliter prædeterminet voluntates, cùm hac prætermiſſa illam invictiſſimam efficaciam Auguſtinus his locis & aliis ejuſdem generis innumeris repetat à rei ſeu illecebræ occurrentis congruitate & concentu cum affectibus animi: cùm litteræ ſacræ, cùm rerum ipſa experientia doceat, rerum divinæ providentiæ juſſu occurſantium ſenſibus animiſque noſtris eam eſſe vim, ut voluntates moveant efficaciſſimè, ſi congruè & convenienter affectas inveniant.

Duo ſunt porro quæ hic magnoperè interſit obſervari. Primum eſt non poſſe à quoquam Auguſtinum tantæ inſimulari oſcitantiæ vel incogitantiæ, ut in efficaciſſimæ gratiæ vi expendenda, corticem ipſum tantùm penſitaverit, nempe exteriores vel res, vel illecebras: ſi in his momenti minimum & nihilum efficaciæ ſit. Alterum eſt victricem perſæpè delectationem juſtitiæ celebrari ab eodem ſancto Patre, & infallibiliter efficacem; ſed à vero procul aberrare eos qui præjudicata ex animi ſui ſententia hoc totum continuò rapiunt ad ſolam inſpirationem delectationis, cùm Auguſtinus id illis locis non habeat, cùm aliis locis diverſum habeat.

Itaque bifariam diſtinguenda ſunt Auguſtini loca de delectatione juſtitiæ victrici. Alia enim id tantùm ſignificant, victricem illam eſſe & ineffabiliter efficacem, quo autem modo, qua ratione & machina hæc illi facultas accidat, id tum quidem ſilet. Alia ſunt verò, quibus non tantùm declarat ineluctabilem ejus efficaciam, ſed fontes etiam ipſius & decurſum explorat. Locis hoc capite relatis utrumque demonſtravit, & quanta, & quo ex capite flueret illa efficacia gratiæ delectantis. Alia ſunt innumera primæ claſſis, ubi ſolam teſtificatur invictam eſſe gratiæ efficaciam. Illa priora teſtimonia his poſterioribus aptanda & conciliand a ſunt, non priora autem illa in eum deflectenda ſenſum, ex quo inſulſa & nugatoria videri debeant hæc poſteriora. Miſſa hic fiunt à me loca illa Auguſtini de victrici delectatione, quæ ad ſolam gratiam juſtificantem pertinent, ſeu ad charitatem habitualem, quæ victrix dicitur non immeritò, quia juſti ſunt & juſtificati dicuntur illi demum, in quibus regnat & dominatur charitas. Victrix autem delectatio, regnatrix & dominatrix cæterorum animi affectuum charitas, diverſa ſunt nomina, res una.

Cæterùm uſque adeo Auguſtinus illam objectorum delectantium vim & efficaciam cum ingentem, tum gratiæ propriam voluit eſſe, ut conſultò monuerit, non eſſe in cujuſquam, eſſe in ſolius Dei poteſtate, efficere ut occurrat ejuſmodi aliquid quod delectet. *Hoc ut occurrat, non eſt in hominis poteſtate.* Et rurſum: *Quis habet in poteſtate, ut vel occurrat quod eum delectare poſſit, vel delectet cum occurrerit?* Cùm unius in Dei poteſtate hoc totum ſit, hinc illud efficit, totum eſſe in Dei gratia & miſericordiæ largitate. Unde concludit in hunc modum, *Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus in Deum, inſpiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu noſtro, & induſtria, aut operum meritis comprobatur.* Ergo cùm miſericordiſſimæ providentiæ conſilio & nutu fit, ut occurrant ea foris, quæ intus moveant animum & delectent, ea eſt gratia Dei & quidem efficaciſſima.

Sed his verbis, *Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus in Deum, inſpiratur hoc & præbetur gratia Dei*: non permiſcet aut confundit, ſed copulat Auguſtinus conſociatque rem extrinſecùs delectantem, & ipſam interiùs inſpiratam delectationem. Niſi enim delectatio ſeu charitas intus inſpiraretur animo, incaſſum oſtia ſenſuum pulſarent exteriores illecebræ. Ac rurſum inſpirata delectatio plerumque reſpueretur, niſi vel blandimenta ſimul illa vel terriculamenta ſenſibus ingererentur, quibus fit ut ne cœleſtem inſpirationem voluntas repudiet. Rebus ita conſtitutis, non erit in Auguſtino quod quenquam offendat, ſi exteriorem illum tanti fecerit occurſum vel minarum vel blanditiarum. Si totum detur uni interiori motioni prædeterminanti, peregrinari videbitur tota Auguſtini diſputatio, & extra metas vagari.

Cùm dicit autem, divinæ dumtaxat poteſtatis eſſe, ut *vel occurrat quod delectet, vel delectet cum occurrerit*: id eò ſpectare videtur, quòd friget quandoque & nauſeat anima, ad ea quibus paulò ante

antè plurimùm afficiebatur, & quibus etiam paulò pòst suo more, hoc est jucundissimè afficietur. Ergo hoc innuitur, divinæ esse & providentissimæ cujusdam gratiæ, non tantùm res objicere aptas idoneasque delectare, sed ipsa etiam captare occasionum & temporum momenta, quibus arridebit voluntas; aut saltem voluntatem secus tunc affectam enubilare, fastidioque illo deterso, ipsam sibi & suo ingenio reddere, ut quibus solet affici, afficiatur.

Porro ex hujus operis decursu constabit, ubique Augustinum tribuisse plurimum rebus illis occurrentibus opportunè ad animum oblectandum vel deterrendum.

CAPUT XXXVI.

Multa fiunt, ex Augustino, non delectationis illecebra, sed metu & formidine, quæ dicuntur etiam fieri ab invitis & necessitate quodammodo. Quàm frustra quidam cavillentur, huic timori inesse quandam delectationem. Ea delectatio aut nulla est, aut tam frigida, ut animum excitare nequeat, nedum infallibiliter determinare.

ERit operæ nostræ pretium, si aliquantò accuratiùs versati fuerimus in illo Augustini dicto explorando, *Quod enim amplius delectat, secundum id operemur necesse est*. Non pauca enim fiunt à nobis etiam pavore & metu, cui plurima etiam tristitia animique mœstitudo adhæresçit. Longè ab hujusmodi actionibus exulat delectatio. Quin & illubentibus illæ nobis & penè invitis extorquentur. Audi Augustinum conceptis verbis secernentem eas actiones quæ delectatione, & eas quæ timore geruntur. Post illa enim Jobi verba recitata, *Et annotasti si quid invitus commisi*: hæc adnotat sanctus Pater: *Nonne satis apparuit etiam illa peccata justè imputari, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandæ molestiæ aut doloris aut mortis? Nam & hæc dicuntur quadam necessitate committi*. Vides apertissimè eorum quæ fiunt, alia delectationi, alia timori aut doloris formidini tribui debere.

Frustra sunt autem qui cavillantur huic timori sociam hærere delectationem aliquam; nempe formidini mortis conjunctam esse delectationem vitæ conservandæ, ita quod timore fit, fieri etiam delectatione, & id demum fieri quod magis delectat. Contrà enim disertè Augustinus docet ista non fieri delectationis illecebra, sed causa devitandæ molestiæ, aut doloris, aut mortis. Secundò idem observat hæc ab invitis quodammodo committi, & quadam necessitate. Atqui quæ delectatione lenocinante fiunt, à lubentibus fiunt, non ab invitis, nec ulla necessitatis nubecula obumbrantur. Tertiò tametsi ut virtutes, ita & affectus animi conserti & implicati aliis alii sint quodammodo, quolibet tamen in actu dominatur vel virtus aliqua, vel affectus aliquis unus, eumque censui suo & ditioni vendicat. Id ergo largiamur, ut si quid metu doloris aut mortis formidine fiat, vel adsit simul & aspiret voluptatula aliqua tuendę suę integritatis vel vitæ: non potest tamen hæc surgens à latere delectatiuncula, quę quasi furtim ingerit se additque comitem timori, non potest inquam illa dominari huic actui, & eum sibi vendicare. Quod enim tunc fit, verè fit timore, non delectatione, etsi timori umbra quędam alludat tenuissimę delectationis. Quartò quę delectatione fiunt, ea pari jure possent ad timorem traduci; quòd cuicumque delectationi adsit vel insit implicatus timor aliquis obscurus, amittendi ejus boni, quo delectamur. Quemadmodum ergo amore & delectatione facimus multa, quia hi tunc affectus dominantur, tametsi vel comes vel pedissequus non desit timor aliquis id amittendi quod amatur: ita timore multa committimus, non delectatione, quòd in ejusmodi timor principetur, vimque & potestatem habeat maximam; delectationis autem species tantùm & imago quędam levissima & adventitia accedat.

Quibus porro placet delectatione voluntatem quocumque flecti & determinari infallibiliter, ii non qualemcumque, sed vehementem quandam & cæterorum animi affectuum dominatricem victricemque delectationem & domi sibi ipsi fingunt, & magno verborum strepitu ostentant. Vigeat enim ferveatque necesse est illa delectatio, quæ insuperabiliter affectus omnes quamlibet bellaces comprimit, animique consensum expugnat. Atqui ubi quid geritur præsentis mortis formidine, esto, insit & delitescat aliqua servandæ vitæ voluptatula clancularia; at hæc non est tanta & tam vehemens voluptas, quæ dominetur, quæ inebriet hominem, quæ suavitate sua & dulcedine quadam ineffabili excantet trahatque in consensum. Ergo ne sensum comm unem sinamus obnubilari obruique præjudicatis opinatiunculis, confiteamur multa tunc geri, non vi delectationis, cùm nulla tunc sentiatur, nulla saltem tunc emineat & dominetur, sed vi & procella quadam timoris, qui tunc dominatur, qui hominem sibi excutit, diripitque, qui raptat, trahit penè invitum, & quadam constrictum necessitate.

CAPUT XXXVII.

Non semper delectatione determinari voluntates liberas, cùm viri persæpè sanctissimi exarescere & doceant & experiantur cœlestis hujus mellis fontem, mera autem amaritudine & mœstitia tunc totam animam demergi. Si qua vel tunc delectationis particula dicatur in summo mentis apice delitescere, non tamen ea tantarum esse virium potest, ut plus delectet, quàm terrena omnia oblectamenta. Alii ergo tunc affectus animam in officio continent.

ACcedet huic argumento lucis nonnihil & momenti, si eos consulemus, audiemusque, qui magistra experientia diutina rerum divinarum didicerant, sanctissimos plerumque viros ab omni prorsus delectatione destitui, & vel tum spectatissimæ virtutis suæ & charitatis edere documenta. Hanc enim divinæ & omnipotentis medicinæ artem esse commemorant, ut primùm quidem ubertim infundat spiritales delectationes, quarum suavitate capti fastidiant abjiciantque sensibilium & terrenarum deliciarum nugas. Ab hoc autem quasi vestibulo pietatis protrudat illos ad superiorem quendam gradum sanctimoniæ, ubi spiritales quoque deliciæ exarescunt, cruces autem increbrescunt & amaritudines intus forisque; nec cedit tamen aut frangitur, sed invicta inconcussaque stat virtus, uni Deo, uni justitiæ incommutabili, uni legi æternæ, etiam sævienti & flagellanti adhærescens. Hìc sanè non satis elucet, quæ dici possit aut cogitari delectatio justitiæ aut suavitas victrix. Hoc enim statu nihil insuavius vel fingi potest, nihil amarius, nihil à delectationis speciæ alienius. Incubat ex adverso animæ penetralibus inhæretque pertinax quædam mœstitiæ nubes, & quadam quasi fellis aspergine sensus omnes actusque inficit.

Video aut certè suspicor oculatiores aliquos & mente perspicaciores in hac mœroris tanta caligine radium aliquem arcani interim gaudii deprehensuros, quo placeat Deo propter Deum obsequi, quo dulce sit omni fraudari dulcedine, quo delectet delectationes omnes abjecisse. At hujusmodi

modi gaudium si quod est, penitissimum illud & reconditissimum est, summo mentis in apice, altissimoque & refugo quodam in recessu abstrusum, ut ipsosmet fallat, quibus inest. Gaudio isto vix gaudet anima, tristitiæ & amaritudinis procella quadam obruente omnem ejus sensum. Interim tenebrescit mens, languet voluntas, charitas ipsa torpet, exanguis, & impos sui; facta dictaque omnia fastidii & mœroris plenissima. Clandestina ergo illa suavitas siqua adhuc voluntatem Deo constringit, non ita exhilarat, non tantopere delectat, non sic inebriat animam, ut trahat, ut rapiat, ut dominetur, ut invictissimè in omnem partem torqueat.

Si peccati delectatione dicatur id effectum, ut voluntas deinceps nostra voluptates perditissimè amet, & eo trahatur infallibiliter, quo redundantia invitat delectationis: an potest cuiquam videri obscurissima ista delectatio, de qua nunc agimus, trahere & rapere voluntatem, atque insuperabiliter id extorquere, ut terrenas voluptates omnes posthabeat? Usque adeone suave est carere suavitatibus etiam spiritalibus? Usque adeone delectat torrente quodam angorum & amaritudinum demergi?

Denique ut hæc suavitas aliquo loco, & alicujus momenti sit, illam tamen multò prolixiorem experiebantur & Angeli & homo ante lapsum, nec tamen infractam inde voluntatis constantiam induebant.

Postremò tandem cum ita exaruerunt rivuli omnes cœlestium deliciarum, siccum illud & austerum gaudium quod in mentis summo culmine latere adhuc dicitur, si tantum valet ad consensum, quin valeat ad sensum sui faciendum? Si valet ad inclinandam, quin valeat ad delectandam etiam voluntatem? Delectatio quædam est, & delectando torquet invictissimè voluntatem: ergo vehementissimè delectat: qui ergo fit, ut non sentiatur? An potest vehementissima delectatio non sentiri? vel potest esse vehementissima, quæ non sentitur? An verò potest efficacissima delectatio non eadem esse vehementissima? Quo enim exerit efficaciam suam, nisi sensu sui? Qui ergo & adeo penè non sentitur, & tam omnipotenter eadem operatur?

Sed, oro te, si tam incitata & tam vehemens est hæc arcana delectatio, ut consensum voluntatis extorqueat inevitabiliter, ecqui tam frigida eadem est, adeoque languet, ut tædia & mœrores non excutiat, quibus interim tota animæ facies infuscatur? Vis & efficacia delectationis quanta quanta est, erumpere debet & sese explicare in exsufflando mœrore, in animi nausea expungenda.

Non gravabor hìc adscribere quæ Author librorum de Imitatione Christi, omnium ore laudatissimus, nocturna omnium diurnaque manu versatus & versandus in hanc rem scribit: *Non est grave*
L. 2. c. 9. *humanum contemnere solatium, cum adest divinum. Magnum est & valde magnum tam humano quàm divino posse carere solatio, & pro honore Dei libenter exilium cordis velle sustinere. Quid magnum est, si hilaris sis & devotus adveniente gratia? Optabilis cunctis hæc hora. Satis suaviter equitat, quem gratia Dei portat. Et quid mirum si onus non sentit, qui portatur ab omnipotente, & ducitur à summo ductore? Sed verus amator Christi, & studiosus sectator virtutum, non quærit tales sensibiles dulcedines, sed magis fortes exercitationes, & pro Christo duros sustinere labores.* Et mox: *Datur consolatio divina, ut homo fortior sit ad sustinendum adversa. Sequitur etiam tentatio, ne se elevet de bono.*

Et idem alibi rursum hæc verba Christo affingit, objurganti hominem spiritalibus his suavitatibus intemperantiùs deditum: *Fili non es adhuc*
L. 3. c. 6. *fortis & prudens amator. Quia propter modicam contrarietatem deficis à cœptis, & nimis avidè consolationem quæris. Nobilis amator non quiescit in dono, sed in me super omne donum. Non est ideo totum perditum, si quandoque minus bene de me, vel de Sanctis meis sentis, quàm velles. Affectus ille bonus & dulcis quem interdum percipis, effectus gratiæ cœlestis est, & quidam prægustus patriæ cœlestis, super quo non nimium innitendum, quia vadit & venit. Certare autem adversùs incidentes malos motus animi, suggestionemque spernere diaboli, insigne est virtutis & magni meriti. Non ergo te conturbent alienæ phantasiæ de quacumque materia ingestæ. Forte serva propositum & intentionem rectam ad Deum.* His extremis verbis declaratur, in tanta illa sterilitate animæ, delectationumque spiritalium penuria, affigi animam Deo, non abstrusiore aliqua & sensum fallente voluptate, sed *forti proposito & intentione recta in Deum*, & affectibus aliis, de quibus mox, & ipsa maximè cura ac vigilia providentiæ divinæ, excubantis & consulentis, ne vis tentationum effervescat ultra modum virtutis & charitatis animam occupantis & Deo devincientis.

Juvat hæc illustrare exemplo & verbis ipsis celeberrimæ inter Deo dicatas virgines, & inter Theologos meritò recensendæ, & principe aliqua etiam sede collocandæ Teresiæ. Sic ergo illa experimentis edocta suis: *Etsi divinæ legi & voluntati tam arctè devincti sint aliqui, ut ab ea vel transverso* Vitæ suæ. 11.
ungue deflectere, vel levissima culpæ labecula sese conspergere, ne sævissimis quidem cruciatibus & morte ipsa adducantur: incidunt tamen illis difficillima aliquando tempora, tantis tentationum persecutionumque procellis exasperata, ut non aliter se à culpæ periculo lapsuque proripiant, quàm contemplatione & rerum omnium inanitatis, & cœlestium præmiorum, & pœnæ sempiternæ. Cernis quàm non sola delectatione justitiæ tunc certetur, sed affectibus longè diversis, & ipsa maximè gehennæ formidine.

Admirandæ huic virgini Deus cœlestes delicias larga manu infundebat; & hoc maximè illam sibi colligabat glutino. At infernas tamen sedes, pœnarumque species horrendas illi aliquando coram ostendi & patere voluit, & tenebricosum illum ipsum locum, in quem sua illam contrusissent peccata, nisi intercessisset cœlestis misericordiæ gratia. Si ambigas quanta hujus ostenti, quanta metus hinc incussi animo, & exinde penitus infixi efficacia fuerit & vis, ad ejus voluntatem validiùs constringendam in legis æternæ obsequia, ipsamet rursus sic demonstrat: *Tanta tunc incessit, tanta* Ibid. c. 32.
insidet etiamnunc animo meo formido, tametsi anni jam sex effluxerint, ut vita me pene ipsa deficiat, calorque aufugiat præcordiis algentibus. Ejus sanè rei recordatio cum subit animum, qui me cumque labores tunc & ærumnæ invadant, nihili videntur esse. Inanes sunt ergo illæ de mortalis hujus vitæ calamitatibus querelæ. Iterum iterumque contestor, inter divinæ gratiæ beneficia istud eminere prorsus & illustrem locum vendicare sibi, quòd ejus in me utilitas redundaret plurima, tum ut metum temporalium calamitatum metus ille extingueret, tum ut animo robur aggeraretur ad eas constanter perferendas.

Genus ipsum ostendisse sufficiet hujus argumentationis. Nemo enim non videt quanta coacervari hujusmodi vel exemplorum moles posset vel testimoniorum.

Ex Climaco & Bernardo pauca decerpam. Et ex Climaco quidem illud observare est, inesse quidem gaudii suavitatem mirificam, lacrimis illis quas compunctio & pœnitentia elicit. Nec nos inficias imus, quin istiusmodi delectatio tristitiæ societate, tristitia delectationis congressu convalescat. Sed longè alia est illa animæ conditio, quam hoc capite prosecuti sumus. Hic enim lacrimæ quoque ipsæ arescunt, sicca & dura sunt omnia cordis penetralia, ne illa quidem lugendi & mœrendi

rendi lætitia finitur irrepere. Audi Climacum, *Ego porro cum compunctionis naturam considero*, Grad. 7. *obstupesco, quomodo luctus & tristitia gaudium & lætitiam tanquam favo mellis inclusam contineant. Quid porro ex hoc discendum? Hujusmodi luctum & lacrymas verum & sincerum esse donum Dei. Non est in anima tunc illa voluptas sine cœlesti consolatione, Deo arcanè afflictos corde & contritos cœlesti gaudio permulcente.*

Propiùs ad nostram mentem Bernardus, qui non tam affectuali, quàm actuali dilectione vult impleri præceptum charitatis, hoc est, non tam affectuum suavitate & delectatione, quàm operum ipsorum quæ mandantur religiosa observatione, cui dux sit & author non tam suavitas, quàm ratio constans & voluntas firmissima justitiæ retinendæ. *Est affectio, quam caro gignit, est quam ratio regit, & est quam condit sapientia.* In Cant. Serm. 50. *Prima est quam Apostolus dicit legi Dei non esse subjectam, nec esse posse. Secunda quam perhibet è regione, consentientem legi Dei, quoniam bona est. Longè vero tertia ab utraque distat, quæ & gustat & sapit, quoniam suavis est Dominus, primam eliminans, secundam remunerans. Nam prima quidem dulcis, sed turpis. Secunda sicca, sed fortis. Ultima pinguis & suavis est. Igitur per secundam opera fiunt, & in ipsa charitas sedet, non illa affectualis, quæ sale sapientiæ condita pinguescens magnam menti importat multitudinem suavitatis Domini, sed quædam potius actualis: quæ etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit, amore tamen amoris ipsius vehementer accendit. Non diligamus, ait, verbo, neque lingua, sed opere & veritate. Nec linguæ mentientis in hac dilectione recipit fictum; nec rursum afficientis exigit sapientiæ gustum. Opere, inquit, diligamus & veritate, quod videlicet moveamur ad bene operandum magis quodam vividæ veritatis impulsu, quàm sapidæ illius charitatis affectu.* Vides quàm accuratè & quàm pensiculatè separet *sapidæ charitatis affectum*, seu delectationem justitiæ, à *vividæ veritatis impulsu*, item *affectuosum amorem* ab ea quam vocat *charitatem actualem* seu actuosam & operosam. Non quo affectu intimo charitatis careat, qui pietatis opera frequentat veritatis æternæ legis austera quadam luce & persuasione, potius quàm delectatione: sed quod cum affectum regat ratio sua luce, *non condiat sapientia* suo melle. Itaque affectio illa quædam est *sicca*, *sed fortis*, longè discreta ab illa *pingui & suavi* delectatione.

Et rursum idem Bernardus alibi, delectatione pleraque fieri bona, non pauca sine delectatione assentitur: illa unctius aliquid, & suavius, & majoris etiam si velis perfectionis insigne præ se ferunt, hæc tamen non mediocri virtutis laude effulgescunt. In Cant. Serm. 85. *Et nunc assiduè sapientia vincit malitiam in mentibus ad quas intraverit, saporem mali quem illa invexit, sapore exterminans meliori. Intrans sapientia dum sensum carnis infatuat, purificat intellectum, cordis palatum sanat & reparat. Sano palato sapit jam bonum, sapit ipsa sapientia, qua in bonis nullum melius. Quàm multa fiunt bona, & non sapiunt facientibus; siquidem non sapore boni ad illa, sed aut ratione, aut qualicumque occasione, seu necessitate impelluntur. Et è contrario multis quæ faciunt, non sapiunt mala, sed ad hæc inducuntur aut metu, aut cupiditate rei cujuspiam potius quàm sapore mali.* En ut bona & mala fiant sæpissimè non sapore & delectatione, sed ratione, vel metu, vel affectu quocumque alio.

Apex perfectionis & virtutum in illa suavitate sapientiæ & delectationis à Bernardo hìc collocatur, sed virtutum quædam mediocritas nulla istiusmodi delectatione efflorescit. *Beata mens quam sibi totam vendicat sapor boni. Hoc reformari ad sapientiam est, hoc sapientiæ victoriam feliciter experiri. Nam in quo evidentiùs sapientia vincere malitiam comprobatur, quàm cum boni quidam intimus sapor, mentis intima occupare tota suavitate sentitur. Itaque ad virtutem spectat tribulationes fortiter sustinere, ad sapientiam gaudere in tribulationibus. Confortare cor, & sustinere Dominum, virtutis est: gustare & videre quoniam suavis est Dominus, sapientiæ est. Et bene post virtutem sapientia, quod virtus sit quoddam quasi stabile fundamentum, super quod sapientia ædificet sibi domum,*

Unum hic video quod negotium facessere possit, Nempe Bernardus in summo culmine perfectionis locat hanc justitiæ & sapientiæ suavitatem: alii has blanditias videntur infantiæ spiritali, lactis instar infudisse, ea lege, ut anima paulatim convalescens & adulta posset durissimas quasque tribulationes constanter fortiterque perpeti nullo hujusmodi lenocinio, sola virtutum constantia. Sentio me & profanos omnes his arceri mysteriis, nec illis omnino me inseram, sed unum illud memorabo, quod me legisse memini in eorum commentariis, quibus hæc erant explorata. Delectationis spiritualis aliquid mellis instar aspergitur ad fovenda conversionis initia. Ubi adolevit virtus, asperis tentatur, tota illa suavitate aufugiente, & nullo authoramento, quàm ipso Dei obsequio, persecutiones & amaritudines intus forisque crebrescentes exantlat. Ab hoc secundo gradu jam explorata virtutum constantia & maturitas promovetur ad tertiam quandam sapientiæ & suavitatis exundantis sedem, quæ non tam primevæ dulcedinis maturitas, quàm cœlestium gaudiorum præmatura & præfestinata quædam anticipatio est. Hæc stata & ordinaria providentiæ ratio dicitur esse, extraordinariè autem quidam in secundo gradu consenescunt, in eoque ipso summum fastigium assequuntur sanctimoniæ numeris omnibus absolutissimæ.

CAPUT XXXVIII.

Exemplo humanarum delectationum quo frequens utitur & Augustinus, ostenditur cœlesti delectatione inclinari, non infallibiliter prædeterminari voluntatem, & ad aliqua, non ad omnia, aliquando, non semper propelli. Quod videlicet ea delectatio affectus magis sit animi constans, in modum habituum operosus, quàm actus.

IN divinæ delectationis vi & efficacia propalanda sæpenumero Augustinus in medium protulit exempla vulgatissima humanarum affectionum seu delectationum. Et nos itaque ex his aliquid lucis expiscabimur, ut liqueat rursum, quomodo *secundum id quod magis delectat, nos operari necesse sit*. Itaque si amicorum, si conjugum, si parentum studia & affectum contemplemur in amicos, in conjuges, in liberos, perspicuum erit ingentem prorsus & incredibilem quandam facultatem victricemque delectationis vim inesse his affectibus, sed ita tamen, ut hæc delectatio seu affectio victrix, habitualis magis, quàm actualis: & rursum, ad universa, seu ad aliqua universim, magis quàm ad singula sejunctim opera efficax & invicta sit.

Hæc duo jam supra moliti sumus exsculpere, hæc eadem hoc quoque extundemus argumento, sive exemplo ab humanis affectibus deprompto. Etenim sive parens, sive conjux, sive amicus ad periculum aliquod ab illis quorum delectatur amore propulsandum accingatur, non ille tum actuali affectu tam conflagrabit, & excitabitur, quàm habituali. In otio enim, & in contubernio quotidiano locus & spatium est illis delectationibus, quas amor effundit: at ubi periculum crepuit, vel operi incumbendum est, tunc mens & voluntas tota cogitationibus, consiliis, affectibusque longè aliis occupatur, plerum-

rumque tumultuosis, turbulentis, amaris, conspirantibus tamen in obsequium illius affectus seu amoris, qui tacitus tunc in animo dominatur. Itaque in ipso vel opere vel discrimine nec cogitatio ferè, nec delectatio rei amatæ ulla mentem tangit; sed totus affectuum viriumque vigor & nisus in opus ipsum contenditur.

Si velis autem illas tunc vires, illosque exertissimos conatus, etsi non à præsenti delectatione, quæ vel tenuissima vel nulla prorsus tunc sentitur, at à præterita delectatione, vel ejus memoria impressisque per eam vestigiis proficisci, nihil abnuo. Quin & ex Augustino aliisque Patribus & rerum spiritalium tractatoribus id constare existimo, inter orationis & contemplationis delicias insinuari eas animæ vires invictas, quibus in negotiorum rerumque deinceps humanarum decursu, justitiæ & pietatis constantiam retentet inexpugnabilem.

Denique palam est etiam in ejusmodi humanorum affectuum exemplo, etsi concitatissimi illi sint, & flagrantissimi, non ita tamen illos constare sibi aut invictos stare, ut nunquam vel semel quidquam peccent. Quin imo etsi utplurimum vigent, vigilantque & fervent, procurruntque in opus, cùm necesse est, non rarò tamen quasi obdormiscunt, vel pigritantur, denique officio & muneri desunt.

Adjiciamus nunc aures animosque Augustino, ut doceat nos illam quoque delectationem justitiæ, quæ gratia est, ita victrices præstare voluntates, ut his tamen nonnumquam obrepat vel somnus, vel torpor aliquis, & cessationis culpa. Quod inde nimirum emergit, quòd illa delectatio affectio sit quædam constans & habitus animi, cui perinde ut aliis affectionibus habitibusque id naturaliter convenit, ut in opus sibi proprium incumbat utplurimum; ferietur tamen & cesset non rarò: *Jejunia quoque & vigilia in quantum valetudinem non perturbant, si orando, legendo, psallendo & in lege Dei meditando sumantur, in delicias spiritales etiam ipsa, quæ videbantur laboriosa, vertuntur. Nullo modo enim sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium, vindemiantium, negotiantium, ludo aliquo sese oblectantium. Interest ergo quid ametur; nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. Et vide quàm pudendum & dolendum sit, si delectet labor, ut fera capiatur, ut cuppa & sacculus impleatur, ut pila jaciatur, & non delectet ut Deus acquiratur.* De bono viduitatis, c. 21.

Qui venandi, piscandi, aucupandi, negotiandi studio & delectatione obligati sunt, *secundùm id quod magis delectat, operentur necesse est.* Atqui non semper, non omni temporis spatio, non nec puncto prætermisso his occupantur, sed crebriùs, sed diu, sed plerumque cùm se dat & invitat occasio. Etsi iidem ipsi aliquando etiam arridente occasione fastidiunt & otiantur, cessantque ab his etiam deliciis suis. Secundò amor & delectatio, quo ceu vinculo in ista trahuntur, non actualis est illa delectatio, sed affectio habitualis, seu pondus animi juge, quo in hæc propendent, magis quàm in alia quævis. Ex quo fit, ut prout est natura habituum, huic ponderi suo sæpiùs obsequantur, non semper, sed cessent etiam aliquando. Quis enim venandi vel perditissimè amans, non aliquando abstinet venatu, etsi invitet tempus?

Ergo etiam cùm ex Augustino jejunia, vigiliæ, & id genus alia pietatis studia in delicias vertuntur, cum amantur jam, cum delectant, cum in eis non laboratur, quia labor relevatur delectatione; non actualis hic delectatio interpretanda est, sed illa habitualis affectio animi, quæ in hæc proclivior est, quæ longo usu & consuetudine hunc habitum confirmavit. Liquidum est autem hac delectatione, sive hoc animi habitu, ita inclinari voluntatem, ut non tamen infallibiliter, non semper determinetur, non ad actus singulos omnino, sed ad aliquos, sed plerumque, ut est natura habituum, his Augustini exemplis abundè declarata.

Docet idem alibi Augustinus rei cujusque delectationem esse tenuissimam, si necdum assuetudine convaluerit. Assuescendo roborari vehementer, sed vel tunc posse tamen vinci per gratiam Christi, si mali delectatio sit: *Delectatio ante consuetudinem vel consensionem, vel nulla est, vel tam tenuis, ut propè nulla sit. Cùm quisque consenserit, major accenditur delectatio, quæ tamen adhuc multò minor est, quàm illa quæ assiduis factis in consuetudinem vertitur. Hanc enim vincere difficillimum est. Et tamen etiam ipsam consuetudinem, si se quisque non deserat, Christo duce atque adjutore superabit.* Hæc ille de delectatione mali, cujus suggestiones indeliberatæ ante consensionem, adeo non infallibiliter prædeterminant voluntatem, ut tenuissimas vires habeant. Consensione roboratur hæc delectatio, & necdum tamen viribus exæquat consuetudinem longo usu infixam. Consuetudo delectationis multò arctiùs vincit voluntatem, nec tamen infallibiliter prædeterminat. De ser. Dom in Monte. l. 1. c. 21.

Eodem spectat quod idem alibi habet: *Si quisquam existat, quem nunquam delectavit venatio, omnino liber est, utrùm venari velit, an nolit: nec eum cruciat, quisquis hoc prohibet. At si ista libertate malè usus, venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim surrepens delectatio mortificat animum, ut si se abstinere velit, absque molestia & sine angore non possit, cùm id antè tota sanitate non ageret.* Naturam & vires delectationis hinc potes expendere. Etsi enim de mali delectatione his duobus locis verba faciat sanctus Pater, quid inde tamen trahi debeat ad cœlestem delectationem, non potest esse obscurum. Omnino enim delectatio vel inspirata vel suggesta, ante consensum minùs potest, quàm ubi consensu voluntatis confirmata est: & tum quoque consensu firmata, minùs valet, quàm longa assiduitate si penitus inoleverit: & denique ne tum quidem infallibilem ad singulos actus inclinationem inprimit. Ergo aberrant immaniter, qui delectationis primo impetu consensum voluntatis statim extorqueri existimant. L. 83. qq. q. 70.

Ideo & cùm plures confligantur inter se delectationes, sive justitiæ, sive peccati, & alternat voluntas, certum est, his nequaquam determinari voluntatem ad consensum, sed suo ipsam nutu sese quo libitum est inflectere. *Ita & in bonis voluntatibus. Nam quæro utrùm bonum sit delectari lectione Apostoli, & utrùm bonum sit delectari psalmo sobrio, & utrùm bonum sit Evangelium disserere? Respondebunt ad singula, Bonum. Quid si ergo pariter delectent omnia, simulque uno tempore? Nonne diversæ voluntates distendunt cor hominis, cum deliberatur quid potissimum arripiamus? Et omnes bonæ sunt, & certant secum, donec eligatur unum, quo feratur tota voluntas una, quæ in plures dividebatur.* Hæ delectationes seu voluntates non tam actus sunt, quàm affectiones, seu pondera quædam animæ constantia, habituum instar in ea defixæ: ita enim possunt plures simul & eodem tempore in ea consistere, & huc eam illucque jactare. Hîc vero hominis est eligere ex his pluribus aliquam, quam sola poterit ratione & veritatis legisque æternæ contemplatione aliis anteponere. Confession. L. 8. c. 10.

Cum verò alibi ait Augustinus, *Prius mutandus est homo, ut opera mutentur. Si enim manet homo in eo quod malus est, bona opera habere non potest. Si manet in eo quod bonus est, mala opera habere non potest.* Non de omnibus similiter, sed de plerisque operibus intelligi debet. Nam & bono viro excidunt aliqua perperam, & malus aliquid boni extundi sibi quandoque sinit. Sed utrumque rarius est. Istud verò boni malique hominis discrimen à delectatione sive ab amore derivandum est. Bonos enim non facit, nisi charitas seu delectatio justitiæ. Malos facit cupiditas, quam oblectat iniquitas. Sic De verbis Dom. serm. 12.

alibi

alibi Dei dilectionem esse ait, *sine qua nemo pie vivit, & cum qua nemo nisi pie vivit*, scitè de vita, non de singulis operibus loquitur. Etsi enim qui Dei dilectione fervet, utique piè vivat, obrepunt tamen illi non pauca identidem subaliena à lege pietatis.

Op.ult.con. Jul.l.1.c.125

Ita & Ambrosius humanis affectibus & perturbationibus animi, quibus sua quemque natura inficit & indoles, docet non posse hominem ita imperitare, ut non aliquando erumpant: posse tamen eos ira comprimere, ut non dominentur, hoc est, ut nonnisi rarò erumpant. *Docibilis virtus est, quæ studio & discendo acquiritur, dissimulando amittitur, &c. Non enim servili ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitra, sive ad virtutem propendemus, sive ad culpam inclinamur. Et ideo nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut voluntas revocat ad errorem secuta. Gravissima verò causa culpæ concupiscentia, quam tamen ratio emollit & comprimit. Emollire enim potest, eradicare non potest: quoniam animus qui est rationis capax, non est suarum passionum dominus, sed repressor. Neque enim fieri potest, ut facilis ad iracundiam non irascatur, sed ut ratione se temperet, indignationem cohibeat.* Harum passionum animi dulces duces & signiferos paulò pòst ait esse delectationem & dolorem: *Passionum autem velut duces sunt naturalis delectatio & dolor, quas sequuntur cætera.*

De Jacob & vita beata l. 1. c. 1.

Ibid. c. 7.

CAPUT XXXIX.

Inconstantia eorum qui delectationem nunc volunt infallibiliter efficacem, in Angelo & homine primo non efficacem, cum hic quàm illic quò uberior, eo efficacior esse debeat. Rursum eorundem in seipsos pugna, cum delectatione justitiæ inspirata, qualis Adamo & Angelis erat concessa, nolunt nunc quidquam boni operis elici posse, & tamen sola delectatione justitiæ statuunt voluntatem infallibiliter ad bonum agi. Ex Augustino & aliis Patribus, justis quandoque mira pax & quies affulget, silentibus & compressis cupiditatibus, ut vel tunc constet boni aliquid peragi posse ab illis, quibus primigenia illa justitiæ delectatio fuerit aspirata.

Finem faciam dicendi de victrici delectatione justitiæ, si unum hoc denique observavero, non satis sibi constare Theologos illos, qui ei nunc victricem & infallibiliter prædeterminantem vim adscribunt, hanc verò illi derogant in primigenia innocentis naturæ statione. Nec minus fœda conflictatione ipsosmet secum rursus collidi, qui contendunt cum illa seu gratia seu delectatione, qua homo innocens poterat & piè vivere, & in virtutum luce ad finem usque perseverare, eadem ipsa si donetur nunc justus, ne levissimo quidem facillimoque defungi posse opere justitiæ. Non potuerunt magis pugnantia placita vel somniando confingi, ut satis diluceat, illa non ex Augustini oraculis hausta, sed ad præjudicatæ opinionis defensionem necessariò protrusa.

Si enim inspiratio delectationis justitiæ nunc tantum valet in anima, cujus palatum alienis saporibus terrenisque oblectamentis per peccatum occupatum corruptumque est, cui sapiunt vehementissimè quæ carnis sunt, cui fastidio sunt quæ sunt spiritus: si in hujusmodi inquam anima tantum valet inspiratio delectationis justitiæ, ut consensum ejus ad quidlibet ineluctabiliter exprimat, & adversariam carnis concupiscentis comprimat delectationem: quantò illam esse oportuit efficaciorem in primo parente ante lapsum, cujus ut summa quædam justitia, ita summa quædam delectatio justitiæ, cujus voluntas nullis depravata sequioribus deliciis, sincerum illud cœlestis voluptatis mel sugebat cupidissimè, cujus denique nulla erat carnalis concupiscentiæ delectatio, spiritali adversabunda delectationi? An æquus rerum quisque æstimator, facilè se persuaderi patietur, majorem nunc, exundantiorem, liquidiorem, potentiorem affluere delectationem in quolibet per gratiam bene operante, quàm tunc in Adamo innocentiam suam adhuc retentante? Cùm enim delectationis hujus suavitas quanta est, sentiatur, & tanta sit, quanta sentitur: nec enim trahit, nisi cum sentitur; ecqui persuadebitur, quemlibet nunc bene operantem uberiore frui delectatione, quàm qua gaudebat Adamus in illa paradisi beatitudine? Refrica memoriam eorum quæ ex Patribus, & ex ipso maximè Augustino hac de re antè nobis dicta sunt, & intelliges tantum distare nostram delectationem justitiæ ab illa, quantum interest inter illam beatitudinem & has ærumnas.

Vel vice versa, si tanta tunc, tam beata, tam liquida & sincera delectatio justitiæ voluntatem, etsi ab omni peccati delectatione vacuam & expeditam, non determinabat invictissimè ad bonum, quanquam validè inclinabat: ergo ne nunc quidem delectatio justitiæ multò tenuior jejuniorque cùm sit, voluntatem vinculis cupiditatum & delectationum terrenarum impeditam, invictissimè ad consensum boni contorquebit.

Et rursum inspiratione justitiæ delectationis & bonæ voluntatis etsi Adamus Angelique non determinarentur infallibiliter ad bonum, poterant tamen hoc adjutorio in justitia perseverare, & quidem diutissimè, atque ad finem usque. Ergo si eadem ipsa æqualisque mensura delectationis justitiæ inspiretur justo cuipiam, poterit adjutorio isto subnixus defungi aliquo opere justitiæ, saltem facillimo quoque, saltem semel & iterum, saltem pluscululum connitendo & desudando. Justus enim restituitur pedetentim quidem in eam sanitatem libertatemque, qua insons gaudebat primus parens. Ergo quo hic auxilio gratiæ poterat facillimè perseverantissimèque omnes implere virtutum numeros, poterit hic aliquam obire earum particulam. Nam possunt & ægri, possunt qui primùm gravi ex ægritudine convalescunt, possunt inquam tenuissima aliqua eorum, quæ sanitati plenæ facillima sunt. Denique gratis & nulla vel umbra probabilitatis jactatur, illam eandem Adami stantis gratiam & tunc omnia potuisse, & nunc fore, ut nihil omnium possit.

Postremò denique non potest non dissonum sibique ipsi conflictabundum commentum Theologis omnino omnibus videri, cum delectatione justitiæ nunc dicunt determinari infallibiliter voluntatem ad consensum, & ad opus quodlibet summoperè arduum, ad ipsam denique perseverantiam; & mox quasi immemores quid paulò antè dixerint, ita ex adverso constituunt, inspirata nunc cuicumque totalla delectatione justitiæ, qua Angeli sancti gaudebant, qua agebant, qua perseverabant in justitia, nihil prorsus momenti in ea, nihil ex ea utilitatis affuturum, nec unquam vel pilum boni operis hinc elicitum iri. Non potest non incurrere in oculos hæc tam aperta dogmatum compugnantia. Inter illam enim delectationem justitiæ quæ semper & infallibiliter efficax est, & istam quæ semper inefficax foret, quid oro te tantum discriminis comminisci possunt? Utrobique delectatio est, & delectatio justitiæ inspirata, & voluntas eadem cui infunditur. Cur ergo tam contumax illic efficacia, hic sterilitas?

An ideo illa efficax delectatio, quia uberior & exundantior? Atqui illa potuit esse, imo omnino illa fuit exundantior qua Angeli sancti perseverarunt, quàm qua nunc sancti bene quidpiam operantur. Quo demum ex capite manare potest efficacia delectationis, quàm ex ejus copia & redundantia? Ergo si illa vel Adami vel Angelorum delecta-

lectatio justitiæ nunc homini communicetur, ut copiosior erit, ita erit & efficacior delectatione illa alia, cui vim prædeterminationis infallibilis affingunt. Aut ista sanè maligniùs fluens non prædeterminat, si ne illa quidem largior & affluentior id habet.

An causabuntur voluntatis ægritudinem per insolitas ex peccato concupiscentias? At suo rursum se gladio ipsi jugulabunt. Nam si rebellans concupiscentia id facit, ut semper & necessariò & infallibiliter inefficax sit illa justitiæ delectatio, qua Adamus & Angeli fruebantur; quomodo non eadem aliquando saltem frustrabit & ludificabitur efficaciam alterius delectationis? Eccur enim cùm tam similes & cognatæ sint illæ delectationes, ut internosci vix, aut nec vix possint: est enim utraque non aliud quàm inspiratio dilectionis & delectationis justitiæ: eccur inquam concupiscentia alterius efficaciam semper, alterius nunquam frustrat? An hoc sibi sumunt isti Theologi, ut arbitratu jussuque suo, delectatio nunc efficax, nunc inefficax sit; concupiscentia huic cedat, illi renitatur: copiosior delectatio nihil efficiat, tenuior totum semper præstet: concupiscentia tenuiori delectationi si jusserint semper obtemperet, largiori semper illudat? Nec enim inficias ire possunt, quin inspiratio illa justitiæ delectationis, qua sancti Angeli perseverarunt, communicari nunc possit justo cuipiam & tunc ex mirabilibus istis placitis, etsi copiosissima, inefficacissima tamen illa semper & infallibiliter erit, succumbetque concupiscentiæ. Cùm ex adverso alia illa delectatio justitiæ, quam ipsi sua ex officina effuderunt, etsi indubitanter malignior jejuniorque, efficacissima semper & infallibiliter futura sit, concupiscentiamque quamlibet exultantem & ferocientem compressura.

Hæc insident penitus illius dogmatis visceribus vulnera. Nostræ autem rationi ac doctrinæ nulla prorsus imminet istiusmodi rixa. Nam inspiratio justitiæ delectationis eadem unaque sibi est, viresque habet & efficaciam pro suæ copiæ & ubertatis modo. Ut enim plus minusve affluit, valet plus minusque ad assensum voluntatis eliciendum, non valet unquam ad infallibiliter & vi prędeterminante extorquendum, nisi alia accesserint præsidia affectuum compluriuṃ, & auxiliorum, intus forisque conspirantium. Quæ conspiratio, multitudo, varietas, assiduitas affectuum & auxiliorum, cùm non adhiberetur Angelis hominibusque in prima illa innocentiæ statione, cùm adhibeatur nunc in reparatione ejusdem, nihil mirum aut insolens est, si efficax nunc sit ista semper gratia tot ex adjutoriis coagmentata, non esset autem infallibiliter efficax illa olim simplex delectatio. Denique delectatio justitiæ inspirata, quæ tunc dabat posse in finem usque viæ perseverare, nunc ægris id quoque dat ut aliquas & faciliores justitiæ partes implere aliquando possint. Quæ vides quàm amica sibi sint & cohærentia.

Illa sanè tergiversationum omnium sentina, carnis concupiscentia, & justitiæ virtutumque longo usu atque exercitio atteritur, & ætatis devexæ senio ac frigore marcescit, & suo denique interdum torpore, nullo foris pungente occasionis stimulo consopitur. Vel tunc ergo saltem efficaciam aliquam vel tenuissimam obtineret illa justitiæ inspirata delectatio, quæ olim totam perfectionem & perseverantiam dabat.

Ambrosius quidem quàm sileant interdum cupiditates in viris virtute præcellentibus, quàm alta pax regnet, quàm adeo tunc naturæ suæ facultatem & vim efficaciamque explicatura sit delectatio justitiæ, sic prosequitur: *Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem & stabilitatem. Ideo Dominus donum ejus perfectioribus reservavit, dicens, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Perfectorum est enim non facilè mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore* (De Iacob & beata vita l. 2. c. 6.) *concuti, non dolore vexari, sed quasi in littore tutissimo adversus insurgentes fluctus sæcularium procellarum mentem immobilem fida statione placidare. Hoc firmamentum Christianis mentibus Christus invexit, pacem internam invehens animis probatorum; ut non turbetur cor nostrum, neque exagitetur animus.* Et ibidem alibi: *Sapiens quando minuit, addit, Deficiunt enim sæculares opiniones, quæ mulieribus infirmis comparantur. Unde pulcre quo ostenderetur Sara ad profectum venisse, ut generaret risum & lætitiam, Defecerunt, inquit, Saræ fieri muliebria. Bona ergo defectio cupiditatum, defectio vanitatis, quia veritatis adjectio est. Paritura enim erat, quæ conceperat, ut promiserat Deus, paritura lætitiam, & sobriam illam jucunditatis ebrietatem, paritura fætum sapientiæ.* (De fuga sæculi, c. 8.) Enimverò quid Augustino, quid Theologis magis jactatum, quam charitate augescente minui cupiditates, augescere autem charitatem, dum in hac mortali vita stipendia facimus, adeoque in dies singulos exarescere concupiscentiam? Ergo in viris saltem charitate & sanctimonia quanta hìc obtingere potest eximia & maxima, concupiscentia refrixit magnoperè & elanguit. An ergo nec in istis illa delectationis inspiratio vel tantillum habebit efficaciæ, quæ ipsius perseverantiæ efficax fuit in sanctis Angelis? Idem Ambrosius alibi: *Supra diximus, quia charitas excludit timorem, hic dicimus quia excludit omnem perturbationem. Etenim qui Deum diligit, profunda est ei confirmatæ mentis tranquillitas.* (In Psal. 118. Octon. 11.) Et mox: *Summus sapientiæ finis est, ut simus mente tranquilla.*

Gregorius eidem tranquillitati mentis, pacique & otio perturbationum suffragatur his verbis: *Ut qui adhuc impugnantium vitiorum certamina per consensum delectationis tolerant, aliorum curam suscipere non præsumant. Cùm verò tentationum bella subegerint, quo apud se jam de intima tranquillitate securi sunt, animarum custodiam sortiantur.* (Moral. l. 31. c. 6.)

Ex Augustino unum idque luculentissimum attexo suffragium de pace ista & silentio cupiditatum in anima justi provectioris in hoc justitiæ stadio. *Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. In pace perfectio est, ubi nihil repugnat, & ideo filii Dei pacifici, quoniam in his nihil resistit Deo; & utique filii similitudinem patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes & subjicientes rationi, id est, menti & spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia. Atque id ipsum quod excellit in homine, id est, mens & ratio subjiciatur potiori, quod est ipsa veritas, unigenitus Filius Dei. Hæc est pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita consummati perfectique sapientis. De hujusmodi regno pacatissimo & ordinatissimo missus est foras princeps hujus sæculi, qui perversis inordinatisque dominatur.* (De ser. Domini in Monte l. 1. c. 8.) Et infrà, enumeratis gradibus variis perfectionis, ait, *Postremo est septima ipsa patientia, id est, contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & suscipiens similitudinem Dei.* Et mox: *Sapientia congruit pacificis, in quibus jam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum & ipse obtemperet Deo.* (Ibid. c. 4.) Quod non eò dicitur, quasi vel Apostoli ipsi eò pertigerint, ut nullo unquam concupiscentiæ aculeo stimularentur; sed *ea mensura scilicet perfectionis humanæ, quanta in hac vita potest esse perfectio.* (Retract. l. 1. c. 19.) Pro modo ergo charitatis pax quoque ista & tranquillitas animi augescit, tantòque evadit efficacior delectatio justitiæ inspirata.

CAPUT XL.

Descenditur ad tentationes, lapsus, difficultatem perseverandi, incertum perseverantiæ & salutis. Et primò ex Gregorio ostenditur, tentationes saluberrimè & immitti & ad refringendam superbiam & temperari, ne ultra virium patientiam & modum sæviant. Ita ergo efficacissima est gratia, ut ejus efficaciæ portio aliqua dispensationi vendicetur illi, quæ tentationes & immittit & temperat, ne vel ex securitate superbia & torpor, vel ex nimia difficultate desperatio & casus oriatur.

SUperioribus decem capitibus disputatum à nobis est de victrice delectatione justitiæ, ubi virium ejus magnitudo, radix & origo disceptata est tam prolixè, ut verendum nobis sit ne tædio fuerit tam effusa delectationis prosecutio. Jam ergo ut efficacia gratiæ penitiùs pateat, ad ea stylum vertamus, quæ partim objectis, partim affectibus animi constant. Ejusmodi sunt tentationes, lapsus, errata, virtutum imbecillitas, vitiorum ægritudines, curationis spiritalis labores & moræ, suæ cuique salutis & æternæ fortis ignoratio, de præsenti ipso conscientiæ statu, & multò magis de perseverantia in justitiæ stadio dubitatio. Hæc & hujusmodi alia partim obversantur voluntati, & ita recenseri inter objecta possunt, partim affectus animi significant. Omnino autem non parrum habent efficaciæ ad exprimendum vel affigendum penitus justitiæ, consensum nostræ voluntatis. Tametsi enim aliqua eorum in modum objecti videantur obversari voluntati, non ipsam movere; intima sunt tamen & in penitissimo animæ recessu geruntur hæc omnia, ut non possit non ex his vehementer affici.

Et primò quidem quod ad tentationes attinet, eæ sanè ex sanctis Patribus immittuntur à Deo ad refringendam superbiam hominis, eædemque rursum temperantur, ne electorum vires & constantiam superent. At verò si superbia superetur, si ingeratur humilitas unius ope vel motionis vel delectationis victricis, prædeterminantis, omnipotentis, ecquid necesse est ministras & adjutrices accersi tentationes? Nam his etiam silentibus, illa motio gratiæ vel delectatio invictam efficaciam suam explicabit: ista si cessaverit, illæ incassum frement. At si efficacia gratiæ colligitur ex conspiratione plurium simul & diu auxiliorum, inspiratæ humilitatis gratiæ facilè consentiet voluntas diutinis ante vexata tentationibus, & ita suam experta infirmitatem, de suis pudefacta lapsibus, suæ pertæsa turpitudinis. Ante ista autem experimenta, ægrè in sui contemptum tædiumq; consensisset.

Rerum istiusmodi consultissimus ita primùm Gregorius docet superbiam obrepentem extrudi atque ablegari incursu tentationum culparumque interim nonnullarum. Etenim gratiæ humilitatem aspiranti terga vertebat voluntas, dum nihil imminebat periculi, nihil dispendii: at culpæ, propriæque ægritudinis experientia penè cogit suadenti & inspiranti humilitatem gratiæ subscribere. Hoc ille exemplo Jobi luculentè illustrat: *Extende paulum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* (Moral. l. 2. c. 25.) *Plerumque enim dum fœcunde virtutum fructus reddimus, dum continua prosperitate pollemus, aliquantulum mens erigitur, ut à semetipsa existere bona, quæ habet, arbitretur. Quæ nimirum bona antiquus hostis malitiosè attrectare appetit, sed hæc tentari Deus nonnisi benignè permittit: ut dum mens tentatione pulsata, in bonis de quibus gaudebat, concutitur, imbecillitatis suæ debilitate cognita, in spe divini adjutorii robustius solidetur.* Non deest justis interior gratia, qua imbecillitatem suam sentiant & palpent, spemque sibi nisi in divino adjutorio nullam superesse confiteantur. Sed huic gratiæ non satis obaudit vel morigeratur anima, dum omnia arrident, dumque cœlestium donorum ubertas secura & tranquilla affluit. Facilè tunc resolvitur in amorem sui, & virium virtutumque suarum fiducia gestit. At ubi illa omnia tentatio concutit, & in discrimen adducit, tum verò attentior sibi voluntas & sollicitior, excussoque tumore, gratiæ totum se debere fatetur, quia experitur. Ergo Deo consulente *diabolus in tantum sævire permittitur, in quantum necesse est, ut tentationibus erudita corda hominum solidentur; ne ea quæ agunt bona suis viribus tribuant, ne in securitatis torpore se deserant, & à fortitudinis accinctione dissolvant: sed ad profectus sui custodiam tantò solertius invigilent, quantò se contra adversarium stare semper in acie tentationum vident.* Illa igitur gratia humilitatis inspiratrix ita efficax est, ut tamen frustretur & irrita cadat, nisi tentatio foris crepans, erudiat, solidet, à securitatis torpore excitet voluntatem, faciatque vigilare, & arctiùs complecti tam necessariam gratiæ opem. *Fortitudo non tollitur, sed perturbata fatigatur, quatenus concussa mens, dum se hanc jam jamque quasi amittere trepidat, semper facta humilis, nunquam perdat.* (Ibid. c. 17.) Excitatur his periculis voluntas, ut liberatrici gratiæ humiliùs serviat.

Rursus idem præclarè medicinale Dei consilium in tentationibus immittendis vel permittendis colligit ex his Dei verbis ad diabolum de Jobi tentatione: *Ecce in manu tua est, tantum animam illius serva.* (Ibid. l. 3. Cap. 16.) *Sic quippe ille nos deserit, ut custodiat; sic custodit, ut tamen permisso nostræ tentationis articulo statum nobis nostræ infirmitatis ostendat. Qui mox à facie Domini exiit, atque à planta pedis usque ad verticem feriendo vulneravit. Quia nimirum cum licentiam percipit, à minimis incipiens, atque usque ad majora perveniens, quasi omne corpus mentis illatis tentationibus lacerando transfigit. Sed tamen ad animam feriendo non pervenit, quia cunctis cogitationibus interior, inter ipsa vulnera delectationum quæ suscipit, arcani propositi intentio resistit. Ut quamvis delectatio mentem mordeat, deliberationem tamen sanctæ rectitudinis usque ad consensus mollitiem non inflectat. Debemus tamen per asperitatem pœnitentiæ ipsa delectationum vulnera tergere, & censura districtionis rigida, si quid fluxum emanat, in cogitatione mundare. Unde bene mox subditur, quia, Testa saniem radebat. Quid enim per testam, nisi vigor districtionis accipitur?* Hic jam verò ex tentatione non augetur modò & solidatur humilitas, sed & rectitudo mentis & asperitas pœnitentiæ incrementa sumit. Quò magis enim propositum animi ac rectitudo lacessitur & quassatur, sive interiore, sive exteriore tentationum veluti tempestate quadam, eò altiores agit radices, & adversus pericula convalescit, diligentia tunc & industria nostra multò sollicitiùs excubante. (Moral. l. 24. c. 7.) Ita & pœnitentiæ tunc augescit vigor; ut delectationum maculæ, si quæ inhæserant vel invitis & renitentibus, abstergantur. Nec ad ista defuisset gratiæ interioris auxilium citra tentationem, sed securitatis comes torpor & supinitas infecisset voluntatem suo quodam veterno, & à consensu retardasset, quam ex adverso impellit tentatio ad gratiæ consentiendum.

Itaque cùm fervidiori ad pietatis augmenta voluntati insidietur è latere superbia, cum contra minùs flagranti parcat quidem superbia, sed torpor ac desidia immineat; utramque pestem tentatio abigit, & hæc quidem non extrinsecus tantum irruens, sed in ipsis quoque ebulliens animæ penetralibus. *Superna dispensatio idcirco nos tota sibi intentione servientes, carnis nostræ permittit impugnationibus concuti, ne mens nostra in superbiam audeat præsumptione suæ securitatis elevari; ut dum pulsata trepidabat, in solo authoris adjutorio spei pedem robustius figat. Unde & adhuc rectè subjungitur, Et propter superbiam quasi leænam capies me.* Et alibi: *Tentationum stimuli quasi hostes alii* con-

contra faciem veniunt, qui & cum nostro labore superentur. Conversio videlicet securitatem parit, mater autem negligentiæ solet esse securitas. Ne ergo securitas negligentiam generet, scriptum est, Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & prepara animam tuam ad tentationem. Quid causæ demum est, quamobrem gratiarum copia tranquillitasque virtutum generet superbiam, ut plurimum? An gratia & virtus superbiæ mater est? Quis tam excors, ut hoc vel suspicari possit? An copia gratiarum & virtutum id habet, ut abigat ejiciatque gratiam conciliatricem humilitatis? Quis rursum tanta insania furat, ut hoc vel cogitare audeat, nedum sermone proferre? Quin imò in confesso est, justitiæ & virtutum comitem esse humilitatem; quantoque aliarum gratiarum & virtutum proventu quis augetur, tanto uberiore quoque humilitatis gratia donari? Ergo id ex eo fit, quòd pax, otium, tranquillitas, opulentia etiam spiritalis minus minusque dubiam & sollicitam habeat animam; quæ tunc adeo male secura & incautiùs agens, gratiæ divinæ languidiùs obsecundat, negligentiùs collaborat, atque ita fenestram aperit cæteris quoque vitiis, sed superbiæ ante alia, ut quæ propiùs abscesserit, radicesque altiùs infixas habeat, quàm ut omnes ejus fibræ excidi elidique penitus valeant, dum mortalis hæc carpitur vita. Quid est rursus quod conversio parit securitatem, & securitas negligentiam? An gratia conversionis adveniens, expellit gratiam diligentiæ & cautelæ? Quis tam immaniter desipiat? Ergo id ex eo fit, quod timore & periculis absoluta per conversionem voluntas, facilè resolvitur, pigritatur, & gratiæ excitanti diligentiamque exacuenti oscitantiùs paret. Quocirca conducit totam rursus tentatione quati & periclitari gratiam conversionis & virtutum, ut eo periculo & metu expergefiat voluntas, veternum excutiat, arrigat se, & vigilantiùs gratiæ obsequatur.

Sed illud jam perpendamus, quod suos non patitur Deus tentari supra id quod possunt, authore & sponsore Paulo. Si invictos enim facit invicta & victrix gratia sola, intus aspirans & delectans, nihil periculi est, ne supra vires tententur, cum hæ sint vires non propriæ ipsorum, sed gratiæ, nec eæ qualescumque, sed invictæ semper victricesque, utpote semper consensum voluntatis in bonum omnipotenter efficientes, consensum mali omnipotenter prævertentes. Hac enim prædeterminante motione seu delectatione munitus, quantumcumque demum tentationis procellam superabit indubiè; hac rursum nudatus, vel tantillæ tentationi cedet. Itaque nostræ salutis nihil admodum interest, ut tentatio temperetur vel ingravescat, sed utcumque illa furat vel remittat, una opus est motione vel delectatione victrici & prædeterminante. Ita funditus corruit Pauli doctrina, in hac tentationum moderatione & contemperatione summam nostræ perseverantiæ collocatam esse prædicantis. Pauli ergo sententia ista est, summotis calliditatibus & commentis, tentationem, nisi moderetur Deus, posse eo usque invalescere, ut solvat illam conglutinationem, qua anima adhæret & consentit gratiæ. Gratia enim tum inhabitans, tum excitans invicta est & invictos facit, si modò illi conglutinemur, nec resiliamus. Ut autem gratiæ sponte conglutinemur & assentiamur, efficit Deus tum gratiæ ipsius suavitate intus, tum foris per visa ad id congrua, per minas, blanditias, per prospera, adversa, per pericula tentationum, per horum propulsationem, ut opportunum esse omnipotens Dei sapientia & misericordia prospicit. His ita constitutis non obscurum jam est, exurgere posse tentationem aliquam tam importunam & vehementem, ut adhæsionem illam animæ ad gratiam abrumpat. Ex antedictis enim liquet tentatione medioeri & temperata constringi magis animam cum gratia divina. Immoderata ergo ut minimè congruens abrumpet illum nodum. Denique cum ad consensionem animæ cum gratia conducant & collaborent multa, nempe & inhabitans & excitans gratia, & conatus ipse voluntatis, & exterior custodia, horum omnium vis dimensa est ad modum quendam suum, nec in infinitum procedit, & vis potissima est in contemperatione eorum omnium. Ergo cum tentatio possit illam contemperationem evertere, si ultra patientiam virium roboretur, illam necesse est medicinali dispensatione gratiæ temperari, ut moderata prosit, quæ immoderata officeret vehementer consensioni animæ cum gratia.

Audiamus nunc Gregorium: *Bene subjungitur,* Moral. l. 2. c. 25.
Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam. Ac si apertè dicat, Electi uniuscujusque bona sic tibi tentanda exterius tribuo, ut tamen ipse noveris quia perseverantem mihi illum in mentis radice conservo. Ubi & bene subditur, Egressusque est Satan à facie Domini, quia per hoc quod usque ad defectum cordis prævalere nequaquam permittitur, exclusus ab intimis exteriùs vagatur, &c. In tantum quippe sævire permittitur, in quantum necesse est, ut tentationibus solidentur. Ita ergo suis perseverantiam intus donat Deus, dum tentantur, quia finem modumque ponit tentationi, ut tantum sæviat, quantum congruit & conducit tali animæ arctiùs cum gratia & cum Deo per humilitatem colligandæ. Et idem rursum: *Dixit ergo Dominus ad Satan, Ecce in* L. 3. c. 3.
manu tua est, verumtamen animam illius serva. Ecce iterum percussionem vulneris comitatur custodia protectionis: & electum suum divina dispensatio custodiendo deserit, deserẽdo custodit; alia illius prodit alia protegit. Si enim totum Job desereret in manu tanti adversarii, homo quid esset? In ipsa ergo justitia permissionis miscetur quædam libra pietatis, quatenus in uno eodemque certamine & servus humilis ex oppressione proficiat, & hostis superbiens ex permissione succumbat. Manui itaque adversarii sanctus vir traditur, sed tamen in intimis adjutoris sui manu retinetur. De illis quippe ovibus fuit, de quibus in Evangelio ipsa veritas dicit, Non rapiet eas quisquam de manu mea. Et tamen expetenti hosti dicitur, Ecce in manu tua est. Idem ergo in manu Dei, idem in manu est diaboli. Nam dicens, In manu tua est, cum protinus adjungit, Verumtamen animam illius serva, patenter pius adjutor innotuit, quia tenuit quem concessit, & dando non dedit, quia adversarii sui jaculis objiciens abscondit. Utique eo invictam Dei gratiam, custodiam, protectionem prædicat sanctus Pater, quod tentatio refrænetur, nec effundi sinatur ultra eum modum, qui viribus congruit & gratiæ & voluntatis confirmandis, non evertendis. Et rursum: L. 9. c. 16.
Bene per Paulum dicitur, Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Nisi enim misericors Deus cum viribus tentamenta modificet, nullus profecto est, qui malignorum spirituum insidias non corruens portet. Quia si mensuram judex tentationibus non præbet, eo ipso protinus stantem L. 24. c. 7.
dejicit, quo ultra vires onera imponit. Et alibi: *Deus facit cum tentatione proventum, citiùs nobis consolationis ope succurrit, & surgentes tentationum stimulos mitigat, impugnantesque se cogitatio-* L. 29. c. 12.
num motus interna pace tranquillat. Et rursum: *Alta & incomprehensibilis Spiritus sancti gratia, cum luce sua mentes nostras irradiat, etiam tentationes adversarii dispensando modificat; ut simul multæ non veniant; aut ipsæ tantummodo quæ ferri possunt, illustratam jam à Deo animam tangant; ut cum tactus sui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurant.*

Quin & illud gratiæ Dei imputat Gregorius, quod adversarii, quem vincimus, forma ipsa, vel infirmitas potiùs absconditur. Vel aspectu enim ipso nos perterrefaceret, eoque stupore abduceret forsan ab ea alacritate, qua victrici Christi gratiæ ob-

obsecundamus. Unde ille de die judicii agens,
L.33.c.19. ait, *O quale erit illud spectaculum, quando hæc immanissima bestia electorum oculis ostendetur, quæ hoc belli tempore nimis illos terrere potuerat, si videretur! Sed occulto ac miro Dei consilio agitur, ut & nunc per ejus gratiam à pugnantibus non visa vincatur, & tunc à lætis victoribus jam captiva videatur. Tunc autem justi divino adjutorio quantùm debitores sunt, pleniùs recognoscent, quando tam fortem bestiam viderint, quam nunc infirmi vicerunt, & in hostis sui immanitate conspicient, quantum debeant gratiæ defensoris sui.*

Illas tentationes reprimit & moderatur Deus, quæ ab innata concupiscentia existunt. Porro si una gratiæ vel motio vel victrix delectatio justitię indifferentiam libertatis omnipotenter ligat & agit, ecquid à tentationis quantacumque importunitate timebimus? Tutos & invictos una illa gra-
L.18.c.9. tiæ motio præstabit. *Corruptionis malum quod unusquisque nostrum ab ortu desideriorum carnalium sumpsit, in provectu ætatis exercet; & nisi hoc citiùs divinæ fortitudinis manus reprimat, omne conditæ naturæ bonum repente culpa in profundum vorat. Nemo igitur sibi cogitationum suarum victoriam tribuat, cùm veritas dicat, Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulva procedens? Quia nisi ab ipso cogitationis primordio cordis fluctus gratia divina retineret, tentationum procellis mare sæviens, terram proculdubio humanæ mentis obruisset. Solus ergo Dominus ostiis mare conclusit, qui pravis motibus cordis claustra inspiratæ formidinis objicit.* Et ibidem: *Terminis suis Dominus hoc mare circumdat, quia cor nostrum tentationibus tumidum, occultis donorum distributionibus mitigat; modò agens ne prava suggestio ad delectationem veniat, modò ne prava delectatio usque ad consensum prorumpat. Tentationi tunc valenter resistitur, cùm ei delectatione Dei atque inspiratis virtutibus obviatur.* Vides ut refringantur tentationes, etiam intestinæ & quasi vernaculę, ebullientes ex insita concupiscentia, nempe *formidine inspirata, inspiratis virtutibus*, denique *delectatione Dei*.

L.33.c.16. Et rursum quàm conducibile sit tentationes nunc sævire, nunc silere, vel remitti: *Flagello tentationis afficimur: qui fortasse de virtutibus nostris inflari potuimus, cognitæ infirmitatis nostræ tædio extenuamur. Cum enim sicut cupimus, ad Deum proficimus, si profectum nostrum tentatio nulla pulsaret, alicujus nos fortitudinis esse crederemus. Sed quia nobiscum superna dispensatione agitur, ut infirmitatis nostræ, quam proficientes obliviscimur, tentati recolamus: & in profectu nostro, quid de divino munere, & in tentationibus cognoscamus, quid de propriis viribus sumus. Quæ nos profectò tentatio ad plenum raperet, nisi protectio superna servaret. Sed pulsat, nec frangit: impellit, nec movet: quatit, nec dejicit: ut de nostra infirmitate sentiamus esse, quod quatimur, & de divino munere esse quod stamus.* Et paulò infrà: *Aliquando post profectum virium non solum tentant vitia, sed etiam flagella castigant. Cùm autem tentamur vitiis, pia dispensatione nobiscum agitur, ne his virtutibus, quibus proficimus, extollamur. Cùm verò flagellis atterimur, malis increpantibus admonemur, ne mundo blandiente seducamur. Vitia dum nos tentant, proficientes in nos virtutes humiliant: flagella dum tentant, surgentes in corde hujus mundi voluptates eradicant. Per tentantia vitia discimus, quid de nobis simus: per ferientia flagella cognoscimus, quid de hoc mundo fugiamus. Per illa restringimur, ne intrinsecus extollamur: per ista comprimimur, ne quid extrinsecus appetamus.*

CAPUT XLI.

Ex eodem Gregorio ostenditur virtutibus ipsis quæ donantur à Deo, modum & metas statui, ne sui copia humilitatem obruant & extinguant. Non omnes ergo omnibus etiam sanctissimis viris vel virtutes, vel virtutum numeri & gradus conceduntur, ut ex egestate in tædium sui adducantur, & inspiratæ humilitatis gratiæ ita consentiant, aliàs dissensuri. Et hujus ergo efficacia gratiæ ab hac dispensatione religata pendet.

Superiori argumento istud quoque conjunctum est, quo virtutibus ipsis modum finemque statui expediat, ad conciliandam humilitatem, ad superbiam elidendam, quæ de virtutum ipsarum circumfluentibus ornamentis insolesceret. Age verò, augescentes virtutes an gratiam illam humilitatis largitricem fugant, ut ea aufugiente, in superbiam defluamus? Quis non potiùs intelligit, quantò major est virtutum cumulus, tantò uberiorem adesse gratiam Dei, quæ tum virtutes cæteras, tum ipsam virtutibus penè principantem humilitatem & donet & custodiat? Cùm ergo vel tunc gratia illa humilitatis conciliatricula adsit juvetque vehementiùs, quid causæ est quòd tunc magis periclitemur de humilitatis dispendio: nisi quia ipsa virtutum ornamenta & lumina securitatem quandam & fiduciam addunt voluntati nostrę, ex qua fit ut minùs vigilet, minùs timeat, minùs caveat: gratiæ divinæ nequaquam se subtrahenti minùs adhæreat, lentiùs consentiat, supiniùs obsequatur; & tandem cadat in foveam superbię, ut cæteris propiorem? Itaque divinæ pietatis dispensatione provisum est, ut ipsis virtutum incrementis modus poneretur, ut ex aliqua semper penuria & visitiotate laborans mens nostra, hinc suffundatur & humilietur, hoc est, excitetur; & gratiæ intus humilitatem inspiranti lubentiùs obsecundet. At verò si efficaciam gratiæ invictissimam unica vel motio, vel victrix & prædeterminans delectatio præstat, illa si adsit, utique humilitatem inseret, etsi nulla non affluant virtutum lumina: si absit, ex virtutum mediocritate & ex vendicata ista divinæ pietatis dispensatione fructus omnino nullus capietur.

Gregorius Magnus locis penè innumeris versavit hoc argumentum: *Qui cœpit, ipse me conterat. Plerumque enim vitiorum contritionem in nobis agere Dominus inchoat; sed cum mens in ipso exordio profectus extollitur, cumque se jam quasi de virtutibus erigit, sævienti contra se adversario aditum pandit, qui cordis intima penetrans, omne quod in ea de studio bonæ inchoationis invenerit, confringit, tantòque se vehementius in ejus contrafactione exhibet, quantò & graviùs qui ad modicum ferat projectus dolet. Unde & teste in Evangelio voce veritatis, ad neglectam domum conscientiæ spiritus immundus, qui solus exiit, cum spiritibus septem redit. Ne ergo post divinæ correptionis exordia antiquus hostis surripiat, atq; ad virtutum contrafractionem trahat, sanctus vir congruè exorat, dicens, Qui cœpit, ipse me conterat. Cum securos nos ac de virtutum affluentia elatos repentinus vel flagelli dolor vel infirmitatis tentatio perculit, protinus ab statu sui vertice mentis nostræ elatio succisa cadit, ut de semetipsa nihil audeat, sed infirmitatis suæ ictu prostrata manum levantis quærat. Hinc est quod sancti viri plus prospera ipsa pertimescunt, tentari appetunt, flagellari concupiscunt. Quatenus incautam mentem metus & dolor erudiat, ne sua eum deteriùs securitas sternat.* Moral. l.7. c.7. A viris sanctis ob virtutum abundantiam nusquam ait Gregorius gratiam humilitatis efficacissimam avolare, vel tantillum secedere, aut infirmari ut minùs juvet, vel non juvet omnino ad arcendam superbiam. Nihil istiusmodi vel Gregorius, vel Scripturæ, vel sanctorum virorum pietas & conscientia suspicari patitur.

Sed una ubique hujus rei causa est, quia *fiducia longæ prosperitatis inflamur, & in quendam statum elationis erigimur*: Item quia *securis & de virtutum affluentia elatis hostis surrepit, mentem sua securitas sternit*. Ex adverso autem *incautam mentem metus & dolor erudit, flagelli dolor vel infirmitatis tentatio percutit, ut de semetipsa nihil audeat, sed infirmitatis suæ ictu prostrata, manum levantis quærat*. In affluentia ergo virtutum lentiùs consentit, pigriùsque obsequitur divinæ gratiæ nostra voluntas, & ejus efficaciam aliqua saltem frustrat ex parte; unde conducit magnoperè, ut tentatione vel lapsu aliquo ad suæ infirmitatis conscientiam experiendo revocetur. Et ideo infrà Gregorius: *Plerumque virtus habita deteriùs,*
Ibid. c. 9. *quàm si deesset, interficit. Quia dum ad sui confidentiam mentem erigit, hanc elationis gladio transfigit; cumque eam quasi roborando vivificat, elevando necat: ad interitum videlicet pertrahit, quam per spem propriam ab internæ fortitudinis fiducia evellit*.

Et idem alibi: *Deus postquam diluculo visitat, subito hominem probat: quia & accedendo corda nostra ad virtutes provehit, & recedendo concuti tenta-*
L. 8. c. 17. *tione permittit. Si enim post virtutum munera nulla tentatione concutitur, has se habere animus ex semetipso gloriatur. Ut ergo & firmitatis dona habeat, & infirmitatem suam humiliter agnoscat, per accessum gratiæ ad alta sustollitur, & per recessum, quid ex semetipso sit, probatur*. Cùm Deus accedendo ad virtutes provehit corda nostra, provehit etiam ad humilitatem: inter firmitatis dona, donatur & humilitas: cùm ad alta sustollitur mens, sustollitur & ad humilitatem à divina gratia. Sed huic gratiæ quoad alias virtutes diligentiùs & accuratiùs consentit anima, quoad humilitatis sensum & virtutem ægriùs & illubentiùs: tum quia altiùs impressum est superbiæ vulnus per peccatum, altiùsque descendit in animæ penetralia; tum quia faciliùs avocatur animus à cæterarum rerum, quam à sui ipsius delectatione & amore. Quanto nimirum sibi propior chariorque est, quanto à Deo ante in seipsum, quàm in alia peccando lapsus est. Quanquam ergo gratia æqualiter juvat intus, non tamen illi æqualiter consentit & conspirat voluntas; sed suadenti inspirantique humilitatem tum facilè consentit gratiæ divinæ, cum egestatis suæ & lapsuum experimento sibi ipsa ostenditur, suique pudescere cogitur.

Et idem alibi, *Quis de virtutis suæ conscientia non quantulumcumque superbiat*? Unde subdit, ex re nostra esse, *ut bona quæ agimus, sciendo nesciamus*.
L. 6. c. 13. Sed quia non facilè latent animam micantissimæ illæ virtutum faces, ideo ut consultum sit humilitati, expeditissimum est, ut earum splendor obtun-
L. 12. c. 13. datur, obscureturque caligine aliqua, suique etiam decremento. *Constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt. Nonnunquam in virtutibus proficere conamur, & quædam dona percipimus, à quibusdam verò repulsi jacemus. Nemo enim est, qui tantum virtutis apprehendat, quantum desiderat, quia omnipotens Deus interiora discernens, ipsis spiritalibus profectibus modum ponit. Ut ex hoc homo, quod apprehendere conatur, & non valet, in illis se non elevet, quæ valet. Unde ille quoque egregius prædicator, qui raptus ad tertium cœlum fuerat, paradisi arcana penetraverat, esse post revelationem tranquillus, atq; intentatus non valebat. Sed quia omnipotens Deus terminos constituit homini, qui præteriri non poterunt, & elevavit hunc ad cognoscenda sublimia, & reduxit iterum ad infirma toleranda: ut modi sui mensuram aspiciens, dum securitatem comprehendere conaretur & non posset, ne per elationem extra se iret, per humilitatem cogeretur intra suos semper terminos redire*. Quis vel Paulo ipsi post tanta contemplationis, tanta sanctitatis fastigia, suspicetur non tantam affuisse intus gratiam, quanta opus erat ad humilitatis custodiam? Aderat enimverò, sed ut ab illa Paulus non avocaretur, nimia sui admiratione & fiducia, opus erat hoc illum tentationum stimulo excitari, ut sibi displiceret, sui pertædesceret, & ita congrueret & consentiret inspiratæ humilitati.

Aliis id ipsum exemplis illuminat sanctus Doctor: *Et aquas appendit in mensura. Quia sancti ipsi qui sancto sublevante Spiritu ad summa rapiuntur, quan-* L. 19. c. 5.
diu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt; sed ne extollantur superbia, fit ipsarum in eis quædam mensura virtutum. Hinc est enim quod Elias dum tot virtutibus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dum Jesabel postmodum quamvis Reginam, tamen mulierculam fugit, &c. Unde sic potens Elias, ut tot illas virtutes faciat? Unde sic infirmus, ut fœminam pertimescat? Nisi quià aquæ appenduntur in mensura, ut ipsi sancti homines Dei, & multum valeant per potentiam Dei, & rursum quadam mensura moderati sint per infirmitatem suam. In illis virtutibus Elias quid de Deo acceperat, in istis infirmitatibus quid de se esse poterat, agnoscebat. Illa potentia, virtus fuit: ista infirmitas, custos virtutis. Illis in virtutibus ostendebat quod acceperat; in istis infirmitatibus hoc quod acceperat, custodiebat. Proclive enim est, ut placeat sibi homo in sapientiæ & virtutum luce ingenti constitutus, quod jam superbire est. Proclive rursus est, ut displiceat sibi vehementer, dum flagellatur, tentatur, conturbatur, collabitur, peccat, aut peccare periclitatur. Ad difflandam ergo illam superbiæ procellam, consultissimum est, ut homini aggererentur ea quibus sibi displiceat, tunc enim pronior erit ad subscribendum inspirationi intimæ humilitatis.

Recurrit ibidem Gregorius ad Paulum, qui & ipse *fugiens recessit, ut evaderet manus Aretæ Regis. O Paule in cœlo jam Jesum conspicis, & in terra ad-* Ibidem.
huc hominem fugis! In paradisum duceris, secreta Dei cognoscis, & adhuc à Satanæ angelo tentaris! Unde sic fortis ut ad cœlestia rapiaris, unde sic infirmus, ut in terra hominem fugias, & adhuc à Satanæ angelo adversa toleres? Nisi quia ipse qui te sublevat, rursum subtilissima te mensura moderatur, ut & in miraculis tuis nobis prædices virtutem Dei, & rursum in timore tuo reminisci nos facias virtutis nostræ, &c. Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Aperta ergo Dei voce ostenditur, quia custos est virtutis infirmitas. Tunc quippe bene interius custodimur, cum per dispensationem Dei tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitiis, aliquando pressuris: Nam eis quoque quos viros novimus fuisse virtutum, tentationes atque certamina non defuere vitiorum. Nec Eliam, nec Paulum interior gratia Christi efficax deseruerat; sed ut ea parte magis illos juvaret, qua imbecillior est omnis homo, quantacumque sanctitate conspicuus: ut magis illic succurreret, ubi robustior & insuperabilior hostis superbia imminebat; adminicula humilitatis plura pluraque interiùs exteriùsque illis accumulata sunt. Cæterarum quoque virtutum, quæ non ita ægrè & parantur primùm & postea reparantur, nonnullo dispendio congruum erat humilitati omnium aliarum potissimæ & custodi consuli. Ita enim comparatus est hominum maximè sanctissimorum animus, ut tentatione vitiorum, ut fluctuatione & inconstantia virtutum, ut peccati labecula magis concutiatur, ut sibi displiceat, sui pertædescat & ita suadenti infundentique humilitatem gratiæ totus consentiat.

Efficacissimam humilitatis gratiam indubitatissimè Deus sanctis & electis suis impartitur. Sed invicta illa efficacia, partim derivatur ex hac moderatione & veluti libramine ponderum extollentium animam & deprimentium; quæ ne elata superbiat, deprimitur; ne depressa desperet, erigitur; sed ipso maximè tentationum & periculorum incerto sui pertæsa, sibique displicens, congruit & assentitur humilitati cælitus inspiratæ.

Fit

Ibidem. *Fit certo moderamine, ut dum unusquisque Sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, nec desperationis lapsum, nec elationis incurrat. Quoniam nec tentatio exterior culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit: nec rursum intentio exterior in superbiam elevat, quia tentatio exterior humiliat, dum gravat.* Et alibi: *Ne per elationis gladium ipsa illum victoria sternat, debet illum Deus omnipotens increpare per districtam justitiam, quem servat ad vitam. Quid enim pejus plerumque animam quàm conscia virtus interficit? Quæ illam dum consideratione sua inflat, à plenitudine veritatis evacuat.* Vix potest animam sua virtus, sua in Deum pietas latere. Cùmque cineri doloso suppositi vivant adhuc igniculi aliqui superbiæ, hac occasione excitantur facillimè & erumpunt. Interior gratiæ vis animam suspendit & impellit sursum; at non ita anima illi tota affigitur, ut non ad seipsam aliqua ex parte defluat & relabatur: idque non penuria gratiæ, sed sua vel dissensione vel tepidiori assensione. Ergo consultius nihil est, quàm eam animæ & attentionis partem quæ sibi vacaret, quæ sibi domi intusque plauderet, diversis, imò & adversis occupari rebus, putà vitiorum & ærumnarum tentationibus, ut his in sui tædium adducta, non seipsa, sed Deo solo delectetur. Unde alibi: *Plerumque dum virtutum copia etiam plusquam expedit, prosperatur, in quandam sui fiduciam mens adducitur; & decepta præsumptione propria, repentè peccato surripiente fuscatur.* Et in extrema calce Regulæ

L.3l. c. 17. Pastoralis: *Plerumque omnipotens Deus idcirco Rectorum mentes quamvis ex magna parte perficit, imperfectas tamen ex parva aliqua parte derelinquit: ut cum miris virtutibus rutilant, imperfectionis suæ tædio tabescant, & nequaquam se de magnis erigant, dum adhuc contra minima innitentes laborant; sed quia extrema non valent vincere, de præcipuis actibus non audeant superbire.*

Eodem attinet quod alibi advertit Gregorius, sanctos viros alios aliis præstare vel cedere aliis aliisque virtutibus, ut pensitans quisque quo superetur ab aliis, omnibus se posthabeat:

Moral. l. 28. c. 11. *Sic Creator noster atque dispensator cuncta moderatur, ut qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet. Sic cuncta moderatur, ut cum per impensam gratiam unumquemque sublevat, etiam per disparem alterum alteri subdat: & meliorem quisque dono alio eum qui sibi subjicitur, attendat: ac licet se præire & aliis sentiat, eidem tamen quem superat, se in aliis postponat.* Et idem

In Ezech. hom. 19. alibi: *Hoc omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Poterat namque unicuilibet regioni fructus omnes tribuere, sed si una qualibet regio alterius fructibus non indigeret, communionem cum altera non habuisset, &c. Sciendum quia electi quique hoc semper in aliis attendunt, quod à Deo melius acceperunt quàm ipsi, ut eos sibi in cogitatione præferant, seque illis humilitate substernant. Omnipotens Deus ad hoc virtutes singulis dividit, ut alterum alteri in cogitatione humiliet.* Moneo rursus tantò licentiùs à me hìc multa acuteatè dici, quòd in meipsum dicam, qui ita olim senserim. Nec enim nescius nunc quidem sum, plures eorum, quos mecum tunc sentire opinabar, longè aliter sensisse, & qualiter nunc sentio, in hac parte mihi assentiri.

CAPUT XLII.

Ex eodem Gregorio retundit superbiam, alit humilitatem, gratiæ inspirationi obsequentiores facit frequens justorum in culpam lapsus, recordatio etiam priorum peccatorum: operum bonorum & ipsarum virtutum obscuritas & labes præ æternæ legis & veritatis incommutabilis luce; ignoratio præsentis justitiæ, timor de futura perseverantia, incertum de æterna salute.

Nec tentationes tantùm, aut virtutum detrimenta aliqua, ut duobus superioribus capitibus demonstratum est, sed & ipsa peccata casúsque conducunt mirum quantum, alendæ humilitati, propulsandæ superbiæ, hoc est, inclinandæ voluntati in consensionem ejus gratiæ quæ humilitatem inspirat. Idem Gregorius: *Etiam quibus magna* Dial. l. 3. c. 14. *dona tribuit Deus, parva quædam reprehensibilia relinquit, ut semper habeant contra quod bellum gerant; & devictis magnis hostibus mentem non erigant, quando eos adhuc adversarii quamvis minimi fatigant. Fit itaque miro modo, ut una eademque mens, & virtute polleat, & ex infirmitate lassescat; quatenus & ex parte constructa sit, & ex parte se conspiciat esse destructam: ut per bonum quod quærit, & habere non valet, illud servet humiliter quod habet. Sed quid mirum quod hoc de homine dicimus, quando illa superna regio ex parte in civibus suis damna pertulit, & ex parte fortiter stetit: ut electi Angelorum spiritus dum alios per superbiam cecidisse conspicerent, ipsi tanto robustiùs, quanto humiliùs starent? Illi ergo regioni sua etiam detrimenta profecerunt, quæ ad æternitatis statum ex parte suæ destructionis est solidiùs instructa. Sic ergo & in unaquaq; anima agitur, ut in humilitatis custodiam aliquando ad lucra maxima ex minimo damno servetur.*

Luculentis alibi exemplis rem illuminat: *Habitavit Chananæus in medio Ephraim tributarius.* Moral. l. 4. c. 22. *Quid Chananæus, quid gentilis scilicet populus nisi vitium significat? Et sæpè magnis virtutibus terram promissionis ingredimur, quia spe intima de æternitate roboramur. Sed dum inter acta sublimia vitia quædam parva retinemus, quasi Chananeum vivere in terra nostra concedimus. Qui tamen nobis tributarius efficitur, quia hoc ipsum vitium, quod subigere non possumus, ad usum nostræ utilitatis humiliter retorquemus: ut eo de se mens & in summis vilia sentiat, quo suis viribus etiam parva, quæ appetit, non expugnat. Unde & bene rursum scriptum est, Hæ sunt Gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem. Ad hoc namque quædam minima vitia nostra retinentur, ut sese nostra intentio sollicitam in certamine semper exerceat, & eo de victoria non superbiat, quo vivere in se hostes conspicit, à quibus adhuc vinci formidat.* Quantacumque intus humilitatem gratia inspiret, surda auris animæ adhibetur plerumque, donec culpæ turpitudo excutiat insanam jactantiam animi sibi intus supplaudentis.

Unde rursus idem: *Aliquos Deus in exordiis suis* Moral. l. 18. c. 15. *deserens, scaturientibus vitiis ire per abrupta permittit. Plerumque tamen etiam eos respicit, & ad sequendum se sancti amoris igne succendit, atque inolitas in eorum cordibus prurigines vitiorum vertit in fervorem virtutum; & eo magis ignescunt ad desiderium requirendæ pietatis Dei, quo magis erubescunt memoriam iniquitatis suæ. Sicut sæpè contingit, ut in pugnæ certamine miles ante ducis sui oculos constitutus, hostili virtuti turpiter cedat, & enerviter terga præbens feriatur, qui tamen hoc ipsum quod turpiter cessit, erubescens, ante ducis sui oculos majores ex ipsa verecundia vires sumit; tantoque post fortia exercet, quanto & præsentem gloriam virtutis peragat, & præteritam ignominiam debilitatis tegat. Sic ergo nonnunquam quidam in Dei servitio ex anteacta acriùs debilitate roborantur, eosque ad custodienda Dei mandata & futurorum trahit desiderium, & impellit memoria præteritorum: ut hinc ad ventura amor provocet, illinc de præteritis verecundia instiget.* Vides ut non solus amor, non sola delectatio justitiæ, sed & præteritarum culparum experientia, memoria, conscientia, & pudor instiget inflammetque voluntatem. Si sola enim vel motio prædeterminans, vel victrix delectatio & humilitatem & obedientiam mandato-

rum insereret invictissimè & infallibiliter, eccur Gregorius in illius gloriæ & efficaciæ societatem vocaret hos conscientiæ stimulos, hanc de præteritis lapsibus verecundiam? Sed eccur Deus permitteret sanctos suos in hæc peccata corruere, & subinde lapsare, si potuerat perinde hoc toto dedecore supersederi, si denique gratia vel motionis vel delectationis interior peræquè efficax esset, etsi casta & illimis innocentia viguisset?

Idem valet quod idem alibi observat, lentescere in semita justitiæ, qui ab ea nunquam penitus aberrarunt; at qui ab errore diuturno se in viam recipiunt, hos verò gradum vehementer accelerare, & ad perfectionis metam grassari. Stanti justo non ideo parcior gratiæ irroratur copia, quia lapsus nunquam est. Sed etsi par, vel etiam aliquanto largior affluat gratia interior, tamen ex ipsa innocentiæ fiducia securitas, ex securitate nascitur incuria & torpor, quo fit ut lentiùs gratiæ incitamenta sequatur. At conversum peccatorem ne gratiæ interiùs spiranti ignavum se tardumque præbeat, incitat recordatio prioris ignominiæ, & stimulat pudor, cupiditasque damna præcedentia lucris sequentibus
In Evang. Hom. 34. repensandi. *Considerandum nobis cur Dominus plus de conversis peccatoribus, quàm de stantibus justis in cœlo gaudium esse fateatur. Nisi hoc quod ipsi per quotidianum visionis experimentum novimus, quia plerumque hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via justitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cœlestem patriam anxie non anhelant: tantoque sibi in rebus licitis usum præbent, quanto se perpetrasse nulla illicita meminerunt. Et plerumque valde pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia valde sibi securi sunt, quod nulla commiserint mala graviora. At contra nonnumquam hi qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt in amorem Dei, seseque in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumeliis lætantur, flagrant desiderio, ad cœlestem patriam anhelant; & quia se errasse à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant.*

Ideo ergo & suos cadere & peccare sinit Deus justos, ut tanto alacriores surgant, concitatioresque sint deinceps & humiliores ad officia pietatis. *Per-*
In I. Reg. c. 5. *mittit Deus electos suos magnis tentationibus impeti, ut magnificentissimè in cœlesti regno debeant coronari. Sed magna prælia præmittit quæ vincant, levia excitat in quibus cadant: ut victoria fortium magna sit, casus innoxius; ut cadentes se facilè erigant, & eos fortia in quibus victores steterant, non extollant.*

Eodem collimant illa alia Gregorii testimonia, ubi testificatur virtutibus ipsis & bonis operibus nunquam constare eam castitatem & puritatem, quam lex æterna desiderat. Hinc sibi Sanctos displicere, hinc humilitatis gratiæ lubentiùs assentiri. Etenim illa ipsa minuscula tenebrarum contagio, quæ operibus etiam lucis inhærescit, ex nostræ voluntatis ignavia emanat, quæ lumini & fervori gratiæ quantumvis consentiat, nictitat tamen & tepet aliquantulum, parcitque suis viribus, nec conatum omnem explicat. *Sancti viri cum mala*
Moral. l. 5. c. 6. *superant, sua etiam bene gesta formidant: ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris. Sciunt enim quia corruptionis adhuc pondere gravati, dijudicare bona subtiliter nesciunt; & cum ante oculos extremi examinis regulam deducunt, hæc ipsa in se nonnunquam & quæ approbant, metuunt. Et tota quidem mente interna desiderant, sed tamen de incertitudine operum trepidi, quò gradiuntur ignorant.* Et infra: *Nonnunquam justi in ipsis bo-*
Ibid. c. 7. *nis operibus positi trepidant; ac ne in eisdem occulto aliquo errore displiceant, continuis lamentis vacant. Quos cum divina subitò flagella corripiunt, authoris sui gratiam se offendisse suspicantur; quia vel infirmitatibus præpediti, vel amaritudinibus pressi, ad impendenda proximis pia opera non assurgunt.* Et infrà: *Acsi dicat Apostolus,* Ibid. c. 8.
Idcirco in eo quod nihil mihi conscius sum, justificatum me abnego, quia ab eo qui me judicat, examinari me subtilius scio. Dissimulanda ergo sunt quæ exterius favent, reprimenda quæ interius perstrepunt, declinanda quæ quasi necessaria involvunt: & tamen in his omnibus adhuc districti examinis flagella metuenda; quia & ipsa nostra perfectio culpa non caret, nisi hanc severus Judex in subtili lance exami- L. 8. c. 9.
nis misericorditer penset. Et rursum: *Justi omne quod agunt, metuunt, dum cautè considerant ante quantum Judicem stabunt. Intuentur potentiam illius magnitudinis, & pensant quanto reatu constricti sunt propriæ infirmitatis. Enumerant mala proprii operis, & contra hæc exaggerant bona gratiæ Conditoris. Considerant prava quàm districtè judicet, bona opera quàm subtiliter penset, & perituros se absque ambiguitate præsciunt, si remota pietate judicentur. Quia hoc ipsum quoque quod justè videmur vivere, culpa est, si vitam nostram cum judicat, hanc apud se divina misericordia non excusat.*

Multò hic sanè jam propiùs admoventur, infiguntúrque altiùs stimuli ad humilitatem. Antè enim vel tentationes, ac virtutum damna aliqua & labes, vel obrepentia delicta, vel scelerum præteritorum recordatio stimulabat ad sui fastidium & contemptum, facilèque ad amplexandam humilitatis inspiratæ gratiam adducebat. Hìc verò ipsa etiam bona opera, ipsa lumina & ornamenta virtutum ne suo splendore præstringant oculos, & auram aliquam superbiæ inhalent, fuligine nescio qua & peccati suspicione obscurantur. Antè obrepens ex virtutibus fiducia obtundebatur incursione culparum, hìc verò ipsæ virtutes æternæ veritati, legi incorruptibili justitiæ, & sanctitudinis divinæ Soli objiciuntur, ut fuimet ipsas jam pudeat & pœniteat, & præ illa ineffabili legis æternæ pulcritudine & luce, sordescere sibi & caligare videantur. Accedit ad hæc quòd quantacumque humanæ & sapientiæ lux, & virtutis firmitudo sit, incerto semper aliquo fluctuet, & trepidet, nec certissima usquam sit suæ cum æterna veritate accuratæ & germanæ consensionis. Hæc trepidatio vel Paulo ipsi conducibilis erat, ut etsi nihil sibi conscius esset, diffideret tamen nonnihil de sua & justitia impræsentiarum & salute in posterum. Quorsum ista autem fluctuatio ad comprimendam superbiam & insculpendam humilitatem, si peræquè ac si res aliter omnino haberet, totum efficit unica vel motio vel delectatio victrix & prædeterminans? Unde ibidem in- L. 8. c. 14.
frà: *Quantalibet justitia polleant, nequaquam sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in judicio districtè requirantur. Sed hoc nunc ad solatium suæ ereptionis inveniunt, quod nequaquam se posse sufficere humiliter sciunt. Sub humilitatis ergo tegmine à gladio se tantæ animadversionis abscondunt.* Et
alibi: *Omnis humana justitia injustitia esse con-* L. 9. c. 14.
vincitur, si districtè judicetur. Prece ergo post justitiam indiget, ut quæ succumbere discussa poterat, ex sola Judicis pietate convalescat. Quæ cum plenè à perfectioribus habetur, haberi de illa quidpiam dicitur; quia mens humana & comprehensa vix peragit, & valde extrema sunt, quæ comprehendit, &c. Prece itaque innitendum est cum recta agimus; ut omne quod justè agimus, ex humilitate condiamus. Quòd teste Gregorio *perfectio ipsa nostra culpa non careat,* quòd ipsum quoque quod *justè videmur vivere, culpa sit,* quòd similiter *humana justitia injustitia esse convincatur,* si districtiùs judicetur, hæccine tu deputabis gratiæ voluntatem minùs agenti, minùs determinanti? An potiùs voluntati gratiæ assensum suum præbenti quidem, sed segniùs frigidiùsque, nec lumina gratiæ etiam dum sequitur, satis diligenter sectanti: nec incendia charitatis etiam dum fervet, toto conatu amplectenti?

Præbet

Præbet enim se gratia voluntati saltem electorum, saltem justorum, de quibus hîc agit Gregorius; nec parcè & malignè, sed copiosè se præbet & liberaliter: sed voluntas sponte aliquantulum semper pigritatur. Denique radiat inflammatque gratia, sed æternæ legis & incommutabilis veritatis *extrema sunt, quæ comprehendit, & comprehensa vix peragit* humanæ voluntatis imbecillitas. Sed vel ex his lapsibus suis extruitur ad humilitatem, ut cùm minùs sibi placet, vel hinc saltem Deo non displiceat.

Ideo advertit idem alibi insidiari nostris operibus bonis duas pestes, desidiam, & fraudem. Vel aliquantulum enim torpemus, vel privatæ gloriæ clanculum nonnihil favemus. At verò non aliunde id evenit, quàm quod aspiranti quantumcumque gratiæ nostrum sit accommodare consensum. In eo ergo quod nostrarum est partium, vel pigrescimus, vel inflamur. Nam si una motio victrix prædeterminansve delectatio infallibiliter totum perficit, quin ergo & torporem & superbiam cùm adest, eliminat? si non adest, quî pestis hæc gemina ejicietur? Moral. l. 9. c. 17. *Quid est quod Job mira opera faciens, hæc etiam veretur pavens, cum dicit, Verebar omnia opera mea? Nisi quod in sancti viri actibus verbisque colligimus, ut si placere Deo veraciter cupimus, postquam perversa subegimus, ipsa in nobis etiam bene gesta timeamus. Duo quippe sunt quæ in bonis operibus necesse est ut studiosè formidentur, desidia videlicet & fraus. Unde & per Prophetam apud vetustam translationem dicitur, Maledictus omnis qui facit opus Dei fraudulenter & desidiosè. Sed sciendum magnoperè est, quia desidia per torporem nascitur, fraus per privatam dilectionem. Illam namque minor Dei amor exaggerat, hanc autem malè mentem possidens proprius amor creat.* Quis id gratiæ minùs juvanti semper tribuat, & non potiùs propriæ voluntatis residuæ corruptelæ & supinitati, quod ignaviç & amoris privati nonnihil bonis ipsis se interserit operibus? Sed vel hæc ipsa labes nostra ad extruendam humilitatem retorquetur consilio divinæ medicinæ. Ergo rursum ille: L. 24. c. 7. *Ne hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota pietate judicetur.* Et alibi ipsamet Augustini Confessionum verba usurpans, L. 29. c. 9. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate judicetur.* Denique alibi: L. 35. c. 6. *Quid est quod Job & à Deo laudatur hosti, & in seipso reprehenditur? In seipso autem reprenditur, & tamen amicis loquentibus antefertur? Nisi quod sanctus vir cunctos meritorum suorum virtute transcendit, sed eo ipso quod homo fuit, ante Dei oculos esse sine reprehensione non potuit. In sancto quippe homine in hac interim vita commorante, divini examinis regula habet adhuc quod judicet, quamvis jam ex comparatione cæterorum hominum habet quod laudet.*

Gregorio in eundem scopum refertur & illud ab eodem Gregorio sæpiculè animadversum, incertam cuique esse suam salutem, quandiu in hac vita degitur. Nempe hinc securitas ejicitur, & securitatis socius torpor, imò & superbia: stimulatur autem sollicitudo, acuitur industria, humilitas firmatur, augeturque. Non quod sine gratia Dei aspirante vel tantum arceatur mali, vel tanta invehi possit copia bonorum, sed quia aspiranti ad hæc ipsa gratiæ Dei promptiùs consentit, & adhærescit constantiùs voluntas, ex periculo hoc & timore pervigil & anxia, quàm ex sui fiducia languens. Moral. L. 29. c. 9. *Jam de Paulo voce Dominica dictum fuerat, Vas electionis mihi est: & tamen adhuc castigans corpus suum, metuit ne reprobetur. Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc vocem cognovimus, & jam in otio quasi de securitate torpemus. Debet profecto, debet in spe esse non solum securitas, sed etiam timor in conversatione: ut & illa certantes foveat, & iste torpentes pungat, &c. Aliorum finem cognoscere non valens homo, ad suum recurrat, quia sicut aliorum, sic etiam suum nesciat, & nesciens timeat, timens humilietur, humiliatus jam de operibus suis extolli non debeat, & non elatus in gratiæ arce consistat.* Et idem alibi: *Nobis nihil est securius, quàm sub spe semper timere; ne incauta mens aut desperando se in vitiis dejiciat, aut extollendo de donis ruat.* Ibid. c. ult. Alibi ait incertum esse, populi peccatis Doctor, an Doctoris scelere populus donis cœlestibus spolietur, ut suæ quisque imputet culpæ, quod alterius forrsan veriùs vitio ascriberetur. Ita enim magno humilitatis incremento cedet hęc ignoratio: *Ad hoc nobis cuncta de meritis nostris incerta sunt, ut unam certam gratiam teneamus, humilitatem.* In Ezech. Hom. 18. Denique de vitæ exitu & de die crastino quàm quisque timere debeat: *Ne quis in bono jam opere positus, sibi vires boni operis tribuat; ne quis de propria actione confidat. Quia etsi jam novit hodie qualis sit, adhuc cras quid futurus sit nescit. Nemo ergo de suis jam operibus securus gaudeat, quando adhuc in hujus vitæ incertitudine, qui finis sequatur, ignorat.* In Evang. Hom. 38. Triplici hoc incerto æstuare sinuntur justissimi quique, quales in præsenti sint, quales paulò pòst futuri sint, quò exhausto vitæ stadio evasuri sint. Consolatur illos & de præsenti justitia, & de justitiæ perseverantia in futurum, & de mercede æterna perseverantiæ spes, non securitas; fiducia, sed trepida. Idque in primis conducibile est, ut invitanti quocumque gratiæ suspensi & vigiles obsequantur.

Et idem alibi: *Ad hoc Conditor noster latere nos voluit finem nostrum, ut dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati inveniamur.* Moral. l. 12. c. 20.

CAPUT XLIII.

Quod tribus superioribus capitibus ex Gregorio, idem nunc ex Augustino probatur, gratiæ illi invictissimæ, quæ superbiam frangit, quæ inserit humilitatem, quæ voluntatem vel à malo abducit, vel sistit in bono, huic inquam gratiæ efficaciam invictissimam non à sola vel motione, vel delectatione interiore totam conciliari, sed partim etiam ex tentationibus, ex lapsibus, ex peccatis, ex diuturno denique propriæ infirmitatis experimento, sine quo inefficax & irrita caderet illa eadem gratia.

Quæ tribus superioribus Capitibus ex Gregorio uno prosequuti sumus aliquanto prolixiùs, quod & ille omnium cum prolixissimè, tum accuratissimè in iis versatus sit, eadem ipsa jam tumultuariè ex aliorum quoque Patrum doctrina retractabimus, & primùm ex Augustino.

Ex Augustino ergo indubitatissimum est gratiam illam quæ superbiam frangit, quæ humilitatem inserit aliτque, quæ perseverantiam donat in justitia, eo esse efficacissimam & inexpugnabilem, non quod solùm inspiret delectationem justitiæ, sed quod etiam nauseantem plerumque & dissensuram voluntatem atque de gratiæ ipsius copia insolentiùs superbiùsque exultaturam, tentationibus cædit, lapsibus & peccatis humiliat, virtutum penuria & jactura deprimit, præsentis status sui incerto terret, perseverantiæ & salutis ignoratione suspendit, aliorum vel virtutibus longè præstantioribus dejicit, vel casibus consternat, ineffabile providentia sic omnia dispensat & moderatur, ut congruum, utq; tempestivum est & humilitati, & perseverantiæ, & saluti çorum quos elegit procurandç. Si sola enim victrix delectatio vi prædeterminante & omnipotente profligat vitia, virtutes ingenerat, voluntatis consensum & perseverantiam præstat: quorsum illa omnia casuum, peccatorum, tentationum, terrorumque machinamenta vel à Deo admoverentur, vel tanti fierent ab Augustino, in enucleanda gratiæ divinç invicta efficacia?

Frustra enim ista vel adhibentur, vel venditantur, si his possit supersederi, ita ut illa eadem gratia victricis delectationis seu motionis prædeterminantis eandem & parem habeat efficaciam.

Ita ergo antedictis astipulatur Augustinus: *Infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat*. Et infrà: *Quis ex multitudine fidelium in hac mortalitate quandiu vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per Satanæ angelum ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus. Propter hujus utilitatem secreti ne fortè quis extollatur, sed omnes etiam qui bene currunt timeant, dum occultum est qui perveniant; propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est quosdam de filiis perditionis* electis hìc permisceri. Nisi enim ita provisum esset, *Tandiu haberent homines istum saluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam qua piè vivitur, pervenirent, deinceps jam securi nunquam se ab illo casuros. Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas. Denique hoc etiam erit, sed tunc, quod jam est in Angelis, etiam in hominibus erit, quando ulla superbia esse non poterit*. Si perseverantiam Deus una aliqua daret gratia indeclinabiliter ad bonum applicante voluntates nostras, nihil timendum esset à superbia, à qua perinde ut ab aliis vitiis nos abstraheret gratia illa perseverantiæ. Itaque tutum esset electos prædestinationis suæ conscios & certos esse. Ut enim ab Angelis beatis nunc superbiendi potestatem, ita nunc ab electis superbiendi actum certissimè eliminaret gratia divina. Non pareret ergo securitas elationem. Illam porro insuperabilem gratiam humilitatis & perseverantiæ si subtrahas, cadet voluntas in superbiæ foveam, quantumvis vel dubiam vel securam facias suæ salutis.

De correpț. & Grat. c. 12. 13.

Confiteamur ergo cum Augustino electis perseseverantiæ efficacissimam gratiam, superbiæque certissimam averruncatricem à Deo donari, sed quia ab ea gratia subinde resilit lapsatque voluntas, & ab ea omnino deficeret, & securitate & otio lascivire sineretur: ideo tentationum impulsu & salubri timore restringenda est, ne torpeat, ne intumescat; & hinc quoque efficacia hujus gratiæ derivatur, quia *hoc timore vitium elationis opprimitur*. Et alibi idem: *Deus melius judicavit miscere quosdam non perseveraturos certo numero electorum suorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securitas, non possint esse securi. Multos enim à perniciosa elatione reprimit quod ait Apostolus, Quapropter qui videtur stare, videat, ne cadat. Voluntate autem sua cadit, qui cadit, & voluntate Dei stat, qui stat. Potens est enim Deus statuere illum. Non ergo ipse seipsum, sed Deus*. Ita prorsus quisquis stat, voluntate & gratia Dei stat, sed statuit illum, & stare facit Deus ipso maximè cadendi timore, quo *à perniciosa elatione reprimitur*.

De bono persev. c. 8.

Idem alibi carnis & concupiscentiæ molestias & tentationes omnes in eundem scopum à Deo destinari ait: *Noluit homo inter delicias paradisi servare justitiam. Unde statuit Deus ut post ejus peccatum propagata caro peccati ad recipiendam justitiam laboribus & molestiis niteretur*. In institutæ ergo naturæ innocentia, in meris deliciis spiritalibus, seu in una delectatione justitię vigebat efficacia gratiæ. Nunc *laboribus, molestiis* & tentationibus efficacia illa ex parte constat. Unde alibi rursum: *Si Christiani jam sunt, & rectè vivere negligunt, verberentur terroribus, & præmiorum laudibus erigantur*. Et alibi: *Non vis tua tibi vitia demonstrari, non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, ut medicum quæras: non vis tibi tu ipse ostendi, ut cum deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices, ne in illa maneas fœditate. Quasi verò nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor, aut aliquid agat, cum salubriter stimulat, nisi ut rogetur bonus, & ex malis qui corripiuntur, faciat bonos qui laudentur. Dolor quippe ille quo sibi displicet, quando sentit correptionis aculeum: excitat eum in majoris orationis affectum, ut Deo miserante, incremento charitatis adjutus, desinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atque gratanda*. Non sola hominis lingua cęditur & corripitur peccator, sed & tentatione, tribulatione, lapsu, ruina vel sua, vel alterius, terrore objecto vel incusso, & sexcentis aliis correptionis flagellis. Hinc nascitur *pudor, timor, dolor*, qui non ille quidem bonos facit, nec tamen nihil agit, sed id *agit*, ut voluntas quę inspiratæ gratiæ vel orationis vel charitatis antè adversabatur, nunc consentiat, inspiratumque illum *orationis affectum* accipiat, foveatque. Denique illa correptio aliquid *agit, stimulat, excitat, dolore, pudore, timore*.

De peccat. merit. l. 2. c. 34.

De nat. & grat. c. 68.

De correpț. & grat. c. 5.

Tentationes & pericula quæ à concupiscentia imminent, quàm salubria sint ad propulsandum superbiæ virus, idem alibi sic declarat: *Quia in ista humana miseria pejor hostis est cavenda superbia, ideo nimirum non penitus extinguitur in carne continentium Sanctorum ista concupiscentia, ut dum pugnatur adversus eam, periculorum suorum animus admoneatur, ne securus infletur, donec humana fragilitas ad tantam perfectionem perveniat sanitatis, ut nulla putredo lasciviæ, nullus tumor superbiæ formidetur, &c. In nobis sola est infirmitas causa pugnandi, sola est infirmitas admonitio non superbiendi. Proinde virtus hic ubi superbiri potest, ne superbiatur, in infirmitate perficitur*. Quantamcumque velis esse gratiæ interioris efficaciam, sed adhuc tamen non infirmis tantùm, non paucis, sed prorsus omnibus hominibus etiam perfectissimis surrepit superbia, gliscitque & superat, nisi refringatur jugi ista admonitione, pudore, timore, labore inextincti certaminis; quo periculorum suorum convictus & conscius animus acquiescat gratiæ humilitatis conciliatrici.

Cont. Iul. L. 4. c. 2.

Nec sejungit Augustinus concupiscentiæ tentationes à diabolica instigatione. Finitima enim hęc sunt & conjunctissima. Etenim *quanquam ipsum Satanam elatio prima dejecerit, tamen summus ille medicus qui bene uti novit etiam malis, de angelo Satanæ adhibuit contra elationis vitium, salubre quamvis molestum medicamentum: sicut fieri consuevit antidotum etiam de serpentibus contra venena serpentum. Quid est ergo, Sufficit tibi gratia mea, nisi ne deficiendo succumbas sub colapho angeli Satanæ? Et quid est, Virtus in infirmitate perficitur, nisi quia in isto loco infirmitatis hactenus perfectio potest esse virtutis, ut in ipsa infirmitate præsente elatio reprimatur? Quæ utique infirmitas futura infirmitate sanabitur. Quomodo enim dicenda est sanitas plena, ubi etiam de angeli Satanæ colapho adhuc est necessaria medicina?* Medicinalis est utique gratia Christi, & abstergit tandem omnes peccati morbos morborumque reliquias. Sed ea medicina non uno in pharmaco tota propinatur. Ad eam enim pertinet etiam *istud molestum, sed salubre medicamentum*, quo per adversarii colaphos reverberatur anima, ne sibi placeat, ne sibi assentetur, ne fidat viribus suis, sed interiori gratię totam se committat. Utique *summus ille medicus necessariam hanc medicinam* esse judicat, ut interior medicina optato successu ne fraudetur, cùm eam omnibus prorsus propinet, eam toto vitæ hujus mortalis decursu adhibeat.

Ad Bonif. L. 3. c. 7.

Diaboli verò & concupiscentiæ certamen unum esse, unam vel utriusque vel de utroque victoriam, sic ille alibi docet: *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. In quo bello si sit quisque victor, illos quos non videt inimicos, continuò superabit. Non enim tentat diabolus vel angeli ejus, nisi quod in te carnaliter dominatur. Nam quomodo vincimus illos hostes, quos* non

In Ps. 145.

non videmus, nisi quia carnales interiores motus nostros sentimus? His confligimus, illis percutimur, & illos percutimus.

Quid sit autem causæ quamobrem per alia etiam vitia Deus medeatur vitio superbiæ, & minoribus morbis longè gravissimum & pestilentissimum arceat, vel expellat, sic idem alibi Augustinus: In Psal. 7. *Qui expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit hoc vitium inanis gloriæ, vel solum, vel maximè cavendum esse perfectis. Quo primo enim vitio* In Psal. 18. *lapsa est anima, hoc ultimum vincit.* Et alibi: *Omnia vitia in malefactis timenda sunt, superbia in* In Psal. 18. *benefactis plus metuenda est.* Et rursum: *Verè ille immaculatus est, qui etiam hoc delicto superbiæ caret, quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod* L. 50. hom. hom. ult. *recedentibus primum fuit.* Et alibi: *Ne superbire audeat, quasi de plena securitate se jactans, sed potius servet humilitatem, quæ penè una disciplina est Christiana.* Quid est quòd vitium superbiæ & primum vincit homines, & ultimum vincitur ab hominibus, & in benefactis etiam pertimescendum est, & tota penè Christiana disciplina versatur in una retundenda superbia, humilitate promovenda? Non fuit, non est inefficacior gratia divina ad hoc vitium, quàm ad cætera quælibet superandum. Quin imò plus juvat Deus, ubi majoris opis egemus. Ampliùs tantò ad humilitatem juvat gratia Dei, quantò charitas humilitati affinior conjunctiorque est. Quo enim magis nomine gratiam divinam Augustinus designat, quàm dilectionis & De Sanct. Virg. c. 51. charitatis? At ex eodem, *Custos virginitatis charitas, locus autem hujus custodis humilitas.* Et ibidem infrà: *Superflua sollicitudo est, ne ubi fervet charitas, desit humilitas.* Divina ergo charitate & gratia ad humilitatem impensiùs adjuvante, quid est quòd tardiùs ad eam proficimus, procliviùs ab eadem deficimus? Quid est quòd præter illam interiorem gratiam opus est & virtutum dispendiis, & vitiorum tentationibus, lapsibusque frequentissimis nos admoneri & convinci? Nisi quia voluntatis est suum gratiæ consensum accommodare, quem ægriùs accommodat, ubi id non potest, nisi sibi displicendo ipsi, sibi vilescendo. Facilè intelligitur hominem quemvis ad id summo labore, & difficillimè adduci, ut sibi vilis sit, nihili sese sibi videatur esse: nec acquiescere huic affectui, nisi diu & sæpè convictum experimento periculorum & vitiorum suorum.

Peccata ex eodem Augustino seu leviuscula seu graviora usui sunt electis, non quòd gratiam accersant vel accumulent, sed quia homini suam denudant turpitudinem, morbos produnt, vulnera latitantia aperiunt; de his enim convicta voluntas ita afficitur, ut gratiæ posteà advenianti consentiat, humilitatemque suadenti & inspiranti totam se committat. Quanquam ergo tantum juvari posset à Deo voluntas nostra, ut à peccatis omnibus pura & immunis servaretur, nusquam tamen id fit. Ne arietes quidem gregis Dominici, nec Apostoli inquam tanto gratiæ cumulo onerati fuere. Nimirùm ne tantò pestilentior hostis superbia ex insidiis emergens, illos hoc fœdius prosterneret, quò in altiorem verticem emersissent. Illa porrò gratiæ & charitatis redundantia tanta, quanta opus esset, ut nec ex vita prorsus intaminatissima ullus superbiæ gustus obreperet, mortali huic stadio non quadraret, patriæque potiùs beatificæ, quàm hujus viæ miseriis conterendæ propria esset. *Nolunt homines* De peccat. merit. l. 2. c. 17. *facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates; qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sunt, propter iniquitatem superbiæ: sive contra ipsam suam superbiam judicandi & erudiendi, si filii sint misericordiæ.* Unde Ieremias cum dixisset, *Scio Domine quia non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos;* continuò subjungit, *Corripe me Domine, verumtamen in judicio, & non in furore tuo. Tanquam diceret, Scio ad correptionem meam pertinere, quod minus abs te adjutor ut perfectè dirigantur gressus mei. Verumtamen hoc ipsum noli mecum sic agere, tanquam in furore, quo iniquos damnare statuisti, sed tanquam in judicio, quo doces tuos non superbire. Unde alibi dicitur, Et judicia tua adjuvabunt me. Nullius proinde culpæ humanæ in Deum causam referas. Vitiorum namque humanorum causa superbia est. Ad hanc convincendam atque auferendam talis medicina cœlitus venit. Ad elatum hominem per superbiam Deus humilis venit per misericordiam.* Et aliquantis interjectis: *Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur, ac sic ab elationis vanitate sanetur.* Ergo ut minus juventur homines, quo sine peccato sint, in ipsis & in eorum superbia causa est. Superbiunt ergo antequam destituat eos gratia, cùm ideo gratia deserantur, quòd superbierint, & superbire non desinant. Nempè aspirante gratia ægrè homo in alia vitia, facilè in superbiam defluit, cùm de gratia ipsa & de virtutum opulentia superbiat.

Idem rursus alibi: *In quibusdam etiam justos suos, quoniam adhuc extolli possunt, non adjuvat ad perficiendam justitiam, ut dum non justificatur in conspectu ejus omnis vivens, actionem gratiarum semper indulgentiæ ipsius debeamus, & sic ab illa prima causa omnium vitiorum, hoc est à tumore superbiæ sancta humilitate sanemur.* Ibid. L. 3. c. 13. Et alibi: *Quomodo dicenda est sanitas plena, ubi etiam de angeli Satanæ colapho adhuc est necessaria medicina? Ex quo factum est,* Ad Bonif. L. 3. c. 7. *virtutem quæ nunc est in homine justo, perfectam hactenus nominari, ut ad ejus perfectionem pertineant etiam ipsius imperfectionis & in veritate cognitio, & in humilitate confessio. Tunc enim est secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta ista parva justitia, quando etiam quid sibi desit, intelligit.* Si tota, si invictissima semper efficacia gratiæ in sola resideret vel motione vel delectatione interiori, sive in inspiratione charitatis & virtutum, tanto efficacior esset illa, quanto uberiùs infunderetur. Atqui contra prorsus disputat Augustinus, non totam sanitatem, non totam delectationem justitiæ, non totam inspirationem virtutum omnium hic concedi, ne ea officiat ubertas, & ne ista gratia tanto sit inefficacior, quanto uberior. Efficacius autem erit illud gratiæ donum, quod parcius, quod mediocrius fuerit, quia superbiam opulentia gigneret, humilitatem alet mediocritas, vel inopia etiam.

CAPUT XLIV.

De eodem rursus ex eodem Augustino, efficacissimam esse gratiam, sed eo modo qui Medico consultissimus est visus, ut peccatis quotidianis, ut curationis difficultate & mora, ut incertitudine & præsentis justitiæ & finalis perseverantiæ in bono superbia frangatur.

Et rursum ut efficacissima quidem sit Dei gratia, sed eo modo efficacissima, quem medicus consultissimum fore judicavit, nempe per ipsam sui penuriam & egestatem plerumque efficacissima, quia non aliter vel jugulatur superbia, vel humilitas ingeneratur. Idem alibi: *Absurdissimum & stultissimum putat Pelagius, peccatum fuisse ne peccatum esset, quoniam & ipsa superbia utique peccatum est.* De Nat. & Grat. c. 27. *Quasi non & ulcus in dolore sit, & sectio dolorem ope-*

operetur, ut dolor dolore tollatur. Sed Deus, inquiunt, omnia potest sanare. Hoc utique agit, ut sanet omnia, sed agit judicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto. Proculdubio quippe firmissimum Apostolum volebat efficere, cui tamen dixit, Virtus in infirmitate perficitur: & non ei toties oranti aufert nescio quem stimulum carnis, quem sibi dicit datum, ne magnitudine revelationum extolleretur. Cetera enim vitia tantùm in malefactis valent, sola autem superbia etiam in rectè factis cavenda est. Vides Deum *omnia sanare, & firmissimus efficere* suos, sed quo id modo, quaque ratione fiat, liquere exemplo Apostoli, nempe, non sola inspiratione aut inundatione gratiæ interioris, sed ejus etiam parcitate, egestate, sed lapsibus, periculis, perturbationibus, tentationibus. Quantacumque enim affluat interiùs gratia, ex ea ipsa gratiæ copia & virtutum existit occasio stimulusque superbiæ, & voluntatem à consensu alienat, nisi perturbatio, tentatio & casus aliquis hos superbiæ aculeos obtundat.

Quod autem omnipotentis medici ars & sapientia judicarit peccatis aliis sanandam esse superbiam, nempè quod ita fiat ut voluntas nostra de erratis suis pudefacta, minùs renitatur gratiæ suadenti, ut sibi vilescat; declarat statim expresse Augustinus: *Admonentur illi ne dona Dei suæ potestati tribuendo, seseque extollendo, gravius pereant, quàm si nihil operarentur boni; quibus dicitur, Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Quare ergo cum timore & tremore, & non potius cum securitate, si Deus operatur? nisi quia propter voluntatem nostram, sine qua non possumus bene operari, citò potest obrepere animo humano, ut quod bene operatur, suum tantummodo existimet, & dicat in abundantia sua, Non movebor in æternum.* Non potuit dici evidentiùs, non timori, non tremori, sed plenissimæ securitati indulgendum fuisse, si Dei esset omnipotenter operari, & infallibili prædeterminatione efficere consensum voluntatis nostræ, tum ut in alias virtutes, tum ut in humilitatem tota potissimùm incumberet. Sed causa timoris & tremoris æquissima illa est, & depulsio securitatis, *quia propter voluntatem nostram, sine qua bene non possumus operari, citò potest obrepere animo humano, ut quod bene operatur, suum tantummodo existimet.* Non ergo prior nos deserit gratia humilitatis, & consensum sibi dandum ipsa operari cessat, & ita fit ut superbiamus: sed præsente quàm maxime gratia, & quod suarum est partium operante, obrepit ex ipsa gratiæ luce & ex benefactis superbia; quæ ne penitus inficiat animum, satius est aliis illum vitiis, quæ faciliùs postea sanentur, tradi, gratia deserente, & ita convinci suæ imbecillitatis & fœditatis, sicque emolliri, aptarique ut gratiæ consentiamus.

Cap. 18. Quocirca rursus ibidem: *Ideo qui in voluntate sua præstiterat decori ejus virtutem, avertit paululum faciem suam, ut qui hoc dixerat, fieret conturbatus; quoniam ipsis est ille tumor sanandus doloribus. Non itaque dicitur homini, Necesse est peccare, ne pecces: sed dicitur homini, Deserit aliquantum Deus, unde superbis, ut scias non tuum, sed ejus esse, & discas superbus non esse.* Præsente ut vides & aspirante maximè gratia, de viribus ipsis per eam affluentibus superbiebat homo: ideo *aliquantum deseritur*, ut etsi se ipse tunc non deserat, nihil se posse intelligat gratia destitutum.

Quod autem possit & sola exundantia interioris gratiæ & delectationis justitiæ offocari interimique prorsus superbia, sed illam esse propriam dotem & prærogativam gratiæ cumulatissimæ in cœlesti patria, sic ille ibidem: *Et hæc quidem ita dixerim,*
Cap. 31. *ut altius Dei consilium me fatear ignorare, cur etiam ipsam superbiam, quæ & in rectè factis animo insidiatur humano, non citò Deus sanet, pro qua sananda illi piæ animæ cum lacrymis & gemitibus supplicant; ut ad eam superandam & quodammodo calcandam & obterendam, dexteram conantibus porrigat. Ubi enim lætatus homo fuerit, se aliquo in bono opere superasse superbiam, ex ipsa justitia caput erigit, & dicit, Ecce ego vivo, quid triumphas? Et ideo vivo, quia triumphas. Ante tempus enim fortasse de illa triumphare delectat, cum extrema ejus umbra, de illo meridie quantum arbitror, absorbebitur. Qui meridies Scriptura dicente promittitur, Et educet sicut lumen justitiam tuam, & judicium tuum sicut meridiem.* Sanat Deus superbiam nostram, *non citò*, nec ægroti est artem curandi medico dictare. Sanat omnia nostra vitia omnipotens medicus, non statim, non punctο temporis, ne facilitas curationis proclivitatem peccandi creet: tardiùs & diutiùs curat, ut ægritudinis magnitudo intelligatur: ut sanationis difficultas & amaritudo à peccando in posterum deterreat. Quod argumento est, his experimentis obtundendam & convincendam esse voluntatem, ut consentire gratiæ fastum dissuadenti adducatur. Superbiam proinde tanto diutiùs sanat Deus, quanto illa exitialior pestis est, quanto altiùs in animi penetralia descenderat, quanto de ipsis benefactis incrementa sumit, quanto de humilitatis ipsius pulcritudine animus inflatur, quanto de ipsa superbiæ conculcatione superbitur, quanto denique concupiscentiæ, quæ nunquam fibricitus omnino extirpatur quandiu hìc vivitur, primaria & princeps ista est radix, amor sui, sui insania. Ergo ut non ante, non aliter, quàm ipso meridie æternitatis & charitate perfecta patriæ cupiditas tota excidetur, ita non ante, nec aliter tota elidetur superbia, quæ cupiditatis medulla ipsa est penitissima. Nostro autem instituto hoc penitus suffragatur. Nam quia voluntatis est persuaderi & consentire gratiæ humilitatem suadenti, dissentit illa ab ea sæpiùs quàm ab aliarum virtutum inspiratrice gratia, quia sui amore, quàm quocumque alio magis movetur: & ubi consentit, ex ipso hoc consensu supplaudit sibi nonnihil & vanescit. Operatur enim, ut affecta est. Sic autem affecta est in hujus vitæ mortalis ergastulo. Id verò non ita haberet, si gratiæ esset omnipotenter & infallibiliter ubique voluntatem determinare ad consensum. Hæc enim perinde ad humilitatem, atque ad aliarum virtutum officia determinaret, nec fineret illabi & adrepere vel ipsi in humilitatem consensioni furtivum superbiæ virus. At in cœlesti patria, ubi gratia & charitas numeris omnibus perfectissima totum sibi vendicabit hominem, & omnipotenter determinabit, tunc nihil erit quod à superbia, vel ab ullo vitio quidquam insidiarum timeatur.

Exemplo singulari rem declarat alibi sanctus Doctor, ubi Christianas virgines barbarica incursione vim passas consolatur: *Nolite mirari hoc vos amisisse, unde hominibus placere gestiistis, illud vobis remansisse, quod ostendi hominibus non potest. Si peccantibus non consensistis, divinæ gratiæ ne amitteretur, divinum accessit auxilium: humanæ gloriæ ne amaretur, humanum accessit opprobrium. In utroque consolamini pusillanimes: illinc probatæ, hinc castigatæ: illinc justificatæ, hinc emendatæ.* Et infrà: *Fortassis istæ quæ bene sibi sunt consciæ, non se ex isto castitatis bono cor inflatum extulisse, & tamen vim hostilem in carne perpessæ sunt: habebant aliquid latentis infirmitatis, quæ posset in superbiæ fastum, si hanc humilitatem in vastatione illa evasissent, extolli. Sicut ergo quidam morte rapti sunt, ne malitia mutaret intellectum eorum; ita quiddam ab istis vi raptum est, ne prosperitas mutaret modestiam earum. Utrisque igitur, quæ de carne sua, quod turpem nullius essent perpessæ contactum, vel jam superbiebant, vel superbire, si nec hostium violentia contrectatæ essent, forsitan poterant, non ablata est castitas, sed humilitas persuasa. Illarum tumori succursum est immanenti, istarum occursum est imminenti.* Istarum virginum quædam assumuntur, quæ Civit. l. 1. c. 28.

de

de integritatis suæ flore virgineo nihil intumuerint, adeoque nec tantillum ab illis secesserit humilitatis gratia. Sed quia tamen inerat illis *aliquid latentis infirmitatis*, unde proclives essent ad superbiendum, ideoque sin minus nunc, at postea, at aliquando, at occasione data erupturæ in superbiam; ideo hac hostili & violenta contrectatione provisum illis est, & altiùs irradicata humilitas, hoc est, insertus est pudor, inditum sui fastidium, defloratum obtritumque est quo sibi placere poterant, atque ita effectum, ut lubentiores acquiescerent gratiæ inspiranti, ut viles sibi essent.

Atrociore rem istam alibi confirmat exemplo, eorum qui authorem vitæ Christum morte acerbissima peremerunt, quorum videlicet ita insolenter creverat superbia, ut vel isto egeret humilitatis stimulo, hoc curari egeret probrosissimo medicamento, probro prorsus medicinali. *An fortè & hoc de supernæ medicinæ misericordia factum intelligendum est, ut quoniam superbæ & perversæ voluntatis erant, & suam justitiam constituere volebant, ad hoc desererentur, ut excæcarentur, ad hoc excæcarentur, ut offenderent in lapidem offensionis, & impleretur facies eorum ignominia, atque ita humiliati quærerent Dominum, & non suam, qua inflatur superbus, sed justitiam Dei, qua justificatur impius? Hoc enim multis eorum profecit in bonum, qui de suo scelere compuncti, in Christum posteà crediderunt: pro quibus & ipse oraverat, dicens, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Et hos ergo deseruit gratia, sed antè illi erant *superbæ & perversæ voluntatis*. Itaque etsi nondum aufugerat gratia, jam superba erant & perversa voluntate, & eo merito deserti, excæcati, & immanissimi facinoris labe contaminati, ignominia obruti, ita humiliati sunt, ut jam superbiam deponere, & humilitatis gratiæ sæpius antè repudiatæ assentiri cogerentur.

In Ioan. Tract. 53.

Et alibi efficaciam hujus tantæ & morositatis & difficultatis commendans in curandis morbis animæ: *Et tu Domine usquequo? Quis non intelligit significari animam luctantem cum morbis suis? Diu autem dilatam à medico, ut ei persuaderetur in quæ mala se peccando præcipitaverit. Quod enim facilè sanatur, non multum cavetur. Ex difficultate autem sanationis erit diligentior custodia receptæ sanitatis. Non ergo tanquam crudelis Deus æstimandus est, cui dicitur, Et tu Domine usquequo? Sed tanquam bonus persuasor animæ, quid mali sibi ipsa pepererit.* Si id persuadet unica prædeterminans gratia, idque uno ictu: tota ergo illa procrastinatio & difficultas de sævitia, non de misericordia descendit. Unde & alibi: *Quod pateris tribulationes, manus est secantis medici, non sententia Judicis punientis. Fit hoc, ut perfecta sit sanitas. Patiamur, feramus dolores. Dulce peccatum est, per amaritudines ergo tribulationis perniciosa dulcedo digeratur. Delectabat te, quando fecisti malum; sed incidisti in infirmitatem faciendo. A contrario medicina est, facit tibi ad tempus dolorem, ut recipias perpetuam sanitatem.* Et alibi: *Quomodo unusquisque hominum idoneus est omnes mortiferos Satanæ dolos evadere, nisi regat atque tueatur Deus? Et ipsa hujus rei difficultas ad hoc est utilis, ne sit spes sibi quisque, aut bono alter alteri, sed Deus suis omnibus. Id enim nobis potius expedire, prorsus piorum ambigit nemo.* Et alibi: *Incipit homo velle confligere contra vitia, & propter superbiam superari. Invenit se ligatum compedibus cupiditatum, inclusum se sentit difficultate vitiorum, &c. Conatur, & non potest, &c. Exclamat ad Dominum, &c. Liberat eum Dominus de necessitatibus, rumpit vincula difficultatis, &c. Incipit ei jam facile esse quod difficile fuerat, abstinere à malis, non adulterare, &c. Facta est facultas, quæ fuerat difficultas. Potuit hoc Dominus sine difficultate præstare, sed si hoc sine difficultate haberemus, largitorem hujus boni non agnosceremus.* Agnosceremus enimverò, si eadem prædeterminans gratia aspirare pergeret. Frustra ergo hæc Augustinus moneret. At si voluntatem magis afficit etiam experientia dolorum, & recordatio difficultatum exhaustarum, & affectio inde altissimè infixa medullis animæ, & timor recidendi in eosdem angores; tunc sanè locum habet tota hæc doctrina Augustini.

In Psal. 6.

De divers. Ser. 34. c. 5.

Enchirid. c. 60.

In Psal. 106.

In id conspirat & quædam virtutum mediocritas, ut dum superamur ab aliis, eò fiat, ne à superbia superemur. *Si cogitas quantum præcessisti alterum, time tumorem. Si vero cogitas quantum tibi deest adhuc, ingemiscis, & cum ingemiscis, curaris; humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis, non inflaberis.*

De Verbis Dom. serm. 53.

CAPUT XLV.

Idem ipsum ex aliis Patribus Latinis declaratur, Ambrosio, Leone Magno, Fulgentio, Bernardo, Isaaco Stella, Isidoro Hispalensi.

QUæ ex Gregorio & Augustino demonstrata sunt anterioribus capitibus, eadem ipsa nunc muniemus authoritate & consensu cæterorum quoque Patrum. Et primò quidem accedent Latini, deinde ad Græcos pergemus.

Initium fa iemus ab Ambrosio, qui suis ipsos lapsibus excitari & effervescere Sanctos docet, atque alacriores & surgere & currere deinceps, quàm si stetissent semper. *Sancti Domini dum consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi fortè ut homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine, alacriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantis certamina, ut non solum nullum æstimetur attulisse lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. Ergo si currentium non solvitur cursus, cum fortè aliqui ciciderint, non luctantium contentio, sed inoffensa manent certamina; quin etiam plerique post unum aut alterum lapsum majore gratia vicerunt; quantò magis agonem pietatis ingressi non debent unius prolapsionis offensione censeri, cum beatus sit qui se potuerit reparare post lapsum?* Expendit hìc Ambrosius *pudoris stimulum*, quo incitati Sancti post lapsum acriores ad currendum resurgunt, atque ita certamen reparant, ut videatur lapsus incentiva velocitatis attulisse. Ita quippe habet, Pudor prolapsionis voluntatem urget & instimulat, ut gratiæ interiori & reparatrici diligentiùs flagrantiùsque quàm antè obsequatur.

Apologia 1. David. c. 2.

Præposterum est autem sibi fingere, flagrantioris hujus diligentiæ causam gratiamque non antè affuisse, sed discessisse omnino gratiam ab homine sancto, ita illum in culpam impegisse, tum deinde gratiam esse redditam, & quidem uberiorem, qua & culpa evitata esset si antè effulsisset, & nunc alacritas augetur in stadio pietatis. Omninò aliena hæc sunt à sensu Ambrosii, & à sensu piorum omnium, & mera nuperæ calliditatis commenta. Disertè Ambrosius ait Sanctos interdum cæspitare *fragilitate naturæ*, quæ videlicet oscitantiùs auscultat gratiæ, & otio suo indormiscit, non penuria gratiæ. Jam verò post lapsum *pudoris stimulo* addito ad priorem gratiam acriùs pugnari.

Et idem non multò pòst advertit abundantiore gratia utique potuisse præcaveri hunc lapsum, sed è latere emersuram fuisse superbiam, quadam naturæ in eam labem proclivitate. Ideò consultò abundantiorem illam gratiam non esse concessam, ne ejus occasione erumperet superbia; quòd scilicet multò sit conducibilius ex lapsu firmari fundarique humilitatem. *Præteriit paulisper Sanctos gratia Dei, ut nobis ad imitationem vitæ eorum fieret disciplina; & sicut innocentiæ, ita & innocentiæ magiste-*

sterium de eorum actibus sumeremus. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco: dum credo consortes, imitandos esse præsumo. Admonet etiam Apostolus Paulus prospexisse Dominum Deum nostrum, ne vel revelationum sublimitate, vel secundo operum continuante processu, humanus etiam in Sanctis extolleretur affectus: nec sibi deputarent, virtutique attribuerent suæ, quod divina operatione sibi foret collatum. Ergo ne in tantum judicium ruerent, atque in perfidiæ foveam deciderent, passus est Dominus illis subintrare culpam, ut & ipsi adverterent divinis se auxiliis indigere, ducemque salutis suæ quærendum esse cognoscerent. Denique Paulus infirmitatem sibi profuisse testatur, &c. Meritoque gloriatur in infirmitatibus. Sciebat enim virtutis abundantia plurimos etiam Sanctos sine remedio corruisse. Quanto igitur commodius, uni aut duabus reprehensionibus locum dedisse, quam traxisse in perpetuum divinitatis offensam? Præteriit & aliquantulum Sanctos deseruit gratia, quia inerat aliquid latentis infirmitatis, unde extollerentur, & ex virtutis abundantia sine remedio corruerent.

Et idem alibi: *Aliud est bella fortiter perpeti, aliud bellis enerviter expugnari. In illis exercitatur virtus, ne quis extolli debeat: in his omnino extinguitur, ne subsistat.* Et rursum alibi: *In revelationibus minimè gloriandum, sed in infirmitatibus, quia infirmitas & remedium elationis & virtutis exercitium est. Contra autem revelatio elationis lubricum est. Paulus revelationis sublimitate ne extolleretur, stimulum carnis accepit. Subvenit ergo infirmitas, ne gratia in periculum verteretur. Utilior ergo infirmitas, quam gratia. Eadem quippe infirmitas officina virtutis est.* Hæc gratia, qua utilior est infirmitas teste Ambrosio, non illa interior charitas, vel justitiæ delectatio est: sed vel revelationum sublimitas, ut subjecta hic suadet materia: vel occasionum peccandi eliminatio, ut in Davide suprà consentaneum erat; hac enim gratia utilior est infirmitas, tentatio, prolapsio denique, quòd nimirum illa superbiæ, hæc humilitatis parens genitrixque futura sit.

Tract. de 41. mansf. In Psal. 36.

Et idem alibi elegantissimè in hæc Dei verba, Jobum diabolo permittentis: *Trado tibi eum, tantummodo animam ejus custodi:* Et in hæc Apostoli illis alludentia: *Tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit;* hæc subdit Ambrosius: *Magna potestas, magna gratia, quæ imperat diabolo, ut seipse destruat. Se enim destruit, cum hominem, quem tentando supplantare studet, ex infirmo fortiorem efficit; quia dum carnem ejus debilitat, mentem ejus corroborat. Ægritudo enim carnis peccatum repellit, luxuria autem carnis peccatum adolet, &c. A Paulo illuditur diabolus, ut quod venenum est, medicamentum fiat, &c. Quanta vis Christi, ut hominis custodia imperetur etiam ipsi diabolo, qui semper vult nocere? Carnem ulcerat, sed custodit animam, &c.* In his omnibus ergo quasi extrinsecis gratiæ munimentis, per ægritudines, tentationes, virtutum spinas & difficultates, culparum maculas, famulatur omnipotenti Christi gratiæ malitia diaboli, & dum obesse tentat, prodest: dum cruciat, dum maculat electorum animas, id scilicet consequitur, ut sibi viliores & humiliores evadant, tantòque faciliùs persuadeantur, interioribus gratiæ inspirationibus & delectationibus justitiæ indulgere.

L. 1. c. 13.

Quàm latè pateat res ista, idem declarat alibi, cùm omnibus qui sub lege sunt, necdum sub gratia, hanc propinari à Deo, hanc succurrere medicinam affirmat: *Universorum itaque culpa operata est subjectionem, subjectio humilitatem, humilitas obedientiam generavit. Unde lex scripta, quæ videbatur superflua, facta est necessaria, ut peccatum peccato solveret, &c. Versa est lex in contrarium, tamen ipso peccati incremento facta est mihi utilis, quia humiliatus sum, &c. Crevit quidem culpa per legem, sed & culpæ author superbia soluta est, idque mihi profuit. Superbia enim culpam invenit, culpa autem gratiam fuit,* Et alibi: *Sæpè videmus aliquos, qui antè negligentes fuerunt Christiani, peccato aliquo commisso fieri diligentiores, & ex illo per pœnitentiam evadere solere perfectos.*

Epist. 72.

In Psal. 37

Denique idem alibi de Petro & Paulo: *Non confusus est Petrus dicere, Exi à me Domine, quia peccator sum ego. Vir enim sapiens & gravis, in quo esset Ecclesiæ firmamentum, & disciplinæ ministerium, nihil utilius sibi esse prospexit, quàm ne secundantis operis extolleretur eventu. Et ideo, Exi, inquit, à me Domine. Non rogat ut deseratur, sed ne infletur. Paulus quoque carnis stimulo gloriatur, quo sibi ne extolleretur, provisum est. Illecebrosa jactantia est, quam etiam Paulus veretur. Lubrica, quæ etiam in Paulo cavetur. Et ideo quasi fortis athleta lætatur, quod vulnere corporis emere didicerat animæ sanitatem.*

De virg. l. 5.

Leo Magnus similiter: *Dicente Domino, Sine me nihil potestis facere, dubium non est, hominem bona agentem à Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis. Unde & Apostolus copiosissimus fidelium Prædicator, Cum timore inquit & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Et hæc Sanctis causa est tremendi atque metuendi, ne illis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Vides quid Sancti timeant. Videlicet non illud, ne illos gratia prior deserat, & ita superbiant: sed ne superbiant de ipsis operibus bonis, & de ipsa jugi operatione gratiæ, atque ita fiat ut deserantur ope gratiæ, & in naturæ infirmitate jacentes, in quorumlibet resorbeantur vitiorum voraginem. Possunt ergo efferri antè de bonis ipsis operibus, quàm gratia deserantur. Quod ubi contingit, gratiæque ope nudati fœdiùs postea contaminantur, hinc pudore affecti, & sibi displicentes, gratiæ redditæ cautiùs humiliùsque adhærescunt. Ideò autem possunt gratia adhuc aspirante in superbiam efferri, quia gratiæ est dare *initium voluntatis & effectum operis.* At ubi datum, hoc est, divinitus inspiratum est initium bonæ voluntatis, jam liberæ nostræ voluntatis est illi adhærescere per consensus sui constantiam, vel resilire dissensus sui perfidia, vel consentire quidem, sed remissiùs incautiùsque, ita ut superbiæ vel ignaviæ aliquid se interserat. Et idem alibi: *Donec licet Sanctis suis quotidianam gratia divina victoriam, non aufert tamen dimicandi materiam. Quia & hoc ipsum de misericordia protegentis est, qui naturæ mutabili, ne de confecto prælio superbiret, semper voluit superesse quod vinceret.* Paulò antè ibidem scripserat, *Aderat Christi discipulis protectio omnipotentis auxilii.* Ita sanè *gratia donat victoriam,* ita *auxilio omnipotenti* suos tuetur & promovet Christus, quia naturam mutabilem *protegit,* nec illi aufert dimicandi materiam, alioqui in sui fiduciam & in pestiferam superbiam eruptur æ.

De Epiph. serm. 7.

De jejun. Pent. ser. 1.

Fulgentius in eandem sententiam: *Evidentibus vitiis provocat diabolus, dum virginitatem cordis impugnat; in quibus si palam superetur, illico superbiam perniciosissimè jaculatur; & vitiorum author, ut in eo quod non potest vincere vitiis suis, vincit virtutibus: alienis armis quibus eliditur, surgit; & virtute qua dejicitur, dejicit, Laudat, qua se perspicit superari, virtutem; ut victus possit captivare vincentem. Iniicit enim cordi jactantiam, ut graviori lapsu possit de alto deiicere, si quos in humilibus videt gradu firmiore pugnare. Bonis operatur mala, salubribus noxia, justis injusta, & commodis præstat incommoda.* Si virtutibus vitium superbiæ in generare potest diabolus, quanto omnipotentiùs vitiis virtutem humilitatis insinuabit Deus, cùm ille non possit, Deus possit, ejus voluntatis, quam esse cupit, inspirare affectum? Addit idem esse in aliis sanctis quo alii superentur virtutis aliquod specimen singulare, hoc obversari ocu-

Epist. 1. ad Probam. c. 15. 13 14.

oculis animi debere, humilitatis veluti præsidium. *Noli considerare quid aliæ minus habeant, quàm tu habes, sed tu quid minus habeas, quàm habere jam debes.* Ita & ipsa virtutis egestas virtuti & humilitati auxilio est. Itaque hæc gratiæ & virtutum mediocritas misericordiæ plenitudo est. Et rursum ille: Epist. 4 c. 7. *Licet habeamus, unde gratias agere Deo debeamus, quia nos sibi gratuita miseratione subjecit, ut humiles simus: habemus tamen unde continuis precibus divinas aures pulsare debeamus. Quia quandiu in hoc mortali corpore sumus, sicut non possumus sine peccato esse, sic necdum valemus perfectam humilitatem divinis jussionibus exhibere.* Infra autem nonnisi cum vitæ mortalitate exui superbiam docet, quòd ea fit gratiæ cœlestis & beatæ propria exundantia & plenitudo: Cap. 8. *Tunc erit in nobis vera, perfecta, & excelsa humilitas, cum & in carne, & in mente nostra nulla remanserit prava cupiditas.*

Bernardus jam prodeat ejusdem assertor doctrinæ: In vigil. Nat. ser. 2. *Propterea mandata sua mandavit custodiri nimis, ut videntes imperfectionem nostram deficere, & non posse implere quod debet, fugiamus ad misericordiam, & dicamus, Quoniam melior est misericordia tua super vitas, & qui non possumus in vestitu innocentiæ seu justitiæ, appareamus vestiti confessione.* Perfectè implere mandata, hîc non possumus; quia nolumus, aut non tantùm volumus, quantum opus est ut possumus. Ideo autem non tantùm volumus, etsi adsit voluntas, etsi idonea non desit gratia, quia etiam volendo & consentiendo pigrescimus. Ideo autem in hac ignavia residua languere nos Deus patitur adhuc, posset enim per redundantem quandam gratiam abradere atque eiicere à nobis hanc quasi concretam nobis inertiam: sed ideo non facit, quia hæc ubertas plenissima gratiæ proprius est census æternæ & beatæ vitæ, consummatæ charitatis, consummatæ justitiæ, cujus individua comes est felicitas: Huic autem mortalitati ratio illa magis congruit, ut ex cupiditatum pugna & ex lapsu quandoque nostro crescat humilitas. Unde idem alibi: *Sicut de concupiscentia* In cœna Dom. ser. 1. *diximus, quod licèt damnationem abstulerit Deus, quia juxta Apostolum, Nulla damnatio est his, qui sunt in Christo Jesu: tamen ad humiliandos nos ipsam adhuc patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut sentiamus, quid adhuc gratia præstet, & ad illius auxilium recurramus semper: sic & de minoribus istis peccatis, pia dispensatione nobiscum agitur, ut non penitus auferantur, sed in illis nos erudiat Deus, ut cum minima cavere non possumus, certi simus, quod non nostris viribus majora superemus.* Nempè ut ante idem dixerat, *Ad sanandum opus est curatione multa.* Et alibi idem notat, quòd *usque ad supremum exercitii spiritualis gradum, si quis* Ser. de quat. modis orandi. *eo usque pervenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut vix sibi primum videatur adeptus.* Ita summa veritas Deus salubriter sanctis suis imponit, & pia utilique fraude illos sibi ipsis abscondit.

Et alibi Bernardus idem prorsus luculentè: *Sicut iste corporeus Sol licèt bonus sit & valdè necessarius: tamen & fervor ejus si temperatus non fuerit, infirmo capiti, & splendor infirmis oculis nocet: nec est Solis culpa, sed infirmitatis. Sic est Sol justitiæ. Unde & dicitur, Noli nimium justus esse. Non quod justitia bona non sit, sed quod dum adhuc infirmi sumus, oportet ipsa bona gratiæ temperari, ne fortè elationis aut indiscretionis vitium incurramus. Quid est quod incessanter orantes & supplicantes, non possumus ad eam gratiam quam desideramus abundantiam pervenire? Putatis, quia avarus aut inops factus est Deus, aut impotens, aut inexorabilis? Absit hoc, absit, sed ipse cognovit figmentum nostrum, & scapulis suis obumbrat nobis. Non tamen à petitione propterea cessandum est, qui etsi non dat ad satietatem, dat tamen ad sustentationem, etsi cavet nobis à fervore nimio, tamen fovet nos tanquam mater calore suo.* Ne fingas ergo tibi motionem vel delectationem prædeterminantem, quæ unico impulsu & infallibili voluntates applicet affigatque demissioni, seu modestiæ & humilitati. Id agit Deus, sed non eo modo. Non tam vi & copia enim gratiæ, quàm mediocritate id agit, & molestiarum sensu, & tentationum experimento, & vitiorum cæspitatione, & objecta oculis identidem expertæ toties infirmitatis fœditate ac conscientia, hac coagmentatione auxiliorum longè diversissimorum id agit Deus, & omnipotenter agit, ut ne electi sui inflentur.

Et ipsam quidem humilitatis virtutem intus aspirat & generat amor, charitas, gratia Dei. *Utinam* In Cant. Ser. 9. *in me omnium extollentiam comprimat, imò dejiciat & ad nihilum redigat, non accensus furor, sed infusus amor. Utinam discam non superbire, sed unctione potius quàm ultione magistra.* Sed inspiratæ huic humilitatis gratiæ reluctatur plerumque superbæ contumacia voluntatis, donec furor, donec ultio hanc humilitatis adversariam elidat. Ultio autem illa divina, qua conteritur humana superbia, omnes complectitur tentationes & molestias seu prolapsiones etiam, quas jamdiu prosequimur disputando. Sed præ cæteris ipsa ex peccato profecta & ad peccandum usque incitata carnis concupiscentia, quantum habeat ponderis ad deprimendam jactantiam illam insulsissimam, quæ undique & jugiter adrepit & lacessit, sic idem Bernardus: *Si* Epist. 41. *singuli illiciti motus animi mei singula sunt quædam in te Deus convitia; ut puta iracundiæ motus in mansuetudinem, invidiæ in charitatem, in frugalitatem luxuriæ, turpitudinis in castitatem, & innumera his similia, quæ de cœnoso lacu prurientis pectoris mei incessanter etiamnunc ebulliunt, inundantes & impingentes in serenitatem præfulgentis vultus tui, quid magnum feci, solos cohibere artus, actus corrigere? Si has atque hujusmodi quas foris licèt vacans, intus actitare non cesso, iniquitates observaveris, ô Domine, quis sustinebit? An fortè jam non ago illas, sed patior, &c.* Observat & idem alibi, *quod ad hominis magis quàm ad Dei memoriam moveamur,* In Cant. Ser. 14. id ingemiscendum esse, id permitti divinitus, *ut nostra aut superbia convincatur, aut custodiatur humilitas.* Et alibi: *Sicut medicus non solùm unguento, sed ferro utitur & igni, quo omne quod in* De gradib. humil. In pr. gradu superbiæ. *vulnere sanando superfluum excreverit, & secet & urat: ne sanitatem quæ ex unguento procedit, impediat: sic medicus animarum Deus hujusmodi animæ procurat tentationes, immittit tribulationes, quibus afflicta & humiliata, gaudium vertat in luctum. Sic Pauli extollentia per stimulos carnis reprimitur. Sic per gloriam & ignobilitatem Sancti proficiunt, dum inter singularia dona quæ recipiunt, communi hominum vanitate pulsari se sentiunt; ut dum per gratiam supra se aliquid cernunt, non obliviscantur quod sunt.* Ergo ipso sensu superbiæ suppalpantis revocantur viri sancti ad humilitatem; ea est enim tum fœdissima, tum periculosissima tentatio.

Sed illud præ cæteris animadverti velim, *sanitatem unguento*, id est, humilitatem ipsam gratiæ infusione creari in anima, sed *ferro & igni* seu tentationibus & tribulationibus, fieri ne *impediat* animæ dissensio hanc humilitatis sanitatem. Ejusmodi est ergo efficacia tentationum, & periculorum, qualis ferri & ignis in curando vulnere; non ab his sanitas est, sed sine his tota in irritum cadet unguenti vis & medicina. Ita luculentè Isaac Stella Cisterciensis Ordinis Abbas & Bernardi Synchronus, Augustino certè addictissimus; præstructo enim eo, ut possit, vel non possit perire prædestinatus, utque Deus exteriores instruat occasiones machinasque ad perficiendum prædestinationis suæ propositum, addit tandem: *Patet itaque pietas Dei nostri, quæ utique merita nobis quasi extorquet à nobis, cum foris occasionem operis parat, & intus affectum creat. Dum enim quod foris præcipit, nobiscum*

bis cum intus ut faciamus facit, &c. Et mox, *Omnipotens & benignus Deus suaviter nos intus cogit, & quo vult sine violentia volentes trahit*. Ita nimirùm trahit Deus quo vult suaviter & efficaciter, dum simul *foris occasionem parat, intus effectum creat*.

Sent. l. 2. c. 34. 36. Isidorus autem Hispalensis Episcopus, *Homines de virtutibus vitia nutriunt, ex quibus pereant: iterum Deus arte potentissima ex nostro vitio virtutes format, quibus nos ab iniquitate reformet*. Et infrà: *Quem Deus justificat, ne iterùm se de virtutibus erigat, quædam illi virtutum dona tribuit, quædam retrahit; ut dum mens de hoc quod habet erigitur, iterùm de hoc quod nequaquam habere cognoscitur, humilietur*. Et rursum: *Qui dono cœlestis gratiæ inspiratus ad virtutes erigitur, si fortè moderantis Dei manu, aliqua adversitate reprimitur, ne de acceptis virtutibus attollatur, frangi non debet*, &c.

CAPUT XLVI.

Idem ex Patribus Græcis, Chrysostomo, Theodoreto, Climaco.

Græcorum nunc Patrum suffragia in eandem doctrinam obiter corrademus. Et ante alios Chrysostomus disertè testatur, hanc primam esse ante alias quas complures accumulat causam, cur Deus suos sinat variis tentationibus & afflictionibus divexari, ut gliscens superbia compescatur:

Ad pop. Antioch. hom. *Prima est causa, quod ne facilè in arrogantiam propter meritorum magnitudinem & miraculorum tollantur, ipsos Deus sinat affligi*. Et alio loco: *Propterea Deus laboriosam naturaliter vitam nostram &*

Ibidem. Hom. 5. *gravem constituit, ut præsenti tribulatione compulsi futurorum desiderium capiamus. Si enim cum sint tot tristia, & pericula, & timores, & curæ nos undique circumeuntes, tam libenter præsenti immoramur vitæ; si nihil horum esset, & absque tristitia & ærumnis omnibus tota foret vita nostra, quando unquam futura desideraremus? Sic & Judæis Deus fecit. Volens enim illos in reditus cupiditatem inducere, & ut Ægyptum odissent persuadere, permisit eos lateritio opere & luto laborare; ut laborum & ærumnæ illius magnitudine cruciati, ad Deum reversionis causa clamarent*. Desideria quidem æternorum & affectus pios inspirat intus Deus, sed quotusquisque his acquiescit, & sese committit, dum res omnes ex animi sententia fluunt? Ergo omnipotenter Deus quos vult cumque ad se trahit, dum adversis, periculis, tentationibusque fatigat, nec respirare finit, nisi dum ad ipsum redire constituunt. Et alibi: *Oblivioni & igno-*

Hom. 1. *rantiæ & tristitiæ & curis obnoxiam naturam humanam reddidit Deus, ne ad propriam generositatem respiciens, majorem propria dignitate opinionem concipiat. Si enim cum hæc ita sint, quidem dicere sunt ausi, quod substantia Dei est: si ab his esset absoluta passionibus, ad quid isti non processissent?*

Theodoretus similiter, ut omnipotenter Deus voluntates nostras agat & inhibeat, stimulo vel fræno ærumnarum, tribulationum, tentationum, periculorum, terrorum, difficultatum:

De Provid. Orat. 1. *Eandem ob causam feras quoque & belluas atque serpentum genera rerum opifex condidit, ut tuum illum juveniliter insolescentem & audacem animum ad virtutem erudiret, ac ferarum terrore te divini auxilii indigum faceret. Horum enim timor ac metus tibi imminens, teque assiduo dolore pungens ac stimulans, ad preces excitare solet, & auxiliatoris opem atque auxilium implorare cogit. Cùm verò auxilium petere jubet necessitas, tum quoque colere & observare illum satagis, qui auxilium ferre potest: & eidem assidere cogeris, ut insidiantium damna effugias*. Quæ quidem perinde valent de metu quocumque & de qualibet necessitate, impellente & cogente ad Dei opem confugere. *Quomodo enim non absurdum fuerit, litteratorem quidem, qui ad tempus libros cadit, & ferula ignaviæ torporem excutiens, loris firmam litterarum memoriam infigit, collaudare: & medico gratias agere, non modo cum cibum potumque laboranti præbet, verùm etiam cum secat, urit, & morbo sese hostiliter opponit, ne ille auctus ulteriùs serpat, prohibens: Deum verò qui uberiore sapientia & diligentiori cura animarum saluti prospicit, & bonorum largitione flagrorumque metu virtutis elementa nos edocet, ac malitiæ morbum radicitus evellit, solidamque animæ salutem operatur, blasphemiis ac conviciis proscindere?*

Climachus hoc eodem timorum, periculorum, vitiorum metu & experimento frænari superbiam significat in hunc modum: *Cœnobium est velut terrestre cœlum, proinde par est ut Angelos Domini ministrantes sensu & affectu imitemur & exprimamus. Est cùm in hoc terrestri cœlo versantes, tam sicci & aridi reddantur, ut in lapides versi videantur. Est cùm iidem rursus per afflicti cordis dolorem cœlesti consolatione recreantur, ut & superbum animi sensum effugiant, & per lacrymarum copiam reficiantur.* Grad. 4. Ergo cùm gemini hinc inde impendeant scopuli, geminæ pestes, superbia & desperatio, cœlestium consolationum & gratiarum nunc penuria dolent, nunc ubertate recreantur, ut hæc illis penuria extundat propulsetque superbiam, ubertas arceat desperationem.

Et infrà idem Climachus: *Quærunt hoc loco nonnulli & dubitant quid sit quamobrem Deus nos ultimum vitæ diem præscire nolit, cùm memoria tamen mortis nobis tam salutaris sit, ignorantes Deum hoc ipsum salutis nostræ causa facere. Nemo quippe ex eis qui diem vitæ ultimum præciperent animo, diu ante mortem aut ad baptismum properaret, aut religiosam vitam profiteretur: sed plerique omnes omnem vitam suam in flagitiis detererent, & in fatali demum hora ad cœlestem baptismatis fontem, & peccatorum expiationem accederent.* Grad. 6.

Et idem alibi castitatis aliquos cultores religiosissimas docet quandoque citra culpam ullam nocturnis pollui insomniis: *Ex dæmonum invidia, hoc Deo accidere permittente ad tempus, ut ex hac inculpabili afflictione, altissimam sibi comparent humilitatem.* Grad. 15.

Nec peccati tantùm imago quædam umbratica, sed & peccatum ipsum Deo permittente incurritur, quo modestia, humilitas, charitas deinceps firmior evadat: *Sæpenumero gravis peccati lapsus improbos correxit, & modestiam docuit, ita ut nolentibus salutem & innocentiam afferret*. Et rursum: *Alii propter quotidiana delicta sese abiiciunt, & vilissimos judicant. Alii ex tentationibus quæ accidunt, & morbis animi, & lapsibus, gratiarum parentem sibi familiarem reddunt*. Et alibi idem: *Laborant viri religiosi & spirituales subinde permissu divino vitiis quibusdam, sed levissimis, ut propter levia quædam, nec Deum offendentia seipsos valde culpent, & interim humilitatis thesaurum nullis prædonibus expositum comparent.* Grad. 24. Grad. 25. Grad. 26.

CAPUT XLVII.

Perseverant justi, si tentationes arceantur, brevientur, mitigentur, vel tentationibus si ipsi præripiantur, denique si non sinantur supra vires tentari, ex Paulo & Augustino. Id verò totum frustra est, si gratia physicè prædeterminans voluntatem affigit bono. Affiget enim peræquè, sive sileat, sive fremat tentatio.

Strictim hoc argumentum suprà delibavimus, erit pretium operæ, si paulò accuratiùs nunc il-

lud

lud expendamus. Ita enim duce & authore Paulo constituit Augustinus, gratiam perseverantiæ eò plerumque invictissimam esse, quòd justi tentationibus vel tentationes justis præripiantur: quòd præfestina mors illos rapiat: quòd, si diutiùs permittantur vitæ huic fluxæ, vel arceantur, vel mitigentur, vel contrahantur tentationes. Gratia hæc non inspirationem tantùm charitatis, sed & exteriorem hanc custodiam complectitur, & eam præ se fert consequendi effectus certitudinem summam, quæ nihil periclitetur vel de suspicione prædeterminatæ coarctatæque in aliquam necessitatem voluntatis. At verò reprobi tametsi germana quandoque flagrent charitate, non tamen præfestina tunc morte hinc avelluntur, quia non est illis ab æterno gratis præparatum perseverantiæ donum: sed diutiùs mortalis hujus vitæ fluctibus permissi, interim tentatione prosternuntur aliqua graviore; non subtracta sibi charitate, non aufugiente gratiæ juvantis auxilio, sed ignavia & lassitudine sua id promerente, ut non adaugeat Deus opem gratiæ in eum cumulum, quo tentatio certissimè superetur.

At verò si vel ex prævisione vel ex prædeterminatione efficaciam consequitur infallibilem sola vel motio vel delectatio interior, quid attinet electos morte quandoque præmatura defungi, reprobos vita prælonga frui, cùm omnia sint in interiore illa gratia, quæ electis addita, certissimam perseverantiam & omnium tentationum victoriam pariet: qua denegata, certum incumbet exitium? Aspiret illa gratia tantùm, etiam inter gravissimarum tentationum procellas perseverabit justus; itaque nihil attinebit, vel vitam decurtari, vel tentationes temperari aut præcidi; quin optatissimus hic erit plurium victoriarum campus in vita diuturna, & inter turbines tentationum. Ex adverso subtrahat se illa gratia, corruet justus, etiamsi vel vitæ brevitate, vel tentationum immunitate donetur.

Similiter occasiones peccandi aliquas vel ante vel post conversionem subduci, quid tantoperè juvat, cùm illas quilibet invictissimè superaturus sit, prædeterminantis, vel ex præscientia efficacissimæ gratiæ præsidio fultus; hac verò fraudatus, sua sponte ruiturus sit?

At verò si illa sit ratio efficacissimæ & invictissimæ gratiæ, quæ plura, quæ varia, quæ omnimoda, quæ alia aliis accumulata, quæ conspirantia complectitur auxilia, nec intus tantùm foventia per inspirationem luminis & affectus pii, sed foris quoque custodientia, & adversarios qualescumque vehementiores occupantia, vel omnino propulsando, vel ad quendam modum cohibendo eorum vires; si gratia inquam ejusmodi sit efficacissima, jam expedita erunt & plana & dilucida omnia Scripturæ & Augustini decreta, jam nullis calliditatibus, nullis tricis opus erit ut ea exponantur. Præripientur enim electi tentationibus, vel tentationes electis, quia eo loco sunt quidam eorum, ut cum ea gratiæ & habitualis & actualis mensura qua donati sunt, impares sint acerbiori tentationi, & tandem aliquando prolapsuri, si ea diutiùs quatiantur. Alii vitæ brevitate non subtrahuntur tentationi, sed ipsa mitigata vel contracta tentatione revelantur. Alii denique & diutilè & gravioribus tentationibus objectantur, quorum spectata virtus & altissimis infixa radicibus est; & interim tamen tanto & delectationis justitiæ & timoris gehennæ, & pio quolibet intus affectu foventur & accenduntur, ut vim tentationis magno roboris augmento sibi facto facilè superent: non tamen unquam objiciantur tam gravi & tam diuturnæ tempestati, quæ eorum vires & patientiæ modum superet.

Epist. 107. Augustinus in Epistola ad Vitalem: *Quomodo non gratia Dei est, non solùm credendi voluntas ab initio, verum etiam perseverandi usque in finem, cum finis ipse vitæ hujus non in hominis, sed in Dei sit potestate, & possit utique Deus etiam hoc beneficium non perseveraturo conferre, ut rapiatur ex corpore, ne malitia mutet intellectum illius?* Addit eum qui ita præripitur, Deo debere quòd subtractus sit malitiæ fortitan imminenti. Et alibi idem: *Ex isto numero electorum & prædestinatorum, etiam qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cujus patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti: ut ostendatur & ipsis, & aliis cohæredibus eorum, de quàm profundo malo possit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit, quacumque ætate moriatur. Absit enim ut prædestinatus ad vitam, absque sacramento mediatoris finire sinatur hanc vitam.* Cont. Jul. l. 5. c. 4. Et alibi: *Respondeant si possunt, cur illos Deus, cùm fideliter & piè viverent, non tunc de hujus vitæ periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum? Utrum hoc in potestate non habuit? An eorum mala futura nescivit, &c. Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum: cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant: ita donum Dei esse in bono perseverantiam, nobiscum fateantur; & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversùs Deum dignentur ignorare nobiscum.* De Correpț. c. 8.

Quando ergo ibidem definit Augustinus à Deo perseverantiam illis dari, quibus dat Deus *in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem; ut perseverent, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem:* non ita interpretanda hæc sunt, quasi ista exterior custodia supervacanea sit, qua vel amolitur Deus vel moderatur tentationes, ne supra electorum patientiam grassentur; vel illos his morte præcoqua eripere occupat. Datur enim voluntas à Deo electis invictissima, & fortitudo insuperabilis, sed aliquo usque, & suo quodam ac consentaneo modo; nempè comparatè ad eas peccandi occasiones, tentationes, vitæ moras, ærumnas, difficultates, quibus illos Deus committet. Insuperabilis est ergo illa gratia, sed huic adversario commissa, quæ utique graviori comparata vel diuturniori cederet. Idem alibi Augustinus idem ex Cypriano: *Scripsit de mortalitate librum beatus Cyprianus, multis ac penè omnibus, qui Ecclesiasticas litteras amant, laudabiliter notum: in quo propterea dicit, non solum non esse fidelibus inutilem mortem, verum etiam utilem reperiri: quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitatem constituit, &c. Ait peccandi pericula nec deesse in ista vita, nec superesse post istam.* Et infrà: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Hoc dictum est, secundùm pericula vitæ hujus, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in libro Job, Nunquid non tentatio est vita humana super terram? Sed quare aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis, dum justi sunt, auferantur; alii verò justi donec à justitia cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur, quis cognovit sensum Domini?* De Prædest. SS. c. 14. Quantumvis invictissima quis voluntate & insuperabili firmitate ad perseverantiam donatus à Deo sit, hac tamen ille Cypriani & Augustini sententia continetur, & morti debet, quòd *peccandi periculis* ipsum subtraxerit, quòd in non *peccandi securitatem* transvexerit, quòd *periculis vitæ*, quòd *tentationum incerto* subduxerit.

Hic verò præscientiam illam conditionatam, & superstructam illi efficaciam gratiæ explodere videtur cum Cypriano Augustinus. Quòd enim ex vi prædestinationis gratuitæ acceleretur justo cuicumque mors, negat id præscientiæ tribuendum, qua illum præviderit lapsurum in hac congerie circumstantiarum. Sed hoc illi misericordiæ vult sanctissimus

ſimus Doctor aſcribi, qua *periculis vitæ, tentationum incerto*, vitæ ipſi erip itur quis, quæ tota tentatio eſt ſuper terram. Citra ullam enim iſtiuſmodi conditionatam præſcientiam, non dubium eſt, juſtitiam & fortitudinem electi cujuſque mediocrem, qualis ferè in hac vita obtinetur, ſi diutiùs permittatur procelloſis tentationibus quati, conquaſſatum tandem & labefactatum aliquando iri. Itaque non hoc aut illud ſingulare facinus admiſſum iri præſcitur; ſed illud videtur indubitatiſſimè univerſum in alicujus peccati laqueos prolapſurum tandem quandoque, qui illos diu & difficilè declinare jubebitur. Ideo Auguſtinus nulla ſuorum dogmatum conflictatione, tunc præſciri affirmat futuros hos electorum caſus, ſi diutiùs vitam protraherent, præſciuntur enim univerſim & generaliter: nunc negat præſciri, nempè ſejunctim & ſigillatim.

Rurſum autem quàm latè patere velit Auguſtinus hoc beneficium, hinc collige quod de parvulis affirmat: *Ex ipſis baptizatis parvulis dicatur mihi, cur alius rapitur, ne malitia mutet intellectum ejus; & alius vivit, impius futurus? Nonne ſi ambo raperentur, ambo in regno cœlorum ingrederentur?* (De pec. mer. l. 1. c. 21.) Et alibi pari cuſtodia ſervare & perſeverare omnes, qui diutiùs hic ævum agunt, *Quoniam qui vitæ brevitate rapuit juſtum, ne malitia mutaret intellectum ejus: ipſe in quantacumque vitæ longitudine cuſtodit juſtum, ne malitia mutet intellectum ejus.* (De præd. SS. c. 14.)

Ideo alibi Auguſtino idem unumque eſt non tentari, & perſeverare in juſtitia: *Iſto conceſſo ſibi dono Dei, ne inferantur in tentationem, nemo Sanctorum eſt, qui non teneat uſque in finem perſeverantiam ſanctitatis. Neque enim quiſquam in propoſito Chriſtianitatis perſeverare deſiſtit, niſi in tentationem primitus inferatur. Si ergo concedatur ei quod orat, ut non inferatur in tentationem, in ſanctificatione utique, quam Deo donante percepit, Deo donante perſiſtit.* (De bono persev. c. 5.) Id perſuadet ratio, cui & experientia accedit ſuffragatrix, juſtum quemlibet in quo juſtitia, charitatis, bonique delectatio & facilitas dominatur, convenienter huic habitui & proclivitati ſuæ voluntatis operaturum, donec tentatio aliqua loco illum moveat, affectuſque animi ejus alios aliis collidat. Ita non tentari & perſeverare, unum idemque eſt. At prædeterminantis ſeu motionis ſeu delectationis authoribus longè alia mens eſt. Ex illorum enim placitis, etſi nihil tentationis perſtrepat, ſola hujus prædeterminantis gratiæ ceſſatio, in certiſſimam perniciem juſtum quemlibet conjiciet. Et viciſſim hac aſpirante gratia, nihilo plus periculi impendebit à graviſſima tentatione, quàm à leviſſima, quàm à nulla. Itaque nihil illis ſatagendum de tentationibus, nec orationibus enitendum ne inferantur in tentationem; ſed cura omnis & orandi ſupplicandique ſollicitudo in id incumbet, ad id ſe arriget duntaxat, ne ſubtrahatur illa gratia prædeterminans voluntatem. Illa enim donata, in tuto ſunt omnia, ſive fremant, ſive ſileant tentationes: illa ſubducta, deſperata eſt ſalus, etſi tentatio conticeſcat. Quorſum ergo evadet illa Orationis Dominicæ particula? Quorſum Auguſtinus, qui expreſsè ait: *Imperavit Deus, ut ei Sancti ejus dicant, orantes, Ne nos inferas in tentationem. Quiſquis igitur exauditur hoc poſcens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua poſſit vel dignus ſit perſeverantiam ſanctitatis amittere.* (Ibid. c. 6.) Et infrà: *Qui non infertur in tentationem, non diſcedit à Deo.*

Quod ſanè pollicetur Apoſtolus, paſſurum non eſſe Deum ſupra id quod poſſunt juſtos electoſve tentari, nos quidem expedite & incunctanter agnoſcimus noſtris conſtare principiis. Eſt enim in juſto quolibet modus quidam charitatis habitualis, virtutumque & virium ſpiritualium, ultra quem tentari eos non ſinit Deus, atque ita fit ut non corruant: aut ſi ultra hunc modum tentari eos patitur, vires & robur auget charitatis, affectus flagrantiores inſpirat, efficitque ut vel tunc quantumcumque ingraveſcat tentatio, eorum charitas ultra ejus modum novo virium & habitualium & actualium augmento convaleſcat. Prolabuntur tamen quandoque juſti, etſi non ultra vires tententur, quia viribus à Deo conceſſis uti pigreſcunt. At ſi hunc caſum prævertere voluiſſet Deus, & omnino prohibere, tunc ſanè vel tentationem ipſam omnino compreſſiſſet, vel ſaltem ita temperaſſet, vires autem charitatis ita exaggeraſſet, totque aliis affectibus, tot cognitionum piarum luminibus communiſſet, ut victoria non dubia huc inclinaret. At quibus ſpes opeſque omnes in ſola motione prædeterminante deſigere lubet, quomodo illis canet Apoſtolus, non paſſurum Deum ſupra vires tentari juſtos? Nam vires hac motione deſtitutas, nulla non tentatio ſuperat: hac munitas, nulla labefactat. An ergo hanc illis motionem gratiæ ſemper adjunget? At ea defraudantur, quoties ſeu graviter, ſeu leviter peccant. Quo ergo ſenſu in hanc illos eriget ſpem Apoſtolus, fore ut non tententur ſupra vires? Nam vires extra hanc motionem victricem & prædeterminantem, nullæ ſunt. Hujus autem motionis viribus tentationes contemperari ſuperfluum eſt: nihilo plus enim à graviſſimis periclitabuntur, quàm à leviſſimis.

An cavillabuntur non tentari electos finali tentatione ſupra vires ſuas? Atqui violentiſſima eſt iſta interpretatio, vel corruptela potiùs Apoſtolicæ ſententiæ. Nec enim ad electos reſtringenda, ſed ad juſtos ſaltem omnes exporrigenda eſt hæc promiſſio. An juſti enim inculpacti hactenus, cùm primùm peccant, tentati ſunt ultra vires, Deo permittente? Apage hoc opinionis portentum. Contra enim aperta eſt Apoſtoli ſententia, Non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis. Deinde quàm arbitraria & prorſus commentitia eſt hæc incruſtatio Apoſtolicæ promiſſionis, ut de finali tentatione intelligatur? Ubi quæſo vel Paulo, vel Auguſtino commemorata eſt iſta tentatio finalis?

CAPUT XLVIII.

Id ipſum ex Gregorio & aliis Patribus, Ambroſio, Hilario, Bernardo, Climaco, Chryſoſtomo.

Quod ſuperiori capite ex Auguſtino, ex aliis nunc Patribus ei ſuffragantibus efficiemus, efficaciſſimæ gratiæ vim ſitam eſſe potiſſimum in propulſatione, vel mitigatione & brevitate tentationum. Ex quo id nimirum perſpicuè emergit, nequaquam in motione prædeterminante efficaciam hanc inviciſſimam reſidere, ut quæ ſi movet, peræquè acerbiſſimas ac leviſſimas tentationes vincimus; ſi ceſſat, perinde minimis ac nullis tentationibus frangimur ac maximis. Quocirca tunc nihil noſtra intereſt vel arceri vel temperari tentationes. Quin fortaſſis interſit eas afflante hac motionis gratia nec arceri nec temperari, ſed magis magiſque & exacerbari & increbreſcere, quòd vel ſic peræquè vincentur, ſed majore gloriæ & meritorum proventu.

Greg. M. perſeverantiæ efficaciam inſuperabilem ex hac plerumque repetit diſpenſatione miſericordiæ, quæ vitam vel contrahit, vel protrahit, tentationes abigit, vel infringit: *Eo tempore ex hac vita quiſque ſubtrahitur, quo ex divina potentia ante tempora præſcitur. Sed ſciendum quia creans & ordinans nos omnipotens Deus, juxta ſingulorum merita diſponit & terminum: ut vel malus ille breviter vivat, ne multis benè agentibus noceat: vel bonus iſte diutius in hac vita ſubſiſtat, ut multis boni operis adjutor exiſtat: vel rurſum malus longius differatur in vita, ut* (Moral. l. 16. c. 4.) pra-

prava adhuc opera augeat, ex quorum tentatione purgati justi, veriùs vivant: vel bonus citiùs subtrahatur, ne si hic diutius vixerit, ejus innocentiam malitia corrumpat. Et alibi idem: *Neque in* L. 4. c. 9. *tentationem Dominus inducit, qui semper à tentatione subditos misericorditer protegit: sed tamen in tentationem quasi ejus inducere est, à tentationis nos illecebra non munire. Et tunc nos in tentationis laqueum non inducit, cum tentari nos ultra quàm possumus non permittit.* Vides ut non electos tantùm, sed subditos omnes Deus protegat, ne tententur ultra vires: & quàm ne cogitarit quidem Gregorius de finali illa tentatione, sed de quacumque prorsus affirmet, & eam temperari ad modum virium nostrarum, & adversùs eam adesse protectorem Deum.

Moral. l. 2. c. 7. Et alibi ipsius exemplo Jobi luculenter: *Consideranda est in verbis Domini dispensatio pietatis sanctæ, quomodo hostem nostrum permittit & retinet, relaxat & refrænat. Alia ad tentandum dat, alia ad affligendum, sed ab aliis religat. Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt, tantùm, ne in eum extendas manuum tuam. Substantiam prodit, sed tamen corpus ejus protegit, quod quidem postmodum tentatori traditurus est: sed tamen non simul ad omnia relaxat hostem, ne undique feriens frangat civem. Mala enim cum multa electis eveniunt, mira conditoris gratia ex tempore dispensantur; ut quæ coacervata perimerent, possint divisa tolerari. Hinc Paulus ait, Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. Hinc David, Proba me Deus, & tenta me. Ac si apertè dicat, Priùs vires inspice, & tunc ut ferre valeo, tentari permitte.* Hæc spectant sanè ad quamcumque tentationem, non ad eam tantùm qua vita concluditur. Perspicis autem ut *mala quæ coacervata perimerent, divisa tolerentur.* Quid mirum ergo si ex adverso beneficia & auxilia gratiæ, quæ divisa spernerentur, & irrita caderent, coacervata frangunt contumaciam voluntatis? Et

L. 3. c. 16. alibi: *Superna pietas retinendo concedit dicens, In manu tua est, tantùm animam illius serva. Sic quippe ille nos deserit, ut custodiat: sic custodit, ut tamen permisso tentationis articulo statum nobis nostræ infirmitatis ostendat.*

L. 9. c. 25. Et alibi idem: *Hoc indesinenter contra bonos consilium maligni spiritus ineunt, ut hi quos servire Deo innocuè in tranquillitate conspiciunt, vexati adversitatibus ad voraginem culpæ rapiantur. Sed eorum consilii acumen destruitur, quia pius conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem pœna transeat, & per astutiam fortium humana infirmitas excedat. Unde & bene per Paulum dicitur, Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra quàm potestis; sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Nisi enim omnipotens Deus cum viribus tentamenta modificet, nullus profectò est, qui malorum spirituum insidias non corruens portet: quia si mensuram judex tentationibus non præbet, eo ipso protinus stantem dejicit, quo ultra vires onera imponit.* Quid attinet tentationem modificari, si insuperabili & prædeterminans motio gratiæ suffragatur? vel vehementissimam enim hæc vincet. Si hæc autem motio absit, quid prodest rursum tentationem temperari? vel hæc enim vincet nudatum ope motionis victricis. Si autem eo invictissimè efficax est gratia, quòd plura intus & foris auxilia conspirant, quòd inspirantur sancti affectus, quòd tentationes compescuntur, quis non videt quàm bellè Apostolo consentiamus?

Est & prosperorum quædam tentatio ac tempestas, famæ, honorum, opum. Hanc quoque in suis Deus temperat. *Dum favor laudantium se-* L. 22. c. 5. *quitur, atque ab statu suo bene operantis animum evertit, linguarum ventos arbor pertulit, & omne quod in ea robustum creverat, tempestas famæ radicitus evulsit. Quo enim arbor altiùs ad superiora surrexerit, eò ventorum vim vehementiùs sentit; quia quò plus quisque in bonis operibus attollitur, eò ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur.* Et paucis interjectis: *Sed inter hæc sciendum est, quia ne immoderatis laudibus erigamur, plerumque miro rectoris nostri moderamine, etiam detractionibus lacerari permittimur: ut cùm nos vox laudantis elevat, lingua detrahentis humiliet.* En ut quædam *tempestas famæ* stirpitus convulsura sit mentem quamlibet virtutibus confirmatam, nisi *miro rectoris* medicique nostri *moderamine* reflare finatur contraria obtrectatorum vis, *ut arbor illa altè radicata quasi inter adversantes ventos fixa stet, quæ dicat, Per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.*

Et rursus idem: *Cùm sicut cupimus, ad Deum pro-* L. 23. c. 16. *ficimus, si profectum nostrum tentatio nulla pulsaret, alicujus nos fortitudinis esse crederemus. Sed quia nobiscum superna dispensatione agitur, ut infirmitatis nostræ quia proficientes obliviscimur, tentati recolamus: & in profectu nostro quid de divino munere, & in tentatione cognoscamus quid de proprii viribus sumus. Quæ nos profectò tentatio ad plenum raperet, nisi protectio superna servaret. Sed pulsat, nec frangit: impellit, nec movet: quatit, nec dejicit; ut de nostra infirmitate sentiamus esse quod quatimur, & de divino munere esse quod stamus.* Vides ubique gratiam perseverantiæ largitricem, eò efficacissimam, eò inexpugnabilem esse, quòd *miro moderamine*, quòd superna protectione tentationes & incutiantur, & temperentur. Si penitus enim sileant, etsi non desit interior eadem gratia, exitialior omni tempestate erit illa pax & tranquillitas; nec ulla tentatio reformidanda magis, quàm tentationum cessatione permitti tempestati laudum & superbiæ intus tumescentis. Et rursum nisi tentationibus fines aliqui præfigantur, etsi spiret semper gratia interior, fatigabitur tandem & concidet virtus animæ quantumlibet invicta.

Quin & illa protectio divina tentationum propulsatrix moderatrixque suffuratur se nonnunquam ad punctum temporis, & id ipsum altioris est consilii, & protectionis longè admirabilioris. Si usque enim adsit & interior gratia, & externa hæc protectio, ex hac ipsa innocentiæ constantia existet & adrepet clancularia superbiæ fibra, suique admiratio & fiducia. Interest ergo aliquando minùs protegi, ut certiùs & efficaciùs protegamur. *Quid enim sumus, si à Conditoris nostri protectione* L. 23. c. ult. *deseramur? Quæ nimirum protectio minùs necessaria creditur, si semper habeatur. Sed utiliter plerumque subtrahitur, ut sibimetipsi homo quàm sine illa nihil sit ostendatur. Manus igitur Dei aliquando nos nobis per adversa insinuat, quæ etiam nescientes nos in prosperis portat. Qua destituti, dum cadere incipimus, & tamen adjuti retinemur: & doctrina fit, quod in lapsu trepidamus: & custodia, quod in statu permanemus.* Cujus rei exemplum perillustre mox statuit in Propheta, qui animosè cùm Regem profanum ad altare Samariæ objurgasset, hinc clanculùm forsan supplaudebat sibi, suæque virtuti tacitus gratulabatur. Hac ergo tabe ne prorsus interiret, gravi lapsu restitutus est pristinæ per humilitatem constantiæ. *Qua in re quid subtili consideratione colligimus, quid ut ita dixerim formidandum suspicamur, nisi quod forsitan quia apud semetipsum tacitus, pro præceptis Dominicis Regem se contempsisse gloriabatur, ab interna mox soliditate quassatus est; & inde ei in opere culpa subrepsit, unde gloria in corde surrexit? Ut Prophetæ falsi voce deceptus disceret, quia nequaquam propriæ fortitudinis fuerit, quòd Regis verbis restitisset.* Ex quo id tandem efficit: *Igitur unumquemque electum suum divina gratia tunc magis erudiendo custodit, cum quasi percutiens deserit.*

Ambrosius non abludit: *Ergo qui vult coronam dare, tentationes suggerit. Et si quando tentaris,*

taris, cognosce quia paratur corona. Tolle Martyrum certamina, tulisti coronas. Nonne tentatio Joseph virtutis est celebratio? Nonne injuria carceris corona est castitatis? Non debemus igitur tentationes sæculi pro malis timere, quibus bona præmia comparantur: sed magis rogare, contemplatione conditionis humanæ, ut eas tentationes subeamus, quas ferre possimus.

Author librorum de Vocatione Gentium; *Licèt innumeris Sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, à nullis tamen aufert quod ipsis repugnat ex ipsis, &c. Meritò ergo non solum ab incipientibus, sed etiam à provectissimis Sanctis uniformiter Domino supplicatur, & dicitur, Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Universis enim qui in fide & dilectione permanent, ab ipso donatur, ne in tentatione superentur.* (L. 2. c. 9.)

Hilarius præclarè in hæc verba Psalmi, *Non me derelinquas usquequaque. Scientes quidem frequenter nos ab eo ob tentationes derelinqui, ut per eas fides nostra probabilis fiat. Veruntamen secundum Prophetam ne nos penitus derelinquat, deprecandus est. Ait enim, Non me derelinquas usquequaque nimis. Quod & in Dominicæ orationis ordine continetur, cum dicitur, Non derelinquas nos in tentationem, quam ferre non possumus. Scit Apostolus derelinqui nos ad tentandum, sed novit & mensuram infirmitatis nostræ Deum nosse, dicens, Fidelis est Deus, qui non permittat nos tentari supra quàm possumus. Job Deus tentationi permittens, à jure diaboli potestatem animæ ejus excerpsit, & secundùm modum tentationis humanæ tentandi jus dereliquit. Infirmitatis suæ igitur Propheta conscius, orat, ne valde derelinquatur, ut imbecillitatem ejus tanquam Petri demergentis in fluctibus Dominus assumat; ut quanquam ad tentandum sese relicturus sit, non tamen usquequaque, scilicet, ne usque ad animæ & fidei periculum derelinquat.* (In Ps. 118.)

Ita & Bernardus salutis & perseverantiæ finalis certitudinem religat ab invictissima gratia, ea nimirum quæ contemperat & admoderatur tentationes viribus animæ. Non ergo abruptè prædeterminans uno semper ictu infallibilis est gratia, hæc enim tentationes quamlibet immoderatas superaret, hac orbatus quamlibet moderatis frangeretur. *Rapitur quis in bona voluntate, sed nondum perfecta, necdum idonea martyrium sustinere. Quis illi audeat pro hac imperfectione negare salutem? Fortè enim propterea non sinitur in illam gravem tentationem venire, ne deficiat & damnetur. Nimirum si in hac tam infirma voluntate induceretur in eam, quæ supra ipsum est, tentationem, nec voluntas roboraretur, quis illum dubitet defecturum, negaturum, & si in eo mori contigerit, etiam periturum?* Et alibi: *Felices & verè felices illi duo viri, Helias & Enoch, quibus omnes materiæ & occasiones ablatæ sunt, quæ eorum intellectum impediant, vel affectum, quia soli Deo viventes, nec noverunt nisi Deum, nec cupiunt nisi Deum. Denique & de Enoch legitur, quia raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Ita prorsus occasionum tentationumque amputatio conducit mirum quantum ad hujus gratiæ efficaciam. Et alibi idem: *Agit hoc sanè superba semper & invidiosa malitia, perfectiores quosque vehementiùs pulsans. Agit inquam etsi non sine certa divini consilii dispensatione, qui quidem nec imperfectiores supra id quod ferre possunt, tentari permittit, faciens cum tentatione proventum: & perfectioribus non modò gloriosiores, sed etiam numerosiores parat ex hoste triumphos.* (In natali SS. Innoc. — Serm. 5. de Ascens. — In Ps. Qui habitat. Serm. 7.)

Ex Græcis autem Climachus, ut admetiatur Deus tentationes viribus, nempe viribus habitualibus & constanter manentibus defixisque in anima, quibus & pro suo etiam modo actualia auxilia aspirant. *Sapienter Dominus noster tyronum labores contra antagonistas in primo pugnæ congressu mitigavit, ne mox à tyrocinio ad priorem sæculi vitam recurrerent. Sed & hoc observatum est, sæpè Deum ubi generosos animos cernit, consuesse statim ab initio cum hoste committere, eo consilio, ut brevi debitis vitæ beatæ præmiis afficiat. Nec hoc sine numinis providentia fieri solet, ut passim difficultas seu molestia religiosi stadii, (imo revera facilitas) nesciatur: alioqui nemo ex omni mortalium numero ad illos suscipiendos animum induceret.* (Grad. 1.)

Chrysostomus eccur in hoc congressu cum tentatore diabolo alii vincant, alii vincantur, ita expedit: *Sint Athletæ duo qui cum eo sint luctaturi, atque ex his unus sit ingluvie corruptus, contemptus, viribus defectus, enervatus; alter verò qui strenuè se gerat, benè habito sit corpore, in palæstra versetur, in multis gymnasiis, omnique se athletica exercitatione corroboret. Si adversarium ergo sustuleris, utri horum injuriam inferes? Num ignavo & negligenti, an strenuo, qui tot labores exantlaverit? Haud dubium, quin strenuo. Nam hic quidem propter ignavum adversario sublato damnum est passus: at ignavus illo manente non jam ob strenuum injuria est affectus, quippe qui propter ignaviam suam conciderit.* Sic ille demonstrat conducibile esse tentatori homines committi: alioqui ne vincent quidem sine hoste, qui victoriæ erant idonei: etsi autem cessent prælia, sponte sua concident ignavi. (Tom. 1. Hom. 25.)

CAPUT XLIX.

Ex negligentia sancti Patres derivant omnium peccatorum labem, nempe ex lassitudine animi, nunquam omnino & diu connitentis, nunquam vires omnes exhaurientis. Multa hujus doctrinæ documenta mendicantur ex Hieronymo, cui adversus Pelagium certanti applausit Prosper.

ISTud quoque argumentum superioribus adeo est illigatum, ut & ipsum illicubi jam carptim delibatum sit. Paulò nunc accuratiùs illi expendendo incumbemus. Virium enim tantum habet ad nostri instituti munimentum, quantum dici vix potest. Eccunde enim id proficiscitur, quòd omnia peccata maximè justorum ex ignavia & lassitudine prodire censentur, nisi quòd cùm nostræ voluntatis sit suum expedire consensum, & conatum, atque non perfunctoriè, & semel, sed strenuè jugiterque gratiæ collaborare, nec se totam illa concutit, impenditque, & viribus parcit, & labore defatigatur & lassescit? Si illam autem gratia uno ineluctabili impetu ageret, & prædeterminaret, & omnipotenti vi applicaret ad bonum, ecquis locus ignaviæ vel lassitudini daretur? Motio enim illa prædeterminans, victrix illa delectatio, ut resistentiam, ita & inertiam defatigationemque omnem vinceret & longissimè ablegaret. Consensus conatusque in voluntate tantus & tam vegetus esset, quantus & quàm vegetus in ea per gratiam crearetur, conservareturque. Si ea autem sit gratiæ vis, cui ignavia & languor voluntatis possit aliquantulam decerpere suæ efficaciæ portionem, poterit & majusculam, poterit & totam aliquando. Quid enim ignavia, quàm resistentia quædam? Si gratia omnipotenter vincet resistentiam, vincet & ignaviam. Si ignavia gratiæ efficaciam debilitat ex parte, poterit & ex toto. Denique invicta non est vis, quæ saltem ex parte vincitur. At nostra ratio & via his se nodis facillimè explicat. Nam conspiratio & collectio gratiarum, medicinæque divinæ varietas inexcogitabilis, fastidium voluntatis recreat, torporem diluit, ignaviam aliis aliisque medicamentis dispescit, lassitudinem ipsam fatigat, exstimulatque infatigabiliter, & opportunitate quod non potest, importunitate consequitur. Alicubi enim omnium opportunissima est

est ipsa importunitas. Itaque tametsi inspiretur delectatio justitiæ per gratiam divinam, languidè tamen illi & consentit & connititur voluntas, quia necdum usquequaque sana est, quia mutabilis est, quia libera in bonum & in malum est. Potest & ex ignavia ita marcere, ut dissentiat: potest ubi consenserit, & collaborarit aliquandiu, fatiscere & resilire. At si suffragetur prædestinatio gratiæ æterna, victa semel pugnam instaurabit gratia, & novas tentabit artes, machinasque, foris intusque vallabit oppugnabitque ignavam contumaciter voluntatem: si blanditiis non procedet, asperis, minis, terroribus, flagellis grassabitur, & ita accommodatè ad ejus affectus amoresque inolitos certabit, ut & ignaviam excutiat, & contumaciam domet.

Prosiliet hìc ante alios Hieronymus in hoc argumento luculentissimè versatus, cùm scriberet adversus Pelagianos. Cùm enim illi & posse hominem, & aliquando reapse vivere hìc absque peccato garrirent, cùm possibilia tantùm Deus præceperit: ea autem si non posset homo implere omnia, impossibilia potius dicenda essent. Respondet sanctus Pater possibilia Deum mandasse, & tamen neminem omnia implere, ignavia & lassitudine spontanea. Sicut & artes omnes homini possibiles sunt, nemo tamen omnes sequitur, vel saltem nemo assequitur, quòd nemo vires omnes industriamque exhauriat. *Deus possibiles dedit humano generi omnes artes, &c. Quis nostrum quamvis sit ingeniosius, poterit omnia comprehendere? Vides ergo quod Deus possibile jusserit, & tamen id quod possibile est, per naturam nullum posse complere. Dedit itaque præcepta diversa, virtutesque varias, quas omnes simul habere non possumus.* Ejusdem generis exempla post innumera docet adhiberi posse. Quis enim ulla in arte vel scientia vires usquequaque omnes, non semel & iterum, sed semper jugiterque, & adhibet, & contendit? Nemo prorsus. An quia non potest? Imo potest. Sed totum quod potest, nemo jugiter & semper expedit & exhaurit. In causa est ignavia quædam insuperabilis; & amor sui, sibi parcens; & ex mutabilitate tædium gliscens. *Hoc totum dico, quod non omnia possumus omnes. Rarusque aut nullus est divitum, qui in universa substantia sua, paria universa possideat.*

Adv. Pelag. L. 1.

Et disertè mox idem Hieronymus: *Possibilia præcepit Deus, & ego fateor. Sed hæc possibilia cuncta singuli habere non possumus: non impossibilitate naturæ, ne calumniam facias Deo, sed animi lassitudine, qui cunctas simul & semper non potest habere virtutes.* Perspicua Hieronymi responsio est. Non gratiam deficere, non minùs sufficere causatur ad implenda mandata, idque jure, cum gratis detur, & nec guttula ejus parentali peccato sordidatis debeatur. Nihil istiusmodi venit in mentem sancto Patri. Sed totum refundit in nostri *animi lassitudinem: qui cunctas simul, & semper* non potest habere virtutes, implere Dei jussiones. Potest enim, sed non cunctas: aut potest cunctas, sed non simul: aut potest cunctas simul, sed non semper: aut potest cunctas simul & semper, sed quod ita potest, non potest: hoc est, *non impossibilitate* aliqua id non potest, sed *animi lassitudine.* Itaque non id impossibile, sed difficillimum: & quod difficillimum, suo quodam certissimo modo impossibile est. Quis enim omnes difficultates superat semper & jugiter? Et tamen difficultates dicimus, non impossibilitates. Atque ut usitatè dicam, & scholastico verbo, impossibilitas ista moralis est, non physica: pigritantis voluntatis, non deficientis potestatis.

Si ulteriùs autem percontèris, unde hæc lassitudo & socordia voluntati nostræ affricata sit: constanter respondet Hieronymus ibidem: *Quod & si in eo arguis creatorem, quare talem te condiderit, qui deficias atque lassescas: dicam iterum, major erit reprehensio, si eum volueris accusare, quare te eum non fecerit.* Deficere enim atque lassescere, proprium est naturæ & virtutis creatæ ingenium, utpote mutabilis, utpote quæ non justitia ipsa, sed particeps justitiæ fit: non incommutabilis justitia, sed profectu defectuque, accessu recessuve ad justitiam converti, vel ab ea averti, divertique nata apta. Sed multò major hæc lassitudo & deficiendi pronitas post peccatum. Quanquam enim majoribus auxiliis adjuta sit deinceps infirmitas nostra, non sua tamen illi ad deficiendum & lassescendum proclivitas exusta est. Itaque cur sanctissimi viri nonnihil subinde cæspitent, ne gratiæ insufficientiam vel inefficaciam in culpam voces: ea enim illi abundant prorsus: sed homines sunt, mutabiles sunt, lassescunt, & gratiæ languidiùs obsecundant.

Hinc est quòd aliæ in aliis virtutes & sanctimoniæ dotes splendidiùs vel parciùs effulgescunt. Non omnes enim eadem in parte curriculi vel lassescunt, vel lassitudinem suam exuperant. *Sed dices, Si non possum, ergo peccatum non habeo. Habes peccatum quare non feceris, quod alius potuit facere. Rursumque ille cujus tu comparatione deterior es, vel tui in alia parte, vel alterius erit collatione peccator. Atque ita fit ut quemcumque primum putaveris, minor sit eo, qui se in alia parte major est.* Alia hæc sunt, non aliena ab illis quæ suprà à Gregorio & aliis Patribus docebamur. Alios enim aliis aliisque virtutibus efflorescere vel deficere permittit Deus, ne in elationem agantur electi sui, si omnium prorsus virtutum ornamentis simul honestentur. Id autem ita dispensat Deus, alios alia in parte validiùs adjuvando, vel permittendo ut alii alia in re lassescant. Posset enim præmaturè consummatæ plenitudinem justitiæ infundere jam nunc, & totam mutabilitatem nostram ac lassescendi pronitatem sufflaminare. Sed præmaturum id esset, viatoribus beatæ patriæ privilegia prærogari. Ergo gratiæ suæ dona ita moderatur & dispensat, ut quamvis ejus omnibus ad omnia sufficiat efficacia & copia: tamen alia in parte spiritalis stadii lassescere sinat & deficere, atque ex hoc ipso lapsu electos suos humiliando sublevet, deserendo custodiat.

Exemplis rem declarat Hieronymus: *In lege doctissimus omnia fecisse se dicit, quamobrem & amatur à Domino. Et tamen plenam justitiam non habet, quia noluit substantiam suam pauperibus erogare. Unde difficultas difficultati, imo impossibile impossibili tunc comparatur: quia nec camelus ingredi potest per foramen acus, nec dives intrare in regna cælorum.* Et paulò pòst: *Apostoli audiunt, Sic non potuistis una hora vigilare mecum. Non dixit, Noluistis, sed, Non potuistis. Apostoli una hora vigilare non possunt, somno, mærore, & carnis fragilitate superati: & tu potes longo tempore omnia peccata superare?* Itaque quod Apostoli ipsi nequaquam gratia defecti, quantumvis stimulante Christo, non possent vigilare, id erat ex *somno, mærore* animi, *fragilitate* carnis: Quod pius legis Doctor paupertatis consilium abjecerit, id potuit oriri ex nimio quopiam affectu, quo opibus innoxiis nequaquam innoxius ipse conglutinabatur. Ita nobis insinuatur impossibile non aliud hìc esse, quàm admodum difficile. Poterant enim Apostoli vigilare, sed non posse dicuntur, quia difficilè poterant, quia nolebant, aut non tantum volebant, quantum opus erat ut præstarent opere.

Con. Pelag. L. 1.

Quod idem iterum confirmat ibidem, cùm ait de fraterna reconciliatione & dilectione nullis superabili contumeliis, Christum difficilia usque adeo præcepisse, ut nemo cumulatè satis eo officio defungatur: *Non quòd impossibilia Deus præceperit, sed in tantum patientiæ culmen ascendit, ut propè impossibilia præ difficultate nimia præcepisse videatur: ad destruendam sententiam tuam, qua dicis facilia esse Dei mandata.* Et quod ibi de Evangelio,

gelio, idem infrà de Mosaica lege argumentatur, ex ipsius Christi authoritate & verbis: *Moyses, inquit, dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem, utique possibilem. Et tamen quod erat impossibile, nemo impleverat. Neque enim culpa imperantis est, sed fragilitas audientis, ut omnis mundus subditus fiat Deo.* Hoc utroque exemplo constat, impossibile dici non aliunde, quàm *præ difficultate nimia:* & difficultatem hanc nimiam scaturire ex nostra *fragilitate.* Quæ fragilitas quantocumque Dei adjutorio fulciatur, non tantum potest peccare, sed peccat: quia non tantum potest deficere & lassescere, sed deficit & lassescit subinde in hac mortalitate. Etenim ut idem infrà ait: *Universa vanitas omnis homo vivens; vel vivens in corpore, vel vivens in virtutibus. Et tamen omnia vanitas. Incerto enim statu fluctuat, & dum non timet in sereno, patitur tempestatem.*

Quis enim mortalium non vel *in sereno patitur tempestatem?* Nam nisi timeat, periclitatur: & si semper timeat, rursus periclitatur. Quis autem potest semper timere, semper cavere, æternas excubias agere, in suspenso semper esse? Hoc suspendio strangulatur quodammodo anima. Et blandis rursus quis non ultra limitem æqui tantillum saltem delectatur, & sibi placet, & diffluit? Potest exuberantia gratiæ has persanare ægritudines, sed ea non hujus vitæ beatitas & consummata perfectio est. Ergo quantavis gratiæ copia mortalitatis hujus modo duntaxat accommodata affundatur, lassescimus tamen & lapsamus in tam difficili, implicato & diuturno virtutum curriculo. *Ergo & possibilia sunt Dei mandata, quæ David fecisse cognoscimus, & tamen lassescere Sanctos ad perpetuitatem justitiæ.* Et infrà: *Væ qui contradicit fictori suo, &c. Hoc ad eos pertinet, qui dicunt, Quare talis conditus sum, qui non possum in perpetuum carere peccato? Quare tale vas fictum, ut non adamantinum permanerem: sed ad omnem latum fictile atque fragile?* Et ad calcem illius libri, post relata Danielis Prophetiæ verba, *Quandiu ergo finis ille adveniat, & corruptivum hoc atque mortale incorruptione & immortalitate mutetur, necesse est nos subjacere peccato: non naturæ & conditionis, ut tu calumniaris, vitio; sed fragilitate & commutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur, quia Deus solus est immutabilis.*

Denique libro tertio adversùs Pelagianos scripto idem Hieronymus, propositi sui tenax insistit: *Deus possibilia mandavit, hoc nulli dubium est. Sed quia homines possibilia non faciunt, ideo omnis mundus subditus est Deo, & indiget misericordia ejus.* Et infrà hanc hominum lassitudinem præclaris illustrans exemplis: *Hoc & nos dicimus, posse hominem non peccare, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea: quandiu intentus est animus, quandiu chorda nullo vitio laxatur in cithara. Quod si paululum se remiserit, quomodo qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis quò non vult ducitur: sic humana conditio si paululum se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit. Putasne Apostolum eo tempore quo scribebat, Lacernam sive Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer, ac libros, & maximè membranas; de cœlestibus cogitasse mysteriis; & non de his quæ in usu communis vitæ vel corporis necessaria sunt? Da mihi hominem qui non esuriat, non sitiat, neque algeat, non doleat, non febricitet, non torminibus & difficultatibus urinæ torqueatur; & ego tibi concedam, posse hominem nihil nisi de virtutibus cogitare. Cæditur Apostolus à ministro, & contra Pontificem qui cædere imperaverat, sententiam dirigit: Percutiet te Deus, paries dealbate. Ubi est illa patientia Salvatoris, qui quasi agnus ductus ad victimam, non aperuit os suum, &c. Non Apostolo detrahimus, sed gloriam Domini prædicamus, &c.* Ita sanctus Pater ex difficultate nimia ostendit moralem quandam impossibilitatem, ut faciat homo quidquid potest, quantalibet sanctitate sit, quantalibet gratia adjuvetur; nempe non id ex gratiæ defectu, sed ex imbecillitate lassitudineque animi nostri, qui non semper *intentus* est, *laxatur* aliquando, quasi adverso flumine ratem impellens, *manus remittit* nonnunquam fessus, & *retrolabitur*: non semper *cogitat de cœlestibus* mysteriis, ad hujus vitæ curas, ad corporis ægritudines aliquando declinat, & de terreno contagio sordet aliquantulum, modum in lætis & adversis, & lineam æqui rectissimam arrectis non potest semper diu noctuque observare oculis & servare. Ad hanc indefessam & exsomnem vigilantiam, ad hanc inter virtutes & vitia mediocritatis lineam insecabilem tenendam & usque retinendam, quis idoneus, quantumvis adjutus? nemo mortalis, dum hic vivitur. Id Dei, id Christi, id Beatorum, id inter mortales solius Deiparæ privilegium. Infrà idem: *Da mihi corpus, quod nunquam languerit, aut quod post languorem perpetua sanitate securum sit: & dabo tibi animam quæ nunquam peccaverit, nec post virtutes deinceps peccatura sit. Præsertim cum vicina sint vitia virtutibus, & si paululum declinaveris, aut errandum tibi sit, aut in præceps cadendum.* Et tandem: *In nostra positum est potestate vel peccare vel non peccare, & vel ad bonum vel ad malum extendere manum, ut liberum servetur arbitrium. Sed hoc pro modo, & tempore, & conditione fragilitatis humanæ. Perpetuitatem autem innocentiæ soli reservari Deo, & ei qui Verbum caro factus, carnis detrimenta & peccata non pertulit. Nec quia ad breve possum, coges me, ut possim jugiter. Possum jejunare, ambulare, vigilare, legere, psallere, sedere, dormire, nunquid in perpetuum?* Ita quod potest homo, *in perpetuum* non potest. Nam *perpetuitas* innocentiæ nec sanctissimis viris competit. Nimirum perpetuitas nihil gratiæ, nihil Deo gratiam largienti repugnat: quin consentit vehementer, ut res ipsa clamat. Sed repugnat ea fragilitati humanæ & inconstantiæ ac mutabilitati, non insitæ tantùm, sed pœnaliter inflictæ: ex qua fit, ut non semper & jugiter arrigat se, nec pervigil contendat, nec indefessa pugnet, sed paulatim fatiscat, gratiamque frustretur ulteriùs provocantem.

CAPUT L.

Idem probatur ex aliis Patribus, Gregorio, Bernardo, Paulino, Augustino, Ephremo, Nilo.

Gregorius Magnus ejusdem humanæ ignaviæ testis & objurgator creberrimus, in illa verba Job: *Verebar omnia opera mea: Acsi humili confessione diceretur, Quæ apertè egerim, video; sed quia in his latenter pertulerim, ignoro. Sæpè enim bona nostra latrocinanti fraude depereunt, quia rectis se nostris actibus concupiscentiæ terrenæ subjungunt. Sæpè desidia interveniente deficiunt, quia à fervore, quo cœpta sunt, frigescente amore, tabescunt. Quia ergo culpæ subreptio vel in ipso virtutis actu vix vincitur, quid ad securitatem superest, nisi ut studiosè semper, & in virtute timeatur?* Moral. l. 9. c. 17. 19. Qui conniti gratiæ & inspirationi charitatis homo jubetur, & labore ignaviam, charitate Dei, cupiditatem sui superare: corruptionis pondere sensim retro agitur, ut & non totis contendat viribus, & gloriæ suæ aliquid clanculum reservet. Ea est pestis gemina & furtiva, qua cursum gratiæ remoramur. Et postea: *Intentam Deo animam ipsa adhuc corruptibilis caro diverberat, ejusque amoris pulcritudinem obscœnis & illicitis cogitationum motibus fœdat.* Et alibi: *Ex peccato primi parentis accepimus, ut nec in ipsa justitia stabiles esse possimus.* Et alibi: *Pereat delectatio, quæ in culpam hominem*

rapuit: pereat incauta mentis infirmitas, quæ eum usque ad tenebras pravi consensus excæcavit. Homo enim dum blandimenta delectationis cautè non perspicit, etiam in noctem nequissimæ perpetrationis ruit. Itaque non impingit ferè homo in peccatum nisi ex ignavia. Nam si suggestioni sedulus impigerque occurreret, & occluderet animi fores, nnn irreperet delectatio, non erumperet consensus, non perpetratio sceleris sequeretur. Sed dum *incauta mentis infirmitas* dormitat, & indulget sibi plusculum, nec statim excutit se ad primum suggestionis malæ appulsum, illabitur delectatio, foresque pandit nequitiæ. Quibus consonant, quæ supra alicubi adscripta sunt, *Verebar omnia opera mea; duo sunt, quæ in bonis operibus necesse est, ut studiosè formidentur, desidia videlicet & fraus, &c. Desidia per torporem nascitur, &c.*

In Psal. 4. Pœnit. Moral. l. 4. c. 15.

Moral. l. 9. c. 17.

Alibi quoque cum Hieronymo illam exaggerat difficultatem tam suspensæ arrectæque vigilantiæ, in vitæ necessitatibus ita suffulciendis, ut totum necessitati, nihil voluptati detur. Ea in re non est homo, qui non peccet, non voluptatis tantùm illecebra inescante delusus, sed negligentia quoque tam exsomnem & arrectam diligentiam deprimente: *Cùm naturæ nostræ necessitatibus plerumque plusquam expedit, deservimus, mentisque curam negligimus, ex miseria negligentiæ, infirmitati nostræ addimus squallorem culpæ.*

Moral. l. 10. c. 15.

Quid quòd & ex negligentia vitandæ occasionis, gradatim quis delabitur in foveam peccati? *Non ideo Uriæ uxorem David studiosè respexit, quia concupierat, sed potius ideo concupivit, quia incautè respexit. Fit verò rectæ retributionis examine, ut qui exteriori negligenter utitur, interiori oculo non injustè cæcetur.*

Moral. l. 21. c. 6.

Quid quod nonnisi ex minorum culparum negligentia, infuescit quis, ut nec graviores perhorrescat: & promeretur idem, ut opitulante Dei gratia nudetur, & qui in parvis deseruit contempsitque cœleste adjutorium, ab eo in magnis deseratur? *Isti sunt quotidiani defectus, qui in cordibus reproborum fiunt, quibus indesinenter ad deteriora descendunt. Quia dum minora incautè negligunt, ad majora perniciosè prorumpunt, &c. Dum superbiam hanc in semetipso considerare negligit, ad nequiora pervenit. Vitium itaque superbiæ in ipsa statim radice secundum est: ut cum latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur: ne provectu vigeat, ne usu roboretur. Difficilè enim in se quisque inveteratam superbiam reprehendit: quia nimirum hoc vitium quanto magis patimur, tanto minus videmus.* Et perinde de aliis vitiis, quibus ex negligentia ita consuescit animus, ut jam ea tanquam sibi concreta à seipso non secernat, nec internoscat. Atqui gratia Dei ex vi sua æquè valet ad omnia: sive ex præscientia, sive ex prædeterminatione promat vim suam. Sed si voluntatis est consensum suum illi addere, difficillimè addet, ubi desueverit, ubi diu neglexerit, ubi negligendo vitiis concreverit.

Ibidem. l. 24. c. 13.

Sed consanguinitatem geminæ hujus calamitatis, superbiæ inquam & negligentiæ, præstantissimè idem Gregorius prosequitur, parte quarta Pastoralis curæ: quàmque hinc sibi timere debeant viri religione & pietate spectabiles, quibus utique gratia deesse non est suspicanda. Sic ergo sanctus Pater: *Quibusdam sæpè magnitudo virtutis occasio perditionis fuit: ut cum de confidentia virium inordinatè securi sunt, per negligentiam inopinatè moreren tur. Virtus namque cum vitiis renititur, quadam delectatione ejus sibimetipsi animus blanditur. Fitque ut bene agentis mens metum suæ circumspectionis abjiciat, atque in sui confidentia secura requiescat: cui jam torpenti seductor callidus omne quod bene gessit enumerat, eamque quasi præ cæteris præpollentem in tumore cogitationis exaltat.* Ita cum gratiæ divinæ incitamenta atque adjutoria frustretur plerumque gemina illa lues, tumor & torpor: torpor tamen primas tenet, & parens quodammodo superbiæ ipsius est. Gratiæ enim divinæ humilitatem & suadenti & inspiranti dum segniùs remissiùsque consentitur, dum somnolenta dormitat sui custodia, furtim illabitur amor sui, securitasque & tumor.

Et vicissim ex inani gloriolæ plausu, quo sibi intus mens hominis blanditur, remissio & negligentia manat. Ita apud Ruffinum Joannes ille sanctitatis fama eximius, de Monachi sanctissimi lapsu disserens, *In his talibus ac tantis profectibus positus, quia gloriari quasi de meritis suis cœpit, & cœlestis beneficii munus vitæ suæ debitum dixit, continuò subintrat eum parva quædam desidia animi, tam parva, quam nec posset advertere. Posthac crevit major negligentia: ita ut jam tardior fieret ad hymnos, sed & ad orationem pigrius surgeret: Psalmi quoque ipsi non ea qua prius vigilantia ab ipso canerentur: sed ubi parum quid exhibitum fuisset soliti ministerii, anima ejus quasi nimio labore fatigata requiescere festinabat, &c. nec immutationis suæ damna persensit, & spernentem se minima, paulatim casurum non intellexit.* Ita alternam vicem sibi præstant superbia & desidia, & quæ prior irrepsit in animum, pedissequam attrahit alteram. Ejusmodi multa ibidem exempla alia. Et in verbis Seniorum, quæ interpretatus est Pelagius, *Dixit Abbas Orsisius, Si neglexerit anima, paulatim recedit ab ea Spiritus sanctus, donec perfectè extinguatur calor ejus, atque ita inimicus consumit & deverat propositum animæ illius, &c.* Callidis interpretationibus detorquenda sunt hæc omnia, nisi nostram teneas efficacis gratiæ rationem. Nam si ex præscientia, si ex prædeterminante vi efficax est gratia: ea & superbiam & negligentiam peræquè expungit, & ab his æquè ut ab aliorum vitiorum pestibus animam liberat. Si ea autem gratia fraudatur homo, & impare ac degenere alia quapiam juvatur, jam non prior homo negligit & deserit Deum, sed à Deo antè negligitur, & ita in negligentiam ipse quoque resolvitur, deseritur & deserit.

De vita Patrum. pag. 455.

Verba Seniorum. n. 11. Num. 37. pag. 611.

Anselmus præclarè idem confirmat: *Gratias ago Deo, pro gratia quam ostendit in vobis; & oro, ut sicut eadem gratia vos prævenire dignatus est, ita indesinenter subsequatur: quatenus nunquam vos de hoc ad quod vos provexit, permittat deficere, sed semper ad meliora proficere. Quod pro certo ipse faciet, si non negligentes fueritis, bona ad quæ jam pervenistis servare. Cùm enim Dei sit sua gratia semper nos prævenire, nostrum est quod accipimus ejus auxilio studiosè custodire. Nam quamvis nec habere nec servare possimus aliquid nisi per illum: perdere tamen & deficere non est nisi ex nostra negligentia, quæ sæpissimè incipit à minimis, in quibus nos callidus hostis solet decipere, cum bonis persuadet ea non magnipendere. Inde namque sequitur illud damnum execrabile, quod legitur, Quia qui modica despicit, paulatim decidit.* Vides hìc quid gratiæ Dei sit sine nobis efficere: nempe ut nos præveniat, & inspiret dilectionem justitiæ. Nostrum autem est cum gratiæ adjutorio collaborare, & negligentiam excutere. At *ex negligentia nostra deficimus*, & Dei dona dilapidamus: non quòd gratia non adsit & pro virili sua parte negligentiam oppugnet: sed connisus noster deficit, & bellè cœpta contemnit.

Epist. 6.

Bernardus quoque elegantissimè in libro de gradibus humilitatis hanc primam casus nostri ruinam memorat, quæ ex negligentia oritur: *Animam dum à sui circumspectione torpescit, incuria sui curiosam in alios facit. Quia enim seipsam ignorat, foras mittitur, &c. Si te vigilanter homo attendas, mirum est si ad aliud unquam intendas.* Tum exempla subdit Evæ & Dinæ, quas in tantam calamitatem abduxit incuria sui & negligentia vitandæ occasionis: *O Dina, quid necesse est ut videas mulieres alienigenas? Si tu otiosè vides, non otiosè videris. Quis crederet tunc tuam illam curiosam otiositatem, & otiosam curiositatem, fore post sic non otiosam, sed tibi,*

tibi, tuis, hoſtibuſque tam pernicioſam, &c. Tuque o Eva, quid tuam mortem tam intentè intueris? Niſi mens minùs ſe curioſè ſervaret, tua curioſitas tempus vacuum non haberet. Et ſi culpa non eſt, culpæ tamen occaſio eſt, & indicium commiſſæ, & cauſa eſt committendæ. Te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum ſerpens illabitur, &c. Ita ille primum ruinæ noſtræ gradum ponit ob oculos, præfatus antè ab his negligentiæ initiis totam proficiſci infœlicitatem noſtri caſus. *Quia ſicut nemo repente fit ſummus, ſed gradatim quiſque aſcendit; ſic nemo repente fit peſſimus, ſed paulatim deſcendit.* Nec Evæ, nec Dinæ gratia deerat, qua ſibi caverent, ſibi attenderent, ſed incuria ſui quid aliud quàm diſſenſus erat, quo gratiam illam ex parte certè aliqua fruſtrabant?

Epiſt. 2. ad Sever. Paulinus quoque Nolæ Epiſcopus, *Laborioſum nobis & aſſiduum vel quotidianum cum hoſte certamen ſit, & compertum ſit, quantæ in eo verſentur inſidiæ, quæ illic vitiorum virtus, quanta virtutum ſit infirmitas, quàm prona ejus ad pravitatem relapſio, quàm piger ad Deum niſus.*

Auguſtinus ſanè facem prætulit in hanc doctrinam, ubi primùm adversùs Pelagianos cœpit decertare. Ex negligentia enim & torpore quodam animi, non totas explicantis vel ſuas vel gratiæ ſibi conceſſæ vires, omnia peccata ſcaturire, & ita fieri ut nemo ſine peccato vivat, ſic ille teſtatum

De pec. mer l. 1. c. ult. facit. *Sed quoniam divino Spiritu, qui multò meliùs quàm nos omnia generis humani novit, vel præterita, vel præſentia, vel futura, talis vita humana præcognita atque prædicta eſt, ut non juſtificetur in conſpectu tuo omnis vivens; fit ut per ignorantiam vel per infirmitatem, non exertis adversùs eam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus, tantò magis & crebriùs, quantò deteriores, tantò minùs & rariùs, quanto meliores ſumus.* Quo quid evidentius dici potuit? Prænovit Deus omnes homines ad *nonnulla* illicita conſenſuros concupiſcentiæ ſuæ, non inopia virium, ſeu voluntatis, ſeu gratiæ, ſeu potius voluntatis per gratiam adjutæ, aut gratiæ voluntatem adjuvantis: ſed *non exertis totis viribus voluntatis* ad-

Ibid. l. 2. c. 2. versùs vel ignorantiam vel concupiſcentiam. Unde & paulò inferiùs iterum: *Acutè ſibi videntur dicere, quaſi hoc ullus noſtrum ignoret, quod ſi nolumus, non peccamus: nec præciperet Deus homini, quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati. Sed hoc non vident, quod ad nonnulla ſuperanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus eſt voluntatis, quas non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit, Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Hæc eſt igitur ſocordia, omnium parens delictorum, ubi nempe *magnis & totis viribus voluntatis opus eſt*, & eas non adhibemus. Adeſt ergo tunc gratia quanta opus eſt, ſed conatus voluntatis deficit.

Pag. 130. 131. Ex Græcis unum & alterum obiter promam. Ephrem Syrus ſic habet: *Erigitur mihi caput mediante gratia tua Domine, verùm quotidie propter peccata demittitur. Ad vitam me rurſus eadem tua gratia allicit, ſed ego ad mortem promptior pergo. Nam hæc peſſima ignaviæ conſuetudo me ſecum diſſolvit enervatque, dum interim morem ipſi gero, &c. Cùm unico momento conterere vincula poſſem, ac me à laqueis quibuſcumque liberare, hoc facere recuſo, negligentia atque ſocordia detentus, &c. Miſer ego ac ſegnis, & ad bonum animæ meæ non proficiens, &c. Nondum in me ceſſat peſſima inertia, ignaviæ mancipatus ſum, &c.*

Epiſt. 135. Nilus ſimiliter: *Ne negligamus, neve ſolutè ac ſupinè remittamus diligentiam propriam. Quoniam ex viſu fermè ſolet amor naſci; cohibe oculum tuum à contemplatione formoſarum ſpecierum, ne incautus aſpectus in flagitioſium te alliciat facinus. Niſi enim vidiſſet Eva pulcram arborem, non utique ferale illud ex ea accerpſiſſet ac guſtaſſet pomum, cujus eſu divina caſtitate nudata eſt.* Sic ille negligentiam perſtringit, quæ ne cogitari quidem poteſt, niſi gratiæ præſenti & aſpiranti noſter ſe conatus ſubtrahat.

CAPUT LI.

Idem probatur ex ſanctis Patribus, ubi docent initiis obſiſtendum; & quòd minima negligentes, paulatim in graviora proruant. Argumenta & teſtimonia Hilarii & Auguſtini.

Contextio hujus quoque argumenti cum ſuperioribus in propatulo eſt. Itaque ne antedicta quidem ediſſeri potuere, quin & hoc caput ſtrictim ſaltem prælibaretur. Porrò ne huic quidem effato pervagatiſſimo conſentiunt ſatis aliæ de gratia efficaci ſententiæ. Nam ſi gratia omnipotentiſſima motione & initia & provectum & ultima perficit in bonis operibus, quorſum hæc cautio, ut circa initia ſimus attentiores? Erimus enim ſi ea gratia arrideat, quæ id efficiat: non erimus, ſi ſe ſubducat. Et utcumque ad initia ſuſpenſi caveamus, in ipſo decurſu tantundem periculi eſt, ne gratia illa in totum effugiat, vel aliam diſparem & ſterilem ſibi ſubroget. Ita & malæ ſuggeſtionis initia vigilanter propulſabimus, ſi ope illa inſuperabili agamur: alioqui ea denudati, æquè deficiemus in excurſu tentationis atque in exordio. Si ferveamus in initio boni operis, num minùs efficaci indigebimus prædeterminatione in ejuſdem progreſſu? Si ex adverſo langueamus ad primos tentationis congreſſus, num prædeterminans illa motio tunc non ſufficiet, non valebit arcere incumbentem ruinam? An excipies, hanc divinæ gratiæ motionem efficaciſſimam exhiberi, vel ſubtrahi, pro ſtudio vel languore noſtro circa initia? At contra. Ejus enim ipſius motionis eſt ſtudium omnipotenter excitare, languorem diſcutere. Deinde longè aliud eſt circa operis initia attentiùs vigilare, aliud priore perfidia gratiam à ſe divinam in poſterum alienare. Similiter quod triſtiſſimum eſt, qui minima peccata negligenter incurrit, ad graviora ſenſim defluere, ne illud quidem in hac hypotheſi ſatis expeditur. Nam nihilo facilius eſt minima, quàm maxima declinare errata. Etenim quo illa, eodem iſta indigent inſuperabili divinæ gratiæ adjutorio, conſenſum in bonum, diſſenſum à malo in noſtris mentibus creante. Eo adjutorio conceſſo, æquè maxima vitabuntur ac minima delicta: eo ſublato, æque minima incurrentur ac maxima. Deinde ubi minutioribus te culpis inſerueris, æque à maximis abſtinebis, ſi modò adjutorium illud affulgeat. Si à minutis culpis conſenſum avocaveris, æquè in graviores delaberis, ſi illud ceſſet. Et rurſum caſſa illa exceptio eſt, per minores culpas effugari auxilium, quo majores devitantur. Siquidem per minores culpas non effugatur hoc genus auxilii, cùm ſi illud affuiſſet, minores potiùs has culpas ipſum occupaſſet & effugaſſet. Quæ perinde diſputata ſint adversùs eos qui gratiæ efficaciam ineluctabilem in victrice conſtituunt juſtitiæ delectatione. Cùm enim victrici huic delectationi vel dilectioni juſtitiæ adſignent vim prædeterminantem, vel prædeterminationi parem, in eoſdem difficultatum irremeabiles anfractus ſeſe illi implicant.

Nihilo expeditior eſt alia ratio efficaciæ, ex præſcientia conditionata petitæ. Obſtabit enim principiis obrepentis ſuggeſtionis malæ, cui affuerit gratia congrua, & ex præviſione Dei, ad id efficax futura. Alioquin non obſtabit. Cæterùm ſive obſtet, ſive non obſtet principiis, æquè in ancipiti eſt quoad progreſſum. Nec illud quidquam ad hoc conducit, vel officit. Nam etſi obſtiterit inſinuanti ſe primùm delectationi turpi,

per-

perinde succumbet postea & corruet, nisi suppeditetur gratia ex prævisa congruitate ad id futura efficax. Et ex adverso, quanquam illabenti delectationi illicitæ ulnis primùm obviis occurrat, receptui tamen canet, & à consensu sese cohibebit voluntas, si congrua & opportuna ad id gratia non desit. Nec causeris merito prioris desidiæ vel defectionis circa initia, revocari gratiam in progressu tentationis. Contrà enim non revocatur gratia, quæ jam avolaverat. Nisi enim antè jam gratia illa efficaciter congrua aufugisset, neutiquam homo ad primum pugnæ congressum terga vertisset. Similiter philosophandum de axiomate alio, in sacris codicibus consecrato, & exinde in Patrum monumentis, in doctorum indoctorumque sermonibus pervulgatissimo. Nam sive minuta primùm vites peccata, in graviora tamen offendes, si illa gratiæ congrua efficacia subducatur: si concedatur autem, æquè graviora effugies, quamvis in minora defluxeris. Nec cavillandum est, merito illius prioris desidiæ, gratiæ hanc opem subtrahi. Contra enim nisi illa se antè subtraheret, ne in illam quidem minorum noxarum desidiam homines delaberentur.

Nostra autem hæc hypothesis facillimè nodos istos omnes absolvit. Gratia enim interiùs aspirante adjutus, facilè primos imbellesque illicitæ delectationis impetus repercutit; si pigritatur autem, & ignavia sua vires suas quidem extenuat, hostiles autem exaggerat, non ita facilè postea, imò difficillimè poterit, fortassis nec omnino poterit adultæ & jam altiùs in animum suum infixæ delectationi reluctari, etsi eadem gratia aspiret. Itaque si hostis statim nostræ salutis repellitur, gratia divina opitulante; ea prima victoria & nostræ augescunt vires, & hostiles enervantur: ut etsi eadem tantùm gratia suffragari pergat, multo faciliùs tamen deinceps de jam prostrato hoste pergamus triumphare. Si autem tentatio quanquam strenuè à nobis statim repercussa, convalescat tamen postea; id quidem non facilè affirmandum est: ut antea ex Gregorio aliisque monuimus. Non enim ferè finit Deus invalescere foris, quod oppugnet, nisi cum homo intus vanescit & inanescit, ultroque hosti sinum pandit. Sed esto ita habeat; licèt impigrè propulsata tentatio recrudescat, & acrior insiliat; fidelis est Deus, qui faciat cum tentatione proventum, & ubi homo quod suarum erat partium, executus est, ipse auxilium abundantius suggeret: quod contra æquissimè subduceret, si in ipso pugnæ initio animum & arma abjiceremus.

Alteri quoque axiomati concinit adprimè hæc hypothesis. Nam culpis leviusculis sese facilè implicans, visco terrenarum delectationum sese immergit altiùs altiùsque, ut ab eo revellere se postea vix possit, cum non jam minutiorum, sed grandiorum noxarum impendebit discrimen. Itaque quæ fuisset gratia congrua, sufficiens, efficaxque ad capitalia crimina devitanda, si voluntas minùs cum creaturis concrevisset, amore illo adulterino, qui per culpas leviores aliquantulum semper augescit, & altiùs irradicatur: ea minùs congruit, minùs sufficit, minùs efficaciæ habet ad voluntatis abrumpenda vincula, per leviores sed multiplices noxas corroborata. Et voluntas ipsa lubenter consentit inspiratæ delectationi & dilectioni justitiæ, si nullis aut levissimis deorsum ponderibus degravetur: at consentiet illi difficiliùs, & aliquando tandem prorsus dissentiet, si per leviorum assuetudinem culparum sese ipsa terrenis cupiditatibus premi onerarique passa sit.

In Ps. 136. Hilarius in Psalmos: *Beatus qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram. Vitia coporis non sunt sinenda coalescere, sed in exordiis statim enecanda sunt. Periculosæ enim sunt jam robustæ cupiditates, & difficulter adulta quæque perimuntur. Levius autem est prorumpentes avellere, teneras excidere, flexibiles retorquere. Beatus itaque est, quisquis in exordio inhonestas quasque omnium cupiditatum appetitiones, quæ ex voluntate carnis oriuntur, primum intra jus patientiæ suæ virtutisque cohibebit, deinde eas ad fidem, atque ad metum Dei elisas enecabit: Et allidet ad petram. Petra autem secundum Apostolum Christus est.*

Augustinus casum hominis hinc oritur, quod nonnulla primùm negligentia æternorum ad seipsum homo defluit, nec ibi tamen sistit, sed pœnaliter mox ad ima propellitur: hoc est ab amore sui ad dedecora proruit flagitiosissimarum cupiditatum: *Quomodo enim coluber non apertis passibus, sed squammarum minutissimis nisibus repit: sic lubricus deficiendi motus negligentes minutatim occupat, & incipiens à perverso appetitu similitudinis Dei, pervenit ad similitudinem pecorum. Tanto magis inhæretur Deo, quanto minus diligitur proprium. Cupiditate verò experiendæ potestatis suæ, quodam nutu suo ad seipsum tanquam ad medium proruit. Itaque cum vult esse sicut ille sub nullo, & ab ipsa sui medietate pœnaliter ad ima propellitur, id est ad ea quibus pecora lætantur, &c.* Leviusculum enim videbatur homini, similitudinem Dei aliquam ulteriorem exambire. At hoc primùm lapsu de sua statione dejectus, in imum peccatorum baratrum præceps ivit. De Trinit. L. 12. c. 11

Idem alibi prolixè prosecutus est illam Christianæ disciplinæ censuram, Nihil voluptati, nihil nisi necessitati donandum esse in sensuum & appetituum naturalium quiete procuranda, molestia propulsanda. Ea verò quæ ad salutem nihil pertinent corporis: *Etiamsi cum aliqua sumuntur delectatione cum præsto sunt; tamen cum absunt, nulla sunt desideranda libidine. Si autem desiderantur, non est bonum. In quibuslibet enim rebus talis domandus & sanandus est appetitus. Quis enim quantuscumque sit carnalis concupiscentiæ castigator, si locum thymiamate intraverit odoratum, possit efficere, ut ei non suaviter oleat, nisi nares claudat, aut intentione vehementi alienetur à sensibus corporis? Sed nunquid cum inde fuerit egressus, id domi suæ, vel quacumque pergit, desiderabit? aut si desideraverit, satiare debet istam libidinem, & non frænare, & contra concupiscentem carnem spiritu concupiscere, donec ad illam redeat sanitatem, qua nihil tale desideret? Minimum hoc quidem, sed qui minima spernit, sicut scriptum est, paulatim decidit.* Quod de odoribus hic monet sanctus Doctor, id ad omnia æquè porrigitur sensuum oblectamenta. *Minima* sunt hæc errata, sed illis ubi indulgetur, nec spiritu adversus carnem concupiscitur, convalescit carnis concupiscentia mala, infirmatur spiritus concupiscentia casta. Et cum hæc minima sint quidem, sed quotidiana carnalis concupiscentiæ incrementa, detrimenta autem spiritualis & castæ, eo fit tandem ut illam hanc victrix prosternat in causis gravioribus. Minuta quippe ista commissa, quod uno impetu non possunt, assiduitate & multitudine consequuntur, ut voluntatem deprimant. Unde idem rursus: *Quoniam tentatio est vita hominis super terram, etiamsi à criminibus longè simus, non tamen deest, ubi desideriis peccati, vel facto, vel dicto, vel cogitatu obediamus: quando adversus majora vigilantibus, quædam incautis minuta subrepunt. Quæ si adversus nos colligantur, etsi non singula suis motibus conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt.* Con. Jul. l. 4. c. 14. In Ps. 118. Conc. 3.

Hinc est quod idem alibi sæpissimè inculcat, hanc venialium culparum sentinam veluti quandam quotidie excrescentem, quotidianis etiam orationibus, eleemosynis & bonis quibuslibet operibus exhauriendam esse. Alioqui minuta licèt peccata, perniciem homini allatura. Cùm singula enim deorsum inclinent nonnihil, & degravent voluntatem, in causa tandem erunt, ut illa gratiæ sursum trahenti ægriùs, ægriùsque in dies pareat, & tandem aliquando penitus reluctetur. *Si quæ dele-*

delectationes sæculi surrepunt in animam, exercete vos in misericordia, exercete vos in eleemosynis, in jejuniis, in orationibus. His enim purgantur aliena peccata, quæ non possunt non surrepere in animam propter fragilitatem humanam. Noli illa contemnere quia minora sunt; sed time quia plura sunt. Non est bestia quasi leo, ut uno morsu guttur frangat; sed bestiæ plerumque minutæ, multæ, necant. Sic & modica peccata attendite, quia modica sunt: & cavete, quia plura sunt. Quàm minutissima sunt grana arenæ. Si arenæ amplius in navim mittatur, mergit illam, ut pereat, &c. Hæc peccata, quia quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis. Necant merguntque hæc minuta, non magnitudine, sed multitudine, quia animam desuefaciunt à cœlestibus, insuefaciunt terrenis & carnalibus, illamque ita afficiunt, ut inspiratæ æternorum suavitati per gratiam jam minùs minùsque congruat & contemperetur, minùs consentiat, nonnihil dissentiat, funditus tandem resiliat.

L. de decem chordis. c. 11.

CAPUT LII.

De eodem ex aliis Patribus Gregorio Magno, Bernardo, Ruffino, Nilo, Cyrillo Alexandrino, Chrysostomo, Climacho, Dorotheo.

GRegorius sanè in hac re commendanda totus est, ut in qua versetur summa pietatis Christianæ, vel ruinæ & calamitatis singulorum. Nemo enim repentè fit turpissimus: sed leviusculrum culparum frequentia audacior præfractiorque in dies fit voluntas, ut in voraginem tandem scelerum devolvatur. *Sæpè dum ab otiosis verbis nequaquam lingua compescitur, ad temeritatem quoque stultæ increpationis effrænatur. Quibusdam enim ruinæ suæ gradibus desidiosa mens in foveæ lapsus impellitur. Nam dum otiosa verba cavere negligimus, ad noxia pervenimus: ut priùs loqui aliena libeat, & postmodum detractionibus eorum vitam, de quibus loquitur, lingua mordeat, quandoque autem usque ad apertas contumelias erumpat. Hinc irarum seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax tota extinguitur cordium.* Et infrà: *Vanis delectationis motibus perturbati, in conversatione nostra delinquimus, ut modis nos semper alternantibus cupido concutiat, metus frangat, lætitia mulceat, dolor affligat. Ex vanitate ergo ad iniquitatem ducimur, cum priùs per levia delicta defluimus, ut usu cuncta levigante, nequaquam post committere etiam graviora timeamus. Nam dum moderari lingua otiosa verba negligit, more inolitæ remissionis capta, audax ad noxia prorumpit: sic dum gulæ incumbitur, ad levitatis prorsus insaniam proditur: cumque mens subigere delectationem carnis renuit, plerumque & ad perfidiæ voraginem ruit. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Esus quippe potusque ad lusum impulit, lusus ad idololatriam traxit. Quia si vanitatis culpa nequaquam cautè compescitur, ab iniquitate protinus mens incauta devoratur: Salomone attestante, qui ait, Qui modica spernit, paulatim decidit. Si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus.* Sic ille originem indigitat hujus rei. Etenim *ruinæ suæ gradibus desidiosa mens impellitur* in foveam flagitiorum. Item *usu cuncta levigante* à minoribus ad majusculas noxas facilè defluimus, & ita ad gravissimas. Item dum modica errata mens *negligit*, tum sensim *more inolitæ remissionis* capitur & illaqueatur, *audaxque prorumpit* in flagitia. Itaque modica spernendo, & consuetudo mali contrahitur, & inolescit negligentia boni, & pudor metusque abstergitur, & audacia generatur; quibus omnibus voluntas hominis abducitur, ne consentiat cœlesti inspirationi, cui alioqui lubens annuisset: adducitur ut consentiat tartareæ instigationi, à qua alioqui abhorruisset.

Moral. l. 7. c. 17

L. 10. c. 9.

Idem infrà: *Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ. Quid per aspides parvos, nisi latentes suggestiones immundorum spirituum figurantur, qui cordibus hominum parva priùs persuasione subrepunt? Quid verò per linguam viperæ, nisi violenta diaboli tentatio designatur? Priùs enim leniter subrepit, postmodum verò etiam violenter trahit. Caput itaque aspidum sugit, quia initium suggestionis occultæ parvum priùs in corde nascitur. Sed occidet eum lingua viperæ, quia postmodum capta mens veneno violentæ tentationis necatur.* Et mox: *Cum iniquam suggestionem hostis antiqui libenter suscipit, violentis postmodum ejus se tentationibus devictus tradit. Unde & in paradiso quoque stanti homini verba blandæ persuasionis intulit. Sed quem semel rapuit ad consensum, jam nunc etiam renitentem trahit, & corruptionis suæ delectationibus devictum, penè violenter interficit.* Et infrà: *Suggestioni serpentis si primò non resistitur, repentè totus ad interiora cordis, dum non sentitur, illabitur.* Et alibi: *Quomodo macula in manibus, id est, culpa in actionibus inhæreret, quam censura disciplinæ non sinebat in cogitatione proficere? Neque enim culpa ad opus prodire permittitur, si intus ubi nascitur, extinguatur. Si autem tentationi in corde nascenti festinè non resistitur, hac eadem, qua nutritur mora, roboratur; & existens foris in operibus vinci vix prævalet, quia ipsam intus membrorum dominam mentem tenet captivam.* Supersedeo ne plura id genus accumulem. Liquet hinc autem leniter primò *surrepere parvam mali persuasionem*: cui facillimum est opitulante intus adjutorio divino consensionem denegare. At si *festinè non resistitur*, tentatio illa *mora roboratur*, & deinceps *vinci vix prævalet*, etsi eadem intus gratiæ delectatio aspiret. Quidquid autem *vix* fit, ut comparati sunt homines, tandem aliquando non fit omnino. Lassescit enim animus ad nimiam difficultatem, si diutina fit.

Moral. l. 15. c. 9.

L. 17. c. 16.

L. 21. c. 7.

L. 27. c. 17.

Rursus idem: *Qui quamvis in minimis, sed tamen frequenter excedunt, admonendi sunt ut nequaquam considerent qualia, sed quanta committunt. Facta enim sua si despiciunt timere cum pensant, debent formidare cum numerant. Altos quippe gurgites fluminum parvæ, sed innumeræ replent guttæ pluviarum. Et hoc agit sentina latenter excrescens, quod patenter procella sæviens. Et minuta sunt, quæ erumpunt in membris per scabiem vulnera, sed cum multitudo eorum innumerabiliter occupat, sic vitam corporis sicut unum grave inflictum pectori vulnus necat. Hinc videlicet scriptum est, Qui modica spernit, paulatim decidit. Qui enim peccata minima flere ac devitare negligit, à statu justitiæ, non quidem repentè, sed partibus totus cadit.* Quæ non satis constanter dicerentur, nisi multò major facilitas in evitandis minimis, quàm gravioribus culpis; multò major difficultas in evitandis gravioribus incumberet, postquam contemptim minoribus indulsimus: nisi denique in graviores prolapsi, antea habuissent in potestate abstinendi à minoribus noxis, & ita procul à majoribus declinandi. At hæc facilitas, difficultas, potestas in nostra quidem hypothesi tam perspicua est, ut non aliis nos utamur vocibus, non aliis sententiis immoremur, quàm quas dictant & præeunt sancti Patres. At in utralibet alia hypothesi longè aliæ usurpantur voces, & sub iisdem vocibus diversæ prorsus sententiæ delitescunt. Nihilo faciliùs enim vel difficilius est, nihilo magis vel minùs in potestate nostra est vitare minima quàm maxima errata, & vicissim: cùm ex æquo consensum creet vel non creet in voluntate gratia prædeterminans, aut præscitæ fœcunditatis. At nos fidenter cum Gregorio rursum clamamus, *Nunquam illic anima, quò ciciderit, jacet: quia voluntariè semel lapsa* ad pe-

Pastor. l. 3. adm. 34.

Moral. l. 15. c. 9. L. 16. c. 4.

ad pejora pondere suæ iniquitatis impellitur; ut in profundum corruens, semper adhuc profundiùs obruatur. Et alibi: *Ecce à torpenti corde, ad verba venit otiosa; ab otiosis autem verbis per crimen fallaciæ ad contumelias exarsit. Isti quippe sunt casus culpæ crescentis, ut lingua cum non restringitur, nequaquam ubi ceciderit, jaceat, sed semper ad deteriora descendat.* Idque fit vel gratia eadem juvante, sed steriliter juvante voluntatem jam sponteneis debilitatam erratis; vel minùs juvante, aut omnino non juvante, & postquam sæpiùs deserta contemptaque ab homine est, hominem deserente. Nullæ hìc ut vides violentæ interpretationes, nullæ callidæ & insperatæ sub tritissimis vocibus & effatis intelligentiæ.

In Cant. Serm. 56. Bernardus: *Primus paries concupiscentia. Secundus, consensus. Tertius, actus. Quartus, consuetudo. Quintus, contemptus. Cura ergo concupiscentiæ priori totis resistere viribus, ut non pertrahat in consensum: & omnis deinceps malignitatis fabrica evanescit.* Coll. 6. c. 17. Cassianus quoque præclarissimè: *Lapsus quispiam nequaquam subitanea ruina corruisse credendus est, sed aut pravæ institutionis deceptus exordio: aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc sensim vitiis increscentibus casu miserabili concidisse. Quemadmodum domus nunquam subitaneo ad ruinam procumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium desidia, stillicidiis primùm parvissimis penetrantibus, corrupta sensim fuerint munimenta tectorum: quibus per vetustam negligentiam in majorem modum patefactis atque collapsis, ubertim post hæc influit pluviarum imbriumque tempestas. Quod animæ spiritaliter evenire Salomon designat, Stillicidia inquiens ejiciunt hominem in die hyemali de domo sua. Eleganter vero mentis incuriam domati comparavit, tectoque neglecto, per quam primò quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum. Quæ si velut parva ac levia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & post hæc influunt imbre largissimo vitiorum: per quem in die hyemali, id est, in die tentationis, ingruente impugnatione diaboli, expelletur mens de habitatione virtutum, in qua scilicet aliquando circumspecta diligentia se retinens, velut in domo propriæ possessionis requieverat.* Conspirat & iste Patribus aliis hac in parte, & totam ruinæ culpam confert in hominis negligentiam & incuriam, hebescentem primò circa res minimas, & ita ad maximas lassescere & deficere insuescentem. Quis crederet autem, in utraque alia hypothesi, quod credi necesse est, Deum optimum maximum in ipsa misericordiæ & gratiæ suæ dispensatione, ita hominibus quodammodo illudere, & quidem justis, amicis filiisque suis tunc, ut antequam acceptam cœlitus innocentiam justitiamque macula ulla spurcaverint, prior ipse incipiat vel gratiæ adjutorium necessarium penitus adimere, vel unum altero mutare, & subtracto eo quod hactenus concesserat, quod nempe efficax erat vel ex prædeterminatione physica, sive victrici delectatione, vel ex prævisione scientiæ conditionatæ, alterum subjicere, quod videt, quod præscit æternæ sterilitati devotum: & istud tam callidè instrui, ut primò circa res minimas deficiat gratia illa prior, sterilisque subrogetur: tum circa majusculas, denique circa maximas; ut ita probabiliùs in crimen adducatur negligentia hominis, quæ officia aliqua neglexerit minora, & ita ad majora assueverit aspernanda? Quis sibi istud possit animo fingere? Et tamen res ita habet, si fides, si veritas constet alterutri illi hypothesi. Abstinui quantum potui à convitio & contumelia verborum, in re tam atroci objectanda. Condonatum mihi velim, si quid præter consilium dictum est à me immitius. Sed reapse quanquam clementiora possint adhiberi verba, rei ipsius inclementia non potest non hominum animos offendere, Patrum lectioni & doctrinæ innutritos.

Ruffinus in Apollonio: *Pater autem senior docebat eos, ut quotidie proficerent in virtutibus, & insidias diaboli, quas per cogitationes inferret hominibus, in initiis statim retunderent. Sic enim ajebat, Confringetur caput serpentis, & omne ejus corpus emortuum reddetur. Ob id enim mandat nobis Deus observare caput serpentis, ut omnino statim ab initio nec recipiamus malas & sordidas cogitationes in corde nostro.* Parco hinc plura metere. Vitæ Patr. pag. 461.

E Græcis ut in re plana paucos conglobabo. Nilus in Epistolis: *Non oportet contemnere offensiones quæ videntur leves, tanquam parvas. Parvum enim illud peccatum in magnas transgressiones potest inducere hominem, & detrimentis eum afficere maximis. Cave igitur tibi sollicitè à minutis animæ vitiis, ne fortè per ea quæ tibi videntur parva peccata, in ipsa profundæ nequitiæ baratra traharis.* Et alibi: *Oportet Christi militem jam tunc robustè obluctari cupidinibus, quoad eæ formicularum infirmitate serpunt, specie illa contemptibili ad insidiarum obtentum abutentes, dum securis nobis sese neglecta pestis admovet. Atqui si leonis molem & vires repentè sumpserit, laboriosissimè ægerrimeque repelletur. Caveamus ergo, ne præbeamus formicis escam, unde in leones crescant.* Epist. 187. 189. 345. Et in Narrat. pag. 72. 73. Cyrillus Alexandrinus: *Judam elegit Christus, & sanctis discipulis eum adscripsit, cum idoneum se principio sectatorem ac discipulum præstaret. Sed postquam paulatim à Satana tentatus, & lucri studio irretitus huic vitio succubuit, factum ob id proditorem demum repulit. Nihil ergo ad eum qui elegit. Penes illum erat quippe non cadere, si meliora sectari voluisset, totamque suam mentem ad sequendum sincerè Christum transtulisset.* In Evang. Joan. l. 9. pag. 731. Chrysostomus: *Non confestim diabolus Caino cædem fratris suggessit, ne magnitudine rei commotus, tam scelestum facinus abominaretur. Sed prius persuasit deteriora offerre, nullum id esse dicens peccatum. Deinde invidiæ veneno succendit, nihil etiam hinc mali secuturum persuadendo. Ita sensim in eum illapsus, ad cædem fratris, & ad negationem sceleris impulit, nec prius cessavit, quàm malorum omnium verticem imposuit. Repellenda igitur malorum initia sunt. Nam etiamsi ad majora prima non progrederentur peccata, non esset tamen negligendum. Nunc verò per istam incuriam gradatim semper ascendunt. Quamobrem omni studio atque opera funditus principia peccatorum sunt evertenda.* Hom. 87. in Evang. Matth. Hìc verò operæ pretium erit, si paulò accuratiùs perpendamus, quod Chrysostomus ait, quod alii ante tradebant obscuriùs Patres. Nempe non continuò diabolum ad enormia provocare crimina. Conscius enim est ab his abhorrescere justorum voluntates, & nihil se ea arte consecuturum. Sed leviores ad culpas pellicit, & ita gradatim ad paulò majusculas trahit, ita illaqueatos in pelagus flagitiorum pertrahit. Ergone cum adest gratia invicta, qua graviores retundantur tentationes, non adest, qua levissimæ rideantur? An delectatio illa victrix, an invicta motio opis divinæ valet & sufficit ad validissimos adversarios propulsandos, non valet ad imbelles? Si gratia invicta justos destituit, multò proniùs in graviores culpas irruent. Si non destituit, multò faciliùs leves, quàm gravissimas ablegabunt suggestiones. Vides quàm alienæ sint istæ igitur hypotheses à Patrum dogmatis, à communi hominum sensu, à spiritalium virorum disciplina & experimento. Quocirca rursus idem Chrysostomus ibidem: *Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi videri nonnunquam, non tanto studio majora esse peccata vitanda, quanto parva, & vilia. Illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit. Hæc autem hac ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum generosè animus consurgere. Unde citò ex parvis maxima fiunt, negligentia nostra.* Quod in nostra hypothesi proclive est. Etenim quanquam adsit gratia intus, qua majo-

majores minoresve vitentur errores, circa minores tamen primò & faciliùs obrepit negligentia. Itaque si ex mera nostra negligentia labes hæc oritur, constant Patrum dicta, constat obstandum maximè principiis, constat levioribus culpis insuescere animos ad acerbiores. At si nostram quamlibet primam culpam antecedit gratiæ recessio, vel cessatio aliqua, tum contra totum est. Statim enim in gravissimas quasque impietates proruemus æquè ac in leviores maculas, gratia destituti. Sunt & alia ejusdem Chrysostomi ad id loca egregia. Joannes Climachus enumeratis gradibus pluribus, quibus
Hom. 7. in Epist. 2. ad Corinth. Grad. 15. grassatur tentatio, addit, *Qui primum impetum tentationis fortiter nulla admissa improba cogitatione sustinuit, simul omnibus sequentibus assultibus viam præclusit & præcidit*.

Dorotheus: *Admoneo vos sæpissimè passiones ve-*
Doctr. 8. *stras cum novellæ sunt, abscindere, ne scilicet obfirmentur in vobis, & ad miseriam summam vos trahant. Aliter enim extirpatur planta, aliter evellitur arbor, cum coaluerit ad magnitudinem*. Et alibi: *Cum tene-*
Doctr. 11. *ræ sunt & parvæ passiones nostræ, si volumus, facilè illas possumus à nobis extirpare. Quod si eas neglexerimus, obdurescent illico, quoque magis obduruerint, & majore vi & labore opus erit*.

CAPUT LIII.

Posse singula, non posse universa vitari peccata venialia à justis, mortalia ab impiis, probatur ex Augustino & aliis Patribus. Id verò cum gratia seu physicè prædeterminante, sive delectando infallibiliter torquente voluntates consistere non potest. Hac enim gratia peræquè omnia, atque singula vitia superarentur; sine illa gratia perinde singulis, atque omnibus concupiscentiæ congressibus prosterneremur.

HUjus quoque argumenti concatenatio cum antecedentibus dilucida est, ut necesse fuerit illud carptim stringi in superioribus. Culpas ergo veniales etiam à justis gratiæ divinæ præsidio abundè communitis, vitari posse singulas, non posse universas, posse aliquandiu, non posse semper, receptissimum est effatum, apud antiquos Patres decantatissimum, ab Augustino, Hieronymo aliisque Pelagianæ dementiæ oppugnatoribus prolixè ex Scripturis declaratum, ubi eorum impeccantiam prophanæ ex Philosophiæ penu depromptam exploserunt. Unde id autem, amabo, proficiscitur? Nam si vel ex media præscientia, vel ex prædeterminante virtute invictissimas Deus gratias largitur, perinde gratiæ istæ valebunt ad universas, atque ad singulas noxas eliminandas ab animo. An enim gratia, quam præscivit Deus efficacem fore ad persuadendum voluntati, his loci temporumque circumstantiis vallatæ, non æquè pollet ad culpas universas prævertendas? Item an gratia quæ invicta, quæ victrix semper est ex omnipotente prędeterminationis motione, non pariter omnes ac singulas superabit difficultates, maculas prævertet? Denique quod ex parte Dei est, nihilo plus ille laborat, in universis atque in singulis hostibus debellandis. At verò instituta à nobis ratio facillimè has insuperabiles alioqui difficultatum moles sibi complanat. Etenim quia voluntatis est consensum suum excitanti & inspiratæ gratiæ adjungere, & conjunctum retinere, nec id sine nisu ingenti fieri potest, lassescit voluntas nostra, & lacertos remittit quandoque, atque ex ingenita nescio qua supinitate ac mollitie animi resolvitur & languescit. Quocirca tametsi vigeat & fervescat aliquandiu, in uno & altero opere bono; at paulò pòst fatigatur, ad perpetuitatem justitiæ indefessam non sufficit, etsi sufficiat gratia. Ergo in aliorum sententia, si voluntas spectetur sine gratia, nec ad peccata singula vitanda, nec ad bona opera singula perficienda sufficit, nedum ad universa: si cum gratia, æquè ad universa sufficit, atque ad singula: nisi si causam conjicias in ipsam gratiæ penuriam vel imminutionem; quod quantum à Patrum consensione discrepet, ex antedictis dilucet jam, & ex inferioribus magis magisque effulgebit. In nostra autem sententia hæc voluntas sine gratia, nec ad singula sufficit, sive declinanda mala, sive bona sectanda: cum gratia autem ad singula sufficit, non ad universa, quia ad singula non æquè fatigatur, non lassescit, non æquè infatigabiliter contendendum, decertandumque est, atque ad universa. Possent & ad universa prorsus, etiam minima, tum mala effugienda, tum bona perficienda sufficere ac præpollere divinæ gratiæ vires: possent enim ex omnipotente sapientia Dei, & ea foris occurrere quæ delectarent, & ea intus cœlestis delectationis flumina inundare, ex quibus ita inebriaretur anima, ut nec ad momentum ullum fatisceret, aut se remitteret. Sed ea ubertas gratiæ tum affundetur, cum absorbebitur mors in victoriam, cum absorbebitur quod mortale est à gloria, cum inebriabimur ab ubertate domus cœlestis, & torrente beatificæ voluptatis potabimur. Sed gradum figendo in eo genere & modo gratiarum, qui mortalis hujus vitæ proprius est, qui ad meritum comparandum, non ad premium perfruendum opportunus est, potest in nostra, non potest in aliorum sententia expediri ratio & causa, propter quam possint hic singula, non possint universa, etiam leviuscula vel mala declinari, vel bona præstari.

Revolve animo quæ superiùs ex Hieronymo decerpsimus, evidentissimè ille hanc sententiam dictat: *Dedit Deus præcepta diversa, virtutesque varias, quas omnes simul habere non possumus*. Audis quas virtutes habere, Dei jussiones implere non possumus, nempe singulas possumus, *omnes simul* non possumus. Etenim *non omnia possumus omnes*. Deus non pręcepit, nisi possibilia, sed *hæc possibilia cuncta singuli habere non possumus*. Causa autem ne longè, ne aliunde petatur, una est *lassitudo animi, qui cunctas simul & semper non potest habere virtutes*. Quid arietes gregis Dominici? *Apostoli una hora vigilare non possunt, somno, mœrore & carnis fragilitate superati: & tu potes longo tempore omnia peccata superare?* In eo enim difficultas hæret, ut *omnia*, ut *longo tempore* superentur peccata. Infrà rursus diræ illis interminantur, qui contradicunt fictori suo Deo, dum dicunt: *Quare talis conditus sum, qui non possum in perpetuum carere peccato?* Objurgat & eos qui quiritantur, quòd eos Deus tales condiderit, qui *lassescant & deficiant*. Hanc esse ait conditionem nostræ mortalitatis, ut *subjaceamus peccato*, non *naturæ vitio*, nedum defectu gratiæ, sed *fragilitate & commutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur, quia Deus solus est immutabilis*. Omni porrò in ista sua adversus Pelagianos lucubratione creberrimus, & vehementissimus est in gratiæ divinæ necessitate adstruenda, etiam ad singula, etiam ad minuscula quęque opera. At abhorrere à peccato animum nostrum ait, quantumvis opituletur gratia, sed *pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intentus est animus, quandiu chorda nullo vitio laxatur in cithara*: sed nos persępè animum & conatum remittere, ut qui *adverso flumine lembum trahit*. Denique cum libera voluntate simus, ait posse nos non peccare, sed *pro modo & tempore & conditione fragilitatis humanæ*. Cæterum id adjicit, *perpetuitatem innocentiæ soli reservari Deo*. At verò quantalibet sanctimonia & constantia quis sit, cum Hieronymo tamen dicet, *Non quia ad breve possum, coges me, ut possim jugiter. Possum jejunare, vigilare, psallere, nunquid in perpetuum?* Perspicis quàm ab his & sensis & verbis nec tantillum devie-

mus,

mus, in hujus solutione nodi: quàm diversa autem & dicant & sentiant, qui alias iniere vias.

Augustini doctrina eodem vergit. Jobi laudes, à Deo ipso illi adscriptas prosecutus, addit, verissimè tamen ipsum sensisse, quòd *non est justus quidquam ante Deum. Proinde secundum modum conversationis humanæ, perhibet ei Deus tam magnum justitiæ testimonium. Ipse autem se metiens ex regula illa justitiæ, quam sicut potest, conspicit apud Deum, in veritate scit, quia ita est, &c. Fragilitatem quoque ipsam vel potiùs damnationem carnalis generationis ostendens ex originali transgressione peccati, cum de peccatis suis ageret, velut eorum causas reddens, dixit, hominem natum de muliere? parvi esse temporis, & plenum iracundia, qua iracundia, nisi qua sunt omnes, sicut dicit Apostolus, naturaliter, hoc est, originaliter iræ filii, quoniam filii sunt concupiscentiæ carnis & sæculi.* Et mox: *Satis apparuit etiam illa peccata justè imputari, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandæ molestiæ alicujus, aut doloris aut mortis.* Lassitudinem & fragilitatem paulò enucleatiùs explanat, quàm Hieronymus, & ab originali vitio hanc ægritudinem maximè derivat. Ante peccatum enim summa erat homini bene vivendi facilitas, ex peccato orta difficultas; difficultas in singulis nomen & vim servat; in universis autem, & in perpetuum si perduret, jam in impossibilitatem vertitur, ut res humanæ sunt. Difficilia enim aliquando & aliquandiu superantur mala, efficiuntur bona, non semper, non jugiter. Rursus Augustinus: *Neque negandum est, hoc Deum jubere, ita nos in facienda justitia esse debere perfectos, ut nullum habeamus omnino peccatum: Nam neque peccatum erit, si non divinitus jubeatur, ut non sit. Cur ergo jubet, inquiunt, quod scit nullum hominem esse facturum? Hoc modo etiam dici potest, etiam cur primis illis hominibus jusserit, qui duo soli erant, quod sciebat eos non esse facturos.* Jubet Deus ergo, ut vivatur sine ullo peccato. Id jubet lex æterna. Sed homines post peccati fragilitatem originalem non faciunt quod Deus jubet. Sentiebat Augustinus cum hæc scriberet, perfectissimis saltem non deesse gratiam qua sine peccato viverent. Objectio id evincit. Nec enim objectandum fuisset, cur Deus præciperet, quod præsciret nullum esse facturum: sed potiùs, cur præciperet id, ad quod necessariam gratiæ opitulationem ipse subtraheret. Id rursum firmat exemplo hominis adhuc stantis, cui præcepit Deus, quod sciebat non implendum. At illi gratia copiosissimè suffragabatur. Respondet denique Augustinus, præcipi à Deo, ut contemptores plectantur, *quicumque autem in ejus præceptis, obedienter & piè proficientes, nec tamen omnia quæ præcepit, implentes, sicut sibi dimitti volunt, sic aliis peccata si dimiserint, ipse faciat in eorum mundatione quod bonum est.* Ad hoc enim sufficit efficacia divinæ gratiæ, ut in præceptis Dei & in virtutibus *piè proficiamus*; & quoniam qui proficit, is utique priùs deficit, ut hunc defectum, oratione, humilitate, misericordia compensemus. Qua de re alias.

De peccat. merit. & remiss. l. 2. c. 10.

Ibid. c. 16.

L. 1. c. 8. 16.

Gregorius in Moralibus: *Apostolis post prædicationem Dominus pedes lavit, ut apertè monstraret quia plerumque & in bono opere peccati pulvis contrahatur, & inde inquinentur vestigia loquentium, unde audientium corda mundantur. Nam sæpè nonnulli dum exhortationis verba faciunt, quanquam tenuiter sese intrinsecus extollunt, &c.* Et infrà: *Quid est quod in hac vita sine quavis tenuissimi contagii inquinatione peragatur? Nonnunquam namque ipsis bonis quæ agimus, ad deterius propinquamus: quia dum lætitiam menti pariunt, quandam etiam securitatem gignunt: dum mens secura redditur, in torporem laxatur. Nonnunquam verò virtutes aliquantula elatione nos polluunt, & tantò dejectiores apud Deum faciunt, quantò apud nosmetipsos tumidiores reddunt.* Sic ille ostendit gemino hinc & hinc scopulo nos premi, ut vix alterum declinare ita possimus, quin altero saltem perstringamur. Nam si bonis fervemus operibus, ebullit elatio: alioqui serpit ignavia & lassitudo.

Hujus ærumnæ originem alibi idem Gregorius derivat ab ipso usque primi parentis flagitio, & nostro inde contagio. Hinc enim prima mali labes, hinc instabilitas, hinc difficultas, & mentis aciem arrigendi semper in normam veritatis elimatissimam, & cordis impetum dirigendi contendendique semper & indefessè ad eandem: *Hæc vita hominum non tentationem habere dicitur, sed ipsa tentatio esse perhibetur. Sponte quippe à statu conditionis lapsa, & corruptionis suæ putredini subdita, dum sibi ex semetipsa molestias gignit, hoc est jam facta quod tolerat. Quia enim statum mentis inclinata deseruit, quid in se nisi motum varietatis invenit? Unde nunc etsi ad summa appetenda se erigit, mutabilitatis lubricæ impulsu protinus ad semetipsam cadit. Vult in contemplatione stare, sed non valet. Cogitationis gressum figere nititur, sed infirmitatis suæ lapsibus enervatur. Quæ nimirum mutabilitatis suæ onera, quia volens expetiit, nolens portat; &c. Ipsa ergo hominis vita tentatio est, cui ex semetipsa nascitur, unde perimatur. Quæ etsi semper ex virtute succidit, quod ex infirmitate generat: semper tamen ex infirmitate generat, quod ex virtute succidat. Sic itaque humana vita tentatio est, ut etsi jam ab iniquitatis perpetratione compescitur, in ipsis tamen bonis operibus, modò malorum memoria, modò seductionis caligine, modo intentionis suæ interruptione fuscetur.* Ita ubi homo à stante æternitate & veritate resiliit per peccatum, in instabilitatem delapsus, quamvis gratiæ ingentibus auxiliis muniatur, non potest, etsi velit, in contemplatione stare, non potest cogitationis gressum æternis infigere, non potest intentionem suam sine interruptione cœlestibus adglutinare: etsi à scelere cesset, non potest non aliquo terrenorum pulvere sordidari. Dum uni enim occurrit culpæ, in aliam incautus irruit. Hoc prolixa ibi continuò enumeratione Gregorius exequitur, ut homo etiam spiritalis, dum alia vitat, in alia impingat vitia: dum virtutes sectatur, vel modum & mediocritatis lineam insecabilem non teneat, vel specie virtutum fallentia vitia inopinus amplexetur. In tot enim curas & cautiones semper arrigi & exsomnis vigilare non sufficit, quia lassescit. Ubi vides quàm hæc conjuncta sint illis, quæ ex Hieronymo suprà deprompsimus. Sed in hujus labis originem altiùs se inseruit Gregorius, duce & auspice Augustino, cujus Theologiam hæc omnia prorsus redolent.

Moral. l. 8. c. 4.

Eadem alibi idem præclarè sæpiùs explanat: *Ad hoc homo conditus fuerat, ut stante mente in arcem se contemplationis erigeret, & nulla hunc corruptio à Conditoris sui amore declinaret. Sed in eo quod ab ingenita standi soliditate voluntatis pedem ad culpam movit, à dilectione Conditoris in semetipsum protinus cecidit. Amorem verò Dei, veram scilicet stationis arcem deserens, nec in se consistere potuit; quia lubricæ mutabilitatis impulsu infra se per corruptionem proruens, etiam à semetipso discessit. Qui nunc quia conditionis suæ soliditate non figitur, alternantis semper desiderii motu variatur: ut & quietus actionem desideret, & occupatus ad otium anhelet. Quia enim fixa mens stare cum potuit, noluit: stare jam non valet etiam cum vult. Conditoris quippe sui contemplationem deserens, salutis suæ fortitudinem perdidit: & quolibet posita, semper ægra alium locum quærit.* Illud est quod Hieronymus supra exibilans impeccantiam Stoicorum seu Pelagianorum, aiebat, *Non quia ad breve possum, coges me, ut possim jugiter. Possum vigilare, psallere, numquid in perpetuum?* Quin nec Paulum ipsum de cœlestibus tum cogitasse admonebat, cùm penulam & membranas sibi referri curabat. Postquam enim *stationis arcem* deser-

Ibid. c. 6.

servimus, hoc est, primigeniam Dei contemplationem & charitatem, sive ut loquitur, unde hęc hausta sunt, Augustinus, illam tantam benevivendi facilitatem, & vitam imperturbatam, in alternantibus desideriis semper æstuamus, & quæcumque aspiret gratia, brevi nauseamus, lassescimus, ad alia suspiramus.

Eodem referendum quod idem alibi Gregorius declarat, ut in virtutum vitiorumque confinio caliget quandoque mens, & vitia fuco virtutum incrustata incauta sequatur, vel in germanis virtutibus modum transiliat, aut dum transilire cavet, deficiat. In his enim omnibus non gratiæ minùs sufficienti facienda invidia est: non gratia quædam æternæ sterilitatis imaginanda: non præscientia Dei aliqua scrutanda profundiùs, quæ eo modo juvet, quo studiosè præcavit nihil profuturum adjutorium. Jamdiu advertis, quàm nihil horum resonet in Patrum scriptionibus. Sed humanæ mentis etiam in sanctissimis viris deflenda est instabilitas, fragilitas, lassitudo, pœnaliter inflicta, & in reliquiis vetustatis adhuc clanculum amata & placens & spontanea. *Sunt nonnulla quæ sciri à nobis facilè nequeunt, etiam cum geruntur. Nam sæpè recto studio contra delinquentium culpas accendimur; & cum ultra æquitatis metas per iram rapimur, hoc zelum justæ districtionis æstimamus.* Moral. l. 9. c. 13. Hoccine in casu tu suspicaberis non satis lucis, non satis gratiæ à Deo affuisse viris piissimis, quibus hæc contingunt? Adest enimverò quantum satis est. Sed quia hæc æqui & iniqui subtilia discrimina *facilè nequeunt* vel sciri vel teneri, & semper & jugiter: ideo in hac difficultate mollescit animus nonnihil, sufficientissimæque opi & luci ipse deficit aliquantulum. In summa enim contentione virium non diu durat. Pergit ille: *Sæpè officium prædicationis assumimus, ut per hoc fraternæ utilitati serviamus; sed nisi placeamus cui loquimur, nequaquam libenter auditur quod prædicamus. Cumque placere mens utiliter studet, ad amorem laudis propriæ turpiter defluit, & quæ à captivitate vitiorum alios curabat eruere, ipsa suis favoribus incipit quasi captiva servire.* An hìc quoque tam præclarè cœpta existimabis destitui & corruere, ex eo quòd gratia vel nulla vel decolor & infœcunda aspirare pergat? Insulsum id sanè fuerit. Sed quanquam eadem quæ priùs renideat gratia, in lubrico illo studio placendi hominibus non satis cauto & suspenso ingreditur anima nostra vestigio, & à cura placendi propter proximi utilitatem, facilè *defluit ad amorem laudis propriæ*. Hìc enimverò major diligentia & arrectior cura opus erat, in tam ancipiti virtutis vitiique confinio: quæ quia non semper, non jugiter adhibetur, facilè defraudatur ex aliqua parte efficacia gratiæ interioris. Unde idem mox: *Cumque propositæ utilitatis intentio ad studia privata deducitur, horrendo modo unum idemque opus culpa peragit, quod virtus inchoavit.* Sexcenta porro quotidie occurrunt hoc genus discrimina, ubi ex ignavia, imprudentia, amore sui insaniore voluntas nostra hallucinatur & aberrat, nec nolens, nec volens, & volens, & nolens; quia neutrum satis & plenè vel volens vel nolens. Ita & ipsa sibi blanditur & mentitur non rarò. *Sæpè & ab ipsis exordiis aliud cogitatio expetit, aliud actio ostendit. Sæpè se fidelem sibi nec ipsa cogitatio exhibet; quia aliud ante oculos mentis versat, & longè ad aliud ex intentione festinat.* Hæc porro Lerna malorum ab eo capite tota prodit, quòd ut mox subditur, *quia ab inquisitione nostra torpentes, nos omnino nescimus.*

Moral. l. 17. c. 10. 12. Idem alibi: *Nec singulorum bene viventium mentes à peccatorum maculis mundæ sunt, si remota pietate judicentur. Quia apud districti Judicis oculos sua unumquemque corruptibilitas inquinat, nisi hunc quotidie gratia parcentis tergat. Electorum quippe animus prodire ad libertatem justitiæ nititur, sed adhuc compede infirmitatis tenetur: & culpas quidem subigere perfectè desiderat, sed quousque corruptione carnis astringitur, ejus vinculis, etiam cum non vult, ligatur.* Sic electi vitant peccata, singula, non universa, quia illos *sua corruptibilitas inquinat*, compes *infirmitatis* ligat. Hoc est quod suprà Hieronymus aiebat, Da mihi qui non esuriat, sitiat, algeat, &c. His enim vitæ necessitatibus, ærumnosis veluti ponderibus quibusdam deprimitur anima deorsum, & dum servit inevitabili necessitati, non potest tam vigilanter & arrectè intendere, ut non aliquid furtivæ indulgeat voluptati. Eodem spectat & istud: *Ipsa occupatio sæcularium dignitatum tantò facilioribus vitiis premitur, quantò majoribus curis gravatur. Humanus namque animus videre & devitare peccata, utinam valeat vel quietus.* Nec sæcularium modò, sed & sacrarum dignitatum sociæ indivulsæ, occupationes & curæ, sine peccato vix ac ne vix quidem obiri & sustineri possunt. Minimè id quidem ex gratiæ penuria, quæ tunc major affluere existimanda est, cum illarum dignitatum jugum imponit necessitas & utilitas publica: sed ex difficultate & impossibilitate quadam, non aliquando connivendi, & ab infatigabili qua opus est diligentia nihil unquam remittendi.

Sed exteriora quid attinet scrupulosiùs scrutari, cum in suis ipse penetralibus animus noster fatiscat, & cogitationes suas ipsas difficillimè regat, & ab inquinamento pravæ delectationis vix omnino aut nec vix cohibeat? *Sciendum est, quod sunt peccata quæ à justis vitari possunt, & sunt* Moral. l. 18. c. 6. *nonnulla quæ etiam à justis vitari non possunt. Cujus enim cor in hac corruptibili carne consistens, in sinistra cogitatione non labitur, vel si usque ad consensus foveam non mergatur? Et tamen hæc ipsa prava cogitare, peccare est.* Cogitationi sive suggestioni & consensui in malum media interjacet delectatio, ut alibi sexcenties commemorat Gregorius idem post antiquos Patres. Sed usque adeo nec justi penitus evitant culpas omnes delectationis noxiæ, ut aliquoties Gregorius delectationem sileat, de cogitatione tantùm, & consensione meminerit. Quasi delectatio quædam initialis indivulsè cohæreat cum cogitatione; delectatio verò adulta, jam consensio quædam sit. Sanè exploratum est, etiam justos à contagio improbæ delectationis non posse universas cogitationes suas suspendere, etsi singulas possint. Nec id similiter inopia gratiæ, sed lassitudine inevitabili inter tantas & tam juges diutinasque cogitationum æstuantium procellas. *Etsi cuncta prava opera quæ* L. 24. c. 7. *intelligere valuit, devitavit, venturus tamen coram districto judice, illa magis quæ in semetipso non intelligit, pertimescit. Quis enim considerare valeat, quanta mala per momenta temporum ipsis inconstantibus cogitationum motibus perpetramus? Facile est enim opera perversa vitare, sed nimis difficile est ab illicita cogitatione cor tergere.* Itaque justi adjuvante Dei gratia crimina omnia devitant, venialia delicta complura effugiunt, omnia non possunt: non quia non possunt: sed quia nolunt; vel non satis volunt. Ratio discriminis est, quia illud *facile* est, istud verò *nimis difficile*. Nimis difficile autem quidquid est, ubi jugiter, ubi semper imperatur, moraliter, ut aiunt, impossibile est, ex difficultate qua fit ut animus lassescat. Hæc autem calamitas unde acciderit, mox idem aperit: *Humana anima semel æternitatis statum deserens, ad fluxum temporalitatis delapsa, hanc mutabilitatem alternantium motionum, quam dum caderet, volens appetiit, dum conatur surgere, cogitur invita tolerare. Inde quippe punita est, unde delectata: quia inde conversa habet laborem certaminis, unde perversa appetiit gaudium voluptatis.* Itaque iste est *labor certaminis*, quo difficillimum est non aliquando, non paululum lassari, & ita inter dimicandum, etiam inter vincendum, leviter saltem perstringi & vulnerari.

Inde

Inde est quòd idem sanctus Pater, errata nostra non tam perspicacis considerationis, quàm compunctionis oculo videri posse existimat. Torpore enim & ignavia amorque sui caliginem nescio quam semper obtendunt, quam sola pietas & compunctio discutit. *Unusquisque sibi, dum tactu veri luminis illustratur, ostenditur: & unde agnoscit, quid est justitia, inde eruditur, ut videat quid est culpa. Hinc est quod sæpè mens nostra quamvis frigida in conversationis humanæ actione torpescat: quamvis in quibusdam delinquat & nesciat: quamvis peccata quædam quasi nulla perpendat: cum tamen ad appetenda sublimia orationis compunctione se erigit, ipso suæ compunctionis oculo excitata ad circumspiciendam se post fletum vigilantior redit. Nam cum neglectam se deserit, & noxio tepore torpescit, vel otiosa verba, vel inutiles cogitationes minores esse reatus omnimodo credit. At si igne compunctionis incalescens, à torpore suo tacta subito afflatu contemplationis evigilet, illa quæ levia paulo ante credidit, mox ut gravia ac mortifera perhorrescit.* Ait primùm Gregorius animam delinquere, & *nescire*. Sed ea nescientia quo ex fonte manet, nequaquam dissimulat. Nempe ex eo quòd mens nostra *frigida torpescit*: unde statim atque torporem hunc excutit, & *vigilantior* fit, videt, quæ non videbat. Similiter voluntas peccata aliqua *quasi nulla* perpendit: nec ea inscitia mera est, sed quia *neglectam se deserit, & noxio tepore torpescit*. Continuò autem ubi *à torpore suo evigilat*, quàm ea sint momentosa, & videt & horrescit. Hæc ergo ignorantia, hæc culpa non ex gratiæ debilitate aut penuria, sed ex ignavia spontanea prodit, quam in electis suis & ubicumque vult Deus gratiæ uberioris afflatu dispescit. Et mox idem: *Quia beatus Job sanctæ Ecclesiæ typum tenet, possunt electis omnibus hæc ejus verba congruere, qui cognoscentes Dominum, in uno & alio deliquisse se sentiunt: quia se intelligunt vel in cogitatione & opere, vel in Dei & proximi neglecta dilectione peccasse.* Ita enim ab electis etiam omnibus peccatur, dum quam intus inspirat Deus, *dilectio negligitur*. Ad hunc modum debet intelligi, quod idem alibi ait, *Sunt quædam peccata, quæ quandiu in hac vita vivitur, etiam à perfectis viris aut vix aut nullatenus declinantur. Omnino est impossibile, ut in locutione, aut etiam in cogitatione nunquam delinquant sancti viri*. Ait sanctus Pater *vix*, *aut nullatenus* declinari aliqua peccata à sanctis hìc viris: paulò pòst ait id esse *omnino impossibile*. Ea nihil inter se pugnant. Quia enim nimia difficultas inest, verissimè dicitur, ea peccata vix declinari, imo impossibile esse ea declinari. Juvante enim gratia, facilè declinantur aliqua, difficiliùs plurima: impossibile autem est ut omnia declinentur.

Moralium L. 32. c. 1.

Ibid. c. 4.

In Psal. 2. Pœnit.

Bernardus libro de Præcepto & dispensatione, ad eos qui causabantur, Dei vix, Prælatorum autem nequaquam ab ullo posse observari præcepta, respondet: *Itane ergo nullus mandata perfectè exequitur sui Magistri? Quamobrem putatis? Quia nolumus, aut quia non possumus? Sed si volumus & non possumus, securi sumus. Si possumus & nolumus, superbi sumus*. Et infrà: *Fateor sanè impossibile cuivis mortalium, vel venialiter interdum non delinquere in præceptis obedientiæ. Sed nulla jam de impossibilitate querela, quandoquidem & ex Regula licet id quoque quod criminaliter delinqui contigerit, emendare*. Ubi contra Regulam monasticam non aliquando peccari dicitur impossibile, itemque contra præcepta obedientiæ Prælatorum regularium, non potest ea impossibilitas aliter capi, quàm de difficultate illa, proserpente nimirum ex nostra infirmitate & somnolentia. Et alibi idem: *Quis ita ad unguem omnia à se superflua resecavit, ut nihil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & redaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse, sæpè putandum est; imò si fieri potest, semper, quia semper, quod putari oporteat, si non dissimulas, invenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, & non magis suppressa.* Recidenda esse vitia rectè monet, & quia recisa repullulascunt, non semel, sed sæpè, imo *semper* recidenda, *si fieri potest*. Cautè id dictum, nec enim potest ita ad omnia semper advertere animus, tot curis morbisque dissipatus, etsi potest ad aliqua, potest aliquando, potest sæpè, potest ad singula.

Cap. 11.

In Cant. Serm. 58.

Petrus Damiani in opusculo de Horis Canonicis: *Quisquis septem hæc horarum canonicarum officia, quotidiana Deo devotione persolverit, si à gravioribus illis criminibus omnimodis alienus, à levibus quoque, in quantum humana fragilitas patitur, cum Dei subvenientis auxilio temperavit, ab his quæ cavere non potest, ut confidenter dicam, in examine tremendi judicii absolutus erit*. Etsi subveniat Dei auxilium, sunt tamen errata quæ *caveri non possint*: etsi enim possint singula, non possunt universa. Cap. 5.

CAPUT LIV.

Infallibilitates quædam sunt morales, quæ nihilo minus habeant certitudinis, quàm quæ à prædeterminatione physica proficiscuntur. Ejusmodi sunt istæ: justum venialiter quandoque peccare, impium criminosè; qui innumeris ab hostibus, telisque impetitur, aliquando sauciatum, vel certè perstrictum iri. Ita & gratiæ divinæ adjutoria plura, varia, diutina, congrua, conspirantia si quem oppugnent, expugnabunt tandem infallibiliter, quia etsi singulis possit quis, non potest omnibus simul & diu oppugnationibus seu gratiæ seu concupiscentiæ reluctari. Hæ porro infallibilitates facillimè cum voluntatis humanæ libertate conciliantur.

Ex antedictis elucet morales esse quasdam ut ita dicam infallibilitates, quæ certitudine physicas exæquent. Peccator enim ante justificationem peccata lethifera vitare potest singula, non omnia, saltem semper, vel diu. Justificatus autem mortifera quidem effugere potest etiam omnia, at venialia non potest, nisi singula & sejunctim: nequaquam verò conjunctim & universa. Istiusmodi infallibilitas nihilo minus obtinet certitudinis, quàm vel physica prædeterminatio, vel scientia conditionata; at præcipuum id habet & singulare, quòd apud sanctos Patres celebratissima sit, & humanæ libertati præterea sit accommodatissima.

Hæc porrò infallibilitas ipsi innititur naturæ rerum contingentium, quæ nec semper, nec nunquam, sed quandoque eveniunt, eoq; contingentes dicuntur, distantque à necessariis quæ semper, & ab impossibilibus quæ nunquam eveniunt. Itaque quorum animus quopiam propendet, nec tamen cogitur, utpote liber & sui compos, eoque non necessitate, sed pronitate agitur, in id non nunquam, non semper, sed quandoque, sed sæpè consentit. Si semper enim, ea foret necessitas: si nunquam, impossibilitas. Atqui peccator in scelera, justificatus in leviusculas culpas non necessitate, sed proclivitate quadam agitur: igitur ex norma contingentium quandoque suæ uterque pronitati obsequetur. Peccatoris enim voluntas Deo adhuc justitiæque adversaria & rebellis est: Justi voluntas legi quidem divinæ mancipata jam illa est, sed carnis concupiscentiis adhuc impedita, terrenis nugamentis adhuc afficitur & delectatur. Itaque cordis proclivitati uterque cùm & obsequi & reluctari possit, nec enim vel necessitas, vel im-

impossibilitas ulla dominatur adhuc, jubet lex contingentium, ut quandoque his animi desideriis serviant, quandoque adversentur.

Si ambo enim insomnes excubias agerent infatigabiliter, utrique à quocumque possent lapsu temperare. Sed quantacumque aspiret cœlitus gratia hominibus vel adhuc ægris, vel ex ægritudine nuper recreatis, & nequedum confirmata omnino valetudine, nequedum in illum vigorem primigenium penitus redintegrata, nimirum lassescent aliquando, & ab illa laboriosissima vigilandi & connitendi contentione fatiscent.

Hæc infallibilitas nihil molestiæ creat, nihil intentat periculi humanæ libertati. Potest enim homo evitare singula delicta, potest quælibet sigillatim: idque abunde est, ut liberum sit peccare, vel non peccare. Si autem vitari non possint universa conjunctim errata, nihil id libertati obstrepit. Actibus enim singulis vendicanda libertas est, in singulos quippe illa se exerit. At ad universa nullo actu singulari fertur voluntas. Itaque constat abunde libertas, si modò singulari actu quolibet peccatum est, quo potuit non peccari.

Quæ cum apud omnes Theologos sint in confesso, ex his juvabit astruere specialem illam rationem efficaciæ invictissimæ, quam divinæ gratiæ adjutoriis adrogamus. Ut enim peccati instigationibus intus titillantibus & illecebris foris incursantibus, quia voluntas libera & refragari potest & suffragari, infallibile est illis eam nunc assensuram, nunc dissensuram, quia hæc contingentium lex & conditio: ita prorsus quia gratiæ divinæ & inspirationes & excitamenta extrinseca potest voluntas nostra sequi, potest aspernari, peræquè infallibile est, nec contumacem semper, nec semper morigeram illam fore; etsi enim singulis & inspirantis intus, & foris allicientibus assultibus obsistat, fatiscet tamen aliquando, & cedet dabitque se eorum multitudini, varietati, conspirationi, opportunitati, importunitati. Si leviorum enim culparum sæpè victores, earum tandem multitudine frangimur, & succumbimus: gratiæ quoque motionibus diu reluctati, earum tandem fatigamur multitudine & assiduitate.

Sunt justi justitiæ & charitati arctiùs obligati, quàm cupiditatibus suis impii & scelerosi quidam. Illorum charitas horum concupiscentiam longo superat intervallo. Ergo si justi tamen hujusmodi nonnunquam peccato consentiunt, quin & consentiant gratiæ blandienti impii, si illis hæc perseveret blandiri, minari, & omnia machinarum spiritalium genera infatigabili bonitate admovere?

Denique fidem huic rei facit universus iste, quantus quantus est, & mundi ambitus & sæculorum decursus. Poterant Angeli omnes cadere, poterant omnes stare. Corruentibus aliis, alii steterunt. Artem, disciplinam, rationem vitæ aliquam singularem possent omnes eligere, possent omnes abjicere; abiiciunt hi, illi eligunt. Potest quisque quopiam abstinere semper & nunquam: abstinebit aliquando, non semper, non nunquam. Hac constantissima contingentium inconstantia fabricatur Deus pulcritudinem, varietatem, ordinemque orbis universi. Illas enim illecebras & pronitates quæ quopiam impellunt, illas minas, & alienationes, quæ undecumque abducunt, ita moderatur, ita dispensat, ita coacervat, ita dissipat, ut voluntates liberas, quo ipsi cumque libitum est, deflectat tandem. Cùm singulis enim & aliquando, non universis, non semper voluntas libera renitatur, sive instigationibus ad malum, sive inspirationibus ad bonum, & consentaneis ad alterutrum excitamentis extrinsecis: horum Deus vel conglobatione, varietate, assiduitate, vel extenuatione, paucitate, brevitate, permittens & jubens, sinens fieri & faciens, liberas voluntates nostras æternis suis consiliis invictissimè servire adducet.

Quanquam ex superioribus abundè videri possint hæc esse explorata, fient tamen hìc confirmatiora cumulo novo testimoniorum ex Augustino & Patribus aliis. Augustinus ante alios indefessam illam vigilantiam desiderat adversùs obrepentem subinde animi dormitationem: *Hujus prudentiæ excubiæ, & diligentissima vigilantia est, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur. Unde sæpè Dominus, Vigilate, clamat: &, Ambulate, inquit, dum lumen habetis, ne vos tenebræ comprehendant. Itemque dicitur, Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Quid autem proferri manifestius de veteri Testamento contra istam dormitationem animi potest, per quam fit, ut non sentiamus quasi minutatim serpentem perniciem, quàm illud quod à Propheta dictum est, Qui spernit modica, paulatim decidet?* Et alibi idem, ut spiritus per justificationem jam Deo subjiciatur, at caro adhuc obstrepat legi spiritus, & in varias subinde labeculas cæspitare faciat: *Sed non tam citò anima subjugatur spiritui ad bonam operationem, quàm citò spiritus Deo ad veram fidem & bonam voluntatem: sed aliquantò tardiùs ejus impetus, quo in carnalia & temporalia defluit, refrænatur.* Et rursus alibi, ut justi mortifera possint omnia, leviora autem peccati vulnera non possint omnia, etsi possint singula declinare; proterea quòd etsi jam ratio Deo & æternæ legi per regenerationem & justificationem subjugata jam sit, necdum tamen caro, necdum carnalis concupiscentia rationi sit subjecta: *Quandiu filii Dei mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Et quamvis de illis sit veraciter dictum, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei: sic tamen Spiritu Dei excitantur, & tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam Spiritu suo, maximè aggravante corruptibili carne, tanquam filii hominum quibusdam motibus humanis deficiant ad seipsos, & ideo peccent. Interest quidem quantum satis dicitur. Neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quandiu in hac morte vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine; peccatum autem si dixerimus, quia non habemus, ut ait sanctus Apostolus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Denique tot undique in nos irruentibus subinde hostibus, tot in nos tela carnalibus cupiditatibus ardentia jaculantibus, vitari posse singula, non posse omnia, posse quandoque, non diu, non semper, sic idem alibi: *Et pugnamus quotidie in uno corde nostro. Unus homo in corde suo cum turba luctatur. Suggerit avaritia, suggerit libido, suggerit voracitas, suggerit lætitia ista popularis, omnia suggeruntur, ab omnibus se continet, omnibus respondet, & ab omnibus aversatur. Difficile est ut non ab aliqua feriatur. Ubi ergo securitas? Hic nusquam, in ista vita nusquam, &c.*

Ambrosius similiter: *Quamvis sciret Deus, quia homo positus in terræ regione, carnem portans, sine peccato esse non possit; Terra enim velut quidam tentationum locus est, caroque corruptela illecebra.* Et alibi: *Gravissima causa culpæ concupiscentia, quam tamen ratio emollit & comprimit. Emollire enim potest, eradicare non potest. Quoniam animus qui est rationis capax, non est suarum passionum dominus, sed repressor. Neque enim fieri potest, ut facilis ad iracundiam, non irascatur, sed ut ratione se temperet, &c. Quis enim tantus, ut corporales motus possit auferre, &c.* Ebullientibus autem his tot & toties & tandiu concupiscentiæ motibus, ut nunquam vel tantillum conniveat ratio, difficillimum est. Ideo fugitandæ illecebræ rerum, quibus illi motus libidinosi cientur. His enim ubique & constantissimè reniti, ut nec ad momentum cedatur, difficillimæ contentionis res est. Unde idem alibi: *Causam primo peccati fuge. Nemo enim diu fortis est. Neque fragili tantum, sed omni homini dicitur, Non te vincat concupiscentia formæ. Si non vis vinci, non congrediare peccatis, ne de te vitia*

De morib. Eccl. l. 1. c. 24.

De fide & Symbol. c. ult.

Enchirid. c. 64.

In Psal. 99.

L. de Noe & arca. c. 4.

De Iacob. & vita beata c. 3.

Apol. David. poster. c. 4.

vitia coronentur, &c. Difficile est itaque ut quisquam libidinis irretitus illecebris, immunis evadat. Ergo difficile, ergo modo quodam est impossibile, omnibus prorsus concupiscentiæ motibus semper reluctari, & de summo conatu nihil unquàm remittere. Ideo etiam viri sanctissimi quandoque peccant, non quò ipsos gratia destituat, sed quia, ut ajebat suprà Augustinus, *magnis & totis viribus voluntatis opus est, quas non adhibituros* ad omnia prævidit, qui dici voluit, quia non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens. Vel ut hìc ait Ambrosius, quia *nemo diu fortis est*. Ita cùm justus labitur, adest & tunc prior fortitudo gratiæ, sed nemo diu sua fortitudine utitur; languet enim tandem nisus, languet consensus animæ. Quocirca tutissimum est, pugnas & pericula devitare; pugnando enim & connitendo lassescet tandem voluntas, non inopia gratiæ, sed sua ignavia. Et rursum idem Ambrosius: *Et in via peccatorum non stetit. Quanto examine Scripturæ divinæ verba ponuntur? Etenim quia omnes sub peccato sumus, non à te exigit quod ultra naturam est, ut peccatum non facias, quia nec unius diei infans sine peccato: sed ut non maneas in peccato, quadam statione diuturna. Non omnes impii. Ideo revocaris ab omnibus cogitationibus & conjurationibus impiorum; sed omnes peccatores, ideo admoneris, ut desinas peccare. Ergo in graviora non abeas, in levioribus non stes.* Denique idem ut occasiones & causæ peccandi studiosissimè sint prævertendæ declinandæque, quòd in eas demersi, vix ac ne vix quidem à peccato temperemus. *In omnibus igitur radix est spectanda gignendis, ne eam inutilis ab exordio succus inficiat, &c. Cavendum præ cæteris, ne humano ingenio malitiæ usus inolescat, atque omnis secutura ætas degeneret. Arbor enim mala fructus malos facit. Nam si plerumque quod nolumus, hoc agimus, & vitare non possumus: & quod odio habemus, hoc facimus, victi quadam aut delectatione flagitii, aut obreptione peccati, quomodo possumus vitare quod amamus? Adstringimur & inviti, quomodo possumus voluntarii non teneri? Vix se exolvit Paulus erroribus quotidianæ decertatione luctando, & tu putas, &c.*

In Psal. 1. (margin, beside "Ambrosius: Et in via peccatorum")

In Psal. 35. (margin, beside "peccato temperemus")

Quæ Ambrosii verba nostræ sententiæ & ipsi rerum sunt experientiæ accommodatissima. Etsi enim fructus à radice proserpere contingat, hoc est, etsi ex rerum contingentium numero id quidem sit, *plerumque* tamen ita contingit, etsi non semper, non ubique, plerumque inquam ita evenit, ut & fructus radix gignat, & sui succi, suique saporis gignat. Ita mala arbor malos fructus facit, plerumque scilicet, etsi non semper malos, etsi quandoque bonos. Ita & bona arbor bonos fructus fundit, sed plerumque, non enim semper bonos, nonnunquam malos. Ita vir impius criminaliter peccat, nempe quandoque, non semper, non ubique, quia radix in eo ejusmodi est, ex qua fruges ejusmodi pestiferæ effundantur. Ita vir pius & justus præcepta legis æternæ facit, & venialiter quandoque tamen lapsat, quia duplex in ejus corde defixa est radix, charitas & cupiditas, suique generis fructus quæque earum generat, non semper, sed plerumque.

Denique in his omnibus ita constat eventuum contingentia cum infallibilitate, quòd singuli vel boni vel mali fructus possint non gigni aliquando, at universim aliquos plerumque gigni infallibile & necessarium est.

CAPUT LV.

Transitur ad visa congrua, & primò id expenditur, quod docet Augustinus, Visorum suasionibus *voluntates nostras à Deo omnipotenter ad quidlibet agi. Eâ visorum suasiones complectuntur non sola rerum objecta, sed etiam interiores luminis & affectuum inspirationes. Etiam ante lapsum Angeli hominesque per visa agebantur, sed non uti nunc incommutabili Dei prædestinantis proposito, agimur vel inhibemur infallibiliter & invictissimè hac visorum & suasionum opportunitate, multitudine, conspiratione.*

Sex prioribus capitibus id effecimus, ut ex negligentia & lassitudine voluntatis nostræ, ut ex necessitate obsistendi initiis vitiorum, & occasiones declinandi, ex lapsatione justorum in peccata, etsi non in crimina, & in aliqua peccata, etsi non in omnia, impiorum autem etiam in crimina, colligeremus infallibilem quandam vim, quæ contingentibus etiam & liberis eventis dominetur, & infallibiliter evenire jubeat, non hæc aut illa, sed aliqua. Ex quo id etiam perfecimus, tam non posse voluntatem liberam universis gratiæ, quàm nec potest universis concupiscentiæ oppugnationibus reluctari, etsi possit singulis; adeoque tam infallibile fore in nostra sententia, ut gratia Christi sit efficacissima, quoties id quidem Deo visum erit, quàm infallibile est, impios non abstinere omni crimine, & pios omni peccato, etsi quolibet & abstinere possint & sæpè abstineant.

Nunc verò propiùs dispiciamus cum Augustino, quas machinas gratiæ suæ efficacissimæ Deus adaptet, ut hanc illi vim inexpugnabilem conciliet. *Visorum suasionibus* id fieri non semel docuit sanctus Pater, quibus verbis tum inspirationes complectitur interioris luminis & affectuum, tum objectas forinsecus illecebras & opportunitates, quibus anima sic affecta facillimè moveatur sive timore, sive amore, ad assensionem. Nec enim quisquam est, qui cùm diutulè animi dubius & suspensus hæserit, alterno deliberationis fluctu æstuans, non in unam se partem ejiciat, si in eam tum affectuum inspiratorum pondere, tum rerum oblatarum suavitate, honestate, utilitate, congruitate, importunitate trahatur. Atqui & sapientiæ & omnipotentiæ divinæ suppetunt opes istiusmodi innumerabiles, viresque inexhaustæ, quibus & per inspiratos affectus, & per incurrentes undique sive blanditias, sive minas, ita circumveniat & quasi circumvallet voluntatem, ut in omnes illam partes seu terrendo seu delectando pertrahat. Quo se cumque enim voluntas convertat, affectu suo quopiam agitur. Habet autem Deus in manu innumera affectuum nostrorum qualiumcumque vel excitandorum vel comprimendorum instrumenta per *visorum suasiones*.

Quocirca Augustinus adversarium gratiæ Christi ita convellit: *Attendat & videat, non ideo tantùm istam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est; verùm etiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat; sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem: sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Ubi observa 1. propriam Christi gratiam, & quidem efficacissimam, nempe qua *Deus agit ut velimus*, ab Augustino expendi, & eam collocari in visorum suasionibus. Observa 2. *visorum suasiones* bifariam ab eodem exponi, tum extrinsecus adhibitas, tum intus animo inspiratas. Ergo convenienter Augustino & nos operam dedimus, ut efficacia gratiæ exculperetur tum ab extrinsecis, tum maximè ab interioribus adjumentis existens. Observa 3. neminem, teste secundùm Ambrosium Augustino, in potestate habere *quid ei veniat in mentem*. Injussu enim suo nostrum quilibet & cogitationibus occupatur, & affectuum rudimentis indeliberatis prorsus, quibus tamen huc

De spr. & lit. c. 34. (margin, beside "ita convellit")

incli-

inclinatur, vel illuc, ita certè ut consentire vel dissentire propriæ potestatis fit. Ergo Deus eas potest injicere & cogitationes menti, & affectiones voluntati, quæ ita afficiant, ita moveant, terreant, delectent, alliciant, ita conspirent, ita oppugnent, ita semel iterumquè nostro dissensu propulsatæ, recurrant, obtundant, fatigent, ut tandem aliquando nostram expugnent contumaciam, eliciant
L. 1. ad Simplic. q. 2. consensionem: *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere potest, quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio cui credat, profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine*. Ergo ut vides Deus in homine *agit operaturque*, ut credat; sed siquam tu hìc præmotionem seu prædeterminationem physicam, vel gratiam uno impulsu prædeterminantem tibi fingas, immaniter aberrabis à mente & sententia Augustini, qui non modò *agere & operari* Deum, sed quo tandem *modo* agat & operetur, docet: nempe *suasionibus visorum*, eas menti cogitationes, voluntati affectiones insinuando, eas foris explicando objectorum suavitates, ut in hæc circumjecta undique veluti retia incurrat aliquando tandem voluntas.

Exemplo id confirmat alibi Augustinus Cornelii, quem ostenta cœlestia, angelicaque alloquia foris objecta, & his consentaneæ interioris gratiæ insinuationes ad credendum perpulerunt. Hæ fuerunt ergo visorum suasiones. *Nullo modo credidisset Cornelius, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus, vel manifestioribus per corporis sensus admonitionibus vocaretur*. Extrinseca quoque hìc perspicis conspirare interioribus adjumentis, & ex utrisque coalescere illas visorum suasiones, quæ gratiam vocationis, & efficaciam conflant invictissimam.

Et alibi de Paulo similiter, cui visa terroris amorisque plenissima cœlitus objecta sunt, quæ inspiratæ simul & formidini & charitati consentirent, factaque intus & foris oppugnatione in arcem voluntatis & in consensionem ejus irrumpe-
Ibidem. circa finem. rent. *Voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo potest. Hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate. Quid volebat Saulus, nisi ut invaderet & traheret, vinciret & necaret Christianos? Quàm rabida voluntas, quàm furiosa, quàm cæca! Qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa & voluntas refracta sævitia retorqueretur & corrigeretur, repentè ex Evangelii mirabili persecutore mirabilior prædicator effectus est*. Vides quo factum sit, ut voluntas illa rabida, furiosa, cæca, *moveretur, refringeretur, retorqueretur, corrigeretur ad fidem*, nempe *occurrente tali viso*.

Quod & universim valere sanctus Pater ibidem pronunciat, neminem moveri & adduci sive ad fidem, sive ad pietatem, nisi occursante *tali viso*, quod *movere, delectare*, terrere aptum sit. Id autem ut occurrat, non est in hominis potestate, sed providentiæ omnipotentis illud quidem est, cujus imperio cœlestia & terrena omnia, usque ad
Ibidem. volatica arborum folia famulantur. *Voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo potest. Hoc autem non est in hominis potestate. Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem?*

Illam autem nonnullorum nuperam cavillationem, hoc hominis lapsi proprium esse, ut nisi visorum suasionibus moveatur, excitetur, delectetur, perduci ad fidem & consensum non possit, egregiè refellit idem Augustinus, cùm & Adami ante lapsum voluntatem similibus visis movendam vel
L. 3. de lib. arb. c. 25. absterrendam fuisse declarat. *Sed quia voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum: quid autem quisque sumat, vel respuat, est in potestate: sed quo viso tangatur, nulla potestas est. Fatendum est, & ex superioribus & ex inferioribus visis animum tangi, ut rationalis substantia ex utroque sumat, quod voluerit, & ex merito sumendi, vel miseria vel beatitas subsequatur. Velut in paradiso visum ex superioribus, præceptum Dei, visum ex inferioribus, suggestio serpentis*. Addit porro primo parenti primigeniæ innocentiæ adhuc compoti, & *in ipsa sapientiæ sanitate constituto* facillimum fuisse visis superioribus adhærescere, *non cedere visis inferioris illecebræ*.

Quia & Angelos quoque ipsos alia & alia *visa* secutos esse, & ita secessionem fecisse ibidem tra-
dit. *Quæri hoc loco potest, si præsto fuerint homini ex utraque parte visa, unum ex præcepto Dei, alterum ex suggestione serpentis, unde ipsi diabolo suggestum sit appetendæ impietatis consilium, quo de sublimibus sedibus laberetur? Si enim nullo viso tangeretur, non eligeret facere quod fecit. Nam si non ei aliquid venisset in mentem, nullo modo intentionem convertisset in nefas*. Naturæ ipsius suæ decor & lux illud nimirum fuit *visum*, quo tangi & moveri potuit mens Angeli, quæ eadem æternæ sursum veritatis viso interim delectabatur. Sibi ille autem permissus est, ut quo lubitum esset, pergeret. At quos nunc Deus secundùm propositum voluntatis suæ ad gratiam prædestinat, illis & ea aggerat exaggeratque visa, quæ ad fidem pietatemque conducant; ea verò obscurat ex adverso, vel dissipat, quæ possent in ima deflectere. Ibidem.

Ideo & beati cœlites beatam assecuti sunt impeccantiam, quòd illis Deus ita videndum se aperit, ut visa quælibet alia præ eo viso vilescant omnino. Creatura quippe rationalis *melior est cum oblivisci-* Ibidem.
tur sui præ charitate incommutabilis Dei, vel seipsam penitus in illius comparatione contemnit. Nobis verò ad superna pertrahendis per efficacissimam gratiam ea Deus visa objicit, quæ & amore sursum alliciant, & formidine pœnæ ab his infimis & sordidis terræ oblectamentis expellant. *Tanta charitate liberatori nostro inhæreamus, & tanta ejus in eum claritate rapiamur, ut nulla nos visa ex inferioribus à conspectu superiore detorqueant. Quanquam etsi aliquid huic intentioni nostræ suggereretur ab appetitu inferiorum, sempiterna nos diaboli damnatio cruciatusque revocaret*.

Denique idem universim ut per visa objecta, & hortantia ad quidlibet, vel dehortantia inclinentur voluntates hominum omnium, & hæc visa dispenset omnipotens summi rerum moderatoris providentia: *Ex diversis visis diversus appetitus* L. 83. qq. q. 40.
animarum est. Ex diverso appetitu diversus adipiscendi successus. Ex diverso successu diversa consuetudo. Ex diversa consuetudine diversa est voluntas. Diversa autem visa ordo rerum facit, occultus quidem, sed sub divina providentia certus tamen. Ita torquet retorquetque vel faciendo vel permittendo in quamlibet partem voluntates creatas Deus, *visa* ad id opportuna ingerens, vel summovens, non physicè voluntates ipsas prædeterminans, aut præcipitans. Quantum valeant enim visa ad permovendam voluntatem, declarat idem alibi exemplo Alipii tum admodum juvenis, casti sanè & à spectaculorum furore abhorrentis. Qui tamen semel quasi tentabundus cùm spectasset gladiatorium certamen, eo viso sic affectus, sic mutatus est, ut in illa spectacula jam præceps & in- Confession. L. 6. c. 8.
sanus ferretur. *Ut vidit illum sanguinem, immanitatem simul ebibit, & non se avertit, sed fixit aspectum; & hauriebat furias, & nesciebat, & delectabatur scelere certaminis, & cruenta voluptate inebrjabatur. Et non erat jam ille qui venerat. Quid plura? Spectavit, clamavit, exarsit, abstulit secum inde insaniam, qua stimularetur redire, non tantùm cum illis à quibus prius abstractus est, sed etiam præ illis & alios trahens*. Viderint jam, qui objectis utpote foris tantùm pulsantibus, nullam efficien-

efficientiam, nullæ vires tribuunt, ad inclinandas quolibet voluntates.

CAPUT LVI.

Ut claritas divinæ visionis, ut charitas patriæ consummata impeccantiam confert cœlitibus, ita eadem hic initiata & ad momentum irrorata, vel per sui deinceps memoriam plurimum virium addit animæ ad peccati vincendas cupiditates. Quocirca si frequenter id contingat, si lux, si flamma illa conflagret, si occasiones interim peccandi arceantur, si tentationes temperentur, existet ex hac auxiliorum conspiratione vis efficacissima, quæ voluntatem bono affigat. Ex Augustino & Gregorio, Leone Magno, Auctore operis de cardinalibus Christi operibus.

Theologis omnibus convenit *viso* Deo ita rapi, ita flagrare voluntatem creatam quamlibet, ut ab eo deinceps nec ad seipsam nec ad ullam prorsus creaturam deflecti possit. Efficacissima est ista gratia, sed ea potentiam peccandi prorsus opprimit, & offocat. Ergo si visio illa contemperetur modulo hujus vitæ mortalis, & ad leviusculas saltem culpas aliquas lapsabundæ, si media quædam claritas concedatur, quæ & fide splendidior multò, & visione aliquantò obscurior sit, ea sanè nec peccandi potentiam exuret, & tamen à peccando plerumque saltem abducet. Si enim fidei caligo non omnino cohibet peccandi pronitatem, si perspicua Dei visio illam funditus perimit, mediocris quædam visio, & quasi antelucana æternæ diei præsumptio, id efficiet nimirum, ut difficillimè peccetur. Si verò crebriusculè tanta illa lux in mente justi cujuslibet accendatur, si inflammescat simul cœlitus insinuata charitas, si occasiones & visa quælibet ad peccandum invitantia propulsentur, si visa pietatis & justitiæ suasoria accumulentur, quis non videt hanc efficacissimam fore gratiam, qua nec ulla videri possit infallibilior? Ita Augustinus de beatis Angelis: *Ostendis ei te, & sufficis ei, & ideo non declinat à te, nec ad se.* [Confess. l. 12. c. 11.]

Quod de visione Dei, ipsum idem de ejusdem charitate beata argumentandum est. Hac charitate Beati omnes ita conglutinantur & constringuntur Deo, ut ab eo & ab æternæ legis dictatis nec transversum unguem quod ajunt possint discedere. Quem suprà visioni modum, hunc ponamus nunc & charitati, hanc infringamus moderemurque ad patientiam hujus vitæ, ut impeccantiam non donet, sed summam quandam peccandi addat difficultatem. Enimverò si crebra ista charitas succendat animum, si plurima simul veritatis lux illam perfundat, si visa simul intus & foris omnia ita componantur & conspirent, ut à malo deterreant, & illectent ad bonum, hæc erit utique efficacissima & invictissima gratia, quæ infallibiliter & advertat voluntatem ad bonum, & à malo abducat.

Illud enim etiam atque etiam infigendum animo, & toto pectore amplectendum, naturam rationalem & intellectualem sua sponte, & conditoris ipsius jussu atque instituto & instinctu, cupientissimam esse æternorum veritatis & charitatis. [Enchirid. c. 95.] Hæc nativa fames, hæc germana sitis à suo primigenio fonte deflexa est per peccatum ad nescio quos cœnosos temporalium voluptatum rivulos. At ubi misericors & omnipotens Reparator æternam rursus lucem & charitatem veritatis accendit in cujusquam animo, tunc difflantur & fugiunt nugæ & insomnia; redintegratæ autem per gratiam sibique redditæ naturæ vigor vero suo bono constantissimè adhærescit.

Porrò gratiam qua nunc perfundimur, irrorationem esse quandam illius seu lucis seu charitatis, qua beatæ mentes in cœlis inebriantur, adeoque ita posse & increbrescere & augescere, ut peccatum invictissimè arceat, etsi nondum peccandi potentiam & boni consensum infallibiliter indat, etsi nondum necessitatem, ita docet Augustinus: *Intravi in intima mea duce te, & vidi qualicumque oculo animæ meæ, supra eundem oculum animæ meæ, supra mentem meam, lucem Domini incommutabilem.* [L. 7. c. 10.] *Qui novit veritatem, novit eam; & qui novit eam, novit æternitatem. Charitas novit eam. Et cum te primum cognovi, tu assumpsisti me, ut viderem, esse quod viderem, & nondum me esse qui viderem. Et reverberasti infirmitatem aspectus mei, radians in me vehementer, & intremui amore & horrore.* Et infrà: *Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit.* [L. 10. c. 40.]

Et hæ quidem inspirationes luminis & charitatis tam flagrantis breves plerumque sunt & repentinæ, quibus superna quasi prægustatur felicitas; sed illis diffugientibus superat memoria & impressum animo vestigium, dispositioque & affectio, quæ voluntatem teneat affigatque bono. *Repercussa infirmitate redditus solitis, non mecum ferebam nisi amantem memoriam, & quasi olfacta desiderantem, quæ comedere nondum possem.* [L. 7. c. 17.] Illa enim altiùs seu memoriæ seu voluntati impressa vestigia affectuum habituumve plurimùm utique valent ad animum quolibet deinceps inclinandum, perindè ferè ac si eadem ipsa res coram adesset. Unde idem alibi alia de re quapiam: *Verumtamen jam hoc ad medicinam futuram in ejus memoria reponebatur.* [L. 8. c. 9.] Et ex suo rursum alibi experimento: *O si viderent internum lumen æternum, quod ego quia gustaveram, frendebam, quoniam non eis poteram ostendere.* [L. 9. c. 4.] Et alibi: *Ubi Dei majestas ex tanta parte, quanta homini, dum terræ hujus inhabitator est, sufficit, aperire se cœperit, tantus charitatis ardor innascitur,* [De moribus Eccl. c. 30.] *& tantum divini amoris consurgit incendium, ut exustis omnibus vitiis & homine purgato atque sanctificato, satis appareat, quàm divinè dictum sit, Ego sum ignis consumens, &, Ignem veni mittere in terram.*

Author operis de Cardinalibus Christi operibus luculentè in hanc sententiam disserit: *Cordi igitur nostro se offert Deus, & aliquid sui luminis infundit, invitans & provocans.* [In prologo] *Nisi enim aliquo modo sentiretur, nec appetendi, nec inquirendi spes esset aliqua vel facultas. Sed quia ex parte sentitur, admirationi est odor ille & sapor, nullam habens cum carnalibus dulcedinibus similitudinem, & per omnia suavitate differens, eoque desideratur copiosius, quò cætera delectamenta excedit.* Et paulò antè: *Quomodo fulgur nubes disrumpit, & repentina coruscatio, non tam illuminat, quàm hebetat; ita aliquando nescio quo motu tangeris, & tangi te sentis: eum tamen qui te tangit, non intueris.* Fulgurat quidem repentina illa vel luminis divini vel amoris coruscatio, sed ea aufugiente, remanet amans quædam memoria, & desiderii vis efficax, menti & voluntati infixa & dominabunda.

Leo Magnus non minùs præclarè, *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, &c. Felix mens quæ hunc concupiscit cibum, & ad talem æstuat potum: quem utique non expeteret, si nihil de ejus suavitate gustasset.* [In illa verba Matth. Videns Jesus turbas.] *Audiens autem dicentem sibi propheticum spiritum, Gustate & videte quoniam suavis est Dominus, accepit quadam supernæ dulcedinis portionem, & in amorem castissimæ voluptatis exarsit, ut spretis omnibus temporalibus, ad edendam bibendamque justitiam toto accenderetur affectu.*

Gregorius Magnus sexcenties doctrinam hanc inculcavit, anticipata quadam futuræ & claritatis & charitatis prælibatione justos donari, quæ tametsi brevissima sit, eum tamen imprimit animæ impetum, qui maneat, urgeatque vehementer ad summum bonum. *Adhuc Deum quasi in nocturna*

Moral. l. 5. c. 21. *visione cernimus, cum proculdubio sub incerta contemplatione caligamus. Sed quamvis extremum de illo aliquid mens conceperit, in consideratione tamen ejus magnitudinis mens inhorrescit, & magis metuit; quia ipsis contemplationis ejus vestigiis se imparem sentit, atque in se relapsa eum arctius diligit, cujus miram dulcedinem ferre non valens, vix hanc sub incerta visione gustavit.* Et paulò infrà;
Ibid. c. 24. *Humana mens in contemplationis arcem sublevata, tanto semetipsam durius de superfluis cruciat.* Et
l. 7. c. 15. alibi: *Electi Dei super se interius rapti, in alto animum figunt; & quæque in hac vita patiuntur, quasi longè infrà labentia, atque à se aliena conspiciunt: & penè ipsa quæ tolerant, ignorant.* Et alibi: *Ani-*
L. 16. c. 9. *ma cum internis deliciis abundare cœperit, terrenis jam operibus incubare minimè consentit; sed amore conditoris capta, & sua captivitate jam libera, ad contemplandam ejus speciem deficiendo suspirat, & quasi lassescendo convalescit. Hinc Psalmista, Et nox illuminatio mea in deliciis meis: quia dum per intellectum mysticum studiosa mens reficitur, jam in ea vitæ præsentis obscuritas fulgore diei subsequentis illuminatur: ut etiam in hujus corruptionis caligine in intellectum illius vis futuri luminis erumpat, & verborum deliciis pasta, prægustando discat quid de pabulo veritatis esuriat.* Et rursum alibi lu-
L. 23. c. 11. culentissimè: *Aliquando ad quandam inusitatam dulcedinem interni saporis admittitur anima, ac raptim aliquo modo ardenti spiritu afflata renovatur; tantoque magis inhiat, quanto magis quod amet, degustat, atque hoc intra se appetit, quod sibi dulce sapere intrinsecus sentit. Quia videlicet ejus amoris dulcedine sibi coram se viluit, &c. Inter hæc anhelat, æstuat, super se ire conatur, contra semetipsam grave certamen tolerat, &c.* Ita prorsus afficitur, qui ineffabilem quandam vel pulcritudinem raptim vidit, vel suavitatem obiter gustavit; non potest non deinceps æstuare desiderio, & amore recuperandæ & perpetuandæ istiusmodi fœlicitatis. Et
L. 24. c. 6. rursum: *Resplendente raptim coruscatione incircumscripti luminis illustratur. Quo utcumque conspecto, in gaudio cujusdam securitatis absorbetur, & quasi post defectum vitæ præsentis ultra se rapta, in quadam novitate aliquo modo recreatur. Ibi mens ex immenso fonte infusione superni roris aspergitur, &c.* Et mox quantum valeat ad reliquam deinde vitam pietate informandam illa contemplationis tametsi fugax & momentanea coruscatio; *Quia verò unusquisque quantò amplius cœlestia contemplatur, tantò magis à terrena operatione corrigitur.* Et denuò;
L. 28. c. 9. *Prius homo quæ essent æterna, nesciebat; in præsentium delectatione torpuerat; sed postquam quæ essent æterna cognovit, postquam supernæ lucis radios raptim contemplando contigit, admiratione summorum, sese ab infimis suscitatus elevavit, ut nulla jam ei, nisi quæ æterna sunt, libeant, & despectis transeuntibus, sola quæ permanent, requirat.* En postquam æterna quis etsi raptim & vidit & gustavit, fastidit terrenas omnes quisquilias. Ergo memoria visæ & delibatæ æternitatis efficax est in bonos actus deinceps edendos: *Hinc de perfectis vi-*
In Ezech. Hom. 5. *ris post contemplationem suam redeuntibus dicitur, Memoriam suavitatis tuæ eructabunt. Dulcedinem quippè suavitatis intimæ, quia utcumque possunt, velut quodam ex corusco, prægustando tangere, ejus memoriam student recolendo semper & loquendo eru-*
Hom. 10. *ctare.* Et infrà idem: *Dulce est esse in rebus humanis, sed ei qui adhuc de cœlestibus gaudia nulla gustavit: quia quantò minùs æterna intelligit, tantò delectabiliùs in temporalibus requiescit. At si quis jam cordis ore gustaverit quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum, huic quantò illud dulce fit quod intus videt, tantò in amaritudinem vertitur omne quod foris sustinet.*

CAPUT LVII.

De eodem ex Bernardo & aliis Patribus, Anselmo, Clemente Alexandrino, Origene, Climacho.

Bernardus brevia illa & beata momenta intermicantis veritatis supernæ, & scintillantes quasdam cœlesti charitatis primitias admiratur quoque non rarò, & ex his non dubitat ingentes insinuari vires, ad peccati virus propulsandum: *An fatendum est eos qui per excessum contemplationis rapti quandoque in spiritu, quantulumcumque de supernæ fœlicitatis dulcedine degustare sufficiunt, toties esse liberos à miseria, quoties sic excedunt? Hi jam tenent quod auferendum non est, experiuntur quod futurum est. Sed quod futurum est, fœlicitas est.* De grat. & lib. arbit.
Et alibi: *Hoc fit, cum mens ineffabili Verbi illecta dulcedine, quodammodo se sibi furatur; imò rapitur, atque elabitur à se ipsa, ut Verbo fruatur. Dulce commercium, sed breve momentum, & experimentum rarum, &c.* Et alibi: *Non per ostia aperta, sed per angusta foramina is tantæ claritatis radius se infundet, stante adhuc dumtaxat hoc ruinoso pariete corporis, &c. Hoc quidem habet vera & casta contemplatio, ut mentem quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat.* Nempe ut ibidem ait, infusus ille de cœlesti fonte *amor otiosus esse non potest, de his quæ Dei sunt, sollicitans & suadens.* Nec mirum si inchoata hìc per gratiam justitia, illius beatæ & cœlestis justitiæ portio sit, cùm & justitiæ & gloriæ beatæ perfectio atque absolutio una eademque sit: *Sic se comitantur duo ista, ut nec justitia possit haberi perfectio, nisi in plena gloria, nec gloriæ plenitudo absque perfecta justitia.* Et istud quidem rarò, brevì, raptim contingit cœlestem prægustare vel lucem vel charitatem, vel utramque potius, sed eo ita immutatur tota hominis affectio, & animi quædam temperies, ut jam non sapiant illi nisi æterna, terrenæ deliciæ nauseam & fastidium creent. *Beatum dixerim & sanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita rarò interdum, aut vel semel, & hoc raptim atque unius vix momenti spatio experiri donatum est, &c. O amor sanctus & castus, o dulcis & suavis affectio! eo suavior & dulcior, quò totum divinum est quod sentitur. Sic affici deificari est. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere tota à se videtur, dum & saporem vini induit & colorem: & quomodo ferrum ignitum & candens igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum: & quomodo Solis luce perfusus aer in eandem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quàm ipsum lumen esse videatur; sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem.* Hæc felix justitia in cœlis perficitur, præsumitur hìc in terris; porrò ut idem alibi ait: *Qui raptus est usque ad tertium cœlum, crux illi est omne cui mundus inhæret: & his inhæret, quæ mundo crux esse videntur.* Et alibi: *Talis anima nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius, pœnaliusve ducat, quàm post spiritualis studii hujus gustatam semel suavitatem, exire denuo ad illecebras vel potius ad molestias carnis.*
In Cant. Serm. 85. Serm. 57. De grat. & lib. arb. c. 6. De diligen. Deo c. 10. Serm. 7. de Quadrag. In Cant. Serm. 51.

A quibus non dissentit Author libelli de Vita solitaria ad Fratres de Monte Dei: *Electo & dilecto Dei aliquando lumen quoddam vultus Dei ostenditur, ut per hoc quod quasi in transcursu, vel in puncto permittitur videre, inardescat animus ad plenam possessionem & hæreditatem plenæ visionis Dei. Ubi cum didicerit quid intersit inter mundum & immundum, redditur sibi & remittitur ad mundandum cor, &c.* Et mox; *Impossibile est enim*

videri

videri summum bonum, & non amari, necnon tantum amari, quantum datum fuerit videri, quousque proficiat amor in aliquam similitudinem amoris illius, qui Deum similem facit homini per humiliationem humanæ conditionis. Et tunc dulce est homini, cohumiliari summæ majestati, compauperari Filio Dei. Quo non video quid dici possit explanatius.

Anselmus quoque, quo non alius Augustino addictior, ait à pietatis orbita nec tantisper discessurum quenquam, si coram pateret & præsto esset sempiterna vel gloria vel infelicitas. Hoc enim viso indubitanter animam & à peccato absterrendam, & ad justitiæ complexum pelliciendam fore: *Si præsentem videret gloriam æternam, quam statim post servatam veritatem assequeretur, & inferni tormenta, quibus post mendacium sine mora deputaretur, proculdubio mox virium sufficientiam ad servandam veritatem habere cerneretur.* De lib. arb. c. 9.

Juvabit & sanctissimæ Virginis Theresiæ experimenta hic inserere. Sic enim illa perhibet in vitæ suæ Commentariis, cùm cœlestium gaudiorum spectatrix & compos aliquando facta esset, ita deinceps affectam se fuisse, ut terrenis delectari ne posset quidem si vellet: *Animo mecum ipsa volvebam, quàm impossibile mihi deinceps foret, etsi vel maximè imperare id mihi & conari vellem, terrenas res ullas in pretio habere, nisi antè Deus illam cœlestium memoriam mea ex mente prorsus exculperet. Ingentem sanè ea res animæ vim ac dominatum conciliat, quem non facilè nisi expertus intelligat.* Cap. 37. Et alibi post brevem usuram sibi concessam æterni luminis & incorruptibilis veritatis, ita deinceps se affectam fuisse testatur: *Exinde quæ res cumque alio, quàm ad pietatis cultum referuntur, usque adeo mihi videntur meræ nugæ & vacua somniantium mendacia esse, ut meum de his sensum atque affectum ne ipsa quidem verbis satis possim complecti. Miseret me verò vehementissimè eorum, qui hujus luminis inexperti & imprudentes errant. Altissimè descendit in animum meum ejus rei memoria, & inter cœlestis gratiæ adjutoria istud mihi præcipuè celebrandum est, quo de superioribus commissis meis pudor dolorque maximus mihi incussus est. Equidem ita constituo, si illam cœlestem pulcritudinem videre olim obtigisset, fore ut peccandi protervia inhiberetur; & à peccato abstenturos prorsus omnes, quibus eodem veritatis conspectu frui daretur.* Cap. 40. Vides quàm hæc sint consentanea Anselmo, Bernardo, Gregorio, Augustino.

Unum moneo fruendæ hujus seu lucis, seu suavitatis cœlestis gradus esse complurimos, & longè diversissimos, aliosque aliis multò præcellentiores. Etsi autem rari & rarò ad illum vel Pauli, vel Augustini, vel Gregorii, Bernardi, Theresiæque gradum pertingant sublimem, eximiumque; pro modulo tamen quodam suo pios ferè omnes ad nonnullam quandoque provehi mediocrem lucem & dulcedinem, quæ vehementer illos afficiat, quæ vilescere illis caduca omnia, & ipsos sibi faciat, quæ memoriæ altiùs infigatur, & vel sic vim admodum eandem retineat. Unde Gregorius: *Non enim contemplationis gratia summis datur, & minimis non datur; sed sæpè hanc summi, sæpè minimi, sæpius remoti, aliquando etiam conjugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium, à quo possit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine contemplationis potest.* In Ezech. Hom. 17.

Græcos nunc obiter Patres percontemur. Clemens Alexandrinus, quas vires menti concilie charitas irrorata quasi de cœlesti æternæ patriæ fonte in animas contemplatorum: quos ille Gnosticos veros, seu Cognitione aut Contemplatione præditos vocat: *Apostoli cum iram & metum & cupiditatem ex uberiore quadam cognitione superassent, &c. Ut qui propter firmum quendam & stabilem statum mentis nihil penitùs mutarentur, sed in exercitationis habitu semper manentes, alieni ab alteratione, post Domini certè resurrectionem, &c. Nec est quod ad iram eum moveat, cum semper Deum diligat, & ad hoc solum totus sit conversus, &c. Hi nesciunt divinitatem charitatis, &c. Meritò manet in uno immutabili habitu diligens ex cognitione.* Strom. l. 6. p. 468. 469. 521. Et alibi: *Is qui est cognitione præditus, nunquam finem habet positum in anima, sed in eo quod sit semper felix, & beatus, & regius Dei amicus. Et licèt quis ei inurat ignominiam, eumque & exilio & publicatione facultatum, & postremò morte afficiat, nunquam avelletur à libertate & præcipua in Deum charitate. Omnia suffert & omnia sustinet charitas.* L. 4. p. 161. 374. Cognitione præditum, seu Contemplatorem sic Clemens nobis obiicit, imbutum cœlestium bonorum conscientia, & quodam jam experimento, ut ad alia omnia jam obcalluerit quodammodo, & terrenarum nugarum ne sensu quidem ullo nisi molestiæ afficiatur. Sicut ex adverso sunt aliqui ita excantati quodammodo & dementati fascino quodam sensibilium voluptatum, ut in his toti sint, ad alia omnia penè obbrutuerint. Qui his ut scelestè, illis ut piè quid agant, opus esse censent divina quadam motione præterea prædeterminante, & infallibiliter contorquente, illi non satis capiunt, quantum ponderis & efficaciæ sit in illo mentis seu habitu seu affectu vehementissimo.

Origenes similiter: *Qui manet in charitate, in Deo manet. Et ideo meritò charitas, quæ sola omnium maxima est, omnem creaturam continebit à lapsu tunc, cum erit Deus omnia in omnibus. Ad hunc namque perfectionis gradum ascendebat Apostolus, & in hoc stans, confidens dicebat, Quis non separabit à charitate Dei, &c. Tribulatio, an angustia, &c. Certus sum enim, quia neque mors, &c. Ex quibus omnibus evidenter ostenditur, quia si hæc omnia quæ enumeravit Apostolus, separare nos non possunt à charitate Dei, cum in illud quis culmen perfectionis ascenderit, multo magis libertas arbitrii nos ab ejus charitate separare non poterit. Quamvis enim sit etiam virtus, & maneat in natura, tamen tanta charitatis vis est, ut omnia ad se trahat, omnesque sibi societ, vendicetque virtutes.* In Epist. ad Rom. lib. 5. pag. 354. Sic prorsus ratiocinatur Origenes, si charitatis cumulatissimæ & consummatæ in cœlis ea est vis ac potestas, ut impeccantiam omnimodam tribuat: nunc etsi non ad eum cumulum provecta, ingenti tamen flamma exæstuans, dabit vires idoneas ad complusculas culpas superandas. Et rursum ex Paulo Origenes: *In his omnibus, inquit, superamus, non nostra virtute, sed per eum qui dilexit nos. Dum enim in illius amore pendemus, sensum doloris non recipimus. Illius enim charitas qui nos dilexit, & nostrum ad se rapuit affectum, cruciatum corporis & dolorem sentire nos non facit. Ideo ergo in his omnibus superamus. Tale aliquid & in Canticis Sponsa dicit ad Verbum, Quia vulnerata, inquit, charitate ego sum. Ad hunc ergo modum & anima nostra à Christo vulnere charitatis accepto, etiamsi tradat gladio corpus, non sentiet vulnera carnis, præ vulnere charitatis.* L. 7. p. 174.

Climachus in eamdem sententiam: *Studeamus Deo placere, & cœlestem gloriam degustabimus: qua gustata omnem mundi gloriam contemnemus. Demiror verò si quis unquam vanam gloriam contempsit, qui cœlestem non gustavit.* Grad. 22.

CAPUT LVIII.

Trahit Pater ad Christum efficacissimè, ostensa veritate, æternitate, beatitudine, quæ omnium validissimè anima cupit. Sicut sua quisque voluptate trahitur, sicut oves gramine, sicut pomo ostenso pueri trahuntur. Quæ omnia à prædeterminatione phy-

physica abhorrent, & à gratia delectando prædeterminante.

NEc necesse est totam suavitatem lucemve cœlestis patriæ infundi, id enim paucis conceditur eximio quodam privilegio; sed aliquam ejus particulam ostendi satis est superque, quo trahantur ad æterna, & à temporalibus abstrahantur. Ubi enim æternæ illius lucis pulcritudo, ubi castæ suavitatis præcellentia se aperuerit; ejus comparatione vilescet fucus & inanitas & ludibrium rerum omnium creatarum. Itaque anima quæ mendacio veritatis & fallaci imagine illudebatur, dum latebat veritas, ostensa veritate ipsa coram, hujus luce & pulcritudine trahetur. Ita & voluntas quæ inanium voluptatum umbris pascebatur, quia verarum & solidarum æternitatis deliciarum inexperta & imprudens erat, his denudatis oblatisque, ad eas accurret. Etenim teste Augustino, ut oves gramine, ut pueri nucibus; ita animæ rationales trahuntur veritate, æternitate, charitate. His enim potissimùm verbis Christus Dominus illuminavit gratiæ suæ efficaciam invictissimam: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Atqui hæc gratiæ trahentis vincula author cum primis idoneus interpretatur Augustinus ipsam veritatis lucem ostensam, charitatis & æternitatis suavitatem oblatam, qua voluntas rationalis ita certò pertrahatur, ut ovis gramine, puer pomo. Etsi enim semel iterùmque vel pigrescat quandoque vel restitet his objectis illecebris voluntas libera, trahitur tamen aliquando tandem, & sequitur suas delicias, quibus nata est, quas naturæ sponte & medullitus sitit, quarum fucatas imagines ideò tantùm lambebat, quia eorum copia non dabatur.

Adiiciamus nunc animos aurescue Augustino: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Magna gratiæ commendatio: Nemo venit nisi tractus. Quid hic dicimus? Si trahimur ad Christum, ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur? &c. Noli cogitare te invitum trahi. Trahitur animus & amore, &c. Nec dicatur vobis, Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico, parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Est enim quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porrò si Poetæ dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas: non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio: quanto nos fortiùs dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis?* (In Ioan. Tract. 26.) Sunt ergo corpori, sunt & animæ voluptates suæ & propriæ. Si ducitur anima voluptatibus quas per corpus experitur, ducitur & illis maximè quas intus ipsa bibit. Quin & corporeas voluptates impotenter cupit amplectiturque, quòd eæ ultro influant & obviæ sint; spiritales autem deliciæ nunc quidem post peccatum sentibus & spinis sepiantur. Itaque ubi gratia has spinas ejecerit, ubi facilem spiritalium delectationum copiam infuderit, tunc in has avidiùs etiam prosiliet voluntas libera & rationalis. Necdum enim peccato ita exterminata est naturæ primævæ tota bonitas, ut non sensu adhuc aliquo subobscuro & clandestina cupiditate appetat & magnificiat beatitatem, æternitatem, vitam beatam, justitiam, veritatem. Etiam cùm peccato servit anima, hi tamen affectus residui delitescunt in ejus penetralibus, & quanquam elumbes elanguidique, subinde tamen excitantur & remordent, dataque cœlestis gratiæ excitatione, reviviscunt.

Perspicuè sanè Augustinus has affectuum primigeniorum reliquias obscuras & latitantes testatur vivere adhuc in peccatoribus, & subinde excitari per gratiam, & si copiosiùs hæc aspiret, recalescere & inflammari: *Quoniam fames mihi intus ab interiori cibo, teipso Deus meus.* Pascebatur umbratis bonis, quia fames illi erat solidi & æterni cibi, cujus copia non dabatur, aut non sine ingenti labore dabatur. Et rursum: *Tu excitas, ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* (Conf lib. 1. c. 1. lib. 1. c. ult.) Et alibi: *In ipsis parvis parvarumque rerum cogitationibus veritate delectabar*, nempè dum puerasceret. Et deniq; de omnibus prorsus hominibus: *Gaudium de veritate omnes volunt, vitam beatam omnes volunt.* Ut ergo facilè quisque suis affectibus ducitur, avari lucro, ambitiosi dignitatibus, gulosi cupediis facilè pertrahuntur, ita omnes homines facillimè Deus his residuis affectibus ubi vult trahit; nemo est enim qui non aliquantulùm natura ipsa duce & magistra *delectetur veritate, beatitudine, justitia, sempiterna vita.*

Prælibatis etiam exemplis agnorum & puerorum rem facit apertissimam Augustinus. Ut enim hi ob affectuum naturalium fibras medullitus implicatas, etsi quandoque pigritentur, non possunt non aliquando tandem suis deliciis, pomis, nucibus, gramine trahi; ita omnes homines possunt semel, possunt iterùm, non possunt diu, non certè semper possunt illecebras beatitatis, æternitatis, sapientiæ & veritatis aspernari. *Ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur. Et quod currit, trahitur; amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt: quoniam verum est, Trahit sua quemque voluptas; non trahit revelatus Christus à Patre? Quid enim fortiùs desiderat anima quàm veritatem? Quo avidas fauces habere debet, unde aptare ut sanum sit intus palatum vera judicandi, nisi ut manducet sapientiam, justitiam, veritatem, æternitatem?* (In Ioan. Tract. 26.)

Hæc porrò Augustini verba, *Quid enim fortiùs desiderat anima quàm veritatem;* addere perinde fas erat, *sapientiam, justitiam, æternitatem, beatam & perpetuam vitam*; non de homine jam fidei & charitatis vinculis constricto intelliguntur, sed de homine quolibet, qui naturaliter & fibricitùs ita compactus & contemperatus est, ut veritatem admiretur, justitiam magnificiat, sapientiam optet, æternitatem, vitam beatam concupiscat. Et horum sanè bonorum simulacra quædam fallacia consectatur in appetitione temporalium oblectamentorum: sed hæc protinus abiiciet, ubi ipsa veritas horum bonorum se ostendet, ubi se dabit, sese ingeret. *Quid enim fortiùs desiderat anima quàm veritatem?*

Hic porrò quid vel in Christi vel in Augustini verbis aucupari possunt in suæ sententiæ patrocinium authores gratiæ prædeterminantis? Gratiam efficacissimam palam eloquuntur hæc Christi, hæc Augustini verba, & tamen ne suspicio quidem ulla emergit motionis physicè prædeterminantis. Nec assertores delectationis physicè prædeterminantis sensum Augustini tenent. Si sola enim inspiratio interioris delectationis physicè prædeterminat voluntatem, & consensum infallibiliter extorquet, quò tota illa evadet Augustini interpretatio? Quò puerorum & ovium, quò herbarum & pomorum exempla? Quò affectuum innatorum commemoratio? Omninò extra lineas spatiatur Augustinus, & multa infarcit aliena; quæ propria sunt causæ viscera, missa facit & transilit, si gratia illum habet efficaciæ modum, quem isti Theologi venditant. De modo enim efficaciæ certamen nobis est, non de gradu. Tantundem enim efficaciæ concedimus, nempè infallibilis & ineluctabilis, sed longè alio & alio modo.

Unde rursum idem alibi Augustinus: *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Non dixit, Duxerit, sed, Traxerit. Ista violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede & venis. Ama & traheris. Ne arbitreris istam asperam molestamque violentiam, dulcis est, suavis est, ipsa suavitas te trahit. Nonne ovis trahitur, cum esurienti herba mon-* (De verbis Apost. ser. 2.)

stra-

stratur. Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur. Ubi dicitur id quod trahit, *ostendi, monstrari, demonstrari*: prorsus ut capitibus superioribus, *ostendebat* se Deus Beatis, & ita illos trahebat, ita æternis & inenodabilibus vinculis sibi devinciebat. Si autem potest ita se veritas, æternitas, sapientia, beatitas ostendere plenissimè, ut rapiat & impeccantiæ nodo voluntatem sibi constringat: quin possit se ita quasi dimidiatè ostendere, ut penè rapiat, ut tandem rapiat, ut non peccandi potentiam, sed peccati actualem effervescentiam exurat?

Porrò ita ostendi volumus illecebras veritatis, ut plurimum tamen momenti ponamus in infusa simul interioris delectationis inspiratione. Quin prætereà & interiorem retexímus & reconditiorem affectum, qui ea inspiratione expergefiat & redaccendatur. Sed etiam suam his internis adjumentis efficaciam vendicamus, ut cum Augustino portionem ejus aliquam etiam reservemus allicienti & ostensæ veritatis & æternitatis pulcritudini.

CAPUT LIX.

Gratia Christi efficacissima illa est quæ persuadet ex Augustino, tum per apposita foris argumenta, tum lumen intellectui, pios affectus voluntati inspirando. Si homo enim homini multa persuadet, quid Deus? Solus enim & scit & potest, quidquid foris intusve ostensum vel inspiratum persuadere aptum est.

HIs attexenda est illa ex Augustino eodem argumentatio, ubi vim victricem gratiæ invictæ in eo constituit, quòd *persuadeat*. Etsi enim vis veri expugnat quandoque intellectum, ita ut non frangatur contumacia voluntatis: est tamen persuasio tam invicta quædam, ut menti voluntatique dominetur. Ita superioribus capitibus Augustinus, Anselmus, Theresia consentiebant conspectu aperto pœnarum infernarum, vel gaudiorum cœlestium, ostensione veritatis, beatitatis, æternitatis, ita persuaderi voluntatem, ut invictissimè persuadeatur divinis mandatis morigerari. Non aliter gratiam vocationis efficacissimam describit Augustinus cùm ait: *Vocatione illa alta atque secreta, sic ejus ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum.* Epist. 107.

Id porrò fit non quasi extrinsecùs objecta veritate aut lege divina, id enim libellus, id concionator potest oculis auribusque insinuare: sed interiùs illuminando intellectum, inania terrenorum & temporalium omnium ludibria denudando, æternorum præ his veritatem & felicitatem ostentando, ærumnas ex peccato innumerabiles, suavitatem ex justitia ineffabilem aperiendo, his consentaneos affectus voluntati simul inspirando, & ita refricando nativos illos affectus de quibus toties supra, & superstites eorum reliquias excitando; ita sanè per gratiam efficacissimam homo persuadetur. Ita ex Augustino, *Visorum suasionibus agit Deus, ut vidimus.* Et ibidem: *Neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio.* De Spir. & lit. c. 34.

Ita liberrimè & invictissimè tamen adducitur mundus ad fidem, cùm miraculis coruscantibus suadetur. Etsi enim non singuli ad miraculorum conspectum resipiscant, afficiuntur tamen ex multis aliqui, & resipiscunt. Et rursum etsi quisque singularis homo ad unum & alterum obdurescat miraculum, nec afficiatur, aut cedat; nemo tamen omnium est, quem non aliqua saltem, quem non complura, quem non alia aliis accumulata, quem non ejus ingenio consentientia tandem permoveant & ad fidem perducant. Id porrò quàm nihil officiat liberæ nostræ voluntati, facilè omnes perspiciunt. Unde Augustinus: *Multo mirabiliùs divinitas ipsa persuasit. Eloquia namque persuadentium quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba.* Et infrà: *Legebantur præconia præcedentium Prophetarum, concurrebant ostenta virtutum, & persuadebatur veritas, nova consuetudini, non contraria rationi.* Intus utique Deus simul inspirabat affectus externis his adjumentis consentaneos: *Magnus est Dominus, qui persuadeat, quomodo ipse novit.* Civit. l. 22. c. 5. Ibid. c. 9. De Nat. & Grat. c. 15.

Quàm multa persuadent homines hominibus, aut intentandis pœnis, aut præmiis ostendendis? Aguntur enim homines gemino maximè hoc affectu, timore & amore. Homines ergo suadent, per res objectas excitando hos affectus, non inspirando: Deus persuadet, & excitando extrinsecùs, & intrinsecùs ingenerando, & sæpiùs ingeminando, donec fessa & fatigata cedat nostra pertinacia: *Si Christiani sunt, & rectè vivere negligunt, verberentur terroribus & præmiorum laudibus erigantur.* Et alibi: *Non unde frequenter aut invitat Deus præmio, aut terret supplicio, nisi ut benignitatis consilio à se formato homini consulat, redempto provideat, ut qui non terretur supplicio, invitetur præmio.* Et ibidem: *Invitavit præmio, terruit supplicio.* Ibid. c. 68. De Verbi Dom. ser. 1.

Negat aliquando Augustinus gratiæ divinæ efficaciam in sola suasione esse, nempè humano more, cùm veritas tantùm vel sensibus corporis allucet vel insusurratur, vel intellectui etiam quodam modo insculpitur. Hanc persuadendi gratiam utique & Pelagiani probassent. At idem Augustinus alibi in persuasione, sed longè alia & diversissima, vim efficacissimam gratiæ collocat, ut quæ & veritatem simul prorsus aperit intellectui, & affectiones charitatisque flammas simul inspirat voluntati, hasque ita exaggerat, adaptat, ut etsi aliquando respuantur dissensu voluntatis, extorqueant tamen ejus assensum longa sui conspiratione & congruitate: *Operatur Deus voluntates in mentibus hominum, non ut nolentes credant, quod absurdissimè dicitur, sed ut volentes ex nolentibus fiant: Non sicut facit Doctor homo, docendo & hortando, minando & promittendo in sermone Dei, quod frustra fit, nisi Deus intus operetur & velle, per investigabiles vias suas.*

Longè plurima persuadent homines hominibus, appositè tantùm dicendo ad persuadendum, & veritatis lumina auribus tantùm oculisque corporis ingerendo. Quid si facem veritatis inferre possent ipsi intus mentis oculo? Quid si voluntati ipsi inspirare metum, iram, odium, amorem? Quid si penetralia animæ scrutari, & pervidere, qua quisque parte faciliùs capiatur? Hæc si possent homines, utique certissimam in persuadendo victoriam reportarent, nec tamen vim afferrent libertati. Nec enim libero arbitrio fit injuria, si rationi insinuatur lux veritatis undecumque, aut si voluntati affectus induntur indeliberati, ejusque obnoxii vel assensui vel dissensui. Atqui hæc est vis divinæ facundiæ, hæ sunt *investigabiles viæ* omnipotentis Dei sapientiæ, cujusque nostrum mentis & voluntatis recessus penitissimos pervadentis, & pervidentis, quo quisque vel objecto vel affectu maximè persuadeatur. Adversarios gratiæ hoc argumento concerpit alicubi Augustinus, quòd suasionibus suis se posse aliquid vellent, & divinæ gratiæ in persuadendo vim detrectarent: *Nec attendunt ipsum etiam seipsos Dei dono habere, quod ea facultate exhortantur, ut ad capessendam vitam bonam hominum voluntates pigras excitent, accendant frigidas, corrigant pravas, aversas convertant, repugnantes pacificent. Si enim non possunt persuadere quod suadent, aut si hæc in voluntatibus hominum non agunt, quid agunt, aut quid loquuntur? Dimittant eas potiùs arbitrio suo. Si autem hæc in eis agunt, itane tandem homo in hominis voluntate tanta agit loquendo, & Deus non illic agit aliquid adjuvando?* De bono Viduit. c. 18.

Gregorius similiter: *Adjuncta sunt Prædicatoribus sanctis miracula, ut fidem verbis daret virtus ostensa, & nova facerent, qui nova prædicarent.* Et mox: *Ad salutem redeuntibus infirmis, ad vitam resurgentibus mortuis, tot visibilibus miraculis exactis, quis non crederet, quod de invisibilibus audiret?*

In Euang. Hom. 4.

Bernardus quoque eidem persuadendi facultati suffragatur: *Eadem sane in brevi etiam universæ terræ persuasio facta est, & eodem argumenti compendio. Coruscant miracula, & mundus credit. Cito persuadetur quod dicitur, dum quod stupetur, ostenditur.* Nec de efficacia interiorum inspirationum hic quidquam demetitur, sed eam insinuatur istiusmodi esse, quæ nihil obstrepat huic miraculorum & quorumcumque objectorum magnificentiæ & necessitati. Si enim sola motio interior prædeterminat physicè & infallibiliter voluntatem ad assensum, potest supersederi tota illa pompa & ostentatione rerum forinsecùs adhibitarum.

In Cant. Serm. 19.

CAPUT LX.

Conspectis Christi miraculis non credebant Judæi, credidissent Tyrii, ita Christus, ita Augustinus. Id non constat, si gratia non sit nisi vis physicè prædeterminans. Ea enim peræque ubique valet, etiam sine miraculis, & sine ea nec Tyrii credidissent, perinde ut Judæi ea destituti non crediderunt. At collectio auxiliorum intus & foris, congrua, & efficax quæ erit ad Tyrios minus obduratos, non erit ad Judæos obduratissimos.

Superiori argumento non mediocris fiet accessio, si paulò accuratiùs expendamus, quæ sempiterna veritas Christus de suis miraculis testificatur, quæ locupletissimus interpres Augustinus argumentatur ex verbis Christi. Constrictus enim Scripturarum oraculis sanctus Pater, confitetur & credituros & salutem consecuturos fuisse aliquos, si signa quæpiam & ostenta sibi congrua occurrissent: quæ ideò repræsentata illis non sunt, quia à damnationis massa non fuerant ab æterno per electionem gratiæ segregati. Ergo efficacia gratiæ qua isti credidissent, qua salutem adepti essent, si ista spectassent signa, ab isto quoque signorum spectaculo religata aptaque erat. Nam quorsum hæc signa, vel ostenta, si motio sola divina intrinsecùs prædeterminat intellectum & voluntatem? Talis motio citra exhibitionem signorum consequetur suum effectum, sine tali motione in irritum cadet signorum frivola ostentatio. At verò motio interior vehemens illa quidem, sed frustrabilis ex dissensu voluntatis creatæ, adjecto forinsecus signorum complurium adminiculo, poterit affectas eo modo voluntates expugnare, & ad fidem pertrahere, quas solitaria in cassum sollicitaret.

In cœlesti patria, inquit Augustinus, *Non latebit quod nunc latet, cur apud quosdam non factæ sunt virtutes, quæ si factæ fuissent, egissent illi homines pœnitentiam; & factæ sunt apud eos, qui non fuerant credituri? Apertissimè namque Dominus dicit, Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Nec utique Deus noluit injustè salvos fieri, cum possent salvi esse, si vellent.* Et aliquanto adhuc explanatiùs alibi: *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Cæteri autem ubi, nisi in massa perditionis, justo divino judicio relinquuntur? Ubi Tyrii relicti sunt & Sydonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum.* Reprobis ergo negata sunt beneficia, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur, hoc est negata sunt signa illa *unde crederent*.

Enchirid. c. 95.

Eccur autem crederent Tyrii & Sidonii, si qua istiusmodi signa & miracula spectare datum esset, quæ spectabant Judæi, nec credebant: declarat continuò Augustinus, convenienter admodum nostræ sententiæ: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant. Et tamen si altiore Dei judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere, si audirent talia vel viderent.* Et mox, cùm interposuisset aliqua de Judæis horum signorum spectatoribus, nec tamen credentibus, ideo quòd excæcati erant oculi eorum, & cor obduruerat: *Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti, signa vidissent.* Planissima sunt ista, nec ferè cavillis locus est. Agitur de efficacia gratiæ, quanta maxima opus est, ut electi ad prædestinatam sibi justitiam & gloriam provehantur. Agitur de beneficiis, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Quasi innuat non unius generis & modi esse ista beneficia, sed multigena, itaut quamvis singula minùs valerent, universorum tamen congerie electi certissimè liberentur. Et in proposito exemplo, istiusmodi beneficiis Tyriis & Sidoniis extitissent miracula Christi; his certissimè liberarentur. Nec reliqua vel tunc deforent tamen adjutoria, & interiores maximè aspirationes divinæ gratiæ. Sed tamen inter beneficia quibus certissimè liberarentur Tyrii & Sidonii, Christus interpresque Christi Augustinus enumerat spectacula ista dictorum factorumque Christi.

Cæterùm duo adnotat Augustinus, quibus efficeretur, ut crederent, si spectacula hæc sibi mira exhiberentur. Primò quidem, *quia habent quidam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Secundò, quia *non erant sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum*, ut Judæorum. Ergo efficacia gratiæ invictissima qua crederent, non in sola motione interioris auxilii posita erat; alioqui frustra & Scripturæ & Augustinus tantum momenti ponerent in editione & contuitu miraculorum, in eorum congruitate ad cujusque animum, in indito naturaliter divino intelligentiæ munere, in cæcitate animi minore, in duritia cordis non tanta. Idem quippe interius divinæ motionis auxilium efficax erit vel inefficax, prout exterioribus his adjumentis, animi affectuum excitatoribus, vallabitur aut destituetur. Auxilii igitur efficacia in ea constituitur collectione & contemperatione auxiliorum interiorum exteriorumque, quæ ita congruit animo, ita illum fatigat quantumvis renitentem, ut reniti tandem lassescat & cedat; pluribus si cæcior, si durior est, paucioribus si paulò minùs vel cæcutiat vel obduruerit, adjumentis externis internisque expugnatus. Quæ cùm singula auxilia non determinent physicè voluntatem, alioqui cætera nihil haberent momenti, & superflua redundarent, universa tamen illam superant domantque.

Hinc autem elucet perspicuè quàm non absolutè & universaliter gratia efficacissima prædeterminet voluntates ad consensum. Si res enim ita haberet, quæ gratia Tyrios, eadem Judæos etiam ad fidem & ad meliorem frugem adduxisset. At verò cùm quæ his efficax, illis inefficax sit, ergo ejus efficacia victrix in contemperatione & congruitate ad indolem & ad affectus singulorum posita est. Si dicant autem ideo Tyrios ad fidem conspectis miraculis Christi adducendos fuisse, quod gratia simul prædeterminans eorum voluntati

inge-

ingerenda fuisset, præsumptæ opinionis quàm Evangelicæ veritatis tuendæ non possunt non videri cupidiores. Eccur enim Christus tam acerba objurgatione Judæos perculisset, quòd ad ea non emollirentur portenta, quæ vel Tyrios & Sidonios fregissent pertraxissentque ad fidem; sine Tyrii quidem & Sidonii, imò si ne hominum quidem optimi ad fidem inter illa miracula adjecissent animum, nisi alia donati gratia, eaque efficacissima, qua ipsi fraudabantur? Hinc potius excusatio Judæis consueretur, qui ibi non crederent, ubi nec ullus omnino crediturus esset hominum, quamlibet benè moratus & religiosus, quamdiu nempe prædeterminante gratia destitueretur.

Ergo ut germanus constet verbis Christi sensus, necessum est, 1. ut objecta exteriora plurimum valeant, ut mentem voluntatemque hominum impellant vel ad fidem vel ad morum repurgationem. 2. Ut plus valeant in hos, quàm in illos, quòd hi quàm illi minùs cæcutiant ad æterna, minùs obduruerint. 3. Ex quo fit ut æquissimè possint objurgari qui ad ea signa hebescunt, quibus alii convertuntur. Id enim argumento est hos multò magis occaluisse ad pietatem. 4. Inde id quoque emergit, gratias interiores aspergi contemperatè quodammodo & convenienter ad objecta quæ foris adhibentur extrinsecùs, alioqui objecta ipsa sterilescerent, & ad quælibet Christi signa nec Tyrii converterentur, nec ulli prorsus homines. At verò eo constituto, quòd auxilia interiorum inspirationum dispensentur consentaneè & accommodatè ad illecebras quæ obiiciuntur extrinsecùs: tunc rursum meritò castigantur Judæi, qui ita obruruerant, ut nec miraculis nec pro modo miraculorum irrigatis intus inspirationibus moverenrur ad fidem, quibus iisdem vel Tyrii ipsi & Sidonii pertraherentur.

Porro quis dicat Augustinum fugisse id quod caput est in efficacia gratiæ victricis, cùm verbis Christi inhærens religiosissimè, docet conspectis miraculis Christi fidei indubitatissimè accessuros Tyrios Ergo ut assolet inter homines, subintelligebat ille non defore interiùs simul auxilium summi conditoris rerumque omnium moderatoris Dei. Ita enim invaluit, ita inolitum est, ut dicatur oculo sano posse videri lucem, aure sonos percipi, gramine trahi pecudes, vino ebriosos, lucro avaros, pueros pomo, veritate duci, beatitudine tangi, miraculis moveri homines, si qui nondum penitus occalluerint. Hæc sunt omnia & hujusmodi complura indubitatissima. Quæ tamen non constant, nisi eo præstructo & supposito, his facultatibus non defore auxiliarem Dei moventis opitulationem, pro cujusque modo & ingenio contemperatam.

Quorsum denique Augustinus diceret Tyriis, eò quòd ex grege illo eximio electorum non essent, non esse donata signa, quibus crederent certissimè, si datis certissimis his signis sine gratia physicè prædeterminante non essent credituri?

CAPUT LXI.

Ex Scripturis & Augustino illa gratia est efficacissima, quæ congruit, quæ contemperatur, quæ vocat ut aptum est, quæ consentit affectibus animi. Hæc congruitas non inspiratorum tantùm affectuum est, sed ut exemplis compluribus declarat Augustinus, rerum, factorum, dictorum, visorum. Hæc doctrina nec prædeterminationi physicæ, nec delectationi victrici, nec præscientiæ mediæ conciliari potest. Circa istiusmodi quæstiones, Cur huic gratia efficax sit, illi non sit, quàm immaniter discrepent responsa Augustini, & quorumdam recentiorum.

Non efficacissimam tantùm & victricem gratiam constituit secundùm Scripturas Augustinus, sed illius quoque modum efficaciæ invictissime ex iisdem aperuit. Nostrum est nihil indulgere nobis, nil dare præsumptis opinationibus, committere nos prorsus Magistro Ecclesiarum omnium in hoc tam arcano dogmate. Itaque modum efficaciæ in congruitate & contemperatione ad cujusque animi indolem & affectus sexcenties ille constituit. En ejus verba: *An fortè illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem? Ut & illud verum sit, Multi vocati, pauci electi. Ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei. Et illud non minùs verum sit, Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem? Ad alios autem vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit, qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi.* Ad Simplici L. 1. q. 2.

Ita nimirum Augustinus inter Scripturæ sententias specie tenus dissidentes pacem & concordiam sancit, cùm vocatio & gratia nunc dicitur respui & irritari, nunc invicta prædicatur & omnipotens, utpote cùm non sit qui manui Dei resistat. Duplex ergo vocatio & gratia secernitur, altera congruit ingenio & affectibus hominum, & ea efficax semper est: altera non congruit, eaque irrita jacet. Ergo hìc non efficaciam tantùm, sed & modum efficaciæ ex congruitate declarat sanctus Pater: *Qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem.* Et ibidem: *Quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes eodem modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Efficax ergo est gratia, cùm *eo modo vocat, quomodo aptum est eis qui vocati sunt.* Inefficax est, *quæ talis fuit, qua moveri non possent, nec eam capere apti essent.* Nihil ut vides apertius, nihil inculcatius.

Nec quisquam est tam rebellis lumini & spiritui gratiæ, quem non possit Deus quandocumque volet ad pietatis leges revocare, quia nemo est, cujus non possit Deus ingenio & affectibus animi aptare & attemperare modum quendam vocationis tam congruum, ut infallibiliter obsequatur. *Quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ne frustra ille misereatur, si homo nolit: quia si vellet etiam ipsorum misereri, possit ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur.* Et infrà: *Illi electi, qui congruenter vocati; illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quia non vocati.* En ut *congruitati & contemperationi* tota efficacia vendicetur. Porrò in unius est Dei potestate ejusmodi nobis vocationis gratiam aptare, cui congruamus, quæ nobis congruat: omninò autem non est in nostra facultate, ut nosmet aptemus & contemperemus vocationi divinæ. Quo autem cumque modo affecti simus, sunt Deo modi vocandi innumerabiles, qui congruant & consentiant ita plenissimè affectibus & pronitatibus animi nostri omnibus, ut certissimè illis obsequamur. *Etiamsi multos vocat, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur.* Et rursum: *Quia nullius Deus frustra miseretur, cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Ibidem.

Prædeterminanti autem motioni non video quì ista possint quadrare, sed nec delectationi quidem victrici. Nam prædeterminatio physica non alia & alia est, non alio alios modo impellit, unius est modi & generis, una & consimili motione omnes indiscriminatim conrorquet: non congruit, non contemperatur, non aptatur affectibus uniuscujusque; utcumque quis affectus sit, illius

filius vi abstrahitur: nemo est qui ea non moveatur, nemo qui eam non capiat, denique peræquè omnes illi congruunt & contemperantur, aut nihilo plus hi, quàm illi.

Delectatio similiter prædeterminans unius est modi, nec aliter alios sollicitat. At Augustinus cum alio alios vocandos docet esse modo, ut efficaciter vocentur, cum singulorum affectibus accommodandam esse ait vocationis gratiam, non ad solam delectationem justitiæ respexisse potest, cùm delectatio unus tantùm & sui similis affectus sit. Sunt autem qui magis afficiantur & quolibet trahantur formidine, pudore & affectu quovis alio, quàm delectatione. Denique congruitatem illam & contemperationem vocationis collocat Augustinus non in solis inspiratis affectibus, sed in visis etiam congruis, quæ menti, quæ sensibus corporis obiiciuntur, ut ex antedictis diluxit, & ex infrà dicendis uberiùs elucescet.

Quocirca idem ibidem exemplis declarans quænam illa sint, quæ congruere & contemperari cujusque affectibus debeant ad eos in consensum movendos, in medium profert Simeonem illum senem, qui Christum infantem complecti & contrectare, Nathanaelem, cui res occultissimas propalantem audire, Discipulos quibus miracula perpetrantem videre donatum est. Hæc sunt utique quæ illos affecerunt, alia & alia, quia aliter & aliter jam affectos, nec sola delectatione affecerunt, sed admiratione, stupore. *Videmus enim alios aliter iisdem rebus demonstratis vel significatis ad credendum moveri. Sicut exempli gratia Simeon Christum infantem, &c. Nathanael, &c. In Cana Galilææ discipuli, &c.*

Ita ergo gratia quæ secundùm propositum Dei miserantis datur, efficax semper est, non quo quæ suapte vi efficax est, æqualem & invictissimam suam efficaciam in omnes utcumque affectos exertet: sed quòd quantumcumque quis obriguerit, habeat Deus in inexhausto potentiæ & sapientiæ suæ penu modos innumeros, quibus possit eorum affectibus animique propensionibus omnibus ita obsecundare, ut eos ad nutum suum quocumque circumagat. Ibidem. *Cum ergo alius sit, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpè alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat: aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est?* En quæ sint illa, quorum ex modo, congruitate, contemperatione ad cujusque ingenium, defluit efficacia invictissima gratiæ, nempe *res* ipsæ sunt, quæ alio & alio modo vel dicuntur, vel obiiciuntur, & ita alios aliter movent. Quod apertissimè rursus ibidem dicitur: *Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem?* Et ibidem: *Voluntas nisi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest. Hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate.* Cujus rei exemplum statuit in Paulo, qui invictissimè ad fidem pertractus est, *occurrente utique tali viso, quo mens illa & voluntas refracta sævitia, retorqueretur & corrigeretur ad fidem.* Atqui visum illud quod Paulo objectum est, ad formidinem magis quàm ad delectationem incutiendam comparatum erat. Et sanè Paulus *tremens & stupens* ibi dicitur. Qua de re ibidem superiùs: *Hæc demonstratio potentiæ Dei prodest eis, ut timeant, ut vias suas corrigant, quibus vocatio talis congruit.* Vides congruitatem non in sola delectatione, sed etiam in timore esse quandoque positam. Idque ni fallor aliquantò sæpiùs. Etenim plerique omnes cum primùm à peccati deliciis avellendi, & Deo reddendi sunt, ita sanè afficiuntur, ut timore magis æternæ pœnæ, quàm amore justitiæ moveantur.

Ne verò existimet quis in uno hoc opere ad Simplicianum, quod initio Episcopatus sui lucubravit, hanc Augustino doctrinam adlubuisse, recole si vacat, quæ paulò antè referebamus ex ejusdem libro de Bono Perseverantiæ, quo ferè ultimo suas de Pelagio victorias vitæque curriculum consignavit: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.*

Porrò *congrua dicta vel facta* hæc tam certam & infallibilem efficaciam consecutura sperat & affirmat Augustinus, ut si qui in albo electorum conscripti non sint, ea illis non adhibeantur: si adhiberentur enim, certissimè fidem illis & salutem parerent. *Et tamen si Dei altiore judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia, vel viderent.* Ibidem. Non est ergo necesse præscientiam mediam hìc invocari, quasi incerti eventus exploratricem. Est enim eventus divini consilii omnino certissimus, cùm Deo visum est tam multa & tam congrua istiusmodi accumulare visa, ut consensus animi infallibiliter eliciatur. Si quibus autem Deus etsi posset attemperare vocationem suam, non attemperat, illi tamen in culpa sunt, qui ita vitiis assueverunt, ut divinæ vocationis gratiæ apti non sint. Etsi enim non ita possit homo lapidescere, ut non adsint Deo miri & innumerabiles modi molliendæ ejus duritiei; si tamen sponte sua occalescat homo, & ita respuat modos aliquos vocationis, quibus utique assentiretur, nisi callum duxisset, culpa tota penes ipsum est.

Non possum autem hìc non admonere lectorem, quàm immaniter discrepent responsa Augustini ad quæstiones de gratia efficacissima à responsis recentiorum quorumdam Theologorum. Si percunteris enim Augustinum, eccur gratia vocationis efficacissima fuerit in Jacobo, Nathanaele, Apostolis, Paulo? respondebit procurante divina misericordia quæ illos ante sæcula in salutem prædestinaverat, ea vel verba audisse eos, vel facta signaque conspexisse, quibus congruerent & contemperarentur, quibus moveri apti essent. Si rursum eundem sciscitèris, eccur Esau, Judæi, Tyrii, Sidonii ad fidem non sint perducti? respondebit ex adverso, quòd cùm inter electos non essent adscripti, non sint eis oblata illa visa tam congrua, quæ ipsorum affectibus vehementiùs consentirent, quàm peccati oblectamenta quælibet, adeoque quæ illos invictissimè pertraherent. Si qui ergo hodie Theologorum ex constitutis antè fundamentis doctrinæ suæ, in hæc eadem responsa illabantur, minus insulsè forsan blandiri sibi & gratulari poterunt, ut qui non aberraverint ab Augustini sententia. At verò qui ex omnium placitorum suorum contextu & concatenatione scinduntur in responsiones longè diversissimas, de sua illi ab Augustino secessione non immeritò solliciti & anxii esse debent.

Ergo abludunt ab Augustino, qui ad eas quæstiones respondent, totam hanc congruitatem & consensionem rerum, verborum, factorum, signorum cum affectibus cujusque, extrinsecam esse, minimique adeo momenti, & virium prorsus nullarum ad exprimendum voluntatis consensum, totum verò esse in motione intus voluntatem prædeterminante, vel in victrici delectatione, vel in inspirationibus frustrabilibus quidem illis, sed quas Deus per scientiam suam conditionatam exploravit, certòque prævidit non esse tunc frustrandas nostro dissensu. Porrò illos vocatione efficacissima esse perductos, illos non esse perductos ad fidem, quibus Deus concessit vel non concessit hæc adjutoria vel prædeterminationis physicæ vel victricis delectationis, vel inspirationum ex præscientia media temperatarum. Quis non videt quàm dissideant ista

ista & Augustini responsa? Quis inde non odoretur doctrinæ discrepantiam? Non quo non inculcaverit Augustinus studiosissimè necessitatem & vim inspiratorum cœlitus piorum affectuum, maximè verò delectationis: sed in his solis omnia constituere, totam & infallibilem illam ab his solis efficaciam mendicare, tantum abhorruit, quantum testantur, quæ suprà ex eo retulimus.

Porro si prisca Augustini & hæc recentiora contendamus responsa, multis argumentis vincet Augustinus. Primò enim Scripturæ verbis, & ipsius gratiæ authoris factis consentit cum primis Augustinus. Christus enim gratiæ suæ largitor idemque doctor & magister, Pauli conversionem objecto viso terribili & congruo operatus est: Apostolos miraculis traxit, Nathanaelem arcano retegendo, quod soli Deo pervium esse poterat, adduxit: Tyrios & Sidonios si attrahendi fuissent ad fidem, signis & miraculis pertrahendos fuisse docuit. Augustino si tam scrupulosè hæreamus, quàm ille Scripturis, nunquam certè aberrabimus.

Secundò hæc porro consensio & convenientia exteriorum rerum cum affectibus animi, nihil decerpit de efficacia & necessitate interiorum inspirationum. Quantavis enim efficacia & vis tribuatur vel Soli lucique ad oblectandos oculos, vel quarumlibet rerum creatarum venustati ad permulcendos sensus alios nostros, sine summi tamen motoris suffragio & adjumento ne videri quidem illa poterunt vel sentiri. Seu naturam spectes, seu gratiam, steriles jacent & otiosæ causæ secundæ sine prima. Sed etsi summa sit & necessitas & efficientia causæ primæ, est tamen sua causis quoque secundis efficacia, ex qua possunt oculi intueri lucem, lux oblectare oculos: auris musicam sentire, musica mulcere aures: animi sic affecti ad signa quædam obstupefieri & moveri, signa, dicta, res congruæ animos sic affectos obstupefacere & permovere. Nec in his de via deflectemus, si verba quoque ipsa nostra aptemus Scripturæ & Augustino.

Tertiò responsio Augustini concordiam longè molliorem ostendit libertatis humanæ & gratiæ divinæ efficacissimæ. Qui enim gratiæ assentiuntur, quia pertrahuntur illecebris rerum, dictorum, signorum, suis affectibus adprimè consentientium, & pluscutum etiam, quàm illis concinerent oblectamenta peccati, nihilo plus de libertatis jactura periclitantur, quam qui peccato serviunt, quia deliniuntur ejus dulcedine pestifera. Quibus autem hæc denegantur victricis ut ita dicam congruitatis, nihilo plus queri possunt, aut impotentiam suam obtendere. Ipsimet enim dum sæpiùs renituntur rebus signisque mediocriter congruis, ita seipsos obdurarunt, ut jam nec iis tangantur, quibus utpote vehementer congruentibus alii afficiuntur & emolliuntur. Exempli causa, Tyriis & Sidoniis non sunt exhibita signa, ad quæ converterentur, sed iisdem ob oculos quotidie obversabatur cœlorum, terræ orbisque totius pulcritudo, fæcunditas, concentus: his cum possent, emolliri non sunt, ut eorum conditori assurgerent: in causa id fuit, ut signa illa non conspicerent inusitata, quibus ad fidem Christi traherentur. Judæi similiter plus etiam obdurati erant quàm Tyrii, ut qui nec naturæ, nec Scripturæ personante magisterio tangerentur: ergo etsi conspectis Christi miraculis non movebantur ad fidem. Deus enim teste Paulo *non reliquit seipsum sine testimonio, dans pluvias & imbres & benefaciens de cœlo*, ita ut sint inexcusabiles, qui his beneficiis non emollescunt. Consentaneum porro est interiores quoque inspirationes intelligere, externis his adjumentis adjunctas, ut declarant quæ ex Scripturis & Augustino hic prolata sunt.

Actor. c. 14. Rom. c. 1.

CAPUT XLII.

Ex Augustino gratia victrix ita hominem donat, ut homo feras animantes, nempe sapientia & ratione magis quàm potestate, captando affectus animæ omnes, quæ appetat, quæ fugiat, hæc incutiendo, vel amovendo, denique blanditiarum & flagellorum apta dispensatione.

Dilucescet etiam *modus* summæ illius efficaciæ, quam obtinet gratia secundùm propositum, si excutiamus exemplum aliud quod ex Scripturis prompsit Augustinus. Domat homo feras quamvis indomitas, suisque jussis obtemperare tandem assuefacit; frangit feritatem natura insitam, & quandam ad obsequendum inserit mansuetudinem. Non aliter gratia homines edomat, suisque legibus subjicit. Atqui homo immediatè in animam ipsam, in phantasiam, in appetitum animantium oculos manusve inferre non potest, ibi inserere, inde revellere nihil potest; sed pœnis quas in earum corpus distringit, præmiis quibus illas demulcet, ita moderatur & dispensat earum affectus, ut eas & unde refugiunt, illuc incitet, quo ruunt, inde abducat. Quin ergo & sapientiæ atque omnipotentiæ Dei id damus, ut rebus congruè objectis, sive ad perterrendum, sive ad alliciendum spectantibus, voluntates nostras quo volet cumque impellat, vel unde volet inhibeat? Nec enim vel abhorremus vel prosequimur quidquam, nisi aliqua vel formidine territi, vel dulcedine lactati. Atqui potest Deus modis innumeris objicere, quæ incomparabiliter vehementiùs vel terreant, vel illiciant. Item inspiratis gratiæ affectibus assentimur, nisi si quid terrenum aliò trahat vel terrendo vel blandiendo. Ergo ubi majori vel terrore vel suavitate abruperit Deus terrenum hoc retinaculum, gratiæ prorsus assentiemur; assentiemur tandem saltem, si crebriùs & importuniùs irruant, & alia omnia avocamenta fuerint antè disjecta.

Ut ergo feras timore & flagellis domare incipimus, ita & Deus homines peccatis implicatos, & in pecudes penè deformatos, timore primùm & spinis attrectat. *Cupiditatis minuendæ initium est Deum timere, &c. Nemo est enim qui non magis dolorem fugiat, quàm appetat voluptatem. Quandoquidem etiam videmus immanissimas bestias à maximis voluptatibus absterreri dolorum metu: quod cum in earundem consuetudinem venerit, domitæ & mansuetæ vocantur.* Ita timor & sensus pœnarum inchoat, tum assuetudo paulatim gignitur, qua fit ut metu jam pœnisque nihil sit opus, aut minùs rariùsque. Illabitur enim cum consuetudine justitiæ charitas. L. 83. qq q. 36.

Describit idem alibi ut homo belluarum affectus omnes exploret, & dispenset, blandiendo & comminando, demulcendo, & cædendo, & ita demum imperitet illis & dominetur. Ex quo id infert, multò Angelorum in belluas potestatem & dominatum majorem fore. *Si enim homini donavit Deus sic eum instituens, ut etiam carnem peccati portans, possit non solum jumenta & pecora suis usibus subdita, nec tantum domesticas aves, sed etiam liberæ voluntatis quaslibet etiam sævas feras capere, & mansuetas facere, & eis mirabiliter imperare, potentia rationis, non corporis: cum eorum appetitus & dolores captans, paulatimque illectando, premendo, laxandoque moderans, agresti eas exuit consuetudine, & tanquam humanis moribus induit; quanto magis Angeli hoc possunt, &c.* Brutas ergo pecudes infringimus ad nostra obsequia *potentia rationis, non corporis*, nempe *earum appetitus doloresque captando, paulatimque illectando, premendo, laxando*, & ita voluntati earum dominamur. Atqui hortatur Augustinus ut Deo subjiciamur ad illum eundem modum. *Ergo humilis porta Dominum tuum, esto jumentum sessoris tui. Bonum tibi est, ut ipse regat, & ipse ducat.* De Genesi ad lit. l. 9. c. 14. Tract. 7. In Epist. Ioan.

Præ-

Præclarè idem alibi argumentatur, ut belluę non aliæ alias domant, sed ab homine domantur omnes: ita hominem ab homine, vel à seipso non posse, sed ab uno Deo edomari. Ergo istud est specimen gratiæ efficacissimæ, sed ad eum modum explicandæ. *Linguam nullus hominum domare potest. Attendite similitudinem ab ipsis bestiis quas domamus. Equus non se domat, camelus non se domat, leo non se domat, elephantus non se domat, sic & homo non se domat. Sed ut dometur equus, bos, camelus, leo, elephantus, quæritur homo. Ergo quæratur Deus, ut dometur homo. Domuisti leonem quem non fecisti, non domat te, qui fecit te? Unde enim bestias tam immanes domare potuisti? Numquid eis æquaris viribus corporis? Fremit leo, quis non timeat? Et tamen unde te intelligis fortiorem? Non corporis virtute, sed mentis ratione interiore. Fortior es leone, unde factus es ad imaginem Dei. Imago Dei domat feram, & non domat Deus imaginem suam?* Non tam potestate, quàm *mentis ratione* feras domamus, utpote nobis plerumque valentiores; sed illas tamen domamus *potentia rationis*, blanditiis & flagellis ita alternatim earum affectus regendo, ut fugiendo quod fugiunt, sequendo quod cupiunt, imprudentes incurrant in id in quod ipsas incitabamus. Atqui etiam *plerumque profert domitor noster etiam flagella. Si enim tu ad domanda jumenta tua profers virgam, profers flagellum: Deus non profert ad domanda jumenta sua, quod sumus nos, qui de jumentis nos faciet filios suos? Ad hanc spem homo domatur, & contra istum utilem domitorem, si fortè flagellum proferat, murmuratur? &c. Erudit te flagellis, &c. domitor tuus, castigator tuus, &c.* Ergo homo belluas etiam ferocientes mansuefacit, & determinat ad quidlibet, flagella adhibendo: adhibet & Deus nobis flagella, & ita ad quod vult cumque nos determinat & impellit. Unde alibi: *Cum sæpe viderimus bestias ab hominibus domitas, id est, non corpus bestiæ tantùm, sed & animam ita homini subjugatam, ut voluntati ejus sensu quodam & consuetudine serviat.* Etsi enim flagella domitoris in corpus tantùm sæviant, sensu tamen & dolore corporeo animam afficiunt, & refingunt tandem ut lubet.

De verbis Dom. serm. 4.

De lib. Arb. L. 1. c. 7.

Eò pertinet quòd idem alibi ait, *Neque enim potentia temeraria Deus, sed sapientiæ virtute omnipotens est.* Hac enim *omnipotenti virtute sapientiæ* captat affectus hominum, appetitus & dolores explorat; & ea aggerando quæ mordent, avocat illos undecumque vult; acervando quæ delectant, eò impellit quocumque vult. Unus autem hoc potest Deus, qui unus scrutator est cordium & innumerabilium cordis affectuum. *Grande profundum est ipse homo, cujus etiam capillos tu Domine numeratos habes, & non minuuntur in te; & tamen capilli ejus magis numerabiles, quàm affectus ejus & motus cordis ejus.* Affectuum sinus omnes & varietates solus novit, solus in potestate habet, quod quique refugiunt vel sectantur: solus igitur homines domare Deus potest. Unde infra: *Continete vos ab immani feritate superbiæ, & ab inerti voluptate luxuriæ, & à fallaci nomine scientiæ, ut sint bestiæ mansuetæ, & pecora edomita, & innoxii serpentes.*

De Genesi ad lit. l. 9. c. 17.

Confess. l. 4. c. 14.

L. 13. c. 21.

Omnium prolixissimè versatus est in hoc argumento author librorum Hypognosticon apud Augustinum. Sic enim habet: *Rectè arbitror comparari liberum arbitrium jumento. Unde & dictum est, Ut jumentum factus sum apud te. Gratiam vero sessori. Sicut enim jumentum dum in via dirigitur, sessoris manu regitur, ut iter rectum, sive leniter, sive cursim, secundum sedentis in se voluntatem possit incedere, quoadusque ad locum perveniat destinatum: ita & liberum arbitrium, dum in via, id est, in Christo cœperit esse, gratiæ regimine regitur, &c. Et ut illud sessoris flagello cæditur, ut secundùm ejus ambulet voluntatem; similiter & liberum arbitrium, dum homo gratiæ Dei immemor in prosperis efficitur, & tanquam de sui possibilitate gloriatus extollitur, ejus flagello corripitur, cum in variis tribulationibus & afflictionibus paulùlum subjugatur, ut humiliatus homo in sua infirmitate, ad gratiæ recurrat auxilium.* Addit ut eques viam peragit, quam equus quo vehitur percurrit: ita quæ per Dei gratiam opera bona facimus, ea gratiæ ipsi meritò vendicari. *Rectè ergo sessor quem gratia figurat, dicit, Feci triginta milliaria. Ipse enim fecit, qui facere fecit jumentum, & tamen utrisque labor imputatur itineris.*

Hypognost. L. 3.

Gregorius Magnus luculentè pariter suo more doctrinam Augustini assecutus est: *Homo qui ad sequentem vitam ducitur, necesse profectò est ut in cunctis suis motibus sub dispositione disciplinæ religetur: & quasi domesticum animal loris vinctum serviat, atque æternis dispositionibus restrictum vivat. Qui ergo implere cuncta quæ desiderat, per effrænatam libertatem quærit, quid aliud quàm pullo onagri esse similis concupiscit: ut disciplinæ hunc lora non teneant, sed audenter vagus per silvam desideriorum currat? Sæpè autem divina miseratio quos prodire in effrænationem illicitæ libertatis conspicit, objectione prosperæ adversitatis frangit; quatenus elisi discant, quàm reproba erectione tumuerint: ut jam flagelli experimentis edomiti, quasi jumenta domestica, præceptorum loris mentis colla subiiciant, & vitæ præsentis itinere ad nutum præsidentis pergant. Quibus bene loris ligatum se noverat, qui dicebat, Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Unde & sævus ille persecutor, ab agro perfidæ voluntatis ad domum fidei deductus, rectoris sui calcaribus punctus, audiebat, Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Et his sanè stimulis & flagellis, dejectione corporis, cæcitate, stupore, terrore perdomitus fuit Paulus.

Moral. l. 10. c. 10.

Ambrosius denique similiter: *Rector ergo noster Christus est, ideoque ait anima, Posuit me currus Aminadab. Anima ergo currus, qui bonum rectorem sustinet. Bonus rector malos equos restringit & revocat. Mali equi, iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas, &c. Ascendit equos suos Christus, ascendit Verbum Dei animas pias.* Et idem alibi: *Viam mandatorum tuorum cucurri. Habet equos suos Christus, &c. Quibus fræna pacis, habenæ sunt charitatis, constricti inter se concordiæ vinculis, & jugo fidei subjecti, bonum aurigam portantes Dei Verbum, cujus flagello fugatæ sunt illecebræ sæculares, exterminatus mundi istius princeps, justorum cursus impletus est. O rationabilium equorum grande certamen, &c. Currebant igitur equi, quia non dormiebat qui ascenderat equos. Animarum igitur nostrarum auriga Jesus, &c.*

De Isaac & anima. c. 8.

In Ps. 118. Octon. 4.

CAPUT LXIII.

Ex eodem Augustino diabolus operatur ad arbitrium suum mala opera *in reprobis, tanquam in mancipiis suis, velut homo in pecoribus suis: ad omnia prorsus illos sequaces habet. Justos etiam omnes deiiceret, si quantum potest grassari tentator sineretur. Idque totum sine prædeterminante physicè vel motione qualibet vel delectatione. Multo magis ergo Deus voluntates nostras torquebit quo volet, cum non suggerere modò, & occasiones obiicere possit affectibus excitandis congruas, sed affectus etiam novos creare, & inflammare.*

Finitimum istud quoque est superiori argumentum. In mancipiis suis diabolus, iniquitatum vinculo obligatis ad nutum & arbitrium suum operatur, inhibetque & impellit eos quo ipsi cumque lubet, vel quæ amant affundens, vel intentans quę timent. Atqui in confesso est, mentem, voluntatem, libertatem hominis imperviam & inaccessam illi prorsus esse, & in affectuum cubilia ipsum irrepere

pere omnino non posse, Quia tamen consentit anima carnis suæ vel voluptatibus vel doloribus, his vel illecebris vel stimulis obnoxiam sibi & obsequentem facit diabolus. Cùm ergo Deus possit non tantùm obiicere, quæ vel voluptate vel dolore afficiant, & ita vel provocent vel retardent: sed intimos prætera pervadat animi & voluntatis anfractus, affectus omnes habeat in numerato, illos intus possit vel comprimere, vel excitare: novos etiam & inexpertos & cœlestes possit cogitatus affectusque inserere, inculcare, ingeminare, nostro dissensu repudiatos revocare, & inserere rursus, atque ita contumaciam nostram fatigare: nemo non videt hanc esse inexpugnabilem invictissimamque rationem inflectendæ ad divinæ legis imperia voluntatis creatæ.

Ex Augustino prompta est hæc ratiocinatio. Sic enim ille: *Diabolus hominem per consensionem seductum tanquam jure integro possidebat.* Et alibi: *Princeps est & dominatur eis qui diligunt temporalia bona, quæ hoc visibili mundo continentur: non quia ipse dominus est hujus mundi, sed princeps cupiditatum earum, quibus concupiscitur omne quod transit, &c. Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus, & cor ejus tenet. Ideo qui in nobis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est in nobis vincamus & illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine.* Regnat in peccatoribus per concupiscentias eorum; etsi enim intus sint cupiditates nostræ, & foris diabolus: quia tamen exterioribus bonis affiguntur cupiditates nostræ, per exteriora hæc ludibria nostras ille cupiditates huc illucque versat: *Eos qui foris nos oppugnant, intus vincimus, vincendo concupiscentias, per quas nobis dominantur.*

De Trinit. L. 4. c. 13. De agone Christiano, L. 1. 2.

Et rursus idem alibi vim & potestatem imperii hujus diabolici sic explanat: *Per quid dominatur diabolus, nisi per peccatum, princeps utique peccatorum?* Et alibi: *Hæc potestas tenebrarum, id est, diabolus, qui dicitur etiam princeps potestatis aeris, operatur in filiis diffidentiæ, regens eos ad arbitrium suum, &c. Quid operatur in filiis diffidentiæ hæc potestas, nisi opera sua mala, & in primis maximeque ipsam diffidentiam & infidelitatem, &c.* Ergo diabolus *operatur opera mala* in mancipiis suis, & *ad arbitrium suum* eorum voluntates circumagit. Nemo sobrius hæc rapuerit ad physicam aliquam prædeterminationem hic astruendam. Quin ergo & possit Deus sine prædeterminatione physica ad arbitrium suum regere voluntates nostras, & per eas quæ volet operari? Unde idem alibi: *In filiis diffidentiæ tanquam in suis mancipiis operatur, quemadmodum homines in pecoribus suis.* Et rursum: *Neque enim cum fit, quod ait Apostolus: Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, ut faciant quæ non conveniunt, non illic mali Angeli tanquam in materia sui operis versantur & gaudent, quibus justissimè subdita est vitiositas humana, præter eos quos liberat gratia.* Unico mox verbo absolvit, qui id fiat, nempe objectando occasiones, *Eos tanquam ex abditis in manifesta scelera perducens.* Et alibi Pelagium objurgans, *Cur non dixisti, hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti in malum diaboli suggestionibus incitari?*

Epist. 105. Epist. 107. In Ps. 77. Ad Bonif. L. 1. c. 19.

Qui fiant suggestiones istæ diabolicæ, declarat alibi Augustinus: *Non cessat Satanas suadere malum, sed nec Deus cessat admonere bonum.* Ubi videtur innuere, illam suasionis seu suggestionis diabolicæ efficaciam emergere ex ejus importunitate, quòd non cesset lacessere & pungere animum. Et alibi: *Hinc suggerit aliquid diabolus, aut unde times, aut unde cupis. Aut amorem tuum tentat, aut timorem. Tu si timueris gehennas, si amaveris regnum Dei, securus eris.* Et rursus alibi: *Non enim tentat diabolus vel Angeli ejus, nisi quod in te carnaliter dominatur. Dominante tibi avaritia diabolus forinsecus lucrum cum fraude proponit. Plerumque enim ad lucrum non pervenis, nisi fraudem feceris.* Suggerit ergo diabolus occasiones, veluti faces quasdam, quibus succendat cupiditates & affectus animæ vitiosos, & his rapit homines in facinus, prorsus ad arbitrium suum. Et quanquam non prorsus omnia sint in ejus ditione, ut escas & illectamenta semper congrua suggerat cupiditatibus; quanquam affectus insitos excitare possit, non novos indere: quanquam ne affectuum quidem sinus latebrasque permeare & pervidere possit omnes: quanquam subinde has ejus qualescumque vires inhibeat, vel coarctet Deus: tamen ad arbitrium suum operari dicitur ab Augustino secundùm Scripturas in mancipiis suis, sicut homo in pecudibus suis. Cùm hæc diaboli potestas tantilla sit præ divina, summotis etiam & sequestratis prædeterminationis physicæ motionibus, facilè hinc colligitur, quàm ubique sequaces ad nutum suum habiturus sit Deus voluntates nostras, cùm volet illis & novos ingenerare affectus, & veteres novis illecebris inflammare. Idem rursus: *Sed quomodo ista fiant, ut diabolicæ suggestiones immittantur, & humanis cogitationibus misceantur, ut eas tanquam suas deputet homo, unde scit homo? Nec dubitandum est, etiam bonas suggestiones à bono Spiritu ita latenter ac spiritaliter fieri. Sed interest, quibus earum mens humana consentiat.*

In Ps. 91. In Ps. 103. In Ps. 145. In Evang. Joan. tract. 55.

Ne verò suspicari quis possit verborum magnificentia ultra veri limites prætervectum esse alicubi Augustinum, cùm dixit *ad arbitrium suum in mancipiis suis operari* diabolum; præter superiùs indigitata Scripturæ loca, quibus hæc doctrina fulcitur: aliud insuper addam ejusdem & Scripturæ testimonium, & Augustini argumentum ineluctabile. Testantur enim sacræ litteræ alligatum à Christo interim esse diabolum, dum electorum grex augescit & perficitur, in tutumque recipitur: si enim inter hæc solveretur, & grassari sineretur pro viribus, vel electos etiam ipsos prosterneret. *Alligatio diaboli est, non permitti exercere totam tentationem, quam potest vel vi vel dolo, ad seducendos homines, in partem suam cogendo violenter, fraudulenterve fallendo. Quod si permitteretur in tam longo tempore & tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult, & fideles deiiceret, & ne crederent impediret. Quod ne faceret, alligatus est. Tunc autem solvetur, quando & breve tempus erit.* Quod & Christus ipse significavit his verbis, *Nisi breviati fuissent dies illi, non fuisset salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur.*

Civ. l. 20. c. 8.

Nec dissentit Gregorius in diabolica ista grassatione describenda: *Sæpè diabolus cum præparatam mentem ad tolerantiam videt, quid ab ea maximè diligatur exquirit, & ibi scandali laqueos inserit: ut quo magis res quæque diligitur, eo per eam facilius patientia perturbetur.* Et infrà: *Callidus adversarius, cum à bonorum cordibus repelli se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur, exquirit: & per eorum verba blandiens loquitur, qui plus cæteris amantur: ut dum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis ejus gladius ad intimæ rectitudinis munimina irrumpat.* Ad pios ista pertinent, quibus etsi minimè dominetur diabolus, illos tamen in aliquas subinde culpas captatoria sua hac & assentatoria arte dejicit, eorum affectibus blandiendo. Et alibi rursum: *In terra pedica absconditur, cum culpa sub terrenis commodis occultatur. Inimicus quippe insidians ostendit humanæ menti in terreno lucro quid appetat, & occultat peccati laqueum.* Et mox ibidem: *Mores asperi aut crudelitati aut superbiæ solent esse conjuncti; mores autem blandi, & quàm decet paulò ampliùs lætiores, nonnunquam luxuriæ & dissolutioni. Intuetur ergo inimicus generis humani uniuscujusque mores, cui vitio sint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit faciliùs inclinari mentem, &c.* Quam verò, si sineret Deus, nostrum omnium voluntates etsi liberas, & intacta libertate sua gaudentes, in consensum sceleris

Moral. l. 2. c. 25. L. 3. c. 6. L. 14. c. 7. L. 12. c. 19.

leris cujuslibet ageret diabolus, idem alibi: *Quid namque nos nisi pulvis sumus? Quid vero ille nisi unus ex cœlestibus spiritibus, & quod adhuc majus est, summus? Quid ergo de propria virtute audeat, quando contra Angelorum principem pulvis pugnat?* Si ergo superaret semper hominem diabolus, instigando tantùm & suggerendo, quid Deus, etsi utrinque absit physica prædeterminatio? L. 33. c. 18.

CAPUT LXIV.

Etiam impiorum voluntates cum scelera sceleribus cumulant, in manu Dei sunt, nec aguntur, nisi quò sinit & vult Deus. Atqui non prædeterminando physicè horum voluntates ad malum incitat Deus, sed occasiones dumtaxat obiicit. Ergo multo magis voluntates nostras in bonum quodlibet omnipotenter agere poterit Deus sine physica prædeterminatione, cùm hic non occasiones tantum suggerere possit, sed cogitatus etiam & affectus pios inspirare.

Conjuncta & ista est superiori argumentatio, quòd nempe voluntates hominum omnipotenter à Deo inclinentur & agantur, quò ipse voluerit, non ad bona tantùm opera, quæ vitam æternam promereantur, sed quæcumque demum ad alia, etiam ad mala, teste & authore Augustino. Atqui ut inclinentur corda hominum ad mala vel perpetranda vel inferenda, voluntas divina nequaquam abutitur vi aliqua præmovente & infallibiliter prædeterminante ad vitium, nec scientiæ mediæ subsidio idem consequitur, sed rationibus aliis longè diversissimis, quibus fit, ut homo seipsum lubens & volens determinet agatque ad malum. Ergo ut omnipotentia divinæ voluntatis & prædestinationis, ut gratiæ efficacia insuperabilis in tuto sit, nequaquam ad ea subsidia confugere necesse est. Coacervat Augustinus adversùs Pelagianos disputans innumera penè Scripturarum testimonia & exempla, *quibus manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bonum pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo.* Et mox: *Si autem potens est, sive per Angelos aut malos aut bonos, sive quocumque alio modo operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut crevit per propriam voluntatem: quid mirum est, si per Spiritum sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est, ut ipsa corda essent ex malis bona?* Igitur inter hanc ad bona & illam ad mala inclinationem voluntatum, & efficientiam in eo divinam, multa intersunt aliunde discrimina: at quantum ad invictum & omnipotens efficientiæ genus, nihil prorsùs discriminis ab Augustino interponitur. Nam ad bona inclinat Deus voluntates hominum *pro sua misericordia*, ad mala *pro meritis eorum*: in malis *malitiam ipse non fecit*, in bonis bonitatem ipsam & justitiam infundit *per Spiritum sanctum*. Bonos bonos facit, & bona tum inspirat consilia: malos autem non facit, nec malitiam illis afflat. Sed ex æquo operatur utrobique Deus omnipotenter, & ad nutum suæ voluntatis omnia contorquet. De grat. & lib. arbit. c. 21.

Ibid. c. 20. Et ibidem paulò antè: *Scriptura divina si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in actus bonos, & in æternam diligit vitam; verum etiam illas quæ conservant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat, occultissimo quidem judicio, sed sine dubitatione justissimo.* Tum exemplorum struem aggerat, ex Scripturis. Nam & peccata quædam pœnæ sunt peccatorum: & sunt vasa iræ, quæ *perfecta in perditionem* dicit Apostolus; & induratus est Pharao *ad ostendendam* in illo Dei virtutem; & fugerunt Israelitæ à facie hostium, & non poterant subsistere filii Israel à facie inimicorum. *In animo enim factus est timor, ut fugerent, & hoc factum est, ut vindicaretur peccatum eo modo, quo fuerat vindicandum. Quare non poterant subsistere? Quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorem turbata voluntate fugiebant, nisi quia Deus dominatur voluntatibus hominum, & quos vult in formidinem convertit iratus?* Ita & per *Dominum factum est confortari cor* alienigenarum adversùs Israelem, & Dominus filio Gemini *dixit, ut malediceret* Davidi. Ubi rursum Augustinus: *Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens & intelliget? non enim jubendo dixit, ut obedientia laudaretur, sed quod ejus voluntatem proprio vitio suo malam, in hoc peccatum judicio suo justo & occulto inclinavit: ideo dictum est, Dicit ei Dominus.* Et post alia exempla de Juda proditore, de Judæis, de diabolo, de Absalone, de Achitophel, quorum impias voluntates in ea Deus deflexit mala, unde bona ab ipso olim prædestinata emergerent, addit: *Quis non ista judicia divina contremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quidquid vult, reddens eis tamen secundùm merita eorum?* Ita & Jeroboamum adversùs Roboam Regem, & Philistæos adversùs Joram suscitasse legitur Deus, cùm sua tamen illi voluntate venerint. *Agit enim Omnipotens in cordibus etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere voluerit, qui omnino injustè aliquid velle non novit.* Similiter bellantium hinc & inde animos vel accendere in audaciam, vel perterrefacere identidem in Scripturis dicitur Deus, & victoriam manu sua librare, cui vult addicere; non quòd hominum libertati hinc aliqua labes inferatur, sed *quia ille qui in cœlo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, etiam in cordibus hominum operatur.* Ita & in Amasiæ Regis *corde operatus est Deus, ne salubrem admonitionem audiret, volens vindicare peccatum idololatriæ.* Ita & *Assueri convertit Deus & transtulit indignationem in lenitatem.* Quid quòd & ex eadem Scriptura, *Dominus seduxit* Prophetam, &, *Convertit cor eorum, ut odissent populum ejus;* &, *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ;* &, *Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Cap. 21.

Habent ergo impii voluntates liberas, & eorum in potestate est peccare: sed ut huc vel illuc deflectant peccando, id verò totum penes providentiam est omnipotentis Dei. Unde Augustinus alibi: *Est ergo in malorum potestate peccare. Ut autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in illorum potestate, sed Dei dividentis tenebras, & ordinantis eas, ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.* Quod ibidem continuò confirmat ex Actibus Apostolicis, ubi dicitur Judæos in mortem Christi conspirasse, & ita perpetrasse, *quæ manus tua & consilium decreverunt fieri*, vel ut ait Augustinus, *prædestinavit fieri*. Et aliquantò infrà: *Agit quoque Deus in cordibus hominum vel adjuvando vel judicando, ut etiam per eos impleatur quod manus ejus & consilium prædestinavit fieri.* Quod ipsum prolixè confirmat ex libris Regum & Paralipomenon, ubi frequentibus documentis ostenditur in potestate Dei esse voluntates hominum illas, per quas regna excitantur, evertuntur, transferuntur. Atqui res istiusmodi non extricantur unquam aut perficiuntur sine quadam cupiditatum & scelerum omnis generis tempestate. Ex quo argumentatur Augustinus contra Pelagianos, *Cogitate autem quale sit, ut cre-* De Prædest. Sanct. c. 16. Cap. 20.

ut credamus ad constituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, & ad capessendum regnum cœlorum homines operari voluntates suas.

Alibi docet & Apostolos cæteros & Judam electos fuisse, sed ratione longè dissimillima: *Illos elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum.* Etenim ut alibi idem docet: *Habet Deus humanorum cordium quò placuerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Et alibi rursum prolato Assueri exemplo, *Deus cor regis occultissima & efficacissima potestate convertit, & transtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc est de voluntate lædendi, ad voluntatem favendi.* Et alibi: *Tradidit ergo in passiones ignominiæ, tradidit Acham in Pseudoprophetarum mendacium, tradidit Roboam in falsum consilium. Facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui novit justa judicia sua non solum in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari. Qui non facit voluntates malas, sed utitur eis, ut voluerit, cùm aliquid iniquè velle non possit.* Multa horum idem fieri ex Scripturis elicit per Angelos, sive bonos, sive malos, & rursum ibidem: *Illud intuere quod vidit Michæas Prophetas, Dominum sedentem super thronum suum, & omnis exercitus cœli stabat, & dixit Dominus, Quis seducet Achab regem Israel, & ascendet & cadet in Ramoth Galaad? Et exiit spiritus, & stetit in conspectu Domini, & dixit, Ego seducam eum. Et dixit Dominus ad eum, In quo? Et dixit, Exibo, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit, Seduces & prævalebis, exi, & fac sic.* Porrò quæ Deus ad hunc modum per Angelos malos operatur, non utique præmovendo physicè aut prædeterminando operatur, sed sinendo, ut Angeli mali ea grassentur arte & potestate in persuadendis inescandisque hominum voluntatibus, quam supra declaravimus.

De Corrept. & Grat. c. 7.

Ibid. c. 14.

Ad Bonif. L. 1. c. 19. 20.

Adv. Jul. L. 5. c. 3.

Id verò totum sive à Deo, sive per Angelos fit, non inspirando malitiam aut voluntatem malam, sed causis seu occasionibus foris objectis, eliciendo & in apertum educendo latitantem priùs improbitatem. *Ingravavit Pharao cor suum. Sic utique in omnibus plagis. In voluntate quippè hominis est origo vitiorum. Moventur verò causis corda hominum, alia sic, alia verò sic, etiam non diversis causis, sæpè diverso modo secundùm proprias qualitates, quæ ex voluntatibus veniunt.*

In Exodum. q. 29.

CAPUT LXV.

Cùm malorum hominum voluntates inclinat Deus quò vult cumque, per potentiam id facit, etsi occasionum tantum irritamentis id faciat. Usque adeo verò non physicè prædeterminat ad malum, ut author sit Augustinus occasiones tantùm foris à Deo suggeri, 2. easque occasiones, quæ sua sponte ad bonum inclinent, etsi humana pravitate ad malum detorqueantur, 3. idque nonnisi in pœnam præcedentium peccatorum.

JAm verò modus etiam ipse explorandus nobis est, quo docet Augustinus à Deo malorum hominum voluntates ad mala etiam hæc vel illa inclinari omnipotentissimè. Nec enim per patientiam tantùm, sed etiam *per potentiam* hæc fieri ex Scripturis ab eodem demonstratur. Sic enim ille Julianum concepit: *Quid est autem quod dicis, cum desideriis suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi, quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus, & patientiam & potentiam, ubi ait, Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, &c.* Ergo modus iste quo Deus malorum voluntates in mala etiam inclinat, agit, torquet, non ad patientiam tantùm, sed ad potentiam quoque Dei pertinet.

Con. Jul. L. 5. c. 3.

Hìc verò insurgunt prædeterminationis physicæ & gratiæ ad eum modum prædeterminantis vindices, potentiamque Dei istam interpretantur, qua præmovet voluntates, prædeterminatque ad mali consensum. At contra 1. Augustinus hanc esse ex Apostolo argumentatur pœnam præcedentium peccatorum, ut tradantur in passiones ignominiæ, in desideria cordis sui, ut indurentur, ut excæcentur. Ad priora illa ergo peccata non impulit, non præmovit, non prædeterminavit Deus; nec illam peccandi voluntatem infudit; sed proprio vitio roboratam peccandi voluntatem in alicujus corde inveniens Deus, in hæc potiùs quàm illa pro suo nutu peccata detorquet, in aliqua certè erupturam. Ita locus non est prædeterminationi physicæ, quæ perindè exporrigeretur ad priora, atque ad posteriora peccata, æquè ad peccata peccatis aliis plectenda, atque ad peccata peccatorum supplicia. 2. Non per potentiam tantùm ista à Deo perfici author est Augustinus, sed quo se modo explicet hæc potestas idem elucidat, nempè per causas, per occasiones, per illecebras objectas, quibus cupiditates flagitiosæ in cordibus impiorum jam imperitantes excitentur, & inflammescant. Quod quàm lato limite distet à præmotione & prædeterminatione physica, perspicuum est. 3. Usque adeo non assentitur Augustinus his Theologis, prædeterminando physicè voluntates impias ad mala hæc vel illa impelli & præcipitari à Deo: ut ne occasiones quidem quibus ad malum proliciuntur, objectari velit, nisi obliquè, & boni aliquid impartiendo, ex quo ansam arripiant mali in invidiam, in odium, in ultionem effervescendi. Quo ne fingi quidem potest quidquam à prædeterminatione physica magis alienum.

Ita Ægyptios, ita Pharaonem exacerbavit, excæcavit, induravit, ad multa sceleste & immanissimè facienda adversus Israelitas impulit Deus, per occasiones objectas, non quæ per sese ad malum urgerent, sed quæ potiùs divinæ clementiæ & largitatis documenta præ se ferrent, quibus tamen sic nequiter affectæ & perversæ Ægyptiorum voluntates ad invidiam odiumque accenderentur: *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus. Nunquidnam intelligendum est vel credendum, quòd Deus cor hominis ad facienda peccata convertat? An peccatum non est, vel parvum peccatum est, odisse populum Dei, & dolum facere in servos ejus? Quis hoc dixerit? Numquid ergo istorum tam gravium peccatorum author est Deus, qui nullius vel levissimi peccati author credendus est? Quis sapiens, & intelliget hæc? Nam ipsa est illa mirabilis Dei bonitas, qua benè utitur etiam malis vel Angelis, vel hominibus. Cùm enim ipsi vitio suo mali sint, ille de malo eorum bene facit. Non enim antequam odissent populum ejus, boni erant; sed maligni & impii tales erant, qui facilè incolis suis fœlicibus inviderent. In eo ergo quod populum suum multiplicavit, hoc beneficio suo malos ad invidendum convertit. Non itaque cor illorum malefaciendo, sed populo suo benefaciendo, cor illorum sponte malum convertit ad odium. Non enim rectum cor pervertit, sed sponte perversum, ad odium populi, ubi eo modo bene uteretur, convertit. Non enim illos malos faciendo, sed istis bona, quibus mali facillimè possent invidere, largiendo.* Quo uno in loco eminent tria illa, quæ suprà astruximus, nempè & antè in corde hominis stagnare malitiam, quàm Deus ad ullum singulare facinus illam detorqueat: & hoc totum à Deo non fieri, nisi suppeditatis occasionibus extrinsecùs: & denique vel has occasiones non istiusmodi esse, quæ sponte sua ad excitandam stimulandamque in facinus malam voluntatem pertineant; sed quæ valeant sua natura ad benefaciendum & ad bonitatem Dei commendandam; etsi invidendi occasionem inde arripiant, qui ex

In Ps. 104.

insito

insito livoris tabo ejusmodi jam sunt, ut aliena fœlicitate torqueantur.

Prolixè idem alibi edisserit, ut induratus sit à Deo Pharao, & ad vexandos immanissimè Israelitas adductus: *Utitur ergo Deus bene cordibus malis, ad id quod vult ostendere bonis, vel quod facturus est bonis. Et quamvis uniuscujusque cordis in malitia qualitas, id est, quale cor habeat ad malum, suo vitio fiat, quod inolevit ex arbitrio voluntatis: tamen qualitate mala ut huc vel illuc moveatur, cùm sive huc sive illuc malè moveatur, causis fit, quibus animus propellitur. Quæ causæ ut existant vel non existant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occulta providentia, justissima sanè & sapientissima, universum quod creavit disponentis & administrantis Dei. Ut ergo tale cor haberet Pharao, quod patientia Dei non moveretur ad pietatem, sed potiùs ad impietatem, proprii vitii fuit. Quòd verò facta sunt ea, quibus cor suo vitio tam malignum resisteret jussionibus Dei, hoc est enim quod dicitur induratum, quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat, dispensationis fuit divinæ, qua tali cordi non solùm justa, sed evidenter justa pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur. Proposito quippe lucro, verbi gratia, propter quod homicidium committatur, aliter avarus, aliter pecuniæ contemptor moventur: ille scilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cavendum: ipsius tamen lucri propositio in alicujus illorum non fuit potestate. Ita causæ veniunt hominibus malis, quæ non sunt quidem in eorum potestate, sed hoc de illis faciunt, quales eos invenerint jam factos propriis vitiis ex præterita voluntate.* Vides quì hæc fiant à Deo, & quidem per *potentiam*, & per illam *providentiam sapientissimam, qua universum quod creavit, disponit & administrat Deus.* Id fit objectis *causis quibus animus propellitur;* ut proposito lucro ad rapiendum vel ad occidendum avarus capitur. Porrò causæ istæ malitiam non inferunt, seu malam voluntatem; sed eam ostendunt, produnt, foris emicare faciunt, qualis intus in recessu intimo delitescebat. Ita nec peccati author est Deus, qui occasione objecta id tantùm facit, ut huc potiùs quàm illuc erumpat cordis malitia, quæ utique non se continuisset, sed vel huc impetum fecisset, vel illuc.

qq. in Exod. q. 18. 29. 32.

Ita planè sive in bonam sive in malam partem pleraque occasionibus dispensantur. Unde idem: *Novit Dominus qui sunt ejus. Et illi non nostri, qui intus sunt, quando occasiones invenerint, exeunt: & illi nostri, qui foris sunt, quando occasiones invenerint, redeunt.*

In Ps. 106.

Et rursum idem Augustinus per malos angelos Deo permittente docet impelli homines in peccata, quæ aliorum sint pœnæ peccatorum. Per angelos autem malos quomodo in quælibet flagitia homines impingantur, suprà declaratum est, nempè occasionibus peccandi exhibitis: *Et quod in alio Psalmo scriptum est de his ipsis Ægyptiis, quòd Deus converterit cor eorum, ut odissent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus, bene creditur Deus fecisse per illos angelos malos, ut etiam vitiosæ mentes filiorum infidelitatis, per eosdem Angelos, quibus eadem amica sunt vitia, excitarentur in odium populi Dei, atque ad terrendos & corrigendos bonos illa mirabilia sequerentur, &c. Neque enim cum sit quod ait Apostolus, Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, ut faciant quæ non conveniunt, non illic mali angeli tanquam in materia sui operis versantur & gaudent, quibus justissimè subdita est vitiositas humana præter eos quos liberat gratia.* Quæ evidenter alienissima sunt à prædeterminationis physicæ doctrina.

In Ps. 77.

Hìc porrò lubet duo quædam obiter admonere. Primum est, quod Deus facit, excitando objiciendoque occasiones inflammandis affectibus opportunas, id ab eo fieri *per potentiam*, id fieri *occulta providentia, justissima sanè & sapientissima, universum quod creavit, disponentis & administrantis Dei;* has *causas* seu occasiones *non esse in hominis potestate.* Sed ibi *operari Deum in cordibus, agere omnipotentem Deum in cordibus hominum,* à Deo *inclinari voluntates hominum,* item *habere Deum humanorum cordium quò placuerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem; magis habere in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsos suas.* Hæc ipsissima sunt Augustini verba de Deo, inclinante voluntates hominum etiam impiorum ad mala, etsi id non faciat nisi per occasiones objectas, eo sensu quem suprà declaravimus. Nec aliter id quàm per ingestas occasionum illecebras fieri, & tamen per potentiam, omnipotentissimam potestatem a Deo fieri assentitur Cornelius ipse Jansenius. Ergo præter motionem seu præmotionem prædeterminantem est alia Deo ratio torquendarum ad nutum suum humanarum voluntatum, nec gratiam efficacissimam necesse est in motione vel delectatione prædeterminante collocari, cùm Augustinus sentiat & frequenter inculcet à Deo fieri, Deum agere & operari omnipotenter illa etiam, quæ sola occasionum objectione operatur. Commen. in Exod. c. 9.

Secundum est, ut impiorum voluntates quò sibi visum est Deus omnipotenter intorquet, quia affectus vitiosos jam illis insitos & inolitos, occasionum illecebris facilè in omnem partem trahit; ita & piorum corda quò volet cumque pertrahet, charitatis cæterarumque virtutum affectus & habitus per irritamenta consimilia occasionum idonearum proliciendo. Quod ad eos verò attinet, qui nondum justificati sunt, nondum charitate suisque virtutibus sunt imbuti, affectus alios in his captat Deus ex primigenia integritate residuos, nondum videlicet in totum detrita & obsolefacta Dei imagine, utputa Dei summi & æterni Judicis innatam conscientiam, pœnæ æternæ formidinem, peccandi pudorem, conscientiæ post peccatum stimulos, virtutis admirationem, justitiæ & sapientiæ amorem & cupiditatem quandam obscuram, felicitatis sempiternæ appetitionem. His affectibus in animo impiorum delitescentibus potest Deus fomites & faces addere, atque ita illos succendere, ut tandem flamma charitatis accendatur. Denique & bonis & impiis potest Deus pios affectus inspirare, non potest malos. Ergo & pios affectus inspirando, & occasiones interim subministrando, multò faciliùs in bonum quoslibet pertrahet, & omnipotentiam suam luculentiùs in bono explicabit, quàm in malo, ubi inspirare affectus non potest, solas potest occasiones aggerare. Si omnipotenter enim agit quocumque vult impiorum voluntates, sola occasionum suggestione, sine inspiratione affectuum: quantò faciliùs & omnipotentiùs bonorum, vel quorumcumque in bonum voluntates rapiet, ubi & intus inspirationes affectuum, & foris occasiones ingeminabit? Et rursum si *agere*, si *operari in cordibus* malorum, si *omnipotenter operari* dicitur, ubi sola occasionum subministratione operatur; quantò æquiùs dicetur agere, operari in cordibus omnipotenter, ubi præter occasiones foris suggestas, intus etiam pios affectus inspirat, & inspiratos inflammat? Etsi enim affectus istiusmodi indeliberati, cœlitus in animum influentes, repudiari possint, & subinde repudientur voluntatis dissensu; tam importunè tamen & tam opportunè possunt inculcari, ingeminari, accendi, ut fatigent tandem voluntatem, ejusque renisum superent.

Etenim si animus ita affectus etsi occasiones singulas satiandæ cupiditatis suæ possit contemnere, earum tamen suavitate, frequentia, opportunitate, multitudine tandem superatur & cedit: multò magis affectuum intus incitantium flagrantiumq; voluptate, assiduitate, importunitate, conspiratione denique infatigabili voluntas frangetur tandem, etsi singulas hujusmodi congressiones facilè refelleret.

Postre-

Postremò ut nihil periculi suspicamur, si voluntas occasionum acervatione & suavitate ad quidlibet pertrahatur; ita ne affectuum quidem inculcatione periclitatur libertas nostra, etsi eorundem assiduitate & dulcedine tandem molliatur. Utrobique enim potest singulos, etsi non possit universos retundere ictus.

CAPUT LXVI.

Quæ duobus superioribus capitibus uno ex Augustino demonstrata sunt, eadem cæterorum Ecclesiæ Doctorum suffragatione confirmantur, atque in primis Prosperi, & sancti Thomæ.

QUæ superioribus duobus capitibus uno ex Augustino probata sunt, ea jam aliorum quoque Patrum suffragatione munientur. Prosper in primis non sententias modò, sed verba pene ipsa Magistri sequutus est, ut ostenderet suppeditatione occasionum agi omnipotenter à Deo malorum omnium voluntates: idque non eò quòd ipsas mali occasiones affectet vel aucupetur Deus ingerere, sed quòd his benefaciendo, aliorum animos livore & invidia tabescentes ad odium & ad odii socias intemperias præcipitet. *Et convertit cor eorum, ut odissent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus. Cor Ægyptiorum non Deus depravavit à recto, sed cùm sponte mali essent, & tales, ut possent invidere felicibus, in odium illos Hebræorum convertit beneficentia sua, qua populum multiplicabat: benefaciendo autem suis, Ægyptios ad eorum inimicitias incitavit; non ipsos malos faciendo, sed istis bona, quæ malos urerent, largiendo.* In Ps. 104.

Cassiodorus eandem prorsus assecutus est doctrinam: *Præstando felicia populo Israelitico, convertit Dominus ad odium & dolos cor Ægyptiorum. Non quia ipse mali author est, sed præstando aliis beneficia, mentes excitavit obliquas. Necesse est enim ut scelerati homines alienis prosperis intabescant, qui se norunt mereri non posse similia.* Adeo voluntates ad malum non movet, aut determinat, vel prædeterminat Deus interiùs, ut ne exterius quidem occasiones & irritamenta admoveat, nisi quæ in bonum vergant suapte sponte, licèt ex eo bono homines mali ob insitam sibi pravitatem exasperentur. Ibidem.

Primasius magni & ipse nominis in Schola Augustini, præclarissimè omninò ut induratus sit Pharao à Deo bona largiente: *De Pharaone & sic intelligi potest, ut dicatur per Dei misericordiam induratus, quoniam quando Moyse orante cessavit plaga, ille indurabatur. Et quamvis sciret illum ita esse induratum, ut non posset converti, tamen bonitatem suam ostendit. Nam quod dixit, Excitavi, id est, Prodidi, non feci; quomodo si aliquis duo vasa plena, unum cum balsamo, & alterum cum stercore ventilet, odorem sive fœtorem prodit, non generat.* Ex Augustino mox ibidem advertit: *Prioribus meritis, quibus afflixit Pharao peregrinos in regno suo, dignum effectum cui obduraretur cor, ut nec manifestissimis signis jubentis Dei crederet.* Inest ergo & malis improbitas, & piis sanctitas affectuum; hæc utrimque non efficitur, sed proditur & quasi ventilatur occasionibus. In Epist. ad Rom. c. 9.

Gregorius similiter: *Joanni quoque per Angelum dicitur, Qui nocet, noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Unde nunc etiam Dominus dicit, Si conversus justus à justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo. Acsi apertè dicat, Quia videre pœnitendo noluit, ubi jam impegit, justo eum judicio deserens, ponam ei, ut & alibi impingat. Quod tamen Domini ponere est nequaquam ad peccandum premere, sed nolle à peccato liberare; sicut de Pharaone dicitur, Ego indurabo cor ejus.* In Ezech. Hom. 1.

Hugo Victorinus apertissimè Scripturarum & Augustini sententiam declarat in eundem modum: *In cordibus malorum Deus pravas voluntates, nec inspirando creat, nec aspirando excitat; tantummodo secundum dispensationem suam aliquando manifestam, aliquando occultam, semper autem justam, occasionem aliquando foris adhibendo, justo judicio præcipitat.* Ita impii aguntur à Deo, & si Hugonem audias, præcipitantur. Quod ad justos autem, vel justificandos attinet, sic idem: *Tribus modis Deus cor emollit; primum per inspirationem, bonam voluntatem creando: postea per aspirationem, excitando: deinde per occasionem foris adhibitam, provocando.* Tria hæc sunt genera efficaciæ divinæ in nostras voluntates, inspirando castos affectus: ubi assensu nostro inserpserint, eosdem excitando & roborando: per occasionem denique veluti fomites proritando in opus istos affectus: *Per inspirationem ponit, per aspirationem impellit, per occasionem trahit.* Denique universim tam pios quàm impios, ut affecti diversissimè sunt, ita inescari occasionibus congruis in bonum & in malum: *Adhuc etiam quotidie cum mentibus humanis congrua internis motibus suis extrinsecus occasio opponitur, ut qui in sordibus sunt, sordescant adhuc, & justi amplius justificentur.* Miscell. l. 1. Tit. 164.

Et rursus idem alibi pulcherrimè & explicatissimè: *De illo autem modo divinæ moderationis, quo malas voluntates præsidens occulta & invisibili operatione ad suum arbitrium temperat, & inclinat, hoc sentiendum est, ut credatur Deus malis voluntatibus non dare corruptionem, sed ordinem, &c. Voluntati malæ vitium est ex ipsa, quo mala est; ordo autem ex Deo est, quo pervelle sive ad hoc, sive ad illud est, &c. Potest ergo voluntas mala in se corrumpi, & resolvi per proprium vitium, quod ei aliunde non datur: sed non potest pervelle extra se præcipitari, nisi qua ei via aperitur. Et qui præcipiti, qua vult, ad ruinam viam aperit, quodammodo ipsam inclinat, non impellendo, sed permittendo, & non tenendo: nec author illi est ruendi, sed incedendi ordinator. Dominus, inquit David, præcepit illi, ut maledicat. Et, Ego, ait, vocavi servum meum Nabuchodonosor, ut disperdat terram, &c. In quibus omnibus manifestè ostenditur Deus ad judicia sua justa complenda, malas voluntates hominum sive dæmonum, quibus ipse vult modis & occasionibus, sive intus sive foris, & excitare ad volendum, & dirigere ad perficiendum, & ordinare ad subsistendum; in quibus quod sint malæ, Dei non est, sed quod sint ordinatæ. Hæc autem dispositio interna invisibiliter præsidentis tam occulta est, ut etiam voluntates malas ipsas, in quibus fit, lateat, quæ putant suo se solum arbitrio dirigi, quia se sentiunt præter coactionem proprio appetitu moveri.* Quæ omnia sunt & Scripturarum doctrinæ, & Augustini cæterorumque Patrum Theologiæ appositissima; abhorrent autem incredibiliter à pervagatis quotundam nunc Theologorum opinionibus. De Sacram. l. 1. part. 5. c. 29.

Nec minùs perspicuè sanctus Thomas Scholæ Theologicæ lumen singulare: *Aliter ad bona, aliter ad mala suscitat Deus. Nam ad bona inclinat hominum voluntates directè & per se tanquam actor bonorum: ad malum autem dicitur inclinare, vel suscitare homines occasionaliter, inquantum scilicet Deus homini aliquid proponit, vel interiùs, vel exteriùs, quod quantum est de se, est inductivum ad bonum, sed homo propter suam malitiam perversè utitur ad malum. Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ? Et similiter quantum est de se, Deus instigat interiùs hominem ad bonum, putà regem ad defendendum jura regni sui, vel ad puniendum rebelles; sed hoc instinctu bono malus homo abutitur secundùm malitiam cordis sui. Et hoc patet* Esaiæ 10. *ubi dicitur de Assur, Ad gentem fallacem* In Epist. ad Rom. c. 9. lect. 3.

mittam

mittam eum, contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia; ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita æstimabit, sed ad conterendum erit cor ejus. Et hoc modo circa Pharaonem accidit, qui cùm à Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitatem. Ex quibus liquet perspicuè, quàm alienus sit sanctus Thomas ab illa, quam illi vulgo affingunt, sententia physicæ præmotionis & prædeterminationis ad malum. 1. Cùm ne extrinsecas quidem occasiones à Deo suppeditari velit etiam malis hominibus, nisi quæ suapte sponte ad bonum vergunt, etsi nostra improbitas illas obliquet, & ad malum detorqueat. Ejusmodi est patientia & lenitas divina, quæ cùm ad pœnitentiam invitet suapte vi, hac peccatores abutuntur ad cumulandam nequitiam suam. 2. Cùm instigari quoque interiùs malos homines à Deo affirmat, sed in bonum, etsi hos motus instinctusque à Deo inditos, & ad bonum inclinantes, ipsi deflectant ad improbitatem. Cujusmodi est, quòd Assuerus & Pharao cùm divinitùs moverentur ad moderatam imperii sui tutelam, hanc illi motionem detorquebant ad effrænatissimam quandam sævitiam, prætextu tuendi imperii obumbratam. Si motio autem & instigatio hæc divina atque interior ita deflectitur à bono in malum per vires liberi arbitrii, non ergo illa physicè & omnipotenter prædeterminans est. 4. Denique si ne malos quidem homines movet Deus nisi ad bonum, sive interiùs instigando, sive exteriùs excitando per occasiones: certè bonos multò magis ad bona tantùm & instigabit inspirando, & provocabit idoneas objiciendo illecebras.

CAPUT LXVII.

A capite LV. huc usque prosecuti eas probationes, quæ vim gratiæ in persuadendo, quæ persuadendi machinas & modos, quæ consimilium persuasionum exempla continebant: nunc ad illud Augustini adjutorium quo *descendimus, quod omnium efficacissimum esse omnibus convenit; eoque distingui ab* adjutorium fine quo non. *Atqui illud* adjutorium quo *non requirit hic Augustinus nisi ad perseverantiam usque in finem vitæ, nequaquam verò ad actus singulos justorum bonos. Probatur id multis ex Augustino argumentis.*

A Capite LV. ad LXVI. eas probationes persecuti sumus, quæ vim gratiæ in persuadendo complecterentur; & ipsius quidem persuasionis machinas ad LXI. usque caput percensuimus, deinceps verò exemplis rem declaravimus, ut constaret quàm invicta, quàm victoriæ suæ certa esset hæc persuasio.

Nunc autem expendendum nobis est illud *adjutorium* duplex Augustini, *quo*, & *sine quo non*: quod tanquam palladium quoddam venditant nuperi solius gratiæ delectantis delectando ad actus singulos bonos prædeterminantis defensores. Nuperos dixi, quòd authores ipsi physicæ prædeterminationis, seu gratiæ physicè prædeterminantis ne suspicari quidem essent unquam prædeterminationem physicam cum gratia delectante permisceri & in unum conflari posse. Sed ea de re infra prolixiùs.

Ad adjutoria hæc ergo cum Augustino secernenda accingamur. *Adjutorium quo* dicitur ab eo, quo res invictissimè & infallibiliter fit. *Adjutorium sine quo non* illud est, sine quo res fieri non potest, etsi non semper adhibito eo res fiat. Beatitudo primi generis est, ea enim statim beatus quis efficitur. Secundi generis sunt alimenta, lumen navis, sine his enim adjumentis nec navigare quis potest, nec videre, nec vivere, etsi his affluentibus non continuò & infallibiliter fiat, ut naviget quis, vel videat. Priùs illud *adjutorium quo*, utpotè validissimum, propriam esse Christi gratiam, & reparandis hominibus necessariam, interpretatur Augustinus; posterius verò istud *adjutorium sine quo non*, Adami stantis & incolumis proprium fuisse vult, ut qui quò majore erat ante lapsum integritate copiaque virium & vigore, hoc minùs egebat adjuvari.

His ita constitutis & omnium ferè consensione firmatis, jam duo sunt maximi momenti capita, in quibus à Cornelio Jansenio Iprensi Episcopo non possumus non dissentire. Primum est, quòd ille hoc *adjutorium quo*, non ad solam perseverantiam finalem in bono, sed ad actus singulos bonos ab Augustino necessarium constitui opinatur. Alterum est, quòd istud *adjutorium quo* ille una in motione seu inspiratione delectationis justitiæ victricis collocat.

Nobis verò ex Augustino ipso & omnibus Augustini sectatoribus antiquis exploratissimum est, 1. *adjutorium quo* ab Augustino hìc non desiderari, nisi ad perseverantiam in bono finalem, nequaquam verò ad actus singulos bonos. 2. *Adjutorium quo*, efficacissimum illud & invictissimum, non in sola victrici delectatione justitiæ situm esse, se in longè plurium intus & foris auxiliorum varietate, tempestivitate, conspiratione. Hæc duo si perfecerim, ingens prorsus & inconcussum extruxerim nostræ sententiæ munimentum.

Proferenda sunt autem primò ipsa Augustini verba de duplici adjutorio: *Ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus; & si data numquam fuerit, numquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt, ut homo vivat, sed tamen sine illis non potest vivere. Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* De Corrept. & Grat. c. 11. 12. Hæc sunt Augustini oracula, tam perspicua, ut mirum fit ad alienos sensus ea deflecti potuisse. Manifestissimè enim de solo perseverantiæ adjutorio verba facit, & *adjutorii quo* naturam non elucidat, nisi exemplo beatitudinis, quæ indubiè in multitudine quadam & collectione complurium beneficiorum ab omnibus collocatur.

Sed ut altiùs paulò res & ab ipso exordio repetatur, & illud primum expugnemus, de sola finali perseverantia hìc disputare Augustinum, Primum id advertimus cum ipso Cornelio Jansenio, hunc de Correptione & Gratia librum non esse scriptum ab Augustino, nisi vigesimo demum pòst anno, quàm cœperat de Pelagianis tot triumphos edere, quot libros. Atqui uno hoc in loco, nec usquam alibi commemoravit sanctus Pater istud *adjutorium quo*, eique verbis disertissimis, nec ulla tergiversatione frustrabilibus vim attribuit invictissimam. An ergo tanta fuit Augustini vel tarditas vel cunctatio, ut vigesimo demum pòst anno quàm gratiæ arcana propalare cœperat, ejus ad singulos actus necessariam vim & efficaciam apertè declararet? Contumeliosum prorsus fuerit de tanto Ecclesiarum Magistro id vel suspicari. Gratiam

quidem

quidem perseverantiæ finalis potuerat ille attigisse tantùm, non penitùs illuminasse: at ipsam propriam & universalem Christi gratiam, ad momenta singula & per actus quoslibet necessariam, ita dissimulasse tandiu non potuerat.

Secundò vel ipsa lectio propositæ ab Augustino quæstionis palam faciet qua de gratia disputet eo loco. Ita enim evidenter & disertè orditur: *Hinc*
Ibid. c. 10. *exoritur alia quæstio non sanè contemnenda, &c. Quæritur enim à nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est perseverare in bono usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus.* Eccur ergo Augustinum invitum & reclamantem distrahemus ad alienas ad ejus instituto quæstiones? Statim ab exordio ipse vociferatur, de sola *perseverantia in bono usque in finem*, hìc proponi quæstionem, & hanc tantùm ita coarctatam à se ventilari, *quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est perseverare usque in finem*. Non ergo de gratia ad actus singulos necessaria disputat.

Tertiò in contextu verò ipsius disputationis creberrimè inculcat quæstionem non moveri, non tractari, nisi de gratia *perseverantiæ*, *permansionis*, qua *perseveratur*, qua *permanetur* in justitia:
Ibid. c. 11. 12. *Beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium permansionis acciperent*. Et infra: *Istam gratiam non habuit primus homo, qua nunquam vellet esse malus; sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, &c. Tale erat adjutorium, in quo permaneret si vellet, &c. Posset permanere si vellet, quia non deerat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere*. Nec de primo tantùm parente adhuc incolumi, sed & de justis nunc in bono perseverantibus usque in finem ita differit, ut apertè liqueat de sola finalis perseverantiæ gratia & quæri & responderi: *Amplius datur per Christum, ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus; verùm etiam tantum ac talis sit, ut velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo non solum posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus*.

Quartò gratiam quoque istam ubi sua quædam velut in membra partitur, ubique perseverantæ gratiam à se declarari ostendit. Primùm ergo ita perseverantiæ gratiam in paradiso ante lapsum indultam discriminat ab ea quæ post istam mortalitatem exhaustam Beatis in cœlo obtinget: *Prima*
Ibidem. *erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere: novissima erit felicitas, perseverantiæ bonum non posse deserere*. Et rursum Adamo permissam stanti, & nunc donatam reparato per Christum homini perseverantiam sic dispescit: *Primo homini datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, ut sine illo perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint*.

Quintò ideò hæc gratia ab Augustino non tribuitur nisi vel Beatis cœlesti gloria jam fruentibus, vel Adamo primigenia innocentia adhuc refulgenti, vel nunc *Sanctis per gratiam Dei prædestinatis*. Atqui non quælibet his, sed sola perseverantiæ gratia congruit. Jam enim in quodam justitiæ fastigio sedent, id unum superest ut in eo perseverent. Sed illud *adjutorium quo* proprium & peculiare Sanctorum per gratiam Dei prædestinatorum, ne fingi quidem potest aliud esse præter donum perseverantiæ usque in finem. Si enim jam sancti, jam justificati sunt, unum in votis habere, unum eniti debent, ut in eo usque in finem perseverent. Sanctitas & sanctitatis perseverantia finalis proprius est prædestinatorum census. At verò gratia ad singulos actus necessaria, etiam impiis est pernecessaria, etiam ante justificationem conceditur, etiam non prædestinatis persæpè donatur. At vero Augustinus illam perseverantiam prosequitur, quæ prædestinatorum est propria: *Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei*.

Sextò multò pilucidior res fiet, si penitus introspiciatur ratio quæ movit Augustinum, ut duplex adjutorium secerneret, & longè validius homini lapso quàm stanti aptaret auxilium gratiæ ad perseverandum. Ut nunc enim res habet, ut perseveret quis in justitiæ semita usque in finem, adeundæ sunt & fortiter perferendæ ærumnæ complures, ægritudines, persecutiones, cruces. At nullis istiusmodi molestiis Adami innocentis perseverantia exagitabatur. Erat ergo illi facillimum perseverare, nobis difficillimum. Ex quo id nascitur, majori nobis ad perseverantiam auxilio opus esse, quàm illi. Atqui hæc ratiocinatio locum non habet nisi in perseverantia usque ad finem vitæ. Nec enim ad actus nunc singulos & per momenta temporis omnia incumbunt tribulationum tentationumve tempestates. Silent illæ nonnunquam, alta pace gaudent alicubi Sancti, bona edunt non rarò opera incredibili quadam cùm suavitate. Nihil est ergo quod ad actus istiusmodi summa quadam dulcedine & facilitate perfusos, cùm concupiscentiæ & tentationes ad momentum saltem conticuerunt, aliam invocemus, quàm consimilem illi gratiam, qua donabatur Adamus; nihil est inquam quod *adjutorium quo*, validissimum videlicet & invictissimum accersamus, quod ab Augustino non est adhibitum, nisi ad blandientis & terrentis mundi tentationes difficillimas superandas: *Major quippe* Ibid. c. 12.
libertas est necessaria adversùs tot & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus vincatur hic mundus. Hoc Sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam & terrente nullo, insuper & contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate. Isti autem non dico terrente mundo, sed sæviente ne starent, steterunt in fide. An justo nunc cuilibet per singulos actus bonos *vincendus est mundus cum suis amoribus, terroribus, erroribus*? An per singulos actus bonos vincendus est à quolibet justo mundus terrens, nec tantùm *terrens*, sed *sæviens*? Non ergo de gratia ad actus singulos necessaria agit Augustinus, cùm perseverantiæ *adjutorium quo* describit, sed de gratia perseverantię finalis. Etsi enim ad aliquod punctum temporis, etsi ad actus aliquos bonos, nec concupiscentia quandoque ferveat, nec tentatio ulla obstrepat, nec mundus adversetur; in longiori tamen vitę curriculo, non potest non aliquando, imo & sæpissimè, & concupiscentiæ flamma effervescere, & mundus vel blanditiis suis insidiari, vel sævire terroribus. Ad hanc ergo summam finalis perseverantiæ difficultatem superandam invictissimum illud *adjutorum quo* requirit Augustinus. Idque probat exemplo Martyrum: *Hoc Sanctorum martyria docuerunt*. Et rursus ibidem de Sanctis nunc hoc adjutorio munitis: *A quo acceperunt Spiritum, non timoris, quo persequentibus cederent, sed virtutis & charitatis & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superarent*.

Septimò non gravabimur hìc obiter indigitare fontem erroris gemini, nunc quidem pervulgati inter complures Theologos. Primus est eorum qui hoc *adjutorium quo* Augustini, utique efficacissimum, detorquent ad prædeterminationem physicam, sive ad gratiam vi prędeterminationis & pręmotionis physicæ efficacem. Quo nihil ab Augustino alienius comminisci potuerunt. Nam prædeterminationem physicam illi repetunt ab ordine naturali causarum, & inferiorum nexu ac dependentia à prima causa. At Augustinus adjutorii quo necessitatem derivat ex ægritudine & infirmitate naturæ post peccatum. Ex quo rursum id emergit discrimen alterum, quod illi prædeterminationem physi-

physicam, seu gratiam prædeterminantem perinde necessariam esse statuunt homini stanti ac lapso. At Augustinus homini tantùm per peccatum saucio & infirmato necessarium esse sancit adjutorium *quo* Non immeritò ergo vel Jansenius ipse Iprensis Episcopus demonstravit longa intercapedine distare Augustini adjutorium *quo* à physica prædeterminatione, & hanc Augustini doctrinæ capitaliter adversari.

Alter eorum est error, qui adjutorium *quo* etsi discriminarent verbo tenus à prædeterminatione physica, reapse tamen cum ea permiscuerunt. Itaque delectationem invexerunt prædeterminantem, ad actus singulos bonos necessariam, & hoc interpretati sunt adjutorium quo perseveratur. Cujus dogmatis perfacile est partes internoscere alias aliunde decerptas, nec sanè coalescentes. Nam gratia delectationis Augustino est exploratissima, sed ea nihil prorsus attinet ad prædeterminationem physicam. Denuo gratia ad actus bonos singulos est necessaria & Augustino decantatissima, sed nusquam ibi Augustinus de *adjutorio quo*, sicut nec de gratia ad actus singulos requisita, ubi de *adjudorio quo* inquirit. Denique ad actus singulos necessaria prædeterminatio physica admittitur illa quidem à compluribus Theologis, qui centum admodum ab hinc annis Scholas illustrarunt, sed ne illis quidem hanc suam prædeterminationem ad adjutorium *quo* & ad delectationem victricem deflectere in mentem venit. Dissilit ergo & sponte sua dissolvitur hoc totum dogma arbitrarium, ex partibus non coalescentibus male compaginatum. Nam nec Scholæ Theologi auxilium prædeterminans ad actus singulos nisi ex causarum secundarum conditione & dependentia derivarunt; nec Augustinus ubi adjutorium *quo* delineat, auxilium ad actus singulos definit istiusmodi esse debere.

Porro ille quoque geminus error uno ex capite videtur fluxisse. Quòd videlicet nec hi, nec illi id pensitarint, quod Augustinus maximè cordi habuit; nempe ut ex virium insitarum copia vel inopia, auxilii magnitudo & vis libraretur. Itaque quia perfacile erat Adamo perseverare usque in finem, quia idem nunc justis est difficillimum: ideo hos longè potentiore quàm illum gratia communivit. At authores prædeterminantis gratiæ hanc efficacissimam & ineluctabilem auxilii vim æquè ante lapsum stanti & integro homini, atque post peccatum fracto & ægrescenti communicant. Vindices autem gratiæ delectantis, seu delectationis prædeterminantis, priorem quidem illum scopulum declinant, & utriusque status gratiam distinguunt; sed mox impingunt in errorem prorsus consimilem, cùm *auxilii quo* gratiam & vim efficacissimam non cum Augustino perseverantiæ finali, sed singulis prorsus actibus bonis adscribunt. Sanctis enim nunc & Dei charitate flagrantibus, longo etiam persæpè virtutum usu roboratis, longè facillimum est quandoque actus aliquos bonos actitare, & iisdem longè difficillimum est in finem usque vitæ in eodem pietatis perseverare curriculo. Quippe rerum humanarum, & maximè spiritalium prudentibus & expertis nihil compertius est, nihil exploratius, quàm summa quandoque facilitate actus bonos singulos à viris bonis edi, summa porro difficultate in iisdem perseverari. Scitè ergo Augustinus in sola perseverantia usque in finem locavit discrimen utriusque status; quia Adamo facillimum, justis nunc difficillimum est in bono perseverare usque in finem. At circa actus singulares aliquos justitiæ, tanta, imo & major nunc potest suavitas facilitasque justo alicui affulgescere, quàm olim Adamo. Concupiscentia enim, tentationumque & persecutionum procella potest aliquando conquiescere, non potest per totum vitæ decursum silere.

CAPUT LXVIII.

Aliis argumentis idem ex eodem Augustino rursum demonstratur, adjutorium quo *invictissimum & efficacissimum ad solam perseverantiam usque in finem hìc desiderari.*

Octavò adjutorium *quo* ejusmodi est, teste & fidejussore Augustino, ut eo aspirante, justi vel crimine abstineant, vel si eo se obstringant, explicent sese & absolvantur ante finem vitæ. Ex quo liquet hoc adjutorium multùm discrepare à gratia vel prædeterminante vel delectante. Nam hæc prædeterminatio vel prædeterminans delectatio infallibiliter, ubi datur, prohibet ne peccetur: at adjutorium *quo* Augustini ubi datur, non semper prohibet ne peccetur, sed invictissimè prohibet, vel ne peccetur, vel ne in peccato usque ad vitæ exitum perseveretur. Ergo gratia adjutorii *quo* victrix & efficacissima est, quia etsi non semper lapsum antevertat, lapsus ipsos bene vertit, & saluti servire ac cooperari cogit. *Accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, ut quamvis quandiu hic vivunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisque nonnulla surrepant, propter quæ dicant quotidie, Dimitte nobis debita nostra: non tamen ultra serviant peccato, quod est ad mortem, de quo dicit Joannes Apostolus, Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. De quo peccato, quoniam non expressum est, possunt multa & diversa sentiri. Ego autem dico id esse peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem. Huic peccato ultra non serviunt.* Et idem ibidem: *Ipse itaque dat perseverantiam, qui statuere potens est eos qui stant, ut perseverantissimè stent, vel restituere qui ciciderint.* De Corrept. & grat. c. 12

Nonò subdit ibidem sanctus Pater hanc perseverantiæ gratiam Petro donatam fuisse, nempe Christi prece impetratam; *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Non ergo defecit fides Petri, nempe usque in finem. Nam & postea optimum maximum Dominum ejuravit. Sed non in eo scelere consenuit. Ergo gratia perseverantiæ, sive adjutorium *quo* Augustini, non est auxilium aliquod ad actus singulos prædeterminans, & peccare prohibens, sed est adjutorium quo vel culpa vitatur, vel non antè vita clauditur, quàm commissa culpa reparetur. Unde Augustinus: *Pro his ergo interpellante Christo, ne deficiat fides eorum, sine dubio non deficiet usque in finem. Et per hoc perseverabit usque in finem, nec eam nisi manentem vitæ hujus inveniet finis.* Illa est utique perseverantiæ gratia, qua fit, ut fides non deficiat, fides scilicet per charitatem operosa. At in Petro liquet, tum eam non deficere, etsi in flagitium impingat, cùm usque in finem usque vitæ non deficit. Rursus ibidem: *Liberati à peccato, servi facti sunt justitiæ, in qua stabunt usque in finem, donante sibi illo perseverantiam, qui eos prædestinavit.* Ibidem.

Decimò ineluctabilem vim & potestatem adjutorii *quo* exprimit Augustinus his verbis: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur.* Et ibidem, *Ut ipso donante invictissimè quod bonum est velint, & hoc deserere invictissimè nolint.* Sed ibidem non tacetur id locum habere *inter tot & tantas tentationes*, quibus vita hæc conflictatur. Ita porro loquitur Augustinus: *Tales vires habebat Adæ voluntas, &c. ut dignè tantæ bonitati & tantæ bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium, &c. At nunc in tanta infirmitate vitæ hujus, si ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet.* Ibidem.

Quod autem non semper tentationum, non semper cupi-

cupiditatum fluctibus jactemur, sic idem Augustinus alibi: *Non enim semper est desiderium contra quod pugnemus. Sed si tunc non est, quando non occurrit, quod concupiscatur, sive animo cogitantis, sive sensibus corporis, fieri potest ut insit qualitas mala, sed nulla sit tentatione commota: sicut inest timiditas homini timido & quando non timet.* Ergo in illa quantumvis brevi pace otiantibus cupiditatibus, nec ullo illecebrarum incursu excitatis, bona interim fieri poterunt opera sine adjutorio *quo*, utpote quod non requiratur, nisi ubi ingravescunt *tot & tantæ tentationes*.

Cont. Juli. L. 6. c. 8.

Undecimò totam illam de perseverantia doctrinam postea luculento tuitus est Augustinus libello *de bono perseverantiæ*, ubi statim profitetur, non aliam à se designari perseverantiam, quàm quæ ad finem usque vitæ protrahitur. *Asserimus ergo donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo. Finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur.* Quo nihil disertius optari potuit. Ideo subjicit, quandiu hæc vita mortalis trahitur, incertum esse an donum perseverantiæ acceperit. *Itaque utrum quisque hoc munus acceperit, quandiu hanc vitam ducit, incertum est.* Denique duplicem à nonnullis distingui perseverantiam testatur, aliam ad tempus, aliam ad finem usque vitæ; sibi verò non aliam dici perseverantiam, quàm quæ in finem vitæ usque exporrigitur. *Non contendo de verbis, si & illa perseverantia putatur esse dicenda, tanquam temporis sui: hanc certè de qua nunc agimus perseverantiam, qua in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem.* Quamobrem qui annum vel unum pietatem sectatus ita vitam clausit, ille perseverantiæ donum acceperat, quo donatus non fuit, qui bonis operibus per annos complures strenuè perfunctus, in extremo demum vitæ exitu prolapsus est: *Potiusque hanc habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari potest, si donec moreretur, fideliter vixit; quàm multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem à fidei stabilitate defecit.* Porro totum hunc librum *de bono perseverantiæ* ab Augustino lucubratum esse ad elucidationem tuitionemque libri *de correptione & gratia*, claret ex præfixis Hilarii & Prosperi Epistolis.

De bono persev. c. 1.

Duodecimò rursus ibidem perspicuè manifestat de sola illa perseverantia à se disceptari, quæ propria & singularis est dos electorum, & qua in finem usque vitæ hujus justitia retinetur. *Dominica oratio, ut non discedamus à Deo, ostendit non dandum esse nisi à Deo, cum ostendit poscendum à Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non discedit a Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet, &c. Post casum autem hominis nonnisi ad gratiam suam Deus pertinere voluit, ut homo accedat ad Deum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in eo, quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur. Ac per hoc sicut operatur ut accedamus, sic operatur ne discedamus, &c. In Christo enim sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur, &c.* Et ibidem: *Orat Ecclesia, ut increduli credant, Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat ut credentes perseverent, Deus ergo donat perseverantiam usque in finem. Hæc Deus facturum se esse præscivit. Ipsa est prædestinatio sanctorum.* Hic etiam discrimen gratiæ in homine stante & reparato statuitur penes perseverantiam, non qualemcumque, sed *usque in finem*, & eam quæ prædestinatorum duntaxat est. Ergo *adjutorium quo* illud ipsum est perseverantiæ finalis adjutorium.

Ibid. c. 7.

Decimo-tertiò rursum ibidem evidentissimè, *Concesso sibi isto Dei dono, quod esse Dei donum, cum ab illo poscitur, satis apertèque monstratur; isto igitur concesso sibi dono Dei, ne inferatur in tentationem, nemo Sanctorum est, qui non teneat usque in finem perseverantiam sanctitatis.* Et mox cùm alias virtutes haberi posse primùm, & postea amitti demonstrasset, hanc de qua agitur perseverantiam, negat amitti, si habeatur; negat habitam esse, si amittatur. *Perseverantiam vero usque in finem quoniam non habet quisquam, nisi qui perseveraverit usque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est ne fortè cùm perseveraverit homo usque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret usque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest, sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cum enim perseveraverit quisque usque in finem, neque hoc donum potest amittere, nec alia quæ poterat ante finem.* Ubi palam est hoc donum quod amitti non potest, quod electis nunc suis donat Deus, quod Christi gratiæ proprium decus & insigne est, quod homini innocenti non dabatur, quod denique adjutorium *quo* & inexpugnabile, ineluctabile, invictissimum ab Augustino dicitur, non aliud esse quàm finalem perseverantiam usque in finem vitæ, usque adeo ut nec nisi cum ipso fine vitæ concedatur.

Cap 6.

Decimo-quartò ibidem sanctus Pater hanc perseverantiam donari docet illis, quos immatura mors præripit futuris lapsibus, & maximè parvulis, quos sacro fonte tinctos mors præfestina in vitam sempiternam rapit. Istud est sanè adjutorium *quo* perseveratur usque in finem, idque invictissimè & indeclinabiliter, nec tamen ullam hîc datur comminisci vel prædeterminationem physicam, vel delectationem justitiæ prædeterminantem. *Restat in his bonis usque in finem perseverantia, quæ frustra quotidie à Domino poscitur, si non eam Dominus per gratiam suam operatur. Videte jam à veritate quàm sit alienum negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ hujus quando voluerit ipse det finem: quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem.* Et continuò ibidem: *Sed mirabilior & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quòd etiam parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hæc gratia.* Ibid. c. 17.

Decimo-quintò ut reflectat se ista disceptatio in eum unde digressa erat librum *de correptione & gratia*; ibi sanè occasionem arripuerat sanctus Pater disputandi de duplici adjutorio perseverantiæ, *quo*, & *sine quo non*, ex importuna & cavillatoria quorundam fidelium querimonia, qui à baptismi sanctitate se prolapsos causabantur, quòd donum perseverantiæ à Deo non accepissent. *Quid ego feci, qui non accepi? Accepi enim fidem, quæ per dilectionem operatur, sed in illa usque in finem perseverantiam non accepi.* Confitetur statim Augustinus istiusmodi perseverantiam magnum esse Dei munus: *Ad hæc nos negare quidem non possumus, etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus.* Quod mox confirmat ex Scripturis: *Cum ait Dominus, Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua: quid ei rogavit, nisi perseverantiam usque in finem?* Et ubi ait Paulus, *Qui cœpit opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu: quid aliud eis quàm perseverantiam in bono usque in finem de Dei miseratione promittit?* Et ubi Judas Apostolus scribit, *Ei qui potens est conservare vos sine offensione, &c. Nonne apertissimè ostendit donum Dei esse in bono perseverare usque in finem?* De corrept. & grat. c. 6.

Decimo-sextò id quoque ibidem affirmat, hoc accepto dono, aut non peccari, aut in peccato non stari usque in finem, quod de motione vel delectatione prædeterminante insulsissimum est intelligere. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Scivit Dominus qui sunt ejus, Horum fides quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnino* Ibid. c. 7.

non deficit, aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur, & deleta quæ intercurrerat iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. Ubi præterea vides diligenter distingui perseverantiam à fide quæ per dilectionem operatur: atqui fides quę per dilectionem operatur, illa ipsa est delectatio justitiæ, dilectio victrix. Ergo perseverantiæ adjutorium *quo* longè distat à victrici delectatione. Hinc mox subdit, eorum quibus dilectio victrix, fides per dilectionem operans datur,
Ibid. c. 8. aliis dari, aliis non dari perseverantiam: *Hic si à me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, qui eam qua christianè viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo.* Et mox: *Si ergo confiteris donum Dei esse perseverare in bono usque in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod mecum pariter nescis.* Non accepisse autem aliquos perseverantiam probat, quia vitæ diuturnitate impegerunt in peccati tandem laqueos, qui potuerant antè mortis acceleratæ beneficio expediri. *Respondeant si possunt, cur illos Deus cùm fideliter & piè viverent, non tunc de vita hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum.* Porro prædestinatorum prærogativam hanc esse
Ibid. c. 9. propriam paulò pòst inculcat: *Propter hoc Apostolus cùm dixisset, Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono usque in finem non permanere, mox addidit, His qui secundum propositum vocati sunt. Hi enim in eo quod diligunt Deum, permanent usque in finem, & qui ad tempus inde deviant, revertuntur, ut usque in finem perducant quod in bono esse cœperunt.* Denique lapsus ipsos hac perseverantiæ finalis gratia contineri docet, quòd inde humiliores cautioresque evadant. *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum; usque adeo prorsus omnia, ut si etiam aliqui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.*

Decimo-septimò hæc omnia ergo præloquutus
Ibid. c. 10. Augustinus, statim capite proximo delabitur ad quæstionem de perseverantia usque in finem, & de duplici adjutorio *quo* & *sine quo non*. Ex antedictis ergo omnibus colligitur evidenter non de alterius perseverantiæ dono suum adjutorium *quo* invexisse Augustinum, quàm de finali perseverantia. Adde quòd capitibus decimo, undecimo, duodecimo, quibus totam illam quæstionem profligat, interserit & inculcat illa omnia, hìc à nobis perstricta ex superioribus capitibus. Deni-
Cap. 12. que cum præmisisset in hunc modum de duplici adjutorio perseverantiæ: *Fortissimo dimisit atque permisit, facere quod vellet: infirmis servavit, ut invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent*: paucis intertextis subdit, & *de prædestinatis* hoc dici, & quosdam non prædestinatos prædestinatis permisceri, ut in hoc incerto humilitas tutior sit. *Ut omnes qui*
Cap. 13. *bene currunt, timeant, dum incertum est, qui perveniant. Propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est, quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiu fideliter & justè vivere, & postea cadere, neque de hac vita, priusquam hoc eis contingat, auferri.* Et ante ergo & postea de solo perseverantiæ usque in finem dono loquitur Augustinus. Non igitur potest media illa disceptatio de gemino perseverantiæ adjutorio non ad perseverantiam finalem pertinere.

CAPUT LXIX.

Idem colligitur ex Hilario, Prospero, Hieronymo, Gregorio, Thoma Aquinate, illud adjutorium quo *non ad singulos actus bonos, sed ad finalem perseverantiam ab Augustino invectum esse. Calvini hic error à Ruardo Tappero detegitur refelliturque.*

DE sola usque in finem perseverantia illud Augustini adjutorim *quo* intelligendum esse, docet Hilarius ad Augustinum perscribens amarissimas Presbyterorum Massiliensium querimonias adversus illum ejusdem de Correptione & Gratia librum, & maximè circa duplicis adjutorii distinctionem. Sic enim Hilarius: *Molestè ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædestinatis, non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum ut sine illo dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* Igitur distinctio hæc gratię stantis & reparati hominis non versatur, nisi in perseverantiæ dono, & quidem ejus quæ prædestinatorum nunc propria & peculiaris est, cujusmodi non est, nisi perseverantia usque in finem vitæ. Et infrà: *Nolunt hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit.* Adde quòd gratiæ justis ad singulos actus bonos necessariæ minus infesti erant Semipelagiani, at perseverantiæ adjutorio *quo*, ut vides, omnino adversabantur.

Prosper autem doctrinę Augustini innutritus, & ejus placitis verbisque ipsis imbutus, non aliam nobis perseveranriam prædicat, quàm quæ vitæ limitem extremum complectitur. *Ubi illuminavit liberum arbitrium misericordia Christi, erutum est à regno diaboli, & factum est regnum Dei: in quo ut* Epist. ad Rufin. *permanere possit, ne ea quidem facultate sufficit sibi, nisi inde accipiat perseverantiam, unde accepit industriam. Quoniam & ipsius sanctissimi Petri ardentissima fides in tentationibus defecisset, nisi Dominus rogasset, &c. Certè rogaverat pro eo Dominus, ne deficeret fides ipsius. Nec utique frustra rogaverat, cujus una erat cum eo quem rogaverat operatio. Sed ne libero arbitrio videretur stare, qui de se magna promiserat, permittitur periclitari.* Docet idem alibi, donum perseverantiæ habuisse Petrum, etsi ceciderit; alios non habere, qui diutissimè pietatem colunt, nec tamen usque ad finem vitæ adhærescunt. *Cùm dubium non sit donum* Ad Capitula Gall. c. 7. *Dei esse perseverantiam usque in finem; quam istos, eo ipso quod non perseveraverunt, non habuisse manifestum est.*

Hieronymus gratiam ad opera singula bona necessariam eandem prorsus statuit ante atque post peccatum. Ergo utriusque status gratiam non ex eo potest capite separare. *Homo à principio conditio-* In Psal. 89. *nis suæ Deo utitur adjutore: & cum illius sit gratiæ quod creatus est, illiusque misericordiæ quod subsistit & vivit, nihil boni operis agere potest absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret: ne libertas arbitrii redundaret ad injuriam conditoris, & ad ejus contumaciam, qui ideo liber conditus est, ut absque Deo nihil esse se noverit.*

Gregorius in ipso perseverantiæ dono apertè constituit discrimen hominis stantis & lapsi: quòd videlicet homo stans ante lapsum, facilè staret, non aliquandiu tantùm, sed diu, sed semper, si vellet. Facillima illi erat standi & perseverandi perpetuitas; utpote qui tota sanitate frueretur, primigenia tum virium integritate, tum stabilitate men-

mentis gauderet, necdum mortalitatis fluxum, necdum levitatem & inconstantiam animi, necdum consilii incertos & alternantes fluctus pateretur. At postquam sese in hanc & corporis corruptibilis, & inquietæ mentis jactationem conjecit, tunc sanè difficillimum & cœpit esse in bono proposito stare constanter & perseverare. *Fixum enim statum hic habere non possumus, ubi transituri venimus, atque hoc ipsum nostrum vivere, quotidie à vita transire est. Quem videlicet lapsum primus homo ante culpam habere non potuit, quia tempora eo stante transibant. Sed postquam deliquit, in quodam se quasi lubrico temporalitatis posuit; & quia cibum comedit vetitum, status sui protinus invenit defectum. Quam tamen mutabilitatem non solum exterius, sed interius quoque homo patitur, dum ad meliora opera exurgere conatur. Mens etenim mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur, quàm est; & nisi in statu suo arcta custodiæ disciplina teneatur, semper in deteriora delabitur. Quæ enim semper stantem deseruit, statum quem habere potuit, amisit. Unde nunc cum ad meliora nititur, quasi contra ictum fluminis conatur.* Ubi palam est, quid intersit discriminis inter Adamum & nos, nempe homo stantem æternitatem quandiu complectebatur, stabat & ipse: at ubi *stantem deseruit, statum, quem habere potuit, amisit.* Antè & corpore & mente stabat homo, *eo stante tempora transibant*: nunc cum temporibus fluit, & animo & corpore fluxus lubricusque: mens antè facillimè tenorem & constantiam consilii & rectitudinis retinebat, at nunc nostra *mens mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur, quàm est*: quocirca hærere & figi nusquam potest, *ut in statu suo arcta custodiæ disciplina teneatur*; denique nunc quidem ut ne retro volvatur, *contra ictum fluminis conandum illi est.* Ergo ubi tam nova & tanta, postea nobis accessit difficultas ad perseverandum, minùs mirum est, si & novo egeamus atque validiore adjutorio.

Moral. l. 11. c. 26.

Et in Psalmos Pœnitentiales inter opera ejus, alius quis forsitan Papa Gregorius, *Ex peccato namque primi parentis accepimus, ut nec in ipsa justitia stabiles esse possimus; sed aut contra Deum, nobis bonum imputando quod facimus, erigimur, aut contra proximos in superbiam levamur.* Non ait id peccato primi parentis effectum esse, ut semel à peccato justificati nihil boni operis agere possimus, sed ut *in justitia stabiles* non possimus esse. Et rationem subjicit valdè perspicuam, quòd etsi justificationis gratiam consecuti simus, superest tamen & vivit in mente nostra quædam colluvies cupiditatum infinita, quæ cum infatigabiliter & undique nos lacessant, non potest fieri, quin aliquando saucient. Itaque ut experimento liquet, utque in confesso apud Theologos est, cupiditatibus vincimur non his aut illis, sed aliquibus: has enim & illas vincere possumus, persæpè vincimus, non semper, non universas; culpas declinamus sejunctim singulas, si volumus; non autem conjunctim omnes, etsi maximè cupiamus. Ergo aut his, aut illis tentationibus, cupiditatibus, culpis succumbimus, quia perseverare, & non singula tantùm, sed omnia peccata declinare, quàm facile erat primo parenti, tam difficile nobis est ejus lapsu attritis.

In 5. Psal. Pœnit.

Bernardus quoque *generatione cœlesti*, hoc est gratia illa prædestinatorum propria conservari electos nunc, ne peccent, hoc est, ne in peccato usque ad vitæ finem permaneant, cum Augustino Joanni Apostolo assentitur. Hæc sanè per Christum propria & peculiaris invecta est gratia, quæ primo parenti neutiquam concessa erat. *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio cœlestis conservat illum. Non peccat, inquit Joannes, id est, non permanet in peccato, quia conservat illum utique ut perire non possit, ea quæ falli non potest generatio cœlestis. Sive non peccat, id est: Tantundem est, acsi non peccet, pro eo scilicet, quod non imputatur ei peccatum. Generatio enim cœlestis etiam in hac parte conservat illum.* Quod & alibi repetit.

In Septuag. Serm. 1.

Serm. 23. In Cant.

Sanctus Thomas priscorum Theologorum premens vestigia, hanc Augustini doctrinam de adjutorio *quo*, & de gratia Christi propria ad perseverandum data, interpretatur de gratia perseverantiæ finalis. *Dicendum quod sicut Augustinus dicit, Homo in primo statu accepit donum per quod perseverare posset, non autem accepit ut perseveraret. Nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt & donum gratiæ quo perseverare possunt, & ulterius eis datur, quòd perseverent. Et sic donum Christi est majus, quàm delictum Adæ.* Porro ibi de sola finali perseverantia verba facere sanctum Doctorem, ex toto contextu perspicuum est. Et idem alibi: *Sicut Augustinus dicit in libro de Correptione & Gratia, Primo homini datum est, non ut perseveraret, sed ut perseverare posset per liberum arbitrium: quia nulla corruptio tunc erat, quæ perseverandi difficultatem præberet. Sed nunc prædestinatis per gratiam Christi non solum datur, ut perseverare possint, sed ut perseverent.* Subdit & Augustini verba: *Augustinus dicit in libro de Perseverantia, Asserimus donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo.* Ubi dilucidum est, de finali perseverantia & Augustinum & Thomam intelligi debere, idque ob summam perseverandi difficultatem ex lapsu peccati creatam: adeoque illud Augustini *adjutorium quo* non aliud Thomæ visum esse, quàm quod ad perseverandum adjuvat usque ad vitæ finem.

1. 2. q. 109. art. 10. ad 3.

2. 2. q. 137. art. 4. ad. 2.

Et Calvinus quidem Catholicos Theologos impetivit fœdo hoc convitio, quasi Adæ & Christi gratiam non discreverint: *Denique in eo falluntur, quod nullum observant inter regenerationis gratiam, & primam quæ Adæ data fuerat, discrimen; quod diligenter exponit Augustinus: Tale erat adjutorium, quod desereret Adam cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Sed potentior est gratia in secundo, qua fit etiam ut velimus.* At imposturam & hallucinationem hanc ejus strenuè nudavit exsufflavitque Ruardus Tapperus Academiæ Lovaniensis Decanus, cujus non pigebit verba paulò prolixiùs hîc inserere, ut videas quæ dogmata tunc Catholicæ fidei defensoribus, & celeberrimæ Academiæ luminibus probarentur, & quì Augustinum quo se tegebat & tuebatur Calvinus, Ecclesiasticæ Theologiæ vendicarent: *Est autem præcipuum inter Adam & nos discrimen in ea gratia, per quam est obedientia, pax, tranquillitas omnium virium animæ sub voluntate, voluntatis sub Deo, per cujus defectum secuta est infirmitas, rebellio & inobedientia omnium virium, postquam ipse fuerat Domino Deo suo inobediens. Ex qua infirmitate secuta est necessitas peccandi & impotentia in bono usque in finem perseverandi sine singulari protectione & directione divina gratiæ. Adam verò creatus est in ea virtute & fortitudine, qua perpetuò perseverare poterat per sola dona quæ acceperat. Non est autem differentia in posse resistere & ad tempus perseverare contra particularem aliquam tentationem, qualem patiebatur Adam à sua uxore, & hæc à serpente. Resistere enim possunt sua virtute divinitus accepta, & perseverare homines justi contra tentationes multo graviores, si tamen velint. Sicut enim Adam neglexit uti virtute sua & perseverare, ita justi sæpè se negligunt; & arma in quibus est eorum virtus, sponte abjiciunt, & se voluntariè tradunt in laqueos diaboli.* A qua Catholica defensione adversùs Calvinum, vides quàm nec transversum quod aiunt unguem deflexerimus. Et sanè pluris esse debent nobis quæ à Catholicis adversùs Hæreticos, quàm quæ inter Catholicos ipsos disputantur.

pag. 246. 247.

CAPUT LXX.

Illud Augustini adjutorium quo *ostenditur ex eodem situm esse, non in una aliqua singulari motione seu delectatione victrici & prædeterminante, sed in coacervatione plurium intus forisque auxiliorum, quorum singula non habeant, universa habeant infallibilem efficaciam, idque ex ipsa maximè dispensatione & providentia Dei, omnia ad commodum electorum convertentis.*

AD alterum nunc caput Augustinianæ de adjutorio *quo* & de finali perseverantia doctrinæ accedendum nobis est, nempe eo loci sanctum Patrem per *adjutorium quo* insinuatam nobis voluisse, non motionem vel prædeterminationem physicam, vel justitiæ delectationem, & denique gratiam aliquam actualem singularem, qua singuli actus boni perficiantur; sed propositum Dei & intentionem efficacissimam Dei prædestinantis, & ex ea profectam multitudinem quandam & conspirationem complurium Dei intus & foris auxiliorum, qua fiat ut justi vel non exorbitent à semita justitiæ, vel si ab illa deviarint, revocentur antequam morte opprimantur.

Primum igitur exemplum ipsum *beatitudinis*, quo suum illud *adjutorium quo* illustrat Augustinus, manifestè præ se fert, non efficientiam quandam motionis prædeterminantis, sed collectionem beneficiorum, & bonorum omnis generis complurium, qua beatus quis constituitur. Si Augustino autem mens fuisset significare motionem quandam efficacissimam & prædeterminantem, alia ut reor aptiori quapiam similitudine rem declarasset.

Secundò sanctis & prædestinatis istud perseverantiæ adjutorium *quo* propriè & peculiariter arrogat. Atqui electorum non alia gratia propria est & peculiaris, quàm illa usque in finem tot beneficiorum coacervatio, ut in justitia perseverantes mors tandem inveniat. Quodlibet aliud adjutorium *quo*, quælibet & motio & delectatio prædeterminans, etiam peccatoribus, etiam reprobis communicatur.

Tertiò eò pertinet illud adjutorium *quo*, ut cum suis *amoribus*, *erroribus*, *terroribus* vincatur mundus, ut inter *tot & tantas tentationes* infracta retineatur fidei & charitatis constantia. Atqui ut sexcenties suprà ex Augustino demonstratum est, eo persæpè de amoribus & terroribus mundi, de acerbissimis denique ærumnis & tentationibus victoria reportatur, quod mundi blanditiæ dissipantur adversis; quod prosperis adversa ipsa interpunguntur, alioqui forent intolerabilia; quod occasiones peccandi prævertuntur; quod tentationes vel temperantur, vel contrahuntur, vel arcentur. Ergo hęc standi firmitas invicta non ab interiori tantùm adjutorio gratiæ, sed ab ista potissimum manat excubantis Dei protectione.

Quartò ita efficacissimum est istud gratiæ adjutorium *quo*, ut præstet vel ne peccet quis, vel ut surgat & resipiscat, si peccaverit; ut denique lapsus ipsi & peccata conducant quodammodo saluti & bene vertant, dum inde humilitas alitur, cautio augetur, excitatur diligentia. At hujusmodi adjutorium evidenter non uno constat impetu aut impulsu motionis, seu delectationis prædeterminantis. Illud enim casum omnem anteverteret. Sed conglobatio quędam multiplex & diuturna auxiliorum hic debet intelligi, quæ juvet ne cadas; si sponte cecideris, juvat ut surgas; non deserit, nisi vel sine lapsu, vel ex lapsu humiliorem ad finem usque vitæ & ad beatam patriam perducat.

Quintò incertum ait esse Augustinus, dum mortalis hæc vita trahitur, an perseverantiæ hoc adjutorium quis acceperit: at quamlibet seu motionis seu delectationis gratiam singularem ad singulos actus bonos certissimè constat accepisse multos, accepisse constat eos omnes, qui bonis his operibus claruerunt. At illa accumulatio auxiliorum omnis generis, quæ ad exitum usque vitæ exporrigitur, & ipsam demum in justitia beatam mortem complectitur, eccui concessa fuerit, vel non fuerit, ante ipsam mortem incertum profectò est.

Sextò hoc perseverantiæ adjutorium *quo* illis confertur, quos periculis vitæ & peccandi tentationibus præmatura mors præripit. Parvulis maximè illud confertur, quos sacro latice expiatos præcox lethum hinc aufert. At istud adjutorium non motione, non prædeterminatione, non victrici delectatione, sed illa constat protectione & providentia Dei vigilantissima atque amantissima, quę mortem tunc infert cùm vacamus à culpa, quæ nos tentationibus, vel nobis tentationes præripit.

Septimò persæpè Augustinus gratiam dilectionis, gratiam fidei operantis per dilectionem separat ab ista gratia perseverantiæ, & quibus illa conceditur, hanc persæpè negari, idque quàm indubium, tam stupendum esse testatur. Atqui illa dilectionis, illa fidei per dilectionem operantis gratia, certissimè illa ipsa est gratia motrix & delectans, ad actus singulos bonos pernecessaria. Ergo hoc perseverandi adjutorium *quo* longè aliud & diversum ab illa est.

Octavò docet Augustinus permultos in semita justitiæ & inter opera bona consenescere, qui tamen ante exitum vitæ prolabuntur & pereunt, quibus utique indultum non fuit à Deo *hoc perseverantiæ adjutorium*. His affatim abundavit illa gratia movens & delectans, nempe ad omnes tandiu actus bonos, & tamen his adjutorium quo perseveratur negatum est. Ergo ab illa gratia hoc adjutorium *quo* vehementer discrepat.

Nonò justos aliquos non perseveraturos perseveraturis misceri ait Augustinus, nec hos ab illis in hujus mortalitatis caligine posse internosci, ut sub hoc incerto tremat infirmitas, conteratur superbia humilitas roboretur. Interim verò etiam non perseveraturi, nec accepto isto adjutorio *quo* bonis operibus incumbunt per fidem dilectione incitatam. Ergo hæc fides & dilectio, quæ gratia est bonorum sigillatim operum genitrix, multùm discrepat ab illo adjutorio *quo* perseverantiæ. Apponam hic Augustini verba, etsi superiùs jam relata; nam prioribus hujus capitis argumentationibus sanctissimi Patris suffragia adscribere abstinui, quòd ea congesta jam fuerint in capitibus LXVII. & LXVIII Sed quod ad hanc probationem attinet, sic habet Augustinus: *Ut omnes qui bene currunt, timeant, dum incertum est qui perveniant. Propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiu fideliter & justè vivere, & postea cadere, neque de hac vita, priusquam hoc eis contingat, auferri.* De Corrept. & grat. c. 13.

Decimò inde fit ut Augustinus prædestinationem cui illigatum est istud perseverantiæ adjutorium *quo*, definierit præparationem *beneficiorum*, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Collectio ergo *beneficiorum*, non unum aliquod beneficium significatur, & cùm singula beneficia fortasse minùs feliciter procederent; at beneficiorum collectione certissimè liberantur, quibus illa cumque donatur à Deo. At sine gratia movente infallibiliter ad actus bonos, sine prædeterminatione physica auxilii efficacis, sine victrici actuali delectatione liberantur parvuli; sine perseverantia autem finali, sine collectione illa beneficiorum, qua continetur & gratia justificans, & perseverantia usque ad mortem in gratia justificante, nemo liberatur.

CAPUT LXXI.

Illud ipsum adjutorium quo ab Augustino non ad solam perseverantiam usque in finem vitæ, sed etiam ad conversionem à peccato, & ad actus quosdam virtutis heroicos flagitari, ex eodem probatur: utpote cum in his omnibus par difficultas & labor incumbat.

QUanquam Augustinus *adjutorium quo* invictissimum & insuperabile ad solam finalem perseverantiam destinarit in libro de *Correptione & Gratia*, illud ipsum tamen ad peccatoris conversionem, & ad speciales aliquos virtutis actus, utpote ad tentationum graviorum victoriam perinde necessarium ex eodem Augustino hic vendicamus. Ut illud enim adjutorium *quo* ad solam perseverantiam restringeret eo loco Augustinus, in causa fuit ratio institutæ disputationis. Nec enim universim de necessitate gratiæ ibi disceptabatur; sed facta comparatione Adami in primigenia innocentiæ gratia adhuc stantis, & hominis nunc per Christi regenerantem gratiam reparati, quærebatur, ecquo uterque præterea adjutorio ad perseverandum in finem usque indigeret. Ergo supponebatur uterque in justitia vel constitutus, vel restitutus; in ea autem ut vitam in terris degeret, clauderetque, quo præterea auxilio opus haberet, id inquirebatur. Non ergo poterat tunc sermo fieri de adjutorio quo invictissimè peccatores ad justitiam revocantur. *Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam prædestinatis non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, &c.* De Correp. & Grat. c. 11. 12.

Adde quòd prius est, ut justitia cœlesti beneficio infundatur, quàm ut perseveranter & constantissimè retineatur. Ut admittatur autem consensu voluntatis liberæ justitia, quam Deus per gratiam irrorat, non minùs difficile & operosum est, quàm ut perseverando conservetur. Ideo & alicubi etiam cursim perstringitur ibidem conversionis adjutorium *quo: Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, sed etiam velle quod possumus.* Ejusdem ergo est gratiæ, quia & paris difficultatis est, sive justitiam recipere per conversionem, sive eandem retinere usque in finem per infractam perseverantiam. Ibid. c. 11.

Adde quòd adjutorium quo invictissimè & inevitabiliter perseveratur, ideo requisierit Augustinus, quòd sine illo nemo stare possit *adversus tot & tantas tentationes*: quòd sine eo non vincatur mundus *cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis*: quòd sine eo non superentur *cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia*. At qui non tantùm ut in justitiæ semita totum vitæ tempus decurratur, summæ istiusmodi difficultates exhauriendæ sunt, sed etiam ut à peccatorum gurgite in quo volutatus quis perditus est, emergat ad justitiæ sanctitatem. Ingravescunt enim & ibi tot & tantæ tentationes; superandus ibi quoque mundus est cum erroribus, amoribus, terroribus suis; spernenda & conculcanda sunt tunc quoque omnia, quæ mundus vel blandiens vel sæviens machinatur.

Quod ad heroicæ autem virtutis actus attinet, & gravissimis difficultatibus septos, indubium est hos quoque includi illis Augustini verbis, ubi dicitur necessarium tunc esse illud insuperabile adjutorium *quo*, quando vincendæ sunt tentationes molestissimæ, mundique vel blanditiæ, vel minæ, vel cruces ipsæ invicto animi robore sunt aspernandæ.

In libro autem *de Bono perseverantiæ* rursum Augustinus utramque hanc gratiam connectit, ut affinem, & ejusdem invictissimæ efficaciæ, qua & ad justitiam acceditur, & ab ea non receditur, hoc est conversionis & perseverantiæ: *Post casum autem hominis nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo*, Et mox: *Ac per hoc sicut operatur ut accedamus; sic operatur ne discedamus*. Et rursum: *Prorsus ad hæc non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant: Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem*. Non potuit res apertiùs dici. De bono persev. c. 7.

Et ibidem ratio invictissima attexitur hujus sententiæ, cur ad justificationem & ad finalem perseverantiam desideretur efficacissimum & numquam frustrabile adjutorium *quo*. Nempe hoc auxilium gratiæ datur à Deo *secundum propositum* sempiternæ & incommutabilis voluntatis suæ, qua ad regnum aliquos prædestinavit gratis ante mundi constitutionem. Cùm enim frustrari non possit hoc divini consilii propositum, necessum est, ut efficacissimo & insuperabili aliquo adjutorio humanas in desponsam illis justitiam gloriamque omnipotenter agat voluntates. Atqui ex vi propositi divini & irrevocabilis prædestinationis infallibilem efficaciam non consequitur, nisi duplex illa gratia, quæ ad conversionem, & quæ ad perseverantiam electos provehit. Hæc enim duplex gratia si frustrari nequeat nostro dissensu, in tuto est eventus prædestinationis. Auxilia verò gratiæ quæ ad actus singulos bonos juvant, etsi frustrari queant, etsi frustrentur sæpè, non periclitatur prædestinatio, quia collapsi à justitia, in eam restituentur per iteratæ conversionis gratiam, & antè ipsi vitæ subtrahentur, quàm se rursum subfurentur justitiæ. *Post casum hominis nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum: neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur*. Et mox iterum: *Orat Ecclesia, ut increduli credant: Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat ut credentes perseverent; Deus ergo donat perseverantiam usque in finem. Hoc Deus futurum esse præscivit. Ipsa est prædestinatio Sanctorum, quos elegit in Christo ante mundi constitutionem, ut essent sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum, &c.* Ergo prædestinat Deus in adoptionem filiorum, utque sancti & immaculati in charitate sint, utque in eo perseverent. Utrumque ergo est efficacissimum adjutorium *quo*, & invictissimum ex vi divini propositi. Nequaquam autem dicitur vel à Paulo, vel ab Augustino prædestinari Sanctos ad quælibet particularia opera bona. Et sanè cùm ea non necessariò religentur cum prædestinatione, non est cur ea contineri existimentur. Conversio ad justitiam, & perseverantia in justitia, & siqui actus virtutis & fortitudinis præcipuæ ad conversionem vel ad perseverantiam desiderentur, necessariam hæc habent copulationem cum proposito Dei quos vult prædestinantis: unde & in ea effundi par est illud *adjutorium quo* ineluctabile, qua prædestinatio executionem & effectum infallibiliter sortitur. Ibidem.

Ibidem rursus Augustinus disertissimè affirmat prædestinari, & ineluctabiliter proinde promoveri nunc electos à Deo, tum ad justificantem gratiam per conversionem, tum ad perseverantiam usque in finem; interjectos actus omnes bonos missos facit, quòd sine illa inusitata gratia adjutorii *quo* perfici possint, & quòd cum prædestinatione minimè necessariam habeant conjunctionem. *Videte jam à veritate quàm sit alienum, negare donum* Ibib. c. 17.

Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vita hujus, quando voluerit, ipse det finem; quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hæc gratia. Illa igitur sua dona, quibuscumque Deus donat, proculdubio se esse donaturum præscivit, & in sua præscientia præparavit. Quos ergo prædestinavit, ipsos & vocavit, vocatione illa de qua dictum est, Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. Et parvulos ergo cum donat Deus & gratia sacri fontis, & morte præcoci ante lapsum, idque ex vi prædestinationis gratuitæ, quæ frustrari suo effectu non potest, hinc satis proditur, duas has esse gratiæ species ad conversionem & ad perseverantiam, quarum efficacia nostro dissensu non possit ludificari. Et cum Paulus ait, *Quos prædestinavit, hos & vocavit*, utique efficacissimam significat esse hanc vocationis gratiam, alioqui irrita caderet prædestinatio. Non Paulus autem, non Augustinus, non rei ipsa veritas idem jubet existimari de gratia bonorum operum quorumlibet: quippe quæ etsi persæpè cassa & inutilis cadat, nihil periculi imminet prædestinationi divinæ. Unde rursus ibidem Augustinus: *Sicut ille quem castum futurum esse præscivit, quamvis id incertum habeat, agit ut castus sit: ita quem castum futurum prædestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit ut castus sit, &c.*

Cont. Collat. c. 18. Prosper efficacissimæ gratiæ adjutorium ad conversionem perspicuè reposcit his verbis: *Si ergo quis de ærumnosis vanitatibus & insaniis fallacibus erubescens, tenebras esse & mortem, quidquid pro lumine ac vita amplectebatur, intelligit, & ab his se conatur abstrahere, non est ab ipso, quamvis non sine ipso sit ista conversio: nec propria virtute ad principia salutis enititur, sed agit hoc occulta & potens gratia Dei, quæ dimotis terrenarum opinionum & operum mortuorum favillis, torrem obruti cordis exagitat, & desiderio veritatis inflammat; non ut invitum hominem subigat, sed ut subjectionis cupidum faciat: nec ut ignorantem trahat, sed ut intelligentem sequentemque præcedat.* Ubi non asseveranter tantùm affirmat, sed & validè probat, declarata summa conversionis difficultate, non posse illa extundi nisi per gratiæ cujusdam omnipotentis adjutorium; quod aliis quoque singulis operibus postea bonis communicare, tum demum consentaneum esset, si par & illis labor atque difficultas incumberet. Quis non videt autem, & quàm operosum sit primò peccati & cupiditatum noxiarum vincula perfringere, & iis contritis quàm proclive deinceps sit, & ut cum Augustino loquar, quàm suave sit carere suavitatibus nugarum?

Moral. l. 15. c. 35. Gregorius Magnus præclarissimè utriusque status differentiam in justitia vel obtinenda vel retinenda illustrat his verbis: *In ipsa sua origine in qua justus homo conditus fuerat, tantis quantis nunc opus est virtutibus non indigebat: quia si stare sicut est conditus vellet, hostem extra positum vincere sine difficultate potuisset. Postquam vero per assensum hominis semel adversarius ad intima irrupit, laboriosius jam victor ejicitur, qui adhuc impugnans sine labore repelleretur. Multa namque nunc exhibenda sunt, quæ in paradiso non fuerunt. Nunc quippe opus est virtute patientiæ, laboriosa eruditione doctrinæ, castigatione corporis, assiduitate precis, confessione delictorum, inundatione lacrymarum; quorum profectò omnium conditus homo non eguit, quia salutis bonum ex ipsa sua conditione percepit. Ægro quippe poculum amarum porrigitur, ut ad salutis statum morbo sublato revocetur. Nunc ergo majoribus studiis utimur, cùm salutem nequaquam servamus habitam, sed reparare curamus ablatam.* Quæ omnia clarissimum est non nisi ad eas pertinere molestias & tædia, quæ conversionem circumvallant.

CAPUT LXXII.

Adjutorii quo invictissima efficacia scatet ex eo maximè quòd Deus dirigit, protegit, custodit, conservat, quæ omnia multifariam fiunt, & maximè tempus mortis accelerando vel protrahendo, tentationes leniendo, attemperando, aut amoliendo.

Consentiens Theologorum etiamnunc omnium sententia est, illam esse maximè *specialem* gratiam, qua perseverantia usque in vitæ finem datur. Atqui hujus plerumque gratiæ, quam specialem appellavit Tridentina Synodus, efficaciam plerumque non constituit, nisi dispensatio quædam Dei misericors & providentia, quæ adversa & prospera, quæ rerum circumstantias, minas, illecebras omnes, quæ tentationum vim & modum ita aptat & admetitur, quæ ipsum denique mortis tempus ita providè definit, ut nonnisi justitiæ acceptæ adhuc retinentes mors invadat. Simillimum veri est, electorum partem longè maximam ex parvulis coalescere, quos præfestina mors recentes à baptismo cœlesti patriæ adseruit. His & justificationis & perseverantiæ gratia fuit ejusmodi adjutorium *quo*, in quo plurimum sibi vendicat hæc interior exteriorque Dei providentia.

Professus est autem suprà non semel Augustinus idem convenienter sentiendum esse de illis omnibus qui rapiuntur, ne malitia mutet intellectum eorum. Et his enim adjutorium quo infallibiliter perseverant, religatur ex illa maximè providentia Dei, quæ gravissimam tentationem & prorsus ipsis quidem intolerabilem ab ipsis amolitur, vitæ diuturnitatem. Ergo si *adjutorium quo* ex Augustino *indeclinabiliter, insuperabiliter, invictissime agit*, non id necessariò ad motionem sive delectationem justitiæ prædeterminantem trahi debet, sed ad *protectionem, directionem, custodiam, gubernationem, providentiam*, omnia ita dispensantem, & ita intus forisque moderantem, ut oblata justitiæ gratia ne respuatur, accepta ut retineatur. Est enim electorum pars longè maxima, in quibus efficacia invictissima gratiæ, qua vel ad justitiam revocati sunt, vel in ea permanserunt, non aliunde magis quàm ex hac fluxit protegentis & dirigentis Dei benevolentia. Quin imò quotusquisque ita stetit in justitia inconcusso vestigio, ut non constantiam suam & perseverantiam se debere suspicari debeat illi providentiæ tam benevolæ, quæ graviores prævertit & abegit tentationes, hanc alioqui quantamcumque suam constantiam labefactaturas?

Idem sanè alibi Augustinus in hac custodia & protectione Dei commendanda plurimus est: *Adulter non fuisti in illa tua vita præterita, nondum credens in illum qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus, Regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, suasor defuit; & ut suasor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit, & ut hæc deessent, ego feci. Affuit suasor, non defuit tempus, non defuit locus: ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam, &c.* Gratia, ut vides, ea est qua Deus *regit, servat*, qua *facit* ut adsint desintque *loca, tempora, suasores*, incentores ad quidlibet. Ex hoc uno loco datur intelligere genus ipsum argumentationis, quæ ad omnia æquè valet universim. Omnia enim ad nutum suum administrat Deus, in antecessum consulens & disponens loca, tempora, stimulos & repagula rerum, animis quoque ipsis *terrorem* inspirans, afflans & amorem, & hac auxiliorum omnis generis complexione, omnipotenter adimplens, quæ amantissimè & sapientissimè prædestinavit. L. 5. Hom. Hom. 15.

Et

De verbis Apost. serm. 11. De verbis Dom. serm. 43. Tract. 9. in Epist. Joan. Et idem alibi: *Non enim fecit, & deserit; non enim curavit facere, & non curat custodire.* Et alibi: *Vis serviat caro tua animæ tuæ? Deo serviat anima tua. Debes regi, ut possis regere. Nam lucta ista tam periculosa est, ut si dimiserit rector, ruina sequatur.* Et denuò: *Ergo humilis porta Dominum tuum. Esto jumentum sessoris tui. Bonum tibi erit, ut ipse regat & ipse ducat. Nam si ipsum sessorem non habueris, cervicem erigere potes, calces potes mittere, sed væ tibi sine rectore, quia libertas ista in bestias te mittet comedendum.* Et alibi: *Nunc Christus habet in nobis sedem suam.* In Psal. 88. *Nisi enim sederet in nobis, non nos regeret. Si ab illo autem non regeremur, à nobismetipsis præcipitaremur. Sedet ergo in nobis, regnans in nobis.* Et alio In Ps. 102. rursus loco: *Retributio est, cum peccator & impius vocatus es, ut justificareris: retributio est, cum erectus & gubernatus es, ne caderes. Retributio est, cum tibi vires subministratæ sunt, ut usque in finem perseverares.* Et alibi: *Ablatis Job omnibus, remansit cum uxore, per quam tentaretur, & cum Deo, à* In Ps. 103. *quo regeretur.* Et alio rursum loco: *Semper magnificetur Dominus. Peccator es, magnificetur ut vocet. Confiteris, magnificetur ut ignoscat. Jam justè vivis, magnificetur ut regat. Perseveras usque in finem, magnificetur ut glorificet.* In Psal. 7. Et alibi: *Duo sunt officia medicinæ, unum quo sanatur infirmitas, alterum quo sanitas custoditur, &c. Si medicinam exhibet, qua sanemur infirmi, quantò magis eam, qua custodiamur sani?* De sancta Virg. c. 41. Et in alio opere: *Quisquis ex impudico pudicus permanet, ab illo regitur, & quisquis ex impudico pudicus fit, ab illo corrigitur.* Ibid. c. 51. Et infrà: *Fortitudinem vestram ad illum custodite. Quidquid mali ipso custodiente non committitis, tanquam remissum ab illo deputate.* Et rursum alibi: De grat. & lib. arb. c. 20. *Voluntates hominum facit ex malis bonas, & à se factas bonas in actus bonos & in æternam dirigit vitam.*

Apud Aug. Epist. 95. Innocentius Papa similiter: *Ergo Dei gratiam conantur auferre, quam necesse est, etiam restituta nobis status pristini libertate quæramus. Quippe nec alias diaboli machinas nisi eodem possumus juvante vitare.* Ubi vides sanctificante per baptismum gratia *restitui nos in status pristini libertatem*, hoc est in boni operis facilitatem: sed tamen opus esse alia quadam protectionis divinæ gratia adversùs alias diaboli machinas.

De verit. prædest. l. 1. Fulgentius quoque hanc gratiæ divinę efficaciam commendat, quòd gubernet, regat, servet. Ita enim habet: *Bona voluntas datur, ut homo in Deum credat, Deumque fideliter diligat, à quo ipsa voluntas jugiter gubernatur & regitur, ut nec fides hominis deficiat, nec charitas refrigescat.* Et paulò infrà: *Voluntatem bonam nemo usque in finem poterit obtinere, nisi fuerit jugiter eadem misericordia subsequente servatus.* Ita prorsus sentit Fulgentius, bonam voluntatem, hoc est charitatis affectum & habitum à Deo infundi, & deinceps usque in finem servari, regi, gubernari, tentationes propulsando, vel mitigando, vitæ finem accelerando.

De prædest. Sanct. c. 14. Id enim perspicuè Fulgentius ab Augustino edoctus erat, qui rursum alibi ait: *Qui vitæ brevitate rapuit justum, ne malitia mutaret intellectum ejus, ipse in quantacumque vitæ longitudine custodit justum, ne malitia mutet intellectum ejus.* Hæc est ratio custodiendi, regendi, conservandi, protegendi: hæc via, hic modus ab Augustino demonstratus; custoditur justus vitæ brevitate, ne malitia mutet intellectum ejus. Hinc licet & alias conjectura assequi artes & vias custodiendi: si custoditur enim quis, dum vitę brevitate surripitur tentationibus, custoditur etiam ille, cujus vitæ diuturniori temperantur, vel amoventur tentationes. Quocirca idem Augustinus alibi ex Cypriano De bono persev. c. 9. hęc refert: *Hoc diebus & noctibus postulamus, ut sanctificatio & vivificatio, quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur.* Quam Dei protectionem Augustinus interpretatur, vel tentationum propulsationem, vel mortis celeritatem: *Ut enim non dicam quàm sit possibile Deo aversas & adversas in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso aliqua superati tentatione discedant; cum possit & quod ait Apostolus facere, Ut non eos permittat tentari super id quod possunt. Ut ergo id non dicam, certè poterat illos Deus præsciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre ab hac vita.*

Ambrosius breviter & scitissimè: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Offic. l. 1. c. 3. *Sciebat enim & legerat, divinæ esse protectionis, ut homo à linguæ suæ flagello absconderetur, & à conscientiæ suæ testimonio.*

Author verò librorum de Vocatione Gentium luculentissimè omnino, quàm & perseverantia ad specialem Dei gratiam pertineat, perseverantia inquam usque in finem, & quàm divinæ protectionis maximè hoc beneficium sit: *In cæteris ho-* L. 2. c. 9. *minibus donec caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: & donec spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, incommutabilis animi firmitudo non potest reperiri; quoniam non hujus, sed alterius vitæ est vere perfecta & secura felicitas. In præsentis autem agonis incerto ubi tota vita tentatio est, & ab insidiante superbia nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licèt innumeris sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, à nullis tamen aufert quod ipsis repugnat ex ipsis.* Ubi observa primùm ex impacata illa pugna, quæ per peccatum exarsit inter spiritum & carnem, ex peccato inquam, & peccati prole concupiscentia, id emersisse, ut sancti à peccato jam emaculati, sed concupiscentię desideriis adhuc obnoxii, *incommutabili animi firmitudine non gaudeant, & mutabilitatis periculo non careant unquam*, dum mortalia agitant membra. Ex eo autem indubitanter id colligitur, alio quopiam validiori auxilio gratiæ ad perseverandum usque in finem nunc opus esse: non autem ad actus singulos justitię. Nam non ad singulos actus, sed ad constantiam & perpetuitatem perseverantiæ diutissimæ opus est *incommutabili animi firmitudine*, quali fruebatur primus parens ante lapsum, vel *divina protectione* speciaiiori, quæ *pericula mutabilitatis* antevertat, tentationes fugando vel leniendo. Id ergo observa hic secundò *divinæ protectionis* præsidio singulari id nunc procurari, ut justi in justitia perseverent.

Et rursus idem: *Fit manifestum, quod diversis* Ibi. c. 9. 10. *atque innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur: qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur.* Et infra denuò testatur, omnem hominem *qui in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio juvari & regi: utque in fide quæ per dilectionem operatur, permaneat, custodiri.*

Bernardus: *Nemo reperitur in nobis, qui non in-* De adventu Serm. 7. *terim & consilii & auxilii & præsidii indigus videatur. Nam & faciles sumus ad seducendum, & debiles ad operandum, & fragiles ad resistendum. Necessarius proinde Salvatoris adventus, necessaria sic præoccupatis mentibus præsentia Christi. Atque utinam sic veniat, ut copiosissima dignatione sua, & in nobis per fidem habitans, illuminet cæcitatem nostram, & nobiscum manens adjuvet infirmitatem nostram, & pro nobis stans fragilitatem nostram protegat & propugnet.* Perspicis, ut post tenebras ignorantiæ dilutas inspiratione fidei, ut post concupiscentias edomitas infusione charitatis, illud adhuc gratię præsidium superest implorandum ad perseverantiam finalem, ut adversus irruentes tentationes protegat & propugnet Deus.

Dorotheus quoque ita censet, præter illam gratiam,

tiam, qua in bona opera fœcundamur, opus esse
Doctor. 11. propugnaculo quodam divinæ protectionis. *Nam ut diximus de semine, quod etiam cum germinaverit, & excreverit ac fructum fecerit, nisi rursum per excrescentiam pluvia advenerit, exsiccatur & perit: Ita & de homine dici potest; à quo si Deus per momentum protectionem & patrocinium suum abstulerit, & reliquerit eum, perit omnino & evanescit.*

Sanctus Thomas hanc Augustini Patrumque sententiam constantissimam semel & ipse illustravit, & rationibus, & verbis prorsus iisdem. Propter reliquias enim & ignorantiæ & concupiscentiæ in justificatis etiam superstites necessariam esse constituit hanc maximè specialem gratiam divinæ protectionis, directionis, gubernationis, ad perseve-
1. 2. q. 109. art. 9. randum scilicet in justitia usque in finem. *Et ideo necesse est nobis, ut à Deo dirigamur & protegamur, qui omnia novit, & omnia potest. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam, convenit dicere, Et ne nos inducas in tentationem.* Et infrà: *Operatio Spiritus sancti, quæ nos movet & protegit, non circumscribitur per effectum habitualis doni, quod in nobis causat; sed præter hunc effectum nos movet & protegit simul cum Patre & Filio.* Et infrà de omnium efficacissima gratia sermonem faciens, scilicet perseverantiæ usque in
Ibid. art. 10. finem: *Dicitur perseverantia continuatio quædam boni usque ad finem vitæ. Et ad talem perseverantiam habendam homo in gratia constitutus, non quidem indiget aliqua alia habituali gratia, sed divino auxilio ipsum dirigente & protegente contra tentationum impulsus.* Non ergo ad actus singulos hæc gratia maximè specialis desideratur, sed ad perseverantiam usque in finem. Nec enim per actus singulos procellæ tentationum ingruunt, sed in vitę curriculo non semper, ne diu quidem pace & sereno fruimur. Denique hæc gratia maximè specialis & efficacissima divinæ protectionis adversum tentationum incursus, non necessariò collocanda est in motione prædeterminante, cùm idem præstet ipsa tentationis vel mitigatio, vel propulsatio.

CAPUT LXXIII.

Ex eo fit ut efficacia gratiæ insuperabilis jure merito vindicetur à Paulo & Augustino, voluntati, consilio, proposito, intentioni *Dei. Quando enim singula quæ adhibentur auxilia, frustrabilia sunt, & tamen certus & infallibilis ex eorum multitudine & conspiratione effectus extunditur, totum debetur voluntati & intentioni irrevocabili perficiendi quod propositum erat.*

HÆc quoque ratiocinatio superioribus apta atque conserta est. Si enim gratiæ efficacissimę vis in protectione, directione, custodia & gubernatione divina maximè resplendescit, ergo hinc facilè ratio expedietur, cur gratiæ efficaciam invictissimam religaverit cum Paulo Augustinus à *proposito, consilio, voluntate, & intentione* Dei. Ubi enim motio prædeterminans & sua vi infallibiliter efficax adhibetur, ibi perspicuum est effectus certitudinem posse & debere etiam motioni huic vendicari. At ubi ad extorquendum voluntatis consensum non admoventur à Deo, nisi adjumenta sejunctim frustrabilia, & persæpè frustranda, sed incommutabili eo consilio & proposito, ut tandiu & tam varia, tam congrua, tam multa, tam conspirantia admoveantur, & aliis deficientibus, alia infatigabiliter suggerantur, donec fatigata cedat seseque dedat voluntas; tunc profectò tota efficacia gratiæ, vel gratiarum conspirationis istiusmodi non aliunde, quam ex proposito, ex intentione, ex voluntate divina proficiscitur.

Jure ergo meritissimo Paulus totum refundit in divinæ voluntatis propositum: *Omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Rom. 8. Et idem: *Credenti in eum qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam, secundum propositum gratiæ Dei.* Rom. 4. Et rursum: *Ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Rom. 9. Et alibi: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos.* Ephes. 1. Et ibidem: *Et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, &c.* Et alibi denuò: *Vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam.* 2. Tim. 1. Efficientiam prorsus omnem nempe illam ineluctabilem vendicat proposito & voluntati Dei.

His Paulinis oraculis imbutus, his addictus Augustinus duplicem discrevit vocationis gratiam, efficacissimam, & eventus sui certissimam alteram, alteram inefficacem, & tandem frustrandam. Quòd nempe altera sit, altera non sit secundum propositum Dei. Non proficiscitur enim ex illo incommutabili Dei prædestinantis proposito vocatio generalis, etsi ex voluntate Dei profluat vera, seria, benevola, justitiam & salutem seriò & volente & procurante, & abundè sufficientia ad id auxilia subministrante. Duplicis hujus divinæ voluntatis latissimum discrimen est. Voluntas enim ex qua singularis electorum secundum propositum vocatio manat, & infallibilem atque insuperabilem efficaciam consequitur, illa nimirum est, qua statuit Deus, non tantùm irrorare sufficientia ad conversionem auxilia, & si semel iterumque hęc repudiata fuerint, vel cessare, vel parciùs in dies parciùsque adjutare: sed qua immutabili consilio decrevit non sufficientia tantùm, aut paulò largiora, sed abundantissima accumulare auxilia, & alia aliis subrogare validiora, nec repulsa & dissensu voluntatis contumacioris moveri, sed infatigabiliter instare, donec contumacia quamvis præfracta superetur. Extraordinaria prorsus est hæc benefaciendi voluntas tam constans, tam infatigabilis, nullo ut renisu voluntatis retundatur. Nam lex clementiæ effusissimæ illa est, ut omnibus quamlibet immerentibus ingerantur auxilia ad resipiscentiam & ad salutem necessaria, & abundè sufficientia. At verò nulla repulsa fatigari, nullo nostrę contumaciæ renisu averti, obstinatissimas voluntates novis in dies beneficiis onerare, nec lassescere usquam, id verò tam extraordinarium est beneficentiæ genus, ut non possit non esse rarissimum, atque adeo rariùs expectandum sit ab eo, qui ut clementia est inexhausta, ita & justitia est summa atque incorruptibili.

Hanc ergo duplicem vocationem sic discriminat Augustinus: *Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias; illa quippe vocatione & Judæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus est scandalum, & Gentes, quibus Christus crucifixus stultitia est. Sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, cum ait, Ipsis autem vocatis: sciens esse quandam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt.* De Prædest. Sanct. c. 16. Et ibidem paulò inferiùs: *Electi sunt ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus futura sua facta præscivit. Electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinavit, implevit. Quos enim prædestinavit, illos & vocavit, illa scilicet vocatione secundum propositum. Non ergo alios, sed quos prædestinavit.* Et alio in libro: *Electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt. Propositum autem non suum, sed Dei. De quo alibi dicit, Ut secundum electionem propositum Dei maneret, &c. Non secundum opera nostra;*

stra, inquit, sed secundum suum propositum & gratiam. Cùm ergo audimus, Quos autem prædestinavit, illos & vocavit, secundum propositum vocatos debemus agnoscere, quoniam inde cœpit, dicens, Omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt.

Illius ergo quę secundum propositum est vocationis efficacia ineluctabilis, ex ipso maximè omnipotenti & irrevocabili Dei proposito proficiscitur, cui integrum est alias aliasque subinde subrogare atque accumulare copias, viresque & auxilia omnis generis, ad fatigandam pertinaciam nostræ voluntatis, & extundendum aliquando tandem ejus consensum. Unde idem ibidem: *Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt; non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audierint, credunt: & in fide quæ per dilectionem operatur, perseverant usque in finem: & si quando exorbitant, correpti emendantur: & quidam eorum etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt; & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur.*

Nostræ ergo potestatis est quamlibet divinę gratiæ inspirationem refellere, nostro dissensu quodlibet pietatis adjutorium irritare: at nostræ potestatis non est prohibere quin novis & majoribus subinde oppugnemur gratię instigationibus, & infatigabiliter lacessamur, & fatigemur tandem, obruamurque beneficiis, circumveniamurque illecebris illis, quæ nostris maximè affectibus blandiantur, atque ita tandem quantalibet nostra improbitas cùm finem & modum habeat, cedere cogatur omnipotenti Dei bonitati, cujus nec finis nec modus est. *Absit ut impediatur ab homine omnipotentis & omnia scientis intentio. Parum de re tanta cogitant, vel ei excogitandæ non sufficiunt, qui putant Deum omnipotentem aliquid velle, & homine infirmo impediente non posse. Sicut certum est Jerusalem ab illo filios suos colligi noluisse; ita certum est eum etiam ipsa nolente, quoscumque eorum voluit, collegisse.* Inexpugnabilis ergo efficacia est penes *intentionem omnipotentis & omnia scientis Dei*. Si enim minùs feliciter cesserit aliqua machina, scit potestque tot alias subrogare, ut quamlibet obstinatam voluntatem demum labefactet. Utque intelligas quænam sint hęc machinamenta, quibus Deus circumvallat, oppugnat, fatigat & ad deditionem faciendam tandem compellit voluntates nostras, Pauli ibidem mox exemplo commonstrat Augustinus, quem pręter cœlestium inspirationum faces, circumfusa etiam & fulgurans quędam extrinsecùs lux, & terrifica Christi majestas objecta, & vox de cœlo tonans terrensque, & corporis allisio in terram, & offusa continuò oculis caligo, atque incussa cęcitas, commitigarunt tandem & emollierunt. *Nam si ut dicis ab intentione propria, utique mala, non debet homo ulla necessitate revocari, cur Apostolus adhuc Saulus cædem spirans, & sanguinem sitiens, violenta corporis cæcitate, & terribili desuper voce, à sua pessima intentione revocatur? Agnosce gratiam: alium sic, alium autem sic Deus qui dignatur vocat, & Spiritus ubi vult spirat.*

Op. ult. con. Julian. l. 1. nu. 91.

Hæc Pauli vocatio est efficacissima ex intentione Dei omnipotentis, & tot machinas admoventis, ut expugnet tandem humani cordis duritiem. De hac eadem alibi Augustinus: *Ut de cœlo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione converteretur.* Et alibi: *Occultissima & potentissima medicina sua potestate.* Et paulò pòst: *Cui volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle aut nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quod non vult, facit ipse quæ vult.* Et alibi: *Eos ad se omnipotentissima facilitate convertit,*

De grat. & lib. arb. c. 5.
De Corrept. & Grat. c. 5. 14.
Epist. 107.

Quod intelligendum utique est de iis qui secundùm propositum & intentionem Dei vocantur.

Sanctus Thomas Pauli & Augustini doctrinam assecutus planè est: *Præparatio ad gratiam secundùm quod est à Deo movente, habet necessitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest. Secundum id quod dicit Augustinus in libro de Prædestinatione Sanctorum, Quod per beneficia Dei certissimè liberantur, quicumque liberantur. Unde si ex intentione Dei moventis est, quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur.* Infallibilitatem dat non motioni cuilibet, sed intentioni Dei quæ deficere non potest. Motio autem qualibet etsi voluntatis dissensu deficiat, aliæ & aliæ sufficiuntur à Deo tam opportunę, tam importunæ, tam conspirantes, totque alia auxilia coacervat, ut tandem intentio Dei vincat. Unde idem alibi infallibilem demonstrat prædestinationis eventum, quòd prioribus deficientibus Deus *tot alia adminicula subministrat*, ut nostram tandem quantamlibet frangat duritiem.

1. 2. q. 112. art. 3.
q. 6. de veritate, art. 3.

CAPUT LXXIV.

Ad singulos nunc actus libertate & indifferentia sua uti & abuti possunt electi, summam ipsam vitæ, & sortem totam, maximeque exitum reservat sibi Deus: non ita in statu innocentiæ primævæ, ubi & singulos & universos actus, summam ipsam vitæ & perseverantiæ atque exitum tandem permittebat Deus libero arbitrio.

Concatenata & ista est antedictis probatio, quòd ex Augustino non ita nunc electos suos sibi ipsis permittat, sicut Adamum stantem, sicut Angelos sanctos sibi suoque ipsorum juri & judicio penitus permiserat Deus. Libera voluntate fruebatur Adam, fruimur & nos; non potest autem libertas constare, quin sibi suoque arbitrio dimittatur voluntas. Et electi ergo etiamnunc sui juris & arbitrii esse sinuntur. Sed longè tamen aliter quàm primus parens. Ille enim in potestate habebat non singulas modò actiones suas, ut ad bonum vel ad malum illas seque converteret, sed totam etiam vitæ suæ seriem sortemque & exitum denique ipsum & summam rerum totam nutu arbitratuque suo dispensabat. Divino quidem ille lumine & imperio regebatur, & gratia juvabatur sufficientissimè ad bonum; sed assentiri & æternę felicitati sese adscribere, vel resilire, & in sempiternas atque irrevocabiles sese miserias demergere, in arbitrio & facultate voluntatis habebat. Nec enim Deo propositum tunc quidem erat, quale nunc est in electos ejus, tantam gratiarum ubertatem illi infundere, tot adminicula alia aliis ad salutem subrogare, ut vel non caderet, vel etsi caderet, surgeret cautior & ex humilitate robustior. Experiunda tunc erat creata libertas, ut sui periculum faceret, cùm integra sanaque erat & vegeta. Itaque sibi credebatur ipsa, & habenas non singulorum dumtaxat actuum, sed totius vitæ suæ & sortis regere permittebatur.

At verò nunc ita electis suis consulit Deus, ut actus singulos & singulas ad bonum gratiæ inspirationes versatili eorum libertati committat, ut quò volent, divertant, cœlesti assentiendo vel dissentiendo inspirationi: at summam eorum vitę, & actuum singulorum seriem, atque inclinationem suæ ipse reservat atque vendicat omnipotenti providentiæ & charitati. Itaque integrum est homini in singulis quibusque actibus libertate sua uti vel abuti, facere vel non facere: sed in quamcumque se partem conferat, non prætergredietur lineas ab omnipotente circumscriptas, & eo tandem revolve-

volvetur, quo ipsum agere & perducere proposuit Deus. Usque adeo enim per peccatum infirmata est nunc natura, ut etiam post justificationem, si totus sibi committatur homo, etsi aliquantulum & aliquandiu tandem perstet in officio, ex insita tamen inconstantia aliquando tandem ruiturus est. Consultissimum ergo fuit, ut singulos actus nostrę libertati Deus concrederet; inclinationem & summam totius vitæ, & ipsum maximè vitæ finem, mortis vel accelerationem vel procrastinationem suæ providentiæ reservaret. Augustinus disertissime: *Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, inter tot & tantas tentationes voluntas succumberet.* An verò negat Augustinus electis etiam & potentissimo illo adjutorio *quo* munitis relinqui voluntatem suam? An perimitur libertas per efficaciam gratię victricem? An potest stare libertas, nisi relinquatur voluntas? Nodus, ut vides, alioqui inexplicabilis, nisi confitearis per actus singulos voluntatem sibi permitti; sed ipsi universitati actionum & summę omnipotenter moderari Deum, & ad eum exitum finemque convertere, quem ipse constituit. Ita omnibus exploratum est cum impiis agi, ut quamvis sinantur suo arbitrio lascivire per singulas operationes suas, non evadant tamen nec transiliant calles divinæ providentiæ, nec ordinem ejus universalem prætergrediantur, etsi à particulari deficiant.

De Corrept. & Grat. c. 12.

Et ibidem Augustinus: *Fortissimo dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Num & electi non faciunt nunc quod volunt? Num & ipsi suæ libertati non dimittuntur & permittuntur? Quod ad totius universim vitę tenorem, & ad perseverantiam usque in finem attinet, non sanè sibi permittuntur, sed divinæ omnipotentię nutu & providentia rotantur, quo Deus vult. Num enim parvuli in potestate habent justificari vel non justificari per baptismum? Num perseverantia in eorum libero est arbitrio? Baptizantur & mortis celeritate prçripiuntur incertis vitę periculis solo Dei nutu, & ita exemplum de eis sancitur, ex quo Augustinus plurima in reliquos omnes electos argumentetur. An permittuntur electi ita divinis reluctari inspirationibus, ut non novis subinde & acrioribus lacessantur? An ita sinuntur charitatis inspiratos igniculos extinguere, ut non continuò timore gehennæ & aliis innumerabilibus affectuum stimulis lancinentur, donec assentiantur gratiæ? An ita permittuntur electi pro arbitrio suo retundere aculeos & amoris & timoris inspirati, ut non flagellentur assiduis statim ærumnis, morbis, & sexcentis calamitatibus, donec delectanti gratiæ assentiri malint, quàm crucianti & inevitabili alioqui miseriæ insenescere? An sinuntur electi pro arbitrio suo & nutu voluntatis liberæ justitiam semel acceptam ante vitę exitum abjicere, & non magis illos Deus potestati suæ reservat, ut non antè vivis excedant, quàm ad justitiam arrepserint, & antè excedant, quàm ab ea defluxerint? Habent ergo electi ita singulos actus suos in potestate liberi arbitrii sui, ut non possint tamen universali reluctari providentiæ & dispensationi divinæ, quæ circa illos omnia ita moderabitur, ut eos quando volet & ad justitiam promoveat, & in justitia vitam finire perficiat.

Ibidem.

Cęterùm qui vel motionem vel delectationem prædeterminantem ad singulos actus bonos necessariam esse opinantur, & hoc Augustini adjutorium *quo* esse contendunt: procul omnino illi & à veritatis orbita & à doctrina Augustini discedunt. Nam ex Augustino, adjutorium *quo* istiusmodi est, ut homini *non relinquatur voluntas sua*, nec sinat illum *facere quod velit*. Si ad singulos autem actus istud pertineat, perimitur libertas nostra. Ad summam autem vitæ totius & ad perseverantiam usque in finem, à singularibus actibus omnino discretam & discrepantem, hoc illi nec revocant, nec revocare possunt. Quippe adjutorium *quo* peræquè efficacissimum est ad perseverantiam atque ad bonos actus singulos. Non est ergo quo se expediant; cùm nobis tam proclive sit demonstrare ex Augustino, & superare libertatem in actibus singulis, & tamen non relinqui in eorum libertate, ut universali Dei providentiæ renitantur, & non tunc eripiantur vitæ, cùm imminent quidem, sed nondum incubuerunt errandi & ruendi pericula.

CAPUT LXXV.

Ideo tunc salus & perseverantia & prædestinatio innitebatur meritis liberæ voluntatis per gratiæ adjutorium sine quo non *adjutæ, at nunc omnia ista debentur uni gratiæ, merita istiusmodi evanuerunt in Adam, prædestinatio nunc & perseverantia usque in finem soli per Christum gratiæ imputantur.*

Ista verò argumentatio superiori usque adeo implicata est, ut illam paucis constrinxerim consultò, ne hæc insinuaret se unà & permisceret. Declarata auxilii *quo* natura & efficacia, Augustinus hoc statim corollarium, hoc gratiæ Adami & Christi discrimen exprimit, quòd tunc viribus liberi arbitrii, & meritis humanis salus accepta ferretur, nunc exclusis meritis quæ per Adam perierunt, totum gratię debeatur. Nam adjutorium *sine quo non* est ita comparatum, ut voluntas divinitus adjuta, agat se quo vult, suoque assensu vel dissensu sortis suæ sit ipsamet artifex & architecta. Ergo ibi perspicuè meritis est locus. At adjutorium *quo* torquet invictissimè voluntatem quo vult Deus; non ergo ibi est quo nostra libertas operæ aliquod pretium edat, aut meritum proprium comparet. Atqui & ibidem Augustinus & alibi sexcenties inculcat, & libertatem & merendi facultatem etiamnunc superesse, in iis maximè quos Christi gratia reparatrix in pristinæ dignitatis lucem restituit. Qui ergo possunt ista cohærescere, nisi ut supra jam sæpius insinuatum est, agnoscamus adjutorium *quo* non requiri ad actus bonos singulos, sed ad eos abundè sufficere adjutorium *sine quo non*; itaque singulis hujusmodi actibus & libertatis & meriti laudem propriam & peculiarem inesse? At verò perseverantiæ finalis, utpote ex adjutorio *quo* promanantis, decus, non libertati nostræ, non merito adscribendum est, sed merę Dei & omnipotenti gratiæ, qui quos vult, vel vita donat gratiæ & justitiæ, antequam è vivis abeant, vel vitæ subtrahit, antequam à justitia desciscant. Ut autem mors tunc cuique obtingat, cùm & ad justitiam provectus est, & à justitia necdum defluxit, nullę sunt ibi nostræ libertatis partes, nullus meritis humanis certè condignis locus. Ergo salus quæ huic donatur perseverantię, non ita meritis, non ita libertati donatur, ut donata est voluntarię Angelorum sanctorum perseverantię, ut donata esset Adamo, si & ipse in genitiva innocentia perseverasset. Illis enim permissa, ab illis administrata erat summa totius viæ suæ, non singulorum tantùm actuum bonorum, non sine auxilio quidem gratiæ, sed auxilio *sine quo non*, nequaquam verò auxilio *quo*.

Est & illud hic perpendendum magnique prorsus ponderis, quod etiam ubi nunc quis per actus singulos vitam promeretur æternam, hanc merendi dignitatem ex gratia justificante derivat. Gratiam verò justificantem per conversionem & justificationem consecutus est. Ad justificationem denique impulsus est per adjutorium *quo* invictissimum. Ergo quidquid inde meriti manat, quid-

quid libertatis spirat, longo illud distat intervallo à meritis & libertate Adami & Angelorum. Tunc enim libertas assentiebatur gratiæ incunctanter, alacriter, vehementer, plenissimè; at nunc non assentitur libertas gratiæ, nisi diu ante dissenserit; & ubi assentitur, nonnisi pigritabunda, ęgrè, remissè & frigidè plerumque assentitur. Cùm ergo gratia sæpiùs repulsam passa, & nostro renisu frustrata, expugnat tandem languidulum nostrum assensum, suorum auxiliorum infinita quadam multitudine, varietate, consonantia, conspiratione; an tantundem laudis & glorię & meriti nostræ libertati vendicandum est, quantum Adamo vel Angelis, cum primæ statim luci & aspirationi gratię totos se dabant & addicebant? Jure ergo Augustinus facta comparatione utriusque status, præ illis meritis, nostra nulla nunc esse merita ait: & præ illa libertatis integræ gloria, nostram nunc delitescere & solam eminere gratiam prædicat. Idem tamen alibi sequestrata hac comparatione superesse etiamnunc docet & libertati nostræ & merito locum, & secundas veluti partes, gratia utique divina primas sibi adserente.

Non possunt autem Augustino non collidi illi nunc Theologi, qui gratiam ad actus singulos efficacissimam & prædeterminantem perinde statuunt Adamo Angelisque, atque nunc nobis fuisse necessariam. Est enim physica prædeterminatio, seu gratia physicè prædeterminans adjutorium *quo* res indubitatissimè fit. Atqui istiusmodi adjutorium ne lapso quidem homini & reparato post lapsum Augustinus decernit, nisi ad perseverandum in justitia usque in finem, nequaquam verò ad momenta singula, vel ad actus quoslibet bonos. Multò minùs ergo Adamum stantem & integrum hoc adjutorio sublevari voluit ad actus singulos, quo ne ad perseverantiam quidem indigebat. Accedit quod gratiam stanti & lapso homini seu reparato necessariam ad perseverandum diligentissimè distinxit Augustinus. At si utrobique opus est gratia physicè prædeterminante, exsufflatur tota illa distinctio. Adde rursum quod ait Augustinus tanta virium copia, tantaque bene vivendi & perseverandi facilitate munitum fuisse Adamum, ut consentaneum fuerit ipsum sibi committi, & solo adjutorio *sine quo non* sustentari; nunc autem in tanta post peccatum infirmitate, inter tot & tantas tentationes, majoribus auxiliis nos suffulciendos fuisse. Quæ tota ratiocinatio funditus convellitur, si tam sano quàm infirmo, tam integro quàm saucio adsignatur eadem auxilii *quo* efficacissima gratia. Adde postremò quod si in utroque statu libertas adjutorio *quo* nixa bene operatur, & meritorum laude efflorescit, hæc merita ejusdem sunt prorsus generis, ac proinde non debuerunt merita tunc Adæ & Angelorum adeo exaggerari, aut nostra nunc tantoperè extenuari, ut hæc præ illis ferè evanescerent.

De correpr. & grat. c. 10 Audiamus nunc Augustinum: *Quapropter saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex nobis exoritura esse præscivit; & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefarere, quam mala esse non sinere; sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium. Denique Angeli quidam per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt: cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerunt.* Si gratia physicè prædeterminans æquè Angelis & Adamo necessaria erat, ut perseverarent, peræque ut nunc justis omnibus; eccur docet sanctus Pater in illis ostensum esse *quid posset liberum arbitrium*, in his *quid gratiæ beneficium*? Utrobique enim par & gratiæ & liberi arbitrii gloria, par imbecillitas. Eccur item ait Angelos sanctos perseverasse *per liberum arbitrium*, cùm potiùs per adjutorium insuperabile perseverarint? Aut si id etiam est perseverare per liberum arbitrium, nos quoque per liberum arbitrium perseveramus.

Et ibidem: *Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, &c. In quo statu recto & sine vitio si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, acciperet merito hujus permansionis illam beatitudinis plenitudinem.* Et infrà: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò vero habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, &c. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti, cum dicunt, Video aliam legem repugnantem legi mentis meæ, &c. Ille nulla tali rixa, &c.* Et inferiùs: *Nec ipsum Deus voluit esse sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio.* Et rursum: *Nec illa quidem parva erat gratia, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii, quoniam sic adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret; sed hoc adjutorium si vellet, desereret.* Et infrà: *Quia permanere noluit Adam, profecto ejus culpa fuit, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset. Sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, &c. Posset enim Adam perseverare si vellet, quod ut nollet, de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset & malè.* Et non multò pòst: *Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his quæ liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Quæ Augustini doctrina non stat, nisi gratia Adami ea fuerit, quæ non invictissimè prædeterminaret voluntatem; nunc autem in homine reparato gratia ad perseverandum usque in finem necessariò requiratur efficacissima, & infallibiliter assensum voluntatis extorquens. Habet enim etiamnunc homo *liberum arbitrium*, non tamen ita *liberum*, hoc est, ita sanum, expeditum à concupiscentiis vincientibus, ita robustum, ut cum solo adjutorio *sine quo non* perseveraturus unquam sit usque in finem. Etiamnunc quoque *gratia relinquitur in libero arbitrio*, à quo potest rejici; sed non possunt reiici, nisi motiones gratię singulæ, nequaquam universæ: tunc etiam rejici poterant universæ. At si gratia physicè prædeterminans utrobique desideratur, non est quod Augustinus hinc ullum aucupetur discrimen. Æquè enim utrobique illa gratia in potestate erit liberi arbitrii, vel illud potiùs in potestate habebit. Denique num per peccatum perdita & profligata est omnis ratio *meriti boni*? Num *merces meriti* nunc nulla est? Imò sunt etiamnunc merita, sed diversa, & quadam ex parte obscuriora. Nam Angeli sancti obtinuerunt, Adamus si voluisset, obtinuisset *mercedem voluntariæ permansionis*, gloriam plenissimæ beatitudinis: permansionis inquam seu perseverantiæ ita voluntariæ, ut voluntas ad hoc solo adjutorio *sine quo non*, neutiquam verò adjutorio *quo* sublevaretur. Nunc verò ad hanc perseverantiam usque in finem, cui rependatur merces cœlestis glorię, non sufficit adjutorium *sine quo non*, nisi addatur adjutorium *quo*, insuperabiliter voluntatem agens. Si autem Adamus & Angeli egebant gratia prædeterminante, nihilo major aut alia erat tunc meriti ratio & laus, quàm nunc sit.

Quę mox rursum pręclarè confirmat Augustinus: *Ut ergo perseverare vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati & bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium. Nunc vero posteaquam est illa magna peccandi merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas.* Vides peccato amissam esse illam *magnam libertatem*, hoc est, *bene vivendi facilitatem*, nempe

Ibid. c. 11.

Ibid. c.

pe cui *nihil ex seipsa concupiscentialiter resisteret*. Nunc ergo cùm *infirmitate* gravi laboremus, cùm illa libertate, illis *viribus* spoliati simus, *majoribus donis* adjuvamur, nec in electorum libero arbitrio relinquitur, ut perseverent, sed datur quo invictissimè & infallibiliter perseverent. Et rursum: *Merita potuit homo habere, sed perdidit. Et per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est per liberum arbitrium: propter quod non restat liberandis nisi gratia Salvatoris*. Si merita illa innocentis naturæ erant, quę cum gratia prædeterminante compararentur, eadem nunc præstant. Frustra ergo esset Augustinus, cùm illa ait esse perdita. At si spectes meritum de quo jamdiu verba facimus, voluntariæ in bono perseverantię cum solo adjutorio *sine quo non*, verissimè istiusmodi meritum amissum est, & exaruit penitus fons ex quo illud manabat, liberum arbitrium sanum & nullo concupiscentiæ vulnere sauciatum.

Idem Augustinus alibi de electis per Christi gratiam, *Non eos jam meritis, quandoquidem universa massa tanquam in vitiata radice damnata est, sed gratia discernens*. Et alibi: *Ubi autem judicium superexaltat misericordia, non sunt merita cogitanda, sed gratia*. Et rursum: *Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei gratia per Jesum Christum*. Et alibi denique: *Hanc immortalitatem natura humana est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum*. Quibus ex locis omnibus enitescit, in natura innocente ad meritum, in natura reparata ad gratiam pertinere hæc duo ex Augustino, primò quòd quis à Deo præ aliis eligatur ad gloriam: secundò quòd quis in accecpta justitia usque in finem perseveret. Ad hęc duo, quę sibi utique implicata sunt, restringuntur hæc omnia Augustini placita. Nam de justificationis gratia non potest intelligi hæc eadem Adami nostrumque per Christi gratiam justificatorum differentia, cùm & Adamo gratia justificans ante omne meritum indulta sit.

Civit. l. 14. c. 26. Op. ult. con. Jul. l. 3. c. 12. De Prædest. Sanct. c. 15. Enchirid. c. 106.

CAPUT LXXVI.

Qui ad actus nunc singulos adjutorium quo *victricis delectationis requirunt, adversantur Augustino, & meritum omne à justis nunc expungunt. Non enim meriti in meris creaturis capax est ex Augustino, nisi ea libertas, quæ sibi permittitur, quæ indifferentia suæ usu vel abusu pro suo arbitrio pœnas vel præmia sibi accersit. Varia ad id ex Augustino argumenta.*

QUi verò gratiam stantis & reparatæ naturæ cum Augustino per *adjutorium sine quo non*, & *quo* secernunt, sed illud adjutorium *quo* nunc ad actus bonos singulos necessarium sanciunt; hi graves sanè in laqueos sese indunt, nec Augustino possunt non subinde adversari. Nam primò quidem Augustinus docet *magnam* illam *libertatem & facilitatem bene vivendi* peccato amissam esse, ideoque nunc adjutorio *quo* opus esse. Atqui idem sexcenties ingeminat, ut alibi declaratum est, *libertatem* peccato amissam, baptismo restitui, bene operandi *facilitatem* justificante Christi gratia & charitate renovari. Ergo jam non erit opus adjutorio *quo* nisi ad perseverandum usque in finem. Nam si etiam ad singulos actus bonos ea indigemus, nulla ergo pars pristinæ libertatis & facilitatis per Christum justificando restituta est. Quod quid aliud est, quam Augustinum sibi ipsi collidere? Quantò mollius est & clementius illum sic interpretari, ut quia libertas & facilitas per Christi gratiam redintegrata est, ea det vires bene operandi cum adjutorio *sine quo non*: quia non tanta autem libertas facilitasque per gratiam justificantem reddita est, quanta fuerat amissa, & quia subinde molestiam creant cupiditates, adjutorio *quo* opus sit ad perseverandum usque in finem in bonis operibus, ad quam finalem perseverantiam disertis verbis & frequentissimè suum adjutorium *quo* sanctus Pater coarctat.

Secundò ait ibidem Augustinus tunc gratiam relictam fuisse in libero arbitrio, & hominem sibi ipsi commissum esse; nunc non relinqui, non dimitti gratiam istam adjutorii *quo* in libero arbitrio, non sibi ipsis electos committi. Atqui nunc gratia sæpissimè rejicitur, irritatur, cassa & inutilis efficitur per contumaciam liberæ nostrę voluntatis. Quò ergo evadent hęc Augustini placita, si ubique opus est & ad singulos actus efficacissima illa gratia, quæ non relinquitur in hominis libero arbitrio? Mollissima utique hęc concordia est, ut dicatur gratiam electionis æternæ ad gloriam cœlestem, gratiam item perseverantiæ finalis non esse permissam potestati liberi arbitrii: etsi gratia ad actus singulos bonos in libero sit arbitrio justorum, ut ea utantur, vel non utantur. Quî fieri autem possit, ut per singulos actus data gratia operari, vel otiari possimus, & tamen omnipotens gratia Dei electos suos invictissimè faciat in justitia perseverare, jam sæpiùs declaratum est; & non semel admonuit expressissimè Augustinus, hanc eximiam gratiam adjutorii *quo* illam esse, non quæ invictissimè per singulos actus prohibeat, ne peccetur; sed quę vel prohibeat ne cadamus, vel à casu excitet, & recidivas culpas morte anteverrat.

Tertiò identidem ait sanctus Pater invecto adjutorio *quo* jam totum gratiæ uni vendicari, jam liberi arbitrii, jam meriti humani nullas esse partes. Atqui ex eodem Augustino locus est adhùc & libero arbitrio hominis, & merito. Seponenda ergo sunt rerum genera duo, ut in his sola regnet, quæ regnat gratia Christi, meritis & humanę libertatis laudibus jussis conticescere; in illis cum gratia etiam collaboret nostra voluntas, & meriti aliquid colligat. Non potest id quidem magis apposite fieri, quàm si dicamus cum Augustino in electione ad gloriam sempiternam, nullam haberi nunc rationem meritorum; habitam esse in Angelis sanctis, habendam fuisse in homine primo, si permanere voluisset. Et rursus finalem perseverantiam nunc nec liberi arbitrii esse, nec nostri meriti, sed solius specialis gratiæ, quæ mortem tunc adfert, cùm in justitia stamus, post lapsus preteritos, ante lapsus imminentes. Finalis enim perseverantia non est, nisi quæ cum fine vitę conjungitur, & quæ finem vitæ illi adsignat tempori, cùm & à casu surreximus, & necdum relapsi sumus. Ut autem tam beata opportunitas obtingat, nec nostri potestas est arbitrii ulla, nec dignitas meriti. Quadrant ut perspicis omnia & cum re ipsa, & cum verbis Augustini, qui de sola disputat perseverantia vel electione ad gloriam in his locis.

Quartò si autem velis illud adjutorium *quo* ęquè ad actus singulos bonos, atque ad perseverantiam expeti, ergo in actibus bonis singulis extingues lucem omnem meriti, expunges laudem liberi arbitrii omnem. Quo quid vel veritati catholicæ, vel doctrinæ Augustini ipsius potest fingi magis infensum?

Quintò si dicas rursum etiamsi singuli actus boni per adjutorium *quo* eliciantur, & arbitrio liberó tamen & merito nostro locum superesse suum, sed aliter prorsus & aliter, quàm in natura innocente; contra Augustinus dicit merita periisse per Adamum, liberum arbitrium peccato profligatum esse. Et nos confitemur liberum arbitrium perseverandi per solum adjutorium *sine quo non*, esse funditus profligatum; merita perseverantię spontaneæ solo adjutorio *sine quo non* subnixæ, periisse; ideoque in his penes unam gratiam adjutorii *quo* nunc residere totam laudem. Non solum

lum talia merita periisse, & alia successisse ait Augustinus, sed periisse absolutè merita pronunciat, nempe permansionis voluntariæ, qua se alii ab aliis secernerent, & prædestinationi suæ causæ aliquid & fundamenti subjecerent.

Sextò si actus boni singulares per adjutorium *quo* eliciti communicantur etiam libero arbitrio, & meriti aliquid parturiunt, quin ergo & Angelos & Adamum innocentem isto Deus adjutorio *quo* sustentabat? An volebat antè dare locum meritis humanis? Atqui cum hoc adjutorio fiunt opera bona, in quibus meritum & dignitas efflorescit. An volebat experiri vires liberi arbitrii? Atqui Theologi isti authores sunt & fidejussores liberi arbitrii potestatem optimè cum adjutorio *quo* consociari posse. Contra tamen Augustinus instat, ubi meritis & libero arbitrio scena parabatur, qua sese exererent, inde abigendum fuisse omne adjutorium *quo*.

Video quid è latere possit quis regerere, à nobis quoque particulares aliquos actus heroicæ virtutis & constantiæ agnosci, qui ab adjutorio *quo* exoriantur: ergo in his saltem cum adjutorio *quo* in societatem laudis venire liberum arbitrium & humana merita. Respondeo istud adjutorium *quo* non intelligi à nobis nisi collectionem quandam plurium conspirantium omnis generis auxiliorum, quorum alia aliis deficientibus sufficiat Deus, & nostram dissentiendi pertinaciam obtundat tandem & fatiget nova semper beneficiorum oppugnatione. Porro ubi singularis aliqua inspiratio fatigatæ jam voluntatis assensum impetrat; non ipsa tamen sigillatim spectata est adjutorium *quo*, non seorsim sua vi invictissimè & infallibiliter voluntatem agere & inflectere apta est; ideo ergo assensus ille cum laude & merito conjunctus est.

Video rursum objici posse, quod Augustinus inde derivet necessitatem distinguendæ gratiæ hominis lapsi & reparati, quod tunc quidem nulla dum ebullierat concupiscentia, nunc autem quandiu in carne mortali vita trahitur, exultet subinde & ferociat concupiscentia. Atqui hæc ratio videtur complecti non perseverantiam solam in bono, sed actus singulos, quibus à concupiscentia periculum imminet. Respondetur supra nos ex Augustino demonstrasse, non per momenta singula, nec per actus singulos exardescere concupiscentiam, sed consopiri aliquando & quiescere, tunc ergo saltem actus boni sine adjutorio *quo* exerceri possunt. At non diu, non semper silent concupiscentię fluctus, ideo non potest quisquam sine adjutorio *quo* in finem usque perseverare. Secundò ex eodem declaratum est, etsi insit, non regnare tamen concupiscentiam in justificatis: regnat enim ex adverso in eorum cordibus charitas. Ergo etsi concupiscentia ęstuet, à regnatrice charitate compesci poterit cum adjutorio *sine quo non*. Tertiò ex eodem patuit libertatem & facilitatem etiam boni per gratiam justificantem, & ejus incrementa indi. Ergo ubi suppetit hæc boni facilitas, nihil opus erit adjutorio *quo*, quod adversus graviores tantùm difficultates desiderat Augustinus. Porro in longo vitæ & perseverantiæ finalis curriculo imminent semper alicubi gravissimæ istæ difficultates & tentationes. Ergo ad perseverantiam usque in vitę finem indigemus semper istius adjutorii *quo*. Quartò ubi etiam restitat concupiscentia, lentiùs alicubi, frigidiùs aliquando restitat. Nec enim in omnia vitia æquè omnium concupiscentia propendet, nec ab omnibus virtutum officiis æqualiter abhorret. Quin etiam virtutibus quibusdam alludere & ultro favere, à vitiis quibusdam abhorrescere quorundam natura videtur. Ergo in his nihil opus erit eo adjutorio invictissimo, quo molestissimæ tentationes superentur, sed cùm eodem adjutorio quo Adamus innocens utebatur, vincemus hos imbelles hostes, vel majori paulò conatu, vel adjutorio ipso paulò auctiori, intra idem tamen genus.

Septimò suam mentem Augustinus apertissimè declarat, cum adjutorii *quo* exempla ponit in iis qui præripiuntur peccandi periculis, vel morte præfestina, vel tentationum & periculorum propulsatione; cujusmodi sunt & parvuli quos nuper tinctos mors rapit præcox, & illi omnes qui rapiuntur adulta etiam vel provecta ætate, ne malitia mutet intellectum eorum, & martyres denique ipsi, qui non raro resilirent, nisi cruciatuum vis temperaretur vel contraheretur ad eorum patientię modum. In his omnibus liquet quomodo res non relinquatur in hominis libero arbitrio, & tamen singuli actus quos quilibet operatur, sint in ejus potestate. Istiusmodi ergo cogitandum est adjutorium *quo*, non præmotio aut prædeterminatio physica, non delectatio victrix & prædeterminans. Quid autem evidentius, quàm qui ita perseverant in justitia usque in finem, non ita libero arbitrio suo, aut merito suo perseverare, ut Adamus perseverasset, ut Angeli sancti perseverarunt, nulla istiusmodi freti Dei protectione, finem vitæ & tentationum modum dispensantis?

Octavò ait Augustinus Adamum innocentem adjutorio *sine quo non* sibi proprio fraudari non potuisse, nunc autem adjutorium *quo* quibus datur misericorditer dari, aliis justissimè non dari. Si istud adjutorium *quo* ad singulos actus bonos necessarium interpretaris, durissimi & importunissimi dogmatis authorem facis Augustinum, posse justum nulla adhuc culpa sua à justitiæ lege deviantem, deseri à Deo, & fraudari auxilio ad singulos actus necessario. Quo quid immanius dici potest, quid Augustino magis inimicum? At verò nihil pronius & expeditius hâc Augustini doctrina, si adjutorium *quo* intelligas & ad perseverantiam tantùm pertinere, & non aliud esse, quàm collectionem quandam auxiliorum, & maximè protectionem quandam extraordinariam, qua fini ipsi hominis prospiciatur, vel accelerata morte, vel tentationibus ablegatis. Nec enim justo fit injuria, si per actus quidem singulos necessaria gratię adjutoria donantur, etsi non præripiatur futuris lapsibus, etsi non arceantur tentationes & pericula, quæ non frangent nisi volentem, & præsentibus sufficientissimisque auxiliis non utendo abutentem. Quo enim actu peccat justus, eo potuerat non peccare, quia munitus tunc fuerat auxilio prorsus eodem quo antè cum non peccabat. Quòd autem non antè præreptus morte sit, vel quòd postea non tandiu vivere permittatur, donec ad justitiam revocetur, hoc est, quòd adjutorium *quo* illi non indulgeatur, quo electi omnes gaudent, de eo sanè non potest nisi per summam insaniam conqueri. (De Corrept. & Grat. c. 11.)

Quòd autem nunc quoque justis vera nunc merita bonis operibus accrescant, author est Augustinus ipse: *Vita æterna etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur; nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* (Epist. 105. 107.) Et alibi: *Vera gratia non secundùm merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum datur.* (Enchirid. c. 107.) Et rursum: *Gratia nisi gratis sit, gratia non est. Intelligendum est igitur etiam hominis bona merita esse Dei dona, quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur?*

Non ergo sibi confligatur Augustinus, cum superesse nunc docet merita, & cum ea per Adamum perdita memorat. Nam eo sensu perdita sunt, quòd nunc non ut Angeli sancti meritis discernamur, hoc est, prædestinemur ad gloriam sempiternam, sed electione gratiæ: item quòd nunc non nostri dignitate meriti extraordinariam illam vel protectionem vel auxiliorum conspirationem consequamur, quæ dat perseverare usque in finem: tunc autem Angeli sancti per vires liberi arbitrii adjutorio *sine quo non* communitas perseverarunt; quòd denique per actus bonos mereamur

nunc

nunc quidem: at gratia justificans quæ dignitatem illam meritis conciliat, non tantùm nullis, sed etiam malis meritis nostris inusitata prorsus misericordiæ abundantia concessa sit.

CAPUT LXXVII.

Idem probatur ex aliis Patribus Augustino addictioribus, Prospero, Fulgentio, Gregorio, meritis non esse locum, ubi voluntas meræ creaturæ ita determinatur indeclinabiliter ad bonum, ut non ei permittatur, quam se in partem volet, declinare.

SUffragia nunc aliorum Patrum Augustino adjungamus, ut constet merita etiamnunc à viris justis comparari, non aliter tamen, quàm quia etsi illos omnipotens & universalis providentia protegat, & in finem tandem præstitutum invictissimè promoveat; ipsi tamen circa singulos actus libero suo arbitrio & innata indifferentia fruantur; eoque mereantur vitam æternam, quòd cùm possint transgredi, non transgrediantur lineas officii & æqui æterna lege præfixas.

De vocat. Gent. l. 2. c. 12. 28. Author librorum de Vocatione Gentium absolutissimè rem ita definit: *Multis qui jam judicio rationis utuntur, ideo liberum est discedere, ut non discessisse sit præmium: & ut quod non potest nisi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.* Et infrà: *Deus ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabilitatem non auferat, quæ potest nolle, &c. Et licèt innumeris Sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, à nullis tamen aufert quod ipsis repugnat ex ipsis, ut in omnibus studiis eorum atque conatibus semper inter se velle & nolle decertent, &c. Ut quamvis auxilio Dei steterint: tamen quia in se habebant unde caderent, ipsorum sit meritum quod steterunt.* Vides quare justorum nunc *meritis deputetur* bonum opus quodlibet, nempe quia eorum id libero arbitrio & voluntate *potuit non fieri*. Quin & ipsa eorum perseverantia in bonis operibus usque in finem, meritorum seges est quædam uberrima, quia etsi invictissimè & ineluctabiliter ita illos Deus agat & circumagat, ut nonnisi justitiæ suæ retinentes mors opprimat; in singulis tamen operibus bonis per momenta singula in eorum potestate est bene agere, vel non agere, aut malè agere.

Id verò quomodo fiet cum prędeterminante infallibiliter ad actus singulos vel motione vel delectatione, non possum equidem, quę meæ mentis imbecillitas est, intelligere. Nam in Angelis sanctis & in Adamo stante, quandiu steterunt in via justitiæ, capio equidem inde illis effloruisse meritum, quòd cùm possent cadere, starent; quòd cadentibus aliis starent; quòd superbiam qua possent efferri, retunderent, seque dejicerent; sibi vilescerent, cùm possent inflari. Video hìc apertè meritum effulgescens. At monet Augustinus, ideo merita locum tunc habuisse, quòd voluntas sibi committeretur, suæ potestatis esset, solo adjutorio *sine quo non* subnixa, quod posset refellere, quod multi alii irritum cassumque reddiderent. Ergo ut nunc quoque ratio meriti vera & sincera, non fucata, non subtilitatum præstigiis nescio quibus adulterata, concilietur nostris bonis operibus, necessum est, ut eò meritoria sint, quòd cum possent non fieri, facta sint. At si motione prędeterminante, aut consimili delectatione ad ea adigamur, quì possunt non fieri? Aut si vel sic ita fiunt, ut possint non fieri, quin ergo & idem adjutorium *quo* concedebatur Adamo? Sed oro te, summoveantur præjudicia, & opinionum præsumptarum defensioni antehabeatur sincerus veritatis amor, ecqua laus, ecquod meritum accedere potest voluntati, si bonò consentiat, ex eo quòd possit non consentire, quando insuperabili divina motione torquetur ad consentiendum? Quando ineluctabili motione agitur ad bonum opus, an illam dices voluntatem eò laudabilem, quòd bonum opus potuerit non facere, & fecerit? Video quando ineluctabiliter ad bonum agitur, delitescentem in substantia voluntatis indifferentiam & potentiam non agendi, video; sed quando tam arctis & inextricabilibus vinculis divinæ prædeterminationis trahitur ad agendum, an dices eò laudem & meritum sibi ingens parare, quòd possit non trahi, possit non bene operari?

Dicamus ergo potiùs eò mereri justos vitam æternam, quòd bona opera singula possint vel facere vel omittere, impellente eos tantùm adjutorio *sine quo non* fit opus bonum, nequaquam autem adjutorio *quo* infallibiliter fit opus bonum. Id verò non prohibet, quin habeat illos Deus in potestate, & tum justos, tum perseverantes faciat usque in finem vitæ, quoties illi visum est. Et pueros enim in potestate habent viri, ut volentes ex nolentibus faciant, & quamlibet abhorrentes ab humaniorum litterarum studiis, in ea constringant, non per singulas actiones vim adferendo, sed præmia & pœnas universim ita dispensando, ut cùm non possint generaliter & has refugere, & illas concupiscere, ita seipsos cogant velle quę nolebant, & studia quæ horrebant, amplecti, ut possint & pœnas quas timebant, effugere, & pręmia consequi quę appetebant. Ita ergo pueri per momenta & opera singula sui juris sunt, ut ludo, vel litteris vacent, sed universim præmiorum & pœnarum dispensatione sic circumvallantur, ut non possint tandem non affectibus ipsis suis servire, & studia litterarum amplecti, quo pœnas vitent molestia studendi acerbiores, & præmia assequantur jucundiora quocumque ludendi delectamento. Si videamur autem nobis non satis certi & securi esse de nostra hac in pueros quosdam obstinatiores victoria, ne tamen de consimilis gratiæ divinę omnipotentia diffidamus. Nos enim eò imbecilliores sumus, quòd & puerorum animi sinus latebrasque minùs exploratas habemus, affectus eorum multiplices & affectuum dominatores non perspicimus; quid plus horreant quàm studendi mœstitiam, quid plus ament quàm illecebram ludi, non dignoscimus: & ut hæc nobis essent compertissima, non nostra in facultate est, & illa quæ terrori, & illa quæ amori & delectationi esse possunt, objicere & aggerare: utque hoc etiam possimus, extrinseca tantùm hęc sunt timoris & amoris machinamenta, ipsum intus pavorem amorisve dulcedinem inspirare non possumus, inculcare, ingeminare non possumus, augere & inflammare non possumus, temporis diuturnitate & intus forisque oppugnandi importunitate fatigare, & ideo superare non invictissimè possumus. At proclivia sunt hæc omnia divinę & sapientiæ & potentię. Ne ergo de quantacumque obstinatione cordis humani potentissimę ejus gratiæ victoriam desperemus unquam.

Ad alios nunc Patres accedamus, Augustini placitis addictiores, ut eos quoque liqueat hanc ejus mentem, hanc sententiam & hoc sensu constantissimè interpretatos esse. Julianus Pomerius: *Voluntatis sanctorum Angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt, &c. Merito suæ stabilitatis in æternum fœlices effecti, de sua permansione securi sunt.* Et ibidem: *Divino justoque judicio actum est, ut quæ fuit cum Deo suo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria felixque necessitas.* De vita contempl. c. 1.

Prosper similiter de primo parente: *Si auxiliantem sibi Dominum non desereret, posset in bonis quæ naturaliter acceperat, perseverare, quia vellet: & merito voluntariæ perseverantiæ in eam beatitudinem pervenire, ut nec vellet decidere in posteriora, nec posset.*

Ful-

Fulgentius consimiliter meritum omne existere suspicatur ex potestate dissentiendi, cum quis consentit gratiæ, vel potiùs ex consensione ita præstita, ut potuerit non præstari: *Ut verò has dilectio haberet justam & congruam laudem, voluntatis quoque eis tribuit libertatem, ut esset eis possibile, sive ad eum qui supra eos est, intentionem sanctæ dilectionis dirigere, sive ad se, vel ad eos qui infra eos sunt, gravi cupiditatis semetipsos pondere declinare*. Est autem perquam absurdum, dari ad hoc libertatem ad bonum & ad malum versatilem, ut ex libero flexu ad bonum laus & meritum comparetur, & statim ita per motionem prædeterminantem quasi per ferrea quædam vincula constringi illam, ut ad alteram partem inevitabiliter rapiatur. Aut si absurdi nihil est in ea re, quin ergo & Adamus pari adjutorio *quo* & gratia prædeterminante donabatur? An dices experiundas fuisse tunc vires liberi arbitrii? Assentior, & dico ideo laudes & merita parari libertati, quando periculum fit & specimen editur ejus virium. Atqui vel ex Adamo stante liquet si auxilio *quo* & prædeterminante ad singula opera donatus fuisset, tunc nec demonstrari potuisse vires liberi arbitrii, nec merita & laudes parari. Idem ibidem, *Quibus Angelis & hominibus propter arbitrii libertatem, quæ maximè debuit intellectuali creaturæ creatoris benignitate conferri, ita cognoscendi ac diligendi se facultatem voluntatemque donavit, ut eam unusquisque & habere posset & perdere*. Hæc lex ut vides, hæc conditio est liberi arbitrii, hæc ejus natura, ut sive in stante, sive in restituto homine libertas eo mereatur, quod cum bene velle possit & male, bene malit. Unde rursus infrà idem: *Firmissimè tene, primos homines bonos & rectos & sine peccato creatos esse cum libero arbitrio, quo possent si vellent humili & bona voluntate servire atque obedire; quo arbitrio etiam possent si vellent, propria voluntate peccare; eosque non necessitate, sed propria voluntate peccasse*. Ergo peccat quis, cum potuit non peccare: bene meretur quis, in hoc gradu quidem naturæ, & modo illi consentaneo, cum potuit & bono opere supersedere. Quod autem Fulgentius continuò subdit post lapsum homines subesse *peccati dominio*, non eo id valet, quod quis unquam inevitabiliter peccet, sed quod inevitabiliter nunc insit concupiscentia, quæ quod peccato parta sit, & ad peccatum inclinet, peccatum & ipsa dicitur: vel quod post lapsum non possit homo esse & vivere sine peccato, etsi singula peccata possit vitare.

Cap. 25.

Gregorius apertè idem significat: *Homo sic immortalis est conditus, ut tamen si peccaret, & mori posset; & sic mortalis est conditus, ut si non peccaret, etiam non mori posset, atque ex merito liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare, vel mori non posset*. Ita ante lapsum. Quid verò postea? Sic ille, *Postquam verò se sponte hosti subdidit, astrictus culpæ suæ vinculis, in quibusdam ei etiam nolens servit, & clamores in mente patitur, dum caro spiritui reluctatur. An clamores intrinsecus audiebat, qui prava contra se legis verbera tolerabat, dicens, Video aliam legem, &c.* Disertè ait *in quibusdam* necessariò nunc nos peccato servire, nempe dum concupiscentiæ stimulis pungimur: quod vitare nemo potest. Inde fit autem, ut & in *aliquas* defluamus culpas, etsi singulas declinare possimus, quia adversus intestinum & assiduum hostem pugnantibus nulla ex parte unquam vel perstringi levissimè, impossibile est. Natura porro intellectualis & rationalis ut se habeat sua sponte, sive primitus instituta, sive postea restituta, sic idem alibi: *Et natura Angelica quando creata est, liberum arbitrium accepit, utrum vellet in humilitate persistere, & in omnipotentis Dei conspectu permanere, an ad superbiam laberetur, & à beatitudine caderet. Sed quia cadentibus aliis sancti Angeli in sua beatitudine perstiterunt, atque hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omnino non possint, &c.*

Moral. l. 4. c. 26.

Ezech. l. 1. hom. 7.

CAPUT LXXVIII.

Idem evincitur ex Bernardo, Hugone Victorino, Anselmo, libertatis & meriti rationem nunc post hominem à Christo reparatum in eo esse, quod voluntas faciat bene, vel male, cum possit utroque abstinere. Ex quo liquet perseverantiæ gratiam à gratia singulorum actuum esse secernendam. Christi libertas & meritum non humano modo pensitari debet; sed consentaneo, hoc est divino, ex Anselmo; quomodo ille & impeccantiam habeat & merita.

ACcedit & Bernardus astipulator. Sic enim ille de homine stante: *Ne quid deesset bonis ejus, etiam liberum arbitrium ei indulsit, ut bonum ejus esset voluntarium, non coactum. Accepta licentia boni & mali, cœpit eum tædere bonorum suorum, &c.* Quæ ideo de homine primùm creato & instituto ita affirmantur, ideo sic creatus, sic à naturæ authore institutus ille est, quia hæc natura est, hæc conditio & lex tum animæ rationalis, tum liberi arbitrii, tum denique meriti humani, sive in bonam, sive in malam partem. Et rursus idem: *Soli inter animantia datum est homini posse peccare ob prærogativam liberi arbitrii. Datum autem non ut proinde peccaret, sed ut gloriosior proinde appareret, si non peccaret, cum peccare posset. Quid namque gloriosius ei esse poterat, quàm si de ipso diceretur, quod scriptum est, Quis est hic, & laudabimus eum? Unde laudandus? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quæ? Qui potuit transgredi & non est trangressus, facere mala & non fecit. Hunc ergo honorem quandiu absque peccato fuit, servavit; amisit, cum peccavit. Peccavit autem quia liberum ei fuit.* Non potuit apertiùs indigitari fons, unde humana merita scaturiunt. Quod videlicet non peccet quis, etsi possit. Quanquam enim eo loco Bernardus de homine stante loquatur, causa tamen una est & meriti, & liberi arbitrii ad merendum comparati. Nam & possibilitas peccandi nunc residua nobis est, & non ad aliud vel primùm data, vel post justificationis gratiam reparatricem residua, quàm ut dum & peccari potest & non peccatur, meritum comparetur. Hæc est enim teste Bernardo *prærogativa liberi arbitrii*, prærogativa inquam naturalis, cæteris irrationabilibus naturis inconcessa. Est enim *gloriosius non peccare, cum peccari potest*.

Serm. 1. de pugna spir.

De grat. & lib. arbit. c. 7.

Illud autem observa in eodem Bernardi testimonio, primo parenti si stetisset in rectitudine diutiùs, aptandum fuisse à Bernardo illud Scripturæ, quod de homine post lapsum reparato & justificato scribitur: *Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Qui potuit transgredi & non est trangressus, facere mala & non fecit*. Ex Scriptura ergo & interprete Bernardo, homini sive primùm instituto, sive postea restituto communis ea conditio est & liberi arbitrii & meriti, ut non peccando, cum peccare potest, vel peccando cum potest non peccare, præmia vel pœnas demereatur, & suam declaret libertatem. Illa indifferentia ad actus singulos aspirante gratiæ adjutorio *sine quo non*, præclarè intelligitur in natura innocente. At si in naturæ reparatæ statione ad singulos actus adjutorium *quo* requiritur infallibiliter & uno impulsu prædeterminans, tota illa indifferentiæ & liberi in utramque partem arbitrii & meriti ratio ad meras verborum tricas & scholasticas calliditates sanctis Patribus incompertas revolvitur.

Sed quid apertius eodem alibi Bernardo? *Arbitrii libertas planè divinum quid. Ex hac namque inest*

In Cant. Serm. 81.

inest inter vitam & mortem, sed & nihilominus inter lucem & tenebras & cognitio judicii & optio eligendi; & si qua sunt alia quæ similiter circa animi habitum sese è regione respicere videantur, nihilominus inter ipsa censorius quidam arbiter is animæ oculus dijudicat & discernit; sicut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber. Unde & liberum nominatur arbitrium, quòd liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne etenim quod feceris bonum, malumve, quod quidem non facere liberum sit, meritò ad meritum reputatur. Et ut meritò laudatur, non is tantùm qui potuit facere mala & non fecit, sed & qui potuit non facere bona & fecit; ita malo non caret merito tam is qui potuit non facere mala, & fecit, quàm qui potuit facere bona, & non fecit. Ubi autem non est libertas, nec meritum. Nullæ hic cavillationes, nullæ tergiversationes tantam perspicuitatem, & tam expressam veri lucem possunt obscurare. Libertas nunc quidem inter meros homines non aliter comparare potest merita seu bona seu mala, quàm per boni & mali indifferentiam; si nempè malè operetur, cùm possit sibi temperare; si boni quid faciat, cùm possit eo abstinere. In illo enim liberæ voluntatis flexu à malo qui æquè patet ad bonum, & in pio innatæ indifferentiæ usu laus meritumque consistit. Quod inane tamen ludibrium est, si voluntas ad quidlibet divinæ motionis omnipotente impulsu flectitur.

Quod ergo alibi Bernardus idem solam vim & coactionem à libertate abesse jubet, ut mereri vel demereri idonea fit, hoc eodem sensu interpretandus est, qui tam dilucidus, tam expressus hic effulsit. Nempe tum vis, tum coactio abest, cùm integra & incolumis superest agendi vel non agendi indifferentia. *Sola ergo voluntas quoniam pro sui ingenita libertate, aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo consentire nulla vi, nulla cogitur necessitate, non immeritò justam vel injustam, beatitudine seu miseria dignam & capacem creaturam constituit, prout scilicet justitia injustitiave consenserit.* (De grat. & lib. arbitr. c. 5.)

Cum porro idem Bernardus infrà docet merita nostra Dei esse dona, non ipse sibi pugnat. Donat enim merita Deus ex ipso Bernardo, cùm gratiam justificantem infundit animo, seu charitatem habitualem, quæ causæ & origo est verissimi ad gloriam sempiternam meriti. Hæc porro gratia etsi inclinat urgetque voluntatem ad bonum, non ligat tamen, nec extincta indifferentia inevitabiliter constringit voluntatem. *Deus dona sua quæ dedit hominibus, in merita divisit & præmia.* Et ibidem: *Conatus voluntatis ad bonum & cassi sunt, si à gratia non adjuventur, & nulli, si non excitentur.* Excitat, adjuvat gratia voluntatem per actus singulos, assentimur: quòd autem eam invictissimè determinet, nec Bernardus innuit, nec quisquam sanctorum Patrum. Quin imò Bernardus hanc gratiam perspicuè affirmat eam esse quæ justificat: *Denique ait, Quid habes quod non accepisti? Crearis, sanaris, salvaris, quid horum ex te homo? Quid horum non impossibile libero arbitrio? Nec creare qui non eras, nec justificare peccator, nec mortuus poteras teipsum resuscitare, &c.* Et mox: *Quis est qui seipsum justificat? Qui merita sibi aliunde quàm à gratia præsumit.* Ergo ex Bernardo gratia justificans principium est & fons meriti illius, quo digni vita æterna evadimus. Illa porro gratia libertatis indifferentiæ infesta nequaquam est. (Ibid. c. 13.)

Hugo Victorinus Bernardi sententiam illustrabit confirmabitque, cùm suam scholasticè magis astruet. Sic enim ille evidentissimè utrumque & asseverantissimè affirmat, voluntatem liberam eò merita colligere, quòd in utramque partem versatilis cùm sit, in bonum se convertat: gratiam porro quæ ad actus bonos ac meritorios voluntatem inclinat, illam esse gratiam quæ per charitatem & habitus virtutum infusos justificat; à qua ne suspicari quidem possumus ullum indifferentiæ liberæ periculum imminere. *Media libertas post reparationem, ante confirmationem, habet gratiam in bono, infirmitatem in malo; gratiam in bono adjuvantem propter libertatem, & gratiam contra malum adjuvantem propter infirmitatem; ut sit in ea posse peccare propter libertatem & infirmitatem, & posse non peccare propter libertatem & gratiam adjuvantem; nondum tamen non posse peccare, propter infirmitatem adhuc perfectè non ablatam, & propter gratiam confirmatam, adhuc perfectè non consummatam.* (De Sacram. L. 1. Part. 6. c. 16. 17.) Perspicis ut non posse peccare, & libertatis & gratiæ Beatorum consummatæ propria sit prærogativa, ubi jam non meriti, sed præmii sedes est. Hominis autem per gratiam reparati libertas illa sit propria, quæ posse peccare, posse non peccare complectitur, & merita hinc in alterutram partem metit. Gratia autem huic mediæ libertati accommodata illa nimirum est, quæ vim mediocrem addit, inclinatque ad bonum, non infallibiliter applicat. Alioquin hæc erit gratia consummata, beatorum Cœlitum propria & peculiaris. Si enim gratia hìc per actus singulos donanda, ea sit quæ invictissimè & insuperabiliter ad bonum determinet, quo differet à gratia consummata? Cur non æquè dicetur auferre & exurere potentiam peccandi? Si semper alicui adsit hæc gratia, nonne hæc jam erit beata impeccantia? Video quid discriminis possit adsignari, gratia physicè prædeterminans ad punctum temporis aut ad breve spatium aufert peccandi potentiam, gratia Beatorum eam funditus & in perpetuum exurit. At brevitas & diuturnitas nihil decerpunt de rei ipsius natura.

Idem continuò declarat quæ sit illa gratia, qua vegetatur libertas incolumi ad bonum malumve indifferentia gaudens, eoque meriti capax. *Per prima bona liberum arbitrium reparatur, per secunda bona liberum arbitrium operatur. In primis bonis Deus in homine operatur, in secundis bonis Deus homini cooperatur. Prima bona donum Dei sunt, non meritum hominis. Secunda bona & Dei sunt per donum, & hominis per meritum, &c. Sed in his virtutibus quæ per gratiam reparatricem sunt, primum Spiritus sanctus bonam voluntatem operatur; deinde bonæ voluntati moventi se & operanti cooperatur. Primùm bonam voluntatem aspirat, ut sit, deinde bonæ voluntati inspirat, ut moveatur, & operetur, ut vacua non sit.* Vides ut gratiam & justificantem, quæ prima inspiratur, & postea operantem, quæ in bona opera erumpit, non aliam memoret, quàm *virtutes*, quas ibidem definit *affectus ordinatos*, utpote per gratiam & cum gratia charitatis habitualis infusos.

Anselmus porro etsi studio partium in alienas opiniones à quibusdam distrahatur, constantissimè hanc eandem tuetur doctrinam. Et primùm quòd Angelis meritum omne accesserit ex bono indifferentiæ suæ usu, quòd cùm possent à justitia discedere, non discesserint, & hanc esse libertatem meriti artificem, sic ille evidenter: *Angeli non sunt laudandi de justitia sua, quia peccare potuerunt, sed quia per hoc quodammodo à se habent, quod peccare nequeunt. In quo aliquatenus similes sunt Deo, qui à se habet quidquid habet. Dicitur enim dare aliquid, qui non aufert quando potest; & facere esse aliquid, qui cum possit id ipsum facere non esse, non facit. Sic itaque cum Angelus potuit auferre sibi justitiam, & non abstulit; & facere se non esse justum, & non fecit; rectè asseritur dedisse sibi justitiam, & seipsum justum fecisse. Hoc igitur modo habet à se justitiam, quia creatura eam aliter à se habere nequit, & idcirco laudandus est de sua justitia, & non necessitate, sed libertate justus est; quia impropriè dicitur necessitas, ubi nec coactio ulla est, nec prohibitio.* (L. 1. cur Deus homo c. 10.)

Hic verò observa 1. quo sensu peccandi potentia

ad

ad merendum nihil conferat, nempe quia non eò laudabiles Angeli quòd peccare potuerint, sed eò quòd cùm possent, non peccarint. Non ergo laudi & merito est ea potentia, sed illius potentiæ compressio & coercitio; quæ tamen laus, quæ meriti gloria evanesceret, si peccandi potentia dissiparetur. 2. Libertas quo sensu ab Anselmo dicatur esse, quæ non cogitur. Nempe nostra nunc voluntas eò non cogitur, quòd in alterutram partem librare se pro arbitrio potest. 3. Meritum creatæ Angelorum hominumque libertatis ex eo existere, quòd suam à se justitiam habeant, non quòd eam sibi peperérint, sed quòd à Deo infusam, cùm possent abjicere, non abjecerint.

Pergit ibidem Anselmus, & divinam libertatem laudemque à creatura qualibet mera dispescit, quòd Deus, quòd Christus, homo quidem, sed & Deus idem, justitiam suam habeat à semetipso, & ita habeat, ut amittere non possit. Hoc enim meriti, hoc laudis, hoc libertatis genus Deo proprium & peculiare, & longè præcellentius est, quàm nostrum, qui eò tantùm nostram à nobis habemus justitiam, quòd quanquam à Deo donatam, etsi rejicere poteramus, non rejecimus. Christi ergo Deique ratio & meriti & laudis & libertatis longissimo à nobis distat intervallo. Illi enim liberum, laudabile & meritorium suo quodam ineffabili modo est, quòd à seipso suam habeat justitiam, & inamissibiliter habeat. Nobis autem longè diverso modo res cadit: justitiam enim à Deo accipimus, nec in eo meriti quidquam proprii est, sed in eo quòd cùm inspirationem gratiæ repudiare possimus, non repudiamus. *Quapropter quoniam Deus perfectè habet à se quidquid habet, ille maximè laudandus est de bonis quæ habet & servat, non ulla necessitate, sed propria & æterna immutabilitate. Sic ergo homo ille qui idem ipse Deus erit, quoniam omne bonum quod ipse habebit, à se habebit, non necessitate, sed voluntate & libertate, & à seipso justus, & idcirco laudandus erit. Quamvis enim humana natura à divina habeat quod habebit, idem tamen ipse à seipso, quoniam duæ naturæ una persona erunt, habebit.* Ita Christus *& peccare non poterit, & tamen laudandus erit*.

Alia verò hìc existit quæstio, cùm in Christo Deus talem fecerit hominem, qui & peccare non posset, & tamen liber ac laudandus esset, *Cur non tales fecit Angelos, & duos primos homines, ut similiter & peccare non possent, & de sua justitia laudandi essent?* Apposita ad rem nostram quæstio. Videamus ergo quid responsionis adferat Anselmus: *Quoniam non potuit nec debuit fieri, ut unusquisque eorum esset idem ipse qui Deus, sicut de homine isto dicitur*. Negat fieri vel debuisse vel potuisse Angelos hominesve primos ita libertatis & meriti compotes, ut peccandi impotentes essent, quia non decebat ut hypostasi divina donarentur, perinde ut Christus. Non ergo alia ratio Anselmo veniebat in mentem, qua fieri infallibiliter posset, ut nec homines primi, nec Angeli peccarent, quàm si divinæ copularentur personæ. Si ejus autem hæc fuisset sententia, justos nunc homines infallibiliter ad bonos actus singulos gratia prædeterminante agi, nonne potius quæsisset, eccur non consimili gratia infatigabiliter Deus & Angelos & primos homines recreabat?

Postremò Anselmus hanc gratiam qua nunc fiunt opera bona, cum libero arbitrio conciliare aggressus libro singulari, *de Concordia gratiæ, prædestinationis & liberi arbitrii*, non aliam tamen gratiam attingit, quàm habitualem & justificantem, *rectitudinem* scilicet, quam à Deo *accipit* homo, quam acceptam *rejicit*, vel *servat* pro arbitrio; qua veluti *veste* supernè injecta utitur, vel exuit ipse semetipsum. Ideo & gloriam totam ait refundendam Deo esse, qui vestem dedit justitiæ, qui facultatem ejus servandæ dedit, etsi hac veste & facultate alii utantur, alii non utantur. *Nam cum ait, Neque volentis neque currentis est, subaudiendum est, quod vult & quod currit. Velut cum aliquis nudo, cui nihil debet, & qui nullum à se potest indumentum habere, dat vestem. Non tamen quamvis ipse habeat potestatem utendi & non utendi accepta veste, si ea utitur, imputandum est induto, quia indutus est, sed danti vestem. Quapropter ita dici potest, Non est induti, quod est indutus, sed miserentis, id est vestem dantis. Multo vero magis hoc diceretur, si ille qui dedit vestem, dedisset etiam potestatem servandi eam, & utendi: sicut Deus homini cum dat rectitudinem, dat etiam potestatem servandi & utendi, quia dedit prius liberum arbitrium, ad servandum illam & utendum*. Sunt hæc omnino & verba & sensa ab eorum placitis alienissima, qui gratiam actuum bonorum & meritorum procreatricem augurantur esse motionem quandam ineluctabilem, & voluntates ineluctabiliter rapientem.

Postremò denique ibidem Anselmus penitiùs qui sit hæc gratia cum libero arbitrio in gratiam & concordiam adducenda, scrutari pergens, hanc ait esse voluntatem quandam, non actum voluntatis, non facultatem seu potentiam voluntatis, sed medium quid, nempe *affectionem*, seu inclinationem voluntatis fixam & constantem in bonum, quæ insit etiam in *dormiente* & otiante. Atqui perspicuum est, hujusmodi affectiones, seu virtutes habituales, momenti plurimum habere & ponderis ad inclinandas voluntates, nequaquam verò ad eas in bonum insuperabiliter impellendas. Ita indifferentia & libertas merito comparando idonea incolumis servatur, & sententiæ Patrum nativo sensu suo gaudent, non violentis interpretationibus in meras calliditates deflectuntur.

CAPUT LXXIX.

Ex Augustino probatur fontem & caput meritorum in meris quibuscumque creaturis esse libertatem ita gratiæ auxiliis instructam, ut possit cùm non peccat peccare, & cùm bene agit non agere: illam verò libertatem quæ infallibiliter non peccat, non meritis comparandis esse accommodatam, sed ipsummet esse præmium meritorum.

NOn abs re erit argumentationem nunc eandem paulò uberiùs ex Augustino ipso confirmare. Nimirum istud esse proprium naturæ rationalis & intellectualis meritum, quod ex versatilis in bonum & malum libertatis bono usu, & ex innatæ indifferentiæ voluntario deflexu ad bonum colligitur. Id verò stare non posse cum necessitate seu motionis seu delectationis prædeterminantis ad actus bonos quoslibet. Si enim laus & meritum libertatis in eo efflorescit, quòd cùm possit peccare, non peccet; cùm possit bonum omittere, perficiat: quomodo dici potest extrinsecùs irruente divina motione prædeterminari & infallibiliter applicari ad bonum opus, & ad non peccandum? Si enim superna & omnipotente vi ita applicatur, propriæ laudis & meriti ratio omnis expungitur, aut certè non hinc meritum consurgit & laus, quòd cùm posset peccare, non peccarit, & cùm posset bono opere supersedere, illud perfecerit. Et ex adverso si meritum malum & pœna hinc paratur, quòd peccarit quis, cùm posset non peccare, & bonum cùm posset facere, omiserit: non ergo omnipotente & prædeterminante auxilio ad id indigebat. Si enim id affuit auxilii, non est peccatum: si abfuit, non potuit non peccari.

Omnes verò tergiversationum anfractus occludit Augustinus exemplo Angelorum & primorum parentum, quos ut laudis & meriti capaces essent, ut quo naturas creatas decet modo, nempè merendo beatitudinem consequerentur, cum libertate creavit

creavit in bonum & malum flexibili, & adjutorium addidit, non quod invictissimè ad perseverandum in bono determinaret, sed quod liberum permitteret usum bicipitis indifferentiæ, hoc est, quo perseverarent, si vellent, non quo invictissimè fieret ut vellent, denique quo pro voluntatis ipsorum propriæ nutu alii perseverarunt, alii non perseverarunt in accepta supernè justitia. Ita consultum est à creatore, ita comparatum est cum omnibus prorsùs naturis rationalibus & intellectualibus, quoniam nec consentaneum erat ut beatitudinem nisi aliquo suo merito consequerentur, nec merita comparare sibi poterant, nisi ejusmodi sibi & libertas & adjutorium concederetur. Instabant Manichæi & alii Ecclesiasticæ veritatis oppugnatores, eccur non tales creasset conditor, qui peccare non possent: constantissimè responsum est & ab Augustino, & à cæteris omnibus, proprium Dei censum esse hunc, ut beatitudo sua ipse sit, ut natura deitatis, propria sit & ipsius beatitudinis cumulatissimæ natura & perfectio: at natura creata cùm sua sibi non sit beatitudo, ad eam meritorum gradibus promoveri debet; merita autem à voluntate libera per gratiam adjuta proficisci; parando autem merito accommodatam esse hanc libertatem, quæ benè agere possit & malè, hanc gratiam, qua possit voluntas uti & non uti. Meritum quippè in eo esse, si voluntas quæ potest malè agere, agat benè: & gratia utatur, etsi possit non uti. Ita accidisse, ut Angelorum cùm libertas & gratia esset istiusmodi, alii bene, alii male mererentur. Porrò libertas quæ bono inseparabiliter affixa est, & gratia quæ invictissimè bono affigit, non jam ad meriti, sed ad præmii stationem pertinet. Ecqua enim vel fingi vel optari major potest fœlicitas, quàm tanta plenitudo sapientiæ & justitiæ, cui ne possit quidem vel error vel labes ulla obrepere?

Denique si libertas ad merendum idonea erat, etsi insuperabilibus auxiliis per singula momenta egeret ad bonum provehi, quin istiusmodi & Angelis & hominibus primis concedebatur? Non aliud enim causantur & Augustinus & Patres alii, quàm dari debuisse talem & libertatem & gratiam, qua mereri possent, adeoque qua peccare possent & non peccare. Ergo si cum libertate prædeterminantibus ad actus singulos auxiliis succincta poterant mereri, si poterant peccare vel non peccare, hæc dari debuit, vel alio responso leniendæ fuere Manichæorum querimoniæ.

Audiamus jam Augustinum: *Quis enim tam sit mente cæcus, ut non videat sicut homo est primitus conditus, magnum bonum esse naturæ posse non peccare, quamvis majus sit non posse peccare: atque ordinatissimè constitutum, ut hoc priùs esset, unde fieret hominis meritum, & illud esset postea boni meriti præmium?* Et infrà: *Non quòd non posset solius boni capax fieri, sed quod ab ipso gradu ordinatissimè surgere debuit; ut si non peccasset, quando peccare posset, ad eam beatitudinem perveniret, ubi peccare non posset. Quia sicut jam dixi, utrumque magnum bonum est, quamvis minus unum, alterum majus. Minus est enim posse non peccare, majus autem non posse peccare. At oportebat à merito boni minoris pervenire ad præmium majoris.* Et aliquantò infrà: *Potiùsque credendum est, ideo fuisse istam naturam & boni & mali capacem primitus factam, ut horum alterum diligendo, meritum compararet, quo boni solius vel mali solius postmodum capax fieret.* Et inferiùs ibidem: *Pro hujus minoris virtutis merito accedere nobis debuit virtus major in præmio, ut malam voluntatem sic non haberemus, ut nec habere possemus. O desideranda necessitas! donabit eam veritas, ut sit certa securitas, sine qua non potest esse illa, cui non est aliquid addendum, jam plena nostra fœlicitas.* Et infrà: *Malum quod his naturis ascribitur, ei à quo sunt condita non ascribitur, quia non eas ita condidit, cum primùm condidit, ut eis esset habenda mala voluntatis ulla necessitas, sed tantummodo possibilitas, ubi meritum compararet.* Quas oro te tragœdias vel Julianus vel Manichæus egissent, si recentiores aliquos audissent Augustini interpretes, ajentes, flexibiles in utramque partem voluntates hominibus Angelisque primitùs esse datas à Deo, ut locus esset colligendi meriti, sed has voluntates sive in bonum sive in malum divinæ motionis omnipotenti & indeclinabili prædeterminatione impulsas fuisse? Quàm constanter illi reclamassent, tantò magis Deum esse mali authorem, & has meriti umbras mera esse ludibria, ubi voluntatem ad actus singulos vis alia quædam indeclinabiliter contorqueret?

(Op. ult. cont. Julian. l. 5. c. 56.; Cap. 58.; Cap. 61.; Cap. 62.)

Et rursum si iidem ipsi alios nunc audissent Augustini commentatores, assentientes quidem & Angelorum & Adami merita & libertatem in eo effulsisse, quòd cùm peccare possent, non peccarent; & consultissimum fuisse ex ordine legis æternæ, ut per hujusmodi merita ad præmium iretur beatitudinis, in qua peccari jam non posset: sed nihilo tamen minùs vera illa esse nunc merita, quæ per libertatem inexpugnabilibus gratiæ auxiliis per momenta singula succinctam colliguntur. Nonne & hic reclamassent illi sibi fucum fieri, & hac libertate atque his meritis Angelos hominesque in sui conditu donari debuisse?

Sincera autem & infucata Augustini responsio fuit, libertatem bene & male merendi capacem condi debuisse, ideoque Angelorum alios bene, alios male meruisse, nec ullam arripi hinc posse occasionem invidiæ Deo faciendæ. Non enim meris creaturis alia est ratio pariendi meriti. Libertatem verò quæ per auxilia gratiæ peccare non possit, quæ per gratiam infallibiliter id habeat, ut non peccet, propriam esse mercedem meriti. Unde idem alibi: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt Sancti, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippè erit liberum, à delectatione peccandi usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium quod homini datum est, quando primùm creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem novissimum eò potentius erit, quò peccare non poterit. Verùm hoc quoque Dei munere, non suæ possibilitate naturæ. Aliud est enim esse Deum, aliud participem Dei. Deus natura peccare non potest, particeps autem Dei ab illo accipit ut peccare non possit. Servandi autem erant gradus divini muneris; ut primùm daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo, novissimum quo peccare non posset. Atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret.* Civit. l. 22. c. 30.

Quo loco Augustinus duas tantùm stationes liberi arbitrii agnoscit, alteram comparandi meriti, alteram percipiendi præmii. Nostra ergo nunc in reparata natura libertas cum Adami libertate in unam classem conjicitur, ut quæ tota ad merita acervanda pertineat. Ergo & istius ea peculiaris dos est, ut non peccando cùm peccare possit, impeccantiam & impeccantiæ sociam libertatem beatissimam consequatur. Ergo & huic auxilia gratiæ per actus singulos ita accommodantur, ut & Adami libertati atque Angelorum, ita temperantur, ut sinant explicari vires liberi arbitrii per gratiam renovati & sustentati. Potest enim nunc etiam copiosior affundi gratia homini recenti ab ægritudine, & nuper recreato: sed ita tamen, ut non infallibiliter prædeterminetur ad singula voluntas, sed sinatur edere specimen suæ diligentiæ. Unde ibidem statim Augustinus: *Sed quia peccavit ista natura, cum peccare potuit, largiore gratia liberatur, ut ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non possit.* Nec tertium nunc nobis libertatis genus, nec novam instituit merendi rationem; unum vult, *gratiam largiorem* donari, ita ut eò mereamur, quòd cùm peccare possimus, non peccemus tamen; gratiam verò ineluctabiliter prædeter-

determinantem ad singula meritoria opera, nusquam approbat Augustinus, & eò potiùs repudiat, quòd ita meritum non ex liberæ indifferentiæ bono usu nostro existeret.

Consentiunt & alia ejusdem Augustini opera: *Sic enim oportebat prius hominem fieri, ut & bene velle posset, & male, nec gratis si bene, nec impunè si male. Postea vero sio erit, ut male velle non possit*. Et alibi: *Et liberum dedit arbitrium. Non enim esset optimus, si Dei præceptis necessitate, non voluntate serviret*. Et alibi: *Quæro utrum ipsum liberum voluntatis arbitrium, quo peccandi voluntatem habere convincimur, oportuerit nobis dari ab eo, qui nos fecit. Videmur enim non fuisse peccaturi, si isto careremus*. Quam quæstionem ita dirimit: *Si homo aliquod bonum est, & non potest nisi cum vellet, rectè facere, debuit habere liberam voluntatem, sine qua rectè facere non posset. Non enim quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam dedisse Deum credendum est. Satis ergo causæ est cur dari debuerit, quoniam sine illa homo rectè vivere non potest*. Ideo & ibi & alibi argumentatur nullam prorsus creaturam esse conditam, quæ à peccando invictissimè prohiberetur; quia meritum & laus creaturæ in eo est, ut adjuta divinitus semet ipsa abstineat à peccato. Et rursum alibi idem sanctissimus Doctor: *Cur non faceret Deus hominem, quamvis eum peccaturum prænosceret, cum & stantem coronaret, & cadentem ordinaret, & surgentem adjuvaret? Qui dedit hominibus liberum arbitrium, ut non servili necessitate, sed ingenua voluntate Deum colerent, dedit etiam Angelis*. Et alibi denuò: *Non autem potestas Deo defuit, talem facere hominem, qui peccare non posset: sed maluit eum talem facere, cui adjaceret, peccare si vellet, non peccare si nollet; hoc prohibens, illud præcipiens, ut prius esset illi bonum meritum non peccare, & postea justum præmium non posse peccare*.

Enchirid. 105. De agone Christ. c. 10. De lib. Arb. L. 1. c. ult. L. 2. c. 1. De Genesi ad lit. l. 11. c. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Catec. rud. c. 18. 19. De Contin. c. 6.

Valet in omnes naturas mentis compotes, valet in omnes earum stationes, ut quæ mutabiles natura sua sunt, mutabilitatis suæ voluntario & laudabili deflexu ad societatem quandam incommutabilitatis divinæ adsciscantur: ut quæ steterunt cùm labi possent, & instabilitatem suam voluntatis connisu cum gratia fixerunt, affixeruntque se incommutabili veritati, in præmium id adipiscantur, ut nulla jam mutatione fluctuentur. Natura Angelica *conversa per commutationem meliorem ad id, quod neque in melius, neque in deterius commutari potest, quod tu solus es: quia solus simpliciter es, cui non est aliud vivere, aliud beate vivere, quia tua beatitudo tu es*. Et alibi: *De sanctis Angelis sine dubitatione credendum est, quod acceperint non posse peccare, pro merito permansionis suæ, quoniam steterunt, quando aliis cadentibus etiam ipsi peccare potuerunt*.

Confess. l. 13. c. 3. Op. ult. con. Jul. l. 5. n. 58.

De libertate Dei, de merito Christi agere, non hujus est loci. Anselmus paucis supra docuit nos, qui eas objectiones quæ hinc emergunt, retundamus. Ideo illud affectatiùs inculcavimus, de meris naturis creatis à nobis agi. Nec enim Deo, nec Deo hominique Christo consentanea est illa, vel boni malique bibula libertas, vel meriti & laudis ratio, quæ ex istiusmodi libertatis oritur bono usu, qua fas esset & male uti. *Virtus est minor*, & creatæ naturæ consentiens, *voluntatem malam sic non habere, ut possit habere. Pro hujus minoris virtutis merito accedit virtus major in præmio, ut mala voluntatem sic non haberemus, ut nec habere possemus*. Deus non minor, non major, sed summa virtus est, & beatitudo ipsa, *cui tam necesse est ut non malè vivat, quàm necesse est ut semper & beatissimè vivat*. Christus Deus est humanam hypostaticè indutus agensque naturam. Merita ejus & libertas hinc æstimanda.

Ibid. n. 61.

CAPUT LXXX.

Gratia viæ & meritoriæ stationis propria illa est cui dissentire & repugnare potest voluntas. At verò seu prædeterminatio physica, seu delectatio prædeterminans non est ejusmodi, nec aliter sociam patitur peccandi potentiam, quam gratia beatorum, nempe ineluctabiliter ligatam & constrictam.

Libertatem supra exploravimus eam, quæ meritorum segeti demetendæ accommodata esset. Nunc gratiam quæ libertati merita accumulanti adesse debeat, vestigamus. Ea verò gratia viæ & stadii meritorii propria est, quæ ita inclinat voluntatem in assensum boni, ut dissentire possit, adeoque quæ illam ita inclinat, ut non ineluctabiliter prædeterminet & applicet operi. Si enim ad assentiendum ineluctabiliter rapitur voluntas, quomodo potest dissentire? Video quidem etiam tum dum in assensum rapitur voluntas à gratia prædeterminante, superesse in ea intimam & reconditam dissentiendi potestatem; sed hæc potestas ita arctis & inexplicabilibus vinculis constricta est, ut in actum exire non possit. Alioqui peræquè dixeris cursitandi superesse facultatem integram illi, qui ferreis compedibus vinctus sit; quod hæc extrinseca retinacula vigorem animæ, corporis robur & vim hominis motricem non extinguant. Ita & beatos cœlesti gloria in Deum raptos æquè dixeris posse peccare, quod illa mutabilitas non sit elisa, quę altissimas in omni natura creata radices habet defixas. Unum id enim interest discriminis, quod gratia prædeterminans brevior, gratia beatorum diuturnior sit, porrò necessitas non peccandi utrobique par. Finge enim aliquam, cui ista seu motio seu delectatio justitiæ victrix & prædeterminans, nunquam & ne ad punctum quidem temporis se suffuretur, quo hunc, oro te, discrimine secernes à beatis in cœlo vel Angelis vel hominibus, quo ad impeccantiam, seu ad peccandi impotentiam pertinet? Quin imò multo certior per physicam prædeterminationem, quam per gloriam cœlestem impeccantia conciliatur. Nam ex beata Dei intuitione qui profluat, imò an profluat beata illa bene operandi, & non peccandi necessitas, inter Scholæ proceres controvertitur. At verò ex motione invictissima & omnipotenter prædeterminante, nemo unquam dubitare potuit, quin existat constantissimæ in bono perseverantiæ necessitas vel infallibilitas.

An verò cùm sancti Patres, cùm Synodi asseverantissimè affirmarunt sanxeruntque *liberum arbitrium à gratia motum & excitatum* ita consentire, ut dissentire possit, non aliud insinuatum nobis voluerunt, quàm gratiæ efficacia non funditùs exuri illam mutabilitatem & peccandi secretiorem potentiam, quæ ipsamet est quodammodo substantia creatæ & commutabilis voluntatis? Tanti non erat, ut res adeo obvia & triviis vulgoque hominum exploratissima, nec unquam in quæstionem vocata diffiniretur. Nec enim vel dubitatum usquam, vel quæsitum est, an gratia Dei ipsam substantiam sive essentiam voluntatis perimat. Nam nisi excisa & in nihilum redacta voluntate ipsa, non potest extirpari penitus intimior illa mutabilitas, creaturis omnibus congenita & concreta. Trident. Syn Sess. 6. c. 4.

Nec Manichæi aut siqui alii libertatis creatæ insidiatores, voluntatem negabant, aut negare poterant, cùm volebat, posse nolle; & cùm nolebat, posse velle. Una est enim substantivè volendi nolendique facultas, cogitando in duas quasi secta facultates: adeoque cùm se facultas volendi exerit, eadem ipsa est & nolendi facultas, sed quæ tunc quidem quiescit, nec se exerit. Eo verò libertatem jugulatum ibant Manichæi, quod extrinsecam quanda somniabant vim,

quæ voluntatem constringeret, & inevitabiliter in alteram partem præcipitaret.

Qui siderum potestati & fato libertatem nostram mancipabant, ne cogitare quidem illi poterant ita in sævitiam vel in libidinem impelli quenquam, quin incolumis perseveraret in ejus animo voluntas clementiæ & pudicitiæ capax, etsi tum quidem inclemens & libidinosa.

Adde quòd tam viæ gratia, quàm gloria patriæ est veritas flagrantissima, charitas luminosissima, delectatio victrix justitiæ. Ergo si hæc beatos cœlites, pariter & justos terræ adhuc incolas infallibiliter ad bonum determinat, perinde in utrisque peccandi potentiam, & indifferentiam mali bonique sequacem expunget. Si dicas justitiæ delectationem in gratia longè uberiorem esse, atque ita quadam ejus inundatione demergi & indifferentiam & peccandi potentiam: reponam ego veri esse similius, per gratiam cœlestis delectationis hìc irroratam non infallibiliter determinari ad bonum nostras voluntates, sed vehementer tantùm inclinari; per eandem verò in cœlo exundantem infallibiliter determinari ad bonum, & impeccantia certissima donari. Nam illa delectatione hìc guttatim aspersa, illic plenissimè restagnante, infallibiliter utrobique voluntates ad bonum determinari, sed cum hac infallibili utrobique voluntatis ad bonum determinatione potentiam peccandi illic non sociari, hìc sociari posse; id verò qui dicunt, causæ suæ magis quàm veritati serviunt.

Potentiam dissentiendi delectationi victrici proximam hìc justis, remotam tantùm illic beatis adsignant? Atqui quo evadet hæc potentia proxima, quam æternum jubent sterilescere? Quo proxima à remota & remotissima distat, si in actum erumpat numquam? Quæ enimverò remotior potentia, quàm quæ ab actu ita remota est, ut numquam prorsus & nusquam cum actu conjungatur? Ambulantis exemplo abutuntur, qui sedere, vel sedentis qui currere potest. At quadraret similitudo, si vim quampiam ineluctabilem, & ut vocant *irresistibilem* irruere dicerent, quæ ad ambulandum vel ad quiescendum compellat: & tunc ultro vanescerent hæc ludibria. Nam qui vi istiusmodi irruente & ineluctabili constringitur, seu velit, seu nolit ea constringi, nihil habet facultatis in contrariam partem.

In rebus contingentibus hæc regula vulgatissima & quotidianis exploratissima est experimentis, si diu, si semper, si proximè potest quid fieri & non fieri, necessariò & infallibiliter cadet, ut aliquando fiat, aliquando non fiat. Alioqui quo distabit ab impossibili si numquam, à necessario si semper fiat? Ergo si cum gratia prædeterminantis vel motionis vel delectationis proximè & semper potest dissentire voluntas, aliquando dissentiet.

Nec abludit hæc potentia dissentiendi gratiæ & motioni prædeterminanti, à potentia consentiendi gratiæ non prædeterminanti juxta eosdem Theologos, sed merè sufficienti. Utrobique enim potestas proxima, utrobique ab actu in æternum suspensa, arbitrario edicto eorum, qui sumunt quod volunt, & ubi argumenta & rationes non suppetunt, dividant & jubent.

Nobis verò nihil opus est ad istiusmodi confugere cavillationes. Nullam enim singularem gratiæ motionem seu delectationem invehimus, cui non libera voluntas & resistere semper possit, & quandoque resistat. Consentiet tamen infallibiliter voluntas inspirationi, non huic, vel illi, sed alicui; & superabitur invictissima vi gratiarum, non singularum, sed universarum; quia illa est regula & lex constantissima liberorum & contingentium eventuum, ut quæ contingere possunt & non contingere, aliquando saltem contingant. Effectus verò contingens non tantùm aliquando eveniet, sed & crebrò, si opera detur, si causæ excolantur, admoveantur, juventur, contemperentur, si obices summoveantur, si aptè denique & sapienter provideatur. Si infinita verò quædam & sapientia & potentia incumbat, & innumerabiles modos viresque adhibeat, effectum indubitatissimè & infallibiliter eliciet, non ulla singulari motione, sed omnium simul auxiliorum multitudine, consonantia, varietate, conspiratione, assiduitate.

Confitentur omnes sanè Hæretici, qui illo se Tridentinæ Synodi telo sentiunt esse confixos, superesse residuam dissentiendi clanculariam illam potentiam cum ipsa voluntatis essentia concretam, in illis qui gratiæ impetu quolibet abripiuntur. Id ab aliis jam prolixè demonstratum est. Itaque ab ea re calamum temperabimus, & Augustini testimonia potiùs proferemus, verissimæ indifferentiæ & seriæ atque infucatæ potentiæ dissentiendi auxiliis gratiæ efficacibus suffragantia. Sic ergo ille: *Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus & credamus, &c. Ipsum velle credere Deus operatur in homine; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Quasi dicat affectum credendi creari infundique voluntati nostræ à Deo: sed consentire vel dissentire, nostrum esse. Et alibi: *Aliter Deus præstat ut velimus, aliter præstat quod voluerimus. Ut velimus enim & suum esse voluit & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo; quod autem voluerimus, solus præstat, id est, posse bene agere, & semper beatè vivere.* Et alibi denuò: *Tene igitur & habe quod accepisti, & datori gratias age. Quamvis enim accipere & habere tuum sit, id tamen habes quod accepisti.* Ergo Dei est *visorum suasionibus* agere ut credamus, nostrum est consentire: Dei est *vocare*, nostrum *sequi*: Dei est *dare*, nostrum est accipere & habere. Hæc verba ita operas & gratiæ & voluntatis mutuas exhibent, ut seriò & sine cavillis nostrum sit *consentire* suasionibus visorum, *sequi* vocantem, *accipere & habere* quod datur.

Deschamps de hæresi. Jans.

De Spir. & lit. c. 14.

Ad Simpl. l. 1. q. 1.

De bono viduit. c. 16.

Sed quid apertius hoc alibi loco, ubi voluntatem liberam scribit insusurranti spiritui vel nequam vel sancto pro nutu & arbitrio suo consentire & sese dedere? *Est enim à dextris quodammodo præcipiens Deus, à sinistris seducens satanas, homo in medio constitutus. Cor quod inclinatur ad diabolum, quare non potiùs erigitur ad Deum? Non enim diabolus cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à voluntate consensum, sed petit. Nos diabolum non adjuvemus, & vincimus. Dat quidem ille consilium, sed Deo auxiliante nostrum est vel eligere vel repudiare quod suggerit.* Nulla hic necessitas, nulla infallibilitas, etsi auxilietur Deus, sed vera & seria potestas eligendi vel repudiandi quod suggerit diabolus. Et rursum alibi: *Quomodo de interiori palatio quidquid jusserit Imperator, per Imperium Romanum emanat, quidquid jusserit per provincias, &c. Sic & in unoquoque nostrum intus est Imperator, in corde sedet; si bonus, bona jubet, & bona fiunt: si malus, mala jubet, & mala fiunt. Cùm ibi sedet Cristus, quid potest jubere, nisi bona? Cum possidet diabolus, quid potest jubere, nisi mala? In tuo autem arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo an diabolo.* Imperator hìc insinuatur ab Augustino affectus qui dominatur & regnat in corde, sive cœlestis charitas, sive terrena cupiditas. Per illam Christus, per hanc diabolus imperat nobis. Et *si bonus, bona jubet, & bona fiunt; si malus, mala jubet, & mala fiunt.* Non quo jubenti vel diabolo vel cupiditati semper & ad singula morem gerant impii, sed quòd universim serviant affectui dominanti, & plerumque illi assentiantur. Nec enim fieri potest ut cupiditatum stimulis identidem & infatigabiliter incitentur, & non subinde cedant ruantque in malum. Ita prorsus si bonus Imperator Christus per charitatem regnat in corde, bona jubet, & bona fiunt: non quo ad singulas ejus vel jussiones vel inspirationes sequax sit infallibiliter justus quisquam,

L. 50. hom. hom. 11.

Ibidem, Hom. 15.

quam, sed quòd plerumque & ipse morem gerat affectioni regnatrici, & in bonum se convertat? Quamquam autem singulas affectuum principantium extimulationes contemnere & irritare possimus, & quandoque reapse irritemus, non possumus tamen universas vel diaboli & cupiditatis motiones ludificare, quandiu in impietate volutamur: non possumus omnes charitatis aculeos obtundere, quandiu in iustitia versamur. Ut ergo diabolus facilè quò vult impios agit, per affectus principantes in eorum cordibus, quædam velut vincula illos trahens: ita Deus suos quò vult pertrahit, affectus in eorum animo dominantes retundens, vel accendens, aliasque & alias subinde illecebras objectans.

CAPUT LXXXI.

Gratia efficacissima etiam illa est, cui cooperamur, cui connitimur. At de prædeterminante auxilio & infallibiliter applicante vix potest intelligi, ut cum eo agamus, conemur, operemur. Non adjuvatur, nisi qui & ipse aliquid agit. Gratia est lumen. Gratia dat potestatem. In his conatus noster patet.

Resistit homo gratiæ & Spiritui sancto, si cesset, si non conetur, si non cooperetur. Gratiæ etiam efficaci *cooperari*, *conari & agere* jubemur in Scripturis, Synodis, Patribus. At si gratia suapte vi & natura ita efficax est, ut prædeterminet ineluctabiliter ad actus singulos, ecquæ jam supererunt liberæ voluntati partes, ut conetur, ut cooperetur, ut erigat se, ut sibi non desit, ut agat? Adjuvat gratia, & auxiliatur. At cui extra scolasticas quorumdam commentationes venisset unquam in mentem ejusmodi interpretari auxilium vel adjutorium, quo voluntas invictissimè & infallibiliter applicetur & determinetur ad agendum? Hoc adjutorio autem concesso, quis facilè intelligat quomodo connitendum sit & collaborandum adhuc, & contendendæ vires omnes? Hoc adjutorio addito aget utique homo, & aget invictissimè, & pro modo adjutorii exertissimè, nec hortamentis ad hoc opus erit. Ut quid enim hortari & animare ad cursum pergeres, quos inevitabilis aliqua procella raperet ageretque præcipites? Sed nec tarditatem cujusquam jure increpueris aut negligentiam; si abfuit enim hoc auxilium, non potuit non frigere & obdormiscere: si adfuit, insuperabilem vim & diligentiam addidit.

Ergo cùm hæc omnia violentis & alienis interpretationibus distorqueant sanctissimas fidei morumque regulas, intelligamus potiùs ejusmodi esse gratiam, quæ inclinet & juvet voluntates ad bonum, sed suos & illis permittat officii numeros implere, quæ connisu & collaboratione nostra verè indigeat, quæ cessante vel lentescente nostro conatu irrita cadat; quæ denique cùm nobis ipsi desumus, non desit tamen, ut cessationis culpa & peccatum in nobis tantùm resideat.

Augustinus gratiæ efficacissimæ defensor primarius & princeps, *nostræ voluntatis efficaciam* idem prædicavit necessariò adhibendam: *adjuvari* nos à Deo professus est, sed ne adjuvari quidem quemquam posse, nisi *qui aliquid sponte conetur*. Adjuvaris enim si & ipse non tibi dees, si conaris & ipse. *Nec ideo tamen de hac re solis votis agendum est, ut non subinferatur ad bene vivendum etiam nostræ efficacia voluntatis. Adjutor enim noster Deus dicitur. Nec adjuvari potest, nisi qui aliquid sponte conatur; quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Et aliquantò inferiùs: *Et nos vigilanter conemur, & ipsum deprecemur ardenter; simul intelligentes, & quod sic conamur, & quod sic deprecamur, dono illius nos habere.* Conatus ipsi enim nostri à gratia & à voluntate proficiscuntur, sed ita ut juvetur à gratia voluntas, & ipsa adjutorio connitatur. Rursus enim *non adjuvatur, nisi qui & ipse aliquid agit.*

[De Peccat. merit. l. 2. c. 5.]

[Ibid. c. 19.]

[De perfect. justit.]

Author est Paulus quidem filios Dei agi Spiritu Dei, *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Aguntur tamen ita, ut agant. Sed agendi gloria principaliter Spiritui sancto vendicanda est, à quo ita aguntur, ut agant. Porrò cùm ita agi proprium sit decus & insigne filiorum Dei, hinc perspicuum est hanc gratiam illam esse, quæ proprius & peculiaris est census justorum in Dei filios adoptatorum. Nam actualis quælibet gratia non constituit Dei filios & justos, & plerumque aliis etiam communicari potest, qui necdum adsciti sunt ad eam filiorum dignitatem. Ergo Spiritu sancto inhabitante, qui charitate justificante & habituali aguntur, hoc est, in quorum pectore dominatur cæteris omnibus charitas, illi in bona opera sic aguntur, ut agant. Agitur enim quisque & rapitur principante affectu suo, sed ita agitur, ut agat, quia non insuperabiliter ad actus singulos prædeterminatur, sed inclinatur & pellicitur tam suaviter, tam amanter, tam vehementer, ut plerumque attrahatur. *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Dicit mihi aliquis, Ergo agimur, non agimus. Respondeo, Imò & agis, & ageris, & tunc bene agis, si à bono ageris. Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adjutor est. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.* Et alibi: *Si enim per te impleres totum, non esset necessarius adjutor: rursum si tu ipse tua voluntate nihil ageres, non vocaretur adjutor. Adjutor enim aliquid agentem adjuvat.*

[De verbis Apost. ser. 13.]

[In Ps. 143.]

Operanti Deo cooperamur, cooperatur Deus operantibus nobis. Ne hæc quidem stant, si rapiamur ad opus insuperabili quodam & inevitabili turbine omnipotentis motionis. Hoccine enim est cooperari alicui, si rapias illum & abstrahas indeclinabili quadam vi & ineluctabili potestate? Hoccine erit Deo cooperari nos, si sequamur impetum inevitabilem omnipotentis motionis? *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Si non esset operator, Deus non esset cooperator.* Et alibi: *Operatur ille, cooperamur nos; non enim aufert, sed adjuvat bonæ voluntatis arbitrium.*

[De Verbis Apost. ser. 13.]

[In Deuter. q. 16.]

Gratia, & adjutorium Angelis hominibusque primùm conditis ita suffragabatur, ut illi cooperari, conniti, collaborare, vires nervosque exercere deberent. Res & nomina hæc omnia etiamnunc locum habent. At quo tandem modo adjuvaret gratia primum hominem Angelosque, utque illi conarentur & cooperarentur gratiæ, in promptu res est. Qui ergo factum est, ut cùm verba hæc eadem usurpentur, in sensus tam devios & tam remotos à sensu hominum communi deflectantur? Nemo laborat, ut intelligat quomodo primus parens adjutorio *sine quo non* vel conniteretur, vel collaboraret: res est planissima. At omnipotenti & prædeterminanti motioni ut conatus quoque noster & annisus adiiciendus sit, & alioqui in culpa simus, pro mei equidem tenuitate ingenii non satis capio. *Cùm verò adjuvari nos vult, nec ingratus est gratiæ, nec tollit liberum arbitrium. Qui enim adjuvatur, etiam per seipsum aliquid agit.*

[In Ps. 78.]

Et alicubi quidem in hanc rem, hæc verba sunt Augustini: *Qui agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur.* Sed vel ibi tamen nihil aliud, quàm *adjuvari* nos à gratia confitetur. Porrò juvare & juvari quo intellectu legantur apud Augustinum, multis jam exemplis declaravimus. Et ibidem etiam: *Nec aliquid libera voluntas melius agere potest, quàm ut illi se agendam commendet, qui male agere non potest; & hoc cum fecerit, ab illo se ut faceret, adjutam non dubitet.* Ergo ne ingrati animi crimine te involvas, ita statuendum tibi est, si quid

[De gestis Palæst. c. 3.]

quid boni egisti, te *adjutum* fuisse: & si minus egeris, non adjutorii inopia, sed tua te supinitate cessasse. In gratiæ prædeterminantis ad singulos actus hypothesi utrumque vacillat. Qui enim bonum opus omisit, adjutorio necessario caruit, & eo subducto non potest non perridiculum videri, hominis oscitantiam insimulare, & conandi aut cooperandi cessationem. Qui autem bonum opus peregit, frigidum est si dicatur adjutus esse, cùm impulsus est vi indeclinabili ad agendum. Vehementiori aliquo vocabulo hoc saltem loco usus esset Augustinus, si illi assensus esset motioni ineluctabiliter prædeterminanti.

Et ibidem rursus ne dubium sit quo de auxilio verba faciat, illud luminis instar habere docet, quod merum est adjutorium *sine quo non*. *Si malum & mors homini placet, id voluntas hominis operatur. Si autem bonum & vitam diligit, non solùm voluntas id agit, sed divinitus adjuvatur. Sufficit enim sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras; ad videndum verò lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adjutorium clari luminis præbeatur.* Ibidem.

Nec isto tantùm loco, sed & alibi frequentissimè sanctus Pater comparatione luminis naturam, efficaciam, necessitatem gratiæ ad actus singulos necessariæ significavit. *Sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere. Sanat ergo Deus, non solùm ut deleat quod peccavimus, sed etiam ut præstet ne peccemus.* Quo eodem in libro adjutorium quoque gratiæ, quod homini innocenti contemperatum fuerat, lumini simile fuisse significat. *Et ibi adjutorium Dei esset tanquam lumen sanis oculis.* (De Nat. & grat. c. 26.) (Ibid. c. 48.)

Ideo & alibi sæpè advertit per gratiam in nostra *potestate* constitui, ut credamus, amemus, benè operemur, filiorum Dei nomen & officia impleamus. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ne omnino existimemus in nostra potestate non esse, quod credimus, &c. Agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas, & orandum ne succumbat infirmitas.* Si non datur potestas nisi per adjutorium ineluctabilis efficaciæ, non est verendum ne succumbat infirmitas; aut si alicubi succumbat infirmitas, ergo antè subducta fuerat hæc potestas. (In Evang. Joan. tract. 53.)

Totum facit gratia, quia totam salutem dat, dum totam charitatem inspirat. Et rursum totum facit voluntas nostra, dum saluti, dum charitati inspiratæ, dum gratiæ consentit, potens dissentire. Nam agere, cooperari, conniti gratiæ non aliud ferè est, quàm ejus impulsioni consentire & sese permittere. Audiamus Bernardum magnificentissimè de efficacia gratiæ disserentem, & nobis tamen id reservantem, ut consentiamus & cooperemur nostro etiam conatu & labore aliquo: *Quid igitur agit, ais, liberum arbitrium? Breviter respondeo, Salvatur. Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur. Tolle gratiam, non erit unde salvetur. Opus hoc sine duobus effici non potest: uno à quo fit, altero cui, vel in quo fit. Deus author est salutis, liberum arbitrium tantùm capax. Nec dare illam nisi Deus, nec capere nisi liberum arbitrium valet. Quod ergo à solo Deo, & soli datur libero arbitrio, tam absque consensu esse non potest accipientis, quàm absque gratia donantis. Et ita gratiæ operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, dum salvatur. Consentire enim salvari est.* Consentire salvari est, quia in consensione & gratiæ operatio & voluntatis cooperatio significatur. Ideoque salus & bonum opus quodlibet, *tam absque consensu esse non potest accipientis, quàm absque gratia dantis*. In consensu ergo suo præstando voluntas agit, conatur, cooperatur. Unde idem infrà: *Cum igitur consummatio fieri habeat de nobis, sive etiam in nobis, non autem à nobis; creatio autem facta sit & sine nobis: sola quæ nobiscum quodammodo fit propter consensum voluntarium nostrum, in merita nobis reputabitur reformatio.* Et rursus: *Verùm hæc cum certum sit divino in nobis actitari Spiritu, Dei sunt munera: quia verò cum nostræ voluntatis assensu, nostra sunt merita.* Et mox ibidem: *Sua justitiæ ipsum hominem voluit Deus habere consortem, ut & haberet promeritorem, dum habere dignatus est coadjutorem. Porrò coadjutorem fecit, cum fecit volentem, hoc est, suæ voluntati consentientem.* Applicari mox operi voluntatem à Deo nostram ait, nempe dum affectus inspiratur, excitatur, augetur, inflammatur operandi, etsi non vi ineluctabili applicet. (De grat. & lib. arb. c. 14.) (Ibid. c. ult.)

Quod attinet verò ad *adjutorium quo perseveratur* usque in finem vitæ, ne dubius animi pendeas, quomodo huic insit quidem vis inexpugnabilis & tamen cooperemur. Nam aliud & aliud est in hoc adjutorio cui cooperamur, & cui ob infinitam & ineluctabilem potestatem succumbimus. Cooperamur enim motionibus & inspirationibus singulis, quæ neutiquam ad bonum necessariò vel infallibiliter applicant voluntatem: succumbimus autem omnipotenti Dei providentiæ, quæ tanta multitudine hujusmodi auxiliorum nos vallat, tanta & consonantia & conspiratione, ut alicui tandem harum, vel omnium potiùs conspirationi cedamus. Denique in eo maximè explendescit hoc adjutorium, quòd omnia ita dispenset & moderetur, ut non nisi semitas justitiæ terentibus mox occurrat. In eo maximè est invictissima potestas hujus adjutorii. At ibi nulla nostra est vel opera vel industria, totum Dei est, naturas omnes ut condidit, omnipotenter administrantis.

CAPUT LXXXII.

Gratia Dei interior & actualis est inspiratio fidei, timoris, charitatis, aliarumque id genus affectionum piarum, quæ consensum nostrum antevertunt, nec tempore unquam consociantur cum illo; ex quo fit ut physicè & infallibiliter non possit consensus ab illis produci, cum nisi illis cessantibus non existat; sed moraliter tantùm, quatenus sic illis affectionibus indeliberatis afficitur & inclinatur voluntas, ut tota ad actum propendeat.

Gratia Dei interior & actualis, qua cor mollitur, est inspiratio charitatis, seu dilectionis justitiæ, qua in bona opera excitamur. Prævenit ergo illa & antecedit nostrum consensum. Inspirantur enim à Deo actus indeliberati fidei, spei, charitatis, timoris divini, & cujuscumque demum virtutis; quibus dissentiri vel assentire jam nostræ potestatis est, ut & nostri sit meriti si consentiamus. Est ergo hæc gratia præveniens, etiam tempore, nostrum consensum: ut simul tempore esse sociarique non possint gratia præveniens & consensus, propterea quòd non potest idem voluntatis & indeliberatus esse actus & deliberatus; nec eodem temporis puncto possit homo animi pendere, fluctuare, deliberare, incertis librari votis, & certa voluntate maturoque consilio rem complecti. Quo ita constituto, jam indubium est, non posse gratiam prævenientem seu inspirationem indeliberatæ charitatis causam esse nostræ consensionis, nisi moralem & frustrabilem, non autem physicam & infallibilem. Cùm enim quo momento temporis emicat noster consensus, jam non existat amplius illa indeliberatæ dilectionis inspiratio, non potest ab hac jam extincta causa ille effectus proficisci, nisi moraliter, quatenus voluntas illa inspiratione sic inclinata & affecta est, ut in consensum propendeat.

Augustinus & Patres omnes summam efficaciam prævenienti gratiæ adscripsere. Thomas scholæ lumen

lumen cum priſcis omnibus Theologis principem movendi vim in gratia conſtituit præveniente, excitante, præmovente. Et omnibus illis conveniebat, hujus gratiæ efficientiam in eo eſſe, ut inclinaret afficeretque voluntatem ad conſenſum procliviùs præſtandum, etſi cùm actu conſenſus elicitur, illa inſpiratio indeliberata jam nuſquam ſit. At qui ante centum annos ineluctabilem & infallibilem vim & efficaciam gratię vendicare ſunt agreſſi, ut argumenti hujus pondus declinarent, in concomitante Dei actione ſeu motione vim efficaciſſimam gratiæ conſtituerunt, quæ cum voluntate ipſa conſenſum producat. Videbant enim conclamatam eſſe infallibilem illam efficaciam, ſi vel prævenienti motioni, vel indeliberatæ inſpirationi committeretur, quam neceſſe eſſet antè extingui, quàm conſenſus exiſtat. Vide Cumelem, hæc Scholæ recentioris placita luculentiſſimè depromentem & tuentem.

At verò Theologi iſti dum alia vitant, in alia induunt ſe retia, peræquè inexplicabilia. Gratia enim iſta quam obtrudunt, concomitans & cooperans eſt. Atqui ſancti Patres & Princeps ipſe Auguſtinus prævię & prævenienti gratiæ, excitanti & operanti, non cooperanti illam efficaciſſimam adrogarunt poteſtatem emolliendi cordis, & conſenſus eliciendi. Quin & ipſi non poſſunt abſtinere verbis in Schola pridem tritiſſimis præmotionis & prædeterminationis. Atqui hæ voces non concomitantem, ſed prævenientem gratiam demonſtrant. Denique tam Auguſtinus, quàm Thomas, Patres Theologique omnes, quin & ipſi de vulgo & de trivio fideles ex communibus Eccleſiaſticæ doctrinæ rudimentis & ex proprio etiam ſingulorum experimento, ita ſentiunt, ita loquuntur, gratiam Dei eſſe illas cogitationes affectioneſque pias cœlitus nobis incogitantibus inſpiratas, quibus inopini illuminamur, & ſuccendimur, quibus denique nunc diſſentimus, nunc aſſentimur.

Et quidem qui olim Scoti ſe placitis addixerant, præſcientiam divinæque voluntatis omnipotentiam decretis quibuſdam & adjutoriis concomitantibus expedierant; à Deo quippe eò præſciri eventus liberos, quòd præſciretur quibus effectis cooperaturus eſſet. Propiùs tamen à vero abeſt, hos Theologos nullam inevitabilem motionem à divina in humanas voluntates invexiſſe, qua iſtæ inevitabiliter in unam partem agantur, ſed ejuſmodi tantùm quæ comitaretur & collaboraret in ea re quam ipſæ elegiſſent. Alioqui nec Scoto nec gregalibus ejus invidiam conflaſſent plerique ex aliis Theologis, quòd remiſſiùs in hac re molliùſque quàm par eſſet ſentirent.

Sed opportunè jam Auguſtinus gratiam conſtituet nobis non in concomitante, ſed in antecedente & præveniente voluntatem inſpiratione charitatis:

Ep. 8. 107.

Hæc & alia teſtimonia divina oſtendunt, Deum gratia ſua auferre infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum, ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur.

De Spir. & lit. c. 29.

Et alibi: *Per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inſpirata gratiæ ſuavitate per Spiritum ſanctum, faciat plus delectare quod præcipit, quàm delectat quod impedit.*

Ad Simpl. l. 1. q. 2.

Et alibi perſpicuè cum primis, *Quis habet in poteſtate tali viſo attingi mentem ſuam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet in poteſtate, ut vel occurrat, quod eum delectare poſſit, vel delectet cum occurrerit? Cùm ergo nos ea delectant quibus proficiamus in Deum, inſpiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu noſtro & induſtria aut operum meritis comparatur.* Ubi vel ipſa luce meridiana evidentius eſt inſpirationem delectationis non memorari hic ab Auguſtino niſi indeliberatam, qualis ſurgit in animo, occurrente re quapiam congrua & idonea ad eam excitandam. Nec enim ſtatim conſentit voluntas huic delectationi, ſed ſtatim ea tangitur & afficitur, compos adhuc & domina ſui vel conſenſus vel diſſenſus.

Idque ſanctus Pater declarat exemplo contrariæ delectationis ex turpiori aliqua illecebra erumpentis. Et hæc enim motio quædam & affectio eſt indeliberata, afficiens & titillans voluntatem, non tamen conſenſum inviciſſimè exprimens. Unum id intereſt, quòd hæc carnalis delectatio non ſupernè inſpiratur, ſed ex limoſa concupiſcentia carnis exhalat, ubi eam objecta ſpecies aliqua commoverit. At quantumcumque occurrat, quod ad cœleſtium & æternorum delectationem excitare idoneum ſit, non poteſt tamen noſtro ex animi ſolo pullulare, ſed neceſſariò infundi divinitus & inſpirari debet cœleſtis juſtitiæ delectatio. Et ipſa porrò quamvis cœlitus inſpirata, antevenit tamen conſenſum, & cum contraria delectatione peræquè indeliberata colluctatur, vincitque aut vincitur:

In Epiſt. ad Galat.

Quod enim amplius nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt. Ut verbi gratia occurrit forma ſpecioſa fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis. Sed ſi plus delectat pulcritudo illa intima, & ſincera ſpecies caſtitatis per gratiam quæ in fide Chriſti, ſecundùm hanc vivimus, & ſecundùm hanc operamur.

Enchirid. c. 81.

Et alibi: *Delectatio juſtitiæ vincat in vobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, ſcientes videnteſque peccamus.*

Quanquam enim duæ iſtæ delectationes etiam ut habitu inſunt, ſpectari poſſint & debeant, & quanquam etiam ut habitu inſunt perdurantque, advertentur ſibi & decertent, vincatque & dominetur ſemper altera; in prælio tamen iſto actualibus etiam excitationibus ambæ ſuccenduntur & convaleſcunt, voluntatemque huc illucque diſtrahunt.

Serm. 17. de verb. Apoſt. ſer. 4. 5.

Præ omnibus voluptatibus, hoc eſt delectationibus etiam licitis amanda eſt juſtitia. Si enim habes ſenſus interiores, omnes illi ſenſus interiores delectantur delectatione juſtitiæ, &c. Ecce delectat te aurum, oculos tuos delectat, metallum eſt pulchrum, fulgentiſſimum, delectat, &c. Decertant in te duæ delectationes. Modò interrogo te, quid præponas, quid te plus delectet, aurum an veritas, &c. Præponite delectationi carnis delectationes mentis. Carnem veſtram delectant illicitæ voluptates, mentem delectet inviſibilis, pulchra, canora, decora, dulcis juſtitia. Ubi vides deliberanti voluntati & fluctuanti, utram in partem ſe coniiciat, ſalubre inſuſurrari conſilium, ut delectationi juſtitiæ ſe dedat, ſpreta ejectaque delectatione carnis.

Delectationes ſceleſtas ſuggerit diabolus, delectationes ſanctas inſpirat Spiritus ſanctus: utrimque pelliciunt affectiones indeliberatæ, noſtræ facultatis eſt utris volumus adhæreſcere.

De ſerm. Dom. in Mont. l. 1. c. 12.

Tria ſunt quibus impletur peccatum, ſuggeſtione, delectatione, conſenſione.

De verbis Dom. ſerm. 44. c. 6.

Et alibi: *Sunt qui res illicitas obvias cogitationibus ſuis prorſus ita abiiciunt, ut nec delectentur: ſunt qui delectantur, & non conſentiunt.* Quibus verbis apertè declarat ſanctus Pater anteire delectationem, ſequi vel non ſequi conſenſum; non ipſi verò delectationi ineſſe conſenſum.

In Pſ. 101.

Et rurſum alibi; *Quibuſdam ſuggeſtionibus delectatur, quibuſdam non delectatur: & in eis in quibus delectatur, aliquando quibuſdam conſentit.* Non ſemper ergo quis, ſed aliquando, quibuſdam conſentit harum delectationum. Inopinæ ſunt ergo & indeliberatæ atque involuntariæ delectationes.

Sed quid apertius quàm quòd alibi *gratiam propriè* adverſus Pelagianos definiens, hanc docet eſſe *inſpirationem dilectionis* juſtitiæ? Eſt enim & habitualis gratia non aliud, quàm inſpirata à Deo virtus dilectionis, & actualis gratia non aliud, quàm inſpirata affectio & flamma dilectionis, quæ ſi diſſenſu noſtro non repudiatur, hæret animo & infigitur, paulatimque radices agit, & in habitum robuſtum adoleſcit.

Ad Bonif. l. c. 5.

Pelagiani *volunt intelligi gratiam,*

ut

ut scilicet à Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus: quo ea quæ facienda sunt, noverimus; non inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus, quæ propriè gratia est.

Cont. Collat. c. 2.

Prosper Collatori gratulatur istam *Catholicissimam* definitionem, qua confessus erat, *Manifestè colligi non solum actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi.* Suggillat autem illum postea quod ab hac regula deflexisset, *Non oportuit eos, qui bonarum voluntatum initia ex Dei asserunt inspiratione generari, ea sententia reprehendi, quæ &c.* Porrò cogitationum bonarum principia & bonæ voluntatis initia non aliud sunt cùm à Deo inspirantur, quàm illæ motiones indeliberatæ, quæ in mente coruscant, quæ in voluntate flammescunt improvisæ & repentinæ, quibus deinceps voluntatis liberæ deliberato & libero consensu vel dissensu obsequimur vel reluctamur.

Cap. 9.

Fulgentius quoque in *cogitationis sanctæ facultate* gratiam divinam constituit, quo & indeliberatas inspiratasque tum illustrationes tum affectiones significat, tum denique facultatem liberi arbitrii in illis approbandis vel refellendis. *Quin etiam cogitationis sanctæ amissa pridem in homine primo per hominem secundùm reciperetur facultas.* Quæ Prosperi & Fulgentii verba ex Augustino, imò & ex Paulo deprompta videri possunt, qui gratiæ necessitatem inde auguratur, quod ne cogitare quidem quidquam possimus ex nobis, quasi ex nobis. Augustinus hoc Pauli dogmate sexcenties pugnavit contra Pelagianos. Porrò hoc loco cogitationum nomine affectiones etiam voluntatis continentur.

De incarn. & grat. c. 12.

Author librorum de Vocatione Gentium: *Iste populus spiritalis antea fuit, ea utique voluntate, cui Spiritus sanctus præsidebat, sic impendens moderaminis sui regimen, ut declinandi ad vitia non adimeret potestatem; qua potestate hìc populus si non uteretur, non relinqueret Deum, nec relinqueretur à Deo, essetque ille de quo dictum est, Felix qui potuit transgredi & non est transgressus. Quandiu ergo apud Deum mansit, ea voluntate mansit, quam Deus inspiravit & rexit. Præparatur enim, sicut scriptum est, voluntas à Domino. Sed hujus præparationis non unus semper provectus, nec una mensura est. Quoniam multis modis & innumerabilibus differentiis gratiæ opera & dona variantur.* Inseminatur planè & inspiratur *multis modis & innumerabilibus differentiis* voluntas bona à Deo, hanc Deus *moderatur, regit, præsidet*, sed ita tamen ut dissentiendi non adimat facultatem; qua qui utitur, relinquit Deum, & à Deo relinquitur.

L. 1. c. 5.

Gregorius Magnus nihil ab his dissonat: *Per conceptionem bonæ cogitationis, sancti Spiritus septem in nobis virtutes oriuntur.* Et alibi: *Potest per verbum absconditum allocutio intimæ aspirationis intelligi, de qua Joannes dicit, Unctio ejus docet vos de omnibus. Quæ nimirùm aspiratio humanam mentem contingendo sublevat, & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desideriis inflammat.* Et mox: *Cum igitur divina aspiratio sine strepitu mentem sublevat, verbum absconditum auditur, quia verbum sancti Spiritus in aure cordis silenter sonat.* Et idem rursus alibi, vel verberibus & ærumnis exterius, vel cogitationum sanctarum & piorum desideriorum inspirationibus, veluti telis quibusdam nos à Deo configi docet, ut consensum tandem aliquando voluntatis advertamus affigamusque ad æternæ legis obedientiam. Quis hìc non videt exprimi illa subita & improvisa desideria, quæ raptim coruscant & perstringunt, illiciuntque, non cogunt ad consensum? *Duobus modis omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad salutem curat. Aliquando enim carnem percutit & mentis duritiam suo labefacit pavore. Foris verbera admovet, ut intus vulnera delictorum curet. Aliquando autem etiam si exterius flagella cessare videntur, intus vulnera infligit, quia mentis nostræ duritias suo desiderio percutit, sed percutiendo sanat, quia terroris sui jaculo transfixus, ad sensum nos rectitudinis revocat.* Et paucis intertextis: *Vulnerantur corda nostra ut sanentur, quia amoris sui spiculis mentes Deus insensibiles percutit, &c. Percussa mens charitatis spiculis, vulneratur in intimis affectu pietatis, &c.*

Moral. l. 1. c. 12. L. 1. c. 19.

L. 6. c. 14.

Sed luculentissimè profectò Bernardus pias in nobis cogitationes affectionesque non aliter jubet spectari, quàm ut sermocinationes quasdam Verbi Dei, & Spiritus sancti insusurrationes, quibus excitemur extimulemurque ad æterna temporalibus præponenda. *Tu cum tibi aliqua talia volvi animo sentis, non tuas putes cogitationes, sed illum agnosce loquentem, qui apud Prophetam dicit, Ego qui loquor justitiam. Simillima enim sunt nostræ cogitata mentis sermonibus veritatis in nobis loquentis, nec facilè quis discernit quid intus pariat cor suum, quidve audiat, nisi qui prudenter advertit Dominum in Euangelio dicentem, Quia de corde exeunt cogitationes malæ. Et illud, Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Et, Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Et Apostolus, Non quod sufficientes, inquit, sumus cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, subaudi bonum, sed sufficientia nostra ex Deo est. Cum ergo mala in corde versamus, nostra cogitatio est: si bona, Dei sermo est. Illa cor nostrum dicit, hæc audit. Audiam, ait, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Itaque pacem, pietatem, justitiam Deus in nobis loquitur: nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Cæterùm homicidia, adulteria, furta, blasphemiæ & his similia de corde exeunt, nec audimus ea, sed dicimus.* Quanquam continuò monet has quoque plerumque scelere imbutas cogitationes à dæmone suggeri, nec dici à nobis, sed audiri. Porrò palam hìc est, ea quæ cogitando audimus magis quàm loquimur, & verba magis Verbi ad nos, quàm nostræ cogitata mentis sunt, non aliud esse posse, quàm inspirationes, seu cogitationum seu affectionum indeliberatarum. Nam quod deliberatione & consensione nostra ratum est, id demum nostrum propriè & à nobis est.

In Cant. Serm. 32.

Bernardus idem alibi ait tunc Verbum ad animam loqui, cùm donum infundit: animam tum respondere, cùm assentitur, acquiescit & gratulatur. *Spiritus est Verbum, spiritus & anima; & habent linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur. Verbi locutio est infusio doni, responsio animæ, cum gratiarum actione admiratio.* Et inferiùs: *Justa trepidatio parvulorum manifestò signat audisse eos intus quasi minacem atque increpatoriam illius proculdubio vocem, qui in Propheta loquitur, Ego qui loquor justitiam. Vox ejus inspiratio ejus est, ac justi timoris incussio.* Et infrà: *Sequitur vox blande & leniter divinam insinuans voluntatem, quæ non est aliud quàm ipse amor, qui otiosus esse non potest, de his quæ Dei sunt sollicitans & suadens. Denique audit sponsa ut surgat & properet, haud dubio ad animarum lucra.* Quod & alibi manifestiùs: *Gratia liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum: sanat, cum immutat affectum.* Et alibi rursum, cùm malas cogitationes à maligno spiritu suggeri dixisset, *Eas verò cogitationes quæ veritatis & justitiæ nos admonent, tota devotione suscipientes, divinæ dignationi gratiam habeamus: quoniam ipse est qui loquitur justitiam, ipse cujus sermo veritas est.*

Serm. 45.

Serm. 58.

Serm. 57.

De Grat. & liber. arb. c. 14.

De Septem Spiritibus.

Cæterùm iterando, inculcando, fatigando, blandiendo, terrendo per istiusmodi inspiratas cogitationes affectionesque, quàm facile sit Deo omnipotenter quo vult inclinare nostras voluntates, idem iisdem locis declarat: *Videns quomodo verbum quod egreditur de ore Dei, non revertatur ad*

eum vacuum, sed prosperetur, & faciat omnia ad quæ misit illud. Et alibi: *Hujusmodi linguam suam cum Verbum movet, volens ad animam loqui, non potest anima non sentire. Vivus est enim sermo Dei & efficax.*

CAPUT LXXXIII.

A capite LXVII. ad LXXXII. ea argumenta contexuimus quæ promuntur à doctrina Augustini de adjutorio quo, *& sine quo non: à discrepantia gratiæ in natura stante & reparata: à ratione merendi diversa in utroque statu: à gratiæ natura, quæ libertati merenti, nondum fruenti sit accommodata: à connisu & cooperatione libertatis cum gratia ad merendum: ab inspirationum denique quibus gratia constat, natura per se frustrabili sigillatim, & præventione ante consensum, ex quo fit ut consensum non possint physicè & infallibiliter operari. Nunc ad scientiam & voluntatem Dei efficacissimam progressus fit. Et primo ostenditur præscientiam & prædestinationem non tempore, sed æternitate præcedere res ipsas, atque ita nullam necessitatem antecedentem illis imponere. Ita primùm ex Augustino.*

Superiori sæculo ferè senescente magni quidam nominis & eximiæ eruditionis Theologi ita constituerunt, non posse Dei præscientiam & gratiæ prædestinationem stare, nisi causas omnes secundas tum liberas tum naturales omnipotenti ipsemet ad actus singulos motione prædeterminaret & ineluctabiliter contorqueret: præstructo autem hoc divino ita omnia & per momenta singula impulsu in tempore, jam pronum esse & præscientiam tueri divinam & gratuitam electorum prædestinationem, cùm quod facturus erat in tempore, id omne ante sæcula faciendum & decreverit Deus & præscierit.

Hæc placita ingentem prorsus præ se ferunt animi magnitudinem, pietatem eximiam, divinæ in naturas omnes etiam liberas omnipotentiæ & dominationis sensum & venerationem prorsus singularem. Sed cùm horum Theologorum modestia atque humanitas doctrinæ & pietati non concedat, non molestè ferent suo quemque abundare sensu, & concessa à Paulo Apostolo licentia uti. Itaque bona eorum pace, promemus & ipsi in medium, quæ ex antiquioribus Theologis, ex sanctis Patribus, ex uno maximè Augustino hausisse nobis videmur: ut non jurati in cujusquam verba, ita nulli oblectantes inter Catholicos Doctores receptæ sententiæ.

Quod ergo primùm attinet ad divinam futurorum & liberorum eventuum præscientiam, illud extra omnem aleam dubitationis positum est, præscientiam Deo non adscribi, nisi accommodato ad plebis captum sermone, adeoque necessario & inevitabili. Nam longè maxima pars humani generis censetur plebis nomine, porro ingeniosi & eruditi ipsi etsi ad pauca momenta vim sibi adferant, & erigant arrigantque se, & ad puras veritatis auras eluctentur, recidunt mox tamen & resorbentur in consuetudinem sensuum, & in plebeiam corporalium imaginum servitutem. Scripturæ ergo Patresque & Theologi uno eodemque charitatis spiritu accommodarunt veritatem, & deflexerunt ad humani ingenii patientiam, & à Deo res præsciri ac prævideri commemorarunt. Nostræ enim infantiæ blandiendum aliquantulùm fuit, ut lacte isto paulatim ad solidiorem cibum convalesceremus. Ergo cùm aliqui erepant tandem ex hac infantia, & ad perfectionem quandam divinorum intelligentiam maturescant, occurrunt non pauca in iisdem Scripturarum sanctorumque Patrum commentariis, quibus hæc cogitandi infantia emendetur. Si Deo enim præscientia & prævisio inest futurorum, futura sunt ergo illi aliqua, necdum præsentia: quæ ipse prævidet, nondum videt, quæ præscit magis quàm scit. Illa porrò ex futuris fient præsentia, ex præsentibus trajicientur in præteritum: ita quæ prævidebat Deus, videbit: quæ expectaverat, tenebit: quæ viderit & tenuerit præsentia, ea mox præterita recordabitur. Ita Dei scientia temporalium & mutabilium tempori & mutationi ipsa quoque subjiceretur. Non idem est enim, quæ futura expectaveris, præsentia tenere, nec tenere, sed labentia & lapsa jam in futurum recordari. Tam longa futurorum expectatio, tam brevis & fugax præsentium intuitus & fructus, infinita rursum eorundem memoria præteritorum sejungi non possunt à præscientiæ cogitatione; à simplicitate autem & ab immutabilitate & ab unitate Deitatis abhorrent tantum, quantum mente magis quàm sermone consequi possum.

Si convertamus autem mentis intuitum non jam ad scientiam Dei, sed ad ævum ipsum & æternitatis ejus, nihilo minùs exulare cogentur omnes & temporis & mutationis imagines. Æternitas enim tum una est & simplicissima, tum infinita quadam amplitudine temporum vices & sinus omnes complectitur. Itaque & tempora & temporalia eventa omnia, seu necessaria, seu libera, peræquè præsto sunt illi, utpotè infinitæ unitatis suæ sinu simplicissimo omnia complectenti, omnia simul & semper sibi repræsentanti, & tam non sinenti effluere quidquam sibi, quàm nec ipsa fluit. Itaque æternitas nec res futuras expectat, nec præsentes amittit, nec retractat præteritas; sed infinitæ suæ præsentiæ nodo constringit omnia, quę nobis ex prętereito in futurum per fugacissimam prę sentis umbram præcipitantur.

Hinc porrò claret lance eadem pensitandam esse prędestinationem atque prę scientiam divinam. Ex indulgentia enim & humaniore ad nostram imbecillitatem contemperatione profectum id quoque est, ut res à Deo ante sęcula prædestinari dicerentur. Ut scientia enim, ita & voluntas divina immutabilitati & æternitati propriæ consentit. Itaque perinde neutri vel advolant futura in præsens, vel presentia in preteritum avolant. Ex immutabilitatis & æternitatis ingenio pensanda est tam voluntas quàm mens divina; ut temporum vicissitudine nec ipsi quidquam vel accedere possit vel decedere. Ut nostro more & nostræ ex infirmitatis consensu Deum diximus præscientem futura, reminiscentem præterita; ita ex consequenti illum cogitavimus providentem, prę meditantem, præfinientem, prædestinantem res futuras. Si autem his infantiæ rudimentis ad punctum temporis sepositis contendamus rem ut est cogitare, omnia temporum volumina, & eventa omnia per temporum varias vices distributa, sic æternitati incommutabili adsunt, sic præsto sunt semper, sic non fluunt, sed consistunt, ut nec prævideri possint, nec prædestinari facienda, sed fiant & à Deo & à causis secundis, & à Deo volente fiant, & à vidente fiant, & à faciente videantur. Ut ergo res non prævidet Deus, sed videt; ita nec prædestinat propriè, sed vult & facit impræsentiarum, cui præsentia sunt semper omnia. Quippe nec menti nec voluntati divinæ quidquam est antè vel pòst, sed hodie, sed nunc sempiternum & stabile, tum adest illi, tum sistit illi omnia. Et res quidem ipsæ temporales, temporumque partes, aliæ aliis comparatæ, præsentes, futuræ & præteritæ sunt atque dicuntur, ut æternitati omnia ambienti in stabilem quandam & infinitam præsentiam colliguntur.

Præcedit res tamen Deus temporales, non tempore ullo, seu vero, seu imaginario, sed unitate, infinitate, immutabilitate ęternitatis suæ. Antevenit & præcedit res unus omnes, nempè creatas

crea-

creator, mutabiles immutabilis, factitias increatus, unus multiplices, finitas infinitus, contingentes indefectibilis, initio & fluxu & fine temporis labiles ipse & initii & fugæ & finis insolens, alias aliis decedentibus succedentes ipse nec decedens nec succedens, sed omnia & decedentia & succedentia continens retinensque, nec sibi effluere sinens. Ita quanquam in æternitate nec antè nec postea ullum est, ante omnia tamen & post omnia ipsa est, anterioribus omnibus anterior, posterioribus posterior, omnibus antiquior & superstes, eminentia incommutabilis æternitatis.

Quamvis autem tempore non anteveniat Deus eventus liberos voluntatis creatæ, habet illos tamen in potestate. Quid enim in potestate magis est, quàm quod præsto est, & præ manibus, & tenetur, & tractatur, & fingitur, & refingitur? Non ergo necessum est Deo præmeditari, & in antecessum librare consilia, & vias artesque illorum explicandorum & ad optatos exitus provehendorum rimari & captare. Suppetunt enim illi semper impræsentiarum artes modique innumerabiles impellendæ vel inhibendæ pro arbitratu suo voluntatis creatæ, seu affectiones congruas inspirando, seu illecebras objectando obicesve. Homini verò quoniam in ipso rei gerendæ articulo plerumque non adsunt, nec parari possunt necessaria adminicula ad extricandum consilium quod ineat, ideo opus est rei gerendæ tempus anteveniri & præmeditari atque venari præsidia proposito negotio opportuna.

Hinc porrò mollissimam inter gratiæ vim efficacissimam & libertatem nostram inire concordiam datur. Nam qui præsciri & prævideri actiones singulas voluntatis humanæ à Deo opinantur, minùs expeditè mox illi tuentur libertatis humanæ in eligendo indifferentiam: subit enim metus, ne aliò se voluntas humana vertat, quàm Deus præviderit. Qui verò non præsciri tantùm, sed etiam prædestinari à Deo ante sæcula, & in tempore ineluctabili prædeterminatione extundi contendunt actiones singulas liberæ nostræ voluntatis, multò illi inexplicabilioribus se laqueis irretierunt. Si tandiu enim antè occupavit Deus inexorabiliter præfinire nutus omnes actusque voluntatis meæ, quæ meæ jam erunt partes, nisi agi ducique? Si per singulos etiam actus ineluctabilis me Dei motio prædeterminat applicatque operi, illa meæ libertatis potestas sui domina, & innata indifferentia quantas in angustias contrudetur? An eò indifferens & sui domina est voluntas, quòd etsi ineluctabiliter agitur ad agendum, arcanam tamen & reconditiorem servat potestatem non agendi? At cui cordato & communis sensus retinentiori facilè persuadebitur, hanc esse germanam indifferentiam, hoc sincerum sui dominium? Ecquis enim usquam tam capite minutus, tam servus, tam arctis vinculis constrictus est, cui non insit simul illa penitior potestas & libertas, quæ ipsamet est voluntatis natura?

Longè diversam videntur sancti Patres iniisse rationem. Nec enim à Deo præsciri aut prævideri futuras, sed coram præsentes videri & sciri res omnes consenserunt. Si quis enim periculi aliquid suspicatur imminere libertati à præscientia futurarum ejus operationum: at ne suspicio quidem ulla discriminis residere potest in visione & intuitione rei præsentis, dum geritur. Et rursum si æterna præfinitio & prædestinatio rerum in tempore à nobis gerendarum, inevitabilis necessitatis periculo nos terret, sanxerunt Patres castigatiori & accuratiori cogitandi ratione res nullas à Deo antè præfiniri, quàm fiant: cùm Deo nihil antè, nihil posteà, omnia in præsenti sint. Nulla hinc ergo reformidanda est antecedens necessitas, cùm nulla tempore antecedat vel prævisio, vel præfinitio, vel prædestinatio; sed omnia in præsenti semper & videantur & definiantur & gerantur. Postremò denique rerum ipsa quoque executio ita divinæ servit, ut humanæ non officiat voluntati juxta eosdem Patres, quia inclinandæ quolibet vel à quolibet revocandæ voluntatis nostræ artes modosque habet Deus innumerabiles, quarum aliis deficientibus alias sufficiet infatigabiliter, donec fatigata voluntas creata in deditionem tandem veniat.

Magistro jam animos & aures advertamus. Sic ergo luculentè cum primis Augustinus: *Tu autem Domine, qui & semper vivis, & nihil moritur in te, quoniam ante primordia sæculorum, & ante omne quod vel ante dici potest, tu es: summus enim es, & non mutaris: neque in te peragitur hodiernus dies, & tamen in te peragitur; quia in te sunt & ista omnia; non enim haberent vias transeundi, nisi contineres ea. Et quoniam anni tui non deficient, anni tui hodiernus dies. Et quàm multi jam dies nostri, & Patrum nostrorum per hodiernum tuum transierunt, & acceperunt modos, & utcumque extiterunt, & transibunt adhuc alii, & accipient, & utcumque existent? Tu autem idem ipse es, & omnia crastina atque ultra, omniaque hesterna & retro, hodie facies, hodie fecisti.* Quo quid re tanta cogitari, quid ab Augustino dici potuit magnificentius? Omnia futura, præsentia, preterita & videt & facit Deus hodie, imò in puncto simplicissimo, sed & eodem infinito interminatæ æternitatis suæ, cui nihil labitur, nihil effluit, sed adsunt & consistunt omnia. Video quàm ægrè mens humana temporalium imaginum consuetudine imbuta huc eluctetur, sed verissimè tamen Theologiæ decreta his castigationibus de Deo placitis non popularibus temperamentis accòmodanda sunt, tunc saltem cùm gravis & importuna aliqua difficultas elucidanda incumbit. Unde idem mox: *Quid ad me, si quis non intelligat? Gaudeat & ipse etiam sic, & amet non inveniendo invenire potius, quàm inveniendo non invenire te.* Conf. l. 1. c. 6. Ibidem.

Res futuras alibi ait à sacris vatibus ita forsan videri aut provideri, ut qui longum carmen memoria complexus est, cujus particulas singulas audit videtque recitando explicari, anteriores posterioresque interim ita recolens animo, ut illarum meminerit, hæc expectet. Non ita porrò à Deo futura prævideri admonet, nempè incommutabiliter æterno, atque adeò simplicissimè omnia coram intuenti, & eodem semper modo; non alio aliàs: *Absit ut tu conditor universitatis ita noveris omnia futura & præterita. Neque enim sicut nota cantantis, notumque canticum audientis, expectatione vocum futurarum & memoria præteritarum variatur affectus, sensusque distenditur, ita tibi aliquid accidit incommutabiliter æterno, hoc est verè æterno creatori mentium. Qui intelligit confiteatur tibi, & qui non intelligit confiteatur tibi.* Et infrà: *Expectatio rerum futurarum fit contuitus, cum venerint; itemque contuitus fit memoria, cum præterierint. Omnis porrò intentio, quæ ita variatur, mutabilis est, & omne mutabile æternum non est. Deus autem noster æternus est. Hæc colligo atque conjungo, & invenio Deum meum, non aliquam tali nova voluntate condidisse creaturam, nec scientiam ejus transitoriam aliquid pati.* Confess. lib. 11. c. ult. L. 12. c. 15.

Cùm nullo autem lapsu temporis æternitas tempora, Deus creaturas, scientia aut præscientia res scitas, voluntas & prædestinatio divina res prædestinatas antecedat, quo tamen excellentissimo modo anterior sit creator creaturis, æternitas temporibus, sic ille declarat, quatuor secernens præcedendi rationes: *Si modo est idoneus discernere, quid præcedat æternitate, quid tempore, quid electione, quid origine. Æternitate sicut Deus omnia. Tempore sicut flos fructum. Electione sicut fructus florem. Origine sicut sonus cantum.* Ut verò geminos alios præcedendi modos nunc quidem missos faciamus, quàm in proclivi est capere, quid sit præcedere tempore, tam arduum est intelligere, quid sit demum præcedere æternitate: eo enim modo Deus, scientia Dei, voluntas & prædestinatio Dei præcedit res omnes ab ejus nutu religatas. Uno verbo rem expedit Conf. l. 12. c. 29.

pedit Augustinus ibidem: eo præire & præcedere æternitatem, quot tempora & temporalia omnia ex suæ effundat simplicissimæ unitatis & incommutabilitatis sinu. *Rara visio & nimis ardua, conspicere Domine æternitatem tuam incommutabiliter omnia facientem, ac per hoc priorem.*

Quod autem præscientia non adsignetur Deo in sacris litteris, nisi ex indulgentissima ad vulgi captum attemperatione, idem manifestè probat, ex eo quod ibidem pœnitentia quoque prioris consilii Deo appingitur. At pœnitentia non potest Deo citra contumeliam affingi, ut quæ mutationem palam & inconstantiam præ se ferat. Ergo nec præsentia, quam supra ostendimus mutabilitati & ipsam quoque subesse: *Quidquid de Deo humanitus* Ad Simpl. l.2.q.2. *dicitur, quod etiam hominibus aspernabile videatur, humana admonetur infirmitas, etiam illa quæ congruenter in Scripturis sanctis de Deo dicta existimat, humanæ capacitati aptiora esse, quàm divinæ sublimitati: ac per hoc etiam ipsa esse transcendenda.* Bifariam ergo Scriptura de Deo loquitur, nunc ea videlicet, quæ maculam quandam evidentem & insignem præferant, cujusmodi est de inito consilio pœnitere, tunc verò ea de Deo profert, quæ hominibus corticem rerum lambentibus videantur etiam admiranda & optanda, quod genus est præscientia & provisio futurorum. At verò author est Augustinus, per priora illa, quæ Deo impropriè & ad humanam infirmitatem accommodatè dicuntur, nos admoneri, ut hæc quoque diligentiùs inspiciamus, quæ cum dignitate videntur dici, & cùm diluxerit his quoque inhærere nevos quosdam ineluibiles imperfectionum, hos quoque Deo abjudicemus. Concludit ergo ablegata præscientia, quæ cum temporum vicibus & mutationibus conjuncta est, Deo adscribendam esse *solam vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis, una atque æterna contemplatione cuncta collustrantis.*

Itaque ut divina immensitas omnibus eminet, & superior & effusior est corporibus locisque, etsi per loca & spatia non diffundatur: imo omnibus eo superior locis est, quod nullo loco spatiove extenditur: eminet enim non molis magnitudine, sed unitatis copiosa magnitudine, & omnipotentiæ omnia creantis majestate. Ita æternitas omnibus temporibus & temporalibus adest, dum præest; præest autem non antiquitate senii, sed invariabili immutabili- Ibidem. tate stantis semper æternitatis: *Non locorum gradibus, intervallisque spatiorum, sed excellentia & eminentia dominantis super omnia voluntatis, ut omnia conderentur*, eminet Deus. Et alibi rusum, *Erat veritas Deus meus supra mentem meam, non sicut* Conf. l.7.c. 10.15. *oleum super aquam, nec sicut cœlum super terram, sed superior, quia ipsa fecit me, & ego inferior, quia factus sum ab ea.* Et infrà: *Vidi cuncta in te finita, non quasi in loco, sed quia tu es omnitenens, manu, veritate.*

Ergo ut immensitas divina non abrogatur, sed astruitur, quando corporalibus imaginibus abactis defæcatior sine diffusione per loca & spatia cogitatur: ita & præscientia & prædestinatio validioribus præsidiis communitur, cùm datur opera, ut intelligatur, quomodo tempora omnia Deus non tempore, sed æternitate præcedat. Illa autem difficultas quæ ex præscientia & prædestinatione antecedentem libertati nostræ intentat necessitatem, eo nitebatur tantùm præjudicio, quod præscientia & prædestinatio Dei consensum actusque omnes nostræ voluntatis tempore præcederet, & ante præfinire occuparet,

CAPUT LXXXIV.

Idem confirmatur ex Gregorio Papa, Boethio, Authore librorum de Vocatione Gentium, Beda, Prudentio, res à Deo non tam præsciri, aut prævideri, aut prædestinari futuras, quàm præsentes videri, sciri, fieri. Ita nullam eventis liberis infligi necessitatem.

PAtres nunc alios suffragatores Augustino accersamus, in eadem rerum omnium instabilium præsentia stabili, qua sibi illas repræsentat, & sistit, figitque divina & incommutabilis æternitas. Greg. Magnus ante alios prodibit: *Neque enim ea in luce, quæ sine accessu ea quæ eligit, illustrat, & sine recessu ea quæ respuit, deserit, defectus mutabilitatis* Moral. l.2. c.15. *venit. Quia in semetipsa manendo immutabilis, mutabilia cuncta disponit; sicque in se transeuntia condidit, ut apud se transire nequaquam possint: nec tempus intus in conspectu ejus defluit, quod apud nos foris decurrit. Unde fit, ut in æternitate ejus fixa maneant ea, quæ non fixa exterius sæculorum volumina emanant. Cur ergo apud eum dicitur, Quadam die? cui nimirum dies una est æternitas sua. Sed cum Scriptura sacra de temporaliter editis loquitur, dignum est, ut verbis temporalibus utatur: quatenus condescendendo levet, & dum de æternitate aliquid temporaliter narrat, assuetos temporalibus sensim ad æterna traiiciat; seque bene nostris mentibus æternitas incognita, dum verbis cognitis blanditur, infundat.* Non potuit apertiùs declarari rerum omnium, quæ sibi nobisque alias aliæque præterite & futuræ sunt, præsentia jugiter stans & constans in æternitate divina; præsentia inquam rerum ipsarum, non scientiæ de rebus. Unde scitè rursum Gregorius admonet pia condescensione Scripturas ut se nostræ imbecillitati & intelligentię modo accommodent, de Deo verba facere & de æternitate ejus, tanquam more nostro dierum annorumque vices in eo quoque volverentur.

Idem Gregorius infrà: *Fuisse vel futurum esse æternitas non habet,* L.4.c.27. *cui nimirum nec præterita transeunt, nec quæ futura sunt, veniunt; quia cuncta per præsens videt.* Nec ideò præsentia sunt Deo omnia, quia ut præsentia contuetur; sed tanquam præsentia videt & intuetur, quia reapse præsentia sunt. Antè enim æternitas ipsamet Dei circumscribit colligitque & sistit sibi omnia tempora & temporalia eventa, quàm ea mens divina contempletur. Quod rursus humano more dicitur. Sed esse quodammodo priùs est quàm intelligere. Itaque priùs quodammodo est æternum esse, & æterno ambitu omnia complecti, quàm ea intueri. Ideò Gregorius rerum ipsarũ præsentiam in æternitate constituere laborat. Unde rursus idem: *Oculi carnei facta temporum nonnisi in tempore cognoscunt; quia & ipsi ad* L.9.c.26. *videndum cum tempore prodeunt, cum tempore clauduntur, & humanus visus quodlibet opus sequitur, non præcurrit. Dei immensitas quia ultra citraque super nos tenditur, sine inchoatione & termino æternum ejus esse dilatatur; eique nec transacta prætereunt, nec adhuc ventura quasi quæ non appareant, desunt; quia is qui semper esse habet, cuncta sibi præsentia conspicit: cumque aspiciendo post & ante non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur.* Ubi constanter vides ipsam rerum præsentiam ante figi, tumque intuitioni id tribui, ut in præsentes tantum res effundatur.

Ergo cum alibi idem Gregorius præscientiam futurorum & premeditationem adscribit Deo, humano indulget modo intelligendi; reapse autem juxta mentem ejus intelligendus est Deus in præsenti & coram omnia moderari eventa etiam libera, omnia nutu suo vel faciendo vel permittendo disponere: *Omne quod hic à justis agitur, secunda plantatio est;* L.12.c.4.

quia

quia prima videlicet plantatio non in opere justorum, sed in præscientia conditoris est. Et quia cuncta quæ agunt electi, sicut prius interius conspiciuntur, atque disponuntur, ita postmodum exterius perficiuntur, &c. Singula prorsus justorum opera præscit & disponit Deus, eo quo diximus modo, antecessione non temporis, sed æternitatis, cui omnia sunt præsentia, & in præsenti disponuntur, vel permittendo, vel faciendo. Quocirca idem rursus :
L.16.c.20. *Deus qui creator est omnium, æternitate sua tempora nostra comprehendit, &c. Deus hoc est quod habet. Æternitatem quippe habet, sed ipse est æternitas. Lucem habet, sed lux sua ipse est. Non est ergo in eo aliud esse, & aliud habere, &c. Cùm audit homo æternitatem Dei, humano more, intendenti animo longa vitæ spatia proponit, in quibus metiatur semper, & quid abiit retro, quod retineatur in memoria, & quid ante restat, quod expectetur ex intentione. Sed quoties in æternitate ista cogitamus, æternitatem necdum cognovimus. Ibi quippe est, quod nec initio incipitur, nec fine terminatur; ubi neque expectatur quod veniat, neque percurrit quod debeat recordari; sed est unum, quod semper esse est.*

Author eruditissimus librorum de Vocatione Gentium hanc Dei æternitatem, & rerum omnium in æternitate præsentiam stabilem & fixam obtendit objectatque illis, qui ex præscientia & præfinitione futurorum æterna apud Deum interitum ominabantur creatæ libertatis : *Non est in Deo accidens*
L.1.c.10. *motus, aut nova voluntas, aut temporale consilium, nec cogitatio ejus cum rerum mutabilium inæqualitate variatur; sed cuncta pariter tempora & temporalia sempiterno ac stabili comprehendit intuitu, & omnibus omnia jam retribuit, qui quæ sunt futura, jam fecit.* Et paucis intertextis, ex præscientia & prædefinitione divina sumptum argumentum ad insidiandum libertati, ita proponit, & solvit confestim : *Contra hanc invictissimæ veritatis splendidissimam lucem, solent quidam non sobriè dicere, superfluò ad acquirenda bonorum operum merita laborari, frustra etiam orationibus, quibus Deus exorandus speratur, insisti, si ex incommutabili proposito ejus Christianæ gratiæ subsistit electio : nec aliter quicquam procedere potest, quàm Omnipotentis voluntate dispositum est.* Quam objectionem sic ille statim perimit : *Sed qui se ingeniosè hoc arbitrantur opponere, non intelligunt scientiam Dei, quæ & præterita & præsentia & futura complectitur, tempore non teneri, & tam in conspectu ejus astare ea quæ gerenda sunt, quàm illa quæ aut geruntur, aut gesta sunt. Quod cum verissimum sit, non indiget mora cernendi & discernendi illa virtus, quæ perpetuo veroque contuitu creata & creanda, orta & oritura, acta & agenda simul aspicit : & quidquid in universitate rerum per sæcula præfinita evolvitur, ac multimodis varietatibus explicatur, id totum in eo jam ordine comprehendit, quem ex ipsius summo illo perfectoque judicio mundi hujus finis accipiet.*

Boethius & ipse Augustini legens vestigia, & omnium rerum quę sibi fluunt & effluunt, præsentissimam semper in æternitate divina stabilitatem, & consentaneam illi non tam perseverantiam, quàm scientiam divinam, & hinc tuitionem nostrę libertatis ita confirmat : *Aliud est quod interminabilem*
De Consol. Philos. l.5. Prosa 6. *ducit vitam, quod mundo Plato tribuit : aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam esse præsentiam, quod divinæ mentis proprium esse manifestum est. Neque Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ.* Et mox non præsentia esse Deo omnia argumentatur, quia coram posita videt; sed coram videri nuda & præsentia omnia à divina mente, quòd revera presto sint & præsentissima æternitati divinę : *Quoniam igitur omne judicium secundum sui naturam, quæ sibi subjecta sunt, comprehendit : est autem Deo semper æternus ac præsentiarius status; scientia quoque ejus omnem temporis supergressa motionem, in sua manet simplicitate præscientiæ, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi jam gerantur, in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præscientiam pensare velis, quæ cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectius æstimabis. Unde non prævidentia, sed providentia potius dicitur, quod porrò ab rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat.* Quibus ne optari quidem potuit manifestius quidquam ad stabiliendam hanc non cognitionis tantùm, sed rerum præsentiam jugem & stabilem in æternitatis ambitu simplicissimo.

Jam verò ex eo quòd in presenti gerantur omnia coram Deo, & ab eo interim conspiciantur, nihil periculi impendere libero arbitrio nostro, sic ille continuò exemplo usus hominum ipsorum, qui cùm ob oculos suos geri aliquid spectant, nullam gerentibus necessitatem infligunt, etsi necesse est ea geri, quę geri cernuntur. Illa enim necessitas tantùm conditionis est : *Quid igitur postulas ut necessaria sint quæ divino lumine lustrentur, cùm ne* Ibidem.
homines quidem necessaria faciant esse quæ vident? Num enim quæ præsentia cernis, aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus? Atqui est divini humanique præsentis digna collatio, uti vos vestro hoc temporario præsenti quædam videtis, ita ille omnia suo cernit æterno. Quare hæc divina prænotio naturam rerum proprietatumque non mutat. Quę pluribus ille ibidem prosequitur. Porrò liquet abundè ex his, quàm non his tunc Theologis venisset unquam in mentem illa eterna prefinitio physicę predeterminationis in tempore dandę ad actus singulos liberę nostrę voluntatis. Quò enim tota illa doctrina de concordia libertatis nostrę cum prescientia divina, si dissimulabatur interim longè gravissima ista difficultas, de predeterminante ad actus singulos motione, & eterna hujus preparatione?

Beda quoque eandem amplexus est concordiam predestinationis & gratię cum libertate : *Sed huic libero arbitrio videtur contrarium, quod Dominus* L. qq. aliquot q. 11.
ab æterno Sanctis ejus vitam æternam prædestinavit, & similiter causam vitæ æternæ meritum Sanctis ejus prædestinavit, reprobis autem mortem æternam; sed non mortis æternæ causam, quia nulli Deus peccata sua prædestinavit. Objectam hanc difficultatis molem protinus ita disjicit : *Prædestinatio Dei nulla vi cogit nos ad bonum, vel ad malum. Sed Deus apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, ab æterno ea quæ sunt futura nobis, in conspectu suo præsentia habuit; & quales nos aut ex nostra pravitate, aut ex justitia, sibi tales præsentavit, ut præsentes dijudicavit. Quæ enim sunt apud nos præterita vel futura, à conspectu Dei nunquam transeunt, sed semper præsentia sunt. Si ergo in conspectu ejus semper fuimus, & præsentialiter nos videt, quales aut ex ipso futuri essemus in bonum, aut non ex ipso, sed ex nobis futuri essemus in malum, non inconveniens fecit, si diversa videns merita, diversa etiam retribuit præmia.* Et paulò infrà : *Quid ergo? Cogit nos Deus, ut mali sibi videremur ab æterno? Absit. Nam potiùs nos coegimus eum, ut nos videret malos. Verbi gr. si video jacere aliquem, necesse est ut ille jaceat, quem jacere video : aut falsum est quod ego eum jacere video. Illa ergo necessitas à jacente est, an à vidente? Utique non à vidente infertur necessitas ut jaceat, sed ab ipso qui se disposuit ut jaceret. Deus igitur, cui nihil est futurum aut præteritum, nos sibi præsentes semper malos esse videt, non ut ille necessitatem inferat pravitatis, sed quia pravitas illa latere nequit præsentiam Judicis. Sicut ergo prædestinatio mortis non cogit malos ut pereant, sic etiam prædestinatio ad vitam non cogit bonos ut salventur.* Iterùm moneo, quid insulsius aut magis nuga-

nugatorium tota hac Bedæ doctrina, si à Deo prævidente & prædestinante nihilo plus necessitatis infligi rebus dictitet, quàm ab homine quopiam rebus quas & ipse intuetur: interim autem dissimulet & ne verbulo quidem attingat illam longè gravissimam difficultatem de physica prædeterminatione, sive de delectatione prædeterminante ad singulos actus bonos liberæ nostræ nunc voluntatis. Ista enimverò ventilanda fuerat difficultas, hic dignus tali vindice nodus, solvendus non dissimulandus fuerat.

Vidit ista Joannes Scotus Erigena, libello de Prædestinatione. Nec pigebit ejus verba exscribere, quibus postea & Prudentii Tricassini Episcopi assensionem subscribemus. Sic ergo Scotus:
Cap. 9. *Præscientia, prædestinatio, præscire, prædestinare. Considerandum primò hæc seu nomina seu verba de Deo propriè prædicari non posse. Qua enim ratione diceretur Deus præscire aliquid vel prædestinare, cui nihil est futurum, quia nihil expectat, nihil præteritum, quia nihil ei transeat? In eo enim sicut nulla locorum spatia sunt, ita nulla temporum intervalla. Sicut nulla ejus memoria propriè dicitur, cui nihil est præteritum; ita nulla præscientia, quia nullum futurum. Eodem namque modo Deus vidit, prævidit, scivit, præscivit omnia facienda priusquam fierent, quo videt & scit eadem postquam facta sunt; quoniam sicut ipse semper æternus est, ita universitas quam fecit, semper in ipso æterna est. De prædestinatione quoque ejus eadem sentienda sunt. Præsertim cùm omnis prædestinatio præscientia sit. Quo jure potest dici prædestinatio, id est, præparatio in eo qui nullo temporis intervallo præcessit, quo disponeret ea quæ facturus esset? Cujus operationem non præcedit præparatio; non enim aliud est ei præparare & operari. Utque hominis proprium est præparare quæ facturus est, ita Deo alienum prædestinare quæ nunquam facturus est. Quomodo autem facturus esset aliquid, quoniam simul & semel fecit? Aut quomodo non omnia fecit, qui semper omnia habuit, qui semper Verbum suum habuisse creditur, per quod facta sunt omnia, & in quo incommutabiliter vivunt omnia, non solùm quæ fuerunt, sed etiam quæ futura; nec tamen in illo fuerunt, nec futura sunt, sed tantummodo sunt, & omnia unum sunt?* Ex quibus tamen ita concludit, abusivè & metaphoricè ista omnia dici de Deo: *Ac per hoc sicut abusivè de Deo dicitur fecisse vel facturum esse, ita de eo dicitur abusivè præscisse, præscire, præsciturum esse, simili modo prædestinasse, prædestinare, prædestinaturum esse.* Cùmque mox recensuisset quatuor illos suprà memoratos ex Augustino præcedendi modos, subdit verba præsciendi & prædestinandi esse translata & metaphorica: *Illo igitur modo quo Deus omnia quæ fecit, antecedit, id est, æternitate, eo scilicet præscivit & prædestinavit ea quæ factura esset; hinc colligitur talia verba transferri à primo modo ad quartum, à loco videlicet temporis ad locum æternitatis.*

Prudentius verò in censura adversùs Scotum edita, sive in Recapitulatione de Prædestinatione, etsi alia plurima vellicat Scoti placita, huic tamen assentitur: *Dicis abusivè translatèque dici Deum præscire & prædestinare. Respondemus verum esse, sed abusione & translatione nulli præter ipsum propriè & principaliter convenire.*

CAPUT LXXXV.

Idem ex Anselmo, Honorio, Tostato, Contareno.

ANselmus quoque inter Augustini sectatores præcipuus eandem prorsus viam iniit concordiæ hujus muniendæ inter gratiam seu prædestinationem Dei & libertatem hominis. Libello enim singulariter lucubrato in rem istam, quem inscripsit, *De Concordia gratiæ & prædestinationis cum libero arbitrio*, sic ille habet: *Quos prædestinavit, hos & vocavit, &c. Hoc propositum secundùm quod vocati sunt Sancti in æternitate, in qua non est præteritum vel futurum, sed tantùm præsens, immutabile est: sed in ipsis hominibus ex libertate arbitrii aliquando mutabile est, &c. Cùm ergo ait Apostolus, quia Deus præscivit Sanctos suos, prædestinavit, vocavit, justificavit, magnificavit, nihil horum prius aut posterius apud Deum est, sed omnia simul æterno præsentia sunt intelligenda. Habet enim æternitas suum simul, in quo sunt omnia.* Et aliquantò inferiùs: *Hoc ergo modo quidquid de his quæ libero fiunt arbitrio velut necessarium Scriptura sacra pronunciat, secundùm æternitatem loquitur, in qua præsens est omne verum immutabiliter, non secundùm tempus, in quo non semper sunt actiones & voluntates nostræ; & sicut dum non sunt, non est necesse eas esse, ita sæpè non est necesse ut aliquando sint. Nam non semper scribo, aut volo scribere. Et sicut dum non scribo, aut non scribere volo, non est necesse me scribere, aut velle scribere, ita necesse non est ut aliquando scribam aut scribere velim, &c. Sic utique sine ulla repugnantia dicitur aliquid esse mutabile in tempore antequam sit, quod in æternitate manet incommutabiliter, non antequam sit, vel postquam est, sed indesinenter, quia nihil est ibi secundùm tempus.*

Anselmus idem aliquantò etiam manifestiùs nonnullis interpositis: *Prædestinatio non solùm bonorum est, sed etiam malorum potest dici: quemadmodum Deus mala quæ non facit, dicitur facere, quia permittit. Nam dicitur hominem indurare, cum non emollit.* Et infrà: *Sciendum quoque quia sicut præscientia non in Deo dicitur propriè, ita nec prædestinatio. Quia illi nec antè nec post aliquid est, sed omnia sunt illi simul præsentia.* Et rursum paulò inferiùs: *Quamvis necesse sit fieri quæ præsciuntur, & prædestinantur, quædam tamen præscita & prædestinata non eveniunt ea necessitate, quæ præcedit rem & facit, sed ea quæ rem sequitur. Non enim ea Deus quamvis prædestinat, facit, voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua illam potestate dimittendo. Quamvis tamen sua voluntas utatur potestate, nihil tamen facit, quod Deus non facit in bonis sua gratia, in malis non sua, sed ejusdem voluntatis culpa.*

Anselmus denique idem æquè promptam atque expeditam ominatur esse concordiam prædestinationis cum creata libertate, atque præscientiæ. Quid porrò proclivius, quid apertius, quàm à Deo videnti quæ geruntur, nullam vim aut necessitatem adferri ut gerantur? Si prædestinatio verò ad actus singulos motionem prædeterminantem & ineluctabilem addit, an verò & ipsa eodem jure dicetur quo præscientia nihil necessitatis invehere? An unum idemque est, videre & spectare dum quid geritur; & ut geratur, motionem victricem & indeclinabilem afferre? *Et quemadmodum quod præscitur, licèt in æternitate sit immutabile, tamen in tempore aliquando antequam sit, mutari potest, ita est per omnia de prædestinatione, &c. Omnia illa quibus monstravimus liberum arbitrium præscientiæ non repugnare, pariter ostendunt illud prædestinationi concordare.* Si eodem modo & æquè proclivi prædestinationem libertati concilias, quàm præscientiam, non ergo prædestinatio per motiones ullas prædeterminantes executioni mandatur. Et rursum necessitas tantùm consequens utrobique ab Anselmo admittitur, hoc est qua res videtur, quia est; non antecedens autem, qua ideo res est, quia videtur & prædestinatur. At illud non stat, si prædestinatio ad propositum pertingit scopum per adjutoria gratiæ ad actus singulos prædeterminantis. Denique Anselmus gratiam adgressus conciliare libero nostræ voluntatis arbitrio, de sola potissimum habituali gratia verba facit, qua ait ceu veste uti & non uti posse, quam ait affectionem

esse

esse voluntatis, ab actu voluntatis & ab ipsa voluntatis potentia distinctam. Quod obscurum non est, quàm abhorreat à physica prædeterminatione motionis divinæ, seu delectationis victricis ad actus singulos.

At verò si gratia, si prædestinatio indeclinabilem & invictissimam suam efficaciam obtinet eo modo, quàm constituimus, jam omnia Anselmi dicta certæ & pellucidæ veritati consentient. Nam ad actus singulos singula adjutoria gratiæ non infallibiliter determinant, sed universa. Ergo cum voluntas consentit, potest æquè ut prius non consentire. Præscientia & prædestinatio hujus consensionis liberæ peræquè facilè in pacem & concordiam cum voluntate adducuntur. Hinc emergens necessitas consequens tantùm est. Denique merito gratia habitualis & justificans ante cæteras hìc memoratur, quia & ipsa inclinat ad bene operandum, nec actualia gratiæ auxilia aliud quàm inclinant.

Honorius Augustodunensis Presbyter lambere Anselmi sui vestigia affectavit. Itaque sic ille scri-
Dialogo. Inevitabile. bit: *Quos Deus præscivit in Filium suum credituros, & mandata ejus voluntariè servaturos, hos ante sæcula prædestinavit, hos suo tempore ad fidem vocavit, hos per batisma justificavit, hos virtutibus magnificavit, hos vasa misericordiæ glorificavit. Quos autem minimè facturos præscivit, hos à regno gloriæ reprobavit. At videntur necessitate salvari, qui ante mundi exordium sunt dilecti? Deo nihil est futurum, sed omnia sunt ei præsentia, quæ jam sunt, & quæ futura sunt.* Non præscientiæ meritorum prædestinationem superstruit Honorius, sed præsciri necessariò ait debere à Deo consensum nostræ voluntatis, illis præstandum gratiæ auxiliis, quæ potuerant frustrari. Quanquam enim ex incommutabili suo proposito, & ex omnipotente sua intentione ante ullam præscientiam sciat Deus & prædestinet electis suis gloriam, & illam gratiarum collectionem, quæ infallibiliter voluntates eorum Deo subjiciet: quia tamen non singulæ istæ gratiæ voluntatem determinant infallibiliter, per præscientiam ab Honorio hìc assertam videt Deus, cui gratiæ cedat voluntas. Nec media ulla hìc aut conditionata scientia opus est: statim Honorius subjicit, hanc esse scientiam
Elucidariû. visionis, cum omnia Deo sint semper præsentia. Et rursus ibidem, *Deus omnia præscit, & hoc æternitati ejus congruit, qui nihil futurum quasi fiendum, nec aliquid præteritum quasi transactum novit, sed omnia fienda & transacta immutabili intuitu præsentia inspicit.* Addit gratia inclinari nos ad bonum, sed ea tamen perinde ut veste, uti nos posse & non uti. *Si egens nudus à divite vestiatur, non est ipsius quod vestitur, sed ejus qui vestem largitur; in suo autem arbitrio est, utrum vestem portet aut deponat. Sic est de gratia præveniente, libero arbitrio comitante.* Addit denique nullius culpæ affinem esse Deum, qui Angelos præsciens peccaturos, creavit tamen, & libera donavit voluntate, sine qua nec meriti quidquam boni sibi parare valuissent.

Honorius idem in libello alio, quem Anselmo nonnulli aliquandiu adscripserunt, eidem inhæret doctrinæ: *Duæ necessitates sunt, una naturalis, ut Solem in oriente oriri, altera voluntaria, ut aliquem ambulare vel scribere. Quæ Deus vult ut fiant, ut cœlum & terra, inevitabile est non evenire, sed per omnia necesse est ita contingere. Quæ autem fieri tantum permittit, ut homines per liberum arbitrium bonum vel malum facere, non est necesse evenire. Omnia quæ futuri homines erant facturi, Deus ante sæcula præscivit, & per Prophetas fienda prædixit: non tamen sua præscientia aliquam necessitatem eis intulit, ut fierent: sed potius ipsi necessitatem intulerunt, cum suam voluntatem explerent.* Adeo non existimat Honorius ineluctabili prædeterminatione impelli nostras voluntates in bonum, ut illas dicat tantùm *permitti* ire in bonum Non quo in bonum non inclinet Deus, sed quod non indeclinabiliter ad singulos actus determinet. Et tamen quos prædestinavit electione gratiæ, hos invictissimè ad justitiam & ad justitiæ perseverantiam pertrahi, quia tot illos beneficiis onerat & cingit, ut si qua deficiant, alia succedant, nec frustrentur omnia. *Quidquid prædestinati faciant, perire nequeunt, quia omnia cooperantur illis in bonum, etiam ipsa peccata. Nam post graviora facinora humiliores erunt.*

Tostatus Abulensis Episcopus penitissima quæque hujus Theologiæ arcana introspexit & propalavit, ut non alia re ulla magis infinitam quandam hujus tanti viri eruditionem mihi quidem admirari In Matth.
libeat. Sic ergo ille, *Si providentia Dei tempore* c.10.q.117.
præcedat res pravisas, necesse est quod illis imponat necessitatem, vel quod ipsa frustretur interdum, vel saltem frustrari possit. Utrumque est inconveniens. Quare providentia non præcedit res pravisas tempore, nec præcedere potest. Est enim providentia vel scientia Dei ipsa substantia, sed substantia ejus est in æternitate, ideo providentia æternitate mensuratur, &c. Cuilibet instanti temporis coexistit tota æternitas, &c. Quodlibet æternum præsens est cuicumque rei & tempori, non est ante, nec post, & ita providentia non præcedit tempore res provisas, nec subsequitur, sed coexistit eis. Et tunc verum est, quod omne provisum infallibiliter evenit, & tamen non est verum de aliqua re provisa antequam fiat, quod illa necessariò eventura sit propter providentiam, &c. At in præsenti qualibet res habet de seipsa necessitatem, quia omne quod est, dum est, necesse est esse. Sic ille ex præsentia & coexistentia rerum omnium in æternitate divina, tegit & tuetur libertatem nostræ voluntatis adversus necessitatem antecedentem.

Et idem alibi: *Cùm constet quod non præcedat* c.18.q.46.
prædestinatio aut præscientia mortem nostram, apparet manifestè, quod nullam necessitatem operationibus nostris poterit imponere. Et sicut prædestinatio & præscientia non sunt ante operationes nostras, ita neque sunt postea, quia utrumque repugnat naturæ æternitatis. Nam prædestinatio neque est præterita, neque futura, neque in isto instanti in quo sumus. Quia sicut præteritum esse est præterisse, & jam non esse; & esse futurum, est nondum esse, quorum utrumque Deo repugnat; ita esse in isto nunc nostro, est non fuisse ante hoc, neque post hoc futurum esse; quorum utrumque repugnat æternitati: Prædestinatio ergo quia est cognitio entis æterni, est verè, non est tamen præterita, neque futura, neque præsens in nostro nunc. Quorsum contendere & arrigere mentem tanto cum labore ad hæc abstrusa & sublimia æternitatis arcana, ut occurratur extrinsecæ necessitati, quæ ab æterna prædestinatione & præscientia intentatur libero arbitrio nostro: si interim iidem ipsi Theologi silentio suo dissimulent invehique sinant necessitatem tanto magis formidolosam, quanto intestinam, ab inspirata motione seu delectatione prædeterminante? Beda, Anselmus, Honorius, Tostatus in hujus potius difficultatis elucidationem incumbere debuerant, qua profligata jam nihil molestiæ facesseret præscientia vel prædestinatio Dei. Sed periit oleum & opera, si de solius præscientiæ & prædestinationis pace reficienda laboratum est, superest autem tota contentio motionis prædeterminantis cum libero arbitrio.

Contarenus Cardinalis accedet extremus hujus astipulator elucidamenti, de præscientiæ & prædestinationis castigata doctrina per rerum omnium præsentiam in æternitatis amplitudine infinita & simplicissima: *In Deo efficiendi rationem simpli-* L. de Prædestinat.
cissimam & immutabilem esse diximus, quæ cum in æternitate sua operetur, nec fuit, nec erit ullum admittit, sed est solo continetur, quod tempus omne immenso spatio excedit. Et postea: *Verum quia prædestinationis nomen si cum effectu conferatur, quandam significatione sua prioritatem inclu-*

includit; non eo quidem modo, quo præsens tempus tempore futuro prius esse dicimus: sed quo causam effectu priorem enunciamus. Et mox ut ex ista hallucinatione, sive infirmitate, qua æternitatem, præscientiam, prædestinationem imaginamur tempore anteire & priorem esse nostris operationibus, exorta sit illa qua tandiu jam fatigamur difficultas, & suspicio de pernicie nostræ hinc libertatis: *Errore & nostra intelligendi modo prædestinationem ut causam quandam concipimus, temporis successione effectu suo superiorem. Cumque hac imprudentia ad rerum humanarum angustias divinæ efficientiæ amplitudinem restringimus, & temporis successione effectu suo percipimus superiorem; hac inquam inscitia decepti, nulla ratione comprehendere possumus effectorum contingentium naturam, utpote quibus contingentia quoque omnia necessitate quadam provenire videntur*.

CAPUT LXXXVI.

Voluntas Dei ex Augustino invictissimè efficax & victrix semper est, non quòd voluntates creatas ad opera singula prædeterminet, sed quod nihil usquam fiat, quod non ipse vel permittat fieri, vel faciat: item quòd voluntas ejus quasi biceps sit, ut aut faciat quisque quod debet, aut patiatur quod debet. Id verò semper impletur, nec bonum enim infructuose, nec malum impune fit. Tertiò denique quòd ea ipsa quibus voluntati ejus renititur & repugnat creata voluntas, in usum & in obsequium voluntatis suæ ipse retorquet.

QUi non ita pridem Theologi actus singulos voluntatis liberæ à Deo ante sæcula consilio incommutabili præfiniri, & in tempore ejusdem prædeterminante & indeclinabili motione produci sanxere; illi nimirum in hanc sententiam singulari quadam sua divinæ omnipotentiæ & amplitudinis æternique in res temporales imperii admiratione perducti sunt. Assurgimus ergo & nos his Theologiæ Scholasticæ Principibus, sed honorem & pacem præfati, illa quam Theologis omnibus indulget Ecclesia Catholica libertate, alias quoq; rimabimur vias, ab Augustino & Patribus aliis tritas, nostræ libertatis cum omnipotenti efficacia divinæ voluntatis conciliandæ.

Omnium consensio est Theologorum, inter Ecclesiæ Patres omnium prolixissimè & vehementissimè Augustinum incubuisse in constituenda divinæ voluntatis efficacia invictissima. Ergo quæ fuerit in isto negotio sententia Augustini, eam nemo qui Theologiam saltem à limine salutarit, regnare atque dominari debere inficiabitur. Atqui Augustinus omnipotentem efficaciam divinæ voluntatis in nostras Angelorum hominumque voluntates ita interpretatus est, ut non ad singulos tamen actus ab illo istæ prædeterminentur impulsu indeclinabili, sed sibi permittantur ipsis, ut quò se volent convertant: quò se cumque autem vertent, id omne ad usum divini & incommutabilis consilii retorqueatur. Itaque in Angelos hominesque primùm conditos explicuit se primò efficacissima & invictissima vis divinæ voluntatis ex Augustino, non ut ipsos ad hos vel illos actus bonos malosve inevitabili motione præcipitaret; sed ut ad bonum inclinaret, à malo deterreret: in bono perseverantes, propriæ voluntatis arbitrio prosequeretur præmiis, à justitia desciscentes meritis afficeret pœnis. Hæc Dei voluntas creatarum voluntatum adjutrix in bonum, & à malo dehortatrix, obedientium præmiatrix, ultrix contumacium, invictissima & victrici potestate atque efficacia sua fraudari non potuit per inobedientiam Angelorum apostatarum, hominumque. Tum enim frustrari & ludificari meritò videretur, si vel in bono perseverantes desponsis præmiis non donarentur, vel ad malum defluentes non darent pœnas. At inconcussum stat imperium divinæ voluntatis, quæ sanxit ut Angeli hominesque libertate sua fruerentur, quæ jussit ut justitiæ inhærerent, quæ ostentavit obsequentibus præmia, supplicia immorigeris: stat inquam divinæ hujus voluntatis inconcussum imperium, quam se cumque in partem voluntas creata ejiciat, dummodo nec obedientia ejus præmio desponso careat, nec inulta inobedientia insaniat. Denique invicta præterea victrixque fuit semper voluntas Dei, cùm ex ipsa creatæ voluntatis nequitia voluntaria occasionem rapuit insigniendæ summæ bonitatis suæ, dum de malis bene facit, & de damnationis massa quosdam eligit secernitque, quantò sine meritis, tantò cum majore divinæ clementiæ commendatione liberandos.

Hæc prorsus est Augustini ratio summæ & invictissimæ efficaciæ divinis consiliis & voluntatibus vendicandæ: *Hæc sunt magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, & tam sapienter exquisita, ut cùm angelica & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa, fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit: bene utens & malis tanquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos justè prædestinavit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benignè prædestinavit ad gloriam. Quantùm enim ad ipsos attinet, quod Deus voluit, fecerunt: quantùm verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis factum est voluntas ejus. Propterea namque magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam fit contra ejus voluntatem. Non enim fieret, si non sineret: nec utique nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.* Enchirid. c. 100.

Hìc porrò observa primò ex Augustino ita efficacissimam esse Dei voluntatem, ut contra eam tamen multa fiant, multa peccentur; quod minimè fieret, si ad actus singulos nostras voluntates illa divinæ voluntatis efficacia prædeterminaret. Cùm enim summè bona & bonitas ipsamet sit, nonnisi ad actus bonos illas prædeterminaret. Quì verò posset ad malum eas prædeterminare, quod exsecratur, vetaret, plecteret ipsamet? Sed quanquam contra voluntatem Dei multa fiant perperam, vel tunc tamen efficacissima & victrix illa est, 1. quia nec peccat quidquam creata voluntas, nisi Deo sinente; non autem nolens sinit, sed volens. Itaque vel malum ipsum fit eo volente, quia fit eo sinente & permittente. Itaque imperatoria vis divinæ voluntatis in his etiam explendescit, non quòd impellat aut prædeterminet ad actum peccati, sed quòd libertatem creatam jubeat, sinat, permittat uti concessæ indifferentiæ potestate, quam poterat non dare, potest revocare, refrænare denique posset. Ita ex Augustino, *miro & ineffabili modo non fit præter ejus voluntatem, quod fit contra ejus voluntatem. Quia non fieret, si non sineret: nec utique nolens sinit, sed volens*. 2. Efficacissima vel tunc est voluntas Dei, cùm peccamus, quia biceps quodammodo & bicornis est: nec enim vult tantummodo Deus ut justitiæ orbitam teramus; sed vult simul & semel, atque omnipotente imperio vult jubetque, ut justitiæ serviamus sponte & volentes, idque non infructuosè, si perseveranter; alioqui pœnas demus si à justitia deviemus. Hæc biceps voluntas nunquam frustratur, nec enim frustrari potest, nisi vel obedientibus præmia, vel contumacibus pœnæ deessent. Ergo ita præcipit Deus, ita omnipotenter jubet & vult, ut quamcumque in partem se flectat voluntas creata, incurrat in Dei manus, vel præmiantis bonos, vel malos ulciscentis. 3. Famulatur quoque divinæ voluntati quidquid contra eam videtur fieri,

dum cedit in ejus laudem qui novit mala ipsa convertere in laudem bonitatis suæ. Magnificentius enim est de malis ipsis benefacere, quàm mala nulla esse permittere. Quantum verò gloriæ Deo accessit ex electione misericordiæ, ex prædestinatione gratiæ, qua in laudem gloriæ gratiæ suæ, ut ait Apostolus, ex massa damnata quosdam liberavit! Ibid. c. 107. *Sic ergo factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset, non sine adjutorio divino, & suo fieri perversus arbitrio. Utrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certè de illo. Proinde quia suam maluit facere, quàm Dei, de illo facta est voluntas Dei, qui de eadem massa perditionis, quæ de illius stirpe profluxit, facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.*

Vides hic perspicuè bicipitem esse in his Dei voluntatem, ut *utrumlibet eligat homo*, Dei voluntas fiat, vel ab ipso, vel de ipso. Vel malas enim voluntates in usum boni intorquet, & eo efficax, eo omnipotens, eo invicta est voluntas Dei. Non eò ergo quòd omnipotenti prædeterminatione vel in malum urgeat, vel à malo abstrahat hominem, sed eò quòd utrumlibet eligat homo, fiat voluntas Dei, vel ab illo obediente, vel de illo pœnas dante, & vel sic inserviente divinis consiliis, quibus malo ex ipso bonum exculpitur. Morte enim Christo inflicta, & laniena Martyrum quid facinorosius? Et ex hoc tanto malo quantam bonorum segetem messuit Ibid. c. 101. voluntas Dei omnipotens? *Nam Deus quasdam voluntates suas utique bonas implet per malorum hominum voluntates malas. Sic per Judæos malevolos bona voluntate Patris Christus pro nobis occisus est.*

Et alibi rursum Augustinus omnipotentem efficaciam victricemque semper vim divinæ voluntatis ex bimembri illo imperio derivat illustratque exemplo tam luculento, ut nullis tergiversationum nubeculis De spir. & lit. c. 33. obscurari possit: *Voluntas Dei semper invicta est; vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, verbi gratia, volo ut hi omnes servi mei operentur in vinea, & post laborem requiescentes epulentur: ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat; videtur quidem quicumque contempserit, contra voluntatem domini sui facere; sed tunc eam vincet, si tunc & pistrinum contemnens effugerit; quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate.*

Blandiantur sibi per me licet de rationibus aliis, post centum ab hinc annos excogitatis, ad divinæ voluntatis inexpugnabilem efficaciam expediendam: sed vix aut ne vix quidem dubitari poterit de mente Augustini, si hæc seriò perpendantur. Fraudi verò quammultis fuit, quod esset solet in istiusmodi; scilicet observata sunt loca Augustini, ubi contestatur invictissima, omnipotentissima, indeclinabili voluntate Dei omnia regi, agi, rotari; sed testimonia illa ubi modum & rationem & viam qua id perficitur, declarat, prætermissa, aut strictim & oscitanter decursa sunt. Itaque generalem illam propositionem de omnipotenti efficacia Dei voluntatis ad propria deflexerunt præjudicia præsumptæ opinationis, non posse nimirum invictissimè voluntatem Dei regnare, nisi ad singula quæque causas omnes prædeterminando. Atqui Augustinus non unam tantùm victricem semper efficaciam divinæ arrogat voluntati, sed vias rationesque singillatim enucleat, quibus id peragitur incolumi & sospite creata libertate: *Quidquid enim homo fecerit, lau-* Catec. rud. c. 18. *dabilem in suis factis inveniet Deum. Si rectè egerit, laudabilem invenit per justitiam præmiorum: si peccaverit, laudabilem invenit per justitiam suppliciorum: si peccata confessus ad rectè vivendum redierit, laudabilem inveniet per misericordiam indulgentiarum. Cur ergo non faceret Deus hominem, quamvis eum peccaturum prænosceret, cùm & stantem coronaret, & cadentem ordinaret, & surgentem adjuvaret, semper & ubique gloriosus bonitate, justitia, clementia, &c.* Et ibidem: *Novit Deus ordinare deserentes se animas, & ex earum justa miseria inferiores partes creaturæ suæ convenientissimis & congruentissimis legibus admirandæ dispensationis ornare. Itaque nec diabolus aliquid Deo nocuit, nec homo in aliquo minuit veritatem, aut potestatem, aut beatitudinem Conditoris sui. Justissimis enim Dei legibus omnes damnati sunt, Deo glorioso per æquitatem vindictæ, ipsi ignominiosi per turpitudinem pœnæ.*

Et hæc sanè non paulò abmirabilior est & præstantior dominatio atque victoria divinæ voluntatis in creatas voluntates, si illas uti sinat & abuti concessa ab ipso Deo libertate atque indifferentia; sed ita tamen moderetur omnia, ut in quamcumque partem illæ se inflectant, in omnipotentis providentiæ casses incidant, & voluntariæ sin minùs justitiæ præmia, certè vel nequitiæ pœnas assequutæ, secretioribus etiam divinæ bonitatis consiliis vel sua ipsa malitia obsequutæ, divini imperii legibus finibusque egredi se non potuisse testificentur. Ecquod enim insignius potentiæ invictissimique imperii documentum, quàm ipsa nostra contumacia, nostra repugnantia uti ad implendam voluntatem suam? Liberam enim voluntatem & potestatem sui, indifferentiamque boni & mali donare creatis à se naturis intellectualibus, & clam interim eas per opera & momenta singula constringere & determinare ad quidlibet per physicæ prædeterminationis vincula; id verò quid aliud est, si communem sensum audiamus, quàm sui ipsum pœnitere consilii; concessum revocare beneficium, datam libertatem arcanis violare compedibus, timidè imperare, de omnipotentia sua diffidere, metuere denique ne creata libertas fines omnipotentis imperii prætervehatur? Magnificentiùs de divinæ voluntatis imperio indeclinabili sentit quoque Augustinus, quod negat ille ludificari usquam posse, etsi in omnem undique partem liberæ remittantur habenæ creatis voluntatibus: *Nec enim homo peccato suo divinum potuit perturbare consilium,* Civit. l. 14. c. 11. *quasi Deum quod statuerat, mutare compulerit. Cùm Deus præsciendo utrumque prævenerit, id est, & homo, quem bonum ipse creavit, quàm malus esset futurus, & quid boni etiam sic de illo ipse esset facturus.* Et alibi: *Nec efficit anima perversè u-* Epist. 120. *tens creaturis, ut ordinationem effugiat Creatoris: quoniam si illa male utitur bonis, ille bene utitur etiam malis: ac per hoc illa perversè bonis utendo fit mala, ille ordinatè etiam malis utendo permanet bonus. Qui enim injustè se ordinat in peccatis, justè ordinatur in pœnis.* Et denuo: *Nec ipse homo con-* *tra naturam aliquid facit, nisi cum peccat, qui ta-* Con. Faust. L. 26. c. 3. *men supplicio redigitur ad naturam. Ad naturalem quippe justitiæ ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut impunita esse non valeant. Quodlibet horum sit, naturalis ordo servatur, si non ab anima, certè à Deo.* Et rursum: *Creaturis præstantissimis,* De natura boni. c. 6. *hoc est, rationalibus spiritibus hoc præstitit Deus, ut si nolint, corrumpi non possint, hoc est, si obedientiam conservaverint Domino Deo suo, ac sic incorruptibili pulcritudini ejus adhæserint. Si autem obedientiam conservare noluerint, quoniam volentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpantur in* Cont. Adv. *pœnis. Peccantes igitur in suppliciis ordinantur.* Et Leg. & Prop. L. 2. c. 14. alibi rursum: *Quia voluntate deseruit Deum, nihil ex hoc diminutum sapientissimis dispositionibus Dei, qui & malis bene, & perversis rectè utitur: & de humano genere justè meritòque damnato, familiam sanctam atque numerosam non ejus merito, sed gratia sua factam, in æternum regnum se translaturum esse testatur.* Et ibidem: *Nec voluit Deus quod non potuit, hoc enim voluit, ut aut obediens homo esset, aut inobediens impunè non esset. Nec infructuosè voluit quod homo non fuerat servaturus, jubere, quia pœna contemptoris docuit alios obedire.*

Pulcherrima sunt quæ continuò ibidem ab Augustino contexuntur, de solius Dei victoria, & om-

nipo-

nipotentis ejus efficacia voluntatis, quando homo præter Dei jussa peccavit, quando diabolus hominem suæ potestati subjecit. Ambo enim peccando infamiam sibi & perniciem consciverunt. Qui verò hominem vicisse visus est diabolus, vincendo victus prostratusque fœdissimè est. Vicit enim malitia & improbitate, hoc est impotentia, furore, calamitate, turpitudine, miseria denique vicit, quæ sceleri majori major semper adhærescit. Ita ergo invictus est & omnipotens Deus: dum ei morigerantes beantur, rebellantes, quo scelesti, eo calamitosi, quo scelestiores, eo calamitosiores fiunt. Quanto, amabo te, præclarius istud est, & Deo, & divinæ amplitudinis interprete, & admiratore Theologo dignius, quàm si dicatur Deus eo invictus esse erga peccantes Angelos hominesque, quia eorum ipse voluntates ad actus peccati singulos præmovere, prædeterminare & impellere occupat? Ibid. c. 15. *Quod ergo Deus semper invictus sit, etiam homo victus ostendit; quia victus non fuisset, si ab invicto non recessisset. Quomodo est autem victor hominis deceptor, cum à semetipso sit etiam ipse deceptus? Unde & ille qui decepit, & ille quem decepit, ambo decepti sunt, recedendo ab eo qui non potest decipi, & ambo victi sunt, recedendo ab eo qui non potest vinci. A quo utique qui plus recedit, plus vincitur, quia tanto est inferior, quanto deterior. Et ideo necesse est, ut qui malum alteri prius inferendo vincere videtur, amplius ipse bonum amittendo vincatur. Neque fieri potest, ut ei locus sit melior, cum causa sit pejor. Et quod ad tempus prævaluisse visus est diabolus, homine superato, etiam sic in æternum victus est homine reparato.* Et alibi: *Neque enim quisquam Dei regno subtrahitur, cujus æterna lege in distributione dandi atque reddendi, & meritis præmiorum atque pœnarum, & justissima ordinatione cunctæ creaturæ coercentur.* Appen. ser. 40. serm. 2.

Utuntur & abutuntur homines libero suo arbitrio, non illo ad calliditates nescio quas redacto, & in speciem magis, quàm reapse libero, sed penitus libero, & indifferentiæ suæ bicornis compote; & tamen vincit, regnat, imperat Dei voluntas invicta, quia in vastissimo universalis ejus providentiæ imperio locus est idoneus obedientiæ & inobedientiæ, pietati, & nequitiæ, est ubi illa præmiis, hæc suppliciis afficiatur, est ubi de peccati turpitudine crescat splendor, & pulcritudo justitiæ. Ecquid enim pulcrius, majus, divinæque & voluntati & amplitudini consonantius, quàm ubi explendescit quàm miserum sit à Deo recedere, quàm calamitosum à justitia deviare, ubi inquam immortalibus & æternis monumentis perdocetur tantam esse beatitudinem justitiæ, ut ab ea nisi ad miseriam non possit deflecti? Ib. serm. 15. *Omnes homines in locis suis ordinantur; tu tantum vide quid velis esse. Nam quoquo modo volueris esse, novit artifex ubi te ponat. Pictorem attende. Ponuntur ante illum varii colores. Et novit, ubi ponat quemque colorem. Certè peccator niger colore esse voluit. Ideo nescit ordo artificis ubi eum ponat? Quanta ordinat de nigro colore? Quanta ordinamenta facit Pictor? Facit inde capillos, facit barbam, facit supercilia. Non facit frontem nisi de albo. Tu vide quid velis esse. Non cures, ubi te ordinet, qui non novit errare. Sic enim per leges istas mundi videmus hoc fieri. Effractor esse voluit nescio quis. Novit lex Judicis, quia contra legem fecit, novit lex Judicis, ubi illum ponat. Ordinat illum optimè. Ille quidem malè vixit, sed non malè ordinavit lex. Ex effractore erit metallicus. De opere metallici quanta opera construuntur? Illius pœna damnati ornamenta sunt civitatis. Sic ergo Deus novit ubi te ponat. Noli putare quia turbas consilium Dei, si perversus esse volueris. Quia peccator malus esse voluit, fecit quod voluit, sed passus est quod noluit. In eo quod fecit quod voluit, peccatum ejus deprehenditur: in eo quod passus est quod noluit, ordo Dei laudatur.*

His porrò exemplis ab Augustino prolatis nihil fieri potuit expressius. Nam etsi colores possent suam sibi naturam & sortem fingere, nihil decerperetur de potestate pictoris, qui illorum diversitatem ad illuminandam augendamque tabellæ pulcritudinem dispensat. Ita & cives liberrima sua voluntate in bonorum vel in malorum civium partes & studia transeunt. De summo tamen Principis imperio nihil detrahitur, si modò is possit vel benemeritos honoribus cumulare, vel nefarios dignis coercere suppliciis, ita ut vel ipsæ damnatorum pœnæ ornamento sint civitati.

CAPUT LXXXVII.

Eos qui prædeterminantem ad actus singulos bonos delectationem justitiæ desiderant, æquè discedere ab Augustini doctrina, nec assequi modum omnipotentis & invictissimæ efficaciæ, quem ille tribuit voluntati divinæ. De modo enim hic quæritur, convenit autem de ipsa efficacia.

QUanquam superiori capite jacula tantùm nostra in eos destinasse videri possimus, qui etiam in primævæ innocentiæ statione gratiam constituunt prædeterminantem; ab illis verò abstinuisse, qui utriusque status gratiam separant, & in reparatione tantùm naturæ per peccatum lapsæ invictissimis auxiliis opus esse sanciunt: vis ipsa tamen doctrinæ ab Augustino inculcatæ peræquè hos impetit & convellit ex ea parte, qua invictissima hæc auxilia & ad omnes actus bonos porrigunt, & ex unica delectatione prædeterminante derivant.

Nam primò quidem Augustinus nullos limites doctrinæ suæ hic circumscribit, & universim affirmat eò invictam esse Dei voluntatem, quòd quoque se vertat nostra libertas, divinæ providentiæ lineas non possit egredi, ut quæ perinde regnet, sive malos in pœnis ordinet, sive bonos in præmiis; ut quæ denique obices ipsos qui voluntati ejus objiciuntur, gradus esse faciat & adjumenta ad implendam voluntatem suam. *In Dei voluntate summa potestas est, qui creatorum spirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat.* Civit. l. 5. c. 9. Et alibi: *Veruntamen omnipotenti Deo, summo ac summè bono creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adjutori ac remuneratori, malarum autem relictori ac damnatori, utrarumque ordinatori, non defuit utique consilium, quo certum numerum civium, sua sapientia prædestinatum, etiam ex damnato genere humano suæ civitatis impleret.* Et rursum alibi: *Movet per tempus & locum sibi subditam creaturam, naturas creans bonitate, voluntates ordinans potestate, ut in naturis nulla sit, quæ non ab illo sit, in voluntatibus nulla bona sit, cui non præsit, nulla mala sit, qua bene uti non possit.* De Gen. ad lit. l. 8. c. 23. Et ibidem paucis interjectis: *Ergo Dei providentia regens atque administrans universam creaturam, & naturas & voluntates, naturas ut sint, voluntates autem ut nec infructuosæ bonæ, nec impunitæ malæ sint.* Hæc universim valent, nec ullo limite ab Augustino restringuntur, sed nec arctari se ullo pacto ipsa sinunt. Omnipotens enim & invicta & semper victrix Dei voluntas his præsidiis est. Perinde autem in omni statione naturæ rationalis vincit imperatque Dei voluntas semper efficax.

Adde quòd cùm tota vertatur ea quæstio, quo tandem modo efficacissima sit & effectus sui secura ac certissima Dei voluntas; ut hinc colligamus quomodo ineluctabilem efficaciam consequatur prædestinatio gratiæ, & gratia ipsa prædestinatos ad justitiam perducens, in eaque perseverantiam donans; cùm in hoc inquam vertatur hæc quæstio, efficaciam invictissimam divinæ voluntatis aperuimus ex Augustino, quæ nulla motione prædeterminante constaret. Ergo poterit & sine motione seu delectatione infallibiliter prædeterminante electos suos

Deus secundùm propositum voluntatis suæ, & ad justitiam revocare, & in justitia usque in vitæ finem continere.

Adde rursum quod monuit Augustinus, non tantùm eò invictam esse Dei voluntatem, quòd dedecus culpæ tegat & compenset decore vindictæ, sed eò etiam quòd ipsa inobedientia hominis contra voluntatem ejus utatur ad implendam voluntatem suam. Peccatis enim ipsis per peccata medetur, venena venenis pellit, vulnera sectione curat, lapsibus cautiores efficit, ex erratis provehit & cumulat sapientiam. Quin & impiorum voluntates, ut suprà ex Augustino & aliis Patribus ostensum, agit Deus quò vult, ne voluntates quidem ipsas malas inspirando, sed occasiones tantùm, illecebras, remorasque eorum affectibus vel incitandis vel refringendis idoneas objiciendo. Quanquam enim non cuilibet occasioni sive illecebræ consentiat voluntas, pluribus tamen cedet, & suo affectui aliquando tandem indulgebit. Ita ergo omnipotens & infallibiliter efficax est Dei voluntas in impiorum voluntate torquenda & retorquenda, ut quanquam libera sua voluntate resistant aliquando, non possint tamen non aliquando cedere, & quò Deus vult & inclinat, obsequi.

CAPUT LXXXVIII.

Idem modus expediendæ efficaciæ omnipotentis, quam voluntati divinæ tribuit Augustinus, ex aliis quoque Patribus exculpitur. Omnia à Deo fieri, vel faciente, vel permittente. Secundò voluntates creatas in bonum ab eo sic inclinari, ut nec obsequium sine præmio, nec prævaricatio sine pœna sit. Tertiò per ea ipsa voluntatem ejus impleri, quibus connitimur, ne impleatur.

Cæterorum nunc Patrum consentiens suffragatio adhibenda est, ut eadem ratio approbetur constituendæ efficaciæ invictissimæ divinorum consiliorum. Prosper eandem bicipitem & ita inexpugnabilem potestatem divinæ voluntatis sic confirmat: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. Scrutare, exquire, vestiga, si potes, omnes voluntates Domini, in omnibus semper magna opera ejus invenies. Nulla enim voluntas potentior est ipsius voluntate. Contra quam cum aliquid fieri sinit, misericordiam suam justitiamque demonstrat. Sicut enim vult ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere, ut revertatur & vivat; ita etiam vult in peccatis perseverantem punire, ut in justitiæ potentiam contumax non evadat. Ac sic quidquid elegeris, homo, non deerit Domino, unde suam in te compleat voluntatem. Sive ergo justificet impium, sive arguat pigrum, sive expectet aversum, seu deserat puniendum, semper misericors est, semper justus, semper omnipotens.* Ita prorsus omnipotens est & efficacissima Dei voluntas, non ut determinet nos invictissimè ad eligendum quidlibet, sed ut *quidquid elegerit homo, suam in eo Deus compleat voluntatem*; vel justi præmiatione, vel scelerosi pœna, vel pœnitentis venia. (In Ps. 110.)

Gregorius Magnus diabolum ipsum & Pilatum divinæ famulatos esse voluntati, dum Christo ipsi manus inferunt, ita declarat: *Unde & Pilato veniens ad passionem Dominus dicit, Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi data esset desuper. Sed tamen hanc potestatem quam contra se ei extrinsecus dederat, suis servire lucris intrinsecus compellebat. Pilatus enim vel Satan, qui ejusdem Pilati caput extiterat, sub potestate illius, super quem potestatem acceperat, tenebatur; quia & superior ipse disposuerat hoc, quod inferius accedens à persecutore tolerabat; ut cum ex mala mente infidelium surgeret, utilitati tamen electorum omnium ipsa quoque crudelitas serviret.* Prolixiùs alibi de eadem re disputat in hunc modum: (Mor. l.3 c.11) *Sæpè nonnulli humana sapientia inflati, dum desideriis suis divina judicia contraire conspiciunt, astutis eis reluctari machinationibus conantur: & quo ad votum suum vim supernæ dispositionis intorqueant, callidis cogitationibus insistunt, subtiliora consilia exquirunt; sed inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt: atque omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur, obsequuntur: quia sæpè & hoc ejus dispositioni aptè militat, quod ei per humanum studium frivolè resultat. Sapientes ergo Dominus in ipsa eorum astutia comprehendit, quando ejus consiliis humana facta etiam tunc congruè serviunt, cum resistunt.* (L.6.c.11.12) Non hos excitat aut prædeterminat Deus, ut voluntati suæ reluctari studeant, sed suo arbitrio libero furere ipsos sinit & insanire; porrò machinationes omnes quas irritandæ voluntati divinæ illi instruunt, ipse in usum & in adminiculum implendæ suæ voluntatis retorquet.

Exemplum subtexit Gregorius Josephi, in quem tam durè consuluerant fratres, ne imperio ejus subessent: at eo ipso consilio, quo in eum sævierant, in imperium Joseph est provectus. *Pensemus gesta rei ordinem, pensemus quomodo sapientes in ipsa sua astutia vis divina comprehendat. Ideo ab eis venditus fuerat Joseph, ne adoraretur; sed ideo est adoratus, quia venditus. Astutè namque aliquid agere ausi sunt, ut Dei consilium mutaretur, sed divino judicio, quod declinare conati sunt, retinendo servierunt. Inde quippe coacti sunt voluntatem Dei peragere, unde hanc moliti sunt astutè commutare. Sic divinum consilium, dum devitatur, impletur; sic humana sapientia, dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt fratres ne Joseph super eos excresceret; sed hoc quod divinitus dispositum fuerat, cavendo factum est ut eveniret.* (Ibidem.) Quidquid hìc ab inofficiosis fratribus contra Dei voluntatem gestum est, non id à divina voluntate nisi permittente profectum est; non ad id extimulavit, non prædeterminavit eos Deus: sed efficacia & omnipotentia divinæ voluntatis in eo resplenduit, quòd inde coacti sunt voluntatem Dei peragere, unde hanc moliti sunt astutè commutare; quòd divinum consilium dum devitarunt, impleverunt; cavendo effecerunt ut eveniret. Ita invictissimè implet Deus voluntatem suam, non voluntates nostras inevitabiliter prædeterminando, ne illi repugnent: sed quo se cumque convertant, ipsa earum pugnacitate & resistentia perficiendo voluntatem suam.

Si impios autem cogit Deus æternis suis consiliis & legibus servire, non prædeterminando, imo ne inspirando quidem voluntates malas; quantò faciliùs vel resipiscentes eosdem, vel justos ad bonum invictissimè compellet, cum volet, ubi præterea potest & inspirare bonas voluntates, & inflammare? Ita Augustinus, ut supra suo loco declaratum est, ex omnipotentia Dei in voluntatibus malorum hominum contorquendis, argumentabatur de gratiæ efficacia invictissima in bonum. Ita hìc quoque Gregorius exemplum hominis justi subnectit, qui divinam voluntatem eo implere coactus est, quo declinare satagebat. Is fuit Jonas Propheta. *Sed quia nonnunquam astutè se aliquid sapere etiam electi moliuntur, libet ad medium alium sapientem deducere, & quomodo in internis consiliis astutia mortalium comprehendatur, demonstrare. Prudenter quippe Jonas sapere voluit, cum ad prædicandam Ninivitarum pœnitentiam missus, quia electis Gentibus Judæam deseri timuit, prædicationis officium implere recusavit. Navim petiit, fugere Tharsis elegit; sed protinus tempestas exoritur, sors mittitur, Jonas in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, ceto sorbente devoratur, atque illuc gestante bellua pervenit, quo ire sponte contempsit. Comprehendit ergo Dominus sapientes in astutia eorum, quando & hoc in usum suæ voluntatis redigit, per quod sibi voluntas humana contradicit.* (Ibidem.)

Ita

Ita & qui Christum Christique membra persequutionibus atrocissimis insectati sunt, voluntati divinæ servierunt, non quod ad hæc flagitia ab ea incitarentur, sed quod præter expectationem suam persequendo pietatem illustrarent. Ibidem. *Inde fides crevit, unde hanc se extinguere infidelium crudelitas credidit. Cumque se æstimant ejus miracula persequendo abscindere, hæc nimirum compulsi sunt nesciendo dilatare. Comprehendit ergo Dominus sapientes in astutia eorum, quando & hoc ad pietatis suæ obsequium redigit, quod contra illum humana crudelitas exarsit. Justus namque, & misericors mortalium acta disponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus: atque ea quæ permittit, sic tolerat, ut hæc in sui consilii usum vertat. Unde miro modo fit, ut & quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit; quia dum in bonum usum malè facta vertuntur, ejus consilio militant, etiam quæ ejus consilio repugnant. Hinc enim per Psalmistam dicitur, Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Hæc est ergo efficacissima omnipotentia divinæ voluntatis, non ut omnia faciat indeclinabili impulsu, sed ut alia faciat, alia permittat; & quæ permittit fieri contra voluntatem suam, retorqueat in usum suæ voluntatis: non ut inquam invictissimè per singulos actus voluntatem nostram prædeterminet invictissimè, sed ut quo se cumque ipsa verterit, etiam æternæ legi reluctabunda, impleatur tamen æterna lex per hanc ipsam ejus contumaciam.

Et idem alibi: *Omnipotens itaque Deus quod fieri*
L. 11. c. 2. *prohibet, justum est ut fieri sinat.* Ideo Deus peccandi non voluntatem, sed potestatem donat, dum voluntatem liberam permittit ipsam sibi: *Maligni*
L. 14. c. 18. *spiritus ad nocendum nos incessabiliter anhelant, sed cum pravam voluntatem ex semetipsis habeant, potestatem tamen nocendi non habent, nisi eos voluntas summa permittat. Et cum ipsi quidem injustè nos læ-*
L. 16. c. 18. *dere appetunt, quemlibet tamen lædere nonnisi justè à Domino permittuntur.* Et rursum: *Cujus voluntati nec illa obsistunt, quæ contra voluntatem illius fieri videntur. Quia ad hoc nonnunquam permittit fieri etiam quod non præcipit, ut per hoc illud certius impleatur quod jubet. Apostatæ quippe Angeli perversa voluntas est, sed tamen à Deo mirabiliter ordinatur, ut ipsæ quoque ejus insidiæ utilitati bonorum serviant, dum tentant.* Et rursum; *Volui ve-*
L. 28. c. 19. *nire ad vos, inquit Paulus, sed impedivit me Satanas. Neque enim per semetipsum impedire tanti Apostoli vias Satan potuit, sed occultæ dispensationis usibus dum adversatur, nesciens deservivit, ut nimirum Paulus dum ad alios vellet accedere, nec valeret, eis à quibus recedere non poterat, aptius prodesset.* Ita Deus voluntates creatas alias aliis objicit, refrænat, inflammatque, & per eas ad hunc modum voluntatem suam implet. Voluntatem impiorum sive Angelorum sive hominum non facit, non inspirat Deus prædeterminando, sed per-
L. 32. c. 11. mittit, & electis suis prodesse facit. Etenim *electis Dei non perit, etiam omne quod perit.* Deus malitiam, hoc est malæ voluntatis impulsionem non facit, sed nunc permittit, nunc non permittit erumpere foras, nec permittit nisi in boni alicu-
L. 32. c. 19. jus incrementum: *Diaboli malitia divina dispensatione restringitur, ne ferire tantum mentes homi-*
L. 33. c. 1. *num quantum appetit permittatur.* Et infrà: *Superbi hujus sæculi etsi quando supernæ dispensationis ordine præpediti, ab expletione pravorum operum*
L. 33. c. 13. *cessant, prava tamen in cogitatione multiplicant.* Et rursum: *Tentationis licentia pactum vocatur, in qua & desiderium tentatoris agitur, & tamen per eam miro modo voluntas justi dispensatoris impletur. Tentatione disponitur, ut qui elati perire poterant, humiliati à perditione serventur. Secreto ergo dispensationis ordine, unde sævire permittitur iniquitas diaboli, inde piè perdicitur benignitas Dei.*
L. 34. c. 7. Et alibi de Angeli ipsis bonis malisque: *Et quia cunctorum opifex Deus scit ad bonorum custodiam etiam bene uti mala actione reproborum, lapsum cadentium vertit in profectum manentium.*

Bernardus ipsa penè Augustini verba retinet in sententiis, dum hæc scribit: *Duo præstabit homini justitia, unum ut faciat quod debet, alterum ut patiatur quod debet: scilicet ut si bonum non fecerit quod debuit, malum quod meruit patiatur.* Et alibi: *Accepit satan regnum super omnes filios superbiæ, factus princeps tenebrarum harum, ut in regno humilitatis etiam superbia militet, dum in uno suo principatu temporali & tali multos homines excelsos æternosque Reges constituit. Jucundum judicium, ut superbus ille malleator humilium, eisdem ipsis nesciens fabricet coronas perpetuas, impugnando omnes, & omnibus succumbendo.* Et alibi rursum: *Hæc est lex æterna, creatrix & gubernatrix universitatis. Cæterùm servus & mercenarius habent legem non à Domino, sed quam sibi ipsi fecerunt, ille Deum non amando, iste aliud plus amando. Habent inquam legem, non Domini, sed suam, illi tamen quæ Domini est subjectam. Et quidem suam sibi quisque legem facere potuerunt, non tamen eam incommutabili æternæ legis ordini subducere potuerunt.* Quod paulò post aliquando fusiùs edisserit, ut privata hæc & scelerosa lex ac voluntas omnipotenti Dei voluntati subsit: *Hoc quippe ad æternam justamque Dei legem pertinuit, ut qui à Deo noluit suaviter regi, à seipso pœnaliter regeretur: quique sponte jugum suave & onus leve charitatis abjecit, propriæ voluntatis onus importabile pateretur invitus. Miro itaque modo æterna lex fugitivum suum posuit sibi contrarium, & retinuit subjectum, cum videlicet nec justitiæ pro meritis legem evasit: nec tamen cum Deo in sua luce, in sua requie, in sua gloria remansit, subjectus potestati, & submotus felicitati.*

In Cant. Serm. 17. — Epist. 141.

Ambrosius voluntatis divinæ omnipotentem efficaciam eò quoque maximè commendat, quòd obices ipsos & voluntatis creatæ repugnantiam cogat suis consiliis servire: *Ut sciremus etiam diaboli malitiam ad salutem prodesse hominibus. Non quòd diabolus prodesse velit, sed quòd malitiam ejus etiam repugnantis convertit nobis Dominus ad salutem. Denique hujus malitia Job sancti viri fecit esse virtutem & patientiam clariorem.* Et alibi eadem de re: *Percussit sanctum Job diabolus ulcere malo, dicente Deo, Ecce trado tibi eum, tantummodo animam ejus custodi. Magna potestas, magna gratia, quæ imperat diabolo ut se ipse destruat. Se enim destruit, cum hominem tentando supplantare studet: ex infirmo fortiorem efficit, quia dum carnem debilitat, mentem ejus corroborat. Illuditur ergo diabolus, ut se ipse morsu suo vulneret, & contra se armet quem debilitandum putavit, &c. Quanta vis Christi, ut custodia hominis imperetur etiam ipsi diabolo, qui semper vult nocere, &c. Sit ille semper malus, ut sit Deus bonus semper, qui malitiam ejus nobis in gratiam convertit. Vult nocere ille, sed non potest, si Christus obsistat. Carnem vulnerat, sed custodit animam.*

De Paradiso, c. 2. — De Pœnit. L. 1, c. 13.

CAPUT LXXXIX.

Objectio solvitur, deprompta ex subitis & repentinis conversionibus voluntatis ad Deum. Plura istiusmodi exempla proferuntur. Ubique demonstratur moræ & spatii aliquantum intercessisse, quod satis esset & super ad explicandam illam auxiliorum omnis generis multiplicem varietatem & conspirationem, ex qua gratiæ existit efficacia invicta.

HÆc prima statim in oculos irruit difficultas, ex subitis ac repentinis quibusdam conversionibus mentis ad Deum petita. Hac enim celeritate præsecari videtur illa multitudo, varietas, conspiratio auxiliorum intus & foris oppugnan-

gnantium, ut voluntatis tandem consensus expugnetur. Quin & Prosper carmine de ingratis negat has gratiæ posse moras obtendi: *At vero omnipotens hominem cum gratia salvat, ipsa suum consummat opus; cui tempus agendi semper adest, quæ gesta velit: non moribus illi fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.* Gregorius quoque vel siquis alius in libros Regum Commentator, repentè nonnunquam in extremo vitæ discrimine quosdam ait ad Dominum converti, exuberantis gratiæ quodam velut flumine oppressos: *Facit eum statim odisse quod amabat, & quod odio habuerat, ardenter diligere.* Et infrà in hæc verba, *Mutaberis in virum alium. Cum in nos Spiritus insilit, renovamur; quia statim quod non eramus efficimur. Tepidus erat quis, sed repentè visitatus à Spiritu, ardens efficitur.*

Cap. 15.

In lib. Reg. L. 1. c. 3. L. 4. c. 10.

Respondetur porro non eam Patrum esse mentem, ut puncto temporis uno tota cordis perficiatur conversio; sed ut longa quandoque tedia præcidantur, & brevissimo temporis spatio edometur omnipotentis gratiæ vi & potestate contumacissimus quandoque hominis animus. Ratio autem nostra efficacissimæ gratiæ etsi aliquantulum postulat temporis, ut machinas suas omnes explicet & intorqueat, non longas tamen moras requirit. Nam temporis brevissimi gyro possunt in anima excitari affectus vehementissimi, diversissimi, innumerabiles; visa congrua intellectui objici possunt omnis generis in puncto penè temporis. Coruscamina enim quędam hæc sunt tantummodo, & quasi fulgura, quæ momento vibrantur & ingeminantur. Ceterùm id unum maximè cordi erat sanctis Patribus, ut intelligeremus in potestate Dei sic esse corda hominum, ut quo volet cumque puncto temporis illa edomet, & gratiæ suæ subjiciat. Id verò nihil prohibet, quin in antecessum præstruat Deus ea quæ voluntatem meliùs inclinent in assensum gratiæ. Etenim vel Tridentina ipsa Synodus longam seriem contexit affectuum piorum, quibus anima impii antè imbuenda paulatim est, ut justificationis gratiæ tandem contemperetur. Ita perspicuè Prosper, suprà, *Cui tempus agendi semper adest, quæ gesta velit.* Punctum quidem illud temporis, quod nostræ Deus præfixit resipiscentiæ, morari aut procrastinare neutiquam possumus; sed eo non vetatur sapientia omnipotentis Dei præseminare eos affectus in animo, qui tunc in optatam frugem erumpant.

Gregorius autem locis memoratis non aliud molitur, quàm ad Deum quosdam converti tum demum dum gravi morbo & mortis præsultore confligantur. At spatii & moræ in eo satis est & super, ut affectuum variæ tempestates in anima & effervescant & sedentur. Alicubi etiam ille in virum alium repentè mutari ait quempiam, non quando ex impio justus efficitur, sed cum tepens & torpens ejus pietas afflatu repentino divinæ charitatis inflammatur. Sed audiamus Gregorium ipsum repentinis his conversionibus suffragantem: *Tanto se quisque in malis præsentibus latius relaxat, quantò post hanc vitam se assequi bona æterna desperat. Sed omnipotens Deus diu quidem Rhinocerotem hunc per prava voluptatis campum vagantem pertulit, & tamen cum voluit, repentè ad suum præsepe religavit; ut vitæ pabulum bene clausus accipiat, ne vitam funditus male liber amittat. Ecce enim jam cernimus quod potentes hujus sæculi ejusque Principes prædicamenta Dominica libenter audiunt, constanter legunt, &c.* Video & agnosco repentè converti à Deo, quoscumque ipse vult; sed qui id capiendum, declarat Gregorius. Principes enim mundi ita ad Deum, & ad Christi fidem pertractos prædicat, in quam trecentis admodum annis grassati erant. Tam immanes hostes, quando Deus voluit, sibi crucique Christi subjugavit. Sed in hac repentina Dei victoria quis non intelligat quantum fuerit moræ & intervalli? Repentè id dicitur factum, comparatione grassationis per tot sæcula Ecclesiam infestantis.

Moral. l. 31. c. 2.

Idem Gregorius alibi: *Spiritus sanctus implet abstinentem puerum, & judicem senum facit. Implet piscatorem, & prædicatorem facit. Implet persecutorem, & Doctorem Gentium facit. Implet Publicanum, & Evangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus! Nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox ut tetigerit mentem, docet; solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum subitò ut illustrat immutat: abnegat repentè quod erat; exhibet hoc repentè quod non erat. Pensemus sanctos Prædicatores nostros quales hodierna die reperit, quales fecit. Certè qui in uno conclavi pro Judæorum metu residebant, &c. Venit Spiritus, &c. in mente eos ex authoritate roboravit. Cœperunt & in aliena lingua Christum loqui, qui de illo priùs & in sua lingua loqui metuebant. Inflammatum etenim cor despexit tormenta corporis, quæ antè metuebat, vicit vim carnalis formidinis præ amore conditoris.* Vel ex hoc ipso loco evidentissimè patet, id quod dicitur, *nulla ad discendum mora opus esse*, ubi docet Spiritus sanctus, clementer & humano ex usu sumendum esse, non abruptè & absolutè. Id enim liquet exemplis omnibus, quæ à sancto Patre coacervantur. Daniel enim antè jejuniis pluribusque aliis pietatis rudimentis perdiu operam dedit, quàm Spiritus sancti tanta copia perfunderetur. Apostoli miraculis & verbis Christi antè informati sunt, & ita ad prædicandi munus evecti. Iidem triennali tyrocinio & magisterio Christi perpoliti fuerant, & ante allapsum Spiritus sancti spatio dierum decem in secessu orationi vacaverant, ne ulla cœlestis gratiæ ubertas & efficacia imparatos inveniret.

In Evang. Hom. 30.

Narrat idem alibi de quodam Fratre, qui cùm remissiùs, imò & perversiùs vitam egisset in Monasterio, tandem gravi correptus morbo, & extrema jam corporis parte præmortuus, quia tamen de electorum numero erat, tunc efficacissimè & repentè conversus est ad æternam vitam. Missa sunt in compendium tunc quidem, sed utcumque tamen deprompta sunt illa omnia, per quæ suam gratia efficaciam dispensat. Quippe visus est sibi ita decumbens frater ille, *ad devorandum draconi tradi, ab eo absorberi jam sibi caput*, mox totum deglutiendum. Fratrum precibus hinc liberatus, *toto ad Deum corde conversus est. Longis & continuis in conversatione eadem flagellis eruditus, atque ante paucos dies excrescente corporis molestia defunctus est.* Et hunc ergo emollivit præparavitque charitati timor saluberrimus, congruo divinitus viso & objecto terriculamento excitatus. Tali ægritudine desperata, tali ostento facilè inclinatus est animus contumax, ut divino timori consentiret, & hoc rursus timore inclinatus est, ut insinuanti se charitati obsequeretur.

Referri eodem possunt, quæ idem habet de latrone illo, qui *de fauce ascendit crucem, de cruce paradisum. Intueamur qualis ad patibulum venerit, & a patibulo qualis abscessit. Venit reus fraterno sanguine, venit cruentus, sed interna gratia est mutatus in cruce. In corde fidelium tres summoperè manere virtutes testatur Apostolus, dicens, Nunc autem manent fides, spes, charitas. Quas cunctas subita repletus gratia, & accepit latro, & servavit in cruce.* Subita hìc gratia non immeritò prædicatur, sed duo non oscitanter pensitanda interim sunt nobis. Primum est tres illas horas quibus cruci latro suffixus mansit, latè satis patere, ut interim copiosissima quædam inspiratorum affectuum multitudo & varietas sese explicaret. Aderat simul & quod foris afficeret, ex Christi unà morientis præsentia, patientia, constantia, tanta videlicet, quæ uni Deo consentiret. Alterum est in hujus latronis animo informata priùs esse potuisse rudimenta pietatis inulta, ex quo maximè in carcerem & in certam mortis expectationem conjectus fuerat.

Multa

Multa de Christi miraculis & verbis, de sanctitate ejus & innocentia, vel fando saltem usurpare poterat, forsan & spectare. Illa quippe semina plerumque in animo diu latitant obscura & sterilia, donec potentioris gratiæ afflatu reviviscant. Et subitò quidem erumpunt, dum reviviscunt, sed diu fallunt dum proseminantur.

Hilarius sancti Honorati Arelatensis Episcopi precibus divinæ omnipotentiæ & gratiæ edomandus ut traditus sit, cùm illum non hortamenta, non blandimenta inflectere ulla potuissent, sic ipsemet narrat in Encomio sancti Honorati: *Qui tunc in corde meo fluctus, quæ tempestates diversarum & inter se compugnantium voluntatum excitatæ sunt? Quoties sibi in animo meo velle & nolle successit? Et quid plura? Absente illo partes in me suas Christus exequitur, & post biduum orationibus illius per miserationem Dei contumacia mea subjugatur.* Ita Hilarius de seipso. Bidui intervallo omnipotens gratia subjugavit voluntatem contumacem. Ergo non ita ut uno ictu obstinatio perfringeretur, & velle bonum crearetur ac conservaretur in corde, voluntate contraria simul & semel præpotentissimè eliminata. Sed ita potiùs ut fluctus interim & tempestates compugnantium voluntatum scinderent aliquandiu animam, ex parte volentem, ex parte restitantem: hinc assurgentem, inde lapsantem: inter cœli terræque delectationes alternantem: ita ut velle & nolle sibi sæpiusculè succederent. Donec fatigata intestino hoc conflictu voluntas, gratiæ divinæ infatigabiliter sollicitanti, stimulanti, totamque vindicanti, consentiret, totamque sese dederet.

Nec aliter interpretanda sunt, quæ scribuntur elegantissimè in vita sancti Adalberti Episcopi Pragensis & Martyris: (Apud Surium April. die 23.) *Sæculum & ejus pompam quam clericus tota mente quærebat, Episcopus toto mente cœpit fugere. Una cogitatio, unum studium erat, nihil concupiscere, nihil quærere præter Christum. Inter hæc ò Domine, quàm bonus & suavis Spiritus tuus in omnibus! Utique non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei. Quid non potest omnipotens cum vult, cum meliora cogitat Deus? Qui vult neminem perire, imo suorum neminem patitur perire, pura bonitas, sana æternitas, una veritas, sola dulcedo, tota pulcritudo, secreta salus, & beata præsentia, pulcra charitas & chara æternitas, & chara misericordia Deus. Agnovimus te in misericordiis tuis, cujus ludus sacer & risus esse solet una hora vertere impium, & facere sanctum. Sicut est, Respexit Dominus Petrum. Ex Publicano quoque dedit Apostolum, & ex lupo fecit optimum Paulum.* Hæc nihil prohibent, quin tantula saltem intercesserit mora, quanta in Hilario. Nam si exempla prolata spectemus, res ultro patebit. Petrus nequaquam animo ejecerat Christum, tametsi ore ejuraverat; ideoque facilè recaluit in ejus charitatem, à quo nunquam voluntatem alienaverat. Pauli conversio repentina quidem illa fuit, sed observat Chrysostomus illum religioni quam germanam putabat, semper addictissimum fuisse; & ex Augustino ostensum supra est, tali cœlitus viso affulsisse illi Christum, quod voluntati ejus mutandæ conveniret. Denique Apostoli antè spectarunt Christi miracula, quàm certa fide illi adhærescerent, & triennali tyrocinio hæc eorum fides charitasque expolienda fuit.

Sed majorem non immeritò incutient admirationem, quæ in vita sancti Bernardi Claravallensis Abbatis narrantur: *Henricum quoque germanum Regis Francorum, qui Belluacensem hodie Cathedram ornat, non dissimili Dominus conversione mutavit. Accidit enim ut veniens ad hominem Dei, super quodam sæculari negotio locuturus, Conventum etiam fratrum visitans, eorum se orationibus commendaret. Cui Pater sanctus inter verba sanctæ exhortationis, Confido, ait, in Domino, nequaquam te in eo statu moriturum, in quo nunc positus es, sed velociter proprio experimento probaturum, quantum tibi istorum prosit oratio, quam expetisti. Quod eodem postmodum die non absque multorum admiratione completum est: & de tanti juvenis conversione cœnobium omne exultatione repletum.* Permirum id quidem est, sed & hoc multò magis stupendum, quod ibidem subjicitur: Andrea ex Henrici Principis familiaribus indignante vehementiùs ad hanc ejus conversionem, & nec conviciis blasphemiisque parcente, dixit Bernardus Henrico iterum, iterumque, *Tuus est ille*. Audiit Andreas, & abhorruit, contempsitque, à monastica professione ipse sibi conscius se esse alienissimum. *Cæterum quàm mirabilis Deus in consiliis super filios hominum; ridens eorum vana conamina, ut propositum suum quando & quomodo ipse voluerit impleatur. Siquidem die altera ibat Andreas mala omnia imprecans monasterio, &c. Illa tantum die procedens, & repellens quodammodo gratiam Dei: nocte proxima victus & quasi vinctus, trahente se & vim faciente Spiritu Dei, diem expectare non potuit, sed exurgens ante diluculum, velociterque ad monasterium rediens, alterum nobis Saulum, vel magis de Saulo Paulum alterum exhibebat.* Fateor has gratiæ victorias breviore spatio reportatas. Sed tamen interstitio aliquo temporis pugnatum & repugnatum est, illoque etsi brevi intervallo contrahi & conglobari potuit vi divinæ gratiæ quidquid suasionum, visorum interiorum exteriorumque, quidquid motionum, delectationum, affectionum omnis generis aliàs prolixiùs & diutiùs explicatur. Ita ut harum machinarum etsi nulla sejunctim infallibiliter determinaret voluntatem, omnium tamen simul & opportunitas & importunitas id consequeretur, ut ad consensum voluntas descenderet. Henricus jam bene affectus erat & propensus in Bernardi admirationem, ejusque instituti & sanctimoniæ monasticæ. Ergo facilè expugnabilem animum adgressa Dei gratia, quæ ipsamet id jam dederat ut facilè expugnabilis esset, uno die non amplius congressa, displosis interim innumeris machinis expugnavit. Andreas *uno die gratiam Dei repulit*, oppugnabatur ergo toto illo die, & proxima tandem nocte expugnatus est. Et urbes enim arcesque nonnunquam munitissimæ improvisa & violentissima unius diei obsidione coguntur in deditionem venire.

Perstringebat Apostolos Julianus Ecclesiæ Christianæ desertor, quòd levitate animi, ad Christum se repentè, & impetu magis quàm consilio contulissent. Hanc calumniam ita retundit Hieronymus: *Arguit in hoc loco Porphyrius & Julianus Augustus vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Salvatorem.* (In Matt. c. 9) *Quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti; cum tantæ virtutes, tantaque signa præcesserint, quæ Apostolos antequam crederent, vidisse non dubium est. Certè fulgor ipse & majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in facie humana relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide & succino hæc inesse vis dicitur, ut annulos & stipulam & festucas sibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos volebat?* Ita Hieronymus demonstrat non temporis puncto, non mora brevissima perfectam esse Apostolorum conversionem: sed *tantas virtutes, tanta signa* & à Christo edita, & ab illis spectata fuisse, accessisse præterea latitantis Deitatis lucem & majestatem humana ex Christi facie fulgurantem ita, ut non præcipitis fuerit consilii fides & conversio eorum, sed maturæ prorsus & accuratissimæ cujusdam sapientiæ. Porrò siqua animi ad pietatem conversio videri poterat repentina, adeoque efficaciæ gratiæ physicè prædeterminantis tribuenda, erat nimirum ejusmodi conversio Apostolorum ad Christum. Atqui & res ipsa clamat, & Hieronymus testatur nihil hìc repentinum, nihil præceps imagi-

imaginandum eſſe: ne dum tuendæ gratiæ ejuſque efficaciæ velificamur, incurramus in calumnias eorum, qui levitati & incogitantiæ temerariæ adſcribunt, quidquid non diutulo libratur conſilio.

CAPUT XC.

Inter ſubitas & repentinas converſiones objicitur ſpecialiter Auguſtini converſio. Oſtenditur ergo Auguſtinum à perfidia & improbitate ad fidem & pietatem perductum eſſe multiplici & diuturna oppugnatione auxiliorum gratiæ omnis generis. Ex ejus maximè libris Confeſſionum. Ut experiretur ipſemet, quod poſtea ſcriberet, non de efficacia tantùm gratiæ, ſed de hujus efficaciæ modo ac diſpenſatione.

MOmenti habet plurimum Auguſtini converſio, & ad objectionis ſuprapoſitæ elucidationem, & ad totius noſtræ de gratiæ efficacia doctrinæ confirmationem, ſi hanc demonſtraverimus non ſubitò, non repentè, ſed cunctanter & diu elaboratam, expolitam, & vix tandem plurimo & diutino gratiarum omnis generis conniſu & contextu perfectam eſſe. Ita enim ſibi vulgò perſuadent, qui medullam rerum non aſſequuntur, ſed inhærent cortici, uno temporis momento, perſonante in horto voce cœleſti & ad legendum hortante, perfectam illam fuiſſe. Quod à vero quàm remotum ſit, uno ex Auguſtino hìc aperiemus. Id pridem vidit Rainerius in Pantheologia, ubi converſiones repentinas ſecernens ab aliis lentioribus, Auguſtini converſionem rejicit in iſtarum claſſem, ut qui *tandiu converti diſpoſuit,*
Verbo, Gratia, c. 3. *antequam ad effectum converſionis perveniret*. Itaque, ut idem ait, *Paulatim & ſucceſſivè* ad pietatem promotus eſt Auguſtinus, paulatim & ſucceſſivè ex impietate emerſit.

Præſtantiſſimo gratiæ Doctori de gratia efficaciſſima credamus, & ea maximè quam ipſemet expertus eſt. Hujus enim ille efficaciam non ſenſit, non expertus eſt in abrupto & repentino ictu aliquo conſtipatam, ſed longa pietatis diſpenſatione, diuturno auxiliorum omnis generis, proſperorum & adverſorum, illecebrarum & pugnarum contextu explicatam, & paulatim lentèque ſeſeque explicantem. *Et circumvolabat ſuper me fidelis à*
Confeſſ. l. 3. c. 3. *longè miſericordia tua. In quantas iniquitates diſtabui, & in omnibus flagellabas me, &c. Verberabas me gravibus pœnis.* Utque non tantùm flagellis cæderet peccantem, ſed blandimentis etiam interim deliniret, & ſuavitate ineſcaret juſtitiæ, impulit illum miſericors Dei providentia, ut librum Ciceronis, cui nomen *Hortenſius*, in manus ſumeret, & lectitaret. Hinc enim exarſit in amorem incorruptibilium ſapientiæ voluptatum, hinc inanitas terrenorum ludibriorum aperire ſe & vileſce-
L. 3. c. 4. re cœpit. *Ille verò liber mutavit affectum meum, & ad teipſum Domine mutavit preces meas, & vota ac deſideria mea fecit alia. Viluit mihi repentè omnis vana ſpes, & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebam incredibili cordis æſtu, & ſurgere jam cœperam, ut ad te redirem. Quomodo ardebam Deus meus, quomodo ardebam revolare à*
Ibidem. *terrenis ad te, & neſciebam quid ageres mecum? Apud te eſt enim ſapientia.* Nec adverſa tantùm caſtigabant ejus in terrenas delicias laſciviam, non ſapientiæ tantùm incorruptibilis ſuavitas deguſtabatur, & ſurſum alliciebat; ſed etiam impreſſa in animo à teneris unguiculis fidei Chriſtianæ veſtigia inhærebant, efficiebantque ut ſubamarum eſſet, quidquid Chriſti Jeſu nomine & charitate non condiretur. *Hoc ſolo in me tanta flagrantia refrigebat, quod nomen Chriſti non erat ibi. Quoniam hoc nomen Salvatoris mei Filii tui, in ipſo adhuc lacte matris tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat, & quidquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamvis litteratum & expolitum & veridicum, non me totum rapiebat.*

Triplici hoc gratiæ auxiliorum genere tandiu ante converſionem ſuam edomabatur paulatim, & lenteſcente in multos annos medicina curabatur. Vis enim morbi ingens incredibiliter reſtitabat cœleſti medico. Itaque ſubinde ad conterendam pertinaciam ingeminabantur flagella: *Exceſſi legitima* Confeſſ. l. 2. c. 2.
mea, nec evaſi flagella tua. Quis enim hoc mortalium? Nam tu ſemper aderas miſericorditer ſæviens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas jucunditates meas, ut ita quærerem ſine offenſione jucundari, & ubi hoc poſſem Domine non invenirem præter te. Et alibi: *Inhiabam honoribus,* L. 6. c. 6.
lucris, conjugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amariſſimas difficultates, te propitio tantò magis, quanto minus ſinebas mihi dulceſcere, quod non eras tu. Veritatis interim lumina infundebat ejus animo Chriſtus, miris & ineffabilibus modis, nempe per Fauſtum ipſum Manichææ ſectæ principem, à quo cæteri illaqueabantur, & in denſiſſimas demergebantur tenebras, expeditus eſt Auguſtinus ab illis vinculis, & lumini penè reſtitutus. Comperta enim imperitia ejus, cujus alii magiſterio in illam ſectam abducebantur, ſpem abjecit de veritate apud Manichæos aſſequenda: *Agebas me* L. 5. c. 6. 7.
tunc abdito ſecreto providentiæ tuæ, &c. Ita ille Fauſtus, qui multis laqueus mortis extiterat, meum quo captus eram, relaxare jam cœperat, nec volens, nec ſciens. Manus enim tuæ Deus meus in abdito providentiæ tuæ non deſerebant animam meam, &c. Et egiſti mecum miris & occultis modis. Utque non tantùm errorem dediſceret, ſed condiſceret etiam veritatem, cum ſui ipſius, tum Manichæorum cupiditatibus ad inanem ſæculi gloriam anhelantibus, pertraxit illum Deus ut ex Africa Romam, Roma Mediolanum ad Ambroſium trajiceret, cujus primùm eloquentia & ſermonis lactea ſuavitate deliniretur, rerum faſtidioſus primùm contemptor, & earum mox tamen unà cum verbis illabentium admirator ſectatorque. Hæ artes erant L. 5. c. 8.
divinæ, hi ſinuoſi anfractus, quibus illum gratia circumagebat. *Quoniam & in his altiſſimi tui receſſus, & præſentiſſima in nos miſericordia tua cogitanda eſt, &c.* Cùmque narraſſet ut Carthaginenſium adoleſcentum procacitate atque inſolentia adverſùm magiſtros compulſus ſit Romam proficiſci, & Romanorum rurſus avaritia adegerit ut Mediolanum properaret: *Verùm tu ſpes mea ad mu-* Ibidem.
tandum terrarum locum pro ſalute animæ meæ, & Carthagini ſtimulos, quibus inde avellerer, admovebas; & Romæ illecebras, quibus attraherer, proponebas mihi, per homines qui diligebant vitam mortuam, hinc inſana facientes, inde vana pollicentes, & ad corrigendos greſſus meos utebaris occultè & & illorum & mea perverſitate.

Ubi dilucidè docet ſanctus Pater, quo tandem modo noſtras Deus voluntates regat, flectat, determinet, nempe hìc *ſtimulos* & moleſtias admovendo, quibus avellamur ab iis quæ animæ ſaluti officiunt; inde *illecebras* proponendo, quibus attrahamur ad ea quæ conducibilia futura ſunt. Inſunt enim omnibus hominibus affectus hi generales & defugiendæ moleſtiæ & illecebræ ac ſuavitatis conſectandæ. Diſpenſator ergo omnipotens & moleſtiarum & illecebrarum omnium Deus affectus noſtros quo volet cumque torquebit & retorquebit eadem arte, & cupiditates cupiditatibus, affectus affectibus vincet. *Cùm & me cupiditatibus meis raperes ad finiendas cupiditates meas.* Ibidem.
Et infrà: *Ego ipſe ambivi per eos ipſos Mani-* Ib. c. 13. 14.
chæis vanitatibus ebrios, quibus ut carerem ibam, ſed utrique neſciebamus, &c. Veni Mediolanum ad Ambroſium Epiſcopum. Ad eum autem ducebar abs te neſciens, ut per eum ad te ſciens ducerer. In Ambroſio quoque audiendo per affectus humanos primò captabatur, & ligabatur, ut divinitus tandem

tandem inspiratis affectibus se daret. Comitate enim & humanitate Ambrosii, tum eloquentia illectus, sermonis suavitatem primùm, postea & veritate delectari cœpit. *Peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primò quidem non tanquam doctorem veri, quod in Ecclesia tua prorsus desperabam, sed tanquam hominem benignum in me. Et studiosè audiebam disputantem in populo, non intentione qua debui, sed quasi explorans facundiam ejus, utrum conveniret famæ suæ, &c. Tamen propinquabam sensim & nesciens. Cùm enim non satagerem discere quæ dicebat, sed tantùm quemadmodum dicebat audire, veniebant in animum meum simul cum verbis quæ diligebam, res etiam quas negligebam: neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad excipiendum quàm dissertè diceret, pariter intrabat & quàm verè diceret. Gradatim quidem.* En quo anfractu, quàm lentè & gradatim gratia efficacissima & omni potens immutaret cor Augustini, fidem illi insereret, Manichæam perfidiam abstergeret. Itaque doctrina Ambrosii visa illi primùm defendi posse, postea teneri debere. *Gradatim quidem. Nam primò etiam ipsa posse defendi mihi jam cœperunt videri.*

Est ergo gratia quæ secundùm Dei vocantis propositum datur, suapte vi efficax, omnipotens, indeclinabiliter creatas voluntates contorquens, & ex nolentibus faciens volentes; sed sinuoso id flexu, & longa plurium omnis generis machinarum explicatione efficit: & hic modus est efficaciæ invictissimæ, quo creatæ consultum sit libertati. Quocirca rursum sanctus Pater docet, ut illa doctrinæ quam spargebat Ambrosius semente, simul
L. 1. c. 4. 5. revirescerent reliquiæ fidei, quam inter pueritiæ crepundia combiberat. *Gaudebam Deus, quod Ecclesia unica corpus unici tui, in qua mihi nomen Christi infanti est inditum, non saperet infantiles nugas.* Et mox: *Nulla pugnacitas calumniosarum quæstionum, per tam multa quæ legeram, inter se confligentium Philosophorum, extorquere non potuit, ut aliquando non crederem te esse, quidquid esses, quod ego nescirem, & administrationem rerum humanarum ad te pertinere.* Ex his præjudiciis de vero & uno Deo, ejusque providentia rerum humanarum, quæ extirpari ex ejus animo nunquam omnino potuerant, refloruit tandem aliquando vera fides, Scripturarum & Ecclesiæ Catholicæ authoritati incumbens. Pertinebat enim ad providentiam rerum humanarum administratricem, non sinere, ut in tantum authoritatis culmen per omnes locorum temporumque tractus consurgeret vel Ecclesia, vel Scriptura, si qua illam erroris contagio contaminaret. *Ideoque cum essemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset authoritate sanctarum litterarum; jam credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes terras authoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses.*

Aggerabat Deus foris amaritudines, ut à sæculi cupiditatibus illum refigeret; mortis interim futurique divini judicii formidinem excitabat intus:
L. 1. c. 10. 11. Cap. 16. *Et in omni amaritudine quæ nostros sæculares actus sequebatur.* Et infrà: *Vita hæc misera est, mors incerta. Si subitò obrepat, quomodo hinc exibimus? Annon hujus negligentiæ supplicia luenda sunt?* Hæc mortis & æternorum cruciatuum formido ab ejus animo non unquam penitus abscesserat, & ea maximè à perniciosarum voluptatum gurgite revoca-
L. 7. c. 5. bat: *Nec me revocabat à profundiore carnalium voluptatum gurgite, nisi metus mortis & futuri judicii tui, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo.* Et infrà: *Talia volvebam pectore misero, ingravidato curis mordacissimis de timore mortis.* Quibus si addas fidei affectum quendam tenera jam inde ab infantia residuum, & certam de Deo ejusque providentia conscientiam, & amorem sapientiæ olim lecto Ciceronis Hortensio excitatum, & nunquam prorsus extinctum; hæc nimirum erit illa affectuum piorum conspiratio, quibus efficaciter voluntas illa cohibebatur, ut ne altiùs in abrupta vitiorum se demergeret, utque paulatim etiam emergere luctaretur. *Et non inventa veritate, stabiliter tamen hærebat in corde meo in Catholica Ecclesia fides Christi Filii tui.* Et rursum: *Maximè mirabar,* L. 7. c. 7. *recolens quàm longum tempus esset ab undevicesimo anno ætatis meæ, quo fervere cœperam studio sapientiæ, & ecce jam tricenariam ætatem gerebam, in eodem luto hæsitans.* Et denique: *Sed me non sinebas ullis fluctibus cogitationum auferri ab ea fide, qua credebam & esse te, & esse de hominibus curam, & judicium tuum, & in Christo Filio tuo, atque in Scripturis, quas Ecclesiæ tuæ Catholicæ commendat authoritas, viam te posuisse salutis humanæ ad eam vitam, quæ post hanc mortem futura est.*

De Deo cogitanti non occursabant nisi corporeæ imagines, & has amplexabatur. Ut ergo hanc quoque animi ægritudinem sanaret Deus, incurrere illum fecit in Platonicorum Philosophorum libros, quibus evolvendis cœpit intueri animo veritatem intelligibilem, nullâ mole, nullis coloribus, nullis lineamentis. Horum enim insolens est ipsa per sese veritas. *Et stimulis internis* L. 7. c. 8. 9. 10. *agitabas me, ut impatiens essem, donec mihi per interiorem aspectum certus esses, &c. Procurasti mihi per quendam hominem immanissimo typho turgentem quosdam Platonicorum libros. Et ibi legi, quod In principio erat Verbum, &c. Et inde admonitus intravi in intima mea, & inveni supra mentem meam lucem incommutabilem, &c. Qui novit veritatem, novit eam, &c. O æterna veritas, &c. Faciliùsque dubitarem vivere me, quàm non esse veritatem, quæ, &c.*

Fausti ergo imperitia, Ambrosii facundia, Scripturarum authoritate, Platonicorum luminibus, Hortensii Ciceroniani facibus, pueritiæ præjudiciis de Deo, de providentia, de Christo, de venturo judicio informatæ, mortis & gehennæ timore, sapientiæ & veritatis ignibus, amaritudinibus undique ingruentibus oppugnabat Deus voluntatem præfractam, & toto jam decennio oppugnabat, & circumvallabat undique. Omnipotenter quidem, sed hac tamen diuturna & multiplici tot auxiliorum conspiratione expugnatus est hactenus Augustinus, ut pietatem amplecteretur, & flagitio abstineret in posterum, necdum tamen ut conjugii & dignitatum sæcularium spem abdicaret. *Inhæserant præcordiis meis verba tua, & undique* L. 8. c. 1. *circumvallabar abs te.* Et infrà: *Mihi autem displicebat quod agebam in sæculo, & oneri mihi erat valdè: non jam inflammantibus cupiditatibus, ut solebant, spe honoris & pecuniæ ad tollerandam illam servitutem tam gravem. Jam enim illa me non delectabant præ dulcedine tua, & decore domus tuæ, quam dilexi. Sed adhuc tenaciter colligabar ex fœmina, nec me prohibebat Apostolus conjugari, quamvis exhortaretur ad melius, &c. Sed ego infirmior eligebam molliorem locum.*

CAPUT XCI.

Altera elucidatur Augustini conversio, non jam à scelere ad pietatem, sed à spe conjugii ad arctiorem religiosæ vitæ institutionem. Hæc quoque lentè & diuturno conflictu inspiratorum cœlitus affectuum adversùs inolitarum animo suo cupiditatum reliquias peracta est.

MAgno prorsus veritatis compendio prædicatur gratia Christi ad conversionem & perseverantiam efficacissima: sed hanc efficaciam quo consequatur, quo exerat modo, id verò paulò operosiùs

rosiùs explorandum fuit. Et quoniam Augustini venamur præ cæteris sententiam, æquum fuit, non tantùm quid ille scripserit, sed & quid senserit, quid expertus sit, indagare. In illo enim videtur antè non immeritò gratia Christi dedisse documenta suæ invictissimæ potestatis, ut ita demum ad ejusdem gratiæ illustrationem paratior & expertus accederet. Advesùs Pelagianos postea scribens sanctus Pater, ex his Confessionum libris decerpsit aliqua testimonia, ut jam tum se Christi gratiæ præconem fuisse ostenderet. Atqui in his Confessionum suarum libris non uno impetu, sed longa obsidione fatigatam fractamque fuisse suam pertinaciam superiori capite demonstravit. A longè enim sibi præparat Deus, quos prædestinavit, præformat illos & præaptat sibi etiam inter ipsa scelera. Longo illos experimento imbuit, quàm insulsa, quàm fellea sint sæcularium voluptatum oblectamenta, & in his præstruit jam tum & præfundat victoriam supernæ gratiæ & delectationis suæ, non aliter efficaciam suam assecuturæ. Quippe frustra hæc præstruerentur tam longo & operoso apparatu, si sine his peræquè una gratiæ impulsio totum negotium conversionis perficeret. Et quidem non omnes etiam Theologi observarunt minutias istas in suæ ad Deum conversionis gratia, quia non omnium æquè mentes oculatæ atque illuminatæ fuere, quàm Augustini, non omnium tam suspensa atque arrecta mens ad divinæ artis perscrutationem. Sed utcumque ad hanc normam excogitandæ sunt cæterorum quoque omnium conversiones.

Medicinalis est enim revera gratia Christi, medicinalis est ejus efficacia. Sed quæ ultima morbum profligat medicina, vel medicinæ potiùs portio pharmaco uni credita, nequaquam debet illa sibi totam curationis gloriam arrogare. Tandiu morbus vincitur, quandiu curatur. Per quæ curatur omnia, per hæc & vincitur. Portionem victoriæ & efficaciæ sibi vindicant medicamenta, etsi longè priùs adhibita, etsi in longum prodesse dilata. Incassum enim & inefficaciter propinaretur extrema, quæ sanitatem redintegrat, potio, si crudum & necdum mitigatum prælusoriis medicamentis malum inveniret. Extrema ergo illa potio sanitatem non tam sola efficit, quàm sola perficit. In hac ergo animarum curatione efficax quidem per sese & victrix nostrorum morborum est Dei gratia medicinalis; sed hæc efficacia tam largè dispensanda est, & spargenda, quàm medicina ipsa & ars curandi. Totam simul sanationis vim non pateretur invaletudo & imbecillitas ægri; stillatim efficacia illa irroranda est, & variis potionibus aliis alias excipientibus & juvantibus committenda, ut ex omnium simul collectis viribus, ex omnium conspiratione vincatur morbi pertinacia, quæ ad unum aliquem validissimum curandi impetum redintegrasceret. Ita nos nihil differre existimamus à gratiæ victricis & prædeterminantis defensoribus, nisi quantum discreparent, quorum alii supremo alicui medicamento, alii omnium simul medicamentorum arti, varietati, multitudini tribuerent efficaciam curationis. Utrique perinde vim totam & efficaciam laudemque medico tribuunt & medicinæ: sed illi rem dicunt miraculo, quàm usitato rerum ordini propiorem: hi quotidiano ex usu rem definiunt.

Enucleata ergo priore illa Augustini conversione ad fidem, & ad vitam ab omni scelere puram, jam posterior expedienda nobis est ejus conversio ad arctius vitæ religiosæ & ex Evangelicis consiliis conformandæ institutum. Hallucinantur plerique in hac re, & tum demum resipuisse à flagitiosa vitæ consuetudine suspicantur Augustinum, cum cœlesti voce monitus in horto Paulinas legit Epistolas & unà cœlestes hausit flammas. Atqui longè diversa est à priori hæc posterior conversio, & ipsa tamen artibus iisdem, & conspirantibus gratiæ divinæ multis oppugnationibus profligata est. Potitianum audierat prolixè narrantem de vita & gestis admirandis Antonii, utque duo Officiales Imperatoris perlecta Antonii vita sæculo valedixissent. Interim Augustinum sibi ipsum Deus objiciebat, aperiebat, nudabat, ut quàm turpis, quàm ulcerosus esset, videret, & gemeret. *Inter verba ejus retorquebas me ad meipsum, ut viderem quam turpis essem & maculosus & ulceratus, & videbam & horrebam.* L. 8. c. 8. Subibat recordatio & pudor elapsorum jam annorum à lecto Ciceronis Hortensio, haustaque inde sapientiæ amoris flamma: *Effluxerant fortè duodecim anni, ex quo lecto Ciceronis Hortensio, excitatus eram studio sapientiæ, & differebam contempta felicitate terrena ad eam investigandam vacare.* Ibidem. His cogitationum affectuumque stimulis excitus, *insaniebat salubriter, & moriebatur vitaliter.* Nec cessabat manus omnipotentis medici excitare alios aliosque subinde affectus, sed illum maximè metum ingentem, ne si remitteret tantisper, in prioris servitutis compedes recideret. L. 8. c. 11. *Ita cum æternitas delectat superiùs, & temporalis boni voluptas retentat inferiùs, eadem anima est non tota voluntate illud aut hoc volens, & ideo discerpitur gravi molestia, dum illud veritate præponit, hoc familiaritate non ponit. Sic ægrotabam & excruciabar, accusans memetipsum solito acerbiùs nimis, ac volvens & versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum quo jam exiguo tenebar, sed tenebar tamen.* Necdum conversionis aut gratiæ perfectio aut absolutio obtigerat, & jam tamen totum penè vinculum servitutis abruptum contritumque erat: *Exiguo tenebar*, nempe spe & desiderio conjugii. Quis hinc ergo non videat, quàm lenta & cunctabunda sit gratiæ efficacia, quantis se dissensionibus nostræ voluntatis protelari sinat, & recurrat tamen, habitusque vitiosos animi paulatim elidat; & hac sua cunctatione atque assiduitate nostram demum superet pertinaciam?

Ita victrix efficacia multitudini illi & diuturnitatati auxiliorum & affectuum omnis generis meritò adsignanda est: *Jam exiguo tenebar, sed tenebar tamen, & instabas tu in occultis meis Domine, severa misericordia flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rursus cessarem, & non abrumperetur idipsum exiguum & tenue quod remanserat, & revalesceret iterum, & me robustiùs alligaret.* Ibidem. Pergit inde ad intestinam atrocemque pugnam affectuum voluntatem in diversa rapientium, conatumque ingentem animi: *Jam penè faciebam, & non faciebam, &c. Et item conabar, & paulò minùs ibi eram, & paulo minùs jamjamque attingebam.* Hinc castitas, inde conjugium illecebras suas explicant, alliciuntque; at ex incursante præteritorum errorum recordatione ingens exoritur lacrymarum imber, grandi affectuum ultro citroque spirantium tempestate horrens secedit, & cœlesti admonetur voce, Tollere & legère. Aperit Pauli Epistolas, incurritque sententiæ qua vulnera ejus omnino sanantur, unà infuso gratiæ fonte: *Nec ultra volui legere, nec opus erat; statim quippe cum fine hujusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.* Ibid. c. 12. En tandem Augustini conversio altera, non à scelere, quod animo jam prorsus ejecerat, sed à spe conjugii, qua hactenus vinciebatur: *Convertisti etiam ita me ad te, ut nec uxorem quærerem, nec aliquam spem sæculi hujus.*

Longa ut vides dispensatione & contemperatione auxiliorum complurium opus fuit, ut ad voluntatem religiosioris vitæ, & ad sæculi abdicationem adduceretur Augustinus. Quod ergo infrà ait: *Quàm suave mihi subitò factum est carere suavitatibus nugarum*; L. 9. c. 1. non de tota conversione, sed de extrema ejus parte, & de absolutione ejus loquitur. Longo enim certamine abruptis nodis pristinæ servitutis, tandem libertas cum ingenti suavitate subitò se infudit. Sed non extremo huic momen-

momento illiganda est gratiæ efficacia: prior omnis illa & diuturna conflictatio, efficaciæ & victoriæ portionem merito & jure suo sibi vendicat.

Victrici huic suavitati auxiliaris accessit ægritudo quędam pectoris, & spirandi difficultas, qua compulsus tandem est abjicere eloquentiæ ventosam professionem, & in æternæ sapientiæ gremium confugere. Ita Augustinus ipsemet ad Romanianum scribit, quem & ipsum testatur nonnisi diutina calamitatum jactatione frangi potuisse, ut mundi ludibria contemneret, & ad æternitatis ac sapientiæ delicias se conferret, *Illud ergo, illud tuum, quo semper decora & honesta desiderasti, quo te liberalem magis quàm divitem esse voluisti, quo nunquam concupisti esse potentior, quàm justior, nunquam adversitatibus improbitatibusque cessisti, illud inquam ipsum divinum, quod in te nescio quo hujus vitæ somno veternoque sopitum est, variis illis durisque jactationibus secreta providentia excitare decrevit. Evigila, evigila, oro te multum. Mihi crede, gratulaberis, quod penè nullis prosperitatibus, quibus tenentur incauti, mundi hujus tibi dona blandita sunt. Quæ meipsum captare moliebantur quotidie ista cantantem, nisi me pectoris dolor ventosam professionem abjicere, & in Philosophiæ gremium confugere coegissent.* (L. 2. cont. Acad. c. 1.)

Gratiam denique qua & ad justitiam adductus, & in justitiæ semita deinceps progressus in finem usque est, longa & multiplici conspirantium auxiliorum varietate contextam fuisse, disertis verbis testatur sanctus Pater: *Nunc invocantem te ne deseras, qui priusquam invocarem prævenisti, & institisti, crebrescens multimodis vocibus, ut audirem de longinquo, & converterer, & vocantem me invocarem te.* (Confess. l. 13 c. 1.) Et alibi: *Quomodo autem sufficio lingua calami enunciare omnia hortamenta tua, & terrores tuos, & consolationes, & gubernationes, quibus me perduxisti prædicare verbum tuum?* (L. 11. c. 2.) Istiusmodi terroribus, correptionibus, hortatibus, consolationibus, gubernationibus omnes electi similiter à Deo reguntur, contorquenturque quo ipse vult. *Quasi vero nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor: aut aliud agat, cum salubriter stimulat, nisi ut rogetur bonus, & ex malis qui corripiuntur, bonos faciat qui laudentur.* (De Corrept. & gra. c. 5.)

Ita idem alibi parentem suam in tenera adhuc ætate, puerili quadam lascivia pluscululum vini sorbentem quàm puellam id ætatis deceret, revocatam fuisse ait fœdissimi convitii pudore, cum meribibulam litigans ancillula vocavit. *Unde curasti, unde sanasti? Nonne protulisti durum & acutum ex altera anima convitium, tanquam medicinale ferrum ex occultis provisionibus tuis, & uno ictu putredinem illam præcidisti? Ancilla litigans amarissima insultatione vocavit meribibulam. Quo illa stimulo percussa, respexit fœditatem suam, confestimque damnavit & exuit.* (Confess. l. 9. c. 8.) Non charitatis stimulus hic fuit, sed timoris, pudoris, iræ, zeli. Amarissimam insultationem indignanter ferens, ne pari dedecore & infamia posthac aspergi posset, resipuit. Ita Deus ad emendanda ejus vitia aliis ejus affectibus utebatur, & cupiditatibus cupiditates vincebat. Ita ergo Deus in potestate habet humanas voluntates, dum earum affectus inolitos nescire non potest; & objectando quæ appetunt, vel intentando quæ refugiunt, inopinas & nescientes adducit, ut extricent se è laqueis quos amabant. Et plerumque hęc Deus visa externa admovet per voluntates alias aliud agentes, malè agentes, & suo tum maximè indulgentes ingenio, ut sibi videntur ipsi, reapse autem divinis consiliis famulantes. *Tu Domine rector cœlitum & terrenorum, ad usus tuos contorquens profunda torrentis, fluxum sæculorum ordinans turbulentum, etiam de alterius animæ insania sanasti alteram; ne quisquam cum hoc advertit, potentiæ suæ tribuat, si verbo ejus alius corrigatur, quem vult corrigi.*

Referri denique eodem quoque potest, quod ibidem Augustinus refert de Alipio juvene tum adhuc, & in ludos Circenses insaniente. Augustinus aliud agens, & de Alipio curando ne cogitans quidem aliquid in eam spectaculorum insaniam cum mordaci irrisione dixit. *At Alipius in se rapuit, meque illud nonnisi propter se dixisse credidit. At ego illum non corripueram. Sed uteris tu Domine omnibus & scientibus & nescientibus, ordine quo nosti, & ille ordo justus est. De corde & lingua mea carbones ardentes operatus es, quibus mentem spei bonæ adureres tabescentem, & sanares. Etenim ille post illa verba eripuit se ex fovea, &c.* (Ibid. l. 6. c. 7.) Narrat idem infrà, ut Alipius ex furti suspicione in discrimen mortis conjectus, vix evaserit, comperto vero fure; *Veruntamen jam hoc ad medicinam futuram in animo Alipii reponebatur; ut ille vir tantus futurus jam inciperet discere, quam non facilè in cognoscendis causis homo ab homine damnandus esset temeraria credulitate.* (Ibid. c. 9.)

Confessionum libros pervolventi ad conversionem Augustini accuratiùs indagandam, hæc de Monica & Alipio occurrerunt, quæ ab instituto nostro penitùs non abhorrerent. Alipium sanè sibi in conversione consociatum testatur ipsemet Augustinus: *Dulce mihi fit Domine confiteri tibi, quibus internis me stimulis perdomueris, & quemadmodum me complanaveris humiliatis montibus & collibus cogitationum mearum, & tortuosa mea direxeris, & aspera lenieris. Quoque etiam modo Alipium fratrem cordis mei subegeris nomini Unigeniti tui Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi.* (Confes. l. 9. c. 4.)

FINIS.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
quæ in hoc Tomo continentur.

A

Abraham Patriarcha.

Quomodo ante Abraham veritas? ex Gregorio Magno & Origene. L.5.c.12.n.12. Ex Augustino. C.13.nu. 7. Ipse Abraham per mathematicas disciplinas Ægyptios ad veritatem sensim induxit, ex Josepho & Cassiodoro L.1.c.24.n.2. Apud eos cur Deus, Deus Abrahæ cognominari voluit? L.3. num. 13. §. *Sed*. C. 4. num. 4. *& seqq.*

Quomodo Deus visus Abrahæ? L.6.c.14.num.10. §.8. Cur à Deo Isaaccum seu risum immolare jussus sit, & Sara uxor Abrahæ risisse se negaverit? ex Philone. N. 3. Quomodo Abraham Angelos exceperit? L.3.c.8. n.12.

Quatenus Abraham Contemplatorum princeps, & credentium pater? L.4.c.8. n.8. 9. Quid per sinum Abrahæ, & quousque? L.6. c.18. n. 4. Quomodo tandem de lapidibus fiunt filii Abrahæ? ex Tertull. L.9.c.16.n.13. *& passim ex aliis Patribus, ubi de efficacia Gratiæ.*

Abrahamus Presbyter Anachorita.

Alter hic Abrahamus, Presbyter per vim ordinatus, & plebi præpositus, licèt Anachorita, preces gratiæ testatrices multoties fudit. L.9. c.15. nu.2. Item neptis ejus Maria ab eo edocta n.9.

Academia, Academici, Alcinois, Amelius, Ammonius, Apuleius, &c. V. *Philosophi Platonici.*

Accidentia.

Ex sententiarum compugnantia de natura *Accidentium* vel novissimorum, non solùm sic sentientium imperitia, sed & major veritatis claritas. L.1. c.16. num.4. C. 17. num. 7.

Achab Rex Israel.

Dignus hic decipi per Pseudoprophetas, & hi per malum Angelum, permittente, non jubente Deo. L. 2. c. 12. n. 11. L.7.c.6.n.2. C.9.n.18. C.11.n.9. L.10.c.21. §. *Etsi* C.64. §. *Alibi.*

Adalbertus Pragensis Episcopus & Martyr.

Ejus repentina conversio pluribus aliis lentioribus collata. L.10.c.39. §. *nec.*

Adam Protoplastus.

Præexistentia animarum à Philosophis ficta, à sanctis Patribus in Adamo rectiùs constringitur. L.1.c.2. num.9. C.3. num. 1.2.3. C.20. num.2. L.3.c.13. num.5. Expressius adhuc *toto* c. 14.

Quænam Adamo in suo ortu Dei præsentia, scientia & felicitas? L.3.c.7.num.6.8. *& seqq.* C.9. nu.6.7. Ipsa plenitudo scientiæ & sapientiæ. C. 16. num. 13. Imò tam clara Dei contemplatio, ut eam visionis nomine, necnon fruitionis, ac beatitudinis, aliique exaggeratis vocibus sancti Patres conspiratissimè appellitarint. L.6. c.6. num. 1. *& seqq.* præsertim 13. Et quidem ex ipsis Scripturæ testimoniis num. 18. *& seqq.* Necnon & ex rationibus ad testimonia junctis. C. 7. 8. & 9. *Vide etiam Beatitudo, Dei visio.*

Illa tamen qualiscumque visio, seu potiùs contemplatio & & intelligentia Adamo in primo ortu concessa, longè ea inferior, quam perseverando parasset, & quam nobis Christus restituit. L.6.c.9. num.6. *& seqq.* Utpote nonnisi per spiritalia symbola. C.21. num. 13. & L. 4. c. 11. num. 10.

Loca Augustini in speciem contra suprapositam ejus doctrinam de visione saltem symbolica spiritali elucidantur, ut scilicet corporeo se simulacro indueret Deus, quo Adamum alloqueretur, utique post lapsum, vel quoad præcepta positiva, non ut lex & veritas sempiterna. L. 6. c. 9. n. 11. *& seqq.*

Illa autem veritas cibus mentium, & Dei incorruptibilis cognitio incorruptibilitatem menti & affectibus longè præstantissimam inspirabat. L.5.c.10.n.6.7.8. Ita immortalitas Adamo dum conderetur indulta, mortem mortisque comites miserias procul arcebat. n.5.10. Quatenus proinde & æternitatis erat tunc particeps. C.15. nu. 11.12. 13. 14. At deinceps ea omnia expectanda ex immutabilitate Verbi incarnati. V. *Christus, Gratia, Incarnatio, Salus, &c.*

Versatilis tamen erat illa prior Adami tum felicitas, tum immutabilitas, cujus pio tantùm usu parare sibi poterat tantò illustriorem immutabilitatis imaginem, quantò eam sua industria & libertate cum Dei adjutorio parasset. L.5. c. 10. num. 10. L.6. c.9. num.7. Denique licèt illa felicitas esset quodammodo naturalis, erat tamen ex gratia. num.9.10.

Deinceps stare quidem poterat Adamus per liberum arbitrium, licèt opportunè adjutum. L.8.c.2.n.6.14. Eo scilicet tantùm adjutorio *sine quo non* posset perseverare, non *quo* fieret invictissimè ut perseveraret. num. 3.7.8. *& seqq.* Ita passim L. 10. c. 67. *& seqq.* Adamo quippe singulos & universos actus, summam ipsam & exitum vitæ committebat Deus, non ita nunc. C. 74.

Hinc Adami, si stetisset, propriè dicta prædestinatio meritorum fuisset, qualis & Angelorum, non ita nunc. L. 8. c.2. num. 1. 12. L. 10. c. 75. Et hinc quo sensu dixerit Augustinus humana merita periisse in Adamo. *ibid. utrobique.*

Augustino præiverant Athanasius & Cyrillus Alexandrini in describenda Adami gratia ex felicitate & clara Dei contemplatione: item in ejusdem prolapsione, & reparatione per potentiorem ac prorsus invictam Verbi incommutabilis gratiam, Incarnationis sacramento nobis infusam. L.9.c.11.n.1. *& seqq. ferè usque in finem.*

Adami præsertim exemplo demonstratur non semper victricem esse delectationem justitiæ, ex variis Patribus. L. 10. c. 31. Maximè ex Augustino C. 33. *initio*, c.55. §. *Illam.* Imò ne quidem cum timoris & minarum auxilio, *qua die peccaveris*, C. 33. §. *Nec & passim ubi de auxilio sine quo non.*

Primum autem peccatum Adami debuit esse præcognitum & permissum, non etiam prædestinatum, ex Patribus. L.7.c.5. num.2.3. *& seqq.* C.9. num.3. C. 19. num.2. Variæ circa illud quæstiones ævo Patrum agitatæ, nostris omnino dissimiles, *toto* c. 10. & c.19. num.2. 9. *Item* L. 10. c. 79.

Imago Dei Adamo olim impressa, per peccatum duntaxat obscurata, tribus potissimum dotibus refulgebat. L. 1. c.3.n.2. L.2.c.12.n.14. L.3.c.3.n.11. C.7. n.1. *& seqq.* L.6. c.7.n.7. Et illa quidem in Adamo potiùs quàm in Eva, ex Apost. & Aug. C.10. num. 6. Utriusque etiam conjugium symbolum conjugii mentis & rationis, ex Augustino. L. 3. c.18.n.16.

Quænam Dei apparitio & allocutio in ipso Paradiso post culpam? L.3.c.8. n. 12. Ex ipsa Adami latebra in umbris Deum ipsi visum corporalem, atque adeo idololatriæ initium coniicit Gregorius M. L.4.c.1.n.1. Cum Philone. L. 5. c.4.num.2. Cum Augustino, L.6.c.6. num. 20. 21. C. 9. num.11. *& seqq.*

Collatio exclusionis Adami è paradiso, cum angelica è cœlo. L.3. c. 10. num.5. Utriusque tandem status hominis differentiæ. L. 1.c.14. num.8.9. L.3.c.7. num.6. *& seqq.* L.8. c.2.n.7. C.3.n. 12. C.4.n.2. *Vide etiam Homo, Peccatum, Reminiscentia.*

Adjutorium, Auxilium.

Ipsum utrumque nomen *Adjutorii* & *Auxilii* cooperantem aliquem supponit, quem adjuvet, ex Augustino. L. 10. c.81. Duplex autem gratiæ auxilium, *sine quo non*, & *quo*, duplici aptatum prædestinationi, ex Augustino. L. 8. c.2.n.2. *& seqq.* C.3.n.12. Et ferè ex Cyrillo Alexandrino. L.9. c.11. nu.9. *&c.* Utrumque idcirco ad perseverantiam imprimis spectat, *ibid. ubique*, & latissimè L.10.C.67. *ac seqq. Plura vide in Adamo, Angelo, Dei prædestinatione, ac præsertim in Gratia.*

Adversitates, Ærumnæ, Afflictiones, Amaritudines, & alia aspera.

Modus efficacissimus redeundi ad Deum per adversitates, ærumnas, & c. ex Osee & Gregorio Magno. L. 10. c. 1. c.2

§. *Atqui*, *& seqq.* In primis per calamitates, captivitates, & alia aspera, ut liquet in Israelitis, §. *Et quanquam*, *ac seqq. Item* c. 2. *ferè integro*. In filio prodigo. C. 8. In Paulo ipso ad correctionem Hæreticorum apud Augustinum proposito. C. 9. In ipso Augustino salutares suas amaritudines prosequente. C. 12. & passim. C. 90. & 91. Necnon in aliis jam justis, præsertim ipsis Martyribus C. 12. Et quidem usque ad impossibilitatem quandam implendæ suæ voluntatis, ex Gregor. Mag. C. 13. Ac in tota primitiva Ecclesia salubriter persecutionibus exposita, ex aliis Patribus. C. 14. Deinceps per piam & misericordem dispensationem ad versorum cum prosperis. Cc. *seqq.* Denique per alias amaritudines, seu ariditates & mœstitias, quibus exercentur vel sanctissimæ animæ. C. 37. V. *etiam Gratia*, *Misericordia*, *&c.*

Ægyptii. V. *in Abraham*, *& in Hebræos*.

Ælredus Abbas Rievallensis.

Hic Cassiodori verba rescribens, & suo more illustrans, reminiscentiam ex ipso sacro Vate eruit. L. 1. c. 3. num. 2. Et rursus ad Augustini mentem. L. 3. c. 5. n. 11.

Æqualitas, *Æquitas*.

Perfecta æqualitas, quæ regula est numerorum omnium, non à sensu corporeo, sed sola mente in divina veritate attingitur. L. 1. c. 23. n. 4. Et ea ipsa est æquitas præstans aliis æqualitatibus. n. 5. & expressiùs C. 24. n. 5. C. 25. nu. 3. *& seqq.* L. 4. c. 12. n. 4. L. 6. c. 10. num. 2. *& seqq.* V. *etiam Iustitia*.

Ætates, *Æternitas*, *Ævum*, *Anni*.

Incrementa *ætatum*, corporum sunt, non animarum. L. 6. c. 9. num. 15. Et tamen quadruplex hominis *ætas* spiritaliter de anima intelligitur, & graphicè describitur. L. 10. C. 3. & 4. Ad quid quatuor plus minusve *Annorum* millia ante gratiam. C. 3. §. *Efficacia*. Easdem *ætates* vicesque subit homo quilibet. C. 10. §. *Porro*. Paulò aliter de vitæ spiritalis *ætatibus*, juxta varios. C. 37. §. 1. & ult.

Ætates nostræ totidem mortes sunt, ex Euseb. L. 5. c. 12. num. 6. Ex Augustino. C. 13. num. 4. Ex Gregor. Magno. C. 15. num. 12. Et anni nostri, menses, dies, horæ, nec dici possunt esse, ex Augustino. C. 12. num. 9. Et tamen omnis *ætas* peculiari modo pulchra est, præsertim juventa & senectus. Num. 12. 13. Summa ergo pulcritudo *æternitas* est, quia omnis *ætas*, & omnis *ætatis* venustas est. *ibid.*

Imò breviùs definitur *æternitas*, ætas quædam infinita tota simul. L. 5. c. 12. n. 5. v. 4. Hinc anni Dei æternitas ipsa est, ex August. n. 9. Et hinc plurimùm à nostris annis discrepant. C. 13. n. 4. 10.

Quid tamen *æternitas*, sicut quòd sit tempus, sentiunt vel imperiti ex naturæ magisterio; eloqui vix periti possunt. L. 5. c. 11. n. 1. C. 11. n 1. Hinc tam multa ad æternitatis saltem descriptionem desiderant Philosophi. C. 11. num. 3. 4. Tria potissimum Boethius suam interpretans. C. 11. n. 2. Ita & Maximus Dionysii interpres. n. 3.

Prima autem radix æternitatis unitas. L. 5. c. 11. nu. 5. 6. 7. Et expressiùs C. 12. nu. 5. 6. Secunda bonitas, nu. 7. Tertia esse, nu. 8. 9. Quarta veritas, n. 10. 11. Quinta pulcritudo, n. 12. 13. Sexta incommutabilitas, n. 14.

Quinque æternitatis & temporis consonantiæ dissonantes, ex Platonicis. L. 5. c. 11. num. 8. Tres potissimum ex Boethiana definitione. C. 12. num. 2. Metaphoricè plerumque *ante*, *simul* & *post* à tempore ad æternitatem traducuntur. C. 13. num. 6. 7.

Sic dicitur *æternitas* ante & post tempora, non tempore, sed eminentia potestatis. L. 5. c. 11. n. 15. Sic licèt tempora non patiatur, complectitur tamen omnia. C. 13. n. 6. 7. *& seqq.* Et adhuc luculentiùs ex Augustino & aliis Patribus. L. 10. C. 83. 84. 85. Æternitatis cum immensitate comparatio, ex August. C. 83. §. ult.

Quot modis jam tempus & *ævum æternitatem* imitentur? L. 5. c. 15. integro. Quantùm autem distat ævum ab æternitate? C. 11. n. 14. C. 14. nu. 14. *& seqq.* Maximè quòd *ævum non totum simul*, quod quia magis controvertitur, fusiùs probatur. num. *seqq.* Ita demum ævum animæ proprium est, emergentis supra temporalia, & ad veritatis æternitatem. C. 11. n. 13.

Affectus, *Appetitus*.

Discrimen affectuum Deo tributorum à nostris. L. 5. c. 6. num. 9. C. 9. num. 6. *& seqq.* Nequidem à nostris animæ patiuntur. C. 7. n. 9. Quantò minùs in primo statu. C. 10. nu. 7. Illi tamen per prædicationem excitandi, ex August. L. 8. c. 11. n. 16. Scilicet à primo solùm statu detorti, per Christi imprimis mysteria, tanquam per visa congrua, ad Dei amorem multiplicem retorquentur. Lib. 10. c. 5. 6. 7. Cur aliunde magis afficimur virorum sanctorum aspectu & recordatione, quàm veritatis contemplatione? ex Bernardo. C. 6. §. *Ex*, *& seqq.*

Affectus alii aliis sensim perfringuntur, & ita sine vi aut coactione absoluta. L. 10. C. 7. & 9. ac passim & universim Cc. *seqq. usque ad* 21. Deinceps seorsim de singulis. C. 22. *& seqq. usque ad* 28. Amor & timor omnium affectuum cardines. C. 29. integro, & C. 19. §. *Quam*. Vel delectatio & dolor, ex Ambr. C. 38. §. ult.

Non objectorum dumtaxat, sed ipsorum affectuum efficacia perpenditur, ex August. L. 10. c. 29. §. *In id*, *& seqq.* Utrorumque, ex eodem. C. 35. 36. *& seqq.* Necnon aliorum plurium, quæ partim objectis, partim affectibus constant. C. 40. §. 1. *ac passim seqq.* Rursum & expressiùs, C. 55. necnon Cc. 64. 65. circa finem. Et ex aliis PP. C. 66. Magis per affectum quàm per notitiam Deus appetendus. Vide *Amor*, *Charitas*, *&c.*

Affirmationes. V. *Negationes*.

Africana, *Alexandrina*, *Apostolica*, *ac aliæ Sedes*.

Alexandrinæ & Apostolicæ Sedium authoritate gradatim Origenis dogma toto orbe proscribitur. L. 3. c. 14. num. 10. 11.

Sic post Africanas Synodos, Apostolicæ Sedis decreto contra Pelagianos sparso, Oriens perinde ac Occidens subscripsit L. 9. c. 3. n. 2.

Sic Cyrillo Alexandrinæ Sedis Antistiti Cælestinus Papa contra Nestorianam impietatem Apostolico auxiliatus est gladio, ex Prosp. n. 3. 4.

Sic Possessor cum aliis Africanis & Græcis Constantinopoli agens contra Semipelagianos, Apostolicam Sedem sub Hormisda consuluit & amplexus est, n. 8. Ex ipso Photio. C. 1. nu. 9.

Solius Occidentis, duce cumprimis Apostolica Sede, in sopiendis discertationibus, sufficiens censeri debet authoritas, ex Aug. C. 4. n. 6. 9.

Sic meruit ipse Augustinus, ut Apostolica Sedes ejus commentarios de Gratia consecraret, sub Cælestino & Hormisda. Cap. 5. num. 4. Sub Bonifacio Secundo num. 9.

Alexander Alensis, *& Anastasius Bibliothecarius*.

Consentiunt ambo cum multis aliis in consensionem Patrum utriusque Ecclesiæ de processione Spiritus sancti. L. 9. c. 6. n. 4. 6. 7.

Alipius amicus Augustini.

In eo adhuc juvene, ad spectacula antea exosa, sed semel visa, statim rapto, vim hujusmodi objectorum ipse demonstrat Augustinus. L. 10. c. 55. §. *Denique*, & c. 9. circa finem. Ut idem ex furti suspicione in discrimen actus, *ibid.* ac tandem in conversione Augustino consociatus §. ult.

Ambrosius Mediolanensis Episcopus.

Totus ipse popularis est, postquam ad Episcopatum abreptus. L. 3. c. 29. nu. 12. Quibus stimulis ad eum salubriter audiendum, tanquam ad portum Augustinus ipse actus sit? L. 7. c. 19. num. 4. 5. & L. 10. *passim* c. 90. Idcirco Ambrosium deinceps meliori titulo quàm alios Patres, in Præceptorem agnoscit. L. 9. c. 4. num. 10. C. 16. n. 11. *& seqq.*

Græcorum Patrum doctrinæ, cum Hilario, accedit quidem Ambrosius contra Arianos, visionem rubi de Filio interpretans. L. 3. c. 6. nu. 4. Ab Ambrosio tamen plerumque repetitur Latinorum, imprimis Augustini doctrina, puta de veritate & ideis. C. 6. n. 16. C. 18. n. 8. De pulcritudine. C. 20. n. 2. 11. 12. Rursum de pulcritudine veritatis & charitatis Dei. C. 23. n. 5. Item de divina simplicitate. L. 4. c. 3. n. 19. Necnon de visionis saltem retardatione ante resurrectionem. L. 6. c. 18. n. 5.

Similiter de ordinatione peccatorum, sine prædeterminatione. L. 7. c. 16. num. 5. Et sine hac de utilitate ipsorum venenorum ac persecutionum Ecclesiæ. L. 10. c. 14. §. 2. Item de utilitate timoris sive ad martyrium cruentum, sive ad incruentum, etiam sibi ipsi, ne à Christo de Sacerdotum concilio repelleretur. C. 28. §. *Ambrosius*. Ita & de aliis affectionibus animi, quarum speciatim vult delectationem & dolorem esse duces. Cap. 28. §. ultimo.

Ob ea omnia Pelagianos ipsos redarguit Augustinus, quòd alios sensus præsertim ab Ambrosio magistro Scripturæ affingerent, etiam quoad gratiam. L. 9. c. 4. nu. 1. 10. Unde cle-

clementiores nos decet eſſe in aliquibus Ambroſii textibus molliendis. C.16.n.12.15.

Amicitia, Amor.

Natales amoris ex Chao, juxta Platonem. L.3.c.22.num.1. Vel ex inſita appetitioni pulcre, juxta Platonem. nu.5. Amor quippe pulcritudinis ſectator eſt, pulcherrimus ipſe & animi pulchritudo. n.2. Eò tandem devenitur ad immenſum quoddam pelagus pulcritudinis. nu.3. Et ad virginale connubium cum Deo.n.4. L.5. c.10.n.12. L.6.c. 5. nu. 12. Necnon & ad intimam poſſeſſionem, quam non conferunt alii amores. L.3.c.23.n.4. L.6.c.5.n.12. *& ſeqq.* Maximè ſi primus amor liber ab aliis particularibus, ad univerſale bonum transvolet. L.5.c.2.nu.6.8. C.4.nu.4. C.10.n.14. *& ſeqq.*

Magis per amorem quàm per notitiam appetendus Deus. L.1.c.25.nu.6.7. L.6.c.8.n.5. Amoris jam noſtri non ſatis invicta vis, ut Deum aliter quàm raptim ſiſtat. C. 12. num.2. Quo ſenſu ſolus Deus ſine amore timeri nequit, ex Auguſtino. L.16.c.24. §. *Quod*. Amor & timor Dei conſociatis viribus amorem & timorem ſæculi ſuperant. Hi ſunt omnium affectuum cardines. C.29. integro C. 59. §. *Quam*.

Amor in ſenſibilia bona effuſus, nonniſi ea ibi quærit, quæ in Deo quærenda ſunt. L.1.c.3.n.4. L.3.c.22.n. 5. L.10. c.5. initio. Quanta ſit illius amoris vis & inſania? L. 1. c.13. n.3. Necnon propoſitæ ipſi pulcritudinis. L.3.c.19. n.4. Hin omnis *amicitia*. num.2. Cur naturalis Dei amor in juſtitia, nec meritum, nec juſtitiam conciliet? L.1. c.5.num.3.4. Secus alter amor Dei in nos, & noſter in Deum, ſimul & pulcritudinem animæ infundens. L.3. c. 20. num.8. 13. 14. De duplici amore puro & impuro, virtutum & corporum. C.22.num. 1.16. Et Philoſophia & Religio tota eò tendit, ut amor purgetur, *ibid.* Invictus eſt amor, & invictos facit, *ibid.* V. *Charitas, Cupiditas.*

Multiplex adhuc diſtinguitur amor, ejuſque varii gradus & modi, ex Bernardo & c. L.10. c.16. n.7.10. Cur magis afficiamur virorum ſanctorum vel amicorum aſpectu & recordatione, quàm veritatis ipſius? ex eodem. C. 6. §. *Ea, & ſeqq.* Unde mœror de morte amicorum, juxta Tullium. L.1 c.9.n.4. juxta Tertull. C.11.num.4. Et tamen amor vita ipſa eſt, & vita beata. L.3.c.25. nu.1.2.6. 7. Denique ut amor augeat Dei viſionem, ac viciſſim. L.6. c.11 nu. 1. Et quidem in ipſa gloria, ſine fine. C.15.nu.12. *& ſeqq. latiſſimè.*

Angeli.

Per Deos & Numina, Angeli, aut piorum animæ, plerumque intelliguntur à Platonicis. L.2. c.10. nu.8. L.3. c.13. nu.6. Ab ipſis Patribus, Angelis applicantur, qui Deo tribuuntur affectus in Scripturis. L.5. c.9. num.10. 11. Sic etiam per cœlos intelliguntur Angeli. C. 5. nu.4. An Angelorum natura ſit forma cœlorum aut ſyderum, vel increatæ Sapientiæ luce velut tenebroſa abyſſus ſeu materies formata? L.2.c.6.nu.7. L.3.c.4.nu.16.17. C.13. num.6.

Uſque ad ævum Bernardi alternabant ſententiæ, corporei an incorporei eſſent Angeli. L.4.c.3.num.12. Etſi incorporei ſint, Dei tamen comparatione corporei, ex Greg. Mag.num.13. Saltem quoad operationem, ex Bern. n.14. Et ſic mutationi, ſalva immortalitate, obnoxii, L. 5. c. 10. num. 4. *& ſeqq.* Sic Angeli ſubſtantia circumſcripti ſunt, loco autem partim incircumſcripti, partim circumſcripti. L.5.c.5. nu.1. Hinc non per loca moventur, licèt per tempora. num. 2. Quomodo ſint vel non ſint in anima, juxta varios Patres & Philoſophos. nu.3. *& ſeqq. præſertim* 6.7.

In ipſo ſui conditu tam conſpicua Dei contemplatione donati ſunt, ut ea viſio, fruitio, ac beatitudo ſine ulla ſpecie, ipſaque æternitatis participatio ſine temporum viciſſitudine vocata ſit à Sanctis Patribus. L.6. c.6. nu.1. 14. *& ſeqq.* Circa hoc ter maximè laboravit Auguſtinus, certus ſemper unam defuiſſe certitudinem, quam tandem, paribus creatis, ex libera bonorum perſeverantia eruit. num.4. & c.9. num.7. Ex ipſis Scripturæ teſtimoniis de luce primigenia. C.6.n.18. Sic conſtantiùs aſſerit primam Dei contemplationem Angelis, qui ſaltem tutores noſtri ſunt, quàm primis parentibus. C. 9. num. 11. 12. Et hinc etiam duplicem cognitionem Angelicam, aliam *veſpertinam* rerum in ſeipſis, *matutinam* aliam in Verbo tanquam in arte ſumma, qua eas regeret. C. 13. num. 11. v.22. & num.12. C.17. num. 4. L.7. c.2. num.9. 10.11.

Media tamen quædam felicitas, ſeu viſio Dei quaſi *umbra vitæ* in Angelis primùm agnoſcitur, quæ peccandi poteſtatem non ligaret, ex Bern.L.4.c.11.num.10. Sic viribus liberi arbitrii divinitus adjuti ſteterunt boni Angeli, ſtare potuerunt mali, ut qui creati eſſent beati, ut ſupra. L.8. c. 2. num. 5. Quippe *ea prædeſtinatio* meritorum ſeu operum fuerit cum annexo tamen connaturali *auxilio ſine quo non*, num.1. *& ſeqq.* C.3. num. 1. Et idcirco *præſcientiæ* ſæpiùs nomine deſignatur ab Auguſtino. C. 4. num. 1. Ita non gratiæ divinæ, ſed voluntati creatæ imputanda eſt diſcretio Angelorum electorum à reprobis. C.2. num.13. C. 3. num. 2. Quàm id non Scripturis tantùm, ſed & rationi congruat. C. 2. num. 4. 10. 11. C. 3. num.4. 5. Objectiones ex ipſis Fulgent. & Auguſt. & ex Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. ſolvuntur. num.3. *& ſeqq.*

Præfiniri tamen potuit numerus electorum Angelorum, nempe ſupplendo numerum cadentium ex aliis creandis, vel ex hominibus formandis aut reformatis, ex Auguſtino. L.8.c.7. num.5.8. Ex Greg. Magn. c.8. num.13. Paulò aliter ex Anſelmo. num. 16. Liquet aliunde Angelos ante præſcita peccata nec poſitivè nec negativè reprobari potuiſſe, poſt ea prævisa tam poſitivè quàm negativè reprobatos, & quidem 12. ferè corollariis ad homines ex æquo traductis. C.19.num.1. *& ſeqq.* uſque ad 10. Quàm horrendum etiam dicere eos ad primum peccatum indeclinabilibus decretis prædeſtinatos & præmotos fuiſſe. L.7.c.5. num.2. 3. *& ſeqq.* C.9. num. 3. Nihil tale olim diutiſſimè agitatum eſt, ſed tantùm cur liberi peccabiles, imò peccaturi creati, prævisi aut permiſſi ſint? C. 10. num.2. *& ſeqq.* C.19. nu.2. 9. L.10.c.79. V. *Libertas, Peccatum.*

Liquet præterea aliam fuiſſe Angelorum libertatem, quàm noſtram, utpote ad ſingulos & univerſos actus. L. 10. c. 74. Adeoque & aliud genus meriti. C. 75. Item ex eodem primo Angelorum ſtatu & lapſu delectationem juſtitiæ non eſſe ſemper victricem. Cc. 31. & 33. necnon c. 55. §. *Quin*. Tandem ipſis nunc beatis Angelis aliorum lapſum ad humiliorem adeoque ſolidiorem ſtatum proficere, ex Gregorio Magno. Cap.42. §. 1.

Supra duos Angelorum vel animarum ordines, creati ſunt ſummi, qui prævisi ſunt non peccaturi, ut orbis adminiſtratio illis mandaretur, & qui tametſi deficerent, de pulcritudine orbis nihil deficeret. L.2.c. 12. num. 2. 3. *& paſſim ſeqq.* L.3.c.25.num.14. L.7.c.15. num.6. *& ſeqq.* C.19.num.9. Ad quid tanta inter Angelos nominum, ordinum, dignitatumque diſcrepantia, per ipſos Eccleſiæ & Synagogæ ordines adumbrata, ex Hieron. L. 6. c. 15. nu.3. Per novem drachmas Euangelii novem Angelorum Ordines, per decimam genus humanum, ex Greg. Mag. L.8.c.8.n.13.

Quatenus Angeli ad homines divini Interpretes ſint ſilentii? ex Dionyſio. L.2. c.11. n.6. Attamen nec ipſis comprehenſibilis eſt Deus, nec ipſi nobis. L.4. c.8. num. 13. 15. C.9. num.1. 2. C.10. num. 5. Imo ipſis videndis impares ſunt homines vel maximi. L. 6. c. 20. num. 1. 2. Quo ſenſu nec ipſi Deum vident, ſed ſolus Filius? C. 19. num.3. 8. 9. *& paſſim* Num. & Cc. *ſeqq.* Quàm multa tandem per Chriſtum & Eccleſiam didicerint. C.19.n.5.

Quomodo Deus alloquatur Angelos? L. 3. c. 8. num. 1. *& ſeqq.* Illi reſpondent, cùm admirantur & amant, nu. 4. Ipſa collocutio & concertatio Angelorum inter ſe apud Danielem, ex Greg. Mag. ibid. Ex Chryſoſtomo. C. 9. num. 12. Angelorum miniſteria in animabus alloquendis per diverſi generis ſymbola. C.8.num.8. *& ſeqq.* Novem peculiares modi. num.12. Etſi per Angelos, ſolus tamen propriè loquitur Deus, idcirco & Angelus quandoque nominatus. C.9.n.1.7. §. *Quibus*. Scilicet illi non lucem, ſed facem præferunt, vel obices amoliuntur. n.9.10.

Aliqua mala pœnæ nequaquam per bonos Angelos aut homines, ſed per malos infligenda. L. 2. c. 12. num.10. 11. Boni tamen Dei mandata ad malos deferunt. L.3. c. 12. num.2. Et deinceps Thronum Dei cuſtodiunt, ſicut & Paradiſum contra homines, ex Bern. & c. num. 5. 6. Talis autem eſt aula ſummi Imperatoris Dei, ut poteſtates omnes Angelis bonis & malis diſpenſet. L.7. c.11. num. num.6.9. Vel hinc diſce ſolis occaſionibus per eos oblatis inclinari quocumque voluerit Deus, corda hominum, quorum Angeli ſecreta non penetrant. C.20. nu.4. L.10. C.64. 65.

Quomodo tandem charitate adunentur omnes & Angeli boni & animæ piæ, quo nihil felicius? L.3.c.23. num.3. 8. Imò ipſa Dei vita, ibid. & expreſſiùs. C.25.n.3. *& paſſim ſeqq.* Quippe Dei vita primùm ab Angelis uſque ad viliſſima animaſcula. n. 10.

Anima, & animæ facultates.

Cur anima ψυχὴ dicta apud Græcos? L. 3. c.13. n. 3. C. 14. nu.10. De priori animarum inter ſydera ſtatu cum clara Dei viſione, prolixior elucidatur Platonis textus, unde reli-

reliqui sua placita prompserunt. L. 6. c. 1. num. 1. 2. *& seqq.* Quod autem hinc animas corporibus illigatas dixerit, conciliari poterit, distinguendo leve ipsarum corpus sive in cœlo sive in paradiso, à corpore crassiori post lapsum. num. 6. 7. 8. C. 3. num. 4. *& seqq.* Jam quòd supersint reliquiæ visionis prædictæ, censet Plotinus non totam animam descendisse, sed ejus apicem adhuc esse in intelligibili. C. 1. num. 9. Inde reliqua ejus doctrinæ consectaria. Nu. *seqq.* Illa saltem animæ portio, quæ corporei organi est expers, liberè versatur & spatiatur in intelligibili mundo. C. 2. num. 6. 9. Cæteroquin periculosissimum fuisset eam in sensibilia demergere, nullo ab intelligibilibus retinaculo suspensam. nu. 8. Præscientiam futurorum conditionatorum respuit etiam Augustinus in explicanda origine animæ, L. 7. c. 23. n. 6. Refelluntur pariter Origenis deliria de præexistentia animarum, & earum tunc meritis, L. 8. c. 7. n. 3.

Ex priori illo beatæ contemplationis statu animas in corpora ultro, vel in pœnam diversimodè delapsas esse, & illius per Philosophiam reminisci, credidit Plato & sequaces. L. 1. c. 1. num. 1. *& seqq.* L. 6. c. 1. *ferè toto.* Hinc summa animæ cum Deo seu veritate æterna cognatio, ex Philosophis. L. 1. c. 2. num. 3. 4. L. 6. c. 2. *integro.* C. 8. num. 1. *& seqq. & passim alibi.* Hinc etiam in anima est aliquid mente superius, nempe unum quod est mentis apex, ipsum bonum appetens, & unum quod est in Deo sentiens potiùs quàm intelligens, ibid. Imò cognitio non tam intellectui quàm substantiæ animæ per contactum inest, & ipsum est esse animæ. L. 1. c. 2. num. 5. *& seqq.* Et hæc ex Philosophis simul & Patribus cum multiplici ratione. C. 19. *integro.* L. 5. c. 2. num. 5. L. 6. c. 5. num. 7. 13. Superiora omnia per præexistentiam animarum in primo tantùm Parente explanantur à Patribus. L. 1. c. 2. num. ult. C. 3. num. 1. 2. 3. C. 12. num. 3. C. 26. num. 1. Imò per actualem Dei præsentiam omni animæ quasi inessentiatam, ex Nysseno. C. 8. num. 1. Deinceps ferè eadem ex aliis, usque ad Mars. Fic. nu. 6. Item per corollaria. C. 20. & L. 7. præsertim c. 7.

Hinc etiam innata animæ sui ipsius cognitio, ex quatuor potissimum authoribus. L. 1. c. 9. *& seqq.* Primò, ut præ cæteris se, & per seipsam cætera cognoscat, ex Tullio num. 2. Ex Tertull. C. 11. num. 1. Imò dum superior sui pars adhuc æternis rationibus connectitur, inferior cætera temporalia administret, ex Plotino. C. 10. num. 1. 2. 3. L. 3. c. 13. num. 8. *& seqq.* Ex ipso Platone, L. 5. c. 2. num. 4. Ex utroque. L. 6. c. 1. num. 9. *& seqq.* Accuratiùs ex Augustino. L. 1. c. 12. num. 1. 2. C. 26. num. 3. *& seqq.* L. 3. c. 15. *ferè integro.* C. 18. n. 16. L. 6. c. 10. num. 5. *& seqq.* Deinde ut longè aliud se cognoscat à cæteris præsertim corporeis, sive atomis, sive elementorum temperamentis aliunde intrusis. L. 1. c. 9. num. 3. Nempe vim divinam cogitandi, etsi non semper cogitet, ex Tullio, ibid. Imò semper sibi vacet, etiam dum quiescit, etsi non advertat, ex Plotino. C. 10. num. 4. 5. 6. Etiam in parvulis & amentibus. L. 6. c. 1. num. 16. At hæc omnia adhuc accuratiùs ex August. L. 1. c. 12. num. 4. *& seqq.* Varia discrimina inter ea quæ per seipsam aut per sensus novit. nu. 5. 6. Ex eodem & aliis Patribus. C. 13. Idque in ipsis parvulorum animis seipsos noscentibus, etsi non cogitent. nu. 4. Ipsam tamen cogitationem non esse nisi animam, jam olim censuit Claudianus Mamertus. num. 5. §. *Omnium.* Quòd autem aliter ipsa sentiat, non est ipsa animæ natura, sed pœna peccati in ipsis parvulis. C. 14. n. 8. 9. C. 17. n. 3. L. 6. c. 9. n. 1. 5. 6. V. *Peccata, &c.*

Hinc præterea innata animæ suæ immortalitatis præsumptio innumeris præjudiciis roborata, ex Tullio. L. 1. c. 9. num. 4. Ex Tertulliano. C. 11. num. 4. *& seqq.* Ex Platone. L. 3. c. 13. num. 6. L. 4. c. 12. num. 11. Ratio multiplex, cur nihilosecius plerique naturali animæ & immortalitatis notitiæ reluctentur, ex Tullio. L. 1. c. 9. num. 5. Ex Plotino. C. 10. num. 6. Ex Augustino & aliis Patribus. C. 12. num. 4. *& seqq.* C. 13. *integro.* L. 3. c. 6. nu. 12. C. 25. num. 15. L. 4. c. 3. num. 7. Quænam autem sit illa immortalitas vel mortalitas animæ? L. 3. c. 25. num. 8. C. 26. num. 18. L. 5. c. 10. num. 4. *& seqq.* Et quomodo rursus immortalitatem ex cognatione cum æternitate mens quælibet naturaliter auguretur? C. 12. num. 1. Imò & expressiùs aliis imitetur. C. 15. n. 4. *& seqq.* Ab æternitate maximè virtutum, animarum immortalitas. nu. 8. 9. 10. Ac demum ex prima cognatione cum Verbo. L. 6. c. 2. n. 5. 7.

Ex his omnibus concluditur, cum corpus animæ maritavit Deus, duplici dote eam insigniisse, conscientia sui conditoris, ac sui ipsius. L. 1. c. 11. num. 3. Et ad Dei cognitionem per animam primùm, deinde per alia enitendum. C. 13. num. 9. Ex utraque dote pariter concluditur multa sine sensu intelligi. C. 14. num. 1. 2. Et quidem certiùs & evidentiùs, C. 15. Præsertim de Deo & anima ipsa. C. 16. Et ex anima potiùs quàm ex orbe toto. C. 17. Quomodo anima scala sibi sit, non ut descendat, sed ut ascendat. n. 2. & L. 6. c. 8. Item C. 10. n. 2. *& seqq.* Quomodo etiam scriptura Dei. L. 1. c. 17. nu. 7. Simul & veritatis soror. L. 5. c. 12. n. 1. Et priùs imago seu speculum vestigiis seu umbris præpollens. L. 1. c. 3. n. 2. 4. C. 13. n. 9. C. 15. nu. 9. C. 17. nu. 1. Item L. 3. c. 7. *ferè toto.* V. etiam *Dei Imago.*

Cur post peccatum peregrinata anima faciliùs jam ex orbe corporeo, quàm ex seipsa Deum intelligat? ex Tertull. L. 1. c. 21. num. 1. Quàm indecorum porro animæ corpora mirari, nisi summam mentem in apice adverteret. nu. 6. 7. Pulcritudo verò, consonantia, & similia, dotes animæ sunt & mentis, quæ has vel corporibus indit, vel admiratur. num. 7. Inde plerique errores, quòd nusquam satis animæ rationalis à corpore discrepantia intelligatur. n. 8. C. 22. num. 12. & L. 4. num. 2. c. 2. Per scientiarum ac virtutum principia sibi obversantia animæ seu mentis natura avida est sapientiæ ac veritatis, non ipsa sapientia aut veritas. L. 1. c. 23. num. 6. 7. 11. C. 24. num. 6. 7. 8. 9. C. 26. num. 2. *& seqq.* L. 3. c. 11. num. 3. Et hæc vita ejus est. C. 25. *ferè toto.* Atque adeo mors quædam animæ privari veritate. C. 25. num. 8. C. 26. num. 18. Mentis à ratione, ut sapientiæ à prudentia distinctio. L. 3. c. 18. num. 13. Utriusque conjugium instar Adæ & Evæ, ex August. N. 16. Addit sensum per serpentem figuratum. L. 6. c. 10. num. 5. *& seqq.* At mentis verus conjux Deus, maritali privilegio peritissimos ejus sinus iniens, nulli creaturæ pervios. L. 3. c. 8. num. 7. Expressiùs. L. 5. c. 5. num. 6. C. 10. num. 12. L. 6. c. 5. num. 12. A fortiori & cordium. L. 7. c. 3. num. 4. 5. Quomodo Deus infidelem animam cogat ad se ut ad solum verum sponsum reverti, ex Osee & Gregor. Mag. L. 10. c. 1. §. *Sed, & seqq.*

Dei ad animas allocutio, L. 3. c. 8. num. 6. Animarum ad Deum verba reciproca, ibid. Solus Deus potest intimè eas alloqui. num. 7. L. 5. c. 5. num. 6. Utitur tamen quandoque vel Angelis, vel corporibus mediis, aut duplicis generis symbolis per Angelos fabricatis, juxta Philonem & Bernardum. L. 3. c. 8. num. 8. *& seqq.* Novem modi, quibus animas Angeli alloquuntur. num. 12. Et per eos Deus propriè. C. 9. num. 1. Imò semper per creaturam corpoream quasi permanentem. num. 2. Maximè tamen per homines licèt ex se mendaces Veritas tripliciter corporata. num. 3. *& seqq.* Et quidem cum ideis animæ & materiæ variè impressis. C. 11. num. 5. *& seqq.* Quomodo per idearum contemplationem acquirat tandem anima entitatem simplicissimam. L. 3. c. 18. num. 15. 18. 19. Et ipsam pulcritudinem divinam ex mente in corpora diffundat. C. 20. & 21. Simulque per eam animæ & Angeli in Deo amore recolligantur. C. 23. nu. 1. 3. Similiter vita à Deo in Angelos & animas multipliciter expurgandas effluit. n. 8. Et expressiùs. C. 25. n. 3. *& seqq.* Ita ut non alio distent animæ rationales ab Angelis, quàm corporibus. n. 15. At sine animabus nihil absurdius aut inutilius tota mole corporum. C. 26. n. 14.

Cur ipsæ animæ corporibus inclusæ, juxta Platonicos. L. 3. num. 2. 6. Sic illæ alternant inter summa & infima. num. 10. L. 2. c. 10. num. 9. 11. L. 4. c. 12. num. 2. L. 6. c. 2. num. 2. Juxta Patres. C. 8. num. 5. *& seqq.* C. 10. num. 5. *& seqq.* Mentes tamen ipsas suo in corpora lapsu dementes fieri, alimenti augmentique corporei & cupiditatum torrente absorberi, nec sine exercitatione plurima resurgere, Plato ipse docuit. C. 1. num. 16. §. *Verum*, & C. 2. num. 1. 11. Ob illos & plures obices, nonnisi rapida in illis agnoscunt Patres veritatis coruscamina. C. 12. num. 1. Tametsi visionem, ut suprà, animabus connaturalem, nec tamen sine gratiæ beneficio, pluribus probaverunt Philosophi. C. 2. *ferè toto.* At longè copiosiorem, postquam animæ terrena hæc corpora abdicarint. C. 3. nu. 1. *& seqq.* Non autem leviora illa, de quibus suprà, & quibus nihil prorsus retardari eas à contemplatione divina existimabant. num. 4. *& seqq.* Imò nequidem nostris jam corporibus etiam in utero materno, si non esset peccatum, multi ex Patribus. C. 9. num. 15. Specialiter id probabant Philosophi de anima, quæ cœlos rotat & sydera. C. 3. num. 8. *& seqq.* Et antea de omni anima, cujus natura est, non pœna, non tantùm vivere, sed & vivificare. num. 4. 6. 11. Non aliter autem animam esse in corpore, quàm ut amasiam à suo amatore detentam, probat Nyssenus. L. 5. c. 4. num. 13. in fine. Imò eam corporis vinculis absolutam, adhuc adesse omnibus ejus cineribus & minutiis, donec eas in resurrectione recolligat. C. 5. num. 7. Inde forsan gravari nonnihil animas licèt jam beatas ex desiderio corporis sui, usque ad resurrectionem, censent August. & Bernard. C. 18. num. 9. Quomodo tandem non solùm Angelica, sed & humana mens, ante vel post resurrectionem, res noscat

cor-

corporeas, incorporea cùm ſit? Num. 1. L. 7. c. 1. num. 10.

Nullatenus anima poteſt eſſe corpus, quia indiviſibilis. L. 4. c. 2. num. 2. *& ſeqq.* Undenam tam prona ſit ad corpoream formam ſibi affingendam, ex Greg. Mag. num. 7. Ipſum ejus dubitare ſeu intelligere non poteſt eſſe corporeum. num. 10. Ex his liquet nec ſui animam poſſe cognitionem accuratiſſimam aſſequi, quantò minùs Dei, C. 9. num. 12. C. 10. num. 5. Ne quidem per attributa ſpiritalia, quæ ſunt affectiones ipſius animæ, licèt corporeis omnibus ſuperiores, C. 11. num. 6. 15. C. 12. n. 13.

Incorporeæ naturæ, ſive mentes, ſive animæ, Platonicis videbantur eſſe & omnes in omnibus, & ſingulæ in ſingulis, ac demum omnes ubique totæ. L. 5. c. 1. num. 4. C. 2. num. 1. 2. 5. Ita etiam ſanctis Patribus. C. 5. num. 3. *& ſeqq.* Non tamen quoad omnia. num. 7. L. 6. c. 2. nu. 4. In anima præſertim obſervabantur ab illis divinæ immenſitatis complura imitamenta, ſaltem ſimulata. L. 5. c. 2. num. 3. 7. In primis quod in ſenſibili verſetur mundo, nec tamen ab intelligibili diſcedat. num. 4. Nec à Deo præſenti. num. 5. Adeoque & illa ubique & immenſa, ibid. Sed maximè cùm abducens ſe à particularium bonorum amore, in charitatem ſummi & univerſalis boni demergitur. num. 6. Ac tandem perfectiùs cùm à corpore abſoluta. num. 8. Eadem ferè omnia juxta Patres. C. 3. num. 2. 3. 4.

In anima multò expreſſiora ſunt divinæ immutabilitatis veſtigia, quàm in corpore, ex Philoſophis. L. 5. c. 7. nu. 4. 7. Ipſa corporis incorruptio, ſtatus, ſanitas ab anima, ibid. Maximè poſt reſurrectionem ex juribus quaſi connubialibus. C. 10. num. 17. Etiam dum ſentit, & pati videtur anima per corpus, magis agit quàm patitur immutabilitatis ſuæ tenax. C. 4. num. 8. Ne ab affectibus quidem ſeu perturbationibus patitur. num. 9. Nec à propriis vitiis corrumpitur, nedum à corporeis. num. 10. Immutabilium & inviſibilium naturæ cognatam ſe ſentit. num. 11. Præſertim numerorum ex ſe immutabilium, eſſentialiter ipſa numerus ſeu ratio. num. 12. In mente ſupra animam lumina immutabilitatis ſplendidiora. num. 13. Maximè quoad operationes, num. 14. & ſupra omnes Dei contemplatio. num. 17. C. 10. num. 5. 6. 8. *& ſeqq.* C. 15. n. 13.

Natales temporis ex defluxa animarum à ſummi boni contemplatione ad amorem & gubernationem rerum naturalium, juxta Platonicos. L. 5. c. 11. num. 9. Ideo nec putant defore unquam tempus, quia nec animam ſe totam in ſummi boni contemplationem recollecturam. num. 11. Animam mundi intelligunt, *utrobique*. Hinc temporis definitio ex motionibus potiùs animæ, quàm corporis. nu. 8. 10. C. 14. nu. 2. 3. 21. Ævum etiam animæ proprium emergentis ſupra temporalia. nu. 13. v. etiam *Æternitas*, *Beatitudo*, *Dei viſio*.

Animantia.

Quæ veritatem nunquam viderint, animas nunquam in corpora humana deſcendere, ſed aliorum fortè animantium, opinabantur Philoſophi. L. 1. c. 1. num. 1. 2. Imò de his non deſperandum, quin divinum numen internoſcant & venerentur, num. 4. 5. Vel ex minutioribus animalculis, quanta ſit ſummi artificis induſtria. C. 21. nu. 1. 7. Et pulcritudo. L. 3. c. 21. Imò ipſa vita divina, ex Dion. C. 25. n. 10. Et ex hac innumeræ exiliunt in mundo etiam corporeo animantes, ex Mario Victor. & quotidianis experimentis. C. 26. nu. 14.

Amore animantium pugna contra dolorem, ex Auguſtino. L. 2. c. 6. num. 6. In his pugnis, ipſiſque cædibus animantium, fruſtra ſunt qui nonniſi mala ſibi fingunt. C. 11. num. 13. Animantium etiam viliſſimorum, quantò magis rationalium motiones, purè corporeis vel cœleſtibus anteſtant, & à Deo curantur. L. 7. c. 2. num. 3. *& ſeqq.* Imò vel ipſa animalia venenata multipliciter ſalubria ſunt. L. 10. c. 14. §. *Ambroſius*.

Quomodo cum animalibus miſceantur colloquia, putà Angeli per os aſinæ? L. 3. c. 8. num. 12. Dei ipſius ad cetum &c. C. 10. num. 9. Modus quo homo feras animantes domat, ſapientia & ratione magis quàm poteſtate; item blanditiarum ac flagellorum diſpenſatione, L. 10. c. 62.

Annales Eccleſiaſtici.

Hæreticorum hiſtoriæ legendæ conſuluntur in Annalibus Eccleſiaſticis, ſive Baronii, ſive Rainaldi, L. 4. c. 1. n. 6. 7.

Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus.

Paulò ante duodecimum ſæculum multa coacervavit ac temperavit Theologiæ præſertim Auguſtinianæ argumenta, imprimis de Veritate, L. 1. c. 24. num. 9. Item pluribus libello integro contra inſipientem ſeu Atheum, C. 8. num. 4. Antiquorum preſſiùs legit veſtigia in collatione Dei cum naturis mutabilibus. L. 3. c. 4. nu. 12. Luculentam etiam verſat quæſtionem, eamque duplicem, quomodo Deus ſit ante & ultra omnia, L. 7. c. 17. n. 12. 13. 14. C. 18. nu. 6.

Facem ipſe aliis præfert ad ſummum ſimplicitatis divinæ culmen gradatim & ænigmaticè tandem cum Paulo attingendum. L. 4. c. 5. n. 11. C. 6. n. 1. 2. 3. Summa hujus doctrinæ, ex eodem. C. 12. nu. 16. Invexit etiam in Scholam diſtinctionem perfectionum ſimpliciter ſimplicium ab aliis, nu. 12.

Quin & cùm tunc jacerentur fundamenta Theologiæ Scholaſticæ, cœpit ipſe diſtinguere ſubſtantiam ab eſſentia, & actionem peccaminoſam eſſentiis annumerare. L. 7. c. 8. num. 1. 2. Malum nihilominus *in ſola* privatione locabat. num. 3. 5. Nec malas, ſeu voluntates, ſeu actiones, à Deo fieri ſtatuebat niſi permittente. nu. 4. *& paſſim ſeqq.* In his & aliis non ultimus ille concordiæ ab Auguſtino præformatæ ſequax diſcipulus, num. 8. *& ſeqq.* C. 21. num. ult. Jamdiu viderat concordiam ſanctorum Patrum de Spiritus ſancti proceſſione tanquam unicam conciliandæ utriuſque Eccleſiæ rationem. L. 9. c. 6. num. 5.

Ipſam aggreditur prædeſtinationem. L. 8. c. 8. num. 16. Nullam propriè, ſicut nec præſcientiam, in Deo agnoſcit, ut faciliùs cum libertate, & libertatis indifferentiam cum gratia conciliet, in aureolo libello hac de re edito. C. 12. num. 5. L. 10. c. 57. Item C. 78. circa finem. C. 85. §. 1. *& ſeqq.* Anſelmi lambit veſtigia Honorius Auguſtod. cujus alius libellus ei aliquandiu tributus eſt §§. *ſeqq.*

Antonius. V. Athanaſius, Monachi, &c.

Anthropomorphitæ, Audiani.

Melito Sardicenſis, Tertullianus, Audius, Ægyptii Monachi, & ſimiles olim ſuſpecti de opinatione Dei corporei. L. 4. c. 1. num. 2. 3. Plerique præ ſimplicitate excuſantur à Patribus ad exemplum noſtrum, ibid. & num. *ſeqq.* Ideo ob id minimè hæretici & ſchiſmatici. Secus Manichæi ob idem ab Auguſtino ipſo & aliis confutati. C. 3. num. 3. *& ſeqq.* C. 12. num. 1. §. 3. L. 5. c. 4. num. 17. 18. C. 5. num. 9. Adde longe antea Stoicos, & non alios, de quibus ibid. Acutiores ſibi viſi poſtea Græculi Palamitæ in fingenda luce corporea à Deo diſtincta, quæ tamen eſſet Deus ipſe. L. 4. c. 1. num. 6. 7. Ut ſolvantur Anthropomorphitarum objectiones. C. 3. n. 15. 16. Item illorum qui volebant Deum oculis corporeis videri. L. 6. c. 14. n. 9. *& ſeqq.*

Apologiſtæ noſtri.

Quotquot ferè pro Chriſtiana Religione apologias texuerunt, conſentiunt in omnium etiam Gentilium conſenſionem pro unitate Dei. L. 1. c. 21. num. 1. 2. 3. Expreſſiùs, L. 2. c. 1. n. 1. 2. *& ſeqq.*

Apoſtoli, Apoſtolica vita.

Ipſius Apoſtolicæ vitæ idea nobis inſita, nos in alicujus dicti aut facti Apoſtolici amorem rapit. L. 1. c. 5. num. 3. Expreſſiùs. L. 3. c. 15. num. 6. Diſcrimen electionis Judæ ab aliis Apoſtolis. L. 10. c. 64. §. *Alibi*. Cur alii Apoſtoli ſolo verbo vocati ſunt, Paulus pœna etiam corporis? ex Auguſtino. C. 9. §. *Externa*, *& ſeqq.* C. 10. §. 1. Cur illis poſt prædicationem pedes à Chriſto loti? C. 13. §. *Gregorius*. Quomodo tres à Chriſto aſſumpti una hora vigilare non poterant, ex Hieron. C. 49. §. *Exemplis*. A carnali Chriſti amore ad ſpiritalem, eumque multiplicem, gradatim per myſteria ducti ſunt, ex Auguſt. Greg. & Bern. C. 6. 7. Non ergo ita repentè ante & poſt Pentecoſten converſi & mutati, ex iiſdem & Hieron. contra Julianum Aug. C. 89. *ferè toto*.

A Chriſto in Apoſtolos Spiritus vitæ ad apertionem novi Teſtamenti & introducendas omnes Gentes, ex Iren. L. 9. c. 7. num. 7. §. *Eandem*. Ex Euſeb. C. 9. num. 4. Cur prohibiti ſint aliquando certas urbes adire? &c. C. 17. num. 8. §. *Eidem*. Ipſum Verbum & Spiritus ſanctus Apoſtolis licèt diſſitis ſubſtantialiter inſidebat. L. 5. c. 3. num. 5. 6. Quoniam multa ſigna faciebant, ipſos continuè flagellari & ægrotare permiſit Deus, ex Chryſoſt. C. 10. num. 2. Ipſos Apoſtolos & in eis alios ipſo timore armaverat & animabat Chriſtus ad martyrium, ex Auguſtino. L. 10. c. 27. §. *Video*, &c. C. 29. §. *In id.* Ipſique Apoſtoli hocce timore ſuſtentabantur in officio, ex Paulo. C. 28. §. *Gregorius*. Inter gloriæ varios gradus ipſam Chriſti ſedem Apoſtolis vendicat Hilarius. L. 6. c. 15. num. 2. De doctrina gratiæ ab Apoſtolis relicta, V. *in Dei prædeſtinatione*, *Gratia*, *Paulo*, *&c.*

Aqua, Arbores, &c.

Arbor flores fructusque licèt jam arbores quasdam, ad unitatem suam trahens, symbolum unitatis in Trinitate ex Athanasio. L.2.c.4.n.5.6. Similiter *Aqua* fontis & fluminis, ex Epiphanio. n 7. & juxta Nazianz. n.8.

Ariani, cum aliis sequacibus Aetianis, Anomæis, &c.

An Arianis præluserit Plato? L.2.c.5.n.7.9.10.12. Platonicorum saltem verbis abutebantur Ariani. C.9.n.7.8. L.3. c. 12. nu. 10. Nec ante Arianorum furores latebat Patres Verbi æqualitas. L.9.c.2.nu.7. An Ariani omnes Monarchiam Deitatis tripartitam facerent, tresque seorsum Deos statuerent ex totidem hypostasibus divinis, contra quos Athanasius? L.2.c.4. num.5.6. Vel id exprobrarent Catholicis? ex Epiph. num.7. Expressiùs ex Gregor. Nazianz. num. 8. Inter illos præcipuus Eunomius a Nysseno insectatus. C.9.nu.8.C.11.nu.5.L.3.c.4.nu.7. Et hi omnes malè interpretabantur visionem Dei in rubo, primumque nomen *esse*. n.4. 7. 8.

Agnoscendo solas improprias de Deo locutiones vel superlationes respectu nostri, pleræque Arianorum elidebantur machinæ, ex Epiph. L.4.c.7. n.6. A fortiori impia & insana Aetianorum seu Anomæorum jactantia, de ipsa Dei potiùs quàm sui ipsius comprehensione. nu. 7. Ita & Eunomius novorum portentorum author, omnia idcirco Dei attributa in *ingenito* confundens, quo sibi comprehendere videretur. C.8.num.2. Contra hunc Basilius cum asseclis Nazianz. & Nyss. ibid. & num. *seqq.* Item prolixissimè Chrysost. in libris de incomprehensibili Dei natura. num. 11. *& seqq. usque in fin.* Necnon Cyrillus Hierosol. C.9.n.1. Et passim alii Patres. num. *seqq. ac toto ferè* cap. 10. Græci Præsertim contra omnes illos Arianos veritatis fuere vindices. L.5.c.4.n.1. C.13. n. 1.2. *& passim seqq.* L.6.c.19.n.4.9. C.20.n.6.8.10. C.21.n. 1. 2.14. Vide L.9.c.11.nu.2.

Aritmetica, Astronomia.

Multa de utraque scientia ad cognoscendum Deum, ex Patribus. L.1. C.23.24. Ex Philosophis. C.25. Et ad immortalitatem animæ, ex utrisque. C.26. Ambæ ad hæc divino lumine illustrandæ. L.3. c.5. n.13. *& seqq.* V. etiam *Mathematica, Numeri, &c.*

Aristoteles Philosophus.

Ejus cum Platone dissensionis capita, imprimis de Ideis. L.3.c.12. nu.5. 8. 10. Utrumque visus est Boethius conciliare, rationi universalia, & intelligentiæ divinum quid superiùs ascribens. C.16.num.7. Purgatur etiam Aristoteles de circumscriptione Dei in quinto elemento. L. 5. c.5.n.9. Et licèt plus æquo sensibus mentem subjugaverit, brevia tamen & dilucida momenta non denegavit, ex Contareno. L.6.c.1.n.15. In ejus schola tyrocinium posuere Doctores celeberrimi à quingentis circiter annis, Præfat. n.10.

Arnobius orator Christianus.

Eleganter ad gentes varia de Christo hominum Salvatore flagitantes, eodem prorsus modo respondet, quo postea Augustinus, L.9. c.19. n.3.

Artis, Artifices.

Artis quælibet opera deficere nonnisi per artem incommutabilem conspicimus, ex Augustino. L.1. c.23. num.8. Hinc artifices summam intus consulant veritatis pulcritudinem necesse est. L.3.c.6. n.9. *& seqq.* C.15. nu.7. C.16. num.4. & passim seqq. Item luculentissimè toto ferè C.21. Opificem & opificium plenè nosse, non opificii est, sed opificis. L.4. c. 9. num.12. In opificiis artis humanæ nihil opificio & opifici commune, quanto minùs in divinis? C.12.num.5. Cur artes omnes homini possibiles quisque non assequatur? ex Hieron. L.10.c.49. §. *Profiliet.*

Astra. V. Sydera.

Athanasius Alexandrinus Episcopus.

Græcorum omnium instar est in confirmanda animæ notitia sui, contra Gentes. L.1.c.13. num.8.9. Personarum divinarum Trinitatem per unitatis amplitudinem & opulentiam, non imminutionem, mirè explicat, contra eos qui monarchiam Trinitatis tripartitam faciebant. C. 4.num.5.6. Etsi eo nihil cautius, non temperavit tamen à Platonis verbis in Eusebio suspectis, & in Eunomio reprehensis. C.9.n.7.8.9. Luculentè edisserit, ut sapientia ab initio creata sit. L.3.c.18.num.10. Et nihilominus cum Origene & Alexandro Alexandrinis, ut ipsa ex proprio censu sit immutabilis. L.5.c.8.n.5.

Ad quæstionem de opere Dei ante mundum duriùs respondet, quàm Augustinus. L.5. c. 14. num. 7. Temperatè verò ad pietatem populi cum Irenæo & ipso postea Augustino de victrice Dei voluntate contra diabolum. L. 7. c.22.num.4. Ad concordiam cum Augustino & aliis Patribus quoad ipsa divina auxilia revocatur à Fulg. L. 9. c.5.n.5. Et semper legendus consulitur ab Hieron. nu.10.

Et sanè præiverat in describenda tum primi hominis gratia, tum nostra nunc prædestinatione gratuita per potentiorem & prorsus invictam Verbi incommutabilis gratiam, ad hoc per Arianam vesaniam de mutabili Verbo adactus. C.11. n.1.2. Et ante ipsum Antonius Monachorum magister, cujus ipse scripsit vitam. C.15.nu.5. Athanasii exemplo Græcos Latinosque pro *hypostasibus* conciliantis, usus est Maximus Martyr in processione Spiritus sancti. C.6. nu.4.10.

Athei.

Ii si qui sint paucissimi, portentorum, non hominum instar habendi, scilicet sine præcipua animæ dote nati, ex ipsis Philosophis. L.1.c.1.n.4.5. Imò non nati, sed vitiis corrupti & insipientes facti, verbo tenus in corde, ne quidem intellectu aut lingua, plus publicam quàm suam reformidantes conscientiam, falli voluerunt, non potuerunt, vel non tam Deum quam Deos inficiati, ex Scriptura & Patribus. C.4.nu.1.2.7.9. Tales imprimis Diagoras & Theodorus, ibid. Rursus ex Anselmo in Proslogio & libello integro contra insipientem seu Atheum. C.8.nu.4. Ita ut sint illi omnes inexcusabiles. C.21.num.4. Quin & semetipsos destruentes, sublato eo qui verè est, & in quo omnia. L.3.c.4. n.9.

Cur aliunde Pagani Christianos ut Atheos prosecuti? L. 2. c.1.n.2. V. *Christiani.*

Atomi.

Animus non est atomorum aut similium congeries. L. 1. c.9.n.3.C.12.nu.5. *& seqq.* L.4.c.3.nu.2. Nec a tomorum fortuitus concursus mundum componere aut perpetuare potuit. L.1.c.1.n.4.

Attributum, V. Dei attributa.

Augustinus Hipponensis Episcopus.

De seipso in cunis reptante quomodo & ad quid authorem Deum alloquatur? L.3.c.3.n.11.C.26.n.1. 16. Unde inter infantiæ nativas propensiones falli nolebat? C.5. n.3. 8. Ne quidem in rebus ludicris, viro Theologo longè magis indignis, num. 5. De sua infantia jam mortua. L. 5. c.13. n.4.

Quid de liberalibus omnibus artibus, fervente adhuc juventa sine magistro intellectis, sed non sine divino lumine, quod non intelligebat. L.3.c.5.n.13. circa fin. Quid deinceps de eo jam percepto ad improbandas Astrologiæ fallacias, & ad meliora intelligenda? n. 14.

In ipso juventæ lumine, in Occidente à Manichæis corruptus, dum illi jam in Oriente silerent. L.2.c.11.n.4. Tantò fortiùs postea illos confudit. num.16. L.3. c.3. nu.11. 13. L.5.c.4. n.17.18. Quantis tunc suis & suorum cupiditatibus Carthagine Romam & Mediolanum ad portum Ambrosii devectus sit, quas deinceps summus jam Theologus in arte Dei omnipotentissima magnificit, dum vix advertunt alii. L.7.c.19.n.4. *& seqq.* Idcirco Ambrosium meliori titulo, quam alios Patres, in Præceptorem agnoscit. L.9.c.4.n.1. 10. & L.10.c.90.

Miri jam sunt & ineffabiles modi divinæ miserationis & prudentiæ, quos ipse expertus loquitur. L. 3. c. 3. 14. L. 10. c. 21. Inter illos, amaritudines voluptatibus suis admistas præmittit. C. 12. Nec omittit partes timoris in seipso. C.27. Hinc conversio ipsa Augustini inter lentiores rejecta à Raynerio, C. 90. §. 1. Et prima quidem ab hæresi & improbitate ad fidem & pietatem multiplici auxiliorum oppugnationi gradatim per decennium ascribitur, præsertim in propriis Confessionibus. §. 2. *& seqq.* Item & secunda à spe conjugii ad religiosiorem vitæ institutionem. C.91. fere integro. Libros de Libero Arbitrio inter prima conversionis rudimenta sibi potiùs in fide firmando scripsit, quàm hostibus debellandis. L.7. c.10. num.6.

Deinceps magis dubitasset de esse proprio, quàm de esse veritatis, seu Dei. L.1.c.15.num.7. Id expetiit, speravit, assecutus est. C.16.nu.3.L.4.c.7. num.7. Et quidem progressione à corporibus ad mentem, à mente ad veritatem. L.1.c.22. nu.5. *& seqq.* Specimen exhibuit in celebri cum matre colloquio de vita beata ante ejus mortem. num.2. L.6.c.11. num.5. Fæcem ipsam Christianæ plebis ad has argumentationes seu meditationes manuducebat. L. 1. c.22.num.11. L.3.c.16.nu.2.3. C.47.num.12.C.20.num.7. *& seqq.* L.4.c.3.num. 18.L.5.c.8. num.1. In aureolo libello de catechizandis rudibus pervulgatam Ecclesiæ fidem ipsis fidei rudimentis implicatam insinuat. Lib.7. cap.10. num.10.

Assurrexit ipse ad sublimiorem viam per numeros. Lib. 1. c. 23. num. 2. *& seqq.* Item per figuras & aliarum scientiarum principia. Num. *seqq.* L.3. c.18. num. 19. Ipsi plures è Patribus concinunt. L. 1. c. 14. num. 1. *& seqq.* Quomodo ultra omnes Antiquos in his progreditur. C. 26. num.3. *& seqq.* L.6.c.10. ferè toto. C.11. n.7. §. *Augustinus.* Tutiùs etiam & veriùs de Platonicorum incertiplaci-

placitis quoad Trinitatem diſſerit, in ipſo Platone nunquam verſatus. L.2.c.5. nu.12.13. Sic reliqui Patres cum ipſo de iis Philoſophis conciliantur, ibid. Caſtigatiùs pariter Boethio unitatem Dei, necnon Angelorum materiã ſeu abyſſum interpretatur. L.2.c.6.n.6.7. L.3.c.4.n.16.17. Item Platonis ideas meliùs Tertull. C. 12. nu. 2. 3. Quid cum ſummis Philoſophis ſummus ipſe Philoſophus ſenſerit? C.7.n.3.

Quatenus tamen ſolam intus docentem veritatem conſulendam doceat in libello peregregio de Magiſtro. L.3.c.6. num.1. *& ſeqq.* Idque factitandum ſuadeat aliis, ſemet in exemplum propoſito. num.7, 8. Et hinc ſecernendum ait in ſuis libris, quid proprium, quid Dei. nu.11. §. *Quo.* Piè & luculentè Deum ipſum, & populos compellat de amore ſummæ pulcritudinis. L.3.c.20. n.1.2.7. *& ſeqq.* C.21. n.1. *& ſeqq.* Deque amore Deo. C.23.n.1. *& ſeqq.* In doctrina difficili orationem conſulit cum Dion. L. 5. c. 4. nu.1. 16. Modeſtiùs demum conſulit ad quæſtiones difficiles reſpondendum per verbum *neſcio*, quam per fictiones terrificas, ab ipſo tamen Athanaſio adhibitas. C. 14. nu. 6. 7.

Occaſione divinæ ſimplicitatis piè rurſum docet excuſandos tractatores ſive Eccleſiaſticos, ſive etiam Ethnicos, maximè Platonicos. L.4. c.1. n.2. *& ſeqq.* Egregiè tamen illam tuetur contra ſuos olim Manichæos. C. 2. num. 9. Ac deinceps contra alios. num. 4. 16. *& ſeqq.* Nullam prorſus admittit in Deo compoſitionem aut diſtinctionem inter ipſa attributa, cum ſuis ſequacibus. Cap. 4. num.2. *& ſeqq.* C.5.num.7. Sed longè aliter quàm Eunomius à Baſilio confutatus. C. 8. num. 2. Docet verò Auguſtinus de Deo ſciri tantùm quòd ſit, non quid ſit, & quidem meliùs neſciendo, per ſymbola etiam ſpiritalia, quàm ſciendo. C.7.num.1.2.7. C.8.num.2. C.11. num.4. *& ſeqq.* Etiamſi omnium impenſiſſimè in id etiam incubuerit, ut nos aſſuefaceret cogitare Deum ſpiritaliter. §. *Quin*. Sed aperit ipſe fontem totius doctrinæ. num.6. C.12.num.11.14. Et omnium doctiſſimè reſolvit quæſtiones de tempore, toto ferè c.14. Cautè ſemel interpretandus eſt de duratione propria Angelorum, ne ſibi & aliis contrarius ſit. num. 18. §. *Locus*. Tutò autem de præſentia rerum in æternitate. C.3.n.2.4. L.7.c.17. n.5. 6. L.10. c. 83.

Fluctuavit aliquando in modo quo Deus Adamum allocutus eſt. L.3.c.9.num.7. Et cum aliis, in modo quo dæmones percipiunt veritatem. C.10. num.7. *& ſeqq.* Ter maximè laboravit in explicanda prima Angelorum ſive parium ſive imparium beatitudine, cujus tandem certitudinem ſolam ex libera eorum perſeverantia eruit. L.6. c.6.num.14. C.9. num.7. Paradiſum ſtante hiſtoriæ veritate intelligibiliter interpretatur. C.6.num.19.20. Necnon reliqua omnia pro clara Dei viſione aut intelligentia Adamo & Angelis primùm conceſſa, ibid. & paſſim Cc. *ſeqq.* Tria ejus loca potiſſimum obiiciuntur contra ſuperiorem doctrinam, ſed quæ ſolùm probent frequentem apud illum non tam opinionis ambiguitatem, quàm modeſtiam in his quæ fides non exigat. C.9. num. 11. *& ſeqq.* Specialiter diſtinguit cognitionem Angelorum matutinam a veſpertina. C.13.nu.11.12. C.17.n.4. L.7.c.2.nu.9. *& ſeqq.*

Pluribus exagitaverat quoſdam Scholæ Platonicæ deſertores pro corporum reſurrectione. L.6.c.3. n.5. Nunquam dubitavit an Deus videri poſſet oculis corporeis, ſed an ſi hi mutarentur per reſurrectionem, ſine corporis inſtrumento videatur. C. 18. num. 1. Alternavit ſolùm aliquando cum Ambroſio, an Deus ipſe videretur ante reſurrectionem. num.5. Quod videtur intelligere ratione imperfectæ viſionis ex corporis deſiderio, antequam id ex ejus fontibus Bernardus hauſerit. num. 6. Præiverat pariter Gregorio & Bernardo in progreſſione a viſibilibus ad inviſibilia, ex peccati culpa & pœna. C.8. num. 7.8. C.10.num.1. In ſtabilienda interim Dei viſione per momenta quædam lucida, nonnihil differt ab utroque. C. 11. præſertim num. 7. Hi tres ſimul conſentiunt in conſervanda viſionis memoria & deſiderio. num.15. Dubitavit ſolùm Auguſtinus, an Beati eſſent noſtri memores, non ita duo alii. C. 17. num. 7. Tandem viſionis divinæ liberalior eſt Bernardo pro Moyſe & Paulo. C.21. num.12.

In quæſtionibus præſcientiæ, prædeſtinationis & gratiæ, non ſecus ac in aliis Theologicis, Græci Latinique Patres Auguſtino conſentiunt. L.7. c. 3. num.13. &c. Cur pro diſtinctione ſua prædeſtinationis à præſcientia, ſola peccata in exemplum adducat? C. 4. num. 2. Qui hinc diſtinguunt privationem ſeu malitiam moralem aliorum inſeparabilem ab actione phyſica, totam Theologiam Auguſtinianam ad pueriles vel animales nugas deducunt. num. 3. *& paſſim ſeqq.* Vel etiam ad horrorem ipſum, maximè in primo peccato. C.5.num.1.2.3. Purgatur Auguſtinus ipſe à Fulgentio. num.1. Ipſe verò dilucidè ſe purgat contra Colluthum & Florinum ſola diſtinctione mali pœnæ a malo culpæ, non alia. C.7. num.1. Sic quaſi ex æquo inſurgit contra Manichæos & Pelagianos, diſtinguendo ſemper peccata a naturis & ſubſtantiis, *toto ferè* C.7. Præluxerat tamen concordiæ ineundæ inter priſcam & recentiorem Theologiam, quoad illas & ſimiles voces. C.8.num.8.11. *& ſeqq.* Item ex providentia bicipiti, *toto ferè* C. 9. Nihil ampliùs, quod præfinitiones, decreta, aut prædeterminationes præſertim ad malum attineat, in quæſtionibus ævo Auguſtini agitatis, vel in ejus reſponſis. Cap. 10. Ne quidem poſt exortam Pelagii hæreſim. num.12. C.11. num. 5. C. 12. num. 4. & *ſeqq.* C. 19. num. 15. Adhuc expreſſiſſimè. *Lib.* 10. C. 64. 65.

In aliis pluribus non omnem voluntatem, ſed poteſtatem à Deo eſſe, ex Scripturis demonſtrat. L.7.c.11. n.2. *& ſeqq.* Maximè in indurationibus. C. 12. integro. Annuunt gradatim ejus ſequaces Latini uſque ad S.Thomam. C.13. Ut mirum ſit Ruperto adhuc opus fuiſſe altercari cum præclaris totius Franciæ luminibus & indoctorum multitudine, de ſenſu Auguſtini, an Deus velit malum? num.7. Hinc & aliunde quanti interſit hactenus Græcorum etiam Patrum ſuffragia quoad hoc adjungere. C.14. num.1. *& ſeqq.* Ergo Auguſtini doctrina de voluntatibus malis à Deo ſine prædeterminatione ordinatis, longè ſibi conſtantior & contra hæreſes invictior, necnon populorum patientiæ, intelligentiæ ac pietati multò accommodatior, ut decet, quàm contraria recentiorum prædeterminantium. C. 15. *præſertim* num. 9. *& ſeqq. uſque in fin.* Addit rurſus ipſi cum utriuſque Eccleſiæ Patribus eſſe communem. C.16. *integro*. Ergo iterum non inconſtantia Auguſtini, ſed lectorum incogitantia fecit, ut diſcordare ipſe ſibi videretur, cum frequens alibi inculcat voluntates à Deo inclinari quocumque voluerit, ſive in bonum, ſive in malum. C.20. nu.1. Id explicat ipſe per occaſiones malis tantùm propoſitas & ad bonum, vel aliis modis innoxiis, toto illo C.20. Et pro ipſo fidus diſcipulus Proſper adversùs Genuenſium querelas. C.21. num.1. Auguſtinum conſuluit de opinationibus Maſſilienſium. C.23.n.4. Triplici demum de cauſa ſcripſit ipſe Auguſtinus contra ſcientiam conditionatorum, niſi neceſſariorum. C.25. *ferè toto*.

Familiares ſunt Auguſtino, ut fidiſſimo Pauli interpreti, voces quæ ad *prædeſtinationem* pertinent. L.8.c.1. n.4. 5. Ante Epiſcopatum quidem, electioni gratiæ ut temerariæ adverſabatur, poſtea aliquandiu adhuc ſoli voci. nu. 6. Tandem & vocem & rem validè propugnavit contra Pelagianos & Semipelagianos. num.7. 9. 10. Electionem ſcilicet ad gloriam, priuſquam ad gratiam, ex maſſa perditionis. num.11. *& ſeqq.* Lucidiùs aperitur Auguſtiniana doctrina *duplicis prædeſtinationis & adiutorii* pro utroque ſtatu. C.2.n.2.3.4.9. C.3. nu.4.5. Eaque non ſolùm ex libro de Corrept. & Grat. ſed & ex aliis, aliorumque Patrum authoritate comprobata. num. 1. 6.11. 13. *& ſeqq.* Pro ſola prædeſtinatione hominum gratuita poſt lapſum duodecim potiſſimum argumenta Auguſtini. C. 4. 5. 6. 7. Quatuor verò capita querelarum Maſſilienſium adversùs eam & ipſum Auguſtinum. C. 7. num. 1. *& ſeqq.* Adhuc plura, C.11. n.1. *& ſeqq. uſque ad* 10. Ferè duodecim aliunde corollaria Auguſtini contra reprobationem vel negativam ante prævisa peccata, & pro ipſa poſitiva ex peccatorum ſuppoſitione. C.9. integro. Nulla nos vel graviſſima difficultas debet à perſpicua Pauli & Auguſtini doctrina, quæ nota eſt aliorum Patrum, deterrere. C.10. num. 2.4. Sex præcipuæ cautiones Auguſtini ad eos demulcendos, quos doctrinæ illius altitudo magis deterret, quàm aſperitas. Cap. 11. num. 11. *& ſeqq.*

De Auguſtini *additamentis* ad veteres tum Græcos tum Latinos circa ſuperiorem doctrinam quæruntur maximè noſtro ævo è ſectariis primi Hugo Grotius & Gerardus Voſſius, fallentes & falſi. L.9.c.1.2.C.4.n.5. Defenſionis pro Auguſtino capita. C.1. nu.3. 4. *& ſeqq.* Luculentè ex ipſo Auguſtino, ut poſt exortas hæreſes non nova cudatur doctrina, ſed priſca è latebris & ſilentio diligentiùs educatur. C.2.n.7. Unde confundas adverſarios, dum Auguſtino Patres Pelagii ævo anteriores præferunt, n.8. At ipſe ſua omnia etiam contra Pelagianos ex antiquis Græcis & Latinis, quos in unum Concilium cogit, deprompta eſſe latè profeſſus eſt. C.4. Et cùm Semipelagiani veteres, ſicut recentiores prænominati, novatum ab Auguſtino contenderent, quo validiùs Pelagianis obluctaretur, calumniam abſtergit ex prioribus ſcriptis, maximè Confeſſionibus. Num. 11. 14. Scilicet reſipuerat, quoad initia fidei, ante detectum Pelagium. Cap. 17. num. 8. Cap. 18. num.4. 5. Nullum autem ex antiquis illius ſecum erroris arguit, ibid. Et hæc etiam

contra illos Catholicos aliunde Theologos, ita Augustino addictos, ut præ eo antiquos Patres, Græcos maximè, contemni posse arbitrentur, quos tamen ut magistros suspexit. C.5.n.1.

Ad hæc sciendum ante ullam Augustini lucubrationem contra Pelagium, hunc coactum esse sua ejerare dogmata in Palæstina Synodo, cui ille & sua illigavit de prædestinatione, &c. L.9.c.3. num. 1. Et probavit Oriens & Occidens. num. *seqq.* Imprimis contra Cassianum, Faustum, & alios Occidentales Augustino in cœlos avecto obloquentes. num.5. *& seqq.* Diu pòst Photius ipse Augustini famam tuitus est contra alios. num. 9. Furtivi erant olim tempore Prosperi, quòd palam doctrina prædestinationis ubique recepta esset. C.5. num.2. *& seqq.* Cunctos Augustini commentarios de Gratia laudatos esse à Cælestino censet Prosper. num. 4. Cælestinum imitatus est Hormisda, ibid. Reliquis rursum Patribus etiam Græcis jungitur Augustinus à Fulgentio, Petro Diacono, Cæsario Arelat. Arausicana Synodo, Bonifacio Papa. num.5. *& seqq.* Quanti fieret ab Hieronymo, & vicissim? num.10. Et quanti Chrysostomus ut Augustinus Græcorum à Latinis? num. 11. Uterque demum cum aliis Patribus à Synodis etiam Oecumenicis. num. 12. C.6. nu.13.

Ita sensit ipse Augustinus se posteris sæculis scribere. L.9. c.4.num.9. Idque agnovit Fulgentius saltem contra futuros omnes adversarios gratiæ. C.5. num. 5. Quis igitur feret illum dividi à tota superiori traditione? C.4. num. 9. Et in ea Apostolicam ipsam doctrinam? C.7. num. 10. Præsertim cùm superiores ætate Patres eadem Scripturæ loca congerant, quæ passim postea Augustinus. C.8. num.3.4.6.7.11. Imprimis Athanasius & Cyrillus. C. 11. A fortiori Cyprianus, Ambrosius, & alii Latini. C.16. Imò nihil illi mollius aliquando dixere, quod non reperiatur in ipso Augustino & Aquinate. num.10. C. 18. num. 1. Quin & seipsum, aliosque Patres, imò & ipsas Scripturas pari interpretandi indulgentia vult tractari. n. 2. 3. *& passim seqq.* Consultò liberum arbitrium extolli, & de gratia sileri posse aliquando exemplo suo docuit. nu.7.

Regulæ generalis Augustini, *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, exceptiones ipse affert. L.10.c.30. *& seqq.* Sensum verò ne verbulo unquam restrixit ad statum peccati, ibid. præsertim C. 33. §. *Quod autem*, *& seqq.* At multa item de alia delectationis origine & comitibus ab Augustino commemorata sunt, non frustra sanè, quæ ne verbulo quidem à quibusdam attinguntur, ibid. & C. 35. §. *Et idem*. Bifariam tandem distinguenda sunt Augustini loca de delectatione victrici, ne aliqua insulsa aut nugatoria videantur, §. *Itaque*. Quantum responsa tanti Ecclesiarum Magistri, de congruitate miraculorum aliorumque signorum pro quibusdam præ aliis, Scripturæ congruant. C.60.61.

Ita pariter 17. ejus argumenta pro *auxilio quo* ad perseverantiam maximè sine prædeterminatione; non ad singulos actus, in libro de *Corrept. & Grat.* & in aliis propalatis post viginti annos à bello Pelagiano. C.67.68. Totum librum *de bono Perseverantiæ* scripsit ad prioris elucidationem, §.11. Deinceps addidit & ad conversionem & ad actus heroicos æquè difficiles. C. 71. Atque adeo simili auxiliorum coacervatione ex decem novis argumentis. C.70. Prædeterminantes ad singulos actus non possunt non colligi cum ipso quoad utrumque statum. C. 75. §. *Non*, *& seqq.* Omnium consensio de præcellentia Augustini in constituenda divinæ voluntatis efficacia. C.86. §.2. Ejus ergo tandem sententiæ de modo illius per alternationem in pœnis & præmiis pro suprema regula sumi debet, ibid. & §§. *seqq.* V. etiam *Gratia*, *Patres*, *Theologia*, *&c.*

Auxilium. V. *Adjutorium*, *& Gratia.*

B

Balaam Propheta.

QUomodo Angelus Balaamum per os asinæ increpuit, ex Greg. Mag. L.3.c.8. n.12.

Barlaamus duplex.

Unus ex principe Monachus cum Josaphato Christi gratiam apud Regem profitetur. L.9.c.15.n.3. Alter ex Monacho Episcopus Jeracensis Constantinopolim contra Græcas fabulas *de lumine Taboritico* profectus, nihilominus cum aliis tum Episcopis tum laicis iniquè proscriptus est. L.4. c. 1. nu.7.

Basilius Cæsariensis Episcopus.

Ex visione Dei in rubo maluit argumentum cudere pro Verbi Deitate cum suis sequacibus, contra Eunomianos. L.3.c.4.num.6. Item Dei imaginem per Verbum nobis imprimi. C.17.num.7.3. Ipsamque summam pulcritudinem per ejus contemplationem & desiderium. C. 20. num.13.14. Cum iisdem ipsam Dei incomprehensibilitatem tuetur, contra Eunomium Dei attributa confundentem, in hoc haud confundendum cum Augustino. L.4.c.8.num.2. *& seqq.* Ex ipso Basilio, ejusque Liturgia, quæ Græcorum est, confirmatur Augustini de auxiliis doctrina. L.9.c.5.n.5.8.10. C.14.nu.12.C.15.nu.14. Item cum fœderatis Nazianzeno, Nysseno & Ephreemio in aureolo Basilii libello de humilitate & aliis operibus. C.10. nu. 8. *& seqq.*

Beatitudo, Bonum summum, Bona particularia.

Sine summi Boni specie nihil appetitur aut amatur. L. 1. c.1.num.6.7.C.3. num.4.5. C.5. num.2. C.5. num.2. L.2. c.7.num.2. *& seqq.* Expressiùs ex Augustino & aliis. C. 8. num.6. *& seqq.* Imò ipsum summum Bonum particularibus quasi pellibus & vestibus circumfunditur, ex eodem & Platonicis. L.3.c.19. num. 17. Necnon ex Chrysostomo. C.24. num.7. Non tam de summo Bono, quàm de particularibus disputatur. L.1.c.2. num.1.2. Nec rixæ ac similia aliunde quàm ex particularium bonorum possessione. L.3.c.11.num.17. Summum autem Bonum summa sibi & aliis beatitudo est, ex Philosophis. L. 5. c. 8. num.3.v.5. Ex Patribus. C.14.num.3.4. Ita proprius Dei census est, ut beatitudo sua sibi ipse sit, creaturæ autem ad eam meritorum gradibus promoveri, ex iisdem contra Manichæos. L.10.c. 79. §. *Omnes.*

Bonum ipsum est ipsum unum ac beatum, & utrumque supra ens & mentem. L.2.c.2.num.7.C.3.num.5. C.7. num.5. Rectiùs ex Patribus. C.8.& 9.L.3.c.19.num.15.19. Paulò aliter, C.20. num.2. 6. 14. 15. Ita ipsum bonum est primum omnium principium & finis ab omnibus naturaliter agnitum & appetitum, per quod de omnibus judicemus. L.2.c.7.num.1.2.6. *& seqq.* C.8.num.3.6.7. Etsi quiescat, per mentem operatur omnia. C. 7. num. 4. Necnon per amorem. C.23.num.11.C.24. num.1. *& seqq.* Ab ipso tamen omnia removentur. C.7.num.9.10. L.6.c.5. num.4. 17. *& seqq.* Sic maximè liberum & imperatorium est, ex Philosophis. L.2.c.7. num. 11. L.5. c.6. num. 2. 7. Eadem ferè ex Scripturis & Patribus. L. 2. c. 8. num. 3. *& seqq.* C.9. integro. Necnon simul de bono & pulcro. L.3.c.20. num.6.14.15. C.24.num.1. *& seqq.* C.25.num.2. L.5.c.1. num.5. 8. Pulcrum enim boni aurora est, vel potiùs est ipsum bonum prævio quodam fulgore suo præludens exortui. C.6.num.2.5.7. C. 8. num.3. 6. Deinceps bonum, tanquam Sol, illustrat & moderatur omnia. Cap. 12. num.7.

Quomodo jam in tanto imperio summi boni malum existere aut excrescere potuerit? L. 1. c. 10. num.1. Ex ipso summo bono & ad bonum mala, hoc est, inferiora bona inferuntur à Platone, ibid. Aliàs bona à Deo, mala à Chao, seu à materia, aut nihilo. num. 2. Imò bonum plerumque ubique regnat, etiam in malis & turpibus. num. 3. His finitima apud Plotinum. num. 4. Maximè quòd malum sit privatio boni, & semper in bono. num.5. Et quæ singulis mala, universo bona sunt. nu. 6. Ita & expressiùs apud alios Platonicos. num. *seqq.* Eadem longè luculentiùs apud Patres. C. 11. num. 1. Imprimis Augustinus probat summum bonum reliqua ex se effundere, sed non de seipso, eoque non sibi æqualia, sed de nihilo, ideo infima; denique bona hæc & illa, non ipsum bonum. num. 2. Quin & ipsum ac summum bonum, sed genitum, non creatum. num. 3. *& seqq.* V. *Trinitas*. De creatis verò bonis bellè rursum Augustinus. num. 7. *& seqq.* Concludit tandem quàm imbelle sit malum, & præpotens bonum, cùm non possit esse malum, nisi à bono, in bono, cum bono, propter bonum. num. 15. Imò ipsum mali principium Manichæis nonnisi boni opibus suffarcinatum. num. 16. Horum præcentor Ambrosius. num. 17. Pro Græcis succinit Dionysius. num. 18.

Quanta iterum boni omnipotentia sit, de malis benefacere, ex Philosophis & Augustino. L.2.c.10. nu.9.10. 11. C.11. n.1.4.5. L.7. c.9. n.5. *& seqq.* Hinc nisi mala sineret Deus, multa bona præfocaret, ex Origene. nu.15. Ex August. L.8.c.2. nu.4. Et hinc quanti referret ad boni amplitudinem, ut naturæ liberæ crearentur, ex aliis Patribus. L.2. c.12.nu.1. Etiam peccabiles, multis non peccantibus meliores. n.2. *& seqq.* Imò tantum ipsæ sunt bonum, ut nisi de Deo beatæ esse non possint, & sine Deo miserrimæ. n.5. De vena bonitatis fluunt ipsa supplicia, ex Tertull. Chrysost. Greg. Mag. nu.6.7.8. Quatenus verò non fluunt, ex eodem Tertull. ibid. Ex August. num.9.10.11. Ex aliis, L.7.c.9. num. 16. Lib. 10. cap. 26. §. ult. Philosophiæ vulgus

mala vocat pœnalia, quæ propriè bona disciplinalia sunt, ex Guil. Parif. C. 20. §. *Et idem*. Usque adeo in malis ipsis bonum est, ut peccatum quod verè malum & summum malum est, non possit non esse imitatio aliqua boni, ex August. L.2.c.12.n.12. *& seqq.* V. *Peccata*, *Vitia*, *&c.* Attamen nequidem in rebus sensibilibus vera bona esse, sed in solis ideis, aliquando opinati sunt Platonici. L. 3.c. 11.n.17. Alii verò tantùm & tandiu rem quamlibet esse, quandiu bona est. L.5. c. 8. num.3. v. 4. Et eo tantùm sensu à summo bono esse. L.7. C.6. & 7. Bonorum tandem temporalium, seu animæ, seu corporis, seu fortunæ, inæqualis distributio simulacrum est inæqualitatis spiritualium in prædestinatione. Lib. 8. c. 6. num.7.

Jam beatitudo non est alia quàm gaudium de veritate & summum bonum, præsertim ex Augustino. L. 3. c. 5. num.7. *& seqq.* C.20.num.9.L.5.c.8.num.3.v.5. C.14.nu. 3.4.L.10.c.34. Abdicanda ergo falsitatis gaudia & nugæ sensibilium. L.3.c.5. num.8. Imò ipsæ corporum curæ, adeoque pleniùs post hanc vitam. C.11.num.5. C.22.nu. 1.2. L.6.c.3.nu.1.*& seqq.* Illa ipsa vita beata est.L.3.c.25. nu.2.6. 7. L.10.c. 34. Ad hoc demum necesse est, ut non alia specie quàm ipso Verbo videatur, quemadmodum ipsis Platonicis visum est. L.6. c.4. num.1. Quin & intus possideatur, ibid. v.1. Et quidem penitissimè & identicè, alioquin non erit plenè summum bonum.n.2.*& seqq.* Scilicet septemplici alio quàm visionis modo. C. 5. præsertim num.7. *& seqq.* C.21.num.14. L.4.c.2. nu.7. Idem ferè visum Patribus. L.6.c.13. Concluditur tamen ultimam & cumulatissimam beatitatem in perfecta Dei visione esse positam. C. 14. num. 1. *& seqq.* Imprimis quòd sit præstantissimæ facultatis præstantissima operatio, & præstantissimi seu summi boni possessio. nu. 2. 3. 4. Non autem per sensum corporeum, licèt inter sensus præstantissimum. num.9. *& seqq.* Licèt autem Beati omnes tantum bonum videant, inæqualiter tamen vident, ex definitione Ecclesiæ pluribus Scripturæ & Patrum testimoniis nixa. C. 15. Unica objectio ex denario diurno de æternitate beatitudinis cum pluribus Patribus intelligenda. num. 10. An videant & res sensibiles ante resurrectionem sine medio corporis instrumento, libentiùs ignorandum cum August. C. 18. n. 1. *Plura v. in Dei visione*, *Resurrectione*, *&c.*

Beatorum aliunde duplex distinguenda est operatio, altera intemporalis, nempe ipsa beata circa Deum, temporalis altera circa reliqua. L.5. c.14. num. 9. 10. 12. Quomodo prior illa non tota simul, etsi semper talis, qualis semel est? num.15.16. Scilicet non ex immensitate tantùm quadam mentis, sed & propinqua immutabilitate. C.2. n.5. 6.8. C.7.n.17. C.10.n.13. *& seqq.* Ex qua incorruptibilitas effluit in corpus. num.17. Et hæc tota ex immutabilitate Verbi nostra mortalitate semel induti, nu. 18. 19. Proximè verò ex ipsa Dei contemplatione major animæ beatæ æternitas & immortalitas. L.6.c.15.nu.6.13. Necnon & impeccantia. L.10.c.55. §.*Ideo.* Et C. 56. 57. Adeoque & delectatio justitiæ tunc invictior. C. 33. §. *Inde*. C. 34. *integro*, *& ferè* 58. At licèt Beati nihil patiantur quidem, tamen compatiuntur. L.5.c.10. num.16. Et tum demum illis apertum erit, cur hic assumatur, alter relinquatur. L.8. c.6.n.9.

Beda Venerabilis Presbyter.

Eandem cum Augustino & aliis Patribus amplexus est concordiam prædestinationis & gratiæ cum libertate. L.10. c.84. §. *Beda.*

Beguardi & Beguinæ Hæretici.

Quo sensu lumen gloriæ reiicerent, in quo damnati à Concilio Viennensi.L.6.c.16.n.7.*& seqq.* Necnon & quod varios status confunderent. C.21.1.§.2.& n.3.

Belluæ, *Bestiæ*, V. *Animantia.*

Bernardus Claravallensis Abbas.

Ejus artes & minæ ad trahendos secum consanguineos & proximos quosque.L.10.c.11.§.*Vuillelmus*, *& seqq.* Quales repentinæ eorum, & Henrici ac Andreæ Principum per Bernardum conversiones. C.89. §. *Sed.*

Primùm Bernardi doctrina promitur de visione Dei ante & post peccatum. L.3.c.7.n.8.L.4.c.11.n.10.L.6.c.6.nu.3. C.9.n.7.C.21.n.13. In hoc Augustino & Greg. Magno addictissimus est.C.6.num.3.C.8.num.8.Aliquateuus tamen ab Augustino diversus. C.12. num. 14. Sicut etiam quoad memoriam nostri apud mortuos. C. 17. num.7. Et quoad visionem Moysis. C.21.n.12.At nullatenus quoad imperfectionem visionis ante resurrectionem.C. 18.n.7.8.9.Nec quoad præclarissimam divinæ sapientiæ & voluntatis victoriam de Satana. L.7. c. 21. Nec quoad prædestinationem gratuitam, certumque electorum numerum. L. 8. c. 8. nu. 17. Nec quoad providentiam bicipitem in pœnis aut præmiis. L.10.c.88. circa fin.

De unitate & universitate trium divinarum Personarum aurea prorsus & Bernardo dignissima præhabentur. L.2. c. 24. nu. 16. Quoad distinctionem naturæ ab attributis à Gilberto Porretano invectam, totamque hujus historiæ seriem, major Bernardo licèt infenso, sed occulato testi, fides habenda est, quàm Othoni Frisingensi. L.4.c.1.nu.6. In Concilio Rhemensi & in suis scriptis Bernardus Porretanum strenuè exagitavit pro divina simplicitate, ne cogitatione quidem dividenda. ibid. & C.4.n.11.*& seqq.* C.5. n. 1. 6. 10.

Bernardi cum aliis conjectura de custodia throni Dei per bonos Angelos contra malos, sicut & paradisi contra homines. L. 3. c. 10. nu.5. 6. Usque ad Bernardum variant sententiæ de corporeitate Angelorum, saltem quoad operationem. L.4.c.3. n.12. *& seqq.*

Locupletissimus ipse testis & architectus est concordiæ veteris & novæ, tum Philosophiæ, tum Theologiæ, quoad charitatem substantivam & accidentariam. L.3.c.23. n.9. Nec dissidet apud ipsum author libelli *de Amore Dei*. nu. 10. Uterque verò ex proprio quasi gustu valde miratur, brevia licèt, claritatis & charitatis beatæ coruscamina. Lib. 10. c. 57. Adhuc locupletior est Bernardus in distinguendis variis amoris gradibus. C.4.6.7.10. Necnon affectuali aut actuali seu actuosa dilectione, ejusque operibus. C.37.

Quanti faciat ad humilitatem servandam motus etiam concupiscentiæ proprios, pro quibus gemit ipse ad Dominum. L.10. c.45.§. *Et ipsam*. Eodemque in libro *de humilitatis gradibus* hanc primam casus nostri ruinam memorat ex negligentia. C. 50. §. *Bernardus.*

Quomodo libertatis indifferentiam astruat, & solam vim seu coactionem excludat? L.10. c.78. *initio*. Quatenus verò ipse specialiter totam salutem simul & gratiæ & libero arbitrio ascribat? C.81. §.*Totum.* Colloquium Verbi cum anima explicat. C.82. §. *Sed*, *& seqq.*

Bessarion Cardinalis.

Quando sancti Patres contraria & contradictoria dixissent, quod falsi arguit præsertim quoad processionem Spiritus sancti, rimandam tamen aliquam concordiæ rationem argumentatur in Concilio Florentino, pluribus usus exemplis & regulis. L.9.c.6.n.19.10.11.

Bessarionis & aliorum Græcorum posteriorum consensus cum Latinis quoad divina auxilia, patet ex illius precatione solemni in prima ejusdem Synodi sessione, & ex eorum precibus lyturgicis. C.14.n.12.

Boethius Severinus Consul.

Periclitaretur tanti viri fides, si ad Platonicum *de Reminiscentia* commentum, ullam ante corpora vitam supponeret. L.1.c.3.n.1.L.2.c.8.n.10.L.3.c.14.n.5. Præclariora essent ejus placita de progressu unitatis usque ad materiam, si abstinuisset ab opinatione de cœlorum & syderum corporibus incorruptis Angelica vegetatione formatis. L. 2. c. 6. num.7. Aliis Patribus magis philosophicè negat esse, quæcumque corporalia sunt.L.3.c.4.num.11. At præclarissimè philosophatur de quadruplici objectorum distinctione. C.11.n.7.Sic visus Aristotelem Platoni conciliare, ibid.

Etsi Scholæ usui propior sit, à Patrum tamen non recessit, vel facundia, vel sententia, quoad divinam simplicitatem malè in eo à Porretano interpretatam. L.4.c.4. nu.9. 14.C.11.nu.13. Meliùs ipsemet interpretatur suam æternitatis definitionem. L.5. c. 12. nu. 2. Multiplicem propulsat injuriam à præscientia Dei ex eadem æternitate. L.7.c.5.v.10. *& seqq.* C.15.nu.5. §.*Nec.* C.17.nu.11.C.18. n.13. L.10. c.84.

Bonum. V. *Beatitudo.*

C

Cainus fratricida.

CUr non statim ipsi Satan fratris cædem proposuit, sed gradatim? ex Chrysostom. Lib. 10. cap. 52. §. *E Græcis.*

Calvinus Heresiarca.

Catholicos Theologos criminabatur, quasi Adæ & Christi gratiam non discreverint, sibique Augustinum vendicabat. L. 10. c. 69. §. ult. Imposturam & hallucinationem nudavit Ruardus Tappetus, *ibid. De Calvinianis*, V. *Hæretici.*

Ca-

Calamitates, Captivitates, V. Adversitates, &c.

Carcer,

Utrumque hominis statum, exemplo mulieris post lucem perceptam incarceratæ,& pueri in carcere nati, mirè explanant Augustinus,Gregorius M. & Bernardus. L.6.c.6. n.2. C. 8. n.7.

Carnales. V. Spirituales.

Carrolus Borromæus Cardinalis.

Ea erat ejus indoles ad gravitatem & animi magnitudinem comparata, ut opum dignitatumque terrenarum contemptum hauserit ex ipsa earum affluentia. L.10.c.11. §. *Non, & seqq.* C.12.§.1.C.14.§.2.

Cassianus Collator. Cassiodorus Consul.

Ipsum Cassiani nomen Patrum collationibus inscriptum,eos perperam infamat Semipelagianismi. L.9.c.15.num.1.14. Purgantur ex ipsis Cassiani collationibus; reliqua ut adulterina illius additamenta reiicienda.n.10.Præsertim ubi de gratia præveniente, contra quam potissimum cæspitavit. L.10. c.17. §.*Plura.* Necnon ubi vocationem idcirco ultroneam ab attractione insidiosè distinguit, longè ab Augustini & Gregorii sensu. C.21.circa fin. Collatori tamen primùm gratulabatur Prosper catholicissimam definitionem de præveniente gratia, quam suggillat postea relictam. C. 82. §. *Prosper.* Reipsa Cassianus cum filiis Occidentalibus, maximè Gallis, Augustino infensior fuit, quàm ipsi Orientales. L.9.c.3.num.5.V.etiam *Galli Massilienses, Pelagiani & Semipelagiani.*

Cassiodorus de imagine Dei per reminiscentiam revocanda scripsit, & exscriptus est ab Ælredo. L.1. c. 5. num. 2. Necnon per mathematicas disciplinas exemplo Abrahæ apud Ægyptios. C.24.num.2. Ipsam tamen reminiscentiam Platonicam reiicit. L.3. c.14. num. 6. 11. Non est author libelli *de Amicitia*, in quo multa ex Bernardo de divina simplicitate. L.4.c.5. nu.10. Augustini doctrinam assecutus est. L. 10. c. 66. §. *Cassiodorus, & passim alibi.*

Casus, Causa, Caos.

Ex ipsis fortuitis *casibus* Dei & quidem unius confessio. L. 1.c.4.n.4.*& seqq.* C.11.nu.12.L.2.c.1.nu.2.Summæ autem dementiæ est Universi pulchritudinem non alteri *causa* quàm *casui* tribuere. L.1.c.21.Ex Patribus Latinis. n.4. *& seqq.* Ex Græcis. nu.10. Item & cognitionem veritatis apud Philosophos, ex Tertul. c.24. n.1.

In *causarum* prævestigatione ad exemplarem in ideis, non ad terrenas & particulares confugiendum, ex Platone, L.3. c. 11. nu.6. *& seqq.* Præter efficientes dantur etiam deficientes, quæ solæ in peccatis quærendæ sunt, ex Augustino. L.8.c.8.num.14. Causarum naturalium effectus futuri etiam conditionati præsciri possunt, non ita liberarum. Vide *Dei præscientia, Libertas, Natura, & naturalia.*

Chaos an idem cum abysso? L.2.c.6.nu.7. L.3.c.4.n.17. Quo sensu mala à *Chao* seu materia, tanquam ex *causa*, juxta Platonem & Plotinum.L.2.c.10.n.2.4. Necnon ipse amor ex Chao, juxta Platonem. L.3.c.22. n. 1.

Charitas, Concupiscentia, seu Cupiditas.

Duplicis veneris seu amoris, puri & impuri, quod Gentiles, nomine *charitas & cupiditas* designantur. L.3.c.22. num.1.6. Nec defuit inter illos *concupiscentia* vocabulum distinctum ab amore. num. 6. Ut omnis virtus numeris suis absoluta, amor quidem sit, juxta ipsos Philosophos, seu charitas juxta Patres. num. 1.2. Et hic amor seu charitas Deus ipse est, qua & eum & proximum diligimus. C.23. num. 1. 2. Nec nisi proximum seu creaturam rationalem redamandi capacem. num. 7. Charitas quippe & virtus quælibet nostra vera, illa summa & exemplaris, imò divina forma est nobis impressa, ut annulus ceræ, & jugiter imprimenda. num. 2. 9. Dum huic substantivæ charitati accidentaria jungitur, adjuncto & imaginis annuli exemplo; Philosophia & Theologia prisca novæ conciliatur, præsertim ex Bern. nu. 8. 9. Notior autem est charitas ipso fratre quem diligimus,ex Augustino cum Basilio & aliis Patribus haud difficilè conciliando. L. 1. c.16.n.15.L.3.c.23.n.1. *& seqq.* L.4.c.7.n.7. Quæcumque tandem illa sit, oculis corporis nec videtur, nec videri potest. L.6.c.14. n.10. §.5.

Alteruter affectus dominatur in corde,sive *cœlestis charitas*, sive *terrena cupiditas*; per illam Christus,per hanc diabolus nobis imperat, ex Augustino. L.10.§.*Sed ult.* In ipsis justorum cordibus alterutra semper defixa radix, sui generis fructus generat. C. 54. §. *Qua.* Ubi cupiditas & charitas ex æquo dimicant, alterutrius generis timor vincit. C.29.30.31.33. Cur nonnisi post diutina ignorantiæ, infirmitatis & concupiscentiæ experimenta, charitas infunditur. C.4. Et per tot visa congrua mysteriorum Christi multipliciter excitatur. C. 5. 6. 7. Necnon per salubres amaritudines. C. 12. *& seqq.* Per ipsum earum timorem, tanquam per causam vel occasionem charitatis. C.22. 23.

Charitas non dicitur propriè, nisi quæ justificat, ex Augustino & aliis. L.10. c. 23. §.ult. C. 25. §. *Bernardus.* Quomodo tunc charitas humilitatem etiam pariat, juvante adhoc cupiditate seu concupiscentia? ex eodem Bernardo & aliis.C.45. §.*Et ipsam.* Nam post infusionem charitatis, contra concupiscentiæ reliquias, specialis requiritur Dei protectio. C.72. Præsertim ex S. Thoma, §. ult. At tametsi insit, non regnat concupiscentia in justificatis, sed charitas, qua compesci poterit cum adjutorio *sine quo non*, C. 76. §. *Video rursum.* Crescit autem charitas decrescente cupiditate, necdum tota interimitur cupiditas, ex August. C. 24. Perfecta dumtaxat charitas, quæ hic vix reperitur, foras mittit timorem, ibid. Interim perfecta, qualis nunc potest esse charitas, in ipsis Martyribus, à fortiori in aliis, eget timoris subsidio, ex Christo, Augustino & aliis Patribus. C.27.28. Quo sensu, non tam affectuali, quam actuali seu actuosa dilectione, impleatur charitatis præceptum? ex Bernardo C.37. §.*Propius.*

Quomodo tandem anima immensa evadat, maximè cum abjecto bonorum particularium amore, in charitatem summi & universalis boni demergitur, juxta ipsos Philosophos. L. 5.c.2. n.6. 8. A fortiori hinc invicta evadit & immutabilis. C.10. n. 14. *& seqq.* At non satis invicta nunc charitas, ex cupiditatis congressu, ut se & mentem plusquam momento in Deo figat. L.6. c. 12. num. 2. 14. Aliæ flagrantioris charitatis inspirationes, breves licèt & repentinæ,quasi prægustata felicitas, impressum relinquunt vestigium assigens bono. L. 10. C. 5. 6. In regno summæ charitatis quàm non sit timenda inæqualitas. L. 6.c.13.n.6. *& seqq.*

Cupiditates ipsæ vitiosissimæ Deum perversè quærunt & imitantur, ex Dionysio & Augustino. L.1. c.3. nu.4.5. Triplex earum vitiositas, & inquietudo, ibid. Triplex alia cupiditas, excellendi, sciendi & deliciandi, per peccatum detorta. L.3.c.5.n. 10. Per varios gradus mysteriorum Christi ad Deum paulatim retorquetur. L. 10. C.5.6.7. & passim seqq. Ex corporum prava complexione & intemperie cupiditates variæ. L.2.c.10. num.4. Quomodo tandem hominum cupiditates variæ, aliis ipsorummet, & aliorum cupiditatibus frangantur, cum variis exemplis. L.7.c.19. num. 4.5. *& seqq.* Et passim. L. 10.à c.1.ad 22. Demum exempla *cupiditatis* seu *curiositatis*, in Eva & Dina, quam multis exitiosæ. C. 50. §§. *Bernardus, Nilus.* V. etiam *Affectus, Cogitationes, Peccata, Vitia, &c.*

Chiliastæ. V. Dei visio, Resurrectio.

Christiani, Christus Dominus.

Vis & efficacia ipsius nominis *Christi ac Christiani*, cum aliquot exemplis. L.9.c.9.n.1. Eadem gratia fit Christianus quilibet, qua & Christus, ex August. L.8. c.6. num. 11. Christus ut caput Christique gratia invictissima tum demum post peccatum opus fuit. C. 2. num. 7. Scilicet ut felicitatem qua excussus ob mutabilitatem suam fuerat Adamus, sua immutabilitate servaret. L.6.c.9. n.5. Sicque Adamum simul & diabolum vinceret. L.7. c. 21. nu.2.C.22.nu.1. Et hinc efficacia gratiæ Christi specialis. L.9.c.7.n.8.C.10. integro.

Cur Christus non statim ab exordio mundi ho mines curaturus advenit? L.10. c.4. Et cur præmunienda ipsi fuerit via fidesque, tanta signorum, sacramentorum ac præconum serie? §. *Leo Mag.* Fides Christi diversimodè per Gentiles & Judæos olim præstruebatur. L.2.c.5.num.5. C.8.n.2. L.3.c.13. n.5.6. Quomodo Christus ipse præformabat utramque gentem, plenitudini corporis sui quandoque conglutinandam? ex Clem. Alex. L.9.c.8. num.4. §.*Mox.* Ac deinceps sacramentum universæ Ecclesiæ circumgestabat, & in seipso demonstrabat? ex Athanas. & Cyril. Alex. C. 11.

Quomodo rursum Christus ut caput sit exemplar prædestinationis nostræ, verè & ipse prædestinatus, ex Paulo & August. L.8.c.6.n.10.11. Ex Clem.Rom. L.9.c.7. n.2. Ex Ignatio Mart. nu. 4. Non multùm satagendum de ordine decretorum Dei,tam ad prædestinationem Christi, quam ad nostram. L.8.c.12. nu.7. 9. Ut per singulos actus Verbum, sapientia, justitia Christus in nobis generetur? ex Origene. L.9.c.8.n.8. Hinc ut Christus omnes, & præcipuè electos gestans,omnium libidines & vitia vicerit, virtutes impleverit,ex Athan. & Cyrill. Alexand. C.11. Præsertim n.6.11. Ut singula ipsius Christi hominis opera specialiter præfinita sint? L.7.c.20.n.7.

De voluntate Dei & de sanguine Christi fluit, quod & Euan-

Euangelica lux, & Mosaica lex, vel naturæ ipsa vox omnes convenit, omnes sollicitat ad salutem, ex Prospero contra Massilienses, L. 8. c. 11. num. 8. Quot modis mors Christi pro omnibus explicetur? ex eodem, ibid. Et Christi oratio pro suis, non pro mundo? ex Cyrill. Alex. & August. L. 9. c. 11. num. 8. In Christi interfectione aut proditione distinguendum inter Judæ ac Judæorum necnon diaboli & Pilati facinus à Deo tantùm præcognitum, ipsamque mortem Salvatoris ad salutem dispositam & prædestinatam, ex Leone Magn. L. 7. c. 5. num. 9. Ex Augustino, &c. C. 16. num. 8. 9. C. 20. num. 8. §. *Quæ*, L. 10. c. 86. § *Vides*. C. 88. §. 2. Ipsa Christi cæde meruit Judæorum superbia retundi, ex eodem August. C. 44. §. *Atrociore*.

Ridiculum est putare corpus Christi ubique esse, quia Divinitas, cui personaliter adhæret, ubique est. L. 5. c. 5. num. 4. 7. Nec detrahitur humanitati Christi, si Deum oculis corporeis vidisse negetur, ut ineptè aliqui olim asserebant. L. 6. c. 14. num. 9. §. 3. Descensu autem suo ad inferos gloriam acceleravit, tanquam novæ suæ legis privilegium. C. 18. num. 4. Cur tot visorum congruorum per Christi diversa mysteria usque ad Ascensionem exhibitio, ad amorem multiplicem captandum? ex Augustino potissimum, Gregorio Magno & Bernardo. L. 10. C. 5. 6. 7. Christi libertas & meritum, non humano modo pensitari debet, sed divino, ex Anselmo, C. 78. 79. circa finem. Quomodo per charitatem regnet & imperet nobis? C. 80. §. ult. Necnon ex omnipotentissima orbis conversione. L. 9. c. 8. n. 2. 12. C. 9. *integro*. C. 10. n. 17. &c. V. *Gratia*, *Orbis*, *&c.*

Quomodo jam mentium & cordium solus verus Magister Christus veritas & sapientia sempiterna? L. 3. c. 6. num. 5. 14. Maximè ad mores christianè componendos, num. 6. *& seqq.* Ipsamque humilitatem fovendam, C. 9. num. 5. C. 16. num. 6. Necnon & beatitatem prægustandam, L. 6. c. 10. num. 8. Hinc testimonium animæ naturaliter Christianæ, apud Tertul. &c. L. 1. c. 4. num. 4. 5. 6. C. 11. *ferè integro*. Et Christianus omnis Theologus esse debet, C. 22. num. 11. 12. Et idcirco etiam Mathematicus, C. 24. n. 2. &c. Tota autem vita Christiani si secundùm Evangelium vivat, crux est & martyrium. L. 10. C. 27. 28. Author denique librorum de *Imitatione Christi*, omnium manu semper versandus, verba etiam Christo non indigna affingit de spiritualibus suavitatibus. C. 37. §. *Non*, *& seqq.*

Cur Pagani olim Christianos, ut Atheos, impietatis arguerent? L. 2. c. 1. num. 2. Per ipsam doctam Dei ignorantiam, quam profitebantur ipsi Patres, Christianus quilibet supra omnem erroneam Gentilium & Philosophorum scientiam constituitur, ex August. L. 4. c. 7. nu. 1. Ex Chrysost. C. 8. n. 17. Cyrillo Hierosol. C. 9. n. 1. Et supra Judæorum pueritiam per cognitiones Dei spiritales, saltem sub virtutum symbolis. C. 11. n. 14. 18. C. 12. num. 11. §. *Obi.* 3. Errores multorum non interesse credentium, qua parte quisque Christianus fit, ex Aug. L. 10. c. 22. §. *Audiamus*.

Cibus.

Cibi corruptibilis cum incorruptibili multiplex collatio. L. 5. c. 10. num. 8. Utriusque cum re cibanda affinitas, ex Nysseno & August. ibid. Item L. 6. cap. 15. num. 15.

Cicero Orator Romanus.

Quàm dispar & varius ipsius stilus in variis operibus? Præfat. num. 8. Coluit vel maximè Philosophica seu Theologica Platonica dogmata, idcirco induciturquantum fieri potuit cum sua eloquentia dogmatis consentanea in Christianæ nostræ Theologiæ sacrarium, ibid. & num. 9. ac passim in 1. *parte operis*. Ejus judicium de Epicuro. L. 1. c. 3. num. 5. C. 2. num. 7. De Varrone. C. 24. num. 5. Præjudicia de lege innata, C. 7. num. 4. De animæ natura & immortalitate, C. 9. num. 4. De ideis ipsis Platonicis. C. 12. num. 12. Barbaræ tamen interdum Philosophorum voces cogunt Ciceronis elegantiam relinquere, ne dogmatum majestas infringatur. L. 5. c. 1. num. 11. Ciceronis *Hortensius* quantùm Augustino ad conversionem profuerit? L. 10. C. 90. 92.

Civitates. V. *Respublica*.

Clemens uterque, *Alexandrinus & Romanus*.

Ambo Clementes in tribus ferè capitibus præcipuis de Gratia cum Augustino & aliis consentiunt, dilutis aliquot eorum objectionibus. L. 9. c. 7. num. 2. 3. C. 8. num. 1. 2. 3. 4. 5. Romanus quidem in Epistola ad Corinthios Paulinæ comparata, ex Hieronym. C. 7. num. 2. Alexandrinus verò non solùm in his, sed etiam Græcorum, pro doctrina de ordinatione sola peccatorum, cum Latinis consentientium, fidejussor est idoneus. L. 7. c. 16. num. 11. Item Gnosticos veros vocat contemplatores cognitione simul & charitate cœlitus licèt raptim inspirata præditos. L. 10. c. 57. §. *Græcos*.

Præterea *Alexandrinus* ex principe Trinitatis unitate gentes hortatur ad fidem & charitatem. L. 2. c. 4. nu. 3. An bellè satis expresserit Patris & Filii personales proprietates? Ibid. Platonem ipsum ad Trinitatis dogma trahit. C. 5. num. 6. Manifestè Verbo tribuit præstantissimam essentiam, & ipsum esse, de quo Moyses, licèt Patri etiam adaptet, sed sine ulla inæqualitate. L. 3. c. 4. nu. 5. Ipsas Platonis ideas Christiano dogmati coaptat. C. 12. num. 7. C. 16. num. 11. C. 18. num. 9. Imò disertè astruit Verbi humanitate & dispensatione fieri, ut esse & bona esse dicantur omnia saltem sensibilia. C. 4. num. 9. Quo sensu dixerit Verbum *hominem esse impatibilem*? C. 18. num. 9. Quid de divinis ex humanis disciplinis emendicari suadeat? C. 16. num. 11. Luculentè ante alios affirmat solis negationibus nunc Deum cognosci posse. L. 4. c. 7. num. 4. Nihilosecius communiter nominari, sed sine ulla cum Origene & aliis pugna. C. 10. num. 2. 3. Verbo tenus docuit Deum summo cœlorum culmini insidere, terris potentia tantum. L. 5. c. 5. num. 9.

Coactio. V. *Libertas*.

Cælestinus Papa.

Ejus authoritate putatur Prosper decreta contra Massilienses sobrie librasse. L. 8. c. 12. num. 11. Contendit tamen Prosper ipse, Cælestini encomio omnes Augustini commentarios de Gratia consecratos esse. L. 9. c. 5. num. 4. Cælestinum imitatus est Hormisda, ibid. Vide etiam *Apostolica Sedes*.

Cælestius. V. *Pelagiani*.

Cœli, *Centrum*, *Circulationes*.

Cœlorum nomine intelliguntur quandoque Angeli, vel homines justi. L. 5. c. 5. num. 4. Quomodo specialiùs cœlum Deus inhabitet! C. 4. num. 14. Hinc cur inter abrupta pericula in cœlum potiùs quàm in Capitolium ipsi Gentiles converterentur? ex Tertull. & c. L. 1. c. 4. nu. 4. C. 11. n. 2. Ipse cœlorum syderumque circuitus, & constantia immutabilitatem Dei propiùs imitantur. L. 5. c. 7. n. 5. 6. Imò sunt incorruptibilia cum aliis corporibus, quæ sua Deus manu molitus est. nu. 16. Extra cœlos verò spatia imaginaria nec sunt, nec impleri à Deo possunt. L. 5. c. 4. n. 17. 18.

Cœli & sydera aliunde non sunt corpora incorrupta, Angelica vegetatione formata. L. 2. c. 6. nu. 7. L. 3. c. 13. nu. 6. Cœlorum tamen motio quasi intellectio quædam est. L. 6. c. 3. n. 8. Bonum autem instar centri immobilis, circa quod omnis motio. L. 5. c. 6. nu. 2. Unde tam crebræ circulationes circa idem centrum? C. 2. n. 5. 7. Præsertim cœlorum circa commune, ac syderum deinceps circa suum cujusque centrum? ibid.

Cogitatio, *Cognitio*, *Cor*.

Aliud est *nosse*, aliud *cogitare*. L. 1. c. 13. n. 1. Multa cognoscit anima, quæ non cogitat, ob cupiditates tantò atrociores, quantò noviores, num. 2. *& seqq.* Et tamen ipsa cogitatio non est nisi anima, ex Claudiano Mamerto. n. 5. §*Omnium*. Aliunde ubi cupiditas, ibi cogitatio. C. 14. num. 8. Quænam ex *corde* cogitationes, vel excogitationes? L. 3. c. 9. num. 5. L. 7. c. 16. nu. 8. Unde cogitationum volubilitas? L. 5. c. 10. num. 6. Plures cogitationes naufragio intercipiuntur, ne ad linguæ portum appellant. C. 14. n. 1.

Duplex rerum *cognitio*, *vespertina* in seipsis, *matutina* in Verbo. L. 6. c. 13. nu. 11. 12. C. 17. n. 4. L. 7. c. 2. nu. 9. 10. 11. Item duplex cognoscendi modus, quoad existentiam, & quoad essentiam. L. 1. c. 18. num. 1. &c. Triplex cognitionis gradus, ex Pothone Prum. C. 24. nu. 7. Quadruplex, ex Boethio, L. 3. c. 16. n. 7. Dubium an in ipsa prima objecti sensibilis perceptione, seu cogitatione, vel cognitione sit aliquid incorporeum? L. 4. c. 3. num. 1. A fortiori in aliis cogitationibus, utpote totis indivisibilibus, ibid. & nu. *seqq.*

Quatenus oporteat mundari *cor*? L. 1. c. 14. nu. 8. 9. Et sic redeundum ad cor? C. 17. n. 5. Quàm difficile in ipsis justis ab illicita cogitatione cor tergere, ex Greg. Mag. L. 10. c. 53. §. *Sed*. Timore tamen etiam ipsum mutatur cor, ex August. C. 23. §. *Efficaciam*. Ex cogitationis ipsius inspiratione gratia præveniens astruitur. C. 82. §. *Fulgentius*, L. 9. c. 9. num. 5. Scrutari autem corda proprium Dei jus L. 5. c. 5. num. 6. C. 10. n. 12. L. 6. c. 5. n. 12. C. 17. n. 5. *& seqq.* *& seqq.* L. 7. c. 3. num. 4. 5. L. 10, c. 18. §. *Etsi*, v. 3. Beatos tandem omnes suo jure donat Deus in corda, L. 7. c. 17. num. 6.

Collutus Hæreticus.

Dicebat Deum non esse authorem mali nequidem pœnæ, contra Scripturam, ex Aug. L. 7. c. 6. n. 1.

Com-

Compositio.

Multiplex describitur, ac multiplex cujuslibet macula, L.4.c.1.num.1.2.16. Et idcirco omnes procul a Deo eliminandæ, ibid. & C. 5. num. 1. *ac seqq.* In omni affirmatione est aliqua compositio, negatione dissolvitur. C.6. num. 8.

Concilia, Consensus.

Concilia ipsa nihil aliud quam antiqua Ecclesiæ Patrum placita illuminant, ut liquet in Ephesino I. ex Vincentio Lirin. L.9.c.2.num.5. Imò sequentes Synodi concinere sibi sanctos Patres, & ex eorum *consensu* altrui debere orthodoxam doctrinam, definiunt. C.5.num.12.C.6. num. 8.12.13. Antiquiores etiam Patres, tum Græci, tum Latini, in unam cogendi sunt Synodum, magni utique ponderis contra hæreses, ex August. C.4. num.9. & c. Ex *Florentina* maximè Synodo, ejusque defensoribus demonstratur fidei unitatem *consensione* Patrum niti. C.6. num. 8. *& seqq.* In prima sessione ipsemet Bessarion Græcorum consensum, etiam de auxiliis, satis testatus est. C.14. num.12. Et hæc *consensio* Synodus est plusquam Oecumenica in his discrepationibus prorsus necessaria, utpotè sine qua aliæ Oecumenicæ, quales nonnulli postulant cum Vossio, prorsus inutiles. C. 6. præsertim n.7. 8. &c.

In *Niceno* Concilio quomodo conversus, tumens antea Philosophus, ex Sozom. L.9.c.14. num. 9. *Alexandrinum* sub Theophilo, Universale Occidentis, & Quintum Generale Origenis errores proscripsere. L.3.c. 14. n.10.11. *Remense*, cujus mens Bernardus, coegit Porretanum ad resipiscentiam. L.4. c.1. n.6.

Palæstinum Diospolitanum, *Africana*, & *Romana*, necnon *Ephesinum primum* ex Orientalibus conflatum, Pelagium, Cælestium ac Nestorium damnavere. L. 9. c. 5. num. 1. 2. 4. *& seqq.* Secundi *Arausicani* & aliorum Conciliorum ac Pontificum sobrietas in definiendis abstrusioribus Quæstionibus Gratiæ. L.8.c.12. num.11. *Carisiacense ac Valentinum* sub diversis Principibus, in speciem solùm adversa. L.7.c.4.n.13.14.

Viennense quid definierit pro lumine gloriæ? L. 6. c. 16. num.7. 8. C.21. num.1.3. *Florentinum* & *Tridentinum* pro visione Dei ante resurrectionem? L. 6. c. 18. num. 6. *Tridentinum* præterea de gratia perseverantiæ? L. 10. c.72. §.1. De serie affectuum piorum ante justificationem, C. 80. §. 2. Et de libero arbitrio à Deo moto, §. *An*, *& seqq.*

Conciones, Congruitas, Conversiones, Correptiones.

In *Concionibus* non tam Concionatoris ingenium aut facundia, quàm veritatis aut virtutis pulcritudo semper præsens admirationi esse debet. L.5.c.20.n.8.9.10. Quàm considerate & circumspectè prædestinationis doctrina debeat prædicari? L.9.c.11.num.14. 15. Qui motus animorum congruè excitandi? n. 16.

Congruitas magnifit ab Augustino in mysteriis Christi ad amorem nostrum captandum. L. 10. Cc. 5. 6. 7. Item in ejus miraculis aliisque signis ad vocationem & *conversionem* diversorum. C. 60. 61. Et ad concordiam efficacis gratiæ cum libertate creata. Cap. 61. §. ultim.

Conversiones apud Græcos aliquæ, gratiæ efficaciam testantur. L.9.c.14.num.9. Item apud Latinos. Lib. 10. C.15.16. Et ad hoc auxiliorum conspiratio & congruitas. C. 89. 90. 91. De initio & progressu conversionis, Vide *Gratia, Justificatio, Orbis conversio, necnon Augustini, &c.*

Correptiones & similia Electis ad salutem utilia, non ita aliis, ex August. L.8. c. 5. n.4. *& seqq.* His tamen correptiones non prorsus inutiles. C.7.n.1. *& seqq.* C.11.nu.3. V. etiam *Electi*, *&c.*

Concupiscentia, Cupiditas, V. cum Charitate.

Contarenus Cardinalis.

Vehementer assentitur Dionysio de extasi divina in creatione & conservatione orbis. L.3.c.23.num.11.C.24.nu.3. Optimè etiam vir eminentissimus mentium omnium reciprocam immeationem explanat. L.5.c.5. num.5. Conjectatur Aristotelem dilucida momenta absque phantasmatis non respuisse. L.6. c.1. num.15. Denique astruit præsentiam rerum in æternitate, qua salvetur libertas. L.10. c.85. §. ult.

Contemplatio, Contemplatores.

Contemplatio immutabilitatem conciliat. L.5.c.7.nu.17.C. 15. num.5. 13. *& seqq.* Cessatio contemplationis mutationes temporum, C.11.num.9.11. Ex contemplatione cœlesti verus gustus gratiæ Christi, L.9.c.14.n.14.L.10.c.57. De diversis gradibus usque ad apicem contemplationis. C.7. *integro*. V, etiam *Dei visio*, *&c.*

Quinam sunt veri *Contemplatores* seu Gnostici? ex Clem. Alexan. L.10.c.57. §. *Græcos*. Etiam summi Contemplatores, ut Abraham eorum princeps & alii, de Deo non *quid*, sed *quod* sit dumtaxat perceperunt, L. 4. cap. 8. num.8.9. Et passim num. & C. *seqq.* præsertim Cap. 11. num.7. 13.

Contingentia, V. Libera.

Cornelius Centurio.

Simul ostensis cœlestibus Angelicisque colloquiis, ac consentaneis interioris gratiæ inspirationibus perductus ad fidem, L.10.c.15. §. *Exemplo*.

Corpora, Corporea, Corruptibilia.

Cur sicut anima ψυχὴ, ita corpus σῶμα dictum, juxta Philosophos. L.3.c.13.num.3. An corpora sint ergastula animarum? juxta eosdem, L.1.c.1.num. 1. *& seqq.* L.3.c.13. Juxta Patres, L.1.c.1.num. ultim. C.5.num.1.2.3.C.26. num.1.L.3.c.14. Duplex quidem distinguitur corpus ante & post lapsum, ut sibi concilietur Plato, L.6. c.1. num. 2.6.7.8. Necnon & post resurrectionem, C.3. nu. 4. 5. *& seqq.*

In matrimonio animæ cum corpore, duplex animæ dos, ex Tertull. L.1. cap. 11. num.3. Quibus omissis, amoris ipsius glutino in corpus quodammodo transformatur, seu unum se corpus cogitat, C. 13. num. 3. Non est opus tamen solvi a corpore, sed ab amore corporis. Cap. 14. num.8.9. Et a corporibus redire ad cor, C. 17. num. 6. Utpote quòd corpora sint origo mali, L.2.c. 10. num.4. L.3.c.11. num. 5. *& seqq.* C.15. num.5.6. 10. 17. L.5.c.2. num. 5.6.8.

Quorsum verò pulcritudo corporum, si nemo advertat? L.1.c.21.num.5. At quàm indecorum animæ corpora mirari, nisi summam mentem in apice, cui se corpora debent, num.6.7. Hinc pulchritudo & consonantia corporum, dotes animæ sunt & mentis, quæ has vel corporibus indit, vel summa pace contemplatur, num. 7. 8. 9. Sed non sine operiosiore progressu a corporibus ad mentem, & ad veritatem, C. 22. num. 1. *& seqq.* C.25. num. 1. Et tamen per corpora quandoque mentem alloquitur veritas, L. 3. c. 8. nu. 8. Imò semper per creaturam corpoream quasi permanentem, C. 9. num. 2.

Quid veritatis insit rebus corporeis, contra Materiarios illos Philosophos, qui nihil nisi corporeum agnoscebant? L.5.c.7.num.4. Similes ferè ii qui tanti faciunt corpoream hanc molem etiam inanimem, C.26. num. 14. 15. Hinc plerique etiam ex antiquis Philosophis Deum corporeum fingebant, quo nihil melius fingerent, L. 4. c.1.num.7. At longè alia pulchritudo Dei per mentes in animas, per animas in corpora sive *naturalia* sive *artefacta* effluit, & animas retorquet in Deum, L.3.c.21. Sine his nihil absurdius, nihil inutilius tota mole corporum, C.26.num.14.15. Et alioquin innumera corporum vitia Deo prorsus indigna demonstrantur, L.4. c.1. n.7. *& seqq.* C.2.num.1.2. Imprimis quod natura ipsa corporis & quantitatis sit posse crescere & decrescere, C. 1. num.14. C.2. num. 1. Et in apostasia quadam infinita ab ente & uno, hoc est in multiplicitate seu divisibilitate partium, ibid. & num. 2. Idcirco ne anima quidem potest esse corpus, ex Plot. ibid. Id adhuc acutius concluditur ab August. C.3.num.1. *& seqq.* Corpora tamen rursus non possunt esse sine anima, & sic gradatim usque ad Deum, L.5.c.1. num. 4. Quamvis extendi in locum latum & profundum, proprium sit naturæ corporeæ, C. 4. num.7.

Quando jam immensitatem Dei corpora insinuent mobilitate sua? L.5.c. 3.num.4.8. Et immutabilitatem ipsam imitentur quiete? L.6.c.7.num. 1. Imò motu qui vitæ instar est in ipsis, num. 2. 4. Quin & ipsis mutationibus seu generationibus ad immutabilitatem, & corruptionibus ad incorruptionem anhelantibus, num. 3. Quantò magis corpora cœlestia, num. 5. 6. Necnon & alia, quæ sua Deus manu molitus est, num.16. Præterea sanitas, quæ incorruptionis genus est, ab anima in corpus effluit, L.5.c.7.num.7. Et post resurrectionem *mortale hoc induet incorruptionem*, ex Paulo, id est animam seu sapientiam, ex Origene, C. 10. num. 17. Nec ipsam retardabit animam a veritatis contemplatione, L.6. c.3.nu.7. *& seqq.* C.7.num.8. 9.10. Imò nec in ipsis infantibus in utero materno, si non esset peccatum, C. 9. num. 15. Nihil tamen ad eam per se valet corpus, C.4.num.7. C.14. num. 9. *& seqq.* Tolerabilius Augustino visum est, quod alii objectabant corpus Beatorum spiritale futurum, quod tamen non probat, num. 11. 12. At maximè probat cum aliis tantam fore perspicuitatem in visu etiam corporeo, & sagacitatem in mente, ut ex corporalibus incorporea conjectentur, C. 17. num.6. V. etiam *Resurrectio*, *&c.*

Creatio, Creator, Creatura.

Tolerabiliùs de creatura quàm de Creatore erratur, ex August. L.6.c.14. num.11. Ne creaturarum quidem comprehenditur essentia, quantò minùs Creatoris, contra Eunomianos. Lib. 4. c.8. num.3.6. 10. 14. 15. Quantum tamen Creator attemperaverit irreprehensibilem magnitudinem suam, ut assimilet sibi quantum fieri potest naturas creatas, C.12.num.5. L.5.c.9. num.3. 7. 13. In ipsis tamen non potest esse, sed præesse, C.1. nu.1. 2. *& seqq.* Imò nec ullam ex eis creare nisi mutabilem, C. 10. *& seqq.* C.13. num. 1. Nihilosecius nullatenus creatio in tempore lædit Creatoris immutabilitatem, C. 6. num.8. Quomodo aliunde universa creatura incorruptibilitatis aliquid ab homine participasset, qua frustrata ingemiscit & parturit, ex Paulo, C.10.n.9.19. Ad quæstionem plurium cur non impeccabiles condiderit Deus creaturas, variè respondendum ex Patribus, L. 7. c. 10. n.2. *& seqq.* L.10.c.79. §. *Omnes, & seqq.* V. *Peccatum, Vitium, &c.*

Affectus ideo vitiosi & inquieti quòd in creaturis quærunt, quod in solo Creatore invenire jam licet, L.1. c.3. nu.4. 5. L.7.c.8. num.11. 12.13. 14. &c. Creatura tamen omnis Creatoris vestigium est aut imago, L.1.c.17. num.1. Et quidem quoad ipsam immensitatem, juxta Philosophos, L.5.c.2. Juxta Patres, C.5. Quoad immutabilitatem, ex Philosophis, C.7. Paulò aliter ex Patribus ipsisque per eos Scripturis, C.10. Scilicet etsi creatura aliqua posset esse sempiterna, nulla tamen æterna seu tota simul, &c. C.13. num.5. C. 14. num.8. *& seqq.* Quantam sapientiam vel in extremis sui vestigiis ostentet Creator? L.1. c. 21. num.5. Quantò magis si à creaturis corporeis ad spiritales, & ab his ad creatricem sapientiam & vitam gradus fiat? C.22. *integro*, L.3. C.26. num. 14. 15. 16. Scilicet singulæ creaturæ voces sunt veritatem creatricem personantes, L.3.c.9.num.2. V. etiam *Dei providentia, Orbis, Ordo, &c.*

Culpa, V. malum culpa, Peccatum.

Cumel. Theologus recentior.

Hic Scolæ recentioris placita de gratia prædeterminante & tamen cooperante luculentè promit & tuetur, L. 10. c.82. §.2.

Cyprianus Carthaginensis Episcopus.

Ipsum semper legendum consulit Hieronymus, L. 9. c. 4. num. 10. Ejus in sua cogenda universali Synodo suffragium magnificat Augustinus, C.4. num.12. *& seqq.* Imò suam omnem de gratia doctrinam ex Cypriani verbis contexit, C.16.n.5. 6. 7. Nunquam in ea secum errasse accusat, n.8. Et sanè ipsemet Cyprianus proprio se experimento convictum scribit, n. 4.

Cyrillus uterque Episcopus.

Hierosolymitanus plebem ipsam Ecclesiæ contra Eunomium armabat, in quo prælusit Chrysostomo, L.4.c.9.num.1. 2. Item in comparatione Solis ad explicandam indurationem, L.7.c.14.num.6.7. Similiter quoad gratiæ præventionem & efficaciam, licèt ob Manichæos pro libero arbitrio ipsi sæpiùs perorandum esset, L. 9. cap. 14. num.1.2.

Alexandrinus quo sensu dixerit Verbum animas illuminare non διδασκαλικῶς, sed δημιουργῶς, non magistraliter, sed creativè? L.1.c.8.num.1. Sexcenta apud eum passim occurrunt, ubi docet per Christum nos eò restitui, unde per Adamum excideramus, L.6. c.9. n.5. Cælestino Papæ junctus, æquè impugnavit Cælestium Pelagiumque ac Nestorium in ipsa Ephesina Synodo, L.9.c.3. n.4. Nec calamo solùm, sed & lingua ac passione quadam incruenta invictissimam Christi gratiam expertus, C.11.n.16. Hinc ille non solùm Athanasio, sed & Augustino maximè, quoad duplicem hominis statum & auxilium, in multis consentaneus, toto C.11.

Quomodo idem *Alexandrinus* intelligat Deum se per figuras & typos in Christianis litteris & sacramentis obvelare? L.1.c.24.num.10. Et ad hoc ex Ethnicis ipsis Philosophis suffragia corradat? ibid. & L.2. c. 3. num. 5. At ex Platone ipso, pro Trinitate, nonnisi in Ariano sensu, C.5.num.7. Deinde magis variat, ex Platonicorum potiùs quàm sua ipsius inconstantia, ibid. & num. 8. Et hinc pugnare secum & cum Aristotele Platonem de ipsis ideis credidit, Justinum secutus, L.3. c. 12. num. 10. Ipsam Platonis & Origenis reminiscentiam exsufflat, C.14.n.8.

D

Dæmones, Damnati, Diabolus.

PRimus Dæmonum *Diabolus*, id est, *accusator*, & *malus* dictus est ab actione, quæ ab initio non fuit, non ab essentia, ex Chrysost. L. 7. c.6. num. 12. Quatenus & ad quid permissus est Jobum accusare & tentare? L. 3. c. 10. num.1.2.4.6.9. L.7.c.11.num.8. L.10. c.40. Ipsi gratiæ ascribitur, quòd tanti adversarii forma perterrefaciens, vel infirmitas absconditur usque ad extremum judicium, ex Gregor. Mag. §. *Quin*. Imò ipsius gratiæ magna potestas est, cum traditur homo satanæ, ut homo per eum ex infirmo fortior fiat, & seipsum satan destruat, ex Ambros. C.45. §. *Et idem*, C.88. §. ult. Cur in congressu cum tentatore diabolo alii vincant, alii vincantur, ex Chrysost. C.48. §. ult. Modus ipse quo diabolus agit ad arbitrium suum in reprobis tanquam mancipiis suis, & ageret, si sineretur, in justis, quid nobis indicet? C.63. Ipse tamen diabolus, etsi semper peccans, aliquod bonum est, non solùm quia peccati supplicium bonum est, sed quia ejus natura etiam vitiata multis aliis inferioribus & integris melior est, L.2. c.12. nu.2. L.7.c.10. n.7. *& seqq.*

Jam socii *Dæmones*, unius Dei cultum potuerunt intercipere, non fidem, L.2.c.1. num.1.2. Nonnisi per ipsos, aut per scelestos homines eorum ministros, ipsa mala pœnæ à Deo infliguntur, L.2.c.12. num.10.11. L.7. c.6. num.1. *& seqq.* Sic malæ voluntates ab eis, potestas verò à Deo omnia per idoneos ministros dispensante, L. 7. c.11.num.6.9.C.12.num.9. *& seqq. ac passim* Cc. *seqq.* maximè Cc.20.21.22. Item L.10.Cc.64.65. Sic Dæmonis malitiam vincit, *passim ibid.* Per ipsum Spiritum sanctum, L.9.c.14.num.1.3. Dum ille delectationes maximè scelestas suggerit contra inspirationes Spiritus sancti, L.10.c. 82. Ac per cupiditatem in corde regnantem nobis imperat, C.80 §.ult.

Quomodo Deus diabolum alloquatur ac dæmones, & vicissim. L.3.c.8.num.1.C.10. *integro*. Quadruplex in summa Dei locutio ad dæmones, & triplex eorum ad Deum, sed rebus, non verbis, num.4. Conjectura Bernardi de custodia Throni Dei per bonos Angelos contra malos, num. 5. Dubium Augustini & aliorum, an mali quidquam veri cernant vel discernant, num. 7. 8. 9. 10. Quantò minùs Deum ipsum in illis veris quæ intervident L.4.c.12.num.8. L.6.c.21.num.11. Nec tamen eos fraudat Dionysius omni boni pulcrique appetitione, L.3.c.24.n.4. At erroneè omnino Origenes eos *Damnatosque* omnes tandem à pœna absolvit, Beatosque omnes exæquat, L.6.c.15.n.1. Econtra Beatos omnes *Damnatorum* pœnas coram intueri nec misereri, sed potiùs gaudere humanis affectionibus in divinas mutatis, sancti Patres consentiunt, C.17.n.8.9.

Daniel, & David Prophetæ.

Prior tempore *David*, quomodo verax est dicens, *Omnis homo mendax*? ex Greg.Mag. L.3.c.9. num.3. 5. Et quomodo laudet silendo? L.4.c.6. num. 8. Item contra seipsum impulsum à Deo Semei ipsemet testetur? ex Aug. L.7.c.20.num.2. Et econtra tam Semei, quam Saulis antea persecutionem ad ejus gloriam Deus converterit? ibid. & C. 21. num. 3. Præparatio cordis Ceilitarum ad trahendum Davidem, Deo non incognita, C.23.nu.12. 13. Quandiu adversitate exagitatus & adjutus est, abhorruit ab adulterio & homicidio, non postea, ex Greg. Mag. L.10.c.13. §. *Insigni*. Qui tunc Eucharistiam acceperat, tanquam mundus, postea in eo repertus est crimine, unde meruit humiliari, ex Orig. L.9.c.8. num.9. Discrimen ipsius a Saulis lapsu. L.10. c.20. §. *Theodoretus*. Nova Absalonis & Achitophel contra illum consilia in ipsius bonum, C.64 §. *Sit*. A cæde tandem & adulterio statim emersit, humilior cautiorque deinceps futurus, ex Chrysost. L.9. c.13. n.1.

Decreta, v. Dei decreta cum ejus præscientia, prædestinatione, &c.

Delectatio, Delicia, Desideria, Dilectio, Dolor.

Passionum animi duces, *delectatio & dolor*, ex Ambrosio, L.10.c.37. §. ult. Ex innato delectationis desiderio fluit dolorum vis & efficacia ad agendum, C. 1. §. *Est enim*. C.12. *& seqq. præsertim* 22. 23. *ferè integro*. Cujuscumque autem delectationis qualiscumque efficacia non ex peccato propriè, nisi ea demum sordida ac terrena sit, sed altiùs repetitur ex insito beatitatis amore seu delectatione, C.31.33.34. Progressus autem efficaciæ non ex sola interiori delectatione, sed & ex objecto seu illecebra ad delectandum congrua, C. 35. Nullatenus autem timo-

timori inest delectatio saltem victrix & dominans, C.36. Nec semper ariditatibus seu mœstitiis sanctissimarum animarum, C.37. At plurimum conducit timoris ipsius efficacia, C.22. *& seqq. præsertim* Cc.27. 29. Et maximè, quando *delectationes duæ* carnalis & spiritalis ex æquo dimicant, C.30. *integro*, & C. 82. §. *Idque*, *ac seqq.* Regula autem Augustini, *quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est*, generalis est de quacumque delectatione & in quocumque statu, Cc.30. 31. 39. 55. §. *Illam*. Ejus sensus & exceptiones, ex eodem Augustino & aliis, C. 32. *& seqq.* Et quidem exemplo humanarum delectationum, C. 38. ac rursus C.76. *& seqq.*

Qualis jam & quomodo per numeros creetur delectatio? L.1. c.23. n.3. Necnon per justitiæ & veritatis pulcritudinem omnium animis obversantem, L.3. c.20. n.8. *& seqq.* Unde & ad quid deliciandi desiderium inter plura alia? L.3. c.6. n.10. Delectatio inest operi, non desiderio peccati, L.10. c.23. §. *Ibidem*, *& seqq.* Qui ne in æternum pereat, valedicit deliciis peccati, is & earum desideria sterilia, eidem pœnæ obnoxia, ablegat utique, *ibid.* Difficile est omnes cogitationes à noxia delectatione abstrahere, C.53. §. *Sed*. Dolor denique non alia de causa tantoperè cavetur, nisi quia unitatis ac voluptatis vel delectationis detrimentum est, L. 2. c. 6. n.6. *& supra*. *Item* V. *Affectus*, *Charitas*, *Gratia*, *Voluptas*, *&c.*

Deus, Dominus.

Dei Attributa, nomina, perfectiones, seu proprietates.

Ipsum *Dei* nomen, naturæ est, *Domini* autem potestatis, ex Tertul. L.5. c.9. n.4. Hinc Deus semper fuit, non semper Dominus, nisi postquam absolvit universa, maximè hominem, *ibid.* Omnia tamen vocabula rebus creatis addicta, profana jam & Deo indigna sunt, C.13. n. 6. Sed qui humanis membris velari dignatus est, etiam humanis verbis revelari haud dedignatur, *ibid.* Licet tamen, & satius est, plurima mollire interpretatione negativa, *ibid.* V. *Negationes*. Hinc primum principium seu Deus propriè nec nominari potest, juxta Philosophos, L.6. c.5. n.4.5. 17. Et hinc pugna inter propositiones de Deo potiùs quàm Dei, n.18. 19. Et ideò tandem nomina Dei eò ampliora & præstantiora, quò ignotiora & magis vacua, quia minùs nomina, & aptiora stupori, n.20. Eò quòd tamen vel principalius nomen *esse* vix nobis allucere possit, aliis nominibus ad Moysen Deus se indigitavit, L. 2. cap. 3. num. 13. *& seqq.*

Ipsa Attributa à rebus spiritualibus sumpta, nonnisi symbola sunt, L.4. c.7. n.1. C.11. n.4. *& seqq.* Imò vocantur sacra figmenta, seu figuræ symbolicæ à Dionys. C.7. n. 14. Ea saltem ad œconomiam seu dispensationem revocantur à Nazianz. n.15. Et quidem eò utiliùs, quòd ex virtutibus nobis ad exemplar & imitationem in Dei nominibus proponantur, §. *Illud*. Et à Nysseno, n.18. §. *Si*. C. 12. n.1. An sint aliqua Attributa quæ redigi non possint in symbolorum ordinem? L. 4. c. 12. n. 13. Perfectionum simpliciter simplicium ab aliis distinctio, n.12. Discrimen etiam affectuum Deo tributorum à nostris, L.5. c.9. n.6. *& seqq.* At qui Deum vel corporeis vel spiritualibus symbolis intelligunt, in eo consentiunt quo nihil melius, L.4. c.1. n.9. Cc. 11. 12. n.1. §.3. & n.11.

Cur Apostolus Dei Attributa complura orditur à beatitate? L.6. c.13. n. 14. n. 3. 4. Imò in beatitate videntur omnia contineri, tam essentialia, quàm personalia, C. 17. n.2. Non tamen tota, passim Cc.19. & 20. Relativa externa dicuntur per alterius tantùm demutationem, L.5. c.9. nu.3. Quinque potissimum alii sunt fontes, à quibus promanant attributa propemodùm omnia, C.6. n.1. C.8. n.2. *& seqq.* præsertim 7. C.12. n.5. *& seqq.* L. 7. c.1. Quomodo tandem omnia attributa etiam diversissima in unum simplicissimum coalescant? L.4. c.5. n. 7. 8. V. etiam *Dei esse*, *simplicitas*, *& singula deinceps*.

Dei Esse, Essentia, Existentia, Notitia, Veritas & Vita.

Deum esse omnibus naturaliter cognitum colligebant Philosophi sæculares, præsertim Platonici; *primò* ex reliquiis beatæ contemplationis animæ in priori statu, L. 1. c.1. n.1. 2. 3. Ita etiam sancti Patres, sed rectiùs, C. 2. n.9. C.3. n.1. *Secundò* Philosophi ex omnium gentium consensione ad unius Dei confessionem, in tanta circa res alias contradicendi prurigine, C.1. n.4.5. Ideò neminem in contrario errore consenuisse, nisi fortè paucissimos portentorum instar habendos, *ibid.* Nec de brutis desperandum, quin divinum Numen internoscant ac venerentur, *ibid.* Pleraque adhuc rectiùs Patres. C.4. *integro*, C.11. n.2. L.2. n.1.2. L.5. c.1. n.3. C.8. n.1. *Tertiò* idipsum Philosophi, ex insito naturaliter appetitu boni, & quidem summi, sine cujus specie seu notitia aliqua nihil appetitur, L.1. c.1. n.6.7. Patres, C.3. nu. 4. 5. C.5. n.1.2. *Quartò* utrique ex insita naturaliter lege ac facultate judicandi de justis & injustis, &c. C. 2. n.1.2. C.5. n.3.4. ac Cc.6.7. *integris*.

Quintò rursus Dei *esse* naturaliter notum colligebant Philosophi ex cognatione mentis cum *veritate*, cujus lumina, regulæ, ideæ semper obversantur omni animæ rationali, non sensuum, aut magistrorum, sed solius naturæ magisterio, L. 1. c.2. n.3. & 4. Necnon Patres, C.3. n. 1. C.8. *integro*. L.3. c.5. n.12. *& seqq.* Quot modis summam veritatem Deum naturaliter omnes utcumque norunt, nu.8. *& seqq.* Et ipsa vicissim omnes ad hoc tum mentes tum res ipsas illuminet, n.12. *& seqq. usque in finem*. Item C.6. n.1. 13. C.7. *ferè toto*. L. 5. c.1. nu.7. Et sic divina veritas sit omnium magistra, L. 3. c.6. *toto*. C. 13. n.12. Quatenus Deus ut veritas alloquatur Angelos, Animas, Dæmones, & vicissim. Cc.8. 9. 10.

Sextò tandem Deum esse naturaliter notum concludebant Philosophi ex dignitate summi Numinis, ante omnem dubitationem per ipsum substantiæ contactum, & intellectionis anticipationem, non per conclusionem cognoscendi, L.1. c.2. n.5. *& seqq.* Rectiùs demum Patres, C.3. n.1. Et quidem per ideam entis summoperè perfecti, atque adeo naturaliter existentis, omni animæ rationali naturaliter impressam & quasi inessentiatam, C.8. n. 1. *& seqq.* C.16. n.1. C.20. *integro*. L.3. c.3. n.4.12. 14. L.4. c.11. n.18. §. *Sed*. Hinc ad divinorum cognitionem, per animam primùm, deinde per alia enitendum est, L.1. c.13. n.9. Et plura clariùs & certiùs de Deo & anima, quam de aliis sciuntur, C.16. Ac ipse Deus ex anima quam ex orbe toto, C.17. V. etiam *Anima*, *Idea*, *Orbis*, *&c.*

Per se autem nobis notum est Deum esse *quòd* est, non *quid* est, L.1. c.18. L.4. c.2. n.3. *& seqq.* ac passim Cc. *seqq.* præsertim 11. & 12. n.10. 11. Idque magis per arcanum sensum seu tactum animæ simpliciùs supra omnem affirmationem aut negationem assurgentis, & ita vel nesciendo scientis, *ibid.* & L.1. Cc.2. & 19. Longè verò expressiùs, L.6. c.5. Sic Deus omnimodè nesciri nequit, L.1. c.4. n.6. C.16. n.2. L.6. c.21. n.13. 14. Non solùm ex innata notitia, sed etiam ex primo orbis prospectu, C.21. n.4. 7. *& seqq.* Imò ex ipsa animæ in plerisque nescientia, n.6. Et operosiore a visibilibus ad invisibilia progressu, C.22. n.1. *& seqq.* L.3. c.21. L.5. c.5. n.1. L.6. c.10. n.1. *& seqq.* Deinde abstrusiore via per numeros multiplicis generis, L.1. c.23. n.1. *& seqq.* Item per principia omnium virtutum, scientiarum & artium, n.7. *& seqq.* L.6. c.10. n.2. *& seqq.* Hinc non casu in veritatem incurrerunt Philosophi, ex Tertull. cum aliis, L.1. c.24. n.1. *& seqq.* Ex ipsis tandem antiquis Philosophis iter ad Deum tentantibus amore potiùs & affectu, quàm contemplatione, C.25. n.6. 7.

Et tamen Deum esse potiùs *Unum*, quàm *Esse*, rati sunt aliquando ipsi Philosophi, præsertim Platonici, L.2. c. 2. nu. 4. Et quidem supra ipsum *esse*, n.5. C.7. n 8. L. 3. c.1. n.1. *& seqq.* Ita & Cyrillus ac Eulogius Alexandrini cum aliis Patribus, n. 1.4. C. 2. n.10. &c. Senserunt tandem Platonici non satis constanter à se negari, quòd Deus sit ipsum esse, etsi sit supra esse, C.1. nu.8. Eusebius multa ex eis coacervat, quibus evincit eos prædicare Deum esse, nu. 9. 10. 11. Necnon ex Plutarchi libello de syllaba ει, seu salutatione Delphico Templo inscripta, n.12. L.2. c.3. n.4. At expressissimè ex Oraculo Mosaico, L.3. c.1. n.9. 10. Et ipse Philo licèt alter Plato, C.2. n. 1. A fortiori alii Patres, licèt sibi & invicem, in asserendo Deo ipsum esse, & supra esse, contradicere visi, Nn. *seqq.* Imò utrimque vera ratio constet & hoc nomen esse Dei, & non esse, ex Justino, C. 3. num.1. Et utrumque perinde est, τὸ ὄν, seu existens illud apud Platonem, & ὁ ὤν existens ille apud Moysen, n.2.

Multipliciter illud esse Dei exponunt Patres, in eo saltem consentientes quòd significet totius entis plenitudinem & omnium attributorum radicem, L.3. c.3. n.3. *& seqq.* L.4. c.5. n.5. L.5. c.1. n.6. C.6. n.3. 7. C.8. n.4. C. 12. n.8.9. Necnon quòd sit primum & principalius Dei nomen, L.3. c.3. n.3. 6. 9. 10. 13. Imò ipsum negotium seu *essentiam* in se, non ab effectis, n.10. 14. Et C.4. n. 1. *& seqq.* L. 5. c.12. n.11. C. 13. nu.2. Ita ut solum *Est* Deo congruat, non *erat*, nec *erit*, L.3. c.4. num.9. Ac tandem solus sit, n.10. Prolixa rursus Dei cum materia comparatio quoad *esse*, n.14. *& seqq.* Quomodo aliunde nullum Dei nomen *essentiam* significans, ex Basilio, L. 4. c.8. n.6. & ex Chrysost. n.14. *& seqq.* C.9. n.1. *& seqq.* C.10. n.2.3. C.11. n.15.

Quomodo tandem Deus sit ipsa per se vita? &c. ex Dionys. & sequacibus, L.3. c.17. n.5. 6. Ex Bernardo, C. 23. n.

8. Ne-

8. Nequaquam autem illa essentia seu substantia media inter creatam, ut volebant Græci Palamitæ, C.17. n. 7. 8. Sed omnium numerus, pondus, & mensura, hoc est, causa & principium, ex August. *ibid.* Ut vita propriè Deus sit, & vitarum vita, purgatoria, sola beata, quia sola immortalis, Cc. 25. & 26. Imò vita magis propriè quàm substantia, quia operatio substantiva quidem semper se gignens, nu.7. Et hinc an quomodo Deus à seipso sit, n.3. *& seqq. usque ad* 6. L.5. c.6. nu, 6. C.8. n.8. 9. V. etiam *Trinitas*, *&c.*

Dei Visio, Majestas, Invisibilitas, Incomprehensibilitas.

In priori animarum statu clara Dei visio, ex Platone & sequacibus, L.6. c.1. n.1. *& seqq.* Imò hæc quasi connaturalis est, C.2. n.1. *& seqq.* Divinæ tamen id gratiæ beneficium agnoscebant octo probationibus, n.10.11. C.9. n.9. At juxta sanctos Patres, Angeli hominesque in ipso suo conditu tantùm, tam clara Dei possessione donati sunt, ut visionis aliisque exaggeratis vocibus ab illis appellata sit, Cc. 6.7.8. Et quidem pluribus rationibus ad Scripturæ testimonia adjunctis, præsertim ex ipsa Angeli aut hominis natura, *ibid.* Rursum multipliciter, ex eo quod tum demum opus fuit, ut sacramentis, scripturis ac carne obvelaretur deitas Verbi, postquam peccato carnales facti sumus, C.9. n.1.2.3. & 4. Item quod eodem per Christum restituimur, utique per resurrectionem, unde per Adamum excideramus, n.5. Dei autem visio, quam consecuturus erat Adamus, si non peccasset, & in quam nos Christus revocavit, multò præclarior illa priori, ex variis rationibus & authoritate Augustini ac Hugonis Victorini, Nn.6. 7 8. C. 21. num.13. Necnon Bernardi, L.3. c.7. nu.8. L. 4. c. 11. num.10. Et illa prior, licèt quodammodo naturalis, erat tamen & donum Dei, ex iisdem Patribus, L.6. c.9. numer. 9. 10.

Quin imò, juxta illos Patres, mortalibus post peccatum hominibus superest adhuc Dei visio, vel instar crepusculi ex priori die residui, vel instar diluculi ex futuro anticipati, in quo variant nonnihil Augustinus & Gregorius Magnus, L.6. Cc. 10. & 11. *Primò* etiamnum multa, quæ Deum nobis referunt, sine phantasmate intelligi probatur septem rationibus Augustini, C.10. *Secundò* à fortiori in repentinis quorumdam in Deum excessibus, ex Scripturis & Patribus, C.11. Et hos tamen momentaneas tantùm esse Dei visiones præ nimia obicum multitudine, ex duodecim aliis rationibus Patrum, C. 12. n. 1. *& seqq. usque ad* 13. præsertim ob nimiam *majestatis* divinæ gloriam, num.3. Ut fides & spes cum hac visione constet, n.7.8.9. A fortiori charitatis fervor, n.14. Ac tandem visionis ipsius jam elapsæ memoria, stupor & desiderium, n. 15. & passim C. 12. Objectionibus contra illa coruscamina multipliciter satisfit, C.26. nu.6. *& seqq.* Et in his omnibus Dei visionem semper intellige quoad *quod est*, vel *quid non est* tantùm, non *quid est*, C.10. n.11. C.11. n.1.3. 8. C.12. n.5. L.4. c.11. nu.9. *& seqq.* Et tamen immediatè sine ulla specie creata, ex longo intelligibilium à sensibilibus discrimine, L.6. c. 13. n.1. *usque ad* 6. A fortiori ipsius Dei, cujus non est alia species quam Verbum, nu.7. *& seqq. usque in finem.* Et adhuc expressiùs, C. 16. n.1. *usque ad* 7.

Ob momentaneam & rarissimam Dei in se visionem, varia aliunde ejus nomina, L.3. c.3. n.13. 14. De visione Dei in rubo, variæ Patrum interpretationes ad concordiam reductæ, Cc.3. & 4. An per solum Angelum? C. 9. n. 1.7. De majestate summi Imperatoris per bonos aut malos cuncta exequentis, L.7. c.11. n.6. Quam Dei majestatem & Throni custodiam per velatos Angelos Isaias viderit? ex Bernardo, L.3. c.10. nu. 5. Et quid per sedem? ex Chrysost. L.4. c.8. n.13.14.15. L.6. c.19. nu. 3. C.20. n.1. Quid tandem per dexteram majestatis? L.4. c.10. n.5. Et quidem in contemplationis culmine, C. 8. n.8.9. C.11. n.9. *& seqq.* In his quomodo dicatur Deus nunc visus, nunc videri non posse, L.4. c.7. n. 8. 10.16. C.9. n.1. C.11. n.9. C.12. n.8. 10. L.6. c.11. n.9. & Cc.19. 20. 21. num.16. A fortiori si intelligas primum invisibile principium in hoc statu vix vel momento fruendum, ob ærumnas corporis, C.5. n.15.

At copiosior Dei visio absque corpore nisi leviore animam non retardante, juxta ipsos Philosophos, L.6. c.3. Et quidem non alia specie quàm Verbo omnia non æqualiter exhibente, C.4. Item expressiùs juxta Patres, Cc.13.& 15. Nec etiam aliud lumen gloriæ, saltem tanquam speciale auxilium, ex Concilio Viennensi, quàm Spiritus sanctus, juxta antiquos Patres, c.16. n. 7. *& seqq.* Sic cùm Deus ipse possideatur, Dei visio una & tota est beatitas creaturæ rationalis, ex Scripturis & Patribus, c. 14. Ad hoc oculi corporei nullæ partes, nullæ vires sunt, ex ipsis Philosophis, c.4. n.6. Et ex Patribus, c.14. n.9. *& seqq.* De inæqualitate visionis rursus contra Origenem & Jovinianum Stoico morbo laborantes, C.15. n.1. *& seqq.* Vel ex progressu insatiabili à claritate in claritatem, in quo tamen Patres variant, nu.12. *& seqq.* Nihilominus Deus unus trinusque videtur ex præjactis de modo principiis, c.17. n.1. An in Verbo creaturæ omnes? ex Philosophis, c.4. n.3.4.6. Ex Patribus, c.17. n. 2. *& seqq.* Et quidem nos in his miseriis non sine miseratione, L.5. c.10. n.16. L.6. c.17. n.7. Non ita Damnatorum miseriæ, n.8.9. Quomodo res sensibiles ante & post resurrectionem sine corporis instrumento? c.18. nu.1. Utrum vero Deus ipse ante resurrectionem, negaverunt nonnulli Patrum Chialistis consentanei, nu.2. Sed longè plures asseruerunt ex Scripturis, tanquam novi Testamenti privilegium, num.3. 4. Quandoque tamen aliqui alternarunt, num. 5. Nunc in fidei dogma receptum est, numer. 6. Sed non sine modificatione ex gradibus perfectionis sumenda, ad conciliandos Patres, num. 7. *& seqq. usque in finem.*

Jam quomodo videatur, nec comprehendatur Deus, ex tribus sententiis ultima præfertur omnes connectens, scilicet non propter creaturas tantùm possibiles, & judiciorum inscrutabilium abyssos, sed & propter suam ipsius essentiam, ita ut ne totus quidem videatur, nec ex toto, juxta Scripturas & Patres, L.6. c. 19. Accedunt rationes, C.20. n.1. 2. 4. 5. Idcirco Patribus Græcis hac in re potioribus contra Arianos & Eunomianos, Deum non comprehendi, idem est ac non videri, nisi à seipso, C.19. n.2.4.8.9.12. C.20. n.6. 8. 10. Et hinc quantum similitudo nostra cum Deo visioni conjuncta, tantùm visio ipsa deficit, n.7. Adde Deum meliùs capi superlationibus, negationibus, silentio, nescientia, ut suprà, nu.8.9. Summa antedictorum, & aliorum concordia, n.10. & expressiùs C.21. n.14. Octo potissimum objectionum solutiones, contra Eunomium & Beguardos ac Beguinas utrumque statum confundentes, *toto illo* C.21. Plures adhuc præciduntur difficultates, si frui Deo dicantur Beati tactu magis seu illapsu, quam intellectu aut visu, n.14. V. etiam *Adamus*, *Moyses*, *Paulus*, *&c.*

Dei Simplicitas, Unitas, Bonitas, Charitas, Justitia, Pulchritudo, &c.

Cautiones aliquæ, ne veritates complexæ in Deo visæ, divinæ officiant simplicitati & unitati, L.1. c. 25. num.9. C.26. nu. 3.7. *& seqq.* L.4. c.12. num.6. 7. Vera Dei incorporeitas ad simplicitatem attinens, quòd solus nullo corpore nec aliis creaturis ad quodcumque opus indigeat, nequidem ad immeandas animas, ex Bernardo, L.3. c.8. num.7. *& seqq.* Cur his nihilominus quandoque utatur? ibid. Contra hanc tamen incorpoream Dei simplicitatem adversarii à primo post peccatum homine, omnes propemodum Ethnici, & ex Christianis plerique hactenus, atque adeo non inutiliter instruendi, L. 4. c. 1. num.1. *& seqq.* C.3. num. 18. Suspecti saltem Melito, Tertullianus, Audiani & Ægyptii Monachi, Anthropomorphitæ crassiores dicti, C.1. num2. *& seqq.* Absurdiores Græculi, num.7. & L.3. c. 17. num. 7. Acutiores Gilbertus Porretanus & Scotus, L.4. c. 1. num.6. 7. De his consulendi Annales Ecclesiastici, & Petavii Dogmata, num. 6.7. Qui ex his Deum corporeum fingebant, nihil melius cogitare poterant, num. 9. Vel hinc refelluntur & ex innumeris corporum maculis Deo prorsus, imò & anima indignis, ibid. & Nn. *seqq.* ac C.2. nu.1.2. Deum autem sua simplicitas evehit, non solùm supra corpora & animas, sed & supra ens, supra *ûnum*, & c. nu. 3. *& seqq.* C. 3. nu.1.7. 11. Et quidem & sapientia & veritas, nu.16. *& seqq.* Solvuntur Anthropomorphitarum objectiones, num.15.16.

Plures aliæ compositiones, contra ipsos Palamitas Græculos, à divina simplicitate absterguntur, *primò* ex earum maculis, L.4. c.4. num.1. *& seqq.* Omnia autem Dei attributa unum sunt, non solùm cum essentia, sed etiam inter se, n 5. Non realiter aut formaliter tantùm, sed etiã ratione, ex Patribus, num.6. *& seqq.* Ex ipso Boethio, etsi scolarum usui propiore, num. 9. Vehementiùs ex Bernardo contra Porretanum quaternitatem saltem vix declinantem, num. 10. *& seqq.* Ex his rursum incomparabiliter plus eminet Dei simplicitas supra animas, quàm animarum supra corpora. Nn. 4. & 10. Et ex aliis compositionum maculis, nu. 16. *Secundò* omnis prorsus compositionis vel distinctionis umbra à Deo abstergitur, ex altioribus simplicitatis radicibus, C.5. n.1. Et earum prima *unitate*, qua omnia Dei attributa in unum coalescunt, nu.2.3. Et sic de tribus aliis, primitate, esse, & veritate, nu. *seqq.* *Tertiò* denique summus Dei simplicitatis gradus est, ut non sit tantùm supra corpora & mentes, qua veritas & sapientia, sed & hoc symbolicè & ænigmaticè, ex

An-

Anselmo post Paulum, hoc est, supra veritatem & sapientiam, C.6.nu.1.

Hinc tripliciter de Deo quæcumque dicuntur, per negationes, per modum principii, per analogiam, ex Philosophis ipsis & Judæis, L.4.c.6. num. 4. *& seqq.* usque ad finem. Imò mera nescientia feliciùs Deus apprehenditur, num.7. *& toto ferè* C.7. Per hanc doctam ignorantiam Christianus supra omnem Gentilium & Philosophorum indoctam & erroneam scientiam constituitur, ex Augustino, num.1. Quin & tutiùs positiones seu affirmationes omnes de Deo in negationes resolvuntur, quas magnificaiunt Patres, num.2. *& seqq.* Sed præ cæteris Dionysius cum suis quoad triplicem superiorem modum, nu. 13. *& seqq.* ac C.10.num.9.& 13. Et hinc etiam permixtæ seu implicatæ Patrum propositiones de Dei simplicitate, C. 8. num.1. C. 10. num. 11. Necnon & Philosophorum, L.6.c.5.num.18.19. At longè aliter Eunomius omnia Dei nomina seu attributa permittebat confundebatque, ut comprehendere se persuaderet, L.4. c.8. num.4. Ideo ea maximè negativa ab affirmativis Basilius secernit, haud contrarius Augustino, ibid. & num.3. Utpote qui ne ratione quidem Deum attingi sinat, C. 10. num.4. Et omnia ad efficientias vel beneficientias, non ad substantiam vel essentiam reducat cum aliis, C. 8. num. 6. *& seqq.* Et hæc confirmantur à Cyrillo Hierosolymit. & ab aliis, C. 9. Ac tandem ferè ab iisdem per modum spicilegii, C. 10.

Tria supersunt ad divinam simplicitatem tractandam, *primò* multa in Scripturis palam indigna de Deo dici, ut amoveantur etiam quæ in speciem digna, L. 4. c. 11. Ex Augustino, num.1.& L.7.c.1.num.4. Ex aliis, L.4.c.11. num.2. *& seqq.* *Secundò* Attributa etiam à naturis spiritualibus mendicata dici tantùm symbolicè de Deo, ut suprà, num.4. *& seqq.* C.7.num.1.*& seqq.* C.12. num.1. 7. 9. 11. *& seqq.* Lib. 5. c. 6. num. 11. *Tertiò* denique Deum esse silentium ineffabili cordis voce laudandum, L. 4. c. 11.num.21. Deinceps summatim perstringuntur octo rationes doctrinæ superioris de summa & incomprehensibili Dei simplicitate, C. 12. num. 1. *& seqq.* usque ad 10. Et sex in contrarium objectiones solvuntur, num. 11. *& seqq.* Quarta & quinta potissimæ videntur ex perfectionibus quas vocant *simpliciter simplices*, aut perfectissimæ, num.12. 13. Demum tota illa doctrina uno Anselmi loco sub unum quasi conspectum sistitur, num. 16. Et quasi postliminio refricatur, L.6. c. 5. num. 4. *& seqq.* usque ad 20.

Jam Deum unum esse iisdem ferè probatur argumentis, quibus & ipsum esse supra, L.2. c. 1. num. 1. *Primò* igitur ex omnium consensione, ibid. *Secundò* ex ipsis vulgi improvisis vocibus, num.2. Et alio simul populari argumento multiplici, ex orbis creatione & administratione contra polyarchiam, num.3. Et ex ipsa mundi unitate, num.4. *Tertiò* magis Philosophico argumento, contra Marcionem geminæ Divinitatis architectum, ex summo in quolibet genere, num. 5. *& seqq.* Maximè in genere veritatis, num.10. *Quartò* tandem penè mathematico argumento, contra Cerdonianos, ex ipsa unitate omnibus principante, num. 11. & C. 2. num. 1. *& seqq.* Imò Deus est *unum* potius quam *esse*, num. 4. Et quidem supra primam mentem & ens, num. 5. Cujus etiam principium unitas, num.6. Et hæc omnia, juxta Platonicos ipsam Trinitatem ex unitate subodoratos, num. 8. *& seqq.* Item juxta Patres eosdem accuratiùs de unitate divina interpretatos, C. 3. num.9.& C.4. & 5. Vide *Trinitas.*

Præterea ut Deus est ipsum unum & supra ipsum unum, unitatem omnibus aspirans, ad unitatem omnia revocans, L. 2. c.6. n. 1. 2. 3. Quò *simplicius unum* est, eò aptius de Deo dicitur, etsi nec ipsum aptè, ex Pachymere ad Dionysium, n. 4. Eadem ex Mario Victorino pro Latinis Platonicam Theologiam per negationes & superlationes castigante, n.5. Et ex Augustino castigatiùs quàm ex Boethio, n.6.7. Item ex Justino negante *esse* proprium esse Dei nomen, eò quòd unus sit, alii Dii, imò reliqua omnia nihil, L.3.c.3. n. 1. 2. Et ex Greg. Mag. C. 4. n.10. Rursus ex Platonicis, L.4. c. 2. nu.3. *& seqq.* L.5. c. 1. n.4.

Similiter Deus est ipsum *bonum*, quod est ipsum unum supra ens, supra mentem, ex Philosophis, L.2. c.7.L.3. Cc.1. 2. L.5. c. 1. n.5. Negabat tamen Plotinus dici posse, *Deus bonus est vel bonum*, ne ei compositio aut esse aut aliquid aliud triberetur, n.8. *& seqq.* Eadem ferè, seu rectiùs ex Scripturis Patres, C.8. nu.3. *& seqq.* Quanti autem referret ad Dei summè boni amplitudinem mala permittere, & de iis benefacere? C. 10. n. 9. *& seqq.* C.12. n. 1. *& seqq.* V. *Bonum summum.* Ex dimidio verò bonus esset, si non æquè puniret ac benefaceret, ex Chrysostomo, L.10.c.26. §. *ult.* Sic de suo bonus, de nostro *justus*, ex Tertulliano & aliis, L.2.c.12. n.6. *& seqq.* Nec potest insimulari injustitiæ, cùm quid sit justitia, nonnisi in ipso videamus, L.3. c.16. nu.2. *& seqq.* Hinc etiam omnis humana justitia divinæ comparata, nonnisi injustitia reputatur, nu.6. 12. Nec alia est *pulcritudo* summa, quam summa seu divina justitia, à qua pulcra sunt, quæcumque justa sunt omnia, L.3. c. 19. num.2. 3. *& seqq.* Summum autem bonum parens est summæ illius pulcritudinis, n.15. 19. Sic Deus summa est pulcritudo in animas primùm, inde in corpora radians, Cc. 20. & 21 L.5. c.1. nu.8. Major & mirabilior contextio boni, justi, pulcri, & amoris in Deo, L. 3. C. 23. 24. V. etiam *Bonum*, *Charitas*, *Justitia*, *Pulcritudo*.

Dei Immutabilitas, *Æternitas*, *Immensitas*.

Ab iisdem potissimum quinque fontibus, nempe uno, bono, ente, mente, & pulcro, divina fluit immutabilitas, a quibus reliqua propemodum omnia attributa, jam supra, juxta Philosophos, L.5. c.6. Juxta Patres ab ipsis Philosophis edoctos, C.8. Sextus fons paulò abstrusior, quòd Deus sui sibi causa quodammodo sit, a se & per se subsistens, C.6. n.6. C.8. n.8. 9. V. *Trinitas*. Magis autem propria est immutabilitas ipsi uni & bono, quam enti, menti, & pulcro, C. 6. num.7. Solvitur objectio sumpta ex eo quòd mundum Deus cœperit condere in tempore, n.8. C.9. n. 1. *& seqq.* Item ex eo quòd aliter erga homines se habeat, humanosque affectus induat, C.6. n.9. C.9. n.9. *& seqq.* Summa rationum & authoritatum, quibus Dei in se immutabilitas stabilitur, C.6. n. 10. C.10. n.19. Item immutabilitatis divinæ argumenta dici possent, identitas, sufficientia, æternitas, immortalitas; nisi æternitas rivulus potiùs esset quam fons, sufficientia fons quidem, sed idem cum uno, bono, ingenito; identitas & immortalitas idem cum immutabilitate ipsa, n. 10. 11. 12.

Scilicet *Æternitas* non solùm ex quinque fontibus unde supra immutabilitas, sed etiam ex ipsa immutabilitate tanquam ex sexto prosluit, L.5. c.12. n.5. *& seqq.* Soli autem Deo pluribus titulis ascribitur a Patribus, contra varios hæreticos, C.13. num.1. 2. Et per eam omnia tempora, non per tempus, num.3.4.5. Imò tempora & temporalia Deo pariter præsentia sunt, etiam quæ nobis præterita vel futura, n.6. *& seqq.* L.7. c.2. n.7. C.17. nu.4. *& seqq.* L.10. c.83. *& seqq.* Attamen æternitas Dei nec affirmationibus nec negationibus ullis satis explicari potest, nisi ex dignatione ipsius Dei, L.5. c.12. n.6. 13. Quot modis aliunde Dei immutabilitas & æternitas a creaturis participetur, nec unquam æquetur, Cc. 7. §. 10. 15. L.7. c.17. n.12. 13. Vide etiam *Dei imago & vestigia.*

Cùm creaturas omnes præcedat Deus æternitate, stabiliorem Dei sedem non aliam censent Platonici, quam semetipsum, L.5. c.1. n.1. Inesse tamen ut causam universo mundo, sed eminentissimè, n.2. Idque ex naturali omnium anticipatione, n.3. Sed priùs ex quinque fontibus supra allatis, n.4. *& seqq.* Ex ipsa tandem omnipotentia, tanquam ex sexto aliis innexo, n.9. Et ex his omnibus non tam ubique est Deus, quam ipsum *ubique*, n.10. 11. 12. C.3. n.8. *& seqq.* Ut *immensitatem* Dei naturæ creatæ præsertim intellectuales imitentur, juxta Philosophos, c.2. juxta Patres, c.3. n.1. *& seqq.* c.5. *ferè toto*. Sed vel hinc probant esse ubique proprium esse Dei, c.3. n.1. 5. *ac seqq.* Summa rationum ut nusquam propriè nisi in semetipso sit Deus, n.14. c.4. n.18.

Modus autem quo locis adest Deus, implicatissimus est. & difficilè intelligitur, L. 5. c.4. n.1. Et quidem ex ægritudine peccati, qua Deum nisi corporeum cogitare vix possumus, n.2. Hinc Scolæ Magistri alii substantia ipsamet citra operationem, alii operatione modum illum explicant, n.3. Posteriorem prætulerunt sancti Patres, n.4.5. Imò Scripturæ ipsæ ab illis interpretatæ, n. 6. & c.6. n.8. Alioquin omnia, c.4. nu.8. Idque locum etiam habet ad intra, n.10. & ad extra, n.11. Non tamen ex æquo, nu. 12. 13. Hinc specialiter viros bonos, cœlum, Templa sibi dicata Deus inhabitat, n.14. Hinc malis abest, aut adest ultor, num. 15. Hinc nec nos ad Deum accedimus, nisi affectu, operatione, assimilatione, num.16. In spatiis verò imaginariis nec est nec imaginandus est Deus, num. 17. Sicut nec tempora ante mundum, n.18. Alia collatio immensitatis cum æternitate, L.10. c.83. §. *ult.* Superiora firmantur, L. 5. c. 5. num. 8. 9.

Dei Sapientia, *Scientia*, *Præscientia*, *Providentia*, *Mens*, *Prædestinatio*, *Decreta*, *Voluntas*, *Omnipotentia*.

Præscientia de Deo non magis propriè dicitur, quàm pœnitentia, L.4. c.11. n.1. L.7. c.1. nu.3. L.10. c.83. §. *Quod.* Cur

Cur autem *providentia*, potiùs quàm *prævidentia*? C.45. §. *Boethius*. Scilicet propriè nihil præscit Deus, omnia scit & videt ut præsentia, L.5. c.13. n. 8. 10. 11. Suffragia Scripturarum pro *sapientia & scientia* Dei, L.7. c.1. num.1. *& seqq.* Quàm immane distet scientia nostra à divina, n. 3. *& seqq.* Ipsaque asserta de Deo sapientia ad negationes & superlationes reducitur, L.4. c. 10. numer. 11. Et idcirco duplex de Deo sapientia distinguenda, *ibid.*

Quàm in investigabilis Dei *sapientia* vel in minimis ejus vestigiis, L.1. c.21. n.5. *& seqq.* C. 25. n.3. L.2. c.10. n.6. *& seqq.* Omnes enim & naturas etiam infimas, & naturarum necessarias *motiones*, quas semel creavit Deus, administrare sua *providentia*, adeoque & *scire* non cessat, ex Augustino, L.7. c.2. n.2. *& seqq.* Non ergo ut curiosus spectator, sed ut creator, motor, sospitator, scientiam & operationem obtinens æternitati suæ consentientem, ex aliis etiam Patribus, n.7.8. Quin & in Verbo ut in causa exemplari luculentiùs multò per *cognitionem matutinam*, quàm per *vespertinam* in seipsis, nu. 9.10.11. Nonnulla Hieronymi & Chrysostomi *omniscientia* in speciem subinfesta, ex ipsis & aliis Patribus, elucidantur, itaut singula etiam Deus noscat, sed simul & simplicissimè; non particulatim, id est, citra scrupulosam numerandi morositatem, n.12. *& seqq.* Sic etsi sapientiæ Dei non sit numerus, numerosa tamen est, quæ in numero fecit omnia, ex Script. & August. L.1. c.23. n.2. Ex Philosophis ipsis, C.25. n.10.

Hinc causas etiam liberas & contingentes, earumque *motiones* videri ac præsciri à Deo Scripturæ profitentur, L.7. c.3. n.1. Concurrunt rationes pro necessariis suprapositæ, n.2. At propria Dei dos est cognitio futurorum contingentium singulari æternitatis privilegio, n. 3. 5. C.5. n.12. L.10. c.83. *& seqq.* Necnon, ut aliqui tantùm opinati sunt, ex naturæ summæ jure in secreta cordium inferiorum, L.7. c.3. nu.4.5. C.17. nu.3. Multa tamen scit vel præscit, quæ non facit, ut peccata omnia, ex Augustino & asseclis, C.3. n.6. *& seqq.* Necnon ex Origene & aliis Græcis semper Augustino consentaneis, n. 9. 13. C.4. n.16. *& passim* Cc. *seqq.* Eaque ex Scripturis firmantur ab eisdem, C.4. n.2. *& seqq.* Scripturis ergo & Patribus adversantur, qui totam Dei præscientiam *decretis* superstruunt, n.9. C.5. n.12. C.9. n.1. Refellitur responsio eorum, qui peccata à Deo præscita, non prædestinata, volunt esse privationes solas justitiæ, quæ actionibus alioquin præfinitis inseparabiliter adhærescunt, nu.3. *& passim* Nn. & Cc. *seqq.* Maximè in primo peccato hominis vel Angeli, C.5. n.2.3. *& seqq.* C.9. n.3. C.15. n.9. *& seqq.*

Sic *prædestinat* Deus ad supplicia, non ad peccata, L.7. Cc.5. 6. Et consequenter ad id quod facit, non quod permittit, C.5. n.2. Præfinitionis autem & *præmotionis* divinæ ad peccata ne suspicio quidem venerat priscis Philosophis Theologisque, n.11. Itaque clariùs adhuc patet ex variis Quæstionibus circa primum peccatum ævo Patrum agitatis, C. 10. *integro*. Sed allatam mox distinctionem objecerant Marcioni & Florino, qui aiebant, ac Collutho, qui negabat mala a Deo fieri, C.6. n.1. 6.7. &c. Necnon distinctionem naturarum, quæ à Deo sunt, ab actionibus naturæ haud consentaneis, quæ minimè, n.11. *& seqq. ac toto* C.7. Hocque usque ad nonum sæculum, n.13. & C.8. n.1. Novatum est nonnihil desinente undecimo, sub Anselmo Cant. *ibid.* & Nn. *seqq.* Præluxerat tamen concordiæ Augustinus, n.8. 11. *& seqq.* Imprimis distinguendo *motiones* seu pronitates ad bonum, quas Deus creando indiderat, & secundùm quas tanquam imagines suas movet adhuc & adjuvat, ab iisdem detortis, & ex parte tantùm, cum peccamus, servatis, n.11. 12. *& seqq.*

Ex his liquet, etsi aliqua Dei *motio* constituatur ad actiones criminosas, non eam tamen esse, quæ ex *decreto* infallibili voluntatem *prædeterminet* invictissimè, *ibid.* & C.9. nu.1. Idque confirmatur ex bicipiti Dei *providentia*, omnia vel faciente vel fieri sinente, ita ut si non omnia fiant à Deo, saltem non sine Deo, n.2. *& seqq. Præfat.* n.13.14. Hincque magis elucescit *voluntatis* Dei *omnipotentia*, ex August. & aliis Patribus, L.7. c.9. nu.4. *& seqq.* Nec aliter eam exaggerat Augustinus, etiam post exortam Pelagianam hæresim, C.10. n.1.2. C.11. n.5. C. 19. n.15. Quippe vel ideo omnipotentem Deum, quia non omnium voluntatum quidem, sed eas exequendi potestatum dator est, ex Scripturis clarissimis cum aliis Patribus agnoscit, n.1. *& seqq.* Et hinc cum Gregorio Magno describit aulam summi Imperatoris Dei, potestates omnes Angelis bonis malisve dispensantis, num.6.9. Et quidem quoad ipsas indurationes non solùm per patientiam, permittendo & deserendo, nec nisi ob præcedentes culpas, C.12. n.2.3. Sed etiam per potentiam, quam solam negabant Pelagiani, & quam explicat Augustinus per occasiones tantùm excitatas vel excitari permissas, non per decreta prædeterminantia, aut præmotiones physicas, n.4. *& seqq.* C.19. n.7. 10. 15. *ac toto* C.20. Satis est quod addat, ut suprà, per Angelos, nequaquam scrutatores cordium, n.4. & L.10. Cc.64.65. Et alii Patres, C.66.

Tota superior Augustini doctrina gradatim concepti ferè confirmatur à sequacibus Patribus Latinis, præsertim Prospero, Fulgentio, Gregorio Magno, Ruperto, usque ad duos Scolæ facilè principes, Hugonem & Thomam, L.7. c.13. *integro*, Item à Græcis, quorum non inutilis cum Augustino hac in parte concordia, L. 14. n.1. *& seqq.* Imprimis Origenis sibi non contradicentis per varia, quibus utitur, exempla, n.3.4.5. Et reliquorum iisdem vel similibus utentium exemplis, *num.6. & seqq.* C.13. n.6. C.22. n.6. Ex quibus, sicut & ex Augustino, inter corollaria *providentiæ Dei bicipitis*, illud quoque numeratur, ut naturas omnes creet Deus, & ordinet; voluntates omnes non creet, sed ordinet, bonas in præmio, malas in supplicio; & ita invicta semper sit & *omnipotens Dei voluntas*, C.10. n.1. C.15. n.1. *& seqq.* C.16. *integro*. L.10. Cc.86.87.88. Quàm nugatoria alioquin *sapientiæ & omnipotentiæ divinæ* per *decreta & prædeterminationes* defensitatio, imò quàm odiosa, & à pietatis sensu ipsorum populorum aliena, maximè si compares cum superiori hæreseon victrice, *ibid.* & rursus L. 7. c.10. n.9. *& seqq.* C.19. n.10. *& seqq.* C.22. n.4. Hinc inter alios, Gregorius Magnus horum providentiæ arcanorum rimator acutissimus censet non peccata ipsa, sed ingentia, quæ ex peccatis exprimuntur bona, decretis & præmotionibus Dei niti, C. 16. num. 6. Huc refer ipsa Philosophorum decreta, L.2. c. 10. num. 6. *& seqq.*

Excipe adhuc cum peccatis bona ipsa, quæ *indeclinabili adjutorio* facturus non est Deus; etiamsi & illa & omnia ab eo præsciri, vel ex solis Prophetarum vaticiniis, notissimum sit, L.7. c.17. n.1.2. Et quidem non ita certò per causarum particularium, earumque propensionum comprehensionem, utpote quæ eò majorem indifferentiam deprehendat, licèt aliqui jam suprà Patres sic opinati sunt, n.3. At plures ac pluribus certioribus rationibus, non tam per *præscientiam* aut prævisionem, quàm per *scientiam* aut visionem omnium in æternitate, non objectivè tantùm, sed verè & realiter præsentium, nu. 4. *& seqq. usque in finem*. L.10. c.83. *& seqq.* Præfat. n.10. V. etiam *Æternitas*. Idcirco nullam necessitatem antecedentem rebus imponunt, *ibid.* Illas tamen *præscire* necnon & antecedere dici potest Deus, tanquam earum causa, vel efficiens, vel permittens, L.7. c.18. Imò *præscientia*, licet translatè, de Deo & quidem solo dicitur ex Prudentio Tricassino contra Erigenam, n.5. Paulò aliter, sed in eundem sensum, L.10. c.83. *circa finem*. Item præclarè Anselmus non solùm de *præscientia*, sed & de *prædestinatione* ipsa. L.8. c.12. n.5. L.10. c.85. An demum *visionis vel simplicis intelligentiæ scientia*, ea sit causa rerum? L.7. c.18. n.9. *& seqq.*

Jam *Decretis Dei* absolutissimis quàm multa subjecerint Patres ex antedictis, L.7. c.20. n.1. Quàm multa absolverint, maximè in primævo Angelorum & hominum statu, necnon & in secundo, licèt diversa sit utriusque status *prædestinatio*, & diversi effectus, n.2. Quomodo autem in his regnet invictissima Dei *voluntas* & *omnipotentia*? n.3. Patres post Augustinum nodum solvebant per causarum sive occasionum dispensationem, quæ nunc à paucis expenditur, nu.4. *& seqq.* Quantò plus constantiæ, plus sapientiæ in priori solutione refulgeat? n.10. Istiusmodi ergo sunt bicipitis *Providentiæ decreta* & ipsa bicornia, ut & homo liber sit, & Deus omnipotens, n. 11. 12.13.14. Novissimum & manifestissimum documentum *bicornis providentiæ*, etiam in tuenda adversùs Pelagianos providentia, nu.15. *& toto* C.20. Ubi admittunt Scripturæ & Patres absolutissima aliqua decreta in rebus magni momenti, cujusmodi est regnorum constitutio, Christi gesta singula, vel hinc disce non minutissima quæque decerni, n.7. Multò minùs singulas actiones liberas, saltem ad malum, nisi modis prælibatis, & hìc per S. Thomam & Augustinum, n.11.12. & Cc.21.22. L. 10. Cc.86. 87. 88. Nonnisi à fine superioris sæculi, magni nominis Theologi *Dei præscientiam & prædestinationem* per *decreta* & prædeterminationes ad singulos actus stare certò posse crediderunt, C.83. §.1. C.86. §.1. Objectioni de pedissequa *Dei voluntate* ad nostram ex præjactis principiis, quadrifariam satisfit, L.7. c.21. n.5. *& seqq.*

Denique *futurorum conditionatorum* aliquorum admittitur in Deo *præsentia*, nempe quæ ex causis naturalibus eruptura erant, ex August. L.7. c.23. n.2. Non autem liberorum, ex eodem & Fulgent. adversùs Manichæos, Pelagia-

lagianos & Semipelagianos, num.1.3.4.6.7.9.10. Ad eorum argumentum de rapto juvene, ne malitia maturetur, respondet Augustinus id dici, non ob præscientiam futuri quod futurum non est, se ob incerta vitæ pericula, n.5. Hinc similiter respondeas ad similia Scripturæ exempla, & ex Greg. Mag. *ibid. ac* Nn.11.12.13. Rursus ex Augustino simul & Cypriano, L. 10. c.47.§. *Quando*, *& seqq.*

Dei rursus Prædestinatio specialis, cum annexa Reprobatione, & aliis jam prælibatis.

Quid *prædestinare, præfinire, decernere, statuere, proponere,* ὁρίζειν, προορίζειν in Scripturis, maximè quoad Deum? L.8.c.1.n.1. Prædestinatio sumitur etiam apud Patres, pro quacumque dispositione Dei ad res diversissimas, quas facturus est, etiam ad pœnam culpæ, non ad ipsam culpam, ex Augustino, §. *His*, & Nn. 2. 3. Ex Hugone Victor. L.7. c.4. nu.15. Propriè tamen est gratiæ gloriæque præparatio, ex utroque, *utrobique*. Idem valent hæ voces in Scripturis & Patribus, *electio, propositum, dilectio, discretio, præparatio gratiæ*, L.8. c.1. n.4. *Duplex prædestinatio*, altera meritorum seu operum, altera gratiæ seu misericordiæ, ex iisdem, n.5. C.2. nu.1. Lucidiùs aperitur adjutorium gratiæ duplex duplici aptatum prædestinationi, ex August. & ratione plurima, C. 2. n.2. 3. 4.7. *& seqq.* Ex eodem & aliis Patribus, C.3. *ferè toto*. Objectiones solvuntur ex iisdem & Pontificibus S. Pio V. & Gregorio XIII. nu.13. *& seqq.* Duplex adhuc prædestinatio distinguitur, ut aliæ objectiones ex Græcis solvantur, L.9. c.8. n.13.

Electioni gratiæ ut temerariæ adversabatur Augustinus ipse ante Episcopatum, postea aliquandiu adhuc soli voci, L.8. c.1. n.6. At præcipui adversarii Pelagiani bonis operibus, Semipelagiani initiis fidei, divinam superstruebant electionem, nu.7. Marcion, Valentinus, & Manes antea naturis ipsis, quarum aliæ essent malæ, aliæ bonæ, n.8. Horum & Paganorum occasione, alternatio Patrum in gratia vel libero arbitrio commendandis, V. *infra*.

Promitur & exponitur jam *definitio Augustiniana prædestinationis*; etsi præscientia dicitur, innititur tamen scientiæ visionis, L.8. c.1. n.9. Prior maximè prædestinatio ex meritis, præscientiæ sæpiùs nomine designatur ab Augustino, C.4. n.1. Necnon secunda quandoque in Scripturis ipsis & Patribus, ex eodem, & authore ipsi addictissimo libri de *Vocatione Gentium*, L.9.c.18. n.3.8. Prædestinat autem Deus nunc quos vult, & ad gloriam, & ad gratiam, L.8. c.1. n.10. Ad gloriam priùs quàm ad gratiam, ex validis argumentis, tum Augustini, tum Fulgentij, n.11. *& seqq.* C.5. n.8.9. 10. Sic etiam prædestinatio hominum post lapsum Adæ, probatur antevenire & dare omnia merita, tribus prioribus Augustini argumentis, ex comparatione cum *prædestinatione Angelorum, toto* C.4. Deinde tribus aliis, ex *omnipotentissima Dei voluntate* in electos de perditionis massa variis mediis secretos, C. 5. Præterea tribus aliis vel à vocatione *secundùm propositum*, non hominis, sed Dei, C. 6. n.1. *& seqq.* Vel à *prædestinatione parvulorum*, & eorum qui præripiuntur certis vitæ periculis, n.5. *& seqq.* Item aliorum infantium operibus prorsus vacuorum, ex libello integro Nysseni, C.10. num.7. Adde exemplum puerorum Martyrum, ex Augustino & Irenæo, L.9. c. 7. n.7. Vel demum ex *Prædestinatione Christi*, L. 8. c. 6. n.10. 11. Juxta ipsum Clementem Romanum, L.9. c.7. n.2. Necnon Irenæum ex Verbi incarnati incommutabilitate dumtaxat de prædestinatione nostra certum, uti postea Augustinus, n.8. Item & ante Augustinum Athanasius & Cyrillus Alexandrini huc per Arianos, Nestorianos, vel Pelagianos adacti sunt, C. 10. *integro*. Denique tribus aliis argumentis Augustini duodenarium numerum perficientibus, tum ex quatuor capitibus querelarum Massiliensium, L.8. c.7. n.1.2. tum ex præfinito ante sæcula Electorum numero, nu.4. *& seqq.* tum demum ex recursu ad inscrutabilia Dei judicia, num. 12. *& seqq.* Ex Chrysost. L.9. c. 13. num. 2. Ex Hier. C. 17. n.8.

In fidei tamen dogma recepta non est hæc Augustini doctrina de Prædestinatione Dei, etsi Scripturis etiam innitatur, ac deincepsaliis Patribus, L.8. c.7. nu.19. & Cc. *seqq.* Imprimis Prospero inter Latinos; etsi contrarium Augustino videatur, quod ait, quosdam prædestinatos non esse, quòd præsciti sint suis peccatis immorituri, C. 8. n.1.2. Inde autem Fulgentius nulli copiam facit contrà sentiendi, quòd tunc adversarij ex Pelagianorum aut Semipelagianorum principiis de initiis fidei prædestinationem gratiosam impetrent, n.3. *& seqq.* Definitum quidem tunc est in secunda Synodo Arausicana, fidei initia & bonæ voluntatis rudimenta, totamque salutis nostræ fabricam divinæ gratiæ referendam esse; at nihil de prædestinatione & similibus, C.12. n.11. Deinceps contra illius obtrectatores tantùm scripsere, prolatis pluribus exemplis, inter alios Primasius Africanus de personarum acceptione, n.7. Sed præ cæteris Gregorius Magnus à Gentilium & Judæorum exemplo, & ex parabola drachmæ perditæ, pro certo Electorum numero, nu.8. *& seqq. usque ad* 12. Gregorium sequitur pro more Isidorus Hispalensis, n.14. Isidorum, Gregorium & Augustinum Ratramnus & alii nono sæculo Galli, licèt pro Regnorum diversitate in duas quasi partes divisi, Gottescalchi occasione; at nullatenus quoad prædestinationem gratuitam, ne ipse quidem Hincmarus hìc proferendus pro aliis, num.15. Multò minùs postea Anselmus, Bernardus & Hugo Victorinus, maximè quoad numerum præfinitum, n.16. 17. 18. V. *singulos in propriis titulis*.

Aliunde liquet etiam Angelos hominesque ante præscita peccata, nec *positivè* nec *negativè reprobari* potuisse; post ea prævisa, tam positivè quàm negativè reprobatos esse, duodecim ferè corollariis ex antedictis omnibus, præsertim de *damnationis massa*, L.8. c. 9. nu.1. *usque ad* 12. Respondetur objectioni de justificatis semel, nec tamen ab illa massa discretis, C.10. n.1. Quæ tamen à dilucida Pauli & Augustini doctrina non debet deterrere, n.2.4. Nam præter observata Nn. *seqq. duplex massa* distinguitur, altera originalis tantùm peccati, à qua extracti fuerant, non ab alia actualium, n. 8. Non ob primam seu ob peccatum originale semel dimissum denegatur donum perseverantiæ, etsi negetur propter peccata, quæ proserpunt ex peccati originalis fruticibus ignorantia & concupiscentia, & in quæ se rursum sponte dejiciunt, n.5.6.9.11. C.11. n.4. 7. Aliquantò inclementiores sunt qui ob neutram massam, reprobationem negativam astruunt, C.10. n.10.

Aliæ objectiones imprimis Massiliensium, ut jam suprà, adversùs ea quæ de prædestinatione & reprobatione disputata sunt, ex Hilario & Prospero, L.8. c.11. n.1.2.3. Responsiones Prosperi ad objectam fati necessitatem, n. 4. Et de iis qui non præripiuntur antequam à justitia desciscant, n.5. Item ad vocationem, quæ non ad omnes satis clementer se exporrigat, n.6. Item ad eos qui semel justitiæ aggregati, ab ea deficiunt, nu.7. Item de *Voluntate Dei* ad omnium salutem propensa, & de impenso ad hoc Christi sanguine, n.8. Satisfecerat jam Augustinus istiusmodi objectionibus, & in adversarios sua ipsorum jacula retorserat, n.9. Accuratiùs absterserat aspersam sibi novitatis infamiam, eviceratque suam de Prædestinatione doctrinam eminuisse jam olim in precibus Ecclesiæ, n. 10. Et in Patrum scriptis, *ibid.* & L. 9. Cc. 4. & 18. Omnes ferè objectiones allatæ, ex populari & crasso usu, quasi *præscientia & prædestinatio Dei* nostras voluntates & actiones infinito quodam tempore antecedat; cùm nulla sit propriè, sicut præscientia, sic nec prædestinatio; sed dispositio omnipotens rerum præsentium, ex Anselmo in aureolo libro de harum concordia cum libero arbitrio, C.12. numer.4. 5.6. Ordo decretorum non magnoperè requirendus, exemplo Patrum, præsertim Augustini, n.7.8.9.

Cautiones ex eodem Augustino perutiles ad eos demulcendos, quos doctrinæ hujus altitudo magis deterret, quàm asperitas, L.8. c.11. n.11. Spes salutis tutiùs in Dei clementia locatur, quàm in humanæ inconstantia voluntatis, *ibid.* Cur omnibus correptio & exhortatio adhibenda? n.12. Tantò vehementiùs in opera bona incumbendum, quantò certius est his prædestinationem impleri, nu. 3. Quàm considerate & circumspectè prædicari debeat gratuitæ prædestinationis doctrina, n. 14. 15. Qui motus animorum hac excitandi? n.16. At jam non aliena à fide populorum probatur, L.9. c.2. n.6. C.4. nu.5. 11. *& seqq.* Cautio demum seu sobrietas maxima Conciliorum & Pontificum, imò ipsius, ut vulgò creditur, Prosperi pro Pontifice agentis, ne plura quæ ad prædestinationem spectant, in fidei regulam sint recepta, n.8. C.12. n. *ult.* Attamen proximè spectant ad fidem, L.9. c.2. n.6. C.4. nu.5. *& passim seqq.* C.18. n.3. §. *Continuo*, & nu.5. Ac tandem cautiùs totum concluditur, C.19. n.8.

Pacatè nunc ferre debent Catholici Theologi sententiarum de gratiæ efficacia alternationem, dum constet prædestinationis gratuitæ placitum, L.9. c.1. *præsertim* n.8. 9. L.10. *Præfat. ferè tota*. & C.83. §.1.2. Veterum Græcorum consensio ab ipsa Palæstina Synodo demonstrari incipit, ante ullam Augustini hac de re lucubrationem, qui tamen illius decretis postea & sua illigavit de prædestinatione gratuita, & aliis huc spectantibus, C.3. n.1. Sic deinceps utriusque Ecclesiæ consensus demonstratur, imprimis contra Faustum Reiensem, & socios, Nn. *seqq.* Imò anteriorum Patrum, ex ipso August. C.4. Ex Pro-

spero ac Fulgentio, necnon ex Conciliis Generalibus, Cc. 5. & 6. Adhuc luculentiùs ex singulorum Patrum testimoniis, Cc.7. *& seqq.* Objectiones ex Origene & aliis Græcis solvuntur, C.8. n.13. Multiplex ex prædestinatione duplici gratia educitur, apud Cyrillum & alios, C.10. n.14.15.17. *& passim* Cc. *seqq.* Necnon & *Dei protectio specialis*, præsertim L. 10. Cc.47. & 72. V. etiam *Gratia efficacia*.

Dei Imago, & Vestigia.

Imagini divinæ, etiam in primo ortu, debetur divinorum contemplatio, L.6. c.7. n.7. C.8. n.1. *& seqq.* Eam propriè primus homo Adam, non Eva referebat, ex Apostolo & Augustino, C.10. n.6. Et illa primo homini impressa tribus potissimum dotibus refulgebat, L.1. c.3.n. 2. Per peccatum obscurata quidem, non abolita, *ibid.* & n.4. L.10. c.5. *initio*. Imò per peccatum ipsum adumbrata, L.2. c.12. n.12.13. 14.15. L.3. c.5. n.9.11. L.7.c. 8. n.10. *& seqq.* At omnibus hominibus per principem imaginem Verbum seu imaginem Patris propriè insculpta, ex Basilio, L.3. c.17. n.2. Et sic præcipuè homo ejusmodi imago est verè regia, quæ pulcritudinem divini exemplaris referat, ex Nysseno, C.20. n.15. Illa autem minimè corporea est, ut imaginabantur Anthropomorphitæ, L.4. c.1. n.3. *& seqq.* Sed ita spiritualis, ut secundùm eam moveat juvetque nos Deus, ut imagines suas, id est, secundùm pronitates quas nobis creando infudit, & quas detorquendo peccamus, L.7. c.8. *præsertim* n.12.

Verùm si non satis resplendeat *Dei imago* in nobis, per alia creaturarum *vestigia*, ad Deum iter moliendum, ex Athanasio, L.1. c.13. n.9. C.21. n. 1. Licèt semper sit verior certiorque illa Dei imago, quàm hæc vestigia, C.15. n.7. C.17. n.1. L.3. c.7. n.1. *& seqq.* Quàm in investigabilis tamen sapientia vel in extremis *Dei vestigiis*, L.1. c.21. *præsertim* n.5. Et ex omnibus vestigiis seu effectis ineffabilis Dei excellentia per superlationes & negationes omnibus anteferenda, L.2. c.6. nu.3. 5. Hinc miserum & scelestum est in imis summæ pulcritudinis vestigiis, sive naturæ impressis, sive artis operibus ita defigi, ut ad lucem supernam nunquam attollantur oculi mentis, L.3. c.21. nu.3. *& seqq.* Satius est saltem ad spiritalia Divinitatis symbola seu vestigia respicere, L. 4. Cc.11. 12. In ipsa natura corporea incorporeæ & divinæ proprietatis vestigia, L.5. c.3. n.4.8. Quantò magis rursus in anima, imago ipsa, & quidem ipsius æternitatis, L.5. c.15. n.4.

Didymus Alexandrinus, *Dionysius vulgò Areopagita*.

Primus gratiæ vim & præventionem, nomine ipsius Spiritus sancti satis insinuat, L.9. c.14. n.3.

Secundus quisquis ille sit, luculentissimè disserit cum suis asseclis de unitate divina, L.2. c.3. n.6. *& seqq.* C. 4. n. 4. Et adhuc excellentiùs, C.6. n.1. *& seqq.* Ita & de bonitate, C.9. n.2. *& seqq.* C.11. n.6. Ac tandem primo omnium Principio contra Platonicos vendicat ipsum esse & emergentes inde proprietates, supra unum & bonum, L.3. c 2. nu.2. *& seqq.* Imò supra ipsum esse, sine ulla contradictione, nec secum, nec cum aliis, n.6. *& seqq.* C.3. n.5.6. Hinc ejus negationes de Deo ad superlationes & similes modos traducendæ, L.2. c.6. n.5. L. 4. c.7. n.13. *& seqq.* C.10. n.9.13. C.11. n.3. Cùm Deum vocat per se vitam, per se sapientiam, &c. tripliciter cum antiquis Interpretibus explicatur contra recentiores Græculos, L.3. c.17. n.5. *& seqq.* Cur alibi ea ipsa attributa candidè vocet sacra figmenta? L.4. c.11. n.14. Ipsos aliunde Platonis contextus exscribit more antiquorum Patrum & nostro, L.3. c.20. n.5. Vicissim exscribitur ipse à recentioribus, ut à Contareno, quoad extasim amoris Dei in orbis creatione & conservatione, C. 23. n.11. C.24. nu.1. *& seqq.* Consentit planè Augustino de generali impulsione voluntatum ad summum bonum, quam ex parte tantùm sequuntur, L.7. c.22. num.7. 8. Ponderanda etiam Dionysii ratio, nimirum naturis quibuscumque consulere debere providentiam tam diversimodè, quàm diversæ ipsæ sint, n. 9. Hæc autem ipsemet conciliat cum aliis efficacioribus auxiliis. L. 9. c.14. n.10.

Distinctio.

Multiplex distinguitur ex compositione resultans, L.4. c.1. n.6.7.8. C.4. nu.1.5.6.9.13.14. Omnis prorsus à Deo eliminanda, *ibid.* & C.5. V. *Dei simplicitas, &c.*

Donatistæ hæretici.

De seipsis ut immaculatis ferè eadem præsumpserunt, quæ postea Pelagiani, L.9. c.15. n.5. In hoc ab Optato confutati, *ibid.* Et ab Augustino, quòd negarent vi cogendos esse hæreticos ad resipiscentiam, L.10. c.9. §. *Sed*, *& seqq.* Item Cc.17. 18. Timoris utilitas & efficacia in conversione Donatistarum, ex eodem, C.22.

Dubia, Dubitatio.

Unde secernimus certa à dubiis? L.3. c.6. n.1. 13. C.7. n. 2. *& seqq.* Ipsa dubia de existentia aut spiritalitate animæ, pro certo utrumque probant, C.6. n.12. L.4. c.2. n.10. Unde & ad quid affectata ab Academicis seu Platonicis dubia inexpugnabilia? L.3. c. 7. nu.4. L.4. c.6. num.7. Modesta & frequens dubitatio Augustini in his quæ fides non exigit, imitanda proponitur, L. 6. c. 9. nu.11. 12.

E

Ecclesia.

Non solùm Ecclesiæ definitio, sed & ipse ordo in suis gradibus cœlestis Patriæ civium inæqualitatem prædicat, L.6. c.15. nu.1. 3. Quàm multa per Christum & Ecclesiam Angeli didicerint? C.19. n.5. Sacramentum Universæ Ecclesiæ circumgestabat & in seipso demonstrabat Christus, L.9. c.11. n.6.11. Ex præsentia & efficacia Spiritus sancti apud omnes Nationes & in omnibus Ecclesiæ ordinibus ejus divinitas, C.14. nu. 2. Ipsa prædestinata est apud Deum Ecclesiæ fœcunditas, ex Ambr. C.16. n.14.15.

An potuit Ecclesia inter cunabula reptans, à Platonicis lucis aliquid emendicare, vel potiùs illis ministrare, & utrum sit ipsi conducibilius? L.2. c.2. n.11. C.3. n.2. C. 5. nu.1. 3.9. 13. C.8. nu.1. L.3. c.11. n.11. Saltem per illos, Ecclesiæ inter Gentiles potiùs quàm inter Judæos propagandæ, multa præstruebat Deus, C.13. n.5.6.7. Gloriæ Christi & Ecclesiæ incrementa per Judæorum & Gentilium persecutiones, L.7. c.21. n.3. L.10. Cc. 14. 27. 28. 86. 87. Adde & cumulum, per universam orbis conversionem, L.9. c.8. n.1.2.12. Cc.9.11.12. nu. 8. C.14. num.1. Repentina Principum conversio post tria sæcula grassationis Ecclesiam infestantis, L. 10. c. 89. §. *Gregorius*.

De Universalitate Ecclesiæ optimè olim Vincentius Lirinensis, L.9. c 2. Item contra Græcos Ratramnus, C.6. n.2. Uno communionis vinculo, adeoque & fidei ac doctrinæ, sibi semper cohæsisse utramque Ecclesiam probat, n.3. Ex ipsis Ecclesiæ precibus multa colliguntur adversus hæreses, L.8. c.11. n.10. L.9. c.4. n. 11. 15. C. 5. num. 8. Charitas propria dos est filiorum Ecclesiæ Catholicæ, non aliorum nequidem *Martyrum* extra Ecclesiam, L. 10. c.27. §. *Schismatum*. Licèt divinæ visionis acceleratio novæ legis privilegium sit, non tamen sine aliqua imperfectione & ruga, quousque tota & perfecta Ecclesia per resurrectionem adunetur, L. 6. cap. 18. numer. 4. 7. 8. Vide etiam *Hæreses*, *Patres*, *&c.*

Electi, non Electi.

Cur fideles omnes nomine *Electorum* aliquando vocati? L. 8. c.7. nu. 17. Quid inde pro correptione omnium? C. 11. n.12. Electorum aliunde cum *non Electis* seu reprobis collatorum non magnus est numerus, ut illi gratia se electos intelligant, C.4. n.8.9. C.6. num.1. An verò par aut major, quàm ruinæ Angelorum, conjecturæ Augustini, C.7. n.9. Aliæ Gregorii Magni, C.8. n.13. At certus omnino & prædefinitus nunc est Electorum numerus, longè aliter quàm in statu innocentiæ, ex Augustino, C.7. n.4. *& seqq.* Ex Gregorio Magno, Anselmo & Bernardo, C.8. nu.13.16.17. Et quousque impleatur, tardari putatur exitus sæculi, ex Augustino, C.7. nu. 11. Pars Electorum vel maxima probabiliter ex parvulis, L.10. c.72.

Ideo aliter dispensat Deus vitam & eventa Electorum, quàm aliorum, L.8. c.5. n.4. *& seqq.* Et alia est vocatio Electorum secundùm propositum ab aliorum vocatione, C.6. n.1. *& seqq.* L.10. c.73. Non inutiles tamen utrisque correptiones & similia, contra Massilienses, C. 7. num.1. *& seqq.* Ad humilitatem Electis conciliandam Deus non perseveraturos perseveraturis admiscet, L.8. c.10. nu.7. L.10. c.43. §. *Confiteamur*. Tutior est Electorum salus in manu Dei, quàm in incerto suæ voluntatis, L.7. c.9. num.6.7. L.8. c. 11. num.11. Et præcipuè ex Verbi incarnati Electos suos gestantis immutabilitate, L.9. c.11. V. etiam *in Dei Prædestinatione & Gratia*.

Adde & persecutionum ac aliorum flagellorum media, L. 10. c.12. *& seqq.* Necnon tentationum, ipsarumque virtutum modum, Cc.40.41. Ac tandem peccatorum permissionem, C.42. *& seqq.* Promissio tamen non tentandi

ſupra vires ad Electos quidem principaliter ſpectat. Cc. 47.48. &c. At ſaltem & ad juſtos omnes, C.47. *circa finem*. Sic pariter ſanctitas & ſanctitatis perſeverantia proprius eſt Electorum cenſus, non ſemper gratia ad ſingulos actus, C.60. §.5. *& paſſim ſeqq.* Item Cc.68. §.12. Et ſanè Electi nunc quidem ſuæ adhuc permittuntur voluntati, quoad ſingulos actus, non quoad ſeriem & exitum vitæ, C.24.

Elias & Enoch Prophetæ.

Unde jam ambo felices, licèt præmaturè rapti? ex Bernardo, L.10. c.48. §. *Ita*. Elias verò Deum antea vidiſſe dicitur, ſed in ſibilo auræ tenuis, obiter pertranſeuntem, ex Gregorio Mag. L.6. c.11. num.9. Cur Jeſabel quamvis Reginam, tamen mulierculam, vir tantis virtutibus plenus fugerit? L.10. c.4. §. *Alius*, *& ſeqq.*

Ens, Eſſe, Eſſentia, Exiſtentia, &c.

Quo ſenſu *Enti* ipſi tribuerent Philoſophi has affectatas voces *eſſentiæ*, motus, ſtatus, alteritatis, & identitatis? L.3. c.1. n.2. *& ſeqq.* Necnon Patres, non ſine aliqua in ſpeciem contradictione, C.2. Nomine *eſſentiæ* uſos non fuiſſe olim Latinos, ſecus ſuo tempore, notat Auguſtinus, ne deeſſet quod Græci appellent οὐσίαν, C. 3. num.12. Quando & quo ſenſu vox eſſentiæ & ſimiles uſurpatæ ſunt? L.7. c.7. num.4. Undecimo ſæculo deſinente, novatum eſt nonnihil circa has voces, n.13. c.8. n.1. *& ſeqq.*

De ſyllaba εἶ Delphico Templo inſcripta, L.2. c.3. n.4. L.3. c.1. num.12. Solum Ens ſummoperè perfectum exiſtentiam in ſua eſſentiali idea complectitur, L.1. c.8. n.2. 3. 6. L. 3. c. 3. n.14. Ipſo tamen uno poſterius eſt, juxta Philoſophos, L.2. c.2. n.4. *& ſeqq.* Accuratiùs juxta Patres, Cc.5. 6. Necnon ipſo bono, juxta utroſque, Cc. 7.8. L.3. Cc.1.2. *& paſſim ſeqq.*

Quæ magis aut minùs ſunt, magis aut minùs vera ſunt, L. 1. c.15. n.4. Majus dubium de eſſe proprio, quàm de eſſe veritatis, ex Auguſtino, n.7. *& toto* c.16. Hinc temporalia videntur magis eſſe, quàm ſint propriè, L.3. c. 1. n.13.14. Et quidem præſupponendo æternum & plenum Dei eſſe, C.3. n.2.7.10.11.15. C.4. n.9. *& ſeqq. præſertim* 13. C.20. n.15. L.5. c.12. n.8. C.13. num.1. Hinc etiam amando & videndo ipſum eſſe, eſſe incipimus, L. 3. c.4. nu.9. 10. Quò tandem tendat cupiditas eſſendi in naturis intelligentibus? C.5. n.2. Quænam entia à Deo ſint? L.7. Cc.6.7.

Duplex modus cognoſcendi, *quoad eſſentiam* & *quoad exiſtentiam*, L.1. c.18. n.1. Nulla nequidem creaturæ eſſentia comprehenditur, quantò minùs Creatoris? L.4. c.8. n.3.6.10.14.15. V. *paſſim in Deo*, *&c.*

Ephræmius & Epiphanius Eccleſiæ Patres coævi.

Primus Diaconus Edeſſenus, Paulinum tunc Preſbyterum arcet a novandi libidine de Deo, L.4. c.7. num.9. Conſentit cum ſuo Baſilio in præcipua Latinorum capita de prædeſtinatione & conſectariis, L. 9. cap. 10. numer. *ult.*

Secundus Epiſcopus Salaminenſis pertinaciam quidem, ſed ſimplicitatis & hebetudinis dumtaxat, ipſis Anthropomorphitis imputat, ab Auguſtino laudatus, & à nobis imitandus, L.4. c.1. num. 3.5. Arianorum quæſtiones, & Anomæorum jactantiam egregiè elidit, C.7. n. 6.7.8.

Epictetus, Epicurus, & Euclides, Philoſophi.

Primum frequenter inculcaſſe ſuum *memento*, ut animam ad reminiſcentiam excitaret, notat Jamblichus, L. 3. c.13. n.15. Epicurus verò cum Euclide in immutabilitate ſummi boni convenire videntur, ex Lactan. L.5. c. 8. num.3. Illum præterea laudat Cicero, quod ſolus viderit primùm eſſe Deos ex naturali omnium cognitione, L.1. c.1. n.5. Et quòd hanc πρόληψιν, ſeu anticipationem appellarit, C.2. num.7.

Errores.

Majus erroris periculum in ſenſibus, quàm in intellectu, L.1. c.15. nu.1. L.3. c.15. n.8.9. Et inde plerique errores, quòd animæ rationalis à corpore diſcrepantia non ſatis intelligatur, L.1. c.21. n.8. Tolerabiliùs autem de creatura, quàm de Creatore, erratur, ex Aug. L.6. c. 14. n.11.

Eva, Evangelium.

Evam in tantam calamitatem abduxit incuria ſui, & negligentia vitandæ occaſionis, L.10. c.50. §. *Bernardus*, *&* §. *Nilus*. V. *reliqua in Adamo*.

Incrementum noſtrum per Evangelica documenta, ſupra Judæorum pueritiam, ex Aug. L.4. c.12. n.11. V. *reliqua in Chriſto*, *Eccleſia*, *Teſtamentis*, *&c.*

Eulogius Alexandrinus, & Euſebius Cæſarienſis, Epiſcopi.

Hic tempore prior plura videtur teſtimonia ex Platonicis proferre pro conſubſtantialitate Verbi, quæ contra ipſum pugnarent aliunde ſuſpectum, L.2. c.5. num.2. *& ſeqq.* In quibuſdam apud Patres minimè ſuſpectos uſurpatis, clementer & ipſe interpretandus, C. 9. n.6. *& ſeqq.* Rurſus Platonica teſtimonia quaſi Moſaico Oraculo conſentanea arripit & approbat, pretioſum à vili ſecernens, L.3. c.1. n.9. *& ſeqq.* Imò tum Patri tum Filio convenire illud ingenuè fatetur, C.4. n.6. Similiter de Deo, de Ideis & Angelis juxta Scripturas ſenſiſſe Platonem contendit, licèt a novellis Philoſophis depravatum, C.12. n.8. Ipſe verò Euſebius à trita Theologiæ orbita, quoad attributa divina, ipſamque ſimplicitatem non receſſit, L.4. c.11. nu.19. Nec quoad auxilia divina, eorumque efficaciam in orbis converſione, L. 9. c.9.

Eulogii pariter Platonici homilias antiquæ Theologiæ, præſertim Dionyſianæ luce perfuſas, Photius in compendium miſit, L.2. c.3. num.11. Ipſe non dubitavit Philoſophica dogmata Scolæ Chriſtianæ inferre & conſecrare ad exemplum, L.3. c.1. num.4. 6. Quomodo ſpecie tenus in his cum ſuo alioquin Dionyſio contrarius? C. 2. num.10. Longè minùs in reiiciendis ſimplicibus vel compoſitis vocibus ad ſignificandam opulentiſſimam divinæ eſſentiæ ſimplicitatem, L.4. c.10. n.6.

Eunomius, V. *Ariani*.

Exempla, Experimenta.

Exemplorum ad perſuadendum vis maxima. L.10. c.6. §. *Ex*; *& ſeqq.* C.9. §.1. Eorum multiplex varietas, ex Chryſoſt. & Theodor. C. 29. circa finem. Item *experimentorum* vis ad rerum inanitatem faſtidiendam, in exemplo Caroli Borromæi, C. 11. Aliunde *experimentis quotidianis & recentiſſimis* compertum eſt, quod olim dictum fuerat, omnia corpora eſſe animata, quòd ex ipſis exiliant animantes innumeræ, L.3. c.26. n.14.

Ezechias Rex, Ezechiel Propheta.

Mors *Ezechiæ*, inter alios effectus neceſſarios, ob ejus exhauſtas vires, futura prævidebatur a Deo, ob ejus aliunde pietatem quindecim annorum inducias addente, ex Auguſt. L.7. c.23. n.2.15.

Cur Ezechiel ad Dei ſimilitudinem coram Angelo ceciderit? ex Cyrillo Hieroſol. L.4. c.3. num. 2. Hæc & alia ejuſdem Ezechielis exponuntur à Gregor. Magn. C. 11. num.7. Suis ipſemet oculis ſpectabat efficaciam diutinæ captivitatis, ad emolliendos Iſraelitas, L.10. c.2. §. *Sed quid*.

F

Fallacia, Falſa, Falſitas.

FAllaciæ ſenſibus propriè inſidiantur, non intellectui. L. 1. c.15. nu.1. Hinc quod verè falſum, id nec intelligibile, ibid. Hinc etiam fortè non ſperanda felicitas, niſi falſitatis gaudia, & nugæ ſenſibilium abdicentur, L.3. c.5. nu.8. Unde fallere quidem, falli nemo velit, nequidem inter ludicra? ibid. à nu.3. Unde tandem falſorum à veris diſcretio? C.6. n.1.13.

Fama.

Unde ultra mortem tanta cura famæ? juxta Tullium, L.1. c.9. n.4. juxta Tertullianum. C.11. n. 6. juxta Platonem, C.26. n.2.

Fatum, Futura, V. *Dei Præſcientia*, *Libertas*, *Tempus*, *&c.*

Fauſtus duplex.

Primus *Manichæorum Coriphæus*, cujus imperitia Auguſtino ad converſionem profuit, L.10. c. 90. Alter *Reienſis*, Semipelagianorum Præſul adversùs Auguſtinum ſcripſit libros, toto Oriente & Occidente improbatos, L.9. c.3. n.5. *& ſeqq.* Abutebatur diſtinctione præſcientiæ & prædeſtinationis, contra prædeſtinationem gratiæ, aberrans omnino, L.7. c.4. n.10.

Fideles, Fides.

Adamo priùs Dei conſpectus, non fides; poſtea non ipſa fides, ſed memoria; nobis autem non conſpectus, non memoria, ſed fides competit, L.6. c.6. nu.2.5. C.8. nu.5. *& ſeqq.* C. 9. num. 2. 3. Exemplum utriuſque in muliere prægnante incarcerata, ac pueri in tetro carcere nati quoad Solem, ex Gregor. Mag. & Bern. ibid. Quænam fides in Abrahamo commendata? L.4. c. 8. num. 8. Fides alia rudis & initialis tyronum, alia perfectior Contemplatorum & Theologorum: quid utrique commune, quid proprium? n.9. Fides unius & ſummi Dei uſquequaque aboleri non potuit, L.2. c.1. n.1. Per Judæos inhumanationis, per Gentiles Philoſophos divinitatis Chriſti fides præſtruebatur, C.5. nu.5.12. Necnon in libris Sapientiæ, fides de ſapientia genita, ſed ex conſulto ſubobſcuriùs, L.7. c.1. n.2. Oculus tandem mentis per fidem

dem Mysteriorum Christi sanandus, L.1. c.14. n.9. L.5. c.4. n.2. L.6. c.8. n.1. *& seqq.* C.10. n.11.

Quid hæc tria distent, credere, opinari, intelligere? L. 3. c.6. n.3.4. L.6. c.10. n.7. §. *Denique*. Frequens apud Augustinum, non tam opinionis ambiguitas, quàm modestia, in his quæ fides non exigit, imitanda proponitur, C.9. n.11. 12. Regula fidei Catholicæ, est universalitas, antiquitas, & consensio Patrum, ex Vincentio Lirin. L.9. c.2. n.1.2. Necnon ex Florentina Synodo, C.6. n.8. Ab hac consensione absolvit Vincentius quæstiunculas, quæ ad fidem nihil attinent, C. 2. nu. 6. Quænam illæ sint? *ibid.* & C.4. n.5. C.6. n.10. Ipsis initiis fidei tantum tribuebant Semipelagiani, ut divinam accerserent electionem & salutem, L.8. c.1. n.7. C.8. n.6. C.11. n.1. 2.9. Contrà Augustinus cum aliis Patribus, C.5. n.3. L. 9. c.18. n.4. 6. Fulgentius, L.8. c.8. n.6. Ac tandem Synodus Arausicana secunda sub Bonifacio II. C.12. n.*ult.* *& passim* L.9.

At omnipræsentiam æternitatis æmulatur fides, ut futura anticipet, præterita revocet, utraque sibi sistat ut præsentia, L.5. c.13. n.8.12. Ea tamen omnique alia fide datur anterior, superior & abstrusior juxta Platonicos, qua fidentissimè scitur quod sciri nequit, vel videtur & tenetur quod comprehendi non potest, L.6. c.5. num. 11. Ideò momentanei tantùm quandoque dantur excessus, ut simul cum illis fides & spes constent, L.5. c.12. nu.7. 8.9.13. Quinimo juxta quorundam opinionem de progressu interminabilis gloriæ, semper manebunt fides & spes circa nondum patentia, C.15. n.15.

Cur Fideles omnes vocentur Electi? L.8. c.7. num.17. Et Abraham omnium pater, simul & Contemplatorum princeps? C.8. n.8.9.

Figmenta, Figura, Forma, Formositas.

Ipsa Dei attributa spiritalia, dicuntur sacra *figmenta* & *figuræ* symbolicæ, à Dionysio, L.4. c.11. n.14. Per *figuras* Geometricas æquè ac per numeros cognoscitur Deus, aut veritas seu forma æterna, L.1. c.23. nu.10. C.24. nu.3. L.6. c. 10. nu. 2. *& seqq.* Ab ipsa Dei pulcritudine, ut *forma formarum*, fluit omnis *formositas*, L.5. c.6. nu.5. C. 8. nu.6. Omnis autem forma ad informe aliquod supereminens principium revocanda est, L.6. c.5. nu.1. v.17. *& passim* Nn. *seqq.* Hinc ad Deum sine ulla forma anima vadat necesse est, n.10. Ad formam verò suspirat materia, à qua adunetur, L.2. c.6. num.6. V. etiam *Idea*, *Pulcritudo*, *&c.*

Filius æternus, V. *Trinitas*.

Flores, Folia, Fructus, Fontes, Fluvii.

Quot modis flos fructum, aut fructus florem præcedere dicantur? L.5. c.13. nu.3.4.7. Flores & fructus simul cum arboribus creati, motiones naturæ consentaneas indicant, L.7. c.8. n.14. V. *Arbores*, *Aqua*.

Flores Magister, & Fulgentius, Augustini discipuli.

Hic Ruspensis Episcopus, familiari sibi elegantia & suavitate, placita Augustini evulgat, L.3. c.23. n.6. Ex tam fido discipulo, Augustini mentem licet colligere de Dei visione corporea, L.6. c 14. n.12. *in fine*. A fortiori pro distinctione Augustiniana prædestinationis à præscientia divina, L.7. c.4. n.7.8.9. C.15. n.3.14. Hincque purgat ipsum Augustinum de prædestinatione ad malum, contra quosdam, C.5. n.1. *& seqq.* C.13. n.2. Ipsum sequitur contra præscientiam conditionatorum, C.23. n.8.9.10. Simul & interpretatur cum Paulo, pro prædestinatione ad gloriam, priusquam ad gratiam, validissimis argumentis, L.8. c.1. n.11. 12. C.8. n.4. Imò nulli copiam facit dissentiendi à prædestinatione gratuita, & cur, n. 6. Stat etiam pro distinctione statuum, C.3. n.8. Contra quam tamen opponitur, n.13.14.

Ille Ecclesiæ Lugdunensis Diaconus adversùs Scotum Erigenam scripsit, ubi ipsa terens Augustini vestigia, prolixè damnatis negavit ullam intelligentiæ usuram, L.3. c.10. n.6. Eminebat inter Scriptores noni sæculi pro distinctione Augustiniana prædestinationis & præscientiæ, L. 7. c.4. n.10.

G

Galli.

MAssilienses & alii Galli, pii licèt & docti, Augustini ævo contra ipsum, ipsamque prædestinationem gratuitam, quatuor de causis maximè distracti sunt, ex Prosp. & Hilar. L.8. c.7. n.1. *& seqq.* C.11. nu.1. *& seqq. usque ad* 10. Ita distractos revera illos volunt, ut aliqui prævenientem gratiam prorsus damnarent, & hi Semipelagiani, alii solum absolutum salvandi decretum, & quidem diversimodè, & hi præsertim, licèt falsò, laudantur ut antiquitatis vindices à Grotio & Vossio, L. 9. c.1. n.1.2. Longè aliter Galli nono sæculo occasione Gottescalchi, pro diversitate Regnorum, verbis magis quàm sententia dissidebant, L.7. c.4. n.13. L.8. c.8. n. 15. De Martyribus & Patribus Galliæ, V. *Martyres*, *Patres*, *&c.*

Gaudere, *Gaudium*.

Cur gaudere solius Dei jus sit; & privilegium nonnisi carptim in creaturas refusum? ex Philone & Patribus, L. 6. c.14. nu. 3.4. Non est autem alia felicitas quàm gaudium de veritate, ex Augustino, L.3. c.5. n.7. *& seqq.* V. etiam *Beatitudo*.

Generatio, V. *Corruptibilia*, *Materia*. *Genesis*, V. *Scriptura*.

Gennadius uterque.

Primus *Presbyter Massiliensis* ineptiit, referens & approbans ineptum quorundam commentum de visione Dei corporea, L.6. cap.14. numer.9. Alter verò *Patriarcha Constantinopolitanus* sapientissimè urget authoritatem Augustini ex anathemate sextæ Synodi, L.9. cap.6. numer.13.

Gentes, *Gentiles*.

Consensio omnium Gentium pro existentia & unitate Dei, L.1. c.1. n.4. *& seqq.* C.4. *integro*. C.11. nu.2. L.2. c.1. n.1. *& seqq.* Gentiles nihilo puriores Judæis in sortem filiorum Dei gratuitò allecti, L.8. c.8. nu.4. Quod de Judæis dictum est, id & Gentibus utcumque aptandum, quoad stationes ante legem & sub lege per Philosophos & Prophetas, L.10. c.4. §. *Et quod*. Saltem per Philosophos Ecclesiæ inter Gentiles, potiùs quàm inter Judæos, propagandæ multa Deus præstruxerat, L.3. c.13. nu.5.6.7. V. etiam *Ecclesia*, *Hebræi*, *necnon ad Quæstiones Gentilium proprias in propriis titulis*.

Geometræ, *Geometria*.

De Geometricis figuris idem ac de numeris ad cognoscendum Deum, L.1. c.23. n.10. C.24. n.2. *seqq.* C.25. *ferè integro*. Jamque olim ante alios Philosophos ex Pythagora, qui Geometriam non sine causa historiam vocabat, n.*ult.* Ita etiam ex Augustino, C.26. n.6. Licèt veritates Geometricæ, quà compositæ, in anima sint, & ipsa anima; quà simplices & immutabiles, in Deo sunt, & ipse Deus, nu.7. *& seqq.* Et hinc Geometriam non esse nisi reminiscentiam Plato censuit, L.3. c.13. nu.1. Et ante eum Pythagoras ex Jamblicho, n.14. Utrumque refellit Augustinus, vel ex eo quod omnes Geometræ non fuerint in alia vita, C.14. n.2.

Gerardus & Guido, ac duo Guillelmi.

Priores duo fratres S. Bernardi nonnisi vulneribus & morbis ad sequendum fratrem potuerunt adigi, ex *Guillelmo Abbate sancti Theodorici* in ejus vita, L. 10. c.15. §§. *Ultimis*. C.85. §. *Sed*.

Guillelmus Parisiensis Episcopus prolixè distinguit inter illa bona disciplinalia, quæ vulgus mala pœnalia appellat, C.20. *paulò post initium*.

Gerardus Vossius, cum Grotio, Gomaro, &c.

Vossius & Grotius junguntur, tanquam primi nostro ævo è sectariis incentores discordiæ Augustinum inter & alios Patres de prædestinatione & annexis auxiliis, L.9. c.1. num.1. Et quidem prior ille *Hugo Grotius* in Annalibus Belgicis, Augustino aliunde infestus, quòd in Arminii partes contra *Gomarum* totus propenderet, *ibid.* Ita ipse Gerardus Vossius licèt accuratior in historia Pelagiana, n.2. Vel in hoc ambo illi ac similes suspecti sunt, quòd *additamenta* affingant Augustino, ut repudient impuniùs; & ipsi, licèt post Pelagii ortum accuratiori, præferant Græcos veteres, C.2. n.8. Attamen ipsemet Augustinus jam olim contra Semipelagianos nostrorum sectariorum præcursores hanc abstersérat calumniam, C. 4. num.11.14. Quæstiones de Gratia & Prædestinatione male idcirco Vossius inter arbitrarias & nihil ad fidem attinentes ablegat, C.2. n.6. C.4. n.5. Sinceriùs tamen agnoscit Patres Græcos quoad gratiam prævenientem cum Augustino concordare, cùm alias ut Semipelagiani contra fidem audirent, quidni quoad reliqua planiora & consectaria? C.6. n.1. C.12. n.4. §. *Rursus*. C.18. n.6. Ejus ex Nazianzeno objectio solvitur, C.10. n.4. Item ex Cyrillo contra ipsum retorto, C.11. n.4. *& seqq.* Nec tamen ad ipsam fidei regulam contra eundem hæ de prædestinatione quæstiones revocantur, C. 19. n.8. At perinde cæspitavit imaginarias æternasque somnians rixas inter Patres de processione Spiritus sancti, C.6. nu. 7. 8.11. §. *Ad*, &c.

Gilbertus Porretanus.

Pictaviensis ille Episcopus ausus Deitatem à Deo realiter distinguere, L.4. c.1. num.6. Brevì resipuit à Rhe-

mensi

mensi Synodo, & Bernardo compulsus, *ibid.* Major de eo, eidem Bernardo fides, quàm Ottoni Frising. *ibid.* Quaternitatem saltem vix ille declinabat, variè ob id à Bernardo scriptis etiam exagitatus, C.4. numer. 11. *& seqq.*

Gloria, Gratia.

In his tractandis vix ullæ potuerunt esse Philosophorum, ne Platonicorum quidem partes, *Præfat.* n.11. & L.10. c.37. *circa finem.* &c. Variæ temporum rerumque vices, ab ævo Apostolorum hactenus, quibus nunc de *Gratia*, nunc de libertate magnificentiùs dicere necesse fuit, ad contrarias sive Paganorum sive Hæreticorum refellendas opiniones, sic tamen ut veritas semper orthodoxa emineret, L.9. c.7. n.10. c.8. n.13. c.10. n.2. c.12. n. 4. 11. c.13. nu.3. c.14. nu.1.8. c.18. n.7. Ad summum ex Platonicis eruitur Veritatis æternæ contemplationem, etsi animæ quasi connaturalis sit, divinæ gratiæ beneficium octo probationibus agnosci, L.6. c.2. n.10. 11. At pluribus aliis ex Augustino licèt eosdem Platonicos laudante, c.9. n.9. 10. A fortiori etiamnum ex gratia dono mentem in Deum quandoque rapi, c.11. n.1. Quo tandem sensu dicat idem Augustinus *gloriam cœlestem* Angelo stanti fuisse mercedem meriti per liberum arbitrium, quæ nobis nunc est donum gratiæ? L.8. c.2. n.13. 14. c. 13. n.2. 3. *& seqq.*

Scilicet propriè quidem prædestinatio, est *gratiæ gloriæque præparatio*, L.7. c.4. nu.15. L.8. c.1. nu.3. Priùs tamen gloriæ quàm gratiæ, ex validissimis argumentis Augustini & Fulgentii, n.10. *& seqq.* At duplex est ad gloriam prædestinatio, meritorum & gratiæ, n.5. c.2. n.1. Adjutorium etiam gratiæ duplex, duplici aptatum prædestinationi, ex August. n.2. 7. 8. *& seqq.* L.10. Cc.67. 68. Ex Cyrillo Alexand. L.9. c.11. nu. 9. *& seqq.* Ex aliis Patribus, L.10. cap.69. *Primum sine quo* homo innocens perseverare non posset, L.8. c.2. n. 3. 8. *Secundum auxilium quo*, seu *gratia Christi invictissima* post peccatum necessaria, c.3. n.7. Saltem ad conversionem impii & ad perseverantiam in pietate, c.4. num.3. 4. L.10. cap. 67. *& seqq.* Hæc gratia victrix medium est non frustrabile ad gloriam, L.8. c.4. nu.5. 6. *& seqq.* Hinc illam vendicat Augustinus omnipotenti Dei voluntati, qua sicut ad terrena regna constituenda voluntates nostras quocumque vult contorquet, à fortiori ad regnum cœleste adipiscendum, C.5. n. 1. 2. 3 Et ad hoc refert omnia salutis indubiæ munimenta, Nn. *seqq.* Negatam autem non Electis gratiarum contextionem ad finalem perseverantiam, n.10. Non ob peccatum originale condonatum, sed propter actualia, c.10. nu.4. 5. *& seqq.* Gratia enim priùs à justis deseritur, quàm deserantur, c.11. n.7. c.12. n.2. Illa autem non habitualis, nec actualis efficacissima, sed similis adjutorio *sine quo non*, n. 3. &c.

Tria sunt potissimum capita concordiæ Græcos inter & Latinos Patres confirmandæ: *primum* de necessitate gratiæ omnia merita prævenientis: *secundum* de prædestinatione Electorum secundùm gratiam, non secundùm merita nostra: *tertium* de gratiæ ipsius efficacia ex divino proposito, tum ad conversionem, tum ad perseverantiam, L.9. c.1. n.4. c.7. num.1. L.10. Cc.17. 18. E tribus sententiis de *gratiæ efficacia* vel per prædeterminationem physicam, vel per contemperationem ex scientia media libratam, vel per conspirationem auxiliorum omnis generis, hæc tertia sanciendæ inter Patres concordiæ aptior, L.9. c.1. n.5. 6. Singulæ Authoribus magni nominis convaluerunt; mirum videbitur tertiam post Patres à sancto Thoma potissimum suaderi, n.7. Pacatè debent ferre Catholici Theologi hanc sententiarum de gratiæ efficacia alternationem, modò constet prædestinationis gratuitæ placitum, n.8. *& seqq.* L.10. *Præfat. integra*, & c.83. §.1.2.

Jam si una gratia prædeterminans totum & simul & semel operetur effectum, non autem illa auxiliorum conspiratio, quorsum triplex vocatio, de qua L.10. c. 1. §. 1. C. 17. §. *Plura.* Quorsum non solùm tot prosperorum, sed & etiam adversorum ad compulsionem tam tædiosa dispensatio, præsertim in Israelitis, Cc.1. & 2. Item in Nabuchodonosore, §. 2. In Jona Propheta, §§. *seqq.* In Jeremia, §. *Ab his.* In filio prodigo, c.8. In ipso maximè Paulo, Cap.9. In Augustino, Cap. 12. In Martyribus & similibus, ac tota Ecclesia primitiva persecutionibus attrita, *ibid.* & Cc.13. 15. 17. 18. Deinde ad quid quatuor hominis ætatum spiritaliter intellectarum, & quatuor annorum millium usque ad Incarnationem procrastinatio? Cc.3. 4. Cur visorum congruorum per Incarnationem ipsam & alia Christi mysteria juxta Augustinum exhibitio ad consensum & amorem nostrum captandum? Cc.5. 6. 7. Adde & beneficiorum tum temporalium tum spiritualium experimenta ab Israelitis olim universim, ad singulares homines deducta, Cc.10. 11. Expressiùs ad quid amaritudinum variis cupiditatibus sparsarum admixtio? ex eodem præsertim Augustino teste, C.12. Necnon Gregorio Magno coactionem quandam seu impossibilitatem moralem implendæ voluntatis exaggerante, C.13. Ac tandem ex aliis Patribus ad persecutionum Ecclesiæ lucra suspirantibus, c.14. Cur præsertim morbi & vulnera ad conversionem vel perfectionem plurium adhibita? c.15. *& seqq.* Ac rursus misericordissima tum adversorum, tum prosperorum dispensatio, ex Greg. Mag. &c. Cc. 19. 20. Denique omnes illi *miri modi*, de quibus Augustinus, & propè Prosper contra Collatorem, c.21.

Deinceps sigillatim si sola *delectatio & dilectio justitiæ* esset *gratia infallibiliter efficax*, ad quid timor, sive pœnarum temporalium? L.10. cap.22. sive, quod caput est, æternarum? c.23. Non solùm ad conversionem, sed & ad bona opera, ipsamque perseverantiam, ut vult Augustinus, C. 24. Necnon & alii Patres, Cc. 25. 26. Et quidem in ipsis Martyribus, Apostolis, justisque aliis ac pœnitentibus, Cc.27. 28. 29. In ipso Adamo. c.33. §. *Nec.* Et sanè in conflictu delectationum timor alteruter, carnalis, aut spiritalis, non conciliaret victoriam, ut agnoscit Augustinus, Cap.30. Frustra etiam essent præter innatum beatitatis amorem & interiorem ex illo, non ex peccato inspiratam delectationem, exteriores objectorum illecebræ, quas tanti ille facit, Cc.33. 34. 35. Necnon & alii affectus, tam metus, quàm mœroris & tristitiæ delectationem saltem victricem non semper complexi, Cc.36. 37. Multaque alia ostenduntur in exemplis humanarum delectationum, c.38. Ac demum duplex præsertim sic prædeterminantium compugnantia, c.39.

Quoquo modo autem rursus gratia una simul & semel prædeterminet, ad quid jam pleraque ex objectis & affectibus constantia? L. 10. c.40. §.1. Imprimis tentationum provida immissio aut permissio, ac salutare temperamentum, ex Greg. Mag. *toto illo* C.40. Item ex ipso ante illum Augustino, & aliis Patribus, Cc.47. 48. Imò virtutibus ipsis modus à Deo positus, ne sui copia humilitatem obruant, iterum ex Greg. Mag. c. 41. Quin & lapsus seu peccata ipsa permissa, ex eodem, C.42. Similiter hæc tria simul & affinia, ex Aug. Cc. 43. 44. Ex aliis Latinis, C.45. Ex Græcis, cap. 46. Seorsim verò, quorsum tentationum moderatio, ne vires superent? ex Paulo & utrisque Patribus, Cc. 47. 48. Cur tantoperè præcaveretur negligentia & lassitudo initio & in decursu vitæ spiritualis, vel in minimis, ne statim aut paulatim in majora peccata pertrahat? C.49. *& seqq. usque ad* 52. Falsaque esset duplex inde exurgens impossibilitas vitandi, si non singula, saltem universa peccata, venialia à justis, mortalia ab impiis, contra Philosophos & Pelagianos à Patribus propugnata, *ibid.* & C.53. Ac totuplex inde pariter exurgens infallibilitas moralis, physicæ tamen quoad certitudinem comparanda, C.54.

Rursus ad quid *visorum suasiones* ex objectis & affectibus constantes, quas tanti fecit Augustinus, L. 10. c.55. A fortiori Visio ipsa beatifica, & relicta ex divinis coruscaminibus licèt raptim concessis veritatis ac charitatis vestigia, Cc.56. 57. Imò simplex ostensio veritatis, æternitatis, beatitudinis, ad omnes ferè his vinculis trahendos extensa, C. 58. Et ad quid miracula Judæis ostensa, quæ Tyrios Sidoniosque potuissent convertere? necnon & similes aliæ dictorum factorumque congruitates? Cc.60. 61. *& passim seqq.* Quid autem Deus persuadere non potest iis modis non prædeterminantibus quidem, at supra omnem humanum persuadendi modum efficacibus, utpote per affectus usque ad voluntatem inspiratos? C.59. *& seqq.* Adeoque longè supra modum, quo homo domat bestias, C.62. Et diabolus homines sibi subditos ut mancipia, c.63. Ac tandem supra modum ipsum quo Deus sive per malos, sive per bonos Angelos corda impiorum quocumque voluerit, omnipotenter trahit, nec tamen prædeterminando physicè, ex Aug. Cc 64. 65. Ex Prospero, Aquinate & aliis, C.66. Ipsoque Jansenio, c.65. §. *Hic.*

Præterea contra quamlibet gratiam ad singulos actus infallibiliter efficacem demonstratur septemdecim Augustini argumentis *auxilium quo*, *ab auxilio sine quo non distinctum*, ad perseverantiam imprimis finalem, non ad singulos actus pertinere, contra Jansenium; atque adeo non in sola delectatione, sed in longè plurium intus & foris auxiliorum varietate ad perseverantiam prædestinationemque ipsam situm esse, L.10. Cc.67. 68. Item ex aliis Patribus Augustino addictis, ipsoque Aquinate

Scolasticorum Principe, ac tandem Ruardo Tappero contra Calvinum, C.69. Decem adhuc nova Augustini argumenta pro illa coacervatione auxiliorum ad *auxilium quo* concurrentium, quorum non singula, sed omnia habeant infallibilem efficaciam, C.70. Illudque *auxilium quo*, licèt ad solam perseverantiam destinarit Augustinus in libro *de Correp. & Grat.* ad conversionem tamen, & ad actus quosdam virtutis heroicos æquè difficiles etiam flagitari ex eodem & aliis Patribus probatur, C.71. Vel ex eo quòd ea Deus procuret dirigens, protegens, custodiens, ac conservans, imò & tempus mortis accelerando aut protrahendo, quæ omnia multifariam & sine prædeterminatione fiunt, C. 72. Adeoque meritò vendicantur voluntati, consilio, proposito ac intentioni Dei à Paulo, & Augustino Pauli exemplum præsertim urgente, C.73. Ac tandem ex eo quod non ergo suæ permittantur quidem voluntati Electi, quoad totam vitæ seriem, ac maximè exitum, sicut Adam; sed adhuc solum quoad singulos actus, adeoque sine prædeterminatione physica, Cap. 74. Et ideo meritum qualecumque, prædestinatio & perseverantia soli nunc per Christum gratiæ imputentur, C. 75. Quæ omnia ruunt in prædeterminantium opinione, §. *Non*.

Idipsum adhuc concluditur, ex eo quòd etiam per *adjutorium quo victricis delectationis* ad singulos actus, meritum omne à justis expungatur, quia & libertatis indifferentia inviolabiliter ad id requisita, ex octo præcipuis rationibus Augustini, L.10. c.76. Item ex aliis Patribus addictioribus Augustino, Cc.77.78. Item quia gratia invictissimè bono affigens, non jam ad meriti, sed ad præmii stationem pertinet, C. 79. Nec aliter patitur peccandi potentiam, quàm gratia Beatorum, nempè ineluctabiliter ligatam & constrictam, C.80. Imò omnipotenti & prædeterminanti gratiæ quomodo cooperatio & conatus adjici possit, non satis intelligitur, C.81. *præsertim* §. *Gratia*. Saltem non physicè & infallibiliter, sed moraliter tantùm potest consensus ille à gratia actuali produci, siquidem ea maximè non cooperans est, ut recentiores à centum annis voluere, sed præveniens, & inspirans timorem, charitatem, aliasque id genus affectiones indeliberatas, quæ consensum nostrum antevertunt, nec tempore unquam consociantur cum illo, C. 82. §.2.3. *& seqq.* Ab eodem tantùm tempore, magni nominis alioquin Theologi præscientiam & prædestinationem, nonnisi decretis & prædeterminationibus gratiæ infallibilibus superstrui posse crediderunt, Cap.83. §.1. Econtra Patres æternitatis præscientia niti, Cc.83. 84.85. Et per bicipitem omnipotentissimam voluntatem in pœnis aut præmii, sine motione gratiæ aut delectatione ad singulos actus prædeterminante, Cc. 86. 87. 88. Nequidem in subitis quæ putantur & objiciuntur conversionibus, maximè Augustini, Cc.89.90.91.

Tantam autem efficaciam suam hactenus demonstratam haurit Gratia à Verbi incarnati incommutabilitate, cui tutiùs nostra nunc salus committitur, quàm primo olim Adamo, ex iisdem suprà laudatis Patribus, *Præfat.* Nn. 12.13. Præsertim ex Irenæo, L.9. c.7. n.8. Ex Eusebio & aliis, C.9. num.5. Adhuc expressiùs ex Athanas. & Cyril. Alexandrinis, C.10. *toto*. Item ex Verbi omnipotentia per orbis conversionem ostensa, c.8. n.1.2. C. 9. *integro*. c.11. *præsertim* n.17. c.12. n.8. Et ex his ultimò confirmatur gratiam efficacissimam non aliam magis esse quàm conversionis & perseverantiæ, C. 11. n. 17. V. etiam *Auxilium quo* suprà, *Dei Prædestinatio*, *Patrum conciliatio multiplex*, *&c.*

Gnostici hæretici.

Hi inter alios abutebantur Platonis ideis ad insulsi sui dogmatis fabricam construendam, ex Tertulliano, L.3. c. 12.n.1. Quinam sint veri Gnostici ab illis diversi? V. *Contemplatores*.

Gottescalchus Monachus.

Dum ipsius causa Episcopi Gallicani diversorum Regnorum contenderent, omnes pro veritate verbis magis, quàm sententia dissidebant, L.7. c.4. n.13. Scilicet ille doctrinam Augustini saltem exasperaverat, mitiùs tamen à nonnullis, crudiùs ab aliis habitus, maximè ab Hincmaro, licèt cum aliis Augustinianam prædestinationem amplectente, L.8. c.8. n.15.

Græci, Gregoras, & Gregorii recentiores, cum aliis.

De Græcorum Patrum sensu & consensu cum Latinis, V. *Patres & in singulorum titulis*. At posteriores illi nominati inter se divisi sunt circa ipsam divinam simplicitatem, L.3. c.17. num.7.8. L.4. c.1. nu.7. Ex his Monachi imprimis duce *Gregorio Palama Palamitæ* dicti, commenti sunt substantiam quandam mediam inter Deum & creaturas, seu *lumen Taboriticum* increatum, & tamen à Deo distinctum, *utrobique*. Variæ cum aliis conflictationes, *ibid.* Illius insulsæ compositionis cum aliis confùtatio, C.4. n.1. *& seqq.*

Adhuc recentiorum Græcorum incuria in evolvendis Patrum scriptis fraudi ipsis fuit in multis, maximè in negotio processionis Spiritus sancti, L.9. c.6. numer. 12. Nobiscum tamen eos de gratia divina consentire, tum ex solemni Bessarionis precatione in Synodo Florentina, tum ex publicis lyturgiis demonstratur, C. 14. nu. 12. c.15. num.14. Plura V. *in Patribus*, *Theologia*, *& Trinitate*.

Gregorii tres antiquiores.

Nyssenus primus dixit, lucem, qua videtur Deus, animæ ipsi inessentiatam esse, L.1. c.8. n.1. Et ex eo deinceps alii, n.5. &c. Huc refer, quod habet, L.3. c.3. n.4. L.4. c.11. n.18. Meritò insectatur Eunomii verba, quibus tamen alii Patres usi sunt, pro temporum ratione, L.2. c.9. n.8. Et alia, C.11. n.3. *Unguentum* illud, de quo in Cantico, de natura divina interpretatur, L.3. c.17. n.5. Et cur illud dicatur *effusum*? L.4. c.7. n.11. Item *telum vulnerans* de ipsa Unigeniti charitate, L.3. c.24. n.5. Necnon regiam ibidem pulcritudinem de Dei imagine, C.20. n.15. At quod tanto duce adhuc dignius est, cruciatus ipsos animarum terrenis sordibus implicatarum divinæ bonitati, charitati & vitæ ascribit, c. 25. n.3.4. 5. Præclarè alioquin animæ simplicitatem explicat, L.4. c.3. nu. 9. Necnon ad id diversas visiones Moysi de Deo gradatim concessas pro incremento Theologiæ, C.7. n.10. Similiter & Abrahamo, c.8. n.8. Sic & ex aliis Scripturis solatur nostram de Deo nescientiam, n.10. De anima rursus & de resurrectione singularia quædam docet, L.5. c.4. n.13. c.5. n.7. Item cum vix finit Deum esse authorem supplicii justi, L.7. c.6. n.8. Bene autem prædestinationis gratuitæ, cum Basilio fratre, & aliis, L.9. c.10. n.6.7. *& seqq.*

Nazianzenus monet Monarchiæ divinæ fidem quodam modo sibi proprio esse tenendam, contra Tritheitas, L.2. c.4. n.8. Cautè contra antiquiores hæreses licèt jam in Oriente silentes de tribus Personis in una bonitate loquitur, C.11. n.4. Nec sibi contradicit asserens Deum esse *ipsum esse*, & non esse, sed quid superius, L.3. c.2. n.8. c.3. n.3. Laudat & ipse sæcularem Scriptorem, qui non est alius, quàm Plato, C.20. num.3. Illud præ cæteris Nazianzeni præclarum est affectari à Deo nomina virtutum, ut has, tanquam Deum, consequi studeamus, L. 4. c.11. n.15. Idque cum *Nysseno*, ipsi commune, n.18. C.12. nu. 11. 15. Consentit cum aliis tum Græcis tum Latinis in concordiam, etiam quoad divina auxilia, L.9. c.5. n.5. 10. Eo inter alios præceptore gloriatur Hieronymus, *ibid.* Expenditur tamen Nazianzeni locus dubius de conversione patris, quasi ex antecedentibus ejus & matris precibus, c.10. n.1. At aperit ipse, cur aliquando alternatum est pro libero arbitrio vel gratia, n. 2. Huic satis favet deinceps, Nn. *seqq.*

Gregorius Magnus, Papa licèt, plebem ipsam Ecclesiæ altissima, si quæ sit, informabat doctrina, exemplo Augustini, L.1. c.22. n.12. Reminiscentiam ex nostra Dei oblivione eruebat, genus humanum instar unius hominis, cum aliis Patribus considerans, c.3. n.3. Crassissimæ omnium idololatriæ originem à carnali primi hominis & omnium deinceps mente, post Augustinum repetit ipse, vel alius commentator in Psalm. Pœnit. L.4. c.1. n.1. L.5. c.4. n.2. Ipse verò, vel alius adhuc Gregorius Papa author Expositionis in libros Regum, exponit omnia in omnibus Deum esse, L.2. c.8. n.13. Ipsemet tandem rursus haud dubiè, L.3. c.3. nu. 15. Quin & dignè summo Theologo, & sapientissimo Pontifice, C. 4. n.10. Similiter in explicanda tripartita locutione, c. 8. n.1. *& seqq.* Necnon in arte artium cura animarum, C.16. n.5. Ab earum simplicitate ad Deum assurgit, L. 4. c.3. n.7. Sed in Dei comparatione Angelos ipsos aliqualiter censet corporeos, n.13.

Iterum *uterque Gregorius Papa* stat pro distinctione statuum, L.8. c.3. n.9. L.10. c.69. *Magnus* verò, utrumque hominis statum exemplo mulieris incarceratæ, & pueri in carcere nati apprimè explanat ante Bernardum, L.6. c.6. n.2. Utrique in hoc & aliis præiverat Augustinus à Gregorio religiosè exscriptus, C.8. n.7. Nonnihil tamen differunt in stabilienda Dei visione instar crepusculi & diluculi in repentinis quorumdam raptibus, in qua post Augustinum plurimus est Gregorius Magnus, C.11. n.7. §. *Cumque*. C.12. n.14. Rursus in visione divina ante resurrectionem, C.18. n.3. *& seqq.* Et in cura Beatorum de nobis, C.17. n.7. At eodem prorsus sensu distinguunt inter

mala

mala pœnæ & culpæ, L.7. c.6. nu.3. 4. Adhuc consonantiùs inter voluntatem peccandi, & potestatem exequendi, C.11. n.1. & seqq. Ac consequenter quoad modum indurandi, c.13. n.3.

Horum autem providentiæ secretorum rimatorem acutissimum se probat *Gregorius Magnus*, cum censet non peccata ipsa, sed bona quæ inde exprimentur, decretis & præmotionibus Dei niti, L.7. c.16. nu.16. Nec tamen bona, quæ indeclinabili Dei adjutorio non fiunt, aliter ab eo præsciri, quam ipsa visione omnium realiter ac verè præsentium in æternitate, c.17. n.8.9. L.10. c. 34. §.1. & seqq. Omnium tandem proximè Augustino accessit in retegendis sapientissimæ & omnipotentissimæ voluntatis divinæ artibus, c.1. & seqq. L.7. c. 21. n. 3. & seqq. Dubium de ejus mente circa futura conditionata, c.23. n.11. Et circa numerum Electorum ad implendas Angelorum ruinas: at nullatenus circa certum eorum numerum, ipsamque prædestinationem gratuitam iisdem fermè Augustini armis strenuè propugnatam, L. 8. c.8. n.8. & seqq. Imò in modo illius executionis efficacissimo perscrutando nemo Patrum altiùs & cum majori authoritate introspexit, L. 10. cap.1. §. *Et ne*, & seqq.

Proprium ipsius videtur coactionem moralem usque ad impossibilitatem quandam salubrem implendæ voluntatis propriæ exaggerare, L.10. Cc.13.17. Eamque per piam & misericordem adversorum ac prosperorum dispensationem explanare, præ cæteris adhuc pressiùs Augustini vestigiis insistendo, c. 19. Eandem etiam ipsemet expertus agnoscit in podagræ doloribus, §. *Postremo*. Imò exemplo Apostoli de sua electione vix securi, seipsum & alios ad salubrem in conversatione timorem excitabat, c. 28. §. *Greg. Mag.* C.42. §. *In*. Et exemplo Jobi per tentationes moderatè probati contra duplex periculum, Cap. 40. *integro*. Rursum utriusque exemplo, passim Capitib. 41. 42. 50. 52. 53. Nec supradictis de auxiliorum varietate pugnat ipse, vel alter Gregorius Papa in libros Regum, per repentinas, quas refert, conversiones, Cap. 89. §. 1. & *sequentibus*.

H

Hæreses, Hæretici.

HÆreses quæ primigeniam Ecclesiam fatigaverant, quasi pro summo bono contra Creatorem belligerantes, jam in Oriente siluerant tempore Nazianzeni, L. 2. c.11. nu.4. Non ita in Occidente, teste Augustino, *ibid.* & nu.16. Contra eos veteris Testamenti Deum seu Creatorem ut sævum criminantes, C.12. nu.6. & seqq. Necnon ut mali seu peccati authorem trecentos ferè per annos, L.7. c.15. n.12. Credere par est tunc Patribus affuisse veritatis lumina, potiùs quam recentioribus Theologis, *ibid.* Alioquin nutarent Ecclesiæ victoriæ contra hæreses, *ibid.* & L. 9. c.5. nu. 3. Imò pluris semper debent esse, quæ à Catholicis adversùs Hæreticos, quam quæ inter Catholicos ipsos disputantur, L. 10. c. 69. §. *ult.* Variæ nihilominus rerum vices ab Apostolorum tempore hactenus, quibus ob contrarias hæreses refellendas nunc de gratia, nunc de libertate magnificentiùs dicere opus fuit, sic tamen, ut veritas semper orthodoxa emineret, L.9. c.7. n.10. c.8. n. 12. c.10. numer. 2. &c.

Ut post exortas hæreses non nova cudatur doctrina, sed prisca è latebris & silentio diligentiùs educatur? ex Aug. L.9. c.2. nu.7. 8. Quantum momenti sit cont ra eas in Patrum consentientium scriptis? C.4. n.8.9. c.5. n.5. Necnon & in precibus Ecclesiæ, L.8. c.11. n.10. L.9. c. 4. num.15. C.5. n.8. In recipiendis Hæreticis, sine ordinum dispendio, duplex jus Ecclesiæ ex Patribus in septima Synodo agnitum, nu. 12. Pœnis etiam cogendi Hæretici ad resipiscentiam, ex Augustino, L.10. c.9. §. *Sed*, & seqq. Necnon & ex aliis simul Patribus, Cc. 17. 18. 22. Utiliter quoque timore ex Hæreticis fiunt Christiani, ex Aug. Cc.22. 23. Non ita utiliter illi olim ex solo timore pro Christo passi sunt, non ex charitate, quæ propria dos est Catholicorum, c.27. §. *Schismatum*. Quam multi ex eis erroneè non interesse credant, quia parte Chistiani sint, c.22. §. *Audiamus*.

Hebræi, V. *Israelitæ, Judæi.*

Hermes Trismegistus. Hieronymus Presbyter.

Scriptor perantiquis primis Ecclesiæ sæculis, illius Hermetis nomine authoritatem operi suo conciliare voluit,

L.2. c.3. n.2. Nonnullis ex sanctis Patribus imposuit, sed innoxiè, *ibid.*

Ab illis temporibus, Millenariorum Antistites enumerat *Hieronymus*, L.2. c.18. nu.2. Reminiscentiam Platonicam ab Origene renovatam contra errores Joan. Jerosolymitani peculiariter refellit, L.3. c. 14. n.4. Jovinianum cum Origene in præmiorum æqualitate perniciosiùs convenientem variè exagitat, L.6. c.15. n.1. & seqq. Porphyrium Julianum, Apostolos levitatis arguentes confutat, L.10. c.83. §. *ult.*

Nonnulla *Hieronymi* testimonia contra omniscientiam divinam, aliis etiam Chrysostomi duriora, ex ipso Hieronymo & aliis Patribus molliuntur, L.7. c.2. nu.12. & seqq. In Hieronymo tamen, sicut & in Chrysostomo, Græci omnes, quorum ille omnem combiberat doctrinam, præcipuè Origenis & Nazianzeni, L.9. c.5. nu. 10. Quanti Hieronymus fecerit Augustinum, & vicissim Hieronymum Augustinus & Prosper, *ibid.* & c.17. nu.11. L.10. c.49. Sigillatim plura Hieronymi testimonia coacervantur pro triplici capite gratiæ magis controverso, L.9. c.17. Aliqua tamen incerta mitigantur, ut decet, n.6.9. V. etiam proximè *in Hilario Pictaviensi*, &c.

Hilarii plures, cum Honorato Arelat. Episcopo.

Hilarius Pictaviensis Episcopus ab Hieronymo inoffenso pede legendus consulitur, L.9. c.5. n.10. Cum ipso contra præmiorum æqualitatem, unam Christi sedem Apostolis vendicat, L.6. c.15. nu.2. Antea cum Ambrosio, Græcis magis accedens, visionem rubi de Filio interpretatur, contra Arianos, L.3. c.4. nu. 4. Benignè etiam aliquando cum ipso interpretandus de gratia, L. 9. c.16. n.9.10. Necnon cum videtur animam corpoream facere, à Claudiano Mamerto non satis intellectus, L. 4. c.3. n.5.6.

Alter Hilarius, quisquis ille sit, scripsit ad Augustinum simul ac similiter cum Prospero de Massiliensibus aliisque Gallis, L.8. c.7. n.2. c.11. n.1.

Arelatensis tandem visus fuerat Prospero de prædestinatione gratuita ambigere, dubium an diu? L.9. c.19. n.7. At in *Honorati* decessoris vita, se ejus precibus ad pietatem attractum piè & eleganter scribit, *ibid.* Biduo hanc suam conversionem completam refert, hinc de aliis repentinis judicia, L.10. c.89. §. *Hilarius*, & seqq.

Hincmarus Rhemensis Episcopus cum Honorio Æduensi Presb.

Ille putatur author Canonum Synodi Carisiacensis diversarum Provinciarum contra Gothescalcum, L.7. c.4. n.13. Licèt omnium ipsi esset infensissimus, stat tamen cum aliis Gallis noni sæculi, pro prædestinatione gratuita, L. 8. c.8. n.15.

Hic verò doctrinam Augustini de induratione, ut suo etiam duodecimo sæculo vulgatissimam, retinuit in Elucidario de prædestinatione & libero arbitrio, L.7. c.13. n.7. Istud aliquandiu ascriptum est Anselmo, cujus aliunde vestigia lambere affectavit, L.10. c.85. §. *Honorius*.

Historia, Homo, Humanum genus.

Historia ipsa humani generis testificatrix est prædestinationis gratuitæ, L.8. c.6. n.7. Discrimen hominis stantis à lapso, *Præfat.* n.11. & 13. L.1. c.14. n.8.9. L.3. c.7. n.6. & seqq. L.8. c.2. n.3. & seqq. C.3. n.12. C.4. n.2 L.10. c. 67. & seqq. *præsertim* Cc.74.75. Etiam hominum ex statu innocentiæ beandorum præfinitus fuisset numerus, L.8. c.7. n.6. Et verè ex illis impletæ fuissent ruinæ Angelorum, n.8. Par, an copiosior reparetur numerus ex hominibus? n.9. Certus nunc omnino & definitus est, ex ipsis Scripturis, & Augustino, n.10. Ex Greg. Mag. per decimam drachmam aliis novem æquiparandam, C. 8. n.13. Ex Anselmo existimante non ad supplendam tantùm Angelicæ desertionis labem, seu casu & occasione, sed primùm propter se homines editos esse, n.16. Et ex Bernardo consentiente sic etiam restauranda fuisse sarta tecta Templi Jerusalem cœlestis, num.17. Ex his & aliis principiis liquet duodecim corollaria de reprobatione negativa vel positiva Angelorum in hominibus vim parem habere, C.9. n.10. A fortiori ob totam hominum massam damnatam in Adamo, n.11.12.

Nonnisi postquam Deus creavit hominem, Dominus appellari voluit, ex Gen. & Tertul. L.5. c.9. nu.4. Quatenus homo ad imaginem Dei? V. *Dei Imago*. In primo homine omnes alii, ut in generis totius radice, ex August. L.1. c.2. num.9. Ex Greg. Mag. C.3. num.3. Imò utrique Patri omne genus humanum unus homo est, ita ut sic Deus curet singulos quasi universos, & vicissim, L. 8. c.8. num. 10. L. 10. Cc. 3. 4. Quippe non huma-

humanum modò genus, sed & homo quilibet easdem decurrit ætates vicesque veteris & novi Testamenti, *ibid.* & C.10. §. *Porro*, *& seqq.* C.19. §. *Id*. Non justus modò, sed homo quilibet sic naturaliter compactus est, ut veritatem, vitam beatam, & similia magnifaciat, C. 58. §. *Hæc*. Quin veritas cibus mentium incorruptibilitatem stillasset in totam hominum naturam, si primus non peccasset, L.5. c.10. n.9. Imò rationes adductæ pro ipsa qualicumque Dei visione in Adamo, toti naturæ animarum rationalium id vendicant, L.6. c.9. num.15.

Non natura hominis, sed pœna peccati est, quòd rarò non sine phantasmatis aliquid videat, L.1. c.14. n.8.9. C.17. n.3. L.3. c.3. n.13.14. C.7. n.6. *& seqq.* Nunc ergo maximè per homines, licèt ex se mendaces, homines alloquitur Veritas, C.9. num.3. Quo sensu illa seu Verbum dicatur *homo impatibilis* a Clem. Alex. C.18. n. 9. Deus autem in se sit immutabilis, licèt aliter se habeat erga homines, quia non ut homo, sed ut veritas aut lex erga homines mutabiles & mutatos, L.5. c.6. n. 10. C.9. nu.9. *& seqq.* Si homo homini suo merè humano more multa persuadet, quid non Deus? L.10. c.59. Cùm etiam maxima pars humani generis censeatur plebis & infantiæ nomine, C. 83. §. *Quod*. Hactenus tamen ex totius humani generis consensione probatur maximè innata Dei notitia apud Philosophos, ita ut nemo unquam in contrario errore consenuerit, nisi fortè paucissimi, portentorum instar, non hominum habendi, & cur? L.1. c.1. n.4.5. Item apud Patres, C.4. V. etiam *Adamus*, *Anima*, *Dei notitia*, *Visio*, *&c.*

Hugones varii.

Etherianus, circa annum 1150. libellum peregregium scripsit de *Animarum regressu ab inferis*, ex quo de divinis multa excerpuntur, L.1. c.24. n.8.

Victorinus ipsi coævus, multa quidem præclarè dicta esse à Platonicis assentitur, non omnia, maximè de commentitia Trinitate, à quibus abstineri jubet, L.2. c.9. nu. 10. Optimè advertit in testimoniis Patrum varios prædestinationis sensus, L.7. c.4. n.15. At ipse Theologorum Scolæ sui ævi princeps, Patrum sententias, & gustum melioris ævi præ se fert, C.13. n.8. Maximè pro prædestinatione gratuita, L.8. c.8. n.18. Et quoad tres aut quatuor modos motionis divinæ, L.10. c.66. Necnon quoad indifferentiam libertatis & gratiam seu charitatem justificantem pro rarione meriti, C.78. §. *Hugo*, *& seqq.*

Hugo Grotius, V. *cum Gerardo Vossio ad litteram* G.

Humilitas. *Hypocrisis*.

Ad *Humilitatem* maximè refert, verum omne quod sapimus, Veritati æternæ intus docenti ascribere, L.3. c. 9. nu.4.5. Et propriam qualemcumque justitiam divinæ comparare, C.16. nu.6. Quanta autem nunc est gratiæ potestas, tantum humilitatis nobis præsidium, L.8. c. 4. n.7.9. C.10. nu.7. C.11. n.16. Item ex libello integro Basilii *de Humilitate*. L.9. c.10. nu.8. Idcirco tandiu distulit Deus superbiæ medicinam, ad ingenerandum veræ humilitatis sensum, sive in toto genere humano, sive in singulis hominibus, L.10. Cc. 3. 4. 19. §. *Id*, *& seqq.* Conflictus humilitatis cum seipsa & cum aliis virtutibus, Cc.16. 19. Hinc ad humilitatem servandam & virtutibus modus imponitur, c.41. Et tentationes ac lapsus ipsi permittuntur, Cc. 40. 42. *& passim seqq. usque ad* 52. V. etiam *Superbia*.

Contra *Hypocrisis* vitium ac simulationem tantùm, probari homines, eorumque expectari voluntarium consensum ante baptisma, non ante prævenientem gratiam, explicat Cyrillus Hierosol. L.9. c.14. n.1.

I

Iacob, *Ioseph*, *Isaac*, *Patriarchæ*, *cum suis*.

CUr *Isaac* seu risus à patre Abraham immolari jussus? ex Philone, L.6. c.14. n.3. Quid per *scalam Iacob*, idem Philo & Gregorius Magnus intelligant? L.3. c.8. num.10. 12. Quisnam visus sit in luctatione Jacob? ex August. c.9. num.7. §. *Quibus*. Quonam Jacob præsidio Labanis soceri, & fratris Esau iracundiam demulserit? ex Chrysost. L.9. c.12. n.2. §. *Nec*. Curiositas & negligentia Dinæ Jacobi filiæ, quantum ipsi, suis & hostibus exitiosa, L.10. c.50. §. *Bernardus*, Exemplo Josephi ac fratrum filiorum Jacob, probatur hominum consiliis divinam impleri providentiam ac voluntatem, quibus maximè impugnatur, L.7. c.20. num. 3. L.10. c. 88. §.3.

At priori exemplo ejusdem Jacobi & Esau fratrum, filiorum Isaac, meritorum omnium præexistentia removetur, contra Origenem & Pelagianos, ex Augustino, L. 8. c.7. num.13. Et hinc specialior providentia, seu gratuita prædestinatio, *ibid.* & ex Hieronymo, C.17. n.8. C.18. n.6. Idipsum eruitur ex alio adhuc posteriori exemplo Jacob transferentis primogenita à Manasse primogeniti *Iosephi* in Ephraim minorem, ut non possint deinceps Judæi & alii reprobi conqueri de aliorum prælatione, ex Ephremo Syro, L.9. c.10. n.12. §. *Adendus*.

Iamblichus, V. *Philosophi Platonici*.

Iansenius Iprensis Episcopus.

Ipse assentitur non aliter quàm per ingestas occasiones omnipotentissimam Dei potestatem in malis sine prædeterminatione physica impleri, L.10. c.65. §. *Hic*. At malè *adjutorium quo* Augustini in una motione seu inspiratione delectationis victricis justitiæ collocat, & ad singulos actus, C.69. §. *His*. Advertit tamen ipse nonnisi post viginti annos à bello Pelagiano propalatum illud esse in libro *de Correp. & Grat.* §. *Sed*. Item adjutorium *quo* à physica prædeterminatione distare, §.7.

Idea. *Imagines*.

Ipsum *Idea* nomen εἶδος, sicut forma & species apud varios pulcritudinem sonat, L.3. c.19. n.1. Sive Plato, sive alius quilibet author aut inventor sit nominis idearum, res ipsa, reique notitia longè antiquior & universalior est, ex Augustino, C.18. n.12. Tertullianus cum aliis erga Platonem iniquior ob ideas ab Aristotele & variis Hæreticis extra Deum positas, C.12. n.1.5. *& seqq.* At Augustinus, Claudianus Mamertus, & alii præsertim Græci æquiores in hoc præferendi, n.2. *& seqq.* Imò ex ipsis Scripturis haustas ideas putant, n.5.8. Inde tamen quòd Plato Verbum, in quo sunt ideæ, infra Patrem poneret, simul & ideas extra Deum ponere visus est, n.10.

At probantur ideæ seu formæ virtutum æternæ & incommutabiles esse in Deo, ex ipso Platone, L.2. c.4. n.3. L. 3. c.11. n.1. *& seqq.* Necnon ipsum Deum Verbum esse, ex Philone, C.18. n.1.3. Et quidem ex ipsis Scripturis etiam allegoricè sumptis, n.2. 17. 18. Variæ exinde idearum definitiones, ex Tertul. August. Dion. & aliis Patribus, n.6. *& seqq.* Ut in idearum contemplatione tota vertatur sublimior Philosophia, tota Ecclesiæ Theologia, ex iisdem, n.12. *& seqq.* Scilicet ideæ etiam universales probantur, cùm à tam multis participentur, C.11. n.2.3. Imò omnium prorsus animis innatæ, n.10. Hinc divinæ fiunt animæ idearum contemplatione, n. 4. Et ad *imaginem Dei* ipsi homines efformantur, C.17. num.2.

Rursus juxta Platonem ideæ ex pristina interioris vitæ felicitate residuæ sunt, & per reminiscentiam renovantur, L.3. c.11. n.5. C.13. nu.1. Refellitur in hoc deinceps, vel ad Christianum dogma cui præludebat, reducitur, Nn. *seqq.* Maximè juxta Plotini principia de actuali nunc præsentia idearum, n.8. *& seqq.* Sic explosa reminiscentia Augustinus etiam fusè de ideis explicatus, cum aliis Patribus, Cc.15.16. Necnon cum Philone ex Scripturis ipsis, ut supra C.18. Scilicet ideæ formæ divinæ imprimuntur hinc animæ, illinc materiæ, ex Plotino mox laudato, c.11. n.11. Hinc sunt animæ virtutes, & formæ corporum, *ibid.* & c.17. *integro*. Indeque corporea ipsa pulcritudo excitat in anima amorem & notitiam summæ pulcritudinis, c.11. n.12. *& seqq.*

Hinc aliunde quarundam idearum exempla animæ longè certiora quàm res quælibet corporeæ, juxta Platonicos, L.1. c.2. nu.3.4. Expressiùs juxta Patres, c.8. nu.2. *& seqq.* L.3. Cc.15. 18. nu.6. 7. Fortè quòd æternis adhuc ideis superior animæ pars affixa, inde per inferiorem corporea administret, ex Plotino, L.1. c.10. L.6. Cc. 1.2. Passim ex Augustino ipso, L.3. c.15. Necnon & ex aliis cum ipso Patribus, Cc.16. 18. n.16. Et hinc in causarum pervestigatione ad has exemplares confugere tutissimum, non ad causas terrenas & particulares, c.11. n.6. Maximè pro Civitatibus & Rebuspublic. n.7. Cùm & totus mundus ad hoc exemplar sit, nu. 8.9. Et omnis infelicitas, egestas ac rixæ ex particularium bonorum possessione, copia, felicitas & pax ex universalibus seu ideis, n.17. & L.5. c.6.7.

Nullo autem corporis sensu ideæ seu formæ intelligibiles percipiuntur, L.1. c.14. n.7. Nec tamen inania sunt figmenta, sed verissimæ rerum verissimarum *imagines*, c.15. num.7. Imò sine *imaginibus* res ipsæ in intellectu, L.3. c.15. n.8.9. At nonnisi symbola à natura intellectuali

ctuali ad Deum translata, L.1.c.18. n.2. C.19.n.5. C.20. n.1. C.26. ferè integro. Adhuc necesse est ut eas nobis impressas Verbum tanquam Sol intelligibilis sua luce cum mentibus ipsis illustret, L.3. c.5.nu.12. & *seqq.* C.6.n.1. 13.15.C.15. num.3.9.10. Quomodo tandem per eas anima unitatem quandam acquirat simplicissimam? C.18. nu.15. 18.19. Imò & quietissimam immobilitatem? L.5.c.6.nu.4. Modò corporeas abiiciat curas, L.3. c.11. nu.5. Adeoque pleniùs post hanc vitam, ibid.

Licèt aliarum *imaginum cultus*, nempè corporearum, ad disciplinam, & quidem tribus prioribus sæculis subobscuram tantùm spectet; tamen inter fidei decreta à septima Synodo receptus est, ut cui omnes Patres subscripsissent, L.9.c.5. n.12. V. etiam *proximo titulo*.

Idola, Idololatra, Idololatria.

Inter illos minùs obtusi, unum summum Deum esse sentiebant, L.1.c.4.nu.4.7. L.2.c.1. nu.1. & *seqq.* Et tamen eò meliùs divinitatem tueri sibi videbantur, quò pluribus eam communicarent, n.2. Necnon & sub simulacris, ad publicos cultus excipiendos, L. 4. c.1. nu.2. Quin & rudiores cum populis, idest, omnes propemodum Ethnici vel militiæ cœli, vel corporeis aliis naturis Deitatem se excusabant, quòd tam pulcrum Deus mundum condidisset, qui pro Deo haberi posset, ex Chrysost. L.3.c.21.nu. 10. Confutantur vel ex sola creaturarum mutabilitate, ibid. L.5. c.10. n.1. 2.3.

Idololatriæ incunabula meliùs indigitat Greg. Magn. post Augustinum, in mente primi hominis per peccatum statim carnalis effecti, L.4.c.1.n.1. Et hinc ferè omnes ab ea avocandi, Nu. *seqq.* & C.3.nu.18. Per ipsam doctam Dei nescientiam supra omnem Gentilium, ipsorumque Philosophorum variè idololatrarum scientiam Christianus quilibet constituitur, ex August. C. 7. nu. 1. Idcirco simulacrum omne sui Deus prohibuit, ne cui similis putaretur, ex Nysseno, n.10. Et sanè veritatis imago falsitas, L. 6. c. 13. num. 5. Attamen idem Nyssenus cum Nazianzeno observat, saltem per œconomiam Deum permisisse vestiri se spiritualibus symbolis, quasi idolis licitis, maximè virtutum, ut ipsi assimilaremur, L.4. c.11. num.15. §. *Illud.* nu.18. §. *Si.* C.12. nu.11. Et hoc incrementum nostrum est per Euangelium supra ipsorum etiam Judæorum crassitiem & pueritiam, ex Augustino & Gregor. Mag. ibid.

Ieremias, Ionas, & Isaias Prophetæ.

Quomodo Isaias viderit Dominum in solio sedentem, Angelis velatis circumdatum? &c. ex Bernardo, L.3.c.10. num.5. Paulò aliter ex Chrysost. L.4.c.8. nu.13. L.6.c.19. num. 3. *Ieremias* verò salubri obreptione ad obsequium à Deo perductus sit? L.10. c.2. §. *Ab his.* Ac *Ionæ* similiter fracta sit tandem contumacia? ex Greg. Chrysostom. & Hieron. §. *Sed libet*, & *seqq.* Item C.88. §. *Si.* Quem ipse sermonem Deo affingat ad cetum, ut ipsum deglutiat, & in littus ejectet, necnon & ad cucurbitam? &c. ex Origene, L.3.c.10. n.3.

Ignatius, Irenæus, ac Iustinus Martyres.

Ex tribus his simul plura congeruntur testimonia, pro tribus præcipuis capitibus de Gratia controversis, L.9. c.7. Potissimùm ex *Irenæo* pro efficacia gratiæ ab incommutabilitate Verbi incarnati, ita ut de libertate, contra hostium calumnias, purgari eum necesse fuerit, num. 7. & *seqq.* Cum Latinis etiam consentit in explicanda induratione, L.7.c.14.n.2. Et ante alios Græcos, illustri Incarnationis exemplo connititur, ut evincat non vinci Deum nequitia diaboli, C.22. nu.1.2. Ejus doctrinam sequitur ipse Athanasius. n.4.

Non potest aliunde idem *Irenæus* in suspicionem venire, quasi negaverit naturas sensibiles saltem umbras esse intelligibilium, L.3. c. 12. nu.6. Quid reprehendat ipse in Platonicis & Valentinianis? ibid. Etiam quoad reminiscentiam, C.14.n.7. Similiter an jure reprehendat *Iustinus* Platonem de Ideis? C.12. n.5.10. Et quo sensu neget nomen Dei esse designatum Moysi, eumque cum Platone conciliet? C.3. n.12. Denique librum de *Monarchia* se scripsisse profitetur, ut innatam de uno Deo sententiam suscitet ex Poetarum scriptis, L.1.c.4.n.2. L.e.c.1.nu.1. §. *Primum.*

Impeccantia, Impossibilitas, Infallibilitas multiplex.

Contra *impeccantiam* Stoicam & Pelagianam opponit Hieronymus *impossibilitatem* seu difficultatem maximam non aliquando peccandi, L.10. C.49. 53. Sola charitas consummata impeccantiam omnimodam, provecta sibi parem peccandi difficultatem inducit, C.56. 57. Paulò aliter id contra prædeterminantes torquetur, C.78. §. *Hugo, ac toto ferè* C.79. Quomodo in Christo impeccantia consocietur cum meritis? C.78. circa fin. & C. 79. §. ult. Impeccantia proprius census Dei, ibid. & §. *Omnes, ac seqq.* Nihilominus per prædeterminationem physicam multò jam certior conciliaretur impeccantia, quam per ipsam Dei visionem, C.80. §.1. & *seqq.* Ex superioribus verò juxta Patres impossibilitatibus, *morales* dumtaxat *infallibilitates* inducuntur, *physicis* tamen quoad certitudinem æquiparandæ, C. 54. Et talis etiam moralis solùm impossibilitas non implendi voluntatem propriam ex vi attractionis per morbos aliaque impedimenta, à Patribus, præsertim Gregor. Magn. exaggerata, C.13.17.18. &c.

Incarnatio, Incorporatio, Inhumanatio.

Triplex sapientiæ Dei *incorporatio*, opificio creaturæ, Christi carne, hominis voce, L.3.c.9.nu.3. §. *Hugo.* Absolutiores gradatim Verbi manifestationes usque ad *inhumanationem*, ac tandem usque ad gloriam, L.6. c.16. nu.2. §.3. Quænam fuerit tamen Verbi invisibilitas, antequam carnem assumeret? C. 19. nu. 4. Per Judæos humanationis, per Gentiles Philosophos divinitatis Christi fides præstruebatur, L.2.c.5.num.6. Hinc nihil Incarnationis apud Platonicos, ex August. num. 12. At per ipsa veteris Testamenti peccata Christi mysteria adumbrabantur, ex eodem, & Primasio, C.12.n.16. Per humanos quos Deus ipse induebat affectus, etiam contra peccatores insuefaciebat se incarnationi, ex Tertulliano & aliis, L.3.c.9. nu.7. Et qui humanis membris velari dignatus est, humanis verbis ad Theologiam accommodatis revelari haud dedignatur, C.13. n.6.

Jam per fidem mysteriorum Christi oculus fidei sanandus, L.1.c.14.n.9. Imò Verbi humanitate & dispensatione fit, ut esse & bona esse dicantur omnia sensibilia, L.3.c.4.n.9. Et mortalitate quam induit, jus nobis contulit ad immortalitatem, L.5.c.10. n.18. Quin & ex immutabilitate Verbi incarnati salus nostra longè certior, quàm in Adamo, L.6.c.9.n.5. L.7.c.21.n.2.C.22.nu.1. Adhuc expressiùs ex Athanasio & Cyrillo Alexan. L.9.c.11. Et hinc gratiæ efficacia, ex Irenæo, C.7.num.8. Ex Eusebio, & aliis apud ipsum, C.9. num.5. Ac rursus ex Athanas. & Cyrill. C. 11. integro. Cur ergo tot millium annorum usque ad Incarnationem procrastinatio, ac Christi mysteriorum per sæcula nostra distributio? L. 10. c. 3. 4. Necnon visorum congruorum per eandem Incarnationem & alia mysteria, exhibitio? ex August. præsertim & Bern. C. 3. 6. 7.

Infantes, Infantia, Iuventus, &c.

Ipsæ *Infantium* animæ seipsas norunt, etsi non cogitent, variis obicibus distractæ, L.1.c.13.n.4. Et hoc non ipsorum est natura, sed peccati pœna in ipsis, C.14.nu.8.9. Speciale Plotini hac de re commentum, L.6.c.1.n.19. Nisi verò esset peccatum, etiam in utero materno veritates divinas infantes intelligerent, ut ipse parens Adamus, C.9.num.15. De *infantia*, pueritia, *iuventute* & aliis ætatibus spiritaliter intellectis, L.10. C.3.4.37. §.ult. De lacte & aliis illecebris, ac infirmitatibus infantiæ, C.4.7. Necnon de flagellis aliisque infantiæ rudimentis spiritualibus, C.20. &c. Ut non solum exordium vitæ spiritalis, sed & tota præsens vita, infantia quædam sit hujusmodi plagis obnoxia, C. 25. §.1. Et maxima pars humani generis plebis & infantiæ nomine censeatur? C.83. §. *Quod.* Eadem comparatio parvulorum ad litteras, non per singulos actus, sed universim per affectus, præmiorum ac pœnarum dispensatione constrictos. C.77. §. *Dicamus.* Plura ex infantia & juventute Augustini quæ sunt aliarum symbola, præsertim quantum infantiæ præjudicia ipsi postea adulto profuerint, C.90. V. etiam *Augustinus.*

Jam ab exemplo parvulorum cum aut sine baptismo decedentium, posse nos argumentari pro gratuita adultorum prædestinatione affirmabat Augustinus, negabant hæretici, L.8.c.6.n.6. & *seqq.* Ut istud eluderent argumentum ex parvulis, ad pejus recurrebant ex conditionatorum scientia apud Deum, L.5.c.23. nu.1. 4.7. & *seqq.* Obiiciebant etiam ad hoc, aliud exemplum rapti præmaturè juvenis & similia ex Scripturis, n.5.12. 13. Illa retorquebant Patres pro eadem causa, L.8.c.1.n.12. C.7. n. 14. L.9.c.4.n.11. Et utrumque simul infantium & juvenum. L.8.c.6.n.5. & *seqq.* Maximè Innocentium Mart. sine meritis, L.9.c.7.n. 7. Necnon & aliorum infantium operibus prorsus vacuorum, ex libello integro Nysseni, C.10, nu.7. Imò ex eis qui præmaturè rapiuntur, partem Electorum longè maximam coa-

coalescere verissimillimum putabant, L. 10. c. 71. *& passim seqq.*

Infernus, Iudicium ultimum,

Unde veterum de *Inferis* & Elysiis præjudicia? juxta Tullium, L. 1. c. 9. n. 4. Necnon simul & de *ultimo Iudicio*, juxta Tertullianum, C. 11. num. 5. 7. Ipsa Inferorum & gehennæ supplicia de vena bonitatis fluunt, ut ignavos ad regnum inflamment, L. 2. c. 12. n. 7. *& seqq.* L. 3. c. 25. n. 3. 4. 5. L. 10. c. 25. §. *ult.* Quàm utilis nunc ipsius ignis ac inferorum consideratio, §. *Climachus*, *& seqq.* V. *Timor*. Item & infernæ sedis Teresiæ propositæ, C. 37. §. *Iuvat*, *& seqq.* Cur aliunde reditum ad terrenas delicias, post gustum cœlestium, gehennæ comparat? C. 57. §. *Iuvabit*. Quid si jam infernalis bestia appareret, ut in extremo Judicio? ex Greg. Mag. c. 40. §. *Quin*.

Haud probandæ videntur quædam responsiones perterrefacientes de gehenna & judicio, ex August. L. 5. c. 14. n. 6. 7. An sit veritas & ratio in Inferis? juxta varios Patres, L. 3. c. 10. num. 7. L. 6. c. 21. n. 11. Mirum videtur Gregorio, quod de inferno dicitur, *ubi nullus ordo*, cùm omnipotens Deus, qui mala bene permittit, inordinata esse vel tormenta nullo modo permittat, C. 15. nu. 5. L. 7. c. 16. n. 6. Contra æqualitatem omnium post judicium, L. 6. c. 15. n. 1. *& seqq.* Quinam & quomodo inferni carceres à Christo effracti ante extremum Judicium? C. 18. n. 4. *& seqq.* An Beati inferni pœnas videbunt & miserebuntur? C. 17. n. 8. 9. V. etiam *Damnati*.

Intellectus, Intelligibilia, Invisibilia,

Habitus primorum Principiorum nulli obnoxius errori, quia *intellectus* & est & vocatur, L. 1. c. 15. nu. 1. Quod enim verè falsum seu impossibile est, id nec *intelligibile*; quod vicissim intelligibile, id & verum est, *ibid.* & L. 4. c. 11. n. 11. C. 12. n. 9. 10. Imò intelligibilia magis sunt, & præsentiora intellectui, quàm sensibilia sensui, ideo & veriora & certiora, L. 1. c. 15. n. 4. L. 3. c. 4. nu. 4. *& seqq.* C. 4. n. 6. Expressiùs C. 7. *ferè toto*. C. 11. n. 6. 7. C. 15. *integro*. Imprimis quod intelligibilium nullæ sint imagines, n. 8. 9. L. 6. c. 4. n. 1. C. 13. *integro*. Quomodo tamen *invisibilia* Dei, per ea quæ facta sunt, *intelligantur*? L. 1. c. 17. n. 5. C. 21. n. 4. L. 6. c. 10. num. 1. *& seqq.* Et quid hæc tria distent, intelligere, credere, opinari? L. 3. c. 6. n. 3. 4. C. 7. n. 4. 5. C. 10. n. 10. §. *Ubi*. L. 6. c. 2. n. 4. C. 10. n. 7. §. *Denique*. Aliud discrimen intelligibilium à sensibilibus seu contingentibus, *ibid.* & L. 3. c. 11. n. 17. C. 13. n. 1. 12. C. 15. nu. 2. 8. 9. L. 6. c. 2. n. 2. 4. 8. C. 13. n. 1. *& seqq.* Intelligibilia videre, idem ac habere, & esse, C. 4. n. 1. 2. C. 13. n. 3. C. 14. n. 6. 7. Quòd intellectus sit præstantissima facultas, & visio præstantissima illius operatio, quid illi debeatur; nu. 2. V. etiam *Anima*, *Beatitudo*, *Idea*, *&c.*

Ioannes varii,

Chrysostomus acriter Platonicos insectatur, licèt iis in multis consentaneus, L. 3. c. 2. n. 9. Et acriùs meritò Idololatras ex mundi pulcritudine se excusantes, C. 21. n. 10. Ut familiarem sibi facundiam amoris impetu erga Deum & pulcrum invisibile exaggeret? C. 24. nu. 7. Et incomprehensibilem Dei naturam contra Eunomium luculentissimè tueatur? L. 4. c. 8. n. 11. *& seqq.* Mollior quidem est illius quam Hieronymi cum aliis Patribus ipsaque Scriptura conciliatio quoad omniscientiam Dei, L. 7. c. 2. n. 12. *& seqq.* At ipse nullatenus mollior aut tepidior in quæstionibus de induratione & similibus, C. 14. n. 8. Præsertim quoad tria capita Gratiæ magis controversa, licèt aliquando peccatores tepidi & Manichæi fati inductores cogerent partes liberi arbitrij leniùs suscipere, L. 9. Cc. 12. 13. Id liquet maximè in Petri negationis, ac Pauli vocationis exemplis, C. 12. nu. 6. 16. C. 13. n. 1. *& seqq.* Quin ut Pauli fidus interpres, & Augustinus Græcorum commendatur, C. 5. n. 11. C. 12. n. 1. &c. Certè Constantinopoli damnata paulò pòst fuit Pelagii insania ex Chrysostomi præjudiciis, c. 3. n. 3. Non mirum si ejus opera magno in pretio apud Latinos, ac statim Latinitate plura donata fint ante ævum Isidori Hispalensis, c. 5. n. 12. Etsi unus instar omnium Græcorum, eorumque ducat agmen in multis, *ibid.* & L. 10. c. 20. *circa medium*, & c. 46. §. 1.

Maxentius & ipse Chrysostomi asſecla, confutavit etiam Fausti libros adversùs Augustinum scriptos, L. 9. c. 3. num. 7.

Climacus pariter in sua Scala virtutum gradus varios discriminans, Augustinianam de gratia doctrinam exprimit, L. 9. cap. 15. numer. 13. L. 10. Cc. 16. 26. 39. 48. Se & suos excitat ad imitandos Angelos in cœnobio, tanquam in cœlo, & tamen tentationes & polluta illa insomnia ad id non inutilia existimat, C. 46. *circa finem*.

Damascenus demum quasi fidejussor est neminem Græcorum à distinctione Augustiniana præscientiæ & prædestinationis dissensisse, L. 7. c. 4. n. 16. Ita & de gratia, L. 9. c. 14. n. 11. Item in vita quam ipse refert Barlaami & Josaphati, C. 15. n. 3. At Dionysio antea in multis succinuerat, L. 3. c. 3. n. 6. L. 4. c. 9. n. 7. 8. Aliorum Græcorum sententias, & non rarò verba affectare solitus, paradisum alium sensibilem, alium intelligibilem in ipsa Dei visione distinguit, L. 6. c. 6. n. 12.

Iob, Iobius,

Primus de justitia licèt laudatur à Deo, *veritatis ac virtutum regulis se comparans*, in peccatorum grege se numerat, L. 3. c. 6. n. 13. L. 10. c. 53. Quomodo *non contradicit sermonibus sancti*? L. 3. c. 9. n. 2. Quatenus & ad quid satan permittitur illum tentare, accusare? &c. L. 3. c. 10. n. 1. 2. 4. 6. 9. L. 7. c. 11. n. 8. L. 10. c. 40. Cur ipse Job mira opera faciens, hæc tamen verebatur pavens, ex Greg. Mag. Cc. 42. 50. §. 1. In quo tandem sanctæ Ecclesiæ typum tenet, C. 53. §. *Inde*.

Alter nomine *Iobius* apud Photium egregiè respondit ad quæstionem de trium Personarum divinarum ordine, L. 4. c. 9. n. 5.

Iovinianus hæresiarcha.

Non solùm Epicureo, sed & Stoico aliisque morbis laborabat, in sententia æqualitatis meritorum, multipliciter & ipse rejectus ab Ecclesia, L. 6. c. 15. n. 1. *& seqq.*

Isidori tres,

Pelusiota antiquior ad alium quempiam *Isidorum* scribens, Chrysostomum non aliter quàm alium Paulum, ac Pauli fidissimum interpretem commendat, L. 9. c. 5. n. 11. Quid ex hac Epistola cedro digna, pro gratia præveniente? C. 14. n. 4. 5.

Hispalensis pariter addictissimus Chrysostomo, L. 9. c. 5. n. 11. Nihilo feciùs & Augustino, *ibid.* Imò puram putam tradit Augustini doctrinam & ipsissima ejus ac Gregorii verba de voluntatis divinæ artibus, L. 7. c. 21. n. 10. Item de perseverantia & gemina prædestinatione, L. 8. c. 8. n. 14.

Israelitæ, Iudæi.

Quàm pauci eorum, arcana Trinitatis, ex Scripturis intellexerint? L. 2. c. 5. n. 9. C. 8. nu. 1. An eorum disciplinis Philosophi instituti sint? C. 2. n. 11. C. 3. n. 3. C. 5. n. 5. 9. L. 3. c. 1. num. 9. C. 11. num. 11. C. 12. n. 8. Per Judæos humanationis, per Gentiles Philosophos divinitatis Christi fides præstruebatur, L. 2. c. 5. n. 5. C. 8. n. 2. L. 3. c. 13. n. 5. 6. Et utramque gentem præformabat Christus corpori suo aliquando coaptandam, L. 9. c. 8. n. 4. §. *Nec*. Ipsa tunc temporis flagitia, figuræ mysteriorum Christi, ex Paulo, Augustino, & Primasio, L. 2. c. 12. n. 10. A fortiori diversi Levitarum gradus futuræ Ecclesiæ & cœlestis Jerusalem ordines præsignabant, L. 6. c. 15. n. 3.

Cur Israelitas permiserit Deus in Ægypto laboribus atteri? ex Chrysost. L. 10. c. 46. §. 1. Et adhuc duriùs sub Pharaone haberi, L. 7. c. 12. n. 12. C. 13. n. 1. 2. 5. 10. C. 20. num. 8. L. 9. c. 10. n. 7. §. *Sed*. C. 14. n. 8. C. 17. num. 6. Per Israelitas spolians Deus Ægyptios, de utrisque sumpsit pœnas, licèt inæqualiter, ex August. L. 2. c. 12. n. 10. 11. Quomodo Judaicæ sit perfidiæ per *esse* solum Patrem intelligere apud Moysen? L. 3. c. 4. n. 7. §. *Nyssenus*. Cur deinceps Israelitæ mediatore seu interprete Moyse apud Deum eguerint, C. 8. num. 9. Nec ad eos Deus allapsus est, nisi in densa montis caligine, L. 4. c. 10. n. 7.

De Israelitarum infantia multis, sive illecebris, sive flagellis, erudienda, L. 10. Cc. 20. 22. Quoties & quot modis à tempore præsertim Moysis eosdem rebelles, per captivitates & alias pœnas Deus ad se reduxerit; ex ipso Moyse, Isaia, Ezechiele, Jeremia, Osee, & Patribus, Cc. 1. & 2. Concertatio Michaelis Israelitarum in Palæstina Præsidis, & aliorum Angelorum, pro Judæis captivis in Perside seu Chaldæis suo piaculo retardatis, ex Greg. Mag. L. 3. c. 8. nu. 5. Vel quod ipsa captivitas eis religionem firmaret, Persis inferret, ex Chrysost. C. 9. n. 12. Quorsum tanta eorum ante legem & sub lege per quatuor circiter annorum millia procrastinatio? L. 10. Cc. 3. 4.

Quomodo tandem Judæi ex inveterata malitia, Christi quoque increpationibus ac miraculis ad pessima facinora impulsi? L. 7. c. 5. num. 9. C. 10. num. 8. C. 21. n. 1. L. 10. c. 64. Eorum duritiæ nec ipsi inter Idololatras perditissimi comparandi, L. 7. c. 23. num. 13. L. 10. Cc. 60. 61.

Utri-

Utrique in massa perditionis relicti, L.8. c.1. n. 15. C.5. num.9.C.9.nu.12. §.*Cum.* Sed alii Gentiles nihilo Judæis meliores, in sortem filiorum gratuitò prædestinati, C.8. n. 9. Et hoc non solùm in Jacob supra Esau olim adumbratum, sed etiam in Ephraim à Jacob supra Manasse prælato, ut non possint deinceps Judæi conqueri, L.9.c.10. n. 12. §. *Addendus.*

Centies ab initio Judæis inculcatum fuerat, non propter eorum opera, sed ex miseratione & gloria Dei eos tunc Gentibus esse antehabitos, L.9.c.7. nu.2. 3. 6. Et ab ipso primùm Christo, C.11. nu.14. §.*Apertiora.* Paulò aliter, C.14. nu.10. Ac postea quia justitiam non à fide, sed tanquam ab operibus sectarentur, reprobati sunt, ex ipso Chrysost. C. 13. n. 3. circa fin. Imò eorum superbia Deicidio meruit retundi, ex Augustino, L. 10. c.44. §. *Atrociore.* Pro ipsis tamen licèt durioribus preces fusæ, sicut pro Gentilibus & Samaritanis, L.9.c.9. nu.3. Hinc non pro Judæis tantùm, sed etiam pro universo mundo Christum advocatum prædicat Joannes Judæis licèt ex Judæis, ex Cyrillo, C. 11. nu. 8. Quomodo etiam reliquiæ demum ex illis salvandæ? C. 18. n.6.

Iudas Iscariotes traditor.

Quo sensu Augustinus dixerit Judam electum esse ad fundendum sanguinem Christi? ex Ratramno, L. 7. c. 16. nu.8.9. Ex ipso Augustino, C.20.nu.8. §.*Quæ.* L.10.c.64. §.*Alibi.* Et ex Prospero. L.7.c.21. nu.1. Ab ipso Christo inter discipulos electus est, donec paulatim lucri studio irretitus, ex Cyril. Alex. L. 10. c. 52. Cujusnam gratiæ præsentia peccanti Judæ non abfuit? ex Chrysost. L. 9. c.12. num.9. Vel abfuit? ex Theodoreto, L. 10. c. 20. Discrimen ipsius à Petri lapsu, ibid. Et ab aliis, C.64. §. *Alibi.*

Iuppiter, Iustinianus Imperator.

Iovis nomine, sive *anima mundi* tanto corpori illigata, nihil hinc retardatur ab æternorum contemplatione, juxta Platonem, L.6.c.3. n.4.v.4. Sive *Deus summus,* voluntate omnipotentissima Diis sydereis indulgens, ut quamvis ex corpore & anima non solvanrur, n. 5.

Justiniani Edictum & argumenta contra Platonis & Origenis errores toto orbe promulgatum. L. 3. c. 14. num. 10. 11.

Iustitia, Iudicium, Iustificatio, &c.

Jam notatum est *Iustitiæ* & pulcritudinis totius naturam, in æqualitate quadam versari, a summo Idearum fonte defluente in intellectuales, rationales, ad corporeas usque naturas, L.1.c.25.n.3.L.3.c.19.n.2.3. C.20. n.7. Et hinc justitiam nobis esse propriè affectionem animæ legibus addictæ, ad Deum ut ad causam nonnisi impropriè translatam, L.4.c.11.nu.5. *& seqq.* C.12.nu.4.Maximè si concipiatur consistere in fame quadam & aucupio boni & pulcri, seu legis æternæ, nu. 3. Et tamen veritatis seu justitiæ incommutabilis *judicium* animæ naturaliter obversans, & justa ab injustis secernens, hominum *judiciis* præferendum visum est ipsis Philosophis, quantò magis Patribus? L.1.c.7.nu.1.2. C.5. integro. C.25. num.2.3. 7. L.2.c.7.nu.1. C.8.n.7.8. L.3.c.5.n.5. C.11.n.1. *& seqq.* C.6.n.1.13. C.7.n.2. *& seqq.* C.16. integro, &c.

Hinc primùm justitiæ ubicumque sit, & insignis alicujus justi, naturalis amor, L.1.c.5.n.3.4. L.3.c.15.n.5.6. C.10. n.7. *& seqq.* Nec tamen ille meritorius, non tantùm quia naturalis, sed etiam quia distortus, utpote non in seipso, sed in alio justitiam, ac in seipso injustitiam plus diligens? L.1.c.5.n.3.4.C.7.n.1.2.6. L.3.c.18.n.3.L.10.c.23. Nec etiam timore pœnæ quisquam justus est.C.22.§.*Idem* Et hinc quidquid præcurrit *iustificationi,* timori tribuitur, C.25.§. *Bernardus.* Quot tamen modis Deus movet & inspirat affectus, antè & post justificationem? C. 65.§.2. Ex ipsa Synodo Tridentina, C.89.§.2. Nec solùm initia conversionis seu justitiæ, sed etiam perfectio & complementum, flagellis, afflictionibus, tortoribus, aliisque affectibus procurantur, C.12.17. 24. *& seqq.* Sic conversio simul & perseverantia, seu integra justificatio debetur nunc *auxilio quo* infallibili, Cap.71. 75. §. *Est.* Et hinc merendi dignitas jam ex gratia justificante, ibid. & C. 78. Hincque justorum profectus, ac tandem mira pax, ex Ambros. August. & Gregor. Magn. Cap.39. &c.

L

Lacrimæ, Lætitia, Luctus.

UNde lacrymæ, & reliquus luctus pro mortuis? ex Tullio, L.1.c.9.n.4. Ex Tertull. C.11. nu.4.6. Aliæ sunt lacrymæ ex compunctione, non sine lætitiæ sensu, adeoque dona Dei, juxta Climacum & Bernardum. L. 10. c.37. §. *Ex.*

Lactantius Orator Christianus.
Latini Patres.

Plura illius argumenta contra polyarchiam pro unitate Dei, L.2.c.1.n.3. Mitiùs ipse interpretandus de generatione & æternitate Dei, L.3.c.25.n.4.5.L.5.c.8.n.8. Item de immensitate solùm in cœlo, nu.9. Ac manifestissimè in eandem, quæ fuit postea Augustini & aliorum *Latinorum* de auxiliis divinis, L.9.c.19.n.4. L.10.c.14. Vide etiam *Patres, &c.*

Latro pœnitens.
Leo Magnus, Papa.

De repentina *Latronis* in cruce pœnitentia & conversione ejusque tamen variis gradibus & motivis per tres horas L.10.c.89. §. *Referri.*

Leo Magnus inter omnes apertissimè distinguit in intersectione Christi, facinus Judæorum præcognitum tantùm, à morte ad salutem omnium dispositâ, seu prædestinata. L.7.c. 5. n.9. C.11. n.7.

Leges, Legislatores, Libertas.

Summæ bonitatis fuit *creaturis liberis leges, præmia & pœnas* proponere, L.2.c.12.nu.5. L.7.c.10. nu.2.7. C.15. nu.6. *& seqq.* L. 10. c. 79. Legis autem naturalis primarium caput, Legislatorem Deum revereri, L.1.c.7. ferè integro. Cur duo prima præcepta, quibus innexa tota naturæ lex est, Deus ipse promulgarit, reliqua per Moysen? nu.1. Et cur præceptis naturalibus nullam Legislator causam subiicit, secus positivis? ibid. & num.5. Ex eodem fonte tot Legislatores suas leges derivarunt, ibid. & C.25. n.1. *& seqq.* Item L.3. c.11. nu.7. Hinc etiam Adamo ipsi præcepta positiva aliter a naturalibus promulgari potuere, L.6.c.9.n.12. *& seqq.*

Tres pariter leges, naturalis, scripta, & Euangelica, meræ gratiæ fuerunt munera, ex Chrysost. L. 9. c.12. nu.5. Cur homo vicissim ante legem, sub lege, post legem tot annorum millibus usque ad quartam ætatem in pace, præsertim ex Augustino, L.10. C.3. & 4. De harum legum utilitate ad charitatem inducendam, C. 22. §. *Audiamus.* Difficultas aut possibilitas implendi omnia legis mandata, C.49. At tam divinis quam humanis legibus constringi, nihil humano derogat arbitrio, C. 18.

Ea quippe prima lex versatili libertati posita, ut nec male illi, nec bene fit, nisi in quantum ipsa sibi consciverit, L.6.c.7.n.4.L.7.c.15. Non enim meriti in meris creaturis capax est, nisi ea libertas, quæ sibi permittitur, quæ indifferentiæ suæ usu vel abusu, pro suo arbitrio, pœnas vel præmia sibi accersit, ex octo potissimum rationibus Augustini & aliorum, L.10. C.76.77.79. Discrimen libertatis Dei & Christi a nostra, C. 78. & 79. circa fin. Duplex in summa statio liberi arbitrii, altera comparandi meriti, altera percipiendi præmii, ex eodem, C. 79. 80. Quo sensu Patres & Synodi sanxerint liberum arbitrium a Deo motum, ita consentire, ut dissentire possit? §. *An, & seqq.* Quatenus tota salus gratiæ & nihilominus libero ascribatur arbitrio, præsertim ex Bern. C.81. §. *Totum.*

Quia immutabilitas et certitudo præmii maximè libertati videtur obluctari, ab ipsa primùm libertate derivanda fuit, L.5.c.10.n.10. L.6.c.6.nu.14.C.7.nu.1.C.21.nu.13. Experiendæ igitur priùs fuerunt liberi arbitrii, quàm gratiæ vires, per auxilium *sine quo non,* L.8.c.2. num.3. *& seqq.* L.10. c.67. usque ad 75. Hinc salus, perseverantia, & prædestinatio nitebatur tunc meritis liberæ voluntatis per illud solum adjutæ, secus nunc, ibid. Scilicet ad singulos nunc actus libertate & indifferentia uti & abuti possunt electi, summamque ipsam vitæ, ac maximè exitum sibi reservat Deus, nihil in primæva innocentia, C.74.

Apertissimè tamen ac constantissimè in utroque statu liberæ etiam & contingentes causæ, earumque motiones à Deo videntur, L.7. c.3. n.1. *& seqq.* Et quidem non ita certò

earum

tarum comprehenſione, qua eò major indifferentia deprehenditur, quàm ex ſingulari æternitatis privilegio, num. 3. *& ſeqq.* C. 17. num. 3. 4. Atque adeo non per infinitum tempus aut præſcientiam præcedentem, ex populari & craſſo uſu omnium objectionum fonte; L. 8. c. 11. num. 5. L. 10. C. 83. 84. 85. Sic multò minùs datur in Deo futurorum conditionatorum liberorum præſcientia, contra varios hæreticos, L. 7. c. 23. Sic nequidem prædeſtinatione, quaſi exitiali fato, perimitur libertas, ut querebantur Maſſilienſes, L. 8. c. 7. n. 1. *& ſeqq.* Neque per vim, coactionem, aut infallibilitatem etiam moralem, L. 10. C. 9. 13. 17. 18. 49. 55. Utpotè quæ nititur ipſi naturæ contingentium, C. 54.

Multò minùs id timendum ex his motionibus liberis, quarum deficientes potiùs quàm efficientes cauſæ ſunt, maximè in malis quæ ſcit quidem Deus, non facit, non prædeſtinat, ſed permittit & ordinat, L. 7. c. 3. num. 6. *& ſeqq.* C. 4. integro. C. 8. n. 14. 15. C. 9. ferè toto. C. 15. num. 6. Quantò plus conſtantiæ & ſapientiæ Dei refulgeat in hac libertatis donatione, quàm in nugatoria, ac maximè odioſa prædeterminantium, num. 9. *& ſeqq.* C. 19. nu. 10. 12. L. 8. c. 2. nu. 4. C. 3. nu. 4. 5. L. 10. c. 86. Vide *Peccata*.

Quomodo verò per tres de gratiæ efficacia ſententias, libertati provideatur? L. 9. c. 1. n. 9. Sed abundè ſatis per tertiam, n. 10. L. 10. c. 61. §. ult. C. 83. §. *Hinc*, *& ſeqq.* Quænam de hinc quæſtiones, & quatenus ad fidem attineant? L. 9. c. 2. n. 6. C. 4. nu. 5. C. 6. nu. 10. Variæ temporum rerumque vices hactenus, quibus nunc de gratia, nunc de libertate magnificentiùs dicere neceſſe fuit, ad contrarias hæreſes refellendas, ſic tamen ut veritas ſemper orthodoxa emineret, C. 7. n. 9. C. 8. n. 13. C. 10. nu. 2. C. 12. nu. 4. 11. C. 13. nu. 3. 8. C. 18. nu. 2. 7. C. 19. nu. 2. 3. V. etiam *Gratia*, *&c.*

Libri, Lingua, Littera, Locutio.

Prior anima quàm littera, & prior ſermo quàm liber, ex Tertull. L. 1. c. 11. num. 3. Hinc anima priùs Deo informata, quàm ſacræ ipſæ litteræ, C. 17. num. 7. Et hinc nempè ex Deo ipſo ſeu æterna veritate, de iis litteris, ac de libris privatis judicandum, Lib. 3. c. 6. nu. 11. 12.

Triplex reciprocæ locutionis modus Dei, ad Angelos, ad animas, ad dæmones, & viciſſim, L. 3. c. 8. num. 1. *& ſeqq.* ac C. 9. 10. Diverſus etiam loquendi ad Adamum quoad præcepta naturalia & poſitiva, L. 6. c. 9. nu. 12. *& ſeqq.* Exemplum locutionis divinæ ad Angelos pro confuſione linguarum, L. 3. c. 8. num. 2. Regulæ & modi divinæ locutionis, ex Auguſt. C. 9. num. 7. 8. Præſertim Verbi ad animam, ac viciſſim, ex Bernard. L. 10. c. 82. §. *Sed*. Et quidem in ſacris litteris ad modum locutionis humanæ, L. 7. c. 23. num. 12. Novem modi locutionis Angelicæ ad animas, L. 3. c. 8. num. 12. Ipſæ animæ beatæ ſe videbunt & alloquentur citra linguæ uſum, L. 6. c. 4. nu. 6. Latum inter mentem & linguam interſtitium. L. 5. c. 14. n. 1.

Loca, Logica.

Operatio, qua Deus ſe rebus ſiſtit, non ad loca, ſed ad res pertinet; & ad loca, non ut loca, ſed ut res extenditur, L. 3. c. 3. num. 14. Unde magis in rebus, quàm in locis, magiſque cum locis, quàm in locis, ex Anſelmo, ibid. & num. 13. Modus quo locis adeſt ineſtque Deus implicatiſſimus, C. 4. num. 1. *& ſeqq.* Spiritalis naturæ eſt præeſſe potiùs loco, quàm ineſſe. C. 3. nu. 10. Coextendi loco propria dos eſt naturæ corporeæ, C. 4. nu. 7. In ſumma ſubſtantię corporeę moventur per loca & tempora, incorporeæ per tempora, non per loca, Deus nec per loca, nec per tempora. C. 5. n. 2. C. 14. nu. 9. L. 7. c. 2. nu. 5. 6.

Logicæ ſeu Dialecticæ, ſicut aliarum ſcientiarum & artium principia, à Sole ipſo ſempiternæ veritatis Deo ad ſplendeſcunt, L. 1. c. 23. n. 9. C. 26. n. 6. Hinc illa ab hominibus non inſtituta, ſed animadverſa, ex Auguſtino, *utrobique*, & L. 4. c. 12. n. 9. §. 17. Poſt mathematicas diſciplinas ad illas progrediendum, ex Plotino, C. 25. nu. 8. L. 3. c. 19. n. 11.

Loth cum ſua familia.

Ipſa uxoris Loth ac filiarum peccata ad myſteria rapiuntur, ab Auguſtino & Primaſio, Lib. 2. cap. 12. num. 16.

Ludi, Ludicra.

Unde nequidem in ludis aut certaminibus ludicris falli volumus? L. 3. c. 5. nu. 8. 4. Non indignum Theologo res ipſas viles & ludicras ſuis obſervationibus illuſtrare, ut ſubinde mens inter eas aſſurgat ad Deum. num. 5.

Lugdunenſis Eccleſia.
Lupus Servatus.

Prima nono ſæculo cum ſuo Diacono Floro Magiſtro & aliis, antiquorum hæreticorum dogma retexit in libro adversùs Scotum Erigenam, L. 3. c. 10. n. 8. L. 7. c. 4. n. 10. Et expreſſius L. 8. c. 1. n. 8.

Lupus ejuſdem ævi Presbyter Moguntinus cum iiſdem ac cum Prudentio Tricaſſino ſcripſit non alio ſenſu, L. 7. c. 4. nu. 11.

Lumen, Lux.

Sol uterque intelligibilis & ſenſibilis utrumque pariter oculum & objecta, ſua luce perfundit, L. 3. c. 5. nu. 12. *& ſeqq.* C. 15. num. 4. C. 19. num. 13. L. 6. c. 2. num. 1. *& ſeqq.* C. 5. num. 16. C. 10. num. 10. 11. Duplex autem in utroque oculo lumen, aliud quo ſunt, dum creantur, aliud quo juvantur, ut videant, L. 3. c. 5. num. 13. C. 6. num. 13. Paulò aliter Cap. 15. num. 10. Quantum præcellat intelligibile lumen ſenſibili illius tantùm ſimulacro, Cap. 7. num. 1. *& paſſim ſeqq.* Cap. 15. num. 8. 9. Lumen illud ante objecta priùs videtur, L. 6. c. 10. num. 10. Nec ſummum bonum videtur niſi ſuo lumine, C. 5. num. 16. Illud autem non eſt ea lux increata à Græcis Palamitis Deum inter & *creaturas diſtincta*, C. 17. num. 7. 8. At lux ſimplex, *omnium colorum* expers, & fons, expreſſiſſimum eſt ſymbolum Dei, attributa ſibi non convenientia fundentis, ex Aug. & Gregor. Mag. L. 4. c. 11. num. 6. 7. 8. Et lux primigen. à Deo formata, ipſa fuit natura Angelica, juxta Auguſtinum, L. 6. c. 6. num. 18. Denique lumen gloriæ, quod ex Concilio Viennenſi à quingentis annis in ſchola ad varios uſus increbuit, apud antiquos ipſe Spiritus ſanctus. C. 16. num. 7. 8.

Lutherani & ſimiles Hæretici.

Inhumaniùs abſurdiùſque accepta Auguſtini doctrina, libertatem humanam funditus evertere machinati Scriptores Catholicos ad eam cum gratia conciliandam excitarunt, L. 9. c. 7. n. 10. Confitentur omnes illi hæretici, qui ſe Tridentinæ Synodi telo confixos ſentiunt, ſupereſſe clanculariam diſſentiendi potentiam, cum ipſa voluntatis eſſentia concretam, in illis qui gratiæ impetu quolibet abripiuntur, ut ab aliis jam prolixè demonſtratum eſt, L. 10. c. 79. §. *Confitentur*.

M

Macedoniani hæretici.

EOrum cum Arianis communis machina in Catholicos, ex Nazianz. L. 2. c. 4. num. 8. Eorum pariter propria objectio, quòd Stephanus viderit Jeſum à dextris, non Spiritum ſanctum, eliditur à Nyſſeno, Lib. 6. c. 16. num. 9.

Magiſtri Monitores.

Veræ Theologiæ prior magiſtra natura, ſeu Deus, ante rudimenta Magiſtrorum, L. 1. c. 3. nu. 1. *& ſeqq.* C. 8. nu. 2. C. 9. n. 3. Imò eam potiùs infirmant ac labefactant Magiſtri, C. 12. nu. 5. 6. L. 3. c. 5. nu. 13. 14. C. 6. integro. Ad ſummum illi monitores ſunt, num. 14. C. 13. n. 2. 5. L. 6. c. 10. n. 7. *& ſeqq.*

Mala. Materia. Mutabilia. Multitudo.

Famoſa quæſtio, quomodo in imperio ſummi boni, *malum* exiſtere potuerit? L. 2. c. 10. num. 1. Reſpondet Plato ex ipſo ſummo bono inferri mala, utpotè bona inferiora; etiam mala culpæ, ſaltem qua ſimul & ſemper mala pœnæ, ibid. & num. 3. Aliàs tamen ex Chao, ſeu *materia*, vel nihilo, n. 2. Ita etiam Plotinus per materiam deſignans corpora, num. 4. Sed per malum nonniſi privationem boni, & in bono, num. 5. Necnon & ad bonum, ſaltem univerſi, num. 6. Sic & alii Platonici, Nu. *ſeqq.*

Lucu-

Luculentiùs & accuratiùs Patres, primùm de malo citra naturas liberas & rationales, C. 11. num. 1. Imprimis Augustinus, nu. 2. 7. *& seqq.* Concludens tandem quàm imbelle sit malum, & præpotens bonum, ut non possit esse malum, nisi à bono, in bono, cum bono, propter bonum, num. 16. C. 12. num. 12. Quin & mali principium, juxta Hæreticos, nonnisi boni opibus suffarcinatum, ex Patribus, C. 11. n. 4. 16. 17. 18. De alio autem malo, quod naturas rationales & liberas efficit, ex iisdem Patribus, C. 12. integro. Vide *Peccatum, peccati pœna, &c.*

Progressus summæ Unitatis usque ad *materiam*, L. 2. c. 6, num. 7. Et hæc *multitudo* quædam seu divisibilitas infinita est, ad formam suspirans, qua adunetur, ibid. Imò materia ipsa est *multitudo, malum*, non ens, falsum, turpe, quibus adjectat est mutabilitas, levamen potiùs quàm gravamen, L. 5. c. 8. nu. 7. Prolixa ejusdem materiæ cum Deo collatio, ex adversis, juxta Philosophos & Patres, L. 3. c. 4. num. 14. 15. Hinc utrique exploserunt alios Philosophos *Materiarios* ideo dictos, quòd nihil nisi materiale & corporeum, nequidem Deum ipsum, concipere valerent, C. 7. num. 4. L. 4. c. 1. n. 9. *& seqq. ac* Cap. *seqq.* Necnon & hæreticos materiam ut Deo coævam & in creatione administram coæquantes. L. 5. c. 13. nu. 1. 2.

Materia tamen bona est, saltem quia mundo necessaria, ex Dionys. L. 2. c. 11. num. 18. Imò quia est, saltem ut formarum hospita, ex Augustino, num. 10. Et ipsis ideis exemplaribus quasi formis impressa, ex Platone, L. 3. c. 11. num. 9. 11. L. 5. c. 6. num. 5. C. 8. num. 6. Quo sensu aliunde materialia seu *mutabilia* propriè non sint? ex Boethio, L. 3. c. 4. num. 11. 12. Et ex Græcis Patribus, L. 5. c. 14. num. 18. Omnis autem mutabilitas ex *multitudine* seu ex ipsa materia, C. 6. n. 1. 2. 8. C. 8. nu. 2. 7. At ipsa materia & mutabilitas omnisque mutatio, licèt quædam portio mortis, ad immutabilitatem anhelat, C. 7. n. 3. C. 8. n. 7. & C. 10. n. 14.

An tandem substantiæ spiritales *materiam* habeant sui generis? ex Philosophis & Patribus, L. 3. c. 4. n. 16. 17. L. 4. c. 1. n. 12. *& seq.* L. 5. c. 8. n. 2. Et an nulla natura nisi *mutabilis* creari potuerit aut debuerit? C. 10. nu. 1. 2. *& seqq.* C. 13. n. 5. C. 14. n. 8. *& seqq.*

Mamertus uterque.

Claudianus *Mamertus Presbyter, Mamerto Viennensi Episcopo* fratri suo penè collega in Augustini doctrina versatissimus, L. 1. c. 13. num. 5. §. *Omnium.* C. 24. num. 3. C. 26. num. 8. Æternam & incommutabilem numerorum ac figurarum veritatem præclarè exequitur, C. 24. num. 3. C. 28. num. 8. Architæ Tarentini Philosophi testimonio usus, L. 2. c. 3. nu. 13. Sed in Platonis admirationem ultra modum effusus, C. 5. n. 11. Satis justè pro Ideis, L. 3. c. 12. nu. 4. Luculento Tractatu de statu Animæ, eam totam esse cogitationem censuit, L. 1. c. 13. n. 5. §. *Omnium.* At malè intellexit Hilarium quasi spiritali animæ contrarium. L. 4. c. 3. nu. 6.

Mandata. V. *Leges.*

Manichæi, Marcion, & similes Heretici.

Plura contra Marcionem geminæ Divinitatis architectum, L. 2. c. 1. num. 5. 7. Et contra Cerdonianos ejus decessores, num. 11. Contra eorum discipulos Manichæis maximè auctos, & quasi pro summo bono, vel primo mali principio, illius opibus suffarcinato, Ecclesiam primigeniam infectatos, licèt jam silentes in Oriente, nondum in Occidente, Nazianzenus & Augustinus, C. 11. num. 4. 16. L. 3. c. 3. num. 11. 13. §. *Sed.* C. 4. num. 8. L. 4. c. 12. nu. 1. §. 3. Necnon contra eosdem Deum fingentes corporeum, ibid. & C. 3. num. 3. *& seqq.* Sicque effusum per omnia, etiam spatia imaginaria extra cœlos, L. 5. c. 4. num. 17. 18. C. 5. num. 9. Item contra eos asserentes dari naturas seu substantias per se & à Deo malas, L. 7. c. 7. n. 1. *& seqq.* C. 10. nu. 10. Ita & contra Priscilianistas de Manichæorum residua insania blatterantes, Leo Magnus, C. 7. nu. 12. Quàm certa & sacrosancta doctrina Patrum de his per trecentos circiter annos triumphantium, C. 15. n. 12. 13.

Ex suis tamen principiis, non solùm Basilidiani & Valentiniani, sed & Marcionitæ & Manichæi, eorumque reliquiæ in naturis ipsis malis vel bonis discrimen ipsum prædestinatorum à reprobis locabant, L. 8. c. 1. num. 8. Negabant etiam ab exemplo parvulorum posse ad adultos argumentum peti, C. 6. num. 8. Item abutebantur Apostolica alioquin doctrina de prædestinatione & gratiæ efficacia. L. 9. c. 7. num. 10. C. 8. num. 13. C. 12. num. 4. 11. C. 14. num. 10. 11. C. 18. num. 2. 7. Manichæi speciatim inter alios quærebant, cur non tales creasset Conditor, qui peccare non possent? L. 10. C. 79. 80. Et aliunde scientiam futurorum conditionatorum etiam liberorum in Deo agnoscebant, L. 7. c. 27. num. 3. 6. At hi omnes quoad pleraque ex supradictis, non solùm ab antiquis Patribus, sed & diu pòst ab Ecclesia Lugdunensi revicti sunt, L. 8. c. 1. n. 8.

Marcus Ephesius. Marius Victorinus Afer.

Marsilius Ficinus. Maximus Martyr.

Minutius Felix.

Minutius hinc inter antiquissimos Apologistas recensetur, qui unitatem Dei ex ipsis Gentilium vocibus eruebant, L. 2. c. 1. num. 2. Acriùs eosdem refellit, dum gratiæ nomine fatum jactabant à nobis astrui, Lib. 9. cap. 19. num. 2.

Marius Victorinus & ipse antiquissimus, contra Arium abstinet quidem vocibus apud Patres usitatis, sed aliunde consentit, L. 2. c. 4. n. 2. Platonicorum verò decreta revocat ad incudem Christianæ Theologiæ, num. 14. C. 6. num. 5. L. 3. c. 2. num. 11. *& seqq.* C. 4. nu. 1. *& seqq.* C. 26. num. 14. Omnium Latinorum vices implet, ut Dionysius Græcorum, in divinis per negationes & superlationes exprimendis, L. 2. c. 6. num. 5. L. 4. c. 10. num. 10. 11. Philosophicas seu Theologicas rationes & quidem abstrusissimas in vita Dei indagat, Lib. 3. c. 26. nu. 10. *& seqq.*

Maximus, alter etiam Dionysius, & præstantissimus Dionysii commentator, ferè ubique cum ipso laudatur, imprimis L. 2. c. 3. n. 10. V. *Dionysius.* At ille jamdiu ante concordiam sanctorum Patrum de Spiritus sancti processione in Concilio Florentino agnitam, præiverat, alio usus Athanasii exemplo, L. 9. c. 6. n. 4.

Marcus Ephesinus Præsul, & schismatis Græcorum fax in eadem Synodo Florentina, aliàs doctissimus, sed Latinorum Patrum prorsus ignarus, ex propria confessione, L. 9. c. 6. n. 8. 12.

Marsilius Ficinus ipsi suppar, sed Platonicorum sui ævi doctissimus, cognationem mentis cum Deo egregiè illustrat, & emergentibus inde scrupulis obviat, L. 1. c. 8. num. 6.

Maria Virgo Deipara.

Maria alia Ægytiaca, tertia neptis Abrahami.

Triplex exemplum longè dissimillimum efficaciæ gratiæ Christi, L. 9. c. 15. n. 5. 9. 13. Nunquam lassari in via justitiæ, & indefessam inter virtutes vigilantiam tenere, solius inter mortales Deiparæ privilegium, L. 10. c. 49. §. *Denique.*

Martyres, Martyria. Militia.

Ipsa *Militia* temporalis tyrocinium potest esse *Martyrii*, ex Paulino ad Victricium Rotom. L. 10. c. 29. §. *Ad.* Quanta virtus gratiæ Christi præ Philosophia, ut omnibus persuaderet mori pro suo dogmate, ex Justino Martyre, L. 9. c. 7. num. 6. §. *Rursus.* Ex Clemente Alexand. C. 8. num. 4. §. *Et.* Ex Eusebio, pluribusque apud eum Scriptoribus & Martyribus, præsertim Galliæ, Alexandriæ & Palestinæ, C. 9. integro. C. 16. num. 1. 2. Ex Cyrillo Hierosol. C. 14. nu. 2. Ex aliorum Martyrum actis & vocibus, C. 16. nu. 2. At priùs ex martyrio puerorum Innocentium sine propriis meritis prædestinatio gratuita Christi, juxta Irenæum & Augustinum, C. 7. nu. 7. Validissimum porro argumentum pro auxilio *quo*, ad perseverantiam maximè necessario, in Martyrum de mundo triumphis, cum suis amoribus, terroribus, erroribus, ex August. L. 10. c. 67. §. 5. *& seqq.*

Pavorem omnem, maximè in *Martyribus*, pavore suo Christus absumpserat, ut eos robore suo infracto converstiret, ex Athanasio, L. 9. c. 11. nu. 6. 7. Quatenus singulis ad hoc præterea adfuit Martyribus, ex Chrysost. C. 12. nu. 2. 6. Ex Cypriano, C. 16. num. 4. Pavorem alium, seu timorem gehennæ ipse incussit Christus futuris Martyribus & Apostolis, quod Patres olim sedulò, pauci nunc advertunt, L. 10. c. 27. §. 1. *& seqq.* Quænam fuerint illius timoris partes cum charitate seu delectatione justitiæ in nostris Martyribus? Cc. 25. 27. 28. 32. *initio.* Imò sine charitate in martyribus Hæreticorum, &c. Cap. 27. §. *Schismatum.* Quam salubris ipsis Martyribus, totique primitivæ Ecclesiæ persecutio, ex diversis Patribus, C. 12. §. 1. & C. 14. ferè toto. C. 86. §. *Vides.* Cap. 88. §. *Ita.*

§. *Ita*. Unde non eadem fuit poteſtas Tyrannorum in Martyres ſuis cruciatibus, ac Dei in peccatores? C. 18. §. *Etſi*.

Quænam pulcritudo in laceris Martyrum corporibus demiranda? L.3.c.20.num.7.12. Quatenus eorum animæ vindictam petant & expectent? C.8. num. 6. Cur illi ſub altari, non ſuper collocati? L.6. c.18. num. 7. Effulget & quædam martyrii ſpecies incruenti in ipſa pace Eccleſiæ, ex diuturna morte pœnitentiæ, L. 10. Cc. 27. 28.

Maſſa. Maſſilienſes, V. *Dei prædeſtinatio, &c.* necnon *Galli*, *Pelagiani*, *Semipelagiani*, *&c.*

Mathematica diſciplina, *Muſica*.

In his pleraque intellectu potiùs quàm ſenſu conſpiciuntur, L.1.c.14.n.5.7. Ac per has maximè veritas ſeu Deus ipſe, C. 23. *& ſeqq.* Hinc Philoſophus alatus, præſertim per Mathematica ad Deum volans deſcribitur à Plotino. C. 25.n.8. L.2.c.1.n.11. L.3.c.19. n.11. Ideo neceſſe eſt, ut ea ſua Deus jugiter luce perfundat, C.5. n.12. *& ſeqq.* C.16. n.11.C.19.nu.13.

Sonoros *Muſicæ* numeros in quinque ſpecies partitur Auguſtinus, L.1.c.23. nu.2. Exemplum proponit in carmine, *Deus creator omnium*, n.3. Et per hos etiam gradatim aſcendit ad Deum, ibid. Sic amatores Muſicæ, apud Plotinum, C.25.n.5. L.3.nu.9. Præponunt inſuper ſuperiores illos Muſicæ numeros harmoniæ ſenſibili Pythagoræ, de qua Jamblichus, C.13.n.14. L.6. c.1.num.5. C.2.num.8. Carminis inſtar & concentus Muſici deſcribit Auguſtinus mundi & providentiæ pulcritudinem, L.2.c.11.n.7. *& ſeqq.*

Matthæus ex Publicano Apoſtolus.

Quo ſenſu in eo ingenii ſeu voluntatis nobilitas à Deo conſiderata eſt? ex Chryſoſt. L.9. c.13. n. 2. In ejus converſione, divinæ gratiæ & prædeſtinationis vires, ex eodem, C.12. num.2. §. *Nec*. C. 17. num.5. Ex Greg. Magn. L.10. C. 89.

Medicamenta, *Miri modi*, *Morbi*.

Ex ipſis venenis bene digeſtis medicamenta parantur, ex Auguſt. L. 2. c.11. num. 12. At corpus noſtrum non eſt *oblivionis medicamentum*, ex Irenæo, contra Platonicos, L.3.c.14.num.7. Virtutes autem ipſæ animæ, quædam ſunt immortalitatis medicamenta, pro anima & ipſo corpore, L.5.c.7.num.7. C.10. nu.11. *& ſeqq.* C.15. num.8. *& ſeqq.* Quomodo etiam pœnas ipſas generis humani in medicamenta Deus converterit procraſtinando, L.10.Cc.3.4. *ac paſſim ſeqq.* Et quidem *morbos* præſertim, plagas, & ſimilia, Cc. 15. 16. De varietate ſpiritualis illius medicinæ, etiam per corporalem, Cc. 19. 20. Huc refer *miros modos*, quibus curat & ſanat Deus corda, ex Auguſt. præſertim & Proſpero, Cc. 21. 43. 44. &c.

Mens, V. *Anima*, *Dei veritas*, *Intellectus*, *&c.*

Merces, *Meritum*.

Duplex genus meritorum, nempè humanorum, & divinorum, pro utroque ſtatu. L.8.c.4. num.12. L.10.c.75. Quo ſenſu nunc dicantur humana periiſſe in Adamo? *utrobique*. Et gloria Angelo ſtanti eſſe *merces meriti*, non nobis, L.8.c.2.n.19. L.10.c.16. §.3. C.75. §. *Et*. In quolibet ſtatu, meriti non eſt capax creata libertas, niſi indifferentiæ ſuæ uſu vel abuſu pro ſuo arbitrio pœnas vel præmia ſeu mercedem ſibi accerſat, ex rationibus Auguſtini, & aliis Patribus ipſi addictioribus, C.76.77.78.79.80. V. etiam *Libertas*.

Inæqualium meritorum inæqualem neceſſe eſt eſſe mercedem, L.6. c.15. num. 4. *& ſeqq.* Hinc magis inſcrutabile eſt, cur non ſolùm ex æquali, ſed etiam inæquali merito ſeu potiùs demerito, unus à Deo præferatur alteri, L.8.c.7. num. 12. *& ſeqq.* Nullo autem bono merito præveniri Deum, ex omnia probant, quæ ſupra allata ſunt pro gratia præveniente, Vide *Gratia*. Quo tamen ſenſu jam dignos eligat? ex Chryſoſt. L.9.c.19.nu.2. Ex Theodoreto, C.14.n.8. Ex Auguſtino ipſo, C.18. n.2. 3. Quod autem alii Patres dictitant, hominis eſſe incipere, de vero merito juſtificationis poſt baptiſmum poteſt plerumque intelligi, C.17.n.2. Vel de aſſenſu ſupponente gratiam, n.3. Minimè verò præexiſtentiam animarum, Nn. 6.7. C.19.n.5.

Sic deinceps debet intelligi, quomodo meritis & laboribus donatur æterna Regni merces. L.9.c. 17. nu. 9. Et quomodo ultra merita cumulatur merces gloriæ, L.6. c.15. num. 11. Imò duplici de cauſa merces gratia dicitur, quia pro meritis gratis datis, & ultra, ex Fulgent. ibid. Ferè idem ex Bernardo, L. 10. c. 8. §. *Cum*. Quodnam tandem ſit diſcrimen mercenarii à ſervo & libero, ex iiſdem Patribus, L.10.Cc.7.8. V. etiam *Servitus*, *&c.*

Millenarii, V. *Dei Viſio*, *Reſurrectio*, *&c.*

Miracula, *Myſteria myſticè & metaphoricè dicta*.

Quibus Chriſti miracula aut myſteria non ſunt exhibita, ad mundi miracula emolliri debuerant, L.7.c.23.n.13.L.10. C.60.61. V. *Chriſtus*, *Orbis*.

Myſticè dicta, non ideo elevanda ſunt, quinimo ideo veriora & certiora, L.5.c.4. num.14. 16. Sed ideo eorum quaſi umbrarum inanium vacillat apud nonnullos fides, quòd ſenſuum conſuetudine deluſi, nonniſi terrena ſapiant, ibid. Ex eodem fonte putantur illa *metaphorica* ſaltem & impropria, C.5. num.4. At ſemel invertenda eſt tota hujuſmodi *metaphorarum* ſignificatio, ibid. Verùm pleraque de Deo & æternis per licentiam *metaphoræ* ex rebus creatis & temporalibus dicuntur, C.15. num. 6. 7.

Miſeratio, *Miſericordia*.

Quatuor filiæ ſeu gradus miſerationis ac miſericordiæ divinæ, ex Bernardo, L.10. c.14. Item duplex aut quadruplex ejuſdem miſericordiæ diſpenſatio, ex Greg.M. C.19. Ex aliis Patribus, C.20.

Monachi, *Monaſtica vita*,

Monaſteria.

Antiquiores penè omnes *Monachi* imbuti tyrociniis Antonii ſigniferi quondam ſui ac ducis, L.9.c.15. n.9. Et exinde de ipſius gratiæ propriis opibus & arcanis, ibid. & nu.14. Perperam ergo infamati, ob Caſſiani Collationes non eis omnino aſcribendas, n.1. Purgantur ex propriis, quæ in Collationibus emicant, Monachorum dictis & precibus, nu.10. *& ſeqq.*

Aliunde Caſſiani narratio de Monachis Ægypti ſub Theophilo illuſtrat Auguſtinum & Epiphanium. L.4.c.1. n.4. Scilicet eos, quantumlibet pios, ſimpliciores ac ruſticitatis tenaciores fuiſſe in opinando Deo corporeo, nec tamen ob id communione ſubmotos, quamvis ipſi præter jus Epiſcoporum ſubmoverent, n.3. 4. Longè poſtea alii Monachi Græculi contumaciùs de luce divina corporea ineptientes, alios ſapientiores ſe ſubmoveri fecerunt, n.7.

Variæ vocationes ad vitam *monaſticam*, vel ejus ſtrictiorem obſervantiam per morbos aut vulnera, L.10.Cc.15.16. Necnon per ſalutarem timorem, paſſim C. 26. *& ſeqq.* Item C. 89. Adde ſecundam converſionem Auguſtini ad arctiorem ſaltem vitæ Religioſæ inſtitutionem, C. 91. Ipſi lapſus aliæque infirmitates, utiles in Monaſteriis, licèt Angelorum cœlo comparatis a Climaco, C. 46. circa fin. Exempla deſidiæ ex inani præſertim gloria in vitis Patrum, C.50. §.ult. Quo ſenſu impoſſibile dicatur, contra regulam ſeu vitam Monaſticam non aliquando peccari? C.55. §. *Bernardus*.

Cur de *Monarchia* ſcripſerit Juſtinus Martyr? L.1. c.4.nu.2. L.2. c.1.nu.1. Et Philo? L.1. c.21. nu. 10. Item Lactantius contra polyarchiæ incommoda? L.2. c. 1. nu. 3. Necnon Athanaſius, Monarchiam primam Patri vendicans, C.4. num.6. Tribus Perſonis Nazianzenus, nu. 8. V. *Trinitas*, *unitas*, *&c.*

Monica Auguſtini mater.

Quomodo Monicæ junioris animus ex convitio ancillulæ ſanatus ſit, ex Auguſtino, L.7.c.19. nu.6. L.10.c.91. circa fin. Ad quid celebre illius colloquium cum filio de vita beata, ante ipſius mortem? L.1.c.22.n.2. L.6.c.11.n.5. V. *Auguſtinus*.

Mores, *Mors*, *Mortui*, *Motus*.

Quomodo ad *mores* ipſos rectè componendos Veritas æterna menti præſidens conſulenda? L.3.c.6. nu.6. *& ſeqq.* C.15. n.7. §. *Liber*. C. 16. nu.5. C.17. integro.

Quid per *mortem* & umbram mortis apud Bernardum, L. 3. c.7. nu. 8. Quatenus mors vel interitus partibus tantùm obſit,

obsit, non universo? ex Philosophis, L.2.c.10.num.7. Ex Patribus, C.11. num.10.13. Quænam sit aliunde mors rei cujuslibet mutabilis, etiam spiritalis? L.3.c.25.num.1. §.15. C.26.num.1.17.18.19. L.5.c.8. num.12. C.10.n.4.14. C.15. num.4. At ipsa mors ad immortalitatem, & mutatio omnis ad immutabilitatem tendit, C.7. num.3. C.8. nu.7.

Ex immortalitatis ipsius præsumptione, tanta ultra mortem cura pro *mortuis*, juxta Tullium, L.1. c.9. nu. 4. Et ipse mœror de morte charorum, ibid. Ex Tertull. C. 11. num.4. Ipsiusque mortis metus, num.5. Ex Platone, C.26. num.2. Ridiculè tamen mortem unam timemus, jam mortui toties, totiesque morientes, quot ætatum mutationes subimus, ex Euseb. L.5.c.12.n.6. Paulò aliter ex Greg. M. C.15.nu.12.

Utiliter verò *mortis* dies incertus relinquitur, ex Greg. M. L.10.c.42. §. ult. ex Climaco, C. 46. §. *Et infra. Utilior* quibusdam ejus adventus, ut tentationibus & periculis subtrahantur, ex Cypr. & August. C. 47. §. *Quando*. Necnon aliis utiliùs aliquando mors protrahitur, ex eodem licèt fine, C.72. Scilicet nunc vitæ præsertim exitum seu mortem pro sua summa sapientia sibi reservat Deus, C.74.

Motus quidem omnis, inquietam & inopem præfert naturam, L.6.c.5 num. 1. Et tamen etiam corporeus vitæ simulacrum est, L.5. c. 7. nu.2. Et circularis ac constans cœlorum, ipsius immutabilitatis divinæ, num.|5. 6. Imò quasi intellectio quædam, L.6.c.3.num.8. *& seqq.* At animantium maximè rationalium motiones, paulò forsan cœlestibus antestabunt, si æquum habeant æstimatorem, L.7.c.2.n.3.

Cur mundus circulari, non recto agatur motu? ex Plotino, L.3.c.2. num.7. Quomodo corporum simul & animarum mobilitas, quædam sit etiam immensitatis divinæ imitatio & testificatio? ex Greg. Mag. C.3. num.1. 4. Sic autem naturæ omnes moventur, corporeæ per loca & tempora, incorporeæ per tempora, non per loca, divina nec per loca, nec per tempora, ex August. C. 5. n. 2. C.14.num.9. L.7.c.2. num.5.6. Motionum autem corporis exemplo demonstratur omne mobile ab immobili cardine & motore moveri, L.5.c.5.n.2.C.6.nu.2. C.7. n. 5. C.9. n. 5.

Cur omnes illæ motiones tam liberæ quàm necessariæ supremam veritatem aut mentem non lateant antequam fiant? L.7.c.2.nu.3. Ex his illæ solùm à Deo quæ naturæ convenientes primò inditæ sunt, ut flores & fructus arborum, C.6.num.14. C.7. num.7. *& seqq.* Omnium tamen animæ motionum Deus dici potest author, quatenus creavit animam se moventem, nu. 12. Imò motiones omnes seu pronitates ad bonum à Deo sunt, nec confligantur inter se, sed voluntas eas partim tantùm sequendo deficit, ex Anselm. & August. C. 8. num. 9. *& seqq.* Tres aut quatuor modi motionis divinæ, L.10. c. 66. §. *Hugo*. V. *Dei motiones*, *Gratia*, *Peccata*, *&c.*

Moyses, plures, Legislator, Bar-cepha, Mayemonides, &c.

An *primo Moysi* verè se Deus nominaverit? L.3. c.1. num.9. 10.C.2. num.1. Et expressiùs, C. 3. num.1. *& seqq.* præsertim num.13. L.4.c.8.num.5.6.16. L.5. c.8. num.4.v.4. C.13. nu. 2. Quænam persona se conspiciendam exhibuerit? L.3.c.4. *& seqq.* An & quomodo Angelus in rubo & in eremo? C.8.n.12. C.9. num.1.7.§.*Quibus*. Quid per exemplar Tabernaculi Moysi in monte præmonstratum? C.12.n.5. Quam frequentiùs Deum consuleret in intimo mentis sacrario, quàm in Tabernaculo fœderis, C.6.nu. 11.13. §. *Quin*. Minimè altercandum in Scripturis Mosaicis de vero Moysis sensu, n.11.

Cur promulgata à Deo ipso duo prima præcepta, reliqua per *Legislatorem Moysen*? L.1. c.7. num.1.5. Cur mediatore seu interprete Moyse Israelitæ indiguerint? L.3. c.8.num.9. Ipse verò præceptore Deo, C.9. num.4. Quid inde in corpus ejus seu vultum ipsum redundaverit? ex Basilio, C.20. nu.13. Suæ immutabilitati Deus per exaggeratam iram derogare quodammodo voluit, ut ostenderet quanti faceret Moysem precantem, ex Origene, L. 5.c.9.n.7.

Quare postulet adhuc Moyses videre Deum evidentissimè & postquam in luce viderit, proficiat videndo in caligine? L.4.c.7.n.4.10.C.10.n.7. C.11.n.8. C.12.nu.14. L.6. c.14. nu.10. §. 8. Ideo nihilominùs & tunc dicitur Deus à nemine videri posse, quia ita raptim vidit Moyses, ut penè non viderit, ex Bernardo, §.C.11.n.9.C.23. n.12. Paulò abundantiùs ex Augustino, §.Resp.2. Imò etsi plene vidisset, desiderium ipsius semper esset insatiabile, ex Nysseno, C.15.n.15.

Utrum Plato & similes in schola Moysis instituti, L.2.c.2. n.11.C.3.n.3. C.5.n.5.9. L.3.c.1.nu.9.10. C.3.nu.2.C.12. n. 5. 8. Quatenus Plato sit *Atticus quidam Moyses*? ex Numenio apud Theodoretum, L.2.c. 5.n.9. A fortiori Philo Judæis, licèt Platoni addictissimus, Moysi tamen longè in pluribus addictior, L.3.c.2. n.1. At *Rabbi Moyses Maymonides in more Nevochim* multa etiam egregiè ex Scripturis de simplicitate Dei cum Platonicis philosophatur, L.4.c.6. n. 8. Et *Moyses Bar-cepha* in commentario de Paradiso, prævivit Damasceni sententiæ, de Paradiso duplici, L.10.c.31. circa fin.

Mundus, V. *Orbis*. *Musica*. V. *suprà cum Mathematicis*.

N

Nabuchodonosor Rex. Natalis Confessor.

PRimus stupenda tantùm calamitate prostratus elisusque detumuit, & erupit in confessionem, L.10.c.2. §. 2. Secundus pariter, ab Hæreticis depravatus, nonnisi verberibus angelicis ad pœnitentiam adigi potuit, quid inde? C.15. §. *Huc*.

Natura, Naturalia, Necessaria.

Quid significetur nomine *natura*, Dei & animæ cognitionis magistræ? L.1.c.2.n.1.C.8.n.2.C.9.n.3.C.11.n.3.

Natura, simul essentiæ & substantiæ voces, quando & quo sensu usurpatæ sunt, L.7. c.7. nu.4. De triplici naturarum distinctione, L.1.c.22.n.12.L.4.c.12.n.2. Distinguit alibi Augustinus quasi tripartitò naturas, voluntates seu facultates, & motiones, L.7. c.7. num. 3. At motiones quæ naturæ consentiunt, naturis accenseuit, num.7. 9. &c. Naturas autem omnes à Deo creari & ordinari, voluntates non creari, sed ordinari, fusè probat, C.15. Et cum eo alii Patres, Cc. *seqq.* Ad naturas idcirco, non ad actiones pertinet, illud eorumdem Patrum, quidquid est in quantum est, bonum est, & à Deo, C.6.n.11. *& seqq.* C.7. ferè toto.

Quanti verò referret ad bonitatis amplitudinem naturas etiam peccabiles condere, utpotè non obstante ipso peccato aliis naturis integris præstantiores, L.2.c.12. n.1.2. *& passim seqq.* L.7. c.10. n.7. Jam quatenus naturæ omnes insint aliæ in aliis, L.6.c.1.n.4. C.2.nu.1.2.5. C.5.num.3. *& seqq.* L.6. c.2. nu.9. Nunquam tamen inferior superiorem totam, aut ex toto, C.20. nu.1.2.4. At *naturas omnes, naturalia omnia*, *& necessaria* videt Deus, ut convenit, in seipso, ut in causa prima & universali, L. 7. c.2. integro. Etiam necessaria conditionata, C.23.nu.2. Ultima distinctio stantis & lapsæ naturæ, cum annexis auxiliis, Præfat.n.12.13. V. *Adamus*, *Adiutorium*, *Gratia*, *Homo*, *&c.*

Negationes, Negativa nomina, Nihilum.

Quomodo negationes positionem aliquam seu affirmationem implicent, L.4. c. 8. num. 2. Ac vicissim positiones seu affirmationes per negationes resolvi ac emendari possint vel debeant, ibid. & passim Cc.7.8,10. L.5.c.13.n.6. 13. L.6.c.21. nu.6. Item *negativa nomina*, ab affirmativis discernuntur, L.4.c.8.num.3. C.9.num.8. Ipsa negativa affirmativis in spiritualibus præferuntur, C.11.num.4. *& seqq.* L.6.c.5. nu.17. *& seqq.* A fortiori negationes omnes de Deo ad ineffabilem quandam excellentiam seu superlationem traducendæ, quàm per excessum, non per defectum, L.2.c.6.nu.5.C.7.nu.5 9.L.4.c.2. nu.3. *& seqq.* C.6. nu 8. *& seqq.* C.8.nu.2. *& seqq.* Expressiùs, C.9. nu.2. *& seqq.* L.5.c.2.num.6. *& seqq.* L.7.c.1. num.9. V. *Dei attributa*, *&c.*

Bona particularia è nihilo, ideo infirma, L.2.c.11.n.2. Malum simul è nihilo, & nihil, C.10.n.2. *& seqq.*

Negligentia, Nobilitas.

Ex *negligentia* & lassitudine derivant Patres omnium penè peccatorum labem, pluribusque demonstrant exemplis, L.10.c.49.50.51.52. Quo sensu nobilitas ac indolis generositas à Dei potest considerari, ut ad virtutem aptior? ex Chrysost. L.9.c.13. n.2.

Nestorius cum suis assectis hæreticis.

Ipsi Nestorio exprobrat Cælestinus Papa, quòd primus se cum suis, Pelagianis utpotè suæ vesaniæ cognatis conglutinaverit, L.9.c.3. n.3. Illi soli in controversiam trahere potuerunt, an Christi humanitas nullis prævisis meritis prædestinata sit, L.8.c.6.n.10. Ephesina Synodus eos simul omnes proscripsit, L.9. c.3. n.4. Et quidem ex testimoniis Patrum utriusque Ecclesiæ, C.2.n.5.

Nicolaus Gerasenus, Nilus, Nonnus, Novatianus.

Hic licèt *schismaticus*, Tertulliani etiam putatur imitator in profunda unitate Dei, L.2.c.1.n.6.8.9. Necnon Augustini præsultor, in asserendo per *esse* Dei æternitatis plenitudinem & radicem, L.3.c.3.n.7. Et sic de aliis, L.4.c.9. n.11. C.11. n.2. §. *His*.

Nilus Eremi columen eximium, pluribus etiam in suis narrationibus succinit Augustini doctrinæ de gratia, L. 9. c.15.n.11. *Nonnus* Episcopus sanctissimus similiter, occasione Pelagiæ meretricis ad ejus fortuitum sermonem conversæ, n.4. At *Nicolaus* ille Arithmeticis Theologicis gentilitia deliramenta implicavit, apud Photium, L.1.c.24.n.11.

Numenius Pytaghoricus & Platonicus, V. *Philosophi*.

Numeri, V. *Musica*.

O

Oblivio, V. *Reminiscentia*. *Oculus*, V. *Lux*, *Sensus*, *&c*.

Odo. *Odores*. *Oblectamenta*, *&c*.

Cur *Odoni Cluniacensi* posthac Abbati, in ætatis flore, venatio & alia *oblectamenta* in fatigationem verterentur, L.10.c.16.§.1. Illorum & *odorum* occasione, nihil voluptati, nihil nisi necessitati donandum præscribitur, ibid. & C.51. §. *Idem*.

Operatio, *Opinio*, *Oratio*, *Oriens*.

Quodnam sit *operationis* à substantia discrimen, L.3.c.26.n. 7. *& seqq.* L.7.c.6.n.11. *& seqq.* C.7.n.7. Quomodo operatione Deus ipsam substantiam sistat, & nos operatione ad eum accedamus, L.5.c.3. n.14. & C.4. integro. Multiplex operatio naturæ spiritualis, alia intemporalis circa Deum, alia temporalis circa reliqua, &c. C.14.nu.9. *& seqq.* V. etiam *Dei Immensitas*, *Natura*, *&c*.

Quid hæc tria distent, *opinari*, credere, intelligere? L.3.c.6. n.3.4.C.7.n.4. C.19.n.8.L.6.c.2.nu.4. Inest tamen *opinioni* sua veritas, L.3.c.7.n.5.C.10. nu.10. §. *Ubi*. Licèt opinioni tantùm sensus serviat, L.6.c.4.nu.7. Hinc apud Augustinum opinionis non tam ambiguitas, quàm frequens modestia in his quæ fides non exigit, imitanda proponitur, C.9. n.11. V. *Fides*, *Intellectus*, *Theologia*, *&c*.

Orandum maximè ut intelligantur nodi difficiles in Theologia, exemplo ejusdem Augustini, L.5.c.4. nu.1. Necnon & Dionysii, num.16. Maximè cùm hac solùm operatione & assimilatione præsentes Deo evadamus, ibid. Necessitas & efficacia orationis ex publicis Ecclesiæ precibus, L.9.c.4.n.15.C.5.n.8.C.12.n.9.;C.13.n.6.C.14.nu.12.C.15. n.14.C.18.n.4.5.L.10.c.68.§.12.C.71. Ex privatis, L.9.c.9. n.2.3.C.10.n.1.7.C.12.n.9. C.15.n.2. C.17.n.3.C.19.nu.7. L.10. c.47. §. *Ideo*. Unde autem potestas orandi præsto sit, ex Hilar. & Aug. L.9.c.16.n.9. Ex Hieronymo, C.17.nu.9. Quomodo Christi oratio pro suis, non pro mundo, C.11. nu. 8. 13. Cur olim *orationem ad Orientem* vel ad cœlum? L.5.c.4. n.14.

Orbis. *Ordo*. *Ornatus*.

Cur *Orbis* vocetur κόσμος à Græcis? L.1.c.21. n.1. Licèt vocabulum mundi intelligibilis Ecclesiasticæ consuetudini minùs usitatum sit, Augustino, usu tamen mollitum est, L.3.c.18.num.4.12. Imò etiam antea ex Origene, num.9. Unde Idololatræ retundendi, qui tam pulcrum à Deo factum mundum causabantur, qui pro Deo haberi posset, ex Chrysost. C.21.num.10.L.5.c.10. num.1. *& seqq.* C.13.nu.5.C.14.nu.8. *& seqq.* Sola quidem amoris redundantia raptim extra se Deum orbem condidisse & hactenus conservare Dionysius & Contarenus existimant, L.3. c.23.n.11.C.24.nu.1. *& seqq.* L.5.c.4.nu.11. Quin & vitæ Verbi inexhausta fœcunditas vitalibus seminibus refersit corporeum etiam hunc orbem, ex Mario Victorino, C.26.num.13. Alioquin hac tota corporum seu lapidum congerie nihil inutilius, nihil absurdius, quidquid mirentur aliqui, si non erumpant innumerabilia animalcula, ut experimentis comprobatum est, & si non sint intellectuales incolæ, n.14. Et ex illa vita in omnes mundi partes disseminata assurgitur ad principem Dei vitam Nu. 15. 15. 16.

Certiùs etiam & clariùs anima ex seipsa, quàm ex *orbe toto* Deum intelligit. L. 1. c. 17. At faciliùs jam ex orbe corporeo, ipsiusque *ordine*, C.21. nu.1. *& seqq.* Nec enim casus, nec fortuitus Atomorum concursus tam stupendum opus edere aut perpetuare potuit, n.4.10. Maximè in tanta corporum consonantia & ordine, nu.7. *& seqq.* C.22. n. 1. *& seqq.* L.2.c.1. n.3. 4. Necnon ex ipsorum malorum & peccatorum ordinatione, licèt sint contra ordinem, C. 10. num. 6. *& seqq.* Nec ipso peccato hominis vel Angeli, orbis ordo & ornatus deficeret, ibid. & C.19. num.9.11. Iis tamen Angelis cura principum orbis partium mandata est, qui prævisi sunt non peccaturi, ex August. C. 25. n.14. L.2.c.12.nu.3. Quin & juxta Platonicos, ipsæ animæ beatæ in societatem animæ mundanæ asciscuntur ad universum administrandum, L.6.c.4.nu.3. Et quidem ex æternorum contemplatione & imitatione, n.4. C. 10.n.5. *& seqq.*

Certiùs etiam est totum hunc orbem semper esse scholam veritatis, quia ad veritatem seu ideas ut exemplar efformatus est, L.3.c.9.n.2.C.11.n.8. *& seqq.* C.12.nu.2.3.7.10. C.16.n.1. C.17.n.2. *& seqq.* L.5.c.10.n.3. L.6.c.4.nu.4. Et quia juxta eosdem Platonicos, intelligibilis mundus mentali, mentalis animali, animalis corporeo, Deus ipse in materiam usque per intermedias naturas copiam sui facit, L.6. c.2. n.9. Et sic mundus intelligibilis totus in sensibili, & in qualibet ejus parte ad ipsam immensitatem Dei imitandam, L.5.c.1.n.2.4. *& seqq.* C. 2. n.1. *& seqq.* C.3.n.1. *& seqq.* Tam nulla autem fingenda sunt spatia ultra mundum, quàm nulla ante mundum tempora, C.4. n. 18.C.6.n.8. C.14.n.6.7. Quomodo verò salva sua immutabilitate Deus cœpit mundum condere in tempore? C.6. n.8.C.9.n.1. *& seqq.* Et suam immutabilitatem mundo efflaverit, C.7.n.16. Paulò aliter ex Patribus, C.10.integro. C.13.n.5.C.14.n.8. *& seqq.*

Certiùs tandem ipse Plato temporis natales derivavit à summo bono sensibilem mundum ad intelligibilem effingente, L.5.c.11. nu.12. At qualis nunc est, haud finiendus putatur, donec Electorum impleatur *numerus*, ex August. L.8.c.7.n.11. De rerum autem in mundo *ordine*, non decretorum, Patrum exemplo, satagendum, C.12.nu.7. *& seqq.* Nihil autem in his mirabilius ipsa orbis conversione, per omnipotentiam gratiæ Christi, ex Clemente Alex. & Origene, L.9.c.8.n.1.2.12. Ex Chrysost. C.12.n.8. C.13.nu.4. Ex Isidoro Pelusiota, C.14. n.4. Maximè per Martyrum de mundo victorias, cum suis amoribus, terroribus, erroribus, ex Aug. L. 10.c.67.§.5. Et quidem summa libertate, C. 59. §. *Ita*, *& ult.*

Origenes Alexandrinus. *Optatus Milevitanus*.

Prior Presbyter non ita asseruit nihil veri à diabolo & suis percipi, ut non statim aliorum sententiam largiorem commemoret, L.3.c.10.n.9.10. At in absolutione damnatorum omnium, ac Beatorum omnium exæquatione, Scripturas omnes, cœlumque ipsum conspurcavit, L.6. c.15. n.1. Vel ob renovatam Platonis reminiscentiam ab Hieronymo imprimis & aliis Patribus confutatus, L.3.c.14.n.4. *& seqq.* Ac tandem à quinta Synodo generali & Justiniani edicto, nu.10. 11. Refelluntur adhuc a fortiori ejus deliria de præexistentia animarum, & earum tunc meritis, L.8. c.7.n.13. L.9.c.17.n.6.8. §. *Idem*.

At conformia deinceps Augustino sentit, de rationibus æternis menti observantibus, L.3.c.16.n.12.C.17.n.1. Necnon de mundo intelligibili, C.18.n.4.9. Ipsius Celsi Philosophi verba de nescientia Dei rectè adoptat, L.4.c.7.n.5. Et hæc ut multò antiquiora apud Christianos, C.11.n.19.

Nec secum nec cum Clemente Alex. magistro pugnat in asserenda nihilominùs nominis Dei cognitione, C.10. n.3. Multò minùs rursum cum Augustino, in explicanda obduratione, L.7.c.14.n.3. *& seqq.* Nec ubi explicat divinam artem convertendi omnia in bonum, C.22.num.3. Secus in recursu causarum deficientium ad id unde defecerant, C.15.n.6.

Imò Origenem totum combiberat Hieronymus, solos desperat errores, L.9.c.5.n.10. Eum Ecclesiarum post Apostolos vocat Magistrum, C.8.n.11.13. Hinc non frustra cum aliis pro doctrina Augustiniana de prædestinatione, de efficacia gratiæ, & aliis annexis laudatur, num.6. *& seqq.* usque ad fin. Hincque contraria doctrina in libro de Principiis, à tanto aliunde præcone gratiæ, ad Ruffini aut alterius additamenta reiicitur, n.10. Maximè quia de ipsius charitatis efficacia cum aliis Patribus similiter sentit, L.10. c.57. circa fin.

Optatus verò Milevitanus Episcopus tempore posterior, eodem ferè modo Donatistas de se præsumentes refellit, quo postea Pelagianos Augustinus, L.9.c.19.nu.5. Nec tamen ille cum Semipelagianis velle aut currere nobis ascribit, solum autem perficere Deo, ibid.

P

Pachomius, & Pelagia utraque.

PRimus & ejus asseclæ Eremi cultores eximii, vehementes etiam gratiæ præcones ex factis dictisque suis ostenduntur, L.9.c.15.n.11. Utraque præsertim Pelagia, singulare exemplum & specimen præpotentis gratiæ Christi, una pœnitens Monialis, ex narratione Nonni Episcopi sanctissimi, n.4. Altera & quidem prior, Virgo & Martyr, ex Homilia integra Chrysost. C.12.n.2.

Parabola. Pœnitentia. Prodigus.

Parabola prodigi filii gradus omnes pœnitentiæ præformat, L.10.c.8. Primus autem pœnitentiæ gradus à timore qualicumque incipit. C.22. initio. Pœnitentia, cum pœnitenda præcavere debuerit, Deo etiam magis indigna videtur, quàm præscientia, C. 83. §. *Quod.* V. *Dei præscientia, Conversiones, Iustificatio, &c.*

Paradisus. Purgatorium.

Dubium an primum animarum statum Platonici intellexerint in *Paradiso*, vel in cœlo, cum corpore cœlesti? L.6. c.1.nu.6.7.8. *Paradisus* primi hominis *duplex* Damasceno, alter animæ, alter corporis, sive intelligibilis & sensibilis, C.6.n.12. Intelligibilem stante historiæ veritate interpretatur August.n.19.20. Necnon Greg.Mag. n.21. Alterius *Paradisi* januas reseravit Christus ante generalem resurrectionem, C.18.n.4. *& seqq.*

Purgatorium innui videtur per retardationem Justorum à visione Dei, ac per descensum ejusdem Domini ad omnes inferos, ex Greg.Mag. ibid. & num. 3. Imò ipsa Dei sanctitas, pulcritudo, charitas, vita cruciat purgando, & cruciando purgat animas, quæ purgari à terrenis sordibus egent, possuntque, ex Nysseno, L.3.c.25.nu.3.4.5. Duplex hujus purgationis exemplum naturale, in auro & fune, ibid.

Passiones, V. *Affectus. Positiones*, V. *Affirmationes.*

Pater Æternus, V. *Trinitas.*

Patriarchæ, Prophetæ, Pseudoprophetæ, Poetæ, &c.

Cur nomen *Prophetæ* tam promiscuè iis omnibus tribuant sacri codices? L.3.c.9.n.3. Quomodo ad eos ceu ad sapientes loquatur Deus? C.16.n.4.10.11. Et quomodo *Patriarchis & Prophetis* visus sit? L.6.c.14.n.10.§.8. Absolutiores gradatim Verbi manifestationes ad Patriarchas, Legislatores, & Prophetas usque ad Incarnationem & gloriam, C. 16. nu.2. §.3. Quomodo hanc ipsis gloriam acceleravit Christus descensu suo ad inferos, C.18. num.4.7. Cur ipsi Christo præmunienda fuerat via fidesque tot Patriarcharum & Prophetarum serie? L.10.c.4. §. *Leo M.*

Cur plura quidem à falsi contagione remota, non tanta tamen de attributis æternis ac similibus per *Prophetas*, quàm per Philosophos, litteris Deus mandare voluerit? L.3.c.13.nu 6. Quæcumque autem, sive in corpore, sive extra corpus viderant, meminerunt, & alios docuerunt, C. 14. nu.7. Et tamen nequidem totam Dei sapientiam, aut potentiam, nedum substantiam, ex Chrysost. L.4.c.8.n.11. 14. Ex Cyrillo Hier.C.9.n.2. Veri Prophetæ in Deum abrepti, vel Dei oculum sibi, vel os suum Deo accomodabant, ut ventura omnia tanquam præsentia effarentur, L. 5.c.13.n.8.9. Hinc Dei præscientia tot habet testes, quot fecit *Prophetas*, ex Tertull. L.7.c.17.n.2.

Nec nobis *Prophetæ*, nec Prophetis Angeli opus sunt, nisi ad revelanda mandata, quæ legis æternæ ambitu non continentur, ex August. L.6.c.9.n.14. Nonnisi per *Pseudoprophetas* impii, & *Pseudoprophetæ* per Angelos malos seducendi, L.2.c.12.n.11.L.7.c.6.n.2.C.9.n.18.C.11.n.9. Ne verus Propheta de contemptu Regis glorietur, permittitur decipi à falso, ex Greg.Mag. L.10.c.19. §. *Quod.* C.48.§. *Quantum.* Quo sensu intelligenda verba Christi ad Pharisæos de consensu dato neci Prophetarum per sepulcrorum extructionem, L.7.c.23. n.12.§.5.

Quod Dei nomen revelatum non solùm Philosophis aut Prophetis, sed etiam *Poetis* seu Vatibus? ex Clem. Alex. L.4. c.10.n.2.3. Librum de Monarchia scripsit Justinus, ut eam Deo ex Poetis asserat, L.1.c.4.n.2. L.2.c.1.nu.1. Frequens usus *Poematis* apud Augustinum, ad concentum universi ac providentiæ exprimendum, C.11. n.7. *& seqq.* Correptio seu possessio veterum Vatum proponitur, occasione beatarum mentium à Verbo divino informatarum, L. 6. c.4. nu.2. Necnon eorumdem sobrio quodam furore exultantium, C.5.n.7.8.9.

Patrum doctrina, authoritas, & conciliatio multiplex.

Doctrina quidem Patrum Ecclesiæ, plerumque ex Philosophorum placitis, sed in multis longè castigatior, imprimis L.1.c.2. num. 9. & Cc. seqq. Nonnullis Patrum imposuit Hermes Trismeg. sed innoxiè, L.2.c.3.n.2. In ipsis Patrum Tractatibus ad plebem, nihil frequentius progressione à corporis ad mentem, à mente ad Deum, C.22.n.11. Quantò magis docuerunt, se & Theologos omnes his & abstrusioribus numerorum, figurarum, ac similium æternis proprietatibus assuefaciendos esse, C.23.nu.1. *& seqq.* C.24. integro. Patrum alternatio pro temporum ratione, L.2. c.9.n.8.9.10.L.9.c.7.n.10.C.12.n.4.11.C.13.n.3.8. *& seqq.* Proniores etiam fuere in molliendis aliorum sive Ecclesiasticorum sive etiam Ethnicorum vocibus, in nostrum exemplum, L.4.c.1.num.5. Implicata quandoque inter se mysticæ Patrum Theologiæ capita, non mirum si & nostra, C.8.num.1. Idcirco ad orationem nos remittunt, non mysticè, L.5.c.4. num. 1. 16. In ipsis demum Patribus dubium, quid primum mirandum sit, eruditio sæculi, an scientia Scripturarum, ex Hieronym. L. 9. c.5. num.10.

Patrum universim eorum venerabilior debet esse authoritas, qui post natas hæreses, de iis pro veritate & Ecclesia triumpharunt, L.6.c.19.n.4. C.20.n.6.8.10. C.21.n.14.L.7. c.15.n.12.C.16.integro. L.9.c.2.n.7.8.C5..n.3. C.6.nu.10. Necnon plurium paucioribus, L.7.c.17.nu.3. *& seqq.* Imò etiam singulorum, ex August. L.9.c.4.nu.10. Quousque se extendat Patrum authoritas, C.2. *& seqq.* Saltem usque ad disciplinam, ex septima Synodo, C.5.n.12. A fortiori quoad fidem & dogmata, ibid. & C. 6.

Quàm insulsum quamque periculosum inter Ecclesiæ Patres discordiam serere, L.9.c.2.n.1. *& seqq.* Maximè cùm inter regulas fidei, non solùm universitas, sed & antiquitas, & consensus Patrum promantur, ex Vincent. Lirin. n.2. & ex August. C.4.n.5. Et sancti Patres diversa quidem quandoque, non adversa doceant, ex Fulgentio, C.2.n.10. Imò quando contraria vel contradictoria etiam dixissent, rimanda aliqua concordiæ ratio, ex Bessarione in Concilio Flor. C.6.n.9. Sanè non suo singuli, sed recepto in Ecclesiis sensu Scripturas interpretati sunt, ex August. C.4. n.1. 2. Ita Ecclesiæ filii sunt discendo, Patres docendo, n.3. Idcirco omnes, tam Græcos, quàm Latinos, in unam velut Synodum magni omnino ponderis cogit idem Aug. præsertim n.8.9. Necnon alii cum ipso, C.5.n.3.5. *& seqq.* C.7.n. 1. Ipsaque Concilia generalia, Cc.5. 6. Sub tantis ducibus quam non contemnenda saltem opera deinceps in interpretandis conciliandisque Patribus, C.7.n.1.

Prima igitur *Patrum conciliatio* erit de Philosophorum sensu, quoad consubstantialem Trinitatem, præsertim ex August. L.2.c.5. n. ult. & passim Cc. seqq. *Secunda* de vocibus Philosophicis, diverso sensu pro temporum ratione usurpandis, C.9.n.8.9.10. *Tertia* in affirmando vel negando Deum esse, vel supra esse, L.3.c.2. & passim seqq. *Quarta* in asserenda vel neganda Dei notitia, quoad quid est, C. 3. præsertim n.4. *Quinta* in tribuenda Patri vel Filio visione Dei in rubo, C.4.n.8. *Sexta* in modo quo Dæmones percipiunt veritatem, C.10. usque ad §. *Vbi. Septima* à Bernardo nobis in exemplum præformata quoad charitatem substantivam & accidentariam, C.23.n.9. *Octava* in modis loquendi de Dei generatione à seipso, C.26.n.4. *& seqq. Nona* Basilii præsertim & Augustini ac sequacium in distinctione vel indistinctione nominum seu attributorum divinorum, L.4.c.8.n.2. *Decima* Clem. Alex. & Origenis in admittendo vel reiiciendo quocumque Dei nomine, C.10. n.2. 3. Quæ conciliatio & ad alios extenditur, C. 8. præsertim nu. 16. & C.11. *Vndecima* non solùm Patrum inter se, sed etiam Scripturarum in asserenda vel neganda prorsus visione Dei, C.7.n.8.10.16.C.9.n.1. C.11.n.3.9. Sed maximè C.12.n.8.10 *Duodecima* omnium ferè conspirantium pro prima Dei visione Angelis aut Adamo concessa, L.6. c.6. num. 13. Non ita in progressu interminabili visionis beatæ, C.15. num. 12. 15. *Decima-tertia* nonnullorum dumtaxat quandoque alternantium pro retardatione visionis Dei, nonnisi ob ejus imperfectionem ex desiderio corporis, C.18. num. 3. *& seqq. Decima-quarta* plurium Patrum adhuc conspirantium in interpretando lumine gloriæ de Spiritu sancto, dum Scolæ Magistri magis discrepant, C.16.num.7.8. *Decima-quinta* Græcorum cum Latinis quoad invisibilitatem vel visibilitatem Dei, Cc. 19.20.21. num.14. *& seqq. Decima-sexta* difficilior Hieronymi quàm Chrysostomi cum aliis Patribus, ipsaque Scriptura, quoad omniscientiam Dei, L.7. c.2.num.13. *& seqq. Decima-septima* omnium operosissima Græcos inter & Latinos tandiu agitata, ac tandem in Concilio

Florentino utrimque agnita de processione Spiritus sancti à Filio, L.9. c. 6. *Decima-octava* in exemplum cum similibus ibidem adducta, inter veteres utriusque Ecclesiæ Patres in negotio trium hypostaseon vel Personarum à sancto Athanasio procurata, n.4.10. *Decima-nona* minùs expectata, at certissima tamen eorundem Græcorum cum Latinis ipsoque Augustino in quæstionibus de præscientia, prædestinatione & gratia, non aliter ac in aliis Theologicis, L.7.c.3. num.13. C.14. præsertim num.16. *ac passim* Cc. *seqq.* *Vigesima* quoad ipsam indurationem, C.14.num.1. *& seqq.* præsertim 3. 8. *Vigesima-prima* cujus pro Græcis fidejussor est Clemens Alexand. quoad ordinationem ipsorum peccatorum, C. 16. num.11. *Vigesima-secunda* Scriptorum ac Synodorum noni sæculi etiam sub diversis Galliarum Principibus contra Scotum Erigenam & Gottescalchum, C. 4. num.10. *& seqq.* præsertim 13. 14. *Vigesima-tertia* adhuc recentiorum undecimi sæculi sub Anselmo cum antiquioribus, cui præluxerat Augustinus, quoad voces quasdam de peccatis, C.8. nu.8. 11. *& seqq.* Item quoad ipsam indurationem, C.13. num.7.8. *& seqq.* *Vigesima-quarta* tandem specialior tum Græcorum tum Latinorum cum Augustino, quidquid nonnulli præsertim è sectariis nostris aliter sentiant, quoad tria gratiæ capita prædestinationi gratuitæ præsertim illigata, L.8.c.11.n.3.10. L.9. integro.

Quibus de causis alternantes quandoque Patres videntur, nunc pro gratia, alias pro libero arbitrio, L. 9. cap. 7. num.10.C.8.num.13. C.20.num.2. C.12.num.4.11. C.23. num.3. 8. Summa autem capita nostræ pro Patrum concordia defensionis generalis & specialis, C.1. num. 3. 4. Vel ex sola præventione ad initium fidei, quam in omnibus ipse Vossius agnoscit, colligitur etiam prædestinatio gratuita, ac efficacissima quæ sequitur gratia, præsertim ab August. C. 18. num. 6. Nec Græcos aut Latinos antiquiores secum in his errasse insimulat idem Augustin. num. 4. & cap. 16. num. 8. Pleraque in illis molliora, apud ipsum jam provectum reperiuntur, ac eodem molliori modo interpretanda ipse censet, C. 18. num. 2. *& seqq.* Ex Græcorum de his doctrina ad Latinos præjudicata conjectura duci potest, C.16. num. 1. Omnes tandem ex solemnibus utriusque Ecclesiæ precibus in unam conspirasse sententiam, nec aliter potuisse, liquet præsertim C.15.num.14. C.18. num. 4. 5. E tribus sententiis pro gratiæ efficacia, nempè per prædeterminantem Dei motionem, vel per contemperationem à scientia media libratam, vel per conspirationem plurium omnis generis auxiliorum, hæc tertia sanciendæ inter Patres concordiæ opportunior est, C.1.nu.5.6. Pacatè & ipsi Theologi Catholici ferre debent hanc sententiarum de gratiæ efficacia alternationem, dum constet gratuitæ prædestinationis placitum, n.8.9. 10.

Pax, Prælia, Pugnæ, &c.

Pugnæ, prælia, & similia nonnisi ex particularium bonorum possessione, pax econtra ex universalibus seu ideis Dei, juxta Philosophos, L.3.c.11. num.17. Pugnare igitur inter Theologos non decet, nisi salvo pacis vinculo, L.9.c.1. num.8.9. In ipsis pugnis animantium regnat modus & ordo, ex August. L.2.c.11. num.13. Non solius pacis, sed & præliorum suæ sunt virtutes & bona, ibid. A fortiori Angelorum inter se pugnæ illæsa pace fiunt, ex Greg. Mag. L.3.c.8. nu.5. Justis etiam mira pax à perturbationibus & intestinis præliis quandoque affulget, ex eodem & aliis, L.10.c.39.

Paulinus Nolanus, Prosper Aquitanus, Prudentius Tricassin. &c.

Paulinus scripsit ad Augustinum ejus omnino gustui accommoda de prædestinatione & gratia efficaci ex proprio experimento in voluntaria omnium renuntiatione, L. 9. c.19. num.6. Et ad Victricium Rotomagensem de militia Martyri præformando in ipso idonea, L. 10. c. 20. §. *Ad.*

Prosper ex Augustino multa attexuit de semine recti, &c. L. 3. c. 16. num. 4. Totidem pariter verbis ab Augustino mendicatis profitetur multa præscire Deum, quæ non facit, L.7.c.3.num.6. Et omnem potestatem à Deo, non voluntatem, C.11. num.2. *& seqq.* Multò minùs indurationem, C.13.num.1. Quò propior est Augustino, tam procul est à recentioribus prædeterminantibus ad malum, C.16.num.1.2.L.10.c.66. Et quidem pro eodem suo magistro, contra querelas Genuensium, L.7.c.21. nu.1. Rescripsit ad ipsum Augustinum de Massiliensium contra eum opinationibus, C.23.num.4.L.8.c.7.n.1. L.10.c.69. Quando contra Collatorem contendit omnes prorsus à Patre trahi, non pugnat Augustino vel Gregorio vocationes distinguentibus, C. 21. §. *Porrò.* Similiter quando negat gratiæ moras obtendi posse, multitudinem auxiliorum non reiicit, C.89.§. 1.2. Augustino rursus patrocinatur pro distinctione statuum, L.8.c.3. num.6. Et pro ipsa prædestinatione nunc gratuita, licèt videatur alicubi contrarius, C.8. num. 1.2. Visus est quidem dubitare de antiquorum pro ea patrocinio, quod asseruit Augustinus, C.11.num.3. 10. Prosper tandem author creditur sobrietatis decretorum de gratia, nomine Cælestini, quod magis mirum est, C. 12. num. 11. Probat aliunde Cælestini ac Cyrilli in Synodo Orientali edita contra Pelagium & Cælestium æquè ac Nestorium, L.9. c.3. nu.4. Imò consecratos à Cælestino & antiquis Patribus omnes Augustini commentarios de gratia contra furtivos obtrectatores Semipelagianos contendit, C. 5. num. 2. 3. 4.

Author verò Carminis *de Providentia* apud Prosperum semine recti nullum carere probat, L.1. c.7. num. 2. Elegantem æternitatis divinæ imaginem pingit, L.7. c. 17. nu. 10. Item author libri *de Vocatione Gentium* apud eundem præsentiam rerum in æternitate obtendit, L. 10. c. 84. §. *Author.*

Prudentius denique Tricassinus Episcopus addictissimus & ipse Augustino in Tractatu de prædestinatione contra Scotum Erigenam, L.7.c.3. num.8. C.4. num. 11. Hujus fregit audaciam, docens, etsi translatè, verè tamen prædicari de Deo præscientiam, & de Deo solo, C. 18. n.5. Eam nihilominùs probat adhuc translationem, L.10. c.84. §. ult.

Peccata, Peccatores, Pœna, Præcepta, Præmia, &c.

Quanti referret ad boni amplitudinem naturas liberas etiam *peccabiles* condere? L. 2. c. 12. num.1. Imò etiam *peccaturas*, & non obstante peccato, aliis non peccantibus meliores, num.2. Eisque præcepta, pœnas & præmia proponere, num.5.L.7.c.10. integro. L. 10. Cc.78. 79. Et tamen ante peccatum sola in Deo bonitas, & per peccatum justitia, ex Tertulliano, L.2.c.12. num. 6. Et adhuc de vena bonitatis pœna peccati, ex Chrysost. n. 7. ex Greg.Mag. num.8. At eadem pœna, qua malum est, eatenus non à Deo, sed à mala voluntate, ex Augustino, num.9. *& seqq.* Nequidem per bonos Angelos aut homines, sed per malos exercenda, n. 10. 11. Paulò aliter ex Nysseno, L.7.c.6.n.3. *& seqq.* Ex Clemente & Origene, C.9. n. 16.

Imò mala pœnæ bona sunt, cum ad Deum confugere cogunt, ex ipso Platone, L.2.c.10.num.1. Adde mala ipsa culpæ, quatenus simul & semper mala pœnæ, *ibid.* & ex Augustino, C.12.n.5. Quomodo aliunde sint ex Chao, seu ex nihilo? juxta Platonem, C.10.nu.2. Vel ex materia, seu corpore, juxta Plotinum, n. 4. Et tamen nonnisi privatio boni, sed ad bonum, juxta eosdem & sequaces, n.5. *& seqq.* C.11.n.16. Qui verò distinguunt inter hanc privationem & actionem peccaminosam, totam Theologiam confundunt, L.7. c.4. ferè toto. Maximè quòd sequeretur Deum facere in peccato etiam primo, quidquid facit peccator, quod maximè horrendum, C. 5. integro. At juxta Patres peccatum actio est, non natura, non substantia, cujusmodi author est Deus, Cc. 6. & 7. Imò posterioribus sæculis, non aliud quàm qualitas privativa, ut nox, mors, &c.num.13. Præluxerat Augustinus, C.8. num.8. Paulò plus novatum est in his & similibus vocibus, desinente undecimo sæculo sub Anselmo, num. 1. Imprimis cum actio peccaminosa seu consensio in malum annumerari cœpit, non substantiis, sed essentiis, ibid. & nu. 2. Quomodo autem essent à Deo, vel à seipsis? Nn. seqq. V. *Dei providentia, motio, &c.*

Expressiùs quomodo malum usque adeo nihil sit, ut peccatum quod verè malum, & summum malum est, non possit tamen non esse aliqua imitatio boni, sed distorta, L.1.c.3. n.4.5.C.4.n.7.9.L.2.c.8.n.10.C.12.n.12. *& seqq.* L.3.c.5. n.9. *& seqq.* L.7.c.8.n.12. *& seqq.* Hinc imago & cognitio Dei per peccatum obscurata quidem, non tamen abolita, L.1.c.3.n.2. *& seqq.* C.4.n.4. *& seqq.* L.10.c.5.initio. Propter illas boni lineas peccatis ipsis inscriptas existimat Primasius peccata quædam ad mysticos quandoque sensus, Patribus interpretantibus, rapi posse, L.2.c.12.n.16. Imò duplex distinguitur peccatorum pœnarumque semper utilium classis, C. 10. n.3. Utilium, inquam, saltem universo, ex ipsis Platonicis, Nn.seqq. Etsi hæc utilitas à nobis mortalibus per ipsum peccatum factis non integra percipiatur, ex Augustino, C.11.n.7.11.12. Nec tamen per illud impediatur, C.12.nu.1. *& seqq.* Ut peccata & pœnas, ita & præmia ordinat Deus pro diversitate meritorum, L.6.c.15. n.5. *& seqq.* L.10.Cc.86.87.88.

Rur-

Rursus & ultimò, de *origine* mali à Deo satis olim distinxerant Irenæus & Tertullianus inter culpam & pœnam, contra Marcionem, L. 7. c. 6. 7. Augustinus postea non solùm contra Manichæos, sed etiam contra Florinum & Colluthum utrimque aberrantes, n. 1. Ut mirum sit longè postea opus fuisse Ruperto, de sensu Augustini altercari cum præclaris totius Franciæ luminibus, & indoctorum, ut ait, multitudine, C. 13. nu. 7. Cælestiani aliunde *peccato originali* obstrepebant, ne cum Machinæis crederetur natura mala, C.7.num.9. At de peccato originali novasse etiam Augustinum dictum quidem est olim, non jam ampliùs, quia ex aliis Patribus illud demonstravit, quidni & consequentia? L.9. c. 16. num. 5. Non propter illud originale peccatum semel condonatum, sed propter actualia, quæ ex ejus fruticibus serpunt, & secundam conflant damnationis massam, denegatur quandoque perseverantiæ donum, L.8.c.10.num.5. *& seqq.* C.11.n.4.7. C. 12.n.1.

Quatenus homo possit post baptismum peccatis omnino carere, si statim rapiatur? ex Hieron. L.9.c.17. nu.3. Non autem aliter, L.10.c.49. Scilicet *præcepta* quidem omnia possibilia, non tamen semper implentur præ utpotè omnium peccatorum fonte, ibid. & Cc. seqq. Sic singula etiam possunt *peccata* vitari, *venialia* à justis, *mortalia* ab impiis, ex August. & aliis, Cc.53.54. Hincque difficultates seu impossibilitates morales, &c. ibid. Sensus propositionis Apostoli, *Peccatum vobis non dominabitur*, C.32. §. *Quod*. C. 76. §. *Video rursum*. Et tamen bonis operibus exhaurienda semper sentina peccatorum venialium, ex August, C.51. §. *Hinc*. Necant enim merguntque hæc minuta, non magnitudine, sed multitudine, ibid. Gradus ad peccatum consummatum, & desperatum, ex Bern. C.52. Tres solùm communes, ex August. c.83. §. *Delectationes*.

Quàm ineptum sit ut peccato majorem efficaciam consecuta sit cœlestis delectatio, L.10.c.31. § ult. & Cc.33.34. §. *Non ergo*. Etsi fatendum sit peccato hominem factum esse molliorem, amantioremque delectationis, sed terrenæ, C.33. §. *Confiteamur*. Voluptas autem quæ ad peccandum allicit, inest operi, non desiderio peccati. C. 23. §. *Quod*. Hinc timor pœnarum, non manum tantùm, sed & consensum absterret à peccato, ipsaque peccandi desideria exscindit, ibid. Pœnis etiam à peccato alios avocare licet, præsertim principibus, ex August. C. 18. Ut soleant ipsi Patres prædestinantes ignaviam objurgare peccatoribus, quasi inexcusabilibus, L.9. c. 12. nu.4. Quin & justis etiam peccantibus, C.49. *& seqq.* Quomodo tamen justis peccata prosint? C. 42. Et plus de conversis peccatoribus, quàm de stantibus justis gaudium sit in cœlo? §. *Idem*. Sola enim peccata à Deo separant, L.3.c.15.nu.1. §. *Idem*. L.5.c.4. nu. 15. L.6.c.6. nu.8.9.10. Unde tandem Beatorum fluat impeccabilitas? C.21.n.5. V. *plura in propriis titulis, & etiam in sequenti*.

Pelagiani, Semipelagiani, &c.

Post exortam *Pelagianorum hæresim*, non recessit Augustinus à priore, quam illi impugnabant, sententia, circa quæstiones de primo peccato, L.7.c.10.n.12. C.11. nu.5. C.12.nu.4. *& seqq.* C.19.nu.15. L.9.c.2.nu.8. Peccato vitiari naturam negabant Pelagiani, quòd peccatum substantia non sit, affirmabat nihilosecius Augustinus, L.7. c.7.num.8. Sic vindex insurrexit, cùm illi, seu *Cælestiani* peccato originali obstreperent, ne natura mala crederetur, n.9. Vel cum ideo peccatum non rem, sed actum esse causabantur, ut sine gratia vitari posset, nu.10. Imò posse hìc hominem, & aliquando reapse vivere absque peccato, L.10. Cc.49.53.

Humanum persuadendi modum in gratia per sensum ad intellectum usque probassent Pelagiani, non Augustinianum per affectiones simul inspiratas voluntati, C.59. §. *Negat, & seqq.* Denique virtutes probabant longè decoloratiores illis quas Platonici ad divina exemplaria exprimebant, ex Aug. L.3.c.17. n.10.11.

Ante ullam Augustini lucubrationem contra *Pelagium*, hic coactus est sua dogmata ejerare in Palæstina Synodo, cui ipse Augustinus adhæsit, L.9.c.3. num. 1. Post Africanas Synodos, Innocentii & Zozymi decreto contra *Pelagianos* sparso, Oriens perinde ut Occidens subscripsit, num.2.3. Frustra ergo jactarunt Pelagiani Græcos Episcopos minùs sibi infestos esse, num. 3. Ephesina prima Synodus ex Orientalibus conflata, simul Cælestium Pelagiumque damnavit ac Nestorium, num.4. C.2. num.5. C. 11. num. 15. Utriusque Ecclesiæ Patres in unam antea coegerat Synodum Augustinus contra Pelagianos, C.4. num. 8. &c. Hos etiam in crimen vocabat, quòd Scripturis alios à Patribus sensus affingerent, num.1. *& seqq.*

Pelagianorum dumtaxat occasione in gratiæ priorem admirationem raptus est Augustinus, ut olim Paulus, L. 9. c.7.num.10.C.13.num.8. Insurrexit contra Julianum Pelagianum, ob alia, L.7. c.9. nu.8. Imprimis ob negatam Dei potentiam in indurationibus, C.12.n.6. L. 10. C.64. 65. Item cum Prospero & Fulgentio contra hos omnes & *Semipelagianos* ob invectam in Deum futurorum conditionatorum liberorum præscientiam, ut eluderent argumentum pro prædestinatione gratuita ex parvulis, L.7. c.23.n.1.4.7. *& seqq.* L.8.c.6.nu.8.C.7.nu.3. Obiiciebant exemplum juvenis præmaturè rapti, ac similia ex Scripturis, L.7.c.23.nu.5. 12. 13. Illuc retorquebant Patres pro prædestinatione gratuita, L.8.c.1. n.12. &c. Quippe Pelagiani bonis operibus, Semipelagiani initiis fidei superstruebant divinam electionem, n.7.C.8.n.6. C.11.nu.2. L.9. c. 17. num. 8. §. *Eidem*. Utrosque simul & similiter impugnat Augustinus, L.8.c.5.n.3. Item Pelagianos rursus alio detorquentes propositum Dei, apud Paulum, C.6.n.4. Similiter Basilius antequam illi nascerentur, L. 9.c.10. nu.8.

Semipelagiani speciatim, novatum ab Augustino contendebant, quo faciliùs Pelagianis resisteret, calumniam abstergit ex prioribus scriptis, &c. L.9. c.4. nu.14. *& seqq.* Fatetur quidem in materia gratiæ, se aliquando Semipelagianorum errore deceptum, non alios Patres Latinos Græcosve, quos econtra opponit, C.16.num.8. &c. C. 18.n.4.5. Imò seipsum resipuisse ante exortam Pelagianam hæresim, *utrobique*. Inter Semipelagianos, *Massilienses & alii Galli*, pii alioquin doctique viri, ab Augustino resiliebant potissimum ob prædestinationem gratuitam, quam novitatis & inhumanitatis insimulabant ex quatuor summis capitibus, L.8.c.7. n.1. *& seqq.* Abhorrebant etiam maximè à præfinito certo Electorum numero, n. 12. *& seqq.* Plura alia huc spectantia obiiciebant & urgebant, testibus Hilario & Prospero, C. 11. num. 1. *& seqq.* Pleraque retorquebat Augustinus in præscientiam, de qua nec illi ambigebant, nu.9. Gratiæ justis ad singulos actus necessariæ minùs illi infesti erant, quàm perseverantiæ adjutorio *quo*, ex iisdem Patribus, L.10. c.69. Ob id & alia contra Augustinum jam mortuum scripsit Faustus Semipelagianus, statim ubique damnatus, & sic tandem contra Pelagiana decreta, eorumque reliquias Græcos Latinosque conspirasse postea commemoravit ipse Photius, L.9.c.3.n.9. V. etiam *Cassianus*, *Dei prædestinatio*, *Faustus Reiensis*, & paulò infrà *Petrus Diaconus*, *Possessor*, *&c.*

Perfectiones, Perseverantia, Persona.

Perfectiones simpliciter simplices ab aliis distinguuntur juxta usum Scholæ ab Anselmo invectum, L.4.c.12.n.12. V. *Dei Attributa, &c.* Gradus perfectionis, ex Augustino præsertim, L.10.c.39. §. ult. Duplex etiam *perseverantia* distinguebatur à nonnullis, ad tempus, & usque in finem, C.68. §. 11. *Personarum* acceptioni locus est tantùm, quando debitum exolvitur, non quando mera effunditur gratia, L.8. c.8.n.7. C.9.nu.11. Propter peccatum semel condonatum non denegatur *donum perseverantiæ*, C.10.n.5. *& seqq.* C.11. n.4.7. C.12. n.1. Ad perseverantiam præsertim datur *auxilium quo*, &c. V. *Adiutorium*, *Dei prædestinatio*, *Gratia*, *&c.* De Personis Trinitatis, V. *Trinitas*.

Petavius, Petrus Damiani, & Petrus Lombardus.

Stetit ille *Petrus* jamdiu pro concordia Patrum utriusque Ecclesiæ, de processione Spiritus sancti, L..9.c.6. nu.5. Et hìc etiam Magister Sententiarum, nu. 6. *Petavii* verò doctissima dogmata consulenda sunt de Græcorum & aliorum erroribus, &c. L.4. c.1.n.6.

Petrus Diaconus CP. Possessor & Primasius Africani Episcopi.

Petrus ille cum suis Græcis totus est pro August. doctrina in libro *de Incarnat. & Gratia* ad Africæ Episcopos, L. 8. c. 8.n.5. L.9.c.5.nu.8. Ex Oriente cum aliis Romam missus, Pelagium, Cælestium, Julianum, & præcipuè Faustum ibi damnat, C.3.n.6.C.15.n.14. *Possessor* etiam Constantinopoli agens, cum Græcis adversùs Fausti libros conspiravit, & Hormisdam consuluit, C.3.nu.8. *Primasius* tandem cum Augustino peccata quidem existimat trahi posse ad mysticos sensus ex interpretatione Patrum, L.2.c.12. n.16. At Scripturas de induratione & prædestinatione ipse interpretatur conformiter Augustino, & exemplis illustrat aptissimis, L.7.c.13.n.6. L.8.c.8.n.7. L.10.c.66.

Phantasmata, Præiudicia, prima Principia, Prioritates, &c.

Quod sine *phantasmatis* vix aliquid videatur, non est hominis natura, sed peccati pœna, L.1.c.14.n.8.9. L.3.c.7.nu. 16. *& seqq.* C.8.n.8. *& seqq.* L.4.c.1.nu.1. *& seqq.* L.6.c.6. *& passim seqq.* C.12.n.1. *& seqq.* Quin plura etiamnum sine sensibili phantasmate intelliguntur, ex septem probationibus

nibus Auguſtini, C.10.integro. Talia ſunt imprimis *præiudicia* ſeu *prima* ſcientiarum *principia*, ex Philoſophis, L.1.c.2.nu.1. *& ſeqq.* Expreſſiùs ex Patribus, C.8.nu.2.3. C.12.n.1.5.C.14.n.3.4.C.15.n.1. C.23.nu.7. *& ſeqq.* C.26. n.3.L.3.c.5.n.12. *& ſeqq.* C.13.n.11.12. C.15.n.2. *& ſeqq.* C.16. num.11.12. C.19.nu.13.14. L.4.c..2.nu.11.L.6.c.13. n.3.4.

Seponendorum præiudiciorum aliunde intruſorum neceſſitas, L.9.c.1.n.10. *Item in Pr fat. & paſſim alibi.* Quantum verò nihilominùs bona infantiæ præjudicia proſint, ab exemplo Auguſtini, L.10.c.90.§. *Eſt & ult.*

Primum omnium *Principium* eſt ipſa primitas, unitas, ſimplicitas, quæ nec intelligi nec explicari poteſt ex Philoſophis, L.6.c.5.num.4. *& ſeqq.* *Quadruplex prioritas* diſtinguitur, L.5 c.13.nu. 3.4. 7. Prioritas & poſterioritas ſeu *ante & poſt* quatenus ad æternitatem vel tempus ſpectent, V. *utrobique.*

Pharao. Pilatus.

Prior induratus dicitur à Deo, permittente tantùm, vel non liberante, ex Patribus, L.7.c.6. nu. 4.8. *& ſeqq.* Et ad ſummum per potentiam, hoc eſt, per occaſiones, C.12. n.3.7. *& ſeqq.* C.13.n.3. *& ſeqq.* C.14. ferè toto. C.20.n.4. 8. C.23.nu.6.L.9.c.10.n.6.7.§.*Sed.*C.19.n.9. L.10.Cc.64. 65.66. Quatenus *Pilatus* ipſe cum diabolo divinæ voluntati etiam famulatus eſt in nece Chriſti, ex Greg. Magn. C.88.§.2.

Photius Patriarcha CP. Potho Prumienſis Presbyter.

Photii judicium de Arithmeticis Theologicis in Nicolao Geraſeno, L.1:c.24. n.11. Eulogii Alexandrini homilias in compendium miſit, L.2.c.3.n.11. Auguſtini famam doctrinamque tuitus eſt adversùs ejus obtrectatores, L. 9. c.3. nu.9.

Potho de ſtatu domus Dei circa annum 1160. ſcripſit lambens veſtigia Auguſtini, L.1. c.24. nu.7. Triplicem cognitionis gradum ſtatuit, ibid. &c.

Philoſophia, Philoſophi, præſertim Platonici & Pythaghorei.

Cur hi *Philoſophiam* quaſi amorem ſapientiæ, ſeque illius amatores potiùs quàm rimatores profeſſi? L.1, c.25. n.7. 8. Et quidem primitus ex fontibus Pythagoræ, nu.10. Diſcrimen inter *Philoſophos & Philodoxos*, ſeu opinionum amatores, ex Platone, L.3.c.19.num.18. Quomodo ejus Philoſophia perpetua ſit mortis meditatio & conflictatio cum corpore? L.6.c.3. n.1. 2. Illiuſque non aliud ſit munus, quam latitantes in anima rationes per reminiſcentiam excitare, L.1.n.1.2.3. Nec in externa hominem refundere, ſed ab iis ad ipſum, ut ipſum ſummum contempletur, C.2.n.2. Hinc non caſu illos in verum incidiſſe agnoſcit Tertullianus, C.24. n.1. Imò quo conſilio Platonici præſertim & Pythagorici figuras ac numeros ad divinorum elucidationem adhibuerint? ex Cyrillo Alex. n.10. Idque ipſi comprobent, toto C. 25. Sic Academia præſertim Platonis, veſtibulum Eccleſiæ, ex Baronio poſt Auguſtinum, Præfat.nu.10.

Prior quidem homo ipſe quàm Philoſophus, ex Tertull. L.1. c. 11. num 3. Imò pleraque Theologica arcana antiquiora erant in Chriſtianorum quàm Philoſophorum monumentis, L.4.c.11.num.19. Siquidem nihil ab his religionis attingi potuit viribus naturæ aut ingenii, ex Juſtino, L.9. c.7. nu. 5. Veroſque præ cæteris Philoſophis Platonicos laudat Auguſtinus, quòd ſupradictorum contemplationem divino lumini acceptam retuliſſent, C.9.num.9.10. L.3.c.5.n.3.6. Non mirum ergo ſi tam propè à Chriſtiano dogmate abfuerint, L.1.c.2.nu.9. C.26.num.1. L.2. c.8. num. 1.2. L. 3. c. 22. num. 1. Imò propiùs aliquando ipſis Prophetis, & cur? C.13. num.5.7. L.5.c.7.num. 18. Utpotè primùm Dei auxilio adjuti, ex Paulo ipſo, L. 2. c. 11. nu.1. L.3.c.1. num.9. Deinde Hebræorum quandoque contubernio, ibid. & L.2.c.3.nu.3.C.5.nu.9.L.3.c.1.nu. 9.C.3. nu.2. Adde tandem & Chriſtianorum, L.2 c.3.n.2. C.5.nu.3.12.13.L.3.c.23.nu.5. Utplurimum tamen adhuc cenſura Patrum juvandi, L.2.c.11.nu.1.3.L.3.c.13.nu.1. *& ſeqq.* & paſſim ubique.

Sic demum ab ipſis Patribus in ſcholas Chriſtianas Philoſophi illi inducti, L.2. c.8. num.1.2. C.10.num.1. L.3.c.1. num.4. C.11. num.1. C. 12. & alibi paſſim. Imò ad Scholam Platonis & Pythagoræ Pelagianos ipſos Auguſtinus provocat, C.17. num.10.11. Et Clemens Alexandrinus contra eos egerat, qui Græcorum Philoſophiam verebantur, C.16.num.11. Cùm tota ſublimior Philoſophia, & tota Eccleſiæ Theologia vertatur in illorum principiis. C.18.n.12. *& ſeqq.* Unde & veterum Patrum Theologorumque methodis noſtram præformans in laudanda patritia Philoſophorum proſapia, & ſcriptis inſerendis, C.20. n.2. 3. 5. Quantum intelligentia principiorum Philoſophiæ Platonicæ deſerviat ad conciliandos ipſos Patres inter ſe? L.6.c.5. n.14. &c.

Diſcrimen aliunde inter antiquos Philoſophos, & Scholæ Theologos, L.1.c.20. num.3. Caſtior ſaltem Chriſtiana Theologia utplurimum Platonica ipſa Philoſophia, L. 3.c.19.num.17. C.20.num.12. Licèt quandoque hæc ferè æquè caſta, C.22. num. 1. Nec difficilis nec inutilis concordia ipſius veteris Philoſophiæ cum Theologia noſtra, ut probavit olim Bernardus quoad ipſam charitatem, C.23.num.9. Præſertim quando illa cum Religione conſpirat ad amorem purgandum, toto ſuperiori C. 22. Imò ad aliquam Dei viſionem hìc prælibandam ex primo per Ethicam Socratis inſtituto, L.6.c.10.num.11. At ſemper illa longè & variè imbecillior doctrina Chriſti, ex Juſtino Martyre, vel ſolas diſſidentes inter ſe factiones opponente, L.9.c.7. num.5. 6. Ex Clement. Alexand. eandem ad ſummum proponendam ut legem reſpectu Chriſti, C.8.n.4. L.3.c.16. n.11. Et quidem ut ſicut per Judæos humanationis, ſic per Philoſophos divinitatis Chriſti fides præſtitueretur, ex aliis Patribus, L.2.c.5. num. 3. C. 8. num. 2. Necnon Eccleſiæ inter Gentiles potiùs & latiùs propagandæ præluderent in multis, L. 3. c. 13. num. 6. 7. Etſi non pauca mendacia de ſuo penu inſperſerint, ibid. & L. 5. c. 7. nu.18. C. 13. n. 1. 2. &c.

Quid ergo deinceps ſæculares illi Philoſopi ſenſerint de notitia Dei & animæ innata vel agnata, L.1. Cc 1.2. 11. 20.25.26. Etſi plures Deus colerent, unum agnoſcebant, L.2.c.1.nu m.1. Et quidem argumentis merè Philoſophicis, num. 5. *& ſeqq.* Maximè Platonici, C.2. num. 1. *& ſeqq.* Imprimis Plato Trinitatem ipſam ſubodoratus, num.8. Necnon Plotinus, num.9. Et Proclus, num. 10. Aliique cum ipſis, Chriſtianitatis quidem tempore, ſed crudas Platonis ſententias trecentis ante Chriſtum annis prolatas propalantibus, nu.11. *& ſeqq.* C.3. nu.2. *& ſeqq.* Ex ipſis Patribus, ibid. & C. 4. Quid igitur per Deos & Numina tam frequenter illi intelligerent, C.10.n.8. L.3. c.1. nu. 12.

Majus dubium, an verè exiſtimaverint ſancti Patres conſubſtantialem Perſonarum divinarum unitatem à præfatis Philoſophis agnitam, L.2. c. 5. Imprimis per Socraticum Trium dogma à nonnullis quidem derelictum, à Pythagora tamen priùs, & deinceps à Platone propugnatum, num.4 Ita de Platonis ipſius Trinitate, Clemens Alex. C.5.num.6. Sed in Ariano ſenſu, ut cenſet Cyrillus, ſive ex ignoratione, ſive præ cicutæ *Socraticæ* metu, num. 7. Aliunde tamen *quæ conſubſtantialitati* apud ipſos patrocinentur, *alias* clementiùs interpretatur Cyrillus, ut illorum magis quàm ipſius inconſtantiam probes, nu. 8. Et hinc Tertulliano Plato viſus fuerat omnium Hæreticorum condimentarium factus, num.10. Illinc Theodoreto probatur Numenius Pythagoricus Platonem vocans Moyſen Atticum, n. 9. Placet hic Claudiano Mamerto ultra modum, num. 11. Tutiùs veriùſque Auguſtinus incerta demonſtrat Platonicorum placita de Trinitate, num. 12. 13. Eadem ferè ex ipſorum fontibus, C. 7. Quid inde nihilominùs pro noſtris dogmatis? C.8.n.1.2. Vel ex ipſa Patrum de his alternatione pro ratione temporum, C.9.n.8. *& ſeqq.* L.3. c.1.n. 1.4.6. Viderunt tandem ipſi Philoſophi ſui hujus divini ſyſtematis inconſtantiam & perplexitatem, nu.8. *& ſeqq.* Imprimis Philo Judæus Platoni aliàs addictiſſimus, in hoc Moyſi addictior, C. 2. num. 1. A fortiori alii jam Chriſtiani, Nn. *ſeqq.* Ipſeque Chryſoſtomus Platonicos alioquin acriter inſectatus, num. 9. Ut mirum ſit Marium Victorinum ad vetus ſyſtema inclinatiorem fuiſſe, n. 11. *& ſeqq.*

De Ideis quid Plato primùm, deinde quid varii Platonici ſenſerint, L.3.c.11. integro. Sive Plato, ſive alius quilibet author fuerit nominis idearum, res ipſa in omni Philoſophia antiquior eſt, ex Auguſt. C. 10. num. 12. Tertullianus quidem illos agit reos, quaſi Ideas extra mentem divinam locarent, C. 22. num.1. Sed Auguſtinus huc ſummam Philoſophiæ Platonicæ revocans, Claudianus Mamertus & Patres Græci eos purgant, Nn. *ſeqq.* Excepta tamen Verbi à Patre diſcrepantia, quam Plato, Philo & alii intellexerunt, num. 5. 10. 11. Unde verò vetus error, quaſi ideas Plato extra Deum abegerit? ibid. Ab Ariſtotele primùm, deinde à Gnoſticis, Valentinianis, ac tandem Arianis peſſimè auctus, num.1. 5. 6. 8. 10. Æquior in his etiam erga Platonem Cicero, num.12. Platoni demum Ariſtoteles ipſe per Boethium quodammodo conciliatus, C.16. n.7.

At ſen-

At sententia Platonis refertur, & refellitur, vel corrigitur, de rerum speciebus & ideis ex anteacta vita residuis, & per reminiscentiam renovatis, L. 1. c. 1. n. 1. 2. 3. c. 2. n. 2. 9. Cc. 20. c. 26. n. 1. L. 3. c. 13. n. 1. *& seqq.* Item reliqua Platonis fabula de creatione Cœlorum, Astrorum, Angelorum, Animarum, de peccato, mortalitate & immortalitate, num. 6. Poterat Plotinus ex suis de præsentia Idearum principiis ipsam reminiscentiam rejicere, num. 8. *& seqq.* Rejicitur ipse Jamblichus cum suo Pytaghora reminiscentiæ & harmoniæ cœlestis prætenso authore, n. 14. Denique alii Platonici cum Epicteto frequenter ad eandem reminiscentiam suum *memento* inculcare solito, n. 15. Ex Patribus, c. 14. n. 1. *& seqq.* Maximè in Origene reminiscentiæ restauratore, n. 4. *& seqq.* Sed ea expuncta, non sine admiratione retinentur quæ non solùm de Ideis, sed & de pulcro & pulcritudine Plato & Platonici senserunt, c. 19.

Plura de materialibus ab ipsis Platonicis seu Accademicis affectata dubia, quò faciliùs homines ad intelligibilia reducerent, contra Zenonem & alios Philosophos, nihil nisi corporeum imaginatos, L. 3. c. 7. n. 4. Et hinc Deum ipsum corporeum plerique Philosophi, licèt Ethnicorum Theologi, opinati sunt, si Platonicos & paucos alios demas, ex August. L. 4. c. 1. nu. 9. Philonem adde ex maculis seu vitiis corporum hanc maculam à Deo abstergentem, num. 10. *& seqq.* A fortiori cum iisdem Ammonium Academiæ columen, & Christianæ lumen Ecclesiæ, c. 6. num. 5. *& seqq.* De immensitate autem Dei, etiam à naturis creatis participata, quid illi senserint? L. 5. Cc. 1. 2. Aliqua tamen parum certa, vel parum tuta, vel propè silentio Patrum damnata, C. 5. n. 7. Puta ipsi Platoni affictum commentum de circumscriptione Dei in summo cœlo, n. 9. Mira similiter Platonicorum placita de immutabilitate Dei, c. 6. Ejusque à creaturis participatione, c. 7. Etsi quædam erroris non immunia sint, nu. 18. Ita & de æternitate, c. 11. Ubi pariter excipe Platonem ipsum, Pythagoram, & Aristotelem cum Hermogenianis Hæreticis, de materia Deo coæva errantes, cap. 13. nu. 1. 2. Plura illi de materia Deo comparata, & de malo ex materia orto, V. *in propriis titulis*.

De priori verò animarum inter sydera statu cum clara veri Dei visione prolixior ejusdem Platonis textus, unde reliqui Academiæ proceres sua placita hauserunt, L. 6. c. 1. n. 1. 2. *& seqq.* Quòd ille Philosophiæ parens, alicubi animas corporibus etiam tum illigarit, inconstantiæ ab ipso Plotino arguitur, honestiùs fortè & faciliùs à nobis conciliatur, n. 6. 7. 8. Magis peculiare ipsius Plotini commentum de animarum partiali descensu, ipsorumque puerorum & amentium ad intelligibilia attentione, etsi non sentiant, num. 9. 16. Saltem connaturalem veritatis æternæ contemplationem agnovit ipse præ cæteris, non tamen sine gratiæ beneficio, c. 2. Ad copiosiorem denique visionem, non omni quidem, sed corruptibili tantùm corpore exuendas censuerunt animas, ut confirmat Augustinus pro resurrectione, contra Porphyrium & paucos alios desertores, C. 3. n. 5. &c.

Plebs, Populi.

Fæcem ipsam Christianæ plebis assuefaciendam esse progressioni Philosophicæ à corporibus ad mentem, à mente ad Deum, docuerunt Patres, L. 1. c. 22. num. 11. 12. Imò quousque populi intellexisse se significarent, vel abstrusissimas ideas, L. 3. c. 17. n. 7. *& seqq.* Necnon summam regnantem ubique pulcritudinem, ex August. C. 20. nu. 7. *& seqq.* Item ex Ambrosio prorsus populari, n. 12. Rursus summam & elimatissimam Dei simplicitatem, contra innatam præsertim populorum animis idololatriam, ex utroque & Greg. Mag. L. 4. c. 1. nu. 1. 2. c. 3. n. 18. 19. Ex Cyrillo, C. 9. n. 1. Urgebant aliunde Patres populares etiam Gentilium voces pro ipsa unitate Dei, L. 2. c. 1. n. 2. 3. Eorundem Patrum doctrina de voluntatibus malis à Deo tantùm ordinatis etiam ad supplicium, populorum patientiæ, intelligentiæ, pietati longè accommodatior, quàm alia recentiorum Prædeterminantium, L. 7. c. 15. n. 14. 15. c. 22. n. 4. Cautè verò & circumspectè populis prædicanda prædestinatio, ex ipso August. L. 8. c. 11. n. 14. 15. Etsi doctrinam hanc plebeiam esse, ex Patrum utique traditione & consensu, & ex Ecclesiæ precibus concludat, L. 9. c. 14. nu. 5. 11. 13. 15. Quomodo tandem præscientiæ improprium licèt vocabulum ad aures populi accommodatum sit L. 10. c. 83.

Quatuor populorum, quibus Angeli præfecti erant, merita & causæ, non ipsi Angeli inter se pugnant, apud Danielem, L. 3. c. 8. n. 5.

Principes Apostolorum, Petrus & Paulus.

Cur diversimodè *Petrus & Paulus vocati*? ex August. L. 10. Cc. 9. 11. Quatenus repentina utriusque conversio? *passim* c. 89. Vir sapiens *Petrus* repellendo Christum à se, non rogabat ut desereretur, sed ne inflaretur, ex Ambrosio, c. 45. §. *Denique*. Discrimen Petri a Juda in lapsu, C. 20. §. *Theodoretus*. Ex trina Petri negatione, monitum Origenis ne quis in se confidat, L. 9. c. 8. n. 11. Et ex Christi oratione contra acerbitatem suæ mortis, ne confideret ipse Petrus, *ibid.* Cur & quomodo Petrus derelictus? ex Chrysost. C. 12. n. 9. 12. Pro perseverantiæ ipsius gratia propriè Christus rogaverat, ex Augustino, L. 10. c. 68. §§. 9. & 15. Item ex Prospero, c. 69. §. *Prosper*. Deinceps de Petro priùs Christi discipulo, major potuit esse diffidentia, quàm de Paulo priùs persecutore, L. 9. c. 12. n. 7. Nihil tandem Petro & Paulo sublimius, & tamen Neronianum gladium cruentarunt, quid inde? ex Hieronymo, L. 10. c. 10.

Quàm speciale jam, *unus Paulus* fuerit gratiæ monumemtum, ex Chrysost. L. 9. c. 12. n. 5. 6. 7. C. 13. n. 1. *& seqq.* Quo sensu tamen ipse dixerit se à Deo existimatum fidelem? n. 8. Quibus tandem variis machinis ad conversionem penè coactus fuerit? ex Scriptura & Aug. L. 10. Cc. 9. 73. Necnon ex ipso Cassiano, c. 17. *in fine*. Rursum ex Augustino, non prædeterminantem delectationem, sed vocem tonantem & terrens visum exaggerante, Cc. 35. 55. Et ex Greg. M. c. 62. Quot adhuc obices postea in se & in aliis Paulus deprenderit? c. 17. *circa medium*. At licèt vas electionis designatus, salutari metu semet continuit, c. 28. §. *Greg. Mag.* Et licèt raptus usque ad tertium cœlum, tentationum satanæ stimulo eguit, & manus hominis Aretæ Regis fugit, ex eodem Gregorio, c. 41. *circa medium*. Et partim ex August. c. 43. §. *Ita*. Ea quæ vidit, sive in corpore, sive extra corpus, non oblitus est, ut putabant de omnibus Platonici, L. 3. c. 14. n. 7. An tunc vidisset Deum sicuti est? L. 4. c. 11. n. 13. Paulò aliter ex Bern. & August. L. 6. c. 21. n. 12. Cur verò postea nihil sibi conscius, nondum se justificatum existimabat usque ad judicii diem? L. 10. c. 42. *circa medium*. Et de supradictis passim, Cc. 43. 44. 45. 49. 53. Interim ascendebat ad eum perfectionis gradum, ubi dicitur, *Quis nos separabit à charitate Christi*? C. 57. §. *Origenes*. Quomodo viveret in Paulo & sociis Christus & Spiritus sanctus? L. 5. c. 3. n. 5. 6. c. 5. n. 4. 8. Conciliatur cum seipso de conversatione nostra in cœlis, dum peregrinamur à Domino, nu. 5. Et cupiens ipse dissolvi, ut esset cum Christo, Dei fruitionem haud retardandam post resurrectionem significat, L. 6. c. 18. n. 3.

De amore ipsius Pauli ex insita veritatis alicujus, seu ipsius vitæ Apostolicæ idea per aliquod ejus factum vel dictum excitata, juxta Augustinum, L. 1. c. 5. n. 3. L. 3. c. 15. n. 6. Quid significet per visionem nec ænigmaticam & alia huc spectantia? L. 4. c. 6. n. 2. 8. C. 8. n. 11. 12. c. 9. n. 5. c. 11. n. 8. Familiares sunt imprimis Paulo voces, quæ ad prædestinationem pertinent, L. 8. c. 1. n. 4. 5. c. 6. nu. 1. *& seqq.* Illius doctrinæ meritò præco dicitur, c. 7. nu. 16. Nulla autem vel gravissima difficultas debet nos deterrere à perspicua Pauli doctrina per Augustinum & alios antiquos Patres propalata, c. 10. n. 2. 4. Cur à tempore Pauli quandoque alternatum sit in Apostolica ejus doctrina hactenus? L. 9. c. 7. n. 10. c. 12. n. 4. 11. c. 13. n. 3. Quatenus concessa à Paulo ipso unicuique, adeoque & Theologis sui sensus licentia? L. 10. c. 83. §. *H. c.*

Pueri, V. Infantes, &c.

Pulcra, Pulcritudo,

De gradibus pulcrorum & pulcritudinum usque ad summam, passim in hoc opere, præsertim ex Platone, L. 1. c. 25. n. 1. *& seqq.* L. 3. c. 19. Unde tanta animarum in pulcrum insania? L. 6. c. 1. n. 2. *& seqq.* Fortè ex innato summæ pulcritudinis olfactu & memoria, in pristino vel præsenti statu, L. 1. c. 25. n. 2. L. 3. c. 11. nu. 5. *& seqq.* c. 13. n. 4. 5. C. 19. nu. 4. 18. Siquidem summum exemplar, seu idea princeps menti præsidens ex proprio quolibet nomine pulcritudo ipsa est, n. 1. Et hinc quæcumque pulcra sunt, radio illius pulcra sunt, nu. 2. 13. 14. & Cc. 20. & 21. Nec alia propriè pulcra, quàm justa, sicut nec alia pulcritudo summa, quàm justitia & sapientia, c. 19. n. 3. Et ea faciliùs in animas ipsas defluens, c. 20. n. 7. *& seqq.* Ut liquet vel in effæto sene aut sauciato Martyre, &c. *ibid. præsertim* nu. 10. Et sanè pulcritudo omnis in æquitate aut æqualitate, vel alterutrius affectatione consistit, L. 1. c. 25. n. 3. L. 4. c. 12. nu. 4. L. 5. c. 8. n. 6. v. 4. &c.

In superiori ergo gradatione cavendum maximè & celerrimè avolandum à corporea pulcritudine, L. 3. c. 19. nu. 5. *& seqq.* C. 20. n. 7. 12. 13. C. 21. n. 8. Et quidem ad virtutes ipsas exemplares & divinas, ex Platone, C. 19. n. 7. Hocque tripliciter & Plotino, nempe à sensibili harmonia ad pulchritudinem concentus virtutum, num. 9. Deinde ad pulchritudinem studiorum & artium, nu. 10. Ac tandem per Mathematicas & Dialecticas disciplinas ad cubilia primæ veritatis summæque pulcritudinis, num. 11. Cujus parens summum bonum, n. 15. 19. L. 5. c. 6. n. 5. C. 18. n. 5. 6. Quò tandem reversæ animæ tunc sicut & ipsæ pulcherrimæ, L. 3. c. 19. n. 16. Quippe sola Dei contemplatio ipsam ejus pulcritudinem animabus appingit, C. 20. num. 13. Ut inde in os & vultum ipsum exundet, ibid. Imò in omnia corpora, sive naturalia, sive artefacta. Cap. 21. Fortè quòd pulcritudo sit victoria quædam formæ in materiam, boni aurora, flos ac forma formarum, L. 5. c. 6. num. 5. 7. C. 8. num. 6. L. 6. c. 5. num. 1. Vide etiam *Amor, Bonum, &c.*

Q

Quæstiones, quale, quid, & quod est?

Pleræque, præsertim de Deo, solvuntur per verbum *nescio*, vel omnia negando, exemplo Epiphanii contra Arianos, L. 4. c. 7. n. 6. Et ad summum per *quod est*, non *quid* aut *quale*, ferè toto L. 4. præsertim Cc. 11. 12. Nu. 10. 11. Vide *in Deo*. Item exemplo Augustini modestiùs præferentis solutiones hujusmodi quæstionum, quàm alias per fictiones perterrefacientes, L. 5. c. 14. num. 6. A consensione Patrum eximuntur quæstiunculæ ad fidem nihil attinentes, quænam illæ sint, L. 9. c. 2. nu. 6. C. 4. nu. 5. C. 18. nu. 5. Et quænam maximi vel minimi momenti, C. 6. n. 10.

Qualitas. Quantitas.

Qualitatis nomine omne id intelligitur, quo substantia qualis denominatur, adeoque ipsæ privationes, L. 7. c. 7. num. 13. Et ideo non stupendum, si Anselmi ætate res & qualitates donatæ sint etiam nomine essentiæ, C. 8. num. 8.

Quantitatis natura, sicut & corporis, est posse crescere & decrescere, L. 4. c. 1. num. 14. C. 2. num. 1. Et in apostasia quadam ab ente & uno, juxta Philosophos, ibid. Hoc est in multiplicitate & divisibilitate partium, ibid. & n. 2. Hinc extendi in locum latum & profundum, quæ sunt dimensiones quantitatis, proprium est naturæ corporeæ, L. 5. c. 4. n. 7.

R

Rationes seu regula. Regna, Respublica.

Recta nostra *ratio regulam* rectè faciendorum, non aliter quàm in æternis veritatis *rationibus*, quibus connexa est, videt, L. 2. c. 11. n. 14. An sit *Regnum Dei* intra nos, L. 1. c. 17. n. 6. Regiusque omnis noster apparatus ex imagine Dei. L. 3. c. 20. n. 15. Sic autem Regna, Respublicæ & Civitates efformari debent ad sempiternas & exemplares justitiæ regulas, instar mundi, C. 11. nu. 7. 8. C. 19. nu. 4. 6. L. 6. c. 1. num. 14. Quomodo redduntur invictæ? L. 3. c. 22. n. 1.

Cur Deus Regem Judæis præfici improbaverat, quem mox ipse sinens fieri, designat? L. 7. c. 9. nu. 10. Illius & similium occasione universim pronuntiat Augustinus prorsus divina providentia *Regna constitui humana*, hoc est speciali, C. 20. nu. 7. L. 10. c. 21. §. *Etsi*. & Cc. 64. 65. Necnon ex Theodor. C. 20. circa fin. Et hinc non minùs præpotenter à Deo perfici quæ ad *Regnum cœleste* adipiscendum pertinent, L. 8. c. 5. n. 2. 3. L. 10. c. 64. §. *Habent*. In hoc autem summæ charitatis regno nulla vel ex sedium inæqualitate formidanda inæqualitas vel invidia vel rixa, L. 6. c. 15. n. 5. *& seqq.*

Ratramnus, Romualdus, Ruardus, Ruffinus, Rupertus.

Ruffinus Presbyter Aquileiensis horum antiquissimus, in expositione, si ejus est, Symboli Apostolici, non ineleganter distinguit inter unum egestate, & unum universitate, quod Deo tribuit, L. 2. c. 4. n. 15. Sed inter ejus aut alterius additamenta ad libros Origenis, computatur doctrina, gratiæ necessitati & efficaciæ infesta, L. 9. c. 8. num. 10. Non ita in vitis Patrum, C. 15. num. 6. L. 10. c. 50. §. *Et*.

Ratramnus Monachus Corbeiensis libros de prædestinatione ad gustum Augustini & aliorum Patrum temperavit, cum aliis Gallis noni sæculi, L. 7. c. 3. n. 7. C. 6. n. 5. C. 13. nu. 5. L. 8. c. 8. num. 15. Jam olim Patrum consensionis necessitatem in Spiritus sancti processione demonstraverat, L. 9. c. 6. n. 2. 3.

Romualdus Camaldulensium primus Abbas, nonnisi morbo & stomachi nausea à proposito martyrii potuit revocari, quid inde? ex Petro Damiani, L. 10. c. 16. ferè toto.

Rupertus Tuitiensis Abbas, prolixo satis libello *de Omnipotentia Dei*, propulsat recentiores sui ævi Scriptores, qui sibi aliisque simplicibus detrahebant, quòd non comprehenderet tanquam ab Augustino Deum esse authorem mali, L. 7. c. 13. nu. 7. Opusculo autem edito in Regulam S. Benedicti, suam addit hac de re disputationem in Francia, ibid.

Ruardus Tapperus Academiæ Lovaniensis Decanus imposturam Calvini contra Catholicos, quasi Adæ & Christi gratiam non discreverint, strenuè nudat & exufflat, unde liquet quæ dogmata celeberrimæ Accademiæ luminibus probarentur, L. 10. c. 69. §. ult.

Religio. Reminiscentia. Resurrectio.

Ut *Religio* donum Dei sit, non virium naturæ & ingenii, ex Justino Martyre, L. 9. c. 7. n. 5. Ideo nec vinci, nec prohiberi potest, ex Clem. Alex. C. 8. n. 4. in fine. Attamen minis, legibus, ac pœnis induci legitimè potest, ex Augustino contra varios Hæreticos, L. 10. C. 9. 17. 18. Tota tandem, cum vera Philosophia, eò tendit, ut amor noster purgetur, L. 3. c. 22. n. 1. 16.

Reminiscentiam animarum, non tamen omnium, ex priori earum statu, in agnata Dei visione Philosophi seculares eruebant, L. 1. c. 1. nu. 1. *& seqq.* L. 3. c. 13. Et quidem authore ipso Pythagora, ex Jamblico, n. 14. Necnon Epicteto per suum perpetuum *Memento* propagatore, num. 15. Sancti Patres retinent quidem, sed ex earum dumtaxat coexistentia in primo parente, L. 8. c. 2. n. 9. L. 3. c. 13. n. 5. C. 14. integro. Sic Boethius crudum de reminiscentia commentum amplecti credendus est, L. 1. c. 3. n. 1. Imò authoritate sacri Vatis Cassiodorus & Ælredus, n. 2. & L. 3. c. 5. n. 11. Paulò aliter, C. 14. num. 5. 6. Item ex nostra Dei oblivione, Greg. Mag. L. 1. c. 2. n. 3. At aliunde oblivionem & reminiscentiam Dei, utpotè semper præsentis, retractat Augustinus, L. 1. c. 8. nu. 5. Non ita memoriam sui ipsius, C. 12. num. 3. Corpus autem non est oblivionis medicamentum, ex Irenæo contra Platonicos, L. 3. c. 14. n. 7. Quod enim mens semel verè intellexit, id nulla unquam oblivione deletur, ex Dion. & Maximo, C. 18. nu. 14. Corollaria supradictæ doctrinæ, L. 1. c. 20. *Plura V. in Anima, Ideis, Philosophis, &c.*

Usque ad *Resurrectionem*, animam adhuc esse præsentem omnibus corporis cineribus & minutiis existimat Nyssenus, L. 5. c. 5. n. 7. Quomodo interim creatura omnis ingemiscat & parturiat? ex Paulo & Patribus, C. 10. nu. 9. 19. Et hinc ex anima in corpus exundare possit incorruptibilitas? n. 7. Pluribus exagitat Augustinus quosdam Platonicæ Scholæ desertores potiùs quàm defensores, qui Christianam de corporum resurrectione doctrinam insectabantur, L. 6. c. 3. nu. 5. *& seqq.* Item convellit eos qui Christo primùm, inde Sanctis, imò & impiis post resurrectionem donaverant, ut Deum corporeo oculo intuerentur, C. 14. nu. 9. 10. Tolerabilius ei visum est corporeum oculum in spiritalem per resurrectionem converti, licèt non probaverit, nu. 1.. 12. Perniciosiùs errabat Origenes, omnes per resurrectionem in unum quasi Solem conflans & exæquans, C. 15. n. 1. An ante vel post resurrectionem sensibilia videantur corporis instrumenta, libentiùs ignorandum cum Augustino, C. 18. n. 1. Aliunde post resprrectionem Deum nequidem à Beatis videndum, sed mille adhuc annis in terris regnandum cum Christo, ad tyrocinium, censuerunt *Chiliastæ* seu *Millenarii* cum nonnullis Patribus, n. 2. Plures tamen Patres etiam ante resurrectionem Deum videri consenserunt, tanquam novi Testamenti privilegium, ex Scripturis, num. 3. 4. 5. Nunc verò in fidei dogma receptum est, num. 6. Non pugnant tamen variæ conciliationes Patrum ex variis gradibus ante & post resurrectionem, n. 7. 8. 9. V. etiam *Dei visio, &c.*

Reprobatio. V. *Dei prædestinatio, Electi, &c*
Romanus Pontifex, V. *Apostolica Sedes.*

S

Sacerdotium, Sacramenta, Scripturæ sacræ, Sermones, Symbola.

QUid significent varii *sacerdotii gradus* tam in veteri quàm in novo Testamento, L.6.c.15.n.3. Cur apud Ezechielem Sacerdotes qui peccaverant, regradantur in Æditu0s & Ostiarios, ex Hier. ibid.

Cur Deus in *Sacramentis* & *Scripturis* per figuras & *Symbola* voluerit occultari, L.1. c.24. nu.10. Imò sub *symbolis* & *sermonibus* prorsus Deo indignis, ut removerentur etiam in speciem digna, quæ & merè symbola sunt, L.4.c.11. n.1. *& seqq.* L.5. c.9. n.6.7. Nonnisi postquam fons beatæ visionis per peccatum exaruit, opus fuit nubibus Scripturarum allegoriis & sacramentis addensatarum, L.6. c.9. n.1. *& seqq.* Triplex in summa causa sacramentorum, ex Hugone Victorino, nu. 4. Item cur tanta signorum & sacramentorum serie præstruenda fuerit Christo via fidesque, L.10. c.4. §. *Leo Mag.* Duplicis autem generis sunt symbola, alia spiritalia, alia corporea, quæ sunt veritatis ipsius signacula, ex Bern. &c. L.3.c.8. nu.10. *& seqq.* Nec ea dicuntur tantùm ex interposita specie creata, sed etiam ex longinquitate caliginem inducente, L.6.c.21. n. 13. §. *Rursus*. V. etiam *Dei Attributa*.

Quatenus semper ad res sacras, maximè Scripturas, consulenda sit veritas sempiterna, L.3.c.6.nu.10. 11.13. Hinc conciliari faciliùs poterunt varii sensus Scripturæ, n.11. Imò veritatem præstat doceri rebus ipsis, quàm sermonibus Scripturæ, C.9. n. §. *Denique*. Cur Scripturæ *sermonem Dei* nunc *unum* dicant, nunc *multiplicem*? num. 3. §. *Hugo*. Scripturæ verba sunt *alta humiliter*, *& humilia copiosè*, ex August. L.5.c.10. num.19. Hinc fluxit tota Philosophorum & Ecclesiæ Patrum altitudo & ubertas, ibid.

Ex modo explicandi loca quædam Scripturæ, apud Patres, licet similiter similia interpretari, L.7.c.23.nu. 2.5.11.12. 13. Regulæ quædam hujus interpretationis Scripturarum, ad modum locutionis humanæ, ibid. Sanctis Patribus persuasissimum fuit Scripturas ex priscorum Patrum consensu interpretandas, cùm ne Christus quidem, nec Spiritus sanctus de suo quidquam locuti sint, L. 9. c. 2. num.9. C.4. num.1.2.11. Quin & Scripturas cum Patribus eadem interpretandi indulgentia vult tractari Augustinus, C.18. n.3. Scripturæ tandem omnes utriusque Testamenti de cura & artibus Dei pro hominum salute fidem faciunt, L.10.Cc.2.8.9.

Salus. Sancti. Sanctitas.

Præter mox dicta, de voluntate Dei, necnon de oratione & morte Christi pro salute omnium, ex Prospero, L. 8. c. 11.n.8.C.12.n.9. Ex Cyrillo, L.9.c. 11. n.8. Tutior autem est Sanctorum seu Electorum salus ex invictissima Dei voluntate, & ex immutabilitate Verbi incarnati, L.8.c.11.n.11. L.9.c.7.n.8. C.11. ferè toto. Nequidem de propria salute cuiquam gaudendum, nisi quia donum est Dei, ex Chrysost. C.12. nu.2. Sanctitas & sanctitatis perseverantia proprius est Electorum census, L. 10. Cc. 67. 68.69. Sanctis Dei charitate ac longo virtutum usu roboratis non ita difficile actus aliquos actitare, perseverare semper difficillimum, C.67.num. ult. Quomodo tandem tota salus Deo seu gratiæ ascribatur? præsertim ex Bernard.C.81. §. *Totum*. De variis mediis ad salutem, Vide *Dei prædestinatio*, *Electi*, *Gratia*, *&c.* De Sanctis, V. *Beati*, *&c.*

Sanitas. Sapientia. Stultitia.

Sapientiæ nomine simul veritas & mens continetur, L. 3. c.5.n.1. Unde malumus *sana mente* cruciari, quàm insanire inter delicias? num. 7. An amentes, non obstante stultitia, intelligibilibus vacent, etsi non sentiant, ex Plotino, L.6. c.1. n.16.

Duplex distinguenda est sapientia, superna & creata immanè inter se distantes, L.4.c.10.n.11.13. C.11.n.8. *& seqq.* L.7.c.1. nu.3. 4. 5. Sapientiæ à prudentia, sicut mentis à ratione distinctio, L.4.c.18. nu. 13. *Sanitas* quæ incorruptionis genus est, ab anima in corpus derivatur, L.5.c.7. num.7.

Sara. Saul. Semei.

Sara uxor Abrahæ, cur risisse se negaverit, & Deus affirmaverit, ex Philone, L.6. c. 14. num. 3. Cur etiam & quo sensu dictum sit Saræ desiisse fieri muliebria, ut pareret risum seu lætitiam, ex Ambr. L.10.c.39.

Saulis Regis maximè exemplo liquet nonnulla malo à Deo permitti & ordinari, quæ ipse prohibuerat, ex Greg. Magno, L.7.c.9. n.10. Imo speciali prorsus divina providentia, regna constitui humana, ex August. C.20.n.7. A fortiori cœleste, L.8.c.5.n.2.3.

Exemplo tandem *Semei* pro Saule contra Davidem successorem insurgentis, quomodo voluntas & lingua jam malæ in aliquod aliud malum inclinentur, L.7.c.20.num.2. L.10.c.64. §. *Et*.

Schola, Scientia, Studia.

De primis *Scientiarum* principiis, *jam suprà*. Item quomodo *scientia* non sit reminiscentia ex priori vita. V. *Reminiscentia*. Aliud etiam est scire, aliud cogitare vel opinari, L.1.c.13.n.1. *& seqq.* L.3.c.7. n.4. *& seqq.* L.6.c.2. num. 4. Quid igitur & quantus sit appetitus ipse sciendi, L.3. c.5. n.2. *& seqq.* præsertim 20. Eo utendum, ut animus citissimè à pulcritudine corporea ad studia & scientias transferatur, C.9.n.4.10.11. L.6.c.1.n.11. *& seqq.* Discrimen scientiæ visionis à scientia simplicis intelligentiæ, L.7. c. 18. num. 9. 10. Et aliarum scientiarum à Theologia, L.1. c.3. num.1. De Scholis etiam V. *Theologia*, *&c.*

Scotus uterque.

Primus *Erigena*, non malè philosophabatur olim, ob indigentiam, transferens verba temporis ad æternitatem, L.5. c.13. num. 7. At audaciùs censoriam virgam arripuerat in Scripturas Patresque omnes, quibus familiaris est ipsa vox præscientiæ de Deo, etsi translatè, ex Prudentio Tricass. L. 7. c. 18. L. 10. c. 84. §. *Vidit*, *& seqq.*

Alter *Doctor subtilis* dictus, non hostiliter quidem, sed minùs forsan reverenter divinam simplicitatem tractat, L.4. c.1. nu.8. Abstergitur à Deo ejus distinctio formalis, C.4. n.6. *& seqq.* Luculentiùs ipse Magistrum, ipsumque sanctum Thomam sequitur quoad processionem Spiritus sancti contra Græcos, L.9.c.6.nu.6. Non ita, cùm voluntatis divinæ omnipotentiam decretis & auxiliis concomitantibus cum suis expedit, mollitiei ab aliis carptus, L. 10. C.82. §. *Et*.

Sensibilia, Sensus. Spirituales, Spiritus. Servus, Servitus.

Discrimina inter ea quæ noscuntur per sensus vel per spiritum, L.1.c.12.nu.5.6. Cc.13.14.15.16. Hinc triplex visorum genus, corporeum per *sensus externos*, *spirituale* per *internos*, intelligibile per mentem nudam, ex Aug. C. 14. n.8.9.C.15.n.1.L.6.c.10.n.5. *& seqq.* C.13.n.2.5.6. Sensibilia minùs sunt, ideo & minùs vera, L.1.c.15.n.4. Minùs etiam præsentia sensui, quàm intelligibilia intellectui, n.5.6.L.3.c.1.n.13.14. C.4.n.9. *& seqq.* C 6.nu.3.4.C.17. n.1. *& seqq.* L.6. c.13. nu.1. *& seqq.* Sensus passio vel nulla erit, vel in externo tantùm sensorio corporis, perceptio verò actio est animæ, L.5.c.7. n.8. Nec tamen sensus corporei scientiæ aut intelligentiæ, sed opinioni tantùm deserviunt, L.6.c.4.n.7. Multò minùs visioni aut possessioni Dei, n.6. & C.14. n. 9. *& seqq.*

Quomodo tamen aliunde *sensibilia* animam ad Deum reducant, L.1.c.17.n.4.C.22.integro. L.3.c.3. nu.10. Verbi ipsa humanitate & dispensatione fit, ut & esse & bona esse dicantur sensibilia, C.4.n.9. Quatenus per sensibilem Mysteriorum suorum præsentiam nos à sensibilibus revocavit, L.10. C.5.6.7. Nihil exinde voluptati, nihil nisi necessitati indulgentiam, in sensuum quiete procuranda, vel molestia propulsanda, C.51. §. *Idem*.

Quatuor jam *spiritus* distinguuntur à Bernardo, belluinus, humanus, angelicus, divinus, tres priores sensibili corporum ministerio astrictos credidit, L.4.c.3.nu.14. At distinguuntur *spirituales* à carnalibus ex ipsa spiritualium cognitione, L.3.c.4. nu.9. Item ex amore, L. 10.Cc.5.6. 7. 10. Huc spectat etiam distinctio in servos, mercenarios, & liberos, in fine C.7. Carnales & servos maximè facit timor pœnarum temporalium seu sensibilium, C. 22. V. etiam *Timor servilis*. Et de Spiritu sancto, Vide *Trinitas*.

Sepulchra. Silentia. Somnia.

Cur corpus ipsum vocetur σῶμα quasi σῆμα, hoc est *sepulchrum*? juxta Philosophos, L.3.c.13.num.3. Unde ultra mortem cura de *sepulchris* & similibus? juxta Tullium, L.1.c.9. n.4.

Abusus utriusque appellationis Platonicæ βυθὸς & σιγὴ *profundi* & *silentii* per priores Hæreticos, ex Nazian. L.2. C.11.

c.11. num. 4. Quid silentium horæ dimidiæ in Apocalypsi? ex Gregor. Magn. L.6. c.11. num. 9. C.12. num. 15. in fine.
Homines sensibus addicti, quæ sola mente vident, solent *somnia* reputare, alii è converso, ut Augustinus post Platonicos, L.3.c.7.n.3.*& seqq.* C.19.num.8. Post Prophetas ipsos, Cyrillus Alex. C.9. nu.11. Pollutiones saltem involuntariæ in *somnis* ad quid utiles? ex Climaco, L. 10. c.46. circa fin.

Socrates Philosophus.

Non Magistri, sed obstetricis munere fungi se aiebat, nihil se scire, nihil docere, sed adjutare, &c. L.3. c.13. n.2. Cur solum amatoriæ scientiæ nomen artemque sibi vendicabat? C.22. nu.6. Et cur tam diligenter pulcra corpora inspiceret? L.6.c.1.n.4. Juxta sinceriores ejus instituti interpretes, tota Philosophia eò pertinet, ut amores per Ethnicam purget, C.10. num.11. L.3.c.22. nu.1. 16. V. etiam *Philosophia*.

Sol. Stellæ, Sydera.

Ea omnia non sunt corpora incorrupta, angelica vegetatione formata, L.1.c.6.n.7. L.3.c.23.n.6. Sed Solis lumine omnia corpora informanda, C.5.n.13. Solis intelligibilis Sol corporeus imago & simulacrum est, ibid.& n.16. C.6.n.1.13. C.11.n.13. C.19.n.13. C.20.n.3.6. L.4.c.2. n.8.12. C.11.nu. 12. Quoad ipsam immensitatem, L.5.c.3.nu.1. Necnon & immutabilitatem, C.6.n.10. C.7. nu.3. Et sic de cæteris, L.6.c.1.n.14 C.2.n.1.10. C.5.n.13. C.8.n.1. *& seqq.* C.10. n.5.10. 11. L.9. Unde tam crebræ circulationes syderum? L.5.c.2. num.7. Eorum motus signa sunt temporum, non tempora, C.14.n.21. C.15.n.3.
Ex priori statu animarum syderibus affixarum, eorum deinceps ingenium moresque retinuisse censebant Philosophi, L.6.c.1.n.2 6.8. C.3.n.4. *& seqq.* Perniciosius adhuc erravit Origenes, omnes tandem licèt diversos ut stellas à stellis, post resurrectionem in unum velut Solem conflandos, quasi ex ipsa Scriptura, C.15.n.1. Rectiùs opponitur alia claritas Solis, alia claritas stellarum, &c. ex Paulo, n.2.

Sophronius Hierosol. Synesius Cyrenes Episcopi.

Hic tempore prior perfudit etiam odore aliquo antiquioris Philosophiæ lucubrationes suas, maximè hymnos, L.2. c.4 n.9. L.3. c.18. n.11.
Sophronius verò in prologo vitæ Mariæ Ægyptiacæ, cujus author dicitur, gratiæ Dei, ut decet. tribuit sanctitatis miracula, L.9.c.15.n.5.

Spatia. Species. Spectacula. Spes. Suasiones.

Spatia imaginaria nec sunt, nec habitari à Deo possunt, L. 5. c. 14.n.17.18. V. *Dei immensitas*.
Quælibet *species*, sive intelligibilis, sive intentionalis, longè speciosiori modo erumpit, quàm reliqui effectus, L.6. c.13.nu.11. Intelligibilium non est alia species, quàm res ipsæ, aliorum propriè distincta est species, toto illo C.13. Nonnisi raptim nunc visio conceditur, sine specie, ut certissima *spes* futuræ magis accendatur, L.6.c.12. nu.9. 10. V. etiam *Fides*.
Quantum valeant ipsa *spectacula* semel visa ad permovendam voluntatem, ex August. L. 10. c.55. §.ult. Sic in visorum *suasionibus* vim gratiæ vel maximam ipse constituit, toto illo C. 55. Alia suasionis divinæ discrimina ab humanis. C.59. Alia denique suasionum exempla, C.*seqq.* usque ad 67. §.1.

Superbia. Superlationes.

Superbia habet imprimis appetitum quendam unitatis & omnipotentiæ, sed in rerum temporalium principatu, L.2. c. 12. num. 13. 14. Hinc nonnisi raptim veritas ipsa nunc conceditur, ut non superbire discat mens, quæ olim ex ejus fruitione superbiit, & superbiendo excidit, L.6.c.12.num.19. Sic autem per superbiam lapsus homo, per humilitatem curandus fuit, L.8.c.4. num. 7.9. L. 10. c.19. At quàm altè inflictum superbiæ vulnus per peccata, C. 41. §. *Et idem*. Vel hinc disce, quod superbia etiam in benefactis plus timenda sit, Cc.43.44. 45. Ejus tandem consanguinitas cum negligentia, C.50. V. etiam *Humilitas*.
Superlationum de Deo initium, non apud Dionysium modò pro Græcis, sed etiam apud Marium Victorinum pro Latinis, L.2.c.6.num.5. L.4.c.7. num.13. *& seqq.* C. 10. num. 9. 10. *& seqq.* C. 11. num. 4. *& passim seqq.* V. *Negationes*.

Synagoga. V. *Judæi &c. Synodi.* V. *Concilia*.

T

Tabernacula. Templa. Tempora. Temporalia.

De syllaba EI Templo Delphico inscripta, quasi jam inde à *Templi* foribus Deus, velut ipsum esse, salutaretur, L.2.c.3.num.4. L.3. c.1.num.12. Quid autem per exemplar *Tabernaculi* in monte præmonstratum? C. 12. n.5. Etsi Deus in Tabernaculo fœderis consuleretur, ut jusserat, malebat tamen in sacrario cordis, C. 6. Quomodo tamen templa sibi consecrata specialiùs inhabitet? L.5.c.4.n.14.v.4.
Non aliter Deus præcedere tempora intelligendus est, quàm æternitate, non tempore, L.5.c.13.nu.3. *& seqq.* Nec enim ulla fingenda sunt tempora ante mundum, C. 4.nu.18. C.14. nu. 6. 7. Quænam moveantur per tempora non per loca? C.5.num.2. L.7.c.2.nu.5.6. Tempora semper fieri, nunquam verè esse, eleganter exponunt Plato & Plutarchus, L.3.c.1. num.13.14. Elegantiùs sancti Patres, nec momento esse posse, nisi præiret æternum, C. 3. num.7. 10. 11. C. 4. num. 9. *& seqq.* Summa rationum, num.13. 14.
Quid tandem tempus, sicut quid sit æternitas, sentiunt vel imperiti ex naturæ magisterio, eloqui vix periti possunt, ut fatentur ipsi Philosophi, L.4.c.11. n.1. Expressiùs Augustinus & alii Patres, C.14. nu.1. *& seqq.* Syderum autem motus signa sunt temporum tantùm, non tempora, nu. 21. Quin natales temporis vel à summo bono, vel ex animarum defluxu à summi boni contemplatione ad amorem & gubernationem rerum temporalium derivant, nu. 9. 12. Et exinde totam temporis genealogiam, nullumque unquam finem futurum putant, quia nec animæ totius recollectionem in summum bonum, num.7.11. At æternorum quandoque gustum Deus instillat, ut temporalia mens fastidiat, L.6.c.12. num.11. Ne tamen in his desperet, num.12. Sed ex æternorum imitatione, temporalia regat, C.4.nu.4. C.10. n. 3. *& seqq.* V. etiam *Æternitas, &c.*

Tarasius. Tertullianus. Theodoretus. Teophilus.

Tertullianus horum antiquissimus, subtilitate penè scholastica, ex ipsa Genesi Deum priusquam Dominum derivat, L.5.c.9. nu.4. Et materiam Deo coævam contra Hermogenem exsufflat, C.13.n.1. Necnon malum peccati Deo ipsi à Marcione impactum, L.7. c.6. nu.6. Solidissimè autem paucis, ut solet, penè omnia gratiæ Dei fundamenta jacit, L.9. c.26. num.3. Ita ut ex eo Cyprianus & ex Cypriano Augustinus eadem laudans superstruxerit, C.19. num.1. Molliùs aliàs Tertullianum interpretatur de Deo corporeo, ex duplici conjectura, Lib. 4. c. 1. nu. 2. 5.
At plura aliis Patribus *de testimonio Animæ naturaliter Christianæ*, *Tertullianus* ipse edisserit, L.1.c.4. n 4.5.6. C.7. num.6. L.2.c.1. nu.1.2. 5.7. Hinc pro immortalitate ejusdem animæ multa præsumpsit, L.1. c.11. num.4. *& seqq.* Nec casu, sed ex ipsius animæ opulentia Philosophos multa vera docuisse censet, C.24. num.1. Platonem tamen, ut omnium Hæreticorum Patronum notat, L. 2. c.5. nu. 10. Maximè Gnosticorum & Valentinianorum, minùs ipse in pluribus præjudiciis audiendus, L.3.c.12. num. 1. 2.
Theophili Alexandrini Episcopi judicium de Origenistis, quos cum sua Synodo damnat, à Romana & quinta Oecumenica ipse probandus, L.4.c.14.n.10.11. Mox de Antropomorphitis Monachis, à quibus sine jure damnatur, L.4. c. 1. nu.4.
Theodoreti Cyrensis Episcopi de Platonicis peculiare etiam judicium, L. 2. c. 5. nu. 4. Et alia de ipsis ideis in speciem pugnantia, L.3.c.12. num.8. Necnon de divinis auxiliis, L.9.c.14.n.6.7.8.
Tarasii denique *Constantinopolitani* de authoritate Patrum, quam ad disciplinam usque jure extendit & urget, L. 9. c.5.n.12. C.6.nu.9.10.

Tentationes. Timor multiplex.

Ipsæ *tentationes*, imò & lapsus, quibus utiles? L. 8. c. 5. nu.7. L.10.c.14. §. *Et idem*. C.19. §. *Eidem*. Et quidem ex peculiari Spiritus sancti contra tentationes præsidio. L.9. c.14. nu.2.3. Necnon per ipsum *timorem* iis vincendis idoneum, usque ad martyrii gloriam, L.10.c.28. § *Ambrosius, & seqq.*

& seqq. At sicut saluberrimè ipsæ immittuntur, sic temperantur variis de causis, ex Greg. Mag. C. 40. Et ex Augustino aliisque passim Patribus, Cc. *seqq.* præsertim 47. 48. 72. Nulla verò major tentatio timenda, quàm tentationis omnis cessatio, C. 47 §. *Rursus*.

Timor maximè *servilis* pœnarum etiam temporalium plus valet ad carnalium animos permovendos, quàm amor ipse justitiæ, L. 10. c. 22. An is timor causa vel occasio sit tantùm charitatis inducendæ? §. *Nec*. At timor pœnarum æternarum longè efficacior est, ex August. C. 23. Is non manum tantùm, sed & consensum absterret à peccato, ex multis ipsius argumentis, §. *Quod*, *& seqq.* At actualia & libera peccandi desideria omnes has timoris laudes labefactant, ibid. circa fin. Nec unquam bonus est quisquam timore pœnæ, sed amore justitiæ, ex eodem, C. 22. §. *Idem*. Hinc quidquid præcurrit justificationi, timori tribuitur, C. 25. §. *Bernardus*.

Nec tamen *timor* solùm ad initium seu conversionem, sed etiam ad bona opera, ipsamque perseverantiam utilis, L. 10. c. 24. 26. 29. Imò in ipsis Martyribus sive in bello sive in pace Ecclesiæ, ex Christo & August. C. 27. Ex aliis Patribus, C. 28. Adde & in ipso Adamo per minas territo, ex August. & Scriptura ipsa, C. 33. §. *Nec*. At augescente charitate, *timor gehennæ* minuitur, C. 24. n. 1. Quandonam verò perfecta charitas foras omnino mittit timorem? ex August. ibid. *& seqq.* §§. V. etiam *Justificatio*.

Quo sensu Deus solus sine amore timeri nequit? ex eodem, L. 10. c. 24. §. *Quod* Et hoc nobis præstet *Dei timor*, ut alios omnes contemnamus timores, C. 25. §. *Hieronymus & seqq.* Scilicet amor & timor Dei, consociatis viribus, amorem & *timorem sæculi* superant, ex Aug. & aliis Patribus, C. 29. Et ubi ambo amores cum suis delectationibus exæquantur, alterutri suus timor conciliat victoriam, ex August. C. 30. Huic autem timori falsum est inesse delectationem quandam, saltem dominantem, C. 36. Licèt quod metu fit, invitè seu illibenter fit, satis tamen liberè ad peccandum, ibid. & C. 59.

Teresia virgo. Tamar meretrix.

Ipsum crimen *Thamar* nurus Judæ cum ipso socero ad mysterium revocatur, ab August. & Primasio, L. 2. c. 11. num. 13.

Ea erat *Teresiæ* indoles, & animi magnitudo, ut post sua errata magis cruciaretur cœlestium deliciarum copia, quàm vi ægritudinum, L. 10. c. 11. initio. C. 12. nu. 1. C. 13. §. 2. Alia ejus verba summis Theologis digna, propriis etiam experimentis comprobata de asperitatibus divinis, ipsisque infernalibus pœnis animo obversantibus, C. 37. §. *Iuvat*, *& seqq.* Ac tandem de supernis deliciis ad nauseam terrenarum ex divino coruscamine sibi relictis, C. 17. §. *Iuvabit*, *& seqq.*

Testamenta. Traditiones.

Cur tanta ultra mortem cura de *Testamentis*? juxta Tullium, L. 1. c. 9. num. 4. Contra Hæreticos *vetus Testamentum* opponentes *novo*, L. 2. c. 11. n. 4. C. 12. n. 6. Utrumque de cura & arte Dei pro salute hominum fidem fecit, L. 10. c. 8. §. 1. Utriusque etiam vices subiit homo quilibet, C. 10. §. *Porro*, *&c.* Brevissima & apertissima differentia duorum Testamentorum, timor, & amor, ex August. C. 22. V. etiam *Scriptura*.

Post Scripturas utriusque Testamenti, regula fidei est universitas, antiquitas, consensio Patrum, seu *Traditio*, ex Vincentio Lirin. L. 9. c. 2. num. 1. 2. Scilicet Magistri Ecclesiæ nihil novant, nec sua tradunt posteris, sed accepta à majoribus, denique depositum custodiunt quod acceperunt, non quod excogitarunt, ex eodem, nu. 3. *& seqq.* Necnon ex Tertull. & Aug. C. 4. V. etiam *Fides*, *Patres*, *&c.*

Theologi, Theologia.

E dignitate Theologiæ est, ut reliquarum scientiarum objectum sciri queat, hujus nesciri nequeat, L. 1. c. 3. n. 1. Quin & primam Theologicę quæstionis diffinitionem magistra natura, seu summus dictator veræ Theologiæ Deus immortalibus animis insculpserit, ibid. Hinc methodus tractandi res Theologicas primùm ab anima, deinde à rebus cæteris, ex Athanasio, C. 13. n. 9. Et ejiciendum ex animis Christianorum Theolorum, *nihil esse in intellectu, quin priùs fuerit in sensu*, C. 14. num. 1. *& seqq.* Et hinc etiam triplex inter antiquos & recentiores divortii caput in omnem Theologiam respersum, C. 20. n. 3. Quanti igitur intersit, ut Theologi insuescant, ac Christianos omnes, utpotè etiam Theologos, triplici naturarum distinctioni, & à corporibus ad mentem, à mente ad veritatem progressioni, exemplo Patrum, C. 22. num. 11. 12. Imò abstrusiori per numeros & figuras Geometricas divinorum contemplationi, sine imaginibus corporum. C. 23. *& seqq.* C. 25. n. 5. Item & Theologicis inter res humanas etiam viles ac ludicras meditationibus, L. 3. c. 5. nu. 5. A fortiori ipsi sempiternæ veritati consulendæ ad mores totamque vitam componendam, C. 6. n. 6. *& seqq.* Necnon ad res sacras Theologo adhuc magis consentaneas, nu. 10. *& seqq.* C. 16. n. 2. 3. C. 17. n. 12. C. 20. n. 10. Ideo ad orationem nos remittunt, præsertim ante studium Theologiæ, L. 5. c. 4. nu. 16.

Ex Philosophorum etiam præsertim Platonicorum fontibus, Christiana quidem Patrum Theologia, sed accuratior, L. 1. c. 2. n. 9. &c. V. *Patres*, *Philosophi*. Imò in sublimiori Philophia de ideis tota vertitur Theologia, L. 3. c. 18. n. 2. *& seqq.* Nec difficilis aut inutilis concordia veteris Philophiæ cum Theologia, ex Bern. C. 29. num. 9. Imò quantum deserviat intelligentia principiorum Philosophiæ Platonicæ ad sedandas rixas totius Scolæ Theologicæ, L. 6. c. 21. nu. 14. Imitandi quandoque ad hoc Patres a Theologis in molliendis & conciliandis Authorum sive Ecclesiasticorum sive etiam Ethnicorum vocibus, L. 4. c. 1. n. 5. Et ob barbaras aliquando eorumdem Philosophorum voces, decerpendum aliquid Ciceronianæ eloquentiæ, ne dogmatum majestas infringatur, L. 5. c. 1. num. 11. Paulò aliter, Præfat. n. 8. 9.

Quisquis jam nudam veritatis intelligentiam primo parenti denegat, in ipso Theologici stadii limine impingit, L. 6. c. 9. n. 1. Falsum est quod Vasquez asserit, plures etiam in Schola Theologica nominatissimos non stetisse pro aliqua prioris status beatitudine, C. 21. 1. n. 4. Frequens autem apud Augustinum, non tam opinionis ambiguitas, quàm modestia, in hoc & aliis quæ fides non exigit, Theologis proponitur imitanda, C. 9. num 11. Fides autem alia Tyronum Ecclesiæ, alia Theologorum, L. 4. c. 8. n. 9. Altissimæ post tyrocinii blandimenta, Theologiæ est Deum per negationes ipsamque nescientiam in caligine assequi, C. 7. num. 1. 2. 10. C. 9. num. 1. 5. 7. 8. Unde implicata sint plura mysticæ Patrum Theologiæ capita? C. 8. num. 1. Quanti etiam facienda sit symbolica Theologia seu Dei cognitio, C. 12. num. 14. 15. V. *Dei Attributa*, *Negationes*, *&c.*

Regula fidei Catholicæ & sanæ Theologiæ Universitas, antiquitas, consensio Patrum, vel omnium vel plurimorum, ex Vincentio Lirin. L. 9. c. 2. nu. 1. *& seqq.* Ut post exortas hæreses non nova cudatur doctrina, sed prisca è latebris diligentiùs eruatur, num. 7. L. 10. Præfat. & C. 83. §. 1. 2. Luculentissimæ aliæ regulæ ad concordiam in rebus Theologicis firmandam, pluribus fultæ exemplis, ex Bessarione, L. 9. c. 6. num. 9. 10. Patribus, sui ævi Hæreticos insectantibus, par est credere affulsisse potiùs veritatis lumina, quàm aliis Theologis præsertim recentioribus, L. 6. c. 19. num. 4. C. 20. num. 6. 8. 10. L. 7. c. 15. num. 9. 12. *& seqq.* Pluris etiam facienda, quæ à Catholicis adversùs Hæreticos, quàm quæ inter Catholicos ipsos disputantur, L. 10. c. 69 §. ult. Quanquam deceat maximè, ut olim, eandem contra Hæreticos, ad populos, & inter Theologos orbitam indiscriminatim teri, Lib. 7. c. 7. num. 11.

Consentaneum maximè est Christianæ Theologiæ majestati, arcana Deitatis, & similia puerilibus dictiunculis non committi, sed aliis exemplo Patrum in Scriptura fundatissimis, non sine subtilitate penè scholastica, L. 7. c. 4. n. 3. *& seqq.* Cc. 6. 7. 9. n. 3. At desinente circiter undecimo sæculo jacta sunt fundamenta Theologiæ magis scholasticæ, quæ dialecticis subtilitatibus plusculum indulsit, saltem quoad voces, C. 8. num. 1. *& seqq.* Paulò pòst acriùs disputari cœpit inter magnos præsertim Franciæ Magistros de sensu majorum, C. 13. nu. 7. Adhuc seriùs tamen ipsi Scholæ Theologiæ Principes melioris ævi gustum præ se ferunt, num. 8. 9. 13. Imò satis constans aliunde concordia inter Scholæ Proceres hactenus subsistit, Præfat. num. 15. 16. Nonnisi à centum annis inter quosdam Theologos de auxiliis altercatum est: L. 10. Cc. 82. 83. 86. initio. Semper autem Theologi præsertim debent uti licentia ab Apostolo semel concessa, C. 83. §. *Hæc*. C. 86. §. 1. V. etiam *Augustinus*, *Patres*, *Paulus*, *& proximo titulo*.

Thomas Aquinas, Tostatus Abulensis Episcopus.

Ille Doctor Angelicus, totius Scholæ Theologicæ facilè Princeps, subscribit pro more Majorum, Magistro urgenti consensionem Patrum utriusque Ecclesiæ, de processione Spiritus sancti, & contra morem ferè exscribitur à Scoto, L. 9. c. 6. num. 6. At alienus prorsus est à decretis prædeterminantibus ac præmotionibus in malum, quas ei aliqui recentiores affinxere, L. 7. c. 13. num. 9. Scilicet antiquorum semper retinet doctrinam, etiam

quoad

quoad indurationes, ibid. & C. 20. nu.4.9. Et quidem in ipsa Summa Theologica, num.13. & L.10. c.66. Necnon quoad adjutorium *quo* de gratia finalis perseverantiæ intelligendum, C.69. Et quoad alia huc spectantia. Cc. 72. 73. §. ult. Denique quoad principem movendi vim in gratia præveniente constitutam, non in concomitante, adeoque non physicam, C. 82. Magis mirum videbitur tertiam pro gratiæ efficacia sententiam, non per prædeterminationem physicam, sed per conspirationem auxiliorum, suaderi vel maximè à S.Thoma, L.9.c.1.nu.6.7.10. Præfat. n. 15.

Tostatus licèt recentior, penitissima quæque Theologiæ arcana de æternitate Dei introspexit, & propalavit, ut vel hinc infinita quædam hujus tanti viri eruditio pateat, L.10. c.85.

Trinitas. Tritheita.

Dei imago tribus potissimum dotibus tres divinas Personas seu Trinitatem exprimentibus refulgebat, L.1.c.3.nu.2. Sublucet adhuc vel in triplici cupiditatum vitiositate, n.4.5. Ipsis verò Platonicis in summa unitate supra eos, ac entis seu mentis principio, L.2.c.2. n.6.8. 11. *& seqq.* C. 3. integro. Quatenus hæc & similia Patri & Filio aptentur, juxta sanctos Patres, n. 9. C. 4. num. 1. Eodem recidit Verbi è silentio Patris eruptio, juxta Marium Victor. n.2.14. Imò unitas Patris in silentio & quiete sua recollecti, ac unitas Filii in omnes creaturas effusi, similesque proprietates sive appropiationes, juxta Clementem Alex. hinc gentes ad fidem charitatemque cohortatum, nu.3. Necnon Dion. num. 4. Ut charitas tandem in unitatem Deitatis individuam tres divinas cogat hypostases? juxta Bernardum, L.3.c.23.n.8. Et ut amore amor ipse summus unus & trinus insideat cordi, ex Nysseno, C. 24.n.5. Imò ut natura Deitatis charitas sit,& unaquæque Persona charitas, ex Origene, n.6. Ad quæstionem de ordine trium divinarum Personarum rectè respondet Jobius apud Photium, L.4.c.9.n.5.

Jam Personarum Trinitas non aliud quàm copiosa unitatis magnitudo, ex Aug. & Bern. L.2.c.3.n.12.14.Non autem unitatis imminutio, aut Monarchiæ minimè tripartitæ, ex Athanasio, Epiphanio & Nazianzeno variè id explicantibus contra *Tritheitas*, sive Philosophos, sive Arianos, aut Macedonianos, C.4.nu.5.6.7.8. Sic & Synesius canit in suis Hymnis, licèt Platonicè, ex Philone Isidorus Pelusiota, n.9. 10. Prioribus Patribus magis concinit Cyrillus Alex. n.11. Ex Latinis Hilarius, nu.12. & Ambrosius, apud quem unitati quidem pugnat ternarius numerus, non Personarum Trinitas, n.13. Apud Ruffinum verò in expositione Symboli, multiplicitati non pugnat unum numero seu egestate, sed universitate, qualis est Deus, nu.15. Hinc singulæ Personæ unitas, universitas, & totum, apud Bernardum, n.16. Necnon unum & summum, ex Aug. C. 11. nu. 3. Et rursus ex Nazianz.contra alios Hæreticos pro bono Deo contra malum fictitium pugnantes, ac profundi & silentii Platonicis nominibus abutentes, n. 4. Paulò aliter Nyssenus & Dion. num.5.6. Quomodo tandem omnia Dei attributa, etiam diversissima & relativa Personarum Trinitatis,in unum simplicissimum coalescant? L.4.c.5. n.7. 8.

An verò existimaverint sancti Patres, consubstantialitatem Personarum divinarum agnitam esse à Philosophis Platonicis, majus dubium? L.2.c.5. Quid ex ipsismet de uno Verbi Parente, & de anima mundi tertio Principio? n.1. &c. V. *Philosophi*. Tutiùs veriùsque Augustinus incerta demonstrat esse eorum placita, n.12. Et quidem plura de Patre & Filio, pauciora de Spiritu mox designato,n.1.13. Patrum & Philosophorum ipsorum de his alternatio, Cc.7.9.11.L.3.c.1.n.1. *& seqq.* Viderunt tandem ipsi Platonici systematis sui inconstantiam & perplexitatem, nu. 8. *& seqq.* A fortiori sancti Patres, quoad *esse* Patris & Filii, ibid. Ut magis mirum sit vetus systema a Mario Victorino restitui, nisi catholicè explicasset, n.11. *& seqq.* C.4.nu.1.29. Sic alii Patres nunc Patri, nunc Filio, vel utrique sine contradictione tribuunt, quod seipsum *esse* appellarit, seque exhibuerit videndum, utique Patrem in Filio, Nn. seqq. præsertim 8. Hinc Verbo etiam tribuitur, quidquid alias traditur de veritate in omnibus consulenda, C. 6. præsertim circa finem, C.16.num.11. 12. 13. Et quidem ratione idearum in prima mente seu secundo Deo non ita accuratè locatarum à pluribus Philosophis vel Hæreticis, Vide *Idea*, *& in singulorum titulis*.

Quo sensu Verbum dicatur à Patribus vel Philosophis, imago princeps & sapientia Patris,ad quam aliæ imagines efformantur? L.3.c.17. n.2. *& seqq.* Imò ipsa Sapientia ab initio creata? juxta Athanasium & Synesium, nu. 10. 11. L. 7. c.1. nu.2. Aliunde ab ipsis Platonicis summa pulcritudo summi Parentis proles & imago, L.3.c.19. n. 12. 15. 19. Luculentiùs ab Augustino, C.20.n.2.Necnon ab omnibus ipsa vita, & ideo Deus, C.25. n.9.11. 13. Sic vitæ fœcunditas Deus utique Pater, qui Verbum vitam ipsam gignit, C. 26. n.2. Errabant tamen qui hanc esse Dei vitam putabant, quòd seipsum gigneret, nu. 3. Tametsi nonnulli Patres ejusmodi aliquid dixisse videantur, nu.4. Sed tripliciter explicantur, Nn. seqq. & L.5.c.8.nu.8.9. Expressiùs ut species, similitudo & imago Patris non sit alia quàm Verbum, L.6.Cc.4.5.13. num.7. *& seqq.* Hinc illud tam crebrum apud Græcos, intelligibile Patris est Filius, & incomprehensibile Filii est Pater, v. 18. C.17. num. 1. *& seqq.* C.19.n.4.9. C.26.nu.6.8. 10. Sic gradatim expressiores Verbi imagines in suis operibus usque ad Incarnationem & gloriam, C.16.n.2.§.3. Similiter Veteres explanarunt versiculum, *In lumine tuo videbimus lumen*, de Spiritu sancto ostendente Filium, sicut Filius ut species ostendit Patrem, contra Macedonianos, n.8. *& seqq.* breviùs, Nunquam intelligitur Pater, nisi per Filium in Spiritu sancto, nu.10.§.5.

Ita autem proprium est Dei esse ubique, ut vel hinc probetur Verbi & Spiritus sancti divinitas, L.5.c.3. n.5,6. L.9. c.14.n.2.3. Necnon & ex immutabilitate, L.5.c.10. nu.1. *& seqq.* At æternitas juxta Philosophos Verbi propria, videtur ex ejus adhæsione ad unum, seu Filii ad Patrem, C.11.n.5. De processione autem Spiritus sancti à Patre & Filio, L.6.c.9. Et quidem itaut vox processionis Græcis sonare videretur authoritatem & principalitatem Patris, non ita Latinis, n.4. Cætera concordarent apud utrosque, usque ad Schismaticos satis ignaros, præsertim ex Concilio Florentino, Nn. seqq. V. etiam *in singulorum titulis*.

Tyrii, & alii populi.

Tyrii, Sidoniique, & alii populi inter Idololatras perditissimi, Judæorum tamen malitiæ haud comparandi, L. 7.c. 23. num. 13. Utrique aliunde à massa perditionis non discreti, L.8.c.1.n.15.C.5.n.9.C.8.n.5.C.9.n.12.§.*Cum.* Cur illos magis movissent, si exhibita fuissent, miracula Christi, L.10. Cc.60.61. At iis exhibita fuerant mundi miracula, quibus ad Creatorem potuerant duci, & exinde ad Christi miracula, nu. ult. V. *Deipradestinatio*, *&c.*

V

Valentiniani Hæretici.

Post Gnosticos abutebantur Platonis ideis ad insulsi sui dogmatis fabricam, L.3. c. 12. num. 1. 6. Necnon cum Marcionitis, doctrina alioquin Apostolica de prædestinatione & efficacia gratiæ. L.8.c.1.n.8.L.9.c.7.num.10. C.8. n. 13.

Varro. Virgilius.

Marcus Varro Romanorum doctissimus, quem ex Mathematicis disciplinis fructum ad divina perceperit, vel percipi suaserit? L.1.c.24.n.5. *Virgilius* pariter, licèt Poetarum laude clarissimus, de Platonico etiam dogmate laudatur, apud Augustinum, L.6.c.3.n.5.

Vasquez. Vivez.

Falsò *Gabriel Vasquez* asserit, *Ludovicum Vivem* unicumè Scholasticis stare pro beatitudine qualicumque primi status, L.6.c.21.n.1.§.3. & n.4.

Venena. Veneres. Voluptates. Virginitas.

Ex *venenis* bene digestis medicamenta parantur, ex August. L.2.c.11.n.12.Diversi generis venena multipliciter etiam ex se salubria sunt, saltem ad terrorem & correctionem nostram, L.10. c.14. §. *Ambrosius*.

Duplicis Veneris nomine, apud Gentiles, duplex amor, castus & impurus, seu charitas & cupiditas designantur, L.3.c.22. nu.1.6. *Voluptates* quidem eò acriores sunt, quò noviores, L.1.c.13. nu.2. 4.5. Velle tamen voluptatibus frui, si modus teneatur, bonum naturæ est non illicitum, ex Anselmo. L.7.c.8 n.9. Ex innato etiam voluptatis amore fluit dolorum & amaritudinum vis & efficacia ad agendum, L.10.c.1. §. *Est enim*, C. 12. *& seqq.* præsertim 22. 23. Trahit enim sua quemque voluptas, & quomodo, Cc.34.35.58. Nihil propterea voluptati, sub necessitatis specie, indulgendum, C.49.§.*Denique*, C.51. 53.§. *Idem*.

Immor-

Immortalis & sempiterna idea, virginitas est, & dignior Deo conjux, ex Philone & Hieron. L.5. c.10. nu.12. L.6. c.5. n.12. Quibus verò mediis continentia omnis ut Dei donum, accersenda & fovenda? L.9. c.8. nu.2. 9. C.14. n.2. C.17. num.9. Sinit tamen aliquando Deus virginitatem ipsam sine consensu violari, ad humilitatem pretiosiorem servandam, ex August. L.10. c.44. §. *Exemplo*. Quomodo quiritantes de innumerabili virginum & continentium turba, quæ det fine sæculo, compescat Augustinus, L.8.c.7. nu.11.

Verba. Voces. Vota. Vsus.

Vota Angelorum & hominum voces & verba sunt apud Dominum, L.3.c.8.num.5.6. C.9.num.4.8. Multa vocabula olim nova & inusitata mollivit tandem usus, C.18. num.4. Idque maximè consulendum, exemplo Patrum, ad sedandas rixas quæ plerumque versantur in vocibus, L.2.c.4.nu.3. L.4. c.1. num.5. L.5.c.13. num.16. L.9.c.6. num.4.6. 10.

Verbum Æternum. V. Trinitas.

Verisimilitudo. Veritas. Vita. Visa.

Visio.

Discrimen inter veritatem æternam & temporalem, L.1. c.15. n.2. Et inter majorem aut minorem intelligibilium ac sensibilium, num.4. L.3.c.1.n.13.14. C.4.nù.9. *& seqq.* C.3.n.3.4.& Cc.7. 15. ferè integris. Scilicet veritas propriè est in intelligibilibus, *verisimilitudo* in sensibilibus, C. 7. n.4. Et hæc aliqualis saltem veritas, nu.5.C.10. nu. 10. §. *Vbi*. Discrimen rursus aliud inter veritatem & falsitatem seu mendacium, L.2.c.1.n.10.C.2.n.7. Inter esse veritatis & nostrum, ex Aug. L.1.c.15.n.7. C.16.nu.2. Necnon inter eandem & accidentia vel notissima, nu. 4. Ex ipsis dubiis de veritate veritatis certitudo, C. 23. nu.11. 12. Ejusque æternitas principio & fine carens, C.14. n.9. L.5.c.12.nu.10.11. Necnon & summa simplicitas, L.4.c.5. n.1.2.6. *& seqq.* L.6.c.13.n.5. *& seqq.* V. *Dei attributa ferè singula*.

Appetitus *vivendi* simul & intelligendi, ipsa bibendæ *veritatis* sitis est omnibus innata, juxta Philosophos & Patres, L.3.c.5.n.2.3. Hinc nemo falli vult, nequidem inter ludicra, ibid. & Nn. seqq. Et odium veritatis ex ipso veritatis amore, n.6. Adeò altè insitum est gaudium de veritate, ibid. & L.10. Cc.34.35. Et quidem ex primæva veritatis contemplatione, L.3.c.4.nu.9. *& seqq.* Opus tamen est adhuc ut Sol intelligibilis, veritas duplici luce perfundat oculum mentis, ac res intelligibiles seu veritatis regulas, num.12. *& seqq.* C.6. num.1.13. &c. Vide etiam *Christus, Magistri*. Et hoc ex cognatione præsentiori veritatis cum mente, quàm lucis corporeæ cum oculo, C.7. nu.1. *& seqq.* Necnon ex alia præsentiori in paradiso, cujus spectamina adhuc restant, n.6. *& seqq.* Et hæc *umbra vitæ*, ex Bern. n.8. L.6.c.9.n.7.

Deus autem per se *vita* principium *omnis vitæ*, L.3.c.17.n.5. 6. & Cc. 25. 26. L.5. c. 10. nu. 14. Quatenus omnia etiam ligna & marmora in Deo vita sint? ex August. L.3. c. 18. num. 2. A fortiori naturæ intellectuales, ex Bernard. C.23.num.8. Ex Nysseno, C.25. num. 3. Et quidem non sine purgatorio cruciatu, si terrenis implicatæ sint, ibid. & Nn. seqq. Nec sine morte, si veritate priventur, num. 8. Cujus sola *visio* verissima vita est, num.6. L. 5. c. 15. num. 4. L.6. c. 14. num.9. *& seqq.* Imò veritas ipsa concipi debet ut vitarum vita, ne otiosa & emortua fingatur, ut vulgò, L.7. c.1. num.6. Vitæ autem communis brevitas aut diuturnitas perinde prodest Electis, ac reprobis obest, L.8.c.5.nu.5.L.10.c.72. Quippe totam vitæ seriem ac maximè exitum sibi nunc reservat Deus, secus in prima innocentia, C.74.

De rarissima & brevissima æternæ *veritatis in se visione in præsenti vita*, ex Patribus, L.1.c.14.nu.8.9.C.17.nu.3.L.3. c.3.num.13.14. C.7.num.6. *& seqq.* L.6. c.11. Ex Platonicis, L.4.c.2.num.5. Ex ipso tandem cum illis Aristotele, L.6. c. 1.n.15. Non piis tamen tantùm, sed quibuscumque hominibus aliqua istiusmodi veritatis rapida coruscamina allucent, L.3.c.7.num.7. *& seqq.* Tria saltem distinguuntur, pro piis maximè, L.10. Cc. 56. 57. Triplex aliunde in summa visionum ac visorum genus, corporale, spiritale & intelligibile, ex August. L. 1. c.14. num.8.9. Tertium multipliciter præstat aliis, C. 15. nu. 1. 3. L.3.c.15.num.8.9.L.6.c.10.num.9. C.13. num.2. 5.6. Maximè cum Deum ipsum & animam complectatur. L.1.c.16.num.6. C.17.num. 8. L.4.c.3. num.1. 2. Dubium an in ipso primo genere non sit aliquid incorporeum ex ipsa objecti sensibilis perceptione seu cognitione? quid quid senserit Augustinus, ibid. Quatuor genera accuratiùs distinguere videtur Boethius, L.3.c.16.nu.7. Efficacitas gratiæ ex *visis congruis*, L. 10. Cc. 5. 6. 7. Item ex aliorum visorum suasionibus, quæ explicantur, C. 55. A fortiori ex visione beata, & relictis ex ea coruscaminibus, Cc. 56. 57. V. etiam *Beatitudo, Dei visio, Gratia, &c.*

Virtutes. Vitia.

Virtutum, sicut scientiarum principia certa & immutabilia nonnisi Deum animæ referunt, L.1.c.23.num.7. L. 5. c.10. num.12. Siquidem ideæ seu formæ virtutum nonnisi in Deo & ex Deo sunt, mentibus moribusque impressæ, L.3.c.11.n.1. *& seqq.* C.17. ferè integro. Imò Deus ipse, & quomodo? num. 9. *& seqq.* Dicitur tamen Deus his maximè virtutum symbolis vestiri seu nominari per œconomiam voluisse, ut utiliùs imitaremur, L.4.c. 11. nu. 15.18. C.12.num.11. §. *Obiiciunt* 3. Virtutes saltem *exemplares & divinæ* veriores sunt, prout à Platonicis tradebantur, potiùs quàm à Pelagianis, L. 3. c. 17. nu. 10. 11. C.19.num.7.C.23.num.2.4.L.9.c.7.nu.4. §. *Inferiùs*. Aliæ etiam, quæ *catharticæ* seu *purgatrices* vocantur, maximè hìc necessariæ, L.6.c.3. num.1.v.3. Contemptus aliunde virtutum *Philosophicarum* sola libertate nitentium, ex ipso Clemente Alex. C. 8. num.2. Paulò aliter si per gratiam disponant ad Christum, ex eodem, n.4. Ex Hieron. C.7. num.9.

Ut Christus Electos præcipuè gestans omnia *vitia* extinxit, *virtutes* implevit, ex Athan. & Cyril. Alex. L.9. c. 11. num.6. 11. *& seqq.* Eas autem Spiritus sanctus perficit in omnibus Ecclesiæ ordinibus, ex aliis, C. 14. num. 2. 3. Et quidem omnes ferè virtutes aut exercentur, aut custodiuntur, aut saltem inducuntur timore, qui donum est Spiritus sancti, L.10. c.23. *& seqq.* Adde & tentationibus, C.40. Quin & modo ipsis *virtutibus* imposito, C. 41. Imò & ipsorum *vitiorum* permissione, C. 42. Quàm difficile in virtutibus modum tenere, & earum specie in vitia fallentia non impingere, C. 53. Quolibet tandem modo inductæ aut servatæ virtutes immortalitatis medicamenta ac semina sunt etiam pro corpore, L.5.c.7.nu.7. C.10.num.11. *& seqq.* C.15.n.8. *& seqq.* Virtus enim omnis, immutabilitas quædam est, quia unitas, L. 5. c. 10. num.12. Vitium quia multitudo, ideo & mutatio, ibid. Et affectus omnes si proiiciantur in terram, vitia sunt: si assurgant rursum in Deum, virtutes, L. 10. c. 25. §. *Lactantius*.

Ipsa vitia aliunde Deum perversè quærunt & imitantur, ex Dionys. & August. L.1.c.3. num.4.5. Triplex potissimum eorum vitiositas lucis divinæ scintillam animæ ingenitam prorsus extinguere non potuit. C.4. nu. 7. 9. Sed ad fallaces veri boni imagines detorquet, L.2. c.8. num.10. C. 12.num.12.13. L.3.c.5. num.10. L.7.c.8. nu.15. *& seqq.* Hinc nullus tam excors qui non eadem quæ in se fovet vitia, in aliis detestetur, L.1. c.7. num. 1. 2. Imò & in seipso reprehendat, ibid. & num.6. L.3.c.18.num.3. Quomodo verò nequidem à propriis vitiis corrumpitur anima? L.5.c.7.n.10. An & corpus? num.7. C. 10. num. 11. *& seqq.* C.15. num. 8. *& seqq.* Irasci autem dicitur Deus vitiis & vitiosis hominibus, ut lex, virtus, & veritas, L.5.c.9. n.9.12.13. Monent tandem vitia ipsa unde defluxerimus, & quò redeundum sit, L.2. c. 12.num.13. L.3. c.5. nu.10.

Vnitas. Vnum.

Summum in quolibet genere, nonnisi *Vnum*, L.2.c.1. nu.5. *& seqq. ac passim* Cc. 2. 3. Non potest autem non principari *unitas* dualitati & omnibus numeris, C. 1. num. 11. C.2. num.1. Imò unitati dotes divinæ omnes conveniunt, num.2.3.7. Ipsaque superior est ente seu mente, nu.4.5. Cujus etiam est principium, num.6. Et hinc in unitate Trinitas, ibid. ac Nn. seqq. C.3. præsertim num. 9. *& seqq.* Hæc quippe non est aliud quàm copiosa unitatis magnitudo, num.12.14. & c.4. integro. Siquidem aliud est unum egestate, aliud universitate, qualis est Deus, nu. 15. 16. Et sic unum est supra unum, unitatem omnibus aspirans, & ad unitatem omnia revocans, C.6.num.3. Hinc omnia in tantum sunt, in quantum unum, ex August. castigatiùs quàm ex Boethio unitatem per gradus usque ad materiam deducente, n.6.7. Ex Platonicis, L.4.c.2.nu. 1. 2. L.5.c.6.n.1.7. C.12. n.5.

Vocatio. Voluntas.

Duplex *vocatio* apertissimè è Scripturis eruitur, L. 8. c.6. nu.1.2.3.L.10.c.61. §. *Ita*. C.73. §. *His, & seqq.* Triplex aliunde ex Euang. & Greg. Magn. Cc. 1. 10. &c. Ex ipso Cas-

Caſſiano Collat. C. 17. §. *Plura*. Nec repugnat Proſper contra Collatorem, contendens omnes quidem prorſus à Patre trahi, ſed diverſimodè. C.21. §. *Porro*. Vocationis gratia, quæ utique efficaciſſima eſt, timori, non dilectioni aut delectationitribuitur, C. 25. §. *Bernardus*. V. etiam *Dei prædeſtinatio*, *Gratia*, *&c.*

Cùm *voluntas* & mens, res adeo una, vel propè una ſit, fieri nequit ut voluntate infimis adglutinata, mens interim ſublime volet, L.6.c.8.num.5. Voluntas ergo quæ prior cecidit, prior reſurgat, ſumma diligat, ut intelligat, ibid. Interim cum prior & magis in cauſa fuerit, magis punitur quàm intellectus, C.11.num.7.C.11. nu.14. Quatenus non omnis voluntas diſtorta, à Deo ſit? juxta antiquos, L.7. c.7. num.3. *& ſeqq.* Paulò aliter juxta recentiores, quibus voluntas quælibet cùm aliquid ſit, ſaltem eſſentia eſt, etſi non ſubſtantia, C.8. num. 1. 2. *& ſeqq.* Propriè tamen non omnis voluntas, ſed poteſtas à Deo eſt, ex Scripturis & Patribus, C. 9. num. 4. *& ſeqq.* Expreſſiùs, C. 11. num. 1. *& ſeqq.* Vide etiam *Dei providentia*, *Gratia*, *Peccatum*, *&c.* At bona *voluntas* dupliciter tandem intelligitur à Nazianz. ſicut ab Auguſt. L.9.c.10. nu.3.

Z

Zacharias Propheta & Sacerdos. Zeno duplex.

QUomodo Angelus in ipſo Propheta *Zacharia* loqueretur? ex Gregor. Mag. L.3.c.8. nu. 2. Ex Cyrill. Alexand. C.9. nu. 11.

Prior *Zeno* Philoſophus cum ſuis Materiariis aſſeclis nihil niſi corporeum cogitans, vulgi animos ſibi conciliavit, Lib.3. cap.7. num.4. In cauſa fuit Platonicis ſeu Academicis ſua intelligibilia occultantibus, *ut dubitationes* de ſenſibilibus affectarent, quibus ad *intelligibilia* animos reducerent, ibid.

Ultimus *Zeno* Veronenſis Epiſcopus, quando dixit Deum ſibi principium eſſe, intellexit Patrem ſe reciprocaſſe in Filium, L.3.c.26. nu.4.6.

FINIS.

4° Th. Lg
Thomas

Thomassin, Louis, 1619-1695

Dogmatum theologicorum tomi tres

Bd.: 2

Venetiis 1730

Augsburg, Staats- und Stadtbibliothek -- 2 Th S 216 -2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11205391-2